



THESAURUS
GRÆCARUM
ANTIQUITATUM.

VOLUMEN XI.

THESAURUS GRÆCARUM ANTIQUITATUM,

Contextus & designatus

ab

JACOBO GRONOVIO,

VOLUMEN UNDECIMUM

Historica & Geographica, Nautica, Equorum curam, Tropæa, & Exequias inferens.

Series librorum voluminis præfationem sequitur.



I. Camerata in. *P. Monaco sc.*

VENETIS,
Typis Jo: Baptistæ Pasquali.

M. DCC XXXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

LECTORI ΦΙΛΕΛΛΗΝΙ S. P. D. JACOBVS GRONOVIVS.



SI ita comparatum eſt, ut deceat, quod neſcio qui dixiſſe Domitium Piſonem memorat Plinius, velut ipſe quoque probans, & imitaturus exemplum, THESAUROS SCRIBI DEBERE, NON LIBROS; ecce tibi Theſaurum, ipſa induſtriæ eorum, qui tanquam quæſtores AERE COGENDO adfuerunt, multitudine & conſeſſu, ingeniorum motu & varietate, materiæ multiplicis dulcedine ac Græcæ tam antiquitatis quam linguæ doctrina uberrimum, & ipſo forſan quondam pepli Attici viſu jucundiorem, cujus diſperſi fontes ac rivi in unum Hippocrenes alveum conducti vel ipſis novem Muſis lætam ſatis alimoniam præbuerint. Scilicet hæc reparatio tam profundæ vetuſtatis non erat unius ætatis, non unius mentis opus; nec ipſe Theſaurus Delphicus fuit unius regis aut civitatis pia liberalitas, ſed plurium. Nimium multos habebat Græcia receſſus & reductos tenebroſoſque angulos, quam ut ab uno aliquo penetrari, nedum acriter inſpici poſſent; quum ne ſic quidem adeo placere nobis debeamus, quin exigua tantum pars detecta ſit. Adeo non induſtria una, non vita poteſt in tantam amplitudinem patere, vel ſi adſit voluntas.

Hunc igitur ſanequam opera non minus ſedula, quam animoſe collectum librarius ad Græci temporis ſplendorem, etſi ipſa fama ſatis inclitum ac radiantem, tamen clariore face illuminandum ſimul & ad noſtræ ætatis decus magis extollendum & ſtudia amplianda exponit ac publicat, cui propter notitiam noſtram ſervire libens volui, ut contextum deſignationemque, prout licuit & fieri potuit, legitime ordinans, interdum aliquid & de meo immiſcerem, ita ut denique ad undecimum, hoc eſt, poſtremum volumen exarandum hactenus adjutor acceſſerim. Id autem fieri non potuit, quin medio tempore ipſa res inexſpectatum afferens, & modo ſi non mutare, certe deliberare cogens, identidem aliquid innovaverit, ut idcirco poſtremæ parti reſervari ac deſtinari quædam debuerint quaſi miſcellanea, ut ſpero, perinde grandia ac dulcia ventura, ac ſi ordine ſuo conſpicerentur. Non enim dubito, quin jam deſideraveris quædam alia ad eandem ſeriem materiamque pertinentia, quæ non modo commodum fuerat adjeciſſe, ſed vel neceſſarium; quin immo forſan increpueris iſto velut aſpernationis indicio ac nota nobis tantum arrogantes, tanquam ingeniorum delectui agendo præſidere voluiſſemus potius, quam huc conferre prompte, quicquid exſtabat. De quibus duobus capitibus quum inſtrui debeas, & ad prius commode juſta noſtra protulerim, licebit aliquid addere de poſteriore.

Si qua fides enim, non eam auctoritatem ad aliena attulimus, ut quod ipſius lectoris debet eſſe gaudium & ἄγαλμα, ipſi in anteceſſum corriperemus; nec invidimus diverſitati, & tam minoris pretii arculas, quam probatiſſimæ monetæ nummos componendo elaboravimus, ut

facile posses agnoscere, quodnam aurum senserit obrussam & ab quorum laboribus maxime oblectationem otio tuo fructumque adquireres, & quos verissimo elogio beatioris ærumnæ Solones dici oporteret. Neque idcirco tamen cum aliquo centurionum dixeris vix esse, ut curto centusse licearis vel centum Græcos. Quippe non ex trivio arrepta hic sunt omnia & projecta in turbam, ut cresceret sine pondere opus. Tu vero noli putare alicui ad hæc sacra aditum datum, nisi qui afferret Venerem suam, monstraretque aliquod momentum ac robur, quo succinctus & legitime initiatus conspectum hunc Parnassi clivum & aggredi auderet, & superari posse recte judicaret, & plane tales, quos Plinius junior vitam meritos dicebat. Sic igitur ab illis per orcini thesauri requietoria dispersis jam manibus, quondam bene merendo juvandoque tempus suum illustrantibus, velut redivivis, subsidia progressuum tuorum pronus accipe, & quas habuerunt reliqueruntque in hac vita exuvias, dulcissimas omnino, & quæ testabuntur eos nec corpore segnes nec animo obtusos fuisse, colligentem fideliter hunc thesaurum venerare, eo sanctius, quo curatius ille circumspexit, ut quum partim edita antehac, partim ignota & nunquam visa propositum ejus consummare deberent, non alia prioris generis in sinum suum admitteret, nisi quæ vel probatissima vel infrequentissima ac rarenter obvia esse constaret; & secunda illa hanc notam haberent, unde præsentissimas appareret fluere suavitates, tantoque magis & miserareris ea tamdiu indignis modis suppressa sine fructu latuisse, & lætareris in usum tuum nunc comportata esse & producta.

Jam satis terræ Græciæ datum videri poterat, satis etiam indoli colentium; & propterea vidisti, quam in prioribus permiserimus nos circumagi ad reliqua, quæ alterius generis erant, discenda. Quum in mentem venit libellus, qui ex incliti Dicæarchi perquam laudato scripto βίον Ἑλλάδος complexo reliquus fati munere permansit, exquisiti sane iste leporis, simul brevem regionum circuitum agrique naturam, simul peculiares quarundam urbium mores acute observans, atque hinc non annotationes modo viri maximi Is. Casauboni, sed & adeo studiosam meritus Henr. Stephani industriam; qua secti in XIV. capita universi illius fragmenti ordine retento post singula examinata tantopere exspatiatur in Græcorum moribus, ex libello quidem Dicæarchi nihil omittens, quantum scio, nisi ista verba, τὴν δὲ χώραν οὐχ οἷον ἐργαζόμεναι, ἀλλ᾽ οὐδὲ ἔχοντες, αὐτοὺς φάσκοντες ἀπογόνους εἶναι Γλαύκη τοῦ θαλασσίου, ὃς ἁλιεὺς ἦν ὁμολογούμενος, pro quibus maluit col. (30) sua verba supponere Latina, nec assequor caussam, nisi quod in Hœschelii editione has voces obscuras fecit prava distinctio. Ad quod ut nos quoque aliquid studii conferamus, video Stephanum hærere col. (9) in Minervæ templo, quod scribitur esse πολυτελὲς, ἀπέβιον, ἄξιον θέας, viro doctissimo secundam vocem nimis licenter formante in ἀπόβλεπτον, unde oportet demi aliquot literas, ut exstet ἄποπτον, quod plane vides respondere literis vetustæ scripturæ, & meminimus Plutarchum scribere in Camillo, ἱερὸν εἰς τὴν ἀγορὰν ἄποπτον. Sed & nimiæ machinæ ab utroque adhibentur col. (10.), quum distinctione rite posita Dicæarchus recte dixerit: Ἑορταὶ παντοδαπαὶ, φιλοσόφων παντοδαπῶν ψυχῆς ἀπάται καὶ ἀναπαύσεις. Col. (13) quum describuntur veri Athenienses δριμεῖς τῶν τεχνῶν ἀκροαταὶ διὰ τὰς συνεχεῖς *, quod Casaubonus supplet ex alio loco

θίας, nescio an id voluerit, & illa citatio huc pertineat; quippe ubi agitur de diverso rerum genere, non περί τῶν τεχνῶν, ut hoc loco, sed de Philosophorum sententiis ac doctrinis, ut forsan fuerit συνεχεῖς στοὰς, in quibus patebant omnis artificii experimenta, ut picturæ scilicet, statuarum & quidquid aliud eas solebat ornare. Col. (15) in versibus Lysippi depositis videtur legendum Εὐωδίαν ἔχουσα καὶ ἀμαληκίαν *& refrigerium*. Nam ut de voce Μάλκη & derivatis ejus annotarunt Lexicographi, ita Henr. Valesius in notis ad Harpocrationem docuit, quomodo & ἀμάλκιον de frigido dixerint; ubi quum μάλκαι etiam exponantur αἱ μαλακίαι καὶ δυσκινησίαι, plane scribi debuit ἀμαλακίαι, ut eadem significatio duobus modis efferatur, & tam μάλκαι quum ἀμαλακίαι ab antiquis dictæ fuerint, atque inde apparet Lysippum quoque nunc dixisse ἀμαληκίαν. Porro hinc etiam colligitur in versu sequente debere scribi Τὰ γὰρ ἀλεεινὰ μεγάλην εἰς σχολὴν ἄγει, & hinc quoque intelligitur proximus τὸ δὲ ἁλιακὸν ἔτος. Ibidem quod dicitur iter duci ab Athenis εἰς Ὠρωπὸν διὰ δαφνιδὸν, ubi tantopere hærent Stephanus & Casaubonus, etiam Salmasio aliquid conato, Vossius in Observationibus ad Melam legit διὰ δαφνοειδῶν, quod illic videre potes. Quod col. (28) Thebanis fœminis tribuitur ὑπόδημα ὑακλωτὸν, voce corrupta & in qua se exercuit Stephanus, ne ego quidem adjuvero, nisi statuas in ea latere δικτυωτὸν, quod optime convenit calceis fere nudos pedes ostendentibus, ut in reticulatim positis corrigiis nimium rara essent foramina. Col. (32) in urbe Chalcide quum dicantur esse ὕδατα τὰ μὲν πολλὰ ἀλυκά, ἓν δὲ ἡσυχῆ μὲν ὑπόπλατυ, hoc posterius plane vitiosum est, ut vidit Stephanus, qui etiam supponit ὑπόπαχυ, quod plane non est oppositum & diversum τῷ ἀλυκῷ, quippe quod & ipsum subdensum esse potest, neque proprium aquarum; ut opiner Dicæarchum scripsisse ὑπόγλυκυ *subdulce*. Col. (33) cap. 14, ubi ponuntur termini Helladis, quum ægra occurat vox ἀμπυ, idem Vossius hunc locum sic auget ac emendat: Τὴν μὲν οὖν Ἑλλάδα ἀπὸ Πελοποννήσου τὴν ἀρχὴν λαβὼν, μέχρι τοῦ Μαγνήτων Ὁμολίου καὶ τῶν Θετταλῶν ἀφορίζω τέμπους, atque ita etiam col. 34. τὴν δὲ Ἑλλάδα ἀφορίσαντες ἕως τῶν Θετταλῶν τέμπους. Sed & in versiculis inolevit satis indecens molestia, quum col. (36.) in Phocide statuatur Cyparissus urbs

Λάρισσά τε· μετ' αὐτὴν δ' Αὖλις. ἡ Βοιωτία
Χώρα δὲ μετὰ Φωκεῖς ἀπόκειται.

Quum & falsum sit Larissæ vicinam esse Aulin, illam ipsam scilicet, quæ in inferioribus dicitur Αὖλις τε Βοιωτῶν πόλις. quod ipsum certissime demonstrat hoc loco Aulidis mentionem non esse factam, nec eam posse fieri in Phocide; unde scribas oportet Λάρισσά τε· μετ' αὐτὴν Δαυλίς. Hæc enim in eis partibus sedem suam habet, ut patet vel ex Strabonis libro IX. pag. 423, ubi post Daulida etiam incipit agere de Cyparisso, prout illæ urbes hic conjunguntur. In præclara ista Plutarchi narratione, qua distinguitur servitutis Romanæ sedulitas ab Attica, col. (42), quum Piso dicatur ad cœnam invitasse Κλώδιον ἄρχοντα, nulla causa est, cur Stephanus maluerit *Clodium præfectum* interpretari, quam cum aliis *magistratum*, qui præfectus sane in Romana urbe non potest non commovere auditorem.

Quod si juris nostri ab primo fuisset hoc, quod sequitur, opus, & non quum jam constitutum nostrum strenue ab operis profligaretur, tarde advenisset, certe in ipso vestibulo statuissemus Vindingianum

HELLENA, tam aſſidua ac valida & perita dextra reſuſcitatum, ut hoſpitaliter venerari debeas. Iſte enim Hellen omnes univerſaſque Ἑλληνικοῦ nominis ac generis appellationes, in quocunque terrarum ſitu abditas, refovens non aliter quam primævus quidam progenitor cuncta ſtirpis ac poſteritatis ſuæ membra per multas peregrinationes diſſipata complectitur, & in unum benigne anxieque recolligit. Itaque cui non placebit inſcriptionis feſtiva ſimplicitas? Magis tamen placere debet ipſa opera. Quæ etſi ſit ab pluribus, & præſertim ab Ubbone Emmio, immo credi debeat ab omnibus ſtudioſis pertractata fuiſſe (eſt enim hiſtoria Græca, quam quis doctus non ſibi comparavit?) tamen ſi adhæſeris, agnoſces de eadem re alio quodam modo, ut dicebat ille, nec eo invenuſto, quum res ipſa ſe teſtem præbeat. Sed neque diſplicebat arbitrii ſecura pronunciatio, quo interdum ſatis limato utitur. Unde licet omnia conſtarent ſolutis foliis, multaque adeſſent inducta, multa denuo allita, multa variis ſignis annotata, ut mos eſt generantium, eaque laborem tetricum nobis indicerent, ut quæreretur contextus, non tæduit tamen. Enimvero juvat ſic obambulare Græciam, ut per ſingulas regiones oculos mittas, in eiſdemque mox clariſſimas quoque urbes earumque fabuloſas ſive veras origines ac res geſtas uſque ad interitum, qui pleraque omnia excepit, perſequaris, ipſorum quidem, qui ſcripſere, verbis, habeaſque earum fata omnia, nunc proſpera, nunc adverſa, comportata in unam chartam. Quod propoſitum ſicut iſto circuitu flagitat induſtriam immenſam, ita profecto ad hiſtoriam Græcam & Chronologiam eſt unica & veriſſima via. Unde ſi ſapis, non tu crede nunc te inſtitui & formari ad noſcenda Græca, ſed ab viro uno ſolertiſſimo & doctiſſimo præberi tibi vel ſpecimem vel modum lectiſſimum, quo in hac ſtudiorum parte uti debeas, ſi quidem ſapienter ea attrectare & ſolide proficere deſideras, gratulabundus felici Daniæ, ab cujus comitate tam planæ in operando ſemitæ experimentum hic Theſaurus nactus tibi ad exemplum ſupponit. Quod mireris ferme, eſt illud, quod ita procedat hic labor, ut videatur Meurſius plane illi fuiſſe incognitus, & quum Caſtellanus citetur ad Eleuſinia, prior iſte nuſpiam occurrit, quum tamen & ipſos Atticæ populos recenſeat. Id quidem ego intelligere nequivi.

Cæterum hæc calami infinita agitatio (certe tanta, ut prima fronte vel negares tibi placere eadem ac totidem reſcribi, aut etiam videreris nolle tot reſcripta poſt te relinqui) fieri non potuit, quin nonnunquam lineas duceret alienas a mente ſcribentis, vel etiam hebetaret acumen intentionis tanta lectionis ſarcina fatigatæ & ſopitæ. Unde optandum fuerat, immo officium juſtum ac debitum, ut huc iſta folia non fuiſſent tranſmiſſa, niſi propinquus & ille accuratus oculus ea prius ad corrigendum perluſtraviſſet: nunc nonnulla ejus generis, quæ me currentem morata ſunt, vel fidei noſtræ vel tuæ offenſionis ſedandæ ergo proponere cautio erit.

Ad priorem claſſem præter iſta, quæ nonnulla in Emendandis dabo, referri debere videtur, quod occurrit col. 42, ubi ſcribitur Anaxo Alcæi filiam Electryoni nupſiſſe, eique præter Alcmenen peperiſſe ſex filios ex Apollodoro, quum ipſe nomina eorum mox octo enumeret, Stratobates, Gorgophonus, Philonomus, Celenæus, Amphi-

machus, Cherimachus, Anaſtor, Archelaus. Et ex his tamen omiſſus etiamnum eſt Lyſinomus, qui ab Apollodoro interponitur poſt Amphimachum; nec ab iſto auctore numeri nota exprimitur. Cui prorſus ſimile eſt, quod admittitur col. 58. ubi ex Diodori Sic. libro IV. ponens XII. filias Aſopi & Medones, eaſque ordine enumerans, omiſſa Theſpira & Sinope, ſolas decem oſtendit. Sic col. 71. leges de Mantinenſibus *Et Agin Eudamidæ f. Regem Spartanum prælio fuſum extra ſuos fines, accitis in auxilium Achæis eorumque duce Arato Pauſan. Arcad. p.* 468. omiſſo verbo, quod interpres addidit *ejecerunt*, ſed Græca ſunt νικῶσιν ἀμυνόμενοι τῇ σφετέρᾳ. Sic col. 96. *Græcos vero e decimis ſpoliorum aureum tripodem conflatum in templo Delphico cum hac inſcriptione ſcribit Diodorus*, omiſſo verbo *poſuiſſe*, aut ſimili, quum Græca habeant οἱ δ' Ἕλληνες ἐκ τῶν λαφύρων δεκάτην ἐξελόμενοι, κατεσκεύασαν χρυσοῦν τρίποδα, καὶ ἀνέθηκαν εἰς Δελφούς, aliter ſane quam Latina, quæ ſic agunt; quaſi ex auro in prædis rapto conflatus fuerit iſte tripus, quod non dicunt Græca. Col. 104. ſcribitur major Cleomenis filius, quum non ad mortem ſe præcipitaviſſet, *cum reliquis deinde liberis juſſu Ptolemæi ſtrangulatus fuiſſe*, idque ex Plutarcho in Cleomene, qui illic uſurpat verbum σφάττειν· πρῶτον μὲν τὰ παιδία τῆς Κρατησικλείας ὁρώσης ἔσφαττον, quum prius dixiſſet Ptolemæum mandaſſe ἀποκτεῖναι τὰ παιδία. Col. 116. ſcribi vides ex Eutropio *T. Quintium Flamininum* (ſic enim debuit) *Lacedæmoniis illato bello, & duce eorum Nabide victo, & quibus voluit conditionibus in fidem accepto, in gloriam duxiſſe ante currum nobiliſſimos obſides*, quum in Eutropio edatur *ingenti gloria*. Hinc col. 132. citantur Strabonis verba τῶν μετὰ Χλωρίδος τῆς Νέστορος μητρὸς ἐλθόντων ἐξ Ορχομενοῦ τοῦ Μινυείου ἐλθόντων Μινυῶν, quæ etſi ita quoque edantur in Strabone, nemo tamen in deſcribendo ſequetur, ut geminet verbum ἐλθόντων, perinde ut nullus approbabit citationem Livii col. 405. *totum orbem muri minus CCCC. paſſus habentem patentem habebat*. Col. 172. *debellatis ſiquidem Carthaginienſibus, receptas e Græcorum manibus Græcas urbes vaſtatas ac deſertas, multitudine hominum frequentes reddidit* Timoleon, quum Diodorus, ex quo iſta citantur, ſcripſerit τὰς δὲ κατεσκαμμένας ὑπὸ τῶν βαρβάρων Ἑλληνίδας πόλεις ἀποκατέστησε. Certe cur Pauſaniam ſequutus ſcribat col. 226. *Athenienſes prælio ad Cranonen commiſſo, ducentis ferme ac nihilo pluribus militibus amiſſis, Macedonibus ſuccubuerunt*, vix cauſam dixeris, quum tamen Pauſanias non appellaverit Cranonen, ſed verba ejus ſint: Ἐν Λαμίᾳ δὲ περὶ διακοσίους πεσόντων, καὶ οὐ πλέον τι, Μακεδόσιν ἐδουλώθησαν. Col. 248. videas ſcribi *Oenoen & Hyſias, extremos Aſiæ vicos*, quum vellet *Atticæ*, prout ſunt, & Herodotus quoque dicit δήμους τοὺς ἐσχάτους τῆς Ἀττικῆς. Col. 265. allegatos vides *Caicos campos*, quos nemo veterum agnovit, nedum Pauſanias, apud quem recte dicitur Καΐκου πεδίον, quod intelliges *Caici fluminis campum*, pari errore, quo col. 454. dicit ex Herodoto Hiſtiæum *fruges e Caico agro demeſſurum*, in quo nimium credidit interpretationi Latinæ, quum recte Herodotus τὸν ἐκ Καΐκου πεδίου *ex Caici campo*. Sed etiam quis intelligat hæc, *fuitque ei circa Caicos campos in Elea urbe monumentum?* Quanto clarius Pauſanias, καὶ οἱ τὸ μνῆμα ἐς Καΐκου πεδίον ἐλαύνοντί ἐστιν ἐν Ἐλαίᾳ πόλει. Sic quoque adſpici debet corrupte ſcriptum col.

362. *Palirensibus solis Acarnanum Solium Corinthiorum oppidum captum Atheniensibus incolendum tradiderunt*, quum voluerit scribere *Athenienses*. Hæc sunt non dubitanda manus nimia fatigatione oneratæ ac labentis indicia, quæ facile fuerat auctori ipsi restituere, si non aciem longinquitas simul & acrimonia intentionis mutilavisset ac prorsus abrupisset.

Posterioris generis infirmitates sunt col. 56. ubi Procles Timarchi occisi cadaver scribitur in sportam conjectum *demersisse*, quod nescio cur ita placuerit viro doctissimo considerare, quum Plutarchus dicat ἢ τὸ σῶμα κατεπόντισεν ἐμβαλὼν εἰς φορμὸν, neque utrum innataverit, an demersum sit, quidquam additur. Sic col. 64. *Cypselo regnante Dorienses classe ad Rhion promontorium in Peloponnesum invaserunt*. Pausaniæ illic verba sunt: ὁ Δωριέων στόλος ὁ διὰ τοῦ Κορινθίων Ἰσθμοῦ, καθὰ ἐπὶ τρεῖς τὰς πρότερον γενεὰς, ναυσὶ δὲ κατὰ τὸ ὀνομαζόμενον Ῥίον κάτεισιν εἰς Πελοπόννησον. Ubi sane reddidit interpres Latinus *sed classe Rhion promontorium* prætervecti *in Peloponnesum invaserunt*. Sed jam viderant alii illud *prætervecti* supervacaneum esse, & ideo alio charactere signant, sed cur tolerant pro bono *promontorium?* An Pausanias dicit eos invasisse ad promontorium Rhion? Imo illud Rhion est hic ipsum maris nomen, prout solere sumi scribit diserte Pomponius Mela, ut perperam adeo probatum fuerit istud promontorium, nec tam dicat Pausanias eos exscendisse ad promontorium Rhion, quam alicubi in sinu Corinthiaco. Ita non facile concoxeris, quod scribit col. 248. *verisimile esse Arnen ita appellatam a patre* ἀπὸ περιουσιασμοῦ ἀρνῶν, *ab agnorum copia*, quum nec ipse dixerit, & multo minus ego, quomodo περουσιασμὸς ita reperiatur Græce. Hinc opinor venisse, quod col. 374. scribatur *Calatis urbs Illyridis*, Ἡρακλεωτῶν ἄποικος *Strabo lib.* VII. *p.* 319. quum neque in Illyride unquam isto nomine urbs fuerit, & Strabo illic agat plane de ora Ponti Euxini inter Istrum & Bosporum. Quod certe defessum virum egregium tanto magis ostendit, quia mox subjicit verba Stephani Κάλατις πολίχνιον ἐν τῇ παραλίᾳ τοῦ Πόντου. Nocuisse autem videtur ora suprema Strabonis paginæ, in qua ostentatur *Illyris*, quum tamen agatur de ista Ponti Euxini ora. Certe columna 418. probat eam recte auctori doctissimo fuisse cognitam. Hinc col. 425. quum citavisset diserta & simplicia & proba Plinii verba de Chalcedone, cujus triplex aliud nomen additur Procerastis, Compusa, Cœcorum oppidum, tamen ab viro solerti subjiciuntur hæc verba; *Ubi errore insigni Chalcedonem a Cœcorum oppido distinguit*, quod certe ab Plinio non committitur. Non debuit col. 436. scribi Assos *Ætolorum colonia* ex Mela lib. I. cap. XVIII. quod quamvis exstet in MSStis codicibus, falsum tamen est, & aliter legitur in editionibus, idemque ibi existimandum in Gargaris. Col. 461. postquam multa congessit de Termisso Pisidica urbe, sita ad angustias, quæ emittebant in Milyadem regionem, quod notum est, non satis prudenter subnectit verba Melæ de Lycia, quibus referuntur *Xanthus oppidum, mons Cragus, & quæ Lyciam finit, urbs Telmisos*. Nec enim huic maritimæ Telmiso quidquam cum ista mediterranea Termisso.

Hoc igitur Hellene sic perquam perita manu circumducto ad

noſcendam poſteritatis ſuæ amplitudinem, recordabar in omnibus his chartis celebrari expeditiones Græcorum, pleraſque tranſmarinas & longinquas, nec niſi mari trajecto peractas, nec tamen de præcipuis earum inſtrumentis quidquam potuiſſe interponi. Unde oportunus hic locus videri debuit, ubi de navibus, quarum fabricam maxime variam & per urbes ac pro maris natura diſtinctam habuit gens ingenioſiſſima, etiam copioſa in fingendis earum appellationibus, aliquid cognoſceretur. Nec licuit dubitare, quin eruditiſſimi profecto viri Lazarii Bayſii ſolertia per omnes & præſertim Græcos auctores ſedulo vagata ad hujus partis reſtitutionem inchoandam (id enim ipſius eſt) his chartis juſta ornamenta daret. Alia, & multa deinceps prolata ſunt, & quidem ſane laudabilia; Bayſii tamen hoc opus eſt, ut primus per has fluidas orbitas, tanto tempore ante ipſum intactas, ut ne veſtigium quidem ſupereſſet, rurſus pervium aliquod paraverit, idque ſub prætexto fragmenti juris Romani illuſtrandi, memorabile ſic proponens opinionis ſuæ & documentum & exemplum, prout iſta pars Antiquitatis doceri & tractari mereretur. Certe nunquam pro tolerandis habui verba St. Doleti in prima defenſione, ſic alloquentis Bayſium. *Quid explicas? Tantum navium genera. Intelligo pueris gratas & admirabiles; paulo doctioribus non neceſſarias repræſentatas a te (confictas dicere nolui) neſcio quas biremium &c. formas, oſtentationis nomine, præterque rem ambitioſius verſos quam plurimos ex Græcis ſcriptoribus loco &c.* Nam quid potuit ulterius deſiderare, quam ut res ipſa, ſicut veterum verbis tradita eſt, reponatur, præſertim ubi explicationem ſatis claram ipſa continent; atque interim ſcriptoribus illis ſuccurreret, quod ſane non conſtituit Bayſius tantum in quibuſdam locis vertendis, ſed etiam primo producendis, etiam emendandis. An non lauream meretur Polybiana pugnæ maritimæ narratio inter Macedonas & Rhodios ex libro XVI. ab Bayſio & Victore Fauſto utique reperta & propoſita, antequam Baſileenſis editio eam per Janum Moſchum obtinuerat. Neque ſunt in hoc libello ſigna oſtentationis, quæ malevole vituperantur, quum ſimpliciter auctor per ſingula incedat.

Quod ſi ſpeciatim quæretur, quid explicaverit Bayſius, unum exemplum dare libet, quia poſtulatur, ex col. 625. ubi poſtquam conſideravit ναῦς ἁμάξας αὐτάνδρους, loquutionem iſtam mutari oſtendit, ut dixerit Xenophon πολλὰς αὐτοῖς τοῖς ἵπποις, in quo ſic σὺν ſubaudiatur. Hinc col. 576. verba Appiani τριήρει αὐτοῖς ἀνδράσιν interpretatus fuit recte riteque *trireme cum ipſis hominibus*, quippe quod eſt prorſus ejuſdem generis. Quod quum annotaviſſet quoque Budæus, Henr. Stephanus ſufficere putavit, ſi ad eum provocaret, nihil præterea addens. Itaque illo tempore jam iſta locutio cognita, animadverſa & illuſtrata fuit. Mox etiam Iſ. Caſaubonus ad Athenæum libro IX. cap. 17. monſtravit ſibi eandem notam fuiſſe, ſed quam nimis acriter exſerere voluit, tanquam ab Euripide propterea dici non potuiſſet αὐτοῖσι σὺν ναύταισι, & liceret præpoſitionem σὺν interponere, ſi cui ea magis placeret, quum utique ipſius de-

liciæ Polybius lib. XVI. ſic dixerit τὰ τέκνα σὺν αὐταῖς μητράσιν, ut propoſui in primis meis ad eum curis. Hinc etiam illis, qui Dionyſium Hal. tractaverunt, potuit patere lib. X. cap. 55. ſic ab eo dictum eſſe τὸν Αἰκανῶν στρατὸν αὐτῷ χάρακι. Politiſſimus vero Arrianus admodum gratam eam ſyntaxin habuit, ut dixerit lib. I. ἡ Ιασσέων ναῦς ἁλίσκεται αὐτοῖς ἀνδράσιν, ut libro II. Datamis ὀκτὼ μὲν ναῦς αὐτοῖς ἀνδράσιν ἔλαβε. Libro III. Τὺς δὲ καὶ ζῶντας αὐτοῖς ἵπποις ἔλαβον. Libro V. Τὰ δὲ ἅρματα αὐτοῖ, ἵπποις ἁλῶναι. Et illic tamen deprehendes in primo loco nihil in Latinis eſſe expreſſum. Etiam Ælianus adhibere egregium duxit lib. I. Ποικ. cap. 3. καταπιεῖν αὐτὸν αὐτῷ τῷ καλάμῳ. Similiter gratum fuit Appiano in Libycis pag. 21. καὶ τὸ στρατόπεδον αὐτῇ παρασκευῇ ἔχοντας. Et pag. 75. Carthaginienſium legati εἰσαχθέντες αὐτῷ κόσμῳ. Maximus Tyrius diſſert. XX. ὦ ψυχὴ, ἀπολείπουσά μοι ταυτασὶ τὰς εἰκόνας αὐτοῖς μύθοις. Et ante omnes Sophocles, in cujus ingenio Amphiaraum

> Εδέξατο ῥαγεῖσα Θηβαία κόνις
> Αυτοῖσιν ὅπλοις, καὶ τετρωρίστῳ δίφρῳ.

Vide tamen, quid fiat in locutione toties conſcripta, tamque multis locis conſpicua. Namque hinc & ſuaviſſimus Alciphron in epiſtola ſecunda ſibi placuit ſic iterando. Ο δὲ Ερμων ἀφεὶς τὸ φορτίον αὐτοῖς ἰχθῦσιν, ἀφεὶς δὲ καὶ ἡμᾶς αὐτῷ τῷ σκάφει ᾤχετο. Ubi quum recte dediſſet interpres *Hermon onere relicto cum ipſis piſcibus, & nobis cum navigio diſceſſit*, infauſta hallucinatione videbis intelligi *ſarcinam relinquens piſcibus, nobis etiam in ſcapha reliſtis*; in opere quod prodiit de præſtantia Numiſm. pag. 273. Quod jus eſt, Bayſio debentur grates laudeſque, & poſteros ejus adeo immemores agere ac ſcribere, quod ignorant, dolendum eſt.

Certe injuriam ferme Bayſio infert vir doctiſſimus, qui col. 773. ſic vendicat ſuum δι̃ηρες πλοῖον, *Atque hoc jam illud eſt, quod ſe apud neminem probatum auctorem niſi unum Suidam Bayſius legiſſe memorat de re Navali pag.* 24. Quod ſic habuit animo infixum, ut repetierit quoque de Militia Navali pag. 68. At certe non videas ab inſigni illo viro præberi aliud exemplum, ubi ſic hæc conjuncta occurrunt. Id enim attendit Bayſius, qui ſatis obſervaverat utique διήρης occurrere vocem Græcam, & de nave intelligendam in loco Plutarchi circa finem hujus opuſculi; ſed dubius tamen fatetur ſe confirmatum fuiſſe ab Polluce eodem, quem ex Græcis ſolum ad hoc biremis genus novit adducere, de quo tamen exſtat aliud teſtimonium col. 779. Porro quum vides agi col. 777. de epactrocelete ex Suida cum quibuſdam aliis brevis formæ navigiis, & addi *ſed de his auctores nihil amplius, quod ſciam*, certe de epactrocelete præbet alium locum ex Ariſtotele Bayſius col. 606. Denique grata ſit nobis Bayſii voluntas, qua partem doctrinæ ne nunc quidem firmatam & abunde expoſitam, ita ut non tenebræ rem obnubilent etiamnum, ſuſtinuit primus polire. Ut tamen ſcriptorem utrumque noſceres, & quid quiſque elaborarit, junctim videres, tum iſta omnia habes, tum quod exiguum quoque contulit Cælius Calcagninus, cui facile adhære-

re

re potuit eximia Dissertatio Jo. Schefferi V. Cl. cum aliis Excerptis, ubi satis patet col. 786. verba Appiani Μοῦρκον μετὰ νεῶν ἑξήκοντα καταφράκτων ἐς Πελοπόννησον ἔπεμπε ναυλοχεῖν περὶ Ταίναρον, imperfecte reddi *Misit Murcum cum sexaginta navibus tectis in stationem ad Peloponnesum*, & col. 787. locum Polybii ex V. 62. κατάφρακτα μὲν εἴκοσι διαφέροντα ταῖς κατασκευαῖς, τριήρεις, καὶ δίκροτα, καὶ κέλητες, ultra fidem imperite verti *harum viginti constratæ quidem erant, reliquæ vero triremes*, *dicrota* &c. quod alienissimum ab verbis Polybii. Nam col. 791. cum loco Taciti ex libro II. histor. connecti fragmentum alterius scriptoris, ex lepida istorum negligentia est.

Sic ergo quum juverit tanquam velivolas admirari per maria naves, indulgendum porro erat amœnitati, ut per terras idem tentaremus, quum ad hoc oblectamenti genus sicut ipse Neptunus pater generosum equum Græciæ suppeditavisse traditur, cujus idcirco curam magnam gessit ista natio, ita postea eruditissimus Jo. Camerarius cumulata in brevem libellum multitudine ingenti verborum, quibus circa eos fuit usa eadem illa Græcia, opimam particulam huic volumini exornando porrigens liberali sane manu arripere cogeret. Sed ita evenit, ut duo ista pulcherrima inventa non ad pacem magis tranquillamque oportunitatem suam usurpaverint homines, sed ad bella ac turbanda imperia, quæ identidem novari placebat, destinaverint, unde velut nexu quodam conglutinari a nobis & apponi debuit, quid præmiorum ex illis vel detulerint in patriam vel in ipso præliorum loco nacti fuerint viri militares. Quod quum non meminissemus ita esse elaboratum, ut quidem penitus ad voluntatem nostram responderet, quam solis, ut nunc est, Græcis addicere placuit; oportuit eo Catone nos contentos lætosque esse, qui provenerat, & scripta quæ exstabant de triumphis (re universa Romana) non contemnere, quoniam plurima de laudibus bellicis Græcorum erant intermixta, unde spatium omne ab columna 856. usque ad 1072. ab ista materia potuit debuitque impleri, quum excerpere & lacerare non liceret. Neque vero in ea tam prudenter ac perite gesserunt auctores, ut omnia sint in vado, & ea lectio possit inoffensa & sine vitio animum legentis ornare. Nugas egit, qui scripsit col. 878. *Livius lib.* XXVIII. *Nemo qui sine magistratu rem gessit, ad eam diem triumphavit: de Pompeio lib.* XXVIII. &c. Ita col. 884. noluit ex Suetonio imitari *impertiendos*, sed dicit Augustum *triumphales nunquam donis partiendos* putavisse, sicut alter col. 966. ex Suetonio potuit notare Cæsarem *eodem mense quater sub diversis ducibus* triumphavisse, & col. 970. triumphans ab eodem describitur *vestem succinctus purpuream*, quasi ludere verbis jam liceret, quum Appianus modo dicat ἔσταλται δ' ἐς τὸν πάτριον τρόπον πορφύραν: & certe si succingi togam purpuream necesse fuit, per rugas non bene apparere potuissent intextæ stellæ. Multo absurdius agitur in postremis, quum dicuntur adfuisse, qui hos quidem laudibus ferrent, hos salibus insectarentur, nonnullos infamia notarent, quum Appianus id fieri scribat ab militibus erga duces; καὶ τῶν ἀρχόντων τοὺς μὲν ἐπαινοῦσιν, οὓς δὲ σκώπτουσιν, οὓς δὲ ψέγουσιν. Col. 978. ovantem ita describi placuit, *ut is non quadrigis invehatur*, *sed pedes est*, *calceatus* &c. quasi crediderit triumphantem stetisse sine calceis; quod ridiculum. Col. 991. affirmatur satis constare a Velabro clivum inchoasse Capitolinum; quod ego audivi nunquam, quum clivus ille

esset ab altera fori parte. Vix aperuero, ubi legerit, quod col. 1030. ponitur de Cæsare etiam id (nempe vela ducta ab superna parte) Tranquillum meminisse videri, ne populus scilicet æstu conficeretur. De Julio quidem tale nihil, sed Caligulam narrat reduci curavisse flagrantissimo æstu vela. Inscite prorsus col. 1034. spectaculum Circensium pomeridianum alludi scribitur per Suetonii bestiarios meridianosque, qui sunt gladiatores in amphitheatro, & his alia similia, nimis conspecta, quam ut non quemlibet offendant, quæ vix credere vir bonus queat ab Fr. Modio profecta esse.

Atque ita quum se hic labor componeret, ut videretur vergere ad finem suum, naturalem quoque in hac parte legem conditionemque sequi placuit, ut de postremis officiis & compositione hominis terminum fatalem impleturi annecteretur, si quid Græci moris collectum exstaret. Quod & ipsum frustra optavi, adeo Græca Romanaque sibi invicem involvere amantibus ingeniis, ut ne alterutro destitueremur, utrumque mixtum debuerimus admittere. Et quum tantopere ubique emineret in hoc concilio elegantium nominum iste laudatissimus Jo. Meursius, & adeo densis incrementis hoc propositum demeruit ac foverit, nequivi ejus immemor esse, quin primo loco labores anno quarto præcedentis sæculi bene decenterque isti parti impensos collocarem. Hanc igitur causam ab columna 1085. progressam ad col. 1328. percensens notare quædam debui nimis singularia, quale est, quod col. 1091. nigros maritos Romæ elatos vides observari propter vestem supremam vel sepulchralem, quæ albi coloris fuerit in Græcia, Romæ nigri, idque ex Juvenalis isto loco, ubi certissima est significatio veneni, quod colligitur satis ex mentione Locustæ, & nisi ad hanc mentem intelligatur, omne acumen satiræ evanescit. Ita laboriosum erit probare Romæ viros consulares & qui curuli magistratu functi, curru & sella curuli fuisse elatos, quod ponitur col. 1115. quod sane etiam in loco Livii illic citato non adfirmatur.

Neque vero quum dicit Polybius libro VI. cap. 51. συντελεσμένης τῆς ἐκφορᾶς, id Latine exprimi debebat *confecta elatione*, quod vides fieri col. 1117. nam illo ipso tempore conficiebatur, & utique sic concipitur ipse sermo, ut præsentis temporis notam habeat. Col. 1119. non recte nec loco videtur probare bonitatem legis, quæ sexaginta pedes removebat ab ædibus alienis rogum bustumve, ex eo, quod contingit in crematione Clodii; neque enim id ad rem pertinet: & mirum non est, si quum ab Asconio populus dicatur corpus P. Clodii in curiam intulisse crema visseque subselliis & tribunalibus & mensis & codicibus librariorum, ipsa quoque curia flagraverit. Res plane aliena ab ordinarii moris funere, perinde ut fuit funus Julii Cæsaris, quod describentem Suetonium citat col. 1120. unde non debuit scribi, *Ac subsellia integra cremari pro iis cœpta:* neque enim turbidæ plebis furor pertinet ad mores vel consuetudines, aut eis initium vel modus ab tali improbo facinore injungi potest. Col. 1131. erronee citat ex Suetonii Claudio, quod satis constat attribuendum vitæ Neronis, prout imprudenter col. 1133. dicit Tiberium palliolatum spectavisse; quod etsi prænomen fuerit Claudii, attamen Claudium ab Tiberio etiam isti auctori distinctum habitum, patet ex citatione mox sequenti, qua Suetonium

Claudio cap. VI. allegat. Col. 1146. quum verbis claris exprimat sensum verum & integrum (Et Cicerone quoque in Epistolis ad Atticum lib. XII. filiæ suæ mortuæ fanum cogitasse legimus) ejus enim indicia plura exstant illic. Sed quum hæc ipsa juguntur cum eo quod scribit in argumento ejus capitis (clarorum virorum cineribus, porticus, palæstræ, immo templa superstructa) sane de iis non recte cogitatum fuit. Nam Cicero ubicunque potius voluit erigere fanum, quam ad tumulum filiæ. Col. 1150. non opinor tam commode in Herodiani loco ὄχημα Latina dici *plaustrum*, quam quidem ab Politiano *vehiculum*. Col. 1218. quare scribatur (Porro Imper. Vespasianus, adhuc prætor, pœnæ conjuratorum Germaniæ addendum censuit) quum vox *Germaniæ* nihil significationis adferat, ignoro: & certe col. 1224. repetitur idem locus, omissa ea voce, prout etiam nunc scribi debuerat. Et quis nostro istud indicium dedit, ut is, qui Romæ defunctum laudabat, semper fuerit *vir doctissimus*, quomodo designatur col. 1255. aut quæ mens scribenti col. 1284. pilam erectam fuisse, *ac in illius fastigio Siren septem cubitorum, cantantis speciem præ se ferentem?*

Et jam multa satis tum scripta, tum nomina paginasque apposui, & temporis mei partes non exiguas alienis rebus laceravi, sed, ut spero, feliciter. Venimus enim ad operis & promissi mei terminum, quem optime depungi a me opinabar in contemplatione loci, quem series propositorum exigebat, & quo omnia nostra consummantur; nisi horrorem is quendam amara sua imagine præbiturus videri debuisset, si quum hujus florilegii omnia cupiverim alba esse, idque pro virili curaverim, lector meræ ariditatis, caliginis ac tristitiæ aura novissime afflatus dimitteretur a me, qui non alio voto vivo, nec aliam meam speciem esse volo, nisi ut omnes harum rerum rutas & acerbitates longissime abigam. Ab Cirrhæ ornamentis ætitia merito petitur, & unice peti potest; nec eam mihi soli, sed libens, prout oportet, cuicunqueapplicuero. Itaque illud beatissimum laboris nostri ἐπιγέννημα ab hoc Musarum Immortalium thesauro non putavi abesse, providendumque, ut lector ridens & jucunditate multa perfusus, non decoloratus & cruento funesti luctus tormento ac sævitia afflictus dimitteretur. Propterea ut absterso & exturbato, quidquid frigoris ex hac feralium contemplatione inhæreret pectori, restitueretur ad summam hilaritatem, ipsum Helenæ poculum offerendo, plenum ἀγαθοῦ δαίμονος convivia & mensas finire soliti, immo merum Νηπενθὲς, quod diserte admodum, & variis licet, suavissimis tamen omnibus meditationibus temperavit sapientia Petri la Seine in principio elapsi sæculi, coronare hunc ἔρανον decrevi, sic omnino parte postica nequaquam degeneratura; hoc solo satisfacturum credens, licet alterum Pet. Petiti exstaret; sed nostrum quoque ipsa infrequentia commendat, istud quia nuper publicabatur, ubique exstat. Tibi qui legere durabis, precor, ut quum gentis quondam clarissimæ mores opinionesque & ritus & facta cognoveris, inde tibi promptum sit, quod in omnem partem prodesse queat, & quidquid crudum ab temporis, cui contigisti, diritate vexare te ac macerare potest, optimarum cogitationum remediis & exemplis decoquas, ac suaviter istam in Græcis peregrinationem decurrens ita vivas, ut cum Minerva te operi manum admovisse appareat!

SERIES SCRIPTORUM

Quæ in volumine undecimo Thesauri Antiquitatum Græcarum inveniuntur.

DI-

DICÆARCHI
GEOGRAPHICA QUÆDAM,
SIVE
DE VITA GRÆCIÆ.
EJUSDEM
DESCRIPTIO GRÆCIÆ,
VERSIBUS JAMBICIS,
AD THEOPHRASTUM.

Henrico Stephano Interprete, cum ipſius & Iſaaci Caſauboni Annotationibus.

ACCEDIT

HENRICI STEPHANI AD DICÆARCHUM ET SUAM IN ILLUM LUCUBRATIONEM APPENDICULA.

NICOLAO BRULLARDO,

SILLERII DOMINO,

REGIS IN AUGUSTO CONCILIO CONSILIARIO, EJUSQUE APUD HELVETIOS LEGATO,

HENRICUS STEPHANUS

S. D.



DICÆARCHI Opuſculum ad te mitto, Vir ornatiſſime, (id eſt, quandam Operis geographici partem) quod antiquum quidem eſt, ſi ſæculum autoris ſpectetur: ſed duobus certe modis novum plurimis erit a quibus in manus ſumi continget. Novitatem enim in eo primum habebit, quod ullam ejus Operis partem incolumem eſſe, res ſit omnibus propemodum inaudita: deinde vero, quod ex eo multa diſcentur de Græcorum moribus, quæ lectorum auribus nova futura ſunt. Quamvis enim ab ejus argumento, qui Geographi officio fungi vult, minime ſit alienum, mores & vitæ inſtituta gentium, de quibus ſcripturus eſt, commemorare, ſed potius iſtud pars ejus eſſe videatur, utiliſſima illa quidem & jucundiſſima, (vel Homero judice, quem laudantem Ulyſſem audimus quod is ſit

Qui mores hominum multorum vidit & urbes)

tamen & Strabonem & Pauſaniam, Græcos itidem ſcriptores, hac in parte non taciturnos tantum ſed pene mutos habemus. At noſter Dicæarchus ita de moribus diſſerit, quibus uniuſcujuſque urbis incolæ præditi erant, necnon vitæ inſtituta ita deſcribit, ut hoc argumentum Operi ejus fuiſſe præcipue propoſitum videatur. Quinetiam ut ſua populum aliquem laude non fraudat, ita quam quis meretur notam ei inurit : & quidem comicorum teſtimoniis interdum utens. Sic de Oropiis vel potius adverſus Oropios, hos Xenonis verſus affert:

Πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες·
Κακὸν τέλος γένοιτο τοῖς Ὠρωπίοις.

Ubi in voce τέλος feſtive ad τελωνῶν appellationem alluditur : quæ alluſio interpretatione Latina repræſentari non poteſt. Viciſſim autem Philiſci comici teſtimonio Chalcidenſes ornat:

Χρηστῶν σφόδρ' ἐστὶ Χαλκὶς Ἑλλήνων πόλις.

Adeo autem vitia quibus laborabant urbes quædam non celat, ut uno in loco multa tanquam in faſciculum collecta proponat, de Bœotia loquens: OROPI habitare avaritiam, (ſed αἰσχροκέρδειαν dicit, qua qui laborant, *ſordide avari*, vel potius una voce *ſordidi* vocantur) TANAGRÆ commorari invidiam, THESPIIS Contentionem, (ſed Contendendi ſtudium, ſive Contentioſam naturam aut Contentioſum ingenium Græca vox hic magis ſonat) THEBIS Proterviam, ANTHEDONE Rapacitatem, (violentam quandam avaritiam ſignificat, ſicut alterum illud ſordidam avaritiam) CORONEÆ Curioſitatem, PLATÆIS Jactantiam, ONCHESTI Febrem, HALIARTI Stupiditatem. Dicit autem ipſoſmet Bœotos de his quæ apud ſe eſſent infortuniis ſolitos eſſe conqueri.

De ipſa etiam Athenienſium urbe quam libere loquitur! ſed tamen ita ut multo plura laudanda quam vituperanda in ea ſe invenire oſtendat. Quid

autem festivius, quid lepidius, quid elegantius Lysippi versibus, quos de hac urbe ab illo scriptos affert? Afferam igitur eos & ipse jam nunc, ne te quærendis tempus (cujus ut semper angustiis premaris tot negotia faciunt) impendere oporteat:

Εἰ μὴ τεθέασαι τὰς Ἀθήνας, στέλεχος εἶ.
Εἰ δὲ τεθέασαι, μὴ τεθήρευσαι δ᾽, ὄνος.
Εἰ δ᾽ εὐαρεστῶν ἀποτρέχεις, κανθήλιον,

Quorum hæc est mea interpretatio, cujus te judicem constituo,

Tu truncus es, si non Athenas videris:
Si visæ Athenæ non inescant, asinus es:
Si non grave has relinquere, es cantherius.

Atque hæc satis multa (ut opinor) ad præbendum tibi aliquod velut γεῦμα hujus Opusculi, quod olim ex Italia Matthæus Budæus Guillelmi Budæi filius, & Græcæ quidem linguæ studiosus, sed in Hebraicæ præsertim cognitione eam præstantiam quam pater in Græcæ consequutus, attulit.

Hæc autem Geographica ante multos (ut plerique sciunt) annos jam excusa, ideo non prius edidi, quod cujusdam ad illa accessionis, sicut & ad ea SCYLACIS quæ ab eodem acceperam, pariterque quarundam emendationum facta mihi spes esset. Sed quum desperare ea de re cœpissem, de emittendis tandem quæ domus tamdiu parietibus inclusa manserant consilium cepi.

Simul autem de illis tibi dicandis cogitavi, tum quod te multis de causis dignissimum esse scirem in cujus manus talia venirent, (præsertim quum ea eruditione instructus sis quæ ad ferendum de talibus judicium requiritur) tum quod novam novi libri lectionem diverticulum quoddam mœrori tuo futuram sperarem, quam ex tam perturbato statu patriæ tuæ te, ejus amantissimum & de ea semper optime meritum, capere, minime mirandum est. Vale.

INDEX CAPITUM.

DICEARCHI GEOGRAPHICA QUÆDAM SIVE DE VITA GRÆCIÆ,

HENRICI STEPHANI LUCUBRATIONE ILLUSTRATA.

CAP. I.

ATHENARUM DESCRIPTIO.



THENAS describturus Dicæarchus, viam, quæ Athenas fert, prius describit: ut in aliis etiam urbibus facere consuevit. Nihil autem aliud, quam amœnam esse, totamque cultam, dicit: & ejusmodi quæ ipsam spectantibus aliquam humanitatis spem faciat. Ejus verba sunt, Ὁδὸς δὲ ἡδεῖα, γεωργουμένη πᾶσα, ἔχουσα τῇ ὄψει φιλάνθρωπον. Quæ si quis propius non aspiciat, reponendum putet τὴν ὄψιν: sed malim retinere τῇ ὄψει, & particulam τι interjicere, hoc modo, ἔχουσά τι τῇ ὄψει φιλάνθρωπον: quum φιλάνθρωπον hic per se stare non possit. Quum autem dicit eam aspectu aliquid humanitatis habere, videtur intelligere, ipsam intuentibus nescio quid humanitatis promittere. Quem sensum illa etiam habent verba, quibus modo usus sum. Sed e quo loco Athenas ferentem viam describat, id vero nescimus: ideoque scire non possumus, quod desint ea quæ præcedebant has voces, Ἐντεῦθεν εἰς τὸ Ἀθηναίων ἔπεισιν ἄστυ. quibus subjunguntur illa, ὁδὸς δὲ ἡδεῖα, &c. Atque hic suspectum est etiam verbum ἔπεισιν: quum morem suum servando (quem aliquot postea loci nobis ostendent) debuerit dicere, ἐντεῦθεν εἰς τὸ Ἀθηναίων εἰσὶν ἄστυ στάδια μ, vel ν, vel quicunque esse potuerit stadiorum numerus.

Atheniensium urbem scribit esse talem ut primo aspectu, eorum expectationi, qui in eam adveniunt minime sit responsura. Atque hoc addit, postquam eam aquæ (vel bonæ aquæ) inopia laborare, & male in vias sectam esse, domorum plerasque, viles, paucas usui esse (vel utiles esse) dixit. Nisi quis χρησίμας, sive χρησίμους, *commodas* interpretari malit. Verum hoc non adeo illius hac in parte existimationem apud eos qui peregre in eam adveniebant, minuisset: quum incommode habitare, ejusmodi sit incommodum quod huic urbi cum aliis plerisque commune fuisse, vero absimile videri non possit, judicium ex multis ædificiis multarum quæ quotidie frequentantur urbium (præcipue tamen in certis quibusdam regionibus) facere volentibus. Ubi porro ea commemoravit ob quæ exteros, hanc in urbem

A appellentes, vix aspectu primo credituros esse dicit, hanc esse illam urbem quæ appelletur Athenæ: statim subjungit, paulo post credituros esse illos quod subito credere vix potuerint: & tum ad descriptionem eorum, quæ magno huic urbi sunt ornamento, venit. Verum hic numerum mutat: quum enim dixisset, ἀπιστηθείη ὑπὸ τῶν ξένων θεωρουμένη, &c. mox dicit, μετ' οὐ πολὺ πιστεύσειεν ἄν τις Sed illud ἀπιστηθείη factum est a me ex ἀποστηθείη: de quo dicam quum hujus loci verba, iis quibus viæ mentionem facit, proxima, attulero. Ita igitur ille: Ἡ δὲ πόλις, ξηρὰ πᾶσα, οὐκ εὔυδρος· κακῶς ἐρρυμοτομημένη διὰ τὴν ἀρχαιότητα. αἱ μὲν πολλαὶ τῶν οἰκιῶν, εὐτελεῖς, ὀλί-
B γαι δὲ χρήσιμοι. ἀπιστηθείη δ' ἂν ἐξαίφνης ὑπὸ τῶν ξένων θεωρουμένη, εἰ αὐτή ἐστιν ἡ προσαγορευομένη τῶν Ἀθηναίων πόλις· μετ' οὐ πολὺ πιστεύσειεν ἄν τις. Hic ex ἀποστηθείη (quod nullo tolerari modo potest (primo quidem faciendum esse putabam ἀπορηθείη: sed verbum πιστεύσειεν oppositum, pro lectione illa ἀπιστηθείη, potius facit. Adde quod minus durum est, θεωρουμένη ἀπιστηθείη εἰ ἐστὶ, quam θεωρουμένη ἀπορηθείη εἰ ἐστί. Minus durum esse quum dico, duriusculum esse non nego. Dicitur enim θεωρουμένη ἀπιστηθείη, pro οἱ θεωροῦντες ἀπιστήσειαν. Verum hunc scriptorem & vocabu-
C la & loquendi genera sibi peculiaria habere comperi.

Ut autem ad sequentia pergamus, describens hic illa quæ magnum huic urbi ornamentum afferunt (opponere autem velle videtur iis quæ de ædificiis privatis dixerat: quasi ex illorum contemplatione credituri sint novi hospites quod ex horum aspectu propemodum incredibile futurum erat) a theatro initium sumit: quod pulchritudine omnia totius orbis theatra anteire tradit. Templo Minervæ locum in sua descriptione dat secundum: tertium habet Parthenon, theatro super-
D jacens: quartum, Olympium: quintus datur tribus gymnasiis, quæ consita esse arboribus & solum gramineum (seu herbidum) habere dicit. Ejus verba sunt: Ὧδε ἦν τῶν ἐν τῇ οἰκουμένῃ κάλλιστον θέατρον, ἀξιόλογον, μέγα καὶ θαυμαστὸν Ἀθηνᾶς ἱερὸν, πολυτελὲς, ἀπόβιον, ἄξιον θέας. ὁ καλούμενος Παρθενὼν ὑπερκείμενος τοῦ θεάτρου μεγάλην κατάπληξιν ποιεῖ τοῖς θεωροῦσιν. Ὀλύμπιον, ἡμιτελὲς μὲν, [1] κατάπληξιν δ' ἔχον τὴν τῆς οἰκοδομίας ὑπογραφήν· γενόμενον δ' ἂν βέλτιστον εἴπερ συνετελέσθη. Γυμνάσια τρία, Ἀκαδημία, Λύκειον, Κυνόσαργες· πάντα κατάδενδρά τε καὶ τοῖς ἐδάφεσι ποώδη. Sed hic quædam corrupta sunt, ideoque nullus illis accentus a me est superscriptus: de quibus tamen antequam verba faciam, aliquid de Parthenone & de Olympio di-

---

1. Legendum fortasse, καταπληκτικὴν δ' ἔχον τὴν τῆς οἰκοδομίας ὑπογραφήν. Nisi quis malit, cum Henrico Stephano, voculam εἰς ante τὴν addere.

cam. Parthenonis meminerunt cum alii, tum vero Strabo & Pausanias: sed ille templum esse non dicit, (quod tamen colligi ex eo potest quod ejus mentionem faciat postquam templi Minervæ & veteris templi Poliadis meminit) hic autem scribit, *In eo templo quod Parthenona appellant*. At vero Olympii mentionem faciens Strabo, imperfectum fuisse relictum & ipse testatur: & quidem eadem illa voce ἡμιτελὲς utens: ὅπερ (inquit) ἡμιτελὲς κατέλιπε τελευτῶν ὁ ἀναθεὶς βασιλεύς. Apud Pausaniam, Adrianum Jovis Olympii templum dedicasse legimus: vetus autem ejusdem Jovis Olympii templum, existimasse quosdam a Deucalione fuisse ædificatum. Sed neutro in loco dicit Ὀλύμπιον: verum hic quidem Ὀλυμπίου Διὸς ἱερὸν, illic autem, τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου ναόν. Quinetiam Spartiatas habuisse Jovis Olympii templum, idem in *Laconicis* tradit. At in *Corinth.* cujusdam meminit quod eadem illa voce appellat Ὀλύμπιον. Thucydides vero τὸ τοῦ Διὸς Ὀλυμπίου ἱερὸν vocat, *lib.* II. pag. 54. meæ Editionis. Sed tanquam de perfecto, non de imperfecto, loqui videtur. Nec Aristoteles de eo loquens, imperfectum mansisse dicit: qui Olympium nominat, ita scribens, *Polit.* lib. v. *Tyranni est, cives ad inopiam redigere, ut præsidium alere non necesse habeat, atque ut illis in opere quotidiano occupatis struere insidias non vacet. Exemplo sunt Ægyptiæ pyramides, & dona quæ Cypselidæ diis consecrarunt: necnon Olympium, quod Pisistratidæ ædificandum curarunt*. Nunc ut ad ea quæ emendatione egent veniam, non dubito quin pro μετα scribendum sit μέγα: at pro ἀπόβεον non male (si quis meæ conjecturæ hic quoque locus est) reponetur ἀπόβλεπτον. Neutri autem voci accentum superscripsi, ut eo quod accentu privatæ essent, mendosæ esse indicarentur. Illud adjectivum ἀξιόλογον quum vel ad theatrum vel ad Minervæ templum referri possit, ad hoc potius quam ad illud pertinere crediderim: quod postquam dictum est, κάλλιστον τῶν ἐν τῇ οἰκουμένῃ θέατρον, oratio non crescere, sed potius decrescere videatur, si idem dicatur esse ἀξιόλογον.

Exponit proxime sequentibus verbis, quomodo hæc urbs eorum desiderio, qui liberalium artium amore tenerentur, satisfacere ob varias variorum philosophorum scholas posset. Inde ad ea transit quæ terra illa producit: & majorem horum suavitatem quam abundantiam esse tradit. Suavitas enim declaratur his verbis, ἀτίμητα καὶ πρῶτα τῇ γεύσει: (ubi observandum est, ἀτίμητα talem usum habere qualis est in ἀτίμητος φίλος: quod legitur in *Epistolis* quæ vulgo Phalaridi adscribuntur, pro amico qui nullo satis magno pretio æstimari potest: quem uno verbo, *inæstimabilem* ex Livio dixeris) at vero raritatem ostendant necesse est hæ voces, μικρῷ δὲ σπανιώτερα: quanvis alioqui deesse quidpiam huic loco manifestum sit: quum ea comparatio qua hic utitur (sunt enim hæc per comparationem dicta, μικρῷ δὲ σπανιώτερα) non habeat quo referatur. Neque vero ea tantum quæ illis verbis respondeant, sed alia etiam desiderari, credibile est. Esset enim ἀπροσδιόνυσος aut saltem abrupta mentio ejus rei quæ servitutis oblivionem induceret, nisi aliqua jam de hac servitute dicta essent. Quinetiam adversativa particula ἀλλὰ vim suam non retinuisset, ideoque locum hic nullum habuisset, nisi aliqua, quibus adversaretur, præcessissent. Hunc enim ex illis verbis sensum colligimus. Sed peregrinorum

A animis oblivionem servitutis affert studium atque opera, quam in rebus, quæ suis desideriis sunt consentaneæ, ponunt. Huc pertinet etiam quod dicit ψυχῆς ἀπάται: nam ἀπάται tale esse crediderim quale apud Nasonem est fallere: ubi dicit *fallere curas*: ut,

Fallebat curas ægraque corda labor.

Ejusmodi est apud eum (licet καινοπρέπειαν quandam præ se ferens) *dare verba curis*: in hoc versu,

Experior curis & dare verba meis.

In eo autem cui hic adjunctus est, *fallere labores*
B dicit,

Detineo studiis animum, falloque labores.

Sic igitur studia, quibus animus detinetur, & quibus curæ atque labores falluntur, sunt ψυχῆς ἀπάται. Quæ autem sequuntur, dure & ipsa dicta sunt: ex quibus non alium posse sensum erui puto, quam plebeculam præ voluptate quam afferunt res spectatu dignæ, famem suam non sentire, & cibi etiam oblivisci: at iis qui habent unde ad vitam necessaria comparent, nullam cum hac posse conferri urbem, quod ad delectationem atti-
C net. Clauditur tandem hic locus sermone quodam qui Oedipo plane opus habet. Tota descriptio est ita scripta: [1] Ἑορταὶ παντοδαπαὶ φιλοσόφων παντοδαπῶν, ψυχῆς ἀπάται καὶ ἀνάπαυσις· σχολαὶ πολλαὶ, θέαι συνεχεῖς. τὰ γινόμενα ἐκ τῆς γῆς πάντα, ἀτίμητα καὶ πρῶτα τῇ γεύσει, μικρῷ δὲ σπανιώτερα. ἀλλ' ἡ τῶν ξένων ἑκάστοις συνοικουμένη ταῖς ἐπιθυμίαις εὐάρμοστος διατριβὴ, περισπῶσα τὴν διάνοιαν ἐπὶ τὸ ἀρέσκον, λήθην τῆς δουλείας ἐργάζεται. ἔστι δὲ ταῖς μὲν θέαις ἡ πόλις καὶ σχολαῖς τοῖς δημοτικοῖς ἀνεπαίσθητος λιμὸς, λήθην ἐμποιοῦσα τῆς τῶν σίτων προσφορᾶς, ἐφόδια δὲ ἔχουσιν, οὐδεμία τοιαύτη πρὸς ἡδονήν. καὶ ἕτερα δὲ ἡ πόλις ἡδέα ἔχει καὶ πολλά. καὶ γὰρ αἱ σύνεγ-
D γυς αὐτῆς πόλεις προάστεια τῶν Ἀθηναίων εἰσίν. ἀγαθοὶ δὲ οἱ κατοικοῦντες αὐτὴν παντὶ τεχνίτῃ περιποιῆσαι δόξαν μεγάλην ἐπὶ τοῖς ἐντυγχανομένοις, ἐκβαλόντες τὰς εὐημερίας, θαυμαστὸν πλινθίνων ζώων ἀνθρώπῳ διδασκαλεῖον.

CAP. II.

ATHENIENSIUM MORES.

Atheniensium deinceps & Atticorum mores valde inter se dissimiles describit: illorum, laudandos: horum contra, vituperandos. Quem-
E admodum autem hoc præcipue nomine commendanda fuisse videntur ista hujus autoris scripta, quod in iis de moribus etiam ageret, quibus ipsarum urbium incolæ præditi essent, ita inter eos locos quibus alicujus populi mores describit, præcipuos esse duos existimo: eum nimirum in quo fuse Thebanorum ingenium persequitur: & istum, utpote ex quo nonnulla minime vulgaria, præsertimque illud inter Athenienses & Atticos hac in parte discrimen scitu dignissimum, discamus. Ex incolis (inquit) alii sunt Attici, alii Athenienses. Attici quidem, curiose loquaces, occul-
F ti & tecti, sycophantæ, exploratores vitæ peregrinorum: at vero Athenienses magno sunt animo præditi: inestque moribus illorum simplicitas: quinetiam genuini sunt amicitiæ custodes. (vel conservatores.) Deinde postquam paucula interjecit, de quibusdam quos λογογράφους appellat,

1. Mihi non placet ἑορτὰς philosophis tribui: sed nec Henrico Stephano, qui potius ordinem verborum ita mutandum putat, ἑορταὶ παντοδαπαὶ, ψυχῆς ἀπάται καὶ ἀνάπαυσις· φιλοσόφων παντοδαπῶν σχολαὶ πολλαὶ, θέαι συνεχεῖς.

(quæ paulo post explicabo) addit de Atheniensibus, vel potius de iis quos sinceros (seu puros) Athenienses appellat, esse acres artium auditores. Sed omissio unius vocabuli nos hic incertos reddit. Ita enim apud eum legitur, *οἱ δὲ εἰλικρινεῖς Ἀθηναῖοι, δριμεῖς τῶν τεχνῶν ἀκροαταὶ, διὰ τὰς συνεχεῖς** nam deesse substantivum quod cum *συνεχεῖς* jungatur, manifestum est. Miretur præterea quispiam cur *εἰλικρινεῖς* addiderit, quasi primum quidem Athenarum incolas in Atticos & Athenienses dividens, & omnes generaliter Athenienses ab Atticis distinguens, quod ad mores attinet: deinde subdivisione de ipsis Atheniensibus utens. Alioqui dicendum fuerit, illum nolle hanc laudem uni Atheniensium parti esse peculiarem, sed eos ipsos, de quibus jam loquutus sit, Athenienses velle significare: perinde ac si dixisset, *ἐκεῖνοι δὲ οἱ εἰλικρινεῖς Ἀθηναῖοι*, & intelligeret, illos etiam quos Atticos vocavit, generali Atheniensium nomine comprehendi: quum tamen non sint Athenienses *εἰλικρινεῖς*, id est, *sinceri* sive *puri* Athenienses: vel, *puri puti* Athenienses.

Cæterum in describendis quidem Atheniensium moribus, verbis satis apertis usus est: sed illud quod de Atticis dicit, *περίεργοι ταῖς λαλιαῖς*, non unam expositionem admittit: & quidem in utroque vocabulo. Nam *περίεργοι* potius quidem dicuntur homines qui sunt *curiosi*, qui anxiam & putidam quodammodo diligentiam adhibent in re quapiam: ac præsertim si res ea sit ejusmodi, quæ nec magnam laudem nec magnam utilitatem afferre possit. Potius inquam ita accipitur istud vocabulum: verum id transferendo ad personam quod alioqui magis rei convenit, possunt etiam *περίεργοι* intelligi fortasse qui supervacanee re quapiam utuntur, nec loci ac temporis rationem habentes: qui nimii sunt sive nimis frequentes in usu rei cujuspiam: sive, quibus nimium frequens est rei alicujus usus. Alioqui si quis hoc tantum cogitet, quod curiosum est, id esse supervacaneum, quæ sit inter has expositiones differentia, minime percipiet. Sed hujus adjectivi interpretationem ex substantivi sequentis interpretatione pendere, non immerito quis dixerit. Si enim *λαλιαὶ* de sermonibus iis intelligatur, qui loquacibus vel nugari volentibus conveniunt, (vel brevius, de futilibus & nugatoriis sermonibus) tum curiositatem taxari ille putet, quod in iis quoque non secus ac seriis, curiosi essent: sin ad dicacitatem referatur, tum vero nimium ejus usum notari existimet. Utramque autem significationem inesse huic substantivo constat: priorem quidem, ex Plutarcho, qui *λαλιὰν ἄπρακτον καὶ φλυαρίαν* vocat quod *λόγον κενὸν καὶ φλυαρώδη* dixerat: posteriorem ex Aristophane, qui *λαλιὰν* & *στωμυλίαν* copulat. Adde quod pro hac expositione facit *Ἀττικὸς μυκτὴρ*, qui in proverbium abiit. Verum ut hanc disceptationem claudam, & controversiam, quantum in me erit, dirimam, pluralis quoque huic posteriori significationi non itidem aptus esse videtur: atque ut hoc detur, cur non liberum alicui erit vocem *περίεργοι* ad curiosum dicacitatis usum, non minus quam ad nimium & supervacaneum ejusdem usum referre? Cæterum quum addit *ὕπουλοι*, multo fœdiorem illis ignominiæ notam inurit. Sunt enim ei *ὕπουλοι*, qui minime sunt candidi, qui minime sunt aperti, sed occulti ac tecti, & simulati. Præsertim tamen significatur ea simulatio qua utuntur qui occulte simultates alunt, *qui ont un gardederriere*, ut Gallice loquimur. Illis autem verbis *Tectus* & *Occultus* quum ita utor, ab usu Latinæ linguæ minime discendo. Nam Cicero, qui *Apertum* hominem dixit, idem vicissim & *Tectum*. Quinetiam *Occultum* apud eundem legimus, ubi dicit, *Sin autem me astutum & occultum lubet fingere*. Idem *De fin.* lib. II. hæc copulavit: *Is enim qui occultus & tectus dicitur, tantum abest ut se indicet, perficiet etiam ut dolere alterius improbe facto videatur. Quid est enim aliud esse versutum?* Qua de re monere lectorem volui, ne me verba illa in meo etiam *Thesauro Græcæ linguæ* temere usurpasse, præsertimque illud *Tectus* ex Gallici sermonis imitatione sumpsisse putaret. Hoc autem addo, in aliquot Ciceronis locis, plane respondere vocem *Tectus* metaphoricam Græcæ *στεγανός*: cujus origo pariter origini illius respondet: est enim a *στέγω*, significante *Tego*. Diciturque interdum metaphorica itidem significatione *στέγω*, pro arcana seu secreta in pectore clausa contineo, & caveo diligenter ne lingua ea effutiat. Ideoque *στεγανώτερος Ἀρεοπαγίτου*, quod proverbialiter dicitur, malim interpretari *Tectior Areopagita*, quam *Taciturnior Areopagita*. Quisquis enim tectus est, is etiam taciturnus esse solet, in iis quidem certe quæ occultare vult: sed qui taciturnus, non continuo dicendus est tectus. Utitur autem comparativo & Cicero in *Oratore*. Jam vero esse ita intelligendum illud proverbium, vel hæc Æliani verba testantur, *ἔλεγε στεγανωτάτους εἶναι τοὺς βουλευτὰς, καὶ φυλάττειν τὰ τῆς σκέψεως ἀπόρρητα*. Sed observandum est diligenter quod dixi, quum noster scriptor videatur latam nomini *ὕπουλοι* significationem dedisse, tanquam opponere volens Atticos *ὑπούλους* Atheniensibus, quos vocat *ἁπλοῦς τοῖς τρόποις*: tamen vocem illam dici potius de hominibus qui in iis, quas alunt, simultatibus, occulti sunt & tecti.

Postremum illud, esse exploratores seu observatores vitæ peregrinorum, convenit cum proxime præcedente epitheto *συκοφαντώδεις*: est enim sycophantarum ita in vitam aliquorum inquirere. Ideo autem potius peregrinorum vitam eos explorasse credibile est, quod moribus & institutis urbis, ipsisque legibus non assueti, sæpe delinquerent, aut aliquid saltem committerent quod sycophantis occasionem eos calumniis suis exagitandi præberet: præterea quod magis auxilio & patrocinio destituti essent. Sic certe his peregrinis negotium facessi dicit a quibusdam quos *λογογράφους* appellat: perinde (ut opinor) ac si quis Latine per contemptum, simulque nomine invidioso uti volens, *rabulas* appellet eos qui causidici vocantur. Utitur porro participio *σείοντες* in significatione valde rara, sed ab Hesychio tamen annotata. Neque enim dubito quin *σείοντες* hic sit *συκοφαντοῦντες*. Sed postquam dixit ille *σείειν* esse interdum *συκοφαντεῖν*, addit sumptam esse metaphoram *ἀπὸ τῶν τὰ ἀκρόδρυα σειόντων*: eo respiciens, ni fallor, quod sicut arbori, quoties succutitur, aliqua suorum fructuum pars decidit, sic illi qui a sycophantis exagitantur, non soleant sine aliqua bonorum suorum jactura, eorum calumnias effugere. Quod si nullum significationis hujus testimonium extaret, qua *σείειν* ponitur pro *συκοφαντεῖν*, videri posset ita sumendum ut *ἀνασείειν* interdum sumi videmus: pro *Solicitare ad res novas*, sive *Concitare ad seditionem*. Cæterum paucis tandem verbis encomium Athenarum latissime patens, includit: dicens, quantum cæteræ urbes in iis quæ ad voluptatem, necnon iis quæ ad vitæ emendationem pertinent, ab agris differrent, (nisi quis malit, quantum agris præstarent) tantum discriminis inter Atheniensium urbem & reliquas fuisse.

Totius hujus loci verba hæc sunt: *Τῶν δ' ἐνοικούντων, οἱ μὲν αὐτῶν, Ἀττικοὶ, οἱ δὲ, Ἀθηναῖοι. οἱ μὲν Ἀττικοὶ, περίεργοι ταῖς λαλιαῖς, ὕπουλοι, συκοφαντώδεις, παρατηρηταὶ τῶν ξενικῶν βίων· οἱ δὲ Ἀθηναῖοι,*

μεγαλόψυχοι, ἁπλοῖ τοῖς τρόποις, φιλίας γνήσιοι φύλακες. διατρέχουσι δέ τινες ἐν τῇ πόλει λογογράφοι, σείοντες τοὺς παρεπιδημοῦντας καὶ εὐπόρους τῶν ξένων. οὓς ὅταν ὁ δῆμος λάβῃ, σκληραῖς περιβάλλει ζημίαις. οἱ δὲ εἰλικρινεῖς Ἀθηναῖοι, δριμεῖς τῶν τεχνῶν ἀκροαταί, [1] διὰ τὰς συνεχεῖς * τὸ καθόλου δ' ὅσον αἱ λοιπαὶ πόλεις πρός τε ἡδονὴν καὶ βίου διόρθωσιν τῶν ἀγρῶν διαφέρουσι, τοσοῦτον τῶν λοιπῶν πόλεων ἡ τῶν Ἀθηναίων παραλλάττει. Pofsem autem aliquot Græcorum locos cum illa morum defcriptione in quibufdam convenientes proferre, (ac nominatim poetarum comicorum) verum id hujus loci efse non arbitror.

CAP. III.

ATHENARUM ENCOMIUM.

Athenarum encomio, quod paucis verbis inclufum, latiffime patere dixi, admonitionem de periculo, quod a meretricibus imminet, fubjungit: Verum fumma (inquit) in vitandis meretricibus adhibenda eft diligentia: ne quis per imprudentiam malo fuavi intereat. Vel, Sed a meretricibus, quantum fieri poteft, cavere oportet, ne quis in dulce exitium infciens incidat. Ejus verba funt, φυλακτέον δ' ὡς ἔνι μάλιστα τὰς ἑταίρας, μὴ λάθῃ τις ἡδέως ἀπολόμενος. Quod loquendi genus, per verbum λανθάνειν, quum poffim aliis etiam modis, fervato eodem fenfu, interpretari, ad meum *Thefaurum Græcæ linguæ* lectores, qui eos difcendi defiderio tenebuntur, remittere malo. Illis porro verbis elegantiffimos & lepidiffimos Lyfippi verfus fubjungit: non alia præfatione utens, quam hac, οἱ στίχοι Λυσίππου. Sic autem folet hic fcriptor teftes comicos citare, dicendo tantummodo οἱ στίχοι, vel ὁ στίχος: minimeque addendo illic μαρτυροῦσι, hic μαρτυρεῖ, vel aliud hujufmodi verbum. Ita igitur Lyfippus,

> Εἰ μὴ τεθέασαι τὰς Ἀθήνας, στέλεχος εἶ.
> Εἰ δὲ τεθέασαι, μὴ τεθήρευσαι δ', ὄνος·
> Εἰ δ' εὐαρεστῶν ἀποτρέχεις, κανθήλιον.

Quorum verfuum elegantia quoniam cum obfcuritate conjuncta eft, quem ex illis erui fenfum, lectori confiderandum proponam, ejufque judicio (fi modo hoc illi non obtufum eft atque hebes) fubjiciam:

> *Si (inquit) Athenarum fpectator non fuifti, truncus es,*

Quod perinde effe puto ac fi diceret, Si, quum tantis tamque variis laudibus Athenæ ab omnibus efferantur, eas tamen non fpectafti, quod laudes illæ nullum tibi eas vifendi defiderium excitarint, non homo, fed truncus appellandus es.

> *Sin earum fpectator fuifti, fed non es irretitus, afinus es.*

Id eft, Sin ita fpectator earum fuifti ut te fuis illecebris non irretierint, es afinus.

> *At fi æquo animo ab illis difcedis, es afinus clitellarius.*

Quem tamen verfum admittere fenfum duplicem exiftimo: ut declarabo, quum meam de tribus his appellationibus, στέλεχος, ὄνος, κανθήλιον, fententiam aperuero. Voce στέλεχος truncum arboris fignificari, fatis notum eft: fed hoc quoque fciendum eft, eadem metaphora Græcos fuum στέλεχος interdum ufurpare, qua Latini fuam vocem *truncus* ufurpant: quos merito illos hac quoque in re imitari dixerimus. Pro eodem dicunt & caudex, necnon ftipes. Cicero *De arufp. refponfis*: *Neque enim accufandum eum unquam putavi: non plus quam ftipitem illum, qui quorum hominum effet, nefciremus: nifi fe Ligurem effe ipfemet diceret.* Idem *truncus* & *ftipes* conjungit, *in Pifonem*: *Sed qui, tanquam truncus atque ftipes, fi ftetiffet modo, poffet fuftinere tamen titulum Confulatus.* Dicuntur autem utrobique de homine qui plane eft hebes, plane ftupidus & ftolidus. Ex Terentio difcimus in ftultum dici folitum *ftipes*, item *caudex*, in *Heautont.* Act. v. Scena I.

> *In me quidvis harum rerum convenit,*
> *Quæ funt dicta in ftultum, caudex, ftipes, afinus, plumbeus.*

In illo tamen loco per στέλεχος Lyfippus aliquid etiam majus exprimere voluiffe videtur: perinde nimirum ac fi quis verbis Perfianis interpretetur, *cui cornea fibra eft.* Nam quemadmodum apud eum cornea fibra eft illi qui nulla laudis cupiditate tangitur & velut titillatur, ita de eo aptiffime dictum iri exiftimo, cujus aures quum quotidie infinitis urbis alicujus laudibus perfonent, nulla tamen ejus vifendæ cupiditate tangatur: cui alioqui fatisfacere poffit.

Ad fecundam autem appellationem quod attinet, quæ eft ὄνος, talem metaphoram non folum in Latina lingua, (ut vel in illo Terentii loco videre eft) fed in vernaculis etiam linguis retineri fcimus: verum hic ad proverbium refpici crediderim, ὄνος λύρας, vel ὄνος λύρας ἀκούων: ut qui Athenarum ita fuit fpectator ut nullis earum illecebris fit captus, comparetur afino, de quo dictum fuit, ὄνῳ τις ἔλεγε μῦθον, ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει. Neque enim hæc ita intelligo ut ab Erafmo intelliguntur: quamvis nullam hujus loci mentionem fecerim in iis quas olim edidi *Animadv.* in Erafmicas quorumdam adagiorum expofitiones: *In eos* (inquit ille) *qui quum nihil intelligant, tamen perinde quafi nihil non intelligant, ita nutibus alludunt aut arrident dicentibus.* Quibus addit, *Eft autem afino naturale, fubinde movere auriculas, veluti fignificanti fe jam intelligere, quum nihil etiam audierit.* At ergo crediderim referendum hoc ad magnum animalis hujus ftuporem, quo fit ut nulla ullius vocis, quantumvis canoræ, (non enim me hic aftringo ad fignificationem nominis illius μῦθον: fed fimul ad illa ὄνος λύρας ἀκούων refpicio) nulla ullius concentus voluptate capiatur: ut quædam animalia capi videmus: unde etiam fit ut nullo figno voluptatem fe percepiffe oftendat, fed tantum fuo more aures moveat. Cum hoc enim animali apte conferetur qui idcirco captus illius urbis illecebris non fuerit, quod adeo ftupidus effet ut fenfu voluptatum quæ in ea funt non tangeretur.

Ad tertiam appellationem venio, κανθήλιον: qua fignificatur *afinus clitellarius*: qui tamen κανθήλιος potius dicitur, κανθήλιον autem ipfa *clitella*: (quanvis in hoc vocabulo pluralis numerus potius ufurpetur) ita ut mendi fufpicio hic oriri poffit. Sed duobus modis (ut dixi) verfus hic exponi poffe videtur. Unus eft hic, *Si, quum earum fpectator fueris, æquo animo difcedis*: vel, *Si hoc a te potes impetrare, ut tibi non moleftum fit inde difcedere*, non jam es afinus tantum vocandus, fed *afinus clitellarius*. Alter eft ifte, qui mihi magis arridet) *Quod fi, quum earum fpectator fueris, & tibi contigerit ut irretireris, ita difcedis tamen ab illis ut æquo animo feras quæ tibi femel irretito toleranda fuerunt, dignus es qui afinus clitellarius appelleris*. Non minus enim

1. Lego διὰ τὰς συνεχεῖς θέας. Sic enim col. (10) lit. C σχολαὶ πολλαί, θέαι συνεχεῖς.

patienti es ingenio quam aſellus, qui verberum & aliorum quorumlibet malorum ſtatim obliviſcitur, & quum gravius dorſo ſubiit onus, nihil aliud quam auriculas demittit. Quæ poſtrema de aſello verba, ſunt Horatii: ſed omitto quod de eodem addit, iniquæ mentis. Quum autem dixerit, *φυλακτέον δ' ὡς ἔνι μάλιστα τὰς ἑταίρας, μὴ λάθῃ τις ἡδέως ἀπολόμενος*, atque his verbis verſus Lyſippi ſubjunxerit, non dubium eſt quin ad meretrices iſta referenda ſint, quæ ſemel irretitos jugum ſuum quantumvis durum ferre cogunt. Hæc eſt mea de verſibus iſtis ſententia. Cæterum quod in paraphraſi primi verſus dixi, *Non homo es*, in eo Tullium imitatus ſum, qui lubenter tali joco hæc præfigit. Sic legimus *Epiſt. ad Atticum*, lib. I. *Abeſt enim frater ἀφελέστατος, & amantiſſimus mei: non homo, ſed litus atque aer, & ſolitudo mera*. Ubi lubenter hanc lectionem ſequor, potius quam alteram, quæ habet, *& amantiſſimus Metellus*. Item *epiſt*. XII. vel XIII. lib. VII. *L. Cæſarem vidi Minturnis ad* VIII. *Cal. Febr. mane cum abſurdiſſimis mandatis: non hominem, ſed ſcopas ſolutas: ut idipſum mihi ille videatur irridendi cauſa feciſſe, qui tantis de rebus huic mandata dederit*. Sed obſervandum eſt, quod in illo priore loco dicitur, *non homo, ſed litus atque aer, & ſolitudo mera*, laudantis verba eſſe: contra in hoc poſteriore, *non hominem, ſed ſcopas ſolutas*, eſſe vituperantis: ſive hunc ſcopas ſolutas appellet, ad ejus ſermonem reſpiciendo, cui nec pes nec caput eſſet: (q. d. Nihil ineptius homine iſto fingi potuiſſet, ad exponenda illa mandata, quum ejus ſermoni nec pes nec caput eſſet) ſive alio reſpiciat. Ad illum autem priorem locum quod attinet, præcedentia mihi propemodum perſuadent, eum vocare fratrem ſuum, litus, aerem, & ſolitudinem, tanquam eum in cujus ſinum non minus tuto arcana omnia conſilia deponere poſſet, quam ſi ea litori & ſolitudini committeret. Atque ita conveniet hoc cum eo quod vulgo dicimus, *Quod mihi dixeris, lapidi dixeris*.

Cæterum tres illos verſus ſequuntur alii, quos licet eundem comicum ſcripſiſſe, & illis ſubjunxiſſe credibile ſit, quum tamen ex illis ad hos accedes, e luce ad tenebras venire tibi videberis. Atque adeo in hoc iſtius Geographi loco, id eſt, quem iſte affert (ut quidem eum ſcriptum invenimus) merito id faceremus aut ſaltem imitaremur quod Geographos facere fuiſſe ſolitos, ex Plutarcho diſcimus: ut nimirum ſi qua cognitionem ſuam fugerent, ea extremis tabularum partibus coarctarent. Hæc enim ſunt quæ tres illos verſus proxime ſequuntur verba: *Αὕτη πόλις ἐσθ' Ἑλληνὶς ἡ ροδοις διασην δυωδιαν ἔχουσα καὶ αμαλνδιαν. τὰ γὰρ ἀλιειτα μεγάλην εἰς σχολὴν ἄγει, τὸ δὲ ἀλιακὸν ἔπος με μαίνεσθαι ποιεῖ. ὅταν δὲ τὴν λευκὴν τις αὐτῶν πραέως ἀλιακὸν εἶναι στέφανον εἴπῃ, πνίγομαι οὕτως ἐπ' αὐτοῖς, ὥστε μᾶλλον ἂν θέλειν ἀποκαρτερεῖν ἢ ταῦτ' ἀκούειν*. Sic autem reſtitui poſſunt ſuis numeris hæc verba:

Αὕτη πόλις ἐσθ' Ἑλληνὶς ἡ ῥόδοις διασην
Εὐωδίαν ἔχουσα καὶ ἀμαλνδιαν.
Τὰ γὰρ ἀλιειτα μεγάλην εἰς σχολὴν ἄγει,
Τὸ δὲ ἀλιακὸν ἔπος με μαίνεσθαι ποιεῖ.
Ὅταν δὲ τὴν λευκὴν τις αὐτῶν πραέως
Ἀλιακὸν εἶναι στέφανον εἴπῃ, πνίγομαι
Οὕτως ἐπ' αὐτοῖς, ὥστε μᾶλλον ἂν θέλειν
Ἀποκαρτερεῖν ἢ ταῦτ' ἀκούειν.

Ita quidem verba hæc ſeparando, redditi fuerint illis ſui numeri, præterquam in primo verſu: qui tamen ſtabit & ipſe, ſi *διασην ῥόδοις* inverſo ordine legatur. Sed quæ depravate ſcripta ſunt (quibus propterea minime accentum ſuperpoſui) ſuæ integritati reſtituere, id certe non opis eſt noſtræ. Pro *αμαλνδιαν* quidem quid reponendum ſit, inveniſſe mihi videor, nimirum *ἅμ' ἀηδίαν*: item *χολὴν μ' ἄγει* pro *σχολὴν ἄγει*: & *ἔθος* pro *ἔπος*. Sed hæc ſanaſſe parum profuerit, quum præcipua vulnera ſuperſint in *αλιειτα* & *αλιακον*. Hæc enim vocabula vertiſſe me in omnes facies, ſed nihil affulſiſſe mihi lucis fateor. Eſto enim, verſum poſſe admittere *ἁλιευτικὰ* pro *ἁλιευτὰ*, quorſum piſcatorum, qui *ἁλιεῖς* vocantur, mentionem hic fieri dicemus? Alioqui certe eodem poſtea modo *αλιακον* utrobique pro *ἁλιευτικὸν* accipere poſſemus. Piſcium quidem venditores variis convitiis & maledictis a comicis fuiſſe exagitatos ſcio: (quorum exempla ex Antiphane, nec non ex Amphide extant, hoc, dicente τοὺς καταράτους ἰχθυοπώλας: illo, τοῖς ἰχθυοπώλαις τοῖς κακῶς ἀπολουμένοις) ſed piſcatores pari odio flagraſſe non puto: quamvis apud Athenæum quædam & adverſus illos dicta legantur. Multo enim plura & luculentiora apud eundem magni adverſus *ἰχθυοπώλας* odii teſtimonia extant. Quod ſi quis ad *ἡλιαία*, fori judicialis nomen, cogitationem convertat, quaſi hic Athenienſium *φιλόδικον* ingenium ſibi exoſum eſſe dicat, (vocabantur enim & *φιληλιασταὶ* qui erant *φιλόδικοι*) atque ita τὴν λευκὴν vocari dicat τὴν λευκὴν ψῆφον, quæ dicebatur etiam ἡ *σώζουσα*, multi nodi ſolvendi ſupererunt. Jam vero & *ἅλια* legimus pro feſto apud Rhodios ſolenni: ſed vel ſuſpicari hujus mentionem a Lyſippo factam eſſe, pluſquam ridiculum eſſet, riſum autem is augeret cui vox *ῥόδοις* ſuſpecta, occaſionem de Rhodiis vel Rhodo cogitandi præberet. Hæc habui quæ de iſto loco, tanquam palpans in tenebris, dicerem.

CAP. IV.

OROPUS.

Oropus inter urbes, quarum deſcriptionem ex eodem ſcriptore afferre poſſum, (quum inter alia deeſſe videantur non pauca quæ illi de Athenis ſermoni proxime ſubjuncta erant) prima eſt ordine. Antequam autem de ea dicat, viæ quæ ad ipſam ducit, mentionem facit: ſed ita ut quo ex loco hæc intelligenda ſit, ignoretur. Quicunque autem is fuerit, ab eo fuiſſe arduam tradit: addens etiam, plurima eſſe diverſoria rebus ad vitam neceſſariis bene inſtructa, quæ laborem illum levent. Sunt alioqui nonnulla in hujus deſcriptionis initio depravata: ita enim legitur: 1 *Ἐντεῦθεν εἰς Ὠρωπὸν διὰ δαφνιδον καὶ τοῦ Ἀμφιαράου*

1. Corruptiſſima hæc ſunt. Lego autem, *Ἐντεῦθεν εἰς Ὠρωπὸν στάδια ὁδὸς διὰ καὶ τοῦ Ἀμφιαράου ἱεροῦ καὶ Ἐλευθερῶν βαδίζοντι, σχεδὸν ἡμέρας, προσάντης πᾶσα*. Hæc ita reſtituimus, non quod affirmare velimus ſic ſcriptum a Dicæarcho fuiſſe: ſed quod haud paullo ſit hæc quam vulgata lectio concinnior, & veræ lectioni propior, atque aliis ejuſdem auctoris locis magis ſimilis: quod facile ſtudioſus lector animadverteret. Vocem *Διὸς* poſt *Ἀμφιαράου* ut ineptam tollendam cenſemus: & pro *ἐλευθέρῳ*, quæ vox hic locum non habet, ſcribimus *Ἐλευθερῶν*. Eſt enim *Ἐλευθεραὶ* nomen oppidi in eo tractu: vide Strabonem, Pauſaniam, Stephanum. Suſpectum vero quod ait, poſſe hoc iter peragi die unico. Quod ad vocem *Δαφνιδον* attinet, ſcio fuiſſe *Δελφίνιον* littus prope Oropum, ſed quod vix huc videatur pertinere.

Διὸς

Διὸς ἱερῦ ὁδὸν ἐλευθέρῳ βαδίζοντι σχεδὸν ἡμέρας προσαντα· ἀλλ' ἡ τῶν καταλύσεων πολυπληθία, τὰ πρὸς τ̃ βίον ἔχυσα ἄφθονα, καὶ ἀναπαύσεις, κωλύει κόπον ἐγγίνεσθαι τοῖς ὁδοιπορῦσιν. A Primum illud δαφνιδον mendosum esse, nemo non videat: cui nullum ideo accentum superposui: sed quid pro eo reponi debeat, id vero non quilibet videre possit. Nam licet Δαφνῦντα & Δάφνην, urbium esse nomina satis notum sit, διὰ Δαφνῦντος tamen vel διὰ Δάφνης non liceat reponere. Cæterum quum aliquot urbibus nomen istud Ὠρωπὸς commune sit, (nam Stephanus plures enumerat) de Oropo Bœotiæ hæc dici sciendum est, de qua ille ab Euphorione scribi dicit, Ὠρωπός τε καὶ Αμφιάρεια λοετρά. B Sed Αμφιάρεια λϐτρά vocarunt urbem quam alio nomine Αρμα: at vero Amphiarai templum Oropo esse vicinum, ex Pausania quoque discimus: siquidem ab ea duodecim duntaxat stadiorum intervallo distare tradit. Ideoque quum paulo post dicit, Oropiis esse templum Amphiarai, id in urbe ipsa esse minime intelligendum est. Scribit idem: *Agrum autem Oropiensem, qui inter Atticum, & Tanagricum medius est, olim tenebant Bœoti, nunc autem in Atheniensium est ditione. Hi enim quum assidue bellum de eo gessissent, non ante firmam ejus possessionem adepti sunt, quam eum Philippus illis, Thebis captis, (vel expugnatis) dedit.* C

Pro ὀδὸν reponendum esse ὁδὸς, manifestum est. Illud autem προσαντα minime suspectum esse debet, quum tale sit quale ἄναντα & κάταντα. Adjectivum ἐλευθέρῳ dignum est quod hac in significatione observetur: nimirum de eo qui liber est omni onere. Nisi forte mendosam esse hanc scripturam credendum sit.

De ipsa autem urbe hæc deinde leguntur: 1 Η δὲ πόλις τῶν Ὠρωπῶν οἰκία Θηβῶν ἐστι, μεταβολῶν ἐργασία, τελωνῶν ἀνυπέρβλητος πλεονεξία, ἐκ πολλῶν χρόνων ἀνεπιθέτῳ τῇ πονηρίᾳ συντεθραμμένη. D τελωνῦσι γὰρ καὶ τὰ μέλλοντα πρὸς αὐτὰς εἰσάγεσθαι. Ubi pro Ὠρωπεῶν repono Ὠρωπίων, sicut paulo post in versu Xenonis habetur Ὠρωπίοις. Illud οἰκία muto in οἰκεία. Pertinet autem huc quod attuli ex Pausania, Philippum, captis Thebis, dedisse Atheniensibus agrum Oropiensem. At μεταβολῶν mutandum est in μεταβόλων, a μετάβολον: vel in μεταβολέων, a μεταβολεύς. Illud autem vocabulum ἀνεπιθέτῳ, si mendo caret, non videtur aliud posse appellare ἀνεπίθητον πονηρίαν, quam *improbitatem extremam*: ad verbum, cui nihil adjici potest. Pro eo tamen potius dicitur ἀνυπέρβλητος. E

Eos magna ex parte esse in congressu asperos tradit. Postquam autem illud dixit his verbis, Οἱ πολλοὶ αὐτῶν τραχεῖς ἐν τ̃ ὁμιλίαις, verba hæc subjungit (si tamen verba ejus vocanda sint quæ a librario corrupta sunt) τὰς συνετὰς ἐπαινελόμενοι, ἀρνούμενοι τοὺς Βοιωτοὺς, Αθηναῖοι εἰσὶ Βοιωτοί. Quibus & depravatis, & alioqui etiam obscuris aliquam afferre lucem vel ille Pausaniæ locus potest, quem modo citavi: ut Athenienses Bœoti esse dicantur qui, quum origine sint Bœoti, in Atheniensium ditionem concesserunt. Testimonium tandem Xenonis comici profert, dicens suo more, οἱ στίχοι, sine ulla adjectione: οἱ στίχοι Ξένωνος, F

Πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες.
Κακὸν τέλος γένοιτο τοῖς Ὠρωπίοις.

ubi τέλος κακὸν festive dicitur, ad τελωνῶν appellationem respiciendo: quum enim τελῶναι nihil aliud noctes diesque cogitare soleant quam τέλη, eaque non cogitent tantum, sed etiam excogitent interdum, hic illis τέλος contingere cupit, sed κακόν. Sic tamen hic accipienda est hæc vox, ut in ejus ambigua significatione ludere hunc comicum intelligamus. Non dubito autem quin præcederet apud illum comicum mentio Oropiorum: alioqui is qui præponitur versus, sequi deberet, hoc modo,

Κακὸν τέλος γένοιτο τοῖς Ὠρωπίοις.
Πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες.

CAP. V.

TANAGRA.

Tanagra proxime apud eum sequitur: inter quam & Oropum stadiorum centum & triginta intervallum esse tradit. Ac didicimus paulo ante ex Pausania, agrum Oropiensem medium fuisse inter Atticum & Tanagricum. Iter autem faciunt qui Oropo Tanagram petunt (ut ait noster scriptor) per regionem oleis consitam, quæ omni a furtis metu libera est. Siquidem κλοπαὶ sunt furta potius quam latrocinia: atque hoc videtur addere, quod alioqui parum utilia dominis suis illa oliveta esse possent. Sic Isocrates dixit κλοπείαν τ̃ ἐν τοῖς ἀγροῖς κατοικϐντων. Ad urbem nonnisi arduo & difficili ascensu (ut Livius loquitur) potuisse perveniri, videtur significare: sed alterum vocabulum si ad asperitatem viarum referamus, utemur quidem verbis iisdem quibus D ille cum Cicerone usus est, sed nove fortasse, de urbe. Addit, esse superficie albam & argillaceam. Domorum autem vestibulis, & picturis encausticis pulcherrime instructam esse scribit. Nam ἐγκαύμασι alio quam ad illud picturæ genus referri haud posse arbitror. De eo autem dictum a me fuit in *Thesauro Græcæ linguæ*, in ἔγκαυσις, ἐγκαυστὴς, in ἐγκαυστὸς, & in ἐγκαυστικός. Atque ex eodem, posse ferri hic ἀναθεματικοῖς (quod primo aspectu mendi suspectum cuipiam fuerit) disces. Ejus verba sunt: Εντεῦθεν εἰς Τάναγραν στάδια ρλ'. ὁδὸς δὲ ἐλαιοφύτϐ καὶ συνδένδρϐ χώρας, παντὸς καθαρεύϐσα τϐ ἀπὸ τ̃ κλοπῶν φόβϐ. ἡ δὲ πόλις, τραχεῖα μὲν καὶ E μετέωρος, λευκὴ δὲ τῇ ἐπιφανείᾳ καὶ ἀργιλλώδης· τοῖς δὲ τ̃ οἰκιῶν προθύροις καὶ ἐγκαύμασιν ἀναθεματικοῖς κάλλιστα κατεσκευασμένη. Tandem vero aliquid etiam de iis quæ ad victum pertinent scribit: eam fructibus abundare frumentaceis negans, quos regio suppeditet, sed vino quod in Bœotia nascitur, primas tenere dicens. Ita enim scribit, καρποῖς δὲ τοῖς ἐκ τ̃ χώρας σιτικοῖς ϐ λίαν ἄφθονος, οἴνῳ δὲ τῷ γινομένῳ κατὰ τ̃ Βοιωτίαν πρωτεύϐσα. Ubi vocat σιτικοὺς καρποὺς quæ Theophrastus σιτηρὰ & alicubi σιτώδη appellat. Videntur autem hæc postrema verba duobus modis posse intelligi: nimirum ut dicat illam primas tenere in vino quod Bœotia producit, quod ad abundantiam attinet: vel, ut dicat primas tenere, ad vini præstantiam respiciens.

1. Prorsus ut est ab Henrico Stephano annotatum, οἰκεία legendum: & Θηβαίων malim quam Θηβῶν. Notum est Geographis quantæ olim inter Athenienses & Thebanos & quam frequentes de Oropo fuerint contentiones. Id tangere Dicæarchus voluit, & suo suffragio Thebanis id oppidum adjudicare. Placet etiam vehementer quod idem Henricus Stephanus pro μεταβολῶν, μεταβολέων vel μεταβόλων putabat reponendum. Sed & sequentes nominativi in dativos mundi videntur.

Nunc ad ea veniendum eſt quibus civium mores ita deſcribit, ut ſummis eos laudibus afficiat, vixque aliam pari honore dignetur. Poſtquam enim dixit eos ſplendidos eſſe quod ad fortunas attinet, ſed in victu parſimonia uti: omneſque agriculturæ, non opificiis operam dare: addit, eo ingenio præditos eſſe ut juſtitiam, fidem, atque hoſpitii jus (ita enim malo hic ξενίαν, quam *hoſpitalitatem* interpretari) bene conſervent, eorum non in populares ſuos tantum, ſed in peregrinos etiam ſeu advenas humanitatem prædicat: necnon a quærendo malis artibus lucro abhorrere illos dicit: Οἱ δὲ ἐνοικοῦντες (inquit) ταῖς μὲν οὐσίαις λαμπροὶ, τοῖς δὲ βίοις λιτοί. πάντες γεωργοὶ, οὐκ ἐργάται. δικαιοσύνην, πίστιν, ξενίαν ἀγαθοὶ διαφυλάξαι. τοῖς δεομένοις τῶν πολιτῶν καὶ τοῖς 1 στειχοπλανήταις τῶν ἀποδημητικῶν, ἀφ' ὧν ἔχουσιν, ἀπαρχόμενοί τε καὶ ἐλευθέρως μεταδιδόντες· ἀλλότριοι πάσης ἀδίκου πλεονεξίας. Quibus non contentus, addit, nullam in tota Bœotia eſſe urbem in qua tutius commorari peregrini poſſint. Ab ea enim abeſſe illam αὐθέκαστον & παραύστηρον μισοπονηρίαν, ideo quod incolæ ſuis contenti ſint, minimeque otio gaudeant: *Neque enim* (inquit) *ulli intemperantiæ generi deditos eſſe illos animadverti, propter quam plerunque maxima inter homines ſcelera committuntur. Qui enim ſuppetere ſibi exiſtimant quæ ad vitam neceſſaria ſint, ita ut lucri cupiditate non afficiantur, apud eos improbitatem generari difficile eſt.* Ejus verba ſunt: Καὶ ἐνδιατρίψαι δὲ ξένοις ἀσφαλεστάτη πόλις τῶν κατὰ τὴν Βοιωτίαν. ἄπεστι γὰρ αὐθέκαστός τε καὶ παραύστηρος μισοπονηρία, διὰ τὴν τῶν κατοικούντων αὐτάρκειάν τε καὶ φιλεργίαν. προσπάθειαν γὰρ πρός τι γένος ἀκρασίας ἥκιστα ἐν ταύτῃ τῇ πόλει κατενόησα, δι' ἣν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τὰ μέγιστα γίνεται ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἀδικήματα. οὗ γὰρ βίος ἐστὶν ἱκανὸς, προσπάθεια πρὸς κέρδος οὐ φύεται, χαλεπὸν παρὰ τούτοις ἐγγίνεσθαι πονηρίαν. Sed ante προσπάθεια copula καὶ deeſſe videtur: alioqui claudenda eſſet poſt φύεται ſententia, & dicendum, χαλεπὸν οὖν, &c. Illis verbis, βίος ἱκανὸς, ut talem interpretationem darem, fecerunt præcedentia, διὰ τὴν τῶν κατοικούντων αὐτάρκειαν. Sed miretur quiſpiam, eum prædicare αὐτάρκειαν illorum quos ταῖς οὐσίαις λαμπροὺς eſſe dixerit, quin etiam ei addere φιλεργίαν: niſi referat ad id quod ſubjunxit, τοῖς δὲ βίοις λιτοί: & οὐσίας de prædiis potius quam de pecuniis intelligat: præſertim quum omnes agriculturæ operam dare dixerit. Atque ad αὐτάρκειαν illam & λιτότητα pertinet quod dixit de urbe, καρποῖς δὲ τοῖς ἐκ τῆς χώρας σιτικοῖς οὐ λίαν ἄφθονος. Quibus enim in ſolo parum fertili ſunt magni fundi, ſed nec vendibiles, nec paſcere firmi, (ut verbis Horatianis utar) illos, alioqui λαμπροὺς ταῖς οὐσίαις, non mirum eſt eſſe τοῖς βίοις λιτοὺς, necnon φιλέργους. Nulla enim vita magis φιλεργίαν requirit quam ruſtica, præſertim in ſolo ejuſmodi. Confirmat autem hæc vox meam vocabuli ἐργάται interpretationem: ubi dixit, eos eſſe γεωργοὺς, non ἐργάτας. Nam ita interpretando, dici poſſint φίλεργοι qui nequaquam ἐργάται vocari queant. Illud vero, προσπάθεια πρὸς κέρδος, videndum an reddi ex Horatio poſſit *Contagia lucri*. Unum ſupereſt quod negotium lectori faceſſat, nimirum quod μισοπονηρίαν abeſſe ab ea dicit, perinde ac ſi μισοπονηρία res mala eſſet. Verum hunc nodum ſolvere in proxime ſequenti capite conabor.

CAP. VI.

TANAGRÆORUM MORES.

TANAGRAM laudans ſcriptor ille, hoc etiam tanquam laudabile affert, quod in ea μισοπονηρία non reperiatur. Dicit enim nullam in Bœotia eſſe urbem, in qua tutius commorari peregrini poſſint: propterea quod inde abſit μισοπονηρία. Sed iſta quæ ab eo redditur ratio, mira cuipiam videri poſſit, quum in ea μισοπονηρίαν damnare videtur. Nam quis non potius eam laudet? quis virtutibus potius quam vitiis annumerandam eſſe neget? Equidem ſi vitioſa eſſet μισοπονηρία, Demoſthenes *in Midiam* μισοπόνηρος minime junxiſſet cum σώφρονες, & cum καλοὶ καὶ ἀγαθοί. Nec Philo τὸ φιλόκαλον ἦθος & τὸ μισοπόνηρον copulaſſet: & alibi hæc quatuor, τὸ φιλάνθρωπον, τὸ φιλοδίκαιον, τὸ φιλάγαθον, τὸ μισοπόνηρον. Nec dixiſſet Plutarchus in libello *De diſcernendo adulatore ab amico*, illum dare operam ut videatur μισοπόνηρος. Atque adeo ita laudarunt olim μισοπονηρίαν, , ut cujus hæc animo inſita non eſſet, eum vituperandum cenſerent. Sic Charillum Spartæ regem collega ejus χρηστὸν eſſe negavit, quod ne πονηροῖς quidem eſſet χαλεπός. Quum enim eum laudantes quidam dicerent eſſe ἐπιεικῆ & πρᾶον, ille contra, Καὶ πῶς (inquit) χρηστός ἐστι Χάριλλος, ὃς οὐδὲ τοῖς πονηροῖς χαλεπός ἐστι; Atque adeo probos viros debere eſſe μισοπονήρους, ex eo etiam apparet quod τυραννὶς ſit φιλοπόνηρον, ut ſcribit Ariſtoteles. Denique verum eſſe ſcimus illud, *Bonis nocet quiſquis pepercerit malis*: item, *Veterem ferendo injuriam, invitas novam*: eumque probos non videri amare qui improbos non odit. Eſt enim μισοπονηρία (inquit Philo) τὸ προβεβλῆσθαι τοὺς ἀτιμάζοντας ἀρετὴν, καὶ ὡς κοινοὺς δυσμενεῖς τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους ὑποβλέπεσθαι. Quo igitur noſtrum hunc ſcriptorem reſpexiſſe dicemus? Videtur certe, dicendo μισοπονηρίαν inde abeſſe, ſignificare nullam ejus occaſionem præberi. Quum enim πονηρία excitet ad μισοπονηρίαν, cauſam affert propter quam non facile huic urbi πονηρία innaſcatur. Jam vero & hoc conſiderandum eſt, eum non dixiſſe ſimpliciter μισοπονηρία, ſed αὐθέκαστος καὶ παραύστηρος μισοπονηρία: nimirum tanquam de ea quæ modum excedit, loquentem: non aliter quam ſi dixiſſet ἡ ἄγαν μισοπονηρία: ut Plutarchus in libello *De virtute morali*, vitandam περὶ τὰς ἀμύνας eſſe dicit τὴν ἄγαν μισοπονηρίαν, non ſecus ac τὴν ἄγαν ἐπιθυμίαν circa voluptates. Perinde igitur ac ſi duo μισοπονηρίας ſint genera, & ubi magis viget improbitas, ſive, ubi major & frequentior eſt, ibi ſit illa αὐθέκαστος καὶ παραύστηρος μισοπονηρία, (quæ ad ὠμότητα accedit, id eſt, *ad crudelitatem*) eum ita loquutum eſſe credibile eſt: non ſignificantem, nulla improbitatis exempla in ea urbe conſpici, ſed rariora quam alibi: & quidem improbitatis quæ tanta non ſit ut animos eorum qui præſunt, ad illam formidabilem μισοπονηρίαν incitet. Revera enim formidabilis eſt μισοπονηρία, quæ tanta eſt ut ingeneret quandam acerbitatem ſeu aſperitatem, quam ſentiunt tandem, & ii qui minime ſunt πονηροί. Quibus enim perpetuo eſt cum improbis, atque adeo cum extreme improbis, negotium, (præſertimque ii quorum partes ſunt in illorum ſcelera animadvertere) ita ingenium μισοπονηρίᾳ aſſuefactum habent, ut etiam quandam in alios τραχύτητα inde contrahant. Utor

1. Fortaſſe πτωχοπλανήταις legendum, non στειχοπλανήταις: quæ vox dubio procul mendo non caret: fortaſſe etiam τῶν ἐπιδημητικῶν, non ἀποδημητικῶν.

autem τραχύτητος appellatione hac in re; quod dixerit itidem Plutarchus θυμὸν τραχύτερον ὑπὸ μισοπονηρίας, in libello Περὶ ἀοργησίας. Pulchre vero cum iis quæ dico, convenit hoc ejusdem dictum, οἰκέταις δὲ καὶ πολίταις τὸν θυμὸν, ὥσπερ θηρίον, ἀφίεμεν, οὐ καλῶς ὑποκοριζόμενοι μισοπονηρίαν. Atque ut hic specioso μισοπονηρίας nomine feritatem illam tegi dicit, sic alibi testatur fuisse qui Dionysii, necnon Phalaridis crudelitati hoc idem nomen prætexerent, atque ita facinorum utriusque atrocitatem elevarent.

CAP. VII.

PLATÆÆ.

PLATÆÆ Tanagram in hac Geographia excipiunt. Incipiens autem hic scriptor more suo, a via quæ interjacet, eas Tanagra stadiorum ducentorum spatio distare ait. Viam aliquantum desertam ac lapidosam esse, & ad Cithæronem vergere, & non valde periculosam esse tradit: Ἐντεῦθεν (inquit) εἰς Πλαταιὰς στάδια σ΄. ὁδὸς ἡσυχῆ μὲν ἔρημος, καὶ λιθώδης, ἀνατείνουσα δὲ πρὸς τὸν Κιθαιρῶνα. οὐ λίαν δὲ ἐπισφαλής. Ubi ἡσυχῆ observandum est, quod hic interpretationem quam ei dedi, (licet ejusmodi quæ videri nova possit) aut ei similem, poscere videtur. Illud autem ἀνατείνουσα reddi etiam possit, *Quæ attollitur*, vel *Quæ se attollit Cithæronem versus*. Malit fortasse quispiam vertere, *Se attollens*; vel *Acclivis, qua parte ad Cithæronem tendit*. Sed participium a præpositione sejungendum esset: quod non placet. Strabo certe hanc urbem sub Cithærone esse scribit, inter ipsum & Thebas, in via quæ fert Athenas & Megara. Quod dicit de via qua Platæas itur Tanagra, οὐ λίαν ἐπισφαλής, non alio quam ad latrocinia posse referri videtur: sicut antea dixit de via quæ Oropo Tanagram ducit, παντὸς καθαρεύουσα τοῦ ἀπὸ τῶν κλοπῶν φόβου: ubi tamen, nisi abusus sit hac voce, furta potius quam latrocinia intellexit.

De urbe versus Posidippi comici affert, ex quibus non magni faciendam esse discamus: ut quæ nec magna sit, nec opulenta. Eo enim spectare videntur quæ versibus illis dicuntur: ἡ δὲ πόλις (inquit) κατὰ τὸν κωμῳδιῶν ποιητὴν Ποσείδιππον,

> Ναοὶ δύο εἰσὶ, καὶ στοὰ, καὶ τοὔνομα,
> Καὶ τὸ βαλανεῖον, καὶ τὸ Σηράμβου κλέος.
> 1 Τὸ πολὺ μὲν ἀκτὴ, τοῖς δ' ἐλευθέροις πόλις.

Nam quum nihil aliud eam esse dicit *quam duo templa & porticum*, hyperbole ad ostendendam ejus exiguitatem utitur. Fuisse autem Græciæ urbes templis optime instructas, atque interdum etiam vel majoribus vel pluribus quam pro frequentia vel magnitudine urbium, (id est, quam ut urbium magnitudo illi magnificentiæ responderet) cum aliunde, tum ex eo quod de Stratonico citharœdo narratur, discimus: eum, quum Mylassa venisset, & magnum quidem templorum numerum, sed non magnam hominum frequentiam ibi esse cerneret, in medio stantem foro, clamasse, *Audite templa*. Quod autem ad verba sequentia attinet,

> —— καὶ τοὔνομα,
> Καὶ τὸ βαλανεῖον, καὶ τὸ Σηράμβου κλέος.

dubitari possit an hæc duo priora nomina τοὔνομα & τὸ βαλανεῖον, seorsum accipienda sint, an cum Σηράμβου jungenda: sicut & κλέος illi jungitur. Non male fortasse & illa tribuerentur eidem: alioqui τοὔνομα referendum crediderim ad eam quam nomen hujus urbis habebat celebritatem, ob quam etiam non parum sibi placerent. Quod innuere videtur & hic scriptor illis quibus descriptionem claudit verbis. Sed quis hic Σήραμβος fuit? Non absimile vero est nominari Σήραμβον, qui ab alio comico apud Athenæum appellatur Σάραμβος, & cujus, tanquam nobilis cauponis, (nam dicitur κάπηλος) fit mentio. Atque ita perinde fuerit ac si dixisset, καὶ τὸ καπηλεῖον, id est, *caupona*. Facete enim & apte (meo quidem judicio) quævis caupona vocari potuit *Sarambi decus*: ab ea quæ Sarambo famam comparaverat, sive in qua ipse famam collegerat. At vero tertius versus, quum mendi suspectus sit, (nisi potius aperte mendosus esse dicendus est) nemini autor fuerim ut in sensu eruendo ex eo multum operæ ponat.

De ipsis deinceps civibus hæc pauca scribit: *Eos non aliud habere quod dicant, quam se Atheniensium colonos esse, & Græcorum atque Persarum prælium apud se commissum fuisse*: Οἱ δὲ πολῖται (inquit) οὐδὲν ἕτερον ἔχουσι λέγειν, ἢ ὅτι Ἀθηναίων εἰσὶν ἄποικοι, καὶ ὅτι τῶν Ἑλλήνων καὶ Περσῶν παρ' αὐτοῖς ἡ μάχη ἐγένετο. Quibus addit, εἰσὶ δὲ Ἀθηναῖοι Βοιωτοί. Sunt autem hæc, eadem cum iis quæ de Oropiis dixit. Mirum est vero, eum de Platæensibus ita loquutum esse, quasi, quum alia re nobilitari sive alia re ulla commendare se non possent, pugnam illam semper in ore haberent, ex qua tamen non magna laus ad eos rediret. Contra enim celeberrimam fuisse hanc urbem scimus: & justissimam illi celebritatis occasionem præbuisse videntur cum alia, tum vero illa ipsa pugna, in qua Græci, funditus deletis Persarum trecentis millibus, (quarum Xerxis copiarum præfectus erat Mardonius) libertatem suæ regioni quæsivissent: ita quidem ut apud ipsos Platæenses extarent multa trophæa, necnon sepulcra eorum qui fortiter ibi pugnantes occubuissent. Unum certe fuit hoc prælium ex iis quæ tanti fecerunt Græci, ut eorum omnium qui pars illorum fuissent, memoriam summa reverentia & quasi veneratione quadam prosequerentur. Unde illa Demosthenis valde celebrata verba, οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων, καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους, καὶ τοὺς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχήσαντας. Quidquod Alexandrum ut Platæensium urbem instaurari vellet, huc movit quod eorum majores Græcis regionem suam tradidissent, in qua pro libertate dimicare possent? Ita enim Plutarchus in *illius Vita*, pag. 1256. meæ Editionis: Φιλοτιμούμενος δὲ πρὸς τοὺς Ἕλληνας, ἔγραψε τὰς τυραννίδας πάσας καταλυθῆναι, καὶ πολιτεύειν αὐτονόμους. ἰδίᾳ δὲ Πλαταιεῦσι, τὴν πόλιν ἀνοικοδομεῖν, ὅτι τὴν χώραν οἱ πατέρες αὐτῶν ἐναγωνίσασθαι τοῖς Ἕλλησιν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας παρέσχον. Ipsummet autem Alexandrum, instauratorem illius fuisse (quod alioqui ex hoc colligi loco non posset) ex eodem historico discimus, in *Aristide*: ubi etiam, quale hoc Platæensium fuerit beneficium, latius explicat. Quum enim oraculi cujusdam Delphici mentionem fecisset, quo Apollo pollicebatur, Athenienses victoriam ex hostibus reportaturos, si vota Jovi, Junoni Cithæroniæ, Pani & Nymphis Sphragitidibus nuncupassent, & rem sacram heroibus fecissent, Androcrati, Leuconi, &c. pu-

1. Non puto locum esse mendosum. Ἀκτὴν vocat urbem incolis destitutam, & solam. Notum illud Ciceronis de Q. fratre: *non homo, sed littus, atque aer, & solitudo mera.*

gnamque in suis ipsorum finibus commisissent, in Cereris Eleusiniæ & Proserpinæ campo: quum inquam hoc oraculum commemorasset, & subjunxisset, Aristidi injectum hoc oraculo fuisse scrupulum, quod ab heroibus, quibus sacrificare jubebat, oriundi essent Platæenses, &c. post alia verba pluscula, hæc scribit: *Ac ne quid oraculo ad spem victoriæ deesset, Platæensibus, Arimnesto auctore, placuit, limitibus, qui Plataicum agrum ab Attico dirimebant, sublatis, regionem Athceniensibus donare: ut in sua ditione, sicut oraculum præcipiebat, pro Græcia possent dimicare. Hæc autem Platæensium munificentia ita celebris fuit, ut etiam Alexander multis post annis, jam Asiæ imperans, quum Platæas mœnibus cingeret, in Olympico conventu per præconem promulgaret, hanc se Platæensibus fortitudinis & magnanimitatis gratiam referre: quod ii bello Medico Græcis regionem suam largiti essent, suamque operam illis summa alacritate præstitissent.*

Jam vero & Pausanias de Platæensibus scribit, initio *Bœoticorum*, eos ante Marathoniam pugnam nihil gessisse quo sibi celebritatem nominis quærerent: *sed quum Marathonii prælii pars fuissent*, (inquit) *post Xerxis in Græciam irruptionem, cum Atheniensibus naves conscendere non dubitarunt, deinde intra suos fines Mardonium Gobryæ filium Xerxis copiarum præfectum ulti sunt*. Hæc quum ita sint, & quum aliunde etiam satis constet Platæenses non solum regionem suam, sive agrum suum (quamvis dicat τ̀ χώραν, non τ̀ γῆν) concessisse in illo Persico bello, quod Medicum Attico more vocat: miretur quispiam, idque non immerito, cur noster Dicæarchus de Platæensibus ita loquutus fuerit, ut non magni fecisse id videatur, de quo illi summopere sibi placebant. Sed illam prædicationem ideo fortasse non probabat, quod hac gloria, quam a majoribus acceperant, contenti esse, aut certe unam hanc rem semper prædicare non deberent. Observandum est autem, quum Platæas numero plurali vocare hanc urbem soleant historici, Herodotum tamen & Thucydidem, Homeri imitatione, Platæam passim appellare.

C A P. VIII.

T H E B Æ.

THEBÆ in Dicæarchi descriptione Platæis sunt proximæ. Nam ab his illas octoginta duntaxat stadiorum spatio dissitas esse tradit. Sed ex Thucydide propius illas abesse discimus, nimirum intervallo stadiorum septuaginta. Utri autem potius habenda sit fides, minime quærendum, ne illi tantæ auctoritatis historico injuriam faciamus: sed potius errasse apud alterutrum librarios suspicandum fuerit. Viam autem totam Dicæarchus esse tradit planam. Sed quum dicit λεία ϰ̀ ἐπίπεδος, videri potest non planam duntaxat significare voluisse, verumetiam minime asperam & salebrosam: ut plana hic opponatur ei duntaxat quæ ardua est, aut saltem acclivis. Urbem ipsam in medio totius Bœotiæ sitam esse scribit, ejusque circuitum esse stadiorum septuaginta: planamque esse totam. Atque ubi figura esse rotundam dixit, coloris etiam mentionem facit, scribens nigrum ejus esse solum. Sic autem supra Tanagram describens, addidit & quis color ei in superficie esset: dicens eam esse λευκὴν τῇ ἐπιφανείᾳ ϰ̀ ἀργιλώδη: ita ut eundem usum præstet ibi vox ἐπιφάνεια, quem hic χρόα. Urbi autem tribuit utrobique quod

A ejus solo convenit. Addit, *esse quidem antiquam hanc urbem, sed recens in vias sectam*: quod ter diruta fuerit ob incolarum superbiam: ἀρχαία μὲν οὖσα (inquit) καινῶς δὲ ἐρρυμοτομημένη. Eodemque participio usus antea fuit in descriptione urbis Atheniensium, quum diceret, κακῶς ἐρρυμοτομημένη διὰ τ̀ ἀρχαιότητα: quasi videlicet innuens, veteres urbes non fuisse recte ἐρρυμοτομημένας. Unde & hic quum de Thebanorum urbe dicit, ἀρχαία μὲν οὖσα, καινῶς δὲ ἐρρυμοτομημένη, perinde hoc accipiendum videtur, ac si dixisset, ἀρχαία μὲν οὖσα, τ̀ δὲ ἀρχαίαν ῥυμοτομίαν κακὴν οὖσαν οὐ σώζουσα, ἀλλὰ καινῶς ἐρρυμοτομημένη. Verba autem,
B quibus utitur in iis quæ dixi describendis, sunt hæc: Ἐντεῦθεν εἰς Θήβας στάδια π΄. ὁδὸς λεία πᾶσα ϰ̀ ἐπίπεδος, ἡ δὲ πόλις ἐν μέσῳ μὲν τῆς τῶν Βοιωτῶν κεῖται χώρας, 1 τ̀ περίμετρον ἔχουσα σταδίων ο΄. πᾶσα δὲ ὁμαλὴ στρογγύλη μὲν τῷ σχήματι, τῇ χρόᾳ δὲ μελάγγειος. ἀρχαία μὲν οὖσα, καινῶς δὲ ἐρρυμοτομημένη διὰ τὸ τρὶς ἤδη, ὥς φασιν αἱ ἱστορίαι, κατεσκάφθαι, διὰ τὸ βάρος ϰ̀ τ̀ ὑπερηφανίαν τῶν κατοικούντων. Est autem observandus hic nominis βάρος usus: cui nullo modo *gravitatis* appellatio respondere potest. Nam gravitatem dici in bonam partem constat; (sicut de regibus & proceribus majesta-
C tem) at hic βάρος vituperari patet. Videndum igitur annon dictum sit διὰ τὸ βάρος, pro διὰ τὸ βαρεῖς εἶναι, *quod graves essent & odiosi*. Nam *gravem* Latini itidem pro odioso interdum dicunt. Atque ita verba illa, διὰ τὸ βάρος ϰ̀ τ̀ ὑπερηφανίαν, perinde intelligenda erunt ac si dixisset, διὰ τὸ βαρεῖς εἶναι ὑπὸ τ̀ ὑπερηφανίας, *quod præ superbia graves & intolerabiles essent*. Sic autem utor hoc adjectivo ut poeta satyricus, quum dicit *nihil intolerabilius esse fœmina divite*.

Thebanæ urbis descriptionem prosequens, alendis equis aptam esse ait. Deinde quod in Atheniensium urbe desiderari dixit, hic inveniri tradit:
D hanc enim esse ait κάθυδρον, quum illam οὐκ εὔυδρον esse scripsisset. Fateor tamen illud οὐκ εὔυδρον duobus posse modis intelligi: vel, *quæ non abundet aqua*, vel, *quæ bonam seu salubrem aquam non habeat*. In illa quidem significatione κάθυδρον opponi dicemus, at in hac non item. Verum quod eam γεώλοφον esse tradit, quomodo cum iis quæ dixit convenire potest? Legimus enim paulo ante, πᾶσα δὲ ὁμαλή: sicut & ipsam viam, quæ Tanagra ad eam ducit, dixerat esse λείαν & ἐπίπεδον. An novam quampiam huic nomini significationem dari existimabimus? Equidem non tantum novam, sed omnino contrariam usitatæ esse oporteret. Satis
E enim notum est, γεώλοφον esse vocem ex nominibus γῆ & λόφος compositam, & proprie significare *eminentem e terra instar collis & tumuli*. Quæ quum ita sint, suspicetur fortasse quispiam deesse nonnulla ante hæc verba, καὶ ἱπποτρόφος, &c. At ego mihi potius persuaserim, illum ita de urbe loqui ut etiam loca urbi vicina, cujusmodi sunt quæ vocantur suburbana rura, comprehendat. Alioqui ne illud quidem epithetum ἱπποτρόφος satis conveniret, si ad descriptionem urbis omnia referrentur. Verum & alius injicitur hic scrupulus, quod quam ἱπποτρόφον ἀγαθὴν esse dixit, po-
F stea γεώλοφον esse tradat. Recte enim ille,

Non est aptus equis Ithacæ locus, ut neque planis
Porrectus spatiis, nec multæ prodigus herbæ.

Quibus Horatius Homerica ista est interpretatus, ex *Odyssea* lib. δ.

1 Mendosa esse illa τὴν περίμετρον ἔχουσα σταδίων ο΄. apparet, vel ex col 39. l. B ubi Thebarum ambitus dicitur fuisse stadiorum trium, & quadraginta.

Ἐν δ' Ἰθάκῃ οὔτ' ἂρ δρόμοι εὐρέες, οὔτε τι λειμών.
Proxime autem ſequente verſu *ἱππόβοτον* dicit quam *ἱπποτρόφον* Dicæarchus appellat. Quinetiam additur epithetum *ἱππήλατος*, eodem pertinens. Quomodo igitur quam *ἱπποτρόφον ἀγαθὴν* dixerat, eam & *γεώλοφον* eſſe tradit? Poſſe *ἱπποτρόφον* eſſe conſtat quæ non ſit *ἱππήλατος*: alioqui ad utrumque referendo, reſpici ad diverſa loca urbem ambientia dixerim. Neque tamen (ut verum fatear) ſatis mihi in ſolvendo hoc nodo facio: ideoque aliorum de eodem judicium expectabo. Ne enim illa *ἱπποτροφία* ad cives alendorum equorum peritos & ſtudioſos poſſit referri, obſtant ſequentia epitheta, in quibus non itidem ipſa urbs de ejus civibus intelligi poſſit. Adde quod ſeorſum mentionem eorum facit.

Hortis abundare Thebas ſcribit præ alia quavis Græciæ urbe: non tamen dicit *κήπους*, ſed *κηπεύματα*: quod ita differt ab illo ut vox *jardinages*, a voce *jardins*. Illam autem hortorum abundantiam vult acceptam ferri duobus fluviis qui illam perlabuntur, & totum campum, qui urbi adjacet, irrigant. Quinetiam a Cadmea uſque aquam occultam per canales (ſive tubos, vel fiſtulas, aut ſiphones) illuc manare dicit: idque antiquo Cadmi, ut ajunt, artificio. Verba ejus, illis quæ paulo ante attuli proxima, ſunt hæc: *Καὶ ἱπποτρόφος δὲ ἀγαθή. κάθυδρος πᾶσα, χλωρά τε καὶ γεώλοφος. κηπεύματα ἔχουσα πλεῖστα τῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι πόλεων. καὶ γὰρ ποταμοὶ ῥέουσι δι' αὐτῆς δύο, τὸ ἐπικείμενον τῇ πόλει πεδίον πᾶν ἀρδεύοντες. φέρεται δὲ καὶ ἀπὸ τῆς Καδμείας ὕδωρ ἀφανὲς, διὰ Σπλήνων ἀγόμενον, ὑπὸ Κάδμου τὸ παλαιὸν, ὡς λέγουσι, κατεσκευασμένον. ἡ μὲν οὖν πόλις τοιαύτη.* Sed quum ille non addat, quæ ſit Cadmea, id mihi declarandum eſſe puto, & quidem Pauſaniæ verbis. Ita igitur ille in *Bœoticis*: *Thebaidem terram primos incoluiſſe ferunt Hectenas, quorum rex fuerit Ogygus, homo indigena: a cujus nomine plerique poetæ Ogygias appellant Thebas. Verum bis peſtilentia (ut ajunt) abſumptis, illum Hyantibus & Aonibus (Bœoticis, ut opinor, non advenis gentibus) habitandam eam dediſſe. Quum vero Cadmus Phœnicum exercitum educens eos invaſiſſet, & victoria potitus eſſet, Hyantes quidem proxime ſequenti nocte aufugerunt, Aonibus autem, quum, facti eſſent ſupplices, manere & Phœnicibus ſe miſcere permiſit Cadmus. Aonibus igitur vicatim obtingebant domicilia: Cadmus autem urbem, quæ noſtra etiam ætate Cadmea vocatur, condidit. Sed quum poſtea urbs aucta fuiſſet, contigit ut Cadmea eſſet arx poſteriorum Thebarum.* Verum Interpres in adverbii *κάτω* interpretatione graviter lapſus eſt: quum enim Pauſanias ita ſcribat, *αὐξηθείσης δὲ ὕστερον τῆς πόλεως, οὕτω τὴν Καδμείαν ἀκρόπολιν συνέβη τῶν κάτω γενέσθαι Θηβῶν*, ille ita hæc vertit, *Sed aucta poſtea urbe inferioribus mœnibus, pro arce Cadmea fuit*: quum *αἱ κάτω Θῆβαι* dicantur quæ poſteriori tempore ſeu ætate fuerunt: atque adeo nulla iniri ratio poſſit qua *τῶν κάτω* cum *αὐξηθείσης* jungatur. De Cadmea autem qui plura ſcire volet, Strabonem conſulat.

CAP. IX.

THEBANORUM MORES.

MORES Thebanorum deinceps noſter ille ſcriptor deſcribit: ſed ita ut ea deſcriptione male de illis mereatur: quippe quæ infamet illos potius quam decoret. Quædam enim commemorat, in quibus vere dici poſſint Cyclopico quodam ingenio præditi eſſe, & illos Heſiodeos homines *χειροδίκας* (a quibus rigido enſe jus diceba tur) nobis repræſentare. Sed illum audiamus. *Incolæ* (inquit) *ſunt magnanimi, & in bona ſpe*

A *concipienda circa quotidianæ vitæ negotia mirifici: ſed audaces, injurioſi atque contumelioſi, (vel protervi) ſuperbi, ad verbera prompti, peregrinum & popularem ſuum nullo diſcrimine habentes, omnis juris contemptores: qui non conveniunt ad decidendas ratione controverſias quæ circa commercia exoriuntur, ſed audaciam & manuum violentiam hanc ad rem adhibent. Si qua in gymnicis certaminibus facta ſit athletis apud eos injuria, eam in id tempus rejiciunt quo jus reddere conſueverunt: ideoque controverſiæ apud eos nonniſi triceſimo quoque anno in judicium deducuntur. Quiſquis enim in populo ullius hujuſmodi rei mentionem fecerit, ac non ſtatim* B *e Bœotia migrarit, ſed vel breviſſimo temporis ſpatio in urbe manſerit, paulo poſt ſtructis noctu inſidiis ab iis qui cauſas agi nolunt, morte violenta mulctatur. Cædes autem apud eos vel leviſſimam ob cauſam perpetrantur.* Atque hic quum videatur Dicæarchus velle finem facere dicendi de viris, & ad mulieres tranſire, (quum dicat, *τοὺς μὲν οὖν ἄνδρας συμβαίνει τοιούτους εἶναι*) antequam tamen de mulieribus verba faciat, hæc addit, *διατρέχουσι δὲ τινες ἐν αὐτοῖς ἀξιόλογοι, μεγαλόψυχοι πάσης ἀσιφυλίας*. quæ voces ſuo motæ loco videri poſſint, & pro ultima, quæ manifeſte corrupta eſt, reponendum eſſe C *ἀλλοφυσίας*. Sed jam totum hunc locum afferre libet: in quo quæ animadvertenda videantur, poſtea proponam: ita igitur ille: *Οἱ δ' ἐνοικοῦντες, μεγαλόψυχοι, καὶ θαυμαστοὶ τῇ κατὰ τὸν βίον εὐελπιστίαις. θρασεῖς δὲ καὶ ὑβρισταὶ καὶ ὑπερήφανοι, πλῆκταί τε, καὶ ἀδιάφοροι πρὸς πάντα ξένον καὶ δημότην· καταπεφρονηκότες παντὸς δικαίου· πρὸς τὰ ἀμφισβητούμενα τῶν συναλλαγμάτων οὐ λόγῳ συνιστάμενοι, τὴν δ' ἐκ τοῦ θράσους καὶ τῶν χειρῶν προσάγοντες βίαν, τὰ ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσι γενόμενα πρὸς αὐτοὺς τοῖς δὲ ἀθληταῖς βίαια εἰς τὴν δικαιολογίαν μεταφέροντες. διὸ καὶ αἱ δίκαι παρ' αὐτοῖς δι' ἐτῶν τοὐλάχιστον εἰσάγονται τριάκοντα. ὁ γὰρ μνησθεὶς ἐν τῷ πλήθει περί* D *τινος τοιούτου, καὶ μὴ εὐθέως ἀπάρας ἐκ τῆς Βοιωτίας, ἀλλὰ τὸν ἐλάχιστον μείνας ἐν τῇ πόλει χρόνον, μετ' οὐ πολὺ παρατηρηθεὶς νυκτὸς ὑπὸ τῶν οὐ βουλομένων τὰς δίκας συντελεῖσθαι, θανάτῳ βιαίῳ ζημιοῦται. φόνοι δὲ παρ' αὐτοῖς διὰ τὰς τυχούσας γίνονται αἰτίας. τοὺς μὲν οὖν ἄνδρας*, &c. ut paulo ante habuiſti. Inter illa autem quæ hic obſervanda ſunt, primum eſt illud, *θαυμαστοὶ τῇ κατὰ τὸν βίον εὐελπιστίαις*: quo loquendi genere, quod aliquid novitatis præ ſe fert, novum etiam quiddam aut certe rarum deſcribit: id eſt, quod vix alii populo adſcriptum inveniatur: eſtque tale profecto (niſi potius idem) E quale id quod inter fœcundorum calicum effectus annumeratur ab Noratio, quum de vini cado dicit, *ſpes donare novas largus*. Quod ad epitheta illa attinet, *θρασεῖς καὶ ὑβρισταὶ*, ab aliis quoque nonnullis ſcriptoribus interdum copulantur: ſed *πλῆκται* miretur fortaſſe quiſpiam additum fuiſſe. Neque tamen ſupervacaneum eſſe putandum eſt, ſed ideo additur ut hac nominatim in re *ὑβριστὰς* eſse ſignificaret. Verti autem illud *πλῆκται*, *Ad verbera prompti*, non *Manu prompti*, quod hoc de milite dictum, in laudem ponatur. Dixit autem Cicero & *Prompti ad vim*: ſed latius patere hoc videtur. Exiſtimavi poſse etiam red- F di, *Manu violenti*: ſed quum ille paulo poſt dicat *τὴν ἐκ τῶν χειρῶν βίαν*, quod oportuit interpretari *Manuum violentiam*: diverſis, & ipſe verbis rem eandem exprimere malui. Sed enim mirum pleriſque viſum iri ſcio, me hic periphraſi uti, quum in promptu ſit vox *Percuſſor*, qua nomen hoc in divi Pauli *Epiſtolis* reddi ſolet: ſed quum inveniam *Percuſſorem* de interfectore dictum, ut *Percuſſor Cæſaris*, apud Tullium: (ex quo diſcimus etiam appellatos *Percuſſores*, eos qui conducebantur ut aliquem occiderent) at pro eo

quem significare volunt promptum esse ad inferendum aliis manus (id est, ad pulsandum, seu verberandum) legere me non meminerim, ad periphrasim confugere malo. Sunt igitur πλῆκται, *Ad inferendum manus prompti*, seu *Ad verbera inferenda*, vel *Ad impetum faciendum prompti*, *Manu violenti*: at quomodo voce una reddi possit, nondum invenisse me fateor. Libuit autem monere de hujus vocis interpretatione, ut hoc exemplo cautiores redderem Interpretes in quarundam vocum Latinarum usu, quæ Græcis, quibus respondere aspectu primo videntur, nequaquam respondent. Vox καταυωτισταὶ licet ex præcedentibus, & sequentibus intelligi possit, præsertimque ex adjuncto genitivo δικαίε, merito tamen nova videatur: pro iis *qui terga vertunt omni justitiæ*, sive *post tergum abjiciunt omnem justitiam*. Harum enim significationum neutra respondet illi quæ verbo καταυωτίζομαι tribuitur, a quo nomen illud originem habet, vel potius, cujus est verbale. Pro τοῖς δὲ si reponatur τοῖς, non impeditus erit orationis cursus. Illud τὰς δίκας συντελεῖσθαι, quod verti simpliciter *Causas agi*, scio primo aspectu videri posse reddendum, *Litibus finem imponi*: sed præterquam quod meam interpretationem possum exemplo defendere, manifestum est, quum dicit, ὑπὸ τῶν ἐ βαλομένων τὰς δίκας συντελεῖσθαι, perinde esse ac si ea quibus usus erat verba repetens, dixisset, τὰς δικας εἰσάγεσθαι. Aliud autem est *Controversias in judicium deduci* (quo verbo usus sum, ut exprimerem εἰσάγεσθαι) quam *Controversiis jam in judicium deductis finem imponi*. Possit igitur δίκας συντελεῖσθαι, reddi etiam *Judicia exerceri*.

CAP. X.

DE UXORIBUS THEBANORUM.

UXORES autem Thebanorum (inquit) proceritate, & incessu bene composito ac decenti, omnium Græciæ fœminarum sunt speciosissimæ & maxime spectabiles. Atque id versibus istis testari Sophoclem tradit,

> Θήβας λέγεις μοι, τὰς πύλας ἑπταστόμους,
> 1 Οὐ δὴ μόνον τίκτουσιν αἱ θνηταὶ θεούς.

Verum ita legendo hunc posteriorem versum, ad laudem virorum magis quam mulierum facere, ideoque non recte ex eo peti testimonium videtur. Hinc fit ut non dubitem postrema verba ita invertere,

> Οὐ δὴ μόνον τίκτουσιν οἱ θνητοὶ θεάς.

Has Thebanas tale capitis tegmen seu velamen gestare ait, ut eo facies etiam tota præter oculos velatur: ita ut personatæ videri possint, esse autem id album. Crines illis esse flavos, qui in nodos sint colligati, usque a vertice: atque id ab indigenis appellari Lampadium. Calceamentum esse ejusmodi ut nudi propemodum pedes conspiciantur.

Deinde illas tradit esse Sicyonias potius quam Bœotias ταῖς ὁμιλίαις: intelligens (ut opinor) eas imitari Sicyonios mores potius quam Bœotios, in congressibus, & quum cœtus celebrant. Quamvis enim & ad colloquia extendi videatur vox ὁμιλίαι, (ut Cicero *congressum* & *colloquium* inter-

A dum copulat) tamen vocis earum seorsum mentionem facit: illi gratiam inesse dicens, virorum contra vocem esse insuavem. Redit tandem ad ipsam civitatem, & ibi æstatem commodissime traducere quempiam posse ait, at hybernare non posse nisi incommodissime. Æstatem ibi commodissime traduci, quod aqua, eaque frigida, nec non hortis abundet. Item quod prospectum viridis color amœnum reddat: (quibus rationibus & alias duas addit, de quibus postea dicam) at hyemem ibi incommodissime agi, ob lignorum inopiam, necnon ob fluvios & ventos: & quod nivosa sit atque lutosa. Postremo Laonis versus citat: B de quibus aliquid dicam ubi totius loci verba protulero. Ita igitur ille: Αἱ δὲ γυναῖκες αὐτῶν, τοῖς μεγέθεσι, πορείαις, ῥυθμοῖς (sed πορείας ῥυθμοῖς legendum puto, atque hanc lectionem in mea interpretatione sequor) εὐσχημονέσταταί τε καὶ εὐπρεπέσταται τῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι γυναικῶν. μαρτυρεῖ Σοφοκλῆς, Θήβας λέγεις μοι, &c. τὸ τῶν ἱματίων ἐπὶ τῆς κεφαλῆς κάλυμμα τοιοῦτον ἐστιν ὥσπερ προσωπιδίῳ δοκεῖν πᾶν τὸ πρόσωπον κατειλῆφθαι. οἱ γὰρ ὀφθαλμοὶ διαφαίνονται μόνον, τὰ δὲ λοιπὰ μέρη τοῦ προσώπου πάντα κατέχεται τοῖς ἱματίοις. φοροῦσι δ' αὐτὰ πᾶσαι λευκά. τὸ δὲ τρίχωμα, ξανθὸν, αναδεδεμένον μέχρι τῆς κορυφῆς· ὃ δὴ καλεῖται ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων λαμπάδιον. ὑπόδημα λιτὸν, οὐ βαθύ. φοινικοῦν δὲ τῇ χροιᾷ καὶ ταπεινόν. 2 υσκλωτὸν δὲ, ὥς τε γυμνοὺς σχεδὸν ἐκφαίνεσθαι τοὺς πόδας. εἰσὶ δὲ καὶ ταῖς ὁμιλίαις οὐ λίαν Βοιώτιαι, μᾶλλον δε Σικυώνιαι. καὶ ἡ φωνὴ δ' αὐτῶν ἐστὶν ἐπίχαρις. τῶν δὲ ἀνθρώπων, ἀτερπὴς καὶ βαρεῖα. ἐνθερίσαι μὲν ἡ πόλις οἷα βελτίστη. τό, τε γὰρ ὕδωρ πολὺ ἔχει καὶ ψυχρὸν, καὶ κήπους. ἐστὶ δ' εὐήνεμος ἔτι καὶ χλωρὰν ἔχουσα τὴν πρόσοψιν, 3 ἐχέπωρος τε καὶ τοῖς θερινοῖς ὠνίοις ἄφθονος. ἄξυλος δὲ, καὶ ἐγχειμάσαι οἷα χειρίστη, διά τε τοὺς ποταμοὺς καὶ τὰ πνεύματα. καὶ γὰρ νίφεται, καὶ πηλὸν ἔχει πολύν. Verum in his quædam emendanda, quædam latius expli- D canda sunt. Pro adverbio ὥσπερ, quod præcedit dativum προσωπιδίῳ, legendum esse ὥστε, manifestum est. At pro illo υσκλωτὸν quid reponi debeat, non itidem patet. Nam valde quidem ei vicinum est κυκλωτὸν, sed quomodo cum sequentibus conveniet? id est, quomodo hæc rotunda figura dicetur efficere ut pedes propemodum nudi conspiciantur? Adde quod vereor ut hoc adjectivum alicujus classici scriptoris autoritate confirmari possit. Cogitavi etiam de ἄκλειστον: quod licet melius cum eo quod addit de nudis pedibus, conveniat, minime tamen pro vera lectione ha- E bendum puto. Ad ἐχέπωρος nulla vox propius accedit quam ἐχέπωλος: sed poeticum est hoc nomen: & merito quis miretur, cum inter ea ob quæ æstatem ibi commode agi dicit, hoc quoque commemorare. Subjungens autem θερινὰ ὤνια, id est, *æstivas merces*, (sive, *res æstate venales*) videtur ad ea quæ terra æstate producit, respicere. Statim post, οἷα χειρίστη scripsi, non οἷα τε, sicut præcesserat οἷα βελτίστη, & passim Græcos loqui solere scimus. Jam vero quod attinet ad ea quæ explicationem latiorem poscunt, illud ἀναδεδεμένον potest etiam reddi, *Tortos in nodum*, vel *Collectos in nodum*, ex Nasone: aut una voce *Nodatos*. Quod hic F dicit χλωρὰν ἔχουσα τὴν πρόσοψιν, id ipsum esse videtur quod antea unico verbo χλωρὰ significare voluit. Nivosa autem dixi, sicut & lutosa, ut nivibus sicut & luto abundare ostenderem: quamvis simpliciter dicat νίφεται. Alioqui enim hoc cum aliis

1. Thebis olim natos Bacchum & Herculem, numina duo Græci poetæ fabulantur. Inde illa Thebarum apud poetas laus, quod solæ ex omnibus Græciæ urbibus deos ederent. Nihil igitur mutandum hic censeo.

2. Lego, ἀκάλυπτον δὲ, ὥστε γυμνοὺς σχεδὸν ἐκφαίνεσθαι τοὺς πόδας.

3. Lego ἐχόπωρός τε, καὶ τοῖς θερινοῖς ὠνίοις ἄφθονος. Est autem ἐχόπωρος elegantia hujus scriptoris non indigna vox, ἀντὶ τοῦ, πολλὴν ἔχουσα ὀπώρας.

urbibus commune habere dici posset. Neque tamen nivosos montes aut nivosam regionem potius quam nivosam urbem dici ignoro.

Claudit suam Thebarum descriptionem his Laonis comici versibus: (quibus tamen nulla Thebarum peculiariter fit mentio, sed Bœotorum & Bœotiæ)

Βοιωτὸν ἄνδρα στέργε, τὴν Βοιωτίαν
Μὴ φεῦγ᾽. ὁ μὲν γὰρ χρηστὸς, ἡ δ᾽ ἐφήμερος.

Scribo autem *ἐφίμερος*, licet invenerim *ἐφήμερος*: quum huic emendationi lectores minime reclamaturos esse putem. Sed quæri potest an hæc tantum verba sint Laonis, an etiam aliqua ex præcedentibus. Illi enim qui allatus fuit loco, quem claudunt hæc verba, *καὶ γὰρ νίφεται καὶ πηλὸν ἔχει πολὺν*, subjungit, *οἱ στίχοι Λάωνος. γράφει δὲ ἐπαινῶν αὐτοὺς, καὶ οὐ λέγων τὴν ἀλήθειαν. μοιχὸς γὰρ ἁλοὺς ἀφείθη, μικροῦ διαφόρου τὸ ἀδικηθέντα ἐξαγοράσας, Βοιωτὸν ἄνδρα*, &c. Nominis autem *διάφορον* usus, quem hic videmus, minime novus illis fuerit, qui ea, quæ in meo *Thesauro Græcæ linguæ* de illo scripsi, legerint. Ibi enim affertur & Dionysii Halicarnassei locus, pag. 319. Editionis paternæ: ubi genitivus *διαφόρου* jungitur verbo *ὠνεῖσθαι*, sicut hic verbi *ἐξαγοράσαι* (quod idem significat) participio: *ἀλλ᾽ ὑπομένοντες ὠνεῖσθαι πολλοῦ διαφόρου μικρά.*

CAP. XI.

ANTHEDON.

Anthedon Thebas in illa descriptione excipit; quam ab illis intervallo centum & sexaginta stadiorum distare tradit; esse autem parvam, & mari Euboico adjacere. In ea forum arboribus esse totum consitum, binis porticibus circumdatum, sive duplici porticu. Quum enim non dicat tantum *στοαῖς ἀνειλημμένην*, (quod satis erat ad declarandum, eam porticibus esse circundatam) sed addat *διτταῖς*, rationi consentaneum esse videtur, ut de geminis utrinque porticibus id intelligatur. Urbem hanc Anthedonem *& vino & obsoniis abundare*, (*αὕτη*, inquit, *εὔοινος, εὔοψος*: *ὄψα* autem ad pisces potius quam ad carnes esse referendum, meminisse oportet: cum ex aliis locis, tum vero ex quibusdam Athenæi) sed non magnam illi esse frumenti copiam, scribit: quod solum sit gracile & aridum. Omnes propemodum hujus incolas esse piscatores ait, qui sibi ex hamis & piscibus, ex purpura & spongiis vitam comparent: qui in litoribus atque alga & tuguriis consenuerunt. Addit, esse rufos, & omnes graciles. Narrat etiam, partes unguium extremas illis esse arrosas operibus marinis, atque magnam eorum partem in freto quopiam lubenter versari, & navibus fabricandis operam dare. Ejus verba sunt: *Ἐντεῦθεν εἰς Ἀνθηδόνα στάδια ρξ᾽. ὁδὸς πλαγία, ἁμαξήλατος δι᾽ ἀγρῶν πορεία. ἡ δὲ πόλις, οὐ μεγάλη τῷ μεγέθει, ἐπ᾽ αὐτῆς Εὐβοϊκῆς κειμένη θαλάττης. τὴν μὲν ἀγορὰν ἔχουσα κατάδενδρον πᾶσαν, στοαῖς ἀνειλημμένην διτταῖς. αὕτη δὲ εὔοινος, εὔοψος, σίτῳ σπανίζουσα, διὰ τὸ τὴν χώραν εἶναι λυπράν. οἱ δ᾽ ἐνοικοῦντες σχεδὸν πάντες, ἁλιεῖς, ἀπ᾽ ἀγκίστρων καὶ ἰχθύων, ἔτι δὲ καὶ πορφύρας καὶ σπόγγων τὸν βίον ἔχοντες· ἐν αἰγιαλοῖς τε καὶ φύκει καὶ καλύβαις καταγεγηρακότες. πυῤῥοὶ τὰς ὄψεσι, πάντες δὲ λεπτοί, τὰ ἄκρα τῶν ὀνύχων καταβεβρωμένοι ταῖς κατὰ θάλατταν ἐργασίαις. προσπεπονθότες πορθμοῖς οἱ πλεῖστοι, καὶ ναυπηγοί.* Illud *σίτῳ σπανίζουσα*, mendose scriptum esse puto, pro *σίτου σπανίζουσα*. Genitivus *πορφύρας* de ipsa concha intelligendus est: ut *ἀπὸ πορφύρας καὶ σπόγγων τὸν βίον ἔχοντες*, perinde sit ac si diceret, *πορφυρευταὶ καὶ σπογγοθῆραι*: quæ a Polluce conjunguntur, ubi recenset quæ dici possunt de iis qui *ἁλιεῖς* vocantur, *lib.* I. item *libro* VII. ubi co-

A pulantur itidem *πορφυρευτικὴ* & *σπογγοθηρευτική*. Aliquanto post, dicens *προσπεπονθότες πορθμοῖς*, voce utitur quæ summam naturæ propensionem in rem aliquam declarat: qua fit ut ei veluti per quandam sympathiam adhæreamus. Sed quum *πορθμὸς* dicatur & *fretum*, (id est, sinus maris in angustias coarctati) & trajectus ipsius freti: ei qui posteriorem istam significationem dativo *πορθμοῖς* dare hic malet, minime refragabor: præsertim quum ex illa etiam priore posterior hæc intelligenda esse videatur. Quinetiam *πορθμίοις* non male scriberetur, meo quidem judicio: qua voce significatur navigium quo *πορθμεῖς* in trajectu freti B utuntur. Ut tamen ingenue fatear quod de hoc loco sentio, parum mihi placet participium *προσπεπονθότες* cum dativo *πορθμοῖς*, sive *πορθμίοις*: atque adeo suspectus est mihi hic illius usus, tanquam duriusculus, & fortasse etiam insolens. Ideoque malim ex *πορθμοῖς* facere *πορθμεῖς*, & participium illud dativo *ἐργασίαις* jungere, totum locum ita legendo & interpungendo, *πάντες δὲ λεπτοί, τὰ ἄκρα τῶν ὀνύχων καταβεβρωμένοι ταῖς κατὰ θάλατταν ἐργασίαις προσπεπονθότες· πορθμεῖς οἱ πλεῖστοι, καὶ ναυπηγοί.*

Regionem (inquit) tantum abest ut colant, C ut ne habeant quidem. Originem autem se a Glauco marino ducere ajunt, quem fuisse piscatorem constat. Quibus addit, *ἡ μὲν οὖν Βοιωτία, τοιαύτη*, *Talis igitur est Bœotia*. Miretur autem hic quispiam quomodo nullam illis regionem esse dicat, quum antea scripserit, *διὰ τὸ τὴν χώραν εἶναι λυπράν*. Ego certe crediderim, vel, ne eam quidem quam dixit esse *λυπράν*, ideoque frumentum illis parce subminstrare, ditionis illorum fuisse: vel, pro nulla habuisse eam quæ valde arcta esset. Verum & de hac voce *χώραν* monere lectorem libet, eam non satis apte reddi illa *regionis* appellatione, quum jungitur verbo *ἐργάζεσθαι*, quod *colere* decla- D rat, (ea in significatione qua dicuntur agricolæ terram colere) ideoque posse nos hujusmodi in locis interpretari *agrum*.

CAP. XII.

THESPIÆ.

Thespias autem (nam librarius perperam *Θεσπεσίαι* utrobique scripsit pro *Θεσπιαί*) ea qua cæteras Bœotiæ urbes descriptione minime dignatur. Postquam enim dixit, *Talis igitur Bœotia*, tanquam descriptioni urbium illius finem imponens, subjungit: *Αἱ γὰρ Θεσπιαὶ φιλοτιμίαν μὲν ἔχουσι μόνον, καὶ ἀνδριάντας οὐ πεποιημένους, ἄλλο δὲ οὐδέν*, tanquam rationem reddens cur E finem facere velit, antequam illam urbem descripserit. Verum suspectum est illud *μόνον* hoc loco, præsertim quum præcedat *μὲν*. Magis etiam suspectam habeo particulam *οὐ*, nec dubito quin mutari in *εὖ* debeat; ut dicat eam habere *ἀνδριάντας εὖ πεποιημένους*. Postea autem enumerans singularum Bœotiæ urbium infortunia, *φιλονεικίαν* apud Thespias sedem suam habere dicit, sicut invidiam Tanagræ, avaritiam apud Oropum, (sed *αἰσχροκέρδεια* fœdum avaritiæ genus significat: quum sonet *Turpis lucri studium*, seu *amorem*, aut *cupiditatem*: ad verbum, *Turpe lucrum*) protervíam F apud Thebas, rapacitatem apud Anthedonem, curiositatem apud Coroneam, arrogantiam apud Platæas, febrim apud Onchestum, stupiditatem apud Haliartum. Ipsa ejus verba sunt: *Ἱστοροῦσι δ᾽ οἱ Βοιωτοὶ τὰ κατ᾽ αὐτοὺς ὑπάρχοντα ἴδια ἀκληρήματα, λέγοντες ταῦτα· τὴν μὲν αἰσχροκέρδειαν κατοικεῖν ἐν Ὠρωπῷ, τὸν ὕβριν ἐν Θήβαις, τὴν πλεονεξίαν ἐν Ἀνθηδόνι, τὴν περιεργίαν ἐν Κορωνείᾳ, ἐν Πλαταιαῖς τὴν ἀλαζονείαν, τὸν πυρετὸν ἐν Ὀγχηστῷ, τὴν ἀναισθησίαν ἐν Ἁλιάρτῳ. τὰ δ᾽ ἐκ πάσης τῆς Ἑλλάδος ἀκληρήματα εἰς τὰς τῆς Βοιωτίας πόλεις κατεῤῥύη.* Verum hæc voca-

bula, quæ videmus esse vitiorum appellationes, valde sunt significantia: atque adeo quædam ejusmodi ut vix ac ne vix quidem singula Latina singulis Græcis respondere possint: *αἰσχροκέρδεια* plus est quam *avaritia*; (quæ *φιλαργυρία* dici solet: quod nomen proprie sonare *cupiditatem argenti*, satis notum est) *sordes* certe rectius dicemus, (quod vocabulum fœdiori tantum avaritiæ generi convenit: sicut *sordidi* vocantur qui eo avaritiæ genere laborant) quum *αἰσχροκέρδεια* sonet *Turpe lucrum*, id est, turpis lucri cupiditatem. Huic vitio finitimum est illud quo Anthedon infamatur, videlicet *πλεονεξία*. Eodem certe ambo pertinent, quum *πλεονεξία plus habendi cupiditatem* proprie declaret: sed dicitur de iis qui per vim etiam cupiditatem illam explent, seu explere conantur: ideoque verti *rapacitatem*. Neque enim hic *avaritiam* interpretari quis possit, quum *ἀπὸ τῆς αἰσχροκερδείας*, cui melius avaritiæ appellatio conveniret, eam separet. Ac ne alibi quidem fortasse interpretatio illa admittenda est: quum *πλεονεξία* sit potius eorum qui vi (uti dixi) seu violentia ad explendam suam aviditatem utuntur, quam eorum qui non aperto Marte (ut ita loquar) id faciunt, sed quibuslibet artibus malis, simulque occultis, grassantur: adeo ut *πλεονεξία* sit veluti violenta quædam avaritia. Vocem autem *ὕβριν* puto hic debere reddi *Proterviam* vel *Insolentiam*, non *Injuriam*: quum hic ipsum habitum quo quis ad inferendam cuilibet injuriam proclivis est, (quasi *injuriositatem* dicas, ut a vitio dicitur *vitiositas*) non aliquam simpliciter injuriam declaret. Sic vero & *φιλονεικία* quum significet proprie *contentionem*, hic contentiosum ingenium declarat, sive ingenium ad contentionem proclive.

Claudit hunc sermonem versu Pherecratis, quo dicitur, prudentis esse fugere Bœotiam: *ὁ στίχος Φερεκράτους:*

Ἄνπερ φρονῇς εὖ, φεῦγε τὴν Βοιωτίαν.

Rursum autem utitur verbis illis quibus declaraverat se finem suæ descriptioni Bœotiæ imponere: illis, inquam, vel potius plane similibus. *ἡ μὲν οὖν τῶν Βοιωτῶν χώρα, τοιαύτη.*

CAP. XIII.

CHALCIS.

CHALCIDEM inde venit, quam Anthedone stadiorum septuaginta intervallo distare tradit. Sed suspecta esse hic possit librarii fides: quia quum dicat *ἐξ Ἀνθηδόνος εἰς Χαλκίδα στάδια ό.* tamen paulo post, ubi dixit itidem de Chalcide, eam esse stadiorum septuaginta, addit, *μείζων τῆς ἐξ Ἀνθηδόνος εἰς αὐτὴν φερούσης ὁδοῦ*. Quod si legeretur non *σταδίων*, sed *σταδίοις*, (est enim compendiarie scriptum hoc vocabulum, & ita ut utrovis modo legi possit) tum vero tanta hæc magnitudo suspectam hic potius quam illic ejusdem librarii fidem redderet. Viam autem ab Anthedone Chalcidem usque ita describit: *Ἐξ Ἀνθηδόνος εἰς Χαλκίδα στάδια ο. μέχρι τοῦ Σαλγανέως. ὁδὸς παρὰ τὸν αἰγιαλὸν λεία τε πᾶσα καὶ μαλακή. τῇ μὲν καθήκουσα εἰς θάλασσαν, τῇ δὲ ὄρος οὐχ ὑψηλὸν μὲν ἔχουσα, ἄλσεσι δὲ καὶ ὕδασι πηγαίοις κατάῤῥυτον.* Hinc ad urbem ipsam veniens, primum ea de magnitudine ejus scribit quæ modo retuli: deinde postquam dixit esse totam clivosam & arboribus obumbrari, addit, non salsas tantum aquas illam habere, sed & quandam quæ a fonte Arethusa manat. Verum hic corrupte legitur *ὑπόπλατυ*: pro quo *ὑπόπαχυ* scriptum fuisse, mihi fit verisimile: *ἡσυχῆ* autem, quod huic adjectivo jungitur, talem usum habet qualem in præcedentibus annotavi. Ita enim ibi scriptus est hic locus: *Ἡ δὲ τῶν Χαλκιδέων πόλις ἐστὶ μὲν σταδ. ό. μείζων τῆς ἐξ Ἀνθηδόνος εἰς αὐτὴν φερούσης ὁδοῦ, γεώλοφος δὲ πᾶσα καὶ σύσκιος. ὕδατα ἔχουσα, τὰ μὲν πολλὰ, ἁλυκά. ἓν δὲ ἡσυχῆ μὲν ὑπόπλατυ, τῇ δὲ χρείᾳ ὑγιεινὸν καὶ ψυχρὸν, τὸ ἀπὸ τῆς κρήνης τῆς καλουμένης Ἀρεθούσης ῥέον ἱκανὸν, ὡς δυναμένης παρέχειν τὸ ἀπὸ τῆς πηγῆς νᾶμα πᾶσι τοῖς τὴν πόλιν κατοικοῦσιν.*

Nec vero publica ejus ornamenta omittit, gymnasia, porticus, templa, theatra: quibus picturas atque statuas addit. Sed cum postremis hujus periodi verbis, quæ sunt, *γραφαῖς, ἀνδριάσι*, non cohærent quæ sequuntur, (in quibus fori situm mire commodum mercatoribus esse ostendit) ita ut quædam in medio desiderari necesse sit. Ita enim totum hunc locum apud eum scriptum invenio: (nisi quod pro *γυμνασίαις*, repono *γυμνασίοις*, quum error illic sit manifestus) *Καὶ τοῖς κοινοῖς δὲ ἡ πόλις διαφόρως κατεσκεύασται, γυμνασίοις, στοαῖς, ἱεροῖς, θεάτροις, γραφαῖς, ἀνδριάσι, τῇ ἀγορᾷ κειμένων πρὸς τὰς τῶν ἐργασιῶν χρείας ἀνυπερβλήτως. ὁ γὰρ ἀπὸ τοῦ τῆς Βοιωτίας Σαλγανέως καὶ τῆς τῶν Εὐβοέων θαλάττης ῥοῦς εἰς τὸ αὐτὸ συμβάλλων καὶ τὸν Εὔριπον, φέρεται παρ' αὐτὰ τὰ τοῦ λιμένος τείχη· καθ' ὃ συμβαίνει τὴν κατὰ τὸ ἐμπόριον εἶναι πύλην. ταύτης δὲ ἔχεσθαι τὴν ἀγορὰν, πλατεῖάν τε οὖσαν στοαῖς τρισὶ συνειλημμένην. σύνεγγυς οὖν κειμένου τῆς ἀγορᾶς τοῦ λιμένος, καὶ ταχείας τῆς ἐκ τῶν πλοίων γινομένης τῶν φορτίων ἐκκομιδῆς, πολὺς ὁ καταπλέων ἐστὶν εἰς τὸ ἐμπόριον. καὶ γὰρ ὁ Εὔριπος διστόμως ἔχων τὸν εἴσπλουν, ἐφέλκεται τὸν ἔμπορον εἰς τὴν πόλιν.* Quibus addit hæc de regione, & de illo mari, *ἡ δὲ χώρα πᾶσα αὐτῶν, ἐλαιόφυτος· ἀγαθὴ δὲ καὶ ἡ θάλασσα.*

Tandem de incolis (more suo) verba facit: miro quodam genere loquendi initio utens, quum dicit eos esse *τῶν μαθημάτων ἐντὸς*, idque non *τῷ γένει* solum, sed etiam *τῇ φωνῇ*. Videndum est autem an hæc ita possint intelligi, ut eos hæreditario quodam jure velut pedem habere jam intra disciplinas dicat, simulque (quum varias haberet Græca lingua dialectos) sermone uti qui ipsos ad illas quodammodo præparet. Postea quidem grammaticos esse illos scribit, sed prius *φιλαποδήμους* appellat: quum alioqui illud *γραμματικοὶ* præcedere debuisse videatur, tanquam melius cum illis quæ dixerat conveniens. Injicitur vero & in iis, quæ sequuntur, aliquid scrupuli: quoniam postquam dixit eos fortiter ferre incommoda quæ ob patriam suam patiuntur, hanc tolerantiæ hujus rationem reddit, quod quum a longo jam tempore in servitutem redacti fuerint, & libero ingenio sint præditi, magnum quemdam ad tolerantiam habitum contraxerint: quam tolerantiam vocat *ῥαθύμως φέρειν τὸ προσπίπτον*, quum modo eadem de re agens dixisset *γενναίως φέρειν*: & aliud tamen sit *ῥαθύμως φέρειν*, aliud *γενναίως*. Ideoque fortassis intelligere debemus eos *φέρειν ῥαθύμως ὑπὸ γενναιότητος*, id est, *præ generositate*. Neque tamen hic est ille scrupulus quem dixi: sed in eo quod addit, *τοῖς δὲ τρόποις ὄντες ἐλεύθεροι*, id est, *Ingenio libero præditi*, (ita enim malim interpretari, quam *Moribus liberi*) quoniam tale ingenium cum tali tolerantia minime convenire videtur. Sed crediderim hoc tanquam per parenthesin esse interjectum: perinde ac si dixisset, *In servitutem jampridem redacti*: quæ alioqui ab eorum ingenio valde abhorret, quod minime servile, sed liberum & ingenuum est. Hunc autem suum de Chalcidensibus sermonem claudit Philisci versu, quo eos esse probos Græcos (sive, non malos, ut loquitur Cicero) testatur: atque adeo valde probos:

Χρηστῶν σφόδρ' ἐστὶν ἡ Χαλκὶς Ἑλλήνων πόλις,

Sed ne abundet syllaba, legendum,

Χρηστῶν σφόδρ' ἐστὶ Χαλκὶς Ἑλλήνων πόλις,

Verba autem hujus loci sunt hæc: *Οἱ δ' ἐνοικοῦντες Ἑλλη-*

Ἕλληνες, οὐ τῷ γένει μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ φωνῇ, τῶν μαθημάτων ἐντός· φιλαπόδημοι, γραμματικοί, τὰ προσπίπτοντα ἐκ τῆς πατρίδος δυσχερῆ γενναίως φέροντες. δουλεύοντες γὰρ πολλὴν ἤδη χρόνον, τοῖς δὲ τρόποις ὄντες ἐλεύθεροι, μεγάλην εἰλήφασιν ἕξιν τοῦ φέρειν ῥᾳθύμως τὰ προσπίπτοντα. ὁ στίχος Φιλίσκου,

Χρηστῶν σφόδρ' ἐστὶν ἡ Χαλκὶς Ἑλλήνων πόλις.

CAP. XIV.

De Helladis autem appellatione in sequentibus differit, dicitque primum se Helladem a Peloponneso usque ad Magnetas circunscribere. Sed scriptum est Μαγνήσων ἄμπου: de cujus vocis posterioris emendatione dicam ubi totum hunc locum attulero. Deinde se non immerito Thessaliam quoque sub appellatione illa comprehendere ostendit: *Hellas enim* (inquit) *urbs ab Hellene Æoli filio vocata & condita fuit: eratque regionis Thessalorum, sita inter Pharsalum & Melitæorum urbem. Nam Hellenes sunt qui & ortu & sermone hellenizant, ab Hellene: Athenienses autem, qui Atticam incolunt, Attici quidem sunt ortu, sed sermone atticizant: sicut Dores a Doro oriundi dorizant, æolizant qui ab Æolo, ionizant qui ab Ione Xuthi filio ducunt originem.* Testem paulo post citat Homerum: ejusque testimonio & Euripideum subjungit, paucis interjectis. Verba ejus, repetendo ab initio, sunt hæc: Τὴν μὲν οὖν Ἑλλάδα, ἀπὸ Πελοποννήσου τὴν ἀρχὴν λαβών, μέχρι τοῦ Μαγνήτων ἀφορίζω ἄμπου. τάχα δὲ φήσουσι τινὲς ἡμᾶς ἀγνοεῖν, τὴν Θετταλίαν τῆς Ἑλλάδος καταριθμοῦντας· ἄπειροι τῆς τῶν πραγμάτων ὄντες ἀληθείας. ἡ γὰρ Ἑλλὰς τὸ παλαιὸν οὖσά ποτε πόλις, ἀφ' Ἕλληνος τοῦ Αἰόλου ἐκλήθη τε καὶ ἐκτίσθη, τῆς τῶν Θετταλῶν οὖσα χώρας· ἀναμέσον Φαρσάλου τε κειμένη καὶ τῆς τῶν Μελιταίων πόλεως. Ἕλληνες μὲν γάρ εἰσιν οἱ τῷ γένει καὶ ταῖς φωναῖς ἑλληνίζουσιν, ἀφ' Ἕλληνος· Ἀθηναῖοι δέ, οἱ τὴν Ἀττικὴν κατοικοῦντες, Ἀττικοὶ μὲν εἰσι τῷ γένει, ταῖς δὲ διαλέκτοις ἀττικίζουσιν· ὥσπερ Δωριεῖς μέν, οἱ ἀπὸ Δώρου, τῇ φωνῇ δωρίζουσιν· αἰολίζουσι δὲ οἱ ἀπὸ Αἰόλου· ἰωνίζουσι δὲ οἱ ἀπὸ Ἴωνος τοῦ Ξούθου φύντες. ἡ οὖν Ἑλλὰς ἐν Θετταλίᾳ ἦν ὅτε ποτὲ ἦν, οὐκ ἐν τῇ Ἀττικῇ. ὁ γοῦν ποιητὴς φησί,

Μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο, καὶ Ἕλληνες, καὶ Ἀχαιοί, Μυρμιδόνας μὲν λέγων εἶναι τοὺς περὶ τὴν Θετταλίαν Φθίαν κατοικοῦντας· Ἕλληνας δέ, τοὺς μικρῷ πρότερον ῥηθέντας· Ἀχαιοὺς δέ, τοὺς καὶ νῦν ἔτι κατοικοῦντας Μελιτίαν τε, καὶ Λάρισσαν τὴν Κρεμαστὴν καλουμένην, καὶ 1 Θήβας τὰς Ἀχαΐδας, πρότερον Φυλάκην καλουμένην· ὅθεν ἦν καὶ Πρωτεσίλαος, ὁ στρατεύσας εἰς Ἴλιον. ἔστιν A οὖν ἡ Ἑλλὰς ὑφ' Ἕλληνος οἰκισθεῖσα πόλις τε καὶ χώρα. μαρτυρεῖ δὲ καὶ Εὐριπίδης,

Ἕλλην γάρ, ὥς λέγουσιν, γίγνεται Διός.
Τοῦ δ' Αἴολος παῖς, Αἰόλου δέ, Σίσυφος,
Ἀθάμας τε, Κρηθεύς θ', ὅς τ' ἐπ' Ἀλφειοῦ ῥοαῖς
Θεοῦ μανεὶς ἔρριψε Σαλμωνεὺς φλόγα.

Ἑλλὰς μὲν οὖν ἐστιν, ὥσπερ μικρῷ πρότερον εἰρήκαμεν, ἣν ὁ Διὸς Ἕλλην ἔκτισεν· ἀφ' οὗ τὸ ἑλληνίζειν τὴν προσηγορίαν εἴληφεν. Ἕλληνες δ' οἱ ἀφ' Ἕλληνος. οὗτοι δέ εἰσιν, Αἴολος καὶ Σίσυφος· ἔτι δὲ Ἀθάμας καὶ Σαλμωνεύς, καὶ οἱ τούτων φύντες ἔκγονοι. Pro illa voce ἄμπου, vel potius pro illis litteris nihil significantibus, B videndum an reponi debeat στομίου, ex sequentibus, an Ὁμολίου. Nam propius quidem literæ illæ ad στομίου accedunt: sed ibi Θετταλῶν στομίου dicitur, at Μαγνήτων Ὁμολίου.

In sequentibus, quæ sit Hellas, & quid sit ἑλληνίζειν, pergit exponere, (contra opinionem eorum qui Thessaliam esse Helladis negabant) Posidippi etiam versus huc pertinentes afferens: in quibus non solum τοῦ ἑλληνίζειν, sed etiam τοῦ ἀττικίζειν fit mentio. Verum tertii versus principium aperte mendosum est: sic tamen ut valde obscura mihi sit & aliis itidem (ut opinor) futura sit ejus emendatio. Sed jam ad ejus verba, quibus non C solum hunc sermonem, sed hæc de Græcis urbibus geographica scripta claudit, veniendum est: Ἡ δὲ καλουμένη νῦν Ἑλλάς, λέγεται μέν, οὐ μέν τοι ἐστί. τὸ γὰρ ἑλληνίζειν ἐγὼ εἶναι φημὶ οὐκ ἐν τῷ διαλέγεσθαι ὀρθῶς, ἀλλ' ἐν τῷ γένει τῆς φωνῆς. αὕτη ἐστὶν ἀφ' Ἕλληνος. ἡ δὲ Ἑλλὰς ἐν Θετταλίᾳ κεῖται. ἐκείνους οὖν ὁρῶμεν τὴν Ἑλλάδα κατοικεῖν, καὶ ταῖς φωναῖς ἑλληνίζειν. εἰ δὲ καὶ κατὰ τὸ ἴδιον τοῦ γένους τῆς Θετταλίας ἡ Ἑλλάς ἐστι, δίκαιον καὶ κατὰ τὸ κοινόν, ὡς νῦν ὀνομάζονται Ἕλληνες, τῆς Ἑλλάδος αὐτὴν εἶναι. ὅτι δὲ πᾶσα ἣν κατηριθμήμεθα, Ἑλλάς ἐστι, μαρτυρεῖ ἡμῖν ὁ τῶν κωμῳδιῶν ποιητὴς Ποσείδιππος, μεμφόμενος Ἀθηναίοις ὅτι τὴν αὐτῶν φωνὴν καὶ τὴν πόλιν φασὶ τῆς Ἑλλάδος εἶναι. λέ- D γων οὕτως,

Ἑλλὰς μέν ἐστι μία, πόλεις δὲ πλείονες.
Σὺ μὲν ἀττικίζεις, ἡνίκ' ἂν φωνὴν λέγῃς
2 Αὐτοῦ τινες. οἱ δ' Ἕλληνες ἑλληνίζομεν.
Τί προσδιατρίβων συλλαβαῖς καὶ γράμμασι,
Τὴν εὐτραπελίαν εἰς ἀηδίαν ἄγεις;

πρὸς μὲν τοὺς οὐχ ὑπολαμβάνοντας εἶναι τὴν Θετταλίαν τῆς Ἑλλάδος, οὐδὲ τοὺς Θετταλοὺς, Ἕλληνος ἀπογόνους ὄντας, ἑλληνίζειν, ἐπὶ τοσοῦτον εἰρήσθω. τὴν δὲ Ἑλλάδα ἀφορίσαντες ἕως τῶν Θετταλῶν στομίου, καὶ τοῦ Μαγνήτων Ὁμολίου τὴν διήγησιν πεποιημένοι, καταπαύομεν τὸν λόγον.

ΔΙΚΑΙΑΡΧΟΥ
ΑΝΑΓΡΑΦΗ ΤΗΣ ΕΛΛΑΔΟΣ,
ΠΡΟΣ ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΝ.

Διὰ παντός, ὦ Θεόφραστε, καθάπερ οἶσθα σύ,
Ἰδιόν τι πλάττων, κ' οὐχὶ τῶν ἑτέρων πόνον
(Ὅπερ ἔνιοι ποιοῦσιν) ἐμαυτοῦ τιθέμενος,
Νυνὶ 3 πεπόρηκα τὴν ἅπασαν Ἑλλάδα,
Ὑποταττομένας ταύτῃ δὲ τὰς πόλεις,
4 Στοιχεῖον οὐκ ἄμουσον ἀμαθ' Ἑλληνικῶν,
Ἱκανήν τε παρέχων διατριβὴν τοῖς δυναμένοις.
Ὀρθῶς συνιδεῖν ἕκαστα. τὰ γὰρ ἐν πλείοσιν
Ὑπὸ τῶν παλαιῶν συγγραφέων εἰρημένα,
Ταῦτ' ἐμμέτρως ῥηθήσετ' ἐν βραχεῖ χρόνῳ·
Ὅπερ ἐστὶν ἱκανῶς δύναμιν ἰσχυρὰν ἔθου.
Ὑπολαμβάνω γὰρ ἀσφαλῶς ὑμῖν ἔχειν
Κεῖσθαί τε τὰς μάλιστα διασήμους πόλεις,
F Ἄλση, ποταμούς, νήσους τε, τοὺς διάπλους τε καὶ

1 Thebas Ἀχαΐδας appellat quæ aliis Phthiotides dicuntur: nempe quia Φθιῶτις ipsa Ἀχαϊκὴ dicebatur. Sed quod adjicit, πρότερον Φυλάκην, refragantur veteres Geographi, qui Phylacen & Thebas Phthiotidas vicina oppida, non eadem esse volunt. Quin Strabo intervallum inter utrumque refert stadiorum centum.

2 Lego Σεαυτοῦ, vel τῆς σεαυτοῦ,

3 Non ignoro πεπορεῖν legi apud Hesychium: malim tamen πεπόρικα, hoc est, *edidi*, & in usus studiosorum publicavi: vel potius πεπόνηκα, quæ est Henrici Stephani conjectura, ut sit πεπόνηκα τὴν ἅπασαν Ἑλλάδα, pro βιβλίον vel σύγγραμμα περὶ ἁπάσης τῆς Ἑλλάδος. Sequenti versu lego, ταύτῃ τε τὰς π. non δέ.

4 Lego Στοιχεῖον οὐκ ἄμουσον, ἀμαθ' Ἑλληνικόν.

Λιμένας ἃ, τ' ἐστὶν ἐν Πελοποννήσῳ γενῇ
1 Λεγόμενα καὶ ὁμοροῦνθ' ἑαυτοῖς κατὰ τόπους.
2 Ἵνα μεδὲν σε τὸ σύνολον διαλανθάνῃ,
Φανερῶς ἑκάστων ὁμολόγους τε κειμένων,
Ὡς τ' ἀναλαβόντα καὶ διὰ μνήμης ἔχειν.
Ναθρὰν γὰρ οὐκ οἶδ' εἰ ποιεῖς αὖ ἀλλ' ἐσπουδασμένην
Τὴν πραγματείαν. διὸ σεαυτὸν μὴ βραχὺ
Ὁλοσχερῶς δ' ἐπὶ ταῦτα δοὺς καὶ σπουδάσας,
Συμφιλομάθησον· καθάπερ εἴωθας ποιεῖν.
Τῆς Ἑλλάδος ἐστὶν Ἀμβρακία πρώτη πόλις.
Αὕτη δ' ἀποικία λέγεται 3 τῶν Κορινθίων
Εἶναι. κατὰ τὸν κόλπον δὲ τὸν καλούμενον
Ἀμβρακικὸν ᾤκισται μέση, σταδίους δ' ἔχει
Ἀπὸ τῆς θαλάσσης ὀγδοήκοντ'. ἐπιφανὲς
Δ' ἱερὸν Ἀθηνᾶς ἐστ' ἐν αὐτῇ, καὶ λιμὴν
Κλειστός. καλεῖται Δρυοπὶς ἡ χώρα δ' ὅλη.
Ἡ δ' Ἑλλὰς ἀπὸ τῆς Ἀμβρακίας εἶναι δοκεῖ
4 Μάλιστα συνεχὴς τὸ πέρας. αὕτη δ' ἔρχεται
Ἐπὶ τὸν ποταμὸν Πηνειὸν, ὡς Φιλέας γράφει·
Ὄρος τε Μαγνήτων Ὁμόλην κεκλημένον.
Τινὲς δὲ τὴν Μαγνησίαν τῆς Ἑλλάδος
Λέγουσιν εἶναι, τὸν δὲ Φιλέαν ἀγνοεῖν,
Ἀποχωρίσαντα. τοῦτο δ' εἶναι συμφανὲς
Τοῖς φιλομαθέσι μάλιστα φιλοτιμουμένοις.
Πλὴν ἐπὶ τὰ λοιπὰ τοῦ λόγου προβήσομαι.
Ἀπ' Ἀμβρακίας εἰς Θετταλίαν τριῶν ὁδὸς
Ἔσθ' ἡμερῶν. ἔχει δὲ ποταμὸν λεγόμενον
5 Ἀπαρθὸν εἰς θάλασσαν ἐξιόντα.
Ὄρος προσεστιν ἱερὸν ἐπικεκλημένον.
Σταδίων δ' ὁ παράπλους ἐστὶν ἑκατὸν εἴκοσι.
Εἶτα μετὰ τοῦτον εἰσιν 6 Ὀρεῖται λεγόμενοι,
Ἔτ' Ἀμφίλοχοι. Ἄργος δ' ἐνταῦθά ἐστι τὸ
Ἀμφιλοχικόν. 7 μετὰ τούτους δ' Ἀκαρνᾶνες. πόλεις
Οὗτοι δ' ἔχουσι πλείονας, καὶ Λευκάδα,
Ἀφ' ἧς μέγας ἐστὶ κόλπος εἰς Ἰσθμὸν φέρων.
Νῆσοι Κεφαλλήνων δ' ἐν αὐτῷ κείμεναι·
8 Ἰθάκη σταδίων δ' ὀγδοήκοντα, στενὴ,
Ὕψος δ' ἔχουσα καὶ λιμένας τρεῖς, ἐχομένη.
Πρὸς τὴν πέραν δ' οἰκοῦσι τῆς Αἰτωλίας.
Ἱερὸν δ' ὑπεστιν Ἡρακλέους καλούμενον,
Ἕτερον δ' Ἀφροδίτης. 9 ποταμὸν δ' ἡ χώρα ἔχει
Ἀχελῷον. ἡμερῶν δέκα καὶ νυκτῶν δύο
Ἔσθ' ὁ παράπλους αὐτῆς. ἔχεται δ' Αἰτωλία,
Ἐν ᾗ πόλις ὑπόκειται Πλευρὼν, καὶ ἱερὸν
Ἅγιον Ἀθηνᾶς ἐστὶν ὠνομασμένον.
10 Ἔπειτα Καλυδὼν, εἶτα Κίδης, αἵ τ' Ἐχινάδες
Νῆσοι· ποταμός τ' Εὔηνος ἐκ Πίνδου ῥέων.
Οὗτοι Δολόπων οἰκοῦσι πρὸς μεσημβρίαν.

A Παράπλους δὲ ταύτης ἐστὶν ἡμέρας μιᾶς,
Εἶτα μετὰ ταύτην ἡ Λοκρὶς καλουμένη,
Ἐν ᾗ πόλις Ναύπακτος· εἶθ' ὑποκείμενος
Λιμὴν μέγας, πόλις τε Κολοφών. μετὰ δὲ τὴν
Κολοφῶνα [11] ποταμὸς ἔσθ' Ὑλαῖτος λεγόμενος.
Τοῦτον δὲ ῥεῖν λέγουσιν ἐξ Αἰτωλίας.
Ὁ πᾶς δὲ παράπλους οὐδ' ὅλης ἔσθ' ἡμέρας.
Οὗτοι [12] κατοικοῦσι δὲ πρὸς μεσημβρίαν
Αἰτωλίας, Λέλεγες πρὶν κεκλημένοι.
Ἔπειτα Φωκεῖς ἐκ Λελέγων [13] φερόμενοι,
Παρ' οἷς πεδίον Κρισαῖον. ἀπὸ Κίρρας δ' ἄνω
Προσβάντι Δελφῶν πόλις ἄπεισι, καὶ ἱερὸν,
Ἐν ᾧ τὸ μαντεῖον, ὅ, τε Παρνασσὸς, μέγα
B Καὶ σύσκιον ὄρος. εἶτα νυμφῶν ἐχόμενον
Κωρύκιον ἄντρον· εἶτ' ἔστ' Ἀντικίρρα πόλις,
Ποταμός τε Κηφισὸς, ὁ ῥέων ἐκ Φωκίδος.
Παράπλους δὲ ταύτης, ἡμέρας ἔστ' οὐχ ὅλης.
Ἐν τῇ μεσογείᾳ δ' ἐστὶ Κυπάρισσος πόλις,
14 Κάρισσά τε· μετ' αὐτὴν δ' Αὐλὶς ἡ Βοιωτία
Χώρα δὲ μετὰ Φωκεῖς ἀπόκειται, κειμένη
Τῆς Φωκίδος χώρας πρὸς ἕω. κ' ἐστὶν δύο
Ἐπίσημ' ὄρη· τὸ μὲν, Ἑλικὼν καλούμενον,
Ἕτερον, Κιθαιρών. εἶτ' ἔστ' Ὠρωπὸς πόλις,
Καὶ τῆς θαλάττης ἀπέχον ἱερὸν οὐ πολὺ
Ἔστ' Ἀμφιαράου, ὁ νεὼς, καὶ τὸ τέμενος.
C Αὐλίς τε Βοιωτῶν πόλις, πρὸς ᾗ λιμὴν,
Κ' Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἅγιον, ὃ λέγεται κτίσαι
Ἀγαμέμνων. εἶτ' Ἐμπερίσιον καλούμενον
Ἀκρόταπον, εἶτ' Εὔριπος. Ἀνθηδὼν δ' ἔχει
Ἀνθηδόνιον τὸν λιμένα· καὶ μετ' οὐ πολὺ
Τάναγρα. κεῖται δ' ἐν μεσογείᾳ πάνυ καλὴ
Πόλις, μεγάλαι Θῆβαι, σταδίων τὸ περίμετρον
Ἔχουσα τετταράκοντα, καὶ προσέτι τριῶν.
Κῶπαι δὲ πόλις, κ' Ὀρχομενός. εἶτα μετὰ δύο
Πόλις Λεβαδία καὶ ἱερὸν Τροφωνίου,
Ὅπου τὸ μαντεῖον λέγουσι γεγονέναι.
Εἶτ' Ὠκαλέα πόλις ἐστὶ, καὶ Μεδεών. μετὰ
Ταύτην ὑπόκειται [15] Θέσπεια, κατ' ἐχομένη
D Ἡ προσαγορευομένη Πλαταιαί. μετὰ δὲ τὰς
Πόλεις ὑπόκειται [16] Νῖσα. μῆκός ἐστι τῆς
Βοιωτίας στάδι', ὡς λέγεται, πεντακόσια,
Διακόσια καὶ ἑβδομήκοντ' ἐστὶ τὸ πλάτος.
17 Ποταμοὺς δ' ἔχει, τὸν μὲν, λεγόμενον Ἰσμενὸν,
Λεωπόν τε Ἀσωπόν τε, πεδία εὔυδρα παρακείμενα.
Ἔστιν δ' ἔπειτα χώρα Μεγαρέων. ἐστί τ' ἐντεῦθεν
Ἀρχὴ τῆς Πελοποννήσου, λιμὴν
Χυτὸς ὑπόκειται, καὶ Λέχαιον λεγομένη πόλις.

---

1 Fortasse ἐχόμενα.

2 Claudicat versus: lego igitur, Ἵνα μηδὲ ἕν σε τὸ σύνολον διαλανθάνῃ.

3 Dele τῶν ante Κορινθίων: versum enim vitiat.

4 Fortasse ita melius distingueretur, Μάλιστα συνεχής· τὸ πέρας αὐτῆ δ' ἔρχεται.

5 Lege, & supple ita, Ἄραχθον εἰς θάλασσαν ἐξιόντα. ὦ. hæc est vera lectio: adi Geographos.

6 Fortasse Ὀρέσται.

6 Lege μετὰ τοὺς δ' Ἀκαρνᾶνες: ita postulante metri lege: τοὺς pro τούτους passim apud poetas.

8 Lege ita hos versus,

Ἰθάκη δὲ σταδίων ὀγδοήκοντα στενὴ,
Ὕψος δ' ἔχουσα, καὶ λιμένας τρεῖς, ἐχομένη.

Ἰθάκη ἐχομένη ἐστὶν, hoc est, ἔχεται ἡ Ἰθάκη, *Deinceps est Ithaca*. Sic infra, κατ' ἐχομένη Ἡ προσαγορευομένη Πλαταιαί.

9 Lege ποταμὸν ἡ χώρα δ' ἔχει.

10 Lego Ἔπειτα Καλυδὼν. εἶτα δ' αἵ τ' Ἐχινάδες. Nam Κίδης nihili vox est, & versum corrumpit. Deinde in Ἐχινάδες τὸ ι producitur. Dionysius Periegeta, Νήσων ἃς καλέουσιν Ἐχινάδας.

11 Scribo ποταμός ἐσθ' Ὕλαιθος λ.

12 Scribe κατοικοῦσιν.

13 Deest syllaba, ut sit integer senarius: for-

E tasse πρὶν φερόμενοι: etsi locus est mihi de menda suspectus. Nam φύντες ποτὲ, vel nescio quid ejusmodi scripsisse poeta videtur.

14 Metri lex postulat Κάρισα, uno σ. quod non est durius quam quod mox sequitur, Ἰσμενὸν, pro Ἰσμηνόν.

15 Scribe Θεσπιαὶ, ut metro consulas. Idem locus & Θέσπεια & Θεσπιαί quondam dictus, ut notat etiam Strabo.

16 Videamus quæ sit hæc Nisa: non enim Nisæam Megarensium navale intelligit: etsi suadere id videtur, quod statim Megara commemoret. Videtur potius esse Nisa illa Bœotica, cujus meminisse poetam volebant qui ita hoc ejus carmen in
F Bœotia legebant:

Νῖσάν τε ζαθέην, Ἀνθηδόνα τ' ἐσχατόωσαν.

Straboni aliter videtur, quem si lubet consule.

17 Quæ sequuntur multis mendis sunt deformata; nos ea hic apponemus ut sunt legenda:

Ποταμοὺς δ' ἔχει, τὸν μὲν, λεγόμενον Ἰσμενὸν,
Ἕτερον δ' Ἀσωπὸν, πεδί' εὔυδρα παρακείμενα.
Ἔστιν δ' ἔπειτα χώρα Μεγαρέων. ἐστί τε
Ἐντεῦθεν ἀρχὴ τῆς Πελοποννήσου. λιμὴν
Χυτὸς ὑπόκειται, καὶ Λέχαιον λεγομένη πόλις.

HENRICI STEPHANI
AD DICÆARCHUM
ET
SUAM IN ILLUM LUCUBRATIONEM
APPENDICULA.



A ICÆARCHO adjici multa, vel potius quamplurima, possent, si cæteri scriptores Græci in describenda Græcia idem sibi quod ille argumentum, potissimum proposuissent, τῆ Ἑλλάδος βίον describere: quem titulum suo de Græcia operi dedisse, Athenæus quoque testatur. Sed contra, quod illi ἔργον fuit, illis πάρεργον tantum esse videmus. Unde fit ut multa vel ex paucis hisce illius operis reliquiis discamus non minori B cum utilitate quam delectatione, quorum notitiam consequi ex nullo reliquorum possemus. Quod si vitam Græciæ & ipsi memoriæ prodidissent, non eadem fortasse de illa ubique tradidissent: quum posteriores illo fuerint, & tanto quidem intervallo, ut aliquam morum & institutorum circa res quasdam intervenisse mutationem, absimile vero non sit.

Haud pauca sunt nihilominus in reliquorum descriptione, de quibus inter illos convenit: sic tamen ut quisque aliquid sibi peculiare afferre alicubi dici possit. Tale est quod apud nostrum Dicæarchum in principio occurrit, ὁ καλύμενος Παρθενὼν, C ὑπερκείμενος τῦ θεάτρυ: ab aliis enim hoc non adjicitur. At vero Plutarchus in *Pericle*, tanquam epithetum addens, ἑκατόμπεδον appellat hunc Παρθενῶνα: (sicut ab eo ipso in opusculo, quo differit *bellone an sapientia Athenienses clariores fuerint*, Παρθενῶνες ἑκατόμπεδοι dicuntur) quum tamen in *Catone majore* audiamus etiam vocantem τὸ ἑκατόμπεδον, sine adjectione illius vocabuli, quod alioqui proprium ejus nomen est: sive νεὼν voluerit a lectore ὑπακύεσθαι, sive adjecerit quidem, sed librarii incuria id omiserit. Alioqui certe videri queat τὸ ἑκατόμπεδον dicendum potius fuisse. Ac videtur Suidas hoc, sicut & illud, agnoscere: sed non recte hujus appellationis rationem redde- D re: in eo quod scribit, non propter magnitudinem, sed propter pulchritudinem & concinnitatem nomen hoc impositum illi fuisse. At Hesychius, ἑκατόμπεδον (inquit) τὸ θέατρον, ἢ ἑκατὸν ποδῶν. Quam scripturam esse mendosam suspicor, & in ea voces aliquot desiderari: quum ille in priori quidem hujus nominis expositione tale quid quale apud Dicæarchum legimus, scripsisset: at in posteriori latius patere, & de omni ædificio, vel potius omni re quæ esset in centum pedes extensa sive exporrecta, admonuisset. Sed adversus hanc posteriorem expositionem merito objectum iri quis dixerit, ni- E hil tale adjici debuisse: (utpote quod manifeste illo vocabulo includatur) aut addi plura oportuisse. Quamvis autem tot ex locis Parthenonem templum fuisse constet, quidam tamen sacellum appellarunt: quod (ut opinor) Strabonis verba non intellecta eos in errorem impulerint: quasi hæc verba, καὶ ὁ Παρθενὼν, & ipsa ad præcedentia hæc, ἐν ᾧ, referrentur.

Addam & hoc, (ut ostendam verum esse quod dixi, hunc vel illum alicubi peculiare quidpiam suæ descriptioni sive narrationi adjicere) quum alii ædificationem Parthenonis Ictino tantum tribuant, a Plutarcho Callicrati & Ictino tribui.

Sunt vero & quædam a duobus tantum scripta: de quibus dubites an utrique, an alterutri tantum fidem adhibere oporteat: &, si alterutri tantum adhibendam censeas, tum vero, utri, ambigas. Exempli gratia, Pausanias simulacrorum Dianæ facit mentionem, quæ ἀρίστη & καλλίστη dicebatur: aitque hæc esse in ejus septo, quod occurrit descendentibus in Academiam, quæ quum suo tempore foret gymnasium, fuerat quondam privati cujusdam prædium. At vero apud Plinium inter Phidiæ opera legimus & *Minervam tam eximiæ pulchritudinis, ut a forma cognomen acceperit*. Ex quibus verbis colligimus dictam fuisse hanc ΑΘΗΝΑΝ ΚΑΛΛΙΣΤΗΝ, & ita cognomen cum Diana commune habuisse. Sed aliquis hic non immerito fortasse dubitabit an credendum utrique sit, an potius existimandum, alteri tantum harum dearum cognomen istud impositum fuisse, & ita horum scriptorum alteri fidem derogari debere: præsertim quum Pausanias aliquam dubitandi occasionem præbere videatur: & suspicari possit quispiam, quum antea Diana illa solam ἀρίστης haberet ἐπίκλησιν, additam esse alteram, quæ a Minerva ad illam translata esset.

Adeo autem multi adeo multa de Athenis scripserant, ut Strabo de hac civitate verba facere incipiens, cautionem sibi adhibendam esse ostendat, in tanta multitudine, ne, si copiosior fuerit quam par sit, contingat τῆ προθέσεως ἐκπεσεῖν τὴν γραφήν. Prudenter itaque (meo quidem judicio) Plinius in illam τῶν περὶ τῆ πόλεως ταύτης υμνουμένων multitudinem ingredi nolens, hisce contentus est, *Libera hæc civitas, nec indiga ullius præconii amplius: tanta claritas superfluit*. Prudenter, inquam: quoniam tam spatiosus campus, tam magna area in Athenarum laudes, sive in encomiasticam Athenarum descriptionem, patebat, ut non pauca quæ veritatem rei vix æquarent, hyperbolice contra dici viderentur. Ac mihi certe ipsi contingеt fortasse idem in eo quod dicturus sum: nimirum ut, quum id quod verissimum est dixero, auxesi tamen hyperbolica usus existimer. Id autem ad eum in quo versor sermonem pertinet, estque hujusmodi: quamvis tam multis elogiis a tot præstantissimis viris illa civitas ornata fuerit, inter quæ primas tenere illud censetur, quo GRÆCIA GRÆCIÆ (Ἑλλὰς τῆ Ἑλλάδος) appellata fuit: tamen hominem Judæum alia omnia suo superasse videri, vel potius suis duobus, quorum unum est hoc, QUOD PUPILLA IN OCULO, HOC IN GRÆCIA ATHENÆ. Alterum est, QUOD IN ANIMO MENS, HOC IN GRÆCIA ATHENÆ. Sed apud eum istæ duæ comparationes conjunguntur: & in posteriori dicitur, ἢ ἐν ψυχῇ λογισμὸς, ubi λογισμὸς reddi etiam potest *Ratio*, vel *Ratiocinatio*. Major certe multo gloria hæc est Athenarum,

quam vel in iis quæ Dicæarchus de illis scribit, col (13.) lit. A.

Atque hoc quidem elogium Athenarum sive encomium ignorasse puto Strabonem, non minus quam Dicæarchum & Pausaniam: sed ille vicissim quandam Massiliæ laudem tribuit, quam ipsi cognitam, verum aliis plerisque (non Dicæarcho tantum & Pausaniæ) incognitam dicere possumus. Quorsum autem hic Massiliæ mentio? quoniam laudem illam, qua de agitur, Athenienses Massiliensibus communicasse, vel potius hi illis eripuisse dici queunt. Nam quum Romæ tanti fierent Athenæ ut dedecus quoddam esset literarum studiosis, Athenis commoratum non esse, (quod vel ex poetis ipsis discimus) scribit Strabo, Massiliam suo tempore fecisse ut clarissimi quique Romanorum viri qui discendi cupidi essent, in animum inducerent ad ipsam commeare, quum alioqui Athenas peregrinaturi fuissent. Ac quamvis alias etiam quasdam urbes σχολὰς καὶ διατριβὰς τῶν φιλοσόφων καὶ τῶν λόγων habuisse testetur, (præsertimque Tarsum & Alexandream) nulla tamen est cui id honoris contigisse scribat.

Interim vero considerandum hoc est, Romanos qui literarum studiosi essent, non tantum honorificum sed necessarium quodammodo existimasse, Athenas proficisci, nisi aliam urbem nanciscerentur, quæ illius officio fungi in præstanda ipsis eadem opera posset. Ac, licet Strabo dicat tantum τοὺς γνωριμωτάτους Ῥωμαίων πέπεικεν, ἀντὶ τῆς εἰς Ἀθήνας ἀποδημίας ἐκεῖσε φοιτᾶν, φιλομαθεῖς ὄντας, (quæ paulo ante sum interpretatus) tamen & quosdam, qui φιλομαθεῖς quidem, sed non item γνωριμώτατοι essent, (id est, *clarissimi*, sive *celeberrimi*: quamvis quidam *nobilissima* reddere maluerint) libenter illuc peregrinatos esse constat. Atque in horum numero Propertius posse a nobis poni videtur: cujus quædam elegia initium istud habet:

Magnum iter, ad doctas proficisci cogor Athenas:
Ut me longa gravi solvat amore via.

Ac versibus aliquot interjectis diversa recenset: in quorum aliquo tempus & operam, dum illic commorabitur, est positurus:

Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis.
Persequar aut studium linguæ, Demosthenis arma,
Librorumque tuos, docte Menandre, sales.
Aut certe tabulæ capient mea lumina pictæ,
Sive ebore exactæ seu magis ære manus.
Aut spatia annorum, aut longa intervalla profundi
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.

Nec omittam quod hæc præcedit distichum, in quo longa brachia viæ Theseæ vocare existimatur, quæ Græci Μακρὰ τείχη dixerunt:

Inde ubi Piræi capient me littora portus,
Scandam ego Theseæ brachia longa viæ.

Ad Strabonem autem ut revertar, libet ex eo afferre quæ de diverso citatis diversis temporibus statu scribit, paucis verbis longam alioqui historiam complectens. Ideo autem hæc ex eo afferenda putavi, quod talium cognitio cum institutorum illius cognitione juncta esse videatur. Ita igitur ille: Ἐβασιλεύοντο μὲν οὖν Ἀθηναῖοι πρότερον, &c. Id est, *Prius igitur sub regio dominatu erant Athenienses, deinde in popularem reipubl. administrationem transierunt. Quum autem aggressi eos essent tyranni, Pisistratus ejusque filii, & aliquanto post ad paucorum imperium res devenissent, & quadringentorum, & illorum triginta quos Lacedæmonii imposuerunt tyrannorum, hos facile summoverunt, & popularem illam administrationem usque ad Romanorum imperium servarunt. Nam etiamsi Macedonicis regibus aliquid negotii ipsis facessentibus parere sunt coacti, reipubl. tamen totam formam, eandem conservabant. Ac sunt qui tradant, optimam fuisse illorum gubernationem per illud decennium, quo Macedonibus Cassander imperavit. Hic enim vir cæteris quidem in rebus tyrannice potius quam regie se gessisse videtur, sed Athenienses erga moderatione usus est, postquam eorum urbem in potestatem suam redegit. Ex civibus enim præfecit Demetrium Phalereum, Theophrasti philosophi familiarem: qui tantum abest ut popularem reip. administrationem aboleverit, ut etiam emendarit: quemadmodum ab eo scripti de hoc reip. genere commentarii declarant. Verum invidia & odium adversus paucorum dominatum conceptum, tantum valuerunt, ut post Cassandri mortem in Ægyptum fugere coactus sit. Quin etiam statuas ejus plus quam trecentas dejecerunt ii qui adversus illum insurrexerant, atque conflaverunt, & quidem (ut nonnulli addunt) in matulas. Romani igitur, quum eos populari reip. forma utentes in ditionem suam accepissent, permiserunt ut suis legibus sicut antea viverent, suaque libertate foverentur. Verum ingruens bellum Mithridaticum tyrannos illis præfecit quos regi libitum fuit. Horum maximam potentiam consequutum Aristionem, & qui adversus hanc urbem violenter se gesserat, Syllas Romanorum dux, quum urbem obsidione cepisset, supplicio affecit, civitati autem veniam dedit. Atque ad hunc usque diem libertate potitur, & apud Romanos est in honore.*

In his verbis. ἡ πρὸς ὀλίγους ἀπέχθεια, permisi mihi pro *paucis* dicere *paucorum dominatum*, ut locum interpretarer simul & exponerem: quum minime dubium sit quin de illis paucis qui reipubl. gubernacula tenerent, intelligendum hoc sit: adeo ut sub ὀλίγων appellatione significari ὀλιγαρχίαν dicere possimus. Verum quomodo conceptum erat adversus paucos odium, tanquam reip. gubernacula tenentes, quum Demetrii Phalerei tantum facta sit mentio, nec alium quam eum a Cassandro rege præfectum civitati fuisse dictum sit? Strabo certe (nisi fallor) vult κατὰ τὸ σιωπώμενον a nobis intelligi, Demetrium illo Cassandri beneficio non plene esse usum, ita ut in se totam potestatem transferret, verum eam cum paucis quibusdam a se adscitis communicasse: ut minus odiosa populo illa civitatis administratio esset. Nisi forte existimandum est illos λόγῳ quidem, sed non etiam ἔργῳ, in partem illius potestatis atque auctoritatis venisse: etiamsi a populo nequaquam hoc animadverteretur.

At vero Interpres Xylander ita hunc locum vertit quasi a Demetrio inimicitiæ adversus paucos quosdam susceptæ fuerint. Ita enim ille, *Verum invidia & cum paucis susceptæ inimicitiæ tantum valuerunt ut Cass.*

Paulo post autem, si non ἐπαναστάντες haberemus, sed ἀναστάντες, crederem perperam scriptum esse pro ἀναστήσαντες: ut intelligeremus, statuas ab illis ipsis qui eas erexissent esse dejectas, sive deturbatas: sed hunc verbi compositi ἀναστῆσαι usum dari & bicomposito ἐπαναστῆσαι non memini.

Cæterum moris est Straboni in mentione alicujus civitatis, earum potissimum quæ celebriores sunt, simul etiam quorundam qui in ea, præsertimque doctrinæ ergo, claruerint, mentionem facere: potius quam mores & instituta ipsarum civitatum commemorare. Ubi tamen de Thebanis agit, pauca de quadam re disserit quæ mori-

bus eorum defuit, & cui defectus in causa fuerit cur imperium diu non conservarint. Suæ autem dissertatiunculæ occasionem ex quodam Ephori dicto sumit. Nam de Bœotia loquens, scribit, Ephorum de ea dixisse, brevem ejus potentiam ideo fuisse: *Διὰ τὸ ἀγωγῇ καὶ παιδείᾳ μὴ χρήσασθαι*, vel *ἀγωγῇ ἐπιτηδείᾳ*, ut in vet. exempl. Sed totum interpretari locum libet: & quidem eo libentius id faciam, quod Interpretes in ejus principio videam graviter impegisse: *Regionem igitur*, inquit, *propter ista laudat, & naturali quadam commoditate ad imperium obtinendum instructam esse dicit: sed quod apta institutione ac disciplina usi non sint, (quum ne eos quidem qui per vices perpetuas ipsis præficerentur, tali uti contingeret) etiamsi aliquando res prospere gesserint, brevi temporis spatio permansisse. Atque id Epaminondam ostendisse: quum eo mortuo Thebanis statim acciderit ut imperium amitterent, ejus gustu duntaxat percepto. In causa autem hoc esse, quod colloquendi & conversandi cum hominibus nullam curam habuerint, sed unius bellicæ virtutis studiosi fuerint. Verum addendum erat, istud erga Græcos potissimum magno emolumento fuisse. Erga barbaros enim vis oratione plus pollet. Ac Romani quoque olim quidem, quum adversus agrestiores gentes bello gererent, hoc institutionis genere opus non habebant: sed ex quo cum mansuetioribus gentibus negotium illis esse cœpit, huic quoque institutioni animum adjecerunt, & omnium domini evaserunt:* At vero Xylander, qui postremus hunc scriptorem est interpretatus, hujus loci principium ita reddit: *His ille nominibus eam regionem laudat: aitque eam ad imperium obtinendum optime fuisse paratam: sed quod incolæ non uterentur institutione ac disciplina: (quando ne duces quidem singulis temporibus suos tolerare potuerunt, rebus quantumvis præclare ab his gestis) ideo non durare eorum potuisse potentiam.* Sic quum ne hic quidem Interpres animadverteret, cum his verbis, *ἐπεὶ μηδὲ τοὺς ἀεὶ προϊσταμένους αὐτῆς* (videlicet *τῆς χώρας*) subaudiendum esse, *χρήσασθαι*, præcedente participio *χρησαμένους* facultatem hujus subauditionis nobis præbente: sensum quendam Straboni ipsi ignotum commentus est, ejus verbis alia duo adjiciendo: ista videlicet, *tolerare potuerunt*. Atque ut ex errore in errorem impellimur, hæc verba, *εἰ καί ποτε κατώρθωσαν*, non de iisdem dicta esse putavit de quibus ista, *ἐπὶ μικρὸν χρόνον συμμεῖναι*, sed de illis quos *προϊσταμένους αὐτῆς* vocari videmus. At illud levius est, quod verba illa, *πρὸς ἡγεμονίαν εὐφυῶς ἔχειν*, non reddit, ut a me reddita sunt, *naturali quadam commoditate ad imperium obtinendum instructam esse*: sed, *ad imperium obtinendum optime fuisse paratam*: perinde ac si Strabo, *κάλλιστα παρεσκευάσθαι*, vel *παρασκευασθῆναι*, scripsisset: aut hæc idem quod ea quibus usus est valerent. Videndum est porro annon cum ista reprehensione morum Thebanorum, sive ingenii quo præditi erant, (quod ad eam rem quæ hic describitur attinet) conveniat iste proverbialis versus:

Πολλὰς δὴ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσε.

Inter alia autem quæ Dicæarchus habet sibi peculiaria, aut certe cum aliis, qui quidem in manus nostras venerunt, scriptoribus haud communia, (quod sciam) est illa quam inter Atheniensium & Atticorum mores constituit differentia. Quin fuerit enim aliquid in eorum moribus discriminis, minime dubito, nec dubitandum sane est: sed mirum est quod scribit, tali quidem ingenio Atticos, tali vero Athenienses fuisse: quum non minus illos quam hos urbis incolas constituit. Si enim vera sunt quæ tradit, tantum inter horum & illorum mores seu ingenium est discrepantiæ, quantum inter virtutem & vitium esse videmus:

A quum Athenienses esse *μεγαλοψύχους* tradat, nec non *ἁπλοῦς τοῖς τρόποις*, & *φιλίας γνησίας φύλακας*: id est, *magnanimos, & quadam morum simplicitate præditos, necnon amicitiæ sinceros custodes*: at vero Atticos, esse *περιέργους τῇ λαλιᾷ*, esse *ὑπούλους*, esse *συκοφαντώδεις*, esse denique *παρατηρητὰς τῶν ξενικῶν βίων*.

Memini quidem certe, Scholiastem Aristophanis: in hunc *Nubium* versum,

Ἐπὶ τοῦ προσώπου τ' ἐστὶν Ἀττικὸν βλέπος.

annotare quiddam ad mores pertinens, quod Attici cum Atheniensibus commune, quiddam quod Athenienses sibi peculiare haberent. Nam hæc B verba, *Ἀττικὸν βλέπος*, ubi exposuit, *πανοῦργον τὸ βλέμμα*, paucis interjectis verbis, adjicit, esse solitos insimulare eos qui Attici essent impudentiæ, at eos qui Athenienses, impudentiæ & facultatis dicendi. Sed præterquam quod Suidas suspectam lectionem hujus loci reddit, (quemadmodum ostendam in iis quæ sequentur) mirum est certe illum verbo *διαβάλλειν* non minus de illa dicendi facultate quam de impudentia uti: perinde ac si non minus illa quam hæc reprehensionem mereretur. At Strabo non dicit Athenienses fuisse *ἱκανοὺς λέγειν*, sed tantum *φιλολόγους*. Nam *lib.* 11. C scribit non fieri natura, sive ex natura non contingere, quod Athenienses quidem sint *φιλολόγοι*, at non Lacedæmonii: ac ne Thebani quidem qui sunt viciniores: (intellige autem, viciniores Atheniensibus) sed hoc fieri *ἔθει*, id est, *consuetudine*: quamvis statim post in re simili, non tantum *ἔθει*, sed *ἀσκήσει* & *ἔθει* dicat. Nam addit, eodem modo Babylonios & Ægyptios non esse natura philosophos, sed *ἀσκήσει* & *ἔθει*, id est, *exercitatione & consuetudine*. Cæterum quomodo hic vocem *φιλολόγοι* interpretandam esse dicemus? an, ut illic a Xylandro redditur, *literarum studiosi*? vel, ut antea quidam reddiderant, *Studiorum* D *cupidi*? An simpliciter, *Sermonis* seu *sermocinandi cupidi*? Quod si etiam aliquis simpliciter *Loquendi cupidos*, vel potius uno verbo *Loquaces* interpretaretur, intra vocabuli significationem maneret: nam hunc usum apud Athenæum habere videmus, & ita quidem ut nemo ambigere de illo possit. Quum enim dicit, vinum omnes qui largius ipsum potant, reddere *φιλολόγους*, quis aliud quam *Loquaces* sonare dixerit?

At Plutarchus scrupulum hic alicui injecerit, qui de Romano servo & Atheniensi (nam Romani mentionem priore loco facit) differens, lo- E quacem hunc inducit. In illo enim aureo *De garrulitate* libello, opponens Romano servo Atheniensem, & ostendens quantum consuetudo possit: *Publicus Piso orator* (potius enim hic *ῥήτορα* de oratore quam de rhetore dici existimo) *quum nollet obtundi, mandaverat servis ut ad interrogata loquerentur, & nihil amplius. Deinde quum Clodium præfectum comiter excipere vellet, vocari jussit, epulis splendidis (ut par erat) præparatis. Quum autem advenisset hora, & alii quidem adessent, at Clodius exspectaretur, misit subinde eum qui vocare solebat servum ut viseret an accederet. Quum autem jam vespera esset, nec amplius* F *speraretur venturus, inquit servo, Quid? an vocasti eum? Equidem, respondit ille. Cur igitur non venit? Ad hoc ille, Quoniam se venturum negavit. Quare ergo non statim dixisti? Quia me hac de re non interrogasti.* Cui narratiunculæ subjungit, *Talis quidem Romanus servus. At vero Atheniensis inter fodiendum etiam dicet domino quibus conditionibus compositio facta sit.* In cujus loci interpretatione malui *ἐνοχλεῖσθαι* reddere *Obtundi* quam *Perturbari*: quod loquaces, aut qui saltem plura quam opus est loquuntur, non di-

cantur nos perturbare, ſed tantum obtundere: & dicantur ἐνοχλεῖσθαι quibus quovis modo moleſtia exhibetur. Ad nomen autem ἄρχοντα quod attinet, licet Polybius *præfectum* interpretetur, ſunt tamen qui latius patente periphraſi utentes, dicunt *Magiſtratu fungentem*. Quæ interpretatio rejicienda fortaſſe non eſt.

Cæterum ad ſervos illos quod attinet, Athenienſem & Romanum, non ſatis aptum taciturnitatis exemplum in Romano afferre videtur Plutarchus, quum non ex naturali taciturnitate hic ſervus, ſed ex coacta heri imperio tacere dicendus ſit: & quidem imperio in cujus interpretatione ſummo jure, aut nimium ſtricto jure (ut ita dicam) cum hero ſuo agebat. At ſervo Athenienſi inſita quædam & innata loquacitas oſtenditur, quum talis deſcribitur ut vel inter fodiendum de ejuſmodi re verba faciat: adeo ut φιλολογία de hoc dicta, aliud quam loquacitas eſſe haud queat. Atque huic de loquacitate Athenienſi teſtimonio adjungi quædam poſſunt ex meo Dialogo qui *Dicæarchi Sympractor* vocatur.

Sed Strabonem tamen in illo quo de agitur loco, ſicut Plutarchum, ad Athenienſe illud vitium minime reſpexiſſe exiſtimo: ſed φιλολόγους Athenienſes dicentem, vel *facultatis dicendi cupidos*, (quod convenit & cum illo Livii dicto, cujus eodem in Dialogo fit mentio, *Orationem Athenis plurimum pollere*) vel *literarum ſtudioſos* intellexiſſe: ut hoc accipere vocabulum ſolemus & quum φιλομαθεῖς adjunctum habet. Fateor alioqui in eo illos conſentire, quod tales eſſe Athenienſes ἔθει arbitrentur. Ac Strabonem quidem hoc dicentem jam audivimus: at Plutarchus poſtquam illa de Athenienſi ſervo, quæ recitavi, commemoravit, locum illum hoc epiphonemate claudit: Οὕτω μέγα πρὸς πάντα ὁ ἐθισμός ἐστι. Hoc autem quamvis non ignorarem, non dubitavi nihilominus paulo ante loquacitatem inſitam & innatam, ex aliorum ſententia, dicere.

Redeo ad illum Enarratoris Ariſtophanis locum, in quo Athenienſes ab Attico, eo quo dixi modo, diſtinguit. Atticos enim (inquit) ἐπὶ ἀναιδείᾳ διέβαλλον, Athenienſes autem, ἐπὶ ἀναιδείᾳ καὶ τῷ ἱκανοὺς εἶναι λέγειν: verum apud Suidam (quem multos paſſim horum ſcholiorum habere locos ſatis notum eſt) legimus *in* Βλέπος quidem, οἱ γὰρ Ἀττικοὶ ἐπὶ ἀναιδείᾳ διεβάλλοντο: at in vocula Τί, vel potius in expoſitione hujus loquendi generis Τί λέγεις σύ, habemus, τοὺς γὰρ Ἀθηναίους ἐπὶ ἀναιδείᾳ καὶ τῷ δραστικοὺς εἶναι διέβαλλον. Obſervandum eſt autem neutro in loco aliud de Athenienſibus quam de Atticis dici: & in hoc poſteriori ad illud ἐπὶ ἀναιδείᾳ adjici καὶ τῷ δραστικοὺς εἶναι. Quæ adjectio magis etiam facit ut credam deeſſe hæc verba καὶ δραστικὸν, poſt illa, κακοῦργον βλέμμα. Ita enim *in* Βλέπος apud eum ſcriptum eſt.

Sed quam eſſe hanc dicemus notam quæ Athenienſibus una cum impudentiæ nota inuritur? Prout certe nomen hoc δραστικοὺς accipiemus, male vel bene audire debuiſſe illos, quod tales forent, dicemus. Neque enim huic fidendum qui male audiſſe dicit, (nam id ex verbo διέβαλλον ſequitur) ſed in eum eſt inquirendum. Dico igitur non videre me quid aliud δραστικοὺς quam δραστηρίους eſſe dicere poſſimus: at δραστηρίους vituperare, eſſe ex virtute vitium facere. Scio autem fore ut vel Thucydide judice vincam. Verum quid ei qui hæc ſcripſit in mentem venerit, ut δραστικοὺς potius quam δραστηρίους diceret, non facile dixerim: niſi forte ſuſpicandum eſt hoc memoriam illius tum temporis ſubterfugiſſe: quum alioqui medicorum potiſſimum altera illa ſit appellatio, quædam pharmaca paſſim eo nomine quod δραστικὰ

A ſint laudantium. Inter ſcribendum autem iſta, ſubit animum hæc cogitatio, aliquem exiſtimaturum, non δραστικοὺς, ſed δικαστικοὺς, eum qui hujus ſcholii eſt autor ſcripſiſſe. Qui tamen me ſibi aſſenſorem nequaquam futurum ſciat: quum Athenienſes male quidem tanquam φιλοδίκους audiſſe, cum ab aliis tum a me etiam dictum ſit: ſed δικαστικοὺς dicere ἀντὶ τοῦ φιλοδίκων, & novum eſſe non ignorem, & vix ferendum eſſe putem. Quid ſi vero non δικαστικοὺς, ſed δικανικοὺς ſcriptum fuiſſe dicatur? In hac voce majorem quam in illa mutationem fore, ſed talem fere ejus uſum qualis apud Xenophontem invenitur nos habituros con-

B fiteor: ſed nihilominus ne hanc quidem lectionem libenter admiſſurus. Denique δραστικοὺς illud recipiendum potius quam vel δικαστικοὺς vel δικανικοὺς, præſertim vero quam ἱκανοὺς λέγειν, (quod apud Enarratorem ipſius Ariſtophanis legitur) haud dubitanter dixerim: quum nihil minus rationi conſentaneum videatur quam uni eidemque reprehenſioni ſubjici hæc duo, τὸ ἀναιδεῖς εἶναι, & τὸ ἱκανοὺς εἶναι λέγειν. Eo autem libentius huic ſermoni immoratus ſum, quo magis lectorem ab hoc loco adverſus alios quoſdam eorum qui Scholiaſtæ vocantur, cautum redditum iri ſpe-

C ravi.

At de hoc breviter monebo, ab Ariſtophane *ibidem* quiddam in Athenienſibus reprehendi quod inter illa quæ ſunt ἐπιχώρεια, non autem extranea ſeu adventitia, numerat: ac videri poteſt impudentiam, de qua dictum fuit, χαρακτηρίζειν: eſt autem hic ſermo, τί λέγεις σύ: tanquam videlicet impudentes his uti verbis ſolerent, ad deterrendum eos qui impudentibus illorum dictis opponere aliquid vellent. Sed hoc qui non intellexerunt, male locum hunc interpunxerunt, στιγμὴν τελείαν poſt ἐπαυθεῖ ponentes.

Pauſanias autem duo potiſſimum laudare, non

D in Atticis, (nam de illorum ingenio & moribus nuſquam peculiariter ſcribit, quod quidem ſciam) ſed in Athenienſibus, videtur: unum, quod præ cæteris Græcis humanitatis officia colerent, alterum, quod pietatem. Nam ubi ſcribit, de ipſis loquens, τούτοις δὲ οὐ τὰ ἐς φιλανθρωπίαν μόνον καθέστηκεν, ἀλλὰ καὶ ἐς θεοὺς εὐσεβεῖν ἄλλων πλέον, Interpretes ſatis perſpicaces fuiſſe nego, qui non viderint, hæc verba, ἄλλων πλέον, haud minus περὶ τῆς φιλανθρωπίας, quam περὶ τῆς εὐσεβείας intelligi debere. Ac novum certe mihi non eſt, incidere in locum ubi hæc aut his ſimilia verba, ei tantum quod poſterius dictum ſit

E juncta, non minus tamen ad prius pertineant, & ad ipſum debeant accommodari, tanquam & de illo dicta, licet non itidem cum illo juncta. Ideo autem minime novum mihi eſſe iſtud ajo, quod & alibi obſervarim, & quidem alicubi etiam ubi ab Interpretibus nihilo magis quam hic obſervatum eſſet. Ac frigeret certe alioqui illa commendatio, τὰ ἐς φιλανθρωπίαν καθέστηκεν Ἀθηναίοις. Objiceret enim merito quiſpiam, (præſertim cui aliquid τοῦ Ἀττικοῦ μυκτῆρος ineſſet) Quis de hoc dubitet, Pauſania? quomodo multa quæ tu quoque de illis ſcribis, vera eſſe poſſent, niſi hoc ita ſe haberet? Verum ad Græca

F illa verba ut redeam, quidam ea ita reddidit: *Præterea, non ea ſolum quæ ad humanitatem faciunt Athenienſes conſtituerunt, ſed majorem etiam quam alii pietatis erga deos curam habuerunt*. Quidam autem hoc modo vertit: *Iſtis vero non modo conſtituta ſunt quæ ad humanitatis officia pertinent, ſed majorem etiam quam alii pietatis in deos curam habent*. At tertius mihi iſta ſcribenti ad manum non erat. Ego certe ſequendo ea quæ modo dixi, ita interpretor: *His autem non modo*

quæ ad humanitatem, sed etiam quæ ad pium deorum cultum pertinent, amplius quam aliis constituta stabilitaque sunt. Verum autem esse quod dixi, nimirum duas voces illas, ἄλλων πλέον, non minus ad id quod priore quam ad illud quod posteriore loco dicitur referri, hinc quod patet, quod sic ut majus ἀσεβείας studium probat ex iis quæ subjungit, ita majoris studii & curæ φιλανθρωπίας testimonium habeamus in iis quæ proxime præcesserant, de ARA MISERICORDIÆ: huic enim solos ex Græcis Athenienses honorem deferre. Sed hic contingit quod & alibi in iis quæ una ex lingua in alteram (de his autem duabus loquor) vertenda sunt, ut appellationes minime ejusdem generis sint: nam MISERICORDIAM Latinis deam esse, non deum, necesse est, ut Græcis ἘΛΕΟΝ, vice versa, deum, non deam. Quid si vero quis periphrasi utens, MISERICORDIÆ DEUM interpretetur?

Cæterum ad posteriorem laudem quod attinet, ejus & in sequentibus, aliquot paginarum intervallo, mentionem facit, & quidem ejus quod jam dixerat, memorem se ostendens. Ejus enim verba hæc sunt, λέλεκται δέ μοι καὶ πρότερον ὡς Ἀθηναίοις περισσότερόν τι ἢ τοῖς ἄλλοις ἐς τὰ θεῖά ἐστι σπουδῆς. Quod si tamen ingenue fateri quod sentio mihi conceditur, alia hujus ἀσεβείας majora Pausanias afferre argumenta poterat quam est illud quod in priore, vel illud quod in posteriore loco affert. Atque adeo quod ipse de illis in *Phocicis* scribit, a genere (nam dixerat, περισσῶς δὲ ἄρα ἀσεβείᾳ θεῶν ἔτι προσέκειντο οἱ ἄνθρωποι) ad speciem veniens, magis locuples testimonium videri cuipiam fortasse queat.

Pausanias idem majorem Atheniensibus quam cæteris Græcis prudentiam tribuit, in *Messenicis*, & eam quidem prudentiam quam appellare politicam posse videmur. Hujus enim mentionem facit, rationem afferens alius laudis, quam illis tribuit, de non solum conservata, sed amplificata etiam sua democratia: postquam enim dixit, οὐ γάρ πω δημοκρατίαν ἴσμεν ἄλλους ἢ Ἀθηναίους αὐξήσαντας. Ἀθηναῖοι γὰρ προήχθησαν ἐπὶ μέγα ἀπ' αὐτῆς, rationem hujus rei de qua illos laudavit reddens, scribit, *prudentia enim quadam sibi peculiari cæteris Græcis præstabant, & iis legibus quæ positæ essent minimum immorigeri erant*. Dicit enim ἐλάχιστα ἠπείθουν, non ἥκιστα: ideoque non verto, *minime immorigeri erant*: sed *minimum imm. erant*. Perinde enim esse puto ac si diceret, illos & raro & in rebus non magni momenti legum imperium detrectare consuevisse.

Demosthenes tamen ne huic quidem laudi fortasse (præsertim illis præsentibus) subscripsisset. Loquor autem de prudentiæ laude: quomodo enim dignos ea dicere illos potuisset, quum de eo contra passim ab illo increparentur, quod rebus suis, id est, statui suæ reipub. male consulerent? quod nonnisi μετὰ τὰ πράγματα consilium inirent? quin etiam, admoniti toties, semper antiquum obtinerent? Ac potius, quodcunque incrementum eorum democratiam sumpsisse vidisset, ad hunc sermonem venisset, ut fortunatiores quam prudentiores eos diceret.

Isocrates, licet longe aliter erga illos quam Demosthenes, & quidem indulgenter nonnunquam atque assentatorie se gerens, nihilominus aliud quam Demosthenes pronuntiare hac de re ausus non fuisset: quoties illi in mentem tam multa venissent, ex quibus illos improvidos & incautos esse arguisset.

Aristophanes profecto eam δυσβουλίαν, quam ceu proverbialem illis objicit, tunc quoque ob jecisset, potius quam σύνεσιν illis tribuisset. Nec

A fortasse tanquam proverbialem dicere oportuit: quum in proverbium abiisse constet, sive quod ex illo ipso Aristophanis loco natum sit, sive quod jam antea in usu fuerit.

Thucydides vero quid? Et ipse (ut opinor) non tantum illos suæ prudentiæ plerisque in rebus, quam suorum hostium imprudentiæ, aut ingenio, propter quod ipsi ξυμφορώτατοι προσπολεμῆσαι fuissent, (ut *libro* VIII. loquitur) debere dixisset.

Plutarchus ne ipse quidem Pausaniæ assensus fuisset, sed potius cum Demosthene fortunatiores quam prudentiores pronuntiasset. Neque e-
B nim huic repugnare dicto existimandum est illud ejus problema de quo commentarium scripsit, *Utrum Athenienses bello an sapientia clariores extiterint*. Nam sapientiam, seu σοφίαν, de qua ibi disserit, non semper comitem habere politicam illam prudentiam, de qua nunc agitur, scimus. Cæterum fieri quidem potest ut Plutarchus in tam variis de Atheniensium dictis & factis narrationibus aliquid ab illis prudenter dictum factumve haud neget: sed multi vicissim loci occurrunt, ubi illos modo non rejecisse salubria consilia scri-
C bit. Hoc autem qui faciunt, ab Hesiodo ἀχρήιους vocari, nemo est lectionis illius studiosus qui meminisse non possit.

Dicæarchus porro aliam Atheniensibus laudem tribuit, non perinde controversam futuram illam quidem, sed nec controversia omnino carituram. Vocat enim illos μεγαλοψύχους, cui Latinum *magnanimos* plane respondere notum est. Isocrates quidem certe & Athenæus, nec non Pausanias, huic reclamaturi laudi non sunt, præsertim si de illa magnitudine loquamur, qua fiebat ut adversa (quod hic de bellicis cladibus potissimum intelligendum est) fortiter ferrent. Neque tamen quemadmodum Dicæarchus μεγαλοψύχους vocant,
D (quantum meminisse possum) sed ea quæ talis μεγαλοψυχίας laudem aperte merentur, de illis commemorant.

Verum totam μεγαλοψυχίαν, quam late ejus termini patent, illis adscripturi sunt ii qui & πλανήτας non immerito vocatos existimabunt. De quo titulo in meo Dialogo *Dicæarchi Sympractore* verba feci.

Ac Lacedæmonios tamen magis illa μεγαλοψυχίας, id est, *magnanimitatis*, laude dignos, & Pausanias & cæteri ostendere videntur, ex iis quæ nobis passim de illis referunt. Atque illuc perti-
E net istud Ciceronis de illis eulogium, ex Platone sumptum, *omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi*. Quod si ad illam peculiariter magnanimitatem respiciamus quæ in fortiter ferendis cladibus bellicis versatur, nimirum & hac in parte merito illos μεγαλοψύχους diximus: si verum est quod Pausanias scribit in *Bœoticis*, & Epaminondæ cognitum fuisse ait, eos a natura istud habuisse ut clades suas celarent, (nisi quis malit, dissimularent: ejus verba sunt, Ἐπαμινώνδας δὲ ἐπιστάμενος ὡς ἐπικρύπτεσθαι τὰς συμφορὰς ἀείποτε οἱ Λακεδαιμόνιοι πεφύκασι: ubi constat συμφορὰς, id est, *calamitates*, de cladibus dici)
F si inquam ad magnanimitatem illam respiciamus, non minus laudem hinc mereri eos quam Athenienses, dicere fortasse liceat; sic tamen ut fateamur, posse & aliquos inveniri qui quamvis calamitatem fronte dissimulent, non etiam fortiter in pectore eam ferant.

Verum & aliud eodem in loco legimus, quod eundem ad titulum referri debere nemo (ut opinor) negaverit, videlicet, maximo dedecori habitum fuisse a Lacedæmoniis, sinere cadaver sui regis in hostium esse potestate. Verum & alia

multa probrosa illos judicasse scimus, quæ alii quam magnanimi talia non indicassent. Quo etiam pertinet metus ille τοῦ καταλῦσαι τὸ ἀξίωμα τῆς Σπάρτης, cujus item meminit Pausanias. Nec vero aliunde quam a magnanimitate proficiscebatur illa perpetua adversus Athenienses περὶ τῆς ἡγεμονίας contentio: quamvis alioqui non itidem contendere de illis honorificis titulis potuerint, quibus Athenæ dictæ sunt *Græciæ propugnaculum*, & a Pindaro Ἑλλάδος ἔρεισμα, tanquam *Græciæ fulcimentum*, seu *fulcrum*: vel *Græciæ firmamentum*, aut etiam *columen*.

Præsertim vero istud de illis, tanquam magnanimis, dicitur, ὑπὸ φρονήματος μᾶλλον ἢ ἰσχύος, in *Achaicis*. Quo & Livium modo sæpe de suis Romanis dicentem audimus, *majore animo quam viribus*: vel *majoribus animis*. Sic etiam, *magis animis quam viribus fretus*: libro VII. *Dictator tamen, ut qui magis animis quam viribus fretus ad certamen descenderet*. Tale autem est illud quoque *lib.* X. *Fortunæ se majore animo quam spe committunt*. His enim ac similibus in locis aliud animum sive animos non esse constat quam φρόνημα: & spem hic de ea dici quæ in viribus ponitur. Alicubi autem τὸ φρόνημα & τὰ τολμήματα jungentem illum audimus, in *Messenicis*, ubi de Aristomene loquitur. Cæterum quam magnifice de se sentirent Athenienses, ex duobus etiam Plutarchi in *Aristide* locis discimus.

Sed quiddam Pausanias in *Messenicis* de Lacedæmoniis narrat, quod mirum videri possit, utpote a magnanimitate alienissimum: videlicet Lacedæmonios fuisse primos qui pecuniam hosti dederint, & primos venalem constituisse victoriam quæ in armis solum posita esse soleret. Neque tamen ideo tantum mirum videri istud queat, quod a magnanimitate alienissimum sit, uti dixi: sed quod ab ingenio Lacedæmoniorum valde abhorreret, sinere se pecunia corrumpi, (quantum vel ex Herodoto discere possumus, apud quem, & puellula patrem de cavendo sibi ab hac re admonet) qui autem nihil minus quam aurem præbere volentibus ipsos corrumpere sustinerent, eos magis rationi consentaneum videatur, vicissim apud alios hac arte uti nolle. Sed de priscis Lacedæmoniis ibi Herodotum agere constat: de quibus potissimum & hoc intelligendum est, eos pecunias possidere minime consuevisse: apud eundem historicum in *Bœoticis*.

Quiddam ad religionem pertinens narrat quod Atheniensibus cum Lacedæmoniis commune fuisse scribit: ut tam his quam illis maxime inter Græcos terrori essent quæ διοσημεῖαι vocantur. Sonat autem διοσημεῖαι quasi quis dicat *Signa a Jove*, vel *a Jove immissa signa*. Sed redditur *Prodigia*, vel *Prodigiosæ tempestates*, quod magis placet. Locus est in *Laconicis*, quum de terræmotu loquutus esset, καίτοι Λακεδαιμονίοις μάλιστα Ἑλλήνων, ὡσαύτως δὲ καὶ Ἀθηναίοις, δεῖμα αἱ διοσημεῖαι παρείχοντο. Paulo post autem & tonitruum mentionem facit, quæ quosdam ἔκφρονας ἐποίησαν.

Fit vero mentio ab illo & verberum quæ puberibus seu ephebis ad Dianæ Orthiæ aram inferebantur. Nec in ulla re est copiosior quam in descriptionibus deorum vel dearum quæ pro cognominibus quæ illis data sunt, facti vel factæ sunt huic vel illi Græciæ genti peculiares, quum antea Græcis omnibus communes forent.

At vero quod de illorum brachylogia scribit, lippis & tonsoribus notum, ut in proverbio est. Scribit autem hoc in *Messenicis* sub verbis istis, κατὰ τὸ ἐπιχώριον, includens: πρός μὲν δὴ τοὺς Λακεδαιμονίους βραχεῖαν κατὰ τὸ ἐπιχώριον τὴν παράκλησιν ἐποιεῖτο ὁ Θεόπομπος.

Thebanorum morem quendam narrat, aliter in captivos qui Bœoti exules essent, aliter in alios, se gerendi: & quidem ita eum refert tanquam Thebanis peculiarem. Receptum enim apud illos fuisse dicit, sive apud illos in more positum, ut captivos quidem alios, quotcunque caperent, pretio dimitterent: at qui ex Bœotia exules essent, morte mulctarent. Sed in *Achaicis* scribit, Achæos ex Lacedæmoniis quidem quotcunque comprehenderant, in carcerem conjecisse, at peregrinos dimisisse. Dico autem *Pretio dimittere*, quod ille χρημάτων ἀφιέναι: si quis tamen malit, *Pretio accepto dimittere*, vel *Pretio persoluto dimittere*, haud repugnabo.

De Thessalis loquens initio *Phocicorum*, obiter aliquid bellicæ laudis illis supra cæteros Græcos tribuit, præsertim ad equitatum quod attinet. Scribit enim, postquam Thessali majore quam antea adversus Phocenses ira correpti, ex omnibus urbibus congregati essent, & in Phocidem exercitum ducerent, tum vero Phocenses, quibus non parvum metum afferret & reliquus Thessalorum apparatus, & potissimum equitatus multitudo, præsertim quum præter magnum numerum ipsam equorum pariter & hominum in equestribus præliis exercitationem reformidarent: Delphos misisse qui de ratione propulsandi hujus quod instabat periculi deum interrogarent. Fuit autem equitatui Thessalico ab omni fere Græcorum memoria tributa hæc laus. Sed & ipsæ equæ Thessalicæ valde fuerunt commendatæ, ut ostendit versus ille, ex quodam oraculo:

Ἵππον Θεσσαλικήν, Λακεδαιμονίην τε γυναῖκα.

Hic enim de equa, ac non de equitatu, intelligimus. Extat autem & aliquid proverbium apud Erasmum huc pertinens, ἐπικελεύεται ἵππος Θεσσαλική. Proverbium inquam, quod ita efferebatur, si illi fidem habemus: sed eum hic valde esse deceptum, verbum Scholiastæ verbis proverbii immiscentem, in meis *Animadversionibus* quas olim illius *Adagiis* adjunxi apertissime docui.

Cæterum quam Thessalis dat laudem Pausanias, eam Peloponnesiis adimit, (si tamen adimere laudem dicendus est qui eam non merenti minime tribuit) in *Messenicis*, οὐ γάρ τι ἀγαθοὶ τότε ἱππεύειν ἦσαν οἱ Πελοποννήσιοι. Qui autem contra sunt ἀγαθοὶ ἱππεύειν, etiam uno verbo dicuntur ἱππικοὶ a Græcis, a Latinis *equitandi periti*. Verum, ne qua fiat Peloponnesiis injuria, considerandum est non dici a Pausania in universum peritiam equitandi defuisse Peloponnesiis, quasi ea nunquam valuerint: sed eos in illo de quo loquitur tempore nondum eam fuisse consequutos.

Quemadmodum autem Peloponnesios equitandi peritia valuisse (eo quidem certe tempore) negat, sic Arcades rerum navalium ignaros fuisse tradit: & quidem jam inde ab Homero testimonium hujus petens, & hoc testimonium ei quod contigisse narrat, adjiciens. Nam de Philopœmene loquens, scribit: *Quum Arcades illi ob discessum irascerentur, reversus ex Creta in illud incidit tempus quo Romani contra Nabin arma ceperant. Quum autem Romani adversus Nabin classem instruxissent, Philopœmen, ut prompto & propenso* in Romanos *erat animo, socium se illius expeditionis præbere parabat*. Verum quum esset *omnino imperitus rerum navalium*, (verbum autem verbo si reddatur, *omnino maris imperitus*: dicit enim ἐς ἅπαν θαλάσσης ἀπείρως ἔχων) *non animadvertit se triremem rimosam conscendisse. Unde factum est ut Romanos cæterosque socios subjerit recordatio Homericorum in navium catalogo versuum*, de *Arcadum imperitia rerum navalium*: vel *rerum ad mare pertinentium*. Dicit enim ἐπὶ

τῇ

τῇ Αρκάδων ἀμαθίᾳ τῆς ἐς θάλασσαν, licet quidam liberius interpretentur *de navigationis imperitia*. Homerus autem de illis dicit: ὅ σφι θαλάσσια ἔργα μεμήλει: quod tamen aliud est quam ἀμαθίαν τῆς ἐς θάλασσαν, ut vult Pausanias, illis objicere. Totus locus est hic:

—— πολέες δ' ἐν νηΐ ἑκάστῃ
Αρκάδες ἄνδρες ἔβαινον ἐπιστάμενοι πολεμίζειν.
Αὐτὸς γάρ σφιν δῶκεν ἄναξ ἀνδρῶν Αγαμέμνων
Νῆας ἐϋσσέλμους περάαν ἐπὶ οἴνοπα πόντον
Ατρείδης. ἐπεὶ ὅ σφι θαλάσσια ἔργα μεμήλει.

Ipse autem Pausanias quum de Philopœmene loquens dixisset, ἀπείρως θαλάσσης ἔχων, hic non itidem de Arcadibus dicit, ἀμαθίᾳ τῆς θαλάσσης, sed ἀμαθίᾳ τῇ ἐν θαλάσσῃ. Quæ scriptura possit etiam fortasse cuipiam esse suspecta, tanquam ἐν θαλάσσῃ irrepserit pro εἰς θάλασσαν. Nec dissimulabo, mihi quondam locum illum Pausaniæ legenti, venisse in mentem primo aspectu, suspicari, eos, qui illam ἀμαθίαν θαλάσσης Arcadibus ex Homero objecissent, putavisse de his dici quod ab eodem poeta alibi de aliis dicitur, *Odyss.* λ.

Εἰσόκε τοὺς ἀφίκηαι οἳ οὐκ ἴσασι θάλασσαν
Ανέρες, οὐδέ θ' ἅλεσσι μεμιγμένον εἶδαρ ἔδουσιν.
Οὐδ' ἄρα τοίγ' ἴσασι νέας φοινικοπαρήους,
Οὐδ' εὐήρε' ἐρετμὰ, τά τε πτερὰ νηυσὶ πέλονται.

Quocunque autem se res modo habeat, persuadere mihi nemo potest, quum Homerus dicit,

—— ἐπεὶ ὅ σφι θαλάσσια ἔργα μεμήλει,

perinde esse ac si diceret, ἐς ἅπαν θαλάσσης ἀπείρως εἶχον. Cæterum & hoc mirum videri queat, tantam illam ignorantiam sive imperitiam jam inde ab Homeri ætate (si hanc illis Homerus tribuit) usque ad Philopœmenem in Arcadibus permansisse.

Sed a viris Arcadibus ad fœminas Arcadas veniendum est, si lectorem prius monuero, Pausaniam valde curiose fortitudinem Græcarum fœminarum commemorare. Nam ut ab Arcadibus initium sumam, (mentionem virorum mentione fœminarum continuans, vel potius hanc illi subjungens) legimus apud illum in *Arcadicis*: *Post Æginetem vero rex Arcadum fuit Polymestor Æginetæ filius: ac tunc primum Lacedæmonii & Charillus* (quidam *Charillo duce* intelligendum putant) *in Tegeatarum regionem cum exercitu irrumpunt: sed ipsos Tegeatæ tam ipsi quam fœminæ sumptis armis prælio vincunt, & cum alios, qui ex exercitu supererant, tum vere ipsum Charillum vivum capiunt.* Verbum autem verbo si reddatur, *& cum exercitum reliquum, tum vero ipsum Ch. v. cap.* Nam hæc sunt ejus verba, καὶ τόν τε ἄλλον στρατὸν καὶ αὐτὸν Χάριλλον ζῶντα αἱροῦσι. Sed mirari quis possit, hos victores tam clementer se erga hostes gessisse ut totius reliqui exercitus vitæ parcerent. Unde fit ut alia liberior hujus loci interpretatio exstet.

Verum & alibi, non procul a fine illius operis quod *Arcadia* inscriptum est, harum Arcadum fœminarum (nam Tegeatides sub Arcadum appellatione comprehenduntur, quum Tegea sit in Arcadia) mentionem facit: ubi & Martis, quem Γυναικόθοιναν vocari scribit: sed mendosam esse hanc scripturam puto, ut & paulo post declarabo, ubi locum illum attulero: *Est etiam*, inquit, *Martis simulacrum in Tegeatarum foro, columnæ insculptum, quod* GYNÆCOTHOEAN *nominat. Laconicum enim ad bellum & Charilli Lacedæmoniorum regis* (observa autem, hic, sicut altero in loco, Lacedæmo-

A niorum & Charilli mentionem separatim fieri) *primam expeditionem, quum fœminæ, quæ apud eos erant, arma sumpsissent, sub colle, quem ætate nostra Phylactrida vocant, insidias locaverunt. Quum autem manus conserere exercitus cœpissent, & viri utrinque audacia facinora tum multa tum memoratu digna ederent, tum demum in conspectum eorum fœminas illas venisse ferunt, & eas esse quæ Lacedæmonios in fugam verterint. Sed Marpessam, quæ Vidua vocabatur, cæteras audacia superavisse. Captum autem inter Spartiatas ipsum Charillum fuisse: quem nullo ad se redimendum persoluto pretio dimissum, quum se jurejurando Tegeatibus obstrinxisset, Lace-*
B *dæmonios nunquam postea bellum Tegeæ illaturos, jusjurandum illud violasse: sed mulieres absque viris & suo tantum nomine Marti ob partam victoriam immolasse, & carnium bostiæ viros participes non fecisse: ex eoque Marti cognomen illud impositum fuisse.* Cognomen autem illud quod dixit intellige, GYNÆCOTEOEAN videlicet. Verum quum Pausaniæ narratio lectorem præparet ad audiendum Martis cognomen quo fœminarum pariter & epuli seu epulationis, aut etiam epulantis vel epulantium significatio includatur, quomodo eam in vocabulo reperire illo possumus? At reperiemus si GYNÆCOTHOENAN scribamus. Neque enim solum legimus extra compositionem vocabulum θοίνη, (pro quo Dorice θοίνα) atque id de epulis, vel epulo seu epulatione, sive convivio, dici scimus, sed etiam alii compositioni plane simili adhibitum esse videmus. Neque enim ignotum est Βουθοίνας, quod de Hercule dicitur, & pro epitheto illi tribuitur. Fateor tamen, quum Βουθοίνας sonet Bovis seu boum epulator, aut vorator, (tanquam nomine θοίνα assumpta una litera in verbi ex illo nomine facti vel potius participii ejus θοινῶν vim transeunte) non posse ἀναλόγως & alterum illud exponi. Quare videndum
D an sonare eidem queat quod γυναικῶν συνθοίνας, id est, *Mulierum coepulator*. *Qui mulieribus coepulatur.* Pro quo alioqui diceretur etiam ὁ ταῖς γυναιξὶ συνθοινῶν. Sunt enim & alia apud Pausaniam & alios deorum cognomina, illis eodem modo ex eventu quopiam imposita, quorum liberior est usus quam ut intra fines significationis sibi proprie convenientis manere dici queant. Cæterum ne hoc quidem te celaverim, quum illud Martis cognomen Γυναικόθοιναν nullo ferri modo posse viderem, consuluisse me quoddam hujus scriptoris exemplar, cujus margini alteram illam scripturam appositam, & ita conjecturam meam confirmatam invenerim:
E sive ex veteri libro, sive ἐκ στοχασμοῦ profecta scriptura illa fuerit. Sed ad conjecturam illam me Herculis illud epithetum velut ἐχειραγώγησε. Addam & hoc, si ad mulieres tantum ac non etiam ad Martem respiceretur, tum vero aptissimum vocabulum futurum fuisse non Γυναικοθοίνας, sed Γυναικοθοίνα, id est, *Mulierum epulum*. Ac fieri certe potest ut quum initio illud sacrificium, ex quo mulieres suas epulas sumpserant, Γυναικοθοίνα vocatum fuisset, postea minima mutatione ex eo factum Γυναικοθοίνας fuerit, ad Martem quoque, cui sacrificatum fuerat, respiciendo. Eo autem libentius de hoc cognomine si-
F ve epitheto fuse disserui, quod ita omnia quæ de illo dici poterant excutiendo, Græcæ linguæ studiosis ad alia id genus similiter excutienda viam patefecerim. Meminerint autem & illud quod dixi, non in iis tantum cognominibus sive epithetis quæ hujus generis sunt, sed in aliis etiam quæ plane diversa sunt, liberiorem nonnunquam eorum esse usum: veluti quum Minerva quædam Πρόνοια vocatur, tanquam substantivo vicem adjectivi subeunte, & illius officio fungente. Neque enim uno tantum in loco apud Pausaniam sic

vocatam habemus, sed in aliquot: ita ut dubitatio de scriptura tollatur: ac potius Hesychius, ubi legimus Προναία; Ἀθηνᾶς τέμενος ἐν Δελφοῖς, ex Pausania, quam Pausanias ex Hesychio sit emendandus.

Verum, ut in fortium apud Pausaniam mulierum commemoratione pergam, in eo sunt numero apud eum & Ætolæ, sive Ætolicæ: & ita quidem ut majorem illis fortitudinis laudem quam ipsis viris tribuat. Scribit enim: Συνεστρατεύοντο δὲ σφίσι καὶ αἱ γυναῖκες ἐθελονταί, πλέον ἐς τοὺς Γαλάτας καὶ τῶν ἀνδρῶν τῷ θυμῷ χρώμεναι. Paulo post autem addit: *Ætoli vero & mulieres Ætolæ, via omni ex parte obsessa, jacula in barbaros* (erant autem hi, Galatæ illi) *emittebant: & quum hi non aliud quam sua scuta haberent, raro contingebat ut ab ipsis aberrarent.*

De toto autem Græcorum genere, (quod sæpe τὸ Ἑλληνικὸν appellat) sive de tota natione, quiddam scribit, in quo eorum ingenium cum nostrorum Gallorum ingenio convenisse videmus. Scribit enim in *Bœoticis*, Ἕλληνες δὲ ἄρα εἰσὶ δεινοὶ τὰ ὑπερόρια ἐν θαύματι τίθεσθαι μείζονι ἢ τὰ οἰκεῖα. Præsertim vero ante bella civilia τῇ φιλοξενίᾳ nostratum & hoc adjunctum erat. Quod autem in *Bœoticis* de credulo illorum ingenio scribit, non satis cum Gallica crudelitate convenit: quum nobis aliud crudelitatis genus haud possit objici quam quod Italicæ diffidentiæ plane contrarium est.

Atque hic finem de Græcis ex Pausaniæ scriptis disserendi faciam, si de hoc lectorem monuero, ut meminerit, eorum quæ de illis vel ab eo vel ab aliis A memoriæ prodita sunt, alia ad Priscos, alia ad eorum posteros referre. Nam exempli gratia, in eorum posteris haudquaquam illud φιλελεύθερον agnosci tantum potest: adeo ut non immerito dicere videatur apud ipsum Pausaniam Vespasianus, *Græcam gentem libertatem dedidicisse*: Ἀπομεμαθηκέναι τὴν ἐλευθερίαν τὸ Ἑλληνικόν, in *Achaicis*. Quinetiam meminisse hic oportet ejus quod ab Heraclide Pontico scriptum fuit, ad Græcam magnanimitatem quod attinet: (de qua in superioribus multa) Καὶ ἡ Ἀθηναίων πόλις, ἕως ἐτρύφα, μεγίστη τε ἦν καὶ μεγαλοψυχοτάτους ἔτρεφεν ἄνδρας. Et in sequentibus, B quam splendidi & magnifici essent exponit, & quidem illi etiam qui tam fortiter ad Marathonem præliati sunt: tanquam posteri cum hujusmodi magnificentia & magnanimitatem dedidicerint. Verum Isocratem quoque & Demosthenem sæpe illis, tanquam degenerantibus (in iis etiam quæ ad rectam reip. administrationem pertinerent) objicientes majores suos audimus.

Quum autem his adjicere alia statuissem, ad ea quæ Dicæarchus scribit de moribus Atheniensium, Oropiorum, Tanagræorum, Platæensium, Thebanorum, Anthedoniorum, Thespiensium & Chalcidensium, alia aliunde ejusdem argumenti C additurus; visum est postea alii Opusculo ea, & si qua insuper de cæteris Græciæ populis dicenda haberem, reservare. Erit autem id Opusculum velut continuatio Dialogi qui huic libro subjunctus est, inscriptus DICÆARCHI SYMPRACTOR. Vel, *De Græcorum moribus, præsertimque Atheniensium, Supplementum*.

FINIS.

HENRICI STEPHANI

DIALOGUS,

DICÆARCHI SYMPRACTOR:

VEL

DE GRÆCORUM MORIBUS,

PRÆSERTIMQUE ATHENIENSIUM,

SUPPLEMENTUM.

HENRICI STEPHANI

D I A L O G U S,

DICÆARCHI SYMPRACTOR:

V E L

DE GRÆCORUM MORIBUS,

PRÆSERTIMQUE ATHENIENSIUM,

S U P P L E M E N T U M.

PHILOSTEPHAN. CORONELLUS.



DICÆARCHI σύγγραμμα illud plane aureum) si quod hujus argumenti dici aureum potest) tibi refero: gratiam, quum aliquid itidem novi meas in manus venerit, relaturus.

CORON. Quum tu aureum appelles, quantum ejus lectio tibi placuerit, B supervacaneum fuit quærere.

PHILOST. Adeo certe ejus sum lectione delectatus ut ex brevi longum lectitando fecerim. Non semel autem, inter legendum, memoriæ meæ imperavi ut mihi ipsum referenti quoddam ἐρωτημάτιον suggereret.

COR. Quidnam illud est?

PH. Te interrogare undenam putares posse nos pleniorem morum Græciæ cognitionem adipisci.

COR. Quasi vero non & tibi cogitanti venire id statim in mentem possit.

PHI. De comicis quidem cogitavi, posse nobis C illos amplam hujus rei notitiam suppeditare, si eos nancisci possemus.

COR. At tibi veniant in mentem potius illi quos nacti sumus scriptores, quam ii de quibus nanciscendis ne ullam quidem superesse spem videmus.

PHI. Aristophanes saltem ad nos pervenit.

COR. Vel potius Aristophanis tantilla portio. At si totum haberemus, aliorum ferre desiderium facile possemus, ad consequendam quidem certe cognitionem illam quod attinet. Nisi forte, & quid novi circa mores & vitæ instituta posterior D ætas attulisset, ex comicis Aristophane posterioribus discere desideraremus.

PHI. Esset quidem certe & istud desiderabile: sed tamen præclare nobiscum ageretur si vel illum nancisci possemus. Verum, putasne multo plures comœdias iis quæ extant illum scripsisse?

COR. Etiamsi non plures reliquisset iis quarum ab Athenæo fit mentio, multis tamen partibus major amissarum quam salvarum numerus dici posset. Quum enim novem tantum exstent, ab illo quinquaginta, aut circiter, nominantur. Nec vero nominantur tantum, sed testes citantur.

PHI. Nonne in eo sunt numero illæ etiam quibus E injuria temporis pepercit?

COR. Ita: & quidem geminæ earum nonnullæ.

PHI. Quid hoc verbi est?

A COR. Geminas voco, quarum una, prior, altera, posterior, eodem tamen nomine, appellantur.

PH. Quæ sunt illæ?

COR. Trium memini: quarum una est quæ primam inter illas novem sedem obtinet. Nam duæ illius comœdiæ titulo *Pluti* afferuntur. Sic vero & duæ quæ inscriptæ *Nubes* fuerunt: duæ item quæ *Thesmophoriazusæ*.

PHI. Quid? an ipse Scholiastes hujus rei non admonet?

COR. De *Nubibus* id ab eo dici, & quidem non semel, sat scio: an vero & de *Pluto* idem ab eo B dicatur, haud memini. In *Thesmophoriazusas* autem exstat scholiorum οὐδὲ γρῦ.

PH. In iis quæ ipsis comœdiis præfiguntur prolegomenois nonne fit ejusdem rei mentio?

COR. De *Nubibus* saltem id tradi recordor, in quadam Protheoria illis præfixa.

PHI. Non dubito quin aliquo in loco eorundem Prolegomenων & de numero comœdiarum ejus agatur.

COR. De illo quoque agitur, idque duobus in locis, inter se haud consentientibus. Nam in priori, quadraginta scripsisse traditur: at in po- C steriori, quatuor & quinquaginta. Sed vel ex Athenæo huic potius quam illi loco fidem esse adhibendam constat: quum illæ quæ ab eo nominantur & testes citantur, quinquagenarium (ut dixi) numerum, aut circiter, efficiant: & ita quidem ut saltem plures sint quam quatuor & quadraginta. Verum hanc dissensionem ex librarii errore natam esse suspicor, qui uno in loco δράματα μδ'. pro δράματα νδ'. scripserit. In utroque de hoc saltem consentitur, quatuor esse quæ falso illi adscribi existimentur. Ac in eorum altero, (ubi & nominantur) quosdam Archippo eas tribuisse legimus. Ut autem Aristophanicas esse ipse quoque D vix credam, facit Athenæus, nullius earum mentionem faciens.

PHI. Libenter istud ex te didici, geminas etiam *Thesmophoriazusas* scripsisse Aristophanem: quoniam nonnullos qui ex iis afferebantur a variis scriptoribus locos, in iis quæ exstant invenire me non posse demirabar.

COR. Idem mihi & mirari & indignari usuvenit, priusquam quod ex me discis, ex Athenæo didicissem.

PHI. Quis vero hic δεύτερος Πλοῦς nobis esse potest?

COR. Quonam? an ad navigandum in Græ- E ciam?

PHI. Non quidem ad navigandum in Græciam, (sat nosti nihil tale mihi in animo esse) sed ad perveniendum eo unde Græcorum mores plenius

contemplari, & plurima illis quæ ex Dicæarcho μανθάνομεν, προσμανθάνειν possimus.

COR Haud longo cursu nobis opus fuerit. Ea enim ad quæ navigatio suscipienda fuerit loca, procul hinc non absunt. Primum autem ad Dipnosophistarum urbem tendere nos oportere dixerim.

PHI. Quam mihi Dipnosophistarum urbem narras?

COR. Eo nomine appellare Dipnosophisticam historiam placuit, ab eo, quem tot Aristophanis fabulas citare dixi, scriptam: quod, quum tu δευτέρου πλοῦ mentionem fecisses, consuetudini sermonis & ipsi etiam rationi magis conveniens futurum esset, dici nos ad Dipnosophistarum urbem quam ad eorum historiam navigare.

PHI. Sed quis Athenæi libros *Dipnosophistarum* Dipnosophisticam historiam appellat?

COR. Quid? etiamsi nullum hujus appellationis autorem haberem, an mihi ea uti non liceret? Sed autorem certe habeo Eustathium, qui vocat etiam Δειπνοσοφιστὴν eundem illum scriptorem, & interdum τὸν Δειπνοσοφιστῶν συγγραφέα.

PHI. Quid? non censes iis quæ supersunt comœdiis Aristophanis, & illis quæ in eas exstant scholiis primum, ad præstandam nobis operam quod attinet, dari locum debere?

COR. Primusne, an secundus, an tertius illis debeatur locus, aliorum esto judicium: non postremum quidem certe mereri, haud negaverim.

PHI. Non dubito quin de symposiis & iis quæ ad ea spectant, multo ille plura, quam alii omnes simul, scripserit: sed de cæteris alios consulendos existimo.

COR. Latius quam credas, illud Dipnosophisticæ historiæ argumentum extenditur: adeoque tam late ut plerunque illum ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν, primo aspectu sis judicaturus. Nec tamen inficior, plurima & propemodum infinita esse de quibus non illum, sed alios consulere oporteat.

PHI. Hoc mihi exemplis a te ostendi velim.

COR. At ego hac de re a nobis disseri (quem in sermonem me a te deduci video) hoc tempore nolim.

PHI. Cur alio quam hoc tempore id fieri malis?

COR. Quoniam paratior instructiorque ad eum venire sermonem possem.

PHI. At ego tanto nunc sum accensus desiderio audiendi aliquam ea de re dissertationem, ut mihi vel brevis dissertatiuncula multo jucundior quam postea longa dissertatio futura sit. Quemadmodum enim valde exiguus potus sitim valde sitientis non extinguere, sed magis accendere videtur, (sicut & paululum aquæ magno igni infusum, eum potius auget quam extinguit) ita Dicæarchi σύγγραμμα tantum abest ut meum desiderium expleat, ut contra magis quam antea de illo explendo laborem.

COR. Conabor itaque, etiam imparatus, tuum desiderium si non explere, at certe lenire: ea tamen lege ut quam imperfectam reliquero dissertationem, alias apud te ipsum perficere liceat: & aurem te mihi vocanti præbiturum, haudque magis huic vocationi quam vadimonio defuturum, pollicearis.

PHI. Imo vero vadimonium quodvis deserturum potius quam tibi in me exspectando vel unius horulæ moram allaturum polliceor.

COR. Utinam, quam es audiendæ hujus διαλέξεως studiosus, tam ego ad eam instructus venirem: ut quam est laudabile istud tuum studium, tam laudabili dissertatione satisfacere illi valerem. Magnam enim huic tuo studio laudem deberi nemo negaverit, qui modo considerabit cu-

A jus populi mores, & vitæ instituta inquiras. Nam si cognitio morum gentium aliarum tanti facta semper fuit, ut earum etiam quæ barbaræ vocarentur mores cognoscendi, magnam non Ulyssi solum, sed quibuslibet hominibus cupiditatem insitam & priscis & omnibus sæculis fuisse videamus: ac tantum non quarundam quæ cæteris barbariores haberentur: quanti faciendam esse dicemus notitiam morum gentis ejus quæ suo quodam & sibi peculiari jure, multoque majori ratione quam alia ex Græcis ulla, eas quæ non itidem Græcæ essent, barbaras & existimare & appellare poterat? Hoc autem jus, hanc prærogativam, hoc privilegium ii demum illi denegabunt, qui eos humanæ naturæ velut alteram indidisse humanitatem ignorabunt: B quinetiam effecisse ut in quibus unum jam humanitatis genus velut marcesceret, ejus vigor, alterius generis adventu, redintegraretur. A Græcis enim, sed præsertim ab Atheniensibus, ea quæ humanitatis studia vocantur, manasse, vix latere quenquam potest. His autem ideo istud impositum esse nomen scimus, quia verum est quod Naso de ingenuis artibus canit:

Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.

C Itidemque alibi:

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
Pectora mollescunt, asperitasque fugit.

Quod si ingenuarum artium tanta vis ubique est, quantam earum vim in ea fuisse urbe dicemus, quæ illarum velut domicilium, velut emporium erat? in ea urbe quæ Ἑλλάδος Ἑλλὰς, id est, *Græcia Græciæ*, dicta quondam fuit? Quamvis enim non assentiar iis qui perinde esse putant ac si di- D ctum foret eam tantum cæteris Græciæ urbibus antecellere quantum ipsæ barbaris antecellerent, (quod tantam illi laudem tribui posse non existimem quin aliqua cæteris injuria fiat) tamen hinc patere fateor, eam cæteris summa in admiratione, maximoque in pretio, tanquam omnino incomparabilem, fuisse. Nec vero artium ingenuarum atque adeo doctrinarum omnium domicilium & emporium tantummodo, sed origo etiam fuisse dici potest: si verum est quod vel Cicero fateri cogitur, eam illarum inventricem omnium fuisse. Audimus enim illum, Athenas omnium doctrinarum inventrices appellantem.

E PHI. Ejus loci memini, libro primo *De Oratore*. Sed non recordor ubinam illas earum emporium vocet.

COR. Hac quidem ipsa voce non utitur, sed dicit quod idem sonat, libro *De Officiis* tertio, non procul ab initio. Ibi enim filio dicit, eum suscepisse onus grave & Athenarum & Cratippi: *Ad quos* (inquit) *quum tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est, dedecorantem & urbis autoritatem & magistri.*

F PHI. Perinde esse fateor ac si emporium dixisset. Pro quo tamen libentius mercatum more suo dicturum fuisse arbitror.

COR. Nec omnino certe absimile vero est, illum *mercatum* non *mercaturam* scripsisse.

PHI. Quis vero hic magister erat? nonne Cratippus?

COR. Is ipse: de quo paulo ante valde honorifice loquens dixerat, *principe hujus memoriæ philosophorum.*

PHI. Miror, si tantus philosophus is erat, tam ratam & pene nullam ejus esse apud eos qui exstant scriptores mentionem.

COR. Idem & ipse miratus sum aliquando, itidemque de Herillo Stoico: cujus ab eodem pluribus fieri locis mentionem non ignoras. Magis enim ex ejus quam alius cujusquam libris notitiam hujus philosophi habere nos arbitror: si tamen Diogenes Laertius excipiatur. Verum ne ab hoc quidem toties ejus, quoties a Cicerone, fieri mentionem videmus: sed quum Cicero idem pluribus locis de illo scribat, a Diogene varia scribuntur.

PHI. Meminit illius philosophi, & Clemens Alexandrinus, secundo suorum *Stromatωn* libro, scribens illum, finem (ad quem vita hominis tendit, aut tendere certe debet) statuisse τὸ κατ' ἐπιστήμην ζῆν, Ejus verba sunt, τὸ κατ' ἐπιστήμην ζῆν τέλος εἶναι τίθησιν Ἥριλλος. Cicero autem de summo bono dicit quod Clemens de fine. Illum enim, scientiam summum bonum esse, scribit defendisse, nec rem ullam aliam per se expetendam. Et alibi, illum in cognitione & scientia summum bonum posuisse tradit. Ubi duo sunt observanda, Ciceronem non finem, (uti dixi) sed summum bonum dicere; & ab eodem dici *Scientiam* pro eo quod ab illo dicitur *Vivere secundum scientiam*.

COR. Sed & finem bonorum haud semel eum dicentem audimus: sicut & τέλος τῶν ἀγαθῶν Græcos interdum appellasse scimus. Ad alterum autem illud quod attinet, Diogenes dicit quidem & ipse eum censuisse finem esse scientiam, (scribit enim, Ἥριλλος δὲ ὁ Χαλκηδόνιος, (non Καρχηδόνιος) τέλος εἶπε τὴν ἐπιστήμην, non autem, τέλος εἶπε τὸ ζῆν κατ' ἐπιστήμην) sed tamen ita ut alterum illud quod a Clemente affertur, tanquam hujus expositionem, subjungat. Tradit autem de illo philosopho & quod a Cicerone scribitur, illum a Zenone præceptore suo dissensisse: sed quod plus est dicit Diogenes, videlicet libros etiam in quibus illi contradicebat scripsisse.

PHI. Athenas revertamus, Coronelle, omnium doctrinarum inventrices. An cæteros putas Græcos hunc eis titulum tribuisse?

COR. Haud tam late patentem. Ac ne a barbaris quidem, aut Athenienses, aut etiam universos Græcos, omnium doctrinarum inventores existimatos fuisse existimandum est: quum potius ab ipsis profectas esse quasdam, ad Græcos deinde translatas, constet. Sed alius erit hac de re dicendi locus.

PHI. Altero saltem titulo jactare se urbs illa potuit, & se emporium sive mercatum omnium doctrinarum aut artium appellare.

COR. Istud saltem, nemine repugnante, potuit.

PHI. Ne de illo quidem moveri controversia titulo potuit, quo Græciæ μουσεῖον dicta fuit.

COR. Ne de illo quidem. Sed honorificentiores ii sunt quibus ἑστία τῆς Ἑλλάδος & πρυτανεῖον τῆς Ἑλλάδος appellata fuit.

PHI. At hi controversiam movere poterant.

COR. Nec controversiam solum, sed majorem etiam, quam superiores illi, invidiam.

PHI. Ac potuit certe de illis prioribus (id est, de quibus priori loco dictum a nobis fuit) adversus Athenas Tarsus contendere, si verum est quod a Strabone de illa scribitur, tantum Tarsensibus philosophiæ studium fuisse, & aliarum omnium disciplinarum, quæ ἐγκύκλιοι vocabantur, ut Athenas & Alexandream superaverint, & si quis alius memorari potest locus ubi philosophorum scholæ necnon λόγων fuerunt. Nam non solum φιλοσόφων, sed etiam λόγων dicit, & non solum σχολαί, sed & διατριβαί: hæc enim ejus sunt verba: Καὶ εἴ τινα ἄλλον τόπον δυνατὸν εἰπεῖν ἐν ᾧ σχολαὶ καὶ διατριβαὶ φιλοσόφων καὶ λόγων γεγόνασι. Interpres autem λόγων appellatione artes ad humanitatem pertinentes significari existimavit. Ac videtur sane, quod τὴν ἐγκύκλιον παιδείαν paulo ante dixerat, hic λόγους dicere voluisse: quum utrobique simul etiam philosophiæ mentionem faciat: aut saltem illic quidem, philosophiæ, hic autem, philosophorum. Alioqui λόγους de eloquentia dici ab eo putarem. Cæterum discrimen hoc inter Athenas & Tarsum, quod ad studia literarum attinet, esse scribit, quod Tarsi quidem omnes qui discendi cupidi forent (nam dicit οἱ φιλομαθοῦντες) indigenæ essent, quum peregrini non facile eo ventitarent. Sed plura tibi apud eum super hac re videnda relinquo. Ac memini ab illo & φιλολόγους Athenienses dici, *libro* II. Οὐ γὰρ φύσει Ἀθηναῖοι μὲν φιλόλογοι, Λακεδαιμόνιοι δ' οὔ. Ubi fortasse non immerito quis credat illi vocabulo φιλολόγοι eam vocis λόγοι significationem subesse quam habet in eo de quo dictum modo fuit loco. Inter alias autem quas alibi illis laudes tribuit, est hæc, quod essent φιλόξενοι.

PHI. O quam multi, ex Romanis præsertim, hujus laudis testimonium perhibere illis potuerunt!

COR. Est vero ἡ φιλοξενία magnum humanitatis indicium. Quid porro hominibus ea quæ humanitatis studia vocantur colentibus esse convenientius quam humanitas potest? Sed eam in una re potissimum perspici posse arbitror.

PHI. Quænam ea est?

COR. Imo vero eam te assequi conjectura velim.

PHI. Quodnam illud sit præcipuum humanitatis in Atheniensibus indicium, non una conjectura, sed multis simul conjecturis persequor, verum assequi nequeo

COR. Te diutius id persequi velim: jamne es fatigatus?

PHI. Quid? visne me ad fatigationem usque persequi?

COR. Volo.

PHI. Multæ eorum leges humanos fuisse testantur: sed nulla mihi in mentem venit quæ alias supra magnæ cujusdam humanitatis indicium videri possit.

COR. Non tibi venit in mentem quod apud Ciceronem in libro *De Officiis* tertio legimus de illis qui erranti viam non monstrarent? *Quid enim*, inquit, *est aliud*, *erranti viam non monstrare*, (*quod Athenis execrationibus publicis sancitum est*) *si hoc non est?*

PHI. Memini me apud illum hæc legere: & fateor locupletissimum hoc esse humanitatis illorum testimonium. Sed quod ad illam quæ erga peregrinos spectatur humanitatem attinet, (hoc enim humanitatis genus ei proprium est quæ φιλοξενία vocatur, quam tu modo illis tribuebas) nec Atheniensibus, nec ulli unquam genti tantam fuisse reor quantam in Gallis ante bella civilia peregrini experti sunt. Ac certe faciunt ea quæ nostrum etiam seculum humanitatis hujus vidit exempla, ut quæ de majoribus nostris fide majora existimari poterant, fidem mereri dicendum credendumque sit.

COR. Quænam ea sunt?

PHI. De quibusdam loquor miris φιλοξενίας exemplis.

COR. Cedo unum.

PHI. Gravius animadversum apud Celtas fuisse in eum qui peregrinum quam in eum qui civem occidisset: huic enim exilium tantummodo, at illi mortem pœnam statutam fuisse.

COR. Oblitus eram hujus Celtici inſtituti: at nunc id a Nicolao Damaſceno memoriæ proditum fuiſſe recordor. Nonne ex illo petitum id eſt?

PHI. Etiam. Ac verba ejus ſunt hæc: *Μεῖζω δ' ἐςὶν ἐπιτίμια κατὰ τοῦ ξένον ἀνελόντος ἢ πολίτην· ὑπὲρ τοῦ μὲν γὰρ θάνατος ἢ ζημία· ὑπὲρ τοῦ δὲ πολίτου φυγή.*

COR. Majores ergo noſtros laude hoſpitalitatis (ita enim appellare quam Græce *φιλοξενίαν* dicis, poſſumus) ipſos etiam Athenienſes ſuperaſſe, jure optimo dixerimus. Hanc ſane omnes illorum Dracones & Solones mirarentur magis quam probarent, ut opinor.

PHI. Sed quid tamen majores noſtros ad ferendam hanc legem moviſſe arbitraris?

COR. Quod peregrinus veluti pupillus quidam ſit: & quum talis quodammodo ejus conditio ſit, (præſertim dum procul a patria peregrinatur) ejus vicem miſerari oporteat, nedum violentas manus illi afferre.

PHI. Hanc & illis mentem fuiſſe ſuſpicor. Sed putaſne meliores leges, meliora inſtituta majoribus noſtris quam eorum poſteris fuiſſe?

COR. Si de majoribus noſtris loquens, non ultra recepti Chriſtianiſmi tempus vis progredi, videri mihi rem ita ſe habere dicam: nam Chriſtianiſmum profitentes cum Chriſtianiſmum profitentibus, non cum Ethnicis, conferre par eſt. Nec vero tibi mirum hoc videri debet: quæ enim eſt gens de qua & quod ad leges atque inſtituta attinet, id dici non poſſit quod de hominibus canit Horatius?

Ætas parentum pejor avis, &c.

In Perſis quidem certe verum hoc fuiſſe clamat Xenophon: & apud Nicolaum Damaſcenum atque alios quoſdam legimus quædam quarundam gentium inſtituta valde laudabilia, a quibus eas tandem deſciviſſe, ante etiam quam mutatus earum ſtatus eſſet, videmus. Verum, ut in Athenienſium mentione maneamus, nonne Ariſtophanem de ab illis amiſſa (magna ſaltem ex parte) veteri ſua diſciplina jam querentem audimus? Lege vel ea quæ in *Nubibus* dicit qui ab eo introducitur *δίκαιος λόγος*: quorum initium eſt:

Λέξω τοίνυν τὴν ἀρχαίαν παιδείαν ὡς διέκειτο.
Οτ' ἐγὼ τὰ δίκαια λέγων ἤνθουν, καὶ σωφροσύνη νενόμιστο,
Πρῶτον μὲν ἔδει φωνὴν παιδὸς γρύξαντος μηδὲν ἀκοῦσαι,
Εἶτα βαδίζειν, &c.

PHI. Sed non minus de poſteris leges alioqui bonas negligentibus, quam de ipſis legibus illum & cæteros conqueſtos eſſe arbitror.

COR. De hoc quoque conqueſtos eſſe fateor, quod non, ut ſui majores, diſciplinæ ſibi traditæ obſervantes forent. Verum ut plane intelligas quomodo ſe res hac in parte habeat, autor tibi ſum ut ipſum etiam Iſocratem, nec non ipſum Demoſthenem adeas, licet talia brevius perſtringentem, & potiſſimum de iis orationes magis auribus jucundas quam rebus civitatis ſalutares habeant. Sic *Olynthiaca* I. circa principium: *Ορᾶτε γὰρ ὡς ἐκ τοῦ πρὸς χάριν δημηγορεῖν ἐνίους, εἰς πᾶν προελήλυθε μοχθηρίας τὰ πράγματα.* Ac pertinent eodem iſta, quæ non procul a fine ejuſdem *Orationis* ſcribit: *Ἀλλὰ δικαίου πολίτου κρίνω τὴν τῶν πραγμάτων σωτηρίαν ἀντὶ τοῦ ἐν τῷ λέγειν χάριτος αἱρεῖσθαι.* Atque his ſubjungit. majores illorum tali politia uſos eſſe, Ariſtidem illum, Niciam, Demoſthenem, (nam τὸν *ὁμώνυμον ἐμαυτῷ* dicit) Periclem.

A Contra vero, ex quo comparere cœperunt oratores qui rogent, *τί βούλεσθε; τί γράψω; τί ὑμῖν χαρίσομαι;* ex eo tempore *προπέποται τῆς παραυτίκα ἡδονῆς καὶ χάριτος τὰ τῆς πόλεως πράγματα.* Deinde illis ſpectanda proponit ab una parte ea quæ dici queant præcipua inter illa quæ eorum majores, & ab altera, quæ præcipua inter illa quæ ipſi geſſerunt: *Illi enim*, (inquit) *quibus non gratificabantur oratores, & quos non amabant eo quo nunc iſti vos modo, quinque & quadraginta annos Græcis imperarunt minime invitis, & amplius quam decem millia talentorum in arcem coegerunt. Quinetiam dicto audiens ipſis erat qui hanc regionem* B *habebat rex: ut barbarum Græcis dicto eſſe audientem par eſt. Multa denique & pulchra tropæa ex pedeſtribus ac navalibus pugnis poſuerunt, quum ipſimet militarent: ſolique ex omnibus hominibus eam rerum geſtarum gloriam reliquerunt, qua ſuperiores invidis fuerunt.* Ac poſteaquam addit pauca de publicis ædificiis quibus urbem ornarunt, ac nominatim de templorum ſtructuris, (adjungens *τοῖς οἰκοδήμασιν* & *ἀναθήματα*) privatim contra fuiſſe adeo moderatos, ſive tanta moderatione uſos dicit, ut videre unuſquiſque poſſit Ariſtidis & Miltiadis domum, aliorumque quorum tunc C magnus ſplendor nominis erat, vicini ſui domo nihilo magnificentiorem. Atque hujus rei rationem reddit, quod ita rem adminiſtrarent, ut non ſua ſed reip. commoda ſpectarent. Huic autem adminiſtrationi illam quæ tunc erat opponit. Verum & aliis in locis talem morum quibus majores præditi erant cum ſui temporis moribus antitheſin proponit: ut in ea oratione quæ a quibuſdam *Philippica* tertia vocatur. Nam ibi, quam ſevere a majoribus puniretur *ἡ δωροδοκία*, quanta eſſet contra ejus impunitas ſuo tempore, oſtendit: & quidem exemplum in Arthmium quemdam a majoribus ob illam editum afferens: vel potius ob rem D quæ multo magis venia videri digna quam *δωροδοκία* poterat.

PHI. Illius loci recordor.

COR. Ex eo igitur plura non afferam: ſed ad Iſocratem tranſibo, eaſdem propemodum querelas jactantem: ac te ut apud illum hoc animadvertas, monebo: niſi forte jam animadvertiſti. Hic enim ne illud quidem peccatum Athenienſium tacet, quod militare ipſimet nollent, ſed mercenariis militibus uterentur, quorum alii, exules, alii, transfugæ eſſent, alii aliis flagitiis inquinati ad ipſos confluxiſſent: parati vel adverſus eos pugnare pro illo qui plus ſtipendii numeraret.

E PHI. Quid? an igitur Demoſthenes quoque de hoc queritur?

COR. Non recordaris, illum in eo quem protuli loco ex *Olynthiaca* tertia, dicere, majores illorum tropæa & ex pedeſtribus & ex navalibus præliis ſtatuiſſe, ipſoſmet militantes? Nam quod dicit, *αὐτοὶ στρατευόμενοι*, non dubium quin ita reddi debeat, *ipſimet militantes*: quum paucioribus verbis hæc includat, Mercenario, ſicut vos, milite, nequaquam utentes, ſed ipſimet militantes. Ac perinde eſt *αὐτοὶ στρατευόμενοι*, ac ſi diceretur *τοῖς αὐτῶν σώμασι κινδυνεύοντες*, ut poſtea loqui- F tur Iſocrates: quum alioqui verbo *στρατεύεσθαι*, ſicut & Demoſthenes, paulo ante uſus eſſet. Cæterum longior apud Iſocratem in *oratione de pace*, illius peccati ſeu vitii ſeu dementiæ eſt reprehenſio. Atque inter cætera addit: *Eo denique ſtultitiæ venimus, ut quum victus quotidiani penuria laboremus, tamen peregrinos alere conemur: ac ſociis noſtris detrimentum afferentes, ab illis tributa exigimus, ut communibus omnium hoſtibus mercedem ſuppeditemus.* Sed reliqua (nam multo ulterius in eorum reprehenſione pergit, & quidem in

nonnullis comparatione cum ipsorum majoribus utens) apud eum videnda tibi relinquo.

PHI. Tam cito ab Isocrate vis discedere?

COR. Imo, antequam ab illo discedam, aliquid & ex illo, ad fidem ejus quam paulo ante Atheniensibus tribuebamus laudis faciendam, adjungam.

PHI. Qua de laude loqueris?

COR. De illa τῆς φιλοξενίας laude.

PHI. Quid? an Isocrates quoque φιλοξένους illos fuisse dicit, aut illa φιλοξενίας appellatione, de illis loquens, utitur?

COR. Nequaquam, quod sciam: sed eorum urbem patriam communem vocat: & quidem etiam ubi de Theseo loquitur: nam de illo dicit in Helenes encomio, κοινὴν τὴν πατρίδα καταστήσας: falluntur enim qui putant hoc ita esse accipiendum, ac si ad democratiam referri deberet: tanquam, ubicunque sit democratia, ibi patria communis esse dici posset. Nam hoc laudis reipubl. sive civitati Atheniensium, ceu illi proprium, dari, Aristides etiam ostendit: scribens in *Panathenaica Oratione*, civitatem Atheniensium jam inde ab initio se omnibus communem in ærumnis præbuisse: adeo ut Græci duabus niti anchoris sibi viderentur, quum privatim quidem antiquam patriam pro vera haberent, communiter vero omnes huic insuper civitati nomen patriæ darent. Ita enim apud eum legitur, κοινῇ δ' ἅπαντες ταύτην προσονομάζοντες πατρίδα: quum tamen perinde sit ac si κοινὴν dixisset: ac fieri etiam possit ut ita scripserit: præsertim quum alio in loco ita vocetur. Cæterum addit: καὶ τὴν μὲν προτέραν, (quam dixerat τὴν ἀρχαίαν) δευτέραν· τὴν δὲ ὑστέραν, προτέραν ἄγοντες τῇ δυνάμει. Et rationem adjicit, τοσούτῳ γὰρ βεβαιοτέραν ταύτην αὐτοῖς εἶναι καὶ λυσιτελεστέραν, ὅσῳ μᾶλλον ἀνάλωτον καὶ ὡς ἀληθῶς ἱεράν. Quibus addit, καὶ μετὰ τῆς πείρας ἔγνωσαν ὀρθῶς βουλόμενοι.

PHI. Cur vero Atheniensium urbem, patriam sacram appellat?

COR. Quum duarum anchorarum mentionem fecisset, (dixerat enim paulo ante, καὶ πάντες ἐπὶ δυεῖν ὁρμεῖν ἔδοξαν οἱ Ελληνες) illuc respicere videtur: quasi duabus patriis, tanquam duabus anchoris, nitentes, Atheniensium urbem, quæ natura posterior patria esset, sed τῇ δυνάμει prior, pro sacra anchora haberent. Pro me autem facit parvum in locum illum scholium, quo scribitur, ἱερὰν τὴν πόλιν λέγει, ὥσπερ τὴν ἱερὰν ἄγκυραν, κατὰ τὴν παροιμίαν. Quibus adjicitur, quænam sacra anchora vocetur. Sed debuit, opinor, addere (quicunque hoc annotavit) eum ad illud quod antea dixerat, ἐπὶ δυεῖν ὁρμεῖν, respicere. Alioqui enim minime ita loqui sibi permisisset, meo quidem judicio. Quod autem de duabus patriis dicit, καὶ τὴν μὲν προτέραν, δευτέραν· τὴν δὲ ὑστέραν, προτέραν ἄγοντες τῇ δυνάμει, non recte vertit Interpres, *& ut priorem, secundo, ita posteriorem, primo loco ponerent*: omittit enim illud τῇ δυνάμει: quod sonat *potentia*. Atque istud δυνάμει exponens, sive hujus sui dicti rationem reddens, subjungit, τοσούτῳ γὰρ βεβαιοτέραν ταύτην αὐτοῖς εἶναι, & cætera quæ modo retuli. Verum & hic peccat Interpres, quod quum periodum illa verba claudant, καὶ ὡς ἀληθῶς ἱεράν, ille ab exemplari deceptus, in quo nullam sequi interpunctionem videbat, cum sequentibus continuaverit. Hoc etiam illi imposuit quod nihil, unde dici posset pendere εἶναι, videret: & nesciret, aut non recordaretur, talem verbi ellipsin cum infinitivo sæpe occurrere, extrinsecus assumendi. Alioqui certe hæc a præcedentibus separasset, καὶ μετὰ τῆς πείρας ἔγνωσαν ὀρθῶς βουλόμενοι, τοῦτο μὲν οἱ περὶ Θήβας ἀτυχήσαντες, &c. & ita vertisset, *Atque experientia teste rectum se consilium capere* (vel *recte se sentire*) *cognoverunt partim qui ad Thebas cladem acceperunt*. At ille ut hæc cum præcedentibus confuderit, vocabulo βουλόμενοι alium quam suum usum tribuens, (ut alia taceam) apud eum videbis.

PHI. Tuum igitur librum mihi commodato dabis: deest enim meæ bibliothecæ illa interpretatio.

COR. Quasi vero mea bibliotheca tanquam tua tibi uti, vel me absente, non liceat: ut hac in re potissimum habeat locum vetus verbum, quo amicorum omnia esse communia dicuntur.

PHI. Aptissime, in mentione communis patriæ, hujus proverbii meministi. Sed velim alterum mihi a te indicari Aristidis locum, ubi rursum Athenas communem patriam vocat: quem etiam juvare nos ad illlus emendationem posse ajebas: nimirum ad reponendum κοινῆς pro κοινῇ.

COR. Possemus quidem, & absque loci illius autoritate nobis hoc permittere, si necessaria emendatio ista esset, & quam habemus lectio sensum eundem non efficeret: quoniam tamen hanc ipsam κοινῆς πατρίδος appellationem ex minime controversa scriptura cupis a me afferri, illum quoque locum tibi ostendam, quum primum in meam bibliothecam venies.

PHI. Cras igitur, Deo volente, eum videbo.

COR. Audi & aliud ad eandem φιλοξενίαν Atheniensium, Strabone judice, pertinens, quod mihi idem ille scriptor, Aristides inquam, in memoriam revocavit.

PHI. Libenter & hoc audiam: multum enim Strabonis judicio tribuo.

COR. Hæc ejus sunt verba, *libro* X. Ἀθηναῖοι δ' ὥσπερ περὶ τὰ ἄλλα φιλοξενοῦντες διατελοῦσιν, οὕτω καὶ περὶ τοὺς θεούς.

PHI. Sed quo respiciens, quæso, dicit illos suam erga deos etiam hospitalitatem (nam φιλοξενίαν dicebamus ita posse reddi) exercuisse?

COR. Præcipitasti hanc interrogationem: alioqui iis quæ statim adjunxissem, eam antevertissem. Sunt autem hæc, πολλὰ γὰρ τῶν ξενικῶν ἱερῶν παρεδέξαντο.

PHI. An Strabo φιλοξενίαν & hoc vocat, peregrina etiam sacra recipere?

COR. Vocat profecto.

PHI. Illi profecto nequaquam assentior: etiamsi te multum judicio illius tribuere dicas.

COR. Audi quid addat, ὥστε καὶ ἐκωμῳδήθησαν. Deinde nominatim Thraciorum & Phrygiorum sacrorum mentionem facit.

PHI. Ac merito sane comicis eo nomine risui fuerunt. Sed quid ipse Strabo, an cum comicis & ipse eos κωμῳδεῖ?

COR. Nequaquam: sed potius neutrum se præbet, ac judicium suspendit. Neque vero (nihil enim dissimulare volo) φιλοξενίαν in ea qua de nunc agitur re, satis apte ut supra interpretari *Hospitalitatem* possimus: sed potius *Rerum peregrinarum studium* interpretari, rationi consentaneum fuerit. Ideoque non male fortasse Interpres ita reddidit locum, quem paulo ante tibi ex eo proposui, *Athenienses, quemadmodum alias morem suum peregrina adsciscendi, ita etiam quod ad deos attinet, tenuerunt: multa enim sacra peregrina receperunt*. Poterat tamen brevius, *suum rerum peregrinarum studium*, vel *amorem*.

PHI. Sed quis ille est Aristidis locus qui te hujus admonuit?

COR. Quidam parvo illum præcedens intervallo de quo disseruimus. Ibi enim postquam dixit:

Ἡρό-

Ἡρακλέους ἀπελθόντος ἐξ ἀνθρώπων, ἡ μὲν πολλοὺς καὶ νεὼς καὶ βωμοὺς ἱδρύεται πρώτη, καθάπερ καὶ πρόσθεν τοῖς μυστηρίοις ἐτίμησε (non ἐτίμησαν) πρῶτον ξένων· καὶ διατελεῖ δὴ θεὸς ὢν καὶ δοκῶν ἐξ ἐκείνου (non ἐκείνων) οὐ γὰρ μόνον τοὺς πρεσβυτάτους ἄρα τῶν θεῶν ἦρξε τιμᾶν, καὶ ταῦτα διαφερόντως, καὶ ὑπὲρ πάντας τοὺς ἀκολουθήσαντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐπήλυδας αὕτη μετὰ τῶν ἄλλων θεῶν ἐνέκρινεν, ὥσπερ συμπολιτευομένη τοῖς θεοῖς. Nam hic, sicut & apud Strabonem, videmus illam Atheniensibus innatam *φιλοξενίαν* facere ut deos *ἐπήλυδας*, id est, eorum cultum, recipiant: quum jam dixisset illos Herculem *τοῖς μυστηρίοις τιμῆσαι πρῶτον τῶν ξένων*. Ac quum deos *ἐπήλυδας* postea dicit, omnino perinde est ac si *ξένους* diceret.

PHI. Quidnam vero illud, *συμπολιτευομένη τοῖς θεοῖς*, sibi velle putas?

COR. Statim mihi de illo quod in toto loco difficillimum est quæstionem moves. Sed tibi pro me Interpres respondeat, totum illum locum ita reddens, *Quum enim Hercules e vivis excessisset, Urbs ei* (nam pro *πολλοὺς* scribit *πόλις*, quum tamen retineri illud possit) *primum templa & aras consecravit, sicut & olim primum ex peregrinis ad initia admiserat;* (observa autem quomodo *ἐτίμησε τοῖς μυστηρίοις* reddat) *unde pro deo deinceps est habitus. Nec enim antiquissimos illa tantum deos eximiis honoribus præter omnes sui sectatores affecit, sed & novos deos cum aliis adoptavit, quasi communem rempubl. regerent.*

PHI. Nihil me ista in parte in qua hæreo hic Interpres adjuvat: quum aliam lectionem sequatur, haud aliter vertens quam si, non *συμπολιτευομένη τοῖς θεοῖς*, sed *συμπολιτευομένους* scriptum esset.

COR. Hoc fateor, duplicem hic nostræ scripturæ mutationem esse, primum ex *συμπολιτευομένη* faciendo *συμπολιτευομένους*, deinde *τοῖς θεοῖς* expungendo.

PHI. At tu quid hac de mutatione ais? an necessariam esse putas?

COR. Nequaquam: sed videndum esse dico annon potius *συμπολιτευσομένη* exigua cum mutatione scribendum sit. Cæterum illa verba *τοῖς μυστηρίοις ἐτίμησε πρῶτον ξένων*, non est quod male reddita putes his Latinis, *primum ex peregrinis ad initia admiserat*. Nisi forte aliquis apertius loquendum fuisse dicat: quum Hercules ab Atheniensibus initiatus fuisse dicatur, at possit ad initia admissus & aliter accipi.

PHI. Dictum ergo fuerit *τοῖς μυστηρίοις* pro *τῇ τῶν μυστηρίων μυήσει*, vel potius *τῇ ἐν τοῖς μυστηρίοις μυήσει*: ut dicitur *μυεῖν τινὰ ἐν τοῖς μυστηρίοις*: quum alioqui frequentius occurrat, *μυεῖν τὰ μυστήρια*.

COR. Ita dictum esse *τοῖς μυστηρίοις*, persuasum & ipse habeo.

PHI. Sed ubi istud de Hercule legisti?

COR. Apud Enarratorem *Pluti* Aristophanici legimus, in gratiam Herculis instituta fuisse parva mysteria: quod quum Eleusinem venisset & initiari vellet, lex autem esset Athenis quæ peregrinum quenquam initiari vetaret, illi ejus virtutem reveriti & quod filius Jovis esset, parva mysteria instituerunt, quibus eum initiaverunt.

PHI. Ad alteram illam Atheniensium *φιλοξενίαν*, de qua dictum priore loco fuit, revertor: ac quæro ex te, si adeo *φιλόξενοι* erant, cur apud eos Comici quosdam irridebant quod *ξένοι* forent, & in ipsis judiciis non paucos *ξενίας ἐδίωκον*, ut eorum verbis utar?

COR. Non satis recordari videris in quos actio illa, quæ *ξενίας* vocabatur, intendi soleret.

PHI. Aliquid fortasse aliud huic vocabulo subest quam quod nunc in mentem mihi venit.

COR. Ego mihi non videor melius tibi quam ipsius Budæi verbis illud posse exponere. Scribit autem ille *ξενίας διώκεσθαι* aut *φεύγειν* dici solitos qui ob id rei essent quod se pro civibus gessissent, juraque civilia usurpassent, quum peregrini forent. Atque idem, exponens verbum *ἀποψηφίζεσθαι*, & scribens significare etiam *ἐν τῇ διαψηφίσει ἀποδοκιμάζειν καὶ ἀδόκιμον κρίνειν*, exemplum ab hac ipsa actione sumit: quum addit, Ut si quis *ξενίας κρινόμενος*, hoc est, *peregrinitatis arcessitus*, quod diceretur *εἰς τὸ ληξιαρχικὸν παρεγγεγράφθαι*, hoc est, *in tabulas tribus suæ obrepsisse*, judicum sententia damnetur. Id enim judicium *ἀποψήφισις* dicitur, quasi e tribu motio & ejectio. Quale fuit judicium ejus pro quo *Oratio* *πρὸς Εὐβουλίδην* scripta est: *qui popularium judicio*, *καὶ ἐν τῇ διαψηφίσει* damnatus, *ad judices provocavit*, hoc est, *ὑπὸ τῶν δημοτῶν ἀπεψηφισμένος, εἰς τοὺς δικαστὰς ἐφῆκε*: hisque verbis judices alloquutus est: *Ἀξιῶ δ', ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μηδέπω τὴν τῶν δημοτῶν ἀποψήφισιν, ποιεῖσθαι τεκμήριον ὑμᾶς ὡς ἄρα οὐχὶ προσήκει μοι τῆς πόλεως.* His enim verbis deprecatur ne popularium suffragiorum præjudicium sequantur, antequam causam penitus cognoverint.

Ex his, quisnam sit *ὁ ξενίας κρινόμενος*, sive *διωκόμενος*, satis apparet.

PHI. Sed illæ *ἐξηγήσεις*, una, verbi *ἀποψηφίζεσθαι*, altera, verbalis *ἀποψήφισις*, analogiam (ut ita dicam) non habent. Nam si dicamus *ἀποψήφισιν* fuisse quasi e tribu motionem & ejectionem ejus qui peregrinitatis arcessebatur, dicendum fuerit itidem, *ἀποψηφίζεσθαι*, dictum de illo ipso esse, e tribu movere & ejicere.

COR. Ego vero de servanda analogia in expositione verbi *ἀποψηφίζεσθαι* & ejus verbalis *ἀποψήφισις*, tibi *σύμψηφός εἰμι*. At hic servari dicere non possumus: quum illud *ἐν τῇ διαψηφίσει ἀποδοκιμάζειν καὶ ἀδόκιμον κρίνειν*, prius sit: illud, e tribu ejicere, sit posterius. Sed ille doctissimus alioqui vir & optime, si quis alius, de sermone Græco meritus, interdum hujus analogiæ in suis expositionibus rationem non habet: interdum vero nec quorundam aliorum, quorum tamen habenda fuit.

PHI. Ille autem vocis *Peregrinitas* usus pro Græco *ξενία* quantum tibi placet?

COR. Multum: nec dubito quin vox *ξενία* duriusculam quandam novitatem initio habuerit apud Græcos, ea de re dicta, sicut apud Romanos *Peregrinitas*, ad illius exemplum omnino efficta.

PHI. Usine sunt igitur Romani *peregrinitatis* appellatione ea de re?

COR. Tanquam Romanis usitata Suetonius in *Claudio* usus est: ubi scribit, quendam peregrinitatis reum, orta inter advocatos levi contentione, togatumne an palliatum dicere causam oporteret, ab eo, quasi æquitatem integram ostentante, mutare habitum sæpius, & prout accusaretur, defenderetur ve, jussum esse. Atque idem *capite* proxime sequente, quod est XVI. quendam ab eo in peregrinitatem redactum esse scribit. Quod loquendi genus placuit etiam Ulpiano, (sicut & alia nonnulla, quæ apud eundem exstant) sed an tamen eundem plane usum apud utrunque habeat, dubitari potest. At vero illud *ξενίας φεύγειν* apud Aristophanem quoque legimus, in *Vespis*. Ex illa autem Demosthenis *Oratione*, quæ vocatur *ἔφεσις πρὸς Εὐβουλίδην*, discimus, de illis *τοῖς ξενίας φεύγουσιν*, id est, *qui peregrinitatis rei essent*, dici etiam solitum, *οὐ προσήκειν αὐτοῖς τῆς πόλεως*. Ac in fine ejus rogat reus judices ne ipsum

ἄπαλαι faciant. Argumentum illius qui nobis reliquit, inter cætera scribit, legem ab Atheniensibus latam, de inquirendo in omnes qui inscripti essent in illa grammateia, quæ ληξιαρχικὰ vocabantur, genuini cives forent, necne: & de illis, qui ex cive patre & cive matre geniti non essent, delendis. Cæterum qui falso in civium catalogum erant ἐγγεγραμμένοι, illi & παρεγγεγραμμένοι & παρέγγραπτοι sive παρέγγραφοι vocabantur: quasi quis dicat *Interscripti*, aut *Interscriptitii*: perinde ac si nomina illorum scriptura quadam subdola & irreptitia aliis inserta sive interposita essent. At, qui *Adscriptitii* interpretantur, voce, quæ Græcæ προσγεγραμμένοι potius quam παρεγγεγραμμένοι respondet, utuntur. Ac Cicero quidem *adscriptitios deos*, Lucianus παρεγγεγραμμένους θεοὺς dixit: sed odiosius hic quam ille loquutus est.

PHI. Illius loci recordor, ex tertio *De natura deorum* libro: ubi tamen non *adscriptitios deos*, sed *novos & adscriptitios cives* legi certo scio. Librum ipsum (si libet) afferendum curabo. Tu interim sermonem persequere.

COR. Addere volebam, Plutarchum, audaci sed tamen apta metaphora, παρέγγραπτον appellasse benevolentiam nutricum, præ ipsarum matrum benevolentia: præfigentem illi παρέγγραπτον aliud itidem metaphoricum vocabulum ὑποβολιμαίαν. Postquam enim dixit de matribus, quas suis infantibus ubera præbere vult, συμπαθέστερόν τε γὰρ θρέψουσι, καὶ διὰ πλείονος ἐπιμελείας, ὡς ἂν ἔνδοθεν καὶ τὸ δὴ λεγόμενον ἐξ ὀνύχων ἁπαλῶν (ita enim scribendum est, non ἐξ ὀνύχων, sine illo adjectivo, ut in illis editionibus quæ meam præcesserunt) ἀγαπῶσαι τὰ τέκνα: contra de nutricibus, quas τιτθὰς & τροφὰς vocat, τὴν εὔνοιαν ὑποβολιμαίαν καὶ παρέγγραπτον ἔχουσιν ἅτε μισθοῦ φιλοῦσαι.

PHI. En tibi Ciceronis librum & locum: *Jam vero in Græcia multos habent ex hominibus deos: Alabandum Alabandi: Tenedi Tenem: Leucotheam, (quæ fuit Ino) & ejus Palæmonem filium, cuncta Græcia: Herculem, Æsculapium, Tyndaridas: Romulum nostri, aliosque complures, quos quasi novos & adscriptitios cives in cœlum receptos putant.* Nonne ita se rem habere vides, ut dixi? non *adscriptitios deos*, sed *adscriptitios cives* vocari?

COR. Nonne vides ipse de diis agi qui dii ex hominibus facti, in cœlum quasi novi & adscriptitii ejus cives, recepti sunt? At hoc dicere, quid aliud est quam novos & adscriptitios deos illos appellare?

PHI. Non jam valde repugno.

COR. Nec vero jam (ut opinor) manebit tibi ille scrupulus, tanquam id quod de peregrinitatis reis passim legitur, illi quæ in Atheniensibus prædicatur hospitalitati repugnet: perinde videlicet ac si actio illa & Lacedæmoniorum ξενηλασία commune aliquid inter se haberent.

PHI. Aliud esse sciebam Lacedæmoniorum ξενηλασίαν: sed tamen nescio quomodo non satis convenire actio illa cum ea laude, quam Atheniensibus tantam tribuebas, videbatur. Verum, quo attentius rem considero, eo minus scrupuli in mente remanet.

COR. Hoc etiam consideres velim, Athenienses adeo se non præbuisse difficiles iis qui πολιτείαν, id est, *jus civitatis*, obtinere cupiebant, (sive τὸ εἰς πολίτας ἐγγράφεσθαι, aut uno verbo πολιτογραφεῖσθαι) ut potius eorum hac in parte facilitas derisui propemodum fuerit. Ac tam felices illos jam Demosthenis ætate fuisse, ex ejus περὶ συντάξεως *Oratione* discimus: ubi ostendit tale fuisse majorum institutum, ut vix concessuri fuerint ἀτέλειαν plerisque, (*immunitatem* Latini vocant) quibus πολιτείαν quoque ipsi concedant. Priscos autem Athenienses non tam facile præmium illud (quod summum esse judicabant) largitos esse, in *accusatione Neæræ* ostendit: faciens etiam legis hac de re latæ mentionem: qua hoc nominatim cavetur, *Nequem civitate* vel *civitatis jure donare* (aut, *civem facere*, utendo eodem quo ille genere loquendi) *liceat, nisi qui quod sua fortitudine de populo Atheniensi bene meritus sit, dignus eo præmio comperiatur.* Ejus verba sunt: Πρῶτον μὲν γὰρ νόμος ἐστὶ τῷ δήμῳ κείμενος, μὴ ἐξεῖναι ποιήσασθαι Ἀθηναῖον, ὃν ἂν μὴ δι᾽ ἀνδραγαθίαν εἰς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων, ἄξιον ᾖ γενέσθαι πολίτην. Ubi observandum est, eum non uti vocabulo quo beneficium quodvis in populum Atheniensem collatum declaretur, sed de eo loqui beneficiorum genere, quæ a fortitudine & strenuitate proficiscuntur. Ideoque non recte vertit quidam, *de populo Atheniensi bene meritus*: sed addendum fuit, *sua fortitudine*, vel *strennitate*. Vel dicendum, *ob strenuam populo Atheniensi navatam operam.* Alioqui enim multis & aliis modis de Atheniensi populo bene quis mereri poterat. Cætera omnia quæ addit idem Orator, non adjiciam, sed tibi apud eum videnda relinquam. Quod autem dixi, nimium etiam faciles in concedendo illo honore Athenienses fuisse, (posteros eorum quorum legem recitat Demosthenes) & quidam adeo ut etiam derisa illa eorum facilitas fuerit, in eo cum ad alios quosdam Græcorum scriptorum locos respexi, quædam in Atheniensibus notantium, tum vero ad istum Isocratis, in *Oratione De pace*: Καὶ σεμνυνόμεθα μὲν καὶ μέγα φρονοῦμεν ἐπὶ τῷ βέλτιον γεγονέναι τῶν ἄλλων, ῥᾷον δὲ μεταδίδομεν τοῖς βουλομένοις ταύτης τῆς εὐγενείας, ἢ Τριβαλλοὶ καὶ Λευκανοὶ τῆς αὐτῶν δυσγενείας. Quo enim alio sensu dici hoc posset de Atheniensibus, illos jactare quidem suorum natalium nobilitatem, sed hanc suam nobilitatem facilius petenti cuilibet impertiri, quam Triballi aut Lucani suam ignobilitatem impertiantur?

PHI. Videndum tamen annon & alio referri hoc possit.

COR. Aliud mihi nunc quo illum respicere verisimile sit, in mentem non venit: at si quid in mentem tibi veniat, admonebis.

PHI. Faciam.

COR. Sed peregrinos missos tandem faciamus.

PHI. Imo vero ab hoc de peregrinis sermone nolim te peregrinari, donec & aliud quiddam de illis addideris.

COR. Ab illo sermone ad alium peregrinari nolebam, quum ab illo ad quemdam non longe remotum transire in animo haberem. Sed quidnam id est quod a me de peregrinis vis adjici?

PHI. Quonam se modo Athenienses gererent erga illos qui peregrini erant, minimeque εἰς τὸ ληξιαρχικὸν ἐγγεγραμμένοι, vel brevius, δημοποίητοι: ut de Anacharside illa civitate donato legimus.

COR. In eos quoque φιλοξένως se gerebant, & quidem plusquam satis esset. Neque enim aliud (quantum quidem nunc meminisse possum) quam eligere sibi patronum quisque illorum cogebatur, (quod νέμειν προστάτην vocabant) & pendere quotannis civitati duodecim drachmas: quæ pensio sive quod tributum, μετοίκιον vocabatur, quoniam ipsi μέτοικοι dicerentur: quod Latinæ *inquilinorum* appellationi respondere existimatur. Ille autem patronus non solum eos ab omni injuria defendebat, sed etiam quid agerent observabat, & an ita se gererent ut reipubl. nihil ab illis timendum esset. Isocrates certe de illis loquens, & ipse νέμειν προστάτας eos dicit, in *Oratione De pace*: Καὶ τοὺς μὲν μετοίκους τοιούτους εἶναι νομίζομεν, οἵουσπερ ἂν τοὺς προστάτας νέμωσιν· αὐτοὶ δ᾽ οὐκ οἰόμεθα τὴν αὐτὴν λήψεσθαι δόξαν τοῖς προεστῶσιν ἡμῶν. Cæterum ideo

minus dubito *προστάτας* *patronos* hic interpretari, quod videam, Dionysium Halicarnasseum de patronis & clientibus Romanis loquentem, illos quidem non aliter quam *προστάτας*, (si bene memini) hos autem, & *πελάτας* & aliis nominibus appellare. Sed mirum est verbo *νέμειν* potius quam alio usos hac in re esse: quod nonnulli *eligere*, alii *adsciscere* reddunt, quidam *adoptare*: quum tamen pro illo *eligere* (si quidem id significare voluissent) dicturi fuerint *αἱρεῖσθαι*: ibidemque pro duorum reliquorum altero non dubium sit quin alio usuri verbo fuerint.

PHI. Cur ergo eos hoc potius quam alio usos verbo arbitraris? & cui Latino in hujusmodi loco respondere existimas?

COR. Ad neutrum facile respondere possim: minus tamen de respondendo ad posterius laboro. Nam, aut valde fallor, aut *νέμειν* dicebant quasi eum sibi *tribuere*: aut potius sicut a Sophocle dicitur, *νέμω σε θεόν*, pro eo quod est, *Habeo te deum*, id est, *dei loco*. Item, *νέμω σε δεσπότιν*, *Heræ loco te habeo*, sive *dominæ*.

PHI. Videndum est ne aliud quidpiam hoc sub verbo lateat.

COR. Ut verum ingenue fatear, ne hæc quidem interpretatio mihi satisfacit: sed in ea novus saltem usus non daretur illi verbo, sicut dant illi præsertim qui *Eligere* vel *Legere* reddunt: ut tamen & apud Dionysium Halicarn. redditur, lib. *Archæologiæ* II. ubi scribit, *παρακαταθήκας δὲ ἔδωκε τοῖς πατρικίοις τοὺς δημοτικοὺς ἐπιτρέψας ἑκάστῳ τῶν ἐκ τοῦ πλήθους, ὃν αὐτὸς ἐβούλετο, νέμειν προστάτην*.

PHI. Finem (quæso) dicendi de illius verbi interpretatione facito: ac potius mihi dicito an adversus eos inquilinos qui patronos nullos haberent actio intenderetur. Nam hujus rei nullo modo recordor, quum alioqui mos ille τοῦ *νέμειν προστάτας* non omnino memoria mihi excidisset.

COR. Intendebatur sane quædam actio adversus eos, quæ *ἀπροστασίου δίκη* nominabatur: non autem, ut apud Suidam legitur, *ἀποστασίου*: quamvis Suidas hoc non illud scripsisse videri possit, utpote præcedente apud eum nomine *ἀπόστασις*. Apud Hesychium vero recte *ἀπροστασίου* legitur: scribentem, *ἀπροστασίου δίκη, κατὰ τῶν προστάτην μὴ ἀπογραψαμένων μετοίκων*.

PHI. Non dubium est quin, si actio illa esset διὰ τὸ οὐκ ἔχειν προστασίαν ita dicta, scribendum sit *ἀπροστασίου δίκη*.

COR. Oblitus sum tibi & hoc dicere, quamvis *ἀποστασίου* mendose scriptum sit apud Suidam, ubi eadem de re agit de qua & Hesychius, pro *ἀπροστασίου*, tamen & *ἀποστασίου* apud eum recte scriptum esse.

PHI. Quid hoc sibi vult?

COR. Non de uno eodemque loco a me hoc dicitur: sed quum duo *δίκης* genera constituat, prius quidem recte *ἀποστασίου δίκην* vocari ajo: at posterius *ἀπροστασίου δίκην* esse nuncupandum. Ejus verba sunt: *Ἀποστασίου δίκη, ὅταν δοῦλος ὑπὲρ ἐλευθερίας ἐνίσταται, φάσκων μὴ προσέχειν τοῖς δούλοις αὐτὸν αὐτίποιουμένοις· Ἀποστασίου δὲ, τῶν μετοίκων ἕκαστος πρὸς*. &c. Nam hic *ἀπροστασίου δὲ* illum scripsisse dico; itidemque aliquanto post, *ὁ βουλόμενος δίκην εἰσάγει πρὸς αὐτὸν, ἥτις λέγεται ἀποστασίου*, esse illam literam ρ huic ultimo vocabulo inferendam.

PHI. Et quidem affirmare id potes: quum, præter illam rationem quæ allata fuit, manifestum sit, illum non fuisse particula *δὲ* usurum, idem vocabulum repetendo: sed dicturum, *καὶ ἀποστασίου δίκη*, si duas actiones inter se differentes commune nomen habere, nos docere voluisset. Libenter vero ex te didicerim & quænam ila sit *ἀποστασίου* actio, ea lege ut ad alteram statim revertamur.

COR. Imo vero, quoniam plura quam putas dicenda super ea re essent, te ad mea *Schediasmata* remittam: ubi simul de quibusdam apud Suidam emendandis moneberis.

PHI. At eorum saltem quæ jam ex eo recitasti emendationem repræsenta.

COR. Id facere non gravabor. Mendosa igitur esse puto hæc duo, *προσέχειν* & *δούλοις*: ac *προσήκειν* quidem pro illo *προσέχειν*, pro *δούλοις* autem, *δοῦλον* reponi debere.

PHI. Ad *ἀπροστάσιον* revertamur.

COR. De actione hac non omnino inter se consentiunt Lexicographi; nam Hesychius (ut docent quæ paulo ante recitavi ex eo verba) scribit illam intendi solitam adversus eos inquilinos qui se in album civitatis referendos non curaverant: vel, qui albo seu tabulis civitatis nomen non dederant. Est autem observandum, non dicere, *κατὰ τῶν προστάτην μὴ νειμάντων*, (quum lex esset, unumquemque *μέτοικον* debere *νέμειν προστάτην*) sed *μὴ ἀπογραψαμένων*: quasi *νέμειν προστάτην*, sed cum nequaquam *ἀπογράφεσθαι* pro nihilo haberetur. At Suidas nullam quidem τοῦ *ἀπογράφεσθαι* mentionem facit, sed latius tamen hanc actionem extendit, ad duo alia videlicet: scribit enim: *Ὅταν οὖν τις δοκῶν εἶναι μέτοικος προστάτην μὴ ἔχῃ, ἢ μὴ δῷ τὸ μετοίκιον, ἢ ἀστὸς εἶναι φάσκῃ, παρεγγεγραμμένος εἰς τὴν πολιτείαν, ὁ βουλόμενος δίκην εἰσάγει πρὸς αὐτὸν, ἥτις λέγεται ἀπροστασίου*. Ita enim in hoc quoque posteriore loco scribendum, pro *ἀποστασίου*: non minus quam in illo priore, ubi legimus, *ἀποστασίου δὲ, τῶν μετοίκων ἕκαστος πρὸς*. Sed, pace Suidæ dixerim, hoc videtur esse, latius quam par sit usum hujus vocabuli extendere: ultra eum saltem, quem illi etymologia tribuit, (sive quem etymologiæ consentaneum habet) extendi, manifestissimum est. Cæterum, quemadmodum alterius actionis meminit Aristophanes, qua quis dicebatur *ξενίας φεύγειν*, ita etiam hujus: illius quidem, in *Vespis*: hujus autem, in *Equitibus*, non tamen *δίκην*, sed forma diminutionis *δικίδιον* appellans,

Εἶπον δικίδιον εἶπας εὖ κατὰ ξένου μετοίκου
Τὴν νύκτα θρυλλῶν, καὶ λαλῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς σεαυτῷ,
Ὕδωρ τε πίνων, κἀπιδεικνὺς, τοὺς φίλους τ' ἀνιῶν,
Ὤου δυνατὸς εἶναι λέγειν. ὦ μῶρε τῆς ἀνοίας.

Ubi quidam irridetur qui valde sibi placebat de quadam adversus *ξένον μέτοικον* actiuncula, tanquam re magna: *καὶ ἐξηπάτησας* (inquit Scholiastes) *διότι κατὰ μετοίκου ποτὲ ξενίας ἀπηνέγκου γραφὴν, καὶ ἐλπίζεις διὰ τοῦτο δύνασθαι καὶ δημηγορεῖν*. Ubi fortasse scribendum est, & scripsisse illum verisimile est, *καὶ ἐξηπάτησας σεαυτόν*. Cæterum scribit idem *μετοίκους* dictos fuisse qui ex una civitate in aliam migrabant: (vel potius, transibant, aut digrediebantur, quia dicit *μεταβαίνοντας*) & in ea habitabant: nam addit, *καὶ οἰκοῦντας*. Aristophanem tamen dicentem audimus, non simpliciter *κατὰ μετοίκου*, sed *κατὰ ξένου μετοίκου*. Quæ conjungi mirabitur fortasse qui contra velut separari a Suida viderit: ubi scribit, *μέτοικον* esse qui ex una urbe in aliam (nam *εἰς ἑτέραν* quam *ἐν ἑτέρᾳ* malim) *μετοικεῖ*, & qui ad breve tempus in ea non commoratur, (dicit *ἐπιδημῶν*, quod proprie sonat *In populo versans*) quemadmodum *ξένος*. Sed facile Aristophanem cum Suida, vel potius Suidam cum Aristophane conciliabimus, si omnem quidem *μέτοικον* esse *ξένον*, sed non vice versa quemvis *ξένον* esse *μέτοικον* dixerimus: ideoque, quum latius pateat *ξένος* quam *μέτοικος*, post *ξένου* addendum fuisse *μετοίκου*.

PHI. At enim poterat μετοίκȣ appellatione contentus eſſe.

COR. Poterat ille quidem, fateor: ſed fortaſſe minus commode abſque hujus adjectivi opera claudere verſum ſuum poterat. Obſerva autem, me id non affirmare, ſed vocem fortaſſe præfigere. Nec vero hic prætermittendus eſt Heſychii locus, ubi μέτοικοι exponens, ſcribit, οἱ ἐνοικȣ̃ντες ξένοι ἐν τῇ πόλει.

PHI. At de quodam Suidæ loco quid dicemus, in quo contra τȣ̀ς μετοίκȣς quoque inter τȣ̀ς πολίτας enumerat?

COR. Ego aliud quod dicam non habeo, quam valde mirum hoc eſſe.

PHI. Fateor tamen non ſimpliciter πολίτας dicere, ſed vilem civium partem. Ejus enim verba ſunt, μέρος εἰσὶ τῶν πολιτῶν οἱ μέτοικοι εὐτελές. Quin etiam comparatione utitur, addens, ὡς τὰ ἄχυρα τῶν κριθῶν: quam comparationem ſe ex Ariſtophane ſumere oſtendit, hunc ejus verſum afferens,

Τȣ̀ς γὰρ μετοίκȣς ἄχυρα τῶν ἀςῶν λέγω.

COR. Ariſtophanes fortaſſe, quamvis ἀςῶν dicat, πολιτῶν non itidem dixiſſet. Eſſe tamen & in illo acyrologian exiſtimo.

PHI. Suſpectum aliquis habere illum Suidæ locum poſſit, ex eo quod, quum præcedat, Μέτοικοι. μέρος εἰσὶ τῶν πολιτῶν οἱ μέτοικοι εὐτελές, &c. ſequatur, μέτοικοι δὲ, οἱ ἀφ' ἑτέρας πόλεως μεταςάντες, &c. tanquam opponendo hanc vocem illi quæ præceſſit. Quod ſi ita eſt, aliam illic quam μέτοικοι ab eo ſcriptam fuiſſe credendum eſt.

COR. Quum ſit vox illa μέτοικοι ſuo loco poſita, ſequendo ordinem alphabeticum, (& quidem poſt μετοίκιον) eam nequaquam ſuſpectam habuerim: ſed ubi repetitur, ſcriptum ab eo fuiſſe crediderim, μέτοικοι δὲ, καὶ οἱ ἀφ' ἑτέρας πόλεως μετ. Ad illos autem μετοίκȣς quod attinet, quos in numero πολιτῶν poni videbamus, venit nunc in mentem dubitare an de civitate donatis intelligi hoc debeat: qui tamen uſus acyrologian & ipſe haberet.

PHI. Illa vox μετοίκιον, cujus modo mentionem feciſti, nonne eam quam quotannis οἱ μέτοικοι pendebant pecuniam ſignificat?

COR. Quaſi non manifeſtum hoc ſit.

PHI. Multumne pecuniæ pendebant?

COR. Drachmas duodecim. Apud Heſychium tamen uno in loco decem tantum drachmarum ſit mentio, ſcribentem, Μετοίκιον, τέλος ὅπως ἐκαλεῖτο ὃ ἐτίθεσαν ἐν τῇ πόλει, δραχμὰς δέκα. Ubi ἐτίθεσαν τῇ πόλει ſcribendum eſſe ajo: & minime de hoc verbo ambigendum, quum & apud Suidam legamus, οἱ μέντοι μετοίκιον μὴ τιθέντες μέτοικοι. Pro δραχμὰς autem magis ex conſuetudine dictum fuiſſet δραχμαί.

PHI. Uno in loco decem drachmarum fieri mentionem ais: quid in altero?

COR. In eo duodecim & ipſe dicit, exponens videlicet vocem μέτοικοι. Nam poſtquam dixit, οἱ ἐνοικȣ̃ντες ξένοι ἐν τῇ πόλει, addit, καὶ τελȣ̃ντες ἀνὰ δραχμὰς δώδεκα τȣ̃ ἐνιαυτȣ̃ εἰς τὸ δημόσιον, μεταναςαι δημόσιοι.

PHI. Sed quorſum hæc duo poſtrema verba, μεταναςαι δημόσιοι, adjiciuntur?

COR. Poterat certe locus hic illis carere: ac δημόσιοι quidem, irreptitium eſſe exiſtimo: μεταναςαι autem convenit cum his quæ a Suida explicante vocabulum μέτοικοι ſcribuntur, οἱ ἀφ' ἑτέρας πόλεως μεταςάντες, καὶ εἰς ἑτέραν οἰκȣ̃ντες. Magis tamen conveniret illud μεταναςαι cum iis quæ hic dicuntur, ſi μετανασάντες ſcriberetur: quæ ſcriptura quin germana ſit, dubium mihi non eſt.

A Verum & de his verbis εἰς ἑτέραν, obiter te monebo, pro illis duo hæc ſubſtituenda eſſe ἐν ἑτέρᾳ: ut viciſſim apud eundem ſcriptorem pro his ἐν ἑτέρᾳ, ſubſtitui debere illa εἰς ἑτέραν, antea monui. Quamvis enim aliud nobis nunc propoſitum ſit quam in mendoſos aut ſaltem mendi ſuſpectos locos inquirere, (præſertimque ubi in mendoſa ſcriptura idem tamen ſenſus retinetur) tamen religioni quodammodo mihi eſt, de illis non commonefacere. Notabile autem hic eſt (licet & apud alios ſcriptores idem obſervarim) apud eundem ſcriptorem duas ſcripturas in duobus valde vicinis locis ſedes ſuas ita permutaſſe. Nam quum vox μετοίκιον valde parvo intervallo præcedat, in ejus expoſitione, & quidem in principio, ſcriptum eſt ἐν ἑτέρᾳ pro εἰς ἑτέραν: hic autem vice verſa ἐν ἑτέρᾳ pro εἰς ἑτέραν: perinde ac ſi clandeſtina quadam tranſitione ſedes permutaſſent. Verum, ut ad illas τȣ̃ μετοικίȣ drachmas revertamur, aliunde etiam conſtat duodecim illas fuiſſe. Sed ne hoc quidem tacendum eſt, addi ab Heſychio (in μετοίκιον) tres obolos, qui vectigalium redemptori penderentur. Addit enim ad illa quæ modo recitavi verba, τῷ δὲ τελώνῃ τριώβολον.

PHI. Unde vero habet iſta Heſychius?

COR. Ex Menandro, ut quidem ex Suida diſcimus. Atque hinc apparet quam non contemnenda ſint nonnulla quæ ab Heſychio & breviter & velut obiter dicuntur. Inſuper autem docet nos idem Suidas, ex Iſæo, virum quidem, duodecim, at fœminam, ſex pendere conſueviſſe: ac fuiſſe matrem immunem, ſi filius penderet: alioqui moris fuiſſe ut ab illa penderentur. Adjicit deinde & de ſervis, illos quoque, quum eſſent manumiſſi a ſuis dominis, μετοίκιον τελεῖν neceſſe habuiſſe. Ac quoniam, ita ſervorum facta mentione, addit illud ex Menandro de triobolo, ultra duodecim drachmas, perſolvendo, aliquis forſitan de illis peculiariter hoc dictum exiſtimet. Inde porro ad pœnam venit quæ adverſus inquilinos eam pecuniam non pendentes conſtituta erat. Ac, quum legamus, οἱ μέντοι μετοίκιον μὴ τιθέντες μέτοικοι ἀπήγοντο πρὸς τȣ̀ς πολίτας, καὶ εἰ ἑάλωντο, ἐπιπράσκοντο, hic vocabulum πολίτας non immerito quis (meo quidem judicio) ſuſpectum habuerit. Sed videndum an aliquid huic prodeſſe loco poſſit collatio cum alio ejuſdem Lexicographi, in ἀποςασίȣ δίκη, quæ erat adverſus libertate donatos: ubi inter cætera ſcribit, καὶ τȣ̀ς μὲν ἁλόντας δεῖ δȣ́λȣς εἶναι. Proximum his eſt iſtud, ἐνεβίβαζον δὲ καὶ εἰς τὰς ναῦς τȣ̀ς μετοίκȣς, ac teſtem laudat Demoſthenem in *Orationibus Philippicis*. Hac autem de re poſtea dicetur. Omittendum certe ne hoc quidem fuerit, quo is locum illum claudit, inquilinos a comicis σκαφέας appellari ſolitos: pro qua voce σκαφηφόρȣς habet Heſychius. Hac autem de re multo plura partim ex hoc ipſo, partim ex Harpocratione, (unde Suidas illa, ſicut alia quamplurima, tranſtulit) partim aliunde ſumpta, in meo *Græcæ linguæ Theſauro* invenies.

PHI. Ne hoc quidem a te prætermitti velim, de illo more imponendi inquilinos in naves.

COR. Quum remittat Suidas ad *Philippicas Orationes*, ego quoque eodem te remitto: ſed de meo hoc addam, eſſe quendam Iſocratis locum in *Oratione De Pace*, ubi eadem de re non eodem modo loquitur. Opponens enim quaſdam priſcorum Athenienſium conſuetudines iis quæ eorum poſteris erant, inter alia & hoc ſcribit, priſcos illos (aut ſaltem majores eorum quos alloquitur) ſolitos eſſe peregrinos & ſervos in naves imponere, ut nautæ eſſent, at cives, armatos emittere: quum eo tempore contra peregrinos armari vellent, cives remigare cogerent. Utitur autem verbo eo-

dem (nisi quod alia præfixa præpositio est) quo & ille Lexicographus: nam ut ille dicit ἐνεβίβαζον, sic Isocrates εἰσεβίβαζον. Sed hic addit ναύτας, non εἰς τὰς ναῦς. Cæterum quidam ναύτας εἰσεβίβαζον interpretantur, *Navibus agendis præficiebant*: & ὁπλίτας, *gravem armaturam*: sed quum hic ὁπλῖται non opponantur τοῖς ψιλοῖς, verum τοῖς ναύταις, malim uti Latina voce quæ latius pateat, & non aliud quam *armatos* aut *armis instructos* dicere.

PHI. Qui vero sunt isti peregrini?

COR. Quos ille ξένους dicit.

PHI. Sed hi ξένοι suntne iidem qui μέτοικοι, & qui ξένοι μέτοικοι ab aliquo illum Aristophanis de quo dictum est locum imitante appellari possint?

COR. Nequaquam vero: sed de peregrinis militibus evocatis & mercede conductis loquitur, ut ipse videbis. Neque enim te adeo pigrum esse velim ut mihi de omnibus fidem habeas: præsertim quum fieri possit ut in quibusdam (vel potius in plerisque) fallar. Simul autem in eodem loco tibi considerandum erit quomodo de priscis Atheniensibus, aut saltem de majoribus eorum loquens apud quos sermonem habebat, duo genera illorum quos προγόνους dicit, constituat: unum, eorum qui bene audierint, alterum, eorum qui in odio fuerint. Scribit namque, τοσούτῳ δὲ χείρους ἐσμὲν τῶν προγόνων. οὐ μόνον τῶν εὐδοκιμησάντων, ἀλλὰ καὶ τῶν μισηθέντων ὅσον ἐκεῖνοι μὲν εἰ πολ. Hic autem recordor cujusdam repugnantiæ, de qua in quodam meorum *Schediasmatum* disserui, quum alii priscos Athenienses non æque facile ac eorum posteros civitate donasse peregrinos scribant, (sicut antea audivisti) alii contra.

PHI. Quid? an istam repugnantiam ex illo τῶν προγόνων discrimine, quod ab Isocrate constituitur, natam esse arbitraris?

COR. Nequaquam, (etiamsi istud illam mihi in memoriam revocarit) sed aliunde, ut illic videre poteris.

PHI. Verum, an tanquam de repugnantia quæ vere sit, an tanquam de ea quæ esse videatur, illic agis.

COR. Ne istud quidem ex me hic audies: ut locum adire necesse habeas, si tuo satisfacere desiderio libeat.

PHI. Eum non adibo quin hujus tuæ severitatis recorder. Sed audi quid mihi in mentem venerit audienti Isocratem ita ξένους & δούλους conjungentem.

COR. Quidnam illud est?

PHI. Quidam Demosthenis locus, ubi illos eodem modo conjungit.

COR. Sed an eorumdem ξένων, quorum & Isocrates, mentionem faciens?

PHI. De hoc pronuntiare non ausim, quum recens illius loci non sit memoria.

COR. At mihi est recens.

PHI. O cum quanto dissimulatore negotium mihi est!

COR. Sed nihil damnosa tibi mea esse dissimulatio potest.

PHI. Periculosa certe fuit: quid si enim tibi ξένον quidpiam sive ξενίζον respondissem περὶ τῶν ξένων, de quibus me interrogabas?

COR. Subrisissem.

PHI. Imo affatim (sat scio) risisses.

COR. Esto, me risurum affatim fuisse: an tibi periculosus meus esse risus poterat? Verum a risu ad seria. Ille Demosthenis locus non procul ab initio *Philippicæ* tertiæ legitur. Ibi enim suæ libertati loquendi (quam παῤῥησίαν vocat) ignosci ab Atheniensibus postulans, dicit, eos existimare il-

A lam adeo communem esse omnibus qui in civitate versantur, ut etiam peregrinis & servis ipsis illam impertiant: Ὑμεῖς (inquit) τὴν παῤῥησίαν ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων οὕτω κοινὴν νομίζετε (aut οἴεσθε: utro enim utatur, haud satis recordor) δεῖν εἶναι πᾶσι τοῖς ἐν τῇ πόλει, ὥστε καὶ τοῖς ξένοις καὶ τοῖς δούλοις αὐτῆς μεταδεδώκατε. Puto tamen αὐτοῖς ibi scriptum esse: verum αὐτῆς magis placet. Quin etiam addit, *Ac multos quis famulos* (non enim δούλους hic, sed οἰκέτας dicit) *videat apud vos cum majori libertate quod ipsis libet dicentes, quam cives in quibusdam aliis civitatibus.*

B PHI. Video jam minime quærendum esse utri ξένοι sint de quibus verba facit, an illi quorum ab Isocrate in iis quæ modo recitasti fit mentio, an vero ii de quibus agebamus antea, quum & περὶ τῶν μετοίκων sermo nobis esset. Sed interim tamen commune habet istud ille Isocratis locus cum Demosthenico, quod utrobique ξένοι & δοῦλοι conjunguntur. Hoc autem (si cum tua bona dicere venia liceat) multum de illa tua φιλοξενίας Atheniensium laude detrahere videtur.

C COR. Imo non video cur vel tantillum id de illa detrahere videri possit in hoc Demosthenis (nam de illo Isocratis loco laborandum nobis non est, ubi de peregrinis agitur qui mercenarii milites erant) sermone. Neque enim qui ita loquitur ut dicat, *& peregrinis & servis loquendi libertatem impertimini*, peregrinos propterea in ordinem redigit, vel potius eos in eodem cum servis ordine ponit: verum perinde est ac si diceret, non peregrinis tantum, sed ipsis etiam servis hoc libertatis conceditis. Potius certe aliquid ex illis quæ retuli, de conditionibus τῆς μετοικίας loquens, te ad hoc dicendum debuisset impellere: si tamen quid esset quod te ad hoc impellere debuisset. Sed quemadmodum dicit ipse Demosthenes, majore servos (licet οἰκέτας dicat, non δούλους) cum libertate

D quidquid liberet dicere solitos, quam cives ipsos in nonnullis civitatibus: ita minime mihi dubium est, ac tibi quoque esse non debet, quin longe aliter se res habuerit in quibusdam, ad conditionem peregrinorum quod attinet. Atque hoc cum aliunde conjicere possumus, tum ex eo quod narrat *Dipnosophistarum* scriptor libro VIII. apud Phaselitas *legem fuisse ut peregrini carius lavarent*. Utor enim eodem quo ipse loquendi genere: quum scribat, ἦν τῷ νόμος πλείονος λούειν τοὺς ξένους. Sed nonne volumus tandem huic de peregrinis sermoni finem imponere?

PHI. Finem te illi imponere non veto: sed ab

E eo ad quem transire velis, scire cupio.

COR. ILLE Demosthenis locus, ex quo a me paulo ante relata quædam fuerunt, memoriæ semper insidens, simulque eadem quæ in aliis plerisque ab eo jactatur querimonia, hortatur ut, antequam ad alium sermonem transeam, de illa dicam, & quidem re altius repetita.

PHI. Quæ illa est Demosthenis querela?

COR. Illa ipsa quæ apud eum sæpe occurrit, de loquendi libertate quæ oratoribus adimebatur. Simul autem de variis horum ingenuis facienda verba erunt.

F PHI. Verum te altius rem velle repetere ais.

COR. Nimirum.

PHI. Undenam?

COR. Jam inde ab ipsa Atheniensium natura.

PHI. Sed multis ad declarandam Atheniensium naturam opus fuerit verbis:

COR. Imo paucis Lucæ Evangelistæ, paucis item ipsius Demosthenis, quæ cum illis mire consentiunt, esse contentus in præsenti volo. At tu fortasse de ea, cujus tota Græcorum natio accusatur, levitate dicturum me existimabas.

PHI. Nempe de ea.

COR. Atqui rem nimium vulgarem esse nosti. Sed pendet certe ab illa levitate id de quo dicturus sum.

PHI. Id audiendi desiderium auget mirum in modum eorum a quibus te id petiturum dixisti autoritas: præsertim vero alterius eorum, Lucæ Evangelistæ.

COR. Tuum desiderium statim explevero.

PHI. Rem gratissimam statim feceris.

COR. Legimus (ut scis) in illo Lucæ opere quod *Apostolorum Acta* vocatur, cap. XVII. de Atheniensibus, & peregrinis qui inter illos versabantur, eos in alia re nulla tempus posuisse, (sive, nulli alii rei vacasse) quam in dicendo audiendove aliquid novi. Ejus verba sunt: *Ἀθηναῖοι δὲ πάντες καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι εἰς οὐδὲν ἕτερον ηὐκαίρουν ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον*. Ubi observandum est, idem de peregrinis dici, & quidem illis qui erant *ἐπιδημοῦντες*. Hoc autem vocabulum ut vetus Interpres sic & alii reddunt *Advenæ*: sed parum mihi interpretatio ista placet, quum advenæ sint potius qui *ἐπήλυδες* vocantur: addere autem *ξένους* ad *ἐπήλυδας* propemodum supervacaneum videatur. At vero dicere *ξένους ἐπιδημοῦντας* est differentiam constituere inter illos peregrinos, qui unum tantum aut alterum diem, aut certe paucos dies, in aliqua urbe morantur, (ut qui per eam transeunt, alio pergentes) & eos qui non hospitium, sed domicilium sibi in ea constituunt, & non minus *ἐπιδημεῖν* seu *ἐνδημεῖν* quam si cives forent, dici possunt.

PHI. Erunt ergo isti *ξένοι μέτοικοι*, ut Aristophanem *ξένον μέτοικον* dicentem audivimus.

COR. Erunt vero. Sed ideo redditum fuit *ἐπιδημοῦντες advenarum* appellatione, quod existimatus sit loqui Lucas de iis qui quotidie in urbem advenirent peregrinis: quum hi dicendi sint *ἐπιδημεῖς εἰς Ἀθήνας*: at illi quos dixi, qui videlicet jam facti sunt *μέτοικοι*, seu ex iis quos Latini *inquilinos* vocant, *ἐπιδημεῖν ἐν Ἀθήναις*, sive *Ἀθήνησι* (ut apud Xenophontem, *τοὺς ἐπιδημοῦντας ἐν Λακεδαίμονι ξένους ἐδείπνιζε*) atque hic dici etiam *ἐνδημεῖν* queat, sed non illic.

PHI. Non minus igitur civis quoque *ἐπιδημεῖν* quam *ἐνδημεῖν* dicetur toto eo tempore quo non *ἀποδημεῖ*.

COR. Quidni? Si tamen ea, quæ dicta sunt, tibi non satisfaciunt, plura quoddam meum *Schediasma*, unde tibi fieri possit satis, suppeditabit.

PHI. A sacris ad profana, id est, a sacro testimonio ad profanum, transeundum tibi est, si stare vis promissis.

COR. Etiam non admonitus a te, stare promissis valebam. Audi igitur similem Demosthenis locum: id est, in eo similem, quod Athenienses & ipse ingenio fuisse audiendi quidpiam novi valde cupido ostendit. Prima enim *Philippica* suos Athenienses interrogat an velint semper circumeuntes alii alios percontari in foro, *Diciturne aliquid novi?*

PHI. Jam vero, quomodo ab illa cum aliis Græcis tum Atheniensibus ingenita levitate pendet (ut pendere dixisti) ista novi aliquid audiendi cupiditas?

COR. Ideo dixi hanc ab illa pendere, quod levia ingenia magis hac cupiditate teneri soleant.

PHI. De hoc tibi facile assentior, quum & quotidiana experientia probetur.

COR. Ne istud quidem negabis, ab hominibus hoc vitio laborantibus libenter oratores audiri solitos quorum varia ingenia essent, & qui pro hac ingeniorum varietate varium consilium darent. Sed de mercede conductis & corruptis potissimum queritur Demosthenes: ac quamvis de omnibus quos ait *πρὸς χάριν δημηγορεῖν*, aut de quibus tale quid

A dicit, non idem addat, tamen tanquam de ejus rei suspectis loqui videri potest. *Ὁρᾶτε γὰρ* (inquit *Olynth.* III.) *ὡς ἐκ τοῦ πρὸς χάριν δημηγορεῖν ἐνίους, εἰς πᾶν προελήλυθε μοχθηρίας τὰ παρόντα πράγματα*. Esse autem contra jucundis consiliis præferenda salutaria, passim admonet. Ac tale est illud, in eadem illa *Olynthiaca*: *Ἀλλὰ δικαίου πολίτου κρίνω τὴν τῶν πραγμάτων σωτηρίαν ἀντὶ τοῦ ἐν τῷ λέγειν χάριτος αἱρεῖσθαι*. De illis autem mercede conductis loquens, dicit alicubi eos *μισθοῦ λέγειν*, item eos pro Philippo *πολιτεύεσθαι*: ut in fine *Philipp.* IV. In *Oratione* autem quæ inscribitur *περὶ τῶν πρὸς Ἀλέξανδρον συνθηκῶν* (quam tamen Libanius Hy- B peridis potius quam Demosthenis esse credidit) de iis dicit, *μισθοφορούντων παρὰ τοῦ Μακεδόνος*, quin etiam *πεπλουτηκότων καθ'*: quum in *Oratione adversus Midiam* de quibusdam audiamus dicentem, *ἐξ ὑμῶν πεπλουτηκότας*. Cum alia autem sunt de quibus illos ad gratiam loquentes oratores reprehendit, tum quod pacem suaderent. Jam vero & de illis queritur qui in sua reipub administratione oligarchiæ favebant, ac petit ut honore proponendi sui consilii priventur: in fine *Orationis De Rhodiorum libertate*. Quin etiam consolatorum fungi officio velle ait, *Philipp.* III. *Quiddam autem stulte dicitur ab iis qui civitatem consolari vo- C lunt, Philippum nondum talem esse quales olim fuerint Lacædemonii, qui & maris & terræ universæ imperium tenerent, ac regi societate juncti essent, ita ut nihil resistere illis posset: & tamen illorum impetum propulsasse hanc civitatem, minimeque fuisse ab illis abreptam*. Levitatis porro taxare illos videri possit in fine *Philipp.* IIII. quod, postquam audiverunt omnia quæ ex usu sunt; & illa recte dici uno omnes consensu judicaverunt, *sedeant pariter auditores* (repræsento enim loquendi genus quo utitur, *ἐξ ἴσου κάθησθε ἀκροώμενοι*, nisi quis malit, *æque sedeant auditores*) eorum qui cor- D rumpere & pervertere illa volunt. Cæterum, si exemplum videre libeat eorum quæ a Demosthene, & vicissim illorum quæ ab illis quos ipse exagitat Oratoribus, dicerentur, habes cum alibi, tum in *Oratione περὶ συντάξεως*. Quod si audire libet pulchram antithesin Oratoris & libere & bona fide consilium dantis (si tamen ipsi de se loquenti credimus, simul vero si ita de iis, quæ ab illo proponuntur, judicamus) & illorum qui contra mercede corrupti erant, ea *Philippicæ* quartæ pro clausula est.

PHI. Ad alios transire te locos velim, ubi de ipsorum Atheniensium natura aliud insuper dicit.

COR. Plurimis in locis illorum cunctationem, E negligentiam, oscitantiam, alicubi & ignaviam reprehendit: & quidem in omnibus fere veniam suæ libertatis loquendi petens. Pulchra autem comparatione in eorum uno utitur; similes esse dicens iis qui grandinem venientem spectant, quorum unusquisque optat, (vel deos precatur) in sua non ingruere, at nemo prohibere conatur. Ac paucis interjectis, postquam aliquot a Philippo captas urbes Græcas commemoravit, exclamat, *ταῦτα τοίνυν πάσχοντες ἅπαντες μέλλομεν καὶ μαλακιζόμεθα*: sicut alibi *ῥαθυμίαν* & *μαλακίαν* copulat, illo tamen (si bene memini) præcedente. Sed & aliam com- F parationem apud eum habemus cum iis qui mandragoram biberint, *Philipp.* IIII. Sed & Græcos alicubi introducit illorum ignaviam accusantes, & quidem eos compellando. In ea saltem *Oratione* quæ *περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ* inscripta est, id facit: *Si Græci* (inquit) *rationem reposcerent a vobis earum occasionum*, (vel *opportunitatum*) *quas per negligentiam prætermisistis*, vel *per pigritiam*. Dicit enim *διὰ ῥαθυμίαν*. Scio tamen Interpretem reddere *per ignaviam*. Sed ignaviam significare volens Demosthenes, alio potius usus verbo esset. Cætera au-

tem quæ his adjunguntur, tuum erit ex ipso. Sunt porro & aliquot loci ubi illos ait in concionibus quidem esse formidabiles & acerbos: at in apparandis iis quæ ad bellum necessaria sunt, esse negligentes, & contemptum sui excitare. Nan dicit ῥᾳθύμους: quod ῥᾳθύμους possumus etiam reddere *Remissos*, vel *Pigros*, (sicut paulo ante ῥᾳθυμίαν libuit *Pigritiam* potius aut *Socordiam* quam *Ignaviam* interpretari) & addit, καὶ καταπεφρονημένους.

PHI. Dixisti tamen & ignaviam illis ab ipso objici.

COR. Dixi vero: sed alia scis esse vocabula, quibus potius uti ad illud significandum debuerit. Certe vel illi μαλακιζόμεθα, quod paulo ante allatum fuit, ignaviæ significationem subesse dicere possumus.

COR. Addit & hoc (paucis interjectis) de concionibus: Νῦν δὲ δημαγωγοῦντες ὑμᾶς, καὶ χαριζόμενοι καθ' ὑπερβολὴν, (quæ conveniunt cum illis superioribus, ἐκ τοῦ πρὸς χάριν δημηγορεῖν ἐνίους) οὕτω διατεθείκασιν ὥστ' ἐν μὲν ταῖς ἐκκλησίαις τρυφᾶν καὶ κολακεύεσθαι πάντα πρὸς ἡδονὴν ἀκούοντας: atque his opponit, ἐν δὲ τοῖς πράγμασι καὶ τοῖς γιγνομένοις περὶ τῶν ἐσχάτων ἤδη κινδυνεύειν.

PHI. Ulterius pergamus in natura Atheniensium, id est, in naturæ illorum inquisitione.

COR. Duo præterea in mentem mihi veniunt, quorum unum Atheniensibus peculiare quodammodo videri potest, alterum commune cum multis habuerunt.

PHI. Quænam sunt illa duo?

COR. De priori prius dicam. Dicit in eadem illa *Oratione* περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ, non longo ab iis quæ recitavi intervallo, Athenienses esse ita natura comparatos, (utitur enim voce πεφυκότες, præfixa illi particula οὐ) ut ad amplificandam suam ditionem alieni imperii occupatione non sint apti, sed multum industria valeant ad obstandum quo minus ab alio occupetur, & eripiendum illi qui eo jam potiatur: denique ad facessendum imperandi cupidis negotium, atque ad omnes homines in libertatem asserendos. Est autem hic locus ex iis qui a Demosthene iisdem verbis repetuntur, (haud enim ignoras esse nonnullos qui ab eo repetantur) nec solum in illa quam dixi *Oratione*, sed *Philippica* etiam quarta legitur: simulque alia quædam ex superioribus utrobique exstant.

PHI. Eo certe fuerunt ingenio plerique Gallorum Reges, præsertim ex novissimis, quo Athenienses, hanc ad rem quod attinet.

COR. Imo vero, quum Athenienses unum tantum facere fuerint οὐ πεφυκότες, Galli alterum etiam: sed bona parta tueri haud sane se οὐ πεφυκότας ostenderunt.

PHI. Hoc Demosthenes difficilius quam quærere videri sæpe ait.

COR. Hoc & ait & negat, ut in quodam *Schediasmate* doceo.

PHI. Non recordor loci ubi neget: sed tuum *Schediasma* consulam. Perge obsecro, & ex duobus quæ de natura Atheniensium adjecturum te pollicitus eras, alterum illud propone quod contra commune cum multis habuisse dicebas.

COR. Ne tu quidem hoc negabis, simulatque quid illud sit, ex me intellexeris. Id enim est illud ipsum quod veteri verbo (quod Hesiodeum hemistichium est) reprehenditur, παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω: pro quo Latini (ut scis) dixerunt, *Sero sapiunt Phryges*. Illa autem verba, quæ & ipsa proverbialia sunt, *Piscator ictus sapiet*, ex Græcis istis sunt facta, ἁλιεὺς πληγεὶς νόον οἴσει. Athenienses enim hoc peccare solitos, pluribus in locis queritur: quorum unus est hic *Philipp.* IIII. Ὑμεῖς τοίνυν οὐτ' ἀκούειν πρὶν ἄν, ὥσπερ νῦν, αὐτὰ παρῇ τὰ πράγματα, οὔτε βουλεύεσθαι περὶ οὐδενὸς εἰώθατε ἐφ' ἡσυχίας· ἀλλ' ὅταν μὲν ἐκεῖνος παρασκευάζηται ἐφ' ὑμᾶς, ἀμελήσαντες τοῦ ποιεῖν τοῦτο, καὶ ἀντιπαρασκευάζεσθαι, ῥᾳθυμεῖτε· καὶ ἐάν τι λέγῃ τις, ἐκβάλλετε· ἐπειδὰν δὲ ἀπολωλὸς ἢ πολιορκούμενόν τι

A πύθησθε, τηνικαῦτ' ἀκροᾶσθε καὶ παρασκευάζεσθε.

PHI. Non dubito quin sæpe hac de re eos reprehendat, quum ii qui illo ῥᾳθυμίας vitio laborant id peccare soleant.

COR. Sed audi & quiddam quod illis peculiare esse ait.

PHI. Quidnam illud est?

COR. Quod non πρὸ τῶν πραγμάτων, sed μετὰ τὰ πράγματα uterentur τῷ βουλεύεσθαι.

PHI. Hoc ex præcedenti quodammodo pendet: nec peculiare Atheniensibus dicere potuisse videtur.

COR. Dicit illud tamen: hæc enim sunt ejus verba: Μόνοι τῶν πάντων ἀνθρώπων ὑμεῖς τοὐναντίον τοῖς
B ἄλλοις ποιεῖτε. οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι πάντες ἄνθρωποι πρὸ τῶν πραγμάτων εἰώθασι χρῆσθαι τῷ βουλεύεσθαι, ὑμεῖς δὲ μετὰ τὰ πράγματα.

PHI. Video verum esse quod ais, Demosthenem dicere proprium hoc Atheniensibus fuisse: sed verum hic a Demosthene dici nego. Neque enim apud Athenienses tantum fuerunt omni sæculo quos Epimetheas potius quam Prometheas nominare quis posset: & in quos merito jactaretur quod a quodam Comico jactatum fuit in Prometheum,

Κλέων Προμηθεύς ἐστι μετὰ τὰ πράγματα.

COR. Oratoria quadam libertate ita loqui potuit
C Demosthenes.

PHI. Late profecto illa extendebatur.

COR. Imo latissime extensam fuisse, jure optimo dixeris. Atque hic in mentem veniunt quæ Livius de illis scribit, (potius tamen δημαγωγοὺς quam ῥήτορας significans) *lib.* XXXI. *Nec unquam ibi desunt linguæ promptæ ad plebem concitandam: quod genus cum in omnibus liberis civitatibus, tum præcipue Athenis, ubi oratio plurimum pollet, favore multitudinis alitur.*

PHI. Nimirum *linguæ promptæ ad plebem concitandam* sunt potius αἱ τῶν δημαγωγῶν quam αἱ τῶν ῥητόρων.

COR. Sed sæpe iidem qui ῥήτορες (id est, *oratores*) uno in loco, in alio voce odiosa δημαγωγοὶ vocan-
D tur. Quod porro Livius *plebem concitare*, id Isocrates εἰς ταραχὰς καθιστάναι alicubi dicit. Atque idem de iis Oratoribus qui tales sunt scribit, eos, quum pax omnibus sit communis, bellum privatim suum (vel, sibi proprium) existimare. Hoc autem dictum ideo attentius considerandum est, quod & in *Philippi Epistola* legamus, τὴν μὲν εἰρήνην, πόλεμον αὐτοῖς εἶναι, τὸν δὲ πόλεμον, εἰρήνην. Rursum Isocr. in *Oratione De Pace* (alter autem locus in *Oratione ad Philippum* exstat) scribit, Athenienses infensos fuisse pacem suadentibus, tanquam essent oligarchici: contra existimasse, eos qui bellum inveherent, sibi esse be-
E nevolos, ceu democratiæ curam gerentes. Sic vero & apud Aristophanem multa adversus eos, qui dissidia & discordias in urbe serendi occasiones captabant, legimus: lepida etiam comparatione utentem, qua eos confert cum iis qui anguillas piscari volentes, paludis aquam turbidam & cœnosam reddunt. Quam nos comparationem proverbio itidem adhibentes, eadem de re dicimus, *Il n'est que de pescher en eau trouble*. Cæterum alia multa, quæ ab Isocrate quoque de Oratoribus, & quidem adversus Oratores, scribuntur, prætereo: & ad illum unum locum venio ubi scribit, apud majores Atheniensium, eosdem & προστάτας τῆς πόλεως & στρατηγοὺς fuisse: quod exi-
F stimarent, eum qui optima suadere posset ἐπὶ τοῦ βήματος, posse etiam ἄριστα βουλεύσασθαι καθ' αὑτὸν γενόμενον. Ubi minime probo, ἐπὶ τοῦ βήματος reddi *pro concione*, quod latius patere existimem.

PHI. Probatne hunc majorum morem Isocrates?

COR. Probat quidem certe, & laudat.

PHI. Quid tu?

COR. Me non probare, in quodam meorum *Schediasmatum* professus sum, idque, ratione reddita. In uno autem disserui etiam de illo Livii loco, quem paulo ante recitavi, & Solonis versus attuli eodem pertinentes, necnon cum iis convenientes quæ de

A Atheniensibus dicta fuerunt, amantibus τὰς πρὸς χάριν δημηγοροῦντας. Quod si illi meo περὶ τ̃ ῥητόρων sive τ̃ δημαγωγῶν τ̃ πρὸς χάριν δημηγορούντων sermoni adjicere velim quæ cum alii tum Isocrates & Demosthenes atque Aristophanes scripta reliquerunt, quod illi Oratores hyperbolice dixerunt, ego citra hyperbolen fortasse queam dicere, ἐπιλείποι αὖ με ἡ ἡμέρα.

PHI. Fortasse vero addere etiam possis ϗ ἡ νύξ.

COR. Quum ita se rem habere tu quoque fatearis, liceat mihi finem de illis differendi hic facere.

PHI. Per me licet. Sed quum tu illum Titi Livii locum recitasti, sperabam te ex eodem de Athenien-
B sibus quoque nonnulla subjuncturum.

COR. Nondum mihi denegat memoria quæ possim ex eo de illis afferre: ac primum suggerit illum celebrem de ipsorum & Lacedæmoniorum contrariis ingeniis locum.

PHI. Ejus memoriam a te mihi refricari velim.

COR. Libenter id faciam quam potero fidelissime: quod si non omnino fidelem se memoria mea præstet, ignosce.

PHI. Scis me vel multo majus peccatum facile tibi esse ignoturum.

COR. Postquam dixit (tanquam ex Rhodiorum ore, in sua ad patres conscriptos *Oratione*) tam ci-
C vitatum quam singulorum hominum mores esse: gentes quoque, alias iracundas, alias audaces, quasdam timidas, in vinum, in Venerem proniores alias esse: a genere ad speciem descendens, addit: *Atheniensium populum fama est celerem & supra vires audacem esse ad conandum: Lacedæmoniorum, cunctatorem, & vix in ea quibus fidit ingredientem.*

PHI. Quamvis a Livio, in Rhodiorum persona, tanquam ex fama istud sumatur, non dubito tamen quin ex Thucydide sumptum sit: quum ejus verba sub illis agnoscantur (ut & ipse nosti) tanquam ea interpretantibus. Nam legimus apud Græcum illum
D historicum, (volo enim ipse tibi vicissim verborum hujus memoriam refricare, si forte id tibi fieri necesse sit) ϗ ἐπινοῆσαι ὀξεῖς, ϗ ἐπιτελέσαι ἔργῳ ὃ ἂν γνῶσιν. Pro his enim omnibus dicit *celerem*, quum ὀξεῖς non minus ad ἐπιτελέσαι quam ad ἐπινοῆσαι referatur. Deinde in antithesi sequente, οἱ μὲν ϗ παρὰ δύναμιν τολμηταί. At Lacedæmonios esse dicit μελλητάς: item illorum esse, μηδὲ τοῖς βεβαίοις πιστεῦσαι.

COR. Sed Livianum illud *celerem* non minus dici potest Thucydideo ἄοκνοι respondere: præsertim quum oppositum habeat illud μελλητὰς, quod sonare scis *cunctatores*.

PHI. Hoc & ipse (crede mihi) adjecturus eram,
E a me postea consideratum. Ac vereor ne Latina vox *celerem* ad illam tantum ἄοκνοι respiciat.

COR. In illa ad hanc tantum respici, ipse quoque facile crediderim. Sed aliud, quod multo majoris est momenti, non perpendisti?

PHI. Quidnam illud est?

COR. Non convenire ista quæ a Thucydide (ex ore Legatorum Corinthiorum Lacedæmonios compellantium) de Atheniensibus dicuntur, cum iis quæ ex Demosthene de iisdem attulimus.

PHI. Illud certe mihi nunc in mentem venit, dum Thucydidea recitarem: quum antea nunquam (verum ut fatear) in mentem venisset. Neque enim an-
F tea quo tempore Thucydidea legebam, Demosthenicorum recordabar. Sed quid ista de dissensione dicendum est?

COR. Quidnam dici posse judicaverim, meorum *Schediasmatum* quoddam tibi declarabit: ubi & alia de toto illo Thucydidis loco a me scribuntur, & quidem duo menda (nisi mendosa puto quæ mendo carent) ex eo ibi tolluntur.

PHI. Non igitur pergam ulterius in recitatione eorum quibus Corinthii naturam Atheniensium & Lacedæmoniorum describunt. Sed ad Livium revertens, dicam mirum mihi videri Rhodios apud eum ita de Atheniensibus loqui, quum ipse alibi scribat, (*libro* XXXI. nisi fallor) *Athenienses quidem literis verbisque, quibus solis valent, bellum adversus Philippum gerebant.*

COR. Sed quid si *valebant* scripsit?

PHI. Si quo in exemplari lectio illa exstaret, illi potius quam quibuslibet aliis fidem haberem.

COR. At ego meæ conjecturæ jam nunc aliquid fidei habeo. Quod nisi vererer ne audaciam audaciæ addere dici possem, adjecta etiam particula *tum*, scriberem, *quibus solis tum valebant*.

PHI. Sed quid si conjecturæ haud fide dignæ fidem habere te, non minus ad illam mutationem quam ad hanc adjectionem quod attinet, contenderem?

COR. Te tibi constare negarem: nam quod jam dixisti magnæ autoritatis apud te futurum exemplar in quo lectio ista inveniretur, eam tibi placere indicat.

PHI. Hoc volebam, ut, perinde ac si nullum tibi conjectura effugium hoc ex loco daret, aliter te extricares.

COR. Hoc a te agi, nequaquam me latebat. Ac venire fortasse possit in mentem alia me illinc extricandi ratio: interim illam boni a te consuli velim.

PHI. Id faciam. Apud me autem cogito quomodo de una eademque re interdum possit quis, aliis utens verbis, longe aliter loqui. Nam quum honorificum sit quod de Athenis alibi scribit, & paulo ante allatum fuit, *ubi oratio plurimum pollet*: contra quid magis per contemptum quam alterum illud dici potest?

COR. Illa præsertim vocula contemptus includitur:

PHI. Illud etiam dignum est quod perpendamus, non dici hic itidem orationem, sed verba. Neque enim dubito quin illic oratio de eloquentia dicatur: sicut eam Isocrates vocat λόγους, ab una parte φιλοσοφίαν, ab altera λόγους inter laudem Atheniensium ponens.

COR. Ubinam?

PHI. In *Panegyrica Oratione*. Ibi enim, quum dixisset, alias panegyres post longum temporis intervallum collectas, cito dissolvi: adjecit, *At nostra urbs per omne ævum panegyris est in eam advenientibus*. Atque hinc ad illa duo, φιλοσοφίαν & λόγους, venit, quæ hæc ipsa urbs ἐτίμησε.

COR. Conferendus est hic Isocratis locus cum illo Strabonis qui supra recitatus fuit, ubi itidem philosophiæ & λόγων studia Athenis tribuuntur: ac videndum annon & ibi λόγους de eloquentia intelligere oporteat.

PHI Ea de re nulla mihi dubitatio relinquitur.

COR. Ipse quoque dubitare, propter hunc Isocratis locum, vix ausim.

PHI. Ne Cicero quidem eloquentiæ laudem Athenis denegavit. Quamvis enim ipsi etiam regioni, Græciæ inquam, eam tribuerit, non uno in loco, (nam *De Orat.* lib. I scribit, Græciam semper eloquentiæ principem esse voluisse: & in *Bruto*, non solum dicit eam studio eloquentiæ incensam, sed etiam jamdiu in ea excellere, ac cæteris præstare) tamen alibi eam propriam quodammodo Athenis existimare videtur. Quid, videtur, dico? Imo vero studium dicendi non commune Græciæ, sed proprium Athenarum, in *Bruto* scriptum reliquit. Quibus addit: *Quis enim aut Argivum Oratorem, aut Corinthium, aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? Nisi quid de Epaminonda, docto homine, suspicari libet. Lacedæmonium vero usq; ad hoc tempus audivi fuisse neminem.* Et aliquando ante dixerat: *Hæc igitur ætas prima Athenis Oratorem prope perfectum tulit.*

COR. Neque tamen in alia nulla Græciæ parte fuisse hoc dicendi studium existimandum est: quum paulo ante illa de Athenis verba, hæc legantur, *Et Græciæ quidem oratorum partus atque fontes vides.*

A Quin etiam in *Oratore* Græcorum oratorum præstantissimos Athenis fuisse scribit, horum autem principem facile Demosthenem. Ideo in illis ipsis quæ recitasti verbis, considerandum est, ubi dicitur, *studium dicendi non commune Græciæ, sed proprium Athenarum*, nihilo magis negari quosdam in Græcia dicendi studium exercuisse, quam negari potest Athenas in Græcia fuisse. Haud inficior tamen, negotium facessere cuipiam posse quod a Cicerone dicitur, illud studium Athenarum proprium fuisse. Qua etiam de re a me in quodam *Schediasmate* differitur. Sed quid tu nunc animo versas?

PHI. Obversantur animo meo quædam a Livio in B totam etiam Græcorum gentem dicta: quorum unum simile est illi quod paulo ante in Athenienses dicentem audivimus. Quid enim aliud hoc est, *gente magis lingua strenua quam factis*, de Græcis scribere? Sunt tamen ipsissima ejus verba, *lib.* VIII.

COR. At tolerabilius est hoc tamen quam illud præcedens.

PHI. Quomodo?

COR. Quoniam qui ita loquitur, Gente magis lingua strenua quam factis, aliquam & factis strenuitatem relinquit: at qui literis verbisque solis valere eos dicit, illius quoque strenuitatis ne tantillum qui- C dem relinquere dici potest.

PHI. Ita se res habet.

COR. Levitatem & ipse huic genti objicit.

PHI. Objicit certe alicubi: sed in ea objectione & quibusdam aliis non minus acerbus est Cicero. Ad levitatem certe quod attinet, legimus in *Orat. pro L. Flacco*: (ut alios eadem de re locos omittam) *Ne hominibus levitate Græcis, crudelitate barbaris, civem ac supplicem vestrum dederetis*. Itidemque in *Oratione pro Q. Ligario* Græcis & barbaris duo illa, tanquam sua epitheta, tribuit: scribens, *aut levium Græcorum, aut immanium barbarorum*. Scis enim perinde esse sive crudeles sive immanes D barbaros appellamus. Sed & multo asperiora de illis in illa ipsa *Oratione* scribit: atque ibi præsertim ubi eos nationem in dicendis testimoniis minime religiosam vocat. Verum hac de re plura ubi de religione agetur. Quid quod plane ineptos homines esse scribit? Nam *De Oratore* libro II. postquam scripsit, eum quem ipsi *Ineptum* vocent, videri ab hoc nomen habere dictum, quod non sit aptus: idque in sermonis illius consuetudine perlate patere: quum ineptus dicatur qui aut tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat: aut eorum quibuscum est vel dignitatis vel commodi rationem non habet: aut denique aliquo in genere E aut inconcinnus aut multus est: subjungit: *Hoc vitio cumulata est eruditissima illa Græcorum natio: itaque quod vim hujus mali Græci non vident, ne nomen quidem ei vitio imposuerunt*. Eidem genti insulsitatem tribuit, in *Oratione pro Rabirio Postumo*: *Jam nostis insulsitatem Græcorum: humeris gestum agebant*. Quid tu ad hæc, Coronelle?

COR. Ego Ciceroni, adeo ineptam esse Græcam nationem clamanti, ita reclamassem: Cur ergo quosdam Græcos philosophos in iis quæ περὶ τοῦ καθήκοντος scripserunt, aut in bona saltem eorum parte, sequutus es?

PHI. Quasi qui τὸ καθῆκον noverit, ineptus esse F non possit.

COR. Non video quomodo illud cum hoc vitio locum habere queat: quum vel illa omnia quæ peccare ait qui inepti appellantur, præter decorum fiant; at vero περὶ τοῦ καθήκοντος, sive περὶ τῶν καθηκόντων, quæ Cicero *officia* vocat, plene scribere, ejus tantum sit qui novit quidnam decorum, quidnam indecorum sit. Jam vero & in libello, qui Theophrasti *Characteres* vocatur, nonnulla ex iis quæ a Cicerone sub illo vitio comprehenduntur, reprehendi videmus: & alia quædam illis similia.

PHI. Quosdam ex ineptorum numero excipiendos esse haud negasset Cicero.

COR. Ego vero respondissem, vicissim plerosque Romanorum in numero ineptorum poni fortasse debere.

PHI. Sunt alia multa in Græcos ab eo dicta, quibus haud scio an tibi in promptu fuisset quod responderes. Ex illis est istud, libro primo *De Oratore*: *Verbi enim controversia jamdiu torquet Græculos homines, contentionis cupidiores quam veritatis*.

COR. Scio & alios ejus esse locos, ubi eodem Græculos modo legimus: sed a locis ubi Græculos per contemptum dicit, ad illos provocarem ubi plena non diminuta appellatione utens, Græcos vocat.

PHI. Atqui ibi quoque interdum hanc gentem irridet. Eodem enim in *libro*, in iis quæ sequuntur, audies: *Qui non Græci alicujus quotidianam loquacitatem sine usu, neque ex scholis cantilenam requirunt*. Ac paulo ante: *Tanquam alicui Græco otioso & loquaci, & fortasse docto atque erudito*. Sed fallor: nam & hic idem quod supra hypocorisma habemus *Græculo*.

COR. Ego tum ex uno loco alterum esse reformandum, obstreperem: atque his aut similibus eum verbis aggrederer, Interdum Cicero tibi excidit Græci alicujus irrisoria mentio, ubi potius Græculi alicujus facere mentionem volebas. Nam quod de Græculo aliquo dicis alicubi, idem alibi de Græco aliquo dicentem audimus. Sed contigit & hoc tibi, ut quum Græculos homines contentionis cupidiores quam veritatis esse scribas, interim illa itidem veritas, cujus ne tu quidem dicendæ cupidus eras, tibi excidat. Nam & Græculum otiosum atque loquacem, doctum tamen fateris ac eruditum.

PHI. Sed *fortasse* adjicit.

COR. Ego hanc adjectionem dissimularem. Quod si ille recordaretur, hic quoque invenirem quod possem regerere. Enimvero quod Ciceroni nullo fateri modo vellem, tibi ingenue fatebor: quædam ab eo in Græcis reprehendi, de quibus & a suis fuerint reprehensi.

PHI. Quæ sunt illa?

COR. Non dicam, ab Isocrate vel a Demosthene tanquam ineptos & insulsos, aut tanquam in dicendis testimoniis minime religiosos describi: (nihil enim tale vel apud hunc vel apud illum me legere memini) sed apud utrumque aliquot levitatis eorum descriptiones exstare, dicere haud dubitarim. Nam Isocrates eos uno eodemque die non idem eadem de re sentire scribit. Ejus verba sunt, περὶ τῶν αὐτῶν τῆς αὐτῆς ἡμέρας οὐ ταὐτὰ γινώσκομεν. Sed conabor totum locum in memoriam mihi revocare, ut illum tibi recitem: Ἐμπειρότατοι δὲ λόγων καὶ πραγμάτων ὄντες, οὕτως ἀλογίστως ἔχομεν ὥστε περὶ τῶν αὐτῶν τῆς αὐτῆς ἡμέρας οὐ ταὐτὰ γινώσκομεν. Neque vero hic de levitate & inconstantia agit quæ in rebus privatis cernitur, (quemadmodum querentem Horatium audimus de suis Romanis,

Iidem eadem possunt horam durare probantes?

sed talem inconstantiam circa ea quæ ad domesticas cujusque res spectant describentem) verum de multo magis periculosa: utpote quæ in nonnullis ad ipsam rempubl. pertinentibus spectetur. Illis enim hæc adjicit: *Sed quæ, priusquam ascenderemus in concionem, reprehendebamus, ea, postquam convenimus, suffragiis nostris comprobamus: & brevi tempore interjecto, ea quæ hic decreta sunt, domum abeuntes contra increpamus*. Verba ejus sunt hæc, nisi me memoria fallit: (fieri autem potest ut alicubi non eundem illorum ordinem servem) Ἀλλ' ὧν μὲν κατηγοροῦμεν πρὶν εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀναβῆναι, συνελθόντες ταῦτα χειροτονοῦμεν· οὐ πολὺν δὲ χρόνον διαλείποντες, τοῖς ἐνταῦθα ψηφισθεῖσιν, ἐπειδὰν ἀπίωμεν, πάλιν ἐπιτιμῶμεν.

PHI. Hæc a levitate & inconstantia proficisci nemo negaverit, quamvis Græci aliis verbis quam illis, ἀλογίστως ἔχειν, de levibus atque inconstantibus utantur.

COR. At vero Demosthenes (si bene memini) alicubi vocabulo utitur quod illis Latinis optime respondet, κεχηνότας appellans: licet aliter apud eum reddatur. Jam vero & Solon Atheniensibus χαῦνον νόον itidem objiciebat,

Σύμπασιν δ' ὑμῖν χαῦνος ἔνεστι νόος.

PHI. Hæc faciunt ut jam minus mirer quod a Cicerone scribitur, & quod aliunde etiam discimus, multum Græciæ suas conciones nocuisse. Sed quid nocuisse dico? longe majus est quod ab illo scribitur: *Itaque* (inquit) *ut hanc Græciam, quæ jamdiu suis consiliis* (nisi forte *conciliis* scripsit) *perculsa & afflicta est, omittam: illa vetus, quæ quondam opibus, imperio, gloria floruit, hoc uno malo concidit, libertate immoderata ac licentia concionum.* Aliam ipse tamen rationem affert: scribit enim, quum in theatro imperiti homines, rerum omnium rudes ignarique, consederant, tum bella inutilia suscipere, tum seditiosos homines reip. præficere, tum optime meritos cives e civitate ejicere consuevisse. De tribus autem istis (aut saltem de duobus prioribus) non semel querentes Demosthenem atque Isocratem audimus. At in sequentibus, non tantum temeritatis vulgi & strepitus imperitorum mentionem facit, sed quod late patet & quidem ad omnes pertinet, adjicit: ubi scribit, *audire concionem concitatam levissimæ nationis.*

COR. Te miratum antea, minus autem mirari nunc dicis quod Cicero scriptum reliquit: at me contra sæpe subiit mirari quomodo ea respubl. illis vitiis eam labefactantibus, tamdiu stare & incolumis manere potuerit. Sed tandem hujus rei rationem inveni vel apud Isocratem vel apud Demosthenem, (incertus enim sum apud utrum) quæ mihi satisfacit. Imo jam recordor, eam a me apud Isocratem esse lectam, in *Oratione de Pace.*

PHI. Quænam ea est?

COR. Dicam. Respondet ille objectioni isti: *Si tam male rebus nostris consulimus, qui incolumes manemus, & potentiam, qua urbs nulla majorem, nobis comparavimus?* Responsum vero est hujusmodi, *Quoniam adversarios nihilo nobis prudentiores habemus.* Sæpe autem cum apud alios historicos, tum apud Livium (& quidem apud hunc potissimum) hujus commoditatis, quam hostium affert inscitia, exempla habemus. Hinc ego in meis *Parangelmatis militaribus*:

Contemptus hosti redditur valde suo
Qui cæcus ad ea est quæ sibi opportuna sunt.

Item:

Prudentia in duce est habenda maxima,
Captare semper nosse commodum suum
Ex hostis imprudentia, aut incuria.

Verum, ad Ciceronem ut revertar, quæ hic a me tibi dicuntur, nequaquam fateri Ciceroni vellem, uti dixi: sed potius illis, de quibus me paratum esse ajebam adversus illum controversari, alia etiam adjicerem. Horum autem in numero istud esset, quod in *Oratione pro M. Cœlio* legimus, Græcis, quum facere non possent, loqui tamen & scribere honeste & magnifice licuisse. Hæc enim convenire videntur cum illis Livianis adversus Græcos verbis quæ fuerunt antea recitata. Interrogarem autem hunc Romanum oratorem quomodo sibi constare videatur in iis quæ de Græcis scribit: quum hic quidem ita de illis loquatur, at in *Bruto* dicat, Atheniensium civitatem, antequam delectata sit laude dicendi, multa jam memorabilia & in domesticis & bellicis rebus effecisse. Nam esto de aliis quam de Atheniensibus dici non posse, sunt certe Athenienses, aliqua Græcorum portio.

PHI. At de Græcis, non de Atheniensibus tantum, aliquid tale apud eum legisse mihi videor.

COR. Alia sunt de quibus Græcos perstringit in eadem illa pro *L. Flacco Oratione.* Quadam enim ejus in parte dicit, *Homines sunt tota ex Asia frugalissimi, sanctissimi, a Græcorum luxuria & levitate remotissimi.* Ubi observandum, illi vulgari notæ & aliam adjici: quum non dicatur tantum *Græcorum levitate*, sed etiam *luxuria.*

PHI. Hic sane illi vulgari (ut merito appellasti) notæ aliam quandam, quæ alicui nova videatur, adjicit. Nisi forte in hac luxuriæ appellatione ad Græcationem potissimum seu pergræcationem respici dicatur: (nam & conviviorum Græcorum fit ab eo mentio) sicut apud Horatium:

—— vel si Romana fatiget
Militia assuetum Græcari, seu pila velox,
Molliter austerum studio fallente laborem,

hoc *Græcari* a Porphyrione seu Pseudo-Porphyrione *luxuriari* exponitur.

COR. Sed huic expositioni & alia adjicitur: nam aut luxuriari aut Græco more ludere, significari eo dicit. Atque is qui commentator appellatur (cujus ἐξηγήσεις e quorumdam veterum librorum margine excerptæ fuerunt) illarum expositionum priorem potius sequitur: quippe qui intellexisse Horatium putet, *Potare, Convivii operam dare*, Græcorum more. At vero Acronem seu Pseudocronem audimus exponentem, *Græce jocari.*

PHI. Tu autem quid indicari eo verbo putas?

COR. Ego priori Porphyrionis seu Pseudo-Porphyrionis explicationi assentiri quam posteriori malim: licet Lambinus priorem omnino sequatur. Cur autem ego contra alteram præferam, alias docebo: simulque de illis dicam qui putant adverbium *molliter* ad illud *Græcari* pertinere, tanquam & hic synchysi usus sit Horatius.

PHI. Nobis igitur per te quoque licebit *Græcari* exponere *Genio indulgere*, vel *Genialiter vivere.*

COR. Licebit: quum alioqui magis proprie sonare putem quod a Cicerone dicitur *Græco more bibere.* Verum cur adeo novam existimas visum iri illam luxuriam de Atheniensibus dictam? Nonne Heraclides Ponticus apud Athenæum illos quoque τρυφῆσαι narrat? *Καὶ ἡ Ἀθηναίων πόλις, ἕως ἐτρύφα μεγίστη τε ἦν καὶ μεγαλοψυχοτάτους ἔτρεφεν ἄνδρας.* Et quam splendide vestiti etiam forent, adjicit.

PHI. Nimirum de priscis Atheniensibus sermo illi est, qui & τεττιγοφόροι vocantur: at de priscis illis (qui & Μαραθωνομάχοι appellantur) nequaquam Cicero loquitur.

COR. Fateor: sed falli te dico si eorum posteros nihil illius τρυφῆς retinuisse existimas. Sed venio aliam ad notam luxuriæ nota pejorem, quam Græcis inurit, in illa ipsa *pro Flacco Oratione.*

PHI. Quænam illa nota est? non vis enim loqui de ea qua illos in dicendis testimoniis minime religiosos esse queritur: nam te illam ei reservaturum loco dixisti ubi de religione ages.

COR. Ea est (ne te suspensum diutius teneam) qua impudentiam illis objicit. In illa enim ipsa *Oratione* ubi de dicendo testimonio, vel potius de illis testimonium dicentibus verba facit: *Itaque videte* (inquit) *quo vultu, qua confidentia dicant: tum intelligetis qua religione dicant.* Hunc Ciceronis locum conferens aliquando cum alio quodam qui ejusdem est (cujus tamen loci nunc haud recordor) ad illud proverbiale dictum respicere existimavi, Ἀττικὸν βλέπος: quod & apud Aristophanem extat, in *Nubibus*,

Ἐπὶ τοῦ προσώπου τ' ἐστὶν Ἀττικὸν βλέπος.

PHI. Alterius loci vellem recordari posses: nam ex eo solo quem affers (qua de re autem in eo toto agatur, memoria teneo) judicium de tua illa ad Græcum proverbium accommodatione facere nequeo: quum tamen sciam te velle id a me fieri, etiamsi apud me judicem judicium periculosum sit subitura. Jam certe mihi suspectum est istud, quod non Ἑλληνικὸν sed Ἀττικὸν βλέπος dicitur: quum Cicero de toto genere Græcorum (ut ipsemet loquitur) ibi agat. Adde quod de ea illorum confidentia tantum loquitur quæ circa id de quo verba facit spectatur.

COR. Ne ipse quidem ausim, donec alterius loci

recordatus fuerim, meam opinionem pluribus defendere. Sed quod putas, non fuisse dicturum Ciceronem de genere quod de specie dici consueverit, in eo vide ne fallaris. Hoc enim si Cicero sibi permisisset, haud primus id sibi permisisse dici posset. Multi enim, dum aliquam in gentem inveherentur, in eam nonnulla etiam transtulerunt quæ in aliquam ejus regionem aut urbem peculiariter jactabantur. Proverbium certe Græcum, totam Græcorum gentem infamans, nullum mihi in mentem venit. Ac ne istud quidem, Græca fide, quo gentem illam quidam laudari existimant, a Græcis manasse puto: licet habeat Erasmus Ἑλληνικῇ πίστει: vereor enim ne ipsemet ita voces Latinas interpretatus sit, (rectius fortasse dicturus, præfixo articulo, τῇ Ἑλληνικῇ πίστει) quum ex nullo Græco scriptore afferat. Dubitat autem an de certa fide dicatur, an ut per ironiam dictum accipere oporteat: ac Plautum Græca fide dicentem, intellexisse, ubi non verbis, neque stipulationibus, sed presente pecunia res agitur. Atque in hoc ipso ejus loco, *Græca mercamur fide*, non aliud esse putat *Græca fide* quam *Numerata pecunia*. Ac subjungit ex Euripide in *Iphig. Taurica*, πιστὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν: addens, hoc nomine eam nationem pessime olim audiisse. Sed & in alio ejusdem operis loco lubricam fuisse Græcorum fidem scribit. Sed tamen apud Cicer. *Græculam cautionem chirographi mei* Turnebus in bonam partem accipiendum putat, ut quemadmodum Græca fides certa est, sic Græcula cautio certa firmaq; intelligatur.

PHI. Sed mirum certe, Ciceronem *Græculam cautionem*, non *Græcam*, dixisse: quum voce ista hypocoristica, ubi quid contemptus indicat, uti consueverit.

COR. Adde quod apud Livium *Græcam calliditatem* tanquam proverbialiter dictam legimus. Sed tamen *Atticam fidem* apud Suidam in laudem dictum habemus. Scribit enim, Ἀττικὴ πίστις, ἐπὶ τῶν βεβαίαν φυλαττόντων πίστιν. Afferturque & a Diogeniano idem proverbium. Sed (quod mirandum potius est) apud eundem & *Atticus testis*, Ἀττικὸς μάρτυς, de incorruptissimo teste, & qui se in dicendo testimonio integerrime gerat. Legitur quidem & apud Suidam Ἀττικὸς μάρτυς, illis quæ recitavi ejus verbis addentem, καὶ Ἀττικὸς μάρτυς: sed nulla expositione adjecta.

PHI. Cur vero istud *Atticus testis* mirandum potius esse ais?

COR. Propter illa quæ Cicero contra adversus Græcos testes vociferatur.

PHI. Atque non mirum est ex toto Græcorum numero Atticos in quibusdam rebus excipi. Deinde & istud considerandum, minime rationi consentaneum esse ut in Græcos, vel in Græcorum nonnullos, eadem ab ipsismet Græcis quæ a Romanis vel alia gente jactarentur. Taceo, non absimile vero esse, Ciceronem, ut causæ serviret, oratoria amplificatione usum esse.

COR. Rationi consentanea esse fateor quæ dicis: ac explorandi potius animi tui causa, quam quod talem ex Cicerone objectionem timerem, a me dicta illa fuerunt. Quomodo enim (ut cætera quæ illi opponi queunt omittam) non constitueretur inter Atticos & cæteros Græcos discrimen, ac nonnullis in rebus illi ex horum numero, ad notam aliquam quod attinet, non dicerentur posse excipi: quum ne omnia quidem quæ de Atticis dicebantur, Athenienses communia cum illis haberent, ac multo etiam minus omnia quæ de Atheniensibus, tribui etiam Atticis possent? Nam vel ipsum Aristophanis Enarratorem, hæc in verba, Ἀττικὸν βλέπων, audimus dicentem, τοὺς μὲν γὰρ Ἀττικοὺς ἐπὶ ἀναιδείᾳ διέβαλλον, τοὺς δὲ Ἀθηναίους, ἐπὶ ἀναιδείᾳ καὶ τῷ ἱκανοὺς εἶναι λέγειν. Ubi non probo, dici illos διαβάλλεσθαι non minus ἐπὶ τῷ ἱκανοὺς εἶναι λέγειν, quam ἐπὶ ἀναιδείᾳ. Nec vero Suidas ista de Atheniensibus adjicit: sed habet tantum, οἱ γὰρ Ἀττικοὶ ἐπὶ ἀναιδείᾳ διεβάλλοντο. Ac quandoquidem in ejus mentionem incidi, non omittam quod apud eundem legimus, Ἀττικὰς ab Aristophane dici τὰς ὑστεριζούσας τῶν καιρῶν, & βραδυνούσας, scribente, Ἀλλ' ὄψει σφόδρα αὐτὰς Ἀττικάς. Additque & hanc expositionem, οἷον μελλούσας ἐν τῷ πράγματι. Ideo autem observatu dignum judico hunc vocabuli istius usum, quod eo confirmari videatur illa Demosthenica reprehensio (de qua disseruimus) cunctationis & procrastinationis Atheniensium: & quidem modo μέλλησιν, modo βραδύτητα dicentis, modo alia simili voce utentis.

PHI. Eadem opera & de cæteris a nobis velim disseri quæ de Atticis proverbialiter dicta fuerunt.

COR. Quorundam recordor.

PHI. Ego item quorundam: & ita fiet ut mutuas tradere operas possimus. Prior autem mea recensebo: non quod honor iste (si quid honoris istud habet) mihi potius debeatur, sed quod verear ne quæ nunc in mentem veniunt, ex ea statim excidant.

COR. Quasi vero non & mihi idem timendum sit.

PHI. Non æque ac mihi metuendum tibi hoc est: quoniam minus a memoria tua tibi metuis.

COR. Perinde ac si ita se res habeat, incipe.

PHI. Φιληλιασταὶ vulgo audiebant Attici, cum ab aliis, tum a Comicis, (& quidem ab Aristophane nominatim) quod essent φιλόδικοι.

COR. Cur potius Attici, quam Athenienses, dicis?

PHI. In Atticos dictum legisse mihi videor.

COR. At ego in Athenienses dictum legisse me certo scio: simulque illius mercedulæ, quæ τὸ δικαστικὸν vocabatur, fuisse valde avidos. Ut porro φιλόδικοι, ita etiam φιλολόγοι erant, necnon πολυλόγοι, & quidem ipso etiam Platone teste, *De Leg.* lib. I. Τὴν πόλιν ἅπαντες ἡμῶν Ἕλληνες ὑπολαμβάνουσιν ὡς φιλολόγος τέ ἐστι καὶ πολυλόγος. Λακεδαίμονα δὲ καὶ Κρήτην, τὴν μὲν, βραχυλόγον, τὴν δὲ, πολύνοιαν μᾶλλον ἢ πολυλογίαν ἀσκοῦσαν. Ubi observa τὴν μὲν non ad vicinius, sed ad remotius, referri. Quemadmodum autem φιλολόγοι vocantur hic Athenienses a Platone, sic etiam a Strabone. Ad Lacedæmonem vero quod attinet, id quidem quod de illa dicitur, vulgare est, illam exercere brachylogiam: at quod de Creta, illam deditam esse πολυνοίᾳ potius quam πολυλογίᾳ, non itidem pro vulgari haberi potest. Memini porro, quod ad φιλολογίαν & πολυλογίαν Atheniensium attinet, legere me festivum quoddam Demadis dictum, quo comparabat eos tibiis: quoniam si quis linguam ex his detrahat, reliquum nullius momenti est.

PHI. Nonne φιλοσκώμμονες quoque & φιλεγκλήμονες dicti fuerunt? nonne & συκασταί;

COR. Jactata certe sunt in illos & ista, sed non tanquam illis propria: nihilo magis quam quum φιλοκόλακες, aut φιλογέλωτες vel φιλογελοιασταί, sive φιλοπαίγμονες, aut φιλέορτοι, aut φιλοκωθωνισταί dicuntur: quorum nonnulla & in cæteros Græcos jactari solent. Ac sane ad illud vocabulum συκασταὶ quod attinet, cur συκασταὶ de illis peculiariter potius quam συκοφάνται (quod ab eadem origine est) dixissent?

PHI. At ecce tibi aliud in Athenienses peculiariter jactatum, Ἡ τῶν Ἀθηναίων δυσβουλία: quæ verba vulgo redduntur, *Atheniensium inconsulta temeritas*. Sed primum scire velim an *temeritas* dicere oportet hic fuerit: deinde, si dicendum hoc, an addendum illud *inconsulta* fuerit.

COR. Ne tu quidem ignoras, Græcos vocabula habere quæ melius illi Latinæ *temeritatis* appellationi respondeant: ubi autem hæc locum habeat, & quidem satis sibi convenientem, illud *inconsulta* redundare videri.

PHI. Quomodo igitur δυσβουλίαν interpretandum censeres?

COR. Haud scio an unica voce Latina vim ejus (id est, quam illi subesse reor) possem assequi: nam de infelicibus consiliis, sive de infelicitate in capiendis consiliis intelligi existimo: & posse hanc interpretationem cum Demosthenis tum etiam Isocratis autoritate defendere. Fuisse autem illud de Atheniensibus proverbiale, jam inde ab ipsius Aristophanis sæculo, suspicor ex eo quod in *Nubibus* scribit,

—— φασὶ γὰρ εἰσβαλεῖν
Τῇδε τῇ πόλει προστεῖναι.

Nec minus proverbiale censetur quod a Platone de Atheniensibus refertur, *Qui ex Atheniensibus sunt probi, illi insigniter tales sunt*. Haudque immerito proverbiale habetur istud, quum ipse fateatur a vulgo fuisse dictitatum. Ejus enim hæc sunt verba: Τό, τε ὑπὸ πολλῶν λεγόμενον, ὡς ὅσοι Ἀθηναῖοι εἰσὶν ἀγαθοὶ, διαφερόντως εἰσὶ τοιοῦτοι, δοκεῖ ἀληθέστατα λέγεσθαι. Videndum autem an iis assentiri debeamus qui Platonem eo respexisse putant, quod qui in male instituta maleque morata republ. probi tamen sunt, illi neque fingere probitatem existimandi sunt, utpote inter improbos, quibus similis improbitas eos commendaret: nec tantummodo probi utcunque esse, quum eorum probitas depravatis aliorum moribus non corrumpatur, sed vitiorum contagio resistat.

PHI. Si res ita se haberet, non videretur Plato credidisse, in aliqua etiam republ. quæ bene instituta ac bene morata esset, tales esse cives posse. Interim tamen haud inficior, eum qui inter insigniter improbos versatur illorum improbitatis contagio, nisi vicissim insigniter probus sit, haud posse resistere.

COR. Ab Atheniensibus ad Atticos, de quibus dicere cœperas, revertamur.

PHI. Facturus eram τοῦ Ἀττικοῦ μυκτῆρος mentionem, quem miror ab iis qui proverbia collegerunt, esse prætermissum: quum a Luciano toties ejus fiat mentio. Potest certe vel hic μυκτὴρ Atticus (ut taceam de Attica eloquentia, & de lepore Attico) opponi ei quod Cicero de Græcis scribit, eos plane tales esse quales qui a Latinis *inepti* vocantur: cui appellationi nullam respondentem habeant. Excipiendi enim saltem erant ex Græcorum numero Athenienses, sive Attici: quod ille μυκτὴρ Ἀττικὸς ab ineptis hominibus omnino sit alienus.

COR. Ne ipse quidem Cicero hoc negare sustineret, ut opinor: sed ejus ætate nondum hanc sagacitatem Atticis tribui solitam arbitror.

PHI. Amo te de propulsata a Græcis, aut saltem ab Atticis, illa quam Cicero inurere illis volebat nota.

COR. Sed quid de Aristophane dicemus τὸ προβατῶδες Atheniensibus objiciente?

PHI. Utiturne his ipsis verbis Aristophanes?

COR. Nequaquam: sed quum Sosias (in principio Comœdiæ quæ *Vespæ* inscripta est) suum narrans somnium, dicat,

Ἔδοξέ μοι περὶ πρῶτον ὕπνον ἐν Πνυκὶ
Ἐκκλησιάζειν πρόβατα συγκαθήμενα,
Βακτηρίας ἔχοντα καὶ τριβώνια,

scribit Enarrator, eum appellatione ovium intelligere Athenienses, vituperantem eorum τὸ προβατῶδες. Subjungit vero idem, veterem fuisse morem, τοὺς ἐντίμους γέροντας τριβώνια φοροῦντας ἐκκλησιάζειν μετὰ βακτηρίας.

PHI. Ergo & illud προβατῶδες ad priscos referendum Athenienses esset, qui certe nihil minus quam illum μυκτῆρα habere dici poterant. Venio ad aliud proverbium, Ἀττικὸς πάροικος. Sed hoc in vituperium non in laudem Atticorum est: nam de illis dicitur qui negotium facessunt iis quorum regionem aut urbem accolunt, & quidem in eos violenti etiam sunt.

COR. Quid cogitas, cur non aliud affers?

PHI. Imo vero cursu lampada tibi trado, sicut inter nos convenit.

COR. Te tam cito lampada mihi tradere?

PHI. Quod tu Tam cito vocas, ego aliter voco.

COR. At ego quum nondum meas esse τοῦ παροιμιάζεσθαι partes existimarem, nondum cum memoria mea egeram ut aliquam mihi ex iis quæ ad institutum sermonem faciunt παροιμίαν suggereret.

PHI. At paucis (sat scio) verbis agendum tibi cum illa fuerit.

COR. Unam mihi jam parœmiam illa suggerit, in qua Eleusiniorum fit mentio: petenti vero & alteram

A in qua eorundem fieri mentionem scio, denegat.

PHI. Sed eam saltem quam tibi suggerit, tu meis auribus ingerito.

COR. Ἀττικοὶ Ἐλευσίνια. Est autem elliptica (ut in aliis plerisque proverbiis) oratio: quum intelligendum sit, Atticos inter se tractare de iis quæ ad sacra Eleusinia pertinent: aut etiam, ea celebrare. Ac dicitur in usu fuisse proverbium de iis qui in secreto conventu de arcana quapiam re inter se tractarent. Interim vero sum recordatus alterius parœmiæ, aut saltem alterius dicti: quod videndum an parœmia-

B cum itidem sit. Id legitur apud Horatium *satyra* VIII. *libri* posterioris,

—— *ut Attica virgo*
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes.

PHI. Saltem præ se ferre dicti parœmiaci formam dicere possumus: sicut & illud apud eundem poetam,

—— *persæpe velut si Junonis sacra ferret.*

COR. Non est omittenda illa ex Diogeniano, Ἀττικὸς ὑπέχει τὴν χεῖρα καὶ ἀποθνήσκων, quæ sane non parvam nec illepidam hyperbolen habet. Solet autem ita reddi, *Atticus porrigit manum, etiam quum moritur*. Sed observandum est, ὑπέχειν τὴν χεῖρα dici

C tanquam de illo qui manum supponit manui alterius pecuniam ei imponere volentis: aut certe supponit, pecuniam petens: sicut a Tibullo dicitur,

Illa cava pretium flagitat usque manu.

PHI. Est etiam aliud quoddam proverbium, cujus recordor, Ἀττικὸς εἰς λιμένα. Sed fallorne, an ita cum ellipsi verbi effertur?

COR. Haud falleris: nam effertur ἐλλειπτικῶς. Sed fateor ne mihi quidem satis perspectum esse quod verbum ἐλλείπειν hic dicendum sit.

PHI. Qui proverbium exposuerunt, nonne de hoc admonuerunt?

D COR. Nequaquam: sed tantum dixerunt, in eos jactari solitum qui illic fortitudinem ostentarent ubi omnia tuta essent, ita ut fortitudine nihil opus esset. Esse autem a nautis Atticis sumptum, qui portum ingressuri vultum ita componerent, ut quandam animi magnitudinem præ se ferrent, quum alioqui in prælio navali non perinde strenue se gererent.

PHI. Nonne igitur vel ὁρμιζόμενος vel καταγόμενος extrinsecus assumendum est?

COR. Qui hoc diceret, aliquid haud absimile vero dicere videbitur: verum cur non contenti potius fuissent horum participiorum altero, sine harum vocum

E εἰς λιμένα adjectione? Nec vero minus apte dici videtur potuisse, Ἀττικὸς ἐν λιμένι, manente illo quem dixi sensu. Sed aliquid fortasse hoc de proverbio aliud occurret, quod omnem dubitationem tollet.

PHI. Unius de Atheniensibus proverbii recordor, (si ab Atticis ad illos redire mihi concedis) cujus facta mentio non fuit.

COR. Quidni vero hoc tibi concedam? Sed memoria tua non satis officio fungi suo videtur.

PHI. Hærere me animadvertisti: sed illa jam facit ut non hæream. Ecce enim tibi illud, *Haud difficile Atheniensem Athenis laudare*.

COR. Scio inter proverbia dictum istud referri: sed an referendum sit, dubito.

F PHI. Quamobrem?

COR. Quoniam non minus rationi consentaneum esse videtur ut de quavis alia civitate idem dicatur. Neque enim dixeris (ut opinor) quidquam vetare quominus dicam itidem, *Haud difficile Lacedæmonium Lacedæmone laudare*. Vel, *Haud difficile Thebanum Thebis laudare*: eodemque modo de alius cujuspiam urbis Græcæ cive loqui. Atque adeo & de cive alicujus earum quas barbaras ipsi Græci appellabant. Itidem enim dicere licebit, *Haud difficile est Romanum Romæ laudare*. Quinetiam possumus nomen ἐθνικὸν itidem ponere, faciendo ipsius ἔθνους mentionem: ut hic, *Facile est Græcum hominem in Græcia laudare, Facile est Ægyptium in Ægypto laudare*.

PHI. Propemodum mihi persuades, illud dictum nihilo magis esse proverbiale, quam aliquod eorum quæ proposuisti. Ac scribit certe Aristoteles Socratem id dixisse, verum ut proverbiale retulisse non scribit, *Rhetor.* libro I. ὥσπερ γὰρ ὁ Σωκράτης ἔλεγεν, οὐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν.

PHI. AD RELIGIONEM Atheniensium aut etiam omnium Græcorum veniendum tibi nunc est, si ὑπερήμερος esse non vis.

COR. Tantum abest ut ὑπερήμερος esse velim, ut ne ὑπέρωρος quidem: ita mihi loqui si licet. Sed unde fit ut tu vix προθεσμίαν exspectes?

PHI. Quoniam scire cupio quid de illo Ciceronis loco sentias, ubi Græcorum nationem testimoniorum religionem nunquam coluisse scribit. Responsum enim hunc in locum (id est, hunc de religione sermonem) distulisti.

COR. Illius Oratoris verba primum excutienda sunt, in illa *Oratione pro L. Flacco*, vel *L. Valerio Flacco: Veruntamen* (inquit) *hoc dico de toto genere Græcorum: tribuo illis literas, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, denique etiam, si qua sibi alia sumunt, non repugno; testimoniorum religionem & fidem nunquam ista natio coluit: totiusque hujusce rei quæ sit vis, quæ autoritas, quod pondus, ignorant. Unde illud est, Da mihi testimonium mutuum? num Gallorum? num Hispanorum putatur? totum istud Græcorum est: ut, etiam qui Græce nesciunt, hoc quibus verbis a Græcis dici soleat sciant. Itaque videte quo vultu, qua confidentia dicant: tum intelligetis qua religione dicant.*

PHI. Quomodo magis infamare Græcorum nationem potuit?

COR. Imo potuisse magis infamare, ostendunt quæ parvo intervallo adjicit, his magis atrocia.

PHI. Quænam ea sunt?

COR. Dicit illis jusjurandum esse jocum, testimonium esse ludum. Hæc autem eo magis offendere Græcorum aures poterant, quo honorificentius contra de Romanis loquitur, testimonium dicentibus.

PHI. Sed quibusnam verbis Græci utebantur, quum, *Da mihi testimonium mutuum*, dicere volebant?

COR. Si Erasmo fidem habemus, Δάνεισόν μοι μαρτυρίαν. Sed non dicit unde sumat: ac vereor ne οἴκοθεν ea afferat: sicut paulo ante de quibusdam aliis verbis dicebam: fieri tamen potest ut alicubi invenerit: alioqui χρῆσόν μοι μαρτυρίαν debuisse potius dicere videtur.

PHI. Sed credisne alios ab aliis rem talem petere ausos esse? Mihi certe vix fit verisimile, præsertim quum aliud proverbium (si tamen & illa talem petitionem complectentia verba inter proverbialia numerare oportet) plane huic repugnans, eidem nationi usitatum fuisse considero.

COR. Quodnam illud est?

PHI. *Usque ad aram amicus sum*, Μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος εἰμί.

COR. Recte hoc dictum (quod ex Periclis primum ore prodiisse dicitur) illi opponis. Ac fieri sane potest, si verum est alios ab aliis illam gratiam petere solitos, ut aliquis reperiretur aliquando qui poscenti illud, χρῆσόν μοι μαρτυρίαν, responderet hoc, μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος εἰμί.

PHI. Nobis de Atheniensium aut etiam totius nationis Græcorum religione judicare volentibus nihil præjudicii in illo Ciceronis loco constituatur: atque historicis potius quam oratoribus, & causæ servientibus, & gentem suam Græcæ longe anteferre volentibus, fides habeatur.

COR. Hoc per me licet. Verum ab iis sumendum esse initium censeo quæ in *sacra Historia* de ipsis leguntur.

PHI. Bene mones. Audiamus igitur quæ a Luca in sua *de Apostolorum Actis Historia* scribuntur huc pertinentia: capite XVII. Ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις ἐκδεχομένου αὐτοὺς τοῦ Παύλου, παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ, θεωροῦντι κατείδωλον οὖσαν τὴν πόλιν. Ubi valde notabili de hac urbe epitheto utitur, quum illam κατείδωλον appellat: sive κατείδωλον de urbe, idolis seu idololatriæ dedita, cum veteri Interprete, sive de idolis referta, cum Isaaco Casaubono, intelligamus.

COR. Imo vero huic posteriori interpretationi acquiescendum standumque esse puto: quum & præpositio κατὰ talem in quibusdam compositis usum habeat, & optime conveniat cum illo ingenti idolorum numero quem Pausanias hac in urbe describit: ita ut hanc unam urbem plura propemodum idola quam reliquam Græciam (saltem non pauciora) habuisse dicere possimus. Adde quod minime nova res Paulo Apostolo fuisset, videre Græcam urbem idololatriæ deditam: nec fortasse ob quam παροξύνεσθαι τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ contigisset. Significari autem arbitror illo dicendi genere tale quid quale Latini aliquando verbo *Æstuare* declarant. Sed audienda sunt quæ tandem ex ita æstuante hujus Apostoli pectore verba super hac ipsa re qua de agimus, eruperunt: Ἄνδρες Ἀθηναῖοι (inquit) κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ. Et rationem reddit, διερχόμενος γὰρ καὶ ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν, εὗρον καὶ βωμὸν ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο, ΑΓΝΩΣΤΩ ΘΕΩ.

PHI. Sed quomodo δεισιδαιμονεστέρους intelligendum putas? an perinde ac si εὐσεβεστέρους vel θεοσεβεστέρους dictum foret? Ego sane non aliter accipio quam si dixisset, δεισιδαιμονεστέρους ἢ εὐσεβεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ: id est, δεισιδαίμονας potius quam εὐσεβεῖς: aut etiam, ὑπὸ τῆς ἄγαν εὐσεβείας, (vel θεοσεβείας) ἣν ἑαυτοῖς ἀναπλάττετε, εἰς τὴν ὑφ' ὑμῶν καλουμένην δεισιδαιμονίαν κατολισθαίνοντας: vel ἐξοκέλλοντας.

COR. Quid si vero δεισιδαιμονεστέρους τῶν ἄλλων Ἑλλήνων intelligamus? ὡς autem pro eo quod Latini dicunt, *Ut ita dicam*. Eos vero qui verterunt non *superstitiosiores*, sed *religiosiores*, movit (ut opinor) quod sequitur verbum εὐσεβεῖτε: quamvis non aliter & ipsi interpretentur quam si verbo σέβεσθε (a quo est illud quod præcedit nomen σεβάσματα) usus esset. Verum a sacris *Scriptis* ad profana ut revertamur, Pausanias quoque εὐσέβειαν ipsis majorem quam aliis Græcis tribuit: scribens, τούτοις δὲ οὐ τὰ εἰς φιλανθρωπίαν μόνον καθέστηκεν, ἀλλὰ καὶ εἰς θεοὺς εὐσεβεῖν ἄλλων πλέον. Et rationem subjungit, ipsis aram esse etiam αἰδοῦς, & φήμης, & ὁρμῆς. Allatus porro antea fuit Strabonis locus, ubi duas illas a Pausania junctas Atheniensium laudes conjungere & ipse videri posset: non tamen εὐσεβείας appellatione utens, sed eos erga deos quoque φιλοξενεῖν dicens. Ejus enim verba sunt: Ἀθηναῖοι δ' ὥσπερ περὶ τὰ ἄλλα φιλοξενοῦντες διατελοῦσιν, οὕτω καὶ περὶ τοὺς θεούς. Ex peregrinis enim sacris pleraque admiserunt, inquit.

PHI. Atqui apud Pausaniam non est ulla τοῦ φιλοξενεῖν vel τῆς φιλοξενίας mentio, ubi de Atheniensibus agit.

COR. Sed φιλανθρωπίας laudem illis tribuit: scimus autem ἀπὸ τῆς φιλανθρωπίας oriri τὴν φιλοξενίαν. Fateor tamen illud Strabonis φιλοξενεῖν aliud esse quam quod ἀπὸ τῆς φιλανθρωπίας manat: ut etiam ostendunt quæ de eo dicta prius fuerunt. Ac quum alterum φιλοξενεῖν, quod de hospitalitate dicitur, ab omnibus laudatum semper fuerit, istud contra, præsertim in iis quæ ad deos pertinent, (ut ille φιλοξενοῦντες καὶ περὶ τοὺς θεοὺς dicit) vituperatum a multis fuit, non solum a comicis irrisum: sicut ibidem, post verba ista, πολλὰ γὰρ τῶν ξενικῶν ἱερῶν παρεδέξαντο, additur, ὥστε καὶ ἐκωμῳδήθησαν. Quum autem & peregrina sacra recepissent, non mirum si & plures ἑορτάς.

PHI. Romanis certe longe alia mens quam Græcis hac in re fuit: nam exceptis paucis quibusdam sacris, quæ a Græcis eorum majores vel potius τῶν προπατόρων προπάτορες transtulerant, potius μισοξε-

νεῖ περὶ τοὺς θεοὺς quam φιλοξενεῖ dici potuerunt: ut vel Dionysii Halicarnassei quidam locus ostendit.

PHI. Annon autem δεισιδαιμόνων potius quam ἀσεβῶν aut θεοσεβῶν, vel δεισιδαιμονούντων potius quam ἀσεβούντων, sive θεοσεβούντων, illa Atheniensium περὶ τοὺς θεοὺς φιλοξενία fuisse dicenda est?

COR. Dicenda procul dubio est.

PHI. Hac ergo in parte Græcos, non Romanos, δεισιδαιμονίας accusandos esse fatendum est.

COR. Sed non ad illud tantum colendi peregrinos deos studium δεισιδαιμονία eos impulit, verum ad aliquid multo absurdius.

PHI. Quid audio?

COR. Audis quod verissimum est. Quid enim absurdius quam non solum Pudori aram sed Impudentiæ quoque suam erigere?

PHI. Si res ita se habet, poterat aliquis Pausaniæ, illam Pudoris seu Verecundiæ aram inter alias jactanti, tanquam majoris Atheniensium quam cæterorum Græcorum ἀσεβείας argumentum, objicere. At de Impudentiæ ara quid ais Pausania?

COR. Sed tu quare, Si ita se res habet, dicis? an vereris ne τοὺς συκοφάντας velim συκοφαντεῖν?

PHI. Ego hic & meo & illorum nomine εὐφημεῖν te jubebo. Apage enim tantam adversus illos quidem maledicentiam, adversus me autem maledicentiæ suspicionem. Sed tamen quem tu habeas ejus quod dicis autorem, scire velim.

COR. Habeo ex Græcis scriptoribus unum & alterum, ex Latinis Ciceronem. Apud eum enim legimus, libro *De Legibus* secundo: *Nam illud vitiosum Athenis, quod Cylonio scelere expiato, Epimenide Crete suadente fecerunt Contumeliæ fanum & Impudentiæ: virtutes enim, non vitia, consecrare decet.* Ecce vero ut, dum probare volo non falso a me illud de Impudentia dici, invenio & quod amplius dicam, de Contumeliæ fano non minus sane reprehendendo

PHI. At duo illi Græci, qui miræ hujus consecrationis mentionem fecerunt, pro *Impudentia* quidem Ἀναίδειαν, sed pro *Contumelia* quid dixerunt?

COR. Ὕβριν, si bene memini. Sed nemo hæc mirabitur qui magis monstrifica seu portentifica δαιμόνια, quæ quidem ex Græcis sibi finxerint, legerit. Ex quibus est Diana quædam cognomine ἀπαγχομένη.

PHI. Plura de hac, deque aliis hujusmodi vel diis vel deabus, audire ex te velim.

COR. Plura ex me neque de hac dea, neque de aliis id genus sive diis sive deabus auditurus in præsenti non es.

PHI. Quid ita?

COR. Quoniam longior sermo quam pro eo quod superest otio futurus esset.

PHI. Visne igitur pactis & conventis stare?

COR. Quæ mihi pacta & conventa narras?

PHI. De examinandis M. Tullii locis in quibus de religione Græcorum verba facit.

COR. Latius illa conventa extendis: ac (si mihi libere loqui concedis) non satis religiosum te in exigendo hoc de religione debito ostendis.

PHI. Bona verba quæso: & memoriam, non conscientiam, accusa.

COR. Dicturum me de illa nota promisi quam Cicero Græcis inurit, ubi illos in dicendis testimoniis minime religiosos esse queritur. Sed librum ipsum Ciceronis velim afferri, ut ex eo totum locum legamus.

PHI. En tibi Ciceronis *Orationum* volumen: & quidem ecce illam *pro L. Flacco Orationem*. Visne a me totum illum locum recitari?

COR. Te recitantem audire haud recuso.

PHI. *De quibus vos aliis testes esse debetis, de iis ipsi alios testes audietis? At quos testes? dicam. Primum (id quod est commune) Græcos: non quod nationi isti ego unus maxime fidem derogem. Nam si quis unquam*
A *de nostris hominibus a genere isto, studio ac voluntate non abhorrens fuit, me & esse arbitror: & magis etiam tum, quum plus erat otii, fuisse. Sed sunt in illo numero.*

COR. Ignosce si interpello. Exspectabam aliquid quod haberet apodosin (ut vocant) ad illa, *non quod nationi isti ego unus maxime fidem derogem.*

PHI. Frustra exspectabas, quum nulla sequatur. Fateor autem me quoque, quum itidem exspectarem, fuisse itidem deceptum. Eo autem magis mihi persuadebam aliquid sequuturum quod verbis illis
B posset ἀποδίδοσθαι, quod & suspensam relinquere orationem videbantur, & hanc periodum, *Nam si quis unquam de nostris homin.* quæ clauditur verbo *fuisse*, per parenthesin interjectam existimabam.

COR. Ita nonnunquam Cicero quoque, non satis ἀκολουθίαν in structura orationis servans, non eam quam προσεδοκῶμεν orationis formam, sed aliam παρὰ προσδοκίαν subjungit. Quod tamen evidentius in quibusdam aliis locis facit. Verum persequamur.

PHI. *Sed sunt in illo numero multi boni, docti, pudentes, qui ad hoc judicium deducti non sunt: multi impudentes, illiterati, leves, quos variis de causis vi-*
C *deo concitatos.*

COR. Transi ad locum illum ubi de toto genere Græcorum verba facit: & quamvis multis illos dotibus animi præditos esse fateatur, testimoniorum tamen religionem & fidem illis deesse negat.

PHI. Ad illud statim transiturus eram, si me non interpellasses: nam proxime sequitur illa quæ recitavi: *Veruntamen hoc dico de toto genere Græcorum: tribuo illis literas, do multarum artium disciplinam: non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denique etiam, si qua alia sibi sumunt, non repugno:* ac tandem a magnis laudibus ad ma-
D gnam vituperationem descendit, *testimoniorum religionem & fidem nunquam ista natio coluit: totiusque hujusce rei quæ sit vis, quæ autoritas, quod pondus, ignorant.*

COR. Qui de Græcis ita loquitur, quid religionis illis relinquit?

PHI. Non video quid relinquere dici possit, etiamsi non in universum religionem illis adimere se dicat, sed eam tantum quæ circa testimonia versatur. Nam quemadmodum dixit, *non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen,* &c ita quum subjungit, illam nunquam testimoniorum religionem coluisse, perinde est ac si diceret, At testimoniorum
E religionem & fidem adimo.

COR. Præsertim vero quod his statim addit, mihi suspectum est, *Unde illud est, Da mihi testimonium mutuum?* Quæ Latina quibus Græcis efferri solerent, antea quærebamus: sed frustra quærebamus fortasse: quid si enim in Græcos conficta hæc sunt, ad conflandum illis odium? Nullo certe modo in animum queo inducere, fuisse non solum tam religionis expertes, sed etiam impudentes, ut ad hanc usque petitionem palam devenire auderent.

PHI. Pro his, *Testimoniorum religionem & fidem nunquam natio ista coluit*, dicit brevius, *Natio in dicendis testimoniis minime religiosa.*
F COR. Ita nos hic gerere debemus, invito Cicerone, ut quæ in laudem Græcorum dicit, εὔπιστα censeamus, at quæ in illorum dedecus, ἄπιστα existimemus. Præsertim vero illa quæ non magno additur intervallo antithesis inter Græcum & Romanum testimonium dicentem: *Græcus testis* (inquit) *quum ea voluntate processit ut lædat, non jurisjurandi sed lædendi verba meditatur,* &c. Ac quibusdam interjectis: *Qui autem dicit testimonium ex nostris hominibus, ut se ipse sustentat! ut omnia verba moderatur! ut timet ne quid cupide, ne quid iracunde, ne quid plus minusve quam sit necesse dicat.* Atque his subjungit: *Num illos idem (vel item) putatis, quibus jusjurandum jocus est, testimonium ludus?*

PHI. Quid magis aspere & acerbe, quid magis contumeliose dici poterat? Sed tamen quum ista in judicio dicerentur, verisimile est jam imbutos fuisse tali de Græcis opinione Romanos, aut saltem Romanorum plerosque: & Ciceronem non tam inurere novam notam Græcis, quam eam, quæ inuri illis soleret, augere, amplificatione hyperbolica & plusquam rhetorica utentem. Obiiciet tamen aliquis, non de omnibus Græcis hoc dici, sed de nonnullis qui (ut ipse ait) & impudentissimi & loquacissimi erant: *Itaque* (inquit) *non optimus quisque, nec gravissimus, sed impudentissimus loquacissimusque deligitur*. Atque hic quoque antithesi utitur: dicit enim: *Vos autem in privatis minimarum rerum judiciis testem diligenter expenditis: etiamsi formam hominis, si nomen, si tribum nostis, mores tamen exquirendos putatis*. Et tandem ad illa quæ recitata fuerunt verba venit, illius videlicet posterioris antitheseως, de qua tamen priore loco dictum a nobis fuit. Ut autem tibi verum fatear, hæreo: nam Ciceroni de his, quæ adversum Græcos dicit, durum quidem est credere: sed vicissim quum venit in mentem Græcum illud proverbium, *Viri jurejurando, pueri autem talis fallendi sunt*, in dubio sum an fidem illi omnino derogare debeam.

COR. Nego illud Lysandri dictum posse dici proprie proverbium.

PHI. Cur id negas?

COR. Quoniam proverbii naturam (ut ita dicam) non habet.

PHI. Quænam hæc est proverbiorum natura?

COR. Ut verbis, quibus unumquodque effertur, subsit aliquid de quo omnes aut plerique & quidem major hominum pars, inter se consentiant. At hoc Lysandri dictum putasne a pluribus probatum quam improbatum fuisse?

PHI. A pluribus saltem Lacedæmoniis quam Atheniensibus laudari solitum existimo.

COR. Unde hoc tibi persuades?

PHI. Primum, ex eo quod Lysander Lacedæmoniorum dux fuerit, (sicut nosti) & libentius probemus quæ quis e popularibus nostris dixerit: deinde, ex ea quam de Atheniensibus meliore quam de Lacedæmoniis concepi opinione, ad religionem quod attinet.

COR. Religionis certe majorem & ipse Atheniensibus quam Lacedæmoniis curam fuisse facile crediderim.

PHI. Meministine quomodo Græce efferatur?

COR. Memini; *ὅρκοις ἄνδρας, ἀστραγάλοις δὲ παῖδας ἐξαπατητέον*.

PHI. Atqui illæ editiones Adagiorum quæ de hoc proverbio consultæ a me fuerunt, omnes tua priores *ἐξαπατέον* habent.

COR. Ego tamen apud Plutarchum, ex quo sumptum est, *ἐξαπατητέον* legi arbitror: sed etiamsi non ita legeretur, (neque enim affirmare possum utra ibi lectio inveniatur) constat nihilominus ita esse legendum.

PHI. Quid in animo volutas?

COR. Conor in memoriam revocare ejusdem Lacedæmonii & Lacedæmoniorum ducis apophthegma, quod quum itidem inter proverbia numeretur, ego an debeat in eorum albo poni dubito.

PHI. Quodnam illud est?

COR. Quomodo prævenire lingua memoriam potest?

PHI. Ignosce meo desiderio.

COR. Ignosce meo duriusculo responso.

PHI. Ego conjectura assequutum me arbitror quodnam illud sit. Nonne & ipsum Lysandri esse ais?

COR. Ajo.

PHI. Est igitur istud, *Si leonina pellis non sufficit, vulpina est addenda*. Sed Græcarum vocum melius recordaberis.

A COR. Istæ sunt, *ἂν ἡ λεοντῆ μὴ ἐξίκηται, τὴν ἀλωπεκῆν πρόσραψον*. Ita enim scribendum potius quam *πρόσαψον*; ideoque dicendum potius, *vulpina assuenda*: aut repræsentando imperandi modum, *vulpinam assue*: licet eodem & in altera voce manente sensu.

PHI. Nunquam consideraveram, ex eadem officina prodire duo ista proverbia, (ita enim jure vel injuria appellabo, tantisper dum sub judice lis illa manebit) quum tamen ejusdem farinæ esse animadvertissem.

COR. Sed tolerabilius tamen est hoc apophthegma quam alterum.

PHI. Fateor. Verum audi, mi Coronelle, quid B cogitem.

COR. Dic quod cogites, si mihi audiendum esse putas.

PHI. Cogito fore ut multum proverbiorum numerus minuatur, si tu omnia quæ duobus illis similia sunt eradenda ex proverbiorum albo dixeris.

COR. Quasi vero statim facturus sit quispiam quod ego faciendum esse dixerim.

PHI. Quod si fiat, nonne videbimus ἀποσκορακιζόμενα & cætera de jurejurando proverbia?

COR. Severiorem me in animo tuo fingis, vel potius rigidiorem, quam expertus sis. Sunt enim ex C duo saltem quibus parcere velim.

PHI. Quænam illa sunt?

COR. Unum est, vulgare illud de jurejurando amantium proverbium: alterum, de jurejurando fœminarum.

PHI. Gratias tibi & amantium & fœminarum nomine ago. Ad jusjurandum amantium quod attinet, Græcum de illo proverbium ita effertur, si memoria me non fallit,

Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος.

COR. Non te fallit memoria. Quamvis autem pro soluta oratione habeantur hæc verba, efficiunt tamen iambicum senarium, in primam & secundam D sedem recepto anapæsto. Vulgo ita redditur, *Venereum jusjurandum non ponitur*: sed rectius redderetur, *Venereum jusjurandum pœnæ non est obnoxium*.

PHI. Nonne Callimachus mentionem hujus facit?

COR. Facit: haud tamen τὸν *Ἀφροδίσιον ὅρκον* sed τὸν *ἐν ἔρωτι* dicens: verum plurali utitur,

Ὤμοσεν. ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα, τοὺς ἐν ἔρωτι
Ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων.

Id est,

Juravit: sed verum ajunt, ea quæ quis amantum
Jurat, adusque aures haud penetrare deum.

Ante multos autem annos priorem versum ita esse E emendandum docui, jam tum videlicet quum *Animadversiones* in Erasmicas quorundam *Adagiorum* expositiones edidi. Ita enim scriptum inveniebam, *Ὤμοσεν. ἀλλὰ λέγουσι θεατοὺς ἐν ἔρωτι*: ac monuit quidem ipse Erasmus versum illum mendo non carere: sed admonitioni suæ emendationem non addidit. Cæterum non puduit ipsum Platonem proverbii illius mentionem facere: apud quem, ubi legitur, *Ἀφροδίσιον γὰρ ὅρκον οὔ φασιν εἶναι*, & additur, *οὕτω καὶ οἱ θεοὶ καὶ οἱ ἄνθρωποι πᾶσαν ἐξουσίαν πεποιήκασι τῷ ἔρωτι*, non immerito quidam vocem *ἐμποίνιμον* post *εἶναι* deesse putaverunt. Nec vero Latini poetæ hoc amantum privilegium vel ignorarunt vel tacue- F runt, sed velut certatim id prædicarunt. Ita enim Tibullus:

Nec jurare time, Veneris perjuria venti
Irrita per terras & freta summa ferunt.

Quin etiam addit, tanquam ex abundanti:

Gratia magna Jovi: vetuit pater ipse valere
Jurasset cupide quidquid ineptus amor.

Ac, ne his quidem contentus, duarum etiam dearum mentionem facit, quæ per se jurantes perjurare permittant:

Perque suas impune sinit Dictynna sagittas
Affirmes, crines perque Minerva suos.

Hic enim ſub verbo *Affirmes* non tantum intelligitur Jures, ſed ex præcedentibus intelligendum eſt, Jures, & poſtea perjures ſive pejeres. Nec vero ſatis habet iſtud hoc in loco tam multis verbis dixiſſe, ſed & in alio, quem habet ultima *libri* tertii *elegia*, id repetit:

—— perjuria ridet amantum
Juppiter, & ventos irrita ferre jubet,

Dixerat autem antea:

Et ſi perque ſuos fallax juravit ocellos,
Junonemque ſuam, perque ſuam Venerem,
Nulla fides inerit.

PHI. Naſo certe ne hac quidem de re tacuit: quin potius illo ipſo Tibulli hemiſtichio (fortaſſe tanquam plus ponderis propter ipſius poetæ autoritatem habituro) utendum cenſuit, in *Arte* ſua:

Juppiter ex alto perjuria ridet amantum,
Et jubet Æolios irrita ferre notos.

COR. Non tantum hemiſtichium illud ſermoni ſuo accommodavit, ſed totum diſtichum, paucis mutatis. Eſtque operæ pretium obſervare obiter quomodo & ipſi, ejus exemplo, aliquos veterum poetarum verſus in uſum noſtrum transferentes, aliqua in parte illos μεταποιεῖν debeamus.

PHI. Nihil ſane ſermoni ſuo accommodatius adjungere poterat: præcedit enim,

Nec timide promitte: (trahunt promiſſa puellas)
Pollicitis teſtes quoslibet adde deos.

Ratio enim redditur cum non timendum ſit promittere, & quidem addito promiſſis jurejurando: quod Jovis in perjurantem ira minime timenda ſit, utpote talia perjuria riſu non ira digna judicantem. Cæterum ne Horatius quidem hoc de riſu ſilet, eum tamen non Jovi itidem, ſed Veneri, Nymphis & Cupidini tribuens, *Carminum* libro ſecundo.

COR. Interim dum iſta loqueris, cogito, poſſe videri Tibullum appellare *Veneris perjuria*, quod, ſequendo illud Græcum proverbium, dicere Ἀφροδισίους ὅρκους poſſemus. Nec abſimile vero eſt, eum verbis illis utentem, ad proverbium illud alluſiſſe.

PHI. Imo cui veriſimile iſtud fuerit, quum *perjuria* ab eo dicatur, at in proverbio fiat jurisjurandi mentio?

COR. Quaſi vero non ſit manifeſtum, ubi dicitur,

Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος,

agi non ſimpliciter de jurejurando, ſed de jurejurando quod violatum ſit. Quid autem aliud eſt juſjurandum violatum quam perjurium? Hinc fit ut non timeam, verſum illum, quem alioqui difficillimum eſſet interpretari, eadem verba retinendo, ita reddere,

Eſſe ſolet impune Veneris perjurium.

PHI. Vix alia (ut opinor) ad verſum illum interpretandum patebat via. Nam jurisjurandi appellatio vix adhiberi ei poterat: at voce juramentum non libenter uſus fuiſſes.

COR. Interpretibus multa effugia nota eſſe oportet.

PHI. Illius ſaltem haud obliviſcar. Verum de jurejurando fœmineo ſupereſt ut verba facias.

COR. Quodnam illud ſit, tibi æque ac mihi notum eſt.

PHI. Notum mihi eſt iſtud ſaltem,

Τὸν δὲ γυναικὸς ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφω.

COR. Haud aliud mihi notum eſt proverbiale dictum quam iſtud, de fœminarum jurejurando. Sed libentius ſcripſerim γράφε. Scio autem inveniri etiam,

Ὅρκον δ' ἐγὼ γυναικὸς εἰς οἶνον γράφω,

ſed hæc immutatio vocis ὕδωρ in οἶνον non dubium eſt quin jocoſe facta ſit. Eſſe porro Xenarchi verſum, teſtatur Athenæus.

PHI. Additne, illum ita ſcribentem, jocari voluiſſe?

COR. Nequaquam: ſed id cogitandum lectoribus relinquit. Ac veriſimile eſt, quum aliquis, vulgari proverbio utens, dixiſſet ſe muliebre jusjurandum in aquam ſcribere, alium apud eum, tanquam muliebri ſexui gratificari ſtudentem, utpote vinoſo, & nihil rei ſibi cum aqua eſſe volenti, εἰς οἶνον pro εἰς ὕδωρ dixiſſe. Affertur enim ab Athenæo hic verſus ubi agit de mulierum vinolentia: quod animadvertendum eſt. Crediderim autem, illum qui de mulieribus quem retuliſti jambicum primus protulit, ad exemplum effinxiſſe iſtius,

Ἀνδρῶν δὲ φαύλων ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφω,

vel γράφε. Nec dubium eſt quin Catullus ad Græcum illud proverbium hic reſpexerit:

Dicit: ſed mulier cupido quod dicit amanti
In vento & rapida ſcribere oportet aqua.

Videtur vero & aliquid Callimachejum habere iſta ſtructura, *Dicit: ſed mulier*, &c. ita enim ille, Ὤμοσεν· ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα. Nam perinde eſt ac ſi diceretur, Juravit quidem, ſed tamen haud fidendum eſt, vel, Dicit quidem, ſed fidendum tamen non eſt; ratio enim ſubjungitur.

PHI. Quorſum vero tam multa de amatorio deque muliebri jurejurando? Neque enim horum vel utrumque vel alterum invidiam illam conflaſſe Græcis exiſtimare debemus.

COR. Magis proprie loquereris, ſi non, Invidiam illam conflaſſe, ſed Infamiam illam vel ignominiam illam inuſſiſse diceres. Ad illud enim reſpicis (opinor) quod Cicero de illis vociferatur, nunquam teſtimoniorum religionem & fidem coluiſſe: vel (ut aliquanto poſt brevius loquitur) minime in dicendis teſtimoniis eſse religioſos.

PHI. Ad illud ipſum reſpicio. Videturne autem tibi poſteriore loco ſicut brevius ita etiam mitius de illis loqui?

COR. In illo poſteriore loco licet non itidem fidei mentio fiat, haud minus tamen infamare eos videtur.

PHI. Verum ad illud non reſpondiſti quod ex te ſciſcitabar, quorſum tam multa de amatorio deque muliebri perjurio: præſertim quum illud quidem non minus Romani ſeu Latini, quam Græci, venia dignum cenſuerint: de hoc autem ſuis proverbialibus verbis ita loquuti ſint, ut potius id traducere quam ei ignoſcere voluiſse videantur.

COR. Nimium ſane de illis multa: nam ita ſe res habet ut dicis. Atque, ut verum fatear, illud præcipue dictum Lyſandri de fallendis viris quidem jurejurando, pueris autem talis, & ſi quod aliud hujuſmodi eſt, infames Græcos reddidiſse puto: quod eſse proverbium aſsenſu omnium receptum putaretur.

PHI. Ciceronem & quicunque alii Græcorum ſunt accuſatores, miſsos faciamus, & Græcine an Romani magis jurisjurandi religionem fidemque coluerint, diſquiramus.

COR. Haud longa diſquiſitione opus mihi fuerit, ſi reſpondere libeat. Libebit autem ſi promiſeris fore ut ſententiæ meæ rationem in præſenti non exigas, ſed alteri συζητήσει noſtræ (ſicut & alia infinita quæ de Græcis dicenda reſtant) reſervari a me patiaris. Vides enim me denuo acceſſiri.

PHI. Et video, & illa omnia promitto.

COR. Magis cultores ejus fuiſse Romanos arbitror.

PHI. Putas me aliquam interrogationem velle addere, (quaſi jam promiſsorum immemorem) quum tantum de valedicendo cogitem.

COR. Ego vero nulla eſse opus cogitatione arbitror ad remunerandum tuum Vale meo.


F I N I S.

ERASMI VINDINGII
PAULI F.
HELLEN,
IN QUO SINGULORUM
ANTIQUÆ GRÆCIÆ
POPULORUM INCUNABULA,

MIGRATIONES, COLONIARUM DEDUCTIONES, ET RES PRÆCIPUÆ GESTÆ, URBIUMQUE ET REGNORUM ORIGINES, MUTATIONES, INTERITUS, ET PRINCIPUM IN IIS SUCCESSIONES, E GRÆCIS PRÆCIPUE SCRIPTORIBUS, HISTORICIS, POETIS, GEOGRAPHIS, ORATORIBUS, ET GRAMMATICIS EXPONUNTUR.

Ex Ms. Auctoris Autographo nunc primum eduntur.

P R Æ F A T I O.



NOBILISSIMÆ, *& per Europam, Asiamque, & insulas latissime diffusæ Gentis, ac singulorum ejus Populorum, quos Latini Græcos, ipsi se communi nomine* Ἕλληνας *appellarunt, historiam ab ultima vetustate repetere animus est. Ejus originem, si Divinæ Scripturæ, quæ sola falsi expers, non dubiæ est veritatis, ductum sequamur, non aliunde deducemus, quam ab Adamo, primo totius generis humani parente: & deinde a Noacho, qui cum uxore ac tribus filiis, totidemque nuribus, cæteris mortalibus aquarum eluvione absorptis, solus illi cladi fuit superstes. Neque vero Græcorum quorundam, qui se* αὐτόχθονας, *& Arcadum, qui se* προσελήνους, *& ante Lunam ipsam natos fuisse gloriati sint, moramur nugas. Receptum autem vulgo est a quarto Japheti filio Javane* Ἴωνας, *& ab Elissa Javanis filio* Ἕλληνας *&* Αἰολεῖς, *Rhodiosque & Dores & Dodonæos a Dodanim Elisæ fratre deducere. Verum, ut facile assentior, Javanem non tantum Græcorum, sed etiam aliorum Europæ populorum* ἀρχηγὸν *esse: &* Javan *in Scriptura frequenter vocari Græciam seu* Ἑλλάδα *postea late dictam, ut* Daniel. VIII. 21. *&* X. 20. *&* XI. 2. Esa. LXVI. 19. Ezechiel. XXVII. 13. *& Græcos ipsos* Javanim, Joel. III. 11. *Ita diffiteri non possum videri mihi eas origines sola conjectura niti, e nominum affinitate nata: Græcosque a Medis Persisque* Ἰάονας *appellatos puto, non a Javan, sed quod Jones Græcorum ipsis, tanquam vicini, essent notissimi.* Ὅτι πάντας τοὺς Ἕλληνας Ἰάονας οἱ Βάρβαροι ἐκάλει, προείρηται καὶ Ὅμηρος (Iliad. Υ. v 685.) *scribit Scholiastes Aristoph.* Acharnens. *p. 376.* Ἰαοναῦ *eos vocat Pseudartabanus Legatus Persicus apud Aristophanem ipsum* Acharn. *p. 375. Sic Hesychius* Ἐπιεικῶς δὲ οἱ Βάρβαροι τοὺς Ἕλληνας Ἴωνας λέγουσιν. *Corrupte legitur illic semel atque iterum* Ἰαννας *pro* Ἰάονας. *Nec certe* Ἰάων *aliud est quam* Ἴων, *&* Ἰάονας *Athenienses vocavit Homerus pro* Ἴωνας. *Equidem si fides habenda Scriptoribus Græcis,* Ἰώνων, Ἑλλήνων, Αἰολέων, Δωριέων *nomina longe recentiora sunt, quam ut ad tempora, qua diluvium Noachi proxime exceperunt, referri possint. Etenim ante tempora Hellenis Deucalionis filii,* Ἑλλήνων *nomen fuisse non videtur: multo minus,* Ἰώνων, Αἰολέων *&* Δωριέων, *qui ab Hellene oriundi erant. Fuitque ab initio* Hellas *& Gens hæc arctis admodum circumscripta limitibus, adeo ut soli, qui in Thessalia habitabant,* Ἕλληνες *appellarentur, & ne Homerus quidem alios, quam eos,* Ἕλληνας *vocarit: cum interim ea, quæ postea* Hellas *& Græcia appellata fuit, fere tota Barbarorum sedes fuerit: nam & Pelops e Phrygia, & Danaus ex Ægypto secum in Peloponnesum populos adduxerunt: & Dryopes, Caucones, Pelasgi, Leleges, aliique eorum similes, quæ intra Isthmum sita sunt, obtinuerunt; sed & ea quæ extra Isthmum sunt: nam Atticam Thraces, qui cum Eumolpo venerant, possederunt: Daulidem Phocidis Tereus: Cadmeam Phœnices Cadmi comites: ipsamque Bœotiam Aones, Tembices, atque Hyantes, ut scribit Strabo* lib. VII. *p. 321. Fuitque tunc Pelasgia appellata, quæ postea Hellas, ut auctor est Herodotus* lib. II. *p. 125. eo quod vetustissima hæc Gens per eas terras latissime diffusa esset, teste Strabone* lib. V *p. 220. Neque tamen constat, Pelasgi ne, an alii, primi in eas terras venerint, quoque se illi nomine appellarint: neque inter Græcos antiquitatum auctores convenit, præsertim eos, qui ante Olympiadem primam scripserunt: nam, ut scribit Eusebius* Cron. *lib. I. p. 19.* Αἱ παρ' Ἕλλησιν ἀρχαιολογίαι πᾶσαι μ.. ἀσυμφώνοι φέρονται παρὰ τοῖς ἀλλαξαμένοις αὐτὰς ἱστορικοῖς. ἐξαιρέτως δὲ οἱ πρὸ τῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος. *Unde Pausanias* Messen. *p. 218.* ἥκει γὰρ δὲ *inquit,* εἰς ἀμφισβήτησιν τὰ ἐν τῇ Ἑλλάδι τὰ πλείω. *& Diodor.* lib. IV. *præf. p 209* Τὸ δὲ μέγιστον καὶ πάντων ἀπορώτατον, ὅτι συμβαίνει τοὺς ἀναγεγραφότας τὰς ἀρχαίας πράξεις ἢ ... μυθολογίας, ἀσυμφώνους εἶναι πρὸς ἀλλήλους. *Suntque* ἄδηλα, *quæ primum hic sciri oporteret: reliqua* μυθικὰ, *multisque fabularum involucris obscura, priusquam ad veras rerum narrationes pervenire liceat. Nos de singulis, qui in Græcia habitasse memorantur, Populis, præcipue e Scriptoribus Græcis notabimus, facto initio a Peloponnesiis usque ad Ambraciotas, qui Græciæ extrema tenuerunt: tum reliquorum Græcorum, qui in Asiam, Hispaniam, Galliam, Italiam & insulas in colonias deducti fuere, res maxime memoria dignas describemus. Neque tamen Alexandri Magni ejusque successorum res in Asia gestas, aut deductas colonias, conditasque & denominatas ab iis urbes numero plurimas, hic commemorabo: quod & singulare opus ista poscant, & mixto e Græcis Barbarisque exercitu gesta sint; adeo ut Græco nomini soli vindicari nequeant.*

Editiones, quibus usus est Auctor in hoc Libro.

Æschines Wolphii, Basileæ An. MDLXXII.
Eusebii Chronicon edit. Scaliger.
Herodotus Henrici Stephani, MDXCII.
Thucydides Porti, Francofort. Wechel. MDXCIV.
Diodorus Siculus Rhodom. Hanov. Wechel. MDCIV.
Xenophon Leunclav. Basileæ MDLXIX.
Pausanias Sylburgii Hanov. Wechel. MDCXIII.
Strabo Casauboni Parisiis MDCXX.
Plutarchi Moralia Xylandri Basil. MDLXXIV.
Pollux edit. Aldi Venet. MDII.
Aristophanes Porti Aurel. Allobrog. MDCVII.
Demosthenes Morelli Parisiis MDLXX.
Eustathius in Homerum . . . .
Scholia minora in Homerum . . . . . .
Stephanus edit. Aldi Venet. MDII.
Hesychius Hagenoæ MDXXI.
Suidas Porti . . . .
Poetæ Græci . . . .
Epistolæ Græcanicæ . . . . .
Apollodorus Ægii Spoletini Romæ MDLV.

ERASMI VINDINGII PAULI F.

HELLEN,

IN QUO SINGULORUM ANTIQUÆ GRÆCIÆ POPULORUM INCUNBULA, &c. EXPONUNTUR.

PELOPONNESII.



ELOPONNESUS est peninsula isthmo clausa, stadiorum XL. Strabo *l.* VIII. p. 334. Dionys. Περιηγ. v. 403. seq.

—— Πέλοπος δ' ἐπὶ νῆσος ὀπηδεῖ
Εἰδομένη πλατάνοιο μυουρίζοντι πετήλῳ, &c.

Tribus, præter hoc, nominibus appellata fuit: Etenim sub Api Phoronei fil. vocabatur *Apia*: sub Pelasgo vero *Pelasgia*: sub Argo vero *Argos*: sed sub Pelopidis *Peloponnesus*, Stephan. Eademque fere scribit Constantin. Porphyrog. *l.* II. *Themat.* VI. vide in *Argivis*, *Apis*, & *Phoroneus* & *Argus*. Etiam Αἰγιάλεια dicta fuit, Etymol. Magn. *in* Ἀπία: vide in *Sicyon*, *Ægialeus*. Apud Hesychium est, Πανία ἡ Πελοπόννησος. unde Georgius Fournier in *Geogr. Orbis Notit.* P.I. l. VII.c. I. scribit Hispaniam Occidentalem vocatam ad differentiam Peloponnesi, quam Hesychius Orientalem appellat Paniam. Ego mendum in Hesychio esse puto, & legendum Ἀπία. Nomen accepit Peloponnesus a Pelope Tantali fil. Phryge. Πέλοπος ἐκ τῆς Φρυγίας ἐπαγομένου λαὸν εἰς τὴν ἀπ' αὐτοῦ κληθεῖσαν Πελοπόννησον, Strabo *l.* VII. p. 321. Primi vero, quantum e Scriptoribus colligitur, in ea habitarunt Pelasgi, Leleges & Caucones Barbari. Ἑκαταῖος μὲν οὖν ὁ Μιλήσιος περὶ τῆς Πελοποννήσου φησὶν, ὅτι πρὸ τῶν Ἑλλήνων ᾤκησαν αὐτὴν Βάρβαροι, Strabo *ibidem*. Imperium autem in ea fertur vetustissimum Ægialensium, qui postea Sicyonii dicti fuerunt: proximum Inachi in Inachia, quæ post Argos appellata fuit. Sed & Arcades inde a vetustissimis temporibus in Peloponneso sedes habuerunt. Deinde Achæi, Iones & Æoles illuc commigrarunt: tum Dryopes: demum Dores, ducibus Heraclidis, maximam ejus partem occuparunt: pulsisque ex illa Ionibus ab Achæis, Peloponnesum præcipui quatuor populi tenuerunt, Arcades, Æoles, Dores, & Achæi. Strabo duas tantum gentes in Peloponneso, post Heraclidarum reditum ponit: Ἐλείφθη, inquit, δ' ἐν τῇ Πελοποννήσῳ τὰ δύο ἔθνη, τό τε Αἰολικὸν, καὶ τὸ Δωρικὸν, *l.* VIII. p. 333 Sed perperam sub Æolica Gente Achæos comprehendit, & Arcades excludit Herodotus etiam Cynurios, singularem Gentem in Peloponneso collocat: Τουτέων, inquit, (ἐθνέων Peloponnesi) τὰ μὲν δύο αὐτόχθονα ἐόντα, κατὰ χώρην ἵδρυται νῦν τε καὶ τὸ πάλαι οἴκεον, Ἀρκάδες καὶ Κυνούριοι,

A *l.* VIII. p. 553. Imperium Heraclidarum in Peloponneso maxime inclytum fuit, duravitque ad tempora Macedonum: & tandem tota Peloponnesus cum universa Græcia Romanis cessit. Ἐβασιλεύετο τὸ πρὶν ἡ Πελοπόννησος ἐκ τοῦ τῶν Ἡρακλειδῶν γένους, μέχρις οὗ Φίλιππος ὁ Μακεδὼν τούτων ἐκράτησε. —— ὕστερον δὲ πάλιν τῶν Μακεδόνων ὑπὸ Ῥωμαίων ἡττηθέντων, πᾶσα ἡ Ἑλλάς τε καὶ ἡ Πελοπόννησος, ὑπὸ τὴν τῶν Ῥωμαίων σαγήνην ἐγένετο, ὥστε δούλους ἀντ' ἐλευθέρων γενέσθαι, Constantin. Porphyrog. *l.* II. *Themat.* VI.

B

PELASGI.

PElasgos ait Ephorus se existimare a prima stirpe Arcades fuisse, militarem vitam amplexos: multisque in ejus studii societatem perductis, omnibus nomen communicasse, & magnum sibi nomen parasse, cum apud Græcos, tum apud alios, ad quos pervenissent. Ei vero, ut ex Arcadia Pelasgos esse diceret, Hesiodus auctor fuit: ait enim:

Υἱεῖς ἐξ ἐγένοντο Λυκάονος ἀντιθέοιο
Ὅν ποτε τίκτε Πελασγός.

C Strabo *l.* v. p. 221. Πελασγοὶ —— γένος ἀπὸ Πελασγοῦ τοῦ Ἀρκάδος γενόμενον πολυπλάνητον, Hesych. Fuitque hic Pelasgus primus Rex Arcadum, quem Hesiodus αὐτόχθονα vocat, Acusilaus Jovis & Niobes filium, Argi fratrem: vide in *Arcadibus*. Multi Heroum Pelasgi sunt dicti, a quibus deinde nomina Gentibus sunt indita, Strabo *l.* v. p. 221. Πελασγῶν, τῶν Θετταλῶν, ἀπὸ Πελασγοῦ τοῦ Ἰνάχου, ἢ ἀπὸ Πελασγοῦ τοῦ Ποσειδῶνος υἱοῦ καὶ Λαρίσσης, Στάφυλος δὲ ὁ Ναυκρατίτης Πελασγόν φησιν Ἀργεῖον τὸ γένος, μετοικῆσαι δὲ εἰς Θεσσαλίαν, &c. Scholiast. Apollon. *l.* I. Τὴν δ' ἐπωνυμίαν ἔλαβον ἐξ ἀρχῆς ταύτην ἀπὸ τοῦ Πελασγοῦ βασιλέως, ὃν δὲ ὁ Πελασγὸς ἐκ Διὸς, ὡς λέγεται, καὶ τῆς Νιόβης τῆς Φορωνέως, Dionys. Halicar. *l.* I. §. 2.
D Historiæ Atticæ Scriptores Pelasgos produnt ab Atheniensibus Πελαργοὺς dictos, διὰ τὸ πλανήτας εἶναι, καὶ δίκην ὀρνέων ἐπιφοιτᾶν ἐφ' οὓς ἔτυχε τόπους, Strabo *l.* v. p. 221. Ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν Πελαργοὶ (perperam Πελασγοὶ) προσηγορεύθησαν διὰ τὴν πλάνην, Strabo *l.* IX. p. 397. Πελαργικὸν ἀντὶ τοῦ Πελασγικόν. Πελαργοὺς γάρ φασι τὴν Ἀττικὴν οἰκῆσαι, ἀπὸ τῶν Πελασγῶν, μεταφέροντες ἐπὶ τὰ πτηνὰ, Hesych. sed forte legendum, ἐπὶ τοὺς Πελασγοὺς μεταφέροντες ἀπὸ τῶν πτηνῶν. *Pelasgi nominati, quia cum velis pansis verno tempore advolasse* (sic lego, pro *advenisse*) *in Italiam visi sunt, ut aves*, (vocem Πελαργοὶ respicit) Isidor. *Origin.* l. IX. c. II. Πελασγοὶ πλανώμενοι διὰ τὰς συμ-

ἐχεῖς στρατείας καὶ μεταναστάσεις, Diodor. *lib.* v. p. 346. Μέγα δὲ ἔθνος οἱ Πελασγοὶ κατὰ τὸν Γεωγράφον. πλανῆται δὲ ἦσαν καὶ σποράδες πανταχοῦ τῆς γῆς· Πολύπλανον γὰρ τὸ ἔθνος, καὶ ἕτοιμον εἰς ἀπανάστασιν, Eustath *in Iliad.* B. Πελασγοὶ, οἱ τὸ παράλιον μέρος τῆς Καρίας ἔχοντες· ἄμεινον δὲ λέγειν αὐτοὺς γένος τι πολυπλανὲς οἰκῆσαν ἐν τῇ Ἀσίᾳ καὶ τῇ Εὐρώπῃ. νῦν δὲ τῆς Τρωάδος πλησίον, ἔνθα αἱ Τράλλεις, Schol. min. *in Iliad.* K. Ἦν δὲ καὶ τὸ τῶν Πελασγῶν γένος Ἑλλαδικὸν, ἐκ Πελοποννήσου τὸ ἀρχαῖον. ἐχρήσατο δὲ τύχαις δυσπότμοις, καὶ πολλὰ μὲν, καὶ ἄλλα, μάλιστα δ' εἰς τὸ πολύπλανόν τε καὶ οὐδενὸς τότε βέβαιον οἴκησιν, Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. §. 2.

Pelaſgi, Gens antiqua, per univerſam Græciam diffuſi fuerunt, Strabo *l.* v. p. 220 Hinc Græcia, Pelaſgia dicta fuit, Herodot. *l.* 11. p. 125. Οἱ δὲ Πελασγοὶ τῶν περὶ Ἑλλάδα δυναστευσάντων ἀρχαιότατοι λέγονται, Strabo *l.* vii. p. 327.

Pelaſgi Peloponneſum tenuerunt, Strabo *l.* vii. p. 321. Πρῶτοι μὲν γὰρ περὶ τὸ καλούμενον νῦν Ἀχαϊκὸν Ἄργος ᾤκησαν αὐτόχθονες ὄντες, ὡς οἱ πολλοὶ περὶ αὐτῶν λέγουσι, Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. § 2. Hinc Peloponneſus Pelaſgia dicta fuit, Ephorus apud Strabon. *l.* v. p 221. Τῇ Πελοποννήσῳ, ἣ πρότερον ἐκαλεῖτο Πελασγία, Scholiaſt. Apollon. *Argon.* lib. 1. v. 1024. Πελασγὶς χθὼν dicitur ipſi Apollonio *Argon.* lib. iv. v. 265. ſeq. Pelaſgia appellata fuit, quæ poſtea Arcadia; vide in *Arcadibus*. Pelaſgiotæ appellati fuerunt, qui poſtea Danai: vide in *Argivis*. Pelaſgi appellati fuerunt, qui poſtea Iones: vide in *Ionibus Peloponn.* Pelaſgi ex Iolco profecti cum Neleo Pylam e Meſſenia Pylo expulerunt, Pauſan. *Meſſen.* p. 285.

Pelaſgi finitimi fuerunt olim iis, qui poſtea Dorienſes appellati ſunt, tenueruntque eam regionem, quæ poſtea Theſſalica appellata eſt, Herodot. *l.* 1. p. 23. Gens Pelaſgica ἐπεπόλασε μάλιστα παρὰ τοῖς Αἰολεῦσι τοῖς κατὰ Θετταλίαν, Strabo *l.* v. p. 220. Pelaſgi in ea regione, quæ poſtea Æolis dicta fuit, habitarunt, Herodot. *l.* vii. p. 470. Πελασγοὶ ἐλέγοντο, οἱ τὴν Φθιωτικὴν κατῴκουν: unde Junonem Πελασγίδα vocat Apollonius *Argonaut.* l. 1. v. 14. quæ e regione Theſſalica erat. Scholiaſt. Apollon. *d. l.* Hinc Πελασγικὸν Ἄργος Theſſalia dicta fuit Homero *Iliad.* B. v. 681. Strabo *l.* v p. 221. Et Schol. Apollon. Πελασγοὶ οἱ Θεσσαλοὶ, καὶ Πελασγικὸν Ἄργος, ἡ Θεσσαλία, Heſychius. Inde ad Dodonæos conceſſerunt: Ἔκτῃ δ' ὕστερον γενεᾷ Πελοποννήσιοι ἐκλιπόντες, εἰς τὴν τότε μὲν Αἱμονίαν, νῦν δὲ Θετταλίαν μετονομαζομένην, μετανέστησαν. πέντε δὲ μείναντες αὐτόθι γενεὰς, περὶ τὴν ἕκτην γενεὰν ἐξελαύνονται Θετταλίας, ὑπό τε Κουρήτων καὶ Λελέγων, οἳ νῦν Αἰτωλοὶ καὶ Λοκροὶ καλοῦνται. σκεδασθέντες δὲ κατὰ τὴν φυγὴν τὸ πλεῖον αὐτοῖς μέρος διὰ τῆς μεσογείου τραπόμενοι πρὸς τοὺς ἐν Δωδώνῃ κατοικοῦντας σφῶν συγγενεῖς, οἷς οὐδεὶς ἠξίου ἐπιφέρειν πόλεμον ὡς ἱεροῖς, χρόνον μέν τινα σύμμετρον αὐτόθι διέτειψαν, Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. §. 2.

Pelaſgi & Thraces Bœotos ſuis ſedibus pepulerunt, & Bœotiam incoluerunt, Strabo *l.* ix. p. 410. occaſionem captantes, cum Bœoti ad Trojanum bellum abiiſſent, Diodor. *l* xix. p. 696. Sed Bœoti tempore Æolicæ migrationis in patriam redeuntes, Pelaſgos ejectos Athenas compulerunt, Strabo *l.* ix. p. 401.

Pelaſgi in Atticam commigrarunt, Strabo *l.* ix. p. 397. ἀφ' ὧν ἐκλήθη μέρος τι τῆς πόλεως (Athenarum) Πελασγικὸν, ᾤκησαν δὲ ὑπὸ τῷ Ὑμηττῷ, Strabo *l.* ix. p. 401. Πελασγικὸν τειχίον οὕτω ἐν Ἀθήναις καλούμενον Τυρρηνῶν κτισάντων, Heſychius. Atque dum hi Pelaſgi, eam, quæ poſtea Græcia appellata fuit, regionem tenuerunt, Athenienſes Pelaſgi fuerunt, Cranai appellati, Herodot. *l.* viii. p. 542. 543. Exacti vero fuerunt ex Attica ab Athenienſibus, injuſte, ut auctor eſt Hecatæus Hegeſandri fil. Cum enim Athenienſes viderent regionem, quæ ſub Hymeſſo erat, quamque ipſis habitandam dederant, mercedem muri circa arcem ducti, bene excultam, quæ prius inutilis & nullius pretii fuerat, invidia ſtimulante & libidine potiundæ terræ, illinc Pelaſgos pepulerunt, nullo alio prætextu. Sed Athenienſes ipſi ajunt eos jure exactos fuiſſe, ob acceptam ab iis injuriam: quoties enim Athenienſium liberi ad Enneacrunon aquatum ibant, (nec dum enim erant ulla Græcis mancipia per id tempus) Pelaſgi ſub Hymeſſo habitantes, iis per contumeliam & contemptum vim intulere. Neque hoc feciſſe contenti, ad extremum manifeſto deprehenſi ſunt, conſilia de invadendis Athenienſibus agitaſſe. Athenienſes vero, cum omnes, quos inſidiatos ſibi deprehendiſſent, interimere potuiſſent, tamen iis pepercerunt; tantum iſtis terris eos excedere juſſerunt, Herod. *l.* vi. p. 432.

Pelaſgi ex Attica pulſi, cum alia loca, tum vero Lemnum occuparunt, Herodot. *l.* vi. p. 432. 433. Pelaſgi e Lemno poſtea pulſi fuerunt ab Athenienſibus: vide in *Lemniis*.

Pelaſgi ex Attica pulſi habitarunt in Helleſponto, in Placia & Scylace. Τοῖσι τὴν Πλακίην τε καὶ Σκυλάκην οἰκησάντων ἐν Ἑλλησπόντῳ οἱ σύνοικοι ἐγένοντο Ἀθηναίοισι, Herodot. *l.* 1. p. 23.

Pelaſgi, qui Lariſſam tenuerant, poſtea finitimi fuerunt Cilicum in Troade, Homer. *Iliad.* B. v. 840. ſeq.

Ἱππόθοος δ' ἄγε φῦλα Πελασγῶν ἐγχεσιμώρων,
Τῶν οἳ Λάρισαν ἐριβώλακα ναιετάεσκον.

Vide Strabonem *l.* xiii. p. 620. ſeq. ubi oram maritimam univerſam, quæ poſt Ionica dicta, ſumpto a Mycale initio, itemque vicinas inſulas ſedem fuiſſe Pelaſgorum ſcribit ex Menecrate Elaita lib. *de Urbium origine*.

Pelaſgi Samothraciam incoluerunt, Herodot. *l.* 11. p. 123.

Pelaſgi ſupra Tyrrhenos Creſtona urbem incoluerunt, Herodot. *l.* 1. p. 23. Pro Creſtone Crotonem hic legunt Dionyſ. Halicarn. Henr. Stephanus & Phil. Cluverius, rationem non video: certe Κρηστωνικὸν ἔθνος eſt apud Thucydid. *l.* iv. p. 325. ubi Pelaſgorum meminit, qui in Acte habitabant circa montem Athon. Κρήστων, πόλις Θρᾴκης· ἔοικε δὲ εἶναι ἡ Κρήστων παρ' Ἡροδότῳ, Stephan. quem vide. Eidem Γρηστωνία χώρα Θρᾴκης πρὸς τῇ Μακεδονίᾳ dicitur, ex Thucydide *l.* 11.

Pelaſgi plurimi habitarunt in Acte, ſcilicet ex iis Tyrrhenis, qui Lemnum & Athenas quondam incoluerunt, Thucyd. *l.* iv. p. 325.

Pelaſgi in inſulis habitarunt, qui ab Ione poſtea Iones appellati fuerunt, Herodot. *l.* vii. p. 470. Pelaſgi Cretæ inquilini fuerunt, Strabo *l.* v. p. 221. Lesbum Pelaſgiam appellarunt, idem *ibidem*. Pelaſgi in Samo, Dionyſ. Περιηγ. v. 534.

Καὶ Σάμος ἱμερόεσσα, Πελασγίδος ἕδρανον Ἥρης.

Pelaſgos Lemno & Imbro vicina condidiſſe ſcribit Anticlides, eorumque quoſdam cum Tyrrheno Atyis fil. in Italiam navigaſſe, Strabo *l.* v. p. 220. Atys hic unus ex Hercule Omphaleque prognatis dicitur Straboni *l.* v. p. 219. Manæ regis filius Herodoto *l.* 1. Cotyis filius, Manæ nepos Dionyſio Halicarn. *l.* 1. Marcian. Περιηγ. p. 9.

Μετὰ τὴν Λιγυστικὴν Πελασγοὶ δ' εἰσὶν, οἱ
Πρότερον κατοικήσαντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος,
Κοινὴν δὲ Τυρρηνοῖσι χώραν νεμάμενοι·
Τυρρηνίαν δ' ὁ Λυδὸς Ἄτυς ἔκτισε,
Τυρρηνὸς ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικοὺς ἐλθών ποτε.

Dionyſ. Περιηγ. v. 348. ſeqq.

Τυῤῥηνοὶ μὲν πρόσθ', ἐπὶ δ' σφισι φῦλα Πελασγῶν,
Οἵ ποτε Κυλλήνηθεν ἐφ' ἑσπερίην ἅλα βάντες
Αὐτόθι νηήσαντο σὺν ἀνδράσι Τυῤῥηνοῖσι.

Pelaſgi e Dodone profecti in Italiam conceſſerunt, Dionyſ. Halicarn. *lib* I. Pelaſgi, ſicut Varro memorat, cum ſedibus ſuis pulſi diverſas terras petiſſent confluxerunt plerique Dodonam, & incerti, quibus hærerent locis, ejuſmodi accepere reſponſum:

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατυρνίαν αἶαν
Ηδ' Αβοριγενέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται,
Αἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ,
Καὶ κεφαλὰς Αἴδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Accepta ſorte, cum Latium poſt errores plurimos appuliſſent, in lacu Cutulienſi enatam inſulam deprehenderunt: ampliſſimus enim ceſpes, ſive ille continens limus, ſeu paludis fuit coacta compage, virgultis & arboribus in ſylvæ licentiam comptus, jactantibus per amnem fluctibus vagabatur, &c. hoc igitur miraculo deprehenſo, has ſibi ſedes prædictas eſſe didicerunt: vaſtatiſque Sicilienſibus incolis occupavere regionem, decima prædæ, ſecundum reſponſum, Apollini conſecrata, erectaque Diti & Saturno ara, cujus feſtum Saturnalia nominarunt, &c. Macrob. *Saturn.* lib. I. c. VII. Pelaſgi e Theſſalia profecti condiderunt in Italia Agyllam, quæ poſtea Cære dicta fuit, Strabo *lib.* V. p. 220. Cære, Agylla a Pelaſgi conditoribus, dictum, Plin. *lib.* III. *cap.* V. A Pelaſgis Hernici, quorum eſt Anagnia, oriundi appellatique ita a Pelaſgo quodam duce ſuo, qui Hernicus nominabatur, Macrob. *Saturn.* lib. V. cap. XVIII. ex Julio Hygino. Pelaſgi condiderunt in agro Campano Lariſſam, Peloponneſiacæ ſuæ metropolis nomine illi impoſito, Dionyſ. Halicarn. *lib.* I. Tempus, quo res Pelaſgicæ pejore loco eſſe cœperunt, incidit in alteram fere, ante bellum Trojanum, ætatem: duraverunt tamen pene ultra ejus belli tempora, donec in minimum Gens contracta fuit: nam præter Crotonem, &c. perierunt reliqua Pelaſgorum oppida, Dionyſ. Halicarnaſ. *lib.* I. §. 2.

Pelaſgi imperio maris potiti fuerunt an. LXXXV. Euſeb. *Chron. Canon.* ad an. IↃCCCCLIX.

LELEGES.

LEleges appellati fuerunt, qui poſtea Lacedæmonii, a Lelege: vide in *Lacedæmoniis*.

Leleges appellari Megarenſes, a Lelege Ægyptio: vide in *Megarenſibus*. Aliis Λέλεγες dicti videntur, *παρὰ τὸ λέγεσθαι*, auctore Heſiodo, qui eos Λεκτοὺς vocat. *Τῇ γὰρ ἐτυμολογίᾳ τὸ σύλλεκτους γεγονέναι τινὰς ἐκ παλαιοῦ καὶ μιγάδας αἰνίττεσθαί μοι δοκεῖ, καὶ διὰ τὸ ἐκλελοιπέναι τὸ γένος*, Strabo *lib.* VII. p. 322. *Καλοῦνται δὲ οὕτω ἀπὸ τοῦ λέγω, τὸ συνάγω, ὡς ἐκ πολλῶν συλλεγέντες ἐθνῶν*, Euſtath. *in Iliad.* Υ. *Τοῖς γὰρ ἀνεστίοις καὶ μιγάσι, καὶ μηδεμίαν γῆν βεβαίως ὡς πατρίδα κατοικοῦσι, ταύτην ἐπετίθεντο ὀνομασίαν, ὡς τὰ πολλὰ*, Dionyſ. Halicarn.

Leleges appellati fuerunt, qui poſtea Locri, & Bœotiam tenuerunt: vide in *Locris*. *Κουρήτων καὶ Λελέγων, οἱ νῦν Αἰτωλοὶ καὶ Λοκροὶ καλοῦνται*, Dionyſ. Halicarn. *lib.* I.

Leleges partem occiduam Acarnaniæ tenuerunt; vide in *Acarnanibus*.

Leleges iidem cum Caribus fuerunt ex quorundam opinione, alii Carum inquilinos & commilitones tantum eos fuiſſe volunt, Strabo *Geographiæ* lib. VII. p. 321. vide de Lelegibus plura in *Jonibus & Æolibus Aſiaticis*. *Λέλεγες οἱ Κᾶρές εἰσιν. καὶ Λελέγων πόλις κατὰ τοὺς παλαιοὺς, ἡ τῆς Καρίας μητρόπολις*, Euſtath. *in Iliad.* Υ. *Λέλεγες ἔθνος*

A *Καρικόν· Λέγει δὲ τοὺς ἐν Πηδάσῳ πόλει Καρίας οἰκοῦντας*, Schol. min. *in Iliad.* Κ. *Ὁ δὲ Γεωγράφος οὐκ αὐτόχρημα Κάρας οἶδε τοὺς Λέλεγας, λέγων ὅτι Λέλεγες ἕτεροι μὲν τῶν Καρῶν ὑπῆρξαν, ᾤκουν δὲ περὶ τοὺς καλουμένους ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ Κίλικας. Ἐκπορθηθέντες δὲ ὑπ' Ἀχιλλέως, μετέστησαν εἰς Καρίαν, καὶ κατέσχον τὰ περὶ Ἁλικαρνασσόν. ἑτέρωθι δὲ λῃστρικοὺς λέγει τοὺς Λέλεγας, ὧν τινές, φησι, πλανῆτες συγκαταμίχθησαν Κίλιξι, καὶ συνέμειναν δι' ὁμοιοτροπίαν. ἀλλαχοῦ δὲ ὅτι ἐν τῷ Ἀδραμυττινῷ κόλπῳ τοὺς πλείους τῶν Λελέγων κατοικίζων φαίνεται ὁ ποιητής*, Euſtath. *in Iliad.* Υ. *Λέλεγες, ἔθνος βαρβαρικόν*, Heſychius. Euſtath. *in Dionyſ.* Περιηγ. p. 109. *ἐκλήθη ἡ Μίλητός ποτε καὶ Λελεγὶς διὰ ἐποίκους Λέλεγας.*

B Leleges mixti fuerunt Piſidis, Strabo *lib.* XII. p. 570. ubi & eos *πλανήτας ἀνθρώπους* vocat.

CAUCONES.

CAuconiam totam eam regionem a Meſſenia Dymam uſque, quæ poſtea Elea dicta fuit, appellatam fuiſſe quidam ajunt. Itaque Antimachus incolas univerſos Epeos & Cauconas nominat. Alii ſcribunt Caucones in duas partes diviſos, alteros in Triphylia apud Meſſeniam, alteros apud Dymen in agro Bupraſio & Elide habitaſſe. Et Ariſtoteles quoque hic potiſſimum eos ſedes ha-
C buiſſe fatetur; quæ etiam poſterior ſententia magis verbis Homeri congruit, Strabo *lib.* VIII p. 345. Ex his locis a Minyis expulſi fuerunt, Herodot. *lib.* 14. p. 309.

Caucones Arcadicam gentem fuiſſe perhibent, ut & Pelaſgos, ſimiliter vagam, Strabo *lib.* VIII. p. 345. *Καύκωνας· νῦν τῶν ἐν Ἀρκαδίᾳ μέμνηται*, Schol. min. *in Odyſſ.* Γ. v. 366. Itaque a Caucone, qui Lycaonis filius eſt Apollodoro *lib.* III. p. 109. videri poſſunt nomen accepiſſe. Cauconis monumentum in agro Lepreatarum fuiſſe ſcribit Pauſanias *Eliac.* I. p. 295. *Φασὶ δ' ἐν τῇ Λεπρεάτιδι καὶ Καύκωνος εἶναι μνῆμα, εἴτ' ἀρχηγέτου τινός, εἴτ' ἄλλως*
D *ὁμωνύμου τῷ ἔθνει*, Strabo *lib.* VIII. p. 345 niſi forte a Caucone Celæni fil. Phlyi nepote nomen acceperint, quem Eleuſine profectum ad Meſſenen magnarum Dearum initia deportaſſe ſcribit Pauſanias *Meſſen.* p. 217. Inſcriptio:

——ὅθι φασὶ
Μεσσήνην θεῖναι μεγάλαισι Θεαῖσιν ἀγῶνα
Φλυαδέω κλεινοῖο γονοῦ Καυκωνιάδαο.

A Caucone rege vel fluvio Caucones nominatos ſcribit Stephanus.

Caucones, quos incolere ajunt oram maritimam Mariandynis proximam, uſque ad Parthenium fl. & urbem Tejum tenere, ab aliis Scythæ, ab aliis
E Macedones, ab aliis Pelaſgi eſſe dicuntur, Strabo *lib.* XII. p. 542. vide Euſtath. *in Iliad.* Β. *Καύκωνες ἔθνος Παφλαγονίας· οἱ δὲ Σκυθίας, οἱ δὲ τοὺς λεγομένους Καυνίους εἶπον*, Schol. minor. *Iliad.* Κ. v. 429. *Καύκωνες· οἱ μὲν Τρωϊκὸν ἔθνος βάρβαρον. ἄλλοι δὲ Παφλαγονίας· οἱ δὲ τοὺς ἐπίκλην Καυκωνίας, ἡ δὲ Καύκωνος πόλις παράλιος Λυκίας καὶ Καρίας*, Schol. minor. *in Iliad.* Υ. v. 329. *Καύκωνες, ἔθνος βάρβαρον*, Heſychius.

Caucones Trojanis auxilio veniſſe ait Homerus, neque tamen dicit unde, Strabo *lib.* VIII. p. 345.

F Cauconum oppidum Leprium, Callimachus *Hymno in Jovem*, v. 39.

ÆGIALENSES. APIDANENSES. SICYONII. DORIENSES.

AEgialeus *αὐτόχθων* primus in Peloponneſo imperaſſe fertur, a quo etiam ea regio, in qua regnabat, Ægialus appellata fuerit, & urbs ab eo condita Ægialea, Pauſ. *Corint.* p. 94. Alii Ægialeum hunc Inachi filium fuiſſe ajunt. *Αἰγιαλὸς*

μεταξὺ Σικυῶνος καὶ τοῦ Βουφρασίου καλούμενος τόπος, ἀπὸ Αἰγιαλέως τοῦ Ἰνάχου, ὡς Ἱστορεῖ ἐν ἀποικίαις τῆς Αἰγύπτου. Stephan. Αἰγιαλέως μὲν οὖν (Inachi filii) ἄπαιδος ἀποθανόντος, ἡ χώρα ἅπασα Αἰγιάλεια ἐκλήθη, Apollodor. *l.* II. init. Peloponnesus τὸ παλαιὸν ἐκαλεῖτο Αἰγιάλεια, ἀπὸ Αἰγιαλέως τοῦ υἱοῦ Ἰνάχου, τοῦ ἐν Ἄργει ποταμοῦ, καὶ Μελίασης (sic lege pro Μελείης) τῆς Ὠκεανοῦ. Etymol. Magn. *in* Ἀπία. Alii eam regionem a situ sic dictam volunt, quod αἰγιαλοῦ seu littoris formam fere tota habeat. Εἰσὶ δὲ οἵ φασιν ἀπὸ τῆς χώρας. εἶναι γὰρ τὰ πολλὰ αὐτῆς αἰγιαλόν, Pausan. *Achaic.* init. Αἰγιαλόν. οὕτως ἐκαλεῖτο παραθαλασσία χώρα, ἤτοι πλευρὰ τῆς Πελοποννήσου ἡ παρατείνουσα ἀπὸ Σικυῶνος μέχρις Ἤλιδος, Schol. min. *in Iliad.* B. Αἰγιάλεια, ἡ νῦν Ἀχαΐα. Αἰγιαλεῖς, οἱ μετὰ Ἀγαμέμνονος στρατευσάμενοι πρότερον Ἴωνες, νῦν δὲ Ἀχαιοὶ ἐν Σικυῶνι, Hesych. Urbem Αἰγιαλοὺς primum, deinde Μηκώνην appellatam fuisse scribit Strabo *lib.* VIII. p. 382. Μήκων dicitur Stephano *in* Σικυών, Μηκώνη Eustathio *in Iliad.* B.

Europs Ægialei fil. Pausan. *Corinth.* p. 94. Ab hoc Europe quidam Europam appellatam fuisse tradunt, Euseb. *Chron.* lib. I. p 20. Europs Phoronei filius nothus dicitur Herophani: vide in *Argivi*.

Telchin Europis fil. Pausan. *Corinth* p. 94. Ab hoc Telchinia & Telchines nomen accepisse videntur. Τελχινία δὲ καὶ ἡ Σικυὼν ἐκαλεῖτο, Steph. Ἐκλήθη δέ ποτε καὶ Τελχινία, διὰ τὸ τοὺς ᾀδομένους Τελχῖνας καὶ αὐτόθι οἰκῆσαι, Eustath. *in Iliad.* B. Etiam Creta Telchinia dicta fuit, & Cretenses Telchinii, Stephan. Etiam Rhodus dicta fuit Τελχινὶς, ἀπὸ τῶν οἰκησάντων Τελχίνων τὴν νῆσον, Strabo *lib.* XIV. p 653. Τελχῖνες, βάσκανοι, γόητες, φθονεροί, ἢ παρὰ τὴν τῆξιν, ἢ παρὰ τὸ θέλγειν, Hesychius.

Apis Telchinis fil. Ejus, ante Pelopis adventum in Olympiam, opes adeo creverunt, ut tota ea regio, quæ intra Isthmum est, ab eo Apia appellata fuerit, Pausan. *Corinth.* p. 94. Alii nominis Apiæ auctorem faciunt Apin Phoronei fil. vide in *Argivis* Apis.

Thelxion Apis fil. idem *ibidem*.
Ægyrus Thelxionis fil. idem *ibidem*.
Thurimachus Ægyri fil. idem *ibidem*.

Leucippus Thurimachi fil. Ei proles virilis nulla fuit: filia unica Calchinia: eam e Neptuno puerum peperisse Sicyonii memorant, quem Leucippus sublatum eductumque, regni successorem moriens reliquit: nomen autem illi erat Peratus, idem *ibidem*.

Mesappus post Leucippum in successione Regum ponitur ab Eusebio: forte regnum administravit, Perato nondum ad ætatem rebus gerendis maturam provecto. Regnantibus Assyriorum x. Rege Baleo, & Sicyoniorum IX. Mesappo, qui etiam Cephisos a quibusdam traditur: si tamen duorum nominum homo unus fuit, ac non potius alterum pro altero putaverunt fuisse hominem, qui in suis posuerunt scriptis alterum nomen, Augustin. *de Civitate Dei*, lib. XVIII. c. IV.

Peratus Neptuni fil. Leucippi e filia Calchinia nepos, Pausan. *Corinth.* p. 94 Ἔρατος pro Πέρατος est apud Eusebium. Eratus apud Augustinum, *de Civit. Dei*, lib. XVIII c. VI.

Plemnæus Perati fil. Ei omnes, qui nascebantur, filii in primo vagitu animam expirarunt: tandem Plemnæi vicem miserata Ceres, Ægialeam peregrinæ ornatu venit, & Orthopolin Plemnæo recens natum educavit, Pausan. *Corinth* p. 95.

Orthopolis Plemnæi fil. Ei filia fuit Chrysorthe, quam ex Apolline peperisse Coronum pro certo habent Sicyonii, idem *ibidem*.

Coronus Apollinis fil. Orthopolidis e Chrysorthe filia nepos, idem *ibidem*. Hunc Regem non agnoscit Eusebius, sed ejus loco tres Reges collocat, quorum unus alteri successerit: eorum hæc nomina: Echyreus, Marathonius, Marathius. Sed in Scaligeriana Reg. Sicyon. success. Latina hoc ordine: Marathon, Marathus, Echyreus. Coronus duos reliquit filios, Coracem & Lamedontem, idem *ibidem*.

Corax Coroni filius, is sine sobole decessit, idem *ibidem*.

Epopeus Aloei fil. Solis nepos, (Aloei frater, Neptuni filius, Æoli e filia Canache nepos, Apollodor *lib.* I. p. 14. β.) Corace sine liberis mortuo, e Thessalia venit, imperiumque sibi asseruit. Eo imperante ajunt primum hostilem exercitum in Sicyoniorum fines invasisse, cum ante perpetua pace usi fuissent. Cum enim Antiopes Nyctei filiæ ob formæ excellentiam celebre apud Græcos nomen esset, eam Epopeus, vel uxorem sibi petiit, vel audacia consultrice impulsus initio, rapuit. Eam injuriam cum armis Thebanorum Nycteus persequeretur, commisso prælio Nycteus vulnus accepit: ipse etiam Epopeus ex acie saucius, victoria tamen potitus excessit, ludisque & sacris, de victoria peractis, Minervæ templum erexit: ac opere jam absoluto Deam precatus fuit, ut sibi signum aliquod daret, an ipsi fani dedicatio esset accepta: statim itaque oleum tradunt ante templum fluxisse. Epopeus paulo post e vulnere, negligentius ab initio curato, diem suum obiit, Pausan. *Corinth.* p. 95. Antiopen e Jove compressam, patrisque Nyctei fugientem minas, ac Epopeum venisse & illi nupsisse: Lycumque, cum Nycteus præ mœrore se ipse interemisset, comparato magno exercitu Sicyonem cepisse & Epopeum occidisse, ac captam Antiopen abduxisse, scribit Apollodor. *lib.* III. p. 96. β. Epopeus quoque imperium Ephyræorum, Buno mortuo, obtinuit, Pausan. *Corinth* p. 91. filium habuit Marathonem, qui patris iniquitatem & contumeliam fugiens in maritimam Atticæ partem coloniam deduxit, Pausan. *Corinth.* p. 85.

Lamedon Coroni fil. is Lyco Nyctei fratri ultro Antiopen restituit: illa vero cum Thebas reduceretur, in ipsa, qua Eleutheras ducit via, partu levata fuit: de qua re versus hos fecit Asius Amphiptolemi fil.

> Ἀντιόπη δ' ἔτεκε Ζῆθον κ' Ἀμφίονα δῖον,
> Ἀσωποῦ κούρη ποταμοῦ βαθυδινήεντος,
> Ζηνί τε κυσαμένη, καὶ Ἐπωπεῖ ποιμένι λαῶν.

Lamedon vero, regno inito, uxorem Atheniensem duxit, Pheno Clytii filiam. Verum bello contra Achæi filios Archandrum & Architelem suscepto, ex Attica belli gerendi socium sibi Sicyonem adscivit, data ei in matrimonium Zeuxippe filia, Pausan. *Corinth.* p. 95. 96. Marathonem audita Patris morte in Peloponnesum rediisse, ac mox inter filios Sicyonem & Corinthum distributo imperio in Atticam revertisse, scribit Pausan. *Corinth.* p. 85. Zethum & Amphionem in Eleutheris Bœotiæ natos expositosque & a bubulco inventos educatosque scribit Apollodor. *lib.* III. p. 96. β. vide de iis in *Thebanis*.

Sicyon (Metionis fil. Erechthei nepos Hesiod. & Asio: Pelopis fil. Ibyco: Marathonis fil. Epopei nepos aliis) gener Lamedontis. Is regnum adeptus, totam regionem Sicyoniam, & urbem, quæ antea Ægialea dicebatur, Sicyonem nuncupavit, Pausan. *Corinth.* p. 96. Σικυὼν πόλις Πελοποννήσου, Steph. Sicyoni filia nata fuit Chthonophyle, quæ Mercurio Polybum peperisse dicitur: Phlianti ve-

ro Bacchi filio, cui nupſerat, Androdamantem genuit, Pauſan. *Corinth.* p. 96.

Polybus Mercurii fil. Sicyonis e filia Chthonophylæ nepos. Is Lyſianaſſam filiam Talao Biantis filio Argivorum Regi uxorem dedit, unde Adraſtus Talai fil. Argis ejectus ad Polybum maternum avum Sicyonem confugit, Pauſan. *Corinth.* p. 96. ſeditione oborta ab Amphiarao Argis expulſum Adraſtum docet Pindarus *Nem.* od. IX. *δυωδ.* 3.

Φεῦγε γὰρ Ἀμφιάρη-
όν τε θρασυμήδεα, καὶ δεινὰν στάσιν
Πατρώων οἴκων, ἀπό τ᾽ Ἄργεος. ἀρχοί
Δ᾽ οὐκ ἔτ᾽ ἔσαν Ταλαοῦ
Παῖδες βιασθέντες λύᾳ.

Adraſtus Talai fil. Polybi e filia Lyſianaſſa nepos, defuncto avo in imperio ſucceſſit, Pauſan *Corinth.* p. 96. Ἄπαις Πόλυβος τελευτῶν διδοῖ Ἀδρήστῳ τὴν ἀρχὴν, Herodot. *l.* v. p. 356. Ἄδραστος δὲ ὁ ἀδελφὸς τοῦ Πρώνακτος φυγὼν, ἦλθεν εἰς Σικυῶνα, καὶ τὴν Πολύβου μητροπάτορος βασιλείαν λαβὼν, ἐβασίλευσε τῆς Σικυῶνος, Menæchm. Sicyon apud Scholiaſt. Pindar. *Nem.* od. IX. Homer. *Iliad.* B.

Καὶ Σικυῶν᾽ ὅθι ἄρ Ἄδρηστος πρῶτ᾽ ἐμβασίλευεν.

Adraſtum cum Sicyone regnaret, ludos Nemeos inſtituiſſe auctor Pindarus *Nem.* od. IX. *δυωδ.* 3.

Ὅς τότε μὲν βασιλεύων
Κεῖθι, νέαισί θ᾽ ἑορταῖς,
Ἰσχύος τ᾽ ἀνδρῶν ἁμίλλαις
Ἅρμασί τε γλαφυροῖς
Ἄμφαινε κυδαίνων πόλιν.

Adraſtus brevi poſt Argos rediit, Pauſan. *Corinth.* p. 96. Amphiarao enim data ei ſore Eriphyle in matrimonium, reconciliatus fuit, Pindar. *loco cit.*

Κρέσσων δὲ καταπαύει δίκαν
Τὰν πρόσθεν ἀνήρ.
Ἀνδροδάμαντ᾽ Ἐριφύλαν
Ὅρκιον ὡς ὅτε πιστὸν
Δόντες Οἰκλείδᾳ γυναῖκα,
Ξανθοκομᾶν Δαναῶν
Ἦσαν μέγιστοι (Ταλαοῦ παῖδες.)

Dieutychidas in tertio *Megaric.* ait Adraſti quidem κενήριον Sicyone eſſe, ſed ipſum ſepultum Megaris, Scholiaſtes Pind. *Nem.* od. IX.

Adraſtum poſt Phæſtum collocat Euſebius. Eum vero inter Polybum & Janiſcum inſertum a Pauſania, improbat Scaliger. Sed Pauſaniam adverſus Scaligerum defendit Herodoti auctoritas.

Janiſcus Clytii, qui Lamedontis ſocer fuit, nepos Adraſto ſucceſſit ex Attica profectus, Pauſan. *Corinth.* p. 96. Ἴναχος pro Ἰανίσκος perperam legitur in Euſebio.

Phæſtus e filiis Herculis unus; ut vulgo ferebatur, Janiſco mortuo ſucceſſit. Is ex Oraculi reſponſo in Cretam commigravit, idem *ibidem*.

Polyphides Euſeb. omiſſus a Pauſania. Ad eum Agamemnon & Menelaus pueri deducti fuerunt. Tzetzes *Chil.* I. *hiſt.* XVIII.

Τὸν δ᾽ Ἀγαμέμνονα τροφὸς μετὰ τοῦ Μενελάου
Ἄγει πρὸς Πολυφείδεα κρατοῦντα Σικυῶνος.

Pelaſgus Euſebio, præteritus a Pauſania.

Zeuxippus Apollinis e Syllide Nympha filius regnum dicitur obtinuiſſe, Phæſto in Cretam profecto. Pauſan. *Corinth.* p. 96. In Zeuxippo Regni Sicyonii finem ponit Euſebius, ſcribitque poſt eum rebus Sicyoniis præfuiſſe annos XXXIII. Sacerdotes Karneos: quorum nomina a quodam Barbaro-Latino Scriptore hæc adferuntur: Archelaus, Automedon, Methodeutus, Euneus, Theonomus, Amphictyon, Charidemus: atque hic impenſas Sacerdotii non ſuſtinens aufugerit.

Hippolytus Rhophali fil. Phæſti nepos. Ei Agamemnon bellum intulit, ſed Hippolytus ſuis diffiſus opibus, Agamemnonis & Mycenæorum imperata ſe facturum ſpopondit, Pauſan. *Corinth.* p. 96. Itaque Agamemnonis ſigna ad bellum Trojani ſequuti ſunt Sicyonii, Homer. *Iliad.* B. v. 574.

Sicyoni cum aliquandiu Mycenæis paruiſſent, videntur poſtea imperium recepiſſe conſtituto Rege Laceſtade.

Laceſtades, Hippolyti filius, quod vult Pauſanias, eſſe non poteſt, ſed potius pronepos, ſiquidem σύγχρονος fuerit Phalci Temeni filio: nam a victo Hippolyto ad Phalcem intervallum eſt pene integri Sæculi. Laceſtade imperante Phalces Temeni fil. una cum Dorienſibus Sicyonem nocturno impetu occupavit, Pauſan. *Corinth.* p. 96.

Phalces Temeni fil. in Laceſtadem, quod ex Herculis nepotibus eſſet, nihil acerbe aut crudeliter commiſit, ſed cum eo imperium communicavit. Ex eo Sicyonii Dorienſes facti, inter Argivos cenſeri cœperunt, idem *ibidem*. Marcian. p. 22.

Φάλκην δὲ τῇ Σικυῶνι (οἰκίσαι λέγουσι)

Phalces Junonis Προδρομίας fanum dedicavit, eam Deam ſibi Sicyonem proficiſcenti ducem futuram ſperans, Pauſan. *Corinth.* p. 104.

Rhegnidas, Phalcis filius, Phliuntem occupavit: vide in *Phliaſiis*.

Olzmp. XXIII. Sicyonii Meſſeniis bello ſecundo Meſſeniaco auxilia miſerunt, Pauſan. *Meſſen.* p. 245.

Sicyoniis Deus manifeſte prædixit urbem flagellatore magiſtratu (μαστιγονόμων) indigere, quando puerum Teletiam in Pythiis coronatum, Cleonæis ereptum, tanquam ſuum civem diſcerpſerunt; ſed Sicyoniis quidem Orthagoras exortus Tyrannus, & poſt eum Myro ac Cliſthenes effrenem civium licentiam repreſſerunt, Plutarch. *de ſer. Num. vind.* p. 283. 284. Diutiſſime vero ſtetit ea, quæ Sicyone fuit Orthagoræ liberorum, & ipſius Orthagoræ Tyrannis: annos enim centum permanſit. Cujus rei cauſa eſt, quod ſeſe in eos, qui ſub Tyrannide erant, moderatos præbebant & magnam partem legibus ſerviebant. Et multis in rebus populares erant, ac benevolentiam multitudinis colligebant diligentia, quam in Rep. bene gerenda adhibebant, Ariſtotel. *l.* V. *c.* XII.

Myro Sicyoniorum Tyrannus, ſucceſſorem reliquit Cliſthenem, Ariſtotel. lib. V. *de Rep.* §. 12.

Olymp. XLVIII. Cliſthenes Ariſtonymi fil. Myronis nepos, Andrei pronepos, (Pyrrhonis nepos Pauſan. *Corinth.* p. 99.) Sicyonis Tyrannus, cum bellum contra Argivos geſſiſſet, ſubmovit e Sicyone certamina canentium poemata, ob Homeri carmina, in quibus Argos & Argivi tantopere celebrantur. Neque hæc modo ſubmovit, ſed etiam monumentum Adraſti Talai fil. quod in ipſo Sicyoniorum foro erat, quia Argivus fuerat; exterminare enixe cupiit: ideoque Delphos profectus Oraculum conſuluit, annon Adraſtum ejicere liceret: cui Pythia reſpondit, Ἄδρηστον μὲν εἶναι Σικυωνίων βασιλῆα, ἐκεῖνον δὲ λευστῆρα. Quandoquidem ergo illi hoc non permiſit Deus, reverſus Cliſthenes excogitabat rationem, quo pacto ipſe Adraſtus demigraret, quam ubi excogitaſſe ſibi viſus eſt, miſit ad Bœotias Thebas nunciatum velle ſe reducere Sicyonem Melanippum Aſtaci filium. Eumque tribuentibus Thebanis, in urbem intulit, atque ei fanum in ipſa curia deſignatum exædificavit munitiſſimo in loco, in quem intulit Melanippum. Reduxit autem Melanippum Cliſthenes, ut Adraſto inimiciſ-

ſimum, quod & Meciſteum fratrem ejus, & Tydeum generum Melanippus interfeciſſet. Cliſthenes ubi fanum exſtruxit, hoſtias & dies feſtos Melanippo dedit Adraſto ereptos, quibus illum Sicyonii magno cum honore proſequi conſueverant. Nam eum cum aliis honoribus proſequebantur, tum vero ejus res adverſas tragicis choris decorabant, adeo ut non Dionyſum, ſed Adraſtum venerarentur: at Cliſthenes choros quidem Libero, cæteras vero cærimonias Melanippo dicavit. Tribus autem Dorienſium, me forent eædem Sicyoniis, quæ Argivis, in alia nomina commutavit: ex quibus Sicyonios plurimum ridiculos reddidit. Cognomina enim eorum mutans in alia, quibus ὑὸς & ὄνυ appellationes præfixæ eſſent, ultimas ſyllabas addebat, præterquam ſuæ Tribui, cui ἀπὸ τ ἑωυτῶ ἀρχῆς, *a ſuo imperio* nomen indidit. Itaque hi Tribules Ἀρχέλαοι vocabantur; cæterorum autem alii Ὑᾶται, alii Ὀνεᾶται, alii Χοιρεᾶται. His Tribuum nominibus Sicyonii & Cliſthene imperante & eo defuncto ad ſexaginta annos uſi ſunt, quæ poſtea cum apud ſe expendiſſent, in alia tranſtulerunt, Ὑλλέας & Παμφύλυς & Δυμανάτας: quartæ Tribui quam adjecerunt impoſito cognomine Αἰγιαλέες, ab Ægialeo Adraſti filio, Herodot. *l.* v. p. 355. 356. Huic Cliſtheni erat filia nomine Agariſta; quam pater deſtinabat nuptum dare ei, quem præſtantiſſimum Græcorum omnium comperiſſet. Quum igitur Ludi Olympici celebrarentur, & ex eis Cliſthenes curriculo quadrigali victor exſtitiſſet, nunciari juſſit voce præconis, ut quiſquis ſeſe dignum putaret, qui Cliſthenis gener eſſet, is ad ſexageſimum diem, aut prius, Sicyone præſto foret, quod Cliſthenes intra annum a ſexageſimo die incepturus, exſequi nuptias deſtinaſſet. Itaque Græcorum quicunque & de ſeipſis & de patria ſua magnifice ſentiebant, eo proci contenderunt: quibus Cliſthenes & curriculum & palæſtram ad certandum præparaverat. Ex Italia illuc ſe contulit Smindyrides Hippocratis F. Sybarita, qui unus vir in plurimum deliciarum proceſſerat: & Sirites Damas Samyris filius, ejus qui ſapiens appellabatur. A ſinu Ionio Amphimneſtus Epiſtrophi F. Epidamnius. Ætolus vero Males Titormi frater, illius qui Græcos robore fuerat ſupergreſſus, & in extrema Æolicæ regionis homines fugaverat. E Peloponneſo Leocides Phidonis Argivorum Tyranni filius, & Amiantus Lycurgi F. Arcas e Trapezunte, & Laphantes Azenus ex urbe Pæo, filius Euphorionis ejus, qui in domum ſuam excepit Caſtorem & Pollucem, & ab eo tempore in quoslibet hoſpitalitatem exercuit; & Eleus Onomaſtus Agæi F. Ex Athenienſibus autem Megacles Alcmæonis ejus filius, qui ad Crœſum ſe contulerat: & Hippoclides Tiſandri F. divitiis ac forma inter Athenienſes præcipuus. Ex Eretria Lyſanias. E Theſſalia a Scopadeis Diactorides Cranonius. Ex Moloſſis Alcon. Tot proci fuere: qui cum ad diem præſtitutam adfuiſſent, Cliſthenes ante omnia patriam ſingulorum familiamque percontatur; deinde eos annum apud ſe detinens, exploravit uniuſcujuſque & virile robur & iracundiam, & eruditionem & mores; nunc cum ſingulis, nunc cum univerſis congrediens, & juniores in Gymnaſia educens: præcipue tamen in conviviis experiebatur: quamdiu enim eos apud ſe tenuit, omnia fecit, ac magnifice accepit. Sed ei inter procos præcipue cordi erant Athenienſes, & ex illis inprimis Hippoclides Tiſandri F. qui & virtute cæteris præſtare judicabatur, & eo quod ejus majores a Cypſelidis Corinthiis genus ducerent. Quum autem deſtinatus nuptiis dies illuxit, quo ipſe Cliſthenes edixerat judicaturum ſe, quem ex omnibus deligeret, mactatis centum bobus, in convivium tum ipſos procos, tum omnes Sicyonios accepit. Poſtea vero quam cœnatum eſt, proci certamen de Muſica habere cœperunt, pariter & de ſermone, qui in medium proponebatur. Prodedente autem potatione, Hippoclides cæteros cohibens, juſſit tibicinem ſibi ἐμμέλειαν (ſedatum quoddam ſaltationis genus) canere. Tibicine obſequente ſaltavit, ſibi quidem placens, ſed Cliſthenes omnem rem cernens ſuſpectam habebat. Poſthæc aliquantulum interquieſcens Hippoclides, juſſit aliquam ſibi inferri menſam: qua illata, primum ſuper eam Laconicos ſaltavit modulos, mox alios Atticos: tertio ſuper menſam capite ſtatuto, cruribus, veluti manibus, geſticulabatur. Ad cujus primam ac ſecundam ſaltationem, etſi ſtomachabatur Cliſthenes, eum, qui tam impudens eſſet, generum ſibi fieri, tamen ſeſe continebat, nolens excandeſcere in ipſum: at ubi vidit cruribus, quaſi manibus, geſticulantem, jam ſe ultra continere non ſuſtinens, dixit, Ὦ παῖ Τισάνδρυ, ἀπωρχήσαό γε μὴν τ γάμον. Cui, excipiens ille, reſpondit: Οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ: quod etiam in proverbium (uſurpatum a Luciano in *Apolog.* & in *Hercul.* & a Plutarcho in ipſum Herodotum retortum lib. *de mal. Herod.*) abiit. Itaque Cliſthenes Megacli Athenienſi filiam ritu Athenienſium ſe deſpondere dixit: nuptiæque, conditioni annuente Megacle, apud Cliſthenem celebratæ ſunt. Cæteris, qui matrimonii ejus compotes non fiebant, tanquam dignis ſuæ filiæ nuptiis, quodque domo peregre abſuiſſent, ſingulis argenti talentum ſe dono dare ajebat, Herodot. *l.* VI. p. 428. 429. 430.

Cliſthenes belli dux lectus fuit ab Amphictyonibus adverſus Cirrhæos: vide in *Amphictyon.* Στοὰ καλυμένη Κλεισθένεος ἀπὸ τῦ οἰκοδομήσαντος, ᾠκοδόμησεν ἀπὸ λαφύρων ὁ Κλεισθένης αὐτὴν, τ πρὸς Κίρρῃ (ſic lege pro Σκίρωνα) πόλεμον συμπολεμήσας Ἀμφικτύοσι, Pauſan. *Corinth.* p. 99. propterea quod bellicoſus natus erat Cliſthenes, non erat contemnendus, &c. Ariſtotel. *de Rep.* l. v. §. 12.

Sicyonii contra Argivos cum Lacedæmoniis & Æginetis in Argolidem invaſerunt: eo nomine illis ab Argivis mulcta injuncta fuit talentorum quingentorum; ſed culpam agnoſcentes, centum talentis cum Argivis deciderunt, Herodot. *l.* VI. p. 415.

Sicyone Tyrannum Æſchinem Lacedæmonii ejecerunt, Plutarch. *de malign. Herodot. p.* 670.

Olymp. LXXV. I. Sicyonii XII. naves præbuere Græcis in pugna ad Artemiſium, Herodotus *l.* VIII. initio.

Eod. Sicyonii una cum reliquis Peloponneſiis ad Iſthmum cum omnibus copiis auxilio venerunt, cæſo ad Thermopylas Leonide, Herodot. *l.* VIII. p. 552.

Eod. Sicyonii XV. naves Græcis præbuerunt in prælio navali ad Salaminem, Herod. *l.* VIII. pag. 542.

Olymp. LXXV. 2. Sicyoniorum tria millia fuerunt in exercitu Græcorum ad Platæas coacto: Herod. *l.* IX. p. 596.

Eod. Sicyonii rem ſtrenue geſſerunt in prælio contra Perſas ad Mycalen: ubi & Perilaus eorum dux cecidit, Herod. *l.* IX. p. 628.

Olymp. LXXXI. 2. Sicyonii victi fuerunt a Tolmide Athenienſium duce, & in urbem repulſi, cum eum armis, ne agrum popularetur, impedire conarentur, Thucyd. *l.* I. p. 71. Pauſanias *Attic.* p. 49.

Olymp. LXXXI. 4. Sicyonii victi a Pericle Athenienſium duce fuerunt, cum in eum agros populantem copias omnes eduxiſſent: multiſque in fuga trucidatis, reliqui intra mœnia concluſi ab eo obſeſſi fuerunt, ſed fruſtra: nam Lacedæmonii obſeſ-

fessis auxilia miserunt, Thucyd. *l.* I. p. 72. Diodor. *l.* XI. p. 66.

Olymp. LXXXVII. 2. Sicyonii Lacedæmoniorum socii fuerunt in bello Peloponnesiaco, & cum aliis classem præbuerunt, Thucyd. l. II. p. 205.

Sicyoniis statum popularem Lacedæmonii Sicyonem profecti in paucorum dominatum converterunt, Thucyd. *l.* V. p. 390.

Sicyone Resp. secundum Achæorum leges administrabatur. Euphron vero in ipso foro, præsentibus Argivis & Arcadibus, populum convocavit, dictitans Rempubl. administrandam æquo ac pari juri. Ita populus ipsum Euphronem & alios quatuor Prætores delegerunt. Tum Euphron Adean filium suum mercenariis copiis præfecit, abrogato Lysimeni imperio. Mox quosdam horum mercenariorum beneficiis sibi fidos effecit, alios præterea conduxit, nullis neque publicis, neque sacris pecuniis parcens. Collegisque partim necatis, partim in exilium pulsis, palam Tyrannidem exercuit, Xenoph. *Hellen.* l. VII. p. 487. 488. Postea vero Æneas Stymphaleus Imperator Arcadum minime ferenda ducens quæ Sicyone fiebant, cum exercitu in arcem ascendit: ibi territus Euphron in portum Sicyoniorum se contulit, eumque Pasimelo & Lacedæmoniis tradidit. Deinde cum Sicyone dissiderent inter se Optimates & Populus, ducto secum Athenis mercenario milite in patriam rediit: itaque urbem una cum populo in sua potestate habebat, Præfectus vero Thebanus arcem. Cum autem intelligeret, non posse se, quamdiu arx a Thebanis teneretur, in sua potestate habere urbem, coacta pecunia Thebas profectus fuit, ea Thebanis persuasurus, ut Optimatibus ejectis sibi urbem restituerent. Sed qui prius ab eo in exsilium acti fuerant, cognito ejus instituto, & ipsi Thebas iverunt, eorumque quidam eum in arce jugulavit, Xenoph. *Hellen.* l. VII. p. 493. Ac Thebani quidem juste cæsum censuerunt: Sicyonii vero eum, ut virum bonum Sicyonem deportatum in foro sepelierunt, ac ut patronum urbis venerantur, idem *ibid.* p. 494. 495.

Olymp. CVII. I. Sicyonii Megalopolitanis adversus Lacedæmonios opem tulerunt, Diodor. lib. XVI. p. 437.

Olymp. CXIV. 2. Sicyonii Athenienſium socii fuerunt in bello Lamiaco, Diodor. l. XVIII. p. 595.

Olymp. CXVI. 3. Sicyone cum exercitu egressus Alexander Polysperchontis F. ab Alexio Sicyonio, & aliis quibusdam amicitiam simulantibus, interemptus fuit: Et Sicyonii contempta ejus uxore Cratesipolide ad recuperandam libertatem cum armis concurrerunt; sed illa conferto prælio victrix multos interemit, arreptosque circiter XXX. in crucem egit, & confirmato urbis statu, Sicyoniis imperavit, cum in omnem eventum paratos haberet milites, Diodor. l. XIX. p. 708.

Olymp. CXVIII. I. Sicyonem a Cratesipolide recepit Ptolemæus Lagidas, eamque præsidio firmavit, Diodor. l. XX. p. 774.

Olymp. CXIX. I. Sicyonem, quæ a præsidio Regis Ptolemæi & Philippo duce clarissimo tenebatur, Demetrius Antigoni F. noctu adortus, primum urbem, deinde & arcem a præsidiariis deditam, occupavit. Persuasit vero Sicyoniis, ut in arcem sedes suas transferrent: ipse vero portui adjunctam urbis partem evertit, & urbanam multitudinem in ædificando adjuvit, & reddita populo libertate, summos illic honores consequutus fuit: Demetriadem enim urbem appellarunt, sacraque & panegyres & ludos annuos ei peragi jusserunt, aliosque ei honores tanquam urbis conditori habuerunt, Diodor. l. XX. p. 826.

Cleon Sicyoniorum Tyrannus, Pausan. *Corinth.* p. 99.

Sicyoniorum civitatis principes post Cleonis mortem tam effrenata dominandi cupiditas incessit, ut eorum duo eodem tempore Tyrannidem invaderent, Euthydemus & Timoclidas, idem *ibid.*

Clinias Arati pater, ejectis Euthydemo & Timoclida, a populo summæ rerum præfectus fuit, idem *ibid.*

Abantidas ad Tyrannidem accessit, Clinia non multis post annis defuncto. Is Aratum in exsilium ejecit: vel Aratus sponte exsulatum abiit. Ipsum Abantidam cives trucidarunt, idem *ibid.*

Paseas pater Abantidæ dominatum, occiso filio, occupavit, idem *ibid.*

Nicocles, cum Paseam sustulisset, ipse sibi Tyrannidem vindicavit, idem *ibidem.*

Aratus, Nicoclem, comparata exsulum & Argivorum conductitiorum militum manu, pellere adortus, cum ad muros nocte accessisset, præsidium partim fefellit, partim vi superavit: atque ita oppido potitus, cum jam illucesceret, assumpta plebe, summa cum celeritate ad Tyranni domum accurrit: quam non magno utique negotio cepit. Sed Nicocles furtim est elapsus. Tum Aratus civitatis liberam administrationem Sicyoniis tradidit: domos & prædia, quæ divendita fuerant, emptoribus pretio dissoluto, exsulibus cum reddidisset, dissidiorum & controversiarum causas, concordia constituta, sustulit. Idem cum Macedones, Antigono, Philippi acceptam a Demetrio ejus patre tutelam gerente, Græcis omnibus formidolosi essent, Sicyonios, tametsi Dores erant, cum Achæorum concilio conjunxit. Imperator vero ab Achæis declaratus, exercitum contra Amphisenses Locros duxit: & Ætolorum fines ingressus, agrum populatus est, cumque Corinthum Antigonus imposito Macedonum præsidio teneret, subito impetu Macedonum animos perculit, & pugna commissa, cum alios, tum ipsum præsidii ducem Persæum Zenonis Mnaseæ filii Philosophi auditorem occidit, & Corinthum liberavit. Lacedæmonios cum Agidem Eudamidæ F. Regem suum sequuti Pellenen subita incursione cepissent, Aratus superveniens prœlio vicit, eosque certis conditionibus domum dimisit, Pellene relicta: ibi Aratus, cum res Peloponnesiacæ prosperos habuissent successus, indignum ratus negligenter ferre Piræeum, Munychiam, Salaminem & Sunium a Macedonibus teneri, quia spes non erat, per vim eos inde ejici posse, Diogenem præsidiorum Præfectum adduxit, ut talentis CL. acceptis ea loca dederet: ipseque ejus pecuniæ sextam partem Atheniensibus dedit. Persuasit etiam Aristomacho Argis dominanti, ut popularem Rempubl. Argivis redderet, eamque cum Achæorum concilio conjungeret. Postea cum Cleomenes Leonidæ F. Rex Spartanus Achæis bellum intulisset, eosque duce Arato congressos vicisset, coegit Aratum Archivis & Sicyoni ipsi metuentem, Antigonum Macedonum Regem in auxilium arcessere: ejusque ope victus fuit Cleomenes, Sellasia in servitutem redacta, & Lacedæmon ipsa capta. Arato Antigonus, ut viro bene merito, quique cum ipso res præclaras gessisset, perpetuam præstitit benevolentiam. At eum Philippus, cum jam regnare cœpisset, quod multa, quæ ille in eos, quibus præerat, agebat iracundius, Aratus non probabat, ac sæpe etiam animi impetu vehementius concitatum coercebat, nihil tale timentem, veneno dato, necavit. Ejus quidem cadaver Ægio, ubi supremum diem clauserat, Sicyonem relatum, sepultum est. Et ætate Pausaniæ Heroicum ejus monumentum, Arateum appellatum est, Pausan. *Corinth.* p. 99. 100. 101. Ἐτυραννήθη δὲ πλεῖστον χρόνον Σικυών, ἀλλ' ἀεὶ τῆς Τυραν-

νυς ἐπιεικεῖς ἄνδρας ἔχειν. Αρατον δ' ἐπιφανέστατον, ὃς τὴν πόλιν ἠλευθέρωσε, καὶ Αχαιῶν ἦρξε παρ' ἑκόντων λαβὼν τὴν ἐξουσίαν. καὶ τὸ σύστημα ηὔξησε, προσθεὶς αὐτῷ τήν τε πατρίδα, καὶ τὰς ἄλλας πόλεις τὰς ἐγγύς, Strabo *lib.* VIII. p. 382. Sed vide Plutarch. in *Arato*, & Polyb. *l.* II. item Strabon. *l.* VIII. p. 385. Arato (juniori) Principi uni Achæorum adempta uxor, nomine Polycratia, a Philippo, ac spe Regiarum nuptiarum in Macedoniam asportata fuit, Livius *lib.* XXVII. Plutarch. in *Arato*.

Sicyonii maximam agri Corinthiaci partem, deleta Corintho, acceperunt, Strabo *l.* VIII. pag. 381.

Sicyoniorum opes quamobrem tantopere attritæ fuerint, non facile quis, etiamsi studiose quæsiverit, causam invenire poterit: quare id quod Homerus de Jove dixit, pro causa esto,

Ος δὴ πολλάων πολίων κατέλυσε κάρηνα.

Jam vero magnis cum cladibus Sicyonii afflicti essent, ipsam urbem terræ motus ferme ad solitudinem & vastitatem redegit: ac tunc multa, quæ admirationi fuerant, opera interierunt, Pausan. *Corinth.* p. 97.

ARGIVI. DANAI. ACHÆI. DORIENSES.

INachus Oceani & Thetyis filius, Apollod. *l.* II. init. Is in ea urbe, quæ postea Argos dicta fuit, primus imperavit, a quo ea regio *Inachia* appellata fuit. Fertur autem hoc Argivorum regnum post Sicyoniorum inter Europæa vetustissimum esse, Euseb. *Chron.* lib. I. p. 23. Quidam antiquius faciunt. Παλαιότερα τῶν Ἑλληνικῶν τὰ Αργολικά. τὰ ἀπὸ Ινάχου λέγω. ὡς Διονύσιος ὁ Αλικαρνασσεὺς ἐν τοῖς χρόνοις διδάσκει, Clemens Alexandr. Inachum ajunt, cum regnaret, præterfluentem amnem de suo nomine nuncupasse & Junoni sacrum fecisse, Pausan. *Corinth.* p. 111. 112. ἀφ' οὗ ποταμὸς ἐν Αργει Ιναχος καλεῖται, Apollod. *l.* II. init. Inachiam Peloponnesum, non solam urbem Argos, ab Inacho fl. scribit Stephanus. Argos Ινάχου πόλιν vocavit Euripides in *Archelao*. Ιναχίαν ἄρουραν Nonnus *Dionys.* lib. III. v. 254. Inacho e Melissa Oceani filia nati fuerunt Phoroneus & Ægialeus, Apollod. *l.* II. init. Fuit & Io Inachi filia, Castor. De Ægialeo, vide in *Sicyoniis*. Persæ memorant Phœnices, a mari, quod rubrum vocatur, in hoc nostrum profectos, & positis sedibus in ea regione, quam nunc quoque incolunt, longinquis continuo navigationibus incubuisse, faciendisque Ægyptiarum & Assyriarum mercium vecturis, cum in alias plagas, tum etiam Argos pervenisse. Argos etenim ea tempestate omnibus civitatibus regionis, quæ nunc Græcia appellatur, antecellebat. Huc porro appulsos Phœnices mercimonia exposuisse, & quinto sextove quam appulissent die, cunctis fere divenditis, fœminas ad mare venisse, cum alias multas, tum etiam Regis Inachi filiam Io: dumque hæ fœminæ puppi navis assistentes ea mercarentur, in quæ cujusque aviditas maxime ferebatur, in eas Phœnices sese adhortatos impetum fecisse, & ipsarum plerisque aufugientibus, Io cum aliis aliquot raptam fuisse: iisque in navem impositis, Phœnices in Ægyptum vela fecisse. Cum his non consentiunt Phœnices, negantes se raptu usos Io in Ægyptum abduxisse, sed eam apud Argos cum nauclero navis ipsorum rem habuisse, & cum se gravidam comperisset, veritam parentum iras, tum ultro cum Phœnicibus navigasse, Herodot. *l.* I. p. 1. 2. Ιὼ τὴν Ιάσου, non τὴν Ινάχου apud Herodotum legisse videtur Pausanias *Corinth.* p. 112. fuit enim & altera Io Jasi filia, & a Scriptoribus hæc cum illa confunditur; quæ a Jove compressa fuit, Inachi filia esse nequit: nam in eo consentiunt Scriptores, Niobæ Phoronei filiæ, Inachi nepti, primæ mortalium Jovem mixtum fuisse: vide in *Phoroneo*. Io Inachi filiam in bovem mutatam fuisse scribit Pausanias *Lacon.* p. 197. & *Attic.* p. 44. & Nonnus *Dion.* lib. III. v. 252. seqq. & Moschus *Idyll.* II. v. 44. seq. Sed de Jasi filia alii hoc scribunt: vide infra in *Jaso*. Isin Inachi filiam Ægyptiis literas, quas reperisset, tradidisse scribit Isidorus *Origin.* lib. I. cap. III. Casus & Belus Inachi filii ad Orontem fl. eam, quæ nunc Antiochia Assyriæ dicitur, urbem condiderunt, Euseb. *Chron.* lib. I. p. 23. Mycenen Inachi filiam Arestoris uxorem fuisse, illis versibus proditum est, quas Græci Eœas Magnas appellant, Pausan. *Corinth.* p. 112. Homer. *Odyss.* B. v. 120.

Τυρώ τ', Αλκμήνη τε, ἐϋπλόκαμός τε Μυκήνη.

Phoroneus Inachi & Melissæ Oceaninæ filius, Apollod *lib.* II. init. Niobæ filius dicitur Eusebio *Chron.* lib. I. p. 23. Sed Phoroneum Niobæ patrem, non filium fuisse omnes fere Veteres scribunt. Phoroneum primum in ea terra exstitisse fabulantur, cui pater Inachus, non vir, sed fluvius fuerit: eundemque arbitrum cum Cephisso, Asterione & Inacho fluviis fuisse inter Neptunum & Junonem de regione disceptantes: cumque illi secundum Junonem litem dedissent, Neptunum aquam illis omnem ademisse: & ex eo factum, ut neque Inachus, neque quisquam alius eorum amnium aquam suppeditent, nisi imbribus adjuti: per æstatem enim in magna soli siccitate solam Lernam aquam habere, Pausan. *Corinth.* p. 112. Αργος Δίψιον ἐκέκλητο, διὰ τὴν δίψαν τῶν ὑδάτων, Stephan. Euripid. *Alcest.* v. 560. Αργους διψίαν χθόνα. Falsum vero est quod dicunt Argos aquis carere: Θεοὶ δ' αὖ θέσαν Αργος ἄνυδρον: nam & regio cavo est situ, & fluminibus irrigatur, lacusque habet & paludes, urbsque puteis aqua plenis abundat; causam vero erroris dedit, quod Homerus *Iliad.* Δ. v. 171. dixerit, Αργος πολυδίψιον. Is vero ita vocavit, vel ἀντὶ τοῦ πολυποθήτου: vel ἀντὶ τοῦ πολυίψιον, unde quidam legerunt πολὺ δ' ἴψιον. Sed neque urbem Αργος, sed Peloponnesum in eo versu notavit Homerus, οὐ δή που καὶ ταύτην διψηρὰν οὖσαν, Strabo *l.* VIII. p. 370. Phoroneus Inachi filius, primus dispersos ante homines, & seorsum habitantes, in unius civitatis jus coegit, & ab eo oppidum illud, in quod convenerunt, Phoronicum est appellatum, Pausan. *Corinth.* p. 112. Αργος Φορωνικὸν ἄστυ ἐκέκλητο, Stephanus. Post Inachum sub Phoroneo vix a fera ac agresti vita ad humaniorem cultum traductos fuisse homines, scribit Tatianus. Αργεῖος τοῖς Φορωνέως ἐπίθω νόμοις, Clemens in *Protrept.* Phoroneus primus leges & judicia constituit, Euseb. *Canon.* p. 84. Primus aram Junoni fecit: qui ob eam causam primus regnandi potestatem habuit, Hyginus. Eum toti Peloponneso imperasse scribit Apollodorus *l.* II. init. Eum πρῶτον ἄνθρωπον γενέσθαι dicit Acusilaus apud Clement. *Strom.* I. unde πατέρα θνητῶν ἀνθρώπων eum vocavit Auctor Phoronidis. Φορωνέως τοῦ πρώτου λεχθέντος, Plato *Timæo* p. 22 Αρχέγονος dicitur Nonno *Dionys.* lib. XXXII. v. 68. Phoroneo etiam sua ætate parentasse Argivos scribit Pausanias *Corinth.* p. 120. Phoroneo e Laodice Nympha nati fuerunt Apis & Niobe: e Niobe & Jove, quam primam mortalium Jupiter compressit, Argus natus fuit, Apollod. *l.* II. init. Ζεὺς γὰρ πρώτῃ μὲν ἐμίγη γυναικὶ θνητῇ Νιόβῃ τῇ Φορωνέως, ἐσχάτῃ δὲ Αλκμήνῃ, Diodor. *l.* IV. p. 223. Nonn. *Dionys.* lib. XXXII. v. 67.

Οὐ τόσσον ἠρασάμlω Νιόβης παρὰ γείτονι Λέρνῃ
Κύρης ἀρχεγόνοιο Φορωνέως.

Acusilaus scribit e Niobe etiam natum Pelasgum, ἀφ' ὃ πληθlῶαι τὰς τ̃ Πελοπόννησον οἰκᾶντας Πελασγὰς, Apollod. *l.* II. p. 39. *β.* Dionysius Halicarn. *l.* I. Hinc Euripid. *Orest.* v. 1248. seq.

Μυκlωίδες ὦ φίλαι, ——
Τὰ πρῶτα κτ̃ Πελασγὸν ἕδος Ἀργείων.

Sic Πελασγὸν Ἄργος *ibid.* v. 693. Πελασγία πόλις Æschyl. *Suppl.* v. 640. Ὅτι δὲ καὶ αὐτοὶ οἱ Ἀργεῖοι ἐκαλῦντο Πελασγοὶ, Σοφοκλῆς ἐν Ἰνάχῳ φησὶ, Schol. Apollon. *Argon.* l. I. v. 580. Phoronei filium nothum Europem fuisse Herophanes Trœzenius prodidit: Ejus filium Hermiona suæ urbis conditorem Hermionenses fuisse ajunt, Pausan. *Corinth.* p. 149. Car etiam Phoronei filius dicitur, de quo vide in *Megarens.*

Apis Phoronei fil. (præteritus a Pausania) commutato in dominandi libidinem regno, cum violenter ac tyrannice res administraret, insidiis Thelxionis & Telchinis periit, cum de suo nomine Peloponnesum Apiam nuncupasset: nullam vero reliquit sobolem, Apollod. *l.* II. p. 39. *β.* Apin, constituto rege Achaiæ Ægialeo fratre suo, in Ægyptum cum plebe secessisse, ex aliorum opinione scribit Euseb. *Chron. Can.* p. 86. Memphin in Ægypto eum condidisse ait Aristippus *Arcadic.* I. Sarapin eum appellatum fuisse, & eum esse, quem Ægyptii colunt, prodidit Aristeas Argivus. Ἆπις νομισθεὶς θεὸς, ἐκλήθη Σαράπις, Apollod. *l.* II. p. 39. *β.* His temporibus Rex Argivorum Apis, navibus transvectus in Ægyptum, cum ibi mortuus fuisset, factus est Serapis omnium maximus Ægyptiorum Deus, August. *de Civit. Dei* lib. XVIII. cap. V. Ἀπία. οὕτως οἱ νεώτεροι τὸ Ἄργος καὶ τὰς κατοικᾶντας Ἀπιδόνας, ἀπὸ Ἄπιδος τ̃ Φορωνέως, ὡς Ριανὸς ἐν Ἀχαϊκῷ δευτέρῳ

—————— Φορωνέως ——
Ἀρχῆθεν γενεὴ, τῦδε κλυτὸς ἐκγονὸς Ἆπις,
Ὅς ῥ' Ἀπίlω ἐφάτιζε, ϗ ἀνέρας Ἀπιδονῆας.

Stephanus. Hinc Ἀπίαν βῦνιν vocat Æschyl. *Supplic.* v. 120. Ὕστερον δὲ πάλιν Ἀπία ἐκλήθη Peloponnesus, ἀπὸ Ἄπιδος τ̃ Φορωνέως παιδός. ἢ παρὰ τὸ ἄπιον, ὃ σημαίνει τlὼ ἀπιδέαν, ἢ ἐν καταξήροις τόποις ὑπάρχυσα, ἐκ τ̃ πίω, &c. Etymol. Magn. in Ἀπία. Vide etiam Strabonem *l.* VIII. p. 371. & Scholiast. Apollon. *Argon.* ad lib. IV. v. 263. οἶοι δ' ἔσαν Ἀρκάδες Ἀπιδανῆες. Apin non Regem, sed medicum & vatem Apollinis F. fuisse docet Æschylus, cum scribit *Suppl.* v. 264. seqq.

Αὐτῆς δὲ χώρας Ἀπίας πέδον τόδε
Πάλαι κέκληται φωτὸς ἰατρῦ χάριν.
Ἆπις γὰρ ἐλθὼν ἐκ πέρας ναυπακτίας
Ἰατρόμαντις παῖς Ἀπόλλωνος, χθόνα
Τlὼ δε ἐκκαθαίρει κνωδάλων βροτοφθόρων.

Et v. 272. seqq.

Τύπων ἄκη τομαῖα καὶ λυτήρια
Πράξας ἀμέμπτως Ἆπις Ἀργεία χθονὶ,
Μνήμlω ποτ' ἀντίμισθον εὗρητ' ἐν λιταῖς.

Argus Phoronei e filia Niobe a Jove compressa nepos: ab eo regio illa nomen accepit, Pausan. *Corinth.* p. 112. Ἄργος διασημοτάτη πόλις Πελοποννήσυ. τὸ ἐθνικὸν Ἀργεῖος, παρὰ τ̃ Ἄργον τ̃ κτίσlω, Stephan. diciturque cum adjectione Ἄργος Πελασγικὸν apud Euripid. *Phœniss.* v. 262. At Homerus *Iliad.* *β.* v. 681. Πελασγικὸν Ἄργος vocat Thessaliam: vide in *Thessalis*. Non vero sola urbs vel regio illa Argos appellata fuit, sed & tota Peloponnesus, vel cer-

A te magna pars ejus. Ἄργος δὲ λαβὼν παρὰ Φορωνέως τ̃ βασιλείαν, ἀφ' ἑαυτῦ τ̃ Πελοπόννησον ἐκάλεσεν Ἄργος, Apollod. *l.* II. p. 39. *β.* Sic Agamemnon apud Homer. *Iliad.* *α.* v. 30. ait:

Ἡμετέρῳ ἐνὶ οἴκῳ ἐν Ἄργεϊ.

Neque vero Ἄργος urbs, sed Mycenæ domus & Regnum Agamemnonis erant: imo Homerus Græcos omnes Argivos vocavit. Ἀργείυς ἡ δόξα τ̃ πόλεως ταύτης, ἀπ' αὐτῆς καὶ τὰς ἄλλυς Ἑλλlωας καλεῖσθαι παρεσκεύασεν, Strabo *l.* VIII. p. 371. vide & p. 369. Παρόσον ἡ πᾶσα Πελοπόννησος, Ἄργος καλεῖται ὁμωνύμως τῇ πόλει, Schol. Pindar. *Isthm.* od. II. Sic Pindarus Spartanum Aristodemum, Argivum vocat, & Homerus Lacedæmoniam Helenam, Argivam, ἀντὶ τ̃ Πελοποννησιακlὼ, Schol. *ibid.* Argus ducta uxore Euadne Strymonis & Neæræ filia genuit Jasum, Piranthum, Epidaurum & Criasum, Apollod. *l.* II. p. 39. *β.* Pirasum, Phorbantem, Tirynthem & Epidaurum Argi filios nominat Pausanias. Callithyiæ vero Sacerdotis pater, Euseb. *Chron. Can.* p. 91. Σπείρας dicitur, & *l.* III. Προπαρασκ. Πείρας. Ego existimo Callithyiæ patrem Pirasum esse, eundemque Σπείραντα, Πείραντα, Πείρασον & Κρίασον esse: Πείρανθον vero Apollodori esse Τίρυνθα Pausaniæ. Jaso natus Agenor, pater Argi, qui Πανόπτης dicitur, Apollod. *l.* II. p. 40. *α.*

Pirasus vel Criasus Argo successisse dicitur. Κρίασος, ὃς καὶ τ̃ βασιλείαν παρέλαβεν. Eo regnante Callithyia Spirantis (malo Pirasi) filia prima Junonis sacerdotio functa fuit. Πείρασος (sic lego, pro πείρας ὁ) πρῶτος Ἀργολίδος Ἥρας ἱερὸν εἰσάμενος τ̃ ἑαυτῦ θυγατέρα Καλλίθυιαν ἱέρειαν καταστήσας.

Καλλιθόη κλειδῦχος Ὀλυμπιάδος βασιλείης
Ἥρης Ἀργείης, lὼ στέμμασι καὶ θυσάνοισι
Πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.

D Τῷ δὲ πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ ἔτει, ἐπὶ Χρυσίδος ἐν Ἄργει τότε πεντήκοντα δυοῖν δέοντα ἔτη ἱερωμένης. Ἡ Χρυσὶς ἱέρεια lὼ ἐν Ἄργει. ἠρίθμυν δὲ τὰς χρόνυς οἱ Ἀργεῖοι ἀπὸ τ̃ ἱερειῶν.

Phorbas Argi filius, Pirasi frater, Pausan. *Corinth.* p. 112.

Triopas Phorbantis fil. Ei nati fuerunt Jasus & Agenor, idem *ibid.* Agenor Jasi primi filius, pater Argi Πανόπτυ, avus Jasi secundi, dicitur Apollodoro *l.* II. p. 40. *α.* scribit Hellanicus Triopæ tres fuisse filios: qui mortuo patre Argivam terram inter se partiri sint: & Pelasgo quidem obtigisse regionem ad fl Erasinum, ubi & urbem Larissam condiderit. Jaso vero eam partem, quæ ad Elidem erat. Ita divisa in eos duos terra, Agenori cessisse patris equitium. Inde eo tempore Argos appellatum fuit, Ἴασον, Πελασγικὸν καὶ ἱππόβοτον, Eustath. & Schol. min. *in Iliad.* Γ. Sed in Eustathio pro Τριόπα legitur corrupte Φορωνέως. Triopæ filia Messene nupsit Polycaoni: vide in *Messeniis*.

Jasus Triopæ filius, Pausan. *Corinth.* p. 112. Ἄργυ δὲ καὶ Ἰσμήνης τῆς Ἀσωπῦ παῖς Ἴασος, ὃ φασιν Ἰὼ γενέσθαι, Apollod. *l.* II. p. 40. *α.* Io Hesiodus & Acusilaus Pirenes filiam fuisse narrant, quam, cum sacerdos Junonis esset, Jupiter compresserit, & a Junone deprehensus in vaccam albam mutaverit. Juno vaccam eam a Jove impetratam custodiendam tradidit Argo Πανόπτῃ: a quo ea ad oleam, quæ in luco Mycenæo erat, alligata fuit: sed jussu Jovis a Mercurio furtim subducta fuit, ictuque lapidis Argus a Mercurio peremptus, unde hic Ἀργειφόντης nomen accepit. Io vero immisso ab Junone furore agitata primum ad sinum Ionium ab ipsa appellatum venit: Inde Illyridem peragrans, & superato Æmo, trajecit πόρον Θρᾴκιον: ita enim tum

vocabatur, sed ab illa Βόσπορος dictus fuit: inde multis terris peragratis, multisque maribus Asiæ & Europæ trajectis, tandem in Ægyptum venit, ubi recepta pristina forma ad Nilum fl. Epaphum filium peperit. Eum Junonis precibus moti abstulere Curetes, quos Jupiter, re cognita, occidit. Io vero ad quærendum filium conversa, & totam peragrans Syriam (cognoverat enim Regis Bybliorum uxorem nutricis officium præstare filio) invento Epapho in Ægyptum rediit, ac Telegono Regi Ægyptiorum illic nupsit: statuaque Cereri, quam Ægyptii Isin vocant, posita, ipsa Io Isis appellata fuit, Apollod. *l.* II. p.40. seq. vide Æschyl. *Supplic.* v.295. seq. & Nonnum *Dionys.* l. III. v.251. seqq. Ob hos errores quidam Ἰὼ dictam volunt παρὰ τὸ ἰέναι, διὰ τὸ ἰέναι αὐτὴν διὰ πάσης τῆς γῆς πλανωμένην. Ἶσιν παρὰ τὸ ἵεσθαι μετ' ἐπιστήμης dici scribit Plutarch. *de Isid. & Osirid.* p.275. β. Ἰὼ ἡ δευτέρα εἰς Αἴγυπτον ἐλθοῦσα κατά τινας, ἣ καὶ Ἶσις προσηγορεύθη Φαρία, Euseb. *Chron.* l. I. p. 26. Phariam autem vocatam, quod in insulam Pharon primum advenisset; & Telegono nuptam Epaphum peperisse scribit idem *l.* I. p. 23. Epaphus regno Ægyptiorum potitus Memphin Nili filiam uxorem duxit, & de illius nomine conditam a se urbem nuncupavit: tum & filiam Libyam ex ea suscepit, quæ Neptuno peperit geminos Agenorem ac Belum. Agenor in Phœnicem profectus, illic regnavit. Belus vero Rex Ægypti fuit: qui ducta uxore Anchinoe Nili filia, pater factus est Ægypti & Danai, &, Euripide teste, Cephei ac Phinei, Danao in Libya, Ægypto in Arabia sedes pater dedit. Nati vero fuerunt Ægypto e multis fœminis filii L. & Danao totidem filiæ. Orta vero inter fratres dissensione de imperio, Danaus Minervæ consilio navem primus fabricavit, πεντηκόντορον a numero remorum dictam, in quam impositis filiabus aufugit: delatus in Rhodum, statuam Lindiæ Minervæ collocavit; inde Argos venit, Apollod *l.* II. p. 41. β. seq. vide infra. Sed Nonnus *Dionys.* l. III. v. 284. seqq. scribit e Neptuno & Libya tantum Jovem Libyn Belum natum fuisse: Belum vero patrem fuisse Phinei, Phœnicis, Agenoris, a quo Cadmus ortus, Ægypti & Danai. Tres Danai filias in Rhodo mortuas fuisse scribit Diodor. *l.* V. p.329. Τὸ ἱερὸν τὸ ἐν Λίνδῳ τῆς Ἀθηναίης λέγονται τὰς τοῦ Δαναοῦ θυγατέρας ἱδρύσασθαι προσχούσας ὅτε ἀπεδίδρασκον τοὺς Αἰγύπτου παῖδας, Herodot. l. II. fine. Agenoris filii fuerunt Phœnix & Cadmus & Cilix, & filia Europa. Hinc Io Cadmeorum Regum κερόεσσα προμάτωρ dicitur Euripidi *Phœnis.* v. 835.

Ab Iaso Ἴασον Ἄργος & Iasidæ nomen acceperunt, Stephan. & Strabo l. VIII. p. 371.

Crotopus Agenoris filius, Triopæ nepos, Pausan. *Corinth.* p. 112. Ejus filia Psamathe ab Apolline compressa, puerum, quem pepererat, ut patrem, a quo sibi plurimum metuebat, celaret, exposuit: Is a canibus Regii pecoris dilaceratus fuit; Apollo vero Argis Pœnam immisit, quæ infantes e matrum gremiis diripiebat. Eam Corœbus in Argivorum gratiam occidit: neque tamen quicquam remisit, quæ ipsos præterea invaserat, pestilentia. Corœbus ergo ultro Delphos adiit, ut Apollini de Pœnæ cæde satisfaceret: Pythia vero ei reditum in Argos denegavit, tripodem vero e templo sublatum eum gestare jussit, & quo loco ille excideret, ibi fano Apollini erecto considere: cumque tripus ad montem Geraniam (μεταξὺ Μεγάρων καὶ Κορίνθου, Stephan.) illi excidisset, ibi vicum Τριποδίσκος condidit, Pausan. *Attic.* p. 81. 82. Alii prodiderunt ipsum Crotopum ob admissam Psamathes filiæ necem, relicta patria jussu Oraculi in Megaridem concessisse, & illic condita urbe Tripodiscio habitasse.

Sthenelas, Sthenelaus & Sthenelus Crotopi filius. Hunc a Danao ejectum quidam prodiderunt. Δαναὸς κρατήσας τοῦ Ἄργους, καὶ ἐκβαλὼν Σθένελον τοῦ Κρότωπος, Ἀργείων ἐβασίλευσε, Castor.

Gelanor Sthenelæ filius, Pausan. Eo regnante Danaus cum filiabus in illam Argivi agri partem, quæ Ἀπόβαθμοι dicitur, e navi egressus primum descendit, Pausan. *Corinth.* p.157. Cum Danaus Argos venisset, de regno cum Gelanore contendit: ac cum eorum uterque ad populum multa, & ea maxime probabilia ac juri consentanea dixisset, neque omnino, quæ Gelanor afferebat, minus æqua videbantur, causa in sequentem diem ampliata fuit. Ejus prima luce in boum gregem in pomœrio pascentium lupus impetum fecit, atque is taurum ipsum gregis ducem adortus fuit. Visum est Argivis Gelanori cum tauro, Danao cum lupo aptissimam esse convenientiæ rationem: quod, velut lupus animal est homini minime familiare; sic propemodum ad id temporis nulla fuisset Danaus Argivorum usus consuetudine: quare cum taurum lupus confecisset, e re nata Argivi Danao imperium adjudicarunt: tunc Danaus lupum ab Apolline immissum interpretatus, Lycii Apollinis ædem, cum signo ejusdem e ligno dedicavit, Pausan. *Corinth.* p.118. Φασί τινες, ὅτι μετὰ Σθένελον Ἄργους ἐβασίλευσε Γελάνωρ, ὃν Ἀργεῖοι τῆς ἀρχῆς παύσαντες Δαναὸν Ἄργους ἐβασίλευσαν, Euseb. *Chron.* l. I. p. 26. Καὶ τὴν βασιλείαν αὐτῷ (Δαναῷ) παραδίδωσι Γελάνωρ, ὁ τότε βασιλεύων, Apollod. lib. II. p. 42. β.

Æschylus Pelasgum Regem Argivum ponit, quo tempore Danaus Argos venit, *Supplic.* v. 254. seqq.

> Τοῦ γηγενοῦς γάρ εἰμ' ἐγὼ Παλαίχθονος
> Ἶνις Πελασγὸς τῆσδε γῆς ἀρχηγέτης,
> Ἐμοῦ δ' ἄνακτος εὐλόγως ἐπώνυμον
> Γένος Πελασγῶν, τήνδε καρποῦται χθόνα.

Ubi mihi cum Scholiaste Παλαίχθων videtur nomen proprium esse: nam & infra v.348. Παλαίχθονος τέκος absolute dicitur, ut heic: neque vero Πελασγοῦ, sed Πελασγὸς legendum, quamvis non diffitear appellative usurpatam hanc vocem ab Æschylo, cum ait παλαίχθων Ἄρης, *Sept. ad Theb.* v.100.

Danaus Beli fil. Ægyptius, pulso Gelanore, Agenoris nepotes regno submovit, Pausan. *Corinth.* p. 112. Danaum & Lynceum Chemmitas fuisse, e Chemmi grandi oppido Thebaicæ provinciæ prope Neam urbem sito, scribit Herodot. l. II. p. 137. Λέγουσι δὲ καὶ τοὺς περὶ Δαναὸν ὁρμηθέντας ὁμοίως ἐκεῖθεν (ex Ægypto) συνοικῆσαι τὴν ἀρχαιοτάτην σχεδὸν τῶν παρ' Ἕλλησι πόλεων Ἄργος, Diodor. l. I. p.24. Danaus regno potitus Danaos incolas de suo nomine appellavit, Apoll. lib. II. p. 43. β. Euripides *Orest.* v. 931. seq.

> —— ὦ γῆν Ἰνάχου κεκτημένοι,
> Πάλαι Πελασγοί, Δαναΐδαι δὲ δεύτερον.

Et *Archelao*:

> Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατὴρ
> Ἐλθὼν ἐς Ἄργος, ᾤκισ' Ἰνάχου πόλιν.
> Πελασγιώτας δ' ὠνομασμένους τὸ πρὶν,
> Δαναοὺς καλεῖσθαι νόμον ἔθηκεν.

Sed & Danai omnes Græci appellati fuerunt, ob urbis hujus gloriam, Strabo *l.* VIII. p. 371. Cum autem ea regio aquarum penuria laboraret (vide supra in *Phoroneo*) Danaus filias aquam petituras misit: quarum uni Amymonæ (ex uxore Europa natæ) Neptunus Lernæos fontes ostendit, Apollo-

dor. *lib.*11.p. 42. β. 43. α. Ab Amymone fluvius nomen accepit, Pauſan. *Corinth.*p. 155. Δείκνυ𝛕) ϗ ϗ Αμυμώνη τις κρήνη κ𝛕 Λέρνlw. ? μεν ὖν χώραν συγχωρῦσιν ἀνύδρεῖν' αὐτlὼ ϳ ? πόλιν ἐν ἀνύδρῳ χωρίῳ κεῖσθαι. φρεάτων δ' ἀπορεῖν, ἃ ταῖς Δαναΐσιν ἀνάπτυσιν, ὡς ἐκείνων ἐξευρυσῶν, ἀφ' ὖ ϗ τὸ ἔπος εἰπεῖν τῦτο.

Αργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναοὶ θέσαν Αργος ἔνυδρον.

Strabo *lib.* VII. p. 371. Porro Ægypti filii Argos profecti, conjuges Danai filias, depoſita omnia ſimultate, ſibi dari petierunt; ſed Danaus parum illis fidens, quod ex Oraculo didiciſſet, ſe ab uno eorum occiſum iri, ſimul injuriæ memor, quod patria pulſus fuiſſet, ſorte puellas juvenibus diſtribuit, nuptiiſque celebratis pugiones ſingulis filiabus tradidit, quibus illæ dormientes ſponſos confoderunt, præter Hypermneſtram, (ex uxore Elephanti natam) quæ Lynceo, quem conjux Regina Argyphia Ægypto peperat, pepercit, a quo etiam intacta virgo manſerat. Reliquæ Danai filiæ præſecta ſponſorum capita in Lerna defoderunt, cadavera vero ante urbem ſepeliverunt, Apollod. *lib.*11.p.43.α.ſeq. Qua ad arcem iter fuit, ad viæ lævam, filiorum Ægypti monumentum fuiſſe; abſciſſa enim illic a reliquo corpore condita capita, ſicut in Lerna ſine capitibus corpora: trucidatorum vero capita a fœminis præciſa fuiſſe, quo certum facinoris indicium ad patrem deferrent, ſcribit Pauſan. *Corinth.*p.128. Nonn. *Dionyſ.* li. 111. p 299. ſeqq.

Καὶ κρυφίοις ξιφέεσσι σιδηροφόρων ἐπὶ λέκτρων
Αρσενα γυμνὸν Αρηα κατεύνασε θῆλυς Ενυώ.
Οὐ μὲν Υπερμνήστρη κακονύμφιον εὔαδεν ἔργον.

Pindar. *Nem.* od. x. ſtroph. 1.

Οὐ δ' Υπερμνήστρα παρεπλάγχθη μονόψαφον ἐν κολεῷ καταχοῖσα ξίφος.

Hypermneſtram ergo Danaus in cuſtodia habuit, Apollod. *lib.* 11. p. 44. β. Eam in judicium a Danao vocatam, eo crimine quod una ex omni filiarum numero imperata patris facere neglexiſſet, nam qui ſuperſtite Lynceo ſe periculo carere non poſſe putaret, ab ea quæ mandatum facinus non perpetraſſet, inſigni ſe affectum injuria interpretabatur: at Argivorum ſententiis illam abſolutam, in ejus judicii memoriam Venerem Νικηφόρον dedicaſſe, ſcribit Pauſan. *Corinth.* p. 119. Hypermneſtra ſub Danao Argis ἱερατεῦσαι dicitur Euſebio *Chron. Can.* p. 101. Cæterum Apollodorus *lib.*11.p.42. ſcribit, Ægypti filios a Danaidibus occiſos fuiſſe πλὴν ἑνὸς ἢ δυεῖν. Et Euſtathius *in Dionyſ.* Περ. ait Bebrycam & Hypermneſtram ſolas maritis peperciſſe: id convenit cum eo quod Pindarus tantum XLVIII. puellis conjugium poſtea quæſitum fuiſſe ſcribit *Pith.* od. IX. antiſtr. 5.

———————— ἄ-
κυσεν Δαναόν ποτ' ἐν Αργει,
Οἷον εὗρε τεσσαράκοντα καὶ ὀκτὼ παρθένοισι
Πρὶν μέσον ἆμαρ ἑλεῖν,
Ωκύτατον γάμον. ἔστασεν γὰρ ἅπαντα χορὸν
Εν τέρμασιν αὐτίκ' ἀγῶνος.
Σὺν δ' ἀέθλοις ἐκέλευσεν διακρίναι ποδῶν,
Αν τινα σχήσοι τις Ηρώων, ὅσοι γαμβροί σφιν ἦλθον.

Cum enim Danaus nanciſci non poſſet, qui ipſius filias uxores ducerent, quippe ſcelere pollutas; dimiſit qui nunciarent, abſque ſponſalitiis muneribus ſe ei, qui formæ venuſtate placeret, quamlibet locaturum. Cum vero pauci ad eam famam conveniſſent, certamine curſus propoſito, ei qui cæteros prævertiſſet, quam ille mallet: deinde alteram, eodem modo cæteras uſque ad extremam locavit. Jam vero quæ viros nactæ non eſſent, exſpectare juſſit, donec novi proci in curſus certamen deſcenderent, Pauſan. *Lacon.*p. 181. 182. Danai poſteri Δαναΐδαι appellati fuerunt, filiæ Δαναΐδες. Οἱ ἀπόγονοι Δαναῦ μετ' αὐτὸν, Δαναΐδαι καλούμενοι, ἐβασίλευσαν. Caſtor. Amymone e Neptuno Nauplium peperit: Hypermneſtram Danaus Lynceo uxorem dedit: τὰς ϳ λοιπὰς θυγατέρας εἰς γυμνικὸν ἀγῶνα τοῖς νικῶσιν ἔδωκεν, Apollod. *lib.*11.p 44. β. 45. α. Danai, ex Europa uxore filias, Automaten Architeli, Scæan Archandro, Achæi filiis, nupſiſſe ſcribit Pauſan. *Achaic.* p. 397. Hinc Archandrum Danai γαμβρὸν vocat Herod. *l.* 11.p.140. Et tum Argivi quoque Achæi appellari cœperunt: vide in *Achæis*. Gorgophone Danai ex Elephanti uxore, filia nupſit Protheo Lyncei fratri, Apollod. Philodemea Danai filia ex Arabia uxore peperit e Mercurio Pharin, conditorem urbis Phari, Pauſan. Lynceum poſtea adverſus ſocerum Danaum arma ſuſcepiſſe, eumque occidiſſe quidam auctores ſunt. Arcem Argivorum condidiſſe fertur Danaus, Strabo *lib.* VIII. p. 371. Δαναῦ πόλιν Argos vocat Pindarus *Nem.* od. x. ſtroph. 1.

Lynceus Ægypti & Argyphiæ filius, Danai gener, ſocero in imperio ſucceſſit, & ex Hypermneſtra filium Abantem genuit, Apollod. *lib.*11. p.45. α.

Σφαγὰς ϳ Δαναῦ παρθένων, Λυγκεὺς φυγὼν,
Αβαντα φύει διάδοχον τυραννίδος.

Poeta apud Scholiaſt. Pind. *Pyth.* od. VIII. Λυγκήιον Αργος vocat Apollonius *Argon.* lib. 1. v. 125. ἀπὸ Λυγκέως ? βασιλεύσαντος Αργυς: ſin Λυγκήϊον, erit a monte Argivo, e quo Inachus fl. delabitur, Schol. Apollon

Abas Lyncei filius, is ducta uxore Ocalea, Mantinei filia, geminos genuit Acriſium ac Prœtum: ἦτοι ϗ κ𝛕 γαςρὸς μὲν ἔτι ὄντες ἐςασίαζον πρὸς ἀλλήλυς, Apollod. *lib.*11.p. 45. α. Habuit & filiam Idomenen Amythaoni nuptam, Apollod. *lib.* 11. p. 46. α. Eadem Idomene Pheretis filia dicitur, Apollod. *lib.*1.p.24. β. quod veriſimilius; nam Abas vetuſtior. Ab Abante Argos Αβαντος εὐρυχώρυς ἀγυιὰς vocat Pindarus *Pyth.* od. VIII. epod. 3. Αβαντος δ' ἀγυιὰς τὸ Αργος φησὶν, ὅτι Αβας ὁ Λυγκέως, Ταλαῦ πατὴρ, ἐξ ὖ ὁ Αδραςος ᾤκησε τὸ Αργος, Schol. Pindari. Sed quomodo Abas Talai pater?

Prœtus Abantis filius Abanti ſucceſſit, Euſeb. ab eo Pindarus *Nem.* od. 10. ſtroph. 3. Argos vocat ἱπποβόφον ἄςυ τὸ Προίτοιο.

Acriſius Abantis filius cum fratre Prœto de imperio certavit, Apollod. *lib.* 11. p. 45. α β. res ad arma venit, commiſſaque eo in loco, qua Argis in Epidauriorum agrum iter eſt, inter ipſos pugna fuit æquo marte: pax poſtea inter ipſos conciliata, quod neutrius ſatis firmum ſine alterius opibus eſſe poſſet imperium: congreſſi vero tunc primum ſcutata utrinque acie fuerant, atque iis qui ceciderant, quod res inter cives & propinquos geſta eſſet, commune ibi ſepulchrum erectum fuit, Pauſan. *Corinth* p.131. πολεμῦντες εὗρον ἀσπίδας πρῶτοι, Apollod. *lib.* 11. p. 45. β. Ita vero inter ſe regnum partiti fuerunt, ut Acriſius Argis manſerit, Prœtus Heræum, Mideam, Tiryntha & Argolici agri maritimam oram poſſederit, Pauſan. *Corinth.* p. 112. Prœtum ab Acriſio victore Argis pulſum ad Jobaten in Lyciam abiiſſe, ductaque ejus filia uxore, Lyciorum copiis in patriam reductum Tirynthem occupaſſe ſcribit Apollodor. *lib.*11.p 45.β. Acriſius ex Eurydice Lacedæmonis filia filiam ge-

nuit Danaen, idem *ibidem*. Acrisio de sobole mascula Oraculum consulenti, numen respondit, filiam puerum parituram, qui avo necem illaturus esset, Apollod. *lib.* II. p. 48. α. Oraculum sic refert Euripides *Danae* v. II. seqq.

Ἔσται μὲν, ἔσται παιδὸς ἄρσενος τόκος
Οὐκ ἐξ ἐκείνης πρῶτα γὰρ θῆλυν σποράν
Φῦσαι δεήσει. κᾆτα πως κείνη ποτὲ
Εὐνῆ κρυφαίαν γνοῦσα, καὶ μὴ γνοῦσα δὴ
Ὑπόπετρον λέοντα τέξεται πατρὶ
Ὃς τῆς δέ γ' ἄρξει θατέρας πολλῆς χθονός.

Tum Acrisius æneo sub terra constructo cubiculo Danaen inclusit. Eam, ut nonnulli tradunt, vitiavit Prœtus: alii Jovem in aureum imbrem transmutatum, per impluvium in Danaes sinum delapsum cum ea concubuisse ferunt, Apollodor. *lib.* II. p. 48. α. Vide Euripidis *Danaem* v. 27. seqq. Sed hoc volunt Poetæ isto figmento, adulterum corruptis auro custodibus ad Danaen intromissum, cum ea consuevisse. Horat. *Carm.* lib. III. od XVI.

Inclusam Danaen turris ahenea,
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ, munierant satis
Nocturnis ab adulteris:
Si non Acrisium virginis abditæ
Custodem pavidum Juppiter & Venus
Risissent: fore enim tutum iter, & patens
Converso in pretium Deo.

Argis fuisse κατάγαιον οἰκοδόμημα, ἐπ' αὐτῷ δὲ εἶναι τὸν χαλκοῦν θάλαμον, ὃν Ἀκρίσιός ποτε φρουρὰν τῆς θυγατρὸς ἐποίησεν, refert Pausan. *Corinth.* p. 127. Acrisius, ut Perseum e Danae natum cognovit, matrem cum filio in arca conclusam lignea in mare projecit: ea vero in Seriphum insulam delata fuit, Apollod. *l.* II. p. 48. α. vide in *Seriphiis*. Herodot. *lib.* II. p. 137. scribit se ab Ægyptiis Chemmitis (in quorum oppido templum erat Persei, & in eo ejusdem simulacrum) audivisse, Perseum in Ægyptum profectum eam ob causam, quam & Græci dicunt, gratia afferendi ex Libya caput Gorgonis: venisse quoque ad ipsos, ac cognatos omnes agnovisse (Danai enim & Lyncei genealogiam describentes iidem, deveniebant ad Perseum) quos postquam agnovisset, & nomen Chemmis ex matre audisset, in Ægyptum venisse. Se igitur certamen gymnicum ipsius jussu peragere. Herodot. *lib.* VII. p. 463. memorat Perseum Danaes & Jovis filium ad Cepheum Beli filium Regem Persarum commeasse, & Andromedam ejus filiam duxisse uxorem, sublatumque ex ea filium Perseum appellasse, eumque illic reliquisse: a quo (nam Cepheus carebat virili prole) cognomen sortiti sint Persæ, qui a Græcis quondam Cephenes, a seipsis vero atque ab accolis Artæi vocabantur. Hunc Cepheum diversum esse necesse est ab eo, cujus filiam ceto expositam narrat Pausan. *Messen.* p. 28. a Perseo, ceto interempto, liberatam, cum Perseum in fonte agri Joppæ urbi finitimi, aquam rutilam prope ad sanguinis colorem accedentem habente, cruorem abluisse ex indigenarum sermone referat. Apollodorus Cepheum, cujus filiam Andromedam liberavit Perseus, Regem Æthiopiæ vocat, *lib.* II. p. 50. α. Pausanias *Lacon.* p. 193. memorat Perseo in Africam contra Medusam moventi Nymphas cassidem ac talaria dedisse, quibus in sublime ferretur. Et *Eliac.* I. p. 322. in Olympiaca arca cerni Medusæ sorores pinnatas Perseum volantem insectantes. Et *Corinth.* p. 123. Medusam Phorci filiam fuisse: patre mortuo, acceptum ab illo regnum eorum populorum, qui Tritonidem paludem accolunt, tenuisse. Solitam in venationes ac pugnas exire cum Afrorum, quibus imperabat, manu. Quare cum Persei copiis, quas ille lectissimas ex Peloponneso adduxerat, acie occurrisset, noctu per insidias oppressam. Mortuæ pulchritudinem admiratum Perseum, præcisum caput, ut spectaculo esset, in Græciam reportasse. Addit, Proclum Carthaginiensem Eucratis filium, veri fere similiorem historiam literis mandasse: in Africæ desertis bestias gigni multas mirabili specie atque inusitata, feros inter eas viros & fœminas, ac virum se Romam illinc deportatum vidisse testatur. Conjicere itaque se, ex illis fœminis unam fuisse Medusam: quæ cum a suis gregibus aberrans venisset ad Tritonidem paludem, ejus accolas male mulctarit, usque dum a Perseo est occisa: adjutricem vero Perseo Minervam fuisse, idcirco proditum, quod qui stagnum illud accolunt homines, Minervæ sacri sunt. Vide Apollod. *l.* II. p. 49. seqq. Interjecto dein tempore, cum Acrisius vivere etiamnum Perseum, & multa virtutis documenta dare cognovisset, Larissam ad Peneum amnem concessit, Pausan. *Corinth.* p. 112. Ὁ δὲ δεδοικὼς τὸν χρησμὸν, ἀπολιπὼν Ἄργος, εἰς τὴν Πελασγιῶτιν ἐχώρησε γῆν, Apollod. *lib.* II. p. 51. β. At Perseus cum visendi avi materni, cumque sibi cum oratione, tum factis, conciliandi cupiditate incensus esset, Larissam venit) ubi & ætatis robore, & disci a se inventi gloria elatus, dum arsem in hominum conventu ostentat, Acrisium adverso fato intervenientem, impetu disci occidit: atque ita dati olim Acrisio responsi vocem ratam fecit: quem a certo fati eventu vendicare non potuit, vel in filiam, vel in nepotem excogitata crudelitas, Pausan. *Corinth.* p. 112. Perseum Larissam decertaturum venisse in certamine gymnico, quod Tentamias Larissæorum Rex defuncto patri edebat, scribit Apollod. *lib.* II. p. 51. β. Perseus ubi oraculum expletum animadvertit, Acrisium quidem extra urbem sepeliit, ipse vero pudore adeundæ hæreditatis illius, qui ipsius manu occubuerat, Tirynthem ad Megapenthem Prœti filium concessit, regnoque cum eo commutato, ipse Tirynthis, Megapenthes Argivorum, imperium suscepit, Apollod. *l.* II. p. 51. β. 52. α.

Megapenthes Prœti F. post mortem Acrisii, facta cum Perseo regni commutatione, Argis imperavit, Pausan. *Corinth.* p. 113. Megapenthis filius est Hipponus, Hipponi Capaneus, Capanei Sthenelus, apud Schol. Pindar. *Nem.* od. IX.

Argeus Megapenthis F. Pausan. *Corinth.* p. 116.

Anaxagoras Argei (Megapenthis Diodor. *lib.* IV. p. 271.) filius. Eo regnante is furor fœminas Argivas invasit, ut cum intra domesticos parietes contineri non possent, per totum agrum palantes vagarentur, Pausan. *Corinth.* p. 116. Ad eum furoris morbum compescendum Melampus Amythaonis filius e Pylo ab Argivis mercede conductus, regni dimidium mercedem depoposcit: recusantibus id Argivis, cum plures e mulieribus furore agitarentur, ita obtemperantes, quod Melampus poposcerat daturi reverterunt: tum ille eos immutatos cernens, plura poposcit, negans se facturum quod ii cuperent, nisi & fratri suo Bianti tertiam regni partem dedissent: Argivi vero in arctum redacti, hoc quoque annuerunt, Herod. *l.* IX. p. 599. Prœti filias in furorem actas & a Melampode sanatas scribit Apollod. *lib.* II. p. 45. β. seqq. Melampus ergo & Bias, eorumque posteri, Argivorum Regnum hoc modo consequuti fuerunt. Et Melampus ducta uxore Iphianira Megapenthis filia, Antiphaten, Manto, (*Mantium* vocat Pausanias) Blantem & Pronoen genuit: Antiphati e Zeuxippe Hippocoontis filia Oicles & Amphalces nati fuerunt: Oicli ex Hypermnestra Thespii filia Amphiaraus,

Diodor. *lib.* IV. p. 271. Amphiarai filii ex Euriphyle Talai filia fuerunt Alcmæon & Amphilochus, Apollod. *l.* III. p. 106. α. Biantis (fratris Melampodis) filii e Pero Nelei filia, fuerunt Talaus, Areius & Leodocus, expeditionis Colchicæ focii, Apollon. *Argon.* lib. I. v. 118. feqq. Talao e Lyfimache (*Lyfianaffa*, Paufan.) Biantis filia, Melampodis nepte, nati funt Adraftus, Parthenopæus, Pronax,

Anaxagoras.	Melampus Amythaonis f.
Alector.	Mantius Melampi f.
Iphis.	Oicles Mantii f.
Sthenelus.	Amphiaraus Oiclis f.
	Amphilochus Amphiarai f.

Talaum Abantis filium, Lyncei nepotem fuiffe fcribit Schol. Pindar. *Pyth.* od. VIII. epod. III.

Alector Anaxagoræ filius, pater Iphis & Capanei, Paufan. *Corinth.* p. 116. Pronax Talai filius e Lyfimache Polybi filia Rex Argivorum conftitutus fuit ab Amphiarao & Melampodidis & Anaxagoridis, is mortuus fuit; Adraftus vero ejus frater confugit Sicyonem. Menæchmus Sicyon: apud Schol. Pindar. *Nem.* od. IX. vide in *Sicyon. Polybus.*

Iphis Alectoris filius. Ad Adraftum (poftquam Sicyone Argos redierat) Argos profugit Polynices Oedipi filius, a Regni Thebani adminiftratione a fratre Eteocle exclufus. Quo tempore etiam Tydeus Oenei Calydonii F. Alcathoo & Lycopeo patruelibus interfectis, ex Ætolia Argos profugus venit. Adraftus utrumque benigne excepit, & juffu Oraculi filias, Argian Polynici, Tydeo Deipylen, in matrimonium locavit, pollicitus utrumque in fuam quemque patriam fe reducturum, Diodor. *lib.* IV. p. 267. tertiam filiam Ægialeam dedit uxorem Diomedi Tydei filio, Homer. *Iliad.* E. v. 412. vide Schol. min. Itaque comparato exercitu adverfus Thebas primum ire ftatuit, & fortiffimos quofque viros in eam militiam coegit. Amphiaraus vero Oiclis F. vates, quod omnes eo bello perituros præter Adraftum profpiciebat, & ipfe expeditionem detrectavit, & reliquos ab ea dehortatus fuit. Polynices vero, monente Iphi Alectoris F. monile, quod fecum Thebis exportarat (quod Minervam Harmoniæ dediffe fabulantur, Diodor.) Eriphylæ uxori Amphiarai dedit, ut virum ad ejus belli focietatem induceret. Cum autem inter Adraftum cohortantem & Amphiaraum dehortantem contentio effet, juravit Amphiaraus fe ftaturum eo, quod Eriphyle cenfuiffet: Eriphyle accepto monili corrupta expeditionem fufcipiendam fuafit. Tum Amphiaraus militare coactus, filiis, ut fimul ac per ætatem poffent, matrem occiderent, & armis Thebas oppugnarent, imperavit. Cæterum Adraftus collecto exercitu adverfus Thebas contendit. Belli duces feptem hi fuerunt, Adraftus Talai F. Amphiaraus Oiclis F. Capaneus Hipponi fil. Hippomedon Ariftomachi, vel, ut aliis placet, Talai fil. Argivi, Polynices Oedipi fil. Thebanus, Tydeus Oenei fil. Ætolus, & Parthenopæus Melanionis (& Atalantæ Schœneo genitæ) fil. Arcas. Alii Tydeum omittunt & Polynicem: Eteoclum vero Iphis F. & Meciſteum Adrafti fratrem inter feptem illos recenfent, Apollod. *lib.* III. p. 100. feqq. Diodor. *lib.* IV. p. 267. Conjurarunt autem ad Jovis Τερίε aram, fe mortem omnino oppetituros, nifi Thebas exfcinderent, Paufan. *Corinth.* p. 119. In Nemeam profecti, ludos illic Nemeos inftituerunt: vide fuo loco. Ubi ad Cithæronem pervenerunt, Tydeum miferunt, quæfiturum ab Eteocle, an regno, ficut convenerat, Polynici ceffurus effet. Negante eo, Tydeus periculum de Thebanis facturus, fingulos provocatos, omnes vicit, Thebani vero armatos L. viros adverfus eum redeuntem in infidiis collocarunt, quos ille omnes præter Mæonem occidit. Deinde Meciſteus, Ariftomachus & Eriphyle, quæ nupfit Amphiarao: Parthenopæi filius fuit Promachus; Meciftei Euryalus; Pronactis Lycurgus: Adrafto ex Amphithea Pronai filia nati funt Ægialeus, Cyanippus, Argia, Deipyle, Ægialea, Apollod. *lib.* I. p. 26. β. Ægialei filius fuit Cyanippus, Paufan. *Corinth.* p. 116. Regum horum fucceffio talis en apud eundem *loc. cit.*

Bias Amythaonis f.
Talaus Biantis f.
Adraftus Talai f.
Ægialeus Adrafti f.
Cyanippus Ægialei f.

ad Thebas exercitum admoverunt Argivi: ϗ πυλῶν ἑπτὰ ὄντων, Ἄδραστος μὲν ἐπὶ τὰς Ὁμολωΐδας ἔστη. Καπανεὺς ᾗ παρὰ τὰς Ὠγυγίας. Ἀμφιάραος ᾗ παρὰ τὰς Προιτίδας. Ἱππομέδων ᾗ παρὰ τὰς Ὀγκαΐδας. Πολυνείκης ᾗ παρὰ τὰς Ὑψίστας. Παρθενοπαῖος ᾗ παρὰ τὰς Ἠλέκτρας. Τυδεὺς ᾗ παρὰ τὰς Κρηνίδας, Apollod. *lib.* III. p. 102. β. 103. α. At Æfchylus *Septem* v. 330. Tydeum πύλαισι Προιτίσι apponit, oppofito Aftaci filio, & Capaneum Ἠλέκτραισιν, oppofito Polyphonte v. 375. & Eteoclum Νηΐτισιν, oppofito Megareo Creontis fil. v. 410. & Hippomedontem Ὄγκας Ἀθάνας, oppofito Hyperbio Oenopis fil. v. 438. & Parthenopæum Arcadem Βορέαισιν, oppofito Actore Arcade, v. 478. & Amphiaraum Ὁμολωΐσιν, oppofito Lafthene, v. 520. & Polynicen Ἑβδόμαις, oppofito Eteocle, v. 583. Ibi Eteocles & Polynices mutuis vulneribus occubuerunt. Capaneus, dum fcalis muro admotis, vi tranfcendere conatur, periit. Amphiaraus terra dehifcente cum curru a voragine abforptus fuit: Sic alii quoque duces, præter Adraftum, occubuerunt, magnaque militum ftrages facta fuit, Diodor. *lib.* IV. p. 268. De Amphiarao vide & Pindar. *Nem.* od. IX. δωδεκ. ε. Argis Polynicis & omnium eorum ducum, qui cum illo fub Thebarum muris pugnantes ceciderunt, ftatuæ fuerunt pofitæ: plures autem quam feptem ii fuerunt, cum e primariis Argivorum viris & e Meffene atque Arcadiæ parte plures in ejus belli focietatem venerint, Paufan. *Corinth.* p. 120. De Amphiarai Oraculo vide in *Oropiis*. Adraftum equus Arion periculo exemit, Apollod. *lib.* III. p. 105. Thebaidis auctor:

Εἵματα λυγρὰ φέρων σὺν Ἀρίονι κυανοχαίτῃ.

Fuerat hic primum Onci, deinde Herculis, a quo eum Adraftus accepit. Antimachus:

Ὅς ῥά ποτ᾽ Ἀδράστῳ τριτάτῳ γ᾽ ἐδμήθ᾽ ὑπ᾽ ἄνακτι.

De utroque Adrafti equo, Cæro & Arione Antimachus:

Ἄδραστος Ταλαοῦ υἱὸς Κρηθηϊάδας
Πρώτιστος Δαναῶν περ ἐπαινετὼ ἤλασεν ἵππω,
Καῖρόν τε κραιπνὸν, ϗ Ἀρίονα Θελπουσαῖον,
Τόν ῥά τ᾽ Ἀπόλλωνος σχεδὸν ἄλσεος Ὀγκαίοιο
Αὐτὴ γαῖ᾽ ἀνέδωκε σέβας θνητοῖσιν ἰδέσθαι.

Cum ad fepulturam Argivorum cadavera tolli vetaret Creon, Adraftus Athenas profectus, ad aram Mifericordiæ confugit, fupplexque ea tumulandi poteftatem petiit: Athenienfes vero cum Thefeo armis Thebanos adegerunt ad tradenda cadavera: Tum in Capanei rogum uxor Euadne Iphiclis filia fe conjecit, nec cum viro cremari dubitavit, Apollod. *lib.* III. p. 105. β. Tydeum Argivum regnum, poft Adraftum tenuiffe fcribit Theocritus Ἡρακλίσκῳ v. 128. feq.

Ὁππόκα κλᾶρον ἅπαντα ϗ οἰνόπεδον μέγα Τυδεὺς
Ναῖε, παρ᾽ Ἀδρήστοιο λαβὼν ἱππήλατον Ἄργος.

Sed fallitur, quia Tydeus ad Thebas occubuit, fuperftite Adrafto.

Sthenelus Capanei F. Alectoris nepos, Pauſan. *Corinth.* p. 119. Decimo poſt cæſos ad Thebas Argivos anno, cæſorum ducum filii, qui Επίγονοι dicuntur, parentum cædes ulturi, arma Thebanis inferre decreverunt. Conſulentibus vero de belli exitu, Numen victoriam promiſit, ſi Alcmæonem ducem conſtituerent. Alcmæon imperium ante ſuſcipere noluit, quam matrem ultus eſſet; ſed nihilominus in bellum id conceſſit: nam Eriphyle accepto a Polynice monili & Peplo a Therſandro Polynicis F. etiam filios ad hujus belli ſocietatem induxit, Apollod. *lib.* III. p. 105. *β.* Alcmæon igitur dux belli conſtitutus non tantum ex urbe Argivorum militem ſcripſit, ſed validas quoque e viciniis oppidis copias contraxit, Diodor. *l.* IV. p. 268. Satis conſtat eorum ſigna ſequutos, non tantum Argivos, Meſſenios, Arcadas; ſed & in auxilium accitos Corinthios & Megarenſes, Pauſan. *Bœot.* p. 556. Expeditionis principes fuerunt Alcmæon & Amphilochus Amphiarai filii, Ægialeus Adraſti F. Diomedes Tydei F. Promachus Parthenopæi F. Sthenelus Capanei F. Therſander Polynicis F. Eurypylus (Euryalus Pauſan.) Meciſtei F. Apollod. *l.* III. p. 106. Polydorus Hippomedontis F. Adraſtus & Timeas Polynicis FF. quoque recenſentur a Pauſania, eorumque ſtatuæ prope parentum ſitæ fuiſſe dicuntur, ab eodem *Corinth.* p. 121. 122. Novem Epigonos recenſet Euſtathius *in Iliad.* Δ. eoſdem fere cum Apollodoro: niſi quod Parthenopæi filium vocat Stratolaum: & pro uno Eurypylo ponit duos, Polydorum Hippomedontis filium & Melonem Eteocli F. Si fides habenda Pindaro, etiam ipſe Adraſtus huic expeditioni interfuit: nam Amphiaraum ita loquentem introducit *Pyth.* od. VIII. artiſtr. III.

Ο' δ' καμὼν προτέρᾳ πάθᾳ
Νῦν ἀρείονος ἐν-
ἔχεται ὄρνιχος ἀγγελίᾳ
Αδραςος ἥρως. Τὸ
Δὲ οἴκοθεν ἀντία πράξει.
Μῦνος γὰρ ἐκ Δαναῶν
Σ'ρατῦ, θανόντος ὀςέα λέξαις
Υἱῦ, τύχᾳ Θεῶν ἀφίξεται,
Λεῷ σὺν ἀβλαβεῖ,
Αβαντος εὐρυχώρυς ἀγυιάς.

Vide Schol. Epigonis, motis ad Thebas caſtris, Thebani aciem oppoſuerunt, commiſſaque acri pugna, Epigonorum fuit victoria: qui, profugientibus Cadmeis, urbem captam diripuerunt, & re præclare geſta, multis onuſti ſpoliis in patriam reverterunt, Diodor. *l.* IV. p. 268. 269. Ægialeus tamen Adraſti F. in eo bello a Laodamante cæſus occubuit, Apollod. *l.* III. p. 106. Ægialeum ajunt in primo conflictu occiſum, & a propinquis ſublatum, Pagas in Megaricum agrum deportatum, ubi ejus monumentum Ægialeum appellatum ſit, Pauſ. *Attic.* p. 83. Adraſtum quoque apud ſe mortuum Megarenſes tradunt, dum exercituum a Thebarum expugnatione domum reduceret: mortis vero ei cauſam fuiſſe ſenectutem & animi mœrorem ob Ægialei filii interitum, *ibidem.* Ab Epigonis, quo tempore Thebas expugnarunt, Cabiræos e ſuis ſedibus ejectos ſcribit Pauſan. *Bœot.* p. 579. Alcmæon porro matrem Eriphylen, quod eam munera accepiſſe reſciviſſet, accepto ab Apolline reſponſo, necavit: inde furiis agitatus Pſophidem Arcadiæ ad Phegeum conceſſit, Apollod. *l.* III. p. 106. *β.* ſeq. vide in *Pſophidiis.* Diomedes poſt confectum Epigonorum bellum, aſſumpto Alcmæone Oenei ſui avi injurias ultus fuit: vide in *Calydoniis.* Interim dum Diomedes & Alcmæon abſunt, Agamemnon Argivos adortus, facile victoriam obtinuit, pleriſque cum Diomede ad militiam profectis. Paulo poſt cum expeditio ad Ilium incidiſſet, veritus Agamemnon fuit ne ipſo abſente Diomedes & Alcmæon cum ſociis reverſus, (quos ſecum magnas habere copias audierat) occuparent debitam ſibi ditionem, cum Diomedes Adraſti, (Diomedem Cyanippi Ægialei F. Adraſti nepotis tutorem fuiſſe ſcribit Pauſan.) Alcmæon Amphiarai hæres eſſet; hæc itaque ſecum reputans Agamemnon, eos ad recipiendum Argos & belli ſocietatem vocavit. Sed Alcmæon indignabundus rem ſprevit, Ephorus apud Strab. *l.* X. p. 462. Diomedes vero, & Sthenelus Capanei F. & Euryalus Meciſtei F. Talai nepos, ex Argivis familiis regnatricibus ſocii Agamemnonis fuerunt in expeditione Trojana. Homer. *Iliad.* B. v. 559. ſeqq.

Οἱ δ' Αργος τ' εἶχον Τίρυνθά τε τειχιόεσσαν,
Ερμιόνην, &c.
Συμπάντων δ' ἡγεῖτο βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης.

Conjurarunt vero Argivi ad Trojam ituri ad ſignum Jovis Μηχανέως, non ante ſe ab eo bello diſceſſuros, quam aut Ilium expugnaſſent, aut in pugna mortem obiiſſent, Pauſan. *Corinth.* p. 124. 125. 143. e Lycea. Sthenelo in diviſione ſpoliorum Iliacorum obtigit ligneum Jovis Hercei ſignum, oculos habens duos, qua in parte homini eos natura locavit, tertium vero in fronte: id in Priami Laomedontis F. regia ſub dio poſitum fuerat, ad cujus aram Priamus Ilio capto confugerat: Sthenelus vero Argis in æde Minervæ id collocavit, Pauſ. *Corinth.* p. 129. Græcis ab expugnatione Ilii redeuntibus, ad Caphareum fractis navibus, Argivi, qui e naufragio terram prenſare potuerunt, frigore prope & fame conſumpti, precati dicuntur, ut aliquis Deus ſe in tantis rerum difficultatibus ſervaret. Cum itaque procederent, ſpecum Bacchi animadverterunt, & Dei in eo ſignum. In eum vero ſpecum multæ ſylveſtres capræ frigus fugientes ſe gregatim immiſerant: quibus Argivi mactatis, carnibus famem, pellibus frigus repulerunt: deinde cum hyems remiſiſſet, reparatis navibus in patriam revecti, ſignum quod tunc e ſpecu aſportarant poſtea religioſe coluerunt, Pauſan. *Corinth.* p. 126. Ariſtotelis in Sthenelum & Euryalum Epitaphium exſtat:

Αργεῖος Σθένελος Καπανήϊος ὧδε τέθαπται
Τύμβῳ, καὶ τούτου πλησίον Εὐρύαλος.

Diomedes ex Ilio Palladium abſtuliſſe fertur; ſed cum Argos rediret, & per noctem viæ errore ad Phalerum delatus, cum Argivis, qui cum eo erant, in agrum tanquam hoſtilem excurreret, aliam quam Atticam terram inter tenebras eſſe ratus, a Demophonte repulſus, interfectis aliquot, Palladium amiſiſſe, Pauſ. *Attic.* p. 39. & 53. Diomedes Apollini Επιβατηρίῳ delubrum dedicavit, cum tempeſtatem effugiſſet, quæ Ilio redeuntibus Græcis immiſſa fuit, ſed & ludos Pythicos in honorem Apollinis primus inſtituiſſe fertur, Pauſ. *Corinth.* p. 146. Minervæ, quæ Οξυδερκὴς dicitur, templum dicavit, quod pugnanti ad Ilium caliginem ea ab oculis ipſius amoviſſet, Pauſan. *Corinth.* p. 128. Hippolyto Theſei F. lucum & templum & ſimulachrum dedicavit, eique primus omnium rem divinam fecit, Pauſan. *Corinth.* p. 145. Diomedis opera in Italia ſunt urbes Canuſium, Arpi, Sipontium; ſed & ab eo nomen acceperunt Inſulæ Diomedeæ. Eum vero quidam ajunt ex Italia domum revocatum fuiſſe, & ibi mortuum; alii eum in Daunia manſiſſe, ibique extremam vitæ diem clauſiſſe; alii in Inſula Diomedea evanuiſſe; alii apud Venetos eum mortalem eſſe deſiiſſe & in Deorum numerum relatum fuiſſe memorant, Strabo *lib.* VI. p. 284. Ariſtotelis in Diomedem exſtat Epitaphium:

Αἰνητὸν πάντεσσιν ἐπιχθονίοις Διομήδη
Ἡδ' ἱερὰ κατέχει νῆσος ὁμώνυμιη.

Memoriæ proditum est Diomedi apud Venetos quosdam honores decretos fuisse: nam & æquus albus ei immolabatur, & duo ostendebantur luci, Junonis Argivæ unus, alter Dianæ Ætolicæ, Strabo *lib.* V. p. 215. Diomedes Oeneum avum suum Ætoliæ regno pulsum ab Agrii filiis, ad se Argos confugientem suscepit: ductoque in Calydoniam exercitu, Oenei quidem injurias ultus fuit, negavit tamen se illic permanere posse: avum itaque hortatus fuit ut se Argos sequeretur; obsequenti cum alios honores habuit, tum vero vicum eum, in quo e vita excessit, Oenoen vocavit, Pausan. *Corinth.* p. 130.

Cylarabes Stheneli fil. Is & Cyanippus Ægialei filius sine liberis decesserunt. Amphilochus in Amphilochos migravit. Alcmæon jam diu ante in Acarnaniam concesserat. Diomedes in Italiam commigrarat: vide suis locis. Ita in istis regnatricibus domibus nemo Argis erat, qui imperium susciperet.

Orestes Agamemnonis fil. paterno regno ejectus, cum in proximis locis exsularet, Argis & regno Rege vacuo potitus fuit, Pausanias *Corinth.* p. 116. 117.

Tisamenus Orestis F. ex Hermione Menelai filia. Eo regnante Heraclidæ cum Doriensibus in Peloponnesum redierunt: ab iis Tisamenus regno pulsus, cum filiis suis & copiis in eam Græciæ partem, quæ tum Achaia dicta fuit, concessit, Pausan *Corinth.* p. 117. vide in *Achæis.* Heraclidæ compererunt, Argos ob propinquitatem suum esse: mortuo enim Eurystheo, solos Persidarum superstites esse, Isocrat. *Archidam.* Ἐν μέσῳ τῷ νῦν Ἡρακλεῖδαι dicuntur Argivi: πρὸ δὲ Ἡρακλέης Περσίδαι. Πρὸ Περσέως δὲ Λυγκείδαι καὶ Δαναΐδαι. Πρὸ δὲ Δαναῦ Ἀργειάδαι καὶ Φορωνίδαι, Stephanus.

Temenus Aristomachi F. Cleodæi nepos, Hylli pronepos, Herculis abnepos, pulso Tisameno, regno Argivo potitus fuit: vide in *Dorienf. metrop* Primum vero vicum, qui ab eo Temenius appellatus fuit, occupatum munivit, unde tanquam e castello ad pugnam contra Tisamenum & Achæos exibat, Pausan. *Corinth.* p. 156. Temeni filii fuerunt, Cisus, Cerynes, Phalces, Agræus, & filia Hyrnetho, quæ Deiphonti Antimachi filio nupsit: cumque Temenus, suis ipsius filiis præteritis, Deiphonte genero, cum duce in præliis, tum consiliario in omnibus rebus expediendis aperte uteretur, ac Hyrnetho filiæ plus multo quam cæteris liberis studeret, in suspicionem venit, ne in generum ac filiam regnum transferret: quare eum insidiis (per Titanas mercede conductos, Apollod. *lib.* II. p. 85. *a.*) de medio filii sustulerunt, Pausan. *Corinth.* p. 118. Temenium appellatur, ubi sepultus fuit Temenus, Strabo *l.* VIII. p. 368. *Τημένιον χωρίον Μεσσήνης* (imo vero Ἄργους) *ἐν ᾧ τέθαπται Τήμενος*, Stephanus.

Cisus Temeni fil. natu maximus Argis regnum tenuit; sed Temeno mortuo Deiphontes & Hyrnetho, qui Temeni liberos oderant, cum aliis Argivis, qui his multo plus studebant, quam Ciso & fratribus, desciverunt a reliquis Argivis, & terram Epidauriam occuparunt, Pausan. *Corinth.* p. 132 vide in *Epidauriis.* Cisi filius Althamenes coloniæ in Cretam ductæ dux fuit, Strabo *l.* X. p. 481.

Medon Cisi filius. Sed Cisi liberis ac posteris nihil aliud omnino quam regni nomen reliquerunt Argivi: adeo Regiam potestatem in ordinem coegerunt: quippe jam tum ab initio libertatis & æquabilis juris studiosissimi fuerant, Pausan. *Corinth.* p. 118.

Lacydes (Pausan. Lacidaus Medonis filius) Rex Argivorum notatus fuit ceu mollis & effœminatus ob comam compositiorem & delicatiorem incessum, Plutarch. *Quomodo quis ab inimicis*, p. 54. B.

Meltam Lacidai fil. Medonis nepotem damnatum populus Argivus regno spoliavit, Pausan. *Corinth.* p. 118.

Argivis Lacedæmonii regnante Labota primum bellum indixerunt. Belli causa fuit, quod Argivi Cynurensem agrum, quem armis Lacedæmonii cepissent, invaserant, quodque finitimos socios suos ad defectionem sollicitarant, Pausan. *Lacon.* p. 160. 161.

Phidon Argivus decimus ab Hercule (frater ejus Caranus *ἕβδομος ἀπὸ Τημένου, ἑνδέκατος ἀπὸ Ἡρακλέους* Eusebio: decimus sextus ab Hercule Vellejo Paterculo dicitur) omnibus suæ tempestatis Principibus potentia præstitit, unde totam Temeni successionem in plures divulsam partes ad se recepit, Strabo *lib.* VIII. p. 358. Aristodamidæ filius, Acoi nepos, Thestii pronepos, Maronis abnepos, Cisi atnepos fuit. Is præter alia facinora, adortus etiam fuit urbes, quas quondam Hercules ceperat: sibique hoc vendicavit, ut ea ipse certamina procuraret, quæ ab Hercule fuerant instituta, inter quæ etiam Olympicum fuit: & quidem in Olympiam profectus obtinuit, ut ipse certamini isti præesset, cum neque Eleis arma ad propulsandum essent in diuturna versatis pace, neque aliis, quos ille sua potentia oppresserat, Strabo *l.* VIII. p. 358. Ita Olymp. VIII. 1. submotis Eleorum agonothetis, ipse *τὸν ἐν Ὀλυμπίῃ ἀγῶνα ἔθηκε*, Herod. *l.* VI. p. 429. Phidon Peloponnesiorum principatum affectans, Argivorumque urbem, suam patriam reliquis imperare cupiens, primis Corinthiis insidiatus fuit. Missis enim nunciis ab iis mille juvenes postulavit, ætate ac robore excellentes. Corinthii mille miserunt, constituto imperatore eorum Dexandro. Phidon vero cum in animo haberet hos invadere, ut Corinthum infirmiorem haberet, urbeque potiretur (hoc enim opportunissimum propugnaculum fore totius Peloponnesi) cum quibusdam sociis negotium communicavit, inter quos etiam Abron erat. Hic vero, cum hospes Dexandri esset, ei insidias detexit: atque sic Phliasii ante insidias Corinthum salvi pervenerunt. Phidon vero eum, qui rem prodiderat, magna cura perquisivit. Meruens itaque sibi Abron Corinthum fugit, Plutarch. *Amator.* β. Olymp. XXIII. Argivi Asinen solo æquarunt, & agrum suis finibus adjecerunt, Pausan. *Corinth.* p. 154. & Lacedæmonios ad Hysias vicerunt, Pausan. *Corinth.* p. 129. Olymp. XXVII. 4. Mensuras & pondera Phidon Argivus invenit, Plinius *l.* VII. c. 56. *Φείδωνος τοῦ Ἀργείων τυράννου, τοῦ τὰ μέτρα ποιήσαντος Πελοποννησίοισι, καὶ ὑβρίσαντος μέγιστα δὴ Ἑλλήνων ἁπάντων*, Herod *l* VI. p. 429. *μέτρα ἐξεῦρε τὰ Φειδώνεια καλούμενα καὶ σταθμούς*, Strabo *l.* VIII. p. 358. Sed Eusebius ait, *ἦσαν δὲ καὶ πρὸ τούτου*: hinc Gellius inventionem Palamedi tribuit apue Plinium *l.* VII. c. LVIII. *Εἴτε Φείδων πρῶτος ὁ Ἀργεῖος ἔκοψε νόμισμα: εἴτε Δημοδίκη ἡ Κυμαία συνοικήσασα: εἴτε Ἀθηναίοις Ἐριχθόνιος καὶ Λύκιος: εἴτε Λυδοί, κατά φησι Ξενοφάνης: εἴτε Νάξιοι, κατὰ τὴν Ἀγλωσθένους δόξαν*, Pollux *l.* IX. col. 486. 36. *Φείδων τις Κορίνθιος ἀνὴρ εὗρε μέτρα καὶ σταθμία*, Schol. Pindar. *Olymp.* od. XIII. p. 112. β. Sed Phidonem Argivum omnes vocant. *Φείδων ὁ πρῶτος κόψας Κορινθίοις τὸ μέτρον, Ἀργεῖος ὤν*, Schol. Pindar. *Olymp.* od. XIII. p. 113. β. (Fuit tamen & quidam Phidon Corinthius, quem legislatorem antiquum vocat Aristoteles lib. II. *Polit.* §. 6.)

A Idem Phidon nomiſmata primus cudit: ἐξεῦρε νόμισμα κεχαραγμένον, τό, τε ἄλλο, καὶ τὸ ἀργυροῦν, Strabo *l.* VIII. p. 358. vocatumque fuit Εὐβοϊκὸν νόμισμα, ἐπειδὴ Φείδων ὁ Αργείων βασιλεὺς ἐν Εὐβοίᾳ χωρίῳ τῆς Αργείας, ſic dicto ab Eubœa Junonis nutrice, πρῶτος ἔκοψε χρυσοῦν νόμισμα, Etymolog. Magn. in Εὐβοϊκὸν νόμισμα. Πάντων πρῶτος Φείδων Αργεῖος νόμισμα ἔκοψεν ἐν Αἰγίνῃ, καὶ δοὺς τὸ νόμισμα ἀναλαβὼν τοὺς ὀβελίσκους ἀνέθηκε τῇ ἐν Αργει Ηρα, Etymol. Magn. in Οβελίσκος. Inde Æginetis tribuit Ælianus: Αἰγινῆται, inquit, πρῶτοι νόμισμα ἐκόψαντο, καὶ ἐξ αὐτῶν ἐκλήθη νόμισμα Αἰγιναῖον, *Var.* lib. XII. c. X. Εφορος δ' ἐν Αἰγίνῃ ἄργυρον πρῶτον κοπῆναί φησιν ὑπὸ Φείδωνος, Strabo *l.* VIII. p. 376. B Phidon fratri Carano imperium ſibi aliquod quærenti copias & auxilia ſubminiſtravit: quibus ille ſubnixus regnum Macedonicum condidit, Euſeb. *Chron.* lib. I. p. 37. Spartani, quibus Phidon Peloponneſi priſtinum principatum ademerat, & Elei ſimul Phidonem everterunt, Eleique Piſatin ac Triphyliam recuperarunt, Strabo *l.* VIII. p. 358. Phidonis filius Leocides unus erat procorum Agariſtiæ Cliſthenis Sicyonii filii, Herodot. *l.* VI. p. 429.

Laphaem Argivum, cum tyrannidem arripuiſſet, populus Argivus, impetu facto, de dominatu dejecit, cumque ad Lacedæmonios confugiſſet, C conati ſunt illi quidem eum in priſtinam tyrannidem reducere; ſed Argivi prælio victos rejecerunt, multoſque Lacedæmonios, ac ipſum imprimis Laphaem interemerunt, & de eo lapidem tropæum erexerunt, Pauſan. *Corinth.* pag. 124.

Argivis & Lacedæmoniis contentio incidit de agro Thyreatico: quem locum etſi terræ Argolicæ partem, tamen Lacedæmonii interceptum tenebant: etenim Argivorum eſt, quicquid regionis Malea tenus ad occaſum vergit in continente, & inſulæ tum aliæ, tum vero Cythera. Quum ergo Argivi ſuis terris interceptis auxilium ferrent, ibi ab utriſque in colloquium ventum fuit, ut trecenteni utrinque dimicarent, & utri ſuperiores exſtitiſſent, eorum regio foret, & ambo exercitus domum redirent, nec adeſſent dum certaretur: eam ob cauſam, ne ſi præſentes eſſent, parti ſuccumbenti ſui opem ferrent. Exercitibus digreſſis ex pacto, delecti ex utriſque viri conflixerunt: adeoque æquo marte pugnarunt, ut e ſexcentis tres omnino ſupereſſent, atque id quidem noctis beneficio, ex Argivis duo Alcinor & Chromius, qui tanquam victores Argos curſu contenderunt; e Lacedæmoniis unus Othryades, qui ſpoliatis Argivorum cadaveribus, arma eorum in ſuorum caſtra retulit, ſeque in ſuo ordine tenuit. Poſtero die utrique re cognita, adfuerunt, ſibique victoriam aſſeruerunt: Argivi quidem, quod e ſuis plures ſuperfuiſſent; Lacedæmonii vero, quod qui eorum ſuperfuerant, fugiſſent, ſuus autem perſtitiſſet, & cæſorum cadavera ſpoliaſſet. Contentio eo erupit, ut concurſu facto pugnarent. Permultis vero utrinque cadentibus, tandem vicere Lacedæmonii. Ex quo tempore Argivi capita tondere cœperunt, cum antea neceſſario criniti eſſent, legemque tulerunt, devoventes ſeſe, ne prius comam alerent, neve fœminæ aurum geſtarent, quam Thyreas recuperaſſent. Lacedæmonii contra legem ſanxerunt, ut ipſi in poſterum comati eſſent, cum antea tondere capita moris fuiſſet, Herod. *lib.* I. p. 37. 38. Amphictyonum decreto id certamen initum, & ab iiſdem ſecundum Lacedæmonios judicatum fuiſſe ſcribit Plutarch *Parall.* III. p. 231. Delectis illis, eodem quo occubuerunt loco, tumuli congeſti fuerunt: Lacedæmonii vero poſtea Æginetis ex inſula ab Athenienſibus ejectis Thyreatem agrum tradiderunt: Argivi tamen eum diſceptatione & judicio, ut ajebant, receptum, poſtea coluerunt, Pauſan. *Corinth.* p. 157.

Perilaus, Alcenoris fil. renunciatus victor in Nemeis, Tyrannidem invaſit. Quo tempore, inter cætera facinora quæ edidit crudeliſſima, evertit ſubterraneum ædificium, in quo thalamus æreus fuit, quem ad filiæ cuſtodiam fecerat Acriſius, Pauſan.

Archinus præfectus fuit ab Argivis, armis fabricandis: cumque novis inter cives diſtributis, veteribus mercenarios, inquilinos, infames & egenos armaſſet, Tyrannidem ſibi vendicavit, Polyænus *lib.* III.

Argivi Piſiſtratum Athenis ejectum in recuperanda Tyrannide juverunt, mercede ab eo conducti, Herod. *l.* I. p. 26.

Argivis bellum Lacedæmonii intulerunt, duce Cleomene Rege, Anaxandridæ filio: Argivi cognito Cleomenem copias in agrum Tirynthium & Nauplium deduxiſſe, ipſi ad arcendum hoſtem ad mare contenderunt: cumque Tirynthem veniſſent, in loco, cui Sepia nomen erat, non magna intercapedine inter duas acies relicta conſederunt e regione Lacedæmoniorum, neque vero pugnam illic ex aperto reformidabant, ſed ne dolo caperentur: nam ad hanc rem attinebat Oraculum, quod Pythia iis atque Mileſiis communiter ediderat, in hæc verba:

> Ἀλλ' ὅταν ἡ θήλεια τὸν ἄρσενα νικήσασα
> Εξελάσῃ, καὶ κῦδος ἐν Αργείοισιν ἄρηται,
> Πολλὰς Αργείων ἀμφιδρυφέας τότε θήσει.
> Ως ποτέ τις ἐρέει καὶ ἐπεσσομένων ἀνθρώπων,
> Δεινὸς ὄφις τριέλικτος ἀπώλετο δουρὶ δαμασθείς.

Hæc omnia Argivis, cum contigiſſent, metum incutiebant: ideoque iis viſum eſt præcone hoſtium eſſe utendum, ita ut quoties præco Lacedæmonius quicquam Lacedæmoniis ediceret, idem ipſi facerent. Sed Cleomenes hoc Argivorum conſilio cognito, juſſit ſuos, cum præco prandendum denunciaret, raptis armis in Argivos tendere. D Ita juſſu Cleomenis Lacedæmonii in Argivos e præconis voce prandentes impetum fecerunt, eorumque multos trucidarunt: reliquos in Argi lucum fuga elapſos circumſederunt. At Cleomenes, cum Argivorum, qui in luco eſſent, nomina a perfugis, quos ſecum habebat, didiciſſet, eos per Præconem, ſuo quemque nomine, evocavit ad ſeſe redimendos: (erat vero apud Lacedæmonios redemptionis in viros ſingulos pretium binæ minæ) ſed ut quiſque evocatus fuit, ita a Cleomene trucidabatur, perierunt; ita quinquaginta, cæteris, qui in fano erant, inſciis: E quippe cum lucus denſus interjectus eſſet, cernere non poterant, quid extra illum ageretur: tandem quidam, conſcenſa arbore, rem animadvertit, unde nemo evocatus amplius prodibat. Tum Cleomenes ſervos lucum materia circumdare juſſit, illiſque obtemperantibus lucum incendit, Herodot. *l.* VI. p. 409. 410. Ita Cleomenes conſumpta Argivorum militari ætate & robore, ad Argos oppugnandum confeſtim copias Lacedæmoniorum duxit. Ibi Teleſilla illuſtris fœmina Poetria ad murorum præſidia ſervitiis & iis omnibus, qui per ætatem arma ferre non poſſent, amandatis, armis, F quæ reliqua belli fortuna fecerat, e domibus & templis refixis, omnes, quæ integra ætate erant, fœminas armavit, eaſque ibi collocavit, qua Lacedæmonios acceſſuros noverat: neque vero illæ hoſte appropinquante exterritæ fuerunt, ſed fortiter & præſenti animo pugnantes, hoſtis impreſſionem ſuſtinuerunt. Et Lacedæmonii cum cogitare cœpiſſent, ſi fœminas violaſſent, invidioſam fore eam victoriam; ſin victi eſſent, ſe turpiſſime diſceſſuros, omnem ab illis vim belli abſtinuerunt: atque hoc quidem facinus multo ante vox oraculi Delphici prædixerat. Cæterum Argos ita viris deſo-

latum fuit, ut servi Reipubl. suscepta administratione magistratus gesserint, donec cæsorum filii ad puberem ætatem pervenissent; qui sese in suum jus asserentes, ac Argos reversi, mancipia expulerunt. At servi ejecti, armis Tirynthem occuparunt, fuitque inter eos mutua benevolentia, donec vates quidam Cleander, genere Phigaseus ex Arcadia, servis persuaderet, ut dominos invaderent: inde diuturnum inter eos exortum bellum, quo tandem Argivi ægre victores evaserunt, Herodot. *lib.* VI. p. 411.

Argivi ab Æginetis de auxiliis contra Athenienses sollicitati, publice illa mittere recusarunt, quod naves Ægineticæ cum Cleomene Argolidem invasissent; voluntariorum tamen circiter mille, duce Eurybate, qui pentathlum exercuerat, in Æginam descenderunt, quorum plerique in Ægina ab Atheniensibus cæsi occubuerunt. Ipse Eurybates tribus singularibus certaminibus victor, quarto victus a Sophone Decelei fil. periit, Herodot. *l.* VI. p. 415. 416.

Argivos Xerxem Persam in Græciam accivisse fama fuit, postquam cum Lacedæmoniis male pugnarant, præ præsenti dolore quidvis exoptantes, Herodot. *l.* VII. p. 493. Et Xerxes, antequam arma Græciæ inferret, Caduceatorem per Græciam misisse fertur, qui cum Argos pervenisset, hæc verba fecerit: *Viri Argivi, Rex Xerxes hæc vobis dici jubet: Nos arbitramur Persen, generis nostri auctorem, filium Persei, Danae nati, fuisse, ex Andromeda genitum, quæ Cephei filia fuit: itaque nefas est, nos progenitoribus nostris bellum inferre, vos vero, aliis opem ferendo, nobis hostes fieri, quos domi vestræ confidentes otium tenere æquum est: nam si mihi res ex animi sententia successerint, vos mihi præ aliis in honore eritis.* Hæc cum Argivi audissent, rem confecisse dicuntur: & initio quidem dissimulantes, nihil a Græcis postularunt; sed cum ab illis vitio ipsis id verteretur, tum vero imperii partem poposcerunt, gnari id Lacedæmonios non concessuros, ut hoc prætextu ab armis abstinerent, Herodot. *l.* VII. p. 492. Missis vero nunciis Argos a reliquis Græcis, qui armorum contra Persam societatem inierant, ut Argivi quoque se conjungerent, Argivi responderunt, res suas ita se habuisse: cum jam inde ab initio Barbari adversus Græciam conatus intellexissent, & fore animadvertissent, ut & ipsi a reliquis Græcis in belli societatem adversus Persam assumerentur, Delphos se misisse, qui Deum consulerent, quid opus facto esset: (nuper enim sex suorum millia a Lacedæmoniis & Cleomene interempta fuisse, eamque ob causam Delphos missos fuisse consultores) Pythiam vero rogantibus sic respondisse:

Ἐχθρὲ περικτιόνεσσι, φίλ' ἀθανάτοισι θεοῖσι,
Εἴσω τὸ προβόλαιον ἔχων πεφυλαγμένος ἧσο,
Καὶ κεφαλὴν πεφύλαξο. κάρη δὲ τὸ σῶμα σαώσει.

Sed quamvis dissuaderet Oraculum societatem cum Græcis contrahere, Argivi tamen se paratos esse ajebant in triginta annos pacem ac fœdus cum Lacedæmoniis sancire; sed ea conditione, ut dimidium imperii penes Argivos esset; se enim dimidio contentos fore, quanquam jus imperandi suum esset. Properarunt vero Argivi in annorum triginta fœdus descendere, etsi Oraculum formidabant, ut intra eos annos ipsorum liberi in ætatem virilem adolescerent, ne si qua calamitas in bello Persico ad superiorem accederet, nisi fœdera forent, in posterum Lacedæmoniis subjecti essent. Hæc cum Argivus Senatus dixisset, e Spartanis Legatis unus respondit, quod ad fœdera attineret, se ad eos, qui plures essent, relegare; quod autem ad imperium; id vero sibi demandatum esse ut responderent, Spartanis duos esse Reges, Argivis unum: ideoque fieri non posse, ut alterutri Spartæ abrogaretur imperium: & nihil obstare, quo minus parem cum iis duobus Argivus Rex dignitatem obtineret. Ibi Argivi negare se insolentiam perpessuros, sed malle sibi a Barbaro imperari, quam Lacedæmoniis cedere. Atque ita Legatis edixerunt, ut antequam Sol occideret, ex Argivo agro excederent, alias hostium eos loco futuros, Herod. *l.* VII. p. 491. 492. Argivi ubi audiverunt copias cum Pausania Sparta egressas, præconem, quem e diurnis cursoribus expeditissimum norant, in Atticam ad Mardonium miserunt, qui ante receperant se impedituros, ne Lacedæmonii exercitum emitterent, Herodot. *l.* IX. p. 588.

Olymp. LXXVIII. 1. Argivi Mycenas exciderunt: vide in *Mycenæis*: cumque jam tum ab initio nullo non pene die, summo cum libertatis periculo, a Lacedæmoniis vexarentur, oppidis aliquot non magnæ æstimationis, Tirynthe, Hysiis, Orneis, Mycenis & Midea, excisis, traducta ex illis Argos multitudine, civitatem inquilinorum numero adeo auxerunt, ut in posterum & a Lacedæmoniis sibi multo minus metuerent, & adversus alios finitimos firmiora haberent præsidia, Pausan. *Arcad.* p. 497. 498.

Olymp. LXXXII. 4. Argivi, quo tempore Callias Hipponici F. Atheniensis cum collegis Susis Memnoniis erat, & ipsi illuc legatos miserunt, qui ab Artaxerxe Xerxis F. sciscitarentur, an amicitiam, quam cum Xerxe contraxissent, adhuc durare putaret, an ab illo pro hostibus haberentur: quibus Artaxerxes respondit, se vero putare eam perdurare, nec ullam sibi amiciorem civitatem esse quam Argos, Herod. *l.* VII. p. 492. 493.

Olymp. LXXXIII. 2. Argivi cum Lacedæmoniis fœdus XXX. annorum pepigerunt, Thucyd. *l.* V. p. 353. id ad exitum fuit anno X. belli Peloponnesiaci.

Olymp. LXXXIX. 4. Argivi sibi Corinthios, Mantinenses & Eleos fœdere junxerunt, Thucyd. *l.* V. p. 363. 364. pro Mantinensibus Thebanos habet Diodorus *l.* XII. p. 123. Argivi vero eo tempore Lacedæmoniorum fœdera respuebant, & animis elati Principatum Peloponnesi se adepturos sperabant, Thucyd. *l.* V. p. 372. Fuitque a sociis summum belli imperium Argivis delatum, veteris dignitatis & rerum gestarum memoria: & jam civitas per diuturnam pacem e vectigalibus magnas opes congesserat, & virorum numero aucta fuerat. Argivi sibi summam rerum permissam rati, e civium delectu juvenes mille robore ac opibus præstantes selegerunt: quibus vacatione a muneribus publicis concessa, & alimentis e publico datis, ut continuo se exercerent labore, injunxerunt, Diodor. *l.* XII. p. 123. Ἀργείων οἱ χίλιοι λογάδες, οἷς ἡ πόλις ἐκ πολλοῦ ἄσκησιν τὴν εἰς τὸν πόλεμον δημοσίᾳ παρεῖχε, Thucyd. *l.* V. p. 391. vide Pausan. *Corinth.*: p. 119. 120.

Olymp. XC. 1. Argivi sequente anno, cum Athenienses & Lacedæmonii diffidere inter se cœpissent, Atheniensibus ut secum fœdus inirent, persuaserunt, Diodor. *l.* XII. p. 124. Thucyd. *l.* V. p. 377.

Olymp. XC. 2. Argivi, Atheniensium & Alcibiadis auxiliis confirmati Trœzenem Lacedæmoniis confœderatam invaserunt, agrosque vastarunt ac villas incenderunt, Diodor. *l.* XII. p. 125.

Olymp. XC. 3. Argivi, relicta Mantinensium & Eleorum & Atheniensium societate, fœdera ac societatem cum Lacedæmoniis inierunt, Thucyd. *l.* V. p. 397. 398.

Eod. Argivi cum Lacedæmoniis popularem dominatum, qui Argis erat, sustulerunt, & paucorum dominatus Laconicæ Reip. congruens sibi constitutus fuit, Thucyd. *l.* v. p. 399. Diodorus selectos istos CIↃ. juvenes everso populari statu, abrogatis pristinis legibus, & Tribunis pl. occisis Remp. octo menses occupatam tenuisse scribit, *l.* XII. p. 127.

Eod. Argiva plebs concilia subinde habens, & resumptis animis, paucos qui res administrabant, aggressa est, observato illo ipso tempore, quo Lacedæmonii Gymnicos puerorum ludos faciebant, prælioque intra urbem commisso plebs vicit, & adversariorum alios quidem interfecit, alios ex urbe submovit, Thucyd. *l.* v. p. 399. Diodor. *l.* XII. pag. 127. Bryantem istis CIↃ. selectis juvenibus præfectum multa insolenter egisse in populum, & inter alia virgini cuidam, cum ad virum duceretur, iis qui ducebant ereptæ, vitium obtulisse: illam eadem nocte Bryanti dormienti oculos effodisse, & deprehensam, ubi illuxit, supplicem ad populum confugisse: populum eam deposcentibus CIↃ. viris ad supplicium dedere recusasse. Ita re ad pugnam utrinque deducta, victorem populum in persequendis hostibus iræ indulgentem, nullum supplicii genus prætermisisse: interjecto deinde tempore, & alia expiandi civilis sanguinis causa facta fuisse, & Jovis Μειλιχίου signum dedicatum fuisse refert Pausan. *Corinth.* p. 119. 120.

Olymp. XC. 4. Argivus populus Lacedæmoniorum metu, Atheniensium societatem sibi rursus, maximæ utilitatis spe conciliavit: tum longos usque ad mare muros duxit, ut si terra prohiberentur, Atheniensium auxiliis commeatum mari acciperent. Et quicquid hominum Argis erat, viri, fœminæ, & servi, in exstruendis illis, occupatum fuit: fabrique ac lapicidæ Athenis eo venerunt, Thucyd. *l.* v. p. 400. Sed muri illi, cum adhuc in opere essent, a Lacedæmoniis capti ac diruti fuerunt, idem *ibidem.*

Olymp. XCI. 2. Argivi cum Atheniensibus classem in Siciliam miserunt, ut Syracusas ac insulam in suam potestatem redigerent, Pausan. *Corinth.* p. 126. Thucyd. *l.* VI. p. 431.

Olymp. XCIV. 1. Argivi Athenienses a XXX. Tyrannis patria ejectos propenso humanitatis studio exceperunt, Diodor. *l.* XIV. p. 238.

Olymp. XCVI. 2. Argivi a Persis, quo Agesilaus ex Asia revocaretur, ad bellum Lacedæmoniis inferendum incitati fuerunt, data pecunia, quam accepisse ferebantur Cylon & Sodamas, Pausan. *Lacon.* p. 165. 166. Societasque ab Atheniensibus, Bœotis, Corinthiis & Argivis inita fuit, Diodor. *l.* XIV. p. 300.

Olymp. XCVI. 3. Argivi Corinthios rebus novis studentes adjuverunt, Diodorus *lib.* XIV. p. 303. 304.

Olymp. XCVI. 4. Argivi Corinthum occuparunt, agrumque suo adjecerunt, idem *l.* XIV. p. 307.

Olymp. CII. 3. Argiva plebs ab Oratoribus in Optimates concitata fuit: illi vero accusati de evertenda democratia conspirarunt. Cum autem nonnulli conjurationis suspecti quæstioni subjicerentur, alii cruciatuum metu sibi ipsis necem consciverunt. Unus, dum in eum quæstio habetur, XXX. nobilissimorum, ut sontium, nomina prodidit. Eos plebs nulla inquisitione facta, omnes trucidavit, eorumque bona publicavit. Cumque plures alii suspicionibus obnoxii essent, & Oratores falsis delationibus assentirentur, plebs eo feritatis processit, ut quotquot in crimen vocarentur, (erant vero ii permulti & divitiis præpotentes) omnes morti addiceret. Ita interfectis pluribus e potentibus quam mille & sexcentis, ne ipsis quidem Oratoribus pepercit, quod hi cladis atrocitate & metu inopinati mali territi, ab accusando destitissent; vulgus enim se ab iis desertum querens, stimulante ira, omnes e medio sustulit. Εκλήθη γὰρ ὁ νεωτερισμὸς οὗτος παρὰ τοῖς Ἕλλησι Σκυταλισμὸς, διὰ τὸν τρόπον τοῦ θανάτου ταύτης τυχὼν τῆς προσηγορίας. Tandem populus, sedato dolore, ad pristinæ benevolentiæ studium reductus fuit, Diodor. *lib.* XV. p. 372.

Olymp. CVI. 4. Argivi ad Orneas victi fuerunt a Lacedæmoniis, idem *l.* XVI. p. 434.

Olymp. CVII. 1. Argivi Megalopolitis adversus Lacedæmonios opem tulerunt, sed conserta pugna, de suis CC. amiserunt, idem *l.* XVI. p. 437. 438.

Argivos & Lacedæmonios Philippus Amyntæ F. definitis jam tum ab initio terminis imperii circumscripsit, nec illi ante belligerandi finem fecerunt, Pausan. *Corinth.* p. 119.

Olymp. CXI. 2. Argivi Alexandro M. regnante, ad libertatem recuperandam ferebantur, Diodor. *l.* XVII. p. 488.

Olymp. CXIV. 2. Argivi socii fuerunt Atheniensium bello Lamiaco, idem *l.* XVIII. p. 593.

Olymp. CXVI. 2. Argivi nonnulli Cassandro inimici Alexandrum Polysperchontis F. advocarunt, urbem se illi udituros polliciti: sed eo cessante Apollonides Argivorum dux a Cassandro constitutus reditum anticipavit: (nocturna autem excursione facta in Arcadiam, circa Stymphalum urbem occupabatur) & adversæ factionis L. in Prytaneo senatum habentes oppressit, eosque intercluso exitu vivos concremavit, alios in exilium ejecit, paucos comprehensos extremo supplicio affecit, Diodor. *l.* XIX. p. 704.

Argivi Pyrrhum non admiserunt; is vero ante muros urbis illius cecidit, conjecta in caput ejus a vetula, ut ajunt, tegula, sub aliis tamen Regibus fuerant, Strabo *l.* VIII. p. 376. 377. vide in *Thesprotis, Pyrrhus.*

Aristomachus Tyrannus, Arati insidiis appetitus, a servis necatus fuit, Plutarch. in *Arato.* Athenæus.

Aristippus post cædem Aristomachi se Tyrannum gessit, & in Arato tollendo vanam operam expertus, Cleonis cum exercitu oppressus fuit: unde fuga Mycenas delatus a Tragisco interfectus fuit, Plutarch. in *Arato.*

Aristomachus junior & Ægias cæso Aristippo Tyrannidem occuparunt, idem *ibidem.* Aristomacho vero Argis dominanti persuasit Aratus Sicyonius, ut popularem statum Argivis redderet, & Remp. cum Achæorum concilio conjungeret, Pausan. *Corinth.* p. 100. Ipse vero Prætor creatus fuit: post tamen iterum animis civium contra ipsum irritatis ab Arato, Cenchreis diris modis excruciatus in mare demersus fuit, Plutarch. *Arat.*

Argivorum civitas per quosdam Principes Philocli Philippi præfecto prodita fuit, Livius *l.* XXXII. Deinde a Philocle Nabidi tradita fuit: vide in *Lacedæmon.*

Argivi cum se in Achaicum corpus inseruissent, una cum Achæis in Romanorum potestatem venerunt, Strabo *l.* VIII. p. 377.

Argivorum urbem sua ætate constitisse, secundam a Sparta dignitate, scribit Strabo *loco citato.*

Argivi Musici præstantissimi. *Ἀργεῖοι ἤκουον μουσικὴν εἶναι Ἑλλήνων πρῶτοι*, Herodot. *lib.* III. p. 242.

TIRYNTHII.

Tiryns Argi filius, Jovis nepos, urbi Tirynthi nomen dedit, Pausan. *Corint.* p. 131. Tiryns urbs Peloponnesi, nomen accepit a Tirynthe Alcæi fi-

lia, quæ soror Amphitryonis fuit: vocabatur vero prius Ἁλιεῖς, διὰ τὸ πολλοὺς Ἑρμιονέας ἁλιευομένους οἰκεῖν αὐτῇ, Stephan. ἧς (Ἑρμιόνης) τὴν παραλίαν ἔχουσιν Ἁλιεῖς λεγόμενοι θαλαττουργοί τινες ἄνδρες, Strabo *l.* VIII. p. 373. ἀπὸ Τίρυνθος ἀδελφοῦ Ἀμφιτρύωνος, scribit Eustath. *in Iliad.* B. Urbis muros Cyclopum opus fuisse fama vulgavit, Pausan. *Corinth.* p. 131. Apollodor. *l.* II. p. 45. β. vide & Paus. *Bœot.* p. 597. & *Achaic.* p. 448. & Strabon. *l.* VIII. p. 372. 373.

Prœtus Abantis F. Tirynthis, Heræi & Mideæ Rex fuit; vide in *Argivis*, *Acrisius*. Uxorem habuit Jobatæ Regis Lyciorum, vel, ut alii volunt, Amphianactis filiam, quam Homerus Anteam vocat, Tragici Sthenobæam, Apollodor. *l.* II. p. 45. β. Ad Prœtum (cum Argis habitaret) confugit Bellerophontes Glauci F. cum per imprudentiam fratrem Deliadem, seu Pirenem, seu Alcimenem (Bellerum Corinthiorum Dynastam Sch. min. *Iliad.* Z.) occidisset. Ibi Sthenobœa juvenem deperire cœpit, & repulsam passa, Bellerophontem quæsiti concubitus apud Prœtum accusavit. Prœtus uxorem vera dicere ratus, Bellerophontem ad Jobaten socerum cum literis misit, quibus eum occidi jubebat. Jobates Bellerophontem ad oppugnandam Chimæram misit, eo fine ut ab illa bestia conficeretur. Sed Bellerophontes Pegaso vectus, sagittis bestiam confecit. Deinde contra Solymos, mox contra Amazones missus, pari felicitate rem gessit. Tum Jobates per lectissimos juvenes Lycios ex insidiis Bellerophontem trucidari jussit; sed postquam eos omnes a Bellerophonte cognovit occisos, virtutem juvenis admiratus, ei literas Prœti ostendit, dataque ei filia Philonoe uxore, moriens in regno successorem reliquit, Apollod. *lib.* II. p. 47. seq. Prœti filias in furorem actas fuisse, & a Melampode ad sanam mentem reductas.

Megapenthes Prœti filius. Is postea cum Perseo regnum commutavit, ut Perseus Tirynthe, ipse Argis imperaret, Pausan. *Corinth.* p. 113.

Perseus Acrisii nepos e filia Danae (Danaes & Pici filius, Suidas in *Medusa*) commutato Argivorum imperio, quod ipsius post avum Acrisium erat, cum Megapenthe Prœti F. Tirynthem migravit: vide in *Argivis*, *Acrisius*. Suscepto autem imperio Mycenas condidit, Pausan. *Corinth.* p. 113. ἔκτισε δ' αὐτὰς (Μυκήνας) Περσεὺς, Strabo *l.* VIII. p. 377. Περσεὺς δὲ Τίρυνθος (ἐβασίλευσε) προσατειχίσας Μίδειαν καὶ Μυκήνας, Apollod. *l.* II. p. 52. α. Perseus cum Cepheo bellum intulisset, jam ob senium cœco, atque adeo Gorgones caput in eum nullam vim haberet, ratus inutile esse, id in se convertit, eoque conspecto obiit, Suidas in *Medusa*. Uxorem habuit Andromedam Cephei Regis filiam, e qua illi, præter Persen, quem apud Cepheum reliquit, nati sunt Sthenelus, Alcæus, Helas, Mestor, Electryo, & filia Gorgophone Perieri nupta. Nupta etiam fuit Oebalo Cynortæ filio, Pausan. *Lacon.* p. 158. Erythras Persei filius fuit, qui Erythræo mari nomen dedisse dicitur, Strabo *l.* XVI. Plin. *l.* VI. *cap.* XXIII. Eustath. in *Dionys.* VII. Merrhus Persei filius fuit, qui Gorgones caput cremavit, Suidas in *Medusa*. Cynurus filius Persei fuit. Mestoris filia Hippothoe fuit, quæ a Neptuno compressa Taphium peperit. Alcæo ex Hipponome Menœcei filia nati sunt Amphitryo & Anaxo. Laonomen Gunei Pheneatæ filiam, Alcæi uxorem, & Amphitryonis matrem fuisse, scribit Pausan. *Arcad.* p. 478. De Electryone & Sthenelo vide in *Mycenæis*. Persei & Andromedæ filii, Alcæus, Sthenelus, Mestor & Electryo, post Patris mortem commune regnum habuerunt, Schol. Apoll *l.* I. v. 746. Tirynthe natum Herculem, & Thebis educatum fuisse scribit Diodor. *l.* IV. p. 218. Tiryn- A them migravit Hercules, XII. ab Eurystheo imperatos labores confecturus: iisque absolutis Tirynthe ab Eurystheo pulsus fuit: vide in *Hercules*: sed & Tirynthius appellatus fuit a Pythia.

Tirynthem in Argivorum potestate fuisse, Trojani belli tempore, constat ex Homero *Iliad.* B. v. 559. seqq. vide in *Argivis*, *Sthenelus*.

Tirynthii ac Mycenæi quadringenti fuerunt in exercitu Græco ad Platæas contra Xerxem coacto, Herodot. *l.* IX. p. 597.

Tirynthem Argivi exciderunt, Pausan. *Corinth.* p. 115. Tirynthiisque in suam urbem receptis, civitatem suam auxerunt, Paus. *Corinth.* p. 131. At B Strabo, οἱ μὲν, inquit ἐκ Τίρυνθος εἰς Ἐπίδαυρον ἀφίκοντο, *l.* VIII. p. 373. Signa quoque & simulacra Tirynthiorum Argos deportata scribit Pausan. *Arcad.* p. 530. & *Corinth.* p. 115.

MYCENÆI.

Mycenæ urbs Peloponnesi, Stephan. Mycenas Perseus condidit, urbemque eo nomine appellavit, quod eo in loco ipsi ensis μύκης (*capuli capitulum*) excidisset; alii ajunt si- C tientem humo μύκητα (*fungum*) sustulisse, ac repentinis aquæ scatebris, sitim cum magna voluptate restinxisse, atque ex eo casu urbem nominasse Mycenas; alii Mycenen Inachi filiam, Arestoris uxorem urbi nomen dedisse volunt, Pausan. *Corinth.* p. 113. Alii sic appellatam scribunt a Mycenæo Spartonis F. Phoronei fratre; alii denique ἀπὸ τοῦ μυκήσασθαι τὴν Ἰὼ, βοῦν ἐκεῖ γενομένην, Stephan vide Eustath. *in Iliad.* B. Mycenas & Argos ob vicinitatem Tragici velut unam urbem, promiscue appellant. Et Euripides in una eademque fabula jam Mycenas, mox Argos eandem urbem D vocat, ut in *Iphigenia* & *Oreste*, Strabo *l.* VIII. p. 377. Mycenis vero sedem imperii habuit Perseus & successores, Strabo *l.* VIII p. 372. Et Mycenis Perseo natos, quos supra diximus, liberos scribit Apollodorus, *l.* II. p. 52. α.

Electryo Persei F. Mycenis imperavit, Apollod. *l.* II. p. 53. α. Is e Lysidice Pelopis filia Alcmenen genuit, Diodor. *l.* IV. p. 217. Anaxo Alcæi filiam Electryoni nupsisse, eique præter Alcmenen peperisse sex filios scribit Apollod. *l.* II. p. 52. β. Nomina eorum hæc sunt: Stratobates, Gorgophonus, Philonomus, Celenæus, Amphimachus, Charimachus, Anactor, Archelaus. Electryonis E e Midea fœmina Phrygia filius nothus fuit Licymnius, idem *ibid.* Ab Electryone Pterelai filii, Taphii nepotes, e Tapho Mycenas profecti, Mestoris avi materni principatum repetierunt: repulsam passi, Electryonis boves abegerunt. Ibi Electryonis filii vim vi repellentes, ipsi & Pterelai filii mutuis cædibus perempti fuerunt, præter Licymnium, qui puer etiam tum erat, & Eueren Pterelai filium, qui navium custodiæ præerat. At qui e Taphis evaserunt, abactas boves Polyxeno Eleorum Regi commendarunt; sed Amphitryo eas redemptas Mycenas reduxit. Sed inter agendum, cum forte una e grege discederet, Amphitryo clavam, quam F manu gestabat, emissam, e bovis cornibus resilientem in Electryonis caput impegit: quo ille ictu periit. Ibi Sthenelus hanc occasionem nactus e tota Argivorum regione Amphitryonem expulit: Amphitryo vero cum Alcmena (quam Electryo ipsi una cum regno tradiderat, in Teleboas bellum moliens) & Licymnio Thebas ad Creontem concessit, Apollod. *l.* II. p. 53. α. β. seq.

Sthenelus Persei filius, ejecto Amphitryone, Mycenarum, & Tirynthis imperio potitus, arcess-

sitis ad se Pelopis filiis Atreo & Thyestæ Mideam commendavit, Appollod. *l.* II. p. 53. *β.* seq. Sthenelus etiam Argis imperavit, Strabo *l.* VIII. p. 377. Stheneli filiæ fuerunt Alcinoe & Medusa, & filius Eurystheus, Apollod. *l.* II. p. 52. *β.*

Eurystheus Steneli filius ex Astydamia (Nicippe Appollod.) Pelopis filia Rex Mycenæorum & Argivorum, Strabo *l.* VIII. p. 377. Is implacabili Herculis odio laboravit, Pausan. *Messen.* p. 282. eique XII. labores imperavit, Diodor. *l.* IV. p. 219. Cumque Hercules Eurystheum Tirynthe fugasset, & ad Ceycem Trachiniorum Regem, amicum sibi hominem, venisset, tandemque e consortio hominum excessisset, Eurystheus ejus liberos sibi tradi postulavit: Trachinius vero rebus suis diffidens, Athenas eos ad Theseum misit, a quo eos defendi posse speravit. Cum igitur ii supplicum habitu venissent, (*καθεσθώντες ἐπὶ τ̃ ἐλέυ βωμὸν*, Apollod.) ferunt Peloponnesios, quod Theseus Eurystheo poscenti pueros dedere recusasset, Atheniensibus tunc primum bellum intulisse, Pauf. *Attic.* p. 61. Diodor. *l.* IV. p. 260. Eurystheus cum ad expeditionem proficisceretur, Atreo avunculo suo, propter necessitudinem Mycenas & imperium commisit, Thucyd. *l.* I. p. 7. Eurystheum ab Herculis liberis prælio superatum, cum ex Attica fugeret, eo loco, quo sepultus est, ab Iolao occisum fuisse dicunt, Pausan. *Attic.* p. 84. Καὶ τὸ μὲν ἄλλο σῶμα (Eurysthei) Γαργηττοῖ ταφῆναι. τ̃ ᾗ κεφαλὴν χωρὶς ἐν τῇ Κορίνθῳ ἀποκόψαντες αὐτὴν Ιολάου περὶ τὴν κρήνην τὴν Μακαρίαν, ὑπὸ ἁμαξιτόν. ὁ τόπος καλεῖται Εὐρυσθέως κεφαλὴ, Strabo *l.* VIII. p. 377. Pindar. *Pyth.* od. IX. stroph. IV.

—— Ἰόλαον ——
—— τὸν Εὐρυ-
σθῆος ἐπεὶ κεφαλὰν
Ἔπραθεν ἐν φασγάνυ ἀκμᾷ
Κρύψαν ἔνερθ' ὑπὸ γαῖ.

At Apollodorus, Εὐρυσθέα, inquit, *κτείνει Ὕλλος ἢ τ̃ μὲν κεφαλὴν ἀποτεμὼν Ἀλκμήνῃ δίδωσι*, *l.* II. p. 82. *α.* Αὐτὸς δ' Εὐρυσθεὺς, τ̃ ἅρματος κτ̃ τὴν φυγὴν συντριβέντος, ὑπὸ Ὕλλυ τ̃ Ἡρακλέος ἀνῃρέθη, Diodor. *l.* IV. p. 260 Eurystheum prælio victum, & ab Atheniensibus captum, supplicemque iis factum, quos depoposcerat, vitam finiisse scribit Isocrates *Panathen.* item *Panegyr.* Eurystheum ante conflictum ad singulare certamen ab Hyllo provocatum, sed detrectasse; & commissa pugna ab Iolao captum ac vinctum ad Alcmenam missum, ejusque jussu necatum, scribit Euripid. *Heraclid.* v. 802 seqq. 859. seqq. 929 seqq. 1045 seqq. Eurysthei quoque filii (ex Antimache Amphidamantis filia) Alexander, Iphimedon, Eurybius, Mentor & Perimedes ea pugna ab Atheniensibus occisi fuerunt, Apollod. *l.* II. p 82. *α.* Diodor. *l.* IV. p. 260.

Alexandrum Eurysthei filium inter Reges Argivos nominat Hyginus *Fabul.* CXXIV.

Atreus Pelopis filius, patrem propter Chrysippi, Pelopis filii cædem fugiens, cum Eurystheus ab expeditione contra Herculis liberos non amplius rediisset, Mycenæis etiam volentibus, Heraclidarum metu simul etiam quod strenuus vir esse videretur, & multitudinis benevolentiam sibi conciliasset, regno Mycenæorum, & cæterorum omnium, quibus Eurystheus imperarat, potitus fuit: & hac ratione Pelopidæ Persidis potentiores facti sunt, Thucyd. *l.* I. p. 7. Atreus occupatis post interitum Eurysthei Mycenis, Heraclidis, duce Hyllo, Peloponnesum invadentibus, in Isthmo occurrit, adscitis Tegeatis & nonnullis aliis in belli societatem: ibi Hyllus cum Echemo singulari certamine congressus occubuit, & Heraclidæ ex pacto Peloponneso excesserunt, Diodor. *l.* IV. p. 261. Pelopem ipsum non tantum Argis & Mycenis, sed etiam toti Peloponneso imperasse: & ipso mortuo principatum Mycenarum inter se partitos fuisse Atreum & Thyestem, e quorundam opinione scribit Eusebius *Chron.* lib. I. p. 28. Thyestes Atreo fratri aurei velleris agnum surripuit, cum ejus uxorem sibi stupri consuetudine conciliasset; Atreus vero, cæde liberorum Thyestis & decantatis in scena epulis, pœnas a fratre expetivit, Pausan. *Corinth.* p. 115 Atreus enim cognito adulterio fratris Thyestæ & uxoris Æropæ, filios Thyestæ e Neide susceptos Aglaum, Orchomenum & Callæum mactatos Thyestæ comedendos proposuit, eumque ostensis extremis liberorum partibus, regione expulit. Sed Ægisthus Thyestæ e Pelopia filius ex agro patri auxilio venit, eumque occiso Atreo in regnum restituit. Agamemnon vero & Menelaus Atrei filii opera nutricis in Sicyoniam abducti fuerunt, Tzetzes *Chil.* I. *Histor.* XVIII. Atrei filia Anaxibia nupsit Strophio Phocensi.

Agamemnon Atrei filius. Agamemnonem enim & Menelaum Tyndareus socer reduxit, idem *ibidem.* Agamemnonem Agamedontem dictum inveniri in multis tradiderunt Veteres, Eustath. *in Iliad.* B. Is Mycenarum imperium late extulit. Κατ' ἀρχὰς μὲν ἦν τὸ Ἄργος ἐπεκράτει μᾶλλον· εἶθ' αἱ Μυκῆναι μεῖζον, ἐπίδοσιν λαβῦσαι διὰ τ̃ τ̃ Πελοπιδῶν εἰς αὐτὰς μετάστασιν. περιςάντων γὰρ εἰς τὰς Ἀτρέως παῖδας ἁπάντων, Ἀγαμέμνων ὢν πρεσβύτερος, παραλαβὼν τ̃ ἐξυσίαν ἅμα τύχῃ τε καὶ ἀρετῇ πρὸς τοῖς ὖσι πολλὴν προσεκτήσατο τ̃ χώρας .... Μυκήνας ᾗ, καὶ τὰ μέχρι Κορίνθυ, καὶ Σικυῶνος, καὶ τ̃ τ̃ Ἰώνων μὲν τότε καὶ Αἰγιαλέων καλυμένων, Ἀχαιῶν δ' ὕστερον, Ἀγαμέμνων παρέλαβε, Strabo *l.* VIII. p. 372. Sicyoniis bellum intulit: vide in *Sicyon. Hippolytus.* Argos quoque occupavit: vide in *Argivis*, *Sthenelus.* Uxorem habuit Clytæmnestram Tyndarei filiam, & ex ea liberos Orestem, Iphigeniam & Electram Pyladæ nuptam. Sed Iphigeniam Euphorion Chalcidensis & Alexander Pleuronius, & ante eos Stesichorus Himeræus versibus testati sunt, Thesei & Helenæ filiam fuisse, quod etiam Argivi voluerunt, Pauf. *Corinth.* p. 125. 126. Agamemnon delectus fuit totius Græci exercitus, qui bello Trojano nomen dederat, imperator, coegitque classem, quod cæteros illius sæculi Græcos potentia ac opibus a patre acceptis superaret, non autem tantopere, quod Helenæ procos Tyndarei jurejurando obstrictos secum duceret: nec vero gratia potius quam metu, copias illas coegisse videtur, Thucyd. *l.* I. p. 6. 7. Homer. *Iliad.* B. v. 108.

Πολλῇσι νήσοισι καὶ Ἄργει παντὶ ἀνάσσειν.

Ἡ δ' Ἀργείων πόλις Ἀγαμέμνονα (παρέσχε) τ̃ ἐ μίαν, ἐδὲ δύο μόνον ἔχοντα ἀρετὰς, ἀλλὰ πόσας ὅσας ἔχοι τις ἂν εἰπεῖν, καὶ ταύτας ἐ μετρίως, ἀλλ' ὑπερβαλλόντως, &c. Isocr. *Panathen.* Μόνος γὰρ ἁπάσης τ̃ Ἑλλάδος ἠξιώθη γενέσθαι ςρατηγός. ὁπότερον δ' εἴθ' ὑπὸ πάντων αἱρεθεὶς, εἴτ' αὐτὸς κτησάμενος, ἐκ ἔχω λέγειν, idem *ibidem.*

Principes vero Græciæ coegit in maritimam Ægii partem, quo de illorum sententia consilium caperet, quæ foret Priami regnum bello adoriendi ratio optima: eoque in loco Jovi Ὁμαγυρίῳ, sic ab eo conventu appellato, templum dedicatum fuit. Semel vero habito delectu, cum iis tantum qui nomina dederant, nullo evocato supplemento, & Ilium, & finitimas urbes expugnavit, Pausanias *Achaic.* p. 444. 445. Cum autem Aulidem venisset exercitus, nec ventus ullus navigationem daret, Calchas vates Iphigeniam ab Agamemnone Dianæ

mactari jussit. Agamemnon apud Euripid. *Iphig. in Aul.* v. 90. seqq.

> —— Ἰφιγένειαν, ἣν ἔσπειρ' ἐγὼ,
> Ἀρτέμιδι θῦσαι, τῇ τόδ' ἐχούσῃ πέδον,
> Καὶ πλοῦν τ' ἔσεσθαι, καὶ κατασκαφὰς Φρυγῶν,
> Θύσασι, μὴ θύσασι δ', οὐκ εἶναι τάδε.

Quidam ajunt pro puella mactanda cervam a Dea submissam fuisse, Pausan. *Bœot.* p. 570. Iphigeniam vero cum Tauricæ Dianæ simulacro Tauris abducto Brauronem primum appulisse: relictoque ibi Deæ signo Athenas, ac deinde Argos venisse, Pausan. *Att.* p. 62. Agamemnon e spoliis Iliacis Casandram Priami filiam ἐξαίρετον γέρας accepit. Exciso vero Ilio Mycenas reversus una cum Casandra & natis ex ea geminis Teledamo & Pelope, ab adulteris Clytæmnestra uxore & Ægistho sui patrui Thyestis filio occisus fuit. Iræ uxoris in virum causæ fuerunt, quod filiam pater mactasset, & uxori pellicem vir induxisset, vel quod ipsa alieno toro jam assuevisset. Pindar. *Pyth.* od. XI. str. II.

> Ὁπότε Δαρδανίδα κόραν Πριάμου
> Κασσάνδραν πολιῷ χαλκῷ,
> Σὺν Ἀγαμεμνονίᾳ
> Ψυχᾷ, πόρευσ' Ἀχέροντος ἀ-
> κτὰν παρ' εὔσκιον
> Νηλὴς γυνά. πότερόν
> Νιν ἄρ' Ἰφιγένει' ἐπ' Εὐρίπῳ
> Σφαχθεῖσα τῆλε πάτρας, ἔκνισεν
> Βαρυπάλαμον ὄρσαι χόλον.
> Ἢ ἑτέρῳ λέχει δαμαλιζομέναν
> Ἐννύχιοι παράγον κοῖται;

Ægisthum vero ajunt ulcisci voluisse Tantali fratris sui Thyestis F. necem, cui Clytæmnestra a patre Tyndareo virgo desponsa fuerat, Paus. *Corinth.* p. 116. Tyndareus apud Euripid. in *Oreste* v. 497. seq.

> —— ἐξέπνευσεν Ἀγαμέμνων βίον,
> Πληγεὶς θυγατρὸς τῆς ἐμῆς ὑπὲρ κάρα.

Homer. *Odiss.* Γ. v. 303. seq.

> —— Αἴγισθος ἐμήσατο οἴκοθι λυγρὰ
> Κτείνας Ἀτρείδην. ——

Vide & *Odyss.* Δ. v. 529. seqq. Scholiastes Euripid. *Hecub.* refert, Clytæmnestram vestimentum confecisse nullos habens exitus, per quos vel caput, vel manus exseri possent, atque hoc Agamemnoni in balneis loto injecisse: cumque nihil in Agamemnone opis esset ad sese tutandum, eum fervida affusa aqua interemisse, quod videtur Scholiast. finxisse ex lis Polymestoris verbis apud Euripid. *Hecub.* v. 1281. Φόνια λουτρά σ' ἀναμένει. Certe Euripides non obscure bipenni cæsum ostendit *ibid.* v. 1277.

> Κτενεῖ ἡ ἄλοχος ——
> Καὐτόν τε τοῦτον, πέλεκυν ἐξάρασ' ἄνω.

Et Homerus *Odyss.* Δ. v. 535. ait quod Ægisthus Agamemnonem

> —— κατέπεφνε
> Δειπνίσσας, ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ.

Quod secutus Tzetzes *Chil.* III. *Hist.* LXXVII. narrat cædem περὶ τραπέζας factam. Aristotelis in Agamemnonem extat Epitaphium:

> Ἀδάσεις Ἀτρείδεω Ἀγαμέμνονος, ὦ ξένε, τύμβον,
> Ὃς θάν' ὑπ' Αἰγίσθου οὐλομένης ἀλόχου.

Item:

> Μνῆμα τόδ' Ἀτρείδεω Ἀγαμέμνονος, ὅν ῥα κατέκτα
> Δῖα Κλυταιμνήστρη Τυνδαρὶς, οὐχ ὁσίως.

A Orestes, cum pater necaretur, cædi ab Arsinoe nutrice ereptus fuit. Pindar. *Pyth.* od. XI. stroph. II.

> Τὸν δὴ, φονευομένου
> Πατρὸς, Ἀρσινόα Κλυταιμνήστρας
> Χειρῶν ὑπὸ κρατερᾶν ἐκ δόλου,
> Τροφὸς ἄνελε δυσπενθέος.

concessitque ad Strophium hospitem, qui ad Parnassi radices habitabat. Pind. *Pyth.* od. XI. stroph. III.

> —— ὁ δ' ἄρα γέροντα ξένον
> Στρόφιον ἐξίκετο νέα κεφαλᾶ,
> B Παρνασσοῦ πόδα ναίοντα.

Euripid. *Electr.* v. 16. seqq.

> Τὸν μὲν πατρὸς γεραιὸς ἐκκλέπτει τροφεὺς
> Μέλλοντ' Ὀρέστην χερὸς ὑπ' Αἰγίσθου θανεῖν,
> Στροφίῳ τ' ἔδωκε Φωκέων εἰς γῆν τρέφειν.

Electra Orestis soror, cujus nuptias ambierunt Græciæ Principes, colono cuidam Mycenæo uxor data fuit ab Ægistho, metuente, ne, si viro potenti locaretur, a se ultio Agamemnoniæ necis repeteretur: sed occiso Ægistho, Electra etiamnum virgo & a colono intacta, Pyladæ nupsit, Euripid. C *Electr* v. 19. seqq.

Ægisthus Thyestis filius cæso patrueli Agamemnone imperium tenuit, donec ab Oreste & Pylade obtruncaretur una cum adultera Clytæmnestra. Euripid. *Electr.* v. 12. seq.

> —— Αἴγισθος δὲ βασιλεύει χθονὸς,
> Ἄλοχον ἐκείνου Τυνδαρίδα κόρην ἔχων.

Pindar. *Pyth.* od. XI. stroph. III.

> —— ἀλ- (Orestes)
> λά γε χρόνῳ σὺν Ἄρει
> Ἔπεφνε ματέρα, θῆκέ τ' Αἴ-
> D γισθον ἐν φοναῖς.

Ægisthus & Clytæmnestra indigni habiti sunt, qui intra muros, eo in loco humarentur, ubi Agamemnon & cæteri, qui cum eo occisi sunt, conditi fuerunt, Pausan. *Corinth.* p. 114.

Orestes Agamemnonis filius cæso Ægistho cum matre Clytæmnestra in ultionem paternæ necis, oraculi Delphici jussu in Arcadiam concessit, Pausan. *Arcad.* p. 462. ibi ob matris cædem eum insaniisse ferunt: Eumenides enim de mentis statu eum deturbaturas apparuisse ei nigras: illum vero furentem alterius manus digitum abrosisse: rursus easdem E Eumenides illi albas apparuisse, earumque aspectu statim illum ad se rediisse: atq; ita nigris quidem inferias misisse ad avertendas earum iras, albis autem hostiam mactasse: inde in fanum quoddam ingressum comam totondisse: locum ubi insanire cœpit Μανίας, ubi vero ad se rediit Ἄκη vocant Arcades. Qui e Peloponnesiis res priscas memoriæ prodiderunt, hæc in Arcadia Oresti a Furiis matris cædem persequentibus accidisse affirmant: priusquam de ejus facto in Areopago judicium fieret. Accusatorem quidem non fuisse Tyndareum, quod e vita jam excessisset, sed Perilaum Clytæ-F mnestræ patruelem eum de cæde matris in jus vocasse, Pausan. *Arcad.* p. 510. Sunt qui dicant Orestem cum in lapide tria stadia a Gytheo distante, qui ἀργὸς dicatur, lingua vero Dorica καππώτας, consedisset, insania liberatum fuisse, Pausan. *Lacon.* p. 204. Orestem a cæde matris expiarunt viri IX. ex urbe Trœzeniorum, in lapide, qui ἱρὸς dicitur, considentes. Prius vero quam materni sanguinis maculam expiationibus Orestes elueret, eum e Trœzeniis nemo tecto voluit recipere; sed in cella, cui inde Ὀρέστου σκηνὴ nomen fuit, ipsum con-

sistere jusserunt, ibique, qui lustrationi ei præfuerunt, epulas ei præbuerunt, donec rite expiaretur, Pausan. *Corinth.* p. 144. 145. Orestes postea non tantum Argis, sed & Spartha imperium consequutus fuit: vide in *Argivis* & *Lacedæmoniis*. Mortuus fuit in Arcadia, cum primus coloniæ Æolicæ deducendæ auctor fuisset, Strabo *l.* XIII. p. 582. Sepultus fuit apud Tegeates; sed ejus ossa longo post tempore oraculi jussu Spartam deportata, & ibi condita fuerunt, Pausan. *Arcad.* p. 542. & *Lacon.* p. 181. Herodot. *l.* I. p. 29. 30. vide in *Lacedæmon.* Orestem coloniam Æolicam cum Pisandro Spartiata in Tenedum deduxisse scribit Pindarus *Nem.* od. II. stroph. III.

B Penthilus Orestis filius nothus ex Erigone Ægisthi filia: alii ante Penthilum collocant Tisamenum Orestis F. & post Penthilum Cometem Tisameni F. Penthilo regnante Heraclidæ in Peloponnesum redierunt, finisque is fuit regni Mycenæi & Tirynthii. Αἱ δὲ Μυκῆναι μετέπεσον εἰς τοὺς Ἡρακλείδας, καὶ τοὺς τὸ Ἄργος ἔχοντας, Strabo *l.* VIII. p. 377. Penthilus post Orestem patrem suscepit principatum coloniæ Æolicæ deducendæ, Strabo *lib.* XIII. p. 582.

C Olymp. LXXV. Mycenæorum & Tirynthiorum quadringenti in exercitu Græco ad Platæas contra Xerxem coacto fuerunt, Herodot. *l.* IX. p. 597.

Mycenæi propter antiquam urbis dignitatem Argivorum imperium, ut reliquæ Argolicæ urbes, non admiserunt, sed suis legibus ac institutis usi, nihil commune cum Argivorum Republ. habuere. Et cum Argivi edicto vetuissent, ne quis ad Thermopylas cum Lacedæmoniis militaret, soli Mycenæi ex Argolide Lacedæmoniis auxilia miserunt. Et cum Argivis de fano Junonisque Sacris contenderunt, ac ludorum Nemeorum administrationem sibi arrogarunt. Et suspicio Argivos incessit, ne Mycenæi, crescente subinde potentia, pristina

D animorum fiducia excitati, de principatu secum contenderent. Hæ Argivorum in Mycenæos odii causæ fuerunt, Diodor. *l.* 11. p. 49. ita Mycenas Argivi malevola quadam obtrectatione ducti evertèrunt, quod ipsis in Persici exercitus irruptione cessantibus, ea civitas octoginta homines ad Thermopylas misisset, qui Lacedæmoniis præclari facinoris socii fuerunt: hic enim præreptæ quasi gloriæ dolor Argivos, ut Mycenas exscinderent, sollicitavit, Pausan. *Corinth.* p. 113. Strabo *l.* VIII. p. 372. 377.

Olymp. LXXVIII. I. Rei conficiendæ occasio tum commodissima oblata fuit, cum Mycenæi nihil o-

E pis a Lacedæmoniis terræ motu afflictis & bello Messenico occupatis, habere possent, Diodor. *l.* 11. p. 49. 50. Et Mycenes quidem mœnia, quippe validissima, & a Cyclopibus structa Argivi expugnare non potuerunt; sed fames Mycenæos orbem deserere coegit: & alii quidem Cleonas, plebis vero plusquam dimidia pars in Macedoniam ad Alexandrum Regem: reliqui Ceryneam confugerunt, Pausan. *Achaic.* p. 448. Ἄλλων δ' οὐκ ὄντων συμμάχων, ἐρημία τῶν ἐπικουρούντων κατὰ κράτος ἥλωσαν. Οἱ δὲ Ἀργεῖοι τοὺς Μυκηναίους ἀνδραποδισάμενοι, καὶ δεκάτην ἐξ αὐτῶν τῷ Θεῷ καθιερώσαντες, τὰς Μυκήνας κατέσκαψαν, Diodor. *l.* II. p. 50. αἱ μὲν οὖν Μυκῆναι νῦν οὐκέτι εἰσί. Strabo *l.* VIII. p. 377.

F Midea urbs Argiva, nunc vicus, prius Περσέως πόλις, nomen accepit a Midea Aloei filia, Stephan. Ab hac urbe Alcmena Μιδεᾶτις dicitur Theocrito *Heraclisc.* v. I. Mideam everterunt Argivi: vide in *Argivis*.

Heræum ad Mycenas situm commune fuit Regibus Mycenæis & Argivis templum Junoni sacrum, Strabo *l.* VIII. p. 372.

Prasiæ urbs Argiva, Strabo *l.* VIII. p. 368. Λακωνικὸς πολίχνιον. Stephan. ἡ Λακωνικῆς ἡ Πρασία (sic enim scribit) est Ptolemæo. Βρασίας vocat Pausan.

Hysiæ urbs Argiva, cujus cives Hysiatæ appellantur, Strabo *l.* IX. p. 404. Charax urbem quoque vocat, Stephan. Eam everterunt Argivi: vide in *Argivis*. Ἐρείπια Ὑσιῶν ἐστι πόλεώς ποτε ἐν Ἀργολίδι, Pausan. *Corinth.* p. 130. inde χωρίον dicitur Thucydidi *l.* V. p. 400. Ἀργεία κώμη Ὑσιαί (sic lege pro Ὑσία) ὡς Θουκυδίδης, Stephan. Εἰσὶ δὲ καὶ Ὑσιαὶ τόπος γνώριμος τῆς Ἀργολικῆς, Strabo *l.* VIII. p. 376.

Oenoe urbs Argiva. Oenen vocat Hecatæus, Stephan. Οἰνόη χωρίον ἐστὶν Ἀργείοις, Pauf. *Corinth.* p. 130. Nomen accepit ab Oeneo Diomedis avo paterno illic sepulto, Apollod. *l.* I. p. 20. β. Pausan. *loco cit.*

ORNEATÆ.

ORneæ urbs supra campum Sicyoniorum sita, ejusdem nominis cum fluvio præterlabente, olim frequentata: eratque ibi Priapi fanum in honore, unde Euphorion *Priapeiorum* Scriptor deum eum Orneatam vocavit, Strabo *l.* VIII. p. 382. Nomen urbs accepit ab Orneo Erechthei filio, Pauf. *Corinth.* p. 131. vel ab Ornea Nympha; vel quod in edito loco sita esset, Eustath. *in Iliad.* B ab ὄρνιον avis forte, vel quasi ὀρειναί. Licet vero urbs hæc sita esset inter Corinthum & Sicyonem, Strabone teste *l.* VIII. p. 376. tamen Argivæ ditionis erat ea regio, teste eodem p. 382. Sed distinguit Eustathius inter κώμην Ἀργείας & ἑτέραν μεταξὺ Κορίνθου καὶ Σικυῶνος.

Orneatæ cum a Sicyoniis bello premerentur, votum Apollini nuncuparunt, si hoste pulso patriam periculo liberarent, se illi quotidie pompam Delphos esse missuros, & hostias qualescunque & quotcunque immolaturos. Verum cum Sicyoniis prælio victis, voti rei facti essent, pompam quotidie ex voto mittentibus, non tam impensa gravis, quam laboris & molestiæ continuatio visa fuit. Excogitato itaque sollerter modo, sacrificii & pompæ simulacra ex ære facta Apollini dedicarunt, Pauf. *Phocic.* p. 642. Inscriptio apud Plutarch. *de Pythiæ Oracul.* p. 620. Ὀρνεᾶται ἀπὸ Σικυωνίων.

Olymp. LXXVIII. I. Orneatæ sedibus suis ejecti ab Argivis, eorum civitatis inquilini facti sunt, Pausan. *Corinth.* p. 131.

Olymp. XC. 4. Orneas in coloniam exsules Argivos deduxerunt Lacedæmonii, & locum hunc Argolidis munierunt, & præsidio valido illic relicto Argivos infestari jusserunt; sed abeuntibus Lacedæmoniis, Argivi Atheniensium auxiliis subnixi, Orneas vi ceperunt, & præsidium cum exsulibus partim trucidarunt, partim expulerunt, Diodor. *l.* XII. p. 128. Οἱ Ἀργεῖοι κατασκάψαντες τὰς Ὀρνεάς, Thucyd. *l.* VI. p. 416.

Olymp. CVII. I. Orneæ urbs, Argivæ ditionis, Megalopolitarum socia in bello adversus Lacedæmonios a Lacedæmoniis expugnata fuit, Diodor. *l.* VI. p. 438.

Orneas sua ætate desertas fuisse scribit Strabo *l.* VIII. p. 382.

Orneas quoque pagum Argivum cognominem urbi fuisse scribit, idem *eodem* p. 376.

THYREATÆ.

THyrea urbs Argolidis condita a Thyræo vel Thyreate Lycaonis Arcadis filio, Pauf. *Arc.* p. 458. Εἶναι δέ φασι τὸ χωρίον τοῦτο (Thyreas) Θουκυδι-

κυδίδης ἐν τῇ Κυνουρίᾳ, κατὰ τὴν μεθορίαν τῆς Ἀργείας καὶ τῆς Λακωνικῆς, Strabo *l.* VIII. p. 376.

Thyreates ager Argolicæ terræ pars erat; eum tamen Lacedæmonii interceptum tenuerunt, Herodot. *l.* I. p. 37. de eo Ἀργείοις καὶ Λακεδαιμονίοις συνέστη ἀγὼν, τριακοσίοις πρὸς τριακοσίους, Strabo *l.* VIII. p. 376. vide in *Argivis*.

Olymp. LXXXVII. 3. Thyreatem agrum Lacedæmonii victis Argivis occuparunt, eumque Æginetis tradiderunt: Thyreatarum vero alii in patria manserunt, alii per reliquam Græciam dissipati fuerunt, Thucyd. *l.* II. p. 117. Pausan. *Corinth.* p. 157.

Thyream Athenienses ceperunt, direptamque incenderunt, & Æginetas, quotquot in ipso conflictu non occubuerant, una cum Tantalo Proclis F. qui illic pro Lacedæmoniis dux erat, Athenas abduxerunt, Thucyd. *l.* IV. p. 289.

Thyreatem agrum Argivos sua ætate coluisse, disceptatione & judicio, ut ipsi ajebant, receptum, scribit Pausan. *Corinth.* p. 157.

NAUPLIENSES.

NAuplia Argivorum navale, nomen accepit ἀπὸ τοῦ ταῖς ναυσὶ προσπλεῖσθαι, Strabo *l.* VIII. p. 368. Ναυπλία πόλις Ἄργους, Stephan. Ναυπλία, πόλις Ἄργους, παρὰ τὸ ναυσὶ προσπλεῖσθαι, Suidas. A Nauplio conditore, Neptuni & Amymones Danao genitæ filio, nomen accepisse scribit Pausan. *Cor.* p. 156. Nauplienses fuerunt Ægyptii prisca origine, navibus in Argolidem una cum Danao profecti: tribus vero post ætatibus a Nauplio Amymones filio in urbe Nauplia collocati fuerunt, Pausan. *Messen.* p. 283. Nauplius (posterior, Nauplio Amymones F. oriundus) uxorem duxit Clymenen Cratei F. vel Philyram, vel Hesionem, natique ei filii Palamedes, Oeax & Nausimedon, Apollod. *l.* II. p. 45. *α.* Sed Strabo fabulam hanc de Nauplio ejusque filiis e nomine Naupliæ confictam a recentioribus esse, & in temporum rationem offendere docet: δεδόσθω γὰρ, inquit, Ποσειδῶνος εἶναι (τὸν Ναύπλιον) Ἀμυμώνης δὲ πῶς, τὸν κατὰ τὰ Τρωϊκὰ ἔτι ζῶντα, *l.* VIII. p. 368. Sed duos Nauplios fuisse constat ex Apollonio, qui *Argon.* l. I. p. 133. seqq. hanc seriem texit: Danai filia Amymone Neptuno peperit Nauplium: Nauplius Prœtum: Prœtus Lernum: Lernus Naubolum: Naubolus Clytoneum: Clytoneus Nauplium, qui expeditionis Argonauticæ socius fuit, pater Palamedis. Ναύπλιος (socius Argonauticæ expeditionis) ἀπόγονος τοῦ ἀρχαίου, τοῦ Ποσειδῶνος υἱοῦ καὶ Ἀμυμώνης, τῆς Δαναοῦ, Schol. Apollon. *d. l.* Orpheo tamen Ἀμυμώνης φίλος υἱὸς e Neptuno dicitur *Argon.* v. 200. Aliam sobolem Nauplii vide in *Seriphiis*.

Nauplienses ab Argivis, regnante Democratida, suis sedibus pulsi fuerunt: crimini datum fuit, quod Lacedæmoniis studerent, Pausan. *Messen.* p. 283.

Naupliensibus ejectis Mothone Messenica a Lacedæmoniis tradita fuit, ut illic habitarent, Pausan. *Messen.* p. 261. 283. Καὶ οἱ ἐκ τῆς Ναυπλίας ἐκεῖσε (εἰς Μεθώνην) ἀνεχώρησαν, Strabo *l.* VIII. p. 373.

CLEONÆI.

CLeonæ urbs sita in via qua Argis Corinthum itur, Strabo *l.* VIII. p. 377. nomen accepit a Cleone Pelopis filio, vel a Cleone Asopi filia, Pausan. *Corinth.* p. 111. Καλοῦνται δὲ Κλεωναὶ ἀπὸ Κλεώνης τῆς Ἀσωποῦ, τοῦ Ὠκεανοῦ καὶ Μετώπης. κατὰ δέ τινας, ἀπὸ τοῦ Νεμεαίου λέοντος, ὃν ἀνῆλεν Ἡρακλῆς, οἱονεὶ Λεωναὶ, Eustath. in *Iliad.* B.

G. Tom. XI.

Cleonæi, & Tegeatæ cum Argivis urbem Mycenas everterunt, & agrum inter se partiti sunt, Strabo *l.* VIII. p. 377.

Cleonæi cum pestilentia nihil minus quam Athenienses laborarent, Oraculi jussu Soli primum orienti caprum immolarunt, ac deinde lue sedata æneum caprum Apollini miserunt, Pausan. *Phocic.* p. 629.

NEMÆI.

NEmea inter Cleonas & Phliuntem erat, una cum luco, in quo Argivi ludos Nemeos celebrarunt, Strabo *l.* VIII. p. 377. Nomen accepisse ajunt a Nemea Asopi filia, Pausan. *Corinth.* p. 111. Νεμέα χώρα τῆς Ἤλιδος. ἐν ταύτῃ Δρύοπες ᾤκουν, Stephan. Sed Nemea in Elide non erat: vide Pausan. *Corinth.* p. 111.

Lycurgus Pheretis F. Admeti frater Nemeæ habitavit, & ducta uxore Eurydice, vel Amphithea Ophelten cognomento Archemorum genuit, Apollod. *l.* II. p. 27. *α.* Opheltæ nutrix fuit Hypsipyle Thoantis Lemnii filia, a Lemniis fœminis ob servatum patrem vendita: hæc cum Adrasto & ejus exercitui, viæ dux ad fontem esset, relictus ab ea puer Opheltes a Dracone peremptus fuit. Argivi vero draconem occiderunt, ac puerum sepeliverunt, ac Archemorum appellarunt, & in ejus honorem certamen Nemeum instituerunt, Apollod. *l.* III. p. 102. *α. β.*

Nemeæum leonem, inter Mycenas & Nemeam, circa montem, qui ab eventu Τρητὸς dictus fuit, grassantem Hercules occidit, ejusque exsuvias pro munimento deinde usurpavit, Diodor. *l.* IV. pag. 219.

HERMIONENSES.

HErmiona Europis filium, Phoronei nepotem, priscæ urbis Hermiones conditorem fuisse ajunt; Herophanes vero Trœzenius Europem, si filius fuit Phoronei, nothum fuisse existimat: alias enim ad ipsum Argivorum regnum perventurum fuisse, si legitimus fuisset, Pausan. *Corinth.* p. 150. Vocatam urbem Λακέρειαν primum, inde Ἑρμίον, ἀπὸ τοῦ τὸν Δία καὶ τὴν Ἥραν ἐνταῦθα ἀπὸ Κρήτης ἀφικομένους ὁρμισθῆναι, τροπῇ τοῦ ο εἰς ε, scribit Stephanus. Ἑρμιόνη καλεῖται οὕτως, ἐπειδὴ Ζεὺς καὶ Ἥρα ἐνταῦθα ὡρμίσθησαν ἀπὸ Κρήτης ἀφικόμενοι, ἀπὸ τοῦ ὁρμίζω, Eustath. *in Iliad.* B. Ἑρμιόνη δ᾽ ἐστὶ τῶν οὐκ ἀσήμων πόλεων, Strabo *l.* VIII. p. 373. Hermionen a Caribus habitatam fuisse ait Aristoteles, Strabo *l.* VIII. p. 374.

Hermionem Dryopes occuparunt ab Hercule & Meliensibus e regione, quæ Doris post vocata fuit, pulsi, Herodot. *l.* VIII. p. 542. Dryopes a Dryope Arcadis filio huc traductos e regione ad Sperchium, scribit Eustath. *in Iliad.* B. e Strabone.

Hermionenses in pugna navali ad Salaminem Græcis tres naves præbuerunt, Herodot. *l.* VIII. p. 542.

Hermionenses trecenti fuerunt in exercitu Græco ad Platæas coacto, Herodot. *l.* IX. p. 597.

Hermionenses unam navem Corinthiis adversus Corcyreos subministrarunt, Thucyd. *l.* I. pag. 20.

Hermionem Dorienses ex Argis obtinuerunt: bellum vero nullum inter Hermionenses & Argivos fuit, quamvis ab Argivis id proditum sit, Pausan. *Corinth.* p. 150. Certe ætate sua Dryopum urbem fuisse testatur Herodotus *l.* VIII. p. 553. Hermionenses suis sedibus ab Argivis pulsos concessisse ad eos qui Ἁλιεῖς dicebantur scribit Strabo *l.* VIII. p. 373.

ASINÆI.

Asine pagus Argolidis Naupliæ vicinus, & alia urbs Messeniæ, Strabo *l.* III. p. 373. & 360. Asine urbs Laconica: & alia urbs Messeniæ, Stephanus. Nomen accepit ab Asine Lacedæmonis filia, idem.

Asinen in Argolica terra Dryopibus ab Hercule e Dryopide pulsis Eurystheus odio Herculis, incolendam dedit, Pausan. *Messen.* p. 282. Δρυόπων δ' οἰκητήριόν φασιν εἶναι τὴν Ἀσίνην, εἴτ' ἐκ τῶν περὶ Σπερχειὸν τόπων ὄντας αὐτοὺς Δρύοπος τοῦ Ἀρκάδος κατοικίσαντος ἐνταῦθα, ὡς Ἀριστοτέλης φησίν. ἢ ὑφ' Ἡρακλέους
B ἐκ τῆς περὶ τὸν Παρνασσὸν Δωρίδος ἐξελάσαντος αὐτούς, Strabo *l.* VIII. p. 373. Eustath. *in Iliad.* B.

Asinæi cum Lacedæmoniis, regnante Nicandro, in Argolidem invadentibus, suas copias conjunxerunt, ac simul agrum Argivum populati sunt. Sed cum Lacedæmonii exercitum domum reportassent, Argivi cum Rege suo Erato Asinen oppugnarunt: ac aliquandiu quidem Asinæi de muris impetum hostium sustinuerunt, ac Argivorum cum alios, tum Lysistratum virtute clarum occiderunt: tandem muri parte occupata, uxoribus ac liberis clam in naves impositis, urbe & agro cesserunt. Argivi, oppido everso, suis finibus agrum addiderunt, Pausan. *Corinth.* p. 154. & *Lacon.* p. 170.

Asinæi ab Argivis sedibus suis pulsi, Lacedæmonem supplices venerunt: & necessitate adducti arma adversus Messenios una cum Lacedæmoniis tulerunt, Pausan. *Messen.* p. 230.

Asinæi, pulsis Messeniis, agri Messenici partem a Lacedæmoniis acceperunt, Pausan. *Messen.* p. 242. 281. Asinen Messeniæ urbem intelligo: Οἱ δ' ἐκ τῆς Ἀσίνης Ἀργείας ὑπὸ Λακεδαιμονίων εἰς τὴν Μεσσηνίαν μετῳκίσθησαν: καὶ ὁμώνυμος τῇ Ἀργολικῇ Ἀσίνῃ πολίχνη, Strabo *l.* VIII. p. 373.
D Asinæi cum Messeniis & Lacedæmoniis fœdus percusserant: ita neutris auxilia tulerunt, Pausan. *Messen.* p. 245.

Asinæi a Messeniis in Peloponnesum postliminio reversis, incolumes relicti fuerunt, suaque illis jura conservata, quod bello Messenico Lacedæmoniis contra ipsos militare noluissent, Pausan. *Messen.* p. 268. 281. 282.

Eiones pagus erat: eum Mycenæi incolis viduatum navale fecerunt: postea deletus fuit, ut ne quidem navale esset, Strabo *l.* VIII. p. 373.

Mases vel Masetus vicus est, Eustath. *in Iliad.* B.
E Πόλις Ἀργείων Stephano dicitus. Melina urbs Argiva, a qua Venus Μελιναία colitur, Stephanus.

TROEZENII.

Orus in hac terra primus genitus fertur, quæ ab eo Oræa dicta sit, cum illic regnaret, Pausan. *Corinth.* p. 141. Ei tamen Orus non Græcum, sed Ægyptium nomen videtur.

Althepus Neptuni filius, Ori e filia Leide nepos, accepto ab avo regno, terram eam Althepiam appellavit. Eo regnante ferunt Neptunum & Mi-
F nervam de loci tutela disceptasse, ita vero ex eo certamine discessisse, ut ex Jovis arbitrio communis utrique is honos esset: eam ob rem Minervam venerantur Πολιάδα & Σθενιάδα, Neptunum vero Regem cognomento: quin & vetustus ejus populi numus tridentis nota & Minervæ capite signatus fuit, Pausan. *Corinth.* p. 141. 142.

Saron Althepo successit. Eum ajunt Saronidi Dianæ templum ædificasse, in ea maris parte, quæ cænosa, ideoque editior est: quamobrem etiam Phœbæam paludem appellatam esse. Eundem narrant, cum venandi studio plurimum delectaretur, cervum usque ad mare persecutum, atque inde cum fugientem acrius urgeret, se in eam alluviem demisisse: nantem vero longius jam a littore feram cum prædæ cupiditate captus non dimitteret, in pelagus provectum: ibi & labore confectum, & æstu maris submersum periisse: ejus cadaver ad Phœbeam paludem in Dianæ luco, atque adeo intra ædis maceriam conditum. Æstuarium illud ab eo casu pro Phœbæa Saronidem paludem appellatam perhibent, Pausan. *Corinth.* p. 142. Τροιζὴν ἐκαλεῖτο Σαρωνία καὶ Ἀπολλωνιάς, Stephan. Τροιζὴν, πόλις οὐκ ἄσημος. καλεῖται δὲ ἀπὸ Τροιζῆνος υἱοῦ Πέλοπος. ἡ δ' αὐτή ποτε καὶ Ἀφροδισιάς, καὶ Σαρωνία, καὶ
B ἡ Ποσειδωνία, ἡ Ποσειδωνιάς, ὡς ἱερὰ φησι Ποσειδῶνος, καὶ Ἀπολλωνιάς, Eustath. *in Iliad.* B. Stephanus fere eadem habet. Saronia dicebantur dies festi qui Dianæ quotannis celebrabantur, Pausan. *Corinth.* p. 147.

Hyperes & Anthas Neptuni filii, Atlantis e filia Alcyone nepotes, in hac terra quoque regnasse feruntur: a quibus illic condita oppida sint, ab Hypere Hyperea, ab Antha Anthea, Pausan. *Corinth.* p. 142. Τροιζὴν ἐκαλεῖτο Ἀνθανίς, Stephan.

Aetius Anthæ F. patri patruoque successit. Is alteram urbium Posidoniadem appellavit, Pausan. *Corinth.* p. 142. Τροιζὴν ἱερὰ Ποσειδῶνος, ἀφ' οὗ καὶ Ποσειδωνία ποτὲ ἐλέγετο, Strabo *l.* VIII. p. 373. Ποσειδωνιὰς dicitur Stephano, ut Pausaniæ.

Xanthus quidam imperavit Trœzene, a quo urbs Ξανθοιο πολίχνη dicitur Callimacho Hymn. *in Delum*, v. 41. Schol. Callimach.

Trœzen & Pittheus Pelopis filii, cum ad Aetium venissent, in societatem regni recepti fuerunt, ut jam tres, pro uno, Reges essent. Firmiores certe Pelopis filiorum opes fuisse ea res argumento esse potest, quod cum Trœzen e vita discessisset, Pittheus Hyperean & Anthean in jus ac formam u-
D nius civitatis redactas Trœzena de fratris nomine appellavit, Pausan. *Corinth.* p. 142. Filiorum Pelopis εἷς γενόμενος Πιτθεὺς ὁ Θησέως πάππος, πόλιν μὲν οὐ μεγάλην τῶν Τροιζηνίων ᾤκισε, δόξαν δὲ μάλιστα πάντων, ὡς ἀνὴρ λόγιος ἐν τοῖς τότε καὶ σοφώτατος, ἔσχεν, Plutarch. *Theseo* init. Τροιζὴν δὲ καὶ Πιτθεὺς οἱ Πέλοπος, ὁρμηθέντες ἐκ τῆς Πισάτιδος, ὁ μὲν τὴν πόλιν ἐπώνυμον ἑαυτοῦ κατέλιπεν, οἱ δὲ Πιτθεὺς ἐβασίλευσεν, ἐκεῖνον διαδεξάμενος, Strabo *l.* VIII. p. 374. Trœzen urbs Peloponnesi, nomen accepit a Trœzene Pelopis F. Stephan. οὐδ' αὐτὴ ἄσημος πόλις, Strabo *l.* VIII. p. 373. Ἔσχατον χώρας Πελωπίας προνώπιον vocatur Euripid. *Hippol.* v. 373. seq. Trœzenis filii
E Anaphlystus & Sphettus in Atticam migrarunt, a quibus duæ curiæ Atheniensium nomina acceperunt, Pausan. *Corinth.* p. 142. Pittheus Ægeo Trœzenem transeunti Æthram filiam uxorem dedit, Apollod. *l.* III. p. 135. β. Euripid. *Med.* v. 683. & seqq.

Πιτθεὺς τίς ἐστι γῆς ἄναξ Τροιζηνίας.
Παῖς, ὡς λέγουσι, Πέλοπος, εὐσεβέστατος.
Τούτῳ θεοῦ μαντεῖμα κοινῶσαι θέλω,

ait Theseus: vide Plutarch. *Theseo*. Anthes Aetii filius ante Trœzenem & Pittheum imperasse, de-
F inde navibus avectus Halicarnassum condidisse, dicitur a Strabone *l.* VIII. p. 374. Aetii posteros coloniam, Myndum & Halicarnassum in Caria, deduxisse scribit Pausan. p. 142.

Trœzeniorum Magistratibus Pan per somniorum visa monstrasse dicitur famis levationem, qua præ cæteris affligebantur Athenienses: inde Panis Λυτηρίου apud eos cella, Pausan. *Corinth.* p. 146.

Trœzenii Argivis postea paruerunt: nam Homerus in Catalogo *Iliad.* B. v. 561. seqq. Diomedem Cyanippi Argivi tutorem illis imperasse scribit, Pausan. *Corinth.* p. 143.

Trœzenii, Heraclidis in Peloponnesum redeuntibus, Dorienses ex Argis in suam urbem receperunt, Pausan. *Corinth.* p. 142. 143. inde Trœzenii Δωρικὸν ἔθνος dicuntur Herodoto *l.* VIII. p. 542.

Olymp. LXXV. Trœzenii in pugna navali ad Artemisium quinque, ad Salaminem totidem naves Græcis præbuerunt, Herodot. *l.* VIII. pag. 528. 542.

Olymp. LXXV. Trœzenii post cæsum ad Thermopylas Leonidem, auxilio venere ad Isthmum cum omnibus copiis, una cum reliquis Peloponnesiis, Herodot. *l.* VIII. p. 552.

Olymp. LXXV. Trœzenii mille fuerunt in exercitu Græco ad Platæas contra Xerxem coacto, Herodot. *l.* IX. p. 596.

Trœzenii rogantibus Corinthiis duas naves adversus Corcyræos suppeditarunt, Thucyd. *l.* I. p. 20.

Olymp. XCI. 2. Trœzeniorum, qui Lacedæmoniorum erant socii, agros ac villas vastarunt Argivi, Diodor. *l.* XII. p. 125.

Trœzenii, Corintho ab Arato liberata, se in Concilium Achæorum contribuerunt, Pausan. *Corinth.* p. 100.

EPIDAURII.

CAres eam urbem tenuerunt, quæ Επίκαρος tum vocabatur. Επίδαυρος δ' ἐκαλεῖτο Επίκαρος. (sic lego pro Επίταυρος cum Casaubono) φησὶ γὰρ Αριστοτέλης κατασχεῖν αὐτὴν Κάρας, Strabo *l.* VIII. p. 374. Εἶτα, Επίταυρος ὠνομάσθη, καὶ ἐκεῖθεν Επίδαυρος. Κατὰ δὲ τῶν Γεωγράφων καὶ Επίκαρον αὐτὴν οἴονταί τινες, ὡς Καρῶν αὐτήν ποτε κατασχόντων, Eustath. *in Iliad.* B. Vocabatur & Μηλιασία & Αἴμηρα (Μιλησία καὶ Αἰμηρὰ Eustath.) διὰ τὸ συνεχῶς αἱμάσσεσθαι τὸν βωμὸν τοῦ Ασκληπιοῦ ὑπὸ τῶν θυσιῶν, Stephan. Vocata etiam fuit Λειμηρὴ, ὡς λειμῶνας ἔχουσα: vel per ἰῶτα, ὡς πολυλίμενος, οἱονεὶ λιμενηρά τις οὖσα, Eustath. vide Strabon. *l.* VIII. p. 368. Eratque non obscura hæc urbs, maxime ob Æsculapii claritatem, quem omnis generis morbos depellere credebant, habebatque illic templum semper refertum ægrotantibus, suspensisque tabulis, in quibus morborum curationes consignatæ erant, Strabo *l.* VIII. p. 374. Ipsi Epidaurii eam Apollini tribuerunt, eique eam sacratam ex occasione hujusmodi tradiderunt. Venisse in Peloponnesum Phlegyam, omnium sui temporis bellatorem acerrimum, simulato ejus terræ visendæ studio, re ipsa ut specularetur, quam frequens ea esset incolarum multitudine, quidque militaris ætatis ac roboris haberet. Ejus filia, quæ patrem comitabatur, Coronis, cum adhuc se uterum ferre ex Apolline patrem celasset, in his finibus puerum enixa, illum in monte exposuit, qui ante Μύρτιον, inde Τίτθειον appellatus fuit, eo quod infanti exposito capra lac præbuerit, quæ cum cæteris in eo saltu pascebatur, dum interea eum canis custodiret. Ibi caprarius Aresthanas, cum a reliquo grege, capellam unam, & cum ea canem aberrasse, in pecore recensendo animadvertisset, totum eum saltum, studiose quæritans, peragravit: inventum vero puerum cum tollere cuperet, ac jam propius accederet, effulsisse ajunt ab illo cœlestem ignem. Pastorem, cum divinum quiddam id esse suspicaretur, retrocessisse. Mox fama per terras & maria omnia vulgavit, sanari ab illo, quovis morbo laborantes: mortuos etiam excitari. Apollophani vero Arcadi, cum Delphos venisset, ex Deo quæsiturus, genitus ne ex Arsinoe Leucippi filia, (nam & hoc narratur) & Messeniorum civis esset Æsculapius, respondit Pythia:

A *Ω μέγα χάρμα βροτοῖς βλαστὼν Ασκληπιὲ πᾶσιν,*
Ον Φλεγυηὶς ἔτικτεν ἐμῇ φιλότητι μιγεῖσα
Ιμερόεσσα Κορωνὶς ἐνὶ κραναῇ Επιδαύρῳ.

Asclepi auxilium cunctis mortalibus almum,
Filia quem Phlegyæ peperit mihi juncta cubili,
In campis Epidaure tuis, formosa Coronis.

Pausan. *Corinth.* p. 132. 133. Æsculapium, quidam Arsinoes, quidam Coronidis filium esse ajunt. Asclepiades ait Arsinoen filiam esse Leucippi, Perieris neptem, e qua & Apolline Æsculapius natus sit & Eriopis:

B *Η δ' ἔτεκ' ἐν μεγάροις Ασκληπιὸν ὄρχαμον ἀνδρῶν,*
Φοίβῳ ὑποδμηθῶσα, ἐΰπλόκαμόν τ' Εριῶπιν.

Socrates vero ostendit Æsculapium Arsinoe quidem natum, sed a Coronide adoptatum fuisse: in carminibus vero quæ Hesiodo tribuuntur, hæc de Coronide dicuntur:

Τῇ μὲν ἄρ ἦλθε κόραξ. φράσε δ' ἄρα ἔργ' ἀΐδηλα
Φοίβῳ Ακερσεκόμῃ, ὅτ' ἄρ Ισχυς ἔγημε Κορωνὶν
Εἰλατίδης Φλεγύαο Διογνήτοιο θύγατρα.

C Et Homerus *Hymno in Æsculapium*:

Ιητῆρα νόσων Ασκληπιὸν ἄρχομ' ἀείδειν,
Υἱὸν Απόλλωνος, τὸν ἐγείνατο δῖα Κορωνὶς
Δωτίῳ ἐν πεδίῳ, κούρη Φλεγύου βασιλῆος

Aristides vero in libr. *de Cnido*, sic scribit: Ασκληπιὸς Απόλλωνος παῖς καὶ Αρσινόης. αὕτη δὲ παρθένος οὖσα, ὠνομάζετο Κορωνίς. Λευκίππου δὲ θυγάτηρ ἦν τοῦ Αμύκλα, τοῦ Λακεδαίμονος, Schol. Pindar. *Pyth.* III. antistr. α. Ischys is, qui cum Coronide concubuit, Elati filius fuit, Arcas, Schol. Pindar. *Pyth.* III. stroph III. Ασκληπιὸν φύσει καὶ ἀγχινοίᾳ διενέγ-
D καντα ζηλῶσαι τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην, καὶ πολλὰ τῶν συντεινόντων πρὸς ὑγίειαν ἀνθρώπων ἐξευρεῖν. ἐπὶ τοσοῦτο δὲ προβῆναι τῇ δόξῃ, ὥστε πολλοὺς τῶν ἀπεγνωσμένων ἀρρώστων παραδόξως θεραπεύειν, καὶ διὰ τοῦτο πολλοὺς δοκεῖν τῶν τετελευτηκότων ποιεῖν πάλιν ζῶντας, Diodor. *l.* IV. p. 273. Æsculapii filii fuerunt Machaon & Podalirius, qui paternam edocti artem ad Trojam cum Agamemnone militarunt, Diodor. *l.* IV. p. 273. Ηπιώνης etiam filius Æsculapii dicitur fuisse. Ασκληπιοῦ δ' Ηπιώνης ὁ Ποδαλείριος καὶ Μαχάων, Aristides lib. *de Cnido* apud Schol. Pindar. *Pyth.* III. antistroph. α. Machaonis filius fuit Nicomachus medicus Stagirita: ex quo progenitus est Nicoma-
E chus pater Aristotelis Philosophi, Suidas. Coronidem quidam a Diana interemptam tradunt, quod Æsculapio gravida, cum Ischye Elati filio concubuerit, non sine contumelia Apollinis, e quo conceperat, Pausan. *Corinth.* p. 133.

Epidaurus porro nomen accepit ab Epidauro Pelopis, (ut Elei tradunt) Argi Jovis filii, (ut Argivi & Eœarum magnarum scriptor volunt) filio, Pausan. *Corinth.* p. 132.

Jones ex Attica tetrapoli in Argolidem profecti, una cum Caribus in Epidauro habitarunt, Strabo *lib.* VVII. p. 374. sic enim accipio quæ ibi scribit: Τῶν δ' Ηρακλειδῶν κατελθόντων (φησὶν Αριστοτέλης)
F Ιωνας αὐτοῖς (Καρσὶ) συνοικῆσαι τοὺς ἐκ τῆς Αττικῆς τετραπόλεως συνεπομένους εἰς Αργος: eaque ita interpretor; Aristoteles ait, quo tempore Heraclidæ in Peloponnesum redierunt, Iones eos una cum Caribus in Epidauro habitasse, qui in Argolidem ex Attica tetrapoli commigrarant. Xylander ita vertit, quasi Iones Heraclidis redeuntibus se socios præbuerint, & cum iis Epidaurum tenuerunt. Sed neque Iones reditus Heraclidarum socii fuerunt; imo vero Iones, qui tum Epidaurum te-

nebant, Dorienſibus urbe tradita Athenas conceſſerunt. Vide quæ ſequuntur.

Pityreus ex Jone Xuthi filio oriundus regnaſſe in Epidauro traditur, ante Dorienſium in Peloponneſum reditum: Deiphonti vero & Argivis ſine pugna tradidiſſe imperium: ipſe Athenas iviſſe una cum civibus ſuis, ac ibi domicilium conſtituiſſe, Pauſan. *Corinth.* p. 132. Pityrei filius Procles ejectos ex Epidauria terra a Deiphonte & Argivis, magno numero in Samnum deduxit, idem *Achaic.* p. 403.

Deiphontes, Antimachi F. Thraſyanoris nepos, Cteſippi pronepos, Herculis abnepos, Temeni Argivorum Regis per filiam Hyrnetho gener, a ſocero rebus gerendis omnibus adhibitus, terram Epidauriam occupavit, cum ea Argivorum manu, qui a reliquis Argivis, Temeno a filiis occiſo, deſciverant: nam & Deiphontes & Hyrnetho Temeni liberos oderant, & quæ eos multitudo ſequuta fuit, plus eis multo, quam Ciſo & fratribus ejus, favebat, Pauſan. *Corinth.* p. 132. Ciſus vero & reliqui Temeni filii non mediocri dolore Deiphontem affectum iri, ſi ab eo Hyrnetho abducerent, noverant. Itaque Cerynes & Phalces (Agræo enim natu minimo fratrum conſilium diſplicuit) Epidaurum venerunt: & conſiſtentes cum curru ante muros, per caduceatorem ad colloquium ſororem evocarunt. Illa ubi venit, primum omnium adoleſcentes Deiphontem criminari cœperunt: deinde illam obnixe orare, ut Argos rediret, polliciti cum alia multa, tum viro eam ſe nuptum daturos, & rebus omnibus multo, quam Deiphontes eſſet, meliori, & cum hominum numero, tum agri felicitate ſuperiori. At illa verba fratrum indigniſſime tulit, ac ut par pari referret, Deiphontem ſibi merito placere reſpondit, fuiſſeque eum Temeno generum minime pœnitendum; at illos Temeni percuſſores potius, quam filios appellari poſſe. Ad quæ illi nihil reſpondentes, fœminam arreptam atque currui impoſitam abduxere. Quod cum Epidauriorum quidam ad Deiphontem detuliſſet, ille quam potuit celerrime fugientes eſt inſequutus, & Epidaurii, re audita, præſto fuere. Deiphontes quidem homines aſſequutus, Cerynen jaculo transfixit: at Phalcen, cum Hyrnetho arcte complexus teneret, jaculari veritus, ne illam, ſi forte aberraſſet, interimeret, cominus cum eo congreſſus, abſtrahere a muliere conatus fuit. At Phalces pertinacius & violentius retinens ac trahens, mulierem, cum gravida eſſet, exanimavit, & commiſſo facinore, ſibi ab Epidauriis metuens, incitato vehementius curru ſeſe in fugam dedit. Deiphontes cum liberis ſublatum Hyrnethus cadaver, in eum locum deportavit, qui ab ea Hyrnethium dictus fuit: conditoque illi Heroico monumento, & alios illi honores habuere, & ſanxerunt, ne quæ aut ex oleis, aut alia ulla arbore in eo agro enata, vi aliqua abſciſſa avulſave forent, a quoquam aſporari ad ullum uſum poſſent, ſed quod ſacra eſſent Hyrnetho, ut omnia illic relinquerentur, Pauſan. *Corinth.* p. 136 137. Deiphontes ex Hyrnetho filios ſuſcepit Antimenem, Xanthippum & Argeum: filiam Orſobiam, quæ Pamphylo Ægimii F. nupſit, Pauſan. *Corinth.* p. 137. ſed Deiphontis filiam Pamphylo nupſiſſe abſonum eſt, cum hic Hyllo σύγχρονος fuerit, & ante Troica tempora vixerit. Marcian. Περιηγ. p. 22. v. 537. ſeqq.

Τῶν δὲ περὶ τὴν Ἀκτὴν Ἀγαιὸν, ὡς λόγος
Καὶ Δηϊφόντην υἱὸν ὄντα Τημένου, ſc. ἡγεμόνα.

Epidaurus ſita ad mare erat, bonum portum habens, unde & λιμενηρὰ appellata, ut ſupra dictum eſt: itaque τὴν περὶ τὴν Ἀκτὴν de Epidauriis hic dicitur. Quis autem Ἀγαιὸς fuerit, me neſcire fateor. Deiphontem vero Temeni filium vocat, qui gener fuerat.

Procles Epidauriorum Tyrannus (Patrocles Pauſaniæ) Periandro Corinthiorum Tyranno filiam Meliſſam uxorem dedit, Herodot. *lib.* III. p. 204. Vide in *Corinth. Periand.* Procles & alios multos crudeliter ac nefarie interemit, & Timarchum Athenis cum opibus ad ſe venientem amice ac benevole acceptum e medio ſuſtulit, ejuſque cadaver in ſportam conjectum demerſit. Hæcque aliis clam per Cleandrum Æginetam patravit. Poſtea rebus turbatis, fratrem Cleotimum clandeſtine oraculum conſulturum miſit de fuga atque morte ſua. Reſpondit ergo Deus ſe dare Procli exilium atque mortem, ubi ſportam juſſiſſet deponi ab hoſpite illo Ægineta, aut ubi cervus cornua defodit: Tyrannus intelligens Deum jubere, ut ſeipſum demergeret, vel defoderet, aliquamdiu rem diſtulit. Deinde rebus plane afflictis, Tyrannide excidit. Ibi Tymarchi amici comprehenſum necarunt, & cadaver in mare abjecerunt, Plutarch. *de Pyth. Oracul.* p. 622. A.

Epidauriis parebant Æginetæ, cum in aliis, tum vere in litibus, quas Æginetæ inter ſe, vel actores, vel rei, illuc ſe conferentes, agebant, Herodot. *lib.* V. p. 361. Et certe Æginetæ Dores erant ex Epidauro, Herodot *lib.* VIII. p. 543.

Epidaurii, cum ſoli ſterilitate premerentur, Delphos miſerunt de ea calamitate conſulturos. Eos Pythia juſſit Damiæ & Auxeſiæ ſimulacra erigere, & tum melius cum iis actum iri ſpopondit. Sciſcitantibus Epidauriis e qua materia fieri illa oporteret, reſpondit, e ligno oleæ. Fertur vero nuſquam niſi Athenis illa tempeſtate oleas fuiſſe. Itaque Epidauri ab Athenienſibus oleam petunt. Athenienſes, qui oleas ſacratiſſimas eſſe exiſtimant, ea conditione ſe daturos ajunt, ſi Epidaurii quotannis ſacra Minervæ Urbanæ & Erechtheo afferant. Conditionem accipiunt Epidaurii, & ſimulacris confectis, redditaque ſuæ terræ fertilitate, Athenienſibus, de quo convenerat, bona fide perſolvunt, Herodot. *lib* V. p. 361. Ea ſimulacra ſe vidiſſe, iiſque ſacra feciſſe ſcribit Pauſanias *Corinth.* p. 141.

Epidaurii ab Æginetis (quibus prius imperarant) poſt defectionem magnas clades accepere, ſpoliati etiam ſimulacris Damiæ & Auxeſiæ. Inde Epidaurii non amplius, quod pacti fuerant, Athenienſibus ſolverunt, & expoſtulantibus de eo reſponderunt, id ab Æginetis exigendum, in quorum poteſtate iſta ſimulacra eſſent, Herodot. *lib.* V. p 362.

Epidaurii in pugna navali ad Artemiſium Græcis octo naves præbuerunt, Herodot. *lib.* VIII. init.

Epidaurii poſt cæſum ad Thermopylas Leonidem, in Iſthmum cum omnibus copiis auxilio una cum reliquis Peloponneſiis venerunt, Herodot. *lib.* VIII. p. 552.

Epidaurii octingenti fuerunt in exercitu Græco ad Plateas contra Xerxen coacto, Herodot. *lib.* IX. p. 596.

Epidaurii rogantibus Corinthiis naves quinque ſuppeditarunt adverſus Corcyræos, Thucyd. *lib.* I. p. 20.

Epidaurii hoſtiam Apollinis Pythii, quam paſcuorum nomine debebant, mittere neglexerunt. Eo prætextu Argivi, in quorum poteſtate templum erat, iis arma intulere. Sed vel ſine illa cauſa Alcibiades ac Argivi Epidaurum, ſi potuiſſent, occupare ſtatuerant, cum ut Corinthus quieſceret, tum ut Athenienſes ex Ægina compendioſiore itinere ſuppetias illis ferrent, Thucyd. *lib.* V. p. 383.

Epidaurii liberata per Aratum Corintho, Achæorum Concilio sese addiderunt, Pausanias *Corinth.* pag. 100.

In Epidauro viri CLXXX. Remp. administrabant: ex quibus Senatores eligebant, quos Αρτυνας vocabant. Plebis vero maxima pars in agris degebat, quam vocant Κονίποδας, ut licet conjicere, a pulvere pedum notos, quando in urbem adveniebant, Plutarch. *Quæst. Græc.* §. 1. Αρτυνος, ἄρχων, Hesych. Κονιορτόποδες, ἀγροῖκοι ἐργάται, idem.

PHLIASII.

Arans αὐτόχθων primus in ea regione exstitisse traditur, que ab ipso Arantia appellata fuit, cognominis urbi ab ipso in colle Arantino conditæ, Pausan. *Corinth.* p. 107. Æqualem Prometheo Japeti F. Arantem fuisse asserunt, tribusque ætatibus superiorem Pelasgo Arcade, & iis qui apud Athenienses αὐτόχθονες sunt appellati, Pausan. *Corinth.* p. 110. Φλιοῦς πόλις Πελοποννήσου, ἡ πρότερον Αραιθυρία καὶ Αραντεια, Stephanus.

Aoris filius Arantis. Is quo defuncto e sororis Aræthyreæ memoriam testatam relinqueret, regionem totam Aræthyream nominavit, Pausf. *Corint.* p. 107. Αραιθυρέα δ' ἐστὶν ἡ νῦν καλουμένη Φλιασία: πόλιν δ' εἶχεν ὁμώνυμον τῇ χώρᾳ πρὸς ὄρει Κοιλώσσῃ, Strabo *lib.* VIII. p. 382. Aorin & Aræthyrean & venandi peritia: & bellica virtute præstitisse memorant Phliasii, Pausan. *Corinth.* p. 107.

Phliantem Bacchi & Aræthyreæ filium tertii nominis auctorem fuisse, scribit Pausan. *Corinth.* p. 107. Phliuntem Bacchi & Chthonophyles filium, tradunt Stephan. & Schol. Apollon. *Argon.* lib. I. p. 12. Bacchum ipsum Φλυοῦντα appellatum fuisse, ἀπὸ τοῦ φλύειν τὸν οἶνον, ὅ ἐστιν ἀνθεῖν, auctor Schol. Apollod. *d. loco.* ὠνόμασται δὲ (urbs, an Bacchus, an ejus filius) παρὰ τὸ φλεῖν, ὅ ἐστιν εὐκαρπεῖν. Λακεδαιμόνιοι δὲ τὸν μηνῶν ἕνα Φλιάσιον καλοῦσιν, ἐν ᾧ τοὺς τῆς γῆς καρποὺς ἀκμάζειν συμβέβηκεν, Stephan. φλύαξ μέθυσος, μεθυαστής, γελοιαστής, Hesych. φλυήσιος ὁ Ερμῆς, καὶ μηνύτης, idem. Videtur vero mihi confictum esse ex occasione nominis a Phliante vel Phliunte appellatam fuisse Phliuntem: certe post Phliantem nomen Aræthyrea obtinebat. Apollonius inter Argonautas recensens Phliantem *lib.* I. v. 115. seq.

> Φλίας αὖτ' ἐπὶ τοῖσιν Αραιθυρέηθεν ἵκανεν,
> Ενθ' ἀφνειὸς ἔναιε Διωνύσοιο ἕκητι
> Πατρὸς ἑοῦ πηγῇσιν ἐφέστιος Ασωποῖο.

Homerus recensens populos qui Agamemnonis imperio continebantur *Iliad.* B. v. 571.

> Ορνειάς τ' ἐνέμοντο, Αραιθυρέην τ' ἐρατεινήν.

Neque vero Phlius in eodem loco sita fuit, quo Aræthyrea, sed inde ad XXX. stadia distans. Οἱ δ' ὕστερον ἀναστάντες ἐκεῖθεν πρὸς τριάκοντα σταδίων ἔκτισαν, ἣν ἐκάλεσε Φλιοῦντα, sitam in medio Sicyoniæ, Argolidis, Cleonarum & Stymphali, Strabo *lib.* VIII. p. 382. Marcian. Περ. p. 22.

Εν τῇ μεσογείᾳ ἐστὶν ἡ Φλιασία.

Phliasios non esse Arcadici nomini declarant Homeri versus, quibus Arcades enumerantur; neque enim ipsi eo delectu comprehenduntur, Pausan. *Corinth.* p. 106. Phliantis uxor Chthonophyle fuit Sicyonis filia, & filius ex illa Androdamas, Pausan. *Corinth.* p. 108.

Rhegnidas Phalcis filius, Temeni nepos, Heraclida, ab Argis & Sicyone cum exercitu Phliuntem venit: ac cæteri quidem Phliasii non recusabant, quod ille postulabat, ut sedes quique suas re- [A] tinerent, ipsi regnum deferrent, sociis agrum assignarent; at Hippasus totaque ejus factio obsistendum censebant, neque omnino sine pugna tam multis ac præclaris bonis cedendum Doriensibus. Sed cum ejus sententiam populus repudiasset, Hippasus cum iis qui sequi voluere, in Samum concessit, Pausan. *Corinth.* p. 108. Tum Phliasii Dorienses facti, cum ante Argivi essent, idem *ibidem.* Leon Phliasiorum Tyrannus Pythagoræ σύγχρονος, Laertius in *Pythag.*

Olymp. LXXV. Phliasii ducenti Persas cum reliquis Græcis ad Thermopylas operiebantur, Herodot. *lib.* VII. p. 513.

[B] Olymp. LXXV. Phliasii mille erant in exercitu Græco contra Xerxen ad Platæas coacto, Herod. *lib.* IX. p. 597.

Olymp. CI. 2. Phliasii plurimi in exsilium pulsi fuerunt, quo tempore, abolita ὀλιγαρχίᾳ, popularem statum receperunt: exsules occupato quodam illius agri castello, magnis se mercenariorum copiis instruxerunt, & pugna cum Phliasiis commissa victores, supra trecentos eorum obtruncarunt. Sed aliquanto post fraude excubiarum prodiri exsules a Phliasiis victi fuerunt, eorumque sexcenti occisi: reliqui finibus expulsi Argos confu- [C] gerunt, Diodor. *lib.* XV. p. 357.

Phliunte habitavit Asopus Oceani & Thetyis F. a quo Asopus fl. nomen accepit. Is ducta uxore Medone Ladonis filia filios duos genuit, Pelasgum & Ismenum, & filias XII. Cercyram, Salaminem, Æginam, Pirenen, Cleonen, Theben, Tanagram, Asopin, Oeniam & Chalcidem. Ismenus in Bœotiam ad fluvium, qui ab ipso nomen accepit, concessit: Sinopen Apollo raptam Sinopen deportavit. Cercyram Neptunus in Corcyram insulam transtulit. Salamis a Neptuno in insulam Salaminem avecta, ex eodem peperit Cenchreum. Ægina in Ægineam a Jove traducta fuit, Diodor. *lib.* [D] IV. p. 373. 374.

Phliuntem Iphicrates Atheniensis cum copiis invasit, & ex insidiis prædam cum paucis egit: cumque cives ex urbe non satis caute suis opem ferrent, tot ex iis occidit, ut Phliasii, qui Lacedæmonios antehac intra mœnia non admiserant, veriti ne illi exsules reducerent, jactantes se ideo ejectos quod Lacedæmoniis favissent, jam sic ab iis qui Corintho venerant, sic metuerent, ut arcessitis Lacedæmoniis urbem & arcem tuendam traderent. Lacedæmonii vero, licet exsulibus faverent, tamen dum in sua potestate oppidum habebant, nullam de reducendis exsulibus mentionem fece- [E] runt. Imo, cum fidentior civitas esse videretur, urbem ac leges civibus, & ipsi acceperant, restituerunt, ac inde abierunt, Xenoph. *Hellen.* lib. IV. p. 409. Postea Phliasii ipsi de recipiendis exsulibus decretum promulgarunt, idem *ibid.* lib. V. p. 432. Sed cum exsules peterent, ut de rebus controversis apud æquum tribunal cognosceretur, & Phliasii eos cogerent in sua urbe causam disceptare, exsules Lacedæmonem profecti, Phliasios accusarunt. Ibi Agesilaus Phliuntem obsessam fame ad deditionem coegit, acceptaque a Spartanis potestate de Phliasiorum rebus pro lubitu statuendi, [F] quinquagenos exsulum & aliorum urbis civium delegit, cognituros, qui morte mulctandi, quique servandi essent, & deinde leges laturos, ex quibus Resp. administraretur, Xenophon *Hellen.* lib. V. p. 439. 440. 441. 442.

Phliasii quamvis ab Argivis & Sicyoniis vehementer premerentur, tamen in societate Lacedæmoniorum constanter perstiterunt, Xenoph. *Hellen.* lib. VII. p. 488. seqq.

Phliuntem prodentibus exsulibus pene occuparant Arcades & Argivi, sed summa civium virtute

dejecti fuerunt locis quæ cœperant, Xenoph. *Hellen.* lib VII. p. 489. seq.

CYNURII.

Cynura urbs Argiva, nomen accepit a Cynuro Persei filio, Stephan. Cynurii ab Argivis oriundi, & in coloniam a Cynuro Persei filio deducti dicuntur, Pausan. *Lacon.* p. 160. Τούτων (Peloponnesiorum) τὰ μὲν δύο αὐτόχθονα ἐόντα κατὰ χώρην ἵδρυται, νῦν τε καὶ τὸ πάλαι οἴκεον, Ἀρκάδες καὶ Κυνούριοι, Herodot. *lib.* VIII. p. 553.

Cynurii, Echestrato Spartæ regnante, a Lacedæmoniis omnes, qui militari essent ætate, sedibus suis ejecti fuerunt. Crimini datum, quod prædones e Cynuriaco agro, Argivorum Doriensium, qui sibi consanguinei essent, fines populationibus infestos redderent: ipsique adeo Cynurii in eundem agrum aperte excursiones facerent, Pausan. *Lacon.* p. 160.

Cynurii ab Argivis Doriensibus subacti, in Doriensium mores transiverunt. Οἱ δὲ Κυνούριοι αὐτόχθονες ἐόντες, δοκέουσι μοῦνοι εἶναι Ἴωνες, ἐκδεδωρίευνται δὲ, ὑπὸ Ἀργείων ἀρχόμενοι, Herodot. *lib.* VIII. p. 553.

Cynurius ager Thyrean & Arthenan continebat: de eo Argivi & Lacedæmonii, quod in confiniis situs esset, semper contendebant, Thucyd. *lib.* V. p. 373.

Cynuræorum, qui in Arcadia fuere, urbes, Gortys, Thisa, Lycotæ & Aliphera in Megalopolin translatæ fuerunt, Pausan. *Arcad.* p. 498.

ARCADES.

Pelasgum memorant Arcades primum omnium in ea terra, quæ post Arcadia dicta fuit, exstitisse: cumque magnitudine, robore ac forma, quin etiam animi dotibus cæteros superaret, regnum illi a suis traditum fuit. Asius Poeta:

> Ἀντίθεον δὲ Πελασγὸν ἐν ὑψικόμοισιν ὄρεσσι
> Γαῖα μέλαιν' ἀνέδωκεν, ἵνα θνητῶν γένος εἴη.

Cum autem regnare cœpisset, primum quidem rudes homines docuit tuguria, ad frigoris, imbrium & æstus incommoda arcenda, ædificare. Idem tunicas facere instituit e suillis coriis: adhæc cum vulgo adhuc virente fronde, herbisque ac radicibus non modo non cibariis, sed plerumque perniciosis, incautius vescerentur, docuit eos, rejectis illis, victitare quercuum fructu, non quidem omnium, sed fagi glandibus. Et hæc victus ratio a Pelasgo instituta tamdiu apud nonnullos permansit, ut etiam Pythia, cum Lacedæmonios ab Arcadia abstinere juberet, hunc versum ediderit cum aliis:

> Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν.

Ab hoc Rege totam eam regionem Pelasgiam appellatam ferunt, Pausan. *Arcad.* p. 455. 456. Arcadia initio Drymodis, mox Pelasgis appellata, Plin. *lib.* IV. *cap.* VI. Pelasgum Jovis & Niobæ filium fuisse Acusilaus prodidit; Hesiodus eum αὐτόχθονα vocat, Apollod. *lib.* III. p. 109. Ego illum Argivum Pelasgum ab Arcade Pelasgo diversum puto, quamvis alii eundem putent; inter quos & Dionys. Halicarnassens. *lib.* I. §. 2. ubi hanc generis seriem proponit: Phoronei filia Niobe: hujus e Jove filius Pelasgus pater Lycaonis: cujus filiæ Deianiræ & Pelasgi filius Lycaon alter, pater Oenotri. Et confirmat auctoritate Pherecydis, qui de Regibus Arcadiæ scribens, docet ex Pelasgo & Deianira natum Lycaonem, qui ducta uxore Cyllene, Naide Nympha, ex illa montem Cyllenem appellarit: vide in *Parrhasiis*. Arcades omnium Græcorum antiquissimi habiti. Δοκεῖ δὲ τὰ παλαιότατα ἔθνη εἶναι τὰ Ἀρκαδικὰ τῶν Ἑλλήνων, Ἀζᾶνες, καὶ Παρράσιοι, καὶ ἄλλοι τοιοῦτοι, Strabo *lib.* VIII. p. 388. Αὐτόχθονες dicuntur Herodoto *lib.* VIII. p. 553. Marcian. p. 22.

> Τοὺς Ἀρκάδας μὲν οὖν λέγουσ' αὐτόχθονας.

Et ante lunam nati credebantur. Apollon. *Argonaut.* lib. VI. v. 264. seq.

> Ἀρκάδες, οἳ καὶ πρόσθε Σεληναίης ὑδέονται
> Ζώειν, φηγὸν ἔδοντες ἐν οὔρεσι. οὐδὲ Πελασγὶς
> Χθὼν τότε κυδαλίμοισιν ἀνάσσετο Δευκαλίδῃσιν.

Eudoxo & aliis Arcades ante lunam exstitisse videntur. Mnaseas eos ante lunam imperasse scribit: Aristoteles vero in Tegeatarum Rep. auctor est in Arcadia Barbaros habitasse, sed ejectos illinc ab Arcadibus, qui illos adorti sint, antequam luna oriretur. Quidam ajunt Endymionem cursum ac numeros lunæ invenisse, & ex eo Arcades appellatos Προσελήνους, cum Endymion Arcas fuerit, Sch. Apollon. Δοκεῖ δέ φασι παλαιότατα ἔθνη Ἑλλήνων εἶναι τὰ Ἀρκαδικά. διὸ καὶ Προσέληνοι ἐλέγοντο οἱ Ἀρκάδες· ὅπερ φασὶν Ἵππυς ὁ Ῥηγῖνος πρῶτον αὐτοὺς ἐκάλεσε, Eustath. *in Iliad.* Β. Stephan. quem vide.

Lycaon Pelasgi F. e Melibœa Oceani filia, vel e Cyllene Nympha, Apollod. *lib.* III. p. 109. α. Is nonnulla, vel sapientius quam suus pater, excogitavit: Lycosuram enim urbem in monte Lycæo condidit: Jovem Lycæum appellavit, & Lupercalia instituit. Ad Jovis Lycæi aram mactato infante, humanum sanguinem libavit: quare inter ipsa sacra in lupum eum mutatum tradunt, Pausan. *Arcad.* p. 456. 457. Lycaonem Pelasgi filium, Arcadum Regem, paterna instituta justitiæ studio servasse: cumque populos sibi parentes ab injustitia avertere vellet, dixisse, Jovem ad se frequenter venire, peregrino similem, ut justos injustosque inspiceret: & aliquando Deum hospitio excepturum, sacrificium fecisse; filios vero ejus scire cupientes an Deum hospitio excepturi essent, mactati pueri carnes victimæ carnibus miscuisse, ratos id clam non fore, si Deus adveniret: sed coorta tempestate, & fulmine erumpente, omnes qui puerum necarant, periisse, scribit Suidas *in* Λυκάων. Sic & Lycaonis filios superbia & impietate infames, Jovi hospitem simulanti, viscera mactati pueri sacris admixta, apposuisse, ideoque eos omnes, præter Nyctimum, cum Lycaone patre fulmine ictos interiisse scribit Apollodor. *lib.* III. p. 109. β. Solos Lycaonis filiorum Eleutherem & Lebadum οὐ μεταχεῖν τοῦ περὶ τὸν Δία μιάσματος, auctor est Plutarchus Κεφαλ. Ἑλλην. XXXIX.

Lycaonis liberi e multis uxoribus fuerunt L. qui ab Apollodoro recensentur fere omnes diversis nominibus, ab iis quæ Pausanias adfert, & hic jam referuntur: Nyctimus, Hæmon, Tricolonus, Orestheus, Phigalus, Orchomenus, Pallas, Trapezeus, Eleatas, Macareus, Helisson, Acacus, Thocnus, Hypseus, Mantineus, Mænalus, Tegeates, Chromus, Charisius, Perætus, Aseates, Lycæus, Sumateus, Halipherus, Heræeus, Oenotrus natu minimus, & filia Callisto. Eam Callimach. *Hymn.* I. v. 41. vocat Λυκαονίην ἄρκτον, ut docet Scholiastes: qui subjungit: ἐξ ἧς καὶ Διὸς μεταβληθέντος εἰς ἄρκτον γεννᾶται ὁ Ἀρκάς, ἀφ' οὗ οἱ Ἀρκάδες. Oenotro duce, Lycaonis filio, Arcades primi Græcorum, Jonico sinu trajecto, in Italiam concesserunt. Cum enim XXII. filii essent Lycaonis, in totidem partes Arcadicum agrum dividi oportebat: hanc igitur ob causam Oenotrus relicta Peloponneso, parataque classe Jonium mare trajecit, unaque Peucetius, unus fratrum, multique populares eos sequuti sunt,

& ex aliis Græcis quotquot agrum habebant minorem quam satis esset, Dionys. Halicarn. *lib.* I § 2.

Nyctimus Lycaonis F. natu maximus. Eo regnante regio tota, & urbium, & hominum numero magna incrementa cepit: reliqui enim Lycaonis filii sibi diversis, arbitrio quisque suo, agri partibus occupatis, oppida condiderunt, Pausan. *Arcad.* p. 458. Callisto a Jove ejus amore capto vitiata fuit: deprehensa in ursam a Junone versa, ac deinde in gratiam Junonis a Diana sagittis confixa fuit. Jupiter, quem illa ferebat in utero, puerum Mercurio servandum commisit, matre in numerum syderum relata, quæ Ursa major dicitur. Sed probabilius est, quo honos puellæ haberetur, sydus illi dicatum fuisse, præsertim cum sepulcrum ejus ostendant Arcades, Pausan. *Arcad.* p. 459. Νυκτίμου δὲ τὴν βασιλείαν παραλαβόντος, ὁ ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸς ἐγένετο: τοῦτον ἔνιοί φασι διὰ τὴν τῶν Λυκάονος παίδων δυσσέβειαν γεγενῆσθαι, Apollod. *l.* III. p. 110. *α.* quæ male vertit Ægius Spoletin. *Hoc sane alii Deucalionis filiorum impietate ac scelere factum fuisse scribunt*: pro *Deucalionis* pone *Lycaonis*.

Arcas Jovis filius, Lycaonis e filia Callisto nepos Is frumentum a Triptolemo acceptum popularibus suis tradidit, panem facere docuit, vestium texturam, totumque lanificium, quod ab Adrista didicerat, monstravit. Ab hoc Rege, terra quæ antea Pelasgia, Arcadia; & gens Pelasgi qui fuerant, Arcades nominati fuerunt. Habuisse vero illum uxorem Erato unam e Dryadibus Nymphis tradunt, & ex illa ei genitos Azanem, Aphidantem & Elatum: cum ante nuptias Autolycum suscepisset nothum. Ac filiis quidem adultis regnum trifariam divisit: ab Azane itaque Azania, quæ ei pars evenit, appellata: Aphidas Tegeam, & quæ adjacent, sortitus fuit: Elatus montem, qui postea Cyllene dictus fuit, obtinuit, Pausan. *Arcad.* p. 459. Ἀρκάδες ἀπὸ Ἀρκάδος υἱοῦ Διός, καὶ ἡ χώρα Ἀρκαδία, κληθεῖσά ποτε καὶ Πελασγία, καὶ Παρρασία, καὶ Λυκαονία, καὶ Γιγαντὶς, καὶ Ἀζανία, Eustath. *in Iliad.* B Stephan. Arcadis uxorem fuisse Leaniram Amyclæ filiam, vel Meganiram Croconis filiam, vel Chrysopeam Nympham, ut Eumelo placet: & duos tantum filios Elatum & Aphidantem, qui regionem inter se partiti sunt, sed ita ut summum imperium penes Elatum fuerit, scribit Apollod. *lib.* III. p. 110. *β.* Regionem divisam in tres partes, Parrhasios, Azanes & Trapezuntios: & Azaniam comprehendisse XVII. urbes, quas sortitus sit Azan, scribit Stephan. Ἀζανία μέρος τῆς Ἀρκαδίας, ἀπὸ Ἀζανὸς, τοῦ Ἀρκάδος, Stephan. malo Ἀζᾶνος τοῦ Ἀρκάδος, Μερὶς Ἀρκαδίας οἱ Ἀζᾶνες, Eustath. *in Iliad.* B. Arcas in urbe Mænalo sepultus fuit, sed postea Mantineam ejus ossa deportata fuerunt, ex hoc Apollinis Delphici oraculo:

Ἔστι δὲ Μαιναλίη δυσχείμερος, ἔνθα τε κεῖται
Ἀρκὰς, ἀφ' οὗ δὴ πάντες ἐπίκλησιν καλέονται.
Ἔνθα σ' ἐγὼ κέλομαι στείχειν, καὶ ἄφρονι θυμῷ
Ἀρκάδ' ἀειρόμενον κατάγειν εἰς ἄστυ ἐραννόν
Οὗ τρίοδος, καὶ τετράοδος, καὶ πεντακέλευθος,
Ἔνθα τε δὴ τέμενός τε, θυηλάς τ' Ἀρκάδι τεύχειν.

Elati filii erant Æpytus, de quo infra, & Ischys, de quo in *Epidauriis*.

Azan Arcadis filius. Ei vitæ muneribus perfuncto ludi funebres primum facti sunt: haut scio, an & alii ludi: de equiriis certe affirmare possum, Pausan. *Arcad.* p. 460.

Clitor Azanis filius. Is Lycosuræ Regiam constituit, fuitque Regum suæ ætatis potentissimus, & urbem Clitora a se conditam de suo nomine appellavit, idem *ibid.*

Æpytus Elati filius, cum Clitor nullos reliquisset liberos, Arcadum regno potitus est. Eum venatum egressum, seps incautum confecit, magnitudine minimæ viperæ, cineris colore, notis interpuncta variis, capite lato, gracili collo, alvo obesiore, perbrevi cauda, idem *ibidem*. Æpyto Euadnen Pitanæ a Neptuno compressæ filiam Neptunus alendam commisit. Pindar. *Olymp.* od. VI. antistr. II.

—— ἐκέλευσεν
Ἥρωϊ πορσαίνειν δόμεν Εἰλατίδᾳ
Βρέφος γ', ὃς ἀνδρῶν Ἀρκάδων ἄνασσε φαισάνα, λάχε τ' Ἀλφεὸν οἰκεῖν.

Euadne adulta compressa ab Apolline peperit Jamum, Pindar. *d. l.* vide Scholiast.

Aleus Aphidantis F. Arcadis nepos Æpyto in imperium successit, cum Stymphali filii quarto posteritatis gradu ab Arcade abessent. Is vetustum illud quod Tegeæ visebatur, Aleæ Minervæ fanum exædificavit, illicque Regiam suam constituit, Pausan. *Arcad.* p. 460. Aleus uxorem habuit Neæram Perei (Elati filii) filiam, Apollod. *lib.* III. p. 110. *β.* Filios habuit Lycurgum, Amphidamantem & Cepheum, filiamque Augen, cum qua, ut Hecatæus scribit, Hercules concubuit, cum forte Tegeam venisset: Id ubi ex puerperio puellæ rescivit pater, puerum cum matre in arcam conclusos in mare abjecit: arca delata fuit ad Teuthrantem, hominem dominatu pollentem in Campis ad Caicum amnem. Is puellæ forma allectus, eam sibi matrimonio junxit, Pausan. *Arcad.* p. 460. Tegeatæ vero commemorant Aleum Nauplio Augen tradidisse in mare projiciendam: eam vero in via in genua procumbentem puerum peperisse, eo ipso in loco, ubi postea ob hunc casum templum dedicatum fuit Lucinæ cognomento ἐν γόνασι. Alii vulgarunt Augen infantem Telephum clam patre enixam, in Parthenium montem exposuisse, ibique puero exposito cervam lac præbuisse, Pausan. *Arcad.* p. 532. 533. Telephus porro a Corythi bubulcis educatus, postea parentes investigans Delphos abiit, cognitisque illis oraculi voce, in Mysiam concessit, a Teuthrante adoptatus, ejus regni hæres factus fuit. Apollod *lib.* III. p. III. *α.* Cephei filius fuit Æropus, vel filia Æropæ: vide infra in *Ecbemus*; item filia Antinoe: de qua vide in *Mantinens.* vide & de Cepheo in *Laced. Tyndareus.* Amphidamas expeditionis Colchicæ socius fuit, Apollon. *Argon.* lib. IV. 161. seq. filiam habuit Naupidamen, Hygin. *Fab.* XIV.

Lycurgus Alei F. Is nihil ad memoriam aliud edidit, quam quod Arethum, hominem bellica virtute clarum, non æquo marte, sed dolo perculit, Pausan. *Arcad.* p. 461. Uxorem habuit Cleophilen, sive Eurynomen, Apollod. *lib.* III. p. III. *α.* Filios duos habuit, Ancæum & Epochum, Pausan. *Arcad.* p. 461. Amphidamantem & Idæum, addit Apollod. *lib.* III. p. III. *α. β.* Epochus morbo absumptus fuit. Ancæus cum expeditionis Colchicæ particeps fuisset, ac deinde Meleagro in oppugnatione Calydonii apri operam suam navaret, ab eadem stratus bellua, occubuit, Pausan. *Arcad.* p. 461. De Ancæo Samio ab apro interempto, vide in *Samiis*. Amphidamanti filius fuit Melanion, & filia Antimache Eurystheo nupta, Apollod. *lib.* III. p. III. *β.* Melanionis uxor fuit Atalanta Schœnei filia, & ex ea filius Parthenopæus, Apollod. *lib.* III. p. 112. *α. β.* Ferunt Melanionem & Atalantam in leonem & leænam conversos. Res ita se habet. Venanti secum Atalantæ Melanion concubiturus, speluncam leonis & leænæ ingressus, ab iis cum Atalanta discerptus fuit. Leone & leæna deinde solis egredientibus, fabulæ occasio data fuit, Palæphat. περὶ ἀπίστ. Lycurgum exacta ætate, filiis orbum, decessisse scribit Pausan. *Arcad.* p. 461. Antinoe filia Lycurgi, Schol. Apollon.

Echemus Aeropi filius, Cephei nepos, Alei pro- A nepos, Pausan. *Arcad.* p. 461. Aeropi filius, Phegei nepos, dicitur Herodoto *lib.* IX. p. 595. Aeropen filiam fuisse Cephei, cui Mars vitium obtulerit, illamque inter pariendum animam efflasse: puerum vero matrem complexum jam exanimem, profluentem ex ejus mamillis lactis copiam hausisse: id voluntate Martis factum, cujus etiam rei gratia Mars Ἀφνειός appellatus sit, puero ipsi nomen Aeropo fuisse scribit Pausan. *Arcad.* p. 528. hac ratione Echemus non nepos Cephei erit, sed pronepos. Echemo regnante Achæi Dorienses ad Isthmum Corinthiorum prælio fuderunt, reditum in Peloponnesum, Hyllo Herculis filio duce, mo- B lientes. In ea pugna Echemus Hyllum occidit, singulari certamine cum eo e provocatione congressus, Pausan. *Arcad.* p. 461. Herodot. *lib.* IX. p. 595. Echemi uxor fuit Timandra Tyndarei filia, Paus. *Arcad.* p 461. Apollod. *lib.* III. p. 116. α. β. Filium habuit Ladocum, a quo suburbanus vicus Ladocea appellatus, Pausan. *Arcad.* p. 527.

Echemo vel Lycurgo Rege videntur Arcades bellum cum Pyliis gessisse. Pylii contra Arcades de finibus pugnarunt ad montem Ancæum. Ibi Nestor e provocatione singulari certamine Eurythalionem Hippomedontis, vel, ut alii volunt, C Aphidantis filium occidit, & præ gaudio circumscripto loco excessit. Palpitante vero etiamnum Eurythalione Arcades impetu facto manum cum Pyliis conseruerunt, itaque victores fuerunt. Sepultis vero mortuis & Eurythalioni inscripserunt:

Ενθάδ' Ερευθαλίωνα, φίλος τ' ἐπὶ τύμβον ἔθηκαν
Αρκαδίης βασιλεῦς γόνος ἔξοχον Ιπ πομέδοντος,
Οἵ ποτε Νέστορα καὶ λαὸς (lege Πυλίους) πολέμῳ
δαμάσαντο.

Schol. min. *in Iliad.* Δ.

Agapenor Ancæi filius, Lycurgi nepos. Eo du- D ce Arcades ad bellum Troanum profecti fuerunt, Pausan. *Arcad.* p. 461. Arcades vero non suis ipsorum, sed acceptis ab Agamemnone, navibus profectos ad Trojam dicit Homerus *Iliad.* B. v. 609. seqq. Pausan. *Arcad.* p. 455. Thucyd. *l.* I. p. 7. Agapenor cum everso Ilio tempestas, quæ Græcos domum redeuntes disjecit, Arcadum classem ab instituto navigationis cursu in Cyprum avertisset, ibi Paphum urbem coloniam deduxit: ac in ea Veneris fanum erexit, cum ante apud Cyprios Dea hæc in modico oppido, cui Golgi nomen, coleretur. Ex illius posteritate Laodice fuit, quæ Paphi habitans, interjecto tempore, Aleæ Minervæ Tegeam E peplum misit, cum hac inscriptione:

Λαοδίκης ὅδε πέπλος· ἑᾷ ἀνέθηκεν Αθηνᾷ
Πατρίδ' ἐς εὐρύχορον Κύπρου ἀπὸ ζαθέας.

Pausan. *Arcad.* p. 462. Aristotelis in Agapenorem exstat Epitaphium:

Αρχὸς ὅδ' ἐκ Τεγέη Αγαπήνωρ, Αγκαίου υἱὸς
Κεῖθ' ὑπ' ἐμοὶ Παφίων πελτοφόρων βασιλεύς.

mendose pro Παφίων legitur Ταφίων, quod non ob- F servatum a Cantero: nam vertit *peltati Taphii.*

Hippothous Cercyonis filius, Agamedis nepos, Stymphali pronepos, cum Agapenor non rediisset in patriam, imperium Arcadum suscepit: is regni sedem Tegea Trapezuntem transtulit, Pausan. *Arcad.*

Æpytus Hippothoi filius. Eo regnante Orestes in Arcadiam venit. Cum autem Æpytus in templum Neptuni, quod Mantineæ fuit, conscisso funiculo laneo, qui homines ejus aditu prohibebat, penetrare ausus esset, quo nulli cuiquam homini (etiam ipsa ætate Pausaniæ) fas fuit accedere, oculis primum captus, vi subita marinæ aquæ cum occæcante: deinde non ita multo post e vita excessit, Paus. *Arcad.* p. 462. 471.

Cypselus Æpyti filius. Eo regnante Dorienses classe ad Rhion promontorium in Peloponnesum invaserunt. Forte Cypselus dum studiosius omnia exquirit, cognoscit Cresphontem Aristomachi filium nullis etiam tum nuptiis illigatum: quare desponsa ei filia, se omnemque regni partem nova affinitate contra ejus belli terrorem facile tutatus fuit, Paus. *Arcad.* p. 462. Τοῖς μὲν (Αρκάσι) ὀρεινοῖς τελέως οὖσι, καὶ οὐκ ἐμπεπτωκόσιν εἰς τὸν κλῆρον, Strabo *l.* VIII. p. 333.

Holæas (vel Laias) Cypseli filius. Is Ægyptum Cresphontis & sororis suæ filium una cum Heraclidis qui Lacedæmone & Argis auxilio venerant, in Messen reduxit, Pausan. *Arcad.* p. 462.

Bucolion Holææ filius, idem *ibid.*

Phialus Bucolionis filius. Is Phigaliam urbem, erepto conditori Phigalo suæ laudis monumento, Phialiam de suo nomine appellari jussit, quod tamen non est constanter omnino usurpatum, idem *ibid.*

Simus Phiali filius. Eo regnante Cereris Nigræ pervetustum signum, quod venerabantur Phigalenses, igni est consumptum: quæ res Simo vitæ finem, qui brevi consecutus est, facile videri potuit portendisse, idem *ibid.*

Pompus Simi filius. Eo regnante Æginetæ navibus primum Cyllenen appellere commercii causa instituere. Inde vero ad Arcadas jumentis impositas merces pervehebant. Ea Æginetarum studia tam illustri gratia Pompus excepit, ut filio etiam Æginetæ nomen imposuerit, idem *ibid.*

Ægineta Pompi filius. Is duos reliquit filios Polymestorem & Briacam, Pausan. *Arcad.* p. 462. 463.

Polymestor Æginetæ filius. Eo regnante primum Lacedæmonii ductu Charilli Tegeatarum fines cum exercitu adorti sunt: eos non viri solum, sed fœminæ etiam sumptis armis prælio fuderunt, & cum magna hostium manu ipsum quoque ducem vivum cepere, Pausan. *Arcad.* p. 462. 463. & 528.

Æchmis Briacæ filius, Æginetæ nepos, Polymestori sine sobole defuncto successit. Quo regnante, cum bellum inter Messenios & Lacedæmonios geri cœptum esset, Arcades minime occulte cum Aristodemo Messeniorum Rege in acie, quia antiquitus inter hos populos amicitia fuit, contra Spartanos stetere, Paus. *Arrad.* p. 463.

Aristocrates Æchmidis filius. Is & alia fortasse contra suos populares insolenter egit, & virginem Dianæ Hymniæ (cujus fanum est in Orchomeniorum finibus Mantinensi agro finitimum, quamque antiquissima religione Arcades venerantur universi) cum ad stuprum pellicere non potuisset, postremo ad aram Deæ confugientem violavit. Scelere patefacto incestum hominem Arcades lapidibus obruerunt, & sacerdotium transtulerunt ad mulierem virorum congressibus jam exsatiatam, idem *ibid.*

Hicetas Aristocratis filius, idem *ibid.*

Aristocrates Hicetæ filius. Hunc constitutum imperatorem ejus exercitus, qui auxilio ab omnibus Arcadum civitatibus missus erat Messeniis, (Αρκάδων μὲν Αριστοκράτην τὸν Ορχομενοῦ βασιλέα παρεχομένων στρατηγὸν, Strabo *l.* VIII. p. 362.) Lacedæmonii pecunia corruperunt, cum acie decertandum erat ad Magnam Fossam, (τὴν ἐπὶ Κάπρου μάχην, Plurarch. *de ser. Numin. vind.* init.) belli Messeniaci anno tertio. Ac primum, quid moliretur, Arcadas celavit Aristocrates: deinde vero cum utraque acies

signa

signa collatura esset, suis terrorem ac trepidationem fecit, si ad manus ventum esset, victis ex iniquo loco exitum nullum fore: & sibi quidem sacrificanti affirmavit nihil læti extra portendisse: edixit itaque, ut signo a se dato pro se quisque fuga saluti suæ consuleret: quare cum jam prælium iniretur, omnesque in hostem conversi essent Messenii, Aristocrates abduxit Arcadas, Messeniisque lævum cornu & acies media nudata est: in utraque enim agminis parte constiterant Arcades, cum neque Elei, neque Argivi, neque Sicyonii pugnæ interessent. Præterea quo efficacior esset proditio, Aristocrates fugiens per medios Messenios evasit. Insperata ista præsentium mutatione consternati Messenii, simulque isto Arcadum per suum agmen transitu turbati, parum absuit, quin plerique omnes ejus, quod in manibus erat, obliviscerentur: omissis enim Lacedæmoniis, qui se magno impetu in ipsos inferebant, ad Arcadas jam fuga sese proripientes respectabant: aliique supplices orabant ut manerent, alii conviciis illos & maledictis incessebant, proditores & fœdifragos appellantes, Pausan. *Messen.* p. 248. 249. Idem cum Ira capta ab Arcadibus rogaretur, ut se educeret, quo vel servarent Messenios, vel cum eis perirent, plane recusavit, pecunia a Lacedæmoniis accepta corruptus, neminem superesse Messeniorum, cui jam ferri auxilium posset, dictitans. At enim cum liquido jam constaret superstites esse Messenios, vi certe coactos Iram deserere, ultro cum vestimentis & cibariis eos accepturi ad Lycæum montem Arcades occurrerunt, præmissis civitatum principibus, qui socios consolarentur, & itinerum duces essent, Pausan. *Messen.* p. 257. Idem Aristocrates in codicillis perscripsit, quæ agitabat Aristomenes Messenius animo de invadenda Sparta, cumque iis codicillis servum, cujus maxime benevolentiæ fidebat, Spartam ad Anaxandrum Regem misit. Eum servum, dum Lacedæmone reverteretur, speculati Arcadum nonnulli (cum alias diffidere ab Aristocrate soliti, tum eo maxime tempore minimum illi fidei habentes) interceptum in Concilium Arcadum producunt. Ibi quæ ad Aristocratis epistolam rescripta fuerant, frequenti conventu recitata. Memorabat Anaxander fugam, quam fecisset Aristocrates ad Magnam Fossam, non parvo fuisse Lacedæmoniorum rebus auxilio: relaturos vero ipsi cum pro vetere merito, tum pro recenti indicio Lacedæmonios gratiam. Re in publicum prolata, Arcades in Aristocratem continuo lapides jecere, idemque ut facerent, Messenios cohortabantur: at illi Aristomenem intuebantur: is vero humi defixis oculis collacrymabat. Arcades obrutum lapidibus Aristocratem insepultum extra fines abjecere: columellam autem in Lycæi fano erexerunt, his versibus incisis;

Πάντως ὁ χρόνος εὗρε δίκην ἀδίκῳ βασιλῆϊ,
Εὗρε δὲ Μεσσήνης σὺν Διῒ τὸν προδότην
Ῥηϊδίως. χαλεπὸν δὲ λαθεῖν θεὸν ἄνδρ' ἐπίορκον.
Χαῖρε Ζεῦ βασιλεῦ, καὶ σάου Ἀρκαδίαν.

Pausan. *Messen.* p. 257. 258. 259. Effecit hoc Aristocratis flagitium, ut a Cypseli domo Arcadum imperium removeretur, idem *Arcad.* p. 463.

Olymp. LXXV. Arcades, post cæsum ad Thermopylas Leonidem, in Isthmum cum omnibus copiis auxilio venerunt, Herodotus *lib.* VIII. pag. 552.

Olymp. LXXXVII. 2. Arcades Lacedæmoniis contra Athenienses, non partium studio adducti, sed necessitate potius coacti, auxilia miserunt in bello Peloponnesiaco, Pausan. *Arcad.* p. 463.

Olymp. XCVI. 1. Arcades transmiserunt in Asiam cum Agesilao Rege Spartano, idem *ibidem.* p. 464.

Olymp. CII. 2. Arcades pugnæ Leuctricæ interfuerunt, idem *ibid.*

Olymp. CII. 3. Arcades, suasu Lycomedis Tegeatæ, in unum Reipub. corpus se conjunxerunt, communi instituto Concilio, quod ex decies mille viris constans de bello ac pace consultandi potestatem haberet. Sed tumultu inter Arcades orto, armis controversia disceptata fuit: plurimisque occisis, supra mille quadringentos, alii Spartam, alii Pallantium confugerunt: atque hi quidem in victorum manus a Pallantinis traditi, trucidati fuerunt, illi vero Lacedæmoniis suscipiendæ in Arcadiam expeditionis auctores fuerunt. Itaque Agesilaus Rex cum civium & exsulum copiis in Tegeatarum, quod illi turbarum auctores haberentur, fines invasit, & vastatis agris, urbem oppugnans, magnum Arcadibus terrorem injecit. Olymp. CII. 4. Deinde Polytropus quoque a Lacedæmoniis in Arcadiam missus dux Orchomenum urbem Spartanis amicam muniit; sed Lycomedes Arcadum eo tempore Prætor cum iis, qui ἐπίλεκτοι vocabantur, numero quinquies mille, ad Orchomenum motis signis, cum Lacedæmoniis conflixit, cæsique fuerunt in prælio Lacedæmoniorum ducenti una cum ipso duce: reliqui in urbem a victoribus persequentibus compulsi fuerunt. Arcades suis viribus diffidentes, licet victores, Argivos & Eleos sibi fœdere junxerunt, & Atheniensium societate frustra petita, Thebanos ad societatem armorum induxerunt. Ita Bœotis, ducibus Epaminonda & Pelopida, adjunctis Locris & Phocensibus, in Peloponnesum ingressis, universa Arcadum & Eleorum multitudo cum cæteris sociis omnibus occurrit; junctisque hi omnes viribus Spartam oppugnarunt, sed Spartana virtus hostis conatus irritos fecit, Diodor. *l.* XV. p. 372. 373. 374. 375. 376. 377. vide Xenophontem *Hellen.* lib. VI.

Olymp. CII. 4. Arcades duce Lycomede Pallenen Laconiæ vi expugnarunt, Diodor. *lib.* XV. p. 379.

Olymp. CIII. 1. Arcades, commissa cum Lacedæmoniis pugna, magna strage profligati fuerunt; eorum supra decies mille ceciderunt, Lacedæmoniorum ne unus quidem: prædixerant autem Dodonææ sacerdotes, *διότι πόλεμος οὗτος Λακεδαιμονίοις ἄδακρυς ἔσται*, Diodor. *l.* XV. p. 383. vide Xenophont. *Hellen.* lib VII. p. 484. seqq.

Olymp. CIII. 1. Arcades post hanc stragem, Lacedæmoniorum metu, urbem Megalopolin condiderunt, Mænaliorum & Parrhasiorum Arcadum pagis XX. in eam traductis, Diodor. *l.* XV. p. 383. vide suo loco.

Olymp. CIII. 4. Arcades cum Eleis de Triphylia longo tempore disceptarunt, & alternante fortuna nunc hi, nunc illi superiores eam tenuerunt: cumque hoc tempore Arcades eam possiderent, Elei prætextu Arcadum exsulum, qui apud se erant, Arcadibus eam ademerunt. Arcades cum eam frustra per legatos repetiissent, armis Eleos adorti victores fuerunt, & successu elati urbes Eleorum Marganum, Cronion, Cyparissiam & Coryphasion ceperunt, Diodor. *l.* XV. p. 386. 387.

Olymp. CIV. 1. Arcades & Pisatæ, victis Eleis, communi auctoritate & opera ludos Olympicos ediderunt, Diodor. *l.* XV. p. 387. 391.

Arcades soli Græcorum neque Philippo Amyntæ filio principatum Græciæ concesserunt; neque Alexandro Magno addicti esse voluerunt, Diodor. *l.* XVII. p. 488. Neque tamen cum reliquis Græcis vel contra Philippum ad Chæroneam, vel contra Antipatrum in Thessalia arma ceperunt, Pau-

ſan. *Arcad.* p.464. Eorum in Lacedæmonios odium Philippum & Macedonum imperium ad ſummam potentiam provexit, idem *ibid.* p. 499.

Arcades ad Thermopylas contra Gallos cum reliquis Græcis non prodierunt, veriti, ut ajebant, ne, interea dum militaris ætas abeſſet, Lacedæmonii agrum popularentur, Pauſan. *Arcad.* p. 464.

Arcades ad Achæorum Concilium promptius ſe, quam ulli Græciæ populi, aggregarunt, idem *ibid.*

Arcadum cohors, lectiſſimorum circiter mille hominum, qui cum Critolao ad bellum exierant, Elateam Phocidis contenderunt; ſed Phocenſes paulo poſt, cognita Critolai & Achæorum clade, eos inde abire juſſerunt: redituri in Peloponneſum, ad Chæroneam a Metelli exercitu ad internecionem cæſi fuerunt, eo in loco, quo Græcos cum Philippo dimicantes deſeruerant, Pauſan. *Achaic.* p. 425.

Arcadici nominis omnes, præter Mantineenſes, Antonii partes in pugna Actiaca ſecuti fuerunt, Pauſan. *Arcad.* p. 468.

MÆNALII.

MÆnalus urbs Arcadiæ, nomen accepit a Mænalo Lycaonis filio, Stephan. Pauſan. *Arcad.* p. 458. Μαίναλον, ὄρος Ἀρκαδίας καὶ πόλις, ἀπὸ Μαινάλου τοῦ Ἀρκάδος, οὗ πατὴρ Λυκάων, Schol. Apollon. *Argon.* lib. I. v. 168. Mænali Arcas ſepultus fuit: vide in *Arcas.*

Methydrium urbs Arcadiæ, Strabo *l.* VIII. p. 388. condita fuit ab Orchomeno Lycaonis filio, Pauſan. *Arcad.* p. 458.

Trapezus urbs Arcadiæ, nomen accepit a Trapezunte Lycaonis filio, Stephan. Pauſan. *Arcad.* p. 458. Eam regni ſedem, Tegea translatam, habuit Hippothous, Pauſan. *Arcad.* p. 462. vide plura in *Megalopolitis.*

Pallantium urbs Arcadiæ, nomen accepit a Pallante Lycaonis filio, Stephan. Pauſan. *Arcad.* p. 458.

Thocnea urbs Arcadiæ, nomen accepit a Thocno Lycaonis filio, Stephan. Pauſan. *Arcad.* p. 458.

Acaceſium urbs Arcadiæ, nomen accepit ab Acaco Lycaonis filio, Stephan. Pauſan. *Arcad.* p. 458.

Æmonia urbs Arcadiæ, nomen accepit ab Æmone Lycaonis filio, Stephan. Pauſan. *Arcad.* p. 458.

Tricoloni urbs Arcadiæ, nomen accepit a Tricolono Lycaonis filio, Stephan.

Macareæ urbs Arcadiæ, nomen accepit a Macareo Lycaonis filio, Stephan.

Ripe vel Ripæ urbs Arcadiæ, Sch. min. & Euſtath. *in Iliad.* B.

Stratie nomen accepit ab Heroide, Phenei filia, ut ait Strabo, Euſtath. *in Iliad.* B.

Hypſus urbs Arcadiæ, Stehpan. nomen accepit ab Hypſo Lycaonis filio, Pauſan. *Arcad.* p. 458.

Chariſiæ urbs Arcadiæ, nomen accepit a Chariſio Lycaonis filio, Stephan. Pauſan. *Arcad.* p. 458.

Lycæa urbs Arcadiæ, Stephan. nomen accepit a Lycæo Lycaonis filio, Pauſan. *Arcad.* p. 458.

Melænæ urbs Arcadiæ, nomen accepit a Melæneo Lycaonis filio, Stephan.

Sumatia urbs Arcadiæ, nomen accepit a Sumateo Lycaonis filio, Stephan. Pauſan. *Arcad.* p. 458.

Methydrion urbs Arcadiæ, Stephan.

Haliphera urbs Arcadiæ, nomen accepit ab Alliphero Lycaonis filio, Stephan. Pauſan. *Arcad.* p. 458.

A Heræa urbs Arcadiæ, quæ dicebatur Sologorgos, ſita eſt juxta Meſſenen, Stephan. nomen accepit ab Heræeo Lycaonis filio, Pauſan. *Arcad.* p. 458.

Lycoſura urbs Arcadiæ condita a Lycaone Pelaſgi filio, Pauſan. *Arcad.* p. 456.

Cynætha urbs Arcadiæ, Polyb. *lib.* IV. p. 111. Cynæthenſes ſcelerati, Polyb. *ibidem.* nomen accepit urbs a Cynætho, uno Lycaonis filiorum, Stephan.

Clitor urbs Arcadiæ, nomen accepit a Clitore Arcadis filio, Pauſan. *Arcad.* p. 460.

Gortyna urbs Arcadiæ ad amnem Gortynium B condita a Gortyne Stymphali filio, Pauſan. *Arcad.* p. 460 Hinc oriundi Gortynii in Creta. ἐκ Γορτύνης γὰρ τυγχάνει ἀπῳκηκὼς (genus Gortynicum in Creta) ταύτης τῆς Πελοποννησιακῆς, Plato lib. IV. *de Leg.* p. 708.

PARRHASII.

PArrhaſia urbs Arcadiæ, nomen accepit a Parrhaſo Lycaonis filio. Charax vero eam conditam ſcribit a Pelaſgo, lib I. *Chron.* hoc modo. C Pelaſgus Areſtoris filius, Ecbaſi (forte Criaſi vel Iaſi) nepos, Argi pronepos, cum Argis in eam, quæ tunc ab ipſo Pelaſgia, ſed poſtea Arcadia appellata fuit, regionem commigraſſet, imperium illic annos XXV. tenuit, & urbem Parrhaſiam condidit. Nicanor vero eam Parbaſiam ait vocatam fuiſſe, ob Lycaonis in Jovem impietatem. Παρβασίαν διὰ τὴν τοῦ Λυκάονος εἰς τὸν Δία παρανομίαν, Stephanus, Euſtathius *in Iliad.* B.

Parrhaſi Mantinenſium imperio parebant, Thucyd. *l.* V. p. 367.

Parrhaſii cum ſeditione laborarent, Lacedæmo- D nios advocarunt: a quibus in libertatem aſſerti fuerunt, munitione everſa, quam Mantinenſes in agro Parrhaſio excitatam ſuo præſidio tenebant, Thucyd. *lib.* V. p. 367.

PHIGALENSES.

PHigalea urbs Arcadiæ, nomen accepit a conditore Phigalo Lycaonis filio, Pauſan. *Arcad.* p. 458. Alii Phigalum αὐτόχθονα fuiſſe ajunt: quidam Phigaliam Nympham e Dryadibus unam E urbi nomen dediſſe volunt, Pauſan. *Arcad.* p. 519.

Phialus Bucolonionis filius urbem de ſuo nomine Phialeam appellari voluit: ſed priſtina appellatio rurſus invaluit, Pauſan. *Arcad.* p. 458. 519.

Phigalenſes victi fuerunt a Lacedæmoniis, quo tempore Arcades bello adorti, in Phigalenſium fines cum exercitu invaſerunt. Olymp. XXX. 2. Urbe vero a Lacedæmoniis obſidione cincta, cum parum abeſſet, quin muri expugnarentur, Phigalenſes certis conditionibus a Lacedæmoniis dimiſſi, patriam reliquerunt. Phigalenſibus omnibus ejectis, Phigalea exciſa fuit, Pauſan. *Arcad.* p. 519.

F Phigalenſes, qui cladi, everſa patria, ſuperſtites erant, oraculum Delphicum de reditu conſulentes, reſponſum acceperunt, ſi ſoli per ſeipſos redire conarentur, irritam fore redeundi ſpem; ſin ab Oreſthaſio centum lectiſſimos viros aſſumerent, illos quidem in pugna perituros, Phigalenſes vero reditus compotes fore. Ac Phigalenſes oraculo parentes patriam receperunt, Pauſan. *Arcad.* p. 519.

Olymp. CI. 2. Phigalenſes in exſilium a populo pulſi, (quo tempore abolito paucorum dominatu democratiam reſtituerant apud ſe) Heræam

occuparunt, ac deinde Phigaleam crebris incursationibus infestam reddiderunt, cumque Dionysia agerentur, oppidanos in theatro considentes ex improviso aggressi, plurimos jugularunt, nec paucis in societatem assumptis, Spartam redierunt, Diodor. *l.* XV. p. 356. 357.

ORESTHASII.

ORresthasium urbs Arcadiæ condita ab Orestheo Lycaonis filio, Pausan. *Arcad.* p.458. Stephan.

Orestes Agamemnonis filius urbem Oresteum de suo nomine appellari jussit, idem *ibidem.* Ἔστι καὶ ἄλλη ἐν Ἀρκαδίᾳ Ὀρεστία, quam Eudæmon & Horus scribunt per ει, Ὀρέστειον, Stephan. Euripid. *Electr.* v. 1273. seq. Dioscuri ajunt Oresti;

Σὲ δ' Ἀρκάδων χρὴ πόλιν ἐπ' Ἀλφειοῦ ῥοαῖς
Οἰκεῖν, Λυκαίου πλησίον σηκώματος,
Ἐπώνυμος δὲ σοῦ πόλις κεκλήσεται.

Oresthasii, cognito responso quod Phigalensibus datum fuerat, certatim optimus quisque in expeditionem contra Lacedæmonios nomina dederunt; congressique cum Lacedæmoniorum præsidio, ratam omni ex parte oraculi vocem fecerunt. Strenue enim dimicantes, pulsis Spartanis, cum ipsi mortem oppetiissent, Phigalensibus patriam reddiderunt, Pausan. *Arcad.* p. 519.

ORCHOMENII.

ORchomenus urbs Arcadiæ condita ab Orchomeno Lycaonis filio, Pausan. *Arcad.* p. 458. Orchomenum Πολύμηλον vocat Homerus *Iliad.* B v. 605.

Olymp. LXXV. Orchomenii centum & viginti cum reliquis Græcis Persam ad Thermopylas operiebantur, Herodot. *l.* VII. p. 513.

Orchomenii sexcenti fuerunt in exercitu Græco ad Platæas contra Xerxen coacto, Herodot. *l.* IX. p. 596.

Olymp. XC. 3. Orchomenum ceperunt Argivi cum sociis, Diodor. *l.* XII. p. 126. Ea urbs Spartanis amica fuit, Diodor. *l.* XV. p. 374.

MANTINENSES.

MAntineus Lycaonis filius urbem Mantineam condidit; verum postea Antinoe Cephei filia, Alei neptis, ex quodam oraculo alio urbem transtulit, serpentem itineris ducem secuta; ex eo, qui oppidum præterlabitur amnis, ὄφις nominatus, Pausan. *Arcad.* p. 467. Mantineam Arcadiæ ex quinque pagis ab Argivis compositam fuisse scribit Strabo *l.* VIII. p. 337. E quatuor pagis compositam auctor est Xenophon *Hellen.* lib. V. p. 432. vide infra.

Olymp. LXXV. Mantinenses quingenti cum reliquis Græcis ad Thermopylas Xerxem operiebantur, Herodot. *l.* VII. p. 513.

Mantinenses post pugnam ad Platæas, re confecta, advenerunt, damnata sua tarditate; suæ tamen virtutis contra Persas documentum aliquod edere voluerunt, quos in Thessaliam usque fugientes persecuti fuerunt: postea domum reversi, suos duces exsilio mulctarunt, Herodot. *l.* IX. p. 617.

Olymp. LXXXVIII. 3. Mantinenses ad Argos Amphilochicum cum Ambraciotis & Lacedæmoniis contra Athenienses, Messenios & Acarnanes pugnantes victi, sese maxime compositi, præ reliquo exercitu, receperunt: cæteris, nulla rei militaris disciplina servata, turbatis ordinibus, fugientibus,

A Thucyd. *l.* III. p. 245. Inter Arcades Mantinensium virtutis præcipua existimatio fuit: ideoque Spartani eos, ut socios & auxiliares fidissimos sibi in præliis adjungere consueverant, Diodor. *l.* XV. p. 336.

Mantinenses, dum bellum adhuc a Lacedæmoniis contra Athenienses gereretur, quandam Arcadiæ partem subegerant, & suæ ditionis fecerant, & existimabant Lacedæmonios, præsertim otiosos, nullisque occupatos bellis, sibi non permissuros, ut acquisitæ regionis imperio potirentur. Olymp. LXXXIX. 4. Ita Lacedæmoniorum metu, ultro Argivorum amicitiam ac societatem secuti sunt, quod

B existimarent eam civitatem & potentem, & Lacedæmoniis semper inimicam esse, & populari Reip. administratione uti, quemadmodum & ipsi utebantur, Thucyd. *lib.* V. p. 363.

Olymp. XC. 2. Mantinenses cum sociis adversus Lacedæmonios pugnantes dextrum in acie cornu tenuerunt; oppositosque sibi hostes Sciritas circumvenerunt, ac eos & Brasidianos in fugam verterunt: & cum Argivorum mille delectis, impressione per vacuum ac apertum latus facta, Lacedæmonios ceciderunt, circumdatosque ad plaustra repulerunt, ac aliquot de senioribus, qui impedimentis præsidio relicti fuerant, obtruncarunt; sed cum

C Regem Agidem, suis, sinistro hostium cornu pulso, laborantibus opem ferre & contra se tendere, suosque profligatos cernerent, & ipsi in fugam se conjecerunt. Et Mantinensium quidem plerique cæsi fuerunt, Argivorum vero magna pars evasit, Thucyd. *lib.* V. p. 393. 394 395. Diodor. *lib.* XII. p. 126. 127.

Olymp. XC. 3. Mantinenses post desertam ab Argivis societatem cum Atheniensibus initam, quamvis primo quidem paci inter eos & Lacedæmonios coeunti restitissent; deinde tamen, quod Lacedæmoniis sine Argivis pares esse non possent, & ipsi Lacedæmoniis reconciliati fuerunt, & civitatum,

D quas in sua potestate habuerunt, imperio cesserunt, Thucyd. *l.* V. p. 399.

Olymp. XCI. 2. Mantinenses cum Atheniensibus susceptæ in Siciliam expeditionis consortes, pro pristina amicitia fuerunt, Pausan. *Arcad.* p. 467.

Olymp. XCVIII. 4. Mantinenses a Lacedæmoniis, quibus propinquæ urbis incrementa suspecta erant, per legatos mœnia urbis dejicere, & in antiquos V. pagos, e quibus olim in Mantineam commigrarant, sedes transferre jussi sunt: cum nemo pareret, Lacedæmonii urbem oppugnare aggressi fuerunt, Diodor. *l.* XV. p. 330. 331. Mantinenses a Lacedæmoniis duce Agesipolide prælio superati &

E intra mœnia compulsi fuerunt: & urbs non ita multo post capta, non quidem vi expugnata, sed Ophi fl. ad muros detorto: unde factum ut muri, cum e crudo latere constructi essent, ea alluvie resolverentur. Et Mantinea quidem capta, magna ex parte diruta fuit, paucis ad habitandum relictis ædificiis, populus vero in vicos distributus fuit, Pausan. *Arcad.* p. 467. 368. Ἐκ δὲ τούτου καθῃρέθη μὲν τὸ τεῖχος, διῳκίσθη δὲ ἡ Μαντίνεια τετραχῆ, καθάπερ τὸ ἀρχαῖον ᾤκουν, Xenoph. *Hellen.* lib. V. p. 432. Ἄλλο μὲν κακὸν οὐδὲν εἰργάσαντο τοὺς Μαντινεῖς, προσέταξαν δὲ εἰς τὰς ἀρχαίας κώμας μετοικισθῆναι. διόπερ ἠναγκάσθησαν τὴν μὲν ἰδίαν πατρίδα κατασκάπτειν, εἰς δὲ

F τὰς κώμας μετοικῆσαι, Diodor. *l.* XV. p. 336.

Olymp. CII. 2. Mantinenses post pugnam Leuctricam a vicis rursus in pristinas sedes a Thebanis reducti fuerunt; non tamen illis se gratos satis præbuerunt: nam postea circumclusi, per legatos pacem a Lacedæmoniis, seorsum ab Arcadum Concilio pepigerunt, ac aperte quidem societatem cum Spartanis, Thebanorum metu, profiteri non fuerunt ausi, Pausan. *Arcad.* p. 468.

Olymp. CIV. 1. Mantinenses, quo tempore Ar-

cades & Pisatæ ludorum Olympicorum administrationem arripuerant, non pauca e donariis Olympicis in profanos usus transtulerunt, ideoque sacrilegii auctores magno conatu hoc egerunt, ut cum Eleis bellum foveretur, ne restituta pace rationem rerum sacrarum male consumptarum reddere cogerentur. Olymp. CIV. 2. Ita Arcadibus cæteris pacis cupidis, quorum principes erant Tegeatæ, Mantinenses diversæ factionis duces fuerunt, adscitis in belli societatem Atheniensibus & Lacedæmoniis, contra Bœotos, quorum auxilia Tegeatæ implorant. Pugnatum fuit ad Mantineam victoria ancipiti, Diodor. *l.* XV. p. 391. seqq. Cecidit in ea pugna Podares, cui Græci post Gryllum & Cephisodorum tertiam virtutis palmam tribuunt, eique Heroicum monumentum in foro Mantinensi erectum fuit, Pausan. *Arcad.* p. 470.

Olymp. CIV. 3. Mantinenses Arcades eos, qui Megalopolin traducti, in sua oppida & priores sedes redibant, adversus Megalopolitas qui Megalopolin eos redire cogebant, tutari conati fuerunt, sed frustra; cum Megalopolitæ opem Atheniensium implorassent, Diodor. *l.* XV. p. 401. 402.

Mantinenses a Lacedæmoniis, orto dissidio, desciverunt ad Achæos, & Agin Eudamidæ F. Regem Spartanum prælio fusum extra suos fines, ac citis in auxilium Achæis, eorumque duce Arato, Pausan. *Arcad.* p. 468. In ea pugna Mantinenses dextrum cornu tenuerunt, habito ex omni ætate delectu: dux fuit Podares, Podaris superioris ἀπόγονος: aderat Eleus vates Thrasybulus Æneæ F. e gente Jamidarum: qui & victoriam prædixit, & periculi socius fuit Mantinensibus: visum in eo prœlio Neptunum dimicantem pro suis partibus memorant Mantinenses, & ob id erga se meritum ei tropæum dedicarunt, Pausan. *Arcad.* p. 471. 472.

Mantinenses cum Achæis adversus Cleomenem Spartanum arma tulerunt, & Lacedæmoniorum opes infregerunt, Pausan. *Arcad.* p. 468.

Mantinenses suam urbem in Antigoni, qui tutor erat Philippi patris Persei, gratiam quod is perstudiosus esset Achæorum, mutato nomine Antigoneam appellarunt, eique & alios honores habuerunt, idem *ibidem.*

Mantinenses in pugna Actiaca ad Apollinis promontorium, partes Augusti secuti sunt, eam ob causam, quod Lacedæmonii illis faverent: Ejusque suæ cum Romanis societatis monumentum posteris futurum, templum erexerunt, idem *ibid.*

Mantineam suo pristino nomine, sublato illo adventitio Macedonico, appellari jussit Adrianus Imp. idem *ibidem.*

TEGEATÆ.

Tegeus (Tegeates Pausan. *Arcad.* p. 458.) Lycaonis F. urbi Tegeæ nomen dedit, cum incolæ per vicos ante, habitassent: curiarum hæc fuere nomina: Gareatæ, Psylaces, Caryatæ, Corythes, Potachidæ, Manthyres & Echeuethes, Pausan. *Arcad.* p. 528. E novem pagis Tegeam compositam fuisse scribit Strabo *l.* VIII. p. 337. Tegei uxor fuit Mæra Atlantis filia: filii Scephrus, Limon, Cydon, Gortyn, Catreus, Pausan. *Arcad.* p. 539. 540.

Alphidas Arcadis filius a patre Tegeam, & quæ adjacent, consecutus fuit, unde Tegea a Poetis (ut Apollon. *Argonaut.* lib. I. v. 162) dicta Ἀφειδάντειος κλῆρος, Pausan. *Arcad.* p. 459. Ab eodem nona, quæ ad superiores accessit, curia appellata Aphidantes, Pausan. *Arcad.* p. 528. Aphidantis filius fuit Aleus, & filia Sthenobœa, quæ Prœto nupsit, Apollod. *l.* III. p. 110. β. ab Aphidantis filia Leucone Leuconia aqua nomen accepit, Pausan. *Arcad.* p. 528.

Aleus Aphidantis F. Æpyto Elati F. in imperium Arcadum successit, Tegeamque regni sedem constituit: vide in *Arcad.*

Cepheus Alei F. venationis apri Calydonii consors fuit, Apollod. *l.* I. p. 17. β. Idem cum fratre Amphidamante Argonauticæ expeditionis socius fuit, Apollod. *l.* I. p. 76. β. Apollon. *Argon.* lib. I. v. 160. seq.

Καὶ μὴν Ἀμφιδάμας Κηφεύς τ᾽ ἴσαν Ἀρκαδίηθεν,
Οἳ Τεγέην καὶ κλῆρον Ἀφειδάντειον ἔναιον,
Υἷε δύω Ἀλέου. ——

Cepheus Herculi belli contra Hippocoontem societatem negavit, veritus ne Tegeam, se absente Argivi invaderent; consensit tamen postea, & una cum XX. filiis in pugna cæsus occubuit, Apollod. *l.* II. p. 76. 77. tantum XVII. cæsos fuisse scribit Diodor. *l.* IV. p. 239. Atalanta quoque venationi apri Calydonii interfuit, cumque prima omnium belluam sagitta transfodisset, virtutis ergo capite & pelle ejus donata fuit, Pausan. *Arcad.* p. 528. Apollod. *l.* I. p. 18. β. Eadem expeditionis Colchicæ socia fuit, Apollod. *l.* I. p. 28. β. Eadem cum Peleo luctata, palmam consecuta fuit, Apollod. *l.* III. p. III. β. Eadem cursu a Melanione superata, dum projecta ab illo aurea mala colligit, Melanioni Amphidamantis filio in conjugium cessit, Apollod. *l.* III. p. 112. α. Eam Hesiodus ac quidam alii Schœnei filiam fuisse dicunt; alii Iaso natam prodiderunt, Apollod. *l.* III. p. 112. α. Schœneus ille, vir Bœotus, in Arcadiam commigrasse dicitur, Pausan. *Arcad.* p. 512.

Echemus Tegeatarum Rex atque dux Hyllum occidit, Herodot. *l.* IX. p. 594. 595. Sed idem Arcadum quoque cæterorum Rex fuit: vide in *Arcad.*

Tegeatæ Lacedæmonios armis se invadentes primi omnium Arcadum fuderunt, magnumque captivorum numerum ceperunt, Pausan. *Arcad.* p. 528. Cum Charillus Rex Lacedæmoniorum cum exercitu in Arcadum fines invasisset, fœminæ arreptis armis sub collem subsederunt, quem φυλακτίδα appellarunt. Congressis vero ad pugnam exercitibus, cum viri utrinque præclara & memoratu dignissima facinora ederent, postremo fœminæ subita eruptione ex insidiis facta, in fugam Lacedæmonios ipsæ verterunt. Fœminas ajunt Marti victoriam seorsum gratulatas, hostiæ exta cum viris communicare noluisse, ex eoque Martem appellatum Γυναικοθοίναν, cujus signum pilæ insculptum in foro Tegeatico. Virtute fœminas cæteras anteisse prædicant Marpessam, cognomento Χήραν, Pausan. *Arcad.* p. 532. Tegeatæ porro, compedibus, quas de victoria certi Lacedæmonii in prælium attulerant, captos Lacedæmonios induerunt, agrumque Tegeatem funibus metientes eos colere coegerunt. Eæ compedes postea circa templum Aleæ Minervæ suspensæ fuerunt, Herodot. *l.* I. p. 28. 29. Vicerunt vero Tegeatæ Lacedæmonios regnantibus Spartæ Leonte & Hegesicle, Herodot. *l.* I. p. 27. in quo ab ipso dissentit Pausanias: nisi forte diversas narrant victorias: unam quæ sub Charillo, alteram quæ sub Leonte contigerit.

Tegeatæ victi fuerunt a Lacedæmoniis, regnantibus Spartæ Anaxandride & Aristone, Herodot. *l.* I. p. 29.

Olymp. LXXV. Tegeatæ quingenti una cum reliquis Græcis Xerxen ad Thermopylas operiebantur, Herodot. *l.* VII. p. 513.

Olymp. LXXV. Tegeatæ, cum acies in Platæensi pugna ordinanda esset, de loco cum Athenien-

ſibus acriter contenderunt, rati ſe dignos, qui alterum cornu tenerent, repetita ſuorum facinorum, tum priſcorum, tum recentium memoria : unde ſemper a ſociis omnibus eo honore digni habiti fuiſſent, qui alteri cornu præeſſent, quotieſcunque Peloponneſii communes in exteras terras expeditiones ſuſcepiſſent, & proxime, & quondam : jam inde ex quo Heraclidæ poſt mortem Euriſthei conati eſſent in Peloponneſum redire : quo tempore eam dignitatem aſſequuti eſſent, quod Echemus ſuus dux atque Rex ab omnibus ſua ſponte delectus, qui ſingulari certamine cum Hyllo congrederetur, eundem interemiſſet, Herodot. *l.* IX. p. 594. 595. Delegerunt vero Spartani Tegeatas mille quingentos, qui juxta ipſos ſtarent, & honoris, & virtutis ergo, Herodot. *l.* IX. p. 596. Tegeatæ numero ter mille in pugna Platæenſi nuſquam a Lacedæmoniis dirimebantur, Herodot. *l.* IX. p 611. Et in ea proximam a Lacedæmoniis & Athenienſibus virtutis laudem adepti ſunt, Herodot. *lib.* IX. p. 614.

Olymp. LXXVIII. 1. Tegeatæ una cum Argivis & Cleonæis Mycenas funditus everterunt, & agrum inter ſe partiti fuerunt, Strabo *l.* VIII. p. 377.

Olymp. LXXXIX. 4. Tegeatis Corinthi & Argivi perſuadere non potuerunt, ut ſocietatem Lacedæmoniorum in bello Peloponneſiaco desererent, Thucyd. *l.* V. p. 366.

Olymp. CIV. 2. Tegeatæ principes fuerunt illius partis Arcadum, qui pacem cum Eleis coire volebant : & gliſcente diſſidio, cum ad arma ventum eſſet, miſſis legatis Bœotorum auxilia implorarunt adverſus Mantinenſes, qui adverſæ partis principes erant, Diodor. *l.* XV. p. 397. vide in *Mantinenſibus.*

Tegeam ſua ætate mediocriter conſtitiſſe ſcribit Strabo *l.* VIII. p. 388.

De Tegeatarum bello contra Pheneates, vide in *Pheneatis*.

CYLLENII.

ELatus Arcadis filius, montem, qui Cyllene poſt appellatus fuit, a patre in partitione conſecutus fuit, Pauſan. *Arcad.* p. 459. uxorem habuit Laodicen Cinyræ filiam, Apollod. *lib.* III. p. 110. β. Ejus filii fuerunt Æpytus, Pereus, Cyllen, Iſchys & Stymphalus : a Cyllene nomen mons accepit : a Stymphalo fons, & ad fontem urbs ſita : Pereo nullam fuiſſe virilem prolem ajunt, filiam habuiſſe Neæram, quam Autolycus Dædalionis (licet Mercurii diceretur) filius, Parnaſſi montis incola uxorem duxerit, Pauſ. *Arcad.* p. 460. Neæram Perei filiam Aleo nupſiſſe ſcribit Apollod. *l.* III. p. 110. β. Cum Iſchye Coronidem Æſculapio gravidam concubuiſſe ajunt, Pauſan. *Corinth.* p. 113. Æpytus imperium Arcadum conſecutus fuit : vide in *Arcadibus*. Montem hunc Cyllenen nomen accepiſſe a Cyllene Naide Nympha ſcribit Stephan. Non vero mons tantum Arcadiæ hoc nomine vocabatur, ſed etiam urbs, ubi Majam Atlantis filiam Mercurium peperiſſe putant, unde & Cyllenius dictus Mercurius, Euſtath. *in Iliad.* B. Schol. min.

STYMPHALII.

TEmenus Pelaſgi filius in priſca Stymphalo habitavit, a quo Juno educata fuerit, & cui fana tria cum Deæ totidem cognominibus dedicarit : nam Παῖδα, dum virgo erat : Τελείαν, Jovi nuptam : Χήραν, divortio a Jove facto, eam appellavit, Pauſ. *Arcad.* p. 487.

Stymphalus Clitoris filius oppidum Stymphalum ad fontem ejuſdem nominis condidit, Pauſan. *Arcad.* p. 460. 487. Στύμφαλος πόλις Ἀρκαδίας, καὶ πεδίον ὁμώνυμον, καὶ πηγὴ, Steph. Stymphalum Regem Arcadum bello petitum a Pelope, & cum Arcadiam ſubigere non poſſet, per ſimulatam amicitiam occiſum fuiſſe ſcribit Apollodor. *l.* III. p. 124. α. Stymphali filius Gortys urbis Gortynis conditor, Pauſan. *Arcad.* p 460.

Stymphalides aves e Stymphalide palude vicinas fruges paſſim depopulantes abegit Hercules, Diodorus *l.* IV. p. 222.

Stymphalum Iphicrates irrito conatu oppugnans, Eraſini fluvii intra terram demerſionem prohibere, multis paratis ſpongiis conatus fuit ; ſed ſigno cœlitus oblato, ab incepto deſtitit, Strabo *l.* VIII. p. 389.

Stymphalii poſtea Arcadibus relictis, ad Argivorum Concilium ſe ultro applicuerunt, Pauſan. *Arcad.* p. 487.

PSOPHIDII.

ERymanthus, mons & fluvius, Steph. & urbs, Pauſ. & Steph. Erymanthius aper Pſophidiis infeſtus erat, e monte Erymantho erumpens, Apollod. *l.* II. p. 61. α. Hecatæus apud Stephan.

——— κάπρος ἦν
Ἐν τῷ ὄρει καὶ Ψωφιδίους κακὰ πολλὰ ἔοργεν.

Eum vivum ad Euryſtheum deportavit Hercules, Diod. *l.* IV. p. 220. Apllonius lib. I. *Argon.* v. v. 126. ſeq.

——— ζῶον φέρε κάπρεον, ὅς ἐνὶ βήσσης
Φέρβετο Λαμπείης Ἐρυμάνθιον ἂμ μέγα τῖφος.

Phegea urbs Arcadiæ, nomen accepit ab Rege Phegeo, cum ante Erymanthus vocaretur, Pauſ. *Arrad.* p. 492. 493. Φηγεὺς δ' ὁ ἀδελφὸς Φορωνέως ἔκτισε πόλιν Φήγειαν, ἣ πρὶν Ἐρύμανθος ἐκαλεῖτο, Stephan. Sed temporum ratio nequaquam patitur Phoronei fratrem fuiſſe Phegeum, cum pene in belli Trojani tempora hujus ætas incidat : ille vero multis ſæculis prior ſit. Phegeam ad Phegeum venit Alcmæon, furiis ob maternam cædem agitatus, & a Phegeo expiatus, Arſinoen (Alpheſibœam Pauſan.) filiam ejus uxorem duxit, cui & monile & peplum Eriphyles dedit, Apollod. *l.* III. p. 107. α. Sed cum Alcmæoni in Arcadibus domicilium habenti inſaniæ morbus non decederet, ad oraculum Delphicum confugit : a quo didicit Eriphyles Alaſtora ſeu ultorem genium ipſum relicturum, ubi in eam terram veniſſet, quæ recentiſſima eſſet, quamque mare poſt cædem maternam ediſſet, Pauſ. *Arcad.* p. 492. vide in *Acarnanibus*. Temenus & Ixion Phegei filii occiderunt Alcmæonem redeuntem inſtinctu Callirrhoes uxoris Phegeam : ea enim monile Eriphyles, quod filiæ Phegei datum fuerat, deſiderabat, Pauſan. *Arcad.* p. 492. 493. Patris mortem ulti fuerunt filii Amphoterus & Acarnan, cæſo Phegeo una cum uxore & liberis : & Tegeatarum ac quorundam Argivorum ope perſequentes Pſophidios effugerunt, ac tandem monile ac peplum Apollini Delphico ſacrarunt, Apollod. *l.* III. p. 108. α. β.

Phegea ſuos Reges habuit, cum reliqui Græci ad bellum Trojanum proficiſcerentur : neque tamen ejus expeditionis ſocii fuerunt, propter ſimultates Argivorum ducum contra ſe ſuſceptas, quod eorum bona pars Alcmæonem propinquitate attingebant, & ad Thebas expeditionis ſocii fuerant, Pauſan. *Arcad.* p. 493.

Pſophis hæc urbs dicta fuit ; ſed de auctore nominis non conſtat : quidam a Pſophide Arrhonis F. appellatam volunt, cujus genus deducunt a Nyctimo Lycaonis F. hac ſerie : Nyctimus, Periphetes, Parthaon, Ariſtas, Erymanthus, Ar-

rhon, Psophis; alii a Psophide puella, cujus genus ad Arcadem refertur hoc ordine: Arcas, Erymanthus, Xanthus, Psophis; alii Psophidem volunt fuisse Erycis principis in Sicania viri filiam, quæ a patre, quod gravidam deprehensam sua domo non dignaretur, Phegeæ apud Lycortam hospitem seposita, ibi Echephrona & Promachum Herculis satu e se editos educarit, iique de matris nomine Phegeam Psophidem nuncuparint, Paus. *Arcad.* p. 491. cui verissima videtur postrema opinio: mihi non item, quod ipse postea scribat nondum vocatam urbem Psophidem, sed Phegeam, quo tempore ad bellum Trojanum ibant Græci. Ψωφὶς πόλις Ἀρκαδίας κέκληται ἀπὸ Ψώφιδος τῆ Λυκάονος, ἀφ' ἧ φασι τὸ παλαιὸν ἐκτίσθαι αὐτὴν. ἢ ἀπὸ Ψώφιδος τῆ Ἔρυκος θυγατρὸς, Stephan. ὕστερον ἡ Ψωφὶς ὠνομάσθη, ὡς ἐροῦμεν, ἀπὸ τῆ μητρὸς, Stephan. in φήγεια: lege vel ἀπὸ τῆ θυγατέρος τῆ Ἔρυκος. vel si μητρὸς retinere placet, adde τῶ Ἐχέφρονος καὶ τῆ Προμάχυ.

PHENEATÆ.

Pheneus urbs Arcadiæ, & quidem Azaniæ, super montem Cyllenen sita, Stephan. Φενεὸς πόλις Ἀρκαδίας ἀρχαῖα, Schol. Callimachi *Hym. in Delum.* Ejus conditor Pheneus αὐτόχθων a Pheneatis fuisse perhibetur, Paus. *Arcad.* p. 478. Veterem urbem Pheneon ab aquis immodice stagnantibus deletam memorant, Paus. *Arcad.* p. 477.

Gunæus Pheneates filiam Laonomen Alceo uxorem dedit, e qua illi natus Amphitryo. Pheneon hinc Hercules Tirynthe ab Eurystheo pulsus primum se contulit, Paus. *Arcad.* p. 478. Pheneatas quoque inprimis & Tegeatas eos Arcades fuisse puto, quos Hercules suorum operum socios semper habuit. Hercules ἔχων τὲς ἀεὶ συστρατευόντας τῶν Ἀρκάδων, Diodor. *l.* IV. p. 242. Ὁ δ' Ἡρακλῆς ἔχων ἀεὶ τὲς μεθ' ἑαυτῶ στρατευσαντας Ἀρκάδας, idem *ibid.* συμμαχήσαντων δ' αὐτῷ Ἀρκάδων, Apollod. *l.* II. p. 79. β.

Buphagus Pheneates cum uxore Promne Iphiclem, accepto in pugna contra Augeam vulnere, Pheneon a propinquis deductum, accurate tractavit, & ex vulnere mortuum illic sepelivit, Paus. *Arcad.* p. 479.

Pheneatis adversus Tegeatas bellum erat. Ibi visum tergeminos fratres de victoria ferro dimicare. Res commissa Rheximachi filiis a Tegeatis, Demostrati vero filiis a Pheneatis. Consertis manibus duo Rheximachi filii exspirantes corruerunt: tertius vero, cui nomen Critolaus, capessivit fugam, & persequentes, unum post alterum, confecit. Lætantibus cunctis civibus, sola soror Demodice doluit, quæ desponsa fuerat uni eorum, qui ceciderant. Id Critolaus ægre ferens, sororem occidit, raptus in jus, a matre absolutus fuit, Plutarch. *Parallel.* XVI.

MEGALOPOLITÆ.

Megalopolis non solum Arcadicarum, sed etiam Græcarum urbium recentissima est. Hanc in urbem Arcades, sui roboris causa, coloniam deduxerunt, Argivorum exemplo. Coloniæ vero auctor Thebanus Epaminondas jure optimo vocetur: is enim Arcadas in unum congregavit, & mille Thebanorum delectam manum, duce Pammene, Arcadibus misit, qui auxilio essent, si forte Lacedæmonii, quo minus colonia deduceretur, impedire essent aggressi. Ab ipsis etiam Arcadibus viri, quorum ductu & auspiciis in coloniam iretur, delecti sunt, e Tegea, Mantinea, Clitoriis, Mænalo & Parrhasiis bini. Civitates vero, quæ tum coloniæ novæ studio, tum Lacedæmoniorum odio, ut patriam suam quæque desererent, sibi ab Arcadibus persuaderi passæ sunt, fuerunt circiter quadraginta. Ex quibus omnibus, cæteris populi communi Arcadum decreto, nihil omnino recusantes paruerunt, summaque alacritate nomina in coloniam dedere: Lycæatæ duntaxat, Tricoloni, Lycosurenses & Trapezuntii soli ex Arcadum numero sententiam mutarunt, quippe qui antiqua relinquere oppida non sustinerent: horum pars magna inviti & necessitate coacti Megalopolin convenerunt: at Trapezuntii e Peloponneso penitus excesserunt, & quotquot e reliquo ipsorum numero præcipitem Arcadum furorem effugerunt, eos, cum navibus in Pontum incolumes appulissent, ii qui Trapezuntem in Euxino jam tenebant, in domicilii societatem receperunt: quippe qui ex eadem essent metropoli, idemque nomen usurparent. Lycosurenses vero, etsi neque ipsi in officio permanserant, quod tamen in Cereris & Proserpinæ confugerant, violare Arcades veriti sunt. Deducta autem Megalopolis est, eodem anno, paucis post mensibus, quam Lacedæmonii Leuctricam cladem acceperunt. Ac tunc quidem Olymp. CII. an. 2. Megalopolitæ Thebanorum societate freti, nihil omnino sibi a Lacedæmoniis metuebant, Paus. *Arcad.* p. 497. 498. 499.

Olymp. CVII. an. 1. Megalopolitanos Lacedæmonii bello sacro suis deturbare sedibus adorti sunt; verum cum illi acriter obsisterent, & a finitimis summa alacritate adjuvarentur, nihil utrinque memoratu dignum contigit, Paus. *Arcad.* p. 499. vide Diodor. *l.* XVI. p. 437. 438.

Olymp. CXIV. 4. Megalopolitarum exsules cum Polyæneto proditionis damnati exclusi fuerunt in decreto, quod, mortuo Alexandro Magno, Regum Tutores de liberandis Græciæ civitatibus condiderunt, Diodor. *l.* XVIII. p. 631. 632.

Olymp. CXV. 1. Megalopolitæ oligarchiam ab Antipatro institutam amplexi Cassandro adhærebant: Eos Polysperchon, traductis in Peloponnesum copiis, ad imperata Regum facienda cogere conatus fuit, & urbem obsidere statuit. Illi, re cognita, quicunque in agris erant, facto decreto in urbem reduxerunt, civiumque & peregrinorum ac servorum numero inito, quindecim millia deprehendunt eorum, qui armis ferendis apti essent. Atque ita urbem magna virtute defenderunt, ut Polysperchon, qui eam totis viribus oppugnabat, re infecta obsidionem relinquere cogeretur, Diodor. *l.* XVIII. p. 642. 643. 644. 645.

Megalopolitis non longo post tempore Aristodemus Tyrannus exortus fuit, Phigalensis quidem patria, Artylæ filius, quem tamen Tritæus, homo non tenuis in civitate census, sibi adoptarat. Huic nihil dominatus obfuit, quo minus Χρηστὸς cognomento diceretur. Eo dominante Lacedæmoniorum exercitus, duce Acrotato Cleomenis F. in Megalopolitarum fines invasit: ibi acerrimo prælio commisso, multis utrinque cæsis, victores fuere Megalopolitæ, cæso inter alios etiam Acrotato, Paus. *Arcad.* p. 499. 500.

Lydiades post Aristodemum duabus ferme ætatibus Tyrannidem occupavit, vir obscuri generis, sed generosissimæ indolis, &, ut res ipsa postea ostendit, etiam publicæ libertatis amator. Cum enim admodum adolescens imperare cœpisset, eo ipso tempore, quo imperii opes jam in tuto collocarat, ultro se Tyrannide abdicavit: cumque se ad Achaicum Concilium Megalopolitæ adjunxissent, & suis civibus, & universis Achæis tantopere est probatus, ut unus cum Arato vitæ dignitate comparari posse videretur, Pausan. *Arcad.* p. 500. Ἐν δὲ Μεγάλῃ πόλει Λυδιάδας ἦν Τύραννος, εἶτ' ἐν αὐτῷ τῷ τυραννεῖν μεταβαλλόμενος, καὶ δυσχεράνας τὴν ἀδικίαν, ἀπέδωκε μετὰ τὰς νόμους τοῖς πολίταις,

μαχόμενος δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους ὑπὲρ τῆς πατρίδος, ἐπιφανῶς ἔπεσε, Plutarch. *de ser. Num. Vind.* p. 283. A

Megalopolim tertium Lacedæmonii adorti sunt majore copiarum apparatu, quam prius, regnante Agide Eudamidæ F. sed nullo successu, disjecta a borea vento machina, qua muros magna spe concutere cœperant, Pauf. *Arcad.* p. 500.

Megalopolin posthæc non longo interjecto tempore Cleomenes Leonidæ F. Rex Spartanus, neglecta fœderis religione, oppressit. Megalopolitarum pars, dum noctu correptis subito armis vim a patria propulsare nituntur, occumbunt: inter quos & Lydiades, post egregiam in certamine navatam operam, fato cessit; Philopœmen vero Craugidis F. cum duabus circiter militaris ætatis partibus, pueris præterea & mulieribus, in Messeniam profugit: reliquos Cleomenes, excisa urbe, trucidavit, Pauf. *Arcad.* p. 500 501. Erant vero Messenii eo tempore Arcadum amici. Cum autem magnam exsulum partem Rex Spartanus per caduceatores sub certis fœderis conditionibus ad reditum adhortaretur, (quod eorum, quæ crudelius in Megalopolitas admisisset, jam pœniteret) Philopœmen universis suis civibus persuasit, ut armis mallent, quam icto fœdere recipere. Idem Philopœmen octies Achæorum Imperator renunciatus fuit, maximasque res, toti Græciæ utiles, gessit, gloria maxima: adeo ut cum ludis interesset Nemeis, ac tunc forte Pylades Megalopolita Citharœdus magni nominis *Persas* Timothei Milesii carmen pronunciaret, canticum exorsus;

Κλεινὸν ἐλευθερίας τεύχων μέγαν Ἑλλάδι κόσμον,

universi Græci in Philopœmenen oculos conjecerint, & ingenti plausu edito, certam significationem dederint, cum versum illi maxime convenire, & ad unum omnino esse referendum. Eundem Antigonus, admiratione virtutis, in Macedoniam invitavit: Philippus vero Demetrii F. Megalopolin ad eum occidendum sicarios misit; vide in *Lacedæmoniis*. Tandem a Messeniis, accepto in capite inter dimicandum vulnere ex equo delapsus, captus fuit; & vivus Messenen pertractus, ubi invitis Messeniis, qui eum tanquam totius Græciæ parentem servatum enixe cupiebant, misso a Dinocrate veneno, e medio sublatus fuit: ad ejus statuam Tegeæ hæc legebatur inscriptio;

Τοῦδ' ἀρετὰ καὶ δόξα καθ' Ἑλλάδα, πολλὰ μὲν ἀλκαῖς,
 Πολλὰ δὲ καὶ βουλαῖς ἔργα πονησαμένου,
Ἀρκάδος αἰχμητᾶ Φιλοποίμενος. ᾧ μέγα κῦδος
 Ἕσπετ' ἐνὶ πτολέμῳ δούρατος ἁγεμόνι.
Μανύει δὲ τρόπαια τετυγμένα δισσὰ Τυράννων
 Σπάρτας αὐξομέναν δ' ἄρατο δουλοσύναν.
Ὧν οὕνεκεν Τεγέα μεγαλόφρονα Κραύγιδος υἱὸν
 Στᾶσεν ἀμώμητον κράντορ' ἐλευθερίας.

vide Pausan. *Arcad.* p. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539.

Polybius Megalopolita Lycortæ F. historiarum scriptor, amicus ac socius Romanorum, Romanos Græcis iratos placavit: Eum civitates omnes, quæ se Achæis contribuerant, nactæ sunt suarum rerum publicarum auctorem, legum etiam latorem. Ejus monitu quæ gessit Scipio Africanus, omnia bene & feliciter evenisse: in quibus vero minus ejus consiliis paruit, in iis offendisse memoriæ proditum est. Ei in foro Megalopolitano statua erecta fuit, cum inscriptione versibus Elegiacis Pausan. *Arcad.* p. 505.

Megalopolis implevit illud Comici:

Ἐρημία μεγάλη 'στὶν ἡ Μεγαλόπολις,

Strabo *l.* VIII. p. 388.

LACEDÆMONII.

Lelex αὐτόχθων in ea regione, quæ postea Laconica dicta fuit, primus imperasse fertur, & ab ipso Leleges, quibus imperabat, populos nominatos fuisse, ipsi Lacedæmonii testantur, Pauf. *Lacon.* p. 159. Et regio ipsa Lelegia appellata ab eo fuit, Pauf. Messen. init. Λελεγίς (sic lege pro λελεγκίς) ἡ Λακεδαίμων πάλαι, Hesych. Lelegis filii fuerunt Myles & Polycaon, Pausan. *Lacon.* p. 158. Lelegis αὐτόχθονος nepos e filia fuit Teleboas, Aristotel. apud Strabo. *l.* VII. p. 322. Lelegis uxorem Cleochaream Naidem Nympham vocat Apollod. *l.* III. p. 114. *a.*

Myles Lelegis F. patri successit: Polycaon Messenen occupavit: vide in *Messeniis*.

Eurotas Myletis F. Is cum stagnantem in campis aquam ad mare alveo deduxisset, quod fuit aquarum reliquum in justi amnis morem defluens, de suo nomine Eurotam appellavit, Pauf. *Lacon.* p. 158. Filiam Sparten habuit, prolem virilem nullam: Sparten uxorem duxit Lacedæmon, Pauf. *Lacon.* p. 158. Is Lacedæmon Jovis & Taygetæ filius fuit, Nonn. *Dionys.* l. XXXII. v. 65. 66. Jupiter ait;

Οὐδ' ὅτε Τηϋγέτης Ἀτλαντίδος, ἧς ἀπὸ λέκτρων
Πρεσβυγενὴς πολίαρχος ἀέξηθη Λακεδαίμων.

Lacedæmon Jovis, ut fama fert, e Taygeta Atlantis filia (a qua mons Taygetus nomen accepit) filius. Eurotæ gener, ut primum ad regnum accessit, regioni & incolis omnibus de se nomen indidit: urbem deinde quam condidit, de uxoris nomine Spartam appellavit, Pausan. *Lacon.* p. 158. Sed & ipsa urbs Lacedæmon appellata fuit. Λακεδαίμων πόλις ἐνδοξοτάτη τῶν ἐν Πελοποννήσῳ, ἡ Σπάρτη πρότερον, Stephan. Ἡ πόλις Σπάρτη μὲν ὀνομασθεῖσα ἐξ ἀρχῆς, προσλαβοῦσα δὲ ἀνὰ χρόνον καὶ Λακεδαίμων ἡ αὐτὴ καλεῖσθαι. τέως δὲ τὸ ὄνομα τοῦτο ἔκειτο τῇ γῇ, Pausan. *Lacon.* p. 179. Ὅτι δὲ Λακεδαίμων ὁμωνύμως λέγεται καὶ ἡ χώρα, καὶ ἡ πόλις δηλοῖ καὶ Ὅμηρος. λέγω δὲ χώραν σὺν τῇ Μεσσηνίᾳ, Strabo *l.* VIII. p. 367. Lacedæmonis & aliud adfertur ἔτυμον. Λακεδαίμονα, οἱ μὲν ἀπὸ Λακεδαίμονος· ἢ ὅτι μετὰ τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν καθόδον συνθεμένων κλήρῳ διανείμασθαι τὴν χώραν, καὶ τὸν λαχόντα πρώτην ταύτην λαβεῖν, καὶ Λακεδαίμονα κληθῆναι, Steph. ὅθεν Λακεδαίμων, διότι ἀγαθῷ δαίμονι, τουτέστι τύχῃ, ταύτην ἔλαβεν ὁ λαβὼν, ἢ ἔλαχεν ὁ λαχὼν, Eustath. *in Iliad.* B. Sic & Spartæ. Σπάρτη, Λακωνικὸν χωρίον ἀπὸ τῶν μετὰ Κάδμου Σπαρτῶν, quos Timagoras ait in Laconicam expulsos de se Spartæ nomen dedisse, Stephan. Σπάρτη ἀπὸ Σπάρτου, τοῦ Ἀμύκλαντος, τοῦ Λέλεγος, τοῦ Σπάρτου. ἢ διὰ τὸ τοὺς πρώτους συνοικίσαντας τὴν πόλιν Λέλεγας διασπαρμένους εἰς ταυτὸν συνελθεῖν, καὶ μίαν οἴκησιν ποιήσασθαι, Stephanus *in Λακεδαίμων*. Lacedæmon filiam habuit Eurydicen, quæ Acrisio nupsit, Apollod. *l.* III. p. 114. *a.*

Amyclas Lacedæmonis F. uxorem habuit Diomeden Lapithæ filiam, Apollod. *l.* III. p. 114. *a.* Is cum etiam aliquod nominis sui monumentum relinquere cuperet, in agro Laconico Amyclas oppidum condidit, Pauf. *Lacon.* p. 158. Hyacinthum Amyclæ filium natu minimum, egregium forma puerum, ab Apolline amatum, ipse Apollo disco imprudenter percussum interemit, Pauf. *Lacon.* p. 158. & 198. Apollod. *l.* III. p. 114. *a.* Nonn. *Dionys.* lib. XXIX. v. 95. seq.

—— Ὑάκινθον Ἀπόλλων
Ἔστενεν ἀνδροφόνῳ βεβολημένον ὀξέϊ δίσκῳ
Μεμφόμενος Ζεφύρου ζηλήμονος ἄσθμα θυέλλης.

Tzetzes *Chil.* XI. *Hist.* XI.

Ὑάκινθος Κυνόρτου μὲν ἦν ἀδελφὸς ὡραῖος,
Υἱὸς Ἀμύκλου δὲ πατρὸς, μητρὸς τῆς Διομήδης,
Ἐκ γῆς ἀνδρῶν τῶν εὐγενῶν Λακώνων Ἀμυκλαίων.
Ἀπόλλων δὲ καὶ Ζέφυρος τοῦ μείρακος ἀντήρων,
Καὶ δή ποτε δισκεύοντος Ἀπόλλωνος σὺν τούτῳ
Λάβρον πνεύσας ὁ Ζέφυρος τὸν δίσκον περιτρέπει,
Τῇ κορυφῇ δὲ τὸν καλὸν πλήξας ἀνεῖλε νέον.
Ἡ γῆ δ' ἄνθος ὁμώνυμον ἀντέδωκε τῷ νέῳ, &c.

Fuit & Harpalus Amyclæ filius, Pausan. *Achaic.* p. 432. Hyacinthi tumulus fuit sub Apollinis signo, Pauf. *Arcad.* p. 158.

Argalus Amyclæ F. natu maximus, Pausan. *Lacon.* p. 158.

Cynorta Argali F. Pauf. *Lacon.* p. 158. Eum non nepotem, sed filium Amyclæ fuisse scribit Apoll. *l.* III. p. 114. *α.* & Tzetzes *Chil.* I. *Hist.* XI.

Oebalus Cynortæ F. uxorem habuit Gorgophonen Persei filiam, Pauf. *Lacon.* p. 158. Sunt qui dicant Oebali & Naidis Nymphæ Bateæ filios fuisse Tyndareum, Hippocoontem & Icarium, Apollod. *l.* III. p. 115. *β.* Hippocoon numerosam prolem habuit: Icario vero e Naide Nympha Peribœa nati fuerunt Thoas, Damasippus, Imeusimus, Aletes, Perilaus & Penelope Ulyssi nupta, Apollod. *l.* III. p. 116. *α.*

Tyndareus Oebali e Gorgophone filius, Pauf. *Lacon.* p. 158. Eum Hippocoon frater & Icarium Lacedæmone expulit, Apollod. *l.* III. p. 116. *α.* Ajunt Tyndareum & ejus fratrem Icarium, patria ab Hippocoonte ejectos, concessisse ad Thestium Pleuroniorum principem, eumque juvisse in occupandis multis partibus sitæ trans Acheloum regionis: & Tyndareum quidem rediisse in patriam, ducta uxore Thestii filia Leda; Icarium vero accepta Acarnaniæ parte illic mansisse, & e Lygæi filia Polycaste genuisse Penelopen & fratres ejus, Strabo *l.* X p. 461. Sed Icarius aliis rediisse quoque dicitur: nam quæ de eo memorantur Lacedæmone gesta sunt. Icarium cursus certamen Penelopes procis proposuisse ajunt, Ulyssemque vicisse istis ludis manifestum est: missi vero in curriculum dicuntur διὰ τῆς ὁδοῦ τῆς Ἀφεταΐδος, unde illi nomen Ἀφέται, Pausan. *Lacon.* p. 181. Cum autem Icarius Ulyssi Penelopen uxorem dedisset, eumque ut Lacedæmone domicilium caperet frustra orasset, filiam, ne se desereret, sollicitare cœpit: illa vero, sibi a viro optione data, nihil respondit, sed faciem tantum velavit: tum Icarius, quid illi animi esset gnarus, utrumque in Ithacam dimisit; sed signum Pudoris eo in loco dedicavit, ubi faciem velarat Penelope, Pauf. *Lacon.* p. 202. Icarium ab Hippocoonte in societatem adversus Tyndareum adscitum fuisse, victumque Tyndareum Pellanam aufugisse, ut Lacedæmonii ajunt; vel ad Aphareum Perieris filium, suum ex eadem matre fratrem, ut Messenii volunt, confugisse, ac tunc quidem in oppido Messeniæ Thalamis domicilium habuisse, & liberos etiam illic procreasse, scribit Pausan. *Lacon.* p. 158 159. Hippocoontis filii quoque Hyionum Licymnii F. Herculis amicum interemerunt. Sed eos magno prælio profligatos magno numero cecidit Hercules, & Sparta vi expugnata Tyndareum in regnum reduxit, quod ut hasta partum hac conditione ei, deposito loco, tradidit, ut id Herculis liberis servaret. Cecidit in ea pugna Iphicles cum Cephei filiis XVII. sed ex hostibus Hippocoon ipse cum X. filiis & magna Sparta-

A norum turba, Diodor. *l.* IV. p. 239. Pauf. *Lacon.* p. 159. & *Corinth.* p. 117. Apollod *l.* III. p. 116. *α.* Hippocoonti & ejus filiis hoc quoque crimini datum fuit, quod Neleo Pyli Regi suppetias tulissent, Apollod. *l.* II. p. 76. *α. β.* Tyndarei & Ledæ filiæ fuerunt Timandra Echemo nupta: Clytæmnestra Agamemnonis uxor: & Philonoe, quam Diana immortalem reddidit. Jupiter porro in cygnum versus & Tyndareus una eademque nocte cum Leda concubuerunt, & e Jove nati fuerunt Pollux & Helena, e Tyndareo vero Castor. Quidam ajunt Nemeseos filiam Helenam fuisse & Jovis: Nemesin enim Jovis concubitum fugientem in anse-
B rem versam cum Jove in cygnum verso congressam, ovum peperisse, quod a pastore in nemore inventum & ad Ledam delatum, Leda in arca servarit, ex quo, congruo post tempore, nata fuerit Helena, quam Leda ut ex se natam educarit, Apollodor. *l.* III. p. 116. *α. β.* Helena apud Euripid. *Helena* v. 264. seqq. de se ait:

Γυνὴ γὰρ οὐθ' Ἑλληνὶς, οὔτε βάρβαρος,
Τεῦχος νεοσσῶν λευκὸν ἐκλοχεύεται,
Ἐν ᾧ με Λήδαν φασὶν ἐκ Διὸς τεκεῖν.

C Jupiter apud Pindar. *Nem.* od. X. antistrophe V. ait Polluci:

—————— ἐσσί μοι υἱ-
ός. Σόνδε (Castorem) δ' ἔπειτα πόσις
Σπέρμα θνατὸν ματρὶ τεᾷ πελάσαις
Ἔσταξ' ἥρως.

Vide Scholiast. Quidam finxerunt Ledam a Jove in cygnum verso compressam duo ova peperisse, e quorum altero Pollux & Castor nati sint, ex altero Helena & Clytæmnestra. Φασὶ τοὺς Διοσκούρους ἐξ ὠοῦ γεγονέναι, Schol. Aristoph. *Avib.* p. 574. Ga.
D Hinc Castor & Pollux non tantum Tyndaridæ, sed & Διόσκουροι appellati. Theocritus *Idyll.* XXII. v. 1. seqq.

Ὑμνέομες Λήδας τε καὶ αἰγιόχου Διὸς υἱώ,
Κάστορα καὶ φοβερὸν Πολυδεύκεα πὺξ ἐρέθιζεν.

Homerus in *Hymno*:

Ἀμφὶ Διοσκούρους ἑλικώπιδες ἔσπετε Μοῦσαι
Τυνδαρίδας, Λήδης καλλισφύρου ἀγλαὰ τέκνα,
Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ ἀμώμητον Πολυδεύκεα,
Τοὺς ὑπὸ Ταϋγέτου κορυφῇ ὄρεος μεγάλοιο,
Μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι κελαινεφέϊ Κρονίωνι
E Σωτῆρας τέκε παῖδας.

Pindar. *Olymp.* od. III. antistr. III. φιλίππων Τυνδαριδᾶν. Helena Τυνδαρὶς dicitur Euripidi *Hecuba* v. 270. & *Clytæmnestra* v. 1260. Dioscuros in insula Pephno primum in lucem editos Thalamatæ memorant: quod ipsum in cantico suo dixit Alcman: enutritos quidem in Pephno negant, sed a Mercurio Pellanam deportatos: eam insulam suorum fuisse finium olim contendebant Messenii, & propterea Dioscuros ipsos majore se quam Lacedæmonios propinquitate attingere, Pauf. *Lacon.* p. 213. Dio-
F scuri cum Jasone in Colchos profecti fuerunt, Apollon. *Argon.* lib. I. v. 146. seqq. Cum ad Bebryces venissent, Pollux Amycum provocantem ad certamen cæstus occidit, Theocrit. *Idyll.* XXII. v. 29. seqq. Dioscuri incolumes reversi ab expeditione Colchica Minervæ Asiæ templum erexerunt, Pauf. *Lacon.* p. 210. Dioscuri Helenam a Theseo & Pirithoo raptam investigantes magnis cum copiis Atticam invaserunt, populosque suis sedibus ejecerunt, ignari quo loci subducta esset: ibi Decelum ajunt dolore contumeliæ, quæ Theseo fieret, motum,

& Attico solo metuentem, exposuisse illis rem omnem, illosque Aphidnas deduxisse, quas Titacus indigena Tyndaridis tradiderit, Herodot. *l.* IX. p. 615. reductaque fuit ab illis Helena Lacedæmonem, Aphidna capta, quo tempore in Thesprotis cum Pirithoo aberat Theseus: & ex hoc quidem illa gravida Argis puellam enixa fuit, quam Clytæmnestræ uxori Agamemnonis educandam tradidit, Pausan. *Corinth.* p. 124. Inscriptio apud Pausan. *Eliac. pr.* p. 322.

Τωνδαρίδα Ελένην φέρετον, Αἴθραν δ' Αθήναθεν
Ελκετον. ———

Vide in *Atheniensibus Theseus*. Helenam Sibylla Hierophila prædixit Spartæ educatum iri, ἐπ' ὀλέθρῳ τ Ασίας ᾗ Εὐρώπης, Pausan. *Phoc.* p. 639. Helenæ proci fuerunt: Ulysses Laertis F. Diomedes Tydei F. Antilochus Nestoris F. Agapenor Ancæi F. Sthenelus Capanei F. Amphilochus Cteati F. Thalpius Euryti F. Meges Phylei F. Amphilochus Amphiarai F. Menestheus Petei F. Schedius Epistrophi F. Polyxenus Agasthenis F. Peneleus Leiti F. Ajax Oilei F. Ascalaphus & Jalmenus Martis FF. Elephenor Chalcodontis F. Eumelus Admeti F. Polypœtes Pirithoi F. Leonteus Coroni F. Podalirius & Machaon Æsculapii FF. Philoctetes Pœantis F. Eurypylus Euæmonis F. Protesilaus Iphicli F. Menelaus Atrei F. Ajax & Teucer Telamonis FF. Patroclus Menœtii F. Apollod. *l.* III. p. 117. *α. β.* Tydareus vero mactato equo, super illius exsecti testibus constitutos Helenæ procos jurejurando polliceri compulit, se Helenæ & cuicunque illa desponderetur, injuriam, si a quo violarentur, vindicaturos: cum eos hoc sacramento adegisset, equum eo ipso in loco defodit, Pausanias *Lacon.* p. 202. & Menelaum Atrei F. generum delegit, Apollod. *l.* III. p. 117. *β.* Dioscuros porro Leucippi filias Lynceo & Idæ Apharei filiis desponsas rapuisse, eamque pugnæ inter patrueles commissæ causam fuisse scribit Theocritus *Idyll.* XXII. v. 137 seqq. at de pecore eos dimicasse refert Pausan. *Messen.* p. 219. Dioscuri urbem Lan expugnasse dicuntur, unde Λαπέρσαι appellati fuerunt, Strabo *l.* VIII. p. 364. Sophocles:

Νὴ τὼ Λαπέρσα. ———

Dioscuri cum sociis Ida & Lynceo ex Arcadia boum prædam abegerant: eam Idæ arbitrio dividendam permiserunt. Ille bove in partes quatuor dissecta, ajebat illius fore dimidiam prædam, qui primus devorasset; secundi vero reliquam. Ibi ipse antevertens, primo suam, deinde & fratris partem absumpsit, & una cum fratre omnem prædam in Messenen abduxit. Dioscuri vero armis in Messenen motis, & illam prædam, & aliam multam averterunt, & Idæ atque Lynceo sub quercu insidiati fuerunt; sed Lynceus conspecto Castore, Idæ significavit, atque hic Castorem occidit; sed Pollux utrumque persequens, Lynceum hastæ ictu interfecit: ipse ab Ida lapide caput ictus, oborta oculorum caligine concidit. Tum Jupiter Idam fulmine exanimavit, Pollucem vero in cœlum subduxit: Polluce vero immortalitatem recusante, cum Castor mortuus esset, Jupiter alternis diebus inter Deos & inter mortuos degere utrique concessit, Apollod. *l.* III. p. 118. *α. β.* Pindar. *Neme.* od. X. stroph. IV.

Μεταμειβόμενοι δ' ἐνναλ-
λὰξ ἁμέραν ταὶ μὲν παρὰ πατρὶ φίλῳ
Διὶ νέμονται, ταὶ δ' ὑπὸ κεύθεσι γαί-
ας, ἐν γυιάλοισι Θεράπνας,
Πότμον ἀμπιπλάντες ὁμοῖον. ἐπεὶ

A
Τοῦτον, ἢ πάμπαν θεὸς ἔμ-
μεναι, οἰκεῖν τ' οὐρανῷ,
Εἵλετ' αἰῶνα, φθιμένου Πολυδεύκης
Κάστορος ἐν πολέμῳ.
Τὸν γὰρ Ιδας ἀμφὶ βουσίν πως χολω-
θεὶς, ἔτρωσεν χαλκέας λόγχας αἰχμᾷ,
Από Ταϋγέτου ποταυ-
γάζων ἴδεν Λυγκεὺς δρυὸς ἐν στελέχει
Ημενον, &c.

Vide Scholiast. E Leucippi filiabus, Phœbe Polluci Mnesileus: e Hilaira Castori Anogon natus fuit, Apollod. *l.* III. p. 118. *α.* Dioscuri quadragesimo post pugnam adversus Idam & Lynceum anno, nihil omnino maturius, in Deos relati fuerunt, Pausan. *Lacon.* p. 183. 184.

B

Menelaus Atrei F. Tyndarei gener, socero successit, Pausan. *Lacon.* p. 159. Λακεδαίμων δὲ Μενέλαον (παρέχει) τ διὰ σωφροσύνην μόνον ἀξιωθέντα Διὸς γενέσθαι, ᾗ κληθῆναι κηδεστὴν, Isocrat. *Panathen.* Ad eum venit Alexander Priami filius, hospitioque ab eo acceptus, Helenam, violato hospitii jure, cum multis opibus abduxit, vide Herodot. *l.* II. p. 146. seqq. Inde funestum illud X annorum bellum Trojanum excitatum fuit, Homer. *Iliad.* Γ. v. 158. seqq.

C

Οὐ νέμεσις Τρῶας ᾗ εὐκνήμιδας Αχαιοὺς
Τοιῇ δ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.
Αἰνῶς ἀθανάτοισι θεῇς εἰς ὦπα ἔοικεν.

Menelaus confecto bello & everso Ilio Spartam rediit, recepta Helena: quam cum viro statim in gratiam rediisse scribit Smyrnæus *l.* XIV. v. 149. cum & Græci omnes ad illius ἀγλαΐην ᾗ κάλλος ἐπήρατον obstupuissent, ut idem scribit *l.* XIV. v. 58. seq. Et Euripides *Troad.* v. 871. seqq. eam Menelao puniendam traditam memorat:

D

Κτανεῖν ἐμοί νιν ἔδοσαν, εἴτε μὴ κτανὼν
Θέλοιμ' ἄγεσθαι πάλιν εἰς Αργείαν χθόνα.
Εμοὶ δ' ἔδοξε τ μὲν ἐν Τροίᾳ μόρον
Ελένης ἐᾶσαι, ναυπόρῳ δ' ἄγειν πλάτῃ.
Ελλωίδ' εἰς γῆν, κᾆτ' ἐκεῖ δοῦναι κτανεῖν
Ποινὰς, ὅσοι τεθνᾶσιν ἐν Ιλίῳ φίλοι.

Menelaum in Olympia cerni loricam indutum, stricto gladio Helenam invadentem, capto scilicet Ilio, eam interempturum, scribit Pausan. *Eliac. pr.* p. 322. Rhodii ajunt Helenam, Menelao mortuo, errante etiam tunc Oreste, a Nicostrato & Megapenthe ejectam ad Polyxo Tlepolemi uxorem, necessariam suam,

E

in Rhodum venisse: Polyxo autem ulcisci in Helena Tlepolemi necem volentem, ubi eam in potestate habuit, immisisse in eam lavantem ancillas Furiarum habitu, quæ comprehensam illam, cum ad arborem suspendissent, laqueo necarint: in ejus rei memoriam a Rhodiis fanum Helenæ Δενδρίτιδος dedicatum; Lacedæmonii contra apud se Helenam cum Menelao sepultam tradunt, Pausan. *Lacon.* p. 199. De Menelai erroribus, cum rediret ab Ilio, vide Strabonem *l.* I. p. 38. 40. & Homer. *Odyss.* Δ. Ægyptii Sacerdotes referebant, raptam quidem ab Alexandro Helenam fuisse, sed una cum eo in Ægyptiacum pelagus vi ventorum

F

delatam, in Ægyptum venisse, illicque a Proteo Rege retentam, dimisso Alexandro, sed asperrimis verbis increpito ob admissum in hospitem Menelaum scelus: postea Menelao in Teucriam magnas Græcorum copias auxilio venisse: quæ in terram egressæ, locoque communito, legatos Ilium miserint, cumque iis & ipsum Menelaum ivisse. Eos Helenam resque, quas Alexander abstulisset, repoposcisse, & injuriæ compensationem. Teucros vero tunc eadem narrasse, deinde & juratos negasse apud se Helenam esse, aut opes quæ repetebantur, sed in Ægypto eas cum illa esse. Græcos,

cum se ab illis derideri arbitrarentur, ita obsedisse Ilium, donec expugnassent. Urbe capta, cum non appareret Helena, tum demum verbis eorum fidem habitam missumque ad Proteum Menelaum: eum, ubi in Ægyptum pervenit, honorifice exceptum, Helenam & res suas recepisse: cum autem venti abitum negarent, exsectis duobus Ægyptiis pueris haruspicinam fecisse: inde invisum ac exagitatum, navibus in Libyam profugisse, Herodot. *lib.* II. p. 146. seqq. vide Euripidis *Helenam*: ubi Helena ait, a Paride decepto tantum simile Helenæ simulacrum abductum, ipsam vero a Mercurio nube tectam in Ægyptum in Protei Regis ædes deportatam, v. 33. seqq. Menelaus ex Helena genuit Hermionem, &, ut quidam volunt, Nicostratum: e serva Pieride Ætolici generis, vel, ut Acusilaus ait, e Teridae Megapenthem: e Cnossia vero Nympha, ut Eumelus prodidit, Xenodamum, Apollod. *lib.* III. p. 117. β. seq. Porphyrius in *Quæstionibus Homericis* ait Helenæ & Menelai filios fuisse Diæthum & Morrhaphionem, a quo sint oriundi Morrhaphiones apud Persas. Cinæthon vero scribit Nicostrotum & Æthiolam Helenæ filios apud Lacedæmonios coli, Schol. min. *Iliad.* B. Aristotelis in Menelaum exstat Epitaphium:

Ὄλβιος, ὦ Μενέλαε, σύ τ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως
Ἐν μακάρων νήσοις γαμβρὲ Διὸς μεγάλου.

Orestes Agamemnonis filius, Menelai gener. Is Lacedæmoniis haudquaquam invitis imperavit: illi enim Tyndarei nepotem, cui parerent, digniorem putarunt, quam quos Menelaus e serva genuerat, Pausan. *Corinth.* p. 117. vide de eo in *Mycenæis*: & de filio ejus notho Penthilo in *Argivis*.

Tisamenus Orestis filius ex Hermione. Eo regnante Heraclidæ in Peloponnesum redierunt. Tisamenus regno pulsus in Achaiam concessit: vide in *Achæis*. Heraclidæ compererunt Lacedæmonem servitute oppressam: dejectum enim Tyndareum de imperio, postquam Castor & Pollux inter homines esse desierant, ab Hercule restitutum fuisse, memoremque hujus beneficii, & cogitationis cum liberis suis, Herculi eam regionem dedisse, Isocrat. in *Archidamo*.

Aristodemi filii Heraclidæ Eurysthenes & Procles cum cæteris Heraclidis & Doriensibus in Peloponnesum redeuntes, cum sorte distribuerentur occupatæ terræ, Lacedæmone potiti sunt: vide in *Doriensibus Metropol.* Euripides de sorte ea agens apud Strabon. *lib.* VIII. p. 366. scribit de terra Laconica:

Γαίης Λακαίνης κύριον, φαύλου χθονός.

aitque Laconicam habere

Πολλὴν μὲν ἄροτον, ἐκπονεῖν δ' οὐ ῥᾴδιον,
Κοίλη γάρ ἐστι καὶ ὄρεσι περίδρομος,
Τραχεῖά τε, δυσείσβολός τε πολεμίοις.

Ita enim hos versus legi ratio metri jubet. Sed Lacedæmonios habitare ἐν χώρῃ ἀγαθῇ scribit Herodot. *lib.* I. p. 28. Porro ipsi Lacedæmonii ajebant, se in eam regionem deductos fuisse non a filiis Aristodemi, sed ab ipso Aristodemo regnante: mortuo vero Aristodemo, Lacedæmonios, qui tum erant, consultasse de Rege creando, eo qui e pueris primo genitus esset, ut lex jubebat; sed cum illi similes ac pares essent, neque discerni possent, uter eligendus esset, primum genitricem fuisse percontatos: & illa negante se dignoscere, sed dissimulante, quod utrumque Regem fieri cuperet, dubios in hac re Delphos misisse, sciscitatum quid factu opus esset: Pythiam vero respondisse, utrumque puerum Regem habendum, sed primogenito præcipuum honorem tribuendum. Eo responso a Pythia edito, Lacedæmonios æque incertos, qua ratione primigenium cognoscerent, admonitos fuisse a quodam Messenio, cui nomen Panites erat, ut observarent, utrum mater priorem lavaret cibaretque: ita Lacedæmonios puerum, quem mater alteri præferre visa fuit, tanquam primum genitum publice alendum curasse, Eurysthenis nomine illi, alteri Proclis indito, Herodot. *l.* VI. p. 398. Cæterum Hellanicus Eurysthenem, & Proclem scribit διατάξαι τὴν πολιτείαν. Sed eum Ephorus reprehendit, quod præterita mentione Lycurgi, ejus facta alienis adscripserit: soli enim Lycurgo fanum dedicatum fuisse, eique quotannis sacra fieri: illis vero καίπερ οἰκισταῖς γενομένοις, ne hoc quidem tributum fuisse, ut ab illo Eurysthenidæ, ab hoc Proclidæ nominarentur, neque eos ἀρχηγέτας haberi, quod omnibus οἰκισταῖς defertur; sed Agidas ab Agide Eurysthenis F. & Eurypontidas ab Euryponte Proclis nepote successores appellari, Strabo *lib.* VIII. p. 366. Ita hæc supplenda in Strabone sunt: vide in *Agide* & *Euryponte*. Lacedæmon, post urbem a Doriensibus occupatam, seditionibus diutissime conflictata, tamen ab antiquissimis usque temporibus, & bonis legibus usa fuit, & a Tyrannide libera, Thucyd. *lib.* I. p. 13. Οἱ δὲ κατασχόντες τὴν Λακωνικὴν, καὶ κατ' ἀρχὰς μὲν ἐσωφρόνουν, Strabo *l.* VIII. p. 365. Λακεδαιμόνιοί τε τὸ μὲν παλαιὸν ἐκ φαύλων τε καὶ μικρῶν πόλεων ὁρμηθέντες, διὰ τὸ σωφρόνως ζῆν καὶ στρατιωτικῶς, κατέσχον Πελοπόννησον, Isocrat. *Areopag.* Elegerunt autem Spartam Eurysthenes & Procles sibi: in reliquas urbes Reges dimiserunt, qui civibus permitterent, ut quosvis peregrinos inquilinos susciperent, quod penuria hominum incolentium esset, Ephorus apud Strabon. *lib.* VIII. p. 364.

EURYSVHENIDÆ ET AGIDÆ.

Eurysthenei Aristodemi filius primus Rex Lacedæmoniorum ex Heraclidis, cujus etiam familia honoratior fuit. Κατὰ πρεσβυγενείην κως τετίμηται μᾶλλον ἡ Εὐρυσθένεος οἰκίη, Herodot. *lib.* VI. p. 398. inde Anaxandridæ dictum a Spartanis, εἰ τι σύ γε σεωυτοῦ μὴ προορᾷς, ἀλλ' ἡμῖν τοῦτ' ἐστὶ οὐ περιοπτέον, γένος τὸ Εὐρυσθένεος γενέσθαι ἐξίτηλον, apud Herodot *lib.* V. p. 344. Eurysthene, cum fratre, adulto & regnum jam administrante, Theras Autesionis F. in cujus tutela pupilli illi fuerant, ita graviter tulit sibi ab aliis imperari, cum imperium degustasset ipse, ut negaret se Lacedæmone mansurum, sed ad cognatos navigaturum: quamvis vero Eurysthenes & Procles in rebus omnibus dissiderent, tamen illius odii, quo inter se laborarunt, acerbitas non obfuit, quo minus communi consilio avunculum Theram in deducenda colonia juvarent: deduxit vero coloniam in insulam, quæ tum Calliste vocabatur, sed ab ipso Thera mutato nomine appellata fuit, Pausan. *Lacon.* p. 159. 160. Herodot. *lib.* IV. p 308. Theras filio, ut secum navigaret, persuadere non potuit: tum pater, *Relinquam ego*, inquit, *ovem lupis*, ὄϊν ἐν λύκοισι. inde adolescenti nomen inditum, ut Οἰόλυκος vocaretur. Ei filius fuit Ægeus, a quo Ægidæ dicti, ingens Spartæ tribus, Herodot. *lib.* IV. p. 309. Cum autem eodem tempore Lacedæmonii, Minyas e Lemno ejectos a Pelasgis, & a Lacedæmoniis susceptos, necare constituissent, affectati rengi, & aliorum flagitiorum reos, Theras eorum necem deprecatus, eorum quosdam in coloniam secum deduxit: vide in *Minyis* & *Theræis*. Eurysthene regnante quoque bellum id inter Lacedæmonios & Athenienses gestum fuit, quo se Codrus Rex Atheniensis devovit: vide in *Atheniensibus*. Ex iis Peloponnesiis, qui rem con-

tra Athenienses infeliciter gesserunt, alii Megara, alii in Cretam, alii in Rhodum concesserunt; vide suis locis.

Agis Eurysthenis F. a quo Eurysthenis posteri Agidæ appellati, Pausan. *Lacon.* p.160 Ἡγησις dicitur Herodoto *lib.* VII. p. 514. Eo regnante Lacedæmonii Patreum in condendis Patris Achaiæ urbe adjuverunt, & Graidi coloniam Æolicam deducenti comites addiderunt, Pausan. *Lacon.* p.160. Agis Spartanorum vicinis, quibus ante societas & æqualitas legum, Reip. ac curiæ data fuerat, id jus ademit, & Spartanis tributum pendere jussit; reliquis parentibus, ii qui urbem Helos tenebant, rebellantes vi subacti fuerunt, & servituti addicti certis quibusdam conditionibus, ut talem servum neque libertate donare liceret domino, neque extra fines vendere. Ei bello nomen fuit *πρὸς τὰς Εἵλωτας, σχεδὸν δέ τι καὶ τὴν Εἱλωτείαν τὴν ὕστερον συμμείνασαν μέχρι τῆς Ῥωμαίων ἐπικρατείας οἱ περὶ Ἆγιν εἰσὶν οἱ καταδείξαντες· τρόπον γάρ τινα δημοσίους δούλους εἶχον οἱ Λακεδαιμόνιοι τούτους, κατοικίας τινὰς αὐτοῖς ἀποδείξαντες καὶ λειτουργίας ἰδίας*, Strab. *lib.* VIII. p.365. Aliter de Hilotis scribentem Pausaniam vide infra in *Alcamenes*.

Echestratus Agidis F. Eo regnante Lacedæmonii Cynurios suis sedibus expulerunt, Pausan. *Lacon.* p. 160. vide in *Cynuriis*.

Labotas (Λεωβώτης Herodoto *lib.* VII. p.514.) Echestrati F. Eo regnante Lacedæmonii tunc primum Argivis bellum intulerunt, Pausan. *Lacon.* p.160. vide in *Argivis*. Ejus tutor fuit Lycurgus, vir inter Spartiatas probatus, Leobotæ patruelis (ἀδελφιδέος;) cum autem Lacedæmonii fere omnium Græcorum pessime morati essent, nullo neque inter se, neque cum peregrinis commercio, ad æquam & honestis legibus institutam gubernationem transierunt, Lycurgo Delphos ad Oraculum profecto: cui in ædem ingresso Pythia cecinit:

Ἥκεις ὦ Λυκόεργε ἐμὸν ποτὶ πίονα νηὸν,
Ζηνὶ φίλος, καὶ πᾶσιν Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσι,
Δίζω, ἤ σε Θεὸν μαντεύσομαι, ἢ καὶ ἄνδρα.
Ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον Θεὸν ἔλπομαι, ὦ Λυκόεργε,

At præter hæc illi ea instituta exposuisse a quibusdam dicitur, quæ postea a Spartanis observata fuerunt; quamvis Lacedæmonii velint Lycurgum ea e Creta attulisse. Constat vero eum omnia jura immutasse, operamque dedisse, ne quis ea transgrederetur: deinde quæ ad bellum pertinent, enomotias, triacadas, syssitia: adhæc Ephoros & Senatores instituisse. Ita illi ad rectum vitæ genus a Lycurgo translati fuerunt: quem vita defunctum illi delubro exstructo egregie coluerunt, Herodot. *lib.* I. p.27.28. *Τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν τινὲς Λυκούργῳ προσάπτουσι πᾶσαν*, Heraclid. *de Polit.* Ea ætate clarissimus Graii nominis Lycurgus Lacedæmonius, vir generis regii, fuit severissimarum justissimarumque legum auctor, & disciplinæ convenientissimæ: cujus quamdiu Sparta diligens fuit, excellissime floruit, Vell. Patercul. *lib.* I. Lycurgum Ephorus, Plutarchus & alii ex altera familia deducunt, & Charillo regnante leges condidisse scribunt; vide in *Proclidis*. Agesilao regnante eum leges tulisse refert Pausan. *Lacon.* p. 161. fuerunt autem Agesilaus & Charillus *σύγχρονοι*. Ephoros porro, regnantibus Alcamene & Theopompo, institutos fuisse alii prodiderunt. *Ἐπεὶ δὲ Λυκούργῳ τὴν πολιτείαν ἐπέτρεψαν* Lacedæmonii, *τοσοῦτον ὑπερεβάλλοντο τοὺς ἄλλους, ὥστε μόνοι τῶν Ἑλλήνων καὶ γῆς καὶ θαλάττης ὑπῆρξαν, διετέλεσάν τε ἄρχοντες τῶν Ἑλλήνων, ἕως ἀφείλοντο αὐτοὺς τὴν ἡγεμονίαν Θηβαῖοι, καὶ μετ' ἐκείνους εὐθὺς Μακεδόνες*, Strabo *l.* VIII. p.365. *Λυκοῦργος ἐν Σάμῳ ἐτελεύτησε. καὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν, παρὰ τῶν ἀπογόνων Κρεωφύλου λαβὼν, πρῶτος διεκόμισεν εἰς Πελοπόννησον*, Heraclid. *de Polit.*

Doryssus (Δορύαγος Herodoto *lib.* VII. p. 514.) Labotæ filius brevi regnavit, Pausan. *Lacon.* p.161.

Agesilaus Doryssi filius. Et huic breve imperium fuit, idem *ibidem*.

Archelaus Agesilai F. Eo regnante Lacedæmonii unam de finitimis urbibus, Ægyn nomine, bello subactam exciderunt, Ægytas in Arcades propensiore animo esse suspicantes: resque contra eos ab utroque Rege, Archelao & Charillo, gesta fuit, idem *ibid.*

Teleclus Archelai F. Eo imperante Lacedæmonii finitima oppida, Amyclas, Pharin, Geranthras, quæ Achæi etiam tunc tenebant, bello capta, everterunt. Ex his Pharitæ & Geranthratæ Doriensium adventu territi, certis conditionibus e Peloponneso discesserunt, idem *ibid.* de Amyclensibus vide suo loco. Teleclus non ita multo post a Messeniis in Dianæ *Λιμνάτιδος* fano occisus fuit, idem *ibid.* vide in *Messeniis*. *Τηλέκλυτος* vocatur a Diodoro: *Τηλεκλύτου βασιλέως τῶν Λακεδαιμονίων ἀποθανόντος ἐν ἀγῶνι*, *lib.* XV. p.378. Teleclum condidisse urbes Pœessam, & Echeas, & Tragion ajunt, Strabo *lib.* VIII. p. 360.

Alcamenes Telecli F. Eo regnante Lacedæmonii Charmidam Ethyis F. de optimatibus unum in Cretam miserunt, ad res Cretensium componendas, Pausan. *Lacon.* p.162. vide in *Cretensibus*. Et maritimum oppidum, quod ab Achæis tenebatur, Helos everterunt: & Helotis auxilia ferentes Argivos prælio vicerunt, idem *ibid.* Incolæ, Doriensibus urbe potitis, publici Lacedæmoniorum servi facti fuerunt, Helotæ appellati, sicut & erant: usus porro obtinuit, ut & Messenios, postea in servorum numerum a Doriensibus relatos, Helotas appellarint, Pausan. *Lacon.* p.201. Olymp. IX. 2 Eodem regnante Lacedæmonii neque per fecialem bellum indixerunt Messeniis, neque eorum amicitiæ aperte renunciarunt, verum clandestinis, quam potuerunt maxime, consiliis apparato bello, hoc se juramento obstrinxerunt, se nec belli diuturnitate, si id forte brevi tempore confici non posset; nec cladibus, si forte magnæ in eo bello acciderent, reputatis pedem relaturos, priusquam Messeniam armis acquisivissent: quæ jurati, noctu copias Ampheam versus eduxerunt, Alcamene imperatore constituto, eamque urbem patentibus portis, præsidio vacuam ceperunt, Pausan. *Messen.* p. 225. Inde in agrum hostilem incursiones fecerunt quidem, verum neque arbores succiderunt, neque villas demoliti sunt, quippe jam suum esse illum agrum interpretabantur: prædam tantum, si quam nacti essent, egerunt, Pausan. *Messen.* p. 227. Urbem suam Lacedæmonii, cum ad bellum proficiscerentur, minimis maximisque natu custodiendam tradiderunt: postea anno belli decimo uxores Lacedæmoniorum, facta coitione, quasdam e suo cœtu ad viros miserunt, expostulaturas cum iis, quod iniquis conditionibus bellum cum Messeniis gererent: eos enim in suis sedibus liberos procreare, Spartanos vero, desertis uxoribus, in hostico castra habere, adeoque periculum esse, ne patria virorum vacua redderetur. Lacedæmonii vero, & jurisjurandi & consilii uxorum ratione habita, robustissimos quosque & simul maxime juvenes (quos noverant jurisjurandi religione non teneri, quod etiamnum pueri una cum adultis in castra ivissent) Spartam miserunt, eosque cum virginibus omnibus concumbere jusserunt, rati eo copiosiorem inde sobolem futuram. At qui eo modo nati fuerunt, *Παρθενίαι* appellati sunt. Cæterum Spartani domum reversi, Parthenias æquo cum cæteris honore non

sunt dignati, utpote non e conjugio natos. Itaque Partheniæ, re cum Hilotibus communicata, Lacedæmoniis insidias struxerunt, tessera data faciendi impetus, elevato in foro pileo Laconico. Sed indicio rei a quibusdam Helotibus delato, Spartani contra insidiari rem difficilem duxerunt, quod & numero multi essent, & omnes concordes mutuo se pro fratribus haberent. Itaque omnes, qui pileum sublaturi erant, foro cedere jusserunt. Partheniæ, cum sua consilia detecta animadverterent, sese continuerunt, Spartani vero parentum opera iis persuaserunt, ut in coloniam abirent, atque si commodas sibi sedes consequerentur, ne redirent; si minus, ut reversi quintam agri Messenii (quem Spartani jam ante inter se diviserant) partem occuparent. Ita Partheniæ profecti, in Achæos bellum gerentes contra Barbaros inciderunt: cumque belli socii fuissent, Tarentum commigrarunt, Ephorus apud Strabon. *l.* VI. p. p. 279. 280. *Ὅτι ὅτε Λακεδαιμόνιοι Μεσσηνίοις ἐπολέμουν, γυναῖκες, ἀπόντων τούτων, παῖδας τινας ἐγέννησαν, οὓς ἐνὑποψίαις εἶχον οἱ πατέρες, ὡς οὐκ ὄντας αὐτῶν, καὶ Παρθενίας ἐκάλουν. οἱ δ' ἠγανάκτουν*, Heraclid. *de Polit.* vide in *Tarentinis*. Alcamenis regni finem in annum I. Olymp. I. conjicit Eusebius; sed perperam: cum anno II. Olymp. IX. Ampheam ceperit: nec verius est, quod de eodem scribit *l.* I. p. 35. *Οὗτος τελευταῖός ἐστι τῆς πρώτης οἰκίας*. Item in *Chron. Canon.* *Οἱ Λακεδαιμονίων βασιλεῖς ἕως τοῦδε διήρκεσαν*: forte putavit Regnum finem habuisse, cum Ephori instituti sunt: subjungit enim, *ἐν Λακεδαιμονίᾳ πρῶτος Ἔφορος κατεστάθη*.

Polydorus Alcamenis F. Eo regnante Lacedæmonii colonias deduxere in Italiam, Crotonem & Locros ad Zephyrium promontorium, Pausan. *Lacon.* p. 162. Bellum Messenicum una cum Theopompo gessit Polydorus, Pausan. *Messen.* p. 229. Confecto bello, ac Messeniis subactis, Polydorum spectatæ virtutis virum, Spartanis & imprimis plebi carum, quod nihil unquam aut violenter egisset, aut cum alterius contumelia dixisset, sed justitiam in tota jurisdictione cum summa humanitate conjunxisset, & ob eas res gloria per totam Græciam florentem, Polemarchus occidit, homo Spartanus, non obscuri omnino loci, sed insignis audaciæ. Polydoro mortuo Lacedæmonii honores minime vulgares habuerunt, Pausan. *Lacon.* p. 162.

Eurycrates Polydori F. Eo regnante, Lacedæmoniis Messenii æquo satis animo paruerunt: nec Argivus Populus in rerum novarum studium incubuit, idem *ibidem*.

Anaxander Eurycratis F. Eo regnante Messenii a Lacedæmoniis defecerunt: cumque aliquando pares, interdum superiores bello fuissent, tandem debellati Peloponneso excesserunt: relicti in servorum numerum relati, præter eos qui maritima oppida tenebant, Pausan. *Lacon.* p. 162. 163. vide in *Messeniis*. Eo bello Tyrtæus scribit, se imperatorem Lacedæmoniis fuisse, & ex urbe Erineo in Peloponnesum venisse, Strabo *l.* VIII. p. 362. Tyrtæi versus ex ipsius carmine Elegiaco hi sunt:

> *Αὐτὸς γὰρ Κρονίων καλλιστεφάνου πόσις Ἥρης*
> *Ζεὺς Ἡρακλείδαις τήνδε δέδωκε πόλιν:*
> *Οἷσιν ἅμα προλιπόντες Ἐρινεὸν ἠνεμόεντα,*
> *Εὐρεῖαν Πέλοπος νῆσον ἀφικόμεθα.*

At Philochorus, Callisthenes, aliique plures ajunt Athenis atque Aphidnis venisse Tyrtæum, Lacedæmoniis jussu oraculi petentibus, Strabo *l.* VIII. p. 362. *Ὅτε καὶ Τυρταῖος ὁ ποιητὴς ὑπὸ Ἀθηναίων ἡγεμὼν ἐδόθη τοῖς Σπαρτιάταις*, Diodor. *l.* XV. p. 378. Lacedæmoniis jussu oraculi ab Athenis sibi consiliorum socium arcessentibus, Athenienses misisse

A Tyrtæum Ludimagistrum, qui neque satis mente valere crederetur, & altero pede claudicaret, cumque privatim & magistratibus Lacedæmoniorum, & iis in quos incidebat, elegos & anapæstos decantasse, scribit Pausanias *Messen.* p. 244 245. vide Tzetz. *Chil.* I. *Hist.* XXVI. ubi hos leges:

> *Ἄγετ' ὦ Σπάρτας εὐάνδρου κοῦροι πατέρων,*
> *Λαιᾷ μὲν ἴτυν προβάλλεσθε, δόρυ δ' εὐτόλμως βάλλοντες*
> *Μὴ φειδόμενοι τᾶς ζωᾶς, οὐ γὰρ πάτριον τᾷ Σπάρτᾳ.*

B Eurycrates (*Εὐρυκρατίδης* Herodoto *l.* VII. pag. 513) Anaxandri filius, Pausan. *Lacon.* p. 163.

Leon Eurycratis filius. Eo regnante, Lacedæmonii cum cætera bella prospere gessissent, adversus Tegeates semper male pugnarunt, & cladem acceperunt, Herodot. *l.* I. p. 27.

Anaxandrides Leontis F. Hoc Rege Lacedæmonii, fecundiore multo, quam Tegeatæ, fortuna usi fuerunt. Res sic propemodum gesta fuit, Lichas Lacedæmonius Tegeam venit: (erant enim eo anno jure fœderis inter eas civitates pacata omnia) is Orestis ossa, quæ ex quodam oraculo jussi fuerant Spartani quærere, deprehendit in officina fabri ærarii defossa, ad oraculi scilicet verba referens instrumenta singula ærariæ fabricæ: ventos enim folles, quod ipsi etiam conceptas auras vi expellant; pulsum, malleum; repercussum, incudem; hominum perniciem, ferrum, (quod in præliis tum usurpari cœptum fuerat) interpretatus est: Oraculum hoc erat:

> *Ἔστι τις Ἀρκαδίης Τεγέη λευρῷ ἐνὶ χώρῳ,*
> *Ἔνθ' ἄνεμοι πνείουσι δύω κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης,*
> *Καὶ τύπος ἀντίτυπος, καὶ πῆμ' ἐπὶ πήματι κεῖται*
> *Ἔνθ' Ἀγαμεμνονίδην κατέχει φυσίζοος αἶα.*
> *Τὸν σὺ κομισσάμενος Τεγέης ἐπιτάρροθος ἔσσῃ.*

D Herodot. *l.* I. p. 29. 30. Pausan. *Lacon.* p. 163. Anaxandrides, unus ex omnibus Lacedæmoniis, uxores duas eodem tempore habuit, binisque ædibus habitavit: nam cum priorem, sororis filiam, probam illam quidem, sed sterilem dimittere eum Ephori jussissent, id ut faceret, in animum inducere non potuit: eatenus tamen paruit, quod alteram adjunxerit, Perinetadæ filiam, Demarmeni neptem. Ex ea Cleomenem suscepit: tunc prior, quæ ante uterum non tulerat, Dorieum peperit, appositis parturienti custodibus ab Ephoris, qui a domesticis posterioris uxoris inducti, non credebant il-
E lam prægnantem esse, sed jactari hoc tantum ab ipsa, animo subjiciendi sibi partum. Sed deinde peperit etiam Leonidem, & postea Cleombrotum, quos quidam geminos fuisse dicunt, Pausan. *Lacon.* p. 163. 164. Herodot. *l.* V. p. 344. 345. Anaxandride regnante Crœsus Lydorum Rex, bellum adversus Persas moliens, legatos Spartam misit cum muneribus, bellicæ societatis ineundæ causa. Etenim oraculum præceperat ipsi potentissimos Græcorum adsciscere, & Lacedæmonios inter Græcos excellere audiverat. Legatorum adventu Lacedæmonii læti, qui & ipsi oraculum id noverant, fœdus cum Lydis hospitii & societatis sanxerunt. Sed & prio-
F ra Crœsi in Lacedæmonios exstabant beneficia: cum enim Sardes misissent ad coemendum aurum, quo in simulacrum Apollinis usuri erant, eo auro a Crœso donati fuerunt. Societate autem inita, Lacedæmonii pateram aheneam amphorarum XXX. capacem Sardes Crœso muneri miserunt: quæ tamen Sardes delata non fuit, sive quod a Samiis intercepta fuerit, ut Lacedæmonii referunt, sive, ut Samii ajunt, Lacedæmonii, cognito in itinere Crœsum captum fuisse, illam in Samo vendiderint privatis hominibus, qui eam Junonis templo dedica-

runt, dixerintque, Spartam reversi, eam sibi a Samiis ereptam fuisse, Herodot. *lib.* 1. p. 30. 31. Messenii Lacedæmoniis objecerunt, quod Crœsi donis deliniti, primi Græcorum cum Barbaris amicitiam junxissent, quo tempore Crœsus & alios Græcanicos populos, & continentem Cariæ terram, quam tunc Dorienses tenebant, imperio suo adjecit, Pausan. *Messen.* p. 224. Lacedæmonii Jonibus auxilium adversus Cyrum petentibus nullam opem tulerunt: miserunt tamen myoparonem ad res Cyri explorandas. E speculatoribus Phocæam appulsis spectatissimus Lacrines Sardes ivit, mandata Lacedæmoniorum ad Cyrum perlaturus, ne cui Græciæ urbi damnum afferret, neque enim id se passuros. Tum Cyrus percontatus qui homines essent Lacedæmonii, & quot numero, *οὐκ ἔδεισά κω*, inquit, *ἄνδρας τοιούτους, τοῖσί ἐστι χῶρος ἐν μέσῃ τῇ πόλει ἀποδεδεγμένος, ἐς τὸν συλλεγόμενοι, ἀλλήλους ὀμνύντες ἐξαπατῶσι. τοῖσι, ἢν ἐγὼ ὑγιαίνω, οὐ τὰ Ἰώνων πάθεα ἔσται ἄλεσχα, ἀλλὰ τὰ οἰκήια*, Herod. *lib.* 1. p. 70.

Cleomenes Anaxandridæ filius. Eum, licet non mentis compos, sed *ἀκρομανὴς* haberetur; tamen quia natu maximus erat, ex lege, inviti sane Lacedæmonii Regem crearunt: præterito Dorieo, quem consilio & belli artibus longe præstare existimabant, Pausan. *Lacon.* p. 164. Herodot. *lib.* v. p. 345. Dorieus cum adduci non posset, ut in patria permanens Cleomeni pareret, petitam a Spartanis plebem in coloniam abduxit, neque oraculo Delphico consulto, in quam terram ad urbem condendam tenderet, neque quicquam sollennium exsequutus: adeo indigne se præteritum ferebat, Herodot. *lib.* v p. 341. Pausan. *Lacon.* p. 164. vide in *Heracleotis Siciliæ*. Cleomenes, ut primum regnum adiit, comparato e Lacedæmoniis & sociis exercitu, in Argivorum fines invasit: Argivos vero ipsos obviam cum armis egressos prælio fudit. Eorum cum ad quinque millia in proximum Argi lucum confugissent, Cleomenes per Hilotas ignem in lucum immisit: quo incendio & lucus, & qui se illuc receperant supplices, exusti sunt, Pausan. *Lacon.* p. 164. Cum autem lucus arderet, percontatus est Cleomenes perfugarum quendam, cujusnam Deorum ille lucus esset: quo respondente, Argi esse, vehementer ingemiscens ait, *Ω Ἄπολλον χρηστήριε, ἦ μεγάλως με ἠπάτηκας, φάμενος Ἄργος με αἱρήσειν.* Posthæc majore copiarum parte Spartam redire permissa, ipse cum mille delectis ad Junonis templum perrexit, illic sacrificaturus. Sacrificare super aram volentem vetuit Sacerdos, negans fas esse externo illic sacra facere. At ille abductum ab ara Sacerdotem per Hilotas verberari jussit, ac postquam immolavit, Spartam rediit. Reverso inimici apud Ephoros diem dixerunt, crimini dantes quod Argos, cum facile posset, pecunia corruptus non cepisset. Causam vero dicens credibilia ac probabilia Spartanis dicere visus est, multoque majore sententiarum parte absolutus fuit, Herodot. *lib.* vi. p. 411. Cleomene regnante Lacedæmonii oraculi jussu exercitum, ad expellendos Athenis Pisistratidas, Athenas misere, duce Anchemolio Asteris F. Is navibus ad Phalerum appulsus, copias eduxit; sed a Thessalico equitatu, qui Pisistratidis auxilio venerat, ipse dux cum multis aliis cæsus fuit: reliqui ad naves repulsi, Herodot. *lib.* v. p. 353. 354. Ipse Cleomenes copiis Athenas ductis, & Atheniensibus Pisistrati filiorum dominatu liberatis, ingentem ab initio cum Lacedæmoniis, tum sibi apud cunctos Græcos gloriam peperit. Sed paulo post Atheniensis cujusdam Isagoræ (jam inde ab obsidione Pisistratidarum sibi hospitis, ad cujus etiam uxorem ventitare culpabatur) gratia ductus, Clisthene adversæ factionis cive per caduceatorem Athenas missum ejecto, ipse cum non magna manu Athenas rediit, atque illinc septingentis familiis, quas suggerebat Isagoras, relegatis, Senatum dissolvere, & Atheniensibus Tyrannum illum imponere conatus fuit, Pausan. *Lacon.* p. 164. Herodot. *lib.* v. p. 357. Cum autem Athenis ad occupandam arcem ascenderet, ad Deæ penetrale consulendi causa contendenti, e sella exsurgens Sacerdos, antequam ille valvas referaret, ait: *Ω ξεῖνε Λακεδαιμόνιε, πάλιν χώρει, μηδ᾽ ἔσιθ᾽ ἐς τὸ ἱερόν. οὐ γὰρ θεμιτὸν Δωριεῦσι παριέναι ἐνταῦθα.* Ille vero respondit: *ἀλλ᾽ οὐ Δωριεύς εἰμι, ἀλλ᾽ Ἀχαιός.* Nec monenti obtemperans, sed in conatu pergens, tunc quoque cum Lacedæmoniis iterum ea spe decidit, libertatem suam fortiter tuentibus Atheniensibus, comparato tamen ex omni Peloponneso ingenti exercitu, & reliquum Atticæ agrum, & regionem Orgadem appellatam, Diis, qui Eleusine coluntur, sacram populatus fuit, Herodot. *lib.* v. p. 357 358. Pausan. *Lacon.* p. 164. In Æginam deinde transmisit: ubi insulæ ejus principes, qui Medis studentes, civibus suis, ut terram & aquam Dario Hydaspæ F. dederent, persuaserant, in vincula conjecit, Pausan. *Lacon.* p. 164. Dum in Ægina Cleomenes tempus terit, & communi Græciæ bono studet, Demaratus ex altera familia Rex, non tam Æginetis studens, quam invidia & odio ductus, eum ad populum criminatur. Ea re motus Cleomenes, ut primum rediit, rationem iniit, per quam Collegam regno dejiceret; Delphicam enim vatem Periallam per Cobonem Aristophanti F. maximæ apud Delphos auctoritatis virum, pretio corruptam subornat, ut quod ipse præscriberet, consulentibus Lacedæmoniis responderet: idemque Leotychidem Demarati propinquum, e Regia item domo, instigat, ut de regno litem Demarato intendat. Ibi Leotychides ea verba arripuit, quæ Ariston aliquando audientibus Ephoris in Demaratum recens natum per imprudentiam effutiverat: ac judicibus persuasit, eum non esse Aristonis filium. Eam disceptationem cum ad Delphicum oraculum, sicut alia omnia consueverant, Lacedæmonii retulissent, respondit Pythia, quæ Cleomenes jusserat: quo factum ut Demaratus non æquo judicio, sed adversarii oppressione, regno fuerit spoliatus, Pausan. *Lacon.* p. 164. 165. Herodot. *lib.* vi. p. 402. seqq. Ad hunc Cleomenem regnantem Spartam venit Aristagoras Mileti Tyrannus, cum ænea tabella, in qua totius terræ ambitus incisus erat, & omnia, cum toto mari, flumina: eo fine ut Spartanos ad arma Persæ inferenda, & oppugnanda Susa, excitaret: sed a Cleomene facessere jussus, inprimis quod dixisset ab Jonio mari trimestre iter esse ad Regem Persarum, sumpto oleæ ramo lana obvoluto (*ἱκετηρίῃ*) domum Cleomenis rediit. Cum autem Cleomeni filia, quam habebat prolem unicam, Gorgo nomine, octo aut novem annos nata, adsisteret, a Cleomene petiit, ut illam abire juberet. Cleomenes jussit dicere quæ vellet, neque ob filiolæ præsentiam differre: tum ille a decem talentis orsus, ad quinquaginta devenit, quæ se daturum pollicitus est, si suis precibus annueret. At puella, *πάτερ*, inquit, *διαφθερέει σε ὁ ξεῖνος, ἢν μὴ ἀποστὰς ἴῃς.* Quo consilio filiæ pater delectatus, se ab Aristagora subduxit; Aristagoras vero, re infecta, Sparta discessit, Herodot. *lib.* v. p. 347. 348. 349. Cleomene regnante Mæandrius Mæandrii F. Sami Tyrannus, sed Tyrannide a Persis pulsus, Spartam venit: & cum Cleomene congressus, eum ad suas ædes deduxit, ubi servi, quæ Samo exportarat, vasa argentea ac aurea prompta extergebant: Cleomenemque cum stupore illa intuentem jussit, quæ liberet, ex illis asportare; at

Cleomenes etiam urgenti non obtemperavit, sed etiam cum intellexisset Mæandrium hæc aliis civibus daturum, & inde mulctatum iri, aditis Ephoris, monuit satius esse Spartæ hospitem Samium e Peloponneso ablegari, ne cui Spartanorum persuaderet malum fieri. Illi parentes monitis Cleomenis Mæandrium per præconem urbe jusserunt excedere, Herodot. *lib.* III. p 249. Cleomene regnante Scythæ Nomades, illato sibi a Dario bello, legatos Spartam ad ineundam belli societatem miserunt, hoc pacto, ut ipsi Scythæ ad fl. Phasin Mediam invaderent; Spartani vero ex Epheso progressi eodem tenderent, Herodot. *lib.* VI. p 411. Ab his Scythis intemperantius potare didicit Cleomenes: inde ἐπισκύθισον dici solet, cum aliquem intemperantius bibere volunt, Herodot. *ibid.* Cleomenes, cum eum subiisset metus Spartanorum, jam manifestus maleficii in Demaratum excogitati, in Thessaliam aufugit: atque illinc in Arcadiam profectus, res novas moliebatur, Arcades adversus Spartanos sollicitans, & jurejurando ad se sequendum, quocunque duceret, eos adigens. Quin etiam in animo habebat primores illorum ad urbem Nonacrin ductos ad jusjurandum per Stygis aquam adigere. Talia molientem cum Lacedæmonii animadvertissent, sibi ipsis metuentes, Spartam ad pristinam dignitatem revocarunt. Sed eum reversum statim insaniæ morbus invasit, jam etiam ante non satis mentis compotem: nam, ut cuique Spartanorum obvius erat, in ejus faciem sceptrum contorsit. Hæc agentem & insanientem propinqui ligneis soleis illigarunt. Ita vinctus, cum aliquando solum custodem adesse, digressis aliis, cerneret, jussit sibi ab illo gladium dari: abnuentem initio, mox minis (servus enim erat) territum obsequi coegit. Arrepto itaque ferro a tibiis se lacerare cœpit versus femora, & deinde ad coxas & latera atque ventrem pervenit, in quo rescindendo exspiravit. Insaniæ & in semet crudelitatis causam plerique Græcorum fuisse memorant, quod interpretem Apollinis, ut Demaratum insimularet, corrupisset: soli Athenienses, quod Eleusinem violasset: Argivi, quod supplices ex Argi luco evocatos obtruncasset, Argique lucum incendisset. Spartani tamen negant Cleomeni a Dæmone ullo insaniam immissam fuisse; ipsum vero e consuetudine cum Scythis, primum vini intemperantem, indeque furiosum factum, Herodot. *lib.* VI. p. 407. 408. 411. Cleomenes nullam reliquit virilem sobolem, Pausan. *Lacon.* p 165. Filiam Gorgo habuit, Leonidæ successori nuptam, Herodot. *lib.* VII. p. 527

Leonides Anaxandridæ filius, Doriei ex utroque parente frater, Cleombroto natu major, Cleomenis gener. Is, cum Xerxes in Græciam irrueret, delectis trecentis constantis ætatis viris, quibus filii erant, & assumptis Thebanis, quorum dux erat Leontiades Eurymachi filius, se ad Thermopylas contulit. Hos autem primos miserunt Spartani, ut suo exemplo reliqui socii in eam militiam proficiscerentur, neque cum Medis sentirent, si hos superatos audirent. Ipsi autem celebratis Carneis (hæc enim sacra eos morabantur) erant, relicto Spartæ præsidio, cum omnibus copiis illuc celerrime auxilio ituri. Reliqui socii eodem animo præcursores miserant, haut suspicati tam cito ad Thermopylas prælio decernendum, & Olympici ludi in idem tempus incidebant. Græci, qui ad Thermopylas venerant, hi erant, præter Spartanos trecentos, Tegeatarum & Mantineorum mille, ex utrisque totidem: ex Orchomeno Arcadiæ centum viginti: e reliqua Arcadia mille: e Corintho quadringenti: e Phliunte ducenti: Mycenæorum octoginta: e Bœotis Thespienses A septingenti: Thebani quadringenti: Locrenses cum omnibus copiis, & Phocensium mille. Atque penes Leonidem summa imperii erat, duces vero suos civitas quæque miserat. Græci, ubi appropinquabat Persa, metu perculsi de abitu consultabant. Ac cæterorum Peloponnensium consilium erat, redeuntes in Peloponnesum Isthmi fauces ad custodiam insidere: repugnantibus autem huic sententiæ Phocensibus & Locris, Leonides suadebat illic perstandum, nunciosque ad arcessenda e civitatibus auxilia dimittendos; cum ipsi pauciores essent, quam ut Medico exercitui arcendo pares essent. Hæc illis consultantibus, Xerxes equi- B tem ad speculandum, quot essent, quidque agerent, misit. Is ubi ad stationem Græcorum successit, non omnem quidem exercitum, sed ejus tantum partem, quæ extra murum agebat, intueri potuit: erant vero eo tempore vices Lacedæmoniorum exterius manendi: hos animadvertit partim se ludo gymnastico exercentes, partim comam pectentes. Hæc ille cum admiratione contemplatus, numero eorum ac cæteris omnibus cognitis, sese per otium recepit: nemine illum insequente, quod hominem magno haberent contemptui. Xerxes ubi ab ipso referente hæc cognovit, conjicere non poterat, quod res erat, illos se ad C pereundum, perdendosque alios pro viribus præparare. Quatriduum ita in quiete actum, Xerxe sperante Græcos inde fugam facturos. Quinto die ut constantes animadvertit, impudentiam ac temeritatem interpretatus, Medos ac Cissios in eos mittit, cum mandatis, ut captos vivos sibi sisterent illos. Medi, facto in Græcos impetu, multi ceciderunt, & succedentibus in eorum locum aliis, Græcos tamen loco pellere non potuerunt: fuit autem hic pugnæ congressus interdiu. Porro Medis se ægre tutantibus, vel sese subducentibus, Persæ subeuntes prælium excepere (ii quos immortales D Rex appellat) duce Hydarne, tanquam hostem facile profligaturi. Hi cum Græcis congressi sunt nihilo felicius quam Medi, quippe in angustiore loco, ubi multitudinis nullus erat usus, & brevioribus hastis quam Græci utentes Ibi Lacedæmonii dignam memoratu pugnam edebant. Persæ cum & catervatim & universis copiis angustias occupare frustra conati essent, sese receperunt, innumeris suorum amissis. Postero die haut meliore successu res a Barbaris gesta: nam cum existimarent Græcis tanquam paucis & sauciis vires ad tollendas manus deesse, ab iis, instructis ordinibus, ita excepti sunt, ut re infecta discedere cogerentur. (Cte- E sias auctor est primum XV. millia Persarum duce Artapano cum Græcis conflixisse: his superatis, & Lacedæmoniorum tantum duobus aut tribus cæsis, XX. millia in aciem educta, quibus etiam victis, etiam postquam verberibus cæsi fuerant, ut acriores ad pugnam redirent, tertio L. millia in Græcos missa: quibus nihilo felicius pugnantibus, bellandi finem factum: Xerxem vero a Thorace Thessalo, & Trachiniensibus Calliade & Timapherne, & Demarata Spartano, & Hegia Ephesio, cognovisse Lacedæmonios nulla ratione vinci posse, nisi circum- F darentur.) Regi ergo ancipiti, quod in re præsenti consilium caperet, Epialtes Eurydemi F. tramitem indicavit, qui per montem ad Thermopylas ferebat. Tramite ab indigenis Meliensibus investigato, Thessali deducti adversus Phocenses, qui eo tempore intersepto muris transitu in præsidio erant: Persæ vero transmisso Asopo fl. sub exortum auroræ, duce Hydarne, in cacumen montis evaserunt. Phocenses e frondium strepitu cognito adesse hostem, arma induerunt; sed multis crebrisque missilibus a Persis petiti, in verticem montis fugerunt. Sed Epialtes & Hydarnes illis spretis, quod

Lacedæmonios non eſſe intelligerent, cum Perſis de monte decurrunt. At iis Græcis qui ad Thermopylas erant, primum vates Megiſtias (is Acarnas erat, a Melampode oriundus) inſpectis extis, mortem ſibi ac illis pariter impendere indicavit: deinde a transfugis didicere, Perſas montem circumire: tandem a diurnis ſpeculatoribus idem confirmatum fuit. Tum vero Græci inter ſe conſultantes, in diverſas ibant ſententias: aliis ſtationem non deſerendam ſuadentibus, aliis diſſuadentibus. Ita diſſidentium pars abſcedunt, & in ſuam quique urbem dilapſi ſe recipiunt: pars, qui cum Leonide erant, ad manendum ſe accingunt. Fertur autem ipſe Leonides, eos, qui diſcedebant, de eorum vita ſollicitus, dimiſiſſe: ſe vero & Spartanos, qui adeſſent, non facturos e ſua dignitate, ſi ſtationem, ad quam tutandam ab initio veniſſent, desererent. Alii ajunt Leonidem, cum animadvertiſſet ſocios ignavos ac invitos eſſe ad ſubeundum periculum, ſiviſſe eos abire: ſibi vero inhoneſtum putaſſe diſcedere: permanenti autem illic ingentem futuram gloriam, & Spartæ nunquam defuturam felicitatem ſperaſſe: nam & inde ab initio moti belli Spartanis a Pythia redditum erat oraculum, aut Spartam a Barbaris everſum iri, aut ejus Regem occubiturum, hac forma:

Ὑμῖν δ' ὦ Σπάρτης οἰκήτορες εὐρυχόροιο,
Ἢ μέγα ἄστυ ἐρικυδὲς ὑπ' ἀνδράσι Περσείδῃσι
Πέρθεται. ἢ τὸ μὲν οὐκί, ἀφ' Ἡρακλέος δὲ γενέθλης
Πενθήσει βασιλῆα φθίμενον Λακεδαίμονος οὖρος.
Οὐ γὰρ τὸν ταύρων σχήσει μένος, οὐδὲ λεόντων
Ἀντιβίην. Ζηνὸς γὰρ ἔχει μένος. οὐδέ ἕ φημι
Σχήσεσθαι, πρὶν τῶνδ' ἕτερον διὰ πάντα δάσηται.

(Intellexit vero Pythia iram præconis Thaltybii, cui Spartæ templum fuit, incumbentem Spartanis ob violatos Darii legatos, terram & aquam Regi tradi jubentes, ideoque in puteum a Spartanis dejectos. Cui expiando facinori Sperthius Aneriſti & Bulis Nicolai F. Spartani, genere & opibus clari, ſe Xerxi dedidere: neque tamen ab illo occiſi, ſed incolumes Spartam remiſſi fuerunt, Herodot. *l.* VII. p. 484. 485.) Soli Theſpienſes & Thebani cum Leonide perſtitere. Theſpienſes quidem ſponte ſua cum duce ſuo Demophilo Diadromei F. Thebani vero inviti, quippe quos Leonides loco obſidum diſtinebat: nec vates Megiſtias ſibi deſerendum Leonidem putavit: filium tantum, quem unicum habebat, una militantem abire juſſit. Barbaris igitur de monte deſcendentibus & in Græcos tendentibus, Græci cum Leonide, tanquam ad mortem multo magis quam initio pergentes, ad laxiorem faucium partem progreſſi ſunt. Ibi edito ſummæ virtutis documento Leonides cum aliis occubuit, cæſis inter alios multos, nobiles & obſcuros Perſas, duobus Xerxis fratribus ſuper Leonidæ cadaver pugnantibus. Perſarumque & Lacedæmoniorum adeo vehemens erat conflictus, ut hoſtibus quater in fugam verſis, ſua virtute Leonidæ cadaver ſubtraxerint. At ubi Epialtem cum ſuis adventantem cognovere Græci, tum vero ardor ille pugnandi illis deceſſit: nam ad viæ anguſtias præter Thebanos ſe recepere, & intra murum ſubeuntes, tumulo quoddam occupato, denſi confertique ſe defenderunt gladiis, qui adhuc ſupererant: donec a Barbaris circumfuſi, & manibus & vocibus increpiti, munitione muri ſubruta, obtruncarentur omnes. Summa illo prælio fuit Dienecis Spartani gloria, qui ante pugnam cum a quodam Trachinio audiviſſet Barbaros multitudine ſagittarum, quas emitterent, ſolem obducere, ea Medorum turba contempta, nec territus, reſpondit, omnia bona ſibi ab hoſpite Trachinio nunciari, ſi Medi

A ſolem obducerent, ὡς ὑπὸ σκιῇ ἔσοιτο πρὸς αὐτοὺς ἡ μάχη, καὶ οὐκ ἐν ἡλίῳ. Proximam ab eo laudem conſecuti ſunt Alpheus & Maron, Orſiphanti FF. fratres Lacedæmonii. Græcis qui occubuere illic, antequam ſocii a Leonide remiſſi ſint, epigramma tale factum cum cippo ab Amphictyonibus:

Μυριάσιν ποτὲ τῇδε τριηκοσίαις ἐμάχοντο
Ἐκ Πελοποννήσου χιλιάδες τέτορες.

Spartanis hoc peculiariter etiam ab Amphictyonibus:
Ὦ ξεῖν' ἄγγελλον Λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε
B Κείμεθα, τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι.

Ὦ ξεῖν' ἀπάγγειλον, & πειθόμενοι νομίμοις, legitur apud Strabon. *l.* IX. p. 429.

Megiſtiæ hoc fecit Simonides Leoprepis F. in memoriam familiaritatis, quæ ipſi cum illo interceſſerat;

Μνῆμα τόδε κλεινοῖο Μεγιστία, ὅν ποτε Μῆδοι
Σπερχειὸν ποταμὸν κτεῖναν ἀμειψάμενοι,
Μάντιος, ὃς τότε κῆρας ἐπερχομένας σάφα εἰδὼς
Οὐκ ἔτλη Σπάρτης ἡγεμόνας προλιπεῖν.

C E trecentis illis Lacedæmoniis Eurytus & Ariſtodemus feruntur ob vehementiſſimum oculorum morbum a Leonide in caſtris remiſſi, in Alpenis decubuiſſe: & Eurytus quidem, cognita Perſarum circuitione, arreptis armis, a ſervo ad pugnantes deductus, impetu in agmen facto, occubuiſſe: Ariſtodemus vero per ignaviam remanſiſſe. Alii narrant Ariſtodemum ab exercitu pro nuncio miſſum, moratum in via, pugnæ, cum poſſet, noluiſſe intereſſe; ſocium vero, qui una miſſus fuerat, in pugnam profectum cecidiſſe: Lacedæmonem vero regreſſus Ariſtodemus & probro, quod nemo illi
D Spartanus ignem accenderet, aut colloqueretur; & ignominia, quod τρέσας appellatus ſit, eſt notatus. Verum omnem poſtea ſibi objectam infamiam in pugna Platæenſi eluit. Ferunt & alium ex iis trecentis in Theſſaliam pro nuncio miſſum, cui nomen erat Pantites, cum Spartam reverſo opprobrio eſſet, quod pugnæ non interfuiſſet, ſe præfocaſſe. Poſt pugnam Xerxes inter cæſos tranſiit, cumque audiviſſet Leonidem Lacedæmoniorum Regem, eundemque imperatorem fuiſſe, juſſit truncatum capite (vel abſciſſum caput) in crucem tolli, Herodot. *l.* VII. pag. 513. ſeqq. Simonides in eos Græcos communiter hoc encomium ſcripſit:
E Τῶν ἐν Θερμοπύλαις θανόντων εὐκλεὴς μὲν ἁ τύχα, καλὸς δ' ὁ πότμος, βωμὸς δ' ὁ τάφος, προγόνων δὲ μνᾶστις, ὁ δ' οἶτος ἔπαινος. ἐντάφιον δὲ τοιοῦτον οὔτ' εὐρὼς, οὔθ' ὁ πανδαμάτωρ ἀμαυρώσει χρόνος ἀνδρῶν ἀγαθῶν. ὁ δὲ σηκὸς οἰκετὰν εὐδοξίαν Ἑλλάδος εἵλετο. μαρτυρεῖ δὲ Λεωνίδας ὁ Σπάρτας βασιλεὺς, ἀρετᾶς μέγαν λελοιπὼς κόσμον, ἀέναόν τε κλέος, Diodor. *l.* XI. p. 10.

Pauſanias Cleombroti filius, Pliſtarchi Leonidæ F. tutor, non vero Rex: obierat autem Cleombrotus, non diu poſtquam copias, quæ una cum
F Arcadibus, Eleis, Corinthiis, Sicyoniis, Epidauriis, Phliaſiis, Trœzeniis & Hermionenſibus ad arcendum ingreſſu in Peloponneſum Perſam, murum in Iſthmo exſtruebant, reduxerat: reduxerat autem, quia ſacrificanti adverſus Perſam ſol in cælo obſcuratus fuerat, Herodot. *l.* IX. p. 587. Pauſan. *Lacon.* p. 166. Lacedæmonii agebant Hyacinthiam, muruſque, quam ſibi in Iſthmo exſtruebant, pinnas acceperat, cum legati Athenienſium Spartam venere, Lacedæmonios accuſantes, quod ſuo officio deeſſent, in arcendo communi hoſte & tutandis ſociis. Eos Ephori, nullo dato reſponſo,

distulerunt in posterum diem: illo in alterum, donec decem dies extraherentur: pridie autem quam ultimum Concilium fieret, vir Tegeata, cui Chileus nomen erat, apud Lacedæmonios maximæ inter hospites potentiæ, Ephoros docuit, si Athenienses non cum Lacedæmoniis, sed cum hoste sentirent, quamvis valido muro in Isthmo exstructo, magnas tamen fores Barbaro in Peloponnesum patefactas, ideoque Athenienses prius audiendos, quam aliquid decerneretur, quod Græciæ cladem adferret. Quo consilio Ephori approbato, cum nunciis civitatum, qui illuc missi fuerant, colloquuti, cum adhuc nox esset, quinque millia Spartanorum emiserunt, septenis Hilotibus circa unumquemque collocatis, præposito eis Pausania Plistarchi tutore. Is collegam sibi adscivit Euryanactem Dorieі F. ex eadem familia. Lacedæmonii ubi ad Isthmum venere, castra communierunt, mixtisque cæteris Peloponnesiis inde profecti Eleusinen pervenerunt, ubi Athenienses se illis junxerunt. Illic equitum Persicorum Magister, commisso prælio, cecidit. Inde in Platæensem agrum itum fuit: ubi ad fl. Asopum ordinata acie, dextrum cornu tenebant Lacedæmoniorum decem millia: quorum quinque millia Spartanorum erant, triginta quinque millibus servorum septa, quorum singuli ad pugnandum erant instructi. Apud Græcos haruspex erat Tisamenus Antiochi F. Is enim hunc exercitum vates sequebatur, Eleus quidem, & ex genere Jamidarum Clytiades, sed a Lacedæmoniis civitate donatus: nam cum ab Oraculo didicisset, se quinque maximas palmas e certaminibus reportaturum, & Oraculo non intellecto Gymnasiis operam dedisset, tanquam Gymnicas victorias consequuturus, sed frustra: Lacedæmonii Oraculum Tisameno datum ad bellica certamina spectare interpretantes, eum mercede pellicere conabantur, ut una cum Heraclidis bellorum dux Regibus foret. Is abnuebat, nisi a Spartanis civitate donaretur, omnibus civitatis juribus cum ipso communicatis. Id postulatum indigne ferentes Spartani, de Oraculo tum non amplius cogitarunt: imminente tandem hujus ingentis exercitus Persici metu, hominis postulatum se exsequuturos monebant. Ille vero eos mutasse animum cernens, ultra prius postulatum, addidit, cum fratre suo quoque civitatem, eodem secum jure, communicari oportere. Spartani, quia operam ejus sibi omnino necessariam videbant, assensi sunt: (atque his solis duobus a Spartanis unquam civitas data fuit.) Tandem commisso prælio inter Græcos & Persas, Lacedæmonii primam virtutis palmam tulere: quod enim fuit hostilis exercitus robustissimum superarunt: e Spartiatis maximam laudem adeptus fuit is Aristodemus, quem supra e Thermopylis evasisse diximus: post eum vero Posidonius, Philocyon, & Amompharetus. Ipse Mardonius illic ab Aimnesto inter Spartanos eximio (qui postea in bello Messeniaco occubuit) cæsus fuit, deque eo ultio necis Leonidæ peracta fuit: & victoria omnium speciosissima potitus fuit Pausanias. E Spartanis tantum unus & nonaginta desiderati sunt. Post hanc Barbarorum stragem ad Pausaniam venit Græca mulier, Hegetoridæ filia, Antagoræ neptis, Coi hominis non ignobilis uxor, quam Pharandates Persa Thespiadis F. invitam abductam in pellicum numero habuit. Eam supplicem Pausanias ad suos cum omni mundo muliebri, donisque omnibus, quæ a Pharandate acceperat, remisit. Idem Pausanias Lamponi Pythei F. in Æginetarum exercitu principi, suadenti Mardonii cadaver violandum, quod Leonidæ prius ab illo acciderat, minime paruit, minatus illi, si tam infamis sententiæ auctor iterum accederet, & beneficii loco jam habere jubens, quod sibi hoc impune fuisset. Pausaniæ præmia data ex omnibus rebus dena, e mulieribus, equis, talentis, camelis, & cæteris rebus. Ferunt etiam Pausaniam viso apparatu Regio, quem Xerxes e Græcia fugiens Mardonio reliquerat, quoque Græci victores cæso Mardonio potiti fuerunt, jussisse, pistores & coquos sibi cœnam, ut Mardonio, instruere: jussa illis exsequentibus, eum tam magnifico adparatu stupentem, præcepisse per jocum suis, ut Laconicam cœnam pararent: qua instructa, cum longo ab illa intervallo superaretur, ibi eundem cachinnantem convocatis Græcorum ducibus ostendisse utriusque cœnæ apparatum, eo fine ut eos doceret, quanta imperatoris Medorum esset amentia, qui cum talem vitam duceret, ad eos subigendos venisset, qui tam misere victitarent. Inde sepulti qui in prælio occubuerant. Lacedæmonii, tribus sepulchris confectis, in eorum uno Sacerdotes, quos inter Posidonius, Amompharetus, Philocyon & Callicrates erant: in altero reliquos Spartanos: in tertio servos condiderunt, Herodot. *lib* IX. p. 586. seqq. In hanc Platæensem pugnam hoc editum fuit a Bacide:

> Τὴν δ' ἐπὶ Θερμώδοντι καὶ Ἀσωπῷ λεχεποίῃ
> Ἑλλήνων σύνοδον καὶ βαρβαρόφωνον ἰυγὴν,
> Τῇ πολλοὶ πεσέονται ὑπὲρ λάχεσίν τε μόρον τε
> Τοξοφόρων Μήδων ὅταν αἴσιμον ἦμαρ ἐπέλθῃ.

Pausanias in tripode Delphico, quem Græci e primitiis manubiarum victoriæ contra Medos partæ Deo dicarunt, hoc Epigramma privatim inscribendum censuit:

> Ἑλλήνων ἀρχηγὸς, ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσε Μήδων
> Παυσανίας, Φοίβῳ μνῆμ' ἀνέθηκε τόδε.

Thucyd. *lib.* I. p. 86. Græcos vero e decimis spoliorum aureum tripodem conflatum in templo Delphico cum hac inscriptione scribit Diodorus *lib.* II. p. 26.

> Ἑλλάδος εὐρυχόρου σωτῆρες τόνδ' ἀνέθηκαν
> Δουλοσύνης στυγερᾶς ῥυσάμενοι πόλιας.

Post hanc ad Platæas pugnam Græci Thebanis bellum intulere: vide in *Thebanis*. Pausanias deinde cum viginti navibus e Peloponneso missus, assumptis magno numero sociis, cum infesto exercitu in Cyprum ivit, subactisque multis in illa urbibus, Byzantium a Medis occupatum, traducto illuc exercitu, expugnavit. Captos illic Medos & quosdam Regis necessarios, clam cæteris sociis, ad Regem remisit, cum epistola, qua sibi ejus filiam dari uxorem petiit, pollicitus contra se Spartam & reliquam Græciam illi subjecturum. Cui Rex respondit, grata sibi esse quæ egisset, quæque agitaret animo Pausanias, & ad pergendum in instituto cohortatus fuit. Quibus literis acceptis Pausanias animos nimis efferre cœpit, patriisque institutis neglectis, Medico cultu usus, Medis & Ægyptiis stipatus satellitibus per Thraciam incessit, Thucyd. *lib.* I. pag. 84. 85. Cum itaque insolentius ac tyrannice jam imperaret, Græci, & in primis Jones, eo deserto, Atheniensibus se tradidere. Interea Lacedæmonii Pausaniam revocarunt, quæstionem habituri de iis rebus quas audiverant. Lacedæmonem autem reversus privatarum injuriarum privatis illatarum damnatus fuit: maximarum vero absolutus. Præcipuum crimen erat, quod cum Medis sensisset, hocque manifestissimum videbatur. Propterea neque illi continuatum imperium fuit; sed Dorcis & cum eo nonnulli alii ad exercitus missi: quibus

bus socii parere recusabant, quippe qui omnes a Lacedæmoniis ad Athenienses transierant, Thucyd. *l.* 1. p. 63. 64. Pausanias deinde privatim sumpta triremi Hermionide sine Lacedæmoniis in Hellespontum abiit, negotium, quod cum Rege susceperat, transacturus, Græciæ principatum affectans, Thucyd. *l.* 1. p. 83. Iterum accusatus atque domum revocatus, non paruit: itaque Ephori, misso caduceatore cum Scytale, eum a caduceatore discedere vetuerunt; alioquin Ephoros illi bellum, ut hosti, indicturos. Ille crimen objectum pecunia diluturum sperans, Spartam rediit, ac mox ab Ephoris in vincula ductus fuit, (Ephoris ita Regem tractare licet) sed illis exsolutus, re transacta, se reum constituit cuilibet crimina illa sibi objicere volenti. Cum autem criminum nullum quidem esset manifestum indicium, quo freti de illo supplicium sumerent Spartani viro honoratissimo & Regio genere nato, quamvis rerum novarum suspiciones multas præberet, & servos, libertate ac civitate proposita, ad bellum Spartanis inferendum concitare argueretur, tamen gravius quicquam in eum statuere noluerunt, suo more usi, quo tarde accedunt ad decernendum aliquid de viro Spartano, sine manifestissimis ac minime dubiis indiciis: donec Argilius quidam, qui ipsi in amoribus quondam & summa fide erga ipsum fuerat, indicium deferret. Is enim cum literas a Pausania ad Artabazum perferendas accepisset, sibi metuens, quod nemo nuncius ab ipso missus unquam rediisset, eas literas solvit, ac in iis se quoque scriptum, cædique destinatum deprehendit. Has ergo literas Ephoris ostendit, & Ephori arte usi, apud eum ad Tænarum confugientem, in tugurio illic structo occultatis quibusdam de suo ordine, ex ipsius Pausaniæ cum Argilio de causa fugæ istius, nec prodendis rebus suis, colloquentis confessione, rem totam cognoverunt. Cum ergo denuo eum Ephori comprehensuri essent, in templum Palladis Chalciœcæ confugit; illi vero ædiculæ tecto sublato, & foribus muro obstructis, ipsum fame mori coegerunt, sed animam agentem prius ex ædicula extulerunt, Thucyd. *l.* 1. p. 85. seqq. Matrem Pausaniæ Alcitheam primum posuisse lapidem, cum fores obstruerentur, scribit Scholiastes Thucyd. Deprehensum in proditione Pausaniam Agesilaum (sed Pausaniæ patrem Cleombrotum alii nominant) patrem usque ad templum Minervæ Chalciœcæ insequutum fuisse, & obstructis latere templi foribus fame necasse; matrem vero etiam insepultum projecisse, ex Chrysermo scribit Plutarchus in *Parallel.* x. Narrat Pausan. *Lacon.* p. 194. audisse se a viro Byzantino solum Pausaniam proditionis reum, ex omnibus qui supplices ad Chalciœcæ confugissent, impunitatem non meruisse: neque vero aliam ob causam, quam quod cædis piaculum in Cleonicen Byzantinam virginem admissæ eluere non potuisset: illam enim ad se deduci, amore captus, jusserat, primaque nocte somnum capiens, repente strepitu excitatus fuit: forte illa accedens lucernam accensam dejecit invita. Ibi ille, qui suorum consiliorum de prodenda Græcia conscius, perpetua animi perturbatione & pavore agitari solitus erat, territus virginem acinace transverberavit. Hoc fuisse illud facinus, quod nullis expiationibus aut deprecationibus Jovis Φυξίου susceptis, cum etiam in Arcadiam ad Psychagogos venisset Phigaleam, eluere non potuit. Scribit porro Thucyd. *l.* 1. p. 83. 88. piaculum in Palladem Chalciœcam admissum fuisse hoc in Pausaniam Spartanorum facto: ideoque eos duas æneas statuas pro Pausania Deæ dedicasse Oraculi Delphici monitu, jubentis & cadaver Pausaniæ ibi sepeliri, ubi animam efflavisset, in ipso fani vestibulo: & duo corpora pro uno Chalciœcæ persolvere.

Plistarchus Leonidæ F. in ipsis sui regni initiis diem suum obiit, Pausan. *Lacon.* p. 166.

Plistoanax Pausaniæ F. Cleombroti nepos. Hoc Rege, sed juniore, Lacedæmonii duce Nicomede Cleombroti F. Doriensibus metropoli suæ, Bœo, Cytino & Erineo opem tulerunt, misso exercitu, e mille & quingentis suorum & decem millibus sociorum constante, adversus Phocenses, qui suscepta expeditione earum urbium unam ceperant, quam certis conditionibus deditione facta reddere coacti sunt, Thucyd. *l.* 1. p. 69. Redeuntes in Peloponnesum Athenienses & Argivos, qui reditum intercludere conabantur, magno prælio vicerunt, Thucyd. *l.* 1. p. 70. Lacedæmonii bellum sacrum de jurisdictione templi Delphici gesserunt, & templum Delphis tradiderunt, qui de eo cum Phocensibus contendebant, Thucyd. *l.* 1. p. 73. Plistoanax XIV. annis ante bellum Peloponnesiacum cum Peloponnesiorum copiis in Atticam irrupit, ad Eleusinem & Thriasium campum, nec ulterius progressus, rediit. Ideoque Sparta relegatus fuit, quod pecunia corruptus inde recessisse visus esset, Thucyd. *l.* II. p. 114. Reversum ab exsilio per obtrectationem inimici accusabant, animisque Lacedæmoniorum, quotiescunque cladem aliquam accepissent, quasi religionem objiciebant, quod propter reditum contra leges ipsi concessum illa acciderent. Criminabantur enim ipsum cum fratre Aristocle Delphicam vatem induxisse, ut Lacedæmoniis Theoris ad oracula petenda Delphos profectis hæc diu responderet: Διὸς υἱοῦ ἡμιθέου τὸ σπέρμα ἐκ τῆς ἀλλοτρίας εἰς τὴν ἑαυτῶν ἀναφέρειν. εἰ δὲ μὴ ἀργυρέᾳ εὐλάκᾳ εὐλάξειν. Quo oraculo impulsos Lacedæmonios reduxisse eum, qui in Lyceum confugerat ob causam superius dictam: quique dimidiatas templi Jovis ædes tum Lacedæmoniorum metu incolebat, undevigesimo anno, ejusmodi choris ac sacrificiis, quibus qui primum Lacedæmonem condiderunt, Reges creatos prosequi constituerant, Thucyd. *l.* v. pag. 354. 355. Plistoanax criminationes inimicorum indigne ferens, pacis cum Atheniensibus faciendæ auctor Lacedæmoniis fuit: inimicorum obtrectationibus in pace se minus obnoxium fore sperans, cum belli tempore omnium calamitatum causæ in Principes transferri consueverint. Lacedæmonii igitur decretum de bello finiendo fecerunt; icto cum Atheniensibus fœdere in annos quinquaginta: quod tamen intra septennium dissolutum fuit, Thucyd. *l.* v. p. 355. seqq. Lacedæmonii duce Plistoanacte totis viribus expeditionem susceperunt adversus Parrhasios seditionibus laborantes: assertisque in libertatem Parrhasiis, & munitione, quam Mantinei in Cypselis exstruxerant, eversa, domum redierunt, Thucyd. *l.* v. p. 367.

Pausanias Plistoanactis F. Is, cum Lysander in Atticam rediret ad reducendos XXX. Tyrannos, Lysandro invidens, tribus Ephoris in suam sententiam traductis, præsidiarios eduxit, sequentibus eum sociis omnibus, præter Bœotios & Corinthios: hi enim ajebant existimare contra jurisjurandi religionem futurum, si adversus Athenienses bellum susciperent, qui contra formulam fœderis nihil admisissent. Habuit vero castra Pausanias in loco, cui nomen Halipedi, non procul a Piræeo, ac dextrum cornu obtinuit: Lysander cum mercenariis copiis lævum. Cumque Pausanias ad obsessos mitteret, qui eos ad sua discedere juberent, atque illi non parerent, militem muris admovit, ne palam fieret, ipsum obsessis favere. Et quamvis cladem aliquam ab Atheniensibus Lacedæmonii accepissent, victor tamen Pausanias excitato tropæo discessit, clam missis, qui Piræenses docerent, quibus cum man-

datis ad sese atque Ephoros præsentes legatos mittere deberent. Ita bellum diremptum fuit, Xenoph. *Hellen. l.* II. p. 372. 373. Pausaniam reversum in patriam inimici judicio stiterunt, & consi dentibus (ut moris erat in Regum causis cognoscendis) XXIIX. Senioribus, una cum Ephoris & alterius familiæ Rege Agide, ex illis XIV. Seniores & Rex Agis Pausaniam condemnarunt: reliquæ ejus consilii partes absolverunt, Pausan. *Lacon.* p. 166. Thebanis cum reliquis Græcis adversus Lacedæmonios conspirantibus, Lacedæmonii prompto animo occasionem movendi adversus Thebanos belli arripuerunt, & Lysandrum Phocensibus miserunt, adducturum Phocenses ipsos, & Oetæos, & Heracleotas, & Melienses & Ænianes ad Haliartum: illic enim etiam Pausanias hujus belli dux se ad constitutum diem una cum Lacedæmoniis cæterisque Peloponnesiis sociis adfuturum condixerat: sed Pausanias cum de traducendis copiis perlitasset, apud Tegeam substitit, & partim conductitii militis duces hinc inde ablegavit, partim finitimorum oppidorum milites exspectavit. Tandem in Bœotiam perrexit. Interea Lysander, qui Phocensium, Orchomeniorum, & aliorum his vicinorum copias ducebat, prius ad Haliartum, quam Pausanias, præsto fuit. Cumque jam eo venisset, non exspectato a Lacedæmoniis exercitu, ad Haliartiorum mœnia perrexit, & muro copias admovit: Thebanis vero opem ferentibus, ad ipsa mœnia pugnans interfectus fuit. Lacedæmonii cum Pausania, secum reputantes Lysandrum occubuisse, milites, quos habuerat, victos profugisse, hostium equitatum magnum esse, suum exiguum, sublatis per inducias suorum cadaveribus, e Bœotia tristes discesserunt. Pausanias vero cum domum rediisset, capitis judicium subiit, eo quod serius Lysandro ad Haliartum præsto fuisset, & per inducias, non commissa pugna, tollere mortuorum cadavera voluisset: & plebem Atheniensem in Piræeo captam dimisisset, & denique se judicio non stitisset. Tegeam ergo fuga se recepit, atque ibi morbo exstinctus fuit, Xenoph. *Hellen. l.* III. p. 392. 393. 394. 395. 396. Pausan. *Lacon.* p. 166. 167.

Aristodemus, Pausania exsulante, ejus filiorum impuberum Agesipolidis & Cleombroti tutor fuit, genere illis proximus. Ejus ductu Lacedæmonii ad Corinthum adversus Thebanos sociosque prospere pugnarunt, Pausan. *Lacon.* p. 167. 168. Xenoph. *Hellen. l.* IV. p. 401. 402. 403.

Agesipolis Pausaniæ F. Is, decreto adversus Argivos bello, cum sibi eas copias ducendas intelligeret, & jam perlitasset, Olympiam abiit consulturus Oraculum, an fas esset ipsi oblatas ab Argivis inducias non admittere: acceptoque a Jove responso, fas esse inique oblatas inducias aspernari, Delphos recta profectus Apollinem rogavit, an & ipsi idem quod patri de induciis videretur: eoque prorsus in eandem sententiam respondente, ductis secum Phliunte copiis, per Nemeam Argivorum fines ingressus fuit Ibi Argivorum feciales de induciis ad se missos rejecit, & agrum immisso exercitu depopulatus fuit: neque, cum terra etiam movisset, retro agmen egit, quamvis milites discedendum arbitrarentur, propterea quod & Agis olim, cum mota esset terra, ex Elide copias abduxisset. Itaque postridie facta Neptuno re sacra, copias itinere non magno in agrum Argivum duxit. Cumque Argivi aliquando Laconicam ingressi essent, adeo prope ad portas accessit, ut Argivi, qui ad portas stabant, Bœotos equites ingredi urbem volentes excluderent, veriti ne una cum his Lacedæmonii irrumperent. Cum autem post hæc non procul ab Erctis castra haberet, fulmen in ipsa castra decidit, quo nonnulli tacti, nonnulli attoniti facti exspirarunt. Inde cum castellum quoddam munire vellet, sacrificanti hostiæ sine fibris apparuere. Tum vero copias abduxit, magno detrimento affectis Argivis, quos nihil tale metuentes invaserat, Xenoph. *Hellen. l.* IV. p. 416. 417. Pausan. *Lacon.* p. 168. Lacedæmonii missis ad Mantinenses legatis, murum uti diruerent edixere. Cumque jam induciarum tricennalium finis esset, & Mantinenses edicto parere recusarent, Lacedæmonii bellum decreverunt. Ejus dux constitutus Agesipolis, fines ingressus eorum, primum agrum vastavit: tum urbem fossa circumdedit: inde amnem amplum, qui urbem mediam perlabitur, aggere objecto avertit, coegitque Mantinenses murum diruere, veritos ne aquarum vi collapso muro vi caperentur, Xenoph. *Hellen. lib.* V. p. 431. 432. Lacedæmonii Acanthiis & Apolloniatis petentibus auxilia adversus Olynthios miserunt, duce Eudamida: cujus frater Phœbidas cum aliis copiis sequi jussus, cum Thebas venisset, data occasione Thebanam arcem occupavit. Teleutias quoque contra Olynthios missus fuit; is adversus hostem pugnans occubuit, fususque exercitus fuit Lacedæmoniorum. Tum Agesipolis cum majoribus copiis ei bello dux præfectus, adjunctis XXX. Spartanis: isque recta e Macedonia pergens ad Olynthiorum urbem suos in armis subsistere jussit: cumque nemo contra prodiret, agrum vastavit, & ad urbes, quæ in ipsorum erant societate, cum copiis profectus, segetem corrupit: & Toronem vi cepit. Tum febri correptus, ad Bacchi fanum apud Aphyten delatus, extra illud vivendi finem fecit. Cadaver melle oblitum domum deportatum, ac Regia sepultura honestatum fuit, Xenoph. *Hellen. l.* V. p. 433. 434. 435. 437. 438. 439. 440. 441. Nullam Agesipolis reliquit sobolem, Pausan. *Lacon.* p. 168. Plutarch. *Agide.*

Cleombrotus Pausaniæ F. Eo regnante Lacedæmonii Polybiadem præfectum ad oppugnandam Olynthum miserunt: is Olynthios ad extremam famem redactos, Lacedæmonem legatos de pace mittere coegit: paxque illis data fuit his conditionibus, ut eosdem, quos Lacedæmonii, amicos & hostes haberent, & quocunque Lacedæmonii ducerent, sequerentur: socii denique ipsorum essent, Xenoph. *Hellen. lib.* V p. 441. 442. Cum hæc Lacedæmoniis prospere cessissent, jamque adeo Thebani ac reliqui Bœoti omnino in ipsorum potestate essent, & Corinthios fidelissimos experirentur, & Argivi demisso essent animo, & Athenienses ab aliis deserti essent, socios denique suos Lacedæmonii mulctassent, quotquot non satis amicos sibi compererant, omnino imperium ipsorum præclare comparatum ac firmum videbatur. Cum vero se libertatem civitatibus concessuros jurassent, & nihilominus arcem Thebanam in sua potestate retinerent: ab iis solis puniti sunt, in quos injurii fuerant, cum ante id temporis a nemine unquam victi fuissent. Ac primum quidem Thebani ope Atheniensium arcem receperunt deditam a præfecto Lacedæmonio: quem ideo Lacedæmonii necarunt, quod arcem, non exspectato auxilio, reliquisset. Tum Cleombrotus cum copiis missus, ducis munere primum fungi cœpit: duxit vero eas copias quidem in Thebanum agrum, sed tamen ita discessit, ut quam minimum eis detrimenti inferret, & exercitum solvit, Xenoph. *Hellen. l.* V. p. 442. 443. 444. 445. Iterum post Agesilaum dux belli Thebani constitutus Cleombrotus, nulla re gesta, copias ab agro Thebano abduxit, dimisitque, Xenoph. *Hellen. lib.* V. p. 451. Lacedæmonii porro classem LX. triremium instruxerunt, præposito illi Polli: ea ab Atheniensibus victa fuit, Xenoph. *Hellen. lib.* V. p.

451. Phocensibus vero opem adversus Thebanos rogantibus, Cleombrotus cum quatuor cohortibus & sociorum parte in Phocensium agrum missus fuit, Xenoph. *Hellen. l.* VI. init. Thebani vero pedem referentes intra fines suos montium aditus præsidiis occuparunt, Xenoph. *Hellen. l.* VI. p. 456. Cum autem interea pax inter Athenienses & Lacedæmonios sociosque facta esset, exclusis Thebanis, & ex pacto Lacedæmonii præfectos cum præsidiis ex occupatis cæteris urbibus eduxissent, Cleombrotus, qui in finibus Phocensium copiis præerat, quid sibi faciendum esset, a Magistratibus Spartanis quæsivit. Tum explosa sententia Prothoi, censentis e jurisjurandi formula copias eas dimittendas, Cleombroto denunciatum fuit, ut mox copias eas adversus Thebanos duceret, ni civitatibus libertatem restituerent. Paruit ille, ac per Thisbas profectus Creusin pervenit, ac una cum oppido XII. Thebanorum triremes cepit. Inde mari adscendens ad Leuctra Thespiensium in finibus castra locavit. Thebani adverso in tumulo haut procul ab ipso sua castra opposuerunt. Addebat Thebanis animum oraculum, quo ferebatur eo loci Lacedæmonios cladem perpessuros, quo virginum illarum monumentum esset, quæ ob illatum sibi per vim stuprum a Lacedæmoniis quibusdam seipsas interemisse perhibentur: atque hoc ipsum monumentum ante pugnam Thebani ornarant, Xenoph. *Hellen. l.* VI p. 464. 465. Oraculum istud ita refertur;

Λεῦκτρά τε μοι σκιόεντα μέλει, καὶ Αλήσιον οὖδας,
Καί μοι τῆς Σκεδάσου μέλετον δυωσενθέε κόρα.
Ενθα μάχη πολύδακρυς ἐπέρχεται. οὐδέ τις αὐτῶν
Φράσεται ἀνθρώπων, πρὶν κούριον ἀγλαὸν ἥβην
Δωριέες ὀλέσωσ', ὅταν αἴσιμον ἦμαρ ἐπέλθῃ.

Virginum nomina fuere Molpia & Hippo; patris Scedasus Leuctris habitans; Lacedæmoniorum, a quibus stupratæ, Parathemidas, Phrudarchidas & Parthenius: non tantum vero puellæ contumeliæ impatientes laqueo vitam finierunt; sed & ipse Scedasus, cum sibi jus Spartæ negatum fuisset, Leuctra reversus, sibi necem conscivit, Pausan. *Bœot.* p. 561. 562. 563. Thebanis quoque e patria nunciabatur, fana universa sua sponte se aperuisse, ipsasque sacerdotes dicere portendi victoriam: ajebant & arma de Herculis fano evanuisse, quasi Hercules ad prælium profectus esset, Xenoph. *Hellen.* lib VI. p. 465. Cleombroto contra ostenta evenere, & hoc præcipue: quod (cum Regibus Spartanis ad bellum proficiscentibus mos esset, ovium greges in extremo agmine habere, ut inde cum hostias Diis mactarent, tum ante certamina rimarentur, an lætos exta successus portenderent, earumque pecudum duces itineris essent capræ, quas *κατοιάδας* nominant pastores) gregem invadentes lupi ovibus nullam noxam intulerint, solas vero catœadas necarint, Pausan. *Bœot.* p. 561. Postquam vero Cleombrotus movere in hostem cœperat, primum etiam antequam ipsius copiæ sensissent ipsum adversus hostem ducere, jam conflixerant equites, & in eo conflictu Lacedæmoniorum equitatus cito succubuerat. Itaque is fugiens in suos gravis armaturæ pedites irruerat; præterea Thebanæ cohortes incumbebant. Nihilominus Cleombroti copias ab initio superiores in pugna fuisse, argumento est, quod alias tollere ipsum, vivumque extra aciem deportare non potuissent, nisi eo tempore, qui ante ipsum dimicabant, superiores exstitissent. Postquam vero Dino Polemarchus, aliique primores ciderunt, equitesque pedem retulerunt, & alii qui in lævo cornu erant, loco quoque cesserunt: tamen multis cæsis, & victi, fossa, quæ ante ipsorum castra erat, superata, armati eo loco constiterunt, unde progressi fuerant. Ibi cum Polemarchi cernerent e Lacedæmoniis prope mille, e septingentis Spartanis quadringentos periisse: præterea socios omnes minime ad pugnandum alacres esse, ac nonnullos ex iis id, quod accidisset, haut gravatim ferre, re deliberata censuerunt cæsorum cadavera per inducias tollenda esse. Thebani, redditis per inducias cadaveribus, tropæum erexerunt, Xenoph. *Hellen. l.* VI. p. 466. 467. Pausan. *Bœot.* p. 561. seqq.

Agesipolis Cleombroti F. natu major. Is nihil omnino gessit memoratu dignum, Pausan. *Lacon.* p. 168. & neque regnum diu tenuit, neque liberos ullos reliquit, Plutarch. *Agide.*

Cleomenes Cleombroti F. natu minor. Is filios habuit Acrotatum & Cleonymum: Acrotato natu majori pater superstes fuit, Pausan. *Lacon.* p. 168. *Ἐτελεύτησεν ἄρξας ἔτη ἑξήκοντα καὶ μῆνας δέκα*, Diodor. *l.* XX. p. 767.

Areus (Ἀρέτας Diod. *l.* XX. p. 767.) Acrotati filius, Cleomenis nepos: huic enim Senatus, lite inter ipsum & Cleonymum patruum Cleomenis F. de Regno exorta, regnum paternum adjudicavit. Cleonymus repulsam passus res novas animo agitavit: ac licet Ephori cum aliis honorariis præmiis animum ejus demulcerent, tum copiis suis eum imperatorem præficerent, non potuerunt tamen hominem eo adducere, ut hostis patriæ esse desineret. Quare tandem cum alia in patriam hostilia ausus est, tum Pyrrhum Æacidæ F. intra fines induxit: cui cum infesto exercitu fines suos ingresso Lacedæmonii, assumptis in societatem Argivis & Messeniis, occurrerunt. Sed victi in urbem compulsi fuerunt, parumque abfuit, quin eodem impetu Pyrrhus urbem caperet; sed cum is agrum populationibus infestum reddidisset, magnamque inde prædam egisset, paululum temporis requiei dedit: Lacedæmoniis interim se ad sustinendam oppugnationem confirmantibus. Sed ab Antigono, qui e Macedonia in Peloponnesum suas copias traduxerat, bello petitus Pyrrhus, victum hostem in urbem Argos persequutus, in ipsa urbe, accepto in capite vulnere, occubuit, Pausan. *Lacon.* p. 168. 169. & *Attic.* p. 24. Areus, cum Antigonus Athenas obsideret, Atheniensibus auxilio cum Lacedæmoniis venit: sed Lacedæmoniis, tum Patrocli monitu, tum Atheniensium amicitia, tum vero nominis sui gloriam ad posteros propagandi studio ductis, prælii aleam adversus Antigonum subire nihil recusantibus, ipse tamen commeatu consumpto exercitum domum reportavit: desperatam enim pugnandi audaciam ad domesticos usus, prudentis condi exemplo, reservandam existimabat, nec effuse in alieno periculo jaciendam aleam, Pausan. *Lacon.* p. 169. Hic Areus est, qui ad Oniam (Jadduæ F. qui sub Seleuco Nicanore, non Simonis F. qui sub Antiocho Epiphane vixit, quo tempore Reges habere desierat Sparta) Judæorum summum Pontificem literas misit, quarum hoc exemplum est 1. *Macab.* XII. v. 20. seqq. Αρειος (sic lege e Josephi *Antiq. Jud. lib.* XII. cap. V. & *l.* XIII. cap. IX. pro Ονιάρης, quod corruptum est ex Ονίᾳ V. præcedentis, & Αρειος) *βασιλεὺς Σπαρτιατῶν Ονίᾳ ἱερεῖ μεγάλῳ χαίρειν. Εὑρέθη ἐν γραφῇ περί τε τῶν Σπαρτιατῶν καὶ Ιουδαίων, ὅτι εἰσὶν ἀδελφοὶ, καὶ ὅτι εἰσὶν ἐκ γένους Αβραάμ. καὶ νῦν ἀφ' οὗ ἔγνωμεν ταῦτα, καλῶς ποιήσετε γράφοντες ἡμῖν περὶ τῆς εἰρήνης ὑμῶν. καὶ ἡμεῖς δὲ ἀντιγράφομεν ὑμῖν. τὰ κτήνη, καὶ ἡ ὕπαρξις ὑμῶν ἡμῖν ἐστι, καὶ τὰ ἡμῶν ὑμῖν ἐστιν. ἐντελλόμεθα οὖν ὅπως ἀπαγγείλωσιν ὑμῖν κατὰ ταῦτα.* Paulo aliter concepta hæc vide apud Josephum. Areus in pugna ad Corinthum mortuus fuit, Plutarc. *Agide.*

Acrotatus Arei F. Pausan. *Lacon.* p. 169. Is prælio ab Aristodemo Tyranno ad Megalopolin superatus periit, uxore gravida relicta: quæ cum marem peperisset, Leonides Cleonymi F. tutelam ejus

geſſit: mortuoque pupillo priuſquam adoleſceret, regnum conſequutus fuit, Plutarch. *Agide.*

Areus enim Acrotati F. annum agens octavum morbo conſumptus fuit, Pauſan. *Lacon.* p. 169.

Leonides Cleonymi F. (primum tutor Arei, inde Rex) grandis admodum natu, Pauſan. *Lacon.* p. 169. 170. Quamvis vero Lacedæmonii univerſi, moribus corruptis, ab antiquis Reip. inſtitutis deſciviſſent, tamen in Leonida illuſtris erat a majorum conſuetudine diſceſſio: quippe diu in aulis Satraparum verſatus, Seleucumque aſſecla comitatus, faſtum illum ad res Græcas & legitimum regnum, parum recte, transferebat, Plutarch. *Agide.* Cum Leonide Lyſander Lyſandri, Ariſtocratis filii, nepos graves inimicitias exercuit: aſſociatoque ſibi, & in familiaritatem pellecto Cleombroto Leonidæ genero, Leonidæ cum alia intendit crimina, tum eum, cum puer adhuc eſſet, Cleonymo patri in exitium patriæ juramentum dediſſe dictitavit, Pauſan. *Lacon.* p. 169. 170. Erat vero Lyſander Ephorus, magiſtratuque nondum abdicato actionem Leonidæ intentavit ex lege quadam priſca, qua cautum erat, ne quis Heraclidarum ex peregrina muliere liberos ſuſciperet: & ut qui Sparta, alio habitandi gratia, commigraſſet, morte plecteretur. Teſteſque produxit Lyſander, qui Leonidam ex Aſiatica muliere, quam ei Seleuci quidam Satrapes nuptum dederat, geminam prolem ſuſtuliſſe perhiberent, odioque ab uxore habitum contra animi ſententiam domum rediiſſe, ac regnum ſucceſſore vacuum ſuſcepiſſe. Simul etiam Cleombroto, genero Leonidæ & Regio genere nato, perſuaſit ut is regnum ſibi vindicaret. Leonidas ergo, periculi metu, ſupplex in Chalciœam confugit: cui ſe, marito Cleombroto relicto, filia comitem addidit. Vocato in judicium, nec comparenti regnum abrogatum, & Cleombroto mandatum, Plutarch. *Agide.*

Cleombrotus Leonidæ (per filiam Chelonim, Plutarch. *Agide*) gener, pulſo ſocero, regnum invaſit, Pauſan. *Lacon* p. 169 Cum autem Lyſander, circumacto legitimo tempore, Ephorus eſſe deſiiſſet, ſuccedentes Ephori Leonidam ſupplicem miſerati, decedere templo juſſerunt: Lyſandro autem & Mandroclidæ dicam ſcripſerunt, quod contra leges de novis tabulis & agris dividundis legem promulgaſſent. Hi cum viderent, quo in periculo verſarentur, Cleombroto & Agidi Regibus perſuaſerunt, ut concordes & conjunctis viribus Ephororum decreta irrita haberent. In quam ſententiam pertracti Reges cum amicis in forum deſcenderunt, & Ephoros de ſellis amoverunt, aliis conſtitutis, inter quos etiam Ageſilaus fuit. Deinde armata juvenum manu captivos liberarunt, & metum cædis adverſariis injecerunt: nemo tamen trucidatus fuit. Imo cum Agis audiviſſet Leonidam Sparta profugum Tegeam petere, Ageſilaum vero vitæ ejus inſidiantem, percuſſores in viam miſiſſe, alios ipſe ſibi fidos emiſit, qui eum tuto Tegeam deducerent, Plutarch. *Agide.*

Leonides non multis poſt exſilium annis a civibus in patriam ac priſtinum regnum revocatus fuit, Pauſan. *Lacon.* p. 170. Cleombrotus autem in fano Neptuni ſupplex conſedit. Et filia Leonidæ Chelonis, quæ prius, viro relicto, patrem calamitate ictum coluerat; jam fortunæ mutationem ſequuta, ſupplicanti viro aſſedit, manibus eum ſuis amplexa, & liberis ab utroque latere ſingulis cincta. Et verſa ad patrem Leonidem cum militibus Cleombroto inſiſtentem, & inſidias ſibi ſtructas exprobrantem, flebili oratione, vultu ac geſtu, Leonidam permovit, ut re cum amicis deliberata Cleombrotum templo abire & ſolum vertere juberet: ſimul orans filiam, ut ſecum maneret, relicto viro; ſed fruſtra: quippe ſurgenti viro alterum natorum tradens, alterum ipſa recipiens, adorato Dei altari, una cum viro abiit. Leonides vero, pulſo Cleombroto, & primis Ephoris magiſtratu dejectis, conſtitutiſque aliis, Agidi inſidiatus, eum demum in vincula ductum, & Ephororum ſententia damnatum, ſtrangulandum curavit, Plutarch. *Agide.* Leonidæ ex uxore Crateſiclea liberi fuerunt, Cleomenes, Euclides, (Epiclides, Pauſan.) & Chelonis. Cleomeni non plane nuptiis maturo uxorem Agidis Agiatidem domo vi abductam nuptum dedit, Plutarchus in *Cleomene.* Crateſiclea a Cleomene una cum liberis Cleomenis Ptolemæo Euergetæ Regi Ægypti obſes data, una cum iiſdem in Ægypto juſſu Ptolemæi Philopatoris, poſtquam ſibi ipſe manus intulerat Cleomenes, jugulata fuit, Plutarch. *Cleomene.*

Cleomenes Leonidæ F. Is Spartæ regnum adeptus, Pauſaniam Cleombroti F. ſibi imitandum propoſuit, ut & Tyrannidem affectaret, neque legibus ſancitis acquieſceret. Verum, cum Pauſania fervidior eſſet, vitæque retinendæ minus cupidus, per animi elationem atque audaciam celeriter omnia confecit. Nam & ex altera familia Eurydamidam Regem adhuc impuberem per Ephoros veneno de medio ſuſtulit, & ad fratrem ſuum Epiclidam (Euclidam, Plutarch.) imperium tranſtulit: & Senatus auctoritate everſa, Πατρονόμους pro eo ordine, quoad ipſum duntaxat nomen, inſtituit. Mox rerum utique majorum, & Græciæ imperandi cupiditate incenſus, Achæis primum bellum intulit, vel quod victos ſibi auxilio fore ſperabat, vel quod ſuis eos conatibus impedimento eſſe nolebat. Prælio autem congreſſus ad Dymen ſuper Patras ſitam, Achæos eorumque imperatorem Aratum vicit. Itaque Aratum coegit ſibi & Sicyoniis metuentem Antigonum in auxilium arceſſere. Cleomenes enim pace Antigoni violata, cum alia multa aperte præter fœderis conditiones fecerat, tum vero Megalopolitanos, proprio motu, ſine publico civitatis conſilio, ſuis ſedibus expulerat. Cum Antigonus in Peloponneſum tranſiiſſet, Achæi cum Cleomene ſigna contulerunt, victoreſque Lacedæmonem expugnarunt. Lacedæmoniis vero Antigonus priſtinam Reip. formam reddidit. In ea pugna Epiclides Leonidæ F. cecidit: ipſe Cleomenes, cum in Ægyptum fugiſſet, primum honorificentiſſime a Ptolemæo acceptus fuit: at deinde in vincula ductus, damnatus eo crimine, quod adverſus Regem Ægyptios concitaſſet. Et is ſane tunc effugit; ſed mox, cum Alexandrinis novi tumultus auctor extitiſſet, iterum comprehenſus mortem ſibi conſcivit, Pauſan. *Corinth.* p. 100. 101. cum XVI. annos Rex Spartæ fuiſſet, Plutarch. *Cleomene.* Cleomenis uxor poſt Agidis mortem fuit Agiatis, natique ex ea aliquot liberi. Filiorum natu major poſt necem patris de tecto ſe in caput præcipitavit, ſed quamvis male affectus, haut tamen mortuus fuit, cum reliquis deinde liberis Ptolemæi juſſu ſtrangulatus fuit, Plutarch. *Cleomene:* quem vide fuſe perſequentem ejus mores & res geſtas. Atque hic Regum Spartanorum Euryſthenidarum poſtremus fuit.

PROCLIDÆ.

Procles Ariſtodemi F. Euryſthenis frater. Ejus familia nulla re inferior erat altera, niſi quod Euryſthenes primigenius fuiſſet, Herodot. *l.* VI. p. 398. Πατροκλῆς & Προκλῆς ejus nomen promiſcue ſcribitur.

Sous Proclis F. Pauſan. *Lacon.* p. 170. Eum omiſit Herodotus *lib.* VIII. p. 576. Sub Soo Lacedæ-

monii & eos, quos manu cepissent, inde Heilotas dictos, in servitutem egerunt, & Arcadibus multum agri ademerunt, Plutarch. *Lycurgo.*

Eurypon Soi F. Is Herodoto *l.* VIII. p. 576. dicitur Euryphon Proclis F. sed Eurytion Plutarch *Lycurgo*. Tantum vero gloriæ consequutus fuit, ut ea familia, qui Proclidæ ante sunt appellati, Eurypontidarum (Eurytionidarum, Plutarch. *Lycurgo*) ab eo cognomen acceperint, Pausan. *Lacon.*p.170. Primus enim populi gratiam captans, Regiam potestatem mitigasse, ac remissiorem effecisse creditus est. Qua ex remissione & Populus ferocire cœpit, & posteriores Reges, cum vel vim exercentes in odium subditorum incurrerent, vel iis gratificantes, aut metu adducti se submitterent, diu Spartæ contra leges & ordinem pleraque acta sunt, Plutarch. *Lycurgo.*

Prytanis Eurypontis F. Eo regnante inter Lacedæmonios & Argivos inimicitiæ ortæ: & jam antequam Argivis quicquam crimini daretur, cum Cynurensibus bellatum fuerat, Pauf. *Lacon.*p. 170.

Eunomus Prytanidis F. Eo regnante Spartanis pax fuit, Pausan. *Lacon.* p. 170. Is in rerum confusione, cum contentionem quandam dirimeret, cultro lanii ictus, relicto majori filio Polydectæ regno, obiit, Plutarch. *Lycurgo.*

Polydectes Eunomi (Prytanidis, Simonid.) F. Sub illo etiam Spartanis pax fuit, Pauf. *Lacon.*p.170.

Lycurgus Polydectæ frater natu minor, (ex alia matre, cui nomen Dianassa, Plutarch. *Lycurgo*) post mortem fratris aliquandiu regnum gessit, donec uxor fratris quam ille moriens prægnantem reliquerat, filium enixa esset: quo nato hærede regni, Lycurgus ejus tutor fuit. Cum autem quidam ipsi conviciandi causa objecisset, certo se scire, ipsum Regem fore, sentiens sibi calumniam intentari de insidiis puero a se structis, ac veritus ne si quid huic humanitus accideret, inimici in ipsum culpam conferrent, in Cretam. Ut in Cretam venit, adjunxit se ad Thaletem, qui Lyrica carmina & leges condebat; cumque ex eo didicisset modum, quem Rhadamanthus prius, & deinde Minos usurparant, ut leges se a Jove acceptas promulgare dicerent: atque in Ægypto etiam fuisset, & ejus quoque gentis instituta percepisset, & cum Homero quoque in Chio degente, ut quidam ajunt, colloquutus esset domum revertit; cumque ibi Charilaum Polydectæ F. regnantem invenisset, ad condendas leges se contulit, ad Deum, qui Delphis est, commeans, indeque mandata apportans, sicut Minos ex antro Jovis, se adferre prætendit, Srrabo *l.* x. p. 482. ex Ephoro. Vide Plutarch. *Lycurgo.* Καταλαβὼν δὲ πολλὴν ἀνομίαν ἐν τῇ πατρίδι, καὶ τὸν Χαρίλλον τυραννικῶς ἄρχοντα, μετέστησε, καὶ κοινὸν ἀγαθὸν τὰς ἐκεχειρίας κατέστησε, Heraclid. *de Polit.* Lycurgum relicta Charilai tutela peregrinatum, & diutissime in Creta commoratum fuisse, auctor est etiam Aristoteles *de Rep.* lib. II. §. 10. vide in *Euryfth. Læbotas.*

Charillus (aliis Charilaus) Polydectæ F. Is Argivorum agrum igne ferroque vastavit: eodemque duce, paucis post annis, contra Tegeatas expeditionem suscepere Spartani, Pausan. *Lacon.*p.170. Cum enim Lacedæmonii fertilem ac populosam regionem colerent, succreverunt, ac secunda fortuna usi sunt: nec amplius contenti otio frui, cum se Arcadibus præstantiores esse arbitrarentur, de omni illorum terra Oraculum Delphicum consuluere. Illis Pythia respondit;

Ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς. μέγα μ' αἰτεῖς. οὔ τοι δώσω.
Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν,
Οἵ σ' ἀποκωλύσουσιν. ἐγὼ δέ τοι οὔτι μεγαίρω.

A *Δώσω τοι Τεγέην ποσσίκροτον ὀρχήσασθαι,*
Καὶ καλὸν πεδίον σχοίνῳ διαμετρήσασθαι.

Hujus ambigui ac perplexi oraculi auctoritatem sequuti Lacedæmonii, a cæteris quidem Arcadibus abstinuere, sed Tegeatis bellum intulere, ferentes secum compedes; quibus victos Tegeatas & in servitutem redactos essent illigaturi: verum prælio congressi ac fugati, quicunque ipsorum vivi capti sunt, iisdem, quas ipsi attulerant, compedibus induti, Tegeatem campum fune mensi coluerunt, Herodot. *l.* I. p. 28. 29. Hanc tamen victoriam contigisse Tegeatis, regnante Hegesicle, scribit Herodotus *l.* I. p. 27. vide in *Tegeatis.* Lacedæmoniam Charilai Tyrannidem in Aristocratiam versam
B fuisse scribit Aristoteles *de Rep.* l. v. §. 12.

Nicander Charilli F. Is Argivorum fines hostiliter ingressus, illos multis & magnis calamitatibus affecit, socios habens Asinæos, qui paulo post graves Argivis pœnas dederunt, deleta patria profugi, Pausan. *Lacon.* p. 170.

Theopompus Nicandri F. Is cum multis aliis in rebus moderationem adhibuit, tum in ea re, quod Ephororum imperium Regno opposuit: imminuta enim Regia potestate, tempus auxit. Itaque id
C quodammodo non minus, sed majus fecit: quod eum & uxori suæ respondisse ferunt, cum ab eo quæsivisset objurgans, ecquid eum puderet Regnum minus filiis tradere, quam a patre accepisset? non pudet vero, inquit: trado enim diuturnius, Aristotei. *de Rep.*l.v.§ II. Plutarch. *ad Princip. Indoct.* initio; Ἔφοροι πέντε ἀριθμὸν ὄντες τά τε ἄλλα διοικοῦσι τὰ σπουδῆς μάλιστα ἄξια, καὶ παρέχονται τὸν ἐπώνυμον, &c. Pausan. *Lacon.* p. 179. Sic apud Thucydidem Αἰνεσίου Ἐφόρου ἐν Σπάρτῃ notatur tempus cœpti belli Peloponnesiaci, *l.* II. init. Primus ἐπώνυμος fuit Elatus. De Ephoris vide Pausaniam, Polybium *l.* VI. p. 458. Xenophont. *de Rep.*
D *Laced.* p. 540.30. Orationem Cleomenis apud Plutarch. *Cleomene*, Suidam, & alios. Olymp. IX. 2. Theopompo regnante Lacedæmoniorum & Messeniorum simultas in apertum erupit bellum; priores Lacedæmonii arma cepere. Causas has præ se ferebant, quod Polycharem Lacedæmoniis ob multorum Lacedæmoniorum cædes postulantibus non dedidissent Messenii, quodque Teleclum iidem oppressissent, postremo quod simultates cum Messeniis haberent, ob commissam a Cresphonte in sortitione fraudem susceptas, Pauf. *Messen.* p 222. seqq. Lacedæmoniis contra Messenios naves auxilio miserunt Samii, Herodot. *l.* III. p. 204. Bellum
E illud maxima ex parte Theopompi ductu gestum fuit, Pausan. *Lacon.* p.162. Duravit annos novendecim. Tyrtæus;

Ἀμφ' αὐτὴν δ' ἐμάχοντ' ἐννέα καὶ δέκ' ἔτη
Νωλεμέως αἰεὶ ταλασίφρονα θυμὸν ἔχοντες
Αἰχμηταί, πατέρων ἡμετέρων πατέρες.

Finemque illi imposuit Theopompus. Tyrtæus, apud Pauf. *Messen.*

Ἡμετέρῳ βασιλῆϊ θεοῖσι φίλῳ Θεοπόμπῳ,
F *Ὃν διὰ Μεσσήνην εἵλομεν εὐρύχορον.*

Eodem Theopomqo regnante inter Argivos & Lacedæmonios de Thyreatum quoque finibus dimicatum fuit: cui prælio non interfuit Theopompus, senio & animi ægritudine implicitus, Pauf. *Lac.* p. 170.171. vide in *Argivis.* Filium habuit Archidamum, cui pater superstes fuit, Pausan. *Lacon.* p. 171. Habuit & alterum filium Anaxandridem, Herodot. *l.*VIII. p. 576.

Zeuxidamus Archidami F. Theopompi nepos,

Pauf. *Lacon.* p. 171. Sed Paufanias jam ab Herodoto diverfam Regum feriem & genealogiam texit.

Herod. *l.* VIII. p. 576.	Paufan. *Lacon.* p. 171. feqq.
Theopompus.	Theopompus.
Anaxandrides.	Archidamus.
Archidemus.	Zeuxidamus.
Anaxilaus.	Anaxidamus.
Leutychides.	Archidamus.
Hippocratides.	Agaficles.
Hegefilaus.	Arifto.
Mænaris.	Demaratus.
Leutychides.	

Docetque hos omnes Reges fuiffe, præter Hegefilaum & Mænarin.

Anaxidamus Zeuxidami F. Eo regnante Meffenii a Lacedæmoniis iterum bello victi e Peloponnefo excefferunt, Pauf. *Lacon.* p. 171.

Archidamus Anaxidami F. Ei tranquillum & quietum a bellis regnum fuit, idem *ibid.*

Agaficles Archidami F. Ejus tempora belli moleftiis vacua & tranquilla fuere, idem *ibid.* Lacedæmonios a Tegeatis victos, regnantibus Spartæ Leonte & Hegeficle, fcribit Herodotus *l.* I. p. 27.

Arifto Agaficlis F. Is cum e duabus uxoribus nullam fufciperet prolem, nec in fe ejus rei culpam effe animadverteret, tertiam duxit uxorem: quæ infans omnium turpiffima fuerat, fed a muliere quadam, cum a nutrice ulnis geftaretur, occurrente, & cum puellæ caput demulfiffet, prædicente eam futuram omnium Spartanarum formofiffimam, priftinam fpeciem amiferat, facta mulierum omnium poft Helenam forma præftantiffima. Illam maturam nuptiis uxorem duxit Agetus Alcidæ filius, Regis Ariftonis amicus, cujus opera Rex ex omnibus civibus maxime utebatur. Rex amore mulieris incenfus, hanc fraudem commentus eft. Ageto pollicetur fe daturum e fuis rebus quamcumque ille cuperet; paremque benevolentiam ab Ageto jurejurando interpofito exigit. Ageto, nil minus quam quod moliebatur Arifto cogitanti, ideoque rem pretiofam petenti, annuit Arifto: ubi viciffim jam partes petendi erant Ariftonis, is fibi uxore cedere poftulavit. Agetus hoc unum excipere fe ajebat: nihilominus jurejurando adactus & dolo feductus paruit. Ita Arifto, repudiata fecunda, tertiam duxit uxorem: quæ in novo conjugio, nondum decem exactis menfibus, peperit filium Demaratum: cui id nomen inditum fuit, quod ante natum eum omnis populus (ἀρὴν) vota feciffet, ut Ariftoni, omnium ante id tempus Regum probatiffimo, filius nafceretur. Arifton autem, quum fedenti in fella cum Ephoris fervus nunciaffet, natum ei filium, memoria repetens quo tempore duxiffet uxorem, deductis in digitos menfibus, cum jurejurando dixit: οὐκ ἂν ἐμὸς εἴη, oblitus verfuum Homericorum *Iliad.* Θ. de Euryfthei natali. Ephori tum quidem haut magni fecere, quod dixit: fed pofteaquam puer adolevit, Ariftonem temere effufæ vocis pœnituit, Herodot *l.* VI. p. 402. 403. Pauf. *Lacon.* p. 171. Lacedæmonii Ariftone & Anaxandride regnante vicerunt Tegeatas, Herodot. *l.* I p. 29.

Demaratus Ariftonis filius. Is cum Cleomene Athenienfes Pififtratidarum dominatu liberavit, Paufan. *Lacon* p. 171. Cum eodem Eleufinem invafit: fed Corinthiis deferentibus Lacædemonios, quod rem injuftam agi putarent, etiam Demaratus cum copiis, quas e Lacedæmone duxerat, difceffit, atque hoc initium diffidiorum inter utrumque Regem fuit. Ob eam Regum diffenfionem, lex Spartæ lata eft, qua cavetur, ne uterque Rex cum exercitu prodeat, utque alter Tyndaridarum etiam domi relinquatur: nam prius, & uterque Rex, & uterque Tyndarides ab illis evocatus, exercitum comitabatur, Herodot. *lib.* V. pag. 358. 339.

Demaratum tandem patris inconfiderata oratio, & fufcepta cum Cleomene fimultas, regno privavit, Paufan. *Lacon.* p. 171. Demaratus regno dejectus cum magiftratum gereret, fpectatorque adeffet in Gymnopædiis, Leutychides in regno fucceffor, deridendi infultandique caufa, ad eum miniftrum mifit, rogaturum, Ὁκοῖόν τι εἴη τὸ ἄρχειν μετὰ τὸ βασιλεύειν. Id ægerrime ferens Demaratus, refpondit, fe quidem utrumque expertum, non vero illum; eamque quæftionem Lacedæmoniis aut maximæ calamitatis, aut fummæ felicitatis initium futuram. Hæc loquutus velato capite e theatro domum fe proripuit, & immolato Jovi bove, quem præparatum habebat, matrem arceffivit: præfentemque, pofitis in ejus manus extis, obteftatus eft per Deos, cum alios, tum Jovem domefticum, quem tangeret, ut fibi vera promeret, quo re vera patre natus effet: fibi enim a Leutychide objectum, matrem viro priore gravidam ad Ariftonem veniffe: ab aliis dictitatum ipfam ex Afinario peperiffe: multumque de ea re Spartæ fermonem effe, negantium Ariftoni fuiffe prolificum femen: nam fi fuiffet, priores uxores fuiffe concepturas. Cui mater refpondit, tertia poftquam ab Ariftone ducta fuerat, nocte fimulacrum Ariftonis ad fe veniffe, fecumque concubuiffe, & coronas, quas geftabat, fibi circumpofuiffe. Deinde Ariftonem ipfum adveniffe, & confpectis coronis, percontatum fuiffe, unde illas accepiffet: fe vero dixiffe ab ipfo datas illas: illoque negante, fe juramento id confirmaffe. Ariftonem vero tum intellexiffe eam rem fuiffe divinam: & comperiffe illas coronas fumptas fuiffe ex heroico conditorio Aftrobaci: itaque Demarato vel Aftrobacum heroem patrem effe, vel Ariftonem; quod ea nocte conceptus effet: neque illi de fua genitura alios fermones admittendos, cum novem etiam menfium ac feptimeftrem partum edant mulieres, nec omnes decimum menfem expleant: Leotychidi vero & aliis relinquendum, ut fuæ uxores afinariis pariant, ejufmodi fermonum auctoribus. Hæc ubi Demaratus audivit, fumpto viatico per fpeciem Delphos eundi ad confulendum Oraculum, Elin contendit. Lacedæmonii, eum fugere rati, perfequuti funt. Sed jam ex Elide Zacynthum trajecerat: inde, Zacynthiis cum Lacedæmoniis dedere recufantibus, in Afiam ad Regem Darium pervenit, a quo magnifice acceptus regione, & urbibus donatus eft, Herodot. *lib.* VI. p. 404. feqq. Demarati fententiam fequutus Darius Xerxem fibi in imperio fucceforem defignavit, Herodot. *lib.* VII. p. 436. Demaratum de eventu belli Perfici adverfus Lacedæmonios fufcipiendi loquentem Xerxes derifui habuit: eundem Xerxes, fufcepto bello, confiliis adhibuit, Herodot. *lib.* VII. p. 515. 524. neque eum infectari quemquam paffus eft, Herodot. *lib.* VII. p. 526. Idem Demaratus, quum cognoviffet Xerxem bellum adverfus Græcos moliri, Græcis ejus conatus indicaturus, fumptis duarum tabellarum pugillaribus, ceram erafit, deinde in ligno confilium Regis exaravit: exaratum rurfus cera induxit: ita Sufis ad Lacedæmonios mifit, qui docente Gorgo Leonidæ uxore, ceram effingentes, literas in ligno reperere, lectafque ad reliquos Græcos tranfmifere, Herodot. *lib.* VII. pag. 527. Demaratus folus omnium Spartanorum Regum quadrijugo certamine in Olympiade palmam reportavit, Herodot. *lib.* VI. p. 406. Demarati pofteritatem in longum tempus

in Asiæ propagatam ferunt, Pausanias *Laconicis* pag. 17.

Leotychides Mænaris filius, Agesilai nepos, Hippocratidæ pronepos, octavus a Theopompo Nicandri filio. Ejus neque pater, neque avus Reges fuerant, cum reliqui ejus majores omnes Regnum Spartæ tenuerint, Herodot. *l.* VIII. p. 576. Is in Demarati locum Rex creatus fuit. Inimicitiarum inter ipsum & Demaratum hæc causa exstitit, quod Demaratus Leotychidi sponsam Percalam Chilonis filiam Demarmeni neptem insidiose præoccupatam præripuisset, Herodot. *l.* VI. p. 404. Leotychides cum Cleomene ex Æginetis delectos decem divitiis ac genere eminentissimos, in Atticam deductos penes inimicissimos Æginetis Athenienses deposuerunt, Herodot. *l.* VI. p. 407. Cleomene vero mortuo Æginetæ Spartam nuncios misere, expostulatum cum Leotychide ob detentos Athenis obsides. Lacedæmonii, re deliberata, quum injuriam agnoscerent, Leotychidem Æginetis dediderunt, eorum loco qui Athenis tenebantur. Sed Æginetæ, consilio Theasidæ Leoprepis F. viri Spartæ probati, ab illo deportando in Æginam supersedere, ea conditione, ut secum profectus Athenas depositos illic obsides redderet. Ubi Athenas ventum fuit, Leotychides summa ope annixus fuit, ut obsides Æginetis redderentur. Sed quum frustra apud Athenienses de deposito reddendo loquens, surdis illis fabulam de Glauci Spartani in detinendo deposito perfidia perfidiæque pœna narrasset, illinc abiit, Herod. *l.* VI. p. 412. 413. 414. Leotychides navium Græcarum centum & decem imperator & navarchus, cum Atheniensium duce Xanthippo Ariphronis filio ad Mycalen rem feliciter gessit adversus Persas, eodem die quo ad Platæas terrestri certamine victi fuere Persæ, Herodot. *l.* VIII. p. 576. & *l.* IX. p. 625. seqq. Pauf. *Lacon* p. 171. Leotychides in Thessaliam contra Aleuadas profectus, facile totam armis subigere potuit, cum ei semper præliis omnibus vincere contigisset. Sed quum ab Aleuadis donis corruptus fuisset, & in ipsa re deprehensus, in castris sedens, & utraque manu pecuniam tenens, in judicium vocatus, Sparta profugit indicta causa, & Tegeæ, quo ad aram Minervæ Aleæ supplex confugerat, mortuus est. Spartæ vero domus ejus excisa fuit, Herodot. *l.* VI. p. 407. Pauf. *Lacon*. p. 171. Eo regnante etiam a Græcis pari marte adversus Persas navali certamine ad Artemisium pugnatum fuit: imperatorem classis Græcæ, penes quem summa imperii esset, Spartani præbuerunt Eurybiaden Euryclidæ filium; sociis negantibus, se, nisi Lacon imperator esset, Athenienses ductores esse sequuturos, sed militiam deserturos, Herodot. *l.* VIII. p. 528. Idem Euribiades, qui e genere Regio non erat, dux fuit exercitus navalis, qui cum Xerxe conflixit ad Salaminem, Herodot. *l.* VIII. p. 542. Lacedæmonii in ea pugna primas partes rei bene gestæ Eurybiadæ tribuerunt, eumque oleagina corona donarunt, Herodot. *l.* VIII. p. 573. Leotychides filio Zeuxidamo superstes fuit, Pauf. *Lacon*. p. 171.

Archidamus Zeuxidami filius, avo exsulante, imperavit, Pausan. *Lacon*. p. 171. Archidamo regnante terræ motus ingens Spartæ domos funditus evertit, & Lacedæmonios supra bis mille obtrivit: & Hilotes ac Messenii, quos majestas & potentia Spartæ in officio continuerat, conspecta illa urbis vastitate, inito fœdere Lacedæmoniis bellum intulerunt. Archidamus vero sua prudentia & cives in terræ motu servavit, & primus arreptis armis hosti restitit, ejusque exemplo & hortatu reliqui patriæ opem tulerunt. At perduelles infesto agmine ad urbem tendentes spe illius potiundæ ceu defensoribus vacuæ, ubi paratos intellexerunt, a quibus exciperentur, ab incepto destiterunt, & occupato munitoque in Messenia loco, Laconiam populationibus infestam reddiderunt. Tum Lacedæmonii auxilia ab Atheniensibus petierunt, Diodor. *lib.* II. p. 48. vide in *Messen.* Cum Lacedæmonii sociorum querelas adversus Athenienses, quæque Athenienses submotis omnibus dixerant, audivissent, & inter se de rebus præsentibus consultarent, majore illorum parte in id ferente sententiam, Athenienses injuste agere, belloque petendos: Archidamus, prudens & modestus vir, sententiam dixit moderationis & gravitatis plenam; qua placere sibi quidem Atheniensium in socios petulantiam ostendit, verum belli gerendi nondum sibi maturitatem videri venisse: auctorque fuit ut Legati Athenas ad res repetendas mitterentur, quo interim tempore bellum maturius comparari posset, Thucyd. *lib.* I. p. 53. seqq. Decreto tamen bello, auctore imprimis Sthenelaide de Ephoris uno, belli gerendi necessitatem ostendente, penes Archidamum summa imperii fuit, Thucyd. *lib.* I. p. 57. & *l.* II. p. 105. Lacedæmoniorum socii in bello Peloponnesiaco fuerunt, Peloponnesii omnes præter Argivos: extra Peloponnesum, Megarenses, Locri, Bœotii, Phocenses, Ambraciotæ, Leucadii, Anactorii, Thucyd. *l.* II. p. 204. 105. Lacedæmonii initio belli omnes, quos in mari cepissent, ut hostes trucidarunt, cum Atheniensium socios, tum neutrorum partes sequutos, Thucyd. *l.* II. p. 143. Archidamus Atheniensium agros vehementer vexavit, cum in Atticam quotannis excursiones faceret, & omnia populabundus ageret, raperetque, Pausan. *Lacon.* p. 171. 172. Thucyd. *l.* II. p. 107. Lacedæmonii frustra Zacynthios, Atheniensium socios, oppugnarunt, Thucyd *l.* II. p. 142. Lacedæmonii Legatos ad Regem Persarum Artaxerxem miserunt, pecuniam ab ipso petituros, & ipsum ad belli societatem inducturos. Eos Athenienses interceptos, indemnatos & quædam dicere volentes, interfecerunt, Thucyd. *l.* II. p. 142. 143. Archidamus Platæensium, qui socii Atheniensium erant, urbem diuturna obsidione & commeatus inopia expugnatam, solo æquavit, Thucyd. *lib.* II. p. 145. seqq. & *l.* III. p. 219. Archidamus in maximam suspicionem incidit, quod vel in ipsis auxiliis ad gerendum bellum evocandis lentus, & Atheniensium studiosus esse videretur, quodque ad bellum alacriter gerendum non cohortaretur, Thucyd. *l.* II. p. 112. Filios moriens Archidamus reliquit duos, Agidem (ex Lampridone uxore) & Agesilaum (ex Eupolia Melisippidæ F.) filiam Cyniscam, quæ ad Olympicas victorias virili propemodum animo adspiravit. Primaque fœminarum hæc equos aluit, prima Olympicam palmam tulit, Pauf. *Lacon.* p. 172.

Agis Archidami filius natu major. Is quoque in Atticam irruptione facta, eum agrum depopulatus fuit, Thucyd. *l.* IV. p. 252. Idem a civibus suis accusatus fuit, quod contra Argivos rei bene gerendæ, urbisque eorum occupandæ opportunitatem neglexisset, parumque abfuit quin præ ira præter suum morem, & domum ipsius diruendam, ipsumque centum drachmarum millibus censuissent mulctandum, deprecantem ne quid eorum facerent, se enim expeditione suscepta forti aliquo facinore crimina sibi objecta diluturum. Lacedæmonii vero a mulcta irroganda & diruendis ædibus abstinuere, sed legem novam tulere, qua Regi viros Spartanos decem consiliarios addiderunt, absque quibus ipsi exercitum ex urbe educere non liceret, Thucyd. *l.* V. p. 386. 388. Lacedæmonii pacem in quinquaginta annos cum Atheniensibus sanxerunt, Thucyd. *l.* V. p. 355. seqq. Sed Alcibiades

Atheniensis patria profugus, nondum septimo anno exacto, Lacedæmoniis auctor fuit instaurandi belli, & Deceleam muniendi, quæ medio itinere est inter Athenas & Thebas, Thucyd. *l* VI. p. 475. seqq. Agidi, quamdiu cum exercitu ad Deceleam, quam muniebat, erat, jus fuit, & copias, quo liberet mittendi, & exercitum colligendi, & pecunias exigendi, Thucyd. *l.* VIII. p. 561. Agis coacto magno e Peloponneso exercitu, una cum præsidio, quod ad Deceleam erat, ad Atheniensium mœnia accessit, cum jam mutata Reip. forma quadringenti viri summæ rerum præessent, sperans vel ipsos, dum turbati essent, in suam potestatem suo arbitratu facilius venturos, vel etiam primo statim impetu, simulac sui milites clamorem sustulissent: sed re infecta, exercitum inde reduxit, Thucyd. *l.* VIII. p. 602. Idem, deleta ad Ægospotamos Atheniensium classe, per Lysandrum Aristocriti filium, cum eodem, fœderis, quod inter Athenienses & Lacedæmonios sancitum fuerat, cum tamen id non jussissent Spartani, religionem violavit. Illi enim suis duntaxat ipsorum auspiciis scitum cum sociis fecerant de urbe Atheniensium radicitus exscindenda, Pausan. *Lacon* p. 173. Agis, audientibus Ephoris, fortunæ quadam malignitate impulsus, non putare se dixit ex se Leotychiden natum. At cum morbo implicitus postea ex Arcadia domum reportaretur, damnata priore futilitate, apud Heræam testes fecit, qui cum ipso erant, omnes, nihil se dubitare Leotychidem ex se genitum esse: totique isti multitudini multis cum precibus & lacrymis injunxit, ut hoc apud Lacedæmonios testimonium dicerent, Pausf. *Lacon.* p. 172. Quæ autem ab Agide gesta contra Eleos sunt, vide in *Eleis*. Agide regnante, Lacedæmonii Helotum juventutem & multitudinem reformidantes, veritique ne, Pylo jam ab Atheniensibus occupata, aliquid novi molirentur, (semper autem apud Lacedæmonios multa erant instituta, ut sibi ab Hilotarum insidiis caverent) ipsis præceperunt, ut, quicunque ipsorum sibi conscii essent rei fortissime contra hostes gestæ, ii secernerentur, quod ipsos libertate donare statuissent. Ita cum ad bis mille selecti essent, coronati templa circumivere, ut libertate donati: sed postea ex hominum conspectu a Lacedæmoniis sublati fuerunt: nec dum quisquam novit, quo modo perierint, Thucyd. *l.* IV. p. 307.

Agesilaus Archidami filius. Is Leotychiden Agidis filium de successione regni dejecit, cum in memoriam ea redegisset populo, quæ Agis de ipso aliquando dixisset: præsto tamen Leotychidæ fuerunt ab Heræa Arcades, qui morientis Agidis verba renunciarunt. Auxit inter Agesilaum & Leotychidem disceptationem Delphicum Oraculum, his verbis editum:

Φράζεο δὴ Σπάρτη, καίπερ μεγάλαυχος ἐοῦσα,
Μὴ σέθεν ἀρτίποδος βλάψῃ χωλὴ βασιλεία.
Δηρὸν γὰρ μόχθοι σε καταχήσουσιν ἄελπτοι,
Φθερσιβρότου τ' ἐπὶ κῦμα κυκωομένου πολέμοιο.

Hæc in Agesilaum dixisse Apollinem contendebat Leotychides, quod altero ille pede claudicaret. At Agesilaus in Leotychidem retorquebat, quod neque legitimus, neque ab Agide esset genitus. Eam disceptationem Lacedæmonii ad Oraculum, cum id arbitratu suo facere possent, non retulerunt tamen: auctoritatem Lysandri Aristocriti F. sequuti, qui vehementer, ut Agesilao regnum decerneretur, contendebat. Regnum adeptus Agesilaus, cum Lacedæmoniis in Asiam classem transmittere

A placuisset, qua bellum contra Artaxerxem Darii filium transportaretur, exercitum in Atticam traducere jussus fuit: declaratusque terrestrium copiarum imperator dimisit Legatos, qui Peloponnesi populos omnes, præter Argivos, cæterosque item Græcos qui extra Isthmum sunt, ad belli ejus societatem invitarent. Excusantibus se Corinthiis, Atheniensibus & Thebanis, domi delectu habito, reliquorum sociorum auxiliis in unum contractis, classeque instructa, Aulidem rem divinam Dianæ facturus venit, quod illinc Agamemnon etiam Dea placata ad Trojam solvisset: se certe intelligebat beatioris, quam olim fuisset, civitatis Regem esse:
B neque minus se quam olim illam cunctæ Græciæ imperare. Sacrificantem Thebani adorti armis, ardentibus jam super ara femoribus projectis, æde expellunt: is quamvis ægre ferret non peractum sacrificium, nihilominus in Asiam transmisit: & ad Sardes progressus, ac cum Tissapherne prælio congressus, equitatum Persicum vicit, & simul pedestres copias: quibus majores, præter Darii & Xerxis, prius coactæ non fuerant. Lacedæmonii Agesilai alacritatem in rebus gerendis admirati, classis etiam imperium ei detulerunt. At ille Pisandrum uxoris suæ fratrem rebus navalibus præfecit,
C ipse omne studium ad res terrestribus copiis gerendas contulit. Artaxerxes capitis damnato occisoque Tissapherni successorem misit Tithraustem, virum & rebus gerendis sollertem, nec ab odio in Lacedæmonios alienum. Is ut Sardeis attigit, Timocratem Rhodium cum pecunia in Græciam, Corinthum, Argos, Athenas, Thebas misit, ut eos Græciæ populos ad bellum contra Lacedæmonios suscipiendum concitaret. Quæ quidem causa Agesilaum perpulit, ut exercitum ex Asia reportaret. In reditu Thessalos viam ipsi intercludere conantes profligavit: Thebanos ac eorum auxilia ad Coroneam superavit. Ætolis postea adversus Acarna-
D nes auxilium tulit. Insequenti tempore in Ægyptum navigavit, ut eos armis persequeretur, qui a Rege defecerant: multasque & præclaras res ibi gessit: sed vide Plut. *Agesil.* Rediturum in patriam in itinere senem mors oppressit. Cadaver in patriam reportatum, & a Lacedæmoniis majore multo quam aliorum Regum sepulturæ & funeris honore decoratum, Pausf. *Lacon.* p. 175. 176. 177.

Archidamus Agesilai filius. Eo regnante, Lacedæmonii Thebanorum odio Phocensibus, qui fanum Delphicum occuparant, auxilia adversus Thebanos miserunt. Theopompus Damasistrati
E F. auctor est & Archidamum ipsum belli gerendi socium fuisse, & Dincham ipsius uxorem ab iis qui rerum apud Phocenses potiebantur, muneribus corruptam, virum ad opem illis ferendam effecisse promptiorem. Id in Archidamo laudem meretur, quod Phocensibus extremæ crudelitatis exempla in Delphios agitantibus, unus ipse tam insignem cladem sit deprecatus, Pausan. *Lacon.* p. 177. 178. Sacrilegii a Phocensibus patrati non privatim solum Spartæ Reges & optimates, verum & ipsum publice Ephororum magistratum ac senatum participem fuisse dicebant Messenii, Pausan. *Messen.* p. 224. Archidamus ad Mandonium Italiæ urbem
F a Messapiis occisus fuit, Plutar. in *Agide.* Archidamo e Dincha nati Agis, Eudamidas & Agesilaus. Agesilaus ab Agide fratre cum classe in Cretam missus fuit, Arrian. *l.* I.

Agis Archidami F. Dux belli fuit adversus Macedonas, dum in Asia res gerit Alexander, concitati, cum Antipater bello Thracico distineretur, decretumque fuit semel totius rei fortunam bello experiri. Sed Antipater, rebus Thraciæ utcunque compositis, omnes copias in Peloponnesum duxit: commissoque prælio Agis Rex fortiter pugnans oc-

occubuit. Lacedæmonii, cum diu omnes prælii difficultates sustinuissent, victis sociis, & ipsi tandem pugna excesserunt, & Spartam redierunt. Eorum & sociorum in eo prælio ciciderant plures v. millibus & trecentis: adversæ partis III. millia & quingenti. In Agidis morte hoc memorandum accidit, quod, cum egregie dimicans, multis adversis vulneribus acceptis, per milites sublatus in patriam reportaretur, in itinere ab hostibus circumventus, desperata salute, civibus suis, a quibus ferebatur, imperaverit, ut ocyus abirent, seque necessariæ patriæ usibus servarent, ipse vero receptis armis, genu nixus, hostibus sese objecerit, eorumque aliquot cæsis, ibi confossus occubuerit, anno sui Regni nono, Diodor. *lib.* XVIII. p. 537. 538. vide Curt. *l.* VI. init. Justin. *l.* XII. *Histor.* Lacedæmonii, Oratoribus ad Alexandrum missis, non gravate veniam defectionis, præter auctores, impetrarunt, Curt. *l.* VI. Ea tamen clade majorem in modum opes Lacedæmoniorum afflictæ fuerunt, Pausan. *Attic.* p. 24. Sed quamvis principatu Græciæ a Macedonibus exsuti essent, non tamen se iis submiserunt, sed αὐτονομίαν servantes, de principatu, & cum reliquis Græcis, & cum Macedonum Regibus, semper contenderunt, Strabo *l.* VIII. p. 365.

Eudamidas Archidami filius, Agidis frater, cum Agis ab Antipatro ad Megalopolin interfectus absque liberis decessisset, regnum obtinuit, Plutarch. in *Agide*. Et rebus maxime pacatis Spartæ regnavit, Pausan. *Lacon.* p. 178.

Archidamus Eudamidæ F. Demetrio Poliorcetæ, qui Athenis receptis, ad subigendam Lacedæmonem statim animum adjunxit, ad Mantineam occurrit, sed prælio victus profligatusque fuit. Ibi Demetrius in Laconicam irrupit, rursusque ad ipsam urbem Spartam, ducentis occisis, captis quingentis, urbem, a nemine ad id usque tempus captam, jam jam videbatur occupaturus. Hoc agenti renunciatum fuit urbes Asiaticas a Lysimacho captas; Ptolemæum, capta reliqua Cypro, Salaminem & in ea liberos ipsius cum matre obsidere. Itaque his gravibus & periculosis nunciis a Lacedæmone avocatus fuit, Plutarch. in *Demetrio*. Uxorem habuit Archidamiam, filium Eudamidam, Plutarch. in *Agide*.

Eudamidas Archidami filius, Plutarch. in *Agide*. Uxorem habuit Agesistratam, filios Agidem & Archidamum, Plutarchus in *Agide* & *Cleomene*.

Agis Eudamidæ F. ingenii bonitate, animique magnitudine præstans, annos nondum XX. natus, educatusque inter summas opes luxumque muliebrem aviæ & matris, ab initio statim sese adversus voluptates obfirmavit, & omnino Laconicam vitæ rationem amplexus, ajebat, *Nolle se Regem esse, nisi sua opera leges moresque antiquos Reip. posset restituere*. Atque hoc conantem Leonides Rex alter, a Laconicis mulieribus, penes quas eo tempore maxima pars divitiarum erat, instigatus, apud principes Reip. calumniatus est, eum pro tyrannidis mercede pauperibus bona divitum, agrariam legem, & novas tabulas largiri, multosque non Spartæ cives, sed sibi stipatores parare. At Agis hoc consequutus, ut Lysander Ephorus crearetur, legem, ῥήτραν ipsi vocant, scripsit, & in senatu proposuit: suadentibusque legem Lysandro, Mandroclide & Agesilao, ad extremum ipse Agis in medium progressus, se in Remp. quam conderet, primum omnium omnes suas facultates conferre, præterque agros & pascua, quæ possidebat latissima, DC. talenta nomismatis: idem matrem quo que & aviam facere, & amicos, necessariosque omnium Spartanorum ditissimos. Ac Populus illa

A animi Agidis magnitudine obstupuit, gaudensque, dignum Sparta Regem trecentesimo post anno extitisse judicavit. Nihilominus majore conatu Agidem oppugnavit Leonides: & post altercationem, Agidem quidem multitudo sequuta fuit, divites vero cum Leonidam hortati sunt, ne se destitueret, tum Senatores, qui eo quod auctores fieri eorum, de quibus deliberatur, legibus jubebantur, plurimum poterant, deprecando & suadendo effecerunt, ut unius suffragii numero superarent, qui legem antiquabant. Cum autem Lysander, antequam Magistratu abiret, effecisset, ut Leonide de regno dejecto Cleombrotus Rex crearetur, & B succedentes Ephori Leonidam miserati, dicam scripsissent Lysandro & Mandroclidæ: hi Regibus persuaserant, ut concordes, viribusque junctis Ephororum decreta irrita haberent, & in forum cum armata juvenum multitudine progressi, amotis Ephoris, aliisque constitutis, captivos liberarent, & metum cædis adversariis injicerent. Ita succedentibus Agidi rebus, Agesilaus pulcerrimam & Laconum rebus convenientissimam legem per avaritiam corrupit: Agidique auctor fuit, ut debitorum tabulæ in forum comportatæ, in unum acervum compositæ cremarentur: nam & plurimum agri optimi possidebat, & maximum æs alienum C habebat, quod neque solvendo erat, neque agrum dimittere volebat. Et postulante populo, agrorum divisionem statim fieri, semper aliud quid prætendens, eo usque tempus traxit, dum Agis in bellum proficisci cogeretur, Achæis, quibus tum fœdere juncti erant Spartani, auxilium Lacedæmone requirentibus, adversus Ætolos, qui per Megaricam in Peloponnesum irrupturi ferebantur. Improbato vero dimicandi consilio ab Arato Achæorum duce, Agis Spartam rediit, rebus illic majorum in modum conturbatis. Cum enim Agesilaus insolenter supra modum se gereret in magistratu Ephori, D eumque contra leges continuaret, adversarii Leonidam Tegea palam in regnum reduxerunt. Et Agesilaum quidem filius Hippomedon, omnibus ob virtutem gratus, deprecando apud cives morti eripuit, Spartaque eduxit. Agis vero in Chalciœcum confugit. (de Cleombroto vide in *Eurysthen.*) Inde astu & fraude familiarium Ampharis, Democharis & Arcesilai, cum ad lavandum extra templum descenderet, deductus in carcerem, damnatusque Ephororum sententia, & in Cajada abductus, una cum avia ac matre strangulatus fuit, Plutarch. in *Agide*. Uxorem habuit Agiatidem, quam Leonides Cleomeni filio non plane nuptiis maturo nu- E ptum dedit, domo vi abductam, cum prolem recens natam haberet, Plutarchus in *Cleomene*. Eurydamidas Agidis filius impuber adhuc veneno a Cleomene per Ephoros de medio sublatus fuit, Pausan. *Corinth.* p. 100. Refert alia de hoc Agide idem Pausanias. Ejus ductum sequutos Lacedæmonios Pellenem subita incursione cepisse, sed ab Arato victos mox amisisse, idem *ibidem*. Eodem duce Megalopolin Lacedæmonios tertium adortos, majoribus quam prius viribus, ac in pugnam prodeuntes oppidanos fudisse: deinde ad muros prævalida machina turrim ex ea mœnium parte tam vehementer concussisse, ut nihil jam dubitarent, F se illam postero die dejecturos; sed disjecta a borea vento illa machina, de spe decidisse, Pausan. *Arcad.* p. 500. Eundem in pugna Mantinensi, Arcadum & sociorum adversus Lacedæmonios, cum Aratus fugam simularet, spe victoriæ incitatum cum sua cohorte fugientes ursisse. Sed inconsultius progressos a Mantinensibus impetu facto, densa mox incinctos fuisse corona: cæsosque illic magno numero Spartanos una cum Agide, Pausan. *Arcad.* p. 471. 472.

Archidamus Agidis frater, Eudamidæ filius, Agide perempto, fugam ex urbe occuparat, quo minus a Leonide comprehenderetur, Plutarc. in *Cleomene* initio. Eum Cleomenes, repugnantibus Lacedæmoniis ipsi bellum contra Achæos gerere volenti, statuit Messena Spartam evocare, ratus regno integritati suæ restituto Ephororum potentiam minorem futuram: eum enim ex altera familia Regem esse leges jubebant. At qui Agidem interfecerant, cum hoc agi sensissent, metuerentque ne pœnæ ab ipsis factorum exigerentur, reducendi quidem socios se præbuerunt, eumque in urbem clam receperunt; sed mox interemerunt, sive invito, ut Phylarchus ait, Cleomene, sive ab amicis ad prodendum hominem inducto, Plutarch. in *Cleomene*. Archidamum a Leonida revocatum, & in regni collegium assumptum: eo mortuo, Cleomenis metu fugisse denuo, & ab eo demum occisum scribit Polybius *l.* v.

Euclides (Epiclides Pausan.) Leonidæ filius, Cleomenis frater, a Cleomene, ne solus Regno potiri videretur, ad avertendam invidiam, Regni socius adscitus fuit, Plutarch. in *Cleomene*, Pausan *Corinth.* p. 101. Atque tunc duo Eurysthenidæ simul regnarunt adversus institutum patriæ, Pausan. *Corinth* p. 101. Euclides in pugna adversus Achæos & Antigonum ab hostibus circumventus periit, cum se, judicio fratris, præclare gessisset, exemplo Spartanis futurus, & a mulieribus decantandus, Plutarch. in *Cleomene*, Pausan. *Corinth.* p. 101. Atque hic regni Lacedæmonii finis fuit, Cleomene ipso patria profugiente: vide in *Eurysthen.* Sociabilem consortionem inter binos Lacedæmoniorum Reges salutarem, per multa secula ipsis patriæque: eandem civitatem, posteaquam mos sibi cuique rapiendi Tyrannidem exortus sit, eversam, Livius *l.* XL.

Lacedæmonii, Cleomene Regum postremo non inviti sane liberati, Regium imperium abrogarunt, Pausan. *Corinth.* p. 101.

Lycurgum Spartani in locum Cleomenis suffecerunt, Justin. *Hist. l.* XXIX. Lycurgus Tyrannus, post mortem Cleomenis, primus Lacedæmone fuit: ab eo Agesipolis infans, cujus jure Gentis regnum Lacedæmone erat, pulsus fuit, Livius *l.* XXXIV.

Machanidas Tyrannus exortus est, Lacedæmoniis Cleomenis dominatu liberatis, Pausan. *Messen.* p. 272. Eo duce Spartani novum bellum adversus Achæos susceperunt: prælioque inito ad Mantineam, expediti Spartanorum milites Achæorum velites fuderunt: fugientes Machanidas persequutus est. Ibi, a Philopœmene Achaici exercitus duce, gravi Spartanorum armatura repulsa, Machanidas retrocedens, cum in Philopœmenem incidisset, occisus fuit, Pausan. *Arcad.* p. 535.

Nabis, Machanida sublato, Tyrannidem invasit. Is cum profanas & sacras ædes spoliasset, brevi ingentem coegit pecuniam: & ex ea sibi copias comparavit. Eundem, cum Messenios inopinantes adortus, urbem totam, præter arcem, occupasset, Philopœmen & Megalopolitani supervenientes eadem nocte, sub certis fœderis conditionibus, urbe cedere coegerunt, Pausan. *Messen.* p. 272. Nabis, translato imperio a Philopœmene ad Cycliadem, nequaquam parem illi ducem, dilapsa cernens Achæorum auxilia, redintegrabat bellum, agrosque finitimorum vastabat, & jam urbibus quoque erat terribilis, Livius *l.* XXXI. Nabis a Philippo Macedone, cum acie decernendum adversus Romanos videret, Argos urbem velut fiduciariam accepit: nocteque ignaris omnibus acceptus in urbem est Tyrannus: prima luce occupat omnia superiora loca, portæque clausæ: paucis Principum tumultum inter primum elapsis. Eorum absentium direptæ fortunæ: præsentibus aurum atque argentum ablatum: pecuniæ imperatæ ingentes: qui non cunctanter contulere, sine contumelia & laceratione corporum sunt dimissi: quos occulere aut retrahere aliquid suspicio fuit, in servilem modum lacerati atque extorti, &c. Posteaquam in potestate Nabidis Argivorum civitas erat, nihil ejus memor Tyrannus, a quo eam civitatem, & quam in conditionem accepisset, legatos Elatiam ad Quintium & Attalum Æginæ hybernantem mittit, qui nunciarent, Argos in sua potestate esse: eo si veniret Quintius ad colloquium, non diffidere sibi omnia cum eo conventura. Haut procul urbe, Mycenica vocatur, in eo loco ut congrederentur convenit. Inde ubi de conditionibus amicitiæ cœptum agi est, Romanus duas postulare res: unam, ut bellum cum Achæis finiret: alteram, ut adversus Philippum mitteret secum auxilia. Auxilia se missurum dixit: pro pace cum Achæis induciæ impetratæ. De Argis quoque disceptatio ab Attalo Rege est nata. Sed hæc sine exitu fuit. De colloquio discessum: sexcentis Cretensibus a Tyranno datis Romano, induciisque inter Nicostratum Pr. Achæorum & Lacedæmoniorum Tyrannum in IV. menses factis. Nabis, firmato præsidio, Argis Lacedæmonem regressus, cum ipse viros spoliasset, ad fœminas spoliandas uxorem Argos remisit, Livius *l.* XXXII. fin. Cum autem Nabis Argis cedere nollet, Quintius bellum decrevit, & prope flumen præter urbem sub ipsas Mænali montis radices duxit copias instructas. Sed dato colloquio, cum Tyranno pax facta, ut ab Argis cæterisque oppidis, quæ in Argivorum agris essent, præsidia omnia deducerentur, vacuaque & libera traderentur Romanis, &c. Livius *l.* XXXIV. Sed postea contra fœdus maritimam oram Laconum oppugnavit. Nec differebat bellum, sed summa vi Gytheum oppugnabat, & infestus Achæis, quod miserunt obsessis præsidium, agros eorum vastabat, Livius *l.* XXXV. Elapsus vero, castris Lacedæmoniorum ad Gytheum incensis a Philopœmene, iniquo loco Philopœmenem, & Arcadum, qui cum eo erant, manum circumvenit. Sed ubi Philopœmen æquiorem locum nactus fuit, ibi Nabis prælio victus est, Lacedæmoniorum quamplurimis nocte illa cæsis, Pausan. *Arcad.* p. 536. vide & Livium *l.* XXXV. Nabis inde inducias cum Romanis pepigit: quarum antequam præfinitum tempus exisset, ab homine Calydonio ab Ætolis subornato, specie societatis ineundæ ad ipsum veniente, interemptus fuit, Pausan. *Arcad.* p. 536. Alexamenum Ætolum illum vocat Livius, & historiam cædis fuse persequitur *l.* XXXV. T. Quintium Flaminium Lacedæmoniis illato bello, & duce eorum Nabide victo, & quibus voluit conditionibus in fidem accepto, in gloriam duxisse ante currum nobilissimos obsides, Demetrium Philippi filium, & Armenen Nabidis, scribit Eutropius *l.* IV. Nabis hic Spartæ muros tumultuario opere, Demetrio & Pyrrho olim oppugnantibus, structos, tales faciundos curavit, ut nihil omnino ad eorum firmitatem desideraretur, Pausan *Achaic.* p. 41v.

Lacedæmonem Ætoli, cæso Nabide, occuparunt. Dux (Alexamenus) regia inclusus, diem ac noctem in scrutandis thesauris Tyranni consumpsit. Ætoli velut capta urbe, quam liberasse videri volebant, in prædam versi. Simul indignitas rei, simul contemptus, animos Lacedæmoniis ad coeundum fecit: alii dicere, exturbandos Ætolos, & libertatem, cum restitui videretur, interceptam repetendam: alii, ut caput rei agendæ esset, Regii generis aliquem in speciem assumendum. Laconicus ejus stirpis erat, puer admodum, educatus cum

liberis Tyranni. Eum in equum imponunt, & armis arreptis Ætolos vagos per urbem cædunt, tum regiam invadunt. Ibi Alexamenum cum paucis resistentem obtruncant. Ætoli circa Chalciœcon (Minervæ est templum æreum) congregati cæduntur. Pauci armis abjectis, pars Tegeam, pars Megalopolin perfugiunt. Ibi comprehensi a magistratibus, sub corona vænierunt. Philopœmenes audita cæde Tyranni, profectus Lacedæmonem, cum omnia turbata metu invenisset, evocatis Principibus, & oratione habita, qualis habenda ab Alexameno fuerat, Societati Achæorum Lacedæmonios adjunxit: eo etiam facilius, quod ad idem forte tempus A. Attilius cum XXIV. quinqueremibus ad Gytheum accessit, Livius *lib.* XXXV. Lacedæmonios a Philopœmene, facta in Spartam irruptione, ut se in Achæorum Concilium contribuerent, adactos fuisse, scribit Pausan. *Arcad.* p. 536. & *Achaic.* p. 411. Et Philopœmen auctor fuit semper Achæis minuendi opes & auctoritatem Lacedæmoniorum, Livius *lib.* XXXVIII. Lacedæmoniis vero, cum Leuctrica clades, tum Arcadum in unam civitatem Megalopolin conventus, & Messeniorum vicinitas, quo minus pristinas vires reciperent, obstiterunt, Pausan. *Achaic.* p. 408. Cum autem Las vicus a Lacedæmoniis, contra fœdus, oppugnatus esset, cædesque ibi facta, ad exposcendos eos, qui ejus rei auctores affinesque essent, legati ab Achæis Lacedæmonem missi sunt. Id imperium adeo superbum & indignum Lacedæmoniis visum est, ut si antiqua civitatis fortuna esset, haut dubie arma exemplo capturi fuerint. Furentes igitur ira, XXX. hominibus ex factione, cum qua consiliorum aliqua societas Philopœmeni atque exsulibus erat, interfectis, decreverunt renunciandam societatem Achæis, legatosque extemplo Cephaleniam mittendos, qui Consuli M. Fulvio Lacedæmonem dederent, orarentque eum ut veniret in Peloponnesum ad urbem Lacedæmonem, in fidem ditionemque Pop. Romani accipiendam. Id ubi legati ad Achæos retulerunt, omnium civitatum, quæ ejus Concilii erant, consensu, bellum Lacedæmoniis indictum est, Livius *lib.* XXXVIII. Philopœmen vero iterum imperator Achæorum constitutus, CCC. homines seditionum auctores e Peloponneso ejecit, & Hilotarum prope III. millia vendidit: urbisque muros demoliens, puberibus omnibus, iis exercitationibus, in quibus ex Lycurgi lege versabantur, interdixit, jussitque in iisdem cum puberibus Achæorum exerceri, Pausan. *Arcad.* p. 537. & *Achaic.* p. 412. Per hæc velut enervata civitas Lacedæmoniorum diu Achæis obnoxia fuit: nulla tamen res tanto erat damno, quam disciplina Lycurgi, cui per octingentos annos assueverant, sublata, Livius *lib.* XXXVIII. Porro cum Lacedæmonii Achæorum imperata graviter ferrent Metellum Romanorum Legatum & ejus collegas appellarunt: ii non contemnendas Lacedæmoniorum querelas censuerunt. Præcipui accusatores Achæorum erant Areus & Alcibiades, summæ apud suos existimationis. Concessumque Lacedæmoniis ut Legatos Romam mitterent. Ii impetrarunt, ut Legatis Rom. quorum princeps Appius Claudius erat, Senatus potestatem daret, statuendi pro arbitratu de Achæis & Lacedæmoniis. Ii primo statim adventu, & quos Achæi exsilio mulctassent, Spartam reduxerunt, & quotquot ab Achæis damnati fuerant, quod ante causæ cognitionem discessissent, iis mulctam remiserunt. Ac Lacedæmonios quidem ab Achaico Concilio non exemerunt, sed judicia capitis penes Senatum Rom. illis esse voluerunt: de cæteris criminibus in Concilio Achaico agi posse, Pausan. *Achaic.* p. 412. 413. 414. vide Livium *lib.* XXXVIII. & XXXIX.

Lacedæmoniis patria instituta & disciplinam Romani restituerunt, Pausan. *Arcad.* p. 537. Novo denique murorum ambitu urbem Spartam muniendam curarunt, Pausan. *Achaic.* p. 414. *Μικρὰ μὲν τινα προσέκρουσαν* Lacedæmonii *τοῖς πεμπομένοις ὑπὸ Ῥωμαίων στρατηγοῖς, τυραννούμενοι τότε καὶ πολιτευόμενοι μοχθηρῶς. ἀναλαβόντες δὲ σφᾶς ἐτιμήθησαν διαφερόντως, καὶ ἔμειναν ἐλεύθεροι πλὴν τῶν φιλικῶν λειτουργιῶν ἄλλο συντελοῦντες οὐδέν*, Strabo *l.* VIII. p. 365. vide & p. 376. & *l.* IX. p. 414.

Eleuthero-Lacones (Ἐλευθερολάκωνες) dicti sunt, qui cum ante Spartanis paruissent, ab Augusto Imp. eorum dominatu liberati fuerunt: habueruntque ætate Pausaniæ XVIII. urbes, cum ante XXIV. fuissent, Pausan. *Lacon.* p. 203. 204. *Συνέβη δὲ καὶ τοὺς Ἐλευθερολάκωνας λαβεῖν τινα τάξιν πολιτείας, ἐπειδὴ Ῥωμαίοις προσέθεντο πρῶτοι οἱ περίοικοι, τυραννουμένης τῆς Σπάρτης, οἵ τε ἄλλοι, καὶ οἱ Εἵλωτες*, Strab. *l.* VIII. p. 366. *Ἡ Λακωνικὴ λειπανδρεῖ, κρινομένη πρὸς τὴν παλαιὰν εὐανδρίαν. Πλὴν γὰρ τῆς Σπάρτης αἱ λοιπαὶ πολίχναι τινές εἰσι περὶ τριάκοντα τὸν ἀριθμόν. τὸ δὲ παλαιὸν Ἑκατόμπολιν φασιν αὐτὴν καλεῖσθαι. καὶ τὰ Ἑκατόμβοια διὰ τοῦτο θύεσθαι παρ' αὐτοῖς κατ' ἔτος*, idem *ibid.* p. 362.

AMYCLÆI.

Amyclæ urbs Laconica ex centum istis, condita ab Amyclante Lacedæmonis filio, Steph. Pausan. *Lacon.* p. 158. Eustath. *in Iliad.* B.

Amyclas, unam sex partium, in quas Laconica ab Eurysthene & Procle distributa fuit, eximiam iidem dederunt Philonomo, qui ipsis Laconicam prodiderat, persuaseratque ei, qui tum illam obtinebat, ut certis pactis firmatis una cum Achæis in Ioniam concederet, Ephorus apud Strabon. *l.* VIII. p. 364.

Amyclæorum urbem, quam etiam tum Achæi tenebant, Lacedæmonii, regnante Teleclo, captam everterunt. Et Amyclæi quidem primo impetu ejecti non fuerunt, sed acriter resistentes, belli diuturnitate superati, cum multa prius virtutis documenta dedissent. Id ipsi Dorienses tropæo de Amyclæis erecto testati sunt, quod nihil scilicet illis temporibus, quod memoriæ consecrarent, gessisse dignius ipsi sibi visi sint, Pausan. *Lacon.* p. 161. Urbs a Doriensibus in vici formam redacta fuit, idem *ibidem.* p. 198.

Amyclas Aristomenes Messenius subito impetu cepit ac diripuit, Pausan. *Messen.* p. 250.

Amyclæos, quos suo in exercitu habuit, Agesilaus domum dimisit, quo ludos Apollini & Hyacintho ritu patrio facerent: nam Hyacinthia instabant. Eos Athenienses duce Iphicrate in via adorti trucidarunt, Pausan. *Lacon.* p. 177.

HELOTES.

Helos urbs Laconica, Stephan. Homer. *Iliad.* B. v. 585.

Οἵ τ' ἄρ' Ἀμύκλας εἶχον, Ἕλος τ' ἔφαλον πτολίεθρον.

Conditam ajunt ab Helio Persei filio, Strabo *l.* VIII. p. 363. Pausan. *Lacon.* p. 201. Nomen accepit ab Helio conditore, vel potius a natura loci, qui palustris est, & *ἑλώδης. εἶθ' ἑλῶδες ὑπέρκειται χωρίον, καὶ κώμη* Ἕλος, Strabo *l.* VIII. p. 363. Ἕλος, *παρὰ τὸ ἐν ἕλει εἶναι, κατὰ τὸν* Ἐθνικογράφον, Eustath. *in Iliad.* B.

Helotes, urbe eversa a Lacedæmoniis, publici Lacedæmoniorum servi facti fuerunt: vide in *Lacedæmon. Agis, Alcamenes Eurysth. & Agis Proclid.* Ὅτι *τοὺς* Εἵλωτας *κατεδουλώσαντό ποτε* Λακεδαιμόνιοι. Θετταλοὶ *δὲ τοὺς* Πενέστας. Heraclid. *de Polit.* Hilotæ sunt

jam inde antiquitus caſtellani, agreſte genus, Livius *l.* XXXIV.

Pharis urbs Laconica, Stephan. Everſa a Lacedæmoniis, Pauſan. *Lacon.* p. 161. vide in *Teleclus.* Φάρις ſcribit Stephan. Sed plerique codices in Homero Φάρης, Euſtath. *in Iliad.* B.

Geranthræ urbs Laconica, Stephan. Everſa a Lacedæmoniis, Pauſan. *Lacon.* p. 161. vide in *Teleclus.*

Amathus, Aſine, Gythion Spartæ navale, Cypariſſia in peninſula ſita, Onugnathos, Aſopus, urbes Laconicæ, Strabo *l.* VIII. p. 363. 364.

Bœæ urbs Laconica, Strabo *l.* VIII. p. 364. Ejus conditor & nominis auctor fuit Bœus Herculis filius, colonia in eam deducta e tribus civitatibus, Etiade, Aphrodiſiade & Sida: quarum duas priores ab Ænea in Italiam contendente, & tempeſtate huc delato, conditas ferunt, ejuſque filiam Etiadem appellatam: tertiam vero a Sida Danai filia nuncupatam, Pauſan. *Lacon.* p. 206.

La urbs Laconica, quam Dioſcuri expugnarunt, unde Λαπέρσαι appellati ſunt: ſita fuit ſupra excelſam petram, unde & Λᾶ appellata fuit, Stephan. Lycophr. Καὶ Λᾶν περήσεις. Homerus Λᾶαν vocat.

Ægys urbs Laconica, ut Euphorion ait, Stephan. Everſa a Lacedæmoniis, Pauſan. *Lacon.* p. 161. Ab hac urbe Lycophron Helenam, quæ Lacæna erat, Ægyam canem vocavit:

> Καὶ πάντα τλήσεσθ᾽ οὕνεκ᾽ Αἰγύας κυνὸς
> Τῆς θηλυπαιδος, καὶ τριάνορος κόρης.

Vocat θηλύπαιδα, quia maſculam ſobolem nullam peperit: τριάνορα quod tribus viris nupſerit, Menelao, Alexandro & Deiphobo.

Leuctrum urbs Laconiæ, Strabo *l.* VIII. p. 361. Leuctrorum Bœotiæ colonia: conditaque fertur una cum Charadra & Thalamis Bœotiis a Pelope, cum ſororem Nioben Amphioni in matrimonium collocaret, accitis eo quibuſdam e Bœotia, idem *ibidem.* p. 360.

Bryſeæ & Augeæ ignobiles urbes Laconicæ, Euſtath. *in Iliad.* B.

Oetylus nomen accepit ab Oetylo Heroë, idem *ibidem.*

MESSENII.

Polycaon Lelegis filius natu minor, fratre natu majore Mylete patri in imperium Laconiæ ſuccedente, privatus vixit uſque ad illud tempus quo Argivam duxit uxorem Meſſenen, Triopæ filiam, Phorbantis neptem. Ea patris dignitate & opibus, quibus ille tunc præ cæteris Græcis maxime florebat, elata, virum in ordinem redactum pati non potuit. Comparatis itaque ab Argis & Lacedæmone auxiliis, eam regionem occupavit Polycaon, quam de uxoris nomine Meſſenen appellavit. Urbes vero & alias condidit, & in qua regni ſedem eſſe voluit, Andaniam, neque enim Meſſene urbis nomen erat ante pugnam Leuctricam. Certe Homerus, cum urbes Meſſenes recenſet, urbis Meſſenes nullam facit mentionem: imo in *Odyſſea* Φ. v. 18. populum fuiſſe, non urbem unam, Meſſenios aperte oſtendit:

> Μῆλα γὰρ ἐξ Ἰθάκης Μεσσήνιοι ἄνδρες ἄειραν.

Apertius vero, ubi de arcu Iphiti loquitur, *Odyſſ.* Φ. v. 15. ſeq.

> Τὼ δ᾽ ἐν Μεσσήνῃ ξυμβλήτην ἀλλήλοιιν,
> Οἴκῳ ἐν Ὀρτιλόχοιο. ——

Ortilochi domum in Meſſenia parvum oppidum Pheras innuit, Pauſan *Meſſen.* p. 216. ſeq. Ἐκαλεῖτο δ᾽ ἡ χώρα Μεσσήνη. τὴν δὲ νῦν ὀνομαζομένην πόλιν Μεσσήνην, ἧς ἀκρόπολις ἡ Ἰθώμη ὑπῆρξεν, οὔπω συνέβαινεν ἐκτίσθαι, Strabo *l.* VIII. p. 358. Ad Meſſenen Polycaonis uxorem Eleuſine Caucon venit Celæni F. Phlyi terra geniti, ut Athenienſes ajunt, nepos, Magnarumque Dearum initia deportavit. Illa multis poſt Cauconem annis Lycus Pandionis F. longe auguſtiora effecit: quem ſecutus poſtea Methapus, etiam Athenienſis: unde Inſcriptio apud Methapi effigiem:

> Ἥγνισα δ᾽ Ἑρμεῖαο δόμους . . . . . τε κέλευθα
> Παιδὸς καὶ πρωτογόνου κούρας. ὅθι φασὶ
> Μεσσήνην θεῖναι μεγάλαισι θεαῖσιν ἀγῶνα
> Φλυὸς κλεινοῖο γόνου Καυκωνιάδαο.
> Θαύμασα δ᾽, ὡς σύμπαντα Λύκος Πανδίονος φὼς
> Ἀτθίδος ἱερὰ ἔργα παρ᾽ Ἀνδανίῃ θέτο κεδνῇ.

Pauſan. *Meſſen.* p. 216. 217. 218. Qui Polycaonis liberi fuerint, ſe nihil omnino comperire potuiſſe ſcribit idem *ibid.* p. 218.

Perieres Æoli cognomento Neptuni filius a Meſſeniis in regnum arceſſitus fertur, ætatibus ferme quinque, non amplius, exactis, cum nullus jam omnino de Polycaonis poſteris ſuperſtes eſſet, Pauſan. *Meſſen.* p. 218. Perierem non Æoli, ſed Cynortæ filium, Amyclæ nepotem fuiſſe multi prodiderunt, Apollod. *l.* I. p. 22. β. Ad Perierem veniſſe ajunt Melaneum virum arcu & ſagittis præſtantem, quique ob ejus artis excellentiam Apolline genitus credebatur: huic a Periere eam regionis partem attributam, quæ Carnaſium poſtea, tunc Oechalia dicebatur, accepto ab uxore Melanei nomine, Pauſan. *Meſſen.* p. 218. Perieris e Gorgophone Perſei filia, filii fuerunt Aphareus & Leucippus, idem *ibid.* Εἰσὶ δὲ οἱ λέγοντες Ἀφαρέα μὲν καὶ Λεύκιππον ἐκ Περιήρους γενέσθαι, τοῦ Αἰόλου, Apollod. *l.* III. p. 115. β.

Aphareus & Leucippus, patre mortuo, in Meſſenia regnarunt. Aphareus auctoritate ſuperior fuit: uxorem habuit Arenen, Oebali & Gorgophones filiam, adeo ut ſoror ex eadem matre eſſet Apharei. De illius nomine Arenen, quam condiderat urbem, appellavit. Idem Neleum Crethei F. Æoli nepotem patruelem ſuum, Peliæ ex Iolco minas fugientem domo ſua recepit, agrique partem maritimam ei aſſignavit. Idem Lycum Pandionis F. Ægei fratris metu Athenis profugientem quoque ſuſcepit, & ab eo Magnarum Dearum initia accepit, Pauſan. *Meſſen.* p. 218. 219. Apharei filii fuerunt Idas & Lynceus: quem Pindarus dixit οὕτως ὀξὺ ὁρᾶν, ὡς καὶ διὰ στελέχους θεᾶσθαι δρυῶνος, Pauſan. *Meſſen.* p. 219. Pindar. *Nem.* ode X. antiſtr. IV.

> Ἀπὸ Ταϋγέτου πεδαυ-
> γάζων ἴδεν Λυγκεὺς δρυὸς ἐν στελέχει
> Ἥμενον. κείνου γὰρ ἐπιχθονίων
> Πάντων γένετ᾽ ὀξύτατον
> Ὄμμα.

Vide infra Apollonii locum de Lyncei perſpicacitate. Piſum quoque Apharei filium fuiſſe, & Idam Neptuno genitum multos dixiſſe, ſcribit Apollodor. *l.* III. p. 114. β. Leucippo ex Philodice Inachi filia natæ fuerunt Hilaira & Phœbe, quas Dioſcuri raptas uxores duxerunt, & poſtea Arſinoe, quæ ab Apolline compreſſa, Æſculapium peperit, idem *ibid.* Alii Æſculapium Coronidis filium fuiſſe volunt: vide in *Epidauriis.*

Idas Apharei filius natu major & virtute præſtantior: filiam habuit Cleopatram ex Marpeſſa, Meleagro nuptam, Pauſan. *Meſſen.* p. 219. fuit vero Marpeſſa Eveni filia, Martis & Demonices, Agenoris filiæ, neptis, Pleuronis pronepotis: quam

Idas accepto a Neptuno alato curru rapuit, cum eam sibi Apollo despondisset: pater Evenus fugientem persequens Idam, cum assequi non posset, in fluvium Lycorman se præcipitavit, unde nomen fluvio inditum Eveni. Apollo vero Idæ in Messenia occurrit, & virginem illi aufert; pugnantes autem de puellæ nuptiis Jupiter diremit, data puellæ optione, eligendi utrum mallet virum: Ea verita ne anus facta ab Apolline desereretur, Idam virum elegit, Apollod. *l.* I. p. 16. *α. β.* Inscriptio Olympiaca apud Paus. *Eliac. pr.* p.321.

Ἴδας Μάρπησσαν καλλίσφυρον, ἥν οἱ Ἀπόλλων
Ἅρπασε, τὰν ἐκ ναοῦ ἄγει πάλιν οὐκ ἀέκουσαν.

Idas cum, in pugna adversus Dioscuros de pecore commissa, Castorem occidisset, ipse fulmine ictus periit, Lynceus vero a Polluce occisus fuit: vide in *Lacedæmoniis*. Pindar. *Nem.* od.x. epod. IV.

Πολυδεύκης —— ἐφορμα-
θεὶς δ' ἄρ' ἄκοντι θοῷ
Ἤλασε Λυγκέος ἐν πλευραῖσι χαλκόν.
Ζεὺς δ' ἐπ' Ἴδᾳ πυρφόρον
Πλᾶξε ψολόεντα κεραυνόν.

Idas & Lynceus expeditionis Colchicæ cum Jasone participes fuerunt, Apollon. *Argon.* l. I. v. 151. seq.

Οἵ τ' Ἀφαρητιάδαι Λυγκεὺς καὶ ὑπέρβιος Ἴδας
Ἀρήνηθεν ἔβαν, μεγάλῃ περιθαρσέες ἀλκῇ
Ἀμφότεροι. Λυγκεὺς δὲ ὀξυτάτοις ἐκέκαστο
Ὄμμασιν, εἰ ἐτεόν γε πέλει κλέος ἀνέρα κεῖνον
Ῥηϊδίως καὶ νέρθεν ὑπὸ χθονὸς αὐγάζεσθαι.

Nestor Nelei filius, tota Apharei domo, maribus omnibus consumptis, deleta, imperium Messeniorum adeptus fuit; iis exceptis, quibus Æsculapii liberi imperarunt; nam Æsculapii filios ad Ilium e Messenia venisse tradunt, & Æsculapium Arsinoes Leucippo natæ filium fuisse, & Machaonem Gereniæ sepultum, Pausan. *Messen.* p. 219. Μεσσήνη μὲν γὰρ Νέστορα παρέσχε, τὸν φρονιμώτατον ἁπάντων τῶν κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον γενομένων, Isocrat *Panathen.* Τὸ μὲν οὖν παλαιὸν οἱ ἀπὸ Νηλέως καὶ Νέστορος κατεῖχον αὐτὴν (Μεσσήνην) μέχρι τῶν Τρωϊκῶν χρόνων, Diodor. *l.* xv. p. 378. Messenen tempore Trojani belli Menelao paruisse, cum pars Laconicæ esset; & hoc argumento esse, quod Agamemnon Achilli se VII. urbes, quæ in Messene sitæ erant, daturum polliceatur:

Καρδαμύλην, Ἐνόπην τε, καὶ Ἱρὴν ποιήεσσαν,
Φηράς τε ζαθέας, ἠδ' Ἄνθειαν βαθύλειμον,
Καλήν τ' Αἴπειαν, καὶ Πήδασον ἀμπελόεσσαν.

Neque enim promissurum, quæ neque in sua, neque in fratris essent potestate, scribit Strabo *l.* VIII. p. 358. 359. Ἡ Μεσσήνη ὑπὸ Μενελάῳ ἦν, μέρος οὖσα τῆς Λακωνικῆς, Eustath. *in Iliad.* B. ex ipso Homero v. 582. Agamemnonis filium Orestem post Trojanum bellum, ejusque posteros Messenen possedisse, usque ad Heraclidarum reditum scribit Diod. *l.* xv. p. 378. Eam post obitum Menelai, cum ejus successores vires amisissent, in Nelidarum potestatem venisse, & Heraclidis redeuntibus Messeniorum καθ' αὑτοὺς τασσομένων Regem fuisse Melanthum, scribit Strabo *l.* VIII. p. 359. Alcmæonem & Pisistratum ab Heraclidis cum Doriensibus in Peloponnesum reversis e Messene expulsos fuisse, repetitumque quasi jure regnum, quod Hercules Pylo capta, regionem hanc apud Nestorem depositam reliquisset, scribit Paus. *Corinth.* p. 117. & *Messen.* p. 220. Nestoris ex Anaxibia Cratiei filia fuerunt liberi, Perseus, Stratichus, Arethus, Echephon, Pisistratus, Antilochus, Thrasymedes, Pisidice & Polycaste, Apollod. *l.* I. p. 24. *α. β.* Thrasymedis filius fuit Sillus, Silli Alcmæon: Pisistrati filius fuit Pisistratus, Pausan. *Messen.* p. 220. Periclymeni Nestoris fratris filius fuit Penthilus, Penthili Borus, Bori Andropompus, Andropompi Melanthus, Pausan. *Corinth.* p. 117. Nelidæ e Messene expulsi, Athenas commigrarunt: vide in *Atheniensibus.*

Orestes Agamemnonis F. ejusque posteri, post Trojani belli tempora, Messenen tenuere, usque ad reditum Heraclidarum, Diod. *l.* xv. p. 378.

Cresphontes Aristomachi filius, opera fratris Temeni, dolo in jaciendis sortibus usi, Messeniam sortitus fuit, Pausan. *Messen.* p. 220. Ἀπὸ δὲ ταύτης (a reditu Heraclidarum) Κρεσφόντης ἔλαχε τὴν Μεσσηνίαν μερίδα, καὶ οἱ ἀπὸ τούτου μέχρι τινὸς ἐβασίλευσαν αὐτῆς, Diodor. *l.* xv. p. 378. vide in *Doriens. Metrop.* Heraclidæ compererunt Messenen bello captam: Herculem enim bubus, quas ex Erythea abegerat, a Neleo & liberis ejus, præterquam a Nestore, spoliatum, eam armis occupasse, cæsis iis a quibus injuriam acceperat; Nestori vero tanquam depositum urbem tradidisse, quod existimaret hunc recte sapere, eo quod natu minimus existens delicti cum fratribus particeps non fuisset, Isocrat. *Archidam.* Fertilissima vero regio hæc fuit. Euripides apud Strabon. *l.* VIII. p. 366.

Κατάρρυτόν τε μυρίοισι νάμασι
Καὶ βουσὶ καὶ ποίμναισιν εὐβοτωτάτην,
Οὔτ' ἐν πνοαῖσι χείματος δυσχείμερον,
Οὔτ' αὖ τεθρίπποις ἡλίου θερμὴν ἄγαν.

Item:

Ἀρετῆς ἐχούσης μεῖζον, ἢ λόγῳ φράσαι.

Neque vero prisci Messenii a Doriensibus ejecti fuerunt: nam facile illi & novo Regi Cresphonti paruerunt, & Dorienses in agri partem receperunt, priorum contemptu Regum, qui ex Iolco fuerant. Cresphontes uxorem duxit Meropen Cypseli Regis Arcadum filiam: ac sibi quidem ac liberis regiam Stenycleri ædificavit, cum Perieri Andania, Aphareo Arene, Nestori Pylus regiæ fuerint. Paus. *Messen.* p. 220. 221. Ephorus narrat Cresphontem Messene potitum, eam in quinque partes divisisse, ita ut Stenyclarum sitam in media regione regiam sibi constituerit: & inde Hyamiten legatum Pylum ac Rhium misisse, Messenios omnes Juris Dorici participes facturum; Doriensibus vero id indigne ferentibus, mutato consilio solam Stenyclarum pro urbe habuisse, & in eam omnes Dorienses coegisse, Strabo *l.* VIII. p. 361. Cresphontem, quod populariter nimis plebem amplecteretur, potentiores occiderunt, liberosque ejus præter Æpytum, qui tum suo bono apud Cypselum maternum avum adhuc puer educabatur, Pausan. *Messen.* p. 220. 221. Μεσσήνιοι δ' εἰς τοῦτ' ἀσεβείας ἦλθον, ὥς' ἐπιβουλεύσαντες ἀπέκτειναν Κρεσφόντην τὸν οἰκιστὴν μὲν τῆς πόλεως, κύριον δὲ τῆς χώρας, ἔκγονον δ' Ἡρακλέους, αὐτῶν δὲ γεγενημένον ἡγεμόνα, Isocr. *Archid.*

Polyphontes etiam ex Hercule oriundus, occiso Cresphonte, Messeniis imperavit, & Meropen Cresphontis uxorem sibi nubere invitam coegit: sed ab Æpyto, cum hic jam adolevisset, ex insidiis occisus fuit, Apollodor. *l.* II. fin.

Æpytus, Cresphontis filius natu minimus, cum adolevisset, ab Arcadibus, & reliquis Doriensium Regibus, Aristodemi filiis & Ciso Temeni F. in regnum Messeniorum reductus fuit. Regnum adeptus, primum eos qui patrem interfecerant, quique cædis ejus auctores fuerant, ultus fuit: deinde conciliata sibi officiis nobilitate, plebe largitionibus delenita, eo honoris pervenit, ut Æpytidæ omnes ejus posteri appellarentur, cum priores Heraclidæ dicerentur, Paus. *Messen.* p. 221. Διαφυγόντες δὲ οἱ παῖδες αὐτοῦ (Cresphontis) τὰς κιν-

δόντος (occiso patre) ἱκέται κατέστησαν ταύτης τῆς πόλεως (Spartæ) ἀξιοῦντες τῷ τεθνεῶτι, καὶ τὴν χώραν διδόντες ἡμῖν. ἐπερόμενοι δὲ τὸν Θεὸν, κἀκείνου προστάξαντος δέχεσθαι ταῦτα, οὕτως ἐκτήσασθε τὴν χώραν, Isocrat. *Archidam.*

Glaucus Æpyti F. patri par fuit in omnes ordines officio & æquitate, Deorum vero cultu longe superior. Jovis enim in Ithomes montis vertice delubrum, cui præter eos qui Polycaonis & Messenes erant, nondum ulli a Dorienfibus honores habebantur, Glaucus effecit, ut & ipsis Doriensibus venerationi esset. Idem Machaoni Æsculapii F. primus Gereniæ rem divinam fecit, & Messenæ Triopæ filiæ solita Heroibus decerni munera dedicavit, Pauf. *Messen.* p 221.

Isthmius Glauci F. patris pietatem imitatus, Gorgaso & Nicomacho fanum Pheris erexit, idem *ibidem.*

Dotadas Isthmii F. ad cætera navalia, quæ tum Messenia habebat, unum Mothonæ munivit, idem *ibidem.*

Sybotas Dotadæ F. ut Reges Pamiso amni anniversaria sacra facerent, utque ante Magnarum Dearum initia, Euryto Melanei F. Oechaliæ parentaretur, instituit, idem *ibid.*

Phintas Sybotæ F. Eo regnante Messenii primum sacrum cum virorum choro in Delum miserunt: canticum prosodium, quo Deum salutarent, eos Eumelus docuit: & hæc certe carmina sola sunt, quæ Eumelum fecisse pro comperto habetur. Ejusdem Phintæ temporibus semina discordiarum, incertum qua ex causa, inter Messenios & Lacedæmonios exorta fuerunt. Lacedæmonii quidem ajunt, virgines suas in fanum Dianæ Limnatidis ad solennitatem missas a Messeniis violatas fuisse, Regemque Teleclum injuriam propulsare conantem, interemptum; ipsas vero virgines voluntaria morte dedecus redemisse, Pausan. *Messen.* p. 221. 222. Ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ (Μεσσήνιοι) ἐβιάσαντο, πεμφθείσας ἐπὶ τὴν ἱερουργίαν, καὶ τοὺς ἐπιβοηθοῦντας ἀπέκτειναν, Strabo *l.* VI. p. 257. Sed & hi sceleris auctores, cum pœnas dare Spartanis recusarent, cives suos adversæ factionis expulerunt: illi vero cum Macistum concessissent, Delphos miserunt ad expostulandum cum Apolline & Diana, quod ea uterentur fortuna, qui injuriam Diis factam vindicare conati essent: simul ad quærendum, ecquam rebus perditis salutem invenirent. Apollo vero eos se Chalcidensibus Rhegium migrantibus adjungere jussit, suæque sorori gratias agere: non enim periisse ipsos, sed exitium evitasse: alioquin una cum patria perituros, quam Spartani paulo post essent excisuri. Oraculo paruerunt Messenii: ideoque Rheginorum duces usque ad Anaxilaum semper de genere Messenio delecti fuerunt, Strabo *l.* VI. p. 257. Μετὰ δὲ τὴν ὕβριν οὐ διδόντων δίκας τῶν Μεσσηνίων, συστῆναί φασι τὸν πόλεμον, Strabo *l.* VIII. p. 362. Verum Messenii memorant, suis primoribus ad templum venientibus structas fuisse a Teleclo insidias: nam cum Messeniam Lacedæmonii propter agri bonitatem inprimis appeterent, disposuisse illum Spartanos imberbes in morem virginum ornatos cum pugionibus, qui illos ex improviso sedentes adorirentur. Ibi Messenios ad vim arcendam accurrisse, & cum Teleclo istos imberbes adolescentes occidisse: Lacedæmonios quidem, quod facinus esset publico consilio patratum, conscios a se profectam injuriam, nunquam cædis Regiæ pœnas expetisse, Pausan. *Messen.* p. 221. 222.

Antiochus & Androcles Phintæ filii. Iis regnantibus utriusque populi simultas in apertum bellum erupit, e tali causa. Polychares Messenius, cum cætera minime obscurus, tum vero Olympica palma nobilitatus, boves habuit, quas, cum iis alendis propria non sufficerent pascua, Spartano homini Euæphno in ipsius agro pascendas tradidit, ea mercede, ut fructus, qui e bubus perciperetur, esset particeps. At ille, fide quæstui posthabita, boves in Laconiam navibus traductas mercatoribus vendidit: ipseque inde nuncius ultro ad Polycharem venit, prædones excursione in eum agrum facta, extortaque sibi per vim præda, boves simul & bubulcos abegisse. Interea dum is fallaciter hoc Polychari persuadet, de bubulcis unus a mercatoribus fuga elapsus, Euæphnum ibi apud dominum deprehendit, eumque coram Polychare redarguit. Convictus is, cum pernegare non posset, supplex sibi ut ignosceret eum Polycharem ipsum, tum ejus filium oravit: indicavitque quanti boves venditæ essent, seque pretium repensurum, si Polycharis filius secum isset, pollicitus fuit. In Laconiam deductum adolescentem Euæphnus occidit. Cujus sceleris immanitate motus pater, Lacedæmonem ventitans ad Reges & Ephoros, de filii cæde assidue, multisque cum lacrymis ad tædium usque questus est, exposuitque quas ab eo homine, quem sibi hospitem adsciverat, cuique præ cunctis Lacedæmoniis crediderat, injurias accepisset. Verum cum eadem apud omnes magistratus iterando, nihil omnino ad sceleris ultionem profecisset, jam mentis parum compos, furorique suo nimio plus indulgens, sua spreta salute, in quemcunque incidisset Lacedæmoniorum, eum tanquam hostem morte mulctavit. Lacedæmoniis sibi Polycharem dedi postulantibus non dediderunt Messenii, quod sibi Euæphnus non fuisset deditus: auctor fuit hujus sententiæ Antiochus contra fratrem, dedendum Polycharem omnino censentem: eaque contentio eo evasit, ut ab utriusque factione arma caperentur. Sed brevis ea fuit dimicatio, Androcle ipso, & optimo quoque ejus partium interemptis, ab iis qui cum Antiocho erant numero multo superiores. Olymp. IX. an. 2. Præ se tamen tulere Messenii, velle se vel apud Argivos, qui utriusque civitatis essent consanguinei, vel in Amphictyonum Concilio, causam cognosci: vel rem eandem Areopagitarum sententiis committere, quod judicium illud de cæde apud Athenienses jam pridem fuerat constitutum. Verum eam bellandi causam non esse Lacedæmoniis, sed immodica dominandi cupiditate inflammatos, cum alios Græciæ populos, tum se quoque opprimere velle, Pauf. *Messen.* p. 222. seqq.

Euphaes Antiochi filius. Hujus regni initio Amphea capta a Lacedæmoniis, Messenii qui in urbe deprehensi sunt, omnes ad unum interfecti sunt, in ipsis cubilibus alii, alii, cum animadversa calamitate ad templa & aras Deorum confugissent, pauci omnino periculum effugerunt. Messenii ubi primum captam Ampheam cognoverunt ab iis, qui cladem effugerant, ex omnibus urbibus ad Regiam Stenyclerum convenerunt. Ibi vocato ad concionem populo, optimi quique primum, ac postremo Rex ipse exterritos hominum animos ob Ampheæ oppressionem, confirmarunt; non esse protinus de universi belli exitu ex isto adverso casu faciendum judicium, neque omnino esse ad id bellum gerendum, quam se, paratiores Lacedæmonios: illos quidem ad res bellicas longioris temporis adferre exercitationem; sibi vero necessitatem impositam ad excitandos ad virtutem animos acriorem. Causam præterea suam fore Diis ipsis favorabiliorem, cum & fines suos defenderent, & hostes ipsi nulla injuria lacessissent. His & aliis hujusmodi dictis, Concionem dimisit Euphaes, & exinde Messenios omnes in armis habuit: nam & tirones ad belli munia erudiendos curavit, & veteranum militem assidua exercitatione confirmavit

A Lacedæmonios urbes aliquot oppugnare aggressos, per irritos conatus multis acceptis vulneribus retrocedere coegit, ut postremo ab oppidorum oppugnationibus abstinerent, & solis incursionibus operam darent. Quibus par relaturi Messenii maritimos Laconiæ fines & quæ circa Taygetum erant arva omnia populati sunt. Quartus jam erat annus post captam Ampheam, cum Euphaes Messeniorum alacritati confisus, aperto Marte cum Lacedæmoniis confligere constituit. Imperatorem Cleonnin declaravit: equitibus Pytharato & Antandro præfectis. Nec detrectarunt Lacedæmonii certamen: post ancipitem pugnam nox diremit. B Prima luce, cum Euphaes pugnandi copiam non faceret, domum regressi sunt Lacedæmonii. Sequenti anno, senioribus Lacedæmoniis jusjurandum datum in memoriam juventuti revocantibus, exercitum eduxerunt. Reges Theopompus & Polydorus, provocatique ad pugnam Messenii, adversa acie in hostem contenderunt. Contra dextrum Lacedæmoniorum cornu, cui Theopompus præfuit, Antander & Euphaes: adversum sinistrum, quod Polydorus regebat, Pytharatus: in media acie contra Eurylcontem, Oiolyci filium, Theræ nepotem, Autesionis pronepotem, stetit Cleonnis. C Post cohortationes ducum, mutuasque utriusque agminis minas ac jactatas contumelias, ira & odio pene furentes exercitus congressi sunt: Regum quoque Theopompi & Euphais illustris fuit dimicatio. Dextrum cornu Lacedæmoniorum pulsum ab Euphae; sed lævum vicit, cæso Pytharato. Media utrinque acies æquo Marte pugnavit. Nox prælium diremit. Neuter populus victoriam sibi arrogavit. Messeniorum tamen res post eam pugnam multis cœptæ sunt affligi calamitatibus: primum quidem, quod immodica in urbium præsidia erogata pecunia, jam unde exercitum alerent non habuere: deinde & servitia ad Lacedæmonios perfugerunt: postremo pesti morbus similis, D quamquam non in omnes grassabatur, magnam tamen rebus perturbationem attulit. Consulentibus de summa rerum placuit pleraque, quæ in meditullio sita essent, oppida deserere, & in Ithomen montem secedere: ubi parvum erat oppidum, cujus mentionem fecisse Homerum ajunt, cum scribit *Iliad*, B. v. 729.

Καὶ Ἰθώμην κλωμακόεσσαν,

(Strabo *l.* IX. p. 437. intelligit de Ithome Estiæotidis) In eo oppido, (pomærio diducto, quantum E satis erat multitudini quæ illuc convenerat) confidentes, Delphos miserunt Tisin Alcidis filium qui de belli exitu Oraculum consuleret. Eum Delphis redeuntem Lacedæmoniorum, qui Ampheæ præsidio erant, aliqui adorti, cum capere non possent, se defendentem, non ante dimiserunt vulneribus multis confectum, quam audita vox fuit, *Τὸν χρησμοφόρον μέθες*. Atque ille reversus, responso Regi exposito, paulo post e vulneribus mortuus fuit. Convocatis in concionem Messeniis Euphaes oraculum recitat:

Κούρην ἄχραντον νερτέροισι δαίμοσι,
F *Κλήρῳ λαχοῦσαν Αἰπυτιδῶν ἀφ' αἵματος,*
Θυηπολεῖτε νυκτέραισιν ἐν σφαγαῖς.
Ην δ' ἐσφαγῇ τε, καὶ παρ' Ἄλλοις, τότε
Θύειν, διδόντας ἐς σφαγὴν ἑκουσίως.

Oraculi voce audita, virgines statim omnes ex Æpytidarum familia sorti commissæ. Cumque Lycisci filia ducta fuisset, eam Epebolus vates sacrari vetuit, quod diceret, non esse e Lycisco genitam, verum uxorem Lycisci eam sibi, cum sterilis esset, supposuisse. Interea dum Vates hæc ad populum agit, Lyciscus cum puella Spartam profugit. Tum Aristodemus, & ipse ex eadem Æpytidarum gente, vir & rebus aliis, & virtute bellica Lycisco clarior, ultro filiam immolandam obtulit: eam Messenius civis forte amavit, & propediem erat uxorem ducturus. Hoc itaque acriter negante, quæ sibi desponsa esset, eam in patris potestate amplius non esse, sed sibi sponso jus in eam omne esse, imo, cum hac ratione nihil proficeret, impudenter affirmante vitiatam a se puellam, jamque gravidam esse, eo furoris impulsus fuit ista pertinacia Aristodemus, ut filiam statim occiderit, excisoque ejus utero, omnibus plane ostenderit, non fuisse prægnantem. Epebolo deinde jubente aliam devoveri, (quod ex Aristodemi filia a patre occisa nihil commodi esset, quod diis, quibus Pythia jusserat, immolata non esset) parum abfuit quin ille puellæ procus a populo, impetu facto, interficeretur. Sed Euphaes, pro amicitia quæ cum illo sibi erat, populo persuasit oraculo satisfactum esse, mactata Aristodemi filia: cui sententiæ vehementer assensi sunt Æpytidæ omnes, suis filiabus metuentes. Ad sacra deinde & festos ludos omnes conversi. Anno sexto post Lycisci ex Ithome fugam iterum pugnatum est a Messeniis contra Lacedæmonios, non exspectatis sociorum auxiliis, fiducia oraculi. Pugnantes lux defecit. Euphaes audacius quam Regem decebat, & intemperantius in Theopompi cohortem invectus, vulnera multa, eaque lethalia accepit. Euphais casus & pugnæ tempus produxit, & utriusque exercitus virtutem incendit: illis humi stratum & paululum adhuc spirantem ad se rapere conantibus; his Regem suum, etiam morte sua, defendentibus. Cecidit illic quoque Antander. Euphaes in castra relatus, paululumque recreatus, suos e certamine non inferiores discessisse sensit: paucis vero post diebus e vita excessit, exactis XIII. in regno annis, quibus omnibus contra Lacedæmonios bellum gessit. Mortuus sine liberis, regnum populi arbitrio permisit, Pausan. *Messen.* p. 225. seqq.

Aristodemus regnum, mortuo Euphae, obtinuit: adversantibus Epebolo & Ophioneo vatibus, & negantibus Æpyti & ejus posterorum imperium homini filiæ suæ cæde polluto esse decernendum. Contenderunt etiam cum eo Cleonnis & Damis, quod eo se, cum cætera vitæ dignitate, tum rebus bello gestis, longe præstantiores putarent. Regnum autem adeptus suis in omnes ordines meritis, tam plebis, quam optimatum studiosissimus fuit: inprimis Cleonnin & Damin quovis honore dignatus est. Idem socios studiose coluit, per legatos Arcadum, Argivorum & Sicyoniorum primoribus missis muneribus. Cum autem primis illius regni annis bellum inter Lacedæmonios & Messenios, excursionibus in hostilem agrum sub ipsa messis tempora utrinque factis, gestum fuisset, quinto regni anno acie certatum fuit. Lacedæmonios ex omnibus Peloponnesiis soli Corinthii juvere. Messeniis auxilio venere Arcades cum universo exercitu, & Argivorum ac Sicyoniorum lectissimi quique. Eo prælio victi Lacedæmonii, ingenti accepta clade, Delphos miserunt consulendi gratia: iis hoc datum fuit oraculum:

Οὔ σε μάχης μόνον ἔργ' ἐφέπειν χερὶ Φοῖβος ἄνωγεν,
Ἀλλ' ἀπάτη μὲν ἔχει λείαν Μεσσηνίδα λαός,
Ταῖς δ' αὐταῖς τέχναισιν ἁλώσεται, αἷς περ ὑπῆρξεν.

Reges ergo & Ephori ad astum conversi, centum homines publico decreto per speciem damnatos Ithomen miserunt, perfugas se simulantes, hostium consilium speculaturos. Iis Aristodemus, fraude cognita, respondit: *Λακεδαιμονίων τὰ ἀδικήματα*

καὶ ἀεὶ εἶναι, τὰ δὲ σοφίσματα ἀρχαῖα. Lacedæmonii, ubi id non successit, socios Messeniorum ab ipsis abducere conati sunt: quod & frustra fuit. Aristodemus, cognitis Lacedæmoniorum conatibus, & ipse ad Oraculum misit: a quo hoc responsum tulit:

Κῦδός σοι πολέμοιο διδοῖ θεός. ἀλλ' ἀπάτῃσι
Φράζευ, μὴ Σπάρτης δόλιος λόχος ἐχθρὸς ἀνέλθῃ
Κρείσσων. εἰ γὰρ Ἄρης κείνων εὐήρεα τεύχη,
Καὶ τε χορῶν στεφάνωμα πικρὸς οἰκήτορας ἕξει.
Τῶν δύο συντυχίαις κρυπτὸς λόχος ἐξαναδύντων,
Οὐ πρόσθεν δὲ τέλος π... ἱερὸν ἦμαρ,
Πρὶν τὰ πάραλλα φύσιν τὸ πάροιθε χρεὼν ἀφίκηται.

Rursus anno belli vigesimo ad Oraculum de eventu belli mitti placuit: responsum hoc datum:

Τοὺς τρίποδας περὶ βωμὸν Ἰθωμάτα Διὶ πρώτοις
Στήσασι δεκάδας δὶς πέντε, δίδωσι
Σὺν κύδει πολέμου γαῖαν Μεσσηνίδα δαίμων.
Ὡς γὰρ Ζεὺς ἐπένευσεν, ἀπάτη δέ σε πρόσθε τίθησιν,
Χ' ὤπισθεν τίσις ἐστὶ, θεὸν δ' οὐκ ἂν ἐξαπατήσῃς.
Ἔρδ' ὅπη σοι τὸ χρεών. ἄτη δ' ἄλλοισι πρὸ ἄλλων.

Eo oraculo victoriam sibi promitti Messenii interpretati sunt, eo maxime, quod cum ipsi intra muros Ithomatæ Jovis ædem haberent, nullo pacto viderentur posse Lacedæmonii priores dedicare tripodas. Ligneos certe tripodas faciendos curarunt, quod ad æneos pecunia non suppetebat. Sed antequam illi dedicarentur, Oebalus quidam Lacedæmonius, voce Oraculi etiam Spartæ cognita, tripodas centum e luto finxit, eosque in peram abditos, venatoris ornatu, Ithomen cum agresti turba ingressus, nocte superveniente dedicavit. Re comperta Messenios vehementer commotos, quod se Lacedæmoniorum astu delusos animadverterent, Aristodemus & oratione, quam res tempusque ferebat, & statuendis, qui jam confecti fuerant, ligneis tripodibus ad Jovis aram, lenivit. Sed Messenios futuræ calamitatis prodigia, quæ multa evenere, admonuerunt, quale & hoc quod vates Ophioneus, qui a primo ortu cœcus fuerat, visum receperit, postquam ingenti capitis dolore laborasset: sed mox videre desierit, oculis ut ab initio captus. Huc interpretati sunt oraculum, per τοὺς δύο ἐξαναδύντας ἐκ τοῦ λόχου, καὶ ἐς τὸ χρεὼν αὖθις ἐλθόντας, oculis Ophionei intellectis. Sed & Aristodemus viso per quietem exterritus, partim domesticam calamitatem animo reputans, quod filiam frustra interemisset; partim nullam salutis patriæ spem esse videns, ad filiæ sepulcrum se jugulavit. Regnavit annos sex, & aliquot amplius menses, vir, quantum humano consilio, patriæ salutaris, sed cujus acta consultaque omnia Fortuna eluserit, *Messen.* p. 235. seqq.

Damis, mortuo Aristodemo, non Rex, sed Imperator cum potestate summa surrogatus fuit. Is collegas sibi Cleonnin & Phylea cooptavit. Belli ejus annus vigesimus jam pene exactus erat, ducibusque omnibus & optimis quibusque civibus amissis, cum menses prope quinque obsidionem Messenii sustinuissent, tandem Ithomen deseruere, Olymp. XIV. an. I. Tyrtæus:

Εἰκοστῷ δ' οἱ μὲν κατὰ πίονα ἔργα λιπόντες,
Φεῦγον Ἰθωμαίων ἐκ μεγάλων ὀρέων.

Messenii, quibus vel Argis, vel Sicyone, vel in Arcadia hospitia fuerunt, in eas urbes delapsi sunt Eleusinen migrarunt, qui e sacris familiis oriundi, Magnarum Dearum initiis præerant: reliqua multitudo, in suas se quisque priscas sedes receperunt Lacedæmonii, Ithome solo æquata, reliquas urbes facile expugnarunt. Agri Messenici partem Asinæis, quos Argivi ante ejecerant, assignarunt Androclis filiæ ejusque liberis, qui Androcle occiso Spartam confugerant, Hyamiam dederunt. Messenii ita a Lacedæmoniis habiti sunt: ut primum omnium jurejurando adigerentur, nunquam a Lacedæmoniis defecturos, nec rerum novarum quicquam molituros: deinde ex omnibus arationibus dimidiam frugum partem Spartam deportarent, nihil annui stipendii præterea penderent: porro viri pariter & mulieres in pulla veste Regum & Optimatum funera prosequerentur: pœna iis constituta, qui imperata non fecissent. Tyrtæus:

Ὥσπερ ὄνοι μεγάλοις ἄχθεσι τειρόμενοι,
Δεσποσύνοισι φέροντες ἀναγκαίης ὑπὸ λυγρῆς
Ἥμισυ πάνθ' ὅσσων καρπὸν ἄρουρα φέρει.
Δεσπότας, οἰμώζοντες ὁμῶς, ἄλοχοί τε καὶ αὐτοί
Εὖτέ τιν' οὐλομένη μοῖρα κίχοι θανάτου.

Pauf. *Messen.* p. 241. 242. Ælian. *Var. Hist.* lib. VI. cap. I. Ithome expugnata Alcidamidas Rhegium commigravit, Pausan. *Messen.* p. 260.

Messenii, cum annos integros triginta octo Lacedæmoniorum sustinuissent dominatum, defectionis inierunt consilia. Acerrimi erant juvenes rerum novarum auctores: illi quidem omnium belli artium imperiti, sed ea animi elatione, ut cadere mallent, liberam nacti patriam, quam servitutem rerum omnium copiis circumfluentes perferre. Educta jam juventus erat Messeniis, cum in aliis locis, tum vero numero & robore præstantissima Andaniæ: eminebat vero inter omnes Aristomenes Nicomedis (vel ut vulgo Græci ajunt Pyrrhi) filius, qui apud Messenios postea inter Heroas cultus fuit, creditusque e Genio vel Deo quodam, qui cum Nicotelea matre draconis forma concubuerat, conceptus. Hic ætate atque animis vigens una cum aliis optimatibus defectionis auctor fuit: missisque ad Arcades & Argivos nunciis, promptos ad faciendam societatem animadvertit. Omnibus ad bellum comparatis, defecerunt Messenii a Lacedæmoniis anno undequadragesimo post Ithomes excidium. Olymp. XXIII. an. 4 Anno post defectionem primo, ad Deras Messeniæ vicum, signa collata: neutris a sociis auxilia venerant: neque utri vicerint eo prælio perspicuum est, Pausan. *Messen.* p. 242. seqq.

Aristomenes Nicomedis filius, cum superiore prælio facinora multo majora, quam pro unius viri captu, edidisset, post pugnam statim Rex salutatus fuit: erat enim ex Æpytidarum genere. Sed cum regnum recusasset, Imperator cum summa potestate declaratus fuit. Anno uno ferme post prælium ad Deras, rursus ad Caprusema, Messeniæ vicum, pugnatum fuit, ducibus Anaxandro & Aristomene: illo Lacedæmoniorum, hoc Messeniorum. Messeniis auxilia miserant Elei, Arcades, Argivi, Sycyonii. (& Pisatæ duce Pantaleone Omphalionis F. Strabo *l.* VIII. p. 362.) Aderant, qui e Messenia sponte profugerant, etiam ab Eleusine Orgiorum antistites, Androclis præterea nepotes, Phintas & Androcles. Lacedæmoniis præsto fuere Corinthii, & e Lepreatis nonnulli. Vates erat Lacedæmoniis Hecatus, ex illo Hecato oriundus, qui cum Aristodemi filiis Spartam reverterat: Messeniis Theoclus ex Eumantide, qui a Cresphonte, quod Eleus de genere Jamidarum esset, Messenen adductus fuerat, oriundus. Tyrtæus & Magnarum Dearum antistites extremos sui quique agminis cohortationibus ad pugnandum accendebant. Fusa eo prælio tota Laced. acies, virtute imprimis Aristomenis ac audacia, terribiliore, quam ut unius hominis ea videri posset. Cladesque ea ita perculit Spartanos, ut ad finem belli spectarent, nisi Tyr-

tæus de ſententia ſuis elegis deduxiſſet: qui etiam A milites, qui in cohortibus deſiderabantur, habito de Hilotis delectu ſupplevit. Ariſtomenem Andaniam reverſum matronæ, tum aliis ornamentis, cum hoc carmine exceperunt:

Ες τε μέσον πεδίον Στενυκλήριον, ἔς τ' ὄρος ἄκρον
Εἵπετ' Ἀριστομένης τοῖς Λακεδαιμονίοις.

Ariſtomenes deinde oppidum Laconicum Pharas (Homerus Φάρη vocat) vi cepit, eoque direpto, dum in Meſſeniam cum luculenta præda redit, Anaxandrum Regem Spartanum, cum armatorum globo irruentem, in ipſa via iterum in fugam vertit: ſed jaculo natium altera trajecta a perſequendo deſtitit, cum nihil de præda amiſiſſet. B Curato poſtea vulnere, cum ipſam Spartam adoriri in animo haberet, objecta per viſum Helenæ & Dioſcurorum ſpecie deterritus fuit. Anno belli tertio iterum pugna commiſſa ad Magnam Foſſam, prodente Ariſtocrate Arcadum ſociorum duce, pecunia a Lacedæmoniis corrupto, victi fuerunt Meſſenii, & qui ante de ſervis ſe domi nos Lacedæmoniorum futuros ſperarant, jam ne ſalutis quidem ſpem reliquam ullam retinuerunt. Occubuere in eo prælio Androcles, Phintas, & C Phanas, qui in Olympiade ſtadio vicerat, Ariſtomenes prælii reliquias collegit, relictaque Andania cum oppidis in meditullio ſitis, in Iram montem ſe recepit, illicque obſidionem hoſtium annos XI. ſuſtinuit. Rhianus:

Οὔρεος ἀργεννοῖο περὶ πτύχας ἐστρατόωντο,
Χείματα καὶ ποίας τε δύω καὶ εἴκοσι πάσας.

Interea Ariſtomenes non magis e Laconico, quam e Meſſenico agro prædam egit, fruges, vinum, pecus, quæ abſumebat: mancipia cum ſupellectile, quæ dominis æſtimata reddebat. Ea agro- D rum direptione cum coacti Lacedæmonii edicto caviſſent, ne colerentur, durante bello, agri Meſſenici, & Lacedæmonii partes, indeque primum egeſtas frugum & deinde ſeditio orta eſſet, Tyrtæus Spartanorum fremitum compreſſit. Amyclas etiam noctu cepit ſubito impetu ac diripuit, priuſquam ſe ad ſuos recepit, quam e Sparta ſubſidium mitti poſſet. Excurſionibus deinde perpetuis hoſtilem agrum infeſtum reddidit, donec a Lacedæmoniis numero longe vincentibus, utroque Rege præſente, prælio commiſſo, multis acceptis vulneribus, vertigine correptus, caligantibus ocu- E lis, capite lapidis ictu percuſſo, captus, cum aliis quinquaginta, pertraheretur. Ibi præcipitati in Ceadam, periere omnes, præter unum Ariſtomenem, qui mirabili fortuna uſus, & vulpeculam, quæ per foramen aliquod in ſpecum ingreſſa, cadavera depaſcere ſolebat, exeuntem ducem ſecutus, evaſit. Elapſus miſſa a Corinthiis auxilia ad Iram oppugnandam, noctu, cum dormirent, adortus, & alios complures, & eorum duces Hypermenidem, Achladæum, Lyſiſtratum, & Idectum occidit, ac mox caſtrorum prætorium diripuit. Fecit poſthac Ariſtomenes Jovi Ithomatæ ſacrum, quod ἑκατομφόνια vocant, antiquitus in- F ſtitutum, ut ab iis fiat, qui in pugna centum hoſtes occidiſſent. Atque ter omnino hæc ſacra fecit Ariſtomenes: primum poſt prælium ad Caprufema: deinde cæſis nocturno impetu Corinthiis: tertio factis excurſionibus aliis. (vide Euſeb. *Præ par. Evang.* lib. IV cap. XVI. p. 157.) Cretenſes Sagittarii, dum ob Hyacinthia Spartani cum Meſſeniis inducias habebant, in agro Meſſenico vagabantur; ab his Ariſtomenes, induciarum fiducia, longius ab Ira progreſſus, captus fuit: ſed beneficio puellæ cujuſdam, (ad cujus matrem eum vinctum pertraxerant Cretenſes) largius vinum fundentis Cretenſibus cuſtodibus, elapſus fuit, jugulatis cuſtodibus ſomno vinoque ſepultis. Olymp. XXVIII. an. I. Undecimo tandem anno obſidionis Ira expugnata fuit, nocte pluvia eam invadentibus Spartanis, & negligenter cuſtodias obeuntibus Meſſeniis. Oraculum ſciſcitantibus Meſſeniis hoc datum fuerat:

Ες τε τράγος πίνῃσι Νέδης ἑλικόρροον ὕδωρ,
Οὐκ ἔτι Μεσσήνην ῥύομαι· σχεδόθεν γὰρ ὄλεθρος.

Fluvius autem Nedæ per Arcadas lapſus, verſo in Meſſeniam alveo, Meſſeniorum & Eleorum fines maritimos dividit. Per τράγον vero intellexit oraculum, non hircum animal, ſed caprifici ſtirpem, quam Græci plerique ὄλυνθον, Meſſenii τράγον vocarunt. Eoque forte tempore caprificus in Nedæ ripa enata, in amnem prona inclinans, cum non in ſublime creviſſet, extremis jam frondibus aquam contingebat. Quod ubi a Theoclo vate didicit Ariſtomenes, civitatis ſuæ perniciem jam non ultra differri poſſe ratus, ſacra quædam Meſſeniorum operta, (quæ abolita, ſpem omnem Meſſeniis iterum emergendi tollerent, ſervata, iiſdem redivivum imperium pollicerentur e Lyci Pandionis F. vaticiniis) noctu egreſſus in maxime devia ac deſerta Ithomæ parte defodit. Nec multo poſt capta Ira fuit, poſtquam Meſſenii cum Ariſtomene tertium jam diem in urbe hoſtem ſuſtinuiſſent, fœminis etiam patriæ, quantum in ipſis erat, opem ferentibus. De Iræ excidio Bacis prædixerat hoc carmen:

Οἵ τ' ἀπὸ Μεσσήνης παταγῷ χρυσοῖς τε δαμείσης.

Urbe autem expugnata, Meſſeniorum quotcunque relicti ſunt, neque cum Ariſtomene in Arcadiam evaſerant, eos Lacedæmonii in Hilotarum numerum retulerunt. Pylii vero & Mothonæi, quique Meſſenici nominis mare accolebant, claſſibus ſe Cyllenen (Eleorum id navale eſt) receperunt, atque inde in Arcadiam ad populares ſuos contenderunt, quo communi claſſe & conſilio novas ſibi terras ac ſedes quærerent. Ariſtomenes Delphos conſulendi cauſa profectus fuit. Eodem tempore illuc venerat Damagetus Rhodius, Rex Jalyſi: ei Pythia ſciſcitanti, unde uxorem duceret, reſpondit, ejus ducendam filiam, qui vir eſſet Græcorum optimus. Virgo filia erat Ariſtomeni: (duas jam nuptum locarat, majorem natu Damothoidæ Lepreatæ, minorem Theopompo Heræenſi) eam Damagetus ſibi adſcivit conjugem: quam pater ipſe in Rhodum ad virum deduxit. Illic mortuo Ariſtomeni, auctore Damageto, Rhodii inſigne monumentum erexere, atque exinde honores tribuerunt. Damageti ex filia Ariſtomenis filius fuit Dorieus, pater Damageti, qui filium habuit Diagoram. Meſſeniorum ager omnis, præter Aſinæorum fines, inter Lacedæmonios diviſus fuit: Mothonæ Nauplienſibus ab Argivis patria paulo ante pulſis tradita, Pauſan. *Meſſen.* p. 243. ſeqq. uſque ad 262.

Meſſenios patria extorres non tantum ſuſceperunt Arcades & civitate donarunt; ſed etiam filias ſuas eorum puberibus elocare decreverunt. Adhæc facta inquiſitione ſuper Regis Ariſtocratis proditione in pugna ad Taphrum, & ipſum necarunt, & univerſum ipſius genus extinxerunt. Meſſenii vero ad Jovis Lycæi aram, temporibus Ariſtomenis, columnam dedicarunt, in qua, teſte Calliſthene, hoc Epigramma inſculpſerunt:

Πάντως ὁ χρόνος εὗρε δίκην ἀδίκῳ βασιλῆϊ,
Εὗρε δὲ Μεσσήνης σὺν Διὶ τὸν προδότην
Ῥηϊδίως. χαλεπὸν δὲ λαθεῖν θεὸν ἄνδρ' ἐπίορκον.
Χαῖρε Ζεῦ βασιλεῦ, καὶ σάου Ἀρκαδίαν.

Polybius lib. IV. p. 301.

Ariſtomenem in poteſtatem Lacedæmoniorum veniſſe, ac ab iis diſſectum fuiſſe, refert Stephanus *in* Ανδανία his verbis: Εκ ταύτης (Ανδανίας) Αριςομένης ἐγένετο, ἐπιφανέςατος ςρατηγός. τοῦτον οἱ Λακεδαιμόνιοι πολλάκις αὐτοὺς νικήσαντα θαυμάσαντες, ὡς μόλις ἐκράτησαν ἐν τῇ Μεσσηνιακῇ, ἀνατεμόντες ἐσκόπουν, εἰ παρὰ τοὺς λοιποὺς ἐςί τι. καὶ εὗρον σπλάγχνον ἐξηλλαγμένον, καὶ τὴν καρδίαν δασεῖαν, ὡς Ηρόδοτος, καὶ Πλούταρχος, καὶ Ριανός. Plin. lib. XI. c. XXXVII. Ariſtomenem Meſſenium, qui CCC. occidit Lacedæmonios: ipſe convulneratus, & captus ſemel per cavernam latomiarum evaſit, anguſtos vulpium aditus ſequutus. Iterum captus ſopitis cuſtodibus ſomno, ad ignem advolutus lora cum corpore exuſſit. Tertio capto Lacedæmonii pectus diſſecuere cauſa videndi, hirſutumque cor repertum eſt.

Meſſenii, qui in Arcadiam profugerant, illic conſediſſe videntur uſque ad Olympiadem LXXII. vel circiter: quo tempore ab Anaxilao Rhegii Tyranno in Italiam arceſſiti, ac ab eodem in Siciliam traducti, Zanclæis, terreſtri a ſe, navali ab Anaxilao, certamine victis, Zanclen urbem occuparunt, & de ſuo nomine Meſſenem appellarunt. Quod vero ſcribit Pauſanias *Meſſen.* p.259 261. vere ineunte poſt Iram expugnatam Meſſenios in Italiam accitos, ducibus Gorgo Ariſtomenis filio & Manticlo, illuc profectos fuiſſe, & Zanclam, ductu Anaxilai, cepiſſe Olympiade XXIX. omnino in rationem temporum offendit, cum inter Iram captam & Anaxilai dominatus finem intervallum ſit Olympiadum XLVIII. nam Anaxilaum bellis Perſicis vixiſſe ex Herodoto & Thucydide conſtat, mortuumque eum poſt XVIII. annorum dominatum anno I. Olymp. LXXVI. ſcribit Diodor. lib. I. pag. 37. Præterea Zanclæos a Meſſeniis expulſos, Samios ac Mileſios fuiſſe Medorum fugientes imperium conſtat: quomodo ergo inde ejici potuerunt, quo non niſi poſt XL. Olympiadas venerant? quæ miror Scaligerum in his accuratiſſimum non animadvertiſſe, cum Olymp. XXX. Zanclam a Meſſeniis occupatam ſcribit *Animadv. in Euſ. b.* p 21. b.

Meſſenii in patria relicti, & in Helotarum numerum relati, defecerunt iterum a Lacedæmoniis circa Olympiadem LXXIX. Annorum numerus in Pauſan. *Meſſen.* pag. 262. corruptus eſt, quem ita reſtituo: Κατὰ τὴν ἐννάτην Ολυμπιάδα καὶ ἑβδομηκοστὴν, (pro εἰκοστὴν) ἣν Κορίνθιος ἐνίκα Ξενοφῶν, Αρχιδημίδου (pro Αρχιμήδους) Αθήνησιν ἄρχοντος. Sic enim Diodor. ἐπ' Αρχοντος δ' Αθήνησιν Αρχιδημίδου —— Ολυμπιὰς δ' ἤχθη ἑβδομηκοστὴ ἡ ἐννάτη, καθ' ἣν ἐνίκα ςάδιον Ξενοφῶν Κορίνθιος. Neque tamen hic Meſſeniorum defectionem in LXXIX. Olymp. ſed in LXXVII. Olymp. annum quartum conjicit. Οἱ Εἵλωτες αὐτοῖς (Lacedæmoniis) καὶ τῶν περιοίκων Θουριᾶταί τε καὶ Αἰθιεῖς ἐς Ιθώμην ἀπέςησαν. πλεῖςοι δὲ τῶν Εἱλώτων ἐγένοντο οἱ τῶν παλαιῶν Μεσσηνίων τότε δουλωθέντων ἀπόγονοι, ᾗ καὶ Μεσσήνιοι ἐκλήθησαν οἱ πάντες, Thucyd. lib. I. p. 66. Deficiendi tempus opportunum, cum antea majeſtas, & potentia Spartæ ipſos in officio continuiſſet, nacti fuerunt, cum ingens terræ motus urbi magnam vaſtitatem induxiſſet: fuitque ipſorum primum conſilium, ut urbem defenſoribus vacuam occuparent; ſed poſtquam hunc conatum Archidami Regis virtus & prudentia eluſerant, Ithomen occuparunt, & inde agrum Laconicum populationibus infeſtum reddiderunt, Diodor. lib. II. pag 48. Adverſus eos Lacedæmonii omnia ſociorum auxilia, & cum Athenienſium copiis Miltiadæ filium Cimonem, publice ſibi amicum & hoſpitem, acciverunt. Lacedæmonii vero, cum oppidum Ithome per vim non caperetur, metuentes Athenienſium audaciam, & promptum ad res novandas ingenium, ſimul illos alienigenas eſſe rati, ne quid novi molirentur, ab iis, qui Ithomæ erant, impulſi, ſolos ſociorum dimiſerunt, Thucyd. lib. I. pag. 66. 67. Pauſan. *Meſſen.* pag. 262. Aimneſtus vir inter Spartanos eximius ad Stenyclerum cum omnibus Meſſeniis conflixit, ipſe tantum trecentos milites habens, quibus cum omnibus etiam occubuit, Herodot. lib. IX. pag. 606. Meſſeniis porro ſaluti fuit, & loci natura, & quod Pythia Lacedæmoniis prædixiſſet, grave piaculum admiſſuros, ſi Jovis Ithomatæ ſupplices violaſſent. Cum ergo tandem, anno decimo, ſe dedidiſſent, iis conditionibus dimiſſi ſunt, ut fide publica freti e Peloponneſo excederent, nec unquam amplius in eam redirent: quod ſi quis in eam reverſus caperetur, ejus, qui cepiſſet, ſervus eſſet. Egreſſos cum uxoribus & liberis Athenienſes exceperunt, & Naupactum Locris Ozolis nuper ademptum illis, Lacedæmoniorum odio tradiderunt incolendum, Thucyd. lib. I. pag. 67. Pauſan. *Meſſen.* pag. 262. Atque hic tertii belli finis fuit, quo Meſſenii Peloponneſo exceſſerunt. Neque niſi tria bella Meſſenica fuiſſe memorant Diodorus Sicul. lib. XV. p. 378. 379. & Pauſanias: at Strabo lib. VIII. p. 362. Επὶ μὲν οὖν τοῦ Τυρταίου ὁ δεύτερος ὑπῆρξε πόλεμος. τρίτον δὲ καὶ τέταρτον συςῆναί φασιν, ἐν ᾧ κατελύθησαν οἱ Μεσσήνιοι.

Meſſenii Naupacto potiti, Oeneadas Acarnanum gentem, urbe obſeſſa, & dejecta muri ejus parte, metu perculerunt, ut urbe, & agro Meſſeniis cederent. Sed ſequenti anno totis Acarnanum viribus oppugnati Meſſenii, urbe relicta iterum ſe Naupactum receperunt, Pauſan. *Meſſen.* p. 262. 263. 264.

Meſſenii in omne poſterum tempus magno ac pertinaci odio in Lacedæmonios laborarunt, quod inprimis belli Peloponneſiaci temporibus præ ſe tulerunt. Nam & Naupactum copiarum receptaculum, unde in Peloponneſum incurſiones fierent, Athenienſes habuerunt: & oppreſſos ad Sphacteriam Spartanos, Meſſeniorum e Naupacto funditores una cum Athenienſibus e medio ſuſtulerunt, Pauſan. *Meſſen.* p. 264. Cumque Pylo captæ præſidium impoſuiſſent Athenienſes, Meſſenii, qui Naupacti erant, illuc, ut in patriam, e ſuorum civium numero miſſis, qui maxime idonei erant, agrum Laconicum latrociniis infeſtarunt, maximiſque maleficiis affecerunt, quod eadem lingua uterentur, Thucyd. lib. IV. p 280.

Meſſenii, victis Athenienſibus ad Ægoſpotamos, a Lacedæmoniis navali prælio victi, & Naupacto mox pulſi, partim in Siciliam, partim Rhegium, ad ſuos propinquos profugere: magna pars ad Eueſperitas Libyæ populos, qui a Barbaris vicinis bello preſſi, in civitatum ſuarum communionem omnes Græci nominis arceſſebant, profecti ſunt, duce Comone, eodem, quo ad Sphacteriam uſi fuerant, Pauſan. *Meſſen.* p. 264. 265. Καί τινες μὲν αὐτῶν εἰς Κεφαλληνίαν ἐξέπεσον, τινὲς δ' ἐν Σικελίᾳ Μεσσήνην τὴν ὑπ' ἐκείνων ὀνομασθεῖσαν κατῴκισαν, Diodor. lib. XV. p. 379.

Meſſenii poſt pugnam Leuctricam, per Legatos in Italiam, Siciliam, Eueſperitas miſſos, a Thebanis in patriam revocati, raptim, cum priſtinæ patriæ deſiderio, tum Spartanorum ſempiterno odio incitati, univerſi concurrerunt. Olympiad. CII. ann. 3. Auſpiciis Epaminondæ Thebani tum primum urbem Meſſenen condiderunt, eo in loco, quo Epiteles, Æſchinis filius, Argivus imperator, æneam urnulam effoſſa terra offendit, quæ erat illa, quam Ariſtomenes defoderat, in qua volumen erat ex albo plumbo in tenuiſſimas laminas ſparſo, libri forma, in quo ſcripta erant

Magnarum Dearum Orgia. Restituerunt & alia oppida. Bacidis de Messeniorum reditu hoc vaticinium fuit:

Καὶ τότε δὴ Σπάρτης μὲν ἀπ' ἀγλαὸν ἄνθος ὀλεῖται,
Μεσσήνη δ' αὖθις οἰκήσεται ἤματα πάντα.

Rediere in Peloponnesum Messenii, ducentis nonaginta & octo (non 287. ut vult Pausanias) post Iræ expugnationem: quorum annorum curriculo, & patrios ritus constantissime retinuerunt, & Doricam linguam nihil immutarunt, quam etiam multis annis post reditum maxime reliquorum Peloponnensium integram servarunt, Pausan. *Messen.* p. 265. seqq. vide & Diodor. *l.* XV. p. 378. *Μεσσήνην δὲ ἀνεῖλον μὲν Λακεδαιμόνιοι, πάλιν δ' ἀνέλαβον Θηβαῖοι, καὶ μετὰ ταῦτα Φίλιππος Ἀμύντου*, Strabo *l.* VIII. p. 361.

Messenii post reditum, Phocensi bello abductis extra Peloponnesum Thebanis, a Lacedæmoniis primum bello petiti sunt, sed Argivorum & Arcadum auxiliis freti, facile restiterunt, Pausan. *Messen.* p. 269.

Messenii cum Philippo Amyntæ filio Rege Macedonum societatem junxerunt: quæ res effecit, ut pugnæ ad Chæroneam, etsi illa fuit Græcis omnibus communis, non interfuerint: non tamen ut contra Græcos bellarent, in animum sibi unquam induxerunt, idem *ibid.*

Messenii, cum mortuo Alexandro iterum Græci contra Macedones arma cepissent, etiam suas partes in eo bello obierunt, idem *ibid.*

Messenii non multo post Elidem, & arte, & aperta vi occuparunt, idem *ibid.*

Messenen, non multis post captam Elidem annis, Macedones & Demetrius Philippi filius occupare conati sunt, sed virtute Messeniorum, fœminis etiam in hostem tegulas & lapides ejaculantibus, repulsi sunt, Pausan. *Messen.* p. 270. 271.

Messenii Concilio Achæorum se non attribuerunt, quod cum ultro misissent auxilia bellantibus cum Pyrrho Æacidæ filio Lacedæmoniis, illud cavendum putabant, ne, si in Achæorum, qui aperti erant Spartanorum hostes, Concilium se conscribi postulassent, veteres inimicitias renovasse viderentur, Pausan. *Messen.* p. 271.

Messenii post longi temporis cunctationem, & ipsi se cum Achæis conjunxerunt, Pausan. *Messen.* p. 271.

Messenii Megalopolitanos, urbe a Cleomene capta profugos, excepere, cum ob veterum erga se meritorum memoriam, tum vero ut gratiam parem referrent, quod ab ipsis in Messene restituenda adjuti fuissent, Pausan. *Messen.* p. 271. 272.

Messenii, postquam cum Cleomene ad Sellasiam dimicassent, una cum Arato & Achæis Spartam ceperunt, Pausan. *Messen.* p. 272.

Messenii extra Concilium Achaicum erant, & cum Ætolis sentiebant: & sine responso dimissis Achæorum Legatis bellum moverant: trepidique rerum suarum, cum jam ager effuso exercitu passim ureretur, castraque prope urbem poni viderent, Legatos ad T. Quintium miserunt, qui nunciarent, Messenios Romanis, non Achæis, & aperire portas, & dedere urbem paratos esse. Quintius Diophanem Prætorem Achæorum reducere a Messene exercitum extemplo jussit: & Messeniis imperavit ut exsules reducerent, & Achæorum Concilii essent, Livius *l.* XXXVI.

Messenii, incertum quam ob causam, ab Achæis bello lacessiti, hostem, duce Dinocrate, qui tunc Reip. præerat, facile repulerunt: & Philopœmenem cum paucis equitibus Achæis & Lycortæ auxilio, sed serius, venientem, vivum ceperunt initio prælio, Pausan. *Messen.* p. 272. Messenii, quorum suasu Philopœmen interemptus fuit, meritas luerunt pœnas, a Lycorta omnes occisi præter Dinocratem, qui ipse sibi mortem conscivit, Pausan. *Messen.* p. 272. & *Arcad.* p. 538.

Messenii inde rursus Achæorum partes sequuti sunt, Pausan. *Messen.* p. 272.

PYLII.

Pylas Clesonis filius, Pylon urbem Messeniæ condidit, deductis in eam e Megaride Lelegibus; sed ei parum diuturnum fuit illud imperium: nam a Neleo & Pelasgis ab Iolco venientibus expulsus fuit, quare inde abiens in proximos fines Pylon in Elea tenuit, Pausan. *Messen.* p. 285. Fuerunt vero tres in Peloponneso urbes hujus nominis, ut versus habet:

Ἔστι Πύλος πρὸ Πύλοιο. Πύλος γε μέν ἐστι καὶ ἄλλος.

Una in Elea, altera in Triphylia, tertia in Messenia apud Coryphasium, Strabo *l.* VIII. p. 339. ubi etiam contendit Nelei urbem & Nestoris patriam, neque Messeniæ, neque Eleæ, sed Triphyliæ & agri Lepreatici Pylum esse: vide & p. 350. seqq.

Neleus Crethei filius, Æoli Neptuni nepos (Neptuni filius dicitur Apollodoro *l.* I. p. 23. *α. β.* & Pausaniæ ipsi *Bœot.* pag. 665. & Schol. Apollon. *Argon.* l. I. v. 156.) Peliæ ex Iolco minas fugiens, in Messeniam venit, atque ab Aphareo agri partem maritimam accepit, Pausan. *Messen.* p. 219. & Pyla pulso, Pylum occupavit, eamque urbem eo dignitatis perduxit, ut Neleam urbem suis versibus Homerus appellarit, Pausan. *Messen.* p. 285. *Νηλεὺς μὲν ἐκπεσὼν ἧκεν εἰς Μεσσήνην, καὶ Πύλον κτίζει*, Apollod. *l.* I. p. 24. *α.* *Νηλεὺς δὲ μετὰ τῶν συναπολυθέντων παραγενόμενος εἰς Μεσσήνην, πόλιν ἔκτισε Πύλον, δόντων αὐτῷ τῶν ἐγχωρίων*, Diodor. *l.* IV. p. 271. Amythaon quoque Crethei filius in Messenen commigravit, Pindar. *Pyth.* ode IV. antistr. VI. *ἐκ δὲ Μεσσάνας Ἀμυθάν*: & Pyli habitavit, Apollod. *l.* I. p. 24. *β.* Sed ejus filios tantum socios Neleo fuisse expeditionis in Peloponnesum susceptæ ait Diodorus *l.* IV. p. 271. *Παραλαβὼν*, inquit, (*ὁ Νηλεὺς*) *Μελάμποδα καὶ Βίαντα τοὺς Ἀμυθάονος καὶ Ἀγλαΐης υἱοὺς, καί τινας ἄλλους τῶν Ἀχαιῶν καὶ Φθιωτῶν καὶ τῶν Αἰολέων ἐστράτευσεν εἰς Πελοπόννησον.* Amythaonis uxorem fuisse Idomenen Pheretis F. & ex illa natos Biantem & Melampodem, scribit Apollodor. *l.* I. p. 24. *β.* Melampus Argos vocatus fuit: vide in *Argiv. Anaxagoras.* Neleus ex Orchomeno Bœotiæ uxorem duxit Chlorin Amphionis filiam, Iasi neptem, Pausan. *Bœot.* p. 598. *τῶν μετὰ Χλωρίδος τῆς Νέστορος μητρὸς ἐλθόντων ἐξ Ὀρχομενοῦ τοῦ Μινυείου ἐλθόντων Μινυῶν*, Strabo *l.* VIII. p. 347. Chloridem Amphionis Thebani filiam facit Diodor. *l.* IV. p. 271. Sed temporum ratio non id patitur: & Jasus pater dicitur Amphionis Orchomenii, sed Thebani Epopeus pater fuit, Homer. *Odyss.* Λ. v. 280. seqq.

Καὶ Χλῶριν εἶδον περικαλλέα, τήν ποτε Νηλεὺς
Γῆμεν ἑὸν μετὰ κάλλος, ἐπεὶ πόρε μυρία ἕδνα,
Ὁπλοτάτην κούρην Ἀμφίονος Ἰασίδαο,
Ὅς ποτ' ἐν Ὀρχομενῷ Μινυηΐῳ ἶφι ἄνασσεν,
Ἡ δὲ Πύλου βασίλευε.

Neleus filios habuit XII inter quos ætate maximus fuit Periclymenus, minimus Nestor, Diodor. *l.* IV. p. 271. Habuit & filiam Pero, Apollod. *l.* I. p. 24. *α.* E Chloride Nestorem, Periclymenum & Chromium: e diversis vero mulieribus, Taurum, Asterium, Lycaonem, Deimachum, Eurybium, Epileontem, Phrasin, Antimenem, & ut Asclepiades ait, etiam Alastorem, scribit Schol. Apollon. *Argon.* *l.* I. v. 156. Quæ de Periclymeno fabulose referuntur, vide *ibidem.* Fuit & Periclymenus Argonauticæ expe-

ditionis socius, Apollon. *Argon. lib.*I. v.156. Neleus a filiæ Perus procis boves Thessalicas de grege Iphicli sponsalitium munus depoposcit: eas Melampus in fratris Biantis, qui procorum unus erat, gratiam in Thessaliam profectus ab Iphiclo accepit, Pausan. *Messen.* pag 285. vide Apollod. *lib.*I. pag.25. *α.* seqq. & Scholiast. Apollon. *Argon.* lib.I. Neleus & Pelias communi consilio ludos Olympicos instaurarunt, Pausan. *Eliac.pr.* p.300. Neleus Herculem de admissa in Iphitum cæde ab ipso expiari cupientem repulit, quod ipsi vetus cum Euryto benevolentia intercederet: itaque Hercules iratus, post captam Elidem, arma in Pylum movit, eaque expugnata Neleum omnesque ejus filios præter Nestorem occidit: is enim tum puer adhuc apud Gerenios educabatur, Apollod. lib.II p.73. *α.* 76 *α.* Hesiodus apud Steph. in Γερηνία:

[illegible] Νηλῆ [illegible] ἐσθλὰς
[illegible] Γερηνίοις ἱππότα Νέστωρ,
[illegible] παρ' ἱπποδάμοισι Γερηνοῖς.

Ad Nestorem, Pylo capta, Gereniam confugisse ajunt, Pausan. p.214. Hesiod. apud Stephan.

Νέστωρ [illegible] ἀλύξεν [illegible] Γερήνῳ.

Nestori pepercisse Herculem, eique regnum gubernandum tradidisse, quod is solus fratrum non consensisset in factum patris Herculem expiare recusantis, scribit Ælianus *Var. Hist.* lib. IV. cap.V. Sed & Neleum ipsum Pylo captæ & cladi isti superstitem fuisse scribit Strabo lib. VIII. p.351. Pylo ab Hercule vastata, omnique juventute deleta, adeo ut de XII. Nelei filiis solus Nestor superesset admodum adolescens, Epei contempto ob senectutem & orbitatem Neleo, superbe & contumeliose Pyliis insultarunt. Tum Nestor has injurias ulturus, contracta suorum, quantum potuit, manu in Eleam impressionem fecit, maximamque avertit prædam, quam noctu in urbem Neleiam compulit, ut ostenderet prædam interdiu abactam fuisse, fusosque qui defensum venerant. Nestor tum quoque Ithymonem occidit. Sed Nestore cum suis in dividenda præda occupato, tertia die Epei multitudine conducta peditum equitumque exercitum eduxerunt, circa Thryum super Alpheum situm castris positis. Ibi Pylii ad profligandum hostem ad Alpheum profecti, postquam sacra peregerant, illic pernoctarunt, & ad auroram cum hoste congressi, victores non ante occidendi persequendique finem fecerunt, quam Bubrasium pervenissent & Oleniam petram, tumulumque Alesii: ibi Minerva Pylios avertit, Strabo lib.VIII. p.351. 352. ex Homero.

Nestor Nelei filius: apud hunc enim Hercules, Pylo expugnata, eam regionem depositam reliquit, Pausan. *Corinth.* p.117. Nestor quoque Messeniorum imperio potitus fuit, Pausan. *Messen.* p. 219. vide In *Messen.* Pylii & Nestor XC. naves in bello Troiano præbuerunt, Strabo lib. VIII. p.354. De Amythaonis filiis Melampode & Biante vide in *Argivis Anaxagoras.* De Periclymeni posteris vide in *Messen. Nestor.* Aristotelis in Nestorem exstat Epitaphium:

Τὸ [illegible] ψυχὴν [illegible]
Ἀνδρ' ἀγαθὸν κατέχω Νέστορα τ̃ Πύλιον.

Item:

Νέστορα τ̃ Πυλίων ἡγήτορα [illegible]
Γῆ κατέχει, βουλῇ [illegible] ἡμιθέων.

Pylios multos una cum Melantho Athenas commigrasse ajunt, Strabo lib.XIV. p.633.

Pylus Messenica sub monte Ægialeo sita erat: ea vero eversa, incolarum quidam sub Coryphasio suas sedes posuerunt, Strabo lib.VIII. pag.359. inde Coryphasium urbs quoque dicta. Ἀπέχει σαδίους μάλιστα ἡ Πύλος τ̃ Σπάρτης τετρακοσίους. καὶ ἔστιν ἐν τῇ Μεσσηνίᾳ [illegible] Λακεδαιμόνιοι Κορυφάσιον, Thucyd. lib.IV.

Olymp. LXXXVIII. 4. Pylum Messenicam occuparunt Athenienses iterum in Siciliam navigantes ducibus Eurymedonte, & Stratocle, fuitque ipsis castellum adversus Lacedæmonios, Strabo lib. VIII. p. 359. Sed a Demosthene Pylum munitam scribunt Thucydides & Diodor. lib.XII. pag. 112. fuerunt vero in ea una cum Atheniensibus Messenii collocati, Thucyd. lib. IV. p. 280. Diodor. lib. XII. p. 114.

Olymp. XCII. 4. Pylus in Lacedæmoniorum rediit potestatem, cum illam XV. annos tenuissent Athenienses; Messenii, cum Atheniensium diu frustra exspectassent auxilia, terra marique a Lacedæmoniis oppugnati, multis caventibus, & annonæ penuria aliis graviter laborantibus, salutem pacti, urbem deseruerunt, Diodor lib. XIII. p.188.

OECHALIENSES.

Oechalia urbs Messenes, nomen accepit a Melanei urbis conditoris uxore Oechalia: postea vero Carnasium appellata fuit, Pausan. *Messen.* p. 218. fuerunt vero plures hujus nominis urbes. Οἰχαλία πόλις, ἣ Ὅμηρος ἐν τῷ Πελασγικῷ Ἄργει τάσσει, λέγων *Iliad.* B. v. 730.

Οἵ τ' ἔχον Οἰχαλίην πόλιν Εὐρύτου Οἰχαλιῆος.

οἱ δὲ νεώτεροι τεθείκασιν αὐτὴν ἐν Εὐβοίᾳ. ἔστι καὶ Μεσσηνίας Οἰχαλία, καὶ ἑτέρα ἐν Τραχῖνι, καὶ ἐν Θετταλίᾳ, καὶ ἐν Ἀρκαδίᾳ, Stephan. Οἰχαλίαν δὲ οἱ μὲν νεώτεροι ἐν Εὐβοίᾳ φασὶν εἶναι. Ὅμηρος δὲ ἐν τῷ Πελασγικῷ Ἄργει καταλέγει, Schol. Apollon. *Argon.* lib. I. v. 87. Sophocl *Trachin.* v.73. de Hercule:

Εὐβοΐδα χώραν φασὶν Εὐρύτου πόλιν
Ἐπιστρατεύειν αὐτόν.

vide & v.240. seqq. Thessalicam in adducto Homeri versu intelligit Strabo lib.VIII. pag.339. Arcadicam eam voluit Scepsius esse, quæ post Andania dicta, Euryti urbem Strabo lib.VIII: pag.339. Apollodorus Eurytum nunc in Eubœa collocat, nunc Trachini, nunc Elidi vicinum facere videtur: vide Pausanias *Messen.* pag. 218. & Strabonem *d. l.*

Eurytus Melanei F. in Messenica Oechalia habitavit: nam ejus ossa ibi in ærea urnula ab Argivo duce reperta fuisse, scribit Pausan. *Messen.* p. 279. Eurytus Oechaliæ princeps victoriæ præmium Jolæ filiæ suæ nuptias proposuit ei, qui sagittandi arte ipsum ac filios vinceret. Hercules ergo uxorem ducturus, cum Megaram Jolao uxorem tradidisset, Oechaliam profectus omnes sagittandi peritia superavit: neque tamen propositum certaminis prælium Jolæ nuptias consecutus fuit, Euryto ejusque filiis, (præter Iphitum natu maximum, qui Herculi Jolen dandam censuit) permetum se illam Herculi daturos negantibus, ne forte is aliquando ex se natam sobolem obtruncaret. Cum autem non longo post tempore Autolycus Euryti boves abegisset, Eurytus ab Hercule abactas boves fuisse existimavit. Sed Iphitus id non credens, ad Herculem concessit: eumque ad investigandas boves adhortatus fuit. Hercules hospitio exceptum pollicitus se facturum quod petebat, in furorem actus iterum, de Tirynthiis mœnibus præcipitavit. Apollod. lib. II. pag. 72. *β.* seq. vide Sophocl. *Trachin.* v. 261. seqq. & Tzetzem *Chiliad.*II. *Histor.*XXXVI. v.312. seqq. Iphitum Tirynthem venisse ad investigandas patris boves, quas Hercules repulsam passus abegisset, & in turrim ab Hercule perductum ac speculari jussum, an usquam pascentes videret boves, cum eas cernere non posset, præcipitatum

de turri ab Hercule, se falso furti insimulatum dicente, scribit Diodor. *l.* IV. pag. 236. Hercules postea exercitum adversus Oechaliam contraxit, Eurytum ulturus, habuitque auxiliarios Arcades & Melienses ex Trachine, & Locros Epicnemidios. Occiso vero Euryto cum filiis, urbem cepit, sepultisque qui e sociis in prælio occubuerant, Hippaso Ceycis F. Argeo & Melane Licymnii filiis, & direpto oppido Iolen captam abduxit, Apollod. *l.* II. p. 79. *β.* Diodorus *l.* IV. p. 243. De hac urbis hujus expugnatione carmen scriptum fuit, cui titulus fuit Οἰχαλίας ἅλωσις: sive Creophylum Samium, ut est in Epigrammate Callimachi, sive Homerum auctorem habeat:

Τᾶ Σαμίε (Κρεωφύλε) πόνος εἰμὶ, δόμῳ ποτὲ θεῖον
Ομηρον (ἀοιδὸν)
Δεξαμένε. κλαίω δ' Εὔρυτον ὅσσ' ἔπαθεν,
Καὶ ξανθὴν Ἰόλειαν. Ομήρειον δὲ καλεῦμαι
Γράμμα. Κρεωφύλῳ, (Γράμμα Κρεωφύλε) Ζεῦ φίλε, τῦτο μέγα.

Exstat Epigramma hoc apud Strabon. *l.* XIV. pag. 638. Eustath. Sext. Empiricum, & alios, Κρεώφυλος ἐν Ηρακλείᾳ, Pausan. *Messen.* p. 218. lego Οἰχαλίᾳ. De Creophylo vide in *Samis*. Iolen, cum Hercules Oechaliam vastasset, de mœnibus se præcipitasse, sed, sinuata a vento veste, nihil læsam fuisse, scribit ex Nicia Maleote Plutarch. *Parallel.* XIII. Clytius & Iphitus Euryti filii socii fuerunt expeditionis Argonauticæ, Apollon. *Argonaut.* l. I. v. 86. seq. Deioneo Euryti filio Theseus Perigunen a se compressam, & Melanippum enixam, uxorem dedit, Plutarch. *Theseo.*

Oechalienses erant Cercopes, Olus & Eurybatus. Diotimus Ηρακλ. ἄθλοις, apud Suidam:

Κέρκωπές τοι πολλὰ κατὰ τηλάδες πατέοντες
Βοιωτῶν σίνοντο. γένος δ' ἔσαν Οἰχαλιῆες
Ωλός τ' Εὐρύβατός τε, δύω βαρυδαίμονες ἄνδρες.

METHONÆI.

Methone urbs Messeniæ, quam ab Homero Pedasum appellatam volunt, Strabo *l.* VIII. p. 359. Sed cum post excisum Ilium Oeneus Parthaonis filius (Agenoris nepos, Pleuronis pronepos, Apollod.) una cum Diomede in Peloponnesum secessisset, ab ejus filia Mothone e pellice nata, mutato nomine Pedasi, Mothone appellata fuit, ut ipsi Mothonæi narrant; sed potius a scopulo, qui Mothon dicitur, nomen accepisse videtur, Pausan. *Messen.* p. 282. observa & diversam scripturam, Μοθώνη dicitur Pausaniæ hæc urbs, Straboni & Stephano, imo & Pausaniæ *Arcad.* init. Μεθώνη.

Methonæi magnam cladem ab Illyriis acceperunt. Illyrii enim amicitiæ specie in portum Methonæorum appulerunt, atque inde in urbem miserunt, qui vinum sibi ad naves deferri peterent, cumque ab oppidanis non multis vinum comportatum esset, emerunt id Illyrii, quanti a Methonæis esset æstimatum, & vicissim illis de suis mercibus aliquid vendiderunt. Postero die cum ad portum multo plures descendissent, & illis lucri faciendi copia facta fuit: postremo cum etiam fœminæ & viri magno numero ad naves venissent, vinum ut venderent, ac de hospitum mercibus aliquid emerent, ibi Illyrii confirmata audacia viros multos, plures fœminas vi correptas in naves imposuerunt, & prope ad solitudinem redacto Methonæorum oppido, per Ionium mare se intra suos fines receperunt, Pausan. *Messen.* p. 283. 284.

Methonæi, Ira capta, cum Pyliis & reliquis Messeniis maris accolis se Cyllenen receperunt, atque inde in Arcadiam profugerunt: vide in *Messeniis*.

Methonen ab incolis desertam Lacedæmonii Nauplienſibus tradiderunt ejectis Nauplia ab Argivis, Pausan. *Messen.* p. 261. 283.

Methone Nauplienses pulsi non fuerunt, redeuntibus postliminio in Peloponnesum Messeniis: eo quod Messeniis redeuntibus munera, quæ suppetebant, obtulissent, & tum Numen assiduis votis pro Messeniorum reditu, tum Messenios ipsos crebris precibus pro salute & incolumitate sua sollicitassent, Pausan. *Messen.* p. 268.

Methone potitus Agrippa primo navium appulsu bello Actiaco, illic Bogum Maurusiorum Regem, Antonii partes sequentem, interemit, Strabo *l.* VIII. p. 359.

Methonæis Trajanus Imp. libertatem dedit, ut suis legibus illis liceret vivere, Pausan. *Messen.* p. 283.

Dorion urbs, quam sic appellatam Veteres putarunt, quod illic Dorica harmonia a Thamyri inventa sit. Thamyris is Philammonis filius, gente Thrax, formæ pulcritudine excellens, & primus turpi amore flagrans (masculo) cum arte canendi præstaret, cum Musis contendit hac conditione, ut, si vinceret, cum omnibus rem haberet; sin vinceretur, ea re privaretur, quam illæ vellent. Victrices illæ victum oculis privarunt, & vocem & mentem ademerunt, Eustath. in *Iliad.* B. & Schol. min. vide Homerum ipsum *ibid.* v. 594. seqq.

Andania urbs Messenes condita a Polycaone Lelegis F. cui & regni sedes fuit, Pausan. *Messen.* p. 216. Παρὰ τὸ αὐδανέιν dictam vult Stephanus: Ανδανία, inquit, πόλις Μεσσήνης, ὁμώνυμος τῇ χώρᾳ, ὅπου πρὸ καὶ ἡ Μεσσήνη ἐκαλεῖτο, ἣν οἰκίσαι φασί τινας τῶν μετὰ Κρεσφόντε, καὶ ὕπω καλέσαι διὰ τὸ μὴ ἀνδάνειν αὐτοῖς.

Arene urbs Messenes condita ab Aphareo, & de ejus uxoris nomine appellata, Pausan. *Messen.* p. 218. Φερεκύδης τὴν μητέρα τῶν περὶ Ιδαν, Αρήνην φησὶν, ἀφ' ἧς ἡ πόλις, Schol. Apoll. *Argon.* lib. I. v. 151. Apharei Regia fuit, Pausan. *Messen.* p. 221. Αρῆναι, δύο πόλεις, Μεσσήνης καὶ Τριφυλίας, Stephan. Homer. *Iliad.* B. v. 591.

Οἵ τε Πύλον ἐνέμοντο, καὶ Αρήνην ἐρατεινήν.

Vide Strabon. *l.* VIII. p. 346.

Pheræ oppidum parvum Messenes, Pausan. *Messen.* p. 217. Homer. *Odyss.* Φ. v. 16.

Ες Φηρὰς δ' ἵκοντο Διοκλῆος ποτὶ δῶμα
Υἱέος Ορτιλόχοιο.

Æpea urbs Messeniæ, Pheris finitima, sita in edito loco, unde & nomen habet: (αἰπὺ enim *excelsum* notat) postea Thuria dicta fuit: alii Æpeæ nomine intelligunt Methonen, Strabo *l.* VIII. p. 360. Αἶπυ dicitur Homero *Iliad.* B. v. 592. vide Schol. inde min. & Eustath.

Cardamyle, Cyparissia, Ira, Corone, Mesola, Rium, Messenes urbes. De iis vide Strabon. *l.* VIII. p. 359. 360. 361.

Thyron urbs Elidis, Thryoessa etiam dicta: Stephano urbs Messeniæ est: nomen accepit ἐκ τῶν ἐν αὐτῇ φυομένων θρύων, (*a juncis*) sita ad Alpheum fl. Eustath. *in Iliad.* B. Schol. min.

Cyparisseis urbs Messeniæ, Eustath. *in Iliad.* B.

Amphigenea: in ea erat Latonæ fanum: etenim Latona illuc delata Apollinem peperisse fertur, idem *ibid.*

Pteleus vel Pteleum nomen accepit ὅτι πολλὰς ἔχει πτελέας, (*ulmos*) Strabo vero ait Pteleum hanc esse coloniam e Pteleo Thessaliæ, Eustath. *in Iliad.* B. Helos sic appellatur, ut ait Stephanus, quia ἐν ἕλει (*palude*) sita est, Eustath. *in Iliad.* B.

TRIPHYLII.

TRiphylia ea regio fuit, quæ sub Nelei imperio fuit, & ab Homero Pylus vocatur, Strabo lib. VIII. p. 337. Triphylia Elis est Stephano. Nomen acceperunt Triphylii ab eo, quod *τρία φῦλα* in unum coiverint, Epeorum ab initio, deinde inquilinorum Minyarum, & Eleorum, qui postremo prævaluerunt: quidam pro Minyis Arcades ponunt, qui sæpius de ea regione disceptarint, unde & Ἀρκαδικὸς Πύλος appellatus est, ὁ αὐτὸς καὶ Τριφυλιακὸς, Strabo lib. VIII. pag. 337. *Λέγονται δὲ Τριφύλιοι, παρὰ τὸ οἰκισθῆναι ἀπὸ τῶν τριῶν φύλων, ἢ ἀπὸ τριῶν πυλῶν, ἢ ἀπὸ Τριφύλης τῆς Κλυτίου μητρὸς*, Stephan. Caucones quidam in Triphylia habitabant, Strabo lib. VIII. p. 342. Paroreatæ (sic lege pro Paronatæ) quoque in Triphylia habitasse feruntur, montium incolæ, qui circa Lepreum sunt, & Macistum, Strabo lib. VIII p. 346. vide Herodot. lib. IV. p. 309. *Τριφυλίων μηδ᾽ ὄνομα ληφθῆναι*, Strabo lib. VIII. p. 355.

LEPREATÆ.

LEpreum urbs Triphyliæ, nomen accepit vel a Lepreo Pyrgei F. vel a Leprea Pyrgei filia; vel denique a lepra: quem morbum inquilini passi fuerint, Pausan. *Eliac. pr.* p. 294. Lepreon urbem a Minyis, pulsis prioribus incolis, occupatam fuisse scribit Herodot. lib. IV. p. 309. *Καυκώνων πτολίεθρον* dicitur Callimacho *Hymno* I. v. 39.

Lepreus Pyrgei F. cum Hercule in edacitatis certamen descendit: & cum uterque eodem tempore bovem epulaturus mactasset, ac plane nihilo Hercule inferiorem ad edendum se ostendisset Lepreus; eo processit certandi cupido, ut Herculem ad armorum certamen provocaret; sed in ea pugna ab Hercule occisus fuit, Pausan. *Eliac. pr.* p. 294. Lepreas Glauconis filius, Neptuni ex Astydamia Phorbantis filia nepos, qui cum Hercule in disci, bibacitatis, edacitatis & armorum certamen descenderit, dicitur Æliano *Var. Hist.* lib. I. c. XXIV. *Λέπρειον ἀπὸ Λεπρέα τοῦ Ποσειδῶνος, ὃς προκαλεσάμενος εἰς ἀδηφαγίαν Ἡρακλέα, καὶ ὑπ᾽ ἐκείνου ἡττηθεὶς ἐφονεύθη*, Scholiast. Callimachi *Hymno* I.

Olymp. XXIII. Lepreatæ nonnulli Lacedæmoniis auxilia tulerunt adversus Messenios, odio Eleorum: quod Elei Messeniis auxilia tulissent, Pausan. *Messen.* p. 245.

Olymp. LXXV. Lepreatæ ducenti interfuerunt pugnæ ad Platæas adversus Persas, Herodot. lib. IX. p. 597.

Lepreatæ cum quibusdam Arcadibus bellum gesserunt, & ad illius belli societatem Eleos acciverunt, ea conditione, ut dimidiam agri, de quo contendebatur, partem Elei acciperent: confecto bello Elei Lepreatas, quod totum agrum colerent, talentum quotannis Jovi Olympio pendere jussserunt, Thucyd. lib. V. p. 365.

Lepreatæ antiquitus Eleis paruerunt: nam quotcunque ex ea civitate in Olympicis vicerunt, eos præco Eleos e Lepreo renunciavit: & Aristophanes testatur Lepreon Eleorum oppidum fuisse, Pausan. *Eliac. pr.* p. 294.

Lepreatæ, exorto bello Peloponnesiaco, talentum solvere desierunt, belli prætextu: Eleis solvere cogentibus, Lacedæmoniorum opem implorarunt. At Elei diffidentes Lacedæmoniis, quibus controversiæ cognitio permittebatur, tanquam parum æquis sibi futuris arbitris, Lepreatarum agrum vastarunt. Ibi Lacedæmonii Lepreatas liberos esse, & Eleos injuste facere pronunciarunt: & præsidium gravis armaturæ militum Lepreum miserunt, Thucyd. lib. V. p. 365. 366. Ea libertas confirmata fuit Lepreatis, iis conditionibus ad quas Eleos adegit Agis Rex Lacedæmonius, vide Pausan. *Lacon.* p. 173.

Lepreatæ inter Arcades censebantur, postquam ab Eleis desciverant, Pausanias *Eliac. pr.* pag. 294.

Macistus urbs Triphyliæ, in qua Caucones habitabant: nomen accepit a Macisto fratre Phrixi, Stephan. Cauconibus pulsis Macistum occuparunt Minyæ, Herodot. lib. IV. p. 309.

Phrixa urbs in edito loco sita ad ortum Lepreatici agri, Stephan. *in* Μάκιστος. Pherecydes eam Arcadiæ adscribit, Stephan. Phrixam, pulsis prioribus incolis, occuparunt Minyæ, Herodot. lib. IV. p. 309. perperam apud eum legitur *Trixa*.

Pyrgum, Epium & Nudium urbes Paroreatarum & Cauconum, pulsis incolis occuparunt Minyæ, Herodot. lib. IV. p. 309.

EPEI. ELEI.

AEthlius filius Jovis & Protogeniæ Deucalionis filiæ, primus in ea terra, quæ Elea post dicta fuit, regnasse fertur, Pausan. *Eliac. pr.* p. 287. Aethlium Æoli cognomento Jovis filium fuisse idem auctor est *Eliac. pr.* p 300. uxorem habuit Calycen Æoli filiam, Apollod. lib. I. p. 15. *β*. Aethlius hic videtur esse Opus, cujus filiam Cabyen uxorem habuerit Locrus: vide in *Locris*.

Endymion Aethlii F. quidam eum Jovis filium fuisse dicunt, Apollod. lib. I. pag. 15 *β*. *Τὸν δὲ Ἐνδυμίωνα Ἡσίοδος μὲν Ἀεθλίου τοῦ Διὸς καὶ Καλύκης παῖδα λέγει*, Schol. Apollon. *Argon.* lib. IV. v. 58. Eum a Luna adamatum, & ex illa L. filiarum patrem fuisse narrant; sed qui magis consentanea dicunt, Endymionem ajunt tres tantum genuisse filios, Pæonem, Ætolum & Epeum, filiamque unam Eurycyden: & hos ex Asterodia uxore, sive ex Chtomia Itoni filia, Amphictyonis nepte, sive ex Hyperippe Arcadis filia, Pausan. *Eliac. pr.* p. 288. Endymionem cursum ac numeros Lunæ invenisse, & Arcadem fuisse scribit Schol. Apollon. *Argon.* lib. IV. v. 264. vide inprimis ad v. 58. Postquam Endymion Clymenum Cardis F. regno Olympiæ exuerat, proposuit ipse in Olympia cursus certamen de imperio filiis suis: ex eo victor discessit Epeus, regnoque potitus fuit: Ætolum quidem in patria cum regnante fratre permansisse ferunt; Pæonem vero ægre ferentem se superatum, longe a domo peregre profectum, super Axio fl. regionem de suo nomine Pæoniam appellasse, Pausan. *Eliac. pr.* p. 300. Endymion, accepta a Jove quidlibet eligendi potestate, cum somno perpetuo immortalem sibi juventutem elegit, Apollod. lib. I. p. 15. *β*. Endymionem e Thessalia in Eleam commigrasse scribit Apollodorus, *ὅστις*, inquit, *ἐκ Θετταλίας Αἰολέας ἀγαγὼν, Ἦλιν ᾤκησε*, lib. I. p. 15. *β*.

Epeus Endymionis F. Ab eo Epei primum, qui sub ditione ejus erant, appellati fuerunt, Pausan. *Eliac. pr.* p 288. *Ἐπειοὶ οἱ Ἠλεῖοι, ἀπὸ Ἐπειοῦ βασιλέως*, Stephan. *Ἐπειοὶ, οἱ Ἠλεῖοι, καὶ οἱ πλησιόχωροι*, Hesych. *Ἐπειὸς, ὁ Ἠλεῖος ἀπὸ πόλεως*, idem. Epeus ex Anaxirrhoe Coroni filia uxore filiam suscepit Hyrminam, masculam sobolem nullam habuit, Pausan. *Eliac. pr.* pag. 288. Hyrmina nupsit Phorbanti Lapithæ filio, idem *ibidem* pag. 289. Phorbantem hunc ab Alectore Eleæ Rege, dominatum Pelopis metuente, arcessitum, & ab eo regni Elidis consortem factum fuisse scribit Diodor. lib. IV. pag. 271. Alector itaque, & Epeus idem videtur: certe Epeo Pelopem Olympiam ademisse scribit Pausan. *Eliac. pr.* pag. 288.

Phorbantis filii fuerunt Ægeus (forte Augeas: vide infra) & Actor, Eleorum deinde Reges, Diodor. *l.* IV. p. 271. Actor de suæ matris nomine urbem Hyrminem in Elea condidit, Pausan. *Eliac. pr.* p. 289. Actoris & Moliones filii fuerunt Eurytus & Cteatus, qui filii Neptuni dicebantur, Apollod. *l.* II. p. 75. *β.* uxores habuerunt Dexameni Regis Oleni filias, Cteatus Theronicen, Eurytus Theorophonen. Cteati filius fuit Amphimachus, Euryti Thalpius, Pausan. *Eliac. pr.* pag 291.

Ætolus Endymionis F. fratri Epeo successit. Ejus matrem alii Seiden Nympham, alii Naidem, aut Iphianassam fuisse ferunt, Apollod. *l.* I. pag. 15. *β.* Is cum Apin Jasonis (Phoronei, Apollod. *l.* I. p. 15. *β.* sed perperam) filium e Pallantio Arcadiæ oppido oriundum, ludis qui Azani fiebant, incitatis quadrigis obvium imprudenter interemisset, ab Apidis filiis ad pœnam vocatus, e Peloponneso fugit, in eam continentis terræ partem, cujus incolæ ab ipso Ætoli sunt appellati ad Acheloum fl. habitantes, Pausan. *Eliac. pr.* pag. 288. Ætolum a Salmoneo expulsum scribit Stephanus: vide in *Ætolis*, item Eustath. *in Iliad.* B. Αἰτωλὸν ἐκπεσόντα ὑπὸ Σαλμωνέως τοῦ βασιλέως Ἐπειῶν τε καὶ Πισατῶν ἐκ τῆς Ἠλείας, Ephorus apud Strabon. *l.* VIII. p. 357. Ætolia urbibus Laconicis ab Androtione, teste Stephano, accensa, ab hoc Ætolo nomen accepisse videri potest: ἣν δέ φασι καὶ Πελοποννήσου πόλις Αἰτωλία, Eustath. *in Iliad.* B.

Eleus Neptuni filius, Endymionis e filia Eurycyda nepos, Ætolo profugo, imperium Epeorum suscepit, qui ab ipso Elei appellati sunt, Pausan. *Eliac. pr.* p. 288. Eleos ab Helio Tantali filio nomen accepisse scribit Stephanus: item Elidem urbem, Eustath. *in Iliad.* B. Hecatæus Milesius Eleos ab Epeis diversos facit: scribitque Epeos Herculi in expeditione contra Augean adfuisse, eique in perdendo Augea & Elide operam navasse: Οὐ μέν τοι ἄπιστον, οὐδ' εἴποτε τοῖς Ἠλείοις διάφοροι ὄντες οἱ Ἐπειοὶ καὶ ἑτεροεθνεῖς, εἰς ταυτὸ συνήρχοντο κατ' ἐπικράτειαν, καὶ κοινὴν ἐνέμοντο πολιτείαν, Strabo *l.* VIII. p. 341, Homer. *Odyss.* N. v. 275.

Ἠ εἰς Ἤλιδα δῖαν, ὅθι κρατέουσιν Ἐπειοί.

Cur δῖαν vocet, vide Eustath. *in Iliad.* B.

Fuit autem Elea olim in plures principatus divisa: & deinde in duos, unum Epeorum, alterum Nestoris Nelei filii. Urbs vero Elis, ne quidem Homeri ætate condita fuit, sed per pagos Elea habitabatur, κοίλη Ἦλις dicta, quod maxima ejus & optima pars in cavo sita esset: sero tandem in eam urbem convenerunt, quæ Elis dicta fuit, post bellum Persicum, Strabo *l.* VIII. p. 336. vide infra ad Olymp. LXXVII.

Augeas Elei filius, Pausan. *Eliac. pr.* p. 288. quidam Solis, alii Neptuni, nonnulli Phorbantis filium eum fuisse dicunt, Apollod. *l.* II. p. 62. *α.* Actoris (Phorbantis filii) fratrem eum fuisse scribit idem *l.* II. p. 75. *β.* unde forte legendum Αὐγέας (pro Αἰγεὺς) καὶ Ἄκτωρ apud Diodor. *l.* IV. p. 271. Οὗτος (Augeas) λόγῳ μὲν ἦν Ἠλείου, τῇ δὲ ἀληθείᾳ Φόρβαντος, ἐκ τῆς Νηλέως Ὑρμίνης, οἱ δέ φασιν ἀπὸ τῆς Νυκτέως. οἱ δέ αὐτὴν Ἐπόχου (forte Ἐπειοῦ) θυγατέρα φασίν, Scholiast. Apollon. lib. I. v. 172. Augeæ adeo magna boum armenta, caprarumque tanti greges fuerunt, ut eorum fimo maxima agri pars obducta, otiosa & inculta jaceret. Herculem igitur (qui dissimulavit eum sibi ab Eurystheo laborem injunctum fuisse, Apollod. *l.* II. pag. 62. *β.*) vel agri Elei parte, vel alia quacunque mercede, (decima pecoris parte, Apollod. *l.* II. pag. 62. *β.*) ut agrum a stercoribus purgaret, induxit: quod ille immisso in stercora flumine Minyeio (Peneo, Diodor. *l.* IV. pag. 222. Alpheo & Peneo, Apollod. *l.* II. pag. 62. *β.*) perficit. Sed Augeas Herculi mercedem denegavit, (quod cognovisset eum de imperio Eurysthei id confecisse, Apollod. *l.* II. p. 62. *β.*) quod videret eum arte potius, quam ullo labore id perfecisse; sed & filium natu majorem Phyleum (quem Hercules testem promissæ ab Augea mercedis esse voluerat, Apollod. *l.* II. p. 62. *β.*) expulit, reprehendentem, quod injuria viro bene merito fieret. Porro cum alia comparavit ad propulsandum Herculem præsidia, si cum exercitu Eleam invaderet, tum filios Actoris regni consortes & Amaryncеum sibi in belli gerendi societatem adscivit. Erat vero Amaryncеus Pythii Thessali filius, & e Thessalia in Eliam venerat, rerum bellicarum usu sollertissimus, & ab Augea in imperii partem acceptus. Hercules, suscepto adversus Augeam bello, nihil memoratu dignum in ea expeditione gerere potuit: ejus enim auxilia ab Actoris filiis, audacia & ætate vigentibus, facile rejiciebantur. Sed cum ludos Isthmicos Corinthii indixissent, venissentque Actoris filii spectandi causa, eos Hercules ex insidiis ad Cleonas occidit, Pausan. *Eliac. pr.* p. 288. Pindar. *Olymp.* ode x. antistr. II.

—— λόχμαισι δὲ δοκεύσαις
Ὑπὸ Κλεωνᾶν δάμασε καὶ κεί-
νους Ἡρακλέης ἐφ' ὁδῷ.
Ὅτι πρόσθε ποτὲ
Τιρύνθιον ἔπερσαν αὐτῷ στρατὸν,
Μυχοῖσιν ἥμενον Ἄλιδος,
Μολίονες ὑπερφίαλοι.

Cædis auctorem Elei ab Argivis (nam Tirynthe tum domicilium habebat Hercules) ad pœnam depoposcerunt. Id cum illi recusassent, a Corinthiis Elei contenderunt, ut quicunque Argolici nominis essent, iis ob violatum fœdus Isthmicorum ludorum celebritate interdiceretur. Quod ipsum cum frustra petiissent, Molione Actoris uxor suos cives diris devovisse dicitur, quotcunque in posterum Isthmicis ludis non abstinuissent. Quod Moliones edictum tam religiose postea Elei observarunt, ut ex Eleis, quicunque ad certaminum palmas se exercuerunt, ejus devotionis metu, nemo Istmicum conventum adire sustinuerit: unde illa inscriptio ad effigiem Timonis Elei, quinquertio victoris:

Σισυφίαν δὲ μολεῖν χθόν' ἐκώλυεν ἀνέρα νίκη
Ἀμφὶ Μολιονιδᾶν οὐλομένῳ θανάτῳ.

Hercules posthæc collecto ab Argivis, Thebanis & Arcadibus exercitu Elin cepit ac diripuit: cumque Pylii & Pisatæ auxilia Eleis tulissent, Hercules Pylios ultus fuit; sed a Pisatis abstinuit, jussu oraculi:

Πατρὶ μέλει Πίσης Πυθοῦς δέ μοι ἐν γυάλοιο.

Sed & Eleam Phyleo verecundia potius, quam bene merendi studio adductus, tradidit. Eidem captivos & Augeæ pœnam condonavit. Phyleus ordinatis Eleæ rebus Dulichium migravit, & Augeas tandem senio confectus obiit, Pausan. *Elaic. pr.* p. 288. seqq. Augeam ipsum ab Hercule occisum referunt Diodor. *l.* IV. p. 238 & Apollod. *l.* II. p. 76. *α.* Pindar *Olymp.* ode x. epod. II.

Ξεναπάτας Ἐπειῶν βασιλεὺς,
Κἀκεῖνος ἀβουλίᾳ ὕστατος
Ἁλώσιος αὐτίσας, θάνατον
Αἰπὺν οὐκ ἐξέφυγεν.

Inter Argonautas fuisse Augean refert Apollon. *Argon.* l. I. v. 172. seq.

Βῆ δὲ καὶ Αὐγείης, ὃν δὴ φάτις ἠελίοιο
Ἔμμεναι. Ἠλείοισι δ' ὅγ' ἀνδράσιν ἐμβασίλευεν.

Agasthenes Augeæ filius suscepit imperium cum Amphimacho Cteati F. & Thalpio Euryti F. & Diore Amaryncei F. Pausan. *Eliac. pr.* pag. 291.

Polyxenus Agasthenis F. naves decem ad Trojam duxit, totidem singuli, Amphimachus, Thalpius & Diores, adeo ut classis Eleorum XL. navium fuerit, Pausan. *Eliac. pr.* p. 291. Homer. *Iliad.* B. v. 615. seqq. Eleis tempore Trojani belli, atque etiam ante, res accisæ fuerunt, attritis cum a Pyliis, tum ab Hercule, quando eorum Regem Augean oppressit: argumento est quod ad Trojam tantum XL. naves miserint, Pylii vero & Nestor XC. Strabo *l.* VIII. p. 354. Polyxeno post excisum Ilium reduci filius natus fuit Amphimachus: id illi nomen pater indidit, ob amicitiam, quæ ipsi cum Amphimacho Cteati F. qui ad Ilium cecidit, intercesserat, Pausan. *Eliac. pr.* p. 291. Aristotelis in Thalpium & Polyxenum exstat Epitaphium:

> Οἵδε Πολύξεινος ϗ Θάλπιος Ἤλιδι δίῃ
> ἡμιθέοις χρυσοῦ δῶμ' ἀΐδαο ἔβαν.

Item in Amphimachum & Diorem:

> Ἀρχός τ' Ἀμφίμαχος Κτεάτου παῖς, ἠδὲ Διώρης
> Ἐ[illegible] Τροίῃ μοῖραν ἔχουσι βίου.

Amphimachus Polyxeni filius, Pausan. *Eliac. pr.* pag. 291.

Eleus Amphimachi filius. Eo regnante Dorienses cum Heraclidis comparata classe reditum in Peloponnesum molientibus inciderunt in Oxylum, altero captum oculo mulum agentem, eumque sibi socium ac familiarem adsciverunt. Fuit hic Oxylus Hæmonis filius, Thoantis nepos, Andræmonis pronepos, etiam Heraclidis sanguine junctus: Andræmon enim Thoantem (e Gorge Oenei filia, Apollod. *l.* I. p. 17. α.) & Hercules Hyllum (e Deianira ejusdem Oenei filia, Apollod. *l.* II. p. 77. β. 80. α.) e sororibus genuerant, Pausan. *Eliac. pr.* p. 291. & ab Ætolo (Endymionis filio) oriundus, Ephorus apud Strabon. *l.* VIII. p. 357. Abierat vero in exsilium ex Ætolia, quod disco ludens imprudenter hominem occidisset, sive is Thermius ipsius frater, sive Alcidocus Scopii filius fuerit, Pausan. *Eliac. pr.* p. 291. Cumque Heraclidis & itinerum ductor fuisset, & hostilem illis agrum divisisset, & alia ad comparandas eas terras consilia subjecisset, ei pro hac opera ea gratia relata fuit, ut in Eleam, quæ majorum ipsius fuerat sedes, reduceretur: rediitque collecto ex Ætolia exercitu adversus Epeos, qui tum Eleam tenebant. Cumque aciem opposuissent Epei, parque esset utrique exercitui robur, ad singulare certamen, ex antiqua Græcorum consuetudine, progressi fuerunt Pyræchmes Ætolus & Degmenus Epeus: hic quidem levi armatura cum arcu instructus, tanquam facile adversarium gravis armaturæ superaturus sagitta eminus jacta; Ætolus vero cum funda marsupioque lapidum pleno, ubi dolum animadvertit. (nuper vero ab Ætolis fundæ genus inventum fuerat) Cum vero longius fundæ quam arcus jactus perferrentur, cecidit Degmenus, & Ætoli Eleam occuparunt, expulsis Epeis, Ephorus apud Strabon. *l.* VIII. p. 357. Alii auctores sunt Ætolos, quos duxit Oxylus, priscos Eleos fuisse, & illos occurrisse quidem, sed ita ut veteris originis recordatione alteri alteris benevolentiæ significationem præbuerint, Pausan. *Eliac. pr.* p. 322. Elis Ætolorum urbs dicitur Herodoto *l.* VIII. p. 553.

Oxylus regno potitus priscos Epeos facile pristinas sedes obtinere passus fuit, sed cum illis Ætolos conjunxit, agro æquabiliter assignato. Jovi præterea sacra fecit, & sanctos veteri religione honores cum cæteris Heroibus habuit, tum Augeæ ut parentaretur instituit. Eundem ajunt e proximis vicis, evocatis intra urbem inquilinis, Elin cum mœnibus ampliorem, tum multitudine frequentiorem, ac simul opibus auctiorem reddidisse. (sed contra vide supra in *Eleus* Neptuni F. & infra) Eidem cum Delphici Apollinis voce præceptum esset, ut de Pelopis genere unum sibi condendi imperii socium adscisceret, magno undique studio conquisitum, Agorium tandem, Damasiæ filium, Penthili nepotem, Orestis pronepotem, invenit, quem ab Helice Achaiæ urbe, cum non multis utique Achæis, adduxit. Oxyli uxorem Pieriam vocatam, & filios ei duos genitos, Ætolum & Laian, fuisse tradunt. Ætolo immatura morte erepto, conditoque a parentibus, exstructo monumento in ipsa porta, qua in Olympiam ad Jovis templum iter fuit, Gymnasii præfectus quotannis parentare solitus fuit, Pausan. *Eliac. pr.* p. 292. 293. Ipsius Oxyli statuæ in foro Eleorum inscriptum fuisse hoc Epigramma scribit Strabo *l.* X. p. 463. ex Ephoro:

> Αἰτωλός ποτε τόνδε λιπὼν αὐτόχθονα δῆμον
> Κτίσσατο Κουρῆτιν γῆν δορὶ πολλὰ καμών.
> Τῆς δ' αὐτῆς γενεᾶς δεκατόσπορος Αἵμονος υἱὸς
> Ὄξυλος ἀρχαίην ἔκτισε τήνδε πόλιν.

Cum Ætoli, qui duce Oxylo cum Heraclidis redierunt, se ob vetustam generis propinquitatem Epeis conjunxissent, cavam Elidem auxerunt, magnamque Pisatidis ditionis partem sui juris, ipsamque etiam Olympiam fecerunt, quin & certamen Olympicum instaurarunt, & Olympiades primas celebrarunt, Strabo *l.* VIII. pag. 354. Templi etiam Olympici procurationem, ante ab Achæis obitam, susceperunt, propter Oxyli cum Heraclidis amicitiam: nulloque negotio ab universis impetratum fuit, ut jurejurando interposito profiterentur Eleorum ditionem Jovi sacram esse: quique eam armata manu invaderet, nefarium habendum: eodemque loco, qui id scelus non pro virili ulcisceretur. Hinc qui urbem Elidem postea condiderunt, nullis eam muris cinxerunt: quique cum exercitu per Eleam ibat, arma Eleis tradidit, quæ eorum fines egressus, recepit, Strabo lib. VIII. p. 357. 358. ita cum Jovi Olympio sacri haberentur, seorsum in pace diu vixerunt, Strabo lib. VIII. p. 333. Τῶν γὰρ ἄλλων ἀεὶ πολεμούντων πρὸς ἀλλήλους, μόνοις ὑπάρξαι πολλὴν εἰρήνην. οὐκ αὐτοῖς μόνον, ἀλλὰ ϗ τοῖς ξένοις, ὥστε ϗ εὐανδρῆσαι μάλιστα πάντων παρὰ τοῦτο idem *ibid.* p. 358. Oxylus ludos Olympiacos celebrasse dicitur Pausaniæ *Eliac. pr.* p. 300.

Laias Oxyli F. patri in regnum successit, Pausan. *Eliac. pr.* p. 293.

Eleorum imperio Laiæ posteros potitos fuisse nusquam se reperisse scribit idem *ibidem*.

Olymp. I. an. I. Iphitus ab Oxylo oriundus, Hæmonis, vel Praxonidæ, ut Græcorum plerique, vel Iphiti, ut Eleorum monumenta volunt, filius, ludos in Olympia ordinavit, nundinas Olympicas denuo indixit, & ludorum causa inducias instituit: etenim Græcia jam prope deleta intestinis seditionibus & pestilentia, consulendum de remedio earum calamitatum Delphicum Apollinem censuit Iphitus: respondit Deus, expedire ut ab Iphito & Eleis Olympiaci ludi instaurarentur, Pausan. *Eliac. pr* p. 293. Oraculum Peloponnesiis hac de re datum hoc memoratur:

> Ὦ Πελοποννήσου ναέται, περὶ βωμὸν ἰόντες
> Θύετε, ϗ πείθεσθε τά κεν μάντεις ἐνέπωσιν
> Ἠλεῖοι πρόπολοι, πατέρων νόμον ἰθύνοντες.

Eleis vero ipsis ita respondit Apollo:

> Τὴν αὐτῶν ῥύεσθε πάτραν, πολέμου δ' ἀπέχεσθε
> Κοινοδίκου φιλίας ἡγούμενοι Ἑλλήνεσσι,
> Εὖτ' ἂν πενταέτης ἔλθῃ φιλόφρων ἐνιαυτός.

Hunc

A Hunc Iphitum, qui, denunciata inter Græcos pace, ludos Olympicos instauravit, Heraclidam ab Hercule oriundum, & Lycurgi συγγενῆ vocat Eusebius *Chron. l.* I. p. 37. Sed fallitur: nam γενὸς μὲν ἀπὸ Ὀξύλε, ἡλικίαν δὲ κατὰ Λυκέργον, non συγγενῆ eum fuisse scribit Pausan. *Eliac. pr.* p. 293. Iphitum, cum Cirrhæos, qui prædones oram Phocidis maritimam tenebant, socio Eurylocho debellasset, magna coacta præda, Olympia instaurasse scribit Auctor *Vitæ Pindari.* Ἴφιτόν τε θεῖναι τὸν Ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα, ἱερῶν ὄντων τῶν Ηλείων, Strabo *l.* VIII. p. 358. Idem Iphitus Eleis suasit, ut Herculi sacra facerent, cum illum ante hostem judicassent, Pausan. *Eliac. pr.* p. 293. B

Olymp. VIII. I. Elei submoti a Pisatis ne ludis Olympicis præessent: vide in *Argivis Phidon*, & in *Pisatis*.

Olymp. XXIII. Elei Messeniis bello secundo auxilia tulerunt adversus Lacedæmonios, Pausan. *Messen.* p. 245.

Olymp. XXXIV. I. Elei submoti iterum a Pisatis ne ludis Olympicis præessent: vide in *Pisatis Pantaleon*. Πανταλέων ἐβασίλευσεν ἐν τούτοις (Eleis) ὑβριστὴς καὶ χαλεπὸς, Heraclid. *de Polit.*

Elei a Damophonte Pisæ Tyranno multis ac gravibus incommodis affecti fuerunt: eo mortuo, C quod nihil egerat de publico suæ civitatis consilio, facile Elei adducti sunt, ut de acceptis injuriis æquo jure cum Pisatis disceptarent. Ac tunc sane inter ipsos convenit, ut cum civitates eo tempore in Elea XVI. essent, singulæ matronam unam proderent, quæ cum ætate, tum vitæ ac generis dignitate cæteras anteire videretur, atque ut his omnium controversiarum arbitrium permitteretur. Itaque XVI. fœminæ ex urbibus Eleæ totidem utrique populo pacis conditiones tulere. Eisdem vero & postea ludos Junonios (Ἡραῖα) faciendi, & peplum Junoni contexendi cura mandata fuit, Pausan. *Eliac. pr* p. 318.

D Olymp. LXXV. Elei belli adversus Persas Græciam invadentes gesti participes fuere, Pausan. *Eliac. pr.* p. 293. cæsoque ad Thermopylas Leonide, auxilio cum omnibus copiis ad Isthmum cum reliquis Peloponnesiis venerunt, Herod. *l.* VIII. p. 552.

Elei tardius post pugnam ad Platæas, re confecta, advenerunt, ratique id sibi magno detrimento fuisse, domum regressi suos duces exsilio mulctarunt, Herodot. *l.* IX. p. 617.

Olymp. LXXVII. 2. Elei, qui plura minutaque oppida sparsim incolebant, in unam urbem commigrarunt, quæ Elis appellatur, Diodor. *l.* XI. p. 40. E Ἡ Ἦλις ἐκ πολλῶν πολιχνίων συνεπολίσθη μία τούτων. Strabo *l.* VIII p. 337.

Elei Lepreatis, quibus auxilium adversus Arcades tulerant, talentum Jovi Olympio pendendum imperarunt, Thucyd. *l.* V. p. 635.

Elei Corinthiis adversus Corcyræos primum pecuniam & vacuas naves suppeditarunt: propterea eorum navalia a Corcyræis incensa fuerunt: postea decem naves iterum miserunt, Thucyd. *l.* I. p. 18. 22. 32.

Olymp. LXXXVII. 2. Elei socii Lacedæmoniorum in bello Peloponnesiaco classem cum aliis præbuerunt, Thucyd. *l.* II. p. 105. F Olymp. LXXXVII. 3. Cum Athenienses Pheras castellum Eleorum obsiderent, Elei opem ferentes pugna commissa victi fuerunt, & Pheræ vi captæ. Paulo post cum omnibus copiis congressi cum Atheniensibus victores hostem in naves repulerunt, Diodor. *l.* XII. p. 100.

Olymp. LXXXIX. 4. Elei cum Argivis, Corinthiis, Mantinensibus fœdus adversus Lacedæmonios pepigerunt: cum enim controversiæ inter se & Lepreatas ob non persolutum, prætextu belli, Jovi Olympio annuum talentum, ortæ cognitio Lacedæmoniis commissa esset, veriti ut suum jus obtinerent, omisso arbitrio, Lepreatarum agrum vastarunt: & Lepreatas in tutelam a Lacedæmoniis, præter pacis conditiones, receptos ægre ferentes, Argivis se junxerunt, Thucyd. l. V. p. 365. 366. Eleis ergo Lacedæmonii, & quod Olympicis ludis Jovisque templo prohibiti essent, & quod se indignum responsum de Lepreatis ab Eleis tulissent, arma intulerunt: sed cum Rege Agide duce in Eleorum fines invasissent, jamque ad Olympiam usque & Alpheum fl. progressi essent, terræ motibus conterriti, retro agmen egerunt. Anno sequenti Eleorum agrum Agis populatus, magnam ex eo prædam egit Olymp. XC. I. Tum Xenias Eleus, & privatim Agidis, & publice Lacedæmoniorum hospes, adversus populum cum locupletioribus insurrexit. Verum priusquam cum exercitu Agis præsto esset, Thrasydrus, cui rerum summa a Populo commissa erat, Xeniam ejusque factionem pugna superatos urbe expulit. Agis exercitum domum reduxit, relicto Lysistrato Spartano cum parte copiarum & Eleorum exsulibus, qui cum Lepreatis agrum populationibus vexarent. Olymp. XC. 2. Tertio demum ejus belli anno, Thrasydrus de Populi sententia, civitate jam malorum diuturnitate affecta & prope consumpta, pacem his conditionibus accepit: Eleos in posterum finitimis non imperaturos: urbis muros demolituros: Lacedæmonios ad Olympii Jovis sacrum, ludosque sacros & eorum certamina admissuros, Pausan. *Lacon.* pag. 172. 173. vide Thucyd. *l.* V. pag. 365. 366. 379. 380. Bellum contra Eleos a Lacedæmoniis gestum ductu Pausaniæ Regis anno 3. Olymp. XCIV. refert Diodor. *lib.* XIV. pag. 247.

Olymp. CIII. 4. Elei contra Arcades bellum gesserunt de Triphylia: vide in *Arcadibus*. Arcades aliquando agrum Eleum hostiliter invadentes, prodigio infantis, qui mulieris cujusdam jussu ante signa ab Eleis collocatus fuit, in draconem versi, territos & fugientes victos fuisse ab Eleis narrat Pausan. *Eliac. post.* p. 346.

Olymp. CIV. I. Elei a Pisatis & Arcadibus a ludorum Olympicorum præfectura submoti: vide in *Pisatis*.

Elei post pugnam Leuctricam una cum Thebanis bellum adversus Sicyonios suscepisse videntur; Eleorum equitatum duxit Stomius Eleus, qui hoste fuso, & hostium duce e provocatione occiso tropæum erexit, Pausan. *Eliac. post* p. 346. Eleos aliquando victis Lacedæmoniis tropæum æneum erexisse scribit Pausan. *Eliac. pr.* p. 342.

Olymp. CVIII. 3. Elei exsules, conductis Phalæci Phocensis superstitibus copiis, suos populares armis adorti fuerunt, sed funesto sibi eventu, Diodor. *l.* XVI. p. 458.

Elei intestinis discordiis jam pene afflicti, cum Macedonibus se conjunxerunt, Philippo Amyntæ F. Græciæ imperium captante; non tamen ut contra Græcos ad Chæroneam pugnarent, adduci potuerunt: Philippum tantum Lacedæmonios adorientem, prisco in eam civitatem odio indulgentes, juverunt, Pausan. *Eliac. pr.* p. 294. Εἰς Πελοπόννησον δὲ εἰσελθὼν Philippus τὰς ἐν Ἤλιδι σφαγὰς πεποίηκε, καὶ τοσαύτης παρανομίας ἐνέπλησε τὰς ταλαιπώρες ἐκείνες, ὥσθ' ἵνα ἀλλήλων ἄρχωσι, καὶ Φιλίππῳ χαρίζωνται συγγενεῖς αὐτῶν καὶ πολίτας μιαιφονεῖν, Demosth. *de falsa legat.* p. 256.

Olymp. CXI. 2. Elei Alexandri M. imperium detrectarunt, Diod. *lib.* XVII. p. 488.

Olymp. CXIV. 2. Elei mortuo Alexandro M. cum cæteris bellum adversus Antipatrum & Macedonas gesserunt, Pausan. *Eliac. pr.* p. 294. Diodor. *l.* XVIII. p. 594.

Eleorum Tyrannide potitus fuit Aristotimus, Damareti F. Etymonis nepos, missis ab Antigono Demetrii F. Rege Macedonum auxiliis. Sed eum, jam sextum mensem dominantem, Chilon, Hellanicus, Lampis & Cylon adorti ejecerunt: cumque ad Jovis Servatoris aram supplex confugisset, Cylonis manu interfectus fuit, Pausan. *Eliac. pr.* p. 294.

Olymp. CXVII. 1. Elidem Telesphorus Antigoni classis Prætor ingressus, arcem in ea constructam mœnibus firmavit, & urbem in servitutem redegit; sed Ptolemæus Antigoni dux, occupata iterum Elide, arcem solo æquavit, & Eleis libertatem restituit, Diodor. *l.* XIX. p. 725.

Elis extra Concilium Achaicum erat, & cum Ætolis sentiebat: Elei tamen post fugatum ex Græcia Antiochum Legatis Achæorum lenius responderunt, dimisso præsidio Regio cogitaturos se, quid sibi faciendum esset, Livius *l.* XXXVI.

Pantarces Eleus pacis inter Achæos ac Eleos sequester fuit, effecitque, ut qui utrinque bello capti fuissent, dimitterentur: ideoque cum singulari equo in Olympiis vicisset, Achæi illi statuam in Olympia posuerunt, Pausan. *Eliac. post.* p. 371.

Pyttalus Eleus Arcadibus & Eleis de agrorum finibus disceptantibus arbiter fuit, Pausan. *Eliac. post.* p. 374.

Cylle Eleorum navale, Strabo *l.* VIII. p. 337. Homer. *Iliad.* B. v. 528.

Ὠτον Κυλλήνιον ἀρχὸν Ἐπειῶν.

Ephyra urbs Eleæ, unde Tlepolemi mater fuisse videtur, Strabo *l.* VIII. p. 338.

Pylus, Myrsinus, Hyrmine, Alesium, Buprasium urbes Eleæ, Strabo *l.* VIII. p. 338. seqq. vide Eusfath. *in Iliad.* B.

PISATÆ.

Pisa urbs & fons Olympiæ: est & locus, in quo structum fuit Jovis fanum, & ludi Olympici peragebantur, Stephan. Pisam urbem Pisus Perieris F. Æoli nepos condidisse fertur, Pausan. *Eliac. post.* p. 386. Ὀλυμπία ἡ πρότερον Πίσα λεγομένη, ἔνθα Ὀλύμπιος Ζεὺς τιμᾶται. ἀφ' ἧς τὰ Ὀλύμπια ὁ ἀγών, Stephan. Τινὲς δὲ πόλιν μὲν οὐδεμίαν γεγονέναι Πίσαν φασί. Στησίχορος δὲ καλεῖ πόλιν τὴν χώραν Πίσαν λεγομένην, Strabo *l.* VIII. p. 356. Pisam a Pisa Endymionis filia nomen accepisse scribit Schol. Pindar. *Olymp.* I. Περὶ δὲ τῆς Πίσης, ὅτι ὁ τόπος ἐν Ἤλιδι ὑπὸ ὑψηλῶν ὄχθων περιεχόμενος Πολέμων φησίν. ἔνιοι δὲ συγχέουσι τὴν Πίσαν καὶ τὴν Ἦλιν. οὐκ ὀρθῶς δέ. διέστηκε γὰρ ἀπ' ἀλλήλων τὰ χωρία σταδίους πεντήκοντα, Schol. Pindar.

Salmoneus Æoli F. in Pisatide regnasse fertur: & cum Pisatis in octo civitates distribuatur, una de his Salmone appellatur, Strabo *l.* VIII. p. 356. Βασιλεὺς Ἐπειῶν τε καὶ Πισατῶν dicitur eidem p. 357. Σαλμωνεὺς ἐκ τῆς Αἰολίδος ὁρμηθεὶς μετὰ πλειόνων Αἰολέων ᾤκησε τῆς Ἠλείας παρὰ τὸν Ἀλφειόν, καὶ πόλιν ἔκτισεν ἀφ' ἑαυτοῦ Σαλμωνίαν, Diodor. *l.* IV. p. 270. Σαλμωνεὺς δὲ τὸ μὲν πρῶτον περὶ Θεσσαλίαν κατῴκει. Παραγενόμενος δὲ αὖθις εἰς Ἦλιν, ἐκεῖ πόλιν ἔκτισεν, Apollod. *l.* I. p. 23. *a.* Uxorem habuit Alcidicen Elei filiam, ex qua illi Tyro nata est. Sed Alcidice defuncta, novercam filiæ induxit Sidoram, Diodor. *l.* IV. p. 270. De Tyro vide in *Æolibus Cretheus.* Salmoneus se Jovem esse prædicavit, & sacra quæ illi fiebant, sibi fieri jussit, tonitruaque lebetes æneos concutiendo, & fulmina ardentes in cælum faces jaculando effinxit: hujus suæ impietatis pœnas dedit, fulmine a Jove ictus, quo & ipse, & urbs ab ipso condita una cum omnibus incolis periit, Apollod. *lib.* I. p. 23. *a.* Tzetz. *Chiliad.* VII. *Histor.* CVII. Euripides apud Dicæarch. βίῳ Ἑλλ. p. 179.

——ὅς τ' ἐπ' Ἀλφειοῦ ῥοαῖς
Θεοῦ μανεὶς ἔρριψε Σαλμωνεὺς φλόγα.

Oenomaus Alxionis filius Pisæ imperavit, Pauf. *Eliac. pr.* p. 288. cum Harpina Martem consuevisse, & ex ea genuisse Oenomaum Eleorum & Phliasiorum sermonibus proditum est, Pausan. *Eliac. pr.* p. 332. Κατὰ γὰρ τὴν Πελοπόννησον ἐν πόλει Πίσῃ Ἄρης Ἁρπίνῃ τῇ Ἀσωποῦ θυγατρὶ μιγεὶς ἐγέννησεν Οἰνόμαον, Diodor. *lib.* IV. p. 274. Oenomaum conditam a se urbem Harpinam de matris suæ nomine appellasse narrant, Pausan. *Eliac. post.* pag. 385. Ὀλυμπία λέγεται καὶ Ἅρπινα, ἀπὸ τῆς Οἰνομάου μητρός, Stephan. Uxorem habuit Steropen, unam filiarum Atlantis, Pausan. *Eliac. pr.* p. 304. Filium habuit Dysponteum, urbis Dyspontiorum conditorem, Pausan. *Eliac. post.* p. 387. Filiam, quam habebat unicam, Hippodamiam appellavit: consulenti vero de vitæ exitu Oraculum, responsum fuit: Τότε τελευτήσειν αὐτόν, ὅταν ἡ θυγάτηρ Ἱπποδάμεια συνοικήσῃ. Isto metu virginitati filiam addixit perpetuæ. Sed multis conjugium ejus expetentibus, procis tale certamen proposuit, quo victor nuptiis puellæ potiretur, victus etiam vitam amitteret. Cursum autem equorum (ἱπποδρομίας enim lege pro ἱπποδαμείας) a Pisa usque ad Neptuni in Isthmo Corinthiaco aram determinavit, ac ipse arietem Jovi mactavit: interim procus quadrigas concitabat, sed Oenomaus peractis sacris primum in cursum effusus, auriga Myrtilo, procum, hastam tenens, persequebatur, eumque assecutus hasta transfigebat, Diodor. *lib.* IV. p. 274. Pausan. *Arcad.* p. 479. Ita filiæ procos pater omnes neci dedit. Marmacem procorum omnium primum ad petendam Hippodamiam venisse ajunt, atque adeo primum omnium ab Oenomao interfectum, ejusque equas Partheniam & Eripham Oenomai jussu ad interfecti tumulum mactatas humatasque fuisse. Post Marmacem occubuit primus Alcathous Parthaonis F. Euryalus deinde, Eurymachus & Crotalus: post hos Acrias Lacedæmonius, Acriarum conditor: præter hos recensentur Capetus, Lycurgus, Lasius, Chalcodon, Tricolonus a Tricolono Lycaonis F. oriundus, Aristomachus, Prias, Pelagon, Æolius & Cronius. Sunt qui annumerant Erythrum Leuconis F. Athamantis nepotem. Hos, postquam occiderat Oenomaus, neque insigni honestavit sepultura; sed satis habuit, si eorum cadavera humi defodienda tumulis proximis curasset, Pausan. *Eliac. post.* p. 385. 386. Pindar. *Olymp.* ode I. antistr. III.

Ἐπεὶ τρεῖς γε καὶ δέκ' ἄνδρας ὀλέσαις
Ἐρῶντας, ἀναβάλλεται γάμον
Θυγατρός.

Tandem Pelops Tantali F. Lydus Ilum Phrygem fugiens, in Peloponnesum venit, Pausan. *Corinth.* p. 125. & quamprimum Hippodamiam conspexit, ejus nuptias expetivit, Myrtilique pretio corrupti ope adjutus Oenomaum cursu prævertit, Diodor. *lib.* IV. p. 275. Myrtili enim dolo equæ Oenomai consternatæ fuerunt, Pausan. *Eliac. post.* p. 383. Pindar. *Olymp.* ode I. epod. III.

—— τὸν μὲν ἀγάλλων Θεὸς (Neptunus, cujus opem implorarat)
Ἔδωκεν δίφρον χρύσεον, ἔν τε πτεροῖσιν τ' ἀκάμαντας ἵππους.
Ἕλεν δ' Οἰνομάου βίαν,
Παρθένον τε σύνευνον.

Pelopem Elei dicunt, priusquam in currule certamen cum Oenomao descenderet, Cydoniæ Minervæ rem divinam fecisse, Pausan. *Eliac. post.* p. 385. Et Veneris signum e virente a radice sua myrto faciendum curasse, cum ut Deam coleret, tum vero ut nuptiarum Hippodamiæ se compotem faceret, Pausan. *Eliac. pr.* p. 311. Myrtilus quoque Hippodamiæ amore captus fuerat, sed cum in certamine suam experiri fortunam non auderet, aurigæ munera obire perrexerat: proditionis vero suæ hanc mercedem esse voluit, ut sibi a Pelope Hippodamia una nocte concederetur: verum cum promissi victorem Pelopem moneret, ab eo in mare e navi projectus fertur. Ejus cadaver æstu ejectum sepulturæ mandasse Pheneatæ dicuntur, eique nocte quotannis parentant, Pausan. *Arcad.* p. 479. Pindarus *Olympiac.* ode I. epod. I. Pelopem Lydum fuisse dicit: Ister vero Paphlagonem: Antesion Achæum ab urbe Olene, Scholiast. Pindari *d. loco.* Oenomai domus tota conflagravit fulmine icta, incolumi una lignea columna, ante quam in ænea tabella hoc carmen incisum fuit;

Καὶ γὰρ ἐγὼ κείνων εἰμ', ὦ ξένε, λείψανον οἴκων
Στύλος ἐν Οἰνομάου πρίν ποτ' ἐνοῦσα δόμοις.
Νῦν δὲ παρὰ Κρονίδην κεῖμαι τάδε δεσμὰ ἔχουσα
Τίμιος. οὐδ' ὀλοὴ δέξατο φλόξ με πυρός.

Pausan. *Eliac. pr.* p. 326. Oenomaum sibi mortem conscivisse, cum oraculi sibi dati eventus appareret, scribit Diodor. *lib.* IV. p. 275.

Pelops Tantali filius Lydus ex Asia, occiso Oenomao & Pisæam obtinuit, & Olympiam huic finitimam, quæ sub Epei ditione erat, suo imperio adjecit, Pausan. *Eliac. pr.* p. 288. Πέλοψ γὰρ οὐ χρημάτων πλήθει μᾶλλον ἢ παίδων μέγιστον ἴσχυσε τῶν ἐν Πελοποννήσῳ βασιλέων, πολλὰς μὲν ἐκδόμενος θυγατέρας τοῖς ἀρίστοις, πολλοὺς δὲ ταῖς πολιτείαις υἱοὺς ἐγκατασπείρας ἄρχοντας, Plutarch. *Thes.* init. & omnium, qui ante se fuissent, maxime memorabiles Olympio Jovi ludos fecit, Pausan. *Eliac. pr.* p. 300. Et Peloponneso nomen dedit, cum opibus & potentia antecelleret. Πέλοπά τε πρῶτον πλήθει χρημάτων, ἃ ἦλθεν ἐκ τῆς Ἀσίας ἔχων, εἰς ἀνθρώπους ἀπόρους δύναμιν περιποιησάμενον, τὴν ἐπωνυμίαν τῆς χώρας ἐπήλυτην ὄντα ὅμως σχεῖν, καὶ ὕστερον τοῖς ἐκγόνοις ἔτι μείζω συνενεχθῆναι, Thucyd. *l.* I. p. 6. Πέλοψ ὁ Φρὺξ ἐὼν ἐμῶν πατέρων δοῦλος κατεστρέψατο οὕτω (Peloponnesios) ὡς καὶ ἐς τόδε αὐτοί τε ὤνθρωποι, καὶ ἡ γῆ αὐτέων ἐπώνυμοι τοῦ καταστρεψαμένου καλέονται, Xerxes apud Herodot. *l.* VII. p. 443. Οἱ Πέλοπος τοῦ Φρυγὸς νέμονται χώρην, idem *ibidem.* p. 439. Παρ' Εὐάνορι Λυδοῦ Πέλοπος ἀποικίᾳ, Pindar. *Olymp.* ode I. epod. I. Μεγάλᾳ Δωρίδι νάσῳ Πέλοπος, Soph. *Oedip. Colon.* v. 688. χώρας Πελοπίας, Euripid. *Hippol.* v. 374. Πελοπίαν χθόνα, Euripid. *Supplic.* v. 184. 263. Pelopis etiam appellatæ sunt novem parvæ insulæ, ante Isthmum Trœzenis sitæ, Pausan. *Corinth.* p. 149. Pelops Leuctrum, Charadram & Thalamos Bœotios condidisse dicitur, cum sororem Nioben Amphioni uxorem daret, eoque e Bœotia quosdam adduxisse, Strabo *l.* VIII. p. 360. Pelopi Mercurium sceptrum illud dedisse ferunt, quod Jovi fabricasse Vulcanum Homerus cecinit, ipse autem Mercurius a Jove acceperat: quodque a Pelope Atreo, ab Atreo Thyesti, a Thyeste Agamemnoni relictum Chæronenses postea Deorum omnium maxime coluerunt, Δόρυ nominantes, Pausan. *Bœot.* p. 606. Pelops primum in Peloponneso fanum Mercurio struxit, & sacra fecit: quo Deum sibi ex Myrtili cæde infensum placaret, Pausan. *Eliac. pr.* p. 288. Pelops commune omnibus Hippodamiæ procis monumentum operis magnificentia spectandum erexit, cum ut ipsis honorem eum haberet, tum ut Hippodamiæ nomen illustrius celebraretur: sed & ut argumento esset illud opus, quot & qualium virorum cæde exsultantem Oenomaum ipse perculisset: ad hoc monumentum parentasse Pelopem quotannis tradunt, Pausan. *Eliac. post.* p. 386. Hippodamia Junoni ut de Pelopis nuptiis gratiam faceret, fertur XVI. matronas collegisse, primaque cum iis Junonios ludos (Ἡραῖα) instituisse, Pausan. *Eliac. pr.* p. 318. Hippodamia Pelopi VI. filios peperit, Pindar. *Olymp.* ode I. strophe IV.

Τέκε δὲ λαγέτας ἕξ
Ἀρεταῖσι μεμαλότας υἱούς.

Vide Schol. Ii erant Atreus & Thyestes, de quibus in *Mycenæis*: Epidaurus, de quo in *Epidauriis*: Trœzen & Pittheus, de quibus in *Trœzeniis*: Alcathous, de quo in *Megarensibus*. Corinthus Pelopis filius dicitur Suidæ: vide in *Corinthiis*. Plisthenem, Cleonem, Letreum, Hippalcmum, Pelopem juniorem addunt alii. Sed Plisthenem Atrei filium fuisse & per imprudentiam a patre occisum, scribit Hyginus. De Cleone vide in *Cleonæis*. Pelops ex Axioche (Danaide Nympha, Plutarch.) filium nothum Chrysippum habuit: eum patri carissimum Atreus & Thyestes Hippodamiæ consiliis in puteum dejectum suffocarunt, Tzetzes *Chil.* I. *Hist.* XVIII. Lajum Chrysippi, quem artem currulem docebat, amore incensum, eundem rapuisse scribit Apollod. *l.* III. p. 97. *a.* consentit Oraculum Lajo datum, de quo vide in *Thebanis*. Lajum rapuisse Chrysippum, & deprehensum a Thyeste & Atreo veniam amoris meruisse; Hippodamiam vero, cum Thyestæ & Atreo persuadere non posset, ut Chrysippum tanquam regni insidiatorem e medio tollerent, ipsam scelere manus polluisse: nocte enim intempesta, dormiente Lajo, Chrysippum educto gladio vulnerasse, & gladium rursus condidisse: Lajum vero ob gladium in suspicionem cædis venisse, sed a Chrysippo semianimi, id quod erat fatente, absolutum fuisse: & ita Hippodamiam e finibus pulsam, scribit Plutarch. *Quæst. Græc.* parall. XXXIII. Filiarum Pelopis Astydamia (Nicippe Apollod.) Sthenelo Persei filio nupsit: Lysidice Electryoni: Mestori eam nupsisse scribit Apollodor. Pelopis filii ex Elide per reliquam totam Peloponnesum dissipati fuerunt, Pausan. *Eliac. pr.* p. 300. Hippodamia, cum ei ob necem Chrysippi Pelops infensus esset, Midean, in Argolide sitam urbem, confugit: ejus ossa postea jussu Oraculi Olympiam deportata fuerunt, Pausan. *Eliac. post.* p. 381. Pelops præ cæteris Heroibus tam cultus fuit apud Eleos, quam Jupiter præ cunctis Diis, Pausan. *Eliac. pr.* p. 310. Quod si quis carnes e Pelopis victima comedisset, ei templum Jovis introire nefas fuit, p. 311. Pelopis Scoptulum opertum Pisa deportatum ad Ilium ferunt, quia inter alia vates monuerant, non ante Ilium expugnari posse, quam illuc e Pelopis ossibus unum deportatum fuisset: redeuntibus vero Græcis, ad Eubœam, navim eam, quæ Pelopis os vehebat, naufragio periisse: multis deinde annis post excisum Ilium, Eretriensem piscatorem Demarmenum jacto everriculo e mari os extraxisse: miratumque magnitudinem in arena abdidisse: venisse eundem Delphos sciscitatum, cujus id os esset, & in quem usum id a se conservari oporteret; sed tunc etiam fato quodam adfuisse, quos Elei consultum miserant, quæ foret pestilentiæ depellendæ ratio: & his responsum fuisse ut Pelopis ossa requirerent; Demarmeno, ut quæ reperisset, Eleis restitueret: hoc cum ille fecisset, & alia ab

Eleis accepisse munera, & ei, ejusque posteris custodiam ossis demandatam fuisse, Pausan. *Eliac. pr.* pag. 311.

Pisatas non interfuisse bello Trojano ajunt, quod Jovi sacri haberentur, Strabo *l.* VIII. p. 355. Olympiæ enim (quæ in Pisatide erat) Olympici ludi semper celebrabantur, *ibid.* Sed redeuntibus Heraclidis ludorum præfectura ad Eleos translata fuit, una cum Olympia, Strabo *l.* VIII p. 354.

Olymp. VIII. 1. Pisatæ Eleis infensi, Olympicorum ludorum præfecturam sibi vendicarunt, adductoque Phidone Argivo, Eleorum agonothetas submoverunt, Pausan. *Eliac. post.* pag. 386. Herodot. *l.* VI. p. 429. *Οἱ οὖν Πισάται τὴν οἰκείαν ἀπολαβόντες, αὐτοὶ συνετέλουν (τὰς Ὀλυμπιάδας) τὸν ἀγῶνα ὁρῶντες δ' εὐδοκιμοῦντα*, Strabo *l.* VIII. p. 355.

Pantaleon Omphalionis F. Rex Pisatarum, imperator copiarum fuit, quas Pisatæ Messeniis auxilio miserunt, Strabo *l.* VIII. p. 362. Olymp. XXIII. 4. Eodem duce Pisatæ, comparatis undique finitimorum auxiliis, submotis Eleis, ipsi ludis Olympicis præfuerunt, Pausan. *Eliac. post.* p. 387. Olymp. XXXIV. 1. Pantaleon Legatos ad se missos castravit, testiculosque devorare coegit, Heraclid. *de Polit.*

Olymp. XLVIII. Damophon Pantaleonis filius suspicionem Eleis præbuit, se adversus ipsos res novas moliri: cumque ii armati in Pisatarum agrum invasissent, Damophon precibus & obtestationibus, ut domum redirent, iis persuasit, Pausan. *Eliac. post.* p. 387.

Pyrrhus Pantaleonis F. Damophonti fratri in regnum successit: eo regnante Pisatæ ultro arma Eleis intulerunt: quo tempore conjuratione facta, ab Eleis defecerunt etiam Macistii & Scilluntii e Triphylia; e cætera vero vicinitate Dyspontii. Bellum Pisatarum & omnium, qui cum ipsis conspirarant, populorum internecione terminatum fuit, Pausan. *Eliac. post* p. 387. Non tamen hic populus plane eo tempore interiit, cum duobus post sæculis res contra Eleos gesserint: vide quæ sequuntur.

Olymp. CIV. 1. Pisatæ, quo antiquam patriæ dignitatem renovarent, Olympici conventus præfecturam jure sibi deberi contenderunt, nactique tempus ad disceptandam eam controversiam opportunum, Arcades tum Eleorum hostes ad belli societatem adsciverunt, eorumque auxiliis instructi in Eleos, qui jam tum ludos constituerant, arma moverunt. Elei totis viribus se opposuerunt, commissaque atroci pugna, tandem Pisatæ victores ludos administrarunt. Prælii spectatores Græci, qui ad panegyrin convenerant frequentes, coronati & quieti extraque periculi aleam positi fuerunt, atque ad strenua utriusque agminis facinora plausus ediderunt, Diodor. *l.* XV. p. 387.

Pisatis tandem ditionis Eleorum facta fuit, & jus constituendi ludos ad eos rediit, Lacedæmoniorum auxiliis adjutos, oppressis postremum Messeniis, Strabo *l.* VIII. p. 355. *Πισατῶν μηδ' ὄνομα λειφθῆναι*, idem *ibid.*

Olympia urbs eadem cum Pisa & Harpina est Stephano: vide supra. Olympia erat in Pisatide regione, ubi semper ludi Olympici peragebantur, Strabo *l.* VIII. p. 355. Tzetz. *Chil.* 1. *Hist.* XXI.

Ἡ δ' Ὀλυμπία τόπος ἦν περὶ τὴν Τριφυλίαν,
Ὅπου καὶ νῦν ὁ ποταμὸς ὁ Ἀλφειὸς εἰσρέει.
Οὗπερ τὸ πρὶν ὁ Ἡρακλῆς Διὶ τῷ Ὀλυμπίῳ
Ἀγῶνα τέθεικε λαμπρὸν, ἐκ σκύλων τῶν Αὐγείου.

Dyspontium urbs Pisææ, nomen accepit a Dyspontio Pelopis filio, Stephan. Dysponteus Oenomai filius urbis conditor dicitur Pausan. *Eliac. post.* p. 387. Dyspontii cum Pisatis ab Eleis defecerunt: nam cum Pisatis ipsis optime conveniebat, quod suæ urbis primordia ad Oenomai filium Dysponteum referrent: sed bello subacti fuerunt, Pausan. *Eliac. post* p. 387. Dyspontiorum plerique Epidamnum & Apolloniam commigrarunt, urbsque deserta fuit, Strabo *l.* VIII. p. 357.

Heraclea, Epina, Salmone, (a Salmoneo appellata) Cycesium, urbes Pisatidis, Strabo *l.* VIII. p. 356. 357. Harpina urbs Elidis (malo Pisatidis) nomen accepit ab Harpina Asopi filia, e qua & Marte Oenomaus natus fuit, Stephan.

PELASGI, ÆGIALENSES, IONES, ACHÆI.

XUthus Hellenis F. e Thessalia profugus, ejectus a fratribus, quod paternam pecuniam surreptam sibi soli retineret, Athenas concessit, ductaque uxore Creusa Erechthei F. Achæum & Ionem genuit: mortuo vero Erechtheo filiis ejus de successione disceptantibus, arbiter Xuthus Cecropi regnum adjudicavit: ideoque a cæteris Erechthei filiis istis finibus exactus in Ægialum migravit, cumque illic sedem constituisset, illic quoque mortuus fuit, Pausan. *Achaic.* p. 396. Ante Xuthi adventum, qui illic habitabant, *Πελασγοὶ Αἰγιαλέες* appellabantur, Herodot. *l.* VII p. 470. *ἐκαλεῖτο δὲ* regio illa *τὸ μὲν παλαιὸν Αἰγιάλεια, καὶ οἱ ἐνοικοῦντες Αἰγιαλεῖς*, Strabo *l.* VIII. p. 383. *Αἰγιαλὸς, οὕτως ἐκαλεῖτο παραθαλάσσια χώρα, ἤτοι πλευρὰ τῆς Πελοποννήσου ἡ παρατείνουσα ἀπὸ Σικυῶνος μέχρις Ἤλιδος*, Schol. min. *Iliad.* B.

Ion Xuthi F. bellum Ægialensibus & eorum Regi Selinunti Neptuni F. erat illaturus; sed Selinus per Legatos Ioni filiam, quam habebat unicam, Helicen despondit, eumque sibi filium adoptavit: quod cum Ioni ex animi sententia evenisset, & Selinunti in imperium successit, & conditam a se urbem de nomine uxoris suæ Helicen appellavit, & gentem ipsam a se Ionas nominavit; quanquam istud eis non mutationem nominis attulit, sed additamentum: vocabantur enim Ægialenses Iones, Pausan. *Achaic.* p. 396. Ab Ione Xuthi F. Iones appellati fuerunt, qui ante Pelasgi Ægialenses appellabantur, Herodot. *l.* VII. p. 470. *Ταύτης δὲ τῆς χώρας τὸ μὲν παλαιὸν Ἴωνες ἐκράτουν, ἐξ Ἀθηναίων τὸ γένος ὄντες. ἐκαλεῖτο δὲ τὸ μὲν παλαιὸν Αἰγιάλεια, καὶ οἱ ἐνοικοῦντες Αἰγιαλεῖς. ὕστερον δ' ἀπ' ἐκείνων Ἰωνία, καθάπερ καὶ ἡ Ἀττικὴ ἀπὸ Ἴωνος τοῦ Ξούθου*, Strabo *l.* VIII. p. 383. *Ἀπ' Ἴωνος Ἴωνες καλοῦνται*, Apollod. *l.* I. p. 14. *a.* *Ἰώνων μὲν ἐκ τῆς Ἀττικῆς τὸν Αἰγιαλὸν κατασχόντων*, Strabo *l.* VIII. p. 333. Cum enim Attica hominum multitudine abundaret, Athenienses (Ione duce, procul dubio) Ionum coloniam in Peloponnesum miserunt, & regionem, quam occuparunt, de se appellarunt Ioniam pro Ægialea, & incolæ pro Ægialensibus dicti fuerunt Iones, Strabo *l.* VIII. p. 383. Magis tamen priscum nomen mansit, quod Homerus *Iliad.* B. v. 577. in delectu copiarum Agamemnonis testatur: *Αἰγιαλόν τ' ἀνὰ πάντα*, Pausan. *Achaic.* p. 397. Iones in XII. *πόλεις* distributi fuerunt, Strabo *l.* VIII. p. 383. *Οἱ μὲν οὖν Ἴωνες κωμηδὸν ᾤκουν· οἱ δὲ Ἀχαιοὶ πόλεις ἔκτισαν*, Strabo l. VIII. pag. 386. Ion Ægialensibus imperans, belli dux contra Eleusinios ab Atheniensibus delectus fuit: obiit in Attica, in Potamiorum curia sepultus, Pausan. *Achaic.* pag 397. de Achæo vide in *Achæis.*

Iones Ægialenses Agamemnonis signa ad bellum

Trojanum ſequuti fuerunt, Homerus *Iliad.* B. v. 575. ſeqq.

Ionis poſteri imperium paternum retinuerunt, donec ab Achæis, quos Dorienſes ſuis ſedibus expulerant, regno ſpoliati cum univerſo populo profugerent, Pauſ. *Achaic.* p. 397. Οἱ μὲν ἂν Ἴωνες ἐξέπεσον πάλιν ταχέως ὑπ' Ἀχαιῶν, Strabo *l.* VIII. p. 333. Profecti vero in Atticam, ab Athenienſibus, Rege eorum Melantho auctore, in civitatem recepti fuerunt, Pauſan. *Achaic.* p. 398. Μετὰ δὲ τὴν Ἡρακλειδῶν κάθοδον, ὑπ' Ἀχαιῶν ἐξελαθέντες, ἐπανῆλθον πάλιν εἰς Ἀθήνας, Strabo *l.* VIII. p. 383. vide in *Athenienſ.*

ACHÆI PELOPONNESI.

ACHæus Xuthi F. cæde imprudenter patrata, profugit (Athenis) in Laconiam, (in Theſſaliam, Schol. min. *Iliad.* A. init.) & ut, qui ibi habitabant, Achæi appellarentur, effecit, Strabo *l.* VIII. p. 383. Euripid. *Ion.* v. 1591. ſeqq.

> —— κατ' αἶαν Πελοπίαν γ' ὁ δεύτερος
> Ἀχαιὸς, ὃς γῆς παραλίας Ῥίε πέλας
> Τύραννος ἔςαι, κἀπισημανθήσεται
> Κείνε κεκλῆσθαι λαὸς ὄνομ' ἐπώνυμος.

In Theſſaliam rediiſſe Achæum: ejuſque filios Archandrum & Architelem e Phthiotide Argos commigraſſe: iiſque Danaum duas filias ſuas nuptum dediſſe, Architeli Automaten, Scæan Archandro: & Archandrum filio nomen impoſuiſſe Μεταναστην, quod argumento ſit, eos Argis conſediſſe. Cum vero Argis pariter & Lacedæmone eorum potentia creviſſet, obtinuiſſe ut earum civitatum incolæ Achæi appellarentur: idque eis nomen commune fuiſſe; ſed Argivos peculiari nomine Danaos dictos fuiſſe, ſcribit Pauſan. *Achaic.* init. Sed ratio temporum non patitur, ut Danai, qui toto forte ſæculo Erechtheum antecedit, filiæ nupſerint Achæi filiis, Erechthei e filia pronepotibus. Achæos Phthiotas cum Pelope in Peloponneſum veniſſe refert Strabo: Ἀχαιὲς γὰρ, inquit, τὲς Φθιώτας φασὶ συγκατελθόντας Πέλοπι εἰς τὴν Πελοπόννησον οἰκῆσαι τὴν Λακωνικήν. τοσῦτον δ' ἀρετῇ διενεγκεῖν, ὥςε τὴν Πελοπόννησον, ἀλλὰ καὶ ἰδίως τὴν Λακωνικὴν ἕτω προσαγορευθῆναι, *l.* VIII. p. 365. Homer. *Odyſſ.* Γ. v. 251. Ἄργεος Ἀχαιϊκε̃, & *Iliad.* T. v. 141. Ἄργος ἱκοίμεθ' Ἀχαιϊκόν. Achæos Αἰολικὸν ἔθνος vocat Strabo *lib.* VIII. p. 333. Sed neque ab Æolo Achæi oriundi, neque Æolum imperio paruerunt, niſi quatenus Amythaonis filii & poſteri in partem regni Argivi adſciti fuerunt, neque Æolibus mixti fuerunt, niſi quatenus Oreſtis poſteri Æolicæ coloniæ duces fuerint, qui Achæorum principes erant, & Achæorum multos, ut veriſimile eſt, ſocios deducendæ coloniæ habebant.

Achæi Troicis temporibus, cum adhuc in ipſorum poteſtate eſſent Argos & Sparta, Græci nominis pars maxima fuerunt, Pauſ. *Achaic.* p. 407. inde Achæi toties ab Homero vocantur univerſi Græci.

Achæi a Dorienſibus & Heraclidis, Argis & Lacedæmone pulſi, miſſo caduceatore, ab Ionibus petierunt, ut ſibi & Regi ſuo Tiſameno Oreſtis F. locum & jus apud ipſos habitandi darent. Ibi Reges Ionum metus inceſſit, ne, ſi Achæi permiſti Ionibus eſſent, communi conſilio Tiſamenus, cum ob virtutem, tum ob generis ſplendorem, Rex conſtitueretur. Cum ergo in ea re Achæis minime aſſentirentur Iones, res ad arma deducta eſt: & Tiſamenus quidem in prælio occubuit: Ionas vero Achæi Helicen, quo ſe illi fuga receperant, perſequuti, abire eos impune ex pacto convento ſivere. Tiſameni cadaver cum Achæi Helicæ ſepeliiſſent, Lacedæmonii poſtea Delphici Oraculi monitu, ejus oſſa Spartam deportarunt, Pauſ. *Achaic.* p. 397. Marcianus Περιηγ. p. 22. *l.* VIII.

> —— Τὴν δ' Ἀχαΐαν
> Τισάμενον (οἰκίσαι λέγεσι.) ſic lege pro Τειχισάμενον.

Achæi poſt Ionum abitum, eorum fines inter ſe ſorte diviſerunt, diſpertito in XII. urbes regno. Earum hæc nomina; Dyme, Olenus, Pharæ, Tritæa, Rhipes, Eaſium, Cecyrina, Bura, Helice, Ægæ, Ægira, Pellene. In his domicilia ſua conſtituerunt Achæi, cum antea eas Iones incoluiſſent, Pauſan. *Achaic.* p. 407. Herodot. *l.* I. p. 68. Ἑκάστη δὲ τῶν δώδεκα μερίδων, ἐκδήμων συνειςήκει ἑπτὰ καὶ ὀκτώ. τοσῦτον διανδρεῖν τὴν χώραν συνέβαινεν, Strabo *l.* VIII. p. 386. Οἱ δ' Ἀχαιοὶ Φθιῶται μὲν ἦσαν τὸ γένος, ᾤκησαν δ' ἐν Λακεδαίμονι. Τῶν δ' Ἡρακλειδῶν ἐπικρατησάντων, ἀναληφθέντες ὑπὸ Τισαμενε τῦ Ὀρέςε παιδὸς, τοῖς Ἴωσιν ἐπέθεντο. καὶ γενόμενοι κρείττες, τὲς μὲν ἐξέβαλον, αὐτοὶ δὲ κατέσχον τὴν γῆν, καὶ διεφύλαξαν τὸν αὐτὸν τῆς χώρας μερισμὸν, ὅνπερ καὶ παρέλαβον. ἕτω δ' ἴσχυσαν, ὥςε τὴν ἄλλην Πελοπόννησον ἐχόντων τῶν Ἡρακλειδῶν, ὧν ἀπέςησαν, ἀντεῖχον ὅμως πρὸς ἅπαντας, Ἀχαΐαν ὀνομάζοντες τὴν χώραν, Strabo *l.* VIII. p. 383 384. Ἀπὸ γὰρ Τισαμενε βασιλευθέντες Achæi, ὃς ἦν Ὀρέςε μὲν ὑὸς, κατὰ δὲ τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν κάθοδον ἐκπεσὼν τῆς Σπάρτης, κατέσχε τὲς περὶ Ἀχαΐαν τόπες. Polybius *l.* II. p. 51. Gens Achaica, nunquam illa quidem e Peloponneſo exceſſit, ſed priſtino loco (Argis & Lacedæmone) egreſſa, alienum (Ionum) ſolum colit, Herodot. *l.* VIII. p. 553. Achæi ex Laconica pulſi, eas occupavere ſedes, quas nunc obtinent, Vellej. Patercul. *l.* I.

Daimenes, Sparton, Telles & Leontemenes Tiſameni filii, & Damaſias Penthili F. Oreſtis nepotes, ſummæ rerum apud Achæos præfuerunt: cumque iis Preugenes, ejuſque filius Patreus, & ipſi Achaici nominis e Lacedæmone, æquo jure regnarunt; quibus etiam ab Achæis permiſſum eſt, urbem in regione condere: cui a Patreo nomen impoſitum, Pauſ. *Achaic.* p. 407. Cometes Tiſameni filiorum natu maximus in Aſiam cum claſſe tranſmiſit, Pauſan. *Achaic.* p. 407. Agorius Damaſiæ filius juſſu oraculi in Eleam ab Oxylo adductus fuit, Pauſ. *Eliac. pr.* p 292.

Achæi a Tiſameno ad Ogygum (ἕως Γύγε, Polyb. *l.* II. p. 51.) uſque Reges ſuos habuerunt: deinde populari in Rep. poteſtate uſi, tantum ex ejus adminiſtratione laudis ſunt aſſequuti, ut Italici, poſt coortam adverſus Pythagoreos ſeditionem, pleraque jura ab Achæis tranſſumpſerit, Strabo *l.* VIII. pag. 384. Μετὰ ταῦτα δυσαρεςήσαντες τοῖς τῦ προειρημένε, Gygi vel Ogygi παισὶν, ἐπὶ τῷ μὴ νομίμως, ἀλλὰ δεσποτικῶς αὐτῶν ἄρχειν, μετέςησαν εἰς δημοκρατίαν τὴν πολιτείαν, Polyb. *l.* II. p. 51.

Achæi, Perſis & Xerxe Græciam invadentibus, neque Leonidæ ad Thermopylas, neque Themiſtocli ad Salaminem claſſe prælianti, præſto fuerunt: neque enim ulla eorum, vel in Athenienſium, vel in Lacedæmoniorum delectu, facta eſt mentio: quin neque ad Platæas pugnæ tempus obiere, quare in Græcorum communi donario, quod Olympiæ dedicatum fuit, Achæorum nomen nuſquam inſcriptum fuit. Videntur vero ſuam quiſque patriam tutari voluiſſe: ſimul etiam Troica victoria elati, Lacedæmoniis, qui Dorienſes eſſent, ſe parere indignum duxerunt, Pauſan. *Achaic.* pag. 407. 408.

Achæorum Pellenenſes primum, omnes deinde cæteri Lacedæmonios in bello Peloponneſiaco juverunt, Thucyd. *l.* II. p. 105. Et Patrenſibus, eo

bello, alacriter auxilia tulerunt, Pauf. *Achaic.* p. 408. Animo tamen & fententia in Athenienfes fuiffe propenfiores, fcribit idem *ibid.*

Achæis Thebani, poft pugnam Leuctricam, arbitrium de mutuis urbium controverfiis commiferunt. Strabo *l.* VIII. p. 384. Eofdem Epaminondas fubjicere cogitavit, & Achaiam cum univerfis fociorum copiis invafit: cumque ad ipfum optimates per Achaiam deficerent, eam ufurpavit auctoritatem, ut nec optimates in exfilium pellerentur, nec Reip. ftatus immutaretur: tantum fide ab Achæis accepta, qua fancte pollicebantur, fe focios, quocunque Thebani ducerent, futuros, domum difceffit. Sed Arcadibus hanc Epaminondæ conftitutionem quafi ex ufu Lacedæmoniorum factam accufantibus, Thebani, præfectis ad urbes Achaicas miffis, ftatum popularem in Achaiam introduxerunt, optimatibus cum multitudine ejectis. Sed exfules, cum non pauci effent, urbes fuas recuperarunt, nec amplius fe medios gefferunt, fed alacriter Lacedæmoniis opem tulerunt, Xenoph. *Hellen.* lib. VII. p. 487.

Achæi bis mille Phocenfibus bello facro opem tulerunt, Diodor. *l.* XVI.

Achæi ad Chæroneam in acie contra Philippum Amyntæ F. ftetere, Pauf. *Achaic.* p. 408.

Achæorum vir unicus, Chilon Palæftrita interfuit pugnæ Lamiacæ, idem *ibid.*

Achæi, cum reliqui Græci non in commune confulerent, fed fuum quique negotium agerent, rebus eorum vehementer accifis, opibus & potentia eos omnes fuperarunt: nulla enim Achæorum civitas, fi unam Pellenen exceperis, a multis retro annis, ullo devincta fuerat Tyrannorum dominatu. Levius etiam multo, quam alias Græciæ partes, vel bellorum impetus, vel peftis calamitas Achaiam vexarat. Itaque in Concilium Achaicum itabatur, communique confilio de rebus Achaiæ deliberabatur. Conventum autem Ægium edici placuit, quod deleta eluvionibus Helice, jam tum ab initio cæteris Achaiæ urbibus illa dignatione & opibus præftaret, Pauf. *Achaic.* p. 409. Ægium a principio Achaici Concilii femper conventus Gentis indicti funt, feu dignitati urbis id, feu loci opportunitati datum eft, Livius *l.* XXXIX. Annos autem XXV. (ita lege e Polybio) communem habuere fcribam, & duos quotannis Prætores. Senatufque eorum communis in locum, qui Αρνάριον (pag. 387. legitur Αἰνάριον, & in Polybio Ομάριον) dicebatur, ubi publicis de negotiis deliberabant, ficut & Iones ante: poftea placuit unicum conftitui Prætorem, Strabo *lib.* VIII. pagin. 385. vide Polybium *lib.* II. pagin. 51. Primi autem omnium Græcorum Sicyonii in Achaici Concilii cenfum venerunt: poft eos & alii e Peloponnefo, vel ftatim, vel certe aliquandiu cunctati, fe Achæis contribuerunt. Multos etiam ex iis, qui extra Ifthmum erant, ad Concilii focietatem invitarunt fecundi Achæorum progreffus. Soli Græcorum Lacedæmonii, & offenfioribus femper animis in Achæos fuerunt, & poftremo etiam aperte contra eos arma ceperunt, Paufan. *Achaic.* pagin. 409. vide Strabon. *l.* VIII. p. 385. Hinc factum ut Romanis Peloponnefii Achæi dicerentur. Οἱ γὰρ Ρωμαῖοι τοὺς τὴν Πελοπόννησον οἰκοῦντας Αχαιοὺς ὀνομάζουσιν, Conftantin. Porph. *l.* II. *Them.* VI.

Achæi ad Dymen collatis fignis, e Cleomene Leonidæ F. Rege Spartano, magno prælio fufi funt: fed auxiliis Antigoni, duce Arato, ad Sellafiam Cleomenem fuperarunt, & Sellafia direpta, victores Lacedæmonem expugnarunt, Paufan. *Achaic.* pagin. 409. & *Corinth.* pag. 101. vide in *Sicyoniis Aratus*, & in *Lacedæm. Cleomenes.* Τὸ ἐπὶ τοσοῦτον αὐξηθέντας (Αχαιοὺς) ὥστε καὶ Λακεδαιμονίους ὑπερβαλέσθαι, Strabo *l.* VIII. p. 385.

Achæis, quos & Machanidas Tyrannus Lacedæmoniorum finitimo bello urebat, & Ætoli navibus, per fretum, quod Naupactum & Patras interfluit, exercitu trajecto, depopulati erant, implorantibus auxilium tulit Philippus Demetrii F. Livius *lib.* XXVII. Pepigerunt autem Achæi fe quotannis juraturos in verba Philippi, Livius *l.b.* XXXII.

Achæi Ætolis infenfi fuerunt, quos Romanum quoque adverfus fe moviffe bellum credebant: cumque iis & Eleis, haut procul Meffene profperam pugnam fecerunt, Livius *l.* XXVII.

Achæi fœderi (primo) inter Philippum & Romanos, a Philippo adfcripti fuerunt, Livius *lib.* XXIX.

Achæis Orchomenon, Heræam & Triphyliam reddidit Philippus: & per hæc cum iis focietatem firmavit, Livius *l.* XXXII.

Achæi Cycliadem principem factionis ad Philippum trahentium expulerunt: & Arifthenum, qui Romanis gentem jungi volebant, Prætorem habuerunt. Ea fpes affulfit Quintio Flaminio gentem ab focietate Regia ad Romanam amicitiam avertendi: miffis igitur Legatis pollicitus fuit, fi ab Rege ad Romanos deficiffent, Corinthum iis contributuros in antiquum gentis Concilium. Erat autem non admodum fimplex animorum habitus inter Achæos: terrebat eos Lacedæmonius gravis & affiduus hoftis: horrebant Romana arma: Macedonum beneficiis & veteribus & recentibus obligati erant: Regem ipfum fufpectum habebant: pro ejus crudelitate perfidiaque, ex iis quæ tum ad tempus faceret, æftimantes, graviorem poft bellum dominum futurum cernebant. Ita poft increpatos ab Ariftheno Achæos, inter Magiftratus Gentis (Demiurgos vocant, X. numero creantur) certamen nihilo fegnius quam inter multitudinem fuit: quinque relaturos fe de focietate Romana ajebant, fuffragiumque daturos: quinque lege cautum teftabantur, ne quid quod adverfus Philippi focietatem effet, aut referre Magiftratibus, aut decernere Concilio jus effet. Tandem Memnone Demiurgo, ejus partis quæ decretum recitari, perrogari fententias prohibebat, patris Rhifiafi Pellenenfis primum blanditiis, inde afperrimis minis coacto, conjungente fe iis qui referebant, adeoque pluribus his factis, relatio facta, & ab omnibus fere populis haut dubie approbata fuit. Dymæi tamen, & Megalopolitani, & quidam Argivorum, priufquam decretum fieret, confurrexerunt ac reliquerunt Concilium. Cæteri populi Achæorum, cum fententiæ perrogarentur, focietatem cum Attalo ac Rhodiis præfenti decreto confirmarunt: cum Romanis, quia injuffu Populi non poterat rata effe, in id tempus, quo Romam mitti Legati poffent, dilata eft. In præfentia tres Legatos ad Quintium mitti placuit, & exercitum omnem Achæorum ad Corinthum admoveri, captis Cenchreis, jam urbem ipfam Quintio oppugnante, Livius *lib.* XXXII. Paufan. *Achaic.* pag. 411.

Achæi in pofterum tempus focii Romanorum appellati funt: quippe qui ad omnia rerum momenta fe promptos & alacres præftitere: nam & in Macedoniam cum Romanis contra Philippum penetrarunt, & fufceptæ in Ætolos expeditionis comites fuere: in Syriam denique contra Antiochum funt cum Romanis profecti, Pauf. *Achaic.* p. 411.

Achæorum agros vaftavit Nabis Lacedæmonius, infeftus iis quod obfeffo a fe Gyttheo præfidium mififfent. Contra eum ergo ingenti confenfu bellum decretum fuit, Philopœmene Prætore, qui

primum navali pugna infeliciter rem gessit: mox terrestri prælio fusum in castra Tyrannum compulit, exsutoque postea castris & in urbem incluso, insequentes dies prope triginta vastandis agris Laconum insumpsit: debilitatisque ac prope fractis Tyranni viribus domum rediit, Livius l. XXXV.

Achæi Nabidis Tyrannide sublata, Lacedæmonios suo Concilio adjunxerunt: rebusque per severissima judicia repetitis, Spartæ muros demoliti sunt, Pausan. *Achaic.* p. 411. 412. vide Livium l. XXXVIII.

Achæi apud Romanos a Lacedæmoniis accusati, parum æquos sibi Romanos experti sunt, Appio Achæorum causam acriter impugnante. Quamvis vero injuriosius se a Romanis haberi intelligerent, tamen Senatus decreto, quo Achæis exsulibus reditus in patriam dabatur, paruerunt, Pausan. *Achaic.* p. 413. 414. Livius l. XXXIX.

Achaico a Concilio desciverunt Messenii, Livius l. XXXIX. Inter Messenios & Achæos de principatu primo dissensionem, mox bellum ortum fuisse scribit Justinus *Histor.* lib. XXXII. Cum autem bello superiores essent Achæi, Philopœmen eorum Prætor capitur ad præoccupandam Coronen profectus, quam hostes petebant, in valle iniqua cum equitibus paucis oppressus. Messenen deductus missum venenum impavide bibit, nihil aliud locutus, quam quærens si incolumis Lycortas (is alter Achæorum imperator erat) equitesque evasissent. Nec diuturnum mortis ejus gaudium auctoribus crudelitatis fuit: victa namque Messene bello, exposcentibus Achæis, noxios dedit, ossaque reddita Philopœmenis sunt: & sepultus ab universo Achaico est Concilio, adeo omnibus humanis congestis honoribus, ut ne divinis quidem abstineretur, Livius l. XXXIX.

Achæorum gentem sibi reconciliare voluit Perseus, missis ad ipsos literis, quibus se eorum servos, qui ex Achaia fugerant, ipse vero comprehenderat, benigne remittere illis scripsit. Legati quoque missi, ab eo, cum Concilium Megalopoli esset, ne admissi quidem fuerunt, eorum opera qui offensionem apud Romanos timebant, Livius l. XLI.

Achæos Callicratis hominis Achæi perfidia Romanis subditos reddidit: cum enim illius suasu unus Legatorum Rom. (decem missi fuerunt ad ordinandas res Macedoniæ) in frequentissimo Achæorum conventu Achæos criminaretur, quod potentiores eorum pecunia & aliis studiis Perseum juvissent, quotquot in proditionis crimen Callicrates vocarat, ii omnes Romam ad causam dicendam ire jussi sunt: quod novum ac inusitatum Græcis fuit. Deducti sunt plures quam mille: quos Senatus Rom. quasi Achæorum præjudicio damnatos per Hetruriæ oppida custodiendos diviserunt. Achæi missis aliis super alios Legatis & deprecatoribus frustra fuere. Post septimum ac decimum annum tandem trecenti vel forte pauciores ex eo Achæorum numero reliqui, dimissi fuerunt, satis jam pœnarum dedisse visi, Pausan. *Achaic.* pag. 416. 417.

Achaicum Concilium ut quamplurimi deserent, Romani operam dedere, Paus. *Achaic.* pag. 417. 418. 422.

Achæi, Prætore Damocrito, Lacedæmoniis bellum intulerunt, Romanis, quos Senatus in Asiam cum imperio miserat, dehortantibus, & ut arbitros a Senatu mittendos exspectarent, suadentibus. Victos Lacedæmonios prælio, amissis mille fortissimis juvenibus, & intra mœnia compulsos Damocritus, si persequi maturasset, eodem tempore apertis introrumpere potuisset portis. Eam ob rem, reportato domum exercitu, accusatus,

A cum mulctam quinquaginta talentum irrogatam solvere non posset, clam e Peloponneso aufugit, Pausan. *Achaic.* p. 421. 422.

Achæi, Critolao Prætore instigante, rursus Spartanis bellum intulerunt, & contra Romanos aperte arma ceperunt. Id bellum a Romanis gestum imperatore Mumio Cos. qui de victa gente cognomen Achaici accepit, Paus. *Achaic.* p. 423. seqq. Romani rerum potiti, & cæteræ Græciæ arma ademerunt, & omnium munitarum urbium muros demoliti sunt, Pausan. *Corinth.* p. 85. Et Achaicum Concilium sustulerunt, una cum populari e civitatibus administratione: & Magistratus e censu instituerunt, & tributa Græciæ impo-
B suerunt: & locupletibus extra fines suos agri possessione interdixerunt, Paus. *Achaic.* p. 427. 428. Qui autem a Romanis in Græciam mittitur Prætor, non Græciæ, sed Achaiæ vocatur, eo quod Romani subactis Achæis, qui tum Græciæ erant Principes, reliquam simul Græciam suæ potestatis fecerunt, Pausan. *Achaic.* pag. 423. seqq. Restituta postea a Romanis sunt sua cuique Genti Concilia, & agros extra fines habere permissum, Paus. *Achaic.* p. 428.

Achæos CC. talenta Lacedæmonios pendere jus-
C serat Mumius. Illa pecunia a Romanis postea condonata fuit, idem *ibid.*

OLENII.

OLenus urbs Achaiæ: nomen accepit ab Oleno Jovis filio, ut Istro placet. *Τῶν δὲ Δαναΐδων Ἀναξιθέας καὶ Διὸς Ὤλενον γενέσθαι τὸν ἄρξαντα τῶν Ὠλενίων*, Steph. *Ἦν πόλισμα μικρὸν ἐξ ἀρχῆς ἡ Ὤλενος*, Paus. *Achaic.* p. 431.

Phorbas Lapithæ F. Olenum concessit: inde ab
D Alectore Eleæ Rege Pelopis dominatum metuente arcessitus, & ab eo regni Elidis consors factus fuit, Diodor. *lib.* IV. pag. 271. Vide in *Eleis Epeus.* De Phorbantis filiis & nepotibus, *ibidem* & in *Augeas.*

Dexamenus Rex Oleni Actoris filiis geminas filias uxores dedit: vide in *Eleis Epeus*. Eurytioni Centauro Mnesimachen filiam invitus daturus erat, sed interveniens Hercules, opemque rogatus, Eurytionem occidit, Apollod. l. II. p. 63. *a.*

Eurypylus Dexameni filius socius Herculi fuit expeditionis ad Trojam, Pauf. *Achaic.* p. 436.

Olenus Dymam translata fuit, Strabo l. IX. pag.
E 386. & Pauf. *Achaic.* p. 431. *Ἀνὰ χρόνον*, inquit, *τοὺς οἰκήτορας ἐκλιπεῖν ὑπὸ ἀσθενείας φασὶ τὴν Ὤλενον, καὶ ἐς Πείρας τε καὶ ἐς Εὐρυτείας ἀποχωρῆσαι.*

TRITÆENSES.

TRitæa urbs Achaiæ, Steph. *Τριτία δ' Ἀχαιῶν αὕτη πόλις ἐν μεσογαίῳ μὲν ᾤκισται*, Pausan. *Achaic.* p. 441. observetur autem diversa scriptura, *Τριταία* Stephano & Straboni l. VIII. pag.
F 341. *Τριτία* Pausaniæ. Tritiæ conditorem Celbidam, e Cumis Opicis illuc profectum, quidam fuisse ajunt: alii tradiderunt Tritiam Tritonis filiam, Minervæ sacerdotem, dum virgo erat, a Marte compressam Menalippum peperisse, qui urbem conditam & a se auctam de matris nomine appellavit, Pauf. *Achaic.* p. 441.

Tritæa Patrensibus attributa fuit a Cæsare, idem *ibidem.*

HELICENSES.

HElice ab Ione Xuthi filio condita, nomen accepit ab Helice ejus uxore Selinuntis Regis Ægialensium filia, Pauſ. *Achaic.* init. Euſtath. *Iliad.* B. Ab Helico Lycaonis filio appellatam ſcribit Stephanus.

Helice ab Achæis expugnata: vide in *Achæis.* Μετ' αὐτὴν (Buram) Ἑλίκη, εἰς ἣν κατεπέφυγεσαν Ἴωνες μάχῃ κρατηθέντες ὑπ' Ἀχαιῶν, καὶ τὸ τελευταῖον ἐξέπεσον ἐνθένδε, Strabo *l.* VIII. p. 385.

Helice aquarum eluvionibus deleta fuit, Pauſ. *Achaic.* p. 409. biennio ante pugnam Leuctricam, Strabo *lib.* VIII. p. 384. Polyb. *l.* XII. Cum enim Achæi illic habitantes ſupplices e templo abſtractos trucidaſſent, iis gravis ira Neptuni incubuit: ac primum quidem mare magnam agri partem & urbem totam circumdedit, ipſumque Neptuni lucum, ut vix ſumma arborum exſtarent cacumina: deinde repentinus terræ motus exſtitit, & ſimul cum terræ motu retro ceſſerunt aquæ: unde factum ut fluctus urbem totam cum habitatoribus abſorpſerit, Pauſan. *Achaic.* p. 445. ſeqq. vide Strabon. *l.* VIII. p. 385.

Helicenſem agrum, cum ex incolis nemo ſuperſtes eſſet, Ægienſes acceperunt, Pauſan. *Achaic.* p. 448.

Hypereſia urbs Achaiæ, Stephan. Ὑπερησίην — μέχρι Δύμης καὶ τῶν ὅρων τῆς Ἠλείας, Strabo *l.* VIII. p. 383. Nomen accepit ab Hyperete Lycaonis filio, Steph. Euſtath. *Iliad.* B. Ἀπὸ Ὑπερασίου βασιλέως τῆς Ἀχαΐας καὶ πόλις Ὑπερασία, Schol. Apollon. *Argon.* l. I. v. 177.

PELLENENSES.

PEllene urbs Achaiæ, Stephan. Scyl. *Caryand.* p. 123. Pauſ. *Achaic.* p. 407. Schol min. *Iliad.* B. Euſtath. *Iliad.* B. Μετὰ Σικυῶνα Πελλήνη κεῖται, Strabo *l.* VIII. p. 385. vulgo Παλλήνη, inepte. Caſaubon. Πελλήνη μὲν τε πρώτη πρὸς Σικυῶνος, Herodot. *l.* I. p. 68. Nomen accepit a conditore Pellene Hyperaſii patre, Aſterii & Amphionis avo, Apollon *Argon.* l. I. v. 177. Fuit & Pellene in Theſſalia. Θετταλοὶ μὲν πάντες πλὴν Πελληναίων, Diodor. *l.* XVIII. p. 595. Ἀχαΐς δὲ μέρος τῆς Θεσσαλίας, ἧς ἡ Πελλήνη, Schol. Apollon. *Argon.* l. I. Arcadicam quoque Παλλήνην vocari ſcribit idem. Παλλήνη vero in Thracia eſt, Euſtath. & Sch. min. *Iliad* B. Pellenes promontorium erat Gonoeſſa, quam αἰπεινὴν vocat Homerus *Iliad.* B. v. 573. quia ut plurimum τὸ τῶν ἀκρωτηρίων ὑψηλὸν, Euſtath. *in Iliad.* B.

Aſterius & Amphion Hyperaſii (βασιλέως τῆς Ἀχαΐας, Schol. Apoll.) filii expeditionis Argonauticæ ſocii fuerunt, Apollon. *Argon* l. I. v. 176. ſeqq.

> Ἀστέριος δὲ καὶ Ἀμφίων Ὑπερασίου υἷες
> Πελλήνης ἀφίκανον Ἀχαιΐδος, ἥν ποτε Πέλλης
> Πατροπάτωρ ἐπόλισσεν ἐπ' ὀφρύσιν Αἰγιαλοῖο.

Ubi fallitur Scholiaſtes, qui *h. l.* Pellenen intelligit Theſſalicam: Peloponneſiacam enim notari hinc patet, quod recenſeat hic Peloponneſiacos Apollonius Jaſonis comites, & urbem in Ægialo ſitam ſcribat, & quidem ἐπ' ὀφρύσι. ut: Πελληνεῦσιν ἡ πόλις ἐστὶν ἐπὶ λόφου, Pauſan. *Achaic.* fin.

Pellenenſes Lacedæmoniis adverſus Thebanos Laconicam invadentes auxilium tulerunt, Xenoph. *Helen.* l. VI. p. 475.

Pellenenſes contra Corinthios bellum geſſerunt, in quo Promachus Dryonis F. Pellenenſis hoſtes quamplurimos pugnans occidit, Pauſan. *Achaic.* pag. 553. Idem Promachus Pellenenſium Remp. ſuſtulit: corruptus enim ab Alexandro Philippi F. invidioſiſſimo dominationis munere, Tyrannum patriæ ſe imponi paſſus fuit, Pauſ. *Achaic.* p. 454. Sola autem hæc urbs Achæorum Tyrannidem experta fuit, Pauſ. *Achaic.* p. 409.

Pellene ab Agide Eudamidæ F. Rege Spartano vi capta fuit, ſed mox ab Arato recepta, idem *ibidem.*

PATRENSES.

EUmelus indigena primus eam regionem incoluiſſe, & paucis hominibus imperaſſe traditur. Triptolemum vero ex Attica veniſſe referunt, a quo & fruges acceperit Eumalus, & rationem urbis condendæ: & urbem quidem ſumpto nomine de terræ cultu (ἀρῶν) Aroan appellatam. Triptolemo conſopito Anthean Eumeli filium ad Triptolemi currum dracones jungere auſum, ac frumenta ſerere, de curru vero excuſſum, diem ſuum obiiſſe; Eumelum & Triptolemum de pueri nomine, conſilio communi, a ſe conditam urbem Anthean nuncupaſſe: tertiam quoque inter Aroan & Anthean Meſſatin erectam memorant, Pauſ. *Achaic.* p. 431. Ἀρόη κώμη πάλαι τῆς Ἀχαΐας, νῦν δὲ πόλις ἡ καλουμένη Πάτραι. περὶ ἧς καὶ λόγιον ἐκ Σιβύλλης ἐξέπεσε τρίμετρον:

> Ἀρόη τρίπυργος ἔσσετ' εὐδαίμων πόλις.

Quoniam Triptolemus illic primum ἤροσέ τε καὶ ἔσπειρε· παρὰ τὸ ἀρόσαι οὖν Ἀρόη προσηγορεύθη, Etymol. magn. Ἀρόη, πόλις Ἀχαΐας —— λέγεται καὶ Πάτραι, Stephan.

Patreus Preugenis filius, Agenoris nepos, Arei pronepos, Ampycis abnepos, a Lacedæmone per Amyclam, Harpalum, Deritum, Æginetam, Peliam Ampycis patrem, ordinem gentilitatis ducens, ab Achæis, poſtquam Ionas expulerant, hanc regionem accepit, adjutuſque fuit a Lacedæmoniis in urbe condenda: vetuitque edicto Achæos Anthean & Meſſatin incolere, Aroes vero pomœrio ampliato, veterem oppidi ambitum novo incluſit, & mutato Aroes nomine, de ſuo Patras appellavit, Pauſ. *Lacon.* p. 160. & *Achaic.* p. 406. 432.

Patrenſes ſoli ex omnibus Achæis contra Gallos Ætolis opem tulerunt, gravi vero armatura omnium ſcientiſſime uſi ſunt, Pauſ. *Phocic.* p. 651.

Patrenſium ditioni Locrorum urbes, præter Amphiſſam, ab Auguſto Imp. additæ fuerunt, Pauſan. *Phocic.* p. 686.

Ægium urbs Achaiæ, ubi Jovem a capra (ὑπ' αἰγὸς) educatum ferunt, Euſtath. *in Iliad.* B. Ægium Achaici Concilii conventus indicebatur: vide in *Achaic.*

Ægienſes, victis pugna navali Ætolis, navem L. remorum Apollini ſacrarunt, victoriaque elati, Oraculum rogarunt, Quibus Græcis fortitudine præſtarent. A Pythia vero hoc reſponſum tulere.

> Γαίης μὲν πάσης τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἄμεινον.
> Ἵπποι Θετταλικαί. Λακεδαιμόνιαί τε γυναῖκες.
> Ἄνδρες δ' οἳ πίνουσιν ὕδωρ καλῆς Ἀρεθούσης.
> Ἀλλ' ἔτι καὶ τῶν εἰσὶν ἀμείνονες οἳ τὸ μεταξὺ
> Τίρυνθος ναίουσι, καὶ Ἀρκαδίης πολυμήλου,
> Ἀργεῖοι λινοθώρηκες κέντρα πτολέμοιο.
> Ὑμεῖς δ' Αἰγιέες, οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι,
> Οὔτε δυωδέκατοι οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

Tzetzes *Chiliad.* IX. *Hiſtor.* CCLXXIII. & CCXCI.

Ægæ, vel Æga ἑνικῶς, urbs Achaiæ, ubi & Neptuni feſtus dies agebatur, & Bacchi orgia agitabantur, Euſtath. *in Iliad.* N.

Ægira

Ægira urbs Achaiæ, Stephan. Ægiram Ægæ translatæ fuerunt: *Αἰγαῖοι δ' ἐλέγοντο οἱ ἐνοικῦντες*, Strabo *l.* VIII. p. 386. Hyperesiam mutato nomine appellatam fuisse Ægiram scribit Stephanus e Pausania.

Rypæ urbs Achaiæ, Stephan. *Ῥύπες* Straboni *l.* VIII. p. 385.

Pharæ urbs Achaiæ, Stephan. *Φαρεῖς* Straboni *l.* VIII. p. 385.

Dyme urbs Achaiæ, extrema ad occidentem, Antimachus eam *Καυκωνίδα* vocat, a Caucone fl. Stephan. Dymam Olenus translata: vide in *Oleniis*.

Bura urbs Achaiæ, Stephan. Strabo *l.* VIII. p. 385.

CORINTHII.

EPhyra Oceani filia, auctore Eumelo Amphilyti F. Bacchiade, carminum scriptore, prima in Corinthiorum regione consedisse dicitur, Pausan. *Corinth.* p. 85. Ab ea regio illa Ephyræa dicta, & urbs Ephyra. *Ἐφύρη, οὕτω τὸ πρότερον ἐκαλεῖτο ἡ Κόρινθος*, Schol. min. *in Iliad.* B. *Ἐκαλεῖτο δὲ, φασί, ποτε καὶ Ἐφύρα, ἀπὸ Ἐφύρης τινὸς Ἡρωίνης*, Eustath. *in Iliad.* B. *Ἀπὸ Ἐφύρας τῆς Μύρμηκος, τῆς Ἐπιμηθέως γυναικὸς* (forte *πατρὸς* vel *ἀδελφῦ*) Ephyram vocatam scribit Stephanus. Hinc Ephyrea Lais apud Propertium. Ephyræa mœnia apud Lucanum. Ephyreia æra apud Virgilium. Ephyreiades puellæ apud Claudianum. Corinthus ante Ephyra dicta, Plin. *l.* IV. *c.* IV. *Κόρινθος, ἡ ποτὲ Ἐφύρα, μητρόπολις πάσης Ἑλλάδος, καὶ αὐτῆς Πελοποννήσου*, dicitur Constantino Porphyr. *l.* II. *Themat.* VI.

Sisyphus Æoli F. Hellenis nepos, adducta popularium manu in Peloponnesum Ephyram urbem, quæ post Corinthus dicta fuit, condidit, Apollod. *l.* I. p. 22. *α.* Euseb. Medeam Æetæ filiam Corintho discedentem Sisypho imperium tradidisse scribit ex Eumelo Pausanias *Corinth.* pag. 91. Sed ratio temporum non patitur, ut Sisyphus hic post expeditionem Argonauticam superstes fuerit: & Medea ipsa, jam Corintho discessura, Corinthum vocat *Σισύφου γῆν*, apud Euripid. *Med.* v. 1381. Sisyphus fratris Athamantis filium puerum Melicerten, quem mater Ino de saxo in mare secum præcipitem dederat, (vide in *Alusiis*) a delphino evectum, cum offendisset expositum, & humavit in Isthmo, & Isthmicos in ejus honorem ludos instituit, Pausan. *Corinth.* p. 86. & *Attic.* p. 83. 84. Sisyphus, cum raptam a Jove sciret Æginam Asopi fl. filiam, tum demum indicaturum se dixit, cum in ipsa Acrocorintho perennem aquam haberet: quare cum Asopus fontem dedisset, indicavit ille: & ejus indicii pœnas ajunt eum apud inferos dare, Pausan. *Corinth.* p. 93. Jupiter enim iratus illi mortem immisit: eam cum vinxisset Sisyphus neminem mori contigit, donec eam solveret Mars, eique Sisyphum traderet. Hic vero antequam moreretur, uxorem Meropen jussit sibi, quæ usu recepta essent, in Orcum mittere: sed successu temporis, cum ea non redderet uxor, Orcus, re cognita, Sisyphum cum uxore expostulaturum dimisit. Is vero Corinthum regressus, non amplius rediit, sed cum jam senex mortuus esset, ad inferos lapidem volvere coactus fuit, ne iterum effugeret: historia est apud Pherecydem, Schol. min. *Iliad.* Z. saxum quod manibus & capite sobvolvit Sisyphus, ubi ad summum delatum fuerit, mox ad imum devolvitur, Apollod. *l.* I. p. 22. *α.* *Ἔοικε δὲ Σίσυφος ἐρμηνείαν ἀρχὴν ἄρξαι, καὶ τοῖς ὑπ' αὐτὸν ἀκίνδυνον. διὸ καὶ δῆσαι τὸν θάνατον λέγεται*, Eustath. *Iliad.* Z. Acrocorinthum vocatam fuisse *Ἐπωπὴν*, quod ex illa Sisyphus Æginæ raptum prospexisset: item *Ἡλιούπολιν*, quod aquis careret: item *πάγον*, scribit Stephanus. Sisyphum *πυκνότατον παλάμαις ὡς Θεὸν*, vocat Pindarus *Olymp.* ode XIII. strophe III. *Τὸ Σίσυφος πυτὸν κατὰ τὰς παλαιὰς δύναται τῷ Θεόσοφος, Σιῦ μὲν τῦ Θεῦ παρὰ Πελοποννησίοις καλουμένου, τῦ δὲ σοφῦ συφῦ λεγομένου Αἰολικῶς*, Eustath. *in Iliad.* Z. Homer *Iliad.* Z. v, 152. seqq.

Ἔστι πόλις Ἐφύρη μυχῷ Ἄργεος ἱπποβότοιο
Ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν,
Σίσυφος Αἰολίδης.

Uxorem habuit Meropen Atlantis filiam, e qua ei natus fuit Glaucus, Apollod. *l.* I. p. 22. *α.* Ab eo *πόλιν Γλαύκοιο* vocavit Corinthum Simonides in *Epigram.* quod vide infra de Pugna Platæensi. Glaucum amissis equis Lacedæmonem venisse, & illic concubuisse cum Pantidyia, quæ postea nupserit Thespio, Ledamque, quæ filia Glauci esset, appellatam fuisse Thespii scribit Eumelus in *Corinth.* Scholiast. Apollon. *Argon.* l. I. v. 146. Præter Glaucum Sisypho fuerunt filii Ornytion, Thersander & Almus, Pausan. *Corinth.* p. 92. Glaucum in regno Ephyræ successisse quidam volunt. Eum vero ab equabus discerptum fuisse ludis funebribus, quos patri suo fecit Acastus, scribit Pausanias *Eliac. post.* p. 384. Sed ratio temporum non patitur, ut Sisyphi filius post Argonauticam expeditionem in vivis fuerit. Glauci ex Eurymede filius fuit Bellerophontes, Apollod. *l.* I. p. 22. Dictus vero fuit Bellerophontes prius Hipponus: sed cum dynastam Corinthiorum occidisset, Bellerophontes vocatus fuit; erat vero natura quidem filius Neptuni, sed cognomine Glauci: patrataque cæde, consecutus a Neptuno Pegasum alatum equum Medusæ Gorgonis filiæ, Argos confugit, expiatusque a Prœto rege, apud eundem commoratus fuit, Schol min. *Iliad.* Z. vide plura in *Tirynth. Prœt.* Bellerophontem etiam Corinthi regnasse quidam tradunt, sed is nunquam id regnum possedit: imo quilibet, qui legerit non indiligenter Homeri carmina, credit in Prœti & Argivorum potestate eum fuisse: satis etiam constat Corinthios, Bellerophonte in Lyciam profecto, nihilominus Argivorum ac Mycenæorum Regibus paruisse: quando privatim ipsi nullum ducem ad Trojam miserunt, sed Agamemnonis signa & auspicia sequuti, ejus expeditionis participes fuere, Pausan. *Corinth.* p. 91. 92. Ornytion post Sisyphum ponitur in Corinth. Reg. successione, Scaliger. Filios duos habuit, Phocum & Thoantem: & Thoas quidem natu minor, Phoco in Thyræam (Tithoream: vide in *Phocicis*) coloniam deducente, mansit Corinthi, Pausan. *Corinth.* p. 92. Thersandri filii fuerunt Coronus & Haliartus, Pausan. *Bœotic.* p. 594. 595. vide in *Orchomen. Bœot* De Almo vide *ibidem*. *Τὸ Σισύφου γένος ηὐδοκίμησεν ἐν δόξαις ὡς ἀρετῆς μεγάλων βασιλέων*, Plutarch. *de Ser. Vind. Num.* p. 284.

Diversum ab hoc Sisypho eum esse ratio temporum arguit, cui Autolycum armenta suffuratum fuisse, & cognito furto, ut hominem placaret, suam filiam Anticlean prostituisse, quæ ejus compressu gravida Laerti nupserit, unde Ulysses Sisyphides vocatus sit, auctor est Suidas.

Æeten Solis filium traditam sibi a patre Ephyræam tenuisse scribit Pausanias *Corinth.* p. 91. Eumelus apud Schol. Pindar. *Olymp.* XIII. strophe III. & Tzetzen Lycophr.

Ἀλλ' ὅτε δ' Αἰήτης καὶ Ἀλωεὺς ἐξεγένοντο
Ἠελίου τε καὶ Ἀντιόπης, τότε δ' ἄνδιχα χώρην
Δάσσατο παισὶν ἑοῖς Ὑπερίονος ἀγλαὸς υἱὸς,
Ἣν μὲν ἔχεν Ἀσωπὸς, τὴν πόρε δίῳ Ἀλωεῖ
Ἣν δ' Ἐφύρη κτεάτισσ', Αἰήτῃ δῶκεν ἅπασαν.

Æeten hunc Æetæ, qui pater Medeæ fuerit, avum vel certe patrem fuisse existimo, si alias verum est eum in regno hoc præcessisse Epopeum: nam Medeæ pater etiam post expeditionem Argonauticam superstes fuit. Epimenides ait Corinthium genere fuisse Æeten: Ephyra matre natum. Diophanes vero in I. *Pontitar. Histor.* ait Antiopen fuisse matrem Æetæ, Scholiast. Apollon. in *Argon.* l. III. v. 242.

Bunus Mercurii ex Alcidamea filius, ab Æete in Cholcos abeunte, Ephyræam ceu depositum accepit, Pausan. *Corinth.* p. 91. Eumelus:

> Αἰήτης δ' ἄρ' ἑκὼν Βούνῳ παρέδωκε φυλάσσειν,
> Εἰσόκεν αὐτὸς ἀνὴρ εἰς ὕστερον αὖθις ἵκοιτο,
> Ἢ παῖς ἐξ αὐτοῦ τις. ὁ δ' ᾤχετο Κολχίδα γαῖαν.

Bunus Bunææ Junonis fanum dedicavit, Pausan. *Corinth.* p. 93.

Epopeus Aloei filius, Solis nepos (Aloeï frater, Æoli e filia Canache nepos Apollodor.) mortuo Buno, Ephyræorum imperium obtinuit, Pausan. *Corinth.* p. 91. Ejus filius Marathon, patris iniquitatem & contumeliam fugiens, in maritimam Atticæ partem coloniam deduxit, Pausan. *Corinth.* p. 85. Epopeus quoque Rex Sicyonis fuit: vide illic.

Marathon Epopei F. audita patris morte, in Peloponnesum rediit, ac mox inter filios Sicyonem & Corinthum imperio distributo, in Atticam rediit, Pausan. *Corinth* p. 85.

Corinthus Marathonis F. acceptæ a patre regioni Ephyrææ nomen immutavit, ut Corinthus diceretur, Pausan. *Corinth* pag. 85. Διὸς δ' εἶναι Κόρινθον οὐδένα οἶδα εἰπόντα πω σπουδῇ, πλὴν Κορινθίων τῶν πολλῶν, Pausan. *ibid.* vide *Chiliad. Adag.* Erasmi: Ὁ Διὸς Κόρινθος. Κόρινθος Ἐφύρα πρότερον ἐκαλεῖτο μέχρι Κορίνθου, ἀφ' οὗ τοὔνομα ἔσχεν, Heraclid. *de Polit.* Κόρινθος, ἀπὸ Κορίνθου τοῦ Μαραθῶνος, ἢ ἀπὸ Κορίνθου τοῦ Πέλοπος, Suidas.

Polybus Rex Corinthi memoratur, cujus uxor Oedipum expositum ceu suum partum sibi supposuerit. (de quo in *Thebanis Laius*) Eum Polybum Sicyonis (qui frater Corinthi erat) e filia nepotem, Mercurii filium, qui & Rex Sicyoniorum fuit, puto fuisse, qui mortuo, Corinthum quoque sibi vindicarit, jure sanguinis.

Creon Rex Corinthi vocatur, ad quem Jason & Medea Iolco pulsi confugerunt: & a quo Jason benigne acceptus, jus civitatis consecutus fuit, Diodor. *l.* IV. p. 256. Decennium vero cum Medea Corinthi rebus secundis transegit, Apollod. *l.* I. p. 37. *β.* natique fuerunt Jasoni eo decennio e Medea gemelli Thessalus & Alcimenes, & iis multo ætate inferior Tisander, Diodor. *l.* IV. p. 256. 257. Mermerum & Pheretem Medeæ ex Jasone liberos vocat Apollodor. *l.* I. p. 38. *α.* Cum autem ætas multum formæ Medeæ detraheret, Jason Glauces Regis Creontis filiæ, quæ virgo erat, amore incensus, eam sibi despondit, Medeæque persuadere conatus fuit, eas nuptias a se ambiri, non quod Medeæ conjugium aversaretur, sed ut Regiæ domus necessitudinem sibi adscisceret. Cum vero hæc frustra suasisset Jason, Medea urbe cedere jussa, uno die ad fugam postulato, suis artibus Regiam noctu incendit: quo igne Creon & Glauce perierunt, Jasone per mediam flammam evadente. Sed & liberos (Mermerum & Pheretem vocat Apollod.) Jasoni e se natos Medea trucidavit, Thessalo solo fuga elapso, Diodor *l.* IV. p. 257. Medeam Deos, quos jurasset Jason, obtestatam, & ingratum ejus animum exsecratam, Glaucæ peplum venenis tinctum misisse, quo illa inducta, cum patre opem ferre conante conflagrarit, scribit Apollod. *l.* I. p. 38. *α.* Peplum & coronam auream Glaucæ per liberos Medeam misisse, ut liberis suis potestatem in urbe manendi impetraret, scribit Euripid. *Med.* v. 939. seqq. & v. 1136. seqq Medea vero fugiens, filios, infantes adhuc, supplices ad aram Acrææ Junonis constitutos reliquit; sed eos Corinthii inde excitatos contrucidarunt, Apollod. *l.* I. p. 38. *α.* Medea ad Herculem se contulit, quod is in Cholchide fide data pollicitus fuisset, se vindicem fore fidei non servatæ. Sed cum Hercules Eurysthei mandatis peragendis incumberet, Medea Athenas ad Ægeum Pandionis F. (hic enim jam ante Medeæ precibus flexus, cum Corinthum venisset, pollicitus fuerat se eam, ubi Athenas venisset, sua domo excepturam, Euripid. *Med.* v. 719. seqq.) eique peperit filium Medum, qui postea Medis imperavit, Diodor. *l.* IV. p. 258. Medea cum Theseo postea insidiaretur, Athenis cum filio ejecta fuit, Apollod. *l.* I. p. 38. *β.* Theseo Trœzene Athenas redeunte ob crimen veneficii expulsam, & acceptis ab Ægeo comitibus in Phœniciam deportatam, & deinde in superiorem Asiam digressam, & illic clarissimo cuidam Regi nuptam Medum peperisse, e quorundam opinione scribit Diodor. *l.* IV. p. 258 Medeam nulli suorum agnitam Colchos regressam, Æneæ patri, quem frater suus Persa de regno dejecerat, regnum, occiso Persa, restituisse scribit Apollod. *l.* I. fine. Medi opera restitutum Æeten, refert Diodor. *l.* IV. pag. 258. Staphylus ait Jasonem quodam modo interfectum fuisse a Medea: jussu enim hujus eum dormivisse sub puppe navis Argus, quæ jam ob ætatem dissolvenda erat: itaque puppis ruina oppressum eum periisse, Argument. Euripid. *Med.* vide ipsam Fabulam. Medeam a Corinthiis ex Jolco in regnum vocatam fuisse: eamque Jasonem regni compotem fecisse: ac filios quidem peperisse: sed in lucem quicquid edidit, in Junonis fano occultare solitam fuisse, quod eos immortales futuros sibi persuaserat: cumque neque id ex voto successisset, & re comperta, Jason non modo deprecanti non veniam dedisset, sed ea relicta Jolcon revertisset, ipsam Corintho profectam Sisypho imperium tradidisse, scribit ex Eumelo Pausanias *Corinth.* pag 91.

Corinthii in bello Trojano utrique parti præclaram operam navarunt: nam Trojanorum partes sequebatur Glaucus e Sisypho originem ducens; Græcorum vero Euchenor Polyidæ vatis filius: Euchenorem vero Corinthium fuisse, etiam Homerus testatur *Iliad.* Ν. v. 663. seqq.

> Ἦν δέ τις Εὐχήνωρ Πολυΐδου μάντιος υἱός,
> Ἀφνειός τ' ἀγαθός τε, Κορινθόθι οἰκία ναίων.

Scholiast. Pindar. *Olymp.* XIII. antistr. III. vide ipsum Pindar.

Corinthii vero tempore Trojani belli Agamemnonis imperio paruerunt, Homer. *Iliad.* Β. v. 572. 578. Sed post excidium Trojanum, videntur imperium recuperasse, constituto Rege Demophonte, quem Thoantis filium, Ornytionis nepotem, Sisyphi pronepotem facit Pausanias. Ego e posteris quidem Thoantis eum fuisse puto, non vero filium, cum Demophon non procul a reditu Heraclidarum abesse videatur, Thoas vero etiam Argonauticam expeditionem præcesserit: nam patruelis ejus Prœto Argivo σύγχρονος, & frater ejus Phocus Phoco Æaci filio vetustior fuit.

Demophon Thoantis, non quidem filius, sed ἀπόγονος.

Propodas Demophontis filius, Pausan.

Doridas & Hyantidas Propodæ filii. Iis regnan-

tibus Dorienses exercitum, duce Alete Heraclida, contra Corinthum duxerunt. Ibi Doridas & Hyanthidas, regno Aletæ tradito, ipsi Corinthi manserunt; at plebs prælio victa suis sedibus pulsa fuit, Pausan. *Corinth.* p. 92. Corinthii hucusque Æolenses fuerant, Thucyd. lib. IV. pag. 281. Nunc Dorienses facti, tricesimo post Doriensium reditum anno. *Δίδυμος δέ φησι τὸν Ἀλήτην μὴ οἰκιστὴν τῆς Κορίνθου γεγονέναι, ἀλλὰ βασιλέα, ἔτει τριακοστῷ, μετὰ τὴν Δωριέων ἄφιξιν*, Schol. Pindari *Olymp.* ode XIII. antist. I. Paulo ante Aletes, sextus ab Hercule, Hippotis F. Corinthum, quæ ante fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem, in Isthmo condidit. Neque est quod miremur ab Homero nominari Corinthum: nam ex persona Poetæ & hanc urbem, & quasdam Jonum colonias, iis nominibus appellat, quibus vocabantur ætate ejus, multo post Ilium captum conditæ, Vellej. Patercul. lib. I. Sed jam supra diximus, Corinthum a Corintho appellatam.

Aletes cum de Regno Corinthiaco cogitaret, accessit Oraculum Jovis, quod est in Dodone, tulitque responsum, fore ut tunc regno potiretur, cum quis ipsi glebam terræ daret, utque die *πολυστεφάνῳ* insidias strueret. Delatus igitur Corinthum, a quodam rusticano panem petiit: is vero acceptam glebam dedit. Peragebatur vero sacrificium mortuis Corinthi: ob quod cum cives in monumentis essent, supervenit Aletes, invenitque Creontis filias circa tabulas fœderum occupatas, dixitque, si rerum potiretur, se juniorem illarum uxorem ducturum. Virgo assensa, urbem prodidit apertis portis, & rerum potitus Aletes, vocavit eam *Διὸς Κόρινθον*, quandoquidem per Oraculum Jovis principatum obtinuit, Schol. Pindari *Nem.* ode VII. fin.

Aletes Hippotæ filius, Phylantis nepos, Antiochi pronepos, Herculis abnepos, (quintus ergo ab Hercule, non sextus, quod scribit Patercul.) & eius posteritas, ætates quinque usque ad Bacchin regnum tenuit, Pausan. *Corinth.* pag. 92. Imo vero, & Bacchis, cum posteris, Heraclida erat ex Alete, usque ad Cypselum; sed forte hoc scripsit Pausanias, quia Bacchidis posteri, non Heraclidæ, sed Bacchiadæ appellati fuerunt: vide in *Bacchis* infra. *Ἀλήτης ἐπιφανὴς ἀνὴρ γενόμενος, καὶ τὴν Κόρινθον αὐξήσας, ἐβασίλευσεν ἔτη λη΄. Μετὰ δὲ τὴν τούτου τελευτὴν ὁ πρεσβύτατος ἀεὶ τῶν ἐκγόνων ἐβασίλευσε μέχρι τῆς Κυψέλου τυραννίδος*, Eusebius. Melana Antasi F. ex Gonussa, quæ supra Sicyonem est, cum Dorienſibus Corinthum oppugnantem, Aletes tunc quidem, jubente Oraculo, ad alios Græcorum ire jussit; sed postea, neglecto Oraculo, sibi socium ac contubernalem adscivit, Paus. *Corinth.* p. 92. & *Eliac. pr.* p. 323. Παῖδας Ἀλάτα Corinthios vocat Pindar. *Olymp.* ode XIII. ant. I.

Ixion Aletæ F. annos 38. Euseb.

Agelas Ixionis F. annos 37. idem.

Prumnes (Prumnis Pausan.) Agelæ F. annos 35. idem.

Bacchis Prumnæ F. annos 35. Ab hoc posteri Bacchiadæ dicti. *Βάκχις γενόμενος ἐπιφανέστατος τῶν πρὸ αὐτοῦ, διὸ καὶ συνέβη τοὺς μετὰ ταῦτα βασιλεύσαντας, οὐκέτι Ἡρακλείδας, ἀλλὰ Βακχίδας* (*Βακχιάδας* Pausan. & aliis) *προσαγορεύεσθαι*, Euseb. *Ἐβασίλευσε δὲ καὶ Βακχαῖος ὁ τρίτος, χωλὸς καὶ εὐτελὴς τὴν ὄψιν, καλῶς δὲ ἄρχων καὶ πολιτικῶς. ᾧ θυγατέρες μὲν τρεῖς, υἱοὶ δὲ ἑπτά, οἳ τὸ γένος οὕτως ηὔξησαν, ὥστε Βακχιάδας ἀντὶ Ἡρακλειδῶν καλεῖσθαι τοὺς ἀπ᾽ αὐτῶν*, Heraclid. *de Polit.*

Agelas Bacchidis F. annos 30. Euseb.

Eudamus Agelæ F. annos 25.

Aristomedes (Aristodemus Pausan.) Eudami F. annos 35.

Agemon a Teleste Aristomedis F. cujus avunculus ac tutor erat, regnum in se transtulit, regnavitque annos 16. Euseb.

Alexander annos 25. idem.

Telestes Aristomedis F. cui puero regnum eripuerat avunculus, occiso Alexandro, regnavit annos 12. Euseb. Telestem ab Arieo & Peranta occisum, atque post eum nullum Regem fuisse, scribit Pausan. *Corinth.* p. 92.

Automenes, Teleste a cognatis occiso, annum unum regnasse dicitur Eusebio: sed forte Prytanis primus fuerit: nam

Prytanes ex Bacchiadarum gente annuum imperium tenuerunt, Pausan. *Corinth.* pag. 92. Etenim ex Hercule orti Bacchiadæ, cum plures essent ducentis, imperium retinuerunt, & communiter quidem urbi præfuerunt omnes, sed ex suo numero singulis annis unum Prytanin elegerunt, qui dignitate Regia gaudebat, annos nonaginta, usque ad Cypseli Tyrannidem, a qua aboliti fuerunt, Euseb. *Καὶ οἱ Βακχιάδαι τυραννήσαντες, πλούσιοι, καὶ πολλοί, καὶ γένος λαμπροὶ διακόσια ἔτη σχεδόν τι κατέχον τὴν ἀρχήν, καὶ τὸ ἐμπόριον ἀδεῶς ἐκαρπώσαντο*, Strabo lib. VIII. p. 378. Imo ducenti sexaginta octo anni lapsi fuerunt a regni Bacchidis primordio usque ad Cypselum. Bacchiadas *ὀλιγαρχικὴν οἰκίαν* vocat Dionys. Halicar. *Ἦν ὀλιγαρχία, καὶ οὗτοι οἱ Βακχιάδαι καλεόμενοι ἔνεμον τὴν πόλιν. ἐδίδοσαν δὲ καὶ ἤγοντο ἐξ ἀλλήλων*, Herodot. lib. V. pag. 366. *Ἡ τῶν Βακχιαδῶν δὲ τῶν ἐν Κορίνθῳ ἀρχὴ ἐπὶ μέγα δυνάμεως προελθοῦσα, ὅμως διὰ τὴν τρυφὴν τὴν ἔξω τοῦ μέτρου, καὶ αὐτὴ κατελύθη*, Ælian. *Var. Hist.* lib. I. cap. XIX. Demaratum Tarquinii Prisci patrem fuisse *ἐκ τῆς Βακχιαδῶν συγγενείας* docet Dionys. Halicarn. lib. III. §. 10. *Εἷς τῶν ἐν Κορίνθῳ δυναστευσάντων, φεύγων τὰς ἐκεῖ στάσεις, τοσοῦτον ἐνέγκατο πλοῦτον οἴκοθεν εἰς τὴν Τυρρηνίαν, ὥστε αὐτὸς μὲν ἦρξε τῆς δεξαμένης αὐτὸν πόλεως, ὁ δ᾽ υἱὸς αὐτοῦ καὶ Ῥωμαίων κατέστη βασιλεύς*, Strabo lib. VIII. p. 378. de Demarato vide & Dionys. Halicarn. *d. loco*.

Bacchiadis Remp. administrantibus Abron quidam Argivus, metu Phidonis Tyranni, aufugit Corinthum: (vide in *Argiv. Phidon.*) receptis uxore ac domesticis in vico quodam regionis Corinthiacæ Melisso. Illic nato sibi filio nomen a loco indidit Melissi. Hujus Melissi filius Actæon inter æquales pulcritudine, & modestia eminebat: amabaturque a plurimis, sed ab Archia præcipue, e gente quidem Heraclidarum, sed divitiis & potentia Corinthiorum splendidissimo. Cum autem hic puero persuadere non posset, decrevit vi adhibita adolescentulum abripere: itaque comessabundus, adducta amicorum ac domesticorum multitudine in domum Melissi, puerum abducere tentavit. Contra nitente vero patre, & amicis, accurrentibus quoque vicinis, & contra tendentibus, ita distractus Actæon periit. Atque illi quidem sic abiere. Melissus vero cadaver filii in forum Corinthiorum deportatum ostentavit, supplicium eorum flagitans, qui talia patrarant. Illi vero hominis quidem miserti sunt, sed ultra nihil. Tum ille re infecta digressus, Isthmiam Panegyrin observavit: ubi conscenso Neptuni fano, Bacchiadas incusavit, & beneficia patris Abronis commemoravit, diisque invocatis se adversus saxa præcipitem dedit. Haud ita multo post siccitas, & pestis urbem invasit: Corinthiisque de averruncatione cladis Oraculum consulentibus, Deus respondit, iram incumbere Neptuni, non ante remissuri, quam mortem Actæonis vindicarent. His cognitis Archias (nam ipse consultor erat) Corinthum non rediit, sed navigio in Siciliam delatus

Syracusas condidit, Plutarch. *Amat.* B. Eodem tempore Chersicrates genus ab Heraclidis ducens in Corcyram colonos deduxit Corinthios, Strabo lib. VI. p. 269. Scholiast. Apollon. *Argon.* lib. IV. vide in *Corcyræis*.

Corinthii bello primo Messeniaco Lacedæmoniis auxilia miserunt, Pausan. *Messen.* p. 236.

Corinthii bello secundo Messeniaco ad Iram oppugnandam auxilia Lacedæmoniis miserunt: eas copias cum ducibus profligavit Aristomenes, Pausan. *Messen.* p. 251.

Philolaus Corinthius ex Bacchiadarum gente, Dioclem Olympiorum victorem, insanum matris Alcyonæ amorem detestantem, urbe relicta, Thebas se conferentem sequutus, Thebanis legum auctor exstitit, Aristotel. *de Rep.* lib. II cap. XII.

Phalius Eratoclidæ F. Corinthius ab Hercule oriundus, dux coloniæ a Corcyræis Epidamnum missæ fuit, e metropoli, instituto prisco, arressitus, Thucyd. lib. I. p. 17.

Amphion unus e Bacchiadis filiam habuit Labdam, claudam. Hanc cum nemo Bacchiadarum uxorem ducere vellet, Eetion Echecratis F. e tribu Petra, Lapo ac Cœno oriundus uxorem duxit. Quum autem neque ex hac, neque ex alia muliere liberos tolleret Eetion, Delphos abiit, Oraculum de prole consulturus. Ingressum Pythia statim his verbis compellavit:

Ἠετίων, οὔτις σε τίει πολύτιτον ἐόντα,
Λάβδα κύει, τέξει δ' ὀλοίτροχον. ἐν δὲ πεσεῖται
Ἀνδράσι μυνάρχοισι, δικαιώσει δὲ Κόρινθον.

Hæc Oraculum Eetioni respondisse Bacchiadis, qui, quod prius editum de Corintho fuerat, oraculum non intelligebant, cum eodem, quo Eetioni datum, pertineret: erat autem tale:

Αἰετὸς ἐν πέτρῃσι κύει. τέξει δὲ λέοντα
Καρτερὸν, ὠμηστὴν, πολλῶν ὑπὸ γούνατα λύσει.
Ταῦτά νυν εὖ φράζεσθε Κορίνθιοι, οἱ περὶ καλὴν
Πειρήνην οἰκεῖτε, καὶ ὀφρυόεντα Κόρινθον.

Cum igitur Bacchiadæ hujus oraculi sibi prius redditi mentem assequi non possent, postquam audiverunt id quod Eetioni redditum erat, tunc etiam illud prius intellexerunt, cum isto Eetionis congruens. Utrumque igitur silentio pressérunt, perdere, quam geniturus erat Eetion, sobolem in animo habentes. Cumque e suo numero decem viros misissent eo ubi Eetion habitabat, qui puerum jam natum perderent, iique postulatum a Labda, nihil mali suspicata, puerum in manus accepissent, eo fine, ut qui primus illum accepisset, humi allisum necaret, puer illi arrisit, cui primo traditus fuit. Eum ubi pueri miseratio subiit, alteri illum tradidit: is tertio, atque ita deinceps per manus traditus infans per omnes decem transiit, & nemine cædem peragente, incolumis matri redditus fuit. Egressos ex ædibus Bacchiadas, se mutuo accusantes, atque consultantes de peragenda infantis cæde, Labda pro foribus stans exaudivit, metuensque pue o, in *κυψέλῃ* (seu mensura frumentaria sex medimnos capiente, vel vase ubi reponuntur condimenta, vel alveari apum e vimine plexo. *Ἵνα ἔγκειται τὰ τῶν ἡδυσμάτων ἀγγεῖα, κυψέλη*, Pollux lib. VI. cap. I. *Σιπρὸν ἀγγεῖον* Hesychio: *ἑξμέδιμνον κυψέλην* vocat Aristoph. *Pace* p. 668. D. *Ἔστι δὲ εἶδος ἀγγείου ἢ μέτρου δεκτικὸν πυρῶν ἢ κριθῶν*, ait Scholiast. illic: *Πλεκτὸν ἀγγεῖον μελιττῶν* etiam dicitur Hesychio: item *τὰ κενὰ σκεύη*: item pars quædam camini, eidem. *Κυψέλη δὲ χαλκοειδὲς ἀγγεῖόν τι ὑπῆρχεν*, Tzetz. *Chil.* VIII. *Hist.* CLXXVIII.) eum abdidit: itaque redeuntes ad patrandam cædem fefellit: qui etiam iis, a quibus missi fuerant, persuasere rem perpetratam fuisse. *Ἀπὸ τῆς κυψέλης*, quod in illa periculum effugisset, Eetionis filio nomen inditum Cypseli. Is ubi adolevit, Oraculum Delphicum consulens, anceps tulit responsum, quo fretus Corinthum aggressus occupavit: id erat tale:

Ὄλβιος οὗτος ἀνὴρ ὃς ἐμὸν δόμον ἐσκαταβαίνει
Κύψελος Ἠετίδης, βασιλεὺς κλεινοῖο Κορίνθου,
Αὐτὸς καὶ παῖδες, παίδων γε μὲν οὐκέτι παῖδες.

Herodot. lib. V. p. 366. seqq.

Cypselus Eetionis filius, ex Melane Antasi filio oriundus, Tyrannide arrepta, Bacchiadas expulit, Pausan. *Corinth.* pag. 92. Cypselus Tyrannide potitus, Corinthiorum alios fuga, alios opibus, plurimos vita mulctavit, Herodot. lib. V. pag. 368. Cypselum blandum populi ductorem fuisse, nec ullos sui corporis custodes adhibuisse toto sui imperii tempore, scribit Aristotel. *de Rep.* lib. V. cap. XII. vide in *Periander*. Aiunt Cypselum vovisse, si Tyrannide Corinthi potiretur, se fortunas omnium per decennium consecraturum, & exactis census decimis colossum malleo ductum (Olympiæ) confecisse, Suidas *in Κυψελιδῶν*. Cypselum memoriæ proditum est, aureum Jovi in Olympia signum (*σφυρήλατος χρυσοῦς ἀνδριὰς εὐμεγέθης* dicitur Straboni lib. VIII. pag. 378.) dedicasse: eo mortuo, priusquam nomen dono inscripsisset, ab Eleis Corinthios contendisse, ut civitatis suæ nomen inscribi paterentur: quod cum non impetrassent, ira incensos Isthmiorum aditu Eleos prohibuisse, Pausan. *Eliac. pr.* pag. 250. Plutarch. *de Oracul. amet.* pag. 620. B. Cypselus coloniam misit Ambraciam: vide in *Ambracior.* Cypseli filii fuerunt Periander & Gorgus: de Gorgo vide in *Ambracior.* Cypselus cum triginta annos regnasset, feliciter obiit, Herodot. lib. V. pag. 268. Corinthii primi feruntur immutasse navium formam, quæ ad eam, quæ Peloponnesiaci temporibus in usu fuit, proxime accederet, & Corinthi primum ex omni Græcia triremes ædificatæ traduntur. (circa hæc tempora) Constat enim Aminoclem Corinthium navium fabricatorem quatuor naves Samiis fecisse. Ex quo autem Aminocles ad Samios ivit, ad finem belli Peloponnesiaci anni fuerunt trecenti, Thucyd. lib. I. p. 10.

Periander Cypseli (e Cratea, Laert. *Periand.*) filius patri in Tyrannide successit. Is mitius inter initia agebat, quam pater; sed consuetudine Thrasybuli Tyranni Milesii, qui per nuncios fiebat, patre multo crudelior evasit. Cum enim a Thrasybulo per præconem petisset secum optimam Reip. gubernandæ rationem communicari, & Thrasybulus educto præcone in agrum, inter ambulandum eminentes segetis spicas detruncasset: præcone hominis insaniam, qui sua destrueret, mirante, Periander eo facto Thrasybuli sibi præcipi ratus, ut eminentissimos quosque civium tolleret, in cives omnem sævitiam exercere cœpit: quodque Cypselus interficiendo ac proscribendo omiserat, ipse perfecit, Herodot. lib. V. pag. 369. at Thales Milesius Periandrum negat Thrasybulo obtemperasse: *ὡς δὲ Θρασύβουλος*, inquit, *αὐτῷ κολούσεις τῶν ἄκρων ὁμοῦ πολίτης ὑφηγεῖται, μὴ προσιέμενος*, apud Plutarch. VII. *Sapient. Convivio*. pag. 89. Consultum a Thrasybulo Periandrum, spicas eminentes decussisse, refert Aristoteles *de Rep.* lib. III. cap. XIII. & lib. V. cap. X. Aristippus in primo *de antiquis deliciis* libro refert matrem ejus Crateam ejus amore flagrantem clam cum illo congredi solitam non invito, tantoque flagitio acquiescente: quod ubi cognitum fuit, ægre ferentem se fuisse deprehensum, gravius jam civibus institisse, Laert. *Periand.* Primus hic armatis septus incessit, & magistratum ad Tyrannidem transtu-

lit, neque in urbe vivere quosvis passus fuit, ut Ephorus & Aristoteles tradunt. Laert. *Periand.* Περίανδρος δὲ πρῶτος μετέστησε τὴν ἀρχὴν δορυφόρους ἔχων, καὶ οὐκ ἐπιτρέπων ἐν ἄστει ζῆν. ἔτι δὲ δούλων κτῆσιν καὶ τρυφὴν ὅλως περιαιρῶν, Heraclid. *de Polit.* vide Suidam *in* Περίανδρος. Uxorem habuit Lysiden, Proclis (Patroclis Pausan.) Epidauriorum Tyranni, & Eristheneæ Aristocratis filiæ, sororisque Aristodemi, qui, ut ait Heraclides Ponticus in libro *de principatu*, toti fere Arcadiæ imperabant, filiam: duos ex ea filios genuit, Cypselum & Lycophronem: juniorem prudentem, natu majorem stolidum. Post hæc ira stimulante, missam sub gradus prægnantem conjugem, calcibusque petitam necavit, pellicum inductus calumniis, quas tamen postea igne cremavit, Laert. *Periand.* Uxori defunctæ postea detracta omnibus fœminis Corinthiis, ingenuis pariter ac ancillis, quæ festo die ipsius jussu, quam ornatissime poterant, convenerant, per clam dispositos satellites, ornamenta ac vestem cremavit, eo quod missis nunciis ad Thesprotos, qui sunt ad fl. Acherontem, sciscitatum de hospitis deposito Νεκυομαντεῖον, a Melissa defuncta tunc apparente responsum tulisset, se non indicaturam ubi depositum esset, quoniam ipsa, quippe nuda, algeret: nihil enim sibi prodesse vestem, cum qua sepulta fuerat, quod ea cremata non fuisset, Herodot. *l.* v. p. 369. Ephorus in historia vovisse illum tradit, si Olympiis quadrigis vicisset, auream statuam se Deo dedicaturum: victorem vero & egentem auro, celebritate quadam populari, procedentibus mulieribus cum ornamentis, mundum ademisse muliebrem, atque ita donarium misisse, Laertius *Periand.* Δίδυμος καταοκεδάσαι τὸν κολοσσόν φησι Περίανδρον, ὑπὲρ τοῦ τῆς τροφῆς καὶ τοῦ θράσους ἐπισχεῖν τοὺς Κορινθίους, Suidas *in* Κυψελιδῶν. Liberos ejus, cum unus decimum & septimum annum, alter duodevigesimum attigisset, Procles maternus avus Epidauri Tyrannus ad se accitos omni benevolentia complexus fuit: redituros ad patrem percontatus est, num scirent, a quo mater interempta esset? Id dictum a majore natu nullo loco habitum, altius in minoris, cui nomen Lycophron erat, descendit, adeo ut reversus Corinthum, neque patrem affari, neque alloquenti respondere sustinuerit. Eum Periander indignabundus ædibus expulit, & postea a majore natu didicit, quæ Procles avus abeuntibus dixisset. Ibi pater, primum asperitate, deinde benevolentia filium placare cum diu conatus esset, sed frustra; tandem a suis oculis submotum in Corcyram navigio misit: nam & Corcyra ei parebat. Deinde bellum socero Procli intulit, tanquam harum molestiarum auctori, expugnataque Epidauro, Proclem cepit, eique vitam servavit. Interjecto deinde tempore cum senuisset Periander, Corcyram misit arcessitum Lycophronem ad suscipiendam Tyrannidem. (nam hebetior indoles majoris filii esse videbatur) Vocantem patrem ne responso quidem dignatus Lycophron; missam ad se, in eundem finem, sororem repulit, negans se patre superstite Corinthum rediturum. Tandem caduceatore misso ita convenit, ut pater in Corcyram iret, filius Corinthum in Tyrannidem successurus proficisceretur. Quod ubi cognovere Corcyræi, ne ad ipsos veniret Periander, juvenem interemerunt, Herodot. *l.* III. p. 204. seqq. Corcyræis ergo bellum intulit, ob cæsum filium Lycophronem, Schol. Thucyd. Prælium navale omnium, quæ novimus, vetustissimum inter Corinthios & Corcyræos est commissum: sunt autem ab eo prælio ad belli Peloponnesiaci finem anni ducenti & sexaginta, Thucyd. *l.* I. p. 10. Ulturus vero Periander Corcyræos,

A trecentos primorum liberos Sardes ad Halyatten Lydorum Regem castrandos misit. Corinthii autem qui eos ducebant, Samum appulerunt. Ibi pueri a Samiis edocti Dianæ templum contigere. Deinde cum neque Samii pueros paterentur a templo abstrahi supplices, neque Corinthii illis alimenta dari finerent, Samii diem solennem egerunt, in quo quamdiu, nocte adventante, supplicabant pueri, tamdiu choros virginum atque adolescentum exercebant. Choros autem exercentes esculenta e sesamo & melle fecerunt distribuenda ut iis raptis Corcyræi pueri vescerentur: neque id ante facere omiserunt, quam Corinthii pueris relictis

B abirent, Herodot. *l.* III. p. 204. 205. 206. 207. Quod ubi didicit Periander, mœrore confectus, e vita excessit, annos natus ferme octoginta. Sosicrates eum ante Crœsum obiisse, sexaginta & uno annis ante XLIX Olympiadem, Laert. *Periand.* Quatuor & quadraginta annos regnasse Periandrum, & Tyrannicum quidem fuisse, sed tamen militarem & bellicosum scribit Aristoteles *de Rep.* l. v. c. XII. Μέτριος δ' ἦν ἐν ἄλλοις, τῷ τε μηδενὶ τέλος πράσσεσθαι, ἀρκεῖσθαι δὲ τοῖς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς καὶ τῶν λιμένων. καὶ τῷ μήτε ἄδικος, μήτε ὑβριστικὸς εἶναι, μισοπόνηρος δὲ τὰς προαγωγοὺς πάσας κατεποντίσεν, &c. Heraclid. *de Polit.* Περίανδρος δὲ ἔοικεν, ὡς ἐν νοσήματι πατρῴῳ τῇ τυραννίδι κατειλημμένος, οὐ φαύλως ἐξαναφέρειν, χρώμενος ὁμιλίαις ὑγιειναῖς ἄχρι γε νῦν, καὶ συνουσίας ἀνδρῶν νοῦν ἐχόντων ἐπαγόμενος, Plutarch. VII. *Sap. Conviv.* p. 89. Ἤκμασε δὲ περὶ τὴν τριακοστὴν ὀγδόην Ὀλυμπιάδα, καὶ ἐτυράννησεν ἔτη τετταράκοντα, Laert. *Periand.* Afferunt illum, cum sepulchrum suum ignorari vellet, tale quippiam molitum: juvenibus duobus viam quandam ostendisse, quam noctu ingressi, quem primum obvium haberent, interemptum sepelirent: postque illos, alios quatuor misisse, qui priores necatos sepultu-

D ræ traderent; tum contra hos, plures misisse cum iisdem mandatis; ita ipsum primis obvium, occisum fuisse. Corinthii cenotaphium ejus his versibus illustrarunt;

Πλούτου καὶ σοφίης πρύτανιν πατρὶς ἥδε Κόρινθος
Κόλποις ἀγχιάλοις γῆ Περίανδρον ἔχει.

Laert. *Periand.* Periander inter septem Græciæ Sapientes vulgo numeratur; sed Plato Aristonis F. pro eo ponit Chenensem Mysonem, Pausan. *Phocic.* pag. 655. Sotion atque Heraclides & Pam-

E phila in quinto *Commentariorum*, duos ajunt fuisse Periandros: Tyrannum alterum, alterum vero Sapientem, eumque Ambracioten. Neanthes Cyzicenus eos patrueles fuisse ait. Aristoteles Corinthium afferit fuisse Sapientem, Laert. *Periand.* Ὅτι δύο Περίανδροι, ὁ μὲν σοφὸς ἦν, ὁ δὲ Τύραννος, Ælian. *Var.* l. XII. c. XXXV. vide Plutarch. *de* EI *Delphic.* p. 200. B.

Ad Periandrum Corinthum venisse narrant Arionem Methymnæum, qui insidias secum navigantium fugiens, sese in mare projecerat, sed a delphino eyceptus, Tænoron transvectus fuit, indeque Corinthum venit, quo etiam isti ejus insidiatores appulerunt, Herodot. *l.* I. pag. 9. 10. vi-

F de Hygin. *Fab.* CXCIV. Solin. *c.* XII. Gell. *l.* XVI. *c.* XIX.

Psammetichus Gordiæ (forte Gorgiæ, qui Periandri frater fuit, teste Plutarcho VII. *Sapient. Conviv.* pag. 97. A.) filius annos tres regnavit: firmaque permansit Cypselidarum Tyrannis Corinthi annos nonaginta tres & sex menses, Aristotel. lib. v. *de Rep.* cap. XII. Sed e Cypseli XXX. Periandri XLIV. Psammetichi III. annis non nisi LXXXII. conficiuntur. Sed forte Gorgiæ Psammetichi patri tribui possunt XVI. anni & III.

mensses, ut numerus constet. Finis hic fuit Cypselidarum Tyrannidis. Κύψελος τὰς Βακχιάδας καταλύσας, μέχει τειγονίας ἐτυράννησε, Strabo *l.* VIII. p. 378. Sic Ælianus docet nullam Tyrannidem ἐπὶ τειγονίας propagatam, præter Gelonis in Sicilia, Leucaniorum in Bosporo, & Cypselidarum Corinthi: quas intra hominum memoriam apud Græcos memorari, ἢ εἰς ἐγγόνους διαρκέσαι scribit, *Var. Hist.* l. VI. c. XIII. Oraculum supra memoratum Cypselo datum ad filios Tyrannidem restringit. Cypselidas Corintho expulsos a Lacedæmoniis, scribit Plutarchus *de malign. Herodoti* p. 670.

Corinthii Delphis thesaurum ædificarunt, & in eo aurum a Crœso Lydo acceptum reposuerunt, Pausan. *Phocic.* p. 633. Misit enim Crœsus inter alia Delphos dolia argentea, quæ in Corinthiorum thesauro sunt collocata, Herodot. *l.* I. p. 21.

Corinthii Lacedæmonios in expeditione contra Samios suscepta, animis promptis adjuverunt, Herodot. *l.* III. p. 204.

Corinthii una cum Lacedæmoniis Eleusinen invadentes, ut Isagoras Athenis constitueretur Tyrannus, primi omnium secum reputarunt, injuste a se agi: & sententia mutata, socios reliquerunt, cum jam ambo exercitus ad confligendum in procinctu starent, Herodot. *l.* V. p. 359.

Corinthii Atheniensibus, sibi eo tempore amicissimis, naves sibi commodari adversus Æginetas rogantibus denegarunt, eo quod lege vetarentur naves dare: sed acceptis in singulas quinis drachmis vendiderunt, Herodot. *l.* VI. p. 424.

Corinthii quadringentos milites miserunt contra Xerxem ad Thermopylas, Herodot. *l.* VII. p. 513.

Corinthii in pugna navali ad Artemisium naves quadraginta præbuere, duce Adimanto Ocyti F. atque hic quidem, cum Græci navium hostilium metu perculsi plerique de discessu cogitarent, ipse in primis se negavit permansurum; sed acceptis a Themistocle tribus argenti talentis, sententiam mutavit, Herodot. *l.* VIII. p. 528. 529.

Corinthii in prælio navali ad Salaminen naves quadraginta præbuerunt, duce Adimanto: affirmantque se inter primos pugnatores fuisse: pro quibus etiam testimonium dicit reliqua Græcia. At Athenienses narrant Adimantum statim, inter initia concursus navium, timore perculsum, sublatis velis fugæ se dedisse: & Corinthios ducem sequutos quoque abiisse, Herodot. *l.* VIII. p. 542. 561. Hæc refellens Plutarchus *lib. de malign. Herodoti* p 677. scribit: Ἐν δὲ Σαλαμῖνι παρὰ τὴν πόλιν ἔδωκαν (Athenienses) αὐτοῖς (Corinthiis) θάψαι τε τοὺς ἀποθανόντας ὡς ἄνδρας ἀγαθοὺς γενομένους, καὶ ἐπιγράψαι τόδε τὸ ἐλεγεῖον:

Ω ξεῖνε εὔυδρόν ποτ' ἐναίομεν ἄστυ Κορίνθου,
  Νῦν δὲ ἀνάματος νᾶσος ἔχει Σαλαμίς.
Ἐνθάδε Φοινίσσας νῆας καὶ Πέρσας ἑλόντες
  Καὶ Μήδους, ἱερὰν Ἑλλάδα ῥυόμεθα.

Inde & Cenotaphii in Isthmo inscriptionem adfert: item cuidam Diodoro Corinthiarum triremium Præfecto in fano Latonæ positorum anathematum. Tum ipsius quoque Adimanti Epitaphium:

Οὗτος Ἀδειμάντου τάφος, ὃν διὰ πᾶσα
  Ἑλλὰς ἐλευθερίας ἀμφέθετο στέφανον.

Sic & Dion Chrysostomus in *Corinthiaco*: Ἡροδότῳ, inquit, μὲν οὐ προσέχω, ἀλλὰ τῷ τάφῳ, καὶ τῷ Σιμωνίδῃ, ὃς ἐπέγραψεν ἐπὶ τοῖς νεκροῖς τῶν Κορινθίων, τεθαμμένοις ἐν Σαλαμῖνι: Ω ξεῖνε, &c. sed pro ἀνάματος legit μετ' Αἴαντος, rectius quidem judicio Canteri *Var. Lect.* l. II. c. VII. Postea addit Dio, ἔστι δὲ ἕτερον ἐπίγραμμα Σιμωνίδῃ, εἰς αὐτὸν τὸν στρατηγὸν (Adimantum) ἐξαίρετον: Οὗτος, &c. Verisimile vero non esse mortuo, viro ignavo & proditori tantum honorem habitum: neque ausum ipsum filiabus nomina imponere, uni Ναυσινίκην, alteri Ἀκροθίνιον, tertiæ Ἀλεξιβίαν, & filium Ἀριστέα appellare, nisi quidam splendor ac gloria in ipsius gestis eluxisset, scribit Plutarchus *d. l.* Idem Adimantus captis a Xerxe Athenis cum de abitu Græci cogitarent, Themistocli summa opera annitenti, ne id fieret, dixit: Ω Θεμιστόκλεες, ἐν τοῖσι ἀγῶσι οἱ προεξανιστάμενοι ῥαπίζονται. Cui Themistocles, Οἱ δὲ, inquit, ἐγκαταλειπόμενοι οὐ στεφανοῦνται, Herodot. *l.* VIII. p. 547.

Corinthiorum quinque millia erant in exercitu Græco ad Platæas contra Persas coacto, Herodot. *l.* IX. p. 596. Ἀλλὰ Κορινθίους τε καὶ τάξιν, ἣν ἐμάχοντο τοῖς Βαρβάροις, καὶ τέλος ἡλίκον ὑπῆρξεν αὐτοῖς ἀπὸ τοῦ Πλαταιᾶσιν ἀγῶνος, ἔξεστι Σιμωνίδου πυθέσθαι γράφοντος ἐν τούτοις.

— οἵ γ' Ἐφύραν πολυπίδακα ναιετάοντες,
  Παντοίης ἀρετῆς ἴδριες ἐν πολέμῳ:
Οἵ τε πόλιν Γλαύκοιο, Κορίνθιον ἄστυ νέμοντες,
  Οἱ κάλλιστον ἑῶν μάρτυν ἔθεντο πόνων,
Χρυσοῦ τιμήεντος ἐν αἰθέρι. καί σφιν ἀέξει,
  Αὐτῶν τ' εὐρεῖαν κληδόνα καὶ πατέρων.

Plutarch. *de malign. Herodot.* p. 678. B. Epigrammatis hujus initium corruptum est, & Μέσσοισι quidem prima vox ejus est, sed nullius hic sensus: ideo pro γεφύραν lego γ' Ἐφύραν, ratio manifesta est: in Pentametro seq. pro ἴδρυες voce nihili, lego, ἴδριες *gnari, periti*.

Corinthii in pugna ad Mycalen adversus Persas rem strenue gesserunt, Herodot. lib. IX. p. 628.

Corinthii Epidamniis seditionibus & finitimorum Barbarorum bello attritis, petentibus auxilia misere: Corcyræis, qui Epidamnum suam coloniam sibi vendicabant, ægre ferentibus. Inde inter Corinthios, & Corcyræos ortum bellum: Corinthiorum socii adversus Corcyræos initio fuerunt Megarenses, Palenses, Epidaurii, Hermionenses, Trœzenii, Leucadii, Ambraciotæ, Thebani, Phliasii, Elei. Ipsi Corinthii naves triginta, & tria millia gravis armaturæ militum instruxerunt. Prima navali pugna victi a Corcyreis naves quindecim amiserunt. Mox majore apparatu, nonaginta navium instructa classe, se ad bellum instruxerunt: missis autem Athenas Legatis, ne quam opem Corcyræis Athenienses ferrent, cum nihil impetrassent, seque Atheniensibus impares esse, & multis jam cladibus exhauriri intelligerent, ad Lacedæmonios confugerunt, Thucyd. lib. I. pag. 17. 20. 32 seqq. Inde & ex aliis causis bellum Peloponnesiacum conflatum.

Corinthii bello Peloponnesiaco Lacedæmoniorum socii fuerunt, & classem cum aliis præbuerunt, Thucyd. lib. II. p. 105.

An. III. B. P. Corinthiorum septem, & quadraginta navium classis a Phormione Atheniensi victa ad Naupactum, Thucyd. lib. II. pag. 155. seqq.

An. VII. B. P. Corinthii terrestri prælio a Nicia Atheniensi victi sunt, Thucyd. lib. IV. pag. 281.

An. XI. B. P. Corinthii cum Argivis, Mantinensibus, Eleis, fœdus inierunt, Thucyd. lib. V. pag. 363.

Corinthii Timolaus & Polyanthes aurum acceperunt a Tithrauste per Timocratem Rhodium, ut Lacedæmoniis bellum concitarent, quo Agesilaus ex Asia revocaretur, Xenoph. *Hellen.* lib. III. p. 392.

inde bellum Corinthiacum conflatum a Corinthiis, Argivis, Atheniensibus & Thebanis adversus Lacedæmonios gestum, Pausan. *Messen* p.248

Corinthum Argivi suo adjecerunt imperio, Xenoph. *Agesil.* pag.522. Cum vero e Corintho factis eruptionibus Athenienses, Bœoti, Argivi, eorumque socii bellum adversus Lacedæmonios gererent, viderentque Corinthii suum agrum populationibus infestum esse, suosque interfici, quod semper prope hostes essent, reliquis interim fœderatis pace fruentibus, ac suos agros colentibus, plurimi eorum optimique quique pacem, & ipsi expetebant, & communicatis consiliis se mutuo de hac re monebant. Ea re cognita, Argivi, Bœoti, Athenienses, & Corinthii quotquot & missæ a Rege pecuniæ participes facti fuerant, & qui in primis belli auctores exstiterant, veriti ne Corinthus rursus Lacedæmoniorum partes sequeretur, nisi e medio tollerentur, qui ad pacem inclinabant, die Eucleorum postremo, strictis gladiis alium in circulo consistentem, alium sedentem, alium in theatro, nonnullos etiam tum sedentes ut disceptatores, percusserunt. Re patefacta, mox optimates partim ad simulacra Deorum, partim ad aras fugerunt, sed ad ipsa Deorum fana mactati fuerunt. Ita complures seniorum periere, quod major eorum pars forte tum in foro esset. Juniores vero, Pasimelo tale quiddam futurum suspicante, se in Cranio continuerunt. Audito vero clamore, cum etiam quidam ex ipsa cæde fugientes ad eos pervenissent, Acrocorinthum cursu conscenderunt, objectosque tum Argivos, tum alios loco pepulerunt. Deliberantibus vero, quid faciendum esset, capitellum de columna decidit, nullo neque terræ motu neque vento impulsum, sacraque eam ob rem facientibus, talia exta apparuerunt, ut vates rectius facturos dicerent, si de loco descenderent. Itaque primo tanquam in exsilium abituri, agro Corinthio excedebant: suadentibus vero amicis, matribus, fratribus, atque nonnullis etiam e magistratu sub jurisjurandi religione pollicentibus, nihil incommodi passuros, nonnulli se domum receperunt. Cumque conspicerent eos qui Tyrannidem exercebant, & urbem deleri animadverterent, quod & limites revellerentur, & Argus pro Corintho appellaretur eorum patria, cogerentur denique jus civitatis Argivæ, quo nomine indigebant, recipere, cum ipsa in urbe minus etiam, quam inquilini, possent, quidam eorum dandam sibi operam putarunt ut pristinum in statum ac libertatem Corinthus vindicaretur, & ab homicidis liberata legibus optimis administraretur. Ita viri duo Pasimelus & Alcimenes Praxitam Polemarchum Lacedæmoniorum, qui sua cum cohorte tum Sicyonem præsidio tenebat, induxerunt, ut cum sua cohorte, & Sicyoniis, & exsulibus Corinthiis urbem occuparet. Potitique intra ipsos muros insigni victoria fuerunt Lacedæmonii, & Praxitas dejecta murorum parte, ut ingredi copiæ possent, inde cum exercitu abiit. Urbes vero missis Corinthum præsidiariis, mœnia tutati sunt. Tum Lacedæmonii profecti e Lechæo cum cohorte sua, & exsulibus Corinthiis, undique Corinthiorum urbem castris cinxerunt. Veriti ergo Athenienses, ne per dirutos muros Lacedæmonii in se irruerent, eos instaurarunt; sed Agesilaus Corinthum transiens instauratos cepit, Xenoph. *Hellen.* lib. IV. pag. 406 407. 408. 409. 410.

Corinthii, cum pace Antalcidæ omnia Græci nominis oppida sui juris esse juberentur, Argivum præsidium non dimittebant: iis ergo denunciatum fuit ab Agesilao Rege Spartano, bellum se adversus ipsos, ni Argivos dimitterent, mo-

A rum, & adversus Argivos, ni Corintho excederent. Utrisque metu perterritis Argivi excesserunt, & Corinthiorum urbi jus & libertas sua restituta: tum vero cædis auctores, & quotquot affines culpæ fuerant, sponte Corintho excesserunt, ac cæteri cives non inviti in urbem eos, qui ante exsulabant, admiserunt, Xenoph. *Hellen.* lib. v. pag. 430. Lacedæmonii vero pacis istius patroni Corinthum sibi societate devinxerunt, idem *ibid.* pag. 431

Corinthiorum fines, Thebani nulla injuria lacessiti, invaserunt, arbores succiderunt, domos exusserunt, pecunias ac pecora diripuerunt.
B Hanc injuriam questus apud Athenienses, eorum auxilium imploravit Clitenes Corinthius. Ea querela, plausu Atheniensium, tanquam justissima excepta fuit: decretaque fuerunt auxilia Lacedæmoniis adversus Thebanos, Xenoph. *Hellen.* lib. VI. p.477. 479.

Corinthii, cum post initam inter Athenienses & Arcades societatem intellexissent id agi ut Corinthus Atheniensium populo salva esset, continuo missis huc & illuc satis magnis præsidiis, ubicunque in excubiis Athenienses erant, abire ipsos jusserunt, quod jam non amplius opera præsidiorum egerent. Ita factum, ut Corintho Athenien-
C ses excederent. Corinthii vero novos hostes Athenienses nacti, & bellum jam sibi difficilius fore rati, novas copias equestres pedestresque stipendio conductas coegerunt. His cum ipsi præessent, eadem opera urbem suam præsidio muniebant, & hostibus negotium facessebant. Deinde etiam Lacedæmoniis permittentibus, pacem a Thebanis petierunt ac impetrarunt, ea conditione, ut suo agro fruerentur, Xenoph. *Hellen.* lib. VII. pag. 495. 496.

D Timophanes Timaneti F. cum Corinthiis omnibus opibus, & ingenii temeritate præstaret, diu visus fuit ad Tyrannidem adspirare. Cum autem egenis succurrendo, arma comparando, & cum facinorosorum hominum agmine per forum obambulando, se Tyrannum esse non dissimularet, omniaque ejus facta prorsus tyrannidem saperent, Timoleon ejus frater ab unius dominatione alienissimus, ei initio persuadere conatus fuit, ut ab incepto desisteret: postquam vero se frustra id agere, eumque in dies magis insolescere animadvertit, ipse foro obambulans fratrem obtruncavit. Excitato inde tumultu, cum cives quam-
E plurimi ad atrox, & inusitatum facinus accurrissent, seditio orta fuit: his Timoleonta ut fratricidam ex legibus supplicio afficiendum censentibus: aliis factum ejus ut Tyrannicidæ laudantibus. Res in senatu acta fuit magna contentione. Interim, dum ea durat altercatio, Legati Syracusis veniunt Corinthum, precantes Syracusanis multorum potentium tyrannide oppressis ducem a Corinthiis aliquem mitti, qui rebus ipsorum afflictis succurreret. Corinthiis æquissimum rati suis colonis suppetias ferre, Timoleontem illuc mittere e re esse censuerunt, eique affirmarunt, si bene rem Syracusanam administraret, se
F eum Tyrannicidam, sin secus, & per animi libidinem, fratricidam eundem judicaturos esse. Timoleon vero non tam metu sibi per hanc Senatus sententiam injecto, quam virtutis studio, rebus Siculis bene, & ex Siculorum usu præfuit. Debellatis siquidem Carthaginiensibus, receptas e Græcorum manibus Græcis urbes vastatas ac desertas, multitudine hominum frequentes reddidit. Diodor. *lib.* XVI. pag. 459. seqq. Timophanem Corinthi Tyrannidem arripuisse, cum Corinthii ei exercitum tradidissent, scribit Aristotel. *de Rep.* lib. v. cap. VI.

Olymp. CX. 4. Corinthi Concilium Græciæ habuit Philippus Amyntæ F. in quo ab omnibus Græcis dux, & summæ potestatis imperator adversus Persas delectus fuit, Diodor. lib. XVI. pag. 478. Corinthum etiam arcessitis Græcis persuasit Alexander Philippi F. ut communi decreto imperatorem Græciæ se esse juberent, Diodor. lib. XVII. pag. 489.

Olymp. CXVIII. 1. Corintho a Cratesipoli uxore Polysperchontis receptæ præsidium imposuit Ptolomæus Lagides, Diodor. lib. XX. pag 774. Prepolaum Cassandri præfectum inde postea ejecit Demetrius, ac libertate urbi reddita, præsidium tamen Acrocorintho imposuit, quod urbem sub Regis tutela permanere cuperent cives, donec cum Cassandro esset debellatum, Diodor. lib. XX. p. 827. seq.

Corinthus ab Antigono occupata, præsidium Macedonicum recepit: sed ab Arato Sicyonio liberata fuit, pugna commissa, & cum aliis Persæo præsidii præfecto interfecto: ita præsidio ejecto locum in Achæorum Concilio acceperunt, Paus. *Achaic.* p. 411.

Corintho Philippus Demetrii F. præsidium imposuit, Pausan. *Achaic.* pag. 411. Cumque urbs a Romanis, Attalo & Achæis oppugnaretur, uno animo omnes & Macedones tanquam communem patriam tuebantur, & Corinthii ducem præsidii Androsthenem haut secus quam civem, & suffragio creatum suo imperio justo patiebantur. Ita adventu in Achaiam Philoclis Regii præfecti Corinthus liberata fuit obsidione, Livius lib. XXXII. Præsidium istud tamen postea a T. Quintio Flaminio ejectum fuit: & Corinthii cum in potestate Macedonum esse desiissent, iterum mox ad Concilium Achæorum se aggregarunt, Paus. *Achaic.* p. 411. & devictis Macedonibus Romanis Corinthios cum aliis Græcis liberos, immunes, suis legibus esse jusserunt, Livius lib. XXXIII.

Corinthii cum cæteris Achæis, Critolai auctoritatem sequuti, bellum Romanis intulerunt. Sed Romani victores, imperatore Mumio, urbem everterunt, Pausan. *Corinth.* pag. 85. Urbs a Mumio capta cremataque: viri omnes trucidati: fœminæ, & pueri ejus jussu sub corona venundati: donaria & reliqua ornamenta admiratione dignissima Romam asportata: reliqua Philopœmeni Attali auxiliorum ductori data, & ad Pergamenos delata, Pausan. *Achaic.* pag. 427. Florus lib. II. *cap.* XVI. *Κόρινθον κατέσκαψαν Ρωμαῖοι*, Strabo lib. VIII. p. 361. 381.

Corinthus a Romanis postea restituta fuit, missis illuc a Cajo Cæsare colonis, Pausan. *Corinth.* p. 85. Strabo lib. VIII. p. 361. 379. 381.

Corinthii cum urbem haberent ad Isthmum sitam, emporium fere semper habuerunt, quia Græci, Peloponnesii pariter ac cæteri, terra potius quam mari, per illorum agrum commeantes inter se commercia olim agitarunt, pecuniaque & opibus potentes fuerunt, ut etiam ab antiquis Poetis declaratum est: urbem enim illam *ἀφνειὸν* (ut Homer. *Iliad.* B. v. 570.) cognominarunt. Et postquam Græcis jam per navigationes potius commercia esse cœperant, latrociniis sublatis, Corinthii utrinque emporium præbentes, urbem pecuniarum proventu potentem habuerunt, Thucyd. lib. I. pag. 10. II. Sed & quod Isthmii ludi, qui illic agebantur, illuc multitudinem hominum attraherent, majorem opum parandarum commoditatem consequuti sunt, Strabo lib. VIII. pag. 378. quem vide.

Corinthii fanum Veneris ita locuples fuit, ut plures quam mille habuerit sacrorum famulas meretrices, quas Deæ viri mulieresque dedicarunt: ob hæc igitur & magna hominum multitudo, in ea urbe, & divitiæ fuerunt: naucleri enim facile sua prodigebant, unde adagio locus:

Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθόν ἐσθ' ὁ πλοῦς.

Et quidem memoratur cujusdam meretricis dictum, quæ mulieri ipsi ignaviam exprobranti, quod opus non faceret, neque lanam tractaret, responderit: *ἐγὼ μέντοι ἡ τοιαύτη τρεῖς ἤδη καθεῖλον ἱστοὺς ἐν βραχεῖ χρόνῳ τούτῳ*, (significat autem *ἱστὸς* & lignum, cui circumdatur tela, & malum navis) Strabo lib. VIII. p. 377. de ipso adagio vide Zenobium, Diogenianum, Gellium lib. I. c. VIII. Suidas præter hanc, etiam duas alias adagii rationes adfert: *Διὰ τὸ τὰς ἑταίρας ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος εὔξασθαί φασιν ἐν τῷ μεγάλῳ πολέμῳ τῇ Ἀφροδίτῃ. ἢ διὰ τὸ δυσείσβολον εἶναι τὸν πλοῦν. ἢ ἐπεὶ πολλαὶ ἦσαν ἑταῖραι, καὶ τῶν πλουσίων μόνον ὁ πλοῦς.*

Phidon Corinthius lator legum antiquus, & domos æquales permanere oportere existimavit, & multitudinem civium, quamvis omnibus ab initio sortito obtigissent partes bonorum magnitudine inæquales, Aristotel. lib. II. *de Rep.* cap. VI. Corinthii minime contemptui habent opifices. *ἥκιστα ὄνονται τοὺς χειροτέχνας*, Herodot. lib. II. pag. 175.

Eumelus Amphilyti F. Bacchiades scripsit Historiam Corinthiacam, & carmina: meminit ejus sæpe Pausanias.

Corinthiorum coloni, Megarenses, Corcyræi, Syracusani, Molycrii, Anactorii, Ambraciotæ, Leucadii, &c.

Corinthii intra Isthmum habuerunt munimentum Cenchreas: extra eum vero munimenta Siduntem & Crommyonem, Scyl. *Caryand.*

TENEATÆ.

Tenea agri Corinthii pagus, unde plerosque sequutos fuisse Archiam, qui Syracusas coloniam deduxit, ferunt. Istumque pagum postea præ aliis floruisse, & ad extremum peculiarem sibi Remp. constituisse, ac a Corinthiis ad Romanos defecisse, Corinthoque excisæ superfuisse: & cuidam ex Asia profecto, cum Oraculum, an Corinthum migrare expediret, consuleret, responsum fuisse:

Εὐδαίμων ἡ Κόρινθος, ἐγὼ δ' εἴην Τενεάτης.

Strabo lib. VIII. pag. 380 Teneam nomen accepisse a Teno Cygni F. scribit Stephanus. *Οἱ δὲ ἄνθρωποί φασιν οἱ ταύτῃ Τρῶες εἶναι, αἰχμάλωτοι δὲ ὑπὸ Ἑλλήνων ἐκ Τενέδου γενόμενοι, ἐνταῦθα Ἀγαμέμνονος δόντος οἰκῆσαι*, Pausan. *Corinth.* pag. 94. *Δοκεῖ δὲ συγγένειά τις εἶναι Τενεδίοις πρὸς τούτους ἀπὸ Τένου τοῦ Κύκνου*, &c. Strabo lib. VIII. p. 380.

CHALCIDENSES.

Chalcis urbs Corinthi, Stephan. Chalcis urbs Corinthiorum: capta fuit ab Atheniensibus Tolmide duce, Thucyd. lib. I. pag. 71. Errat Scholiastes, qui Thucydidem de Chalcide Acarnaniæ loqui ait.

Asæ, vicus Corinthi, Stephan. *Ἀσαὶ καὶ Μαῦσος, κῶμαι μεγάλαι, καὶ πολυάνθρωποι*, Theopompus. XXXIX. *Philipp.*

Mausus, vicus Corinthi, Stephan.

MEGARENSES.

Car Phoronei filius in Megaride regnum tenuisse, eoque imperante urbem nomen Megara accepisse dicitur, quod tunc primum Cereri illic

illic templa erecta fuerint, Μέγαρα appellata, Pausan. *Attic.* p. 73. A Care arx Caria Megaris dicta fuit, Pausan. *Attic.* p. 75. Megara nomen accepisse a Megareo Apollinis F. vel Ægei F. Pandionis nepote, Erechthei pronepote, Vulcani abnepote, scribit Stephanus. A Megareo Neptuni filio urbem appellatam dixerunt Bœotii, Pausan. *Attic.* p. 73. vide infra in *Nisus.* Potest videri quoque nomen illi dedisse Megarus Jovis & Nymphæ Sithnidis filius, quem Deucalionis diluvium in monte Geraniæ effugisse, nomenque monti dedisse, quod gruum (γεράνων) prætervolantium vocem sequutus, illuc natando evasisset, tradunt: ut scribit Pausan. *Attic.* p. 74.

Lelex duodecim post Cara ætatibus ex Ægypto Megara venit, eoque regnante indigenæ Leleges appellati sunt, Pausan. *Attic.* p. 73. Lelegem Neptuni & Libyes Epapho natæ filium fuisse dicunt, Pausan. *Attic.* p. 82.

Cleson Lelegis F. Ejus filias Cleso & Tauropolin ejectum Inus cadaver in maritimam agri Megarensis oram, sublatum sepulturæ mandasse: ipsamque Ino primum illic Leucotheam appellatam fuisse Megarenses narrant, Pausan. *Attic.* p. 79.

Pylas Clesonis F. Is cum patruum suum Diantem interfecisset, in Peloponnesum abiit, & Pandioni genero, qui Athenis per seditionem a Metionis filiis ejectus ad ipsum confugerat, regnum Megaridis tradidit, Apollod. *l.* III. p. 134. 135. Pylas in Messenia Pylon urbem, deductis in eam e Megaride Lelegibus, condidit: sed mox inde a Neleo & Pelasgis ex Iolco venientibus pulsus, Pylon in Elea tenuit, Pausan. *Messen.* p. 285. Pylæ filius fuit Sciron, Pausan. *Attic.* p. 73. Filiam N. Pandioni uxorem dedit.

Pandion Cecropis filius, Pylæ gener. Ei Megaris nati fuerunt Ægeus, Pallas, Nisus, Lycus, Apollod. *l.* III. p. 135. α. Itaque Attica in quatuor partes divisa, Nisus Megaridem accepit, & Nisæam condidit: olim enim Iones hanc regionem possederunt, qui & Atticam tenuerunt, Megaris nondum conditis: ideoque Homerus horum locorum mentionem non facit seorsim, sed cum Athenienses vocat omnes Atticæ incolas, Megarenses quoque eo nomine complectitur, Strabo *lib.* IX. p. 392. Ταύτης (Ιωνίας vel Ιάδος) ἦν καὶ ἡ Μεγαρὶς μέρος, idem *ibid.* vide & infra in *Alcathous.*

Nisus Pandionis F. disceptavit cum Scirone Pylæ F. de regno; sed Æacus arbiter delectus, Niso ejusque posteris regnum, Scironi vero exercitus, totiusque rei bellicæ imperium adjudicavit, Pausan. *Attic.* p. 73. Nisus ergo, regno Atheniensium Ægeo fratri natu maximo concesso, ipse Megara obtinuit, & quicquid agri ad fines usque Corinthiorum pertinet, Pausan. *Attic.* p. 73. A Niso Nisæa navale Megarensium nomen habet, Pausan. *Attic.* p. 73. Uxorem habuit Nisus e Bœotia Abroten Onchesti filiam, Megarei sororem, fœminam sapientia & modestia excellentem. Ejus mortem Megarenses sponte luxerunt, & Nisus in perpetuam ejus memoriam ac gloriam jussit fœminas Megarenses eam stolam gestare, quam illa gestarat, quamque propter illam ἀφάβρωμα appellavit. Et Deus honori fœminæ visus est opitulari: fœminas enim Megarenses vestem sæpe mutare cupientes, oraculo vetuit, Plutarch. *Quæst. Græc.* XVI. Hunc Nisum fabula vulgata est capillum purpureum habuisse: quo salvo mori se non posse ex oraculo cognorat. Ita vero accidit, ut, cum Cretenses ejus fines hostilem in modum adorti, & alia in Megaride oppida subitis incursionibus cepissent, & ipsum intra Nisææ mœnia compulsum obsedissent, Scylla ejus filia, Minois amore capta, crinem patri detonderit: atque ita Nisus a Minoe interemptus sit, Pausan.

A *Attic.* p. 33. Minos vero Megaris potitus Nisi filiam pedibus vinctam e puppi in mare dejectam submersit, Apollod. *l.* III. p. 136. α. β. Ea fluctibus ad Scyllæum ejecta, illic sepulta fuit, Strabo *l.* VIII. p. 373. Bœoti Megareum dicunt Neptuni F. Onchesti sedem habentem, inde cum Bœotiorum manu Niso contra Minoen auxilio venisse: cumque in prælio cecidisset, eo ipso, in quo ceciderat, loco sepultum, urbi, quæ antea Nisa appellabatur, nomen dedisse, Pausan. *Attic.* p. 73. Ridicule legitur in Apollod. edit. Roman. p. 136. α. Μεγαρέα τὸ Ἱππομενη ἐξ Οχετοῦ Νίσῳ βοηθὸν ἐλθόντα: & inepte vertit Ægius Spoletinus, *Ex Cloaca Niso* B *opitulaturus advenerat:* lege ἐξ Ογχηστοῦ, *ex Onchesto.* Marcianus Περ. p. 21. *l.* X.

Λέγουσι δ' Ογχηστοῦ γενόμενον ἐγκρατῆ
Μεγαρέα, ἀφ' αὐτοῦ τοῦτο θέσθαι τοὔνομα.

Scironis uxor fuit Pandionis filia, Pausan. *Attic.* p. 73. Chariclo, Cychrei Salaminii filia, ejus uxor dicitur Plutarcho in *Theseo.* Sciron cum saxa, quæ Moluridi adjacent, accoleret, ex iis quoscunque C nactus esset hospites, in mare dejecit, eos vero adnatans hirudo marina conficere dicebatur. Sed eodem postea mortis genere scelus luit a Theseo in idem abjectus mare, Pausan. *Attic.* p. 84. Megarenses non prædonem & injuriosum fuisse Scironem, sed qui latrones supplicio affecerit, bonos & justos viros amicitia prosequutus sit, ajunt. Alii tradunt eum eo superbiæ & petulantiæ progressum, ut pedes hospitibus lavandos protenderet, atque ita eos calce feriens in mare deturbaret, Plutarch. *Theseo.*

Megareus Neptuni (Hippomenis, Apollod. Onchesti, Plutarch.) filius, Nisi per filiam Iphinoen D gener, socero in regno successit, Pausan. *Attic.* p. 74. Occisum a Minoe & Pausan. *Attic.* p. 73. & Apollod. *l.* III. p. 136. α. referunt. Megareus duos filios habuit. Eorum natu major Timalcus cum Castore & Polluce Aphidnam oppugnatum venit, sed a Theseo interfectus fuit. Minor natu Euippus a Cithærone leone confectus fuit. Pater Megareus orbatus filiis, & filiæ nuptias, & regnum ei spopondit, qui leonem illum interemisset. Ibi Alcathous Pelopis F. cum bellua congredi ausus, victor evasit. Regno itaque potitus Dianæ Agroteræ & Apollinis Agræi templum dedicavit, Pausan. *Attic.* p. 76. hæc ita de Megareo a Megarensibus comme- E morari scribit: quibus tamen ipse fidem derogat, cum quod nemo scripserit Timalcum Aphidnam venisse, tum quod Theseus domi non fuerit, teste Alcmane, cum Dioscuri ceperunt Athenas: confinxisse autem Megarenses Niso Megareum successisse, ne fateantur Niso regnante a Cretensibus urbem captam.

Alcathous Pelopis F. eversis Megaris, ab Elide venit, murosque de integro excitavit, quorum veterem ambitum Cretenses demoliti fuerant, Pausan. *Attic.* pag. 77. Alcathoi uxor prior fuit Pyrgo, altera Euæchme Megarei filia, Pausan. *Attic.* pag. 80. Duos filios habuit. Eorum natu F majorem Echepolidem Meleagro in auxilium in Ætoliam misit contra aprum Calydonium. Cum vero adolescens a fera interemptus fuisset, atque id primus rescisset Callipolis natu minor, ad patrem, qui tum forte sacrum Apollini faciebat, in arcem accurrit, ac ligna e sacris focis disturbavit. Quem cum pater piaculum commisisse, ignarus necis filii, judicasset, ira incitatus, stipite ex iis ipsis, quæ ille disjecerat, lignis capiti impacto filium occidit, Pausan. *Attic.* pag. 79. Peribœam

Alcathoi filiam una cum Theseo in Cretam tributi nomine missam fuisse constat, quod argumento est, Megarenses censu Atheniensium olim comprehensos fuisse, Pausan. *Attic.* p. 78. Peribœa hæc Telamoni Æaci filio nupsit, Pausan. *Attic.* p. 79. De Megaris patria sua Theognis scribit v. 771. seq.

> Φοῖβε ἄναξ, αὐτὸς μὲν ἐπύργωσας πόλιν ἄκραν,
> Ἀλκαθόῳ Πέλοπος παιδὶ χαριζόμενος.

Ajax Telamonis F. Alcathoi e filia Peribœa nepos avo Alcathoo in regnum successit. Is signum Minervæ, Νίκης dictæ, dedicavit, Pausan. *Attic.* p. 79. Is quoque, sed e Salamine (ubi pater imperabat) duodecim naves ad bellum Trojanum duxit, earumque stationem habuit, ubi erant Atheniensium ordines, Homer. *Iliad.* B. v. 559. seq. Megaris quoque Calchas habitabat: eoque ad eum venit Agamemnon, persuasurus ei, ut socius expeditionis ad Trojam esset, Pausan. *Attic.* p. 80. Calchas vero, confecto bello Trojano, & Amphilochus in patriam cum reliquis Græcis redire recusarunt, sed in Pamphyliam & Ciliciam concesserunt, Smyrn. *l.* XIV. v. 359. seqq.

Hyperion Agamemnonis filius postremus Megaris imperavit. Is cum propter avaritiam & insolentiam a Sandione occisus fuisset, Megarenses non amplius uni parendum esse censuerunt, sed magistratus creandos, quo vicissim summæ rerum præessent. Quo tempore cum Æsymnus, auctoritate nemini inter Megarenses secundus, Delphos ad consulendum Oraculum venisset, quomodo patria felix esse posset: & alia accepit responsa, & illud inprimis, Megarenses felices futuros, si plurium consilio civitas uteretur. Quare cum ad mortuos oraculum pertinere interpretati essent, curiam illi ædificarunt, ita ut ejus ambitu Heroum tumulus clauderetur. Inde Æsymnium appellatum id Heroum monumentum, Pausan. *Attic.* p. 80.

Megara Atheniensibus ademerunt Peloponnesii, regnante Codro, dum se domum reciperent, nulla re insigni ad gloriam gesta contra Athenienses, illucque Corinthios ac cæteros auxiliarios, qui nomina dedissent, colonos deduxerunt: quæ res effecit, ut Megarenses, lingua cum moribus mutata, Dorienses fierent, Pausan. *Attic.* p. 73. Strabo *l.* IX. p. 393. Marcianus Περ. p. 21.

> —— Μέγαρα Δωρικὴ πόλις,
> Σύμπαντες αὐτὴν ἐπόλισαν γὰρ Δωριεῖς,
> Πλεῖστοι Κορίνθιοί τε καὶ Μεσσήνιοι.

Eodemque tempore Peloponnesii sustulerunt columnam, qua Ionia a Peloponneso distinguebatur, Strabo *l.* IX. p. 393. Peloponnesii digredientes finibus Atticis, Megaram mediam Corintho Athenisque urbem condidere, Vell. Patercul. *l.* I. Fuit vero hæc urbs περὶ τὸν Ἰσθμὸν, μέση Πελοποννήσου, καὶ Ἀττικῆς, καὶ Βοιωτίας, Steph. Megarenses ajunt fuisse Corinthiorum colonos, & multis in rebus urbis potentiæ cessisse: etenim & alia plura Corinthios mandasse, & si quis Bacchiadarum (hi urbem administrabant) moreretur, oportebat viros ac mulieres Megarensium Corinthum proficisci, & simul funera Bacchiadarum curare. Ut vero ab injuria nihil remisere Corinthii, res vero Megarensium firmatæ sunt, Corinthii spe injecta fore ut nihil paterentur qui desciviissent, sed veniam se dare, Legatos miserunt accusaturos Megarenses: Legati progressi in concionem, & alia multa disseruerunt, & tandem dixerunt, jure lugebit Jovis Corinthus, nisi supplicium de iis caperet. Ibi Megarenses irritati, lapidibus Legatos incesserunt: & paulo post cum quidam Corinthiis ad ferendum auxilium supervenissent, (ἐπιβοηθησάντων enim lego pro ἐπιβοησάντων) & pugna commissa victores, cum fugientes Corinthios trucidarent, simul cædere τὸν Διὸς Κόρινθον jusserunt. Unde ait Demon, etiamnum de iis qui se efferunt, & timide aufugiunt, proverbium usurpari, Schol. Pindar. *Nem.* ode VII. fin.

Megaris olim per vicos habitabatur, civibus in quinque partes distributis: vocabantur vero Heraenses, Piraenses, Megarenses, Cynosurenses & Tripodiscæi. Corinthii vero cum iis bellum gesserunt, conati Megaricam suæ ditionis facere: nihilominus civiliter & tanquam inter cognatos res gerebatur: agricolas enim omnino lædebat nemo: captos vero constitutum pretium redemptionis solvere oportebat, quod tum accipiebant, cum captos dimitterent, neque vero prius exigebant: sed qui aliquem ceperat, is illum domum abductum, & salis ac mensæ participem factum, ad suæ remisit. Qui ergo pretium illud reddebat, laudabatur, ac amicus perpetuus mansit illi, qui ipsum ceperat, & δορύξενος appellabatur, cum fuisset δορυάλωτος, qui vero pretio defraudavit, non tantum apud hostem, sed etiam apud cives tanquam injustus & perfidus ignominia notabatur, Plutarch. *Quæst. Græc.* XVII.

Theagenes Megarensium Tyrannus, cum locupletiorum pecora ac armenta ad fluvium pascentia jugulasset, dignus Tyrannide visus fuit, sibique apud populum fidem conciliavit, Aristotel. *de Republ. lib.* V. c. V. Idem aquæ ductum, qui in oppido est, exædificavit, opus cum magnitudine, tum ornatu & columnarum numero valde præclarum, Pausan. *Attic.* p. 74. & in eo loco, unde aquam deduxerat, Acheloo aram dedicavit, Pausan. *Attic.* p. 76. Ejus filia nupta fuit Cyloni Atheniensi, qui Tyrannidem in patria affectavit ante Pisistratum, Pausan. *Attic.* p. 51. 74.

Megarenses expulso Theagene aliquandiu Rempublicam bene constitutam habuerunt: deinde nimia a Demagogis suppeditata licentia corrupti prorsus, cum aliis in rebus petulantiam in ditiores exercuerunt, tum eorum ædes ingressi tenuioris sortis homines jusserunt lauta sibi exhiberi convivia, & nisi sponte præberentur, per vim ac cum contumelia ipsi omnibus usi sunt: tandem facto decreto, usuras a feneratoribus exegerunt, quas ipsi dederant, idque factum παλιντοκίαν appellarunt, Plutarch. *Quæst. Græc.* XVIII. Sed & ἱεροσυλίαν ἐποίησεν hæc ἀκόλαστος δημοκρατία, Plutarch. *Quæst. Græc.* LIX. ubi & vide aliud petulantiæ Megaricæ exemplum, unde ἁμαξοκυλισταὶ appellati sint, quod contumeliose ac crudeliter currus (ἁμάξας) theororum evolutos in lacum impulissent, ut multi eorum suffocarentur.

Megarenses de Salamine cum Atheniensibus dimicarunt: prælioque navali triremem Atheniensium ceperunt, cujus rostrum æneum reposuerunt in templo suo. Neque vero Athenienses inficiantur defecisse aliquando (Olymp. XLV.) a se ad Megarenses Salaminem; Solonis vero elegis excitatos, de insula prius disceptasse, deinde eam bello recepisse. Megarenses vero dicunt viros quosdam profugos, quos Dorycleos nominant, a se ad colonos, qui sorte ducta in Salaminem ante missi fuerunt, abiisse, ac Salaminem Atheniensibus prodidisse, Pausan. *Attic.* p. 75.

Megarenses in pugna ad Artemisium Græcis adfuerunt cum viginti navibus, & ad Salaminem cum totidem, Herodot. *lib.* VIII. p. 528. 543.

Megaricum agrum cum vexassent Persæ, seque Thebas ad Mardonium suum ducem reciperent,

obortis Dianæ numine tenebris, per errorem viarum ad montanam regionis partem deflexerunt: ibi objecta hostilis agminis specie, sagittas miserunt: ad quarum ictus cum proxima saxa tanquam gemitus imaginem redderent, homines esse, qui e vulneribus gemerent, rati, non ante jaculari desierunt, quam sagittas omnes consumpsissent. Cum vero illuxisset, Megarenses armati contra inermes impetu facto, magnam ejus agminis partem trucidarunt, atque ex eo Dianæ Sospitæ (Σωτείρας) signum dedicarunt ex ære, Pausan. *Attic.* p. 74.

Megarensium tria millia erant in exercitu Græco ad Platæas coacto, Herodot. *l.* IX. p. 597. *Μόλις ἂν νῦν ὅλη Ἑλλὰς παράσχοι τρισχιλίους ὁπλίτας, ὅσους ἡ Μεγαρέων μία πόλις ἐξέπεμψαν εἰς Πλαταιέας*, Plutarch. *de Orac. def.* p. 186. A. de *ὀλιγανδρίᾳ* Græciæ sua ætate.

Megarenses cum Corinthiis de finibus certarunt: cumque se impares Corinthiis animadverterent, Athenienses armorum socios fecerunt: a quibus missa auxilia semel atque iterum Corinthios vicerunt, Diodor. *l.* XI. p. 60. Item adscitis in societatem Argivis, contra Corinthios rem feliciter gesserunt. Victoria potiti thesaurum de manubiis Corinthiorum Olympiæ faciendum curarunt, (Phorba Archonte Athen.) Pausan. *Eliac. post.* p. 380. Megarenses Perinthiis bellum intulerunt, compedibus secum allatis, quibus captos hostes vincirent; sed victi fuerunt a Perinthiis, Plutarch. *Quæst. Græc.* LVII. vide in *Perinthiis*.

Megarenses auxilia rogati a Corinthiis adversus Corcyræos, naves octo, postea duodecim suppeditarunt, Thucyd. *lib.* I. p. 20. 32.

Megarensibus olim edicto Atheniensium interdictum fuit portubus in ditione Atheniensium sitis, & foro Attico, Thucyd. *l.* I. p. 92. Excutiebantur vero Megarensium penulæ, & quicquid Megaricum deprehendebatur, eodem die vænibat; sed parva hæc erant. Juvenes vero Athenienses vino madidi Megara profecti Simætham meretricem inde furtim abduxerunt. Post Megarenses dolore stimulati vicissim Aspasiæ duo eripuerunt scorta. Inde belli initium erupit Græcis omnibus, trium meretricum causa: & Pericles edictum promulgavit:

Ὡς χρὴ Μεγαρέας μήτ' ἐν γῇ, μήτ' ἐν ἀγορᾷ,
Μήτ' ἐν θαλάττῃ, μήτ' ἐν ἠπείρῳ μένειν.

Megarenses fame urgente Lacedæmonios rogarunt, ut decretum hoc tolleretur, sed Atheniensibus recusantibus, bellum exortum fuit, Aristophan. *Acharn.* p. 396. Fuerunt vero Megarenses socii Lacedæmoniorum, eo (Peloponnesiaco) bello, & classem cum aliis præbuerunt, Thucyd. *l.* II. p. 105.

Megarenses a Lacedæmoniis facta defectione, Atheniensium partibus se adjunxerunt, inita societate: tenueruntque Athenienses Megara & Pegas, & longos muros Megarensibus ab urbe ad Nisæam usque ædificarunt, eosque ipsi suo præsidio tuebantur, Thucyd. *lib.* I. p. 67. 68.

Megarenses, Corinthiis, Sicyoniis & Epidauriis adscitis, ab Atheniensibus defecerunt, militesque Atheniensium præsidiarios, iis exceptis, qui Nisæam confugissent, occiderunt, Thucyd. *l.* I. p. 73.

Megarenses, cum & ab Atheniensibus bello semper premerentur, irruptionem quotannis bis in ipsorum agrum cum frequentibus copiis facientibus: nec mitiora paterentur a suis exsulibus, qui orta seditione in urbe a populo pulsi, ex Pegis Megarenses latrociniis graviter vexabant, ubi in colloquium ventum fuit, censuerunt exsules re-

A stituendos, ne utique civitatem everterent. At civitatis principes, consilio civium cognito, territi, de urbe Atheniensibus tradenda cogitarunt, rati sibi minus periculi tum fore, quam si quos expulissent, ipsi rediissent. Sed istud consilium cum exercitu mature adveniens Brasidas Lacedæmonius dux irritum reddidit, Thucyd. *lib.* IV. p. 295. seqq. Megarenses bello Peloponnesiaco, terrestribus maritimisque Atheniensium copiis quotannis vexati, publicis pariter ac privatis opibus vehementer attritis, ad summam inopiam redacti fuere, Pausan. *Attic.* p. 75.

Megarenses exsules e Pegis in urbem redierunt, B religiosissimo jurejurando obstricti, se omnium præteritarum offensionum memoriam abjecturos, & Reip. optima consilia daturos. At, postquam Magistratus gerere cœperunt, non tantum eos, qui Atheniensibus favisse visi sunt, numero centum, suffragiis populi coactis occiderunt; sed etiam Reip. statum in Oligarchiam seu pauciorum dominatum maxima ex parte commutarunt: quæ Reip. forma diutissime duravit, Thucyd. *lib.* IV. pag. 302. Democratiam Megaris dissolutam & in Oligarchiam mutatam fuisse, cum plurimi nobiles exsules, urbe a Demagogis, quo eorum bona C publicarentur, pulsi, signis collatis populum redeuntes superassent, scribit Aristotel. *de Rep. l.* V. c. V.

Megarensium civitatem arbitram elegerunt Athenienses controversiarum, quas cum Lacedæmoniis habebant: sed Agesipolis Pausaniæ F. ajebat turpe esse eos, qui Græcis præessent, minus juris & justi gnaros esse quam Megarenses, Plutarch. *Apopht. Lacon.* p. 128. B.

Megarenses Alexandrum M. facto decreto suum civem fecerunt: eoque ridente hanc eorum propensionem, dixerunt, Soli Herculi ante ipsum civitatem a se datam, Plutarch. *de Monarch.* pag. D 238.

Megara Ptolemæus Soter victor occupavit: Stilponem vero data pecunia oravit, ut secum in Ægyptum navigaret. Megara quoque cepit Demetrius Antigoni F. sed ejusdem Stilponis domum servari, direptasque res ipsi restitui jussit, Laert. *Stilpone*. Eversam funditus a Demetrio urbem, hominibus in servitutem abstractis, scribit Plutarch. *de instit. puer.* p. 3. B.

Megarenses ad Thermopylas contra Gallos miserunt gravis armaturæ pedites quadringentos: eorum equitatum duxit Megareus, Pausan. *Phocic.* p. 646.

Megarenses acie victi, Thebanis, cum ipsam E urbem jam prope superatis muris expugnassent, tantum terrorem incussere, disseminato rumore de adventu Philopœmenis, ut reportato confestim exercitu domum, obsidionem solverent, Pausan. *Arcad.* p. 535.

Megarensium urbem sua ætate constitisse scribit Strabo *lib.* IX. p. 393.

Megarenses solos ex omnibus Græcis ne Adrianus quidem Imperator sublevavit: dederuntque adeo læsi numinis pœnam, quod Anthemocritum fecialem ad se missum cum edicto, ne sacram ter- F ram colerent, per summum nefas occidissent, Pausan. *Attic.* p. 67. & *Lacon.* p. 165.

Megarensium coloniæ fuerunt Hyla, Sylembria, Byzantium, Mesembria, Megara Hyblæa: vide suis locis.

Megarensium urbs habuit olim Scholam Philosophorum, qui Megarici dicti fuerunt, successores Euclidis patria Megarensis, viri Socratici, Strabo *l.* IX. p. 393. Megarenses fuerunt Euclides & Stilpon Philosophi, de quibus Laertium vide: item Theognis Poeta.

Megarensium urbes: Ægosthena, Pegæ, Tichos, Geranea, Aris, Scyl. *Caryand.* pag. 122. Πηγαὶ, παροικία Μεγαρέων, Stephan. Αἰγόσθενα, πόλις Μεγαρίδος, οὐδετέρως, idem. Geranea Stephano mons est inter Megara & Corinthum, ex quo præcipitata sit Ino, cum Athamantem fugeret.

ATHENIENSES.

Ogygus, primus Rex Atticæ fuisse fertur, Euseb. *Chron.* l. I. p. 24. Ἐβασίλευον μὲν οὖν Ἀθηναῖοι πρότερον, Strabo *l.* IX. p. 397. Ἀθηναῖοι τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐχρῶντο βασιλείᾳ, Heraclid. *de Polit.* Τὸ γὰρ ἀρχαῖον δυναστεία ἐν τῇ πόλει ἦν, καὶ ἡ βασιλεία τῶν ἀεὶ ὑπερεχόντων, διὰ τὸ αὐτόχθονας εἶναι, Demosth. *in Neæram* p. 737. Ab Ogygo Attica Ogygia dicta videtur. Ἐλέγετο καὶ ἡ Ἀττικὴ πᾶσα Ὠγυγία, ὡς Χάραξ φησὶν ἐν τοῖς χρονικοῖς, Stephanus.

Actæus in ea regione, quæ Attica dicta fuit, primus regnasse fertur, Pausan. *Attic.* p. 4. Ogygum & Actæum eundem esse docet Philochorus. Certe de primis conditoribus inter Scriptores non convenit. Πολὺ δ' ἂν πλείων εἴη λόγος, εἰ τοὺς ἀρχηγέτας τοῦ κτίσματος ἐξετάζοι τις, ἀρξάμενος ἀπὸ Κέκροπος. οὐδὲ γὰρ ὁμοίως λέγουσιν ἅπαντες. τοῦτο δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ὀνομάτων δῆλον. Ἀκτικὴν μὲν γὰρ ἀπὸ Ἀκταιῶνός (malo Ἀκταίου τινὸς) φασιν. Ἀτθίδα δὲ καὶ Ἀττικὴν ἀπὸ Ἀτθίδος τῆς Κραναοῦ, ἀφ' οὗ καὶ Κραναοὶ οἱ ἔνοικοι. Μοψοπίαν δ' ἀπὸ Μόψοπος. Ἰωνίαν δ' ἀπὸ Ἴωνος τοῦ Ξούθου. Ποσειδωνίαν δὲ καὶ Ἀθήνας ἀπὸ τῶν ἐπωνύμων θεῶν, Strabo *l.* IX. p. 397. Ab Actæo regio dicta fuit Ἀκτὴ Eusebio & Stephano: Ἀκταία Pausaniæ: Ἀκτικὴ Straboni: Ἀκτὴ, οὕτως ἡ Ἀττικὴ ἐκαλεῖτο, ἀπὸ Ἀκταίου τινός. ἀνὴρ δὲ ἦν αὐτόχθων, ὡς Φαβωρῖνος, ὃς ἐβασίλευσεν ἐκεῖ, καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ οὕτω τὴν χώραν ὠνόμαζε, καὶ τοὺς λαοὺς, Stephan. Κέκροψ Ἀθηνῶν ἐβασίλευσε, καὶ ἡ χώρα Κεκροπία ἐκλήθη, τὸ πρότερον καλουμένη Ἀκτικὴ ἀπὸ Ἀκταίου τοῦ αὐτόχθονος, Epoch. Veter. *Marmor. Arundellian.* Sed a situ & loci natura illud nomen alii accepisse volunt. Διὰ δὴ τοῦτο καὶ Ἀκτὴν φασι λεχθῆναι τὸ παλαιὸν, καὶ Ἀκτικὴν τὴν νῦν Ἀττικὴν παρονομασθεῖσαν, ὅτι τοῖς ὄρεσιν ὑποπέπτωκε τὸ πλεῖστον μέρος αὐτῆς ἀλιτενὲς καὶ στενὸν, μήκει δ' ἀξιολόγῳ κεχρημένον, προπεπτωκὸς μέχρι τοῦ Σουνίου, Strabo *l.* IX. p. 391. Ἀπολλόδωρος τἀναντία φησίν. οὕτω γὰρ ἐκλήθη, διὰ τὸ πολὺ μέρος αὐτῆς καθικνεῖσθαι εἰς θάλασσαν. τριγώνου γὰρ οὔσης, αἱ συνοδεύουσαι ὑπὸ τὸ Σούνιον ἑκατέρωθεν δύο πλευραὶ παράλιοι τυγχάνουσι. δι' ἃς τῶν ἐπὶ Κέκροπος φυλῶν τεττάρων οὐσῶν, δύο προσηγόρευσαν, Ἀκταίαν καὶ Παραλίαν, Steph. Ἀκτὴ, ἐπιθαλαττίδιός τις μοῖρα τῆς Ἀττικῆς. —— Ἐκάλουν δὲ οὕτω καὶ τὴν Ἀττικὴν, οἱ μὲν ἀπὸ τινος βασιλέως. οἱ δὲ διὰ τὸ τὴν πλείω μοῖραν τῆς χώρας ἐπιθαλάττιον εἶναι, Harpocrat. Ἀκτὴ, ἡ Ἀττική. οἱ μὲν ἀπὸ τινος βασιλεύοντος, Ἀκταίωνος. (malo Ἀκταίου) οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ τὰ πλείονα μέρη εἰς θάλασσαν ἐκνενευκέναι, Etymol. magn. Vide inprimis Eustath. *in Dionys.* Περιηγ. v. 423. Lycophron. *Cassandr.* v. 1339. de Attica ab Amazonibus vastata:

Καὶ πᾶσαν Ἀκτὴν ἐξεπόρθησαν δορί.

Sub Ogygo diluvium contigit, quod cum magnam vastitatem attulisset, post Ogygum sine Rege regio fuit annos CIXC. usque ad Cecropem, African. apud Euseb. *Chron.* l. I. p. 24. Si ergo Ogygus idem cum Actæo, quomodo Actæi filia nubere potuit Cecropi? quod scribunt Apollodorus *l.* III. p. 128. Pauf. *Attic.* p. 4. Quæritur quoque quis Mopsopus ille fuerit, a quo regio nomen acceperit? Μοψοπία ἡ Ἀττικὴ ἀπὸ Μόψοπος (Μόψοπου Strabon.) Καλλίμαχος. ἄρρητος ἡ Μόψοψ. ὁ πολίτης Μοψόπειος διὰ διφθόγγου, καὶ διὰ τοῦ ι. καὶ Μοψοπιεύς. Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν πρώτῳ, Μοψοπίτης φησὶ, Stephan. Aliis Mopsopia dicta a Mopsopia Oceani filia. Μοψοπία δὲ, ὅτι ἡ Ἀττικὴ πάριν Μοψοπία ἐκαλεῖτο ἀπὸ τῆς Ὠκεανοῦ θυγατρὸς Μοψοπίας, Suidas *in* Εὐφορίων, inter cujus opera etiam recensetur Μοψοπία, de qua Suidas ait, καὶ ὁ λόγος τοῦ ποιήματος ἀποτείνεται εἰς τὴν Ἀττικὴν χιλιάδα. Paulus Silentiar.

Νίκα Μοψοπίοις μίμνεται ἐνναέταις.

Lycophr. *Cassandr.* v. 1340. Τὰς Μοψοπείους γύας. & v. 733. Μόψοπος ναυαρχία, *Attica Classis*: interprete Cantero.

Colænus ante Cecropem imperavit. Ἔστι δὲ Κολαινὸς ἀνδρὸς ὄνομα, πρότερον ἢ Κέκροψ ἐβασίλευσεν, ἄρξαντος, Pauf. *Attic.* Κολαίνου, τοῦ κτίσαντος ἱερὸν Dianæ Colænidis, Suidas. Φησὶ δὲ Ἑλλάνικος Κολαινὸν Ἑρμοῦ ἀπόγονον ἐκ μαντείου ἱερὸν αὐτῆς (Dianæ) ἱδρύσασθαι Κολαινίδος, Scholiast. Aristophan. *Avib.* p. 582. B.

Cecrops ex urbe Ægyptia Sai profectus, Tzetz. *Chiliad.* v. *Histor.* XVIII. factusque Actæi gener, socero successit, Pauf. *Attic.* p. 4. Aliis primus ibi regnasse dicitur. Κέκροψ αὐτόχθων συμφυὲς ἔχων σῶμα ἀνδρὸς καὶ δράκοντος, τῆς Ἀττικῆς ἐβασίλευσε πρῶτος, καὶ τὴν γῆν πρότερον λεγομένην Ἀκτὴν, ἀφ' ἑαυτοῦ Κεκροπίαν ὠνόμασεν, Apollod. *l.* III. p. 128. Tzetzes *Chiliad.* v. *Histor.* XVIII.

Πρῶτος ἁπάντων Ἀττικῆς ὁ Κέκροψ βασιλεύει
Ὁ πρῶτος, ὁ καλούμενος καὶ διφυὴς τοιῶσδε,
Ἢ ὅτι μέγεθος ἀνδρῶν δύο πρὸς μῆκος εἶχεν,
Ἢ ὡς Ἑλλάδος ἔμπειρος καὶ Αἰγυπτίας γλώσσης,
Ἢ ὡς τὰ κάτω δράκων μὲν, ἄνθρωπος δὲ τὰ ἄνω.

Adferuntur & aliæ hujus nominis rationes, cur διφυὴς dictus sit. Γάμους καὶ ὑμεναίους ἐν Ἀθήναις πρῶτον ἀχθῆναι ὑπὸ Κέκροπος, ὅθεν καὶ διφυῆ τὸν Κέκροπα λέγεσθαι ὁ Χάραξ φησὶν, διότι τὸ νομίμως ἐκ δύο φύεσθαι δι' αὐτὸν ἐπέγνωσαν οἱ ἄνθρωποι τῇ τοῦ γάμου εὑρέσει, Eustath. *in Iliad.* Σ. Τινὲς δέ φασι τοῦτον καὶ διφυῆ γενέσθαι, τὰ μὲν ἄνω ἀνδρὸς, τὰ δὲ κάτω μέρη γυναικὸς, οἱ δὲ θηρίου. ἕτεροι δὲ ὅτι νόμους ἐξεῦρε τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἀπὸ ἀγριότητος εἰς ἡμερότητα ἤγαγεν. ἄλλοι δὲ ὅτι τῶν ἀνδρῶν, ὡς ἔτυχε μισγομένων ταῖς γυναιξὶ, καὶ ἐκ τούτων μὴ γινωσκομένου ἢ τοῦ πατρὸς παρὰ τοῦ παιδὸς, ἢ τοῦ παιδὸς παρὰ τοῦ πατρὸς, αὐτὸς νόμους θέμενος, ὥστε φανερῶς συγγενέσθαι αὐταῖς, καὶ μιᾷ στοιχεῖν, καὶ σχεδὸν εὑρὼν τὰς δύο φύσεις, τοῦτε πατρὸς καὶ τῆς μητρὸς, εἰκότως διφυὴς ἐκλήθη, Suidas *in* Κέκροψ. Ἤδεσαν Κεκροπίδαι τὸν ἑαυτῶν ἀρχηγὸν, τὰ μὲν, ὡς ἐστι δράκων, τὰ δ' ὡς ἐστιν ἄνθρωπος λεγόμενος, οὐκ ἄλλοθέν ποθεν. ἢ τὸ τὴν σύνεσιν αὐτοῦ προσομοιοῦν τῷ ἀνθρώπῳ, τὴν ἀλκὴν δὲ δράκοντι, Demosth. *Epitaph.* p. 749. Ad quæ verba Demosthenis sic Tzetzes scribit *Chiliad.* v. *Histor.* XVIII.

Ὁ Δημοσθένης τάχα μὲν ἀλληγορεῖν ἐθέλει,
Συνηγορεῖν δὲ πεφυκὼς, ἀλληγορεῖν δ' οὐδόλως.
Ὁ Τζέτζης βασιλεύειν δὲ πρᾴως τὸν ἄνδρα λέγει,
Ὡς καὶ Βαρβάρους τοὺς αὐτῷ τῇ μάχαις ἡττημένους,
Τῷ φιλανθρώπῳ τοῦ ἀνδρὸς τοσοῦτον συνδεθῆναι,
Ὡς ἓν σῶμα λογίζεσθαι, μηδ' ἀποσπᾶσθαι θέλειν.
Καὶ ἄλλως τοῦτον διφυῆ τὸν Κέκροπα καλοῦσιν.
Αἱ τῶν Ἑλλήνων πρότερον γυναῖκες καθ' Ἑλλάδα,
Οὐχ ὥσπερ νῦν ἐζεύγνυντο νομίμοις τοῖς ἀνδράσι,
Δίκην κτηνῶν δ' ἐμίγνυντο πᾶσι τοῖς βουλομένοις.
Ἦσαν λοιπὸν μονοφυεῖς οὕτως οἱ παῖδες τότε,
Μόνας ἐπιγινώσκοντες μητέρας, οὐ πατέρας.

Et paucis interjectis:

Πολλοῖς ἐλυσιτέλησεν καὶ ἄλλοις τῇ Ἑλλάδι.
Νομοθετεῖ καὶ γυναιξὶ τοὺς γάμους τοὺς νομίμους.
Ἐξ ὧν παῖδες ἐγνώκεισαν τοὺς δύο φυτοσπόρους.
Τὸ πρὶν μόνην γινώσκοντες, ὡς ἔφην, τὴν μητέρα.
Ὅθεν ὁ Κέκροψ διφυὴς νόμοις, ὡς δείξας ταῦτα.

Ante Deucalionis tempora Regem habuere Cecropem: quem, ut omnis Antiquitas fabulata est, biformem prodidere: quia primus marem fœminæ matrimonio junxit, Justinus *Histor.* l. II. Οἶμαι μὲν ὖν καὶ τὸν Κέκροπα διφυᾶ προσαγορεῦσαι τὰς παλαιὰς, ὐχ ὡς ἔνιοι λέγυσιν, ἐκ χρηςῦ βασιλέως ἄγριον καὶ δρακοντώδη γενόμενον τύραννον. ἀλλὰ τὐναντίον ἐν ἀρχῇ σκολιὸν ὄντα καὶ φοβερὸν, εἶθ' ὕστερον ἄρξαντα πράως καὶ φιλανθρώπως, Plutarch. *de tard. Numin. Vindict.* Τὸν μέντοι Κέκροπά φασιν οἱ μῦθοι τὐναντίον ἀπὸ ὄφεως εἰς ἄνθρωπον ἐλθεῖν, ἐπειδὴ ἐκεῖνος ἐλθὼν εἰς Ἑλλάδα, καὶ τὸν βάρβαρον Αἰγυπτιασμὸν ἀφεὶς, χρηςὺς ἀνελάβετο τρόπυς πολιτικὺς, Eustath. vide Phavorin. *Lexic.* Τινὲς δέ φασι τῦτον καὶ διφυῆ γενέσθαι, οἱ μὲν ὅτι τὰ ἄνω ἀνδρὸς εἶχε, τὰ δὲ κάτω θηρίυ. ἕτεροι δὲ ὅτι νόμυς πολλὺς ἐφεῦρε τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἀπὸ ἀγριότητος εἰς ἡμερότητα ἤγαγεν, Scholiast. Aristoph. *Plut.* p. 79.

Peteo Menesthei patri ea Diodorus tribuit ex Ægyptiorum opinione, quæ Cecropi omnes alii. Τὸν γὰρ Πέτην, inquit, τὸν πατέρα Μενεσθέως τὸ στρατεύσαντος ἐς Τροίαν φανερῶς Αἰγύπτιον ὑπάρξαντα τυχεῖν ὕστερον Ἀθήνησι πολιτείας τε καὶ βασιλείας. διφυῆς δὲ αὐτῦ γεγονότος, τὺς μὲν Ἀθηναίυς μὴ δύνασθαι κατὰ τὴν ἰδίαν ὑπόστασιν ἀποδῦναι περὶ τῆς φύσεως ταύτης τὰς ἀληθεῖς αἰτίας, ἐν μέσῳ κειμένης πᾶσιν, ὅτι δυοῖν πολιτειῶν μετασχὼν, Ἑλληνικῆς καὶ Βαρβάρυ, Διφυὴς ὠνομάσθη, τὸ μὲν ἔχων μέρος θηρίυ, τὸ δὲ ἀνθρώπυ, *l.* I. p. 25. Quinimo Ægyptii argumentis ostendere conati fuerunt, Atheniensibus Saitarum colonos fuisse ex Ægypto: quod soli hi Græcorum Ἄςυ vocarent, translata appellatione ab Ægyptio nomine: quodque Remp. ad Ægyptiam constitutam haberent, Diodor. *l.* I. p. 24. 25. Sub Cecrope ajunt Diis visum fuisse, urbes occupare, in quibus suos quisque honores consequeretur: venisse igitur primum Neptunum in Atticam, & tridentis ictu circa mediam arcem, cui nomen fuit Erechtheis postea, mare produxisse; Minervam post hunc venisse, &, advocato Cecrope suæ occupationis teste, Oleam sevisse, quæ in Pandrosio tot sæculis post visebatur. Orta vero inter eos contentione de regione, Jovem diremtis judices dedisse, non, ut quidam ajunt, Cecropem, & Cranaum, vel Erechtheum, sed XII. Deos: quorum sententia regio Minervæ adjudicata fuit, Cecrope testimonium dicente, oleam a Minerva satam fuisse: ita Minervam de se appellasse urbem Athenas; Neptunum vero iratum Thriasium campum inundasse, & Atticam aquis obruisse, Apollod. *l.* III. p. 128. α. β. Ἔστι ἐν τῇ ἀκροπόλι ταύτῃ Ἐρεχθέος τὸ γηγενέος λεγομένυ εἶναι, νηὸς, ἐν τῷ ἐλαίη τε καὶ θάλασσα ἔνι τὰ λόγος παρ' Ἀθηναίων Ποσειδέωνά τε καὶ Ἀθηναίην ἐρίσαντας περὶ τῆς χώρης μαρτύρια θέσθαι, Herodot. *l.* VIII. p. 546. Alii tradunt Neptunum, percusso littore, equum produxisse, animal bellis aptum; Minervam vero superiorem in judicio fuisse, quod olea ab ipsa producta, ac tunc primum in arce enata, oliva pacis insigne haberetur. Τὸν περὶ τῆς Ἀθηνᾶς διέδοσαν λόγον, ὡς ἐρίσαντος περὶ τῆς χώρας τῷ Ποσειδῶνος, δείξασα τὴν μορίαν τοῖς δικασταῖς, ἐνίκησε, Plutarch. *Themistocle.* Athenis quoque olea durare traditur, in certamine edita a Minerva, Plinius *l.* XVI. c. XLIV. Ἡ τῶν Θεῶν κρίσις Ποσειδῶνος καὶ Ἀθηνᾶς ἐπὶ Κέκροπος μυθεύεται περὶ τῆς χώρας, Euseb. *Chron. Can.* ad an. 479. illud ἐπὶ Κέκροπος interpretatur Hieronymus *Chron.* l. I. p. 14. *apud Cecropem*, cum sit, *sub Cecrope*, *Cecropis temporibus*, *Cecrope regnante*; quamvis κρίνεσθαι ἐπί τινος etiam dicatur Græcis, cum ab aliquo de altero sententia fertur. Ita ab Ἀθηνᾶ Athenæ nomen acceperunt: unde ipsa apud Euripid. *Ion.* v. 1041.

Ἐπώνυμος δὲ σῆς ἀφικόμην χθονὸς
Παλλάς.

A Tzetzes *Chiliad.* v. *Histor.* XVIII. auctor est Athenas urbem vocatam a Cecrope, appellatione sumpta a Sai, quæ Ægyptia lingua est Ἀθηνᾶ: scribit enim:

Ὡς δὲ ἀπὸ τῆς Σάεως πόλεως Αἰγυπτίας,
Σαῒς δ' ἐστὶν ἡ Ἀθηνᾶ τῇ Αἰγυπτίων γλώσσῃ.
Μετὰ τὸν κατ' Ὤγυγον κατακλυσμὸν ἐκεῖνον,
Ὁ Κέκροψ παραγέγονεν Ἀθήναις τῆς Ἑλλάδος,
Ταύτας Ἀθήνας κεκληκὼς, ἐκ Σάεως Αἰγύπτυ.

Homer. *Iliad.* B. v. 546.

B Ἀθήνας εὐκτίμενον πτολίεθρον.

Sophocl. *Oedip. Colon.* v. 106.

Ἴτ' ὦ μεγίστης Παλλάδος καλύμεναι
Πασῶν Ἀθῆναι, τιμιωτάτη πόλις.

Euripid. *Ion.* v. 8. seq.

Ἔστιν γὰρ ὐκ ἄσημος Ἑλλήνων πόλις
Τῆς χρυσολόγχυ Παλλάδος κεκλημένη.

Et *Med.* v. 771. ἄστυ καὶ πόλισμα Παλλάδος. Aristophan. *Pluto* pag. 79. σεμνῆς Παλλάδος κλεινὴν πόλιν. Sed & Posidonia appellata fuit a Neptuno, Strabo *l.* IX. p. 397. Cæterum Athenienses primum sub Erechtheo appellatos fuisse auctor est Herodotus: item Marcianus, sed sub Amphictyone Justinus *Hist.* vide infra. A Cecrope regio Cecropia dicta fuit, Euseb. *Chron.* libr. I. pagin. 26. Κεκροπία λέγεται ἡ Ἀττικὴ ἀπὸ Κέκροπος τῦ βασιλεύσαντος, Schol. Apollon. *l.* I. & populus Cecropidæ, Herodot. *l.* VIII. p. 543. Marcian. Heraclid. p. 23. Κεκροπὶς, αἱ Ἀθῆναι, ἀπὸ τῦ Κέκροπος, καὶ Κεκροπίδαι οἱ Ἀθηναῖοι, Suidas. Κεκροπίδας Ἀθηναίυς τὺς ἀπῳκίδας, Hesych. sed quid verbi ἀπῳκίδας? forte ἀπὸ Κέκροπος. Κεκροπία χώρα —— ἀπὸ Κέκροπος, Stephan. Athenienses ἄνδρας Κεκροπίδας vocat Eubulus in *Glauco* apud Harpocrat *in* χρυσοχοεῖον. Κέκροψ δὲ Αἰγύπτιος ὢν τὸ γένος ᾤκησε τὰς Ἀθήνας. ὅθεν οἱ Ἀθηναῖοι Κεκροπίδαι, Schol. Aristoph. *Pluto* p. 79. & Suidas. Cecrops etiam Athenas Diadas in Eubœa condidisse fertur, Euseb. *Chron.* l. I. p. 26. Sed id forte rectius Cecropi secundo tribui debet, qui coloniam in Eubœam duxit: vide infra. Cum Atticam Cares a mari, Bœoti, quos Aonas vocabant, a terra popularentur, Cecrops primus in XII. urbes multitudinem coegit, earum hæc nomina: Cecropia, Tetrapolis, Epacria, Decelea, Eleusis, Aphydna, Thoricus, Brauron, Cytherus, Sphettus, Cephisia, Phalerus, Philochorus apud Strabon. *l.* IX. p. 397. Sub Cecrope tribus (φυλαὶ) erant quatuor, Κεκροπὶς, Αὐτόχθων, Ἀκταία, Παραλία, Pollux *l.* VIII. mutata nomina vide in *Cranaus*. Ἐπάκρεια μία τῶν ἐπὶ Κέκροπος συνοικισθεισῶν δυοκαίδεκα πόλεων. διὰ τὸ ληΐζεσθαι ὑπὸ Καρῶν τὸ ἐθνικὸν Ἐπακρεὺς, Stephan. Ἐπακρία χώρα. (sic lege pro Ἐπακτρία, ex Etymol. magn.) Κατὰ τὺς παλαιὺς χρόνυς κωμηδὸν οἰκῦντας τὺς Ἀθηναίυς, ὁ Κέκροψ συναγαγὼν, κατῴκισεν εἰς πόλεις (sic lege pro φυλὰς, ex Etymol. magn.) ιβ'. καὶ τὴν τῶν πολιτῶν ἐπωνυμίαν ἀφ' ἑαυτῦ Κεκροπίαν προσηγόρευσε. δύο δὲ Τετράπολεις ἐκάλεσεν, ἐκ (τῶν delendum) τεττάρων πόλεων ἑκατέραν μοῖραν (sic lege pro πεῖραν ex Etym. magn.) κατασήσας. τέσσαρας (sic lege & hic, & in Etymol. magn. pro τρεῖς, ut numerus constet) δὲ τὰς λοιπὰς Ἐπακρίας (sic lege pro Ἐπακτρίδας hic, & pro Ἐπακρίδας in Etymol. magn.) ὠνόμασε. καὶ ἡ προσεχὴς χώρα ταύταις ταῖς τέσσαρσιν (sic lege pro τρισίν) ὁμωνύμως αὐταῖς Ἐπακρία (sic lege pro Ἐπακτρεία ex Etym. magn.) ἐκαλεῖτο, Suidas. Ἔστι δὲ καὶ Παραλία τῆς Ἀττικῆς. οἱ οἰκήτορες λέγονται καὶ Πάραλοι, Stephan. Δι' ἃς (πλευρὰς παραλίυς δύο

urbis Athenienfis) τῶν ἐπὶ Κέκροπος φυλῶν τεττάρων ὄντων, δύο προσηγόρευσαν, Ακταίαν καὶ Παραλίαν. Τὸ ἐθνικὸν Ακταῖος, καὶ Ακταία, καὶ Ακταιὶς, καὶ Ατθὶς, καὶ Ακτίτης, &c. Stephan. *in* Ακτή. Ariftoph. Schol. *in Lyfiftrat.* p. 839. Παραλοι, οἱ τὴν Παραλίαν τῆς Αττικῆς κατοικοῦντες. —— Παραλία μία τῶν τεσσάρων μοιρῶν εἰς ἃς διῄρητο πάλαι ἡ Αττική. Πανδίων γὰρ δεξάμενος Κέκροπα, προσκτησάμενος δὲ καὶ τὴν Μεγαρίδα, διέμετε τὴν χώραν τοῖς παισὶν εἰς τέσσαρας μοίρας. Αρχεῖ μὲν τὴν παρὰ τῷ ἄστει μέχρι Πυθίου, Πάλαντι δὲ τὴν Παραλίαν, Λύκῳ δὲ τὴν Διακρίαν, Νίσῳ δὲ τὴν Μεγαρίδα. Cecrops, cum Atticam multitudine hominum abundare cerneret, convocatis omnibus, eorum numerum iniit, λάεσιν, feu *lapidibus*, fingulis ab unoquoque jactis: & inde illi λαοὶ appellati funt, Euftath. *in Iliad.* A. Φιλόχορος δὲ φησι Κέκροπα βουλόμενον τὸ τῶν Αθηναίων δῆμον καὶ τὸ πλῆθος ἐπιγνῶναι, κελεῦσαι αὐτοὺς λίθους εἰσφέρειν καὶ βάλλειν εἰς τὸ μέσον. ἐξ ὧν ἐπιγνῶναι δισμυρίους αὐτοὺς ὄντας. ἀπὸ Κέκροπος οὖν φησι τοὺς ὄχλους λαοὺς ὀνομασθῆναι, Schol. Pindari *Olymp.* ode IX. antiftr II. Sub Cecrope illifque prifcis ad Thefeum ufque Regibus, Attica femper per pagos incolebatur, curias & magiftratus habens: & cum nihil timerent, ad Regem confultaturi non convenerunt; fed per fe fuam quique Remp. fuis confiliis adminiftrarunt, Thucyd. *l.* II. p. 110. Fuitque Attica a vetuftiffimis ufque temporibus, propter agri tenuitatem, & feditionum immunis, & ab iis hominibus femper inhabitata: & qui aut bello, aut feditione e reliqua Græcia pellebantur, eorum potentiffimi quique ad Athenienfes, quod horum ftabiles effent fedes, fe receperunt: qui civitatis jure donati, ftatim ab antiquiffimis ufque temporibus civitatem hominum frequentia plurimum auxerunt, Thucyd. *l.* I. p. 2. 3. Cecrops primus bovem immolaffe, & Ζῆνα cognominaffe dicitur, Eufeb. *Chron. l.* I. p. 26. De Jove fatetur Paufanias, fed bovem a Cecrope immolatum negat. Ο μὲν γὰρ, inquit, Δία τε ὠνόμασεν ὕπατον πρῶτος, καὶ ὅπόσα ἔχει ψυχὴν, τούτων μὲν ἠξίωσεν οὐδὲν θῦσαι, πέμματα δὲ ἐπιχώρια ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καθήγισεν, ἃ πελάνους καλοῦσιν ἔτι καὶ ἐς ἡμᾶς Αθηναῖοι, *Arcad.* p. 456. Cecrops ducta uxore Agraulo Actæi filia, genuit ex ea Eryfichthonem, qui fine prole deceffit, filiafque Agraulon, Herfen & Pandrofon: Agraulo e Marte Alcippe nata fuit: quam corrupit Halirrhothius Neptuni & Nymphæ Eurytæ filius, deprehenfufque a Marte interemptus fuit: Neptunus Martem in Areopago cædis reum egit, fed XII. Deorum fententia Mars abfolutus fuit, Apollod. *l.* III. p. 128. *β.* feq. Pauf. *Attic.* p. 37. 52. Areopagum nomen tunc accepiffe, & judiciorum locum conftitutum fuiffe fcribit Eufeb. *Chron. l.* I p. 26. Πάγος ante fimplici nomine, faxum feu rupes dicebatur, nam ακρωτήριον Athenis erat; fed Αρειος dictus fuit, quod Αρης illic caufam capitis dixerit, vel quod caufæ capitis illic judicarentur, de cædibus ferro (quod & Αρης dicitur) patratis. Αρειος πάγος ἀκρωτήριον Αθήνησι, ὡς Απολλόδωρος ἐν τῷ περὶ Θεῶν ἐννάτῳ, ἐν ᾧ τὰς φονικὰς κρίσεις ἐδίκαζον, διὰ τὰς ἀπὸ τοῦ σιδήρου γιγνομένας μιαιφονίας. Φιλόχορος δ' ἐν Ατθίδος δευτέρῳ βιβλίῳ, ὅτι Αλιρρόθιον τὸν Ποσειδῶνος ἀποθανεῖν βιαζόμενον ὑπὸ Αρεος, διὰ τὴν Αλκίππην τὴν αὐτοῦ θυγατέρα, Stephan. Sed hæc pofteriora mutila funt, fed fenfus planus eft ex iis quæ diximus. Rege Cranao Martem & Neptunum judicio contendiffe, & quod τόπος ἐκλήθη Αρειος πάγος, docent Epoch. Veter. in *Marmor. Arundell.* Eodem in loco poftea judicium capitis in caufa Oreftis matricidæ difceptatum fuiffe dicitur, Pauf. *Attic.* p. 52. Imo primum judicium capitis in caufa Oreftis fuiffe fcribit e perfona Minervæ Æfchylus *Eumenid.* v. 689. feqq.

Κλύοιτ' ἂν ἤδη θεσμὸν Αττικὸς λεὼς
Πρώτας δίκας κρίνοντες αἵματος χυτοῦ.
Εσαι δὲ καὶ τὸ λοιπὸν Αἰγέως στρατῷ,
Αεὶ δ' ἑκάστῳ τοῦτο βουλευτήριον.
Πάγον δ' Αρειον τόνδ' Αμαζόνων ἕδραν
Σκηνάς θ' ὅτ' ἦλθον Θησέως κατὰ φθόνον
Στρατηλατοῦσαι, καὶ πόλιν νεόπτολιν,
Τήνδ' ὑψίπυργον ἀντεπύργωσαν τότε.
Αρει δ' ἔθυον. ἔνθεν ἐστ' ἐπώνυμος
Πέτρα, πάγος τ' Αρειος.

Ubi Schol. σημείωσαι, ὅτι πρώτη ἐπὶ Ορέστῃ γέγονε δίκη ἐν τῷ Αρείῳ πάγῳ. At Euripides *Electra* v. 1258. feqq. primum Martem, fecundum Oreftem caufam illic dixiffe refert:

Εστιν δ' Αρεός τις ὄχθος. οὗ πρῶτον θεοὶ
Εζοντ' ἐπὶ ψήφοισιν αἵματος πέρι.
Αλιρρόθιον ὅτ' ἔκταν' ὠμόφρων Αρης,
Μῆνιν θυγατρὸς ἀνοσίων νυμφευμάτων,
Πόντου κρέοντος παῖδ' ἵνα εὐσεβεστάτη
Ψῆφος βεβαία τ' ἐστὶν ἔκ τε τοῖς θεοῖς,
Ενταῦθα καὶ σὲ (Oreftem) δεῖ δραμεῖν φόνου πέρι.

Sed & hoc obfervandum, quod ab Amazonibus id nomen inditum dicat Poeta, locum illum pro arce belli munientibus & Marti hoftias immolantibus. Τοὺς ἀργυροῦς λίθους, quibus in Areopago infiftebant accufatores & rei, unum ὕβρεως, alterum ἀναιδείας, vocatos fuiffe fcribit Pauf. *Attic.* p. 52. De judicio Areopagitico vide Polluc. *l.* VIII. col. 322. Herfæ Cecropis filiæ e Mercurio natus fuit Cephalus, &c. Apollod. *l.* III. pag. 129. *α.* Pandrofi & Mercurii filius fuit Ceryx, a quo Κήρυκες (*præcones*) θεῖον γένος νομιζόμενοι putabantur genus duxiffe, Euftath. *in Iliad.* A. Aglauri & Mercurii filium Cerycem fuiffe fcribit Pauf. *Attic.* p. 71. Herfæ, Pandrofo & Aglauro ajunt Minervam Erichthonium in ciftam abditum commififfe, admonitisne, quod intus effet, curiofe infpicerent: & Pandrofon quidem paruiffe ferunt, forores vero ciftam refignaffe, vifoque Erichthonio Furiis agitatas, fe de arcis maxime prærupto loco præcipites mififfe, Paufan. *Attic.* p. 31. Non defunt, qui a dracone eas interemptas tradant, quem, cifta reclufa, advolutum puero confpexerunt, Apollod. *l.* III. p. 131. *α.* Eryfichthon, cum e Delo, quo cum facris Apollinis iverat (illicque templum conftituerat, Hieronym. *Chron.*) domum reveheretur, in ipfo navigationis curfu e vita deceffit, apud Prafienfes, Paufan. *Attic.* p. 59.

Cranaus, mortuo Cecrope, & ante patrem defuncto Eryfichthone, opibus & potentia Athenienfibus præftans, regnum fufcepit, Paufan. *Attic.* p. 4. αὐτόχθων dicitur Apollod. *l.* III. p. 130. *α.* & τῶν αὐτοχθόνων εἷς Scholiaft. Ariftoph *Acharn.* p. 374. *α.* Hoc regnante Athenienfes Pelagi erant, & Cranai appellabantur, & Cranae ipfa Attica dicta ab eo. Κραναὴ, οὕτως ἐκαλεῖτο καὶ ἡ Αττικὴ, ἀπὸ Κραναοῦ, ἐξειλήφασι γάρ τινες οὕτω τὸ Ομηρικὸν τὸ Κραναὴ, ἀντὶ τῆς Ατθίδι, Stephan. Κραναὴν πόλιν τὰς Αθήνας ἀπὸ Κραναοῦ, Hefych. Αθηναῖοι δὲ ἐπὶ μὲν Πελασγῶν ἐχόντων τὴν νῦν Ελλάδα, ἔσαν Πελασγοὶ, ὀνομαζόμενοι Κραναοί. ἐπὶ δὲ Κέκροπος βασιλῆος ἐπεκλήθησαν Κεκροπίδαι, Herodot. *l.* VIII. p. 543. ubi hoc obferva ei Cranaos ante dici quam Cecropidas: quod & Marciano vifum p. 23.

Εξῆς Αθήνας φασὶν οἰκητὰς λαβεῖν,
Τὸ μὲν Πελασγοὺς πρῶτον, οὓς δὴ καὶ λόγος
Κραναοὺς καλεῖσθαι. μετὰ δὲ ταῦτα Κεκροπίδας
Κέκροπος δυναστεύοντος.

Alii urbem Κραναὴν dictam volunt ab loci natura. A Κραναῶν τ̃ Ἀθηναίων, διὰ τὸ τραχὺ ϰ̀ λεπτόγεων, ἢ ἀπὸ Κραναοῦ βασιλέως, Suidas & Schol. Ariſtoph. *Avib.* p. 547. *a.* Μείζω Κραναῶν ζητεῖς πόλιν, Ariſtoph. ipſe *d. l.* & Ὦ Κραναὰ πόλις, *Acharn.* p. 374. Λέγει ϑ̀ Κραναὰς τὰς Ἀθήνας, ἤτοι τὰς τραχείας, λεπτογέως γὸ ἡ Ἀττική· ἢ ἀπὸ Κραναοῦ, ὃς ἦν τ̃ αὐτοχθόνων εἷς, Schol. Ariſtoph. *ad d. l.* Sub Cranao Tribuum nomina mutata fuerunt, appellatæque φυλαὶ ſunt, Κραναΐς, Ατθὶς, Μεσόγαια, Διακρὶς, Pollux *l.* VIII. Mutata rurſus nomina vide in *Erichthonius*. Διάκρεια, φυλὴ τ̃ Ἀττικῆς, ἣν ᾤκει Πάλλας ὁ Πανδίονος υἱός. οἱ δημόται Διακρεῖς, Stephan. lege Διακριεῖς. Cranaus ducta uxore Lacedæmonia B Pediade Menetis filia, genuit Cranaen, Cranæchmen & Atthidem, Apollod. *l.* III. p. 130. Ab Atthide regio, quæ prius Actæa dicebatur, Attica nominata fuit, Pauſ. *Attic.* p. 4. Ατθίδα ϑ̀ ϰ̀ Ἀττικὴν ἀπὸ Ατθίδος τ̃ Κραναοῦ, ἀφ' οὗ ϰ̀ Κραναοὶ οἱ ἔνοικοι, Strabo *l.* IX. p. 397. ἧς (Ατθίδος) ἀποθανούσης ἔτι παρθένου, τ̃ χώραν Κραναὸς Ατθίδα προσηγόρευσεν, Apollod. *l.* III. p. 130. *a.* Hinc ſucceſſit Cranaus, cujus filia Athis regioni nomen dedit, Juſtin. *Hiſt.* l. II. Cecropi Athenienſium Regi ſucceſſit Cranaus, (ſic lege pro Agranus) cujus filia Athis nomen & regioni & genti dedit. Et ex ea C Attici cognominati, qui ſunt Athenienſes, Iſidor. *Origin.* l. IX. cap. II. Sub Cranao Deucalionis diluvium contigiſſe dicitur, Apollod. *l.* III. p. 130. *a.* Cranaus per vim regno exactus fuit ab Amphictyone genero, Pauſan. *Attic.* p. 4. Confugit vero cum militibus ad Lamprenſes, illicque mortuus & ſepultus fuit, Pauſ. *Attic.* p. 59.

Amphictyon Deucalionis filius, ſocero expulſo, regnum tenuit, Pauſan. *Attic.* p. 4. Τοῦτον ἔνιοι μὲν Δευκαλίωνος, ἔνιοι ϑ̀ αὐτόχθονα λέγουσι, Apollod. *l.* III. p. 130. *a.* Ἀμφικτύων ὁ μετ̀ Κραναοῦ βασιλεύσας τ̃ Ἀττικῆς, Apollod. *l.* I. p. 24. *a.* lege μετ̀ Κραναὸν, & in verſione, *poſt Cranaum*. Κραναὸν δ' ἐκβαλὼν Ἀμφικτύων ἐβασίλευσε, Apollod. *l.* III. p. D 130. *a.* Poſt hunc (Cranaum) Amphictyon regnavit, qui primus Minervæ urbem ſacravit, & nomen civitati Athenas dedit, Juſtin. *Hiſt.* l. II. Amphictyonis filius fuit Itonus, Pauſ. *Bœot.* init. Amphictyon ab Erichthonio, facta conjuratione, regno ejectus fuit, Pauſ. *Attic.* p. 4. poſtquam annos XII. imperaſſet, Apollod. *l.* III. p. 130. *a.* Inde ad Locros conceſſiſſe videtur: vide illic. Amphictyones ab Amphictyone appellati, Pauſan *Phocic.* p. 622. Hujus temporibus aquarum illuvies majorem partem Græciæ abſumpſit, Juſtin. E *Hiſt.* l. II.

Erichthonius Vulcani & Terræ filius regnum invaſit, Pauſ. *Attic.* p. 4. 5. Ἡφαίστου παῖς ϰ̀ Ἀτθίδος τ̃ Κραναοῦ ἐκ Φρασιθέας dicitur Tzetzi *Chil.* I. *Hiſt.* IV. Τοῦτον οἱ μὲν Ἡφαίστου ϰ̀ τ̃ Κραναοῦ θυγατρὸς Ατθίδος εἶναι λέγουσιν. οἱ δὲ Ἡφαίστου ϰ̀ Ἀθηνᾶς. — ὁ δὲ ἀπεσπέρμηνεν εἰς τὸ σκέλος τ̃ θεᾶς, ἐκείνη δὲ μυσαχθεῖσα, ἐρίῳ ἀπομάξασα τ̃ γόνον, εἰς γῆν ἔρριψε. φευγούσης ϑ̀ αὐτῆς, ϰ̀ τ̃ γονῆς εἰς γῆν πεσούσης, Ἐριχθόνιος γίνεται, &c. Apollod. *l.* III. p. 130. *β.* Sic & Etymol. magn. *in* Ἐρεχθεύς. Ἀνεδόθη ὁ Ἐριχθόνιος ἀπὸ τ̃ ἐρίου κληθεὶς ϰ̀ τ̃ χθονός, ὅθεν παῖδας Ἀθηναίους γηγενεῖς φάσκουσιν ἀπὸ τούτου. ἄλλοι ϑ̀, ὅτι F λυπρόγεως ἡ Ἀττική, ϰ̀ οὐδέποτ' ὑφ' ἑτέρων ἐθνῶν ἐξηλάθησαν οἱ ἐν αὐτῇ διὰ τὸ ἄζηλον τ̃ αὐτῶν χώρας, ὅθεν ϰ̀ αὐτοὺς αὐτόχθονας ϰ̀ γηγενεῖς ἔφασαν, Iſaacius Tzetzes. Erichthonius in templo a Minerva ipſa nutritus, & pulſo Amphictyone, regno Attico potitus, ſignum Minervæ in arce dedicavit, & ſolennitatem Panathenæorum inſtituit: ductaque Paſithea Naide Nympha uxore, Pandionem genuit, Apollod. *l.* III. p. 131. *a.* Erichthonius apud Græcos primus currum invenit: fuerat vero in uſu apud Barbaros, Euſeb. *Chron. Can.* p. 99. Erichthonius vita functus in Minervæ fano ſepultus fuit, Apollod. *l.* III. p. 131. *a.* Tribus appellatæ fuerunt ſub Erichthonio, Διάς, Ἀθηναΐς, Ποσειδωνιάς, Ἡφαιστιάς, Pollux *l.* VIII. Mutata nomina vide in *Erechtheus*.

Pandion Erichthonii filius regnum ſuſcepit, Pauſ. *Attic.* p. 9. Apollod. *l.* III. p. 131. *a.* Eo regnante Ceres & Bacchus in Atticam venerunt; ac Cererem Eleuſine Celeus ſuſcepit: Bacchus ab Icario hoſpitio exceptus, eidem vitis palmitem dedit, eumque vini faciendi rationem docuit, Apollod. *l.* III. p. 131. *a. β.* Pandion ducta uxore Zeuxippe matris ſuæ ſorore filias Procnen & Philomelam & geminos Erechtheum Butenque genuit: deinde conflato adverſus Labdacum bello de terræ finibus, Tereum Martis filium e Thracia in belli ſocietatem evocavit, confectoque ejus ope feliciter bello, Procnen filiam ei uxorem dedit, unde ei natus fuit filius Itys, Apollod. *l.* III p. 131. *β.* ſeq. Tereus vero contemptis Græcorum legibus Philomelæ uxoris ſorori vitium obtulit, & puellæ inſuper corpus ferro violavit: ad cujus ſceleris pœnam expetendam provocatæ mulieres Ityn occiderunt: cumque eas Tereus in ſuam poteſtatem redigere non poſſet, Megaris ipſe ſibi mortem conſcivit: quo in loco illi tumulum ſtatim ſtruxerunt, ad quem annuum ſacrum faciebant, & in eo calculis pro farre utebantur: atque eo quidem in loco primum viſam upupam memorant. Mulieres cum Athenas confugiſſent, præ luctu & mœrore ob ea quæ fecerant, quæque paſſæ fuerant, contabuerunt. Inde fabulæ origo, mutatam unam in luſciniam, alteram in hirundinem, eo quod avis utraque miſerabiles & luctuoſos edat cantus, Pauſan. *Attic.* p. 77. 78. Philomelam, exſecta lingua, per literas in peplo contextas Procnæ ſorori ſuas miſerias indicaſſe, & Procnen Ityn trucidatum elixatumque Tereo comedendum appoſuiſſe ſcribit Apollod. *l.* III. p. 132. *a.* Παρειλήφασιν Πανδιονίδαι Πρόκνην ϰ̀ Φιλομήλαν τὰς Πανδίονος θυγατέρας, ὡς ἐτιμωρήσαντο Τηρέα, διὰ τ̃ εἰς αὐτὰς ὕβριν, Demoſth. *Epitaph.* p. 749. Tereum Megarenſes ajunt circa fontes Megaridis dictos regnaſſe; Daulide ſupra Chæroneam ſcribit Pauſan. *Attic.* pag. 77. Ἐν Δαυλίᾳ τ̃ Φωκίδος νῦν καλουμένης γῆς ὁ Τηρεὺς ᾤκει, τότε ὑπὸ Θρᾳκῶν οἰκουμένης. ϰ̀ τὸ ἔργον περὶ τ̃ Ἴτυν αἱ γυναῖκες ἐν τῇ γῇ ταύτῃ ἔπραξαν. πολλοῖς ϑ̀ ϰ̀ τῶν ποιητῶν ἐν ἀηδόνος μνήμῃ Δαυλιὰς ἡ ὄρνις ἐπωνόμασται, Thucyd. *lib.* II. pag. 118. Δαυλὶς πολίχνιον, ὅπου Θηρέα τ̃ Θρᾷκά φασι δυναστεῦσαι, ϰ̀ τὰ περὶ Φιλομήλαν ϰ̀ Πρόκνην ἐκεῖ μυθεύουσι, ὡς Θουκυδίδης. ἄλλοι δ' ἐν Μεγάροις φασὶ, Strabo *lib.* IX. pag. 423. Vulgo legebatur Θουκυδίδης δ' ἐν Μεγάροις φησὶ, reſtituit Caſaubonus veram lectionem, quam hic expreſſimus. Δαυλὶς ἐν μεσογαίᾳ μετ̀ Δελφοὺς πολίχνιον, ὅπου Τηρέα τ̃ Θρᾷκά φασί τινες δυναστεῦσαι. ἢ ἐν Μεγάροις κτ̀ Θουκυδίδην, Euſtath. *in Iliad.* B ſed perperam de Thucydide. Πανδίονος γῆν vocat Athenas Euripides *Hippolyto* v. 260. A Pandione Tribus dicta: vide infra.

Erechtheus Pandionis filius patre mortuo, regnum adeptus fuit; Butes vero ſacerdotium Minervæ ac Neptuni ſuſcepit: Erechtheus ducta uxore Praxithea Phraſimi & Diogeneæ Cephiſo genitæ filia, genuit filios Cecropem, Pandorum & Mentionem: filias Procrin, Creuſam, Chthoniam & Orithyiam, Apollodor. *l.* III. p. 132. *β.* & Meropen Minoi nuptam, Deucalionis matrem, Plutarch. *Theſeo.* Butes nomen Δήμῳ dedit. Βούτης, οὗτος τὴν ἱερωσύνην ἔσχε, ϰ̀ οἱ ἀπ' αὐτοῦ Βουτάδαι ἐκλήθησαν. καλοῦνται ϑ̀ Ἐτεοβουτάδαι οἱ ἀπόγονοι τ̃ Βούτου. τὸ γὸ ἐτεὸν ἀληθὲς δηλοῖ, Suidas. Λυκοῦργος τ̃ δῆμον Βουτάδης, γένους τ̃ τῶν Ἐτεοβουταδῶν, Plutar

Lycurg. Rhet. p. 452. Εςι ἢ Βύτε τ̃ Πανδίωνος, Stephan. *in* Βυτάδαι. Erechtheus γηγενὴς dicitur Herodoto *lib.* VIII. pag. 546. Erechtheum Ægyptium fuiſſe Ægyptii aſſeverarunt, regnumque Athenis accepiſſe, quod in ſumma annonæ caritate magnam frumenti copiam Athenas advexiſſet, Diodor. *l.* I. pag. 25. Αθηνᾶς ϑρόφιμος καὶ αὐτόχθων dicitur Euſtathio, ex eo quod ſcribit de eo Homerus *Iliad.* Β.

—— ὅν ποτ' Αθήνη
Θρέψε Διὸς θυγάτηρ, τέκε ἢ ζείδωρος ἄρυρα.

Sed & Erichthonium eundem a quibuſdam appellatum fuiſſe idem auctor eſt in *Iliad.* Β. Sic & Auctor min. Schol. cum Etymolog. magn. Sed perperam confunditur Erechtheus cum Erichthonio, quod & fit a Plutarcho, cui Erechtheus dicitur Γῆς & Ηφαίςυ ὑός, in X. *Rhet. Lycurg.* p. 43. vide in *Erichthon.* Γηγενεῖς ἢ Athenienſes dicti, διότι καὶ Ερεχθεὺς ὁ οἰκιςὴς τῶν Αθηνῶν ἀπὸ Γῆς ἐτέχθη, Suidas *in* Τεττιγοφόροι. Ejus filius Pandorus Chalcidem in Eubœam coloniam duxit, Marcian. pag. 24. Fuit quoque ei filius Orneus, qui Orneatis nomen dedit, Pauſan. *Corinth.* p. 131. Filiarum Procrin Cephalus Deionei filius uxorem duxit: Chthoniam Butes, Apollod. *l.* III. p. 132. β. Orithyiam Boreas Aſtræi filius rapuit: id vento tribuit fabula, ut Philochorus ait, Euſeb. *Chron.* *l.* I. p. 28. Pauſ. *Attic.* p. 33. Apollod. *l.* III. p. 132. β. Βορῆς κατὰ τ̃ Ελλήνων λόγον ἔχει γυναῖκα Αττικὴν Ωρείθυιαν τ̃ Ερεχθῆος. κατὰ δὴ τὸ κῆδος τῦτο Αθηναῖοι συμβαλλεόμενοί σφι τ̃ Βορῆν γαμβρὸν εἶναι, &c. Herodot. *lib.* VII. p. 509. Creuſam Erechtheus uxorem dedit Xutho Hellenis filio: is e Theſſalia profugus, a fratribus ob interverſam paternam pecuniam ejectus, Athenas conceſſerat, ex uxore autem duos filios genuit, Achæum & Ionem, Pauſan. *Achaic.* pag. 396. Incolis vero frequentavit Tetrapolim Atticæ, Oenoen, Marathona, Probalinthum & Tricorythum: liberorum ejus Achæus, cæde imprudenter patrata, profugit in Laconiam, & ut, qui illic habitabant, Achæi appellarentur, effecit, Strabo *l.* VIII. p. 383. Xuthum Athenienſibus, contra Chalcodontidas Euboenſes bellum gerentibus, ſocia arma junxiſſe, ideoque debellatis hoſtibus, Creuſam conjugem conſequutum fuiſſe, quæ pridem ab Apolline compreſſa Ionem peperiſſet, ſcribit Euripides *Ion.* initio. Ionis filii quatuor fuerunt, Geleon, Hopletes, Argades, & quem a Minervæ ægide denominatum Αἰγικορεῖς habebant tribulem. Euripid. *Ion.* v. 1565. ſeqq. verſus mendoſi ſunt, quos ita reſtituo:

Τελέων μεν ἔςαι πρῶτος. εἶτα δεύτερον
Οπληνες, Αργάδεις τ', ἐμῆς τ' ἀπ' αἰγίδος
Εμφυλον ἕξυσ' Αἰγικορεῖς.

pro Τελέων enim legendum puto Γελέων, ex Herodoto *lib.* V. & Stephano *in* Αἰγικόρεως, & Plutarcho *Solone*: ac in Plutarchi quidem editt. prioribus editum eſſe γε δέοντας docet Henric. Stephan. in *Annotat.* poſitum ergo δ pro λ, lapſu facili, Αἰγικορεῖς, ὐκ ἔςι δῆμος τ̃ Αττικῆς, ὥς τινες, ἀλλὰ φυλὴ παλαιά, μία τῶν τεσσάρων τῶν ἀπὸ Ιωνος. τέσσαρες δ' ἐξ αὐτῶν, Αἰγικορεῖς, Αργαδεῖς, Γελέοντες, Οπλῖται. ἡ φυλὴ τοίνυν Αἰγικορὶς, Steph. Απὸ ἢ τ̃ Ιωνος παίδων, ἐπὶ Ερεχθέως, Γελέοντες, Οπλῖται, (vel Οπλητες) Αἰγικορεῖς, Αργάδεις, Pollux *l.* VIII. col. 320. ſic enim reſtitui hæc oportet. Tribus, non ab Ionis filiis, ſed a vitæ generibus, in quæ olim diſtincti erant, nomina habuiſſe, τὸ μὲν μάχιμον Οπλίτας, τὸ ἢ ἐργατικὸν Εργάδεις, reliquarum duarum Γελέοντας μὲν τὺς γεωργὺς, Αἰγικορεῖς ἢ τὺς ἐπὶ νομαῖς καὶ προβατείαις διατρίβοντας, dictos, auctores eſſe quoſdam ſcribit Plutarch. *Solone*, p. 91. Mutata nomina vide poſt ejectos Piſiſtratidas. Teleontis (malo Geleontis) filius Butes ſocius expeditionis Argonauticæ fuit, Apollon. *Argon.* *l.* I. v. 94. ſeqq. Sed Butes Αἰνειάδης dicitur Orpheo *Argon* v. 138. Ion delectus fuit Polemarchus ab Athenienſibus contra Eleuſinios, Pauſ. *Achaic.* p. 397. Eleuſinii enim, Atticæ populus cum Eumolpo adverſus Erechtheum bellum olim geſſerunt, Thucyd. *l.* II. p. 110. Et Eumolpus cum magno Thracum exercitu Eleuſiniis opem tulit. Ibi Erechtheus de victoria conſulens Oraculum, reſponſum tulit, feliciter rem bello ſucceſſuram, ſi unam filiarum jugularet: cumque natu minimam immolaſſet, reliquæ ſibi necem conſciverunt, ita enim inter ipſas convenerat. Commiſſa pugna Erechtheus Eumolpum obtruncavit, Apollod. *l.* III. p. 134. β. Ηἴδησαν ἅπαντες Ερεχθεῖδαι τ̃ ἐπώνυμον αὐτῶν Ερεχθέα, ἕνεκα τ̃ σῶσαι τὴν χώραν, τὰς αὐτῦ παῖδας, ἃς Υακινθίδας καλῦσιν, εἰς πρόπτον θάνατον δόντα ἀναλῶσαι, Demoſth. *Epitaph.* p. 749. Παρθένυς Erechthei filias dictas cultaſque fuiſſe, & quidem numero ſex, quarum hæc nomina, Protogenia, Pandora, Procris, Creuſa, Orithyia, Chthonia: & ταύτας λέγεσθαι, Πρωτογένειαν καὶ Πανδώραν δῦναι ἑαυτὰς σφαγῆναι ὑπὲρ τ̃ χώρας, ςρατιᾶς ἐλθέσης ἐκ Βοιωτίας, σφαγισθῆναι ἢ ἐν τῷ Υακίνθῳ καλυμένῳ πάγῳ, ὑπὲρ τῶν Σφενδονίων. διὸ καὶ ὕτω καλεῖσθαι Παρθένυς Υακινθίδας, ſcribit Suidas *in* Παρθένοι, ex Phanodemo & Phrynicho. Eleuſinios prælio victos, eorumque ducem Immaradum Eumolpi filium interfectum fuiſſe: ipſumque Erechtheum ea pugna cecidiſſe, ſcribit Pauſ. *Attic.* p. 9. 71. Θρᾶκες μὲν γὰρ μετ' Εὐμόλπυ τ̃ Ποσειδῶνος ἐνέβαλον εἰς τ̃ χώραν ἡμῶν, ὃς ἠμφισβήτησεν Ερεχθεῖ τ̃ πόλεως, φάσκων Ποσειδῶνα πρότερον Αθηνᾶς καταλαβεῖν αὐτὴν, Iſocrat. *Panathen.* Muſæum Eumolpi filium fuiſſe, & Athenienſem, & Phaleris mortuum ſepultumque cum hac inſcriptione:

Εὐμόλπυ φίλον ὑὸν ἔχει τὸ Φαληρικὸν ὖδας
Μυσαίυ φθίμενον σῶμ' ὑπὸ τῷδε τάφῳ.

Et Muſæi patrem Eumolpidis apud Athenienſes cognomentum dediſſe, ſcribit Diogen. Laert. *lib.* I. *Proœm.* vide Suidam *in* Εὐμολπίδαι. Ion cum Thracas & Eumolpum viciſſet, eam gloriam conſecutus fuit, ut ipſi ab Athenienſibus Reſp. commiſſa fuerit: ille vero primum in IV. Tribus diſtributam multitudinem, deinde in quatuor ordines diviſit, Agricolas, Opifices, Sacerdotes & Cuſtodes: cumque talia plura conſtituiſſet, regio de ejus nomine appellationem accepit, Strabo *l.* VIII. p. 383. Ιωνος ἢ τ̃ Ξύθυ ςρατάρχεω γενομένυ Αθηναίοισι, ἐκλήθησαν ἀπὸ τύτυ Ιωνες, Herodot. *l.* VIII. p. 543. Euſeb. *Chron. Can.* p. 106. Ιάονες. Ιωνες. λέγει δὲ τὺς Αθηναίυς, ἀπὸ Ιωνος τ̃ Κρεύσης τ̃ Ερεχθέως, ἢ Ξύθυ τ̃ Ελληνος, Schol. min. *Iliad.* N. v. 685. Συνοικήσαντος δὲ Ιωνος αὐτοῖς, τότε πρῶτον Ιωνες ἐκλήθησαν, Heraclid. *de Polit.* Ιωνες Αθηναῖοι. οἱ Ιωνες ἀπὸ Ιωνος, Heſych. Ιωνες Ασιᾶται καὶ Αττικοί, Suidas, Ιωνικὸς, Ελληνικὸς, Αθηναῖος, Suidas. Ion vir fortis ex ſuo nomine eoſdem Athenienſes vocavit Iones, Iſidor. *Orig.* *l.* IX. cap. II. Attica enim Ionia & Ias appellabatur: & Homerus cum ait *Iliad.* N. v. 685.

E·ξάδε

Ενθάδε Βοιωτοὶ καὶ Ἰάονες,

Athenienſes innuit: hujus vero Ioniæ pars fuit etiam Megaris. Et quidem cum Peloponneſii & Iones diu multumque de finibus diſceptaſſent, in quibus & Crommyonia fuit, convenerunt aliquando: eoque in loco, de quo conſtabat utrinque, columnam ſtatuerunt apud ipſum Iſthmum, cum hac inſcriptione in parte Peloponneſum ſpectante:

Τάδ' ἐςὶ Πελοπόννησος, οὐκ Ἰωνία.

In parte vero Megaris obverſa:

Τάδ' οὐχὶ Πελοπόννησος, ἀλλ' Ἰωνία.

Strabo *l.* IX. p. 392. Ἀθηναῖοι προέχοντες τοῦ Ἰωνικοῦ γένεος, Herodot. *l.* I. p. 23. Ἀθηναῖοι μὲν αὐτοὶ Ἴωνες, Thucyd. *l.* VII. p. 531. Ab hoc tempore inter Græcos cenſeri Athenienſes cœpiſſe videntur. Τὸ Ἀττικὸν ἔθνος ἐὸν Πελασγικὸν, ἅμα τῇ μεταβολῇ τῇ ἐς Ἕλληνας, καὶ τὴν γλῶσσαν μετέμαθε, Herodot. *l.* I. p. 23. vide & *l.* II. p. 123. Refugerunt tamen Athenienſes hanc appellationem, Ioneſque appellati noluerunt, Herodot. *l.* I. p. 67. Regnante Erechtheo Athenienſes appellari cœpiſſe, quidam auctores ſunt. Ἐκδεξαμένου δὲ Ἐρεχθῆος τὴν ἀρχὴν, Ἀθηναῖοι μετωνομάσθησαν, Herodot. *l.* VIII. p. 543. Marcian. p. 23.

—— ὑςέροισι δὲ
Χρόνοις, Ἐρεχθέως τῆς πόλεως ἡγουμένου,
Ἀπὸ τῆς Ἀθηνᾶς τὴν προσηγορίαν λαβεῖν.
Ἡρόδοτος ἱςορεῖ δὲ ταῦτα συγγράφων.

Et viros quidem Ἀθηναίους vocari, fœminas vero Ἀττικὰς, non Ἀθηναίας, e Megaclide docet Suidas, ἵνα μὴ, inquit, τὴν ἄγαμον αἱ γαμούμεναι τῇ προσηγορίᾳ καταισχύνωσιν. Ad vitandam ὁμωνυμίαν. id fieri ait Scholiaſt. Ariſtophan. *Avib.* p. 580. Fanam Ἀθηναία ipſa Dea dicitur: addit tamen *d. l.* Φαίνονται μέντοι καὶ τὴν πολῖτιν Ἀθηναίαν λέγοντες πανταχοῦ. Quod & Suidas confirmat ex Pherecrate ἐν Γραυσὶ, & Cantharo, ac aliis. Ἀθηναία, ἡ θεὸς, ἡ δὲ γυνὴ, Heſych. ſupple Ἀττικὴ, vide & Stephanum *in* Ἀθῆναι. Inter Ἀττικοὺς & Ἀθηναίους diſtinguit Dicæarchus p. 169. Τῶν δὲ, inquit, ἐνοικούντων, οἱ μὲν αὐτῶν Ἀττικοὶ, οἱ δὲ Ἀθηναῖοι. οἱ μὲν Ἀττικοὶ περίεργοι ταῖς λαλιαῖς, ὕπουλοι, συκοφαντώδεις, παρατηρηταὶ τῶν ξενικῶν βίων. οἱ δὲ Ἀθηναῖοι μεγαλόψυχοι, ἁπλοὶ τοῖς τρόποις, φιλίας γνήσιοι φύλακες. Lucas ſic fere Ἀθηναίους, ut Dicæarchus Ἀττικοὺς, deſcribit: Ἀθηναῖοι, inquit, δὲ πάντες, καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι εἰς οὐδὲν ἕτερον ηὐκαίρουν, ἢ λέγειν τι, καὶ ἀκούειν καινότερον, *Actor.* c. XVII. v. 21. Athenienſes quoque Ἐρεχθεΐδαι ab Erechtheo appellati fuerunt, Stephan. *in* Ἀθῆναι, & Euſtath. *in Iliad.* B. Sicque appellantur ab Euripide *Ion.* v. 24. Apollon. *Argon.* l. I. v. 100. Δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος Homerus Athenienſes vocat *Iliad.* B. v. 547. Et Ἐρεχθῆος δόμον Athenas *Odyſſ.* H. v. 81. Erechtheo regnante Myſteria, ſic dicta, originem ceperunt, Euſeb. *Chron.* *l.* I. p. 28. Ab Erechtheo Phorbas Rex Curetum occiſus fuit, Etymol. magn. *in* Φορβαντεῖον. Ἦν δὲ Ποσειδῶνος υἱὸς ὁ Φόρβας, addit Suidas. Uterque Φορβαντεῖον ab eo dictum ait: malo a Phorbante illo, qui Ἀττικὸς ἥρως Heſychio. Erechtheum cum domo a Neptuno everſum fuiſſe ſcribit Apollodor. *l.* III. p. 134. β. Alconem Phaleri patrem Proxenus Erechthei filium fuiſſe ait, aufugiſſe vero ex Attica cum filia Chalciope in Eubœam: repetentique patri eum non reddidiſſe Chalcidenſes, Schol. Apollon. *l.* I. Phalerus expeditionis Colchicæ ſocius fuit, Apollon. *Argon.* l. I. v. 95.

Cecrops Erechthei filiorum natu maximus regno, mortuo patre, potitus fuit, Apollod. *l.* III. p. 134. β. Ei enim ut natu maximo Xuthum a fratribus de regno diſceptantibus, mortuo patre, arbitrum delectum, regnum adjudicaſſe: ideoque a cæteris Erechthei filiis iſtis finibus exactum in Ægialum migraſſe; & cum illic ſedem fixiſſet, illic quoque mortuum fuiſſe ſcribit Pauſanias *Achaic.* p. 396. Cecrops Erechthei frater dicitur Euſebio, *Chron.* *l.* I. p. 28. Cecrops ducta uxore Metiaduſa Eupalami filia Pandionem genuit, Apollodor. *l.* III. p. 134. β. Cecrops coloniam in Eubœam deduxit, Pauſan. *Attic.* p. 9. Sub Cecrope coloniam Ionum in Peloponneſum ductam puto. Adeo Attica abundabat incolarum multitudine, ut etiam coloniam Ionum in Peloponneſum mitterent Athenienſes, & regionem quam occuparunt de ſuo nomine appellarent Ioniam pro Ægialea, & incolæ pro Ægialenſibus Iones nuncuparentur, in XII. civitates diviſi, Strabo *l.* VIII. p. 383. Ipſum Ionem Xuthi filium Ægialenſibus & eorum Regi Selinunti Neptuni F. bellum inferre voluiſſe; ſed Selinuntem per Legatos Ioni filiam, quam habebat unicam, Helicen deſpondiſſe, eumque ſibi filium adoptaſſe: & Ionem Selinunti in imperium ſucceſſiſſe, & conditam a ſe urbem de ſuæ uxoris nomine Helicen appellaſſe, & gentem ipſam a ſe Ionas nominaſſe: & Ægialenſibus imperantem belli ducem contra Eleuſinios delectum fuiſſe, & in Attica obiiſſe, ac in curia Potamiorum ſepultum fuiſſe, ſcribit Pauſan. *Attic.* p. 396. 397.

Pandion Cecropis (Erechthei Euſeb. *Chron.* l. I. p. 28.) filius poſt patrem (μετὰ Κέκροπα. non ut edidit Ægius, μετὰ Κέκροπος, & quoque interpretatus eſt, *cum Cecrope*) regnum ſuſcepit; ſed a Metionis filiis per ſeditionem ejectus fuit. Hinc Megara ad Pylam profectus, & ejus filia uxore ducta, Rex urbis ab eodem conſtitutus fuit: regnantique Megaris quatuor filii nati fuerunt, Ægeus, Pallas, Niſus & Lycus, Apollod. *l.* III. p. 134. β. ſeq. Morbo autem confectus, illic diem ſuum obiit, ſepultus eo in loco Megarenſis agri, qui Minervæ mergi (αἰθυίας) ſcopulus eſt appellatus, Pauſan. *Attic.* p. 9. Cum vero quatuor eſſent Pandionidæ, Attica in IV. partes diviſa fuit, Strabo *l.* IX. p. 392. Τὴν χώραν τὴν Διακρίαν, Πανδίονά φασι τοῖς υἱοῖς διανείμαντα τὴν ἀρχὴν, Λύκῳ δοῦναι. Αἰγεῖ δὲ τὴν περὶ τὸ Ἄςυ. Πάλλαντι δὲ τὴν παραλίαν, Νίσῳ δὲ τὴν Μεγαρίδα, Scholiaſt. Ariſtoph. *Veſp.* p. 518. Db. Sic & Suidas fere. Πανδίων δὲ βασιλεύσας μετ' Ἐρεχθέα, διένειμε τὴν ἀρχὴν τοῖς υἱοῖς, καὶ διετέλουν οὗτοι ςασιάζοντες, Heraclid. *de Polit.* Sophocles ſic Ægeum loquentem facit:

Πατὴρ δ' ἀπελθεῖν ὥρισ' εἰς ἀκτὴν ἐμοὶ
Πρεσβεῖα νείμας τῆσδε γῆς. Τῷ δ' αὖ Λύκῳ
Τὸν ἀντίπλευρον κῆπον Εὐβοίας νέμων.
Νίσῳ δὲ τὴν ἀνώμαλον ἐξαίρει χθόνα
Σκείρωνος ἀκτῆς. τῆς δὲ γῆς τὸ πρὸς νότον
Ὁ σκληρὸς οὗτος καὶ γίγαντας ἐκτρέφων
Εἴληχε Πάλλας.

Poſt Pandionis obitum, ejus filios exercitu Athenas traducto Metionidas expuliſſe, & principatum in IV. partes diviſiſſe, ſummum vero imperium penes Ægeum fuiſſe ſcribit Apollod. *l.* III. p. 135. α. Lycus Pandionis F. Magnarum Dearum initia apud Meſſenios auxit, Pauſan. *Meſſen.* p. 218. vide in *Meſſeniis*. Lycum poſtea Ægeus Athenis expulit; is vero ad Sarpedonem in Termilas conceſſit: inde temporis progreſſu factum eſt, ut de ipſius nomine Lycii vocarentur, qui prius Milyæ, & Solymi & Termilæ appellabantur, Herodot. *l.* I. p. 79.

Ægeus Pandionis F. natu maximus Megari

Athenas cum fratribus reversus, expulsis Metionidis imperio potitus fuit, Pausan. *Attic.* pag. 9. Peteus Ornei filius ab Ægeo Athenis ejectus in Phocidem abiit, urbemque illic condidit Stirin, sic appellatam, quod magna Petei comitum pars e Stiriensium curia fuerit, Pausan. *Phocic.* p. 680. Ægeus primo Metan Hopletis filiam, deinde Chalciopen Rhaxenoris filiam, uxorem duxit, Apollodor. lib. III. p. 135. α. Cum autem Veneris ira nec sibi prolem obtigisse, & sororibus calamitatem immissam putaret, (Pandionis II. filias, Ægei sorores fuisse Procnen & Philomelam putavit Pausanias) Cœlestis Veneris cultum Athenis induxit, Pausan. *Attic.* pag. 27. Et cum prolem nullam susciperet, fratrum metu, Pythiam de sobole consuluit, tulitque responsum:

Ἀσκοῦ τὸν προὔχοντα πόδα, ὦ φέρτατε λαῶν
Μὴ λύσῃς, πρὶν ἐς ἄκρον Ἀθηναίων ἀφίκηαι.

Ægeus non intellecto oraculo Athenas rediturus, Trœzene iter faciens, a Pittheo Pelopis filio hospitio exceptus fuit. Is cognito oraculi sensu, Æthram filiam cum Ægeo bene poto concumbere jussit. Æthram vero postea Ægeus jussit, si filium pareret, educare, nec, cujus is esset, dicere: cumque sub saxum ensem, & calceos abdidisset, præcepit, cum puer illa per ætatem tollere posset, eum cum illis ad se mitti, Apollodor. lib. III. pag. 135. α. Ægeum ἄπαιδα fuisse post expeditionem Argonauticam, & Medeæ oraculum sibi datum narrasse Trœzenem ad Pittheum abeuntem, scribit Euripid. *Medea* v. 671. seqq. sed perperam. Ægeus vero Athenas rediit, & Panathenæorum ludos egit, in quibus Androgeos Minois filius vicit, Apollod. lib. III. pag. 135. β. Victor autem Androgeos in familiaritatem filiorum Pallantis pervenit. Eam cum suspectam haberet Ægeus, ne forte ejus ope firmata Pallantis domo, ipse regno exueretur veritus, juvenem Thebas ad spectaculum quoddam profectum, per quosdam populares dolo interemit, ad Oenoen Atticæ, Diodor. lib. IV. pag. 263. Androgeon inter alios multos, quos casus obtulerat, a Marathonio tauro interemptum, scribit Pausan. *Attic.* pag. 50. Τοῦτον (Androgeon) ὁ Ζεὺς ἐπὶ τὸν Μαραθώνιον ἔπεμψε ταῦρον, ὑφ᾽ οὗ διεφθάρη. ἔνιοι δὲ αὐτὸν λέγουσι πορευόμενον εἰς Θήβας (sic lege pro Ἀθήνας) ἐπὶ τὸν Λαΐου ἀγῶνα πρὸς τῶν ἀγωνιστῶν ἐνεδρευθέντα διὰ φθόνον ἀπολέσθαι, Apollod. lib. III. p. 136. α. Melesagoras Androgeum Minois filium Εὐρυγύην appellatum fuisse ait, cui certamen Epitaphium in Ceramico Athenis constitutum fuerit. Et Hesiodus.

Εὐρυγύης δ᾽ ἔτι κοῦρος Ἀθηναίων ἱεράων.

Hesych. Minos, cognito filii casu, Athenas venit, cædis filii pœnam exacturus; sed cum nihil æqui imperraret, bellum Atheniensibus intulit, Diodor. lib. IV. p. 263. Cumque id protraheretur, neque Athenas capere posset, Jovem precatus fuit, ut sibi Athenienses pœnas darent. Ibi cum Athenienses pestis simul, & famea invasisset, e veteri oraculo Hyacinthi filias ad Geræsti Cyclopis tumulum jugularunt. Hyacinthus is Lacedæmone Athenas commigrarat. Cum autem viderent fine fructu id esse, Oraculum de remedio consuluerunt, jussique ab eo fuerunt Minoi, quas ille vellet, pœnas dare. Tum missis ad Minoem Legatis, quas ille exigeret pœnas, se daturos polliciti sunt. Minos vero jussit VII. adolescentes, totidemque puellas, inermes Minotauro devorandos mittere, Apollod. *lib.* III. pag 136. β. seqq. Minoem Atheniensium fraude interemptum filium existimantem, comparata classe Athenas oppugnatum venisse, nec prius Athenienses vexare desiisse, quam se pacti essent. VII. pueros totidemque puellas quotannis in Cretam missuros, qui Minotauro, quem in Labyrintho Gnosi incluserat, traderentur, scribit Pausanias *Attic.* pag 50. 51. Theseus Ægei ex Æthra filius, cum a Minoe una cum cætera puerorum manu in Cretam abduceretur, Minois, qui amore Peribœæ captus fuit, libidini se opposuit; Minos vero, & alia in illum, ira incensus, maledicta contulit, & Neptuni filium esse negavit, quod, quam habebat ipse, cælatam gemmam in mare si abjecisset, non esset eam ad se reportaturus: vixque ea locutus gemmam abjecisse dicitur. Theseum vero memorant, cum ea & corona, quam ab Amphitrite dono acceperat, e mari emersisse, Pausan. *Attic.* pag. 29. 30. Hygin. *Poetic. Astron.* p. 189. seq. Theseus in Creta omnem ex Labyrintho difficultatem superavit, & Asterionem Minois filium virtute præstantem occidit, & Ariadnen rapuit, Pausan. *Corinth.* p. 143. Ariadne ea fuit Minois filia, quæ, Thesei forma, & pulcritudine capta, suo consilio, & opera Theseum in occidendo Minotauro juvit, & Labyrinthi exitum docuit, Diodor *lib.* IV. pag. 264. Consilio enim Dædali Ariadne Theseo fili glomus tradidit, quo hic ad ingressum Labyrinthi alligato, exitum invenit, Eustath. *in Odyss.* Λ.

Dicitur (corona) etiam a Vulcano facta ex auro & Indicis gemmis, per quas Theseus existimatur de tenebris Labyrinthi ad lucem venisse: quod aurum, & gemmæ in obscuro fulgorem luminis efficiebant, Hyginus *Poet. Astron.* pag. 188. seq. Ariadnen postea, vel fortuito rei eventu, vel consulto insidiis factis, Theseo eripuuit Bacchus, cum illo classe multo esset superior, Pausan. *Phocic.* pag. 665. vide Eustath. *in Odyss.* Λ. Minotaurum Philochorus scribit fuisse militiæ præfectum apud Minoen, cui Taurus nomen erat, ingenio crudeli, & inhumano: eumque, cum fortissimus esset, & præmii loco in certamine in Androgei gratiam a Minoe instituto, omnes Athenis abductos pueros accepisset, a Theseo lucta superatum: quam ob rem, & incolumes dimissi pueri, & tributum Atheniensibus remissum fuerit, Euseb. *Chron. lib.* I. pag. 29. Theseus incolumis reversus Dianæ Σωτείρᾳ in foro Trœzeniorum dicavit templum cum signo, Pausan. *Corinth.* pag. 143. Et Deli ludos Apollini fecit, victoresque palma coronavit, Pausan. *Arcad.* pag. 532. Cum Theseus ad Minotaurum proficisceretur, virtuti suæ nonnihil fidens, patri affirmavit, candidis se velis usurum, si interempto tauro rediisset: id cum ob raptum Ariadnæ esset oblitus, Ægeus nigris conspectis velis, cum filium periisse existimaret, in mare se præcipitem dedit, Pausan. *Attic.* pag. 39. Nautas Thesei velis nigris usos fuisse dolore Ariadnæ Theseo a Baccho ereptæ, & Ægeum conspectis iis ex arce præ dolore se præcipitasse, scribit Diodor. *lib.* IV. pag. 264. Ægeus Corinthum venisse dicitur, & abductam inde Athenas Medeam in matrimonio habuisse, & ex ea filium sustulisse Medum: quem illa Athenis profugiens, detectis, quas Theseo fecerat, insidiis, secum abduxit in eam Asiæ partem, quæ Aria vocabatur, Pausan. *Corinth.* pag. 90. 91. Apollodorus *lib.* I. pag. 38. α. Medea Ægeo dicit apud Euripid. *Medea* v. 757.

Κἀγὼ πόλιν σὴν ὡς τάχιστ᾽ ἀφίξομαι.

Alii Medum non Ægei, sed Jasonis filium esse volunt, Hellanices vero non Medum, sed Polyxeum Jasonis filium nuncupat, quem mater abduxerit, Pausan. *Corinth.* pag. 91. Ἀπικομένης δὲ Μηδείης ἐκ τῆς Κολχίδος ἐς τοὺς Ἀρίους, μετέβαλον καὶ οὗτοι τὸ οὔνομα. αὐτοὶ περὶ σφέων ὧδε λέγουσι Μῆδοι, Herodot. *lib.* VII. pag. 463. Ab Ægeo Αἰγεῖδαι appellati Athenienses, Stephan.

Theseus Ægei filius, natus in regiuncula Trœzeniorum, quæ, quod illic natus fuit, Γενέθλιον appellata fuit, Pausan. *Corinth.* p. 147. Theseus annum agens septimum, visa leonis pelle, quam Hercules Trœzene apud Pittheum accubiturus deposuerat, nihil magnopere metuens, (cæteris Trœzeniorum pueris præ metu aufugientibus) paulisper egressus, erepta de servorum manibus bipenni, quod vivum leonem esse putaret, pellem invasit, Pausan. *Attic.* p. 50. Theseus annum agens decimum sextum, depositum a patre Ægeo sub saxo ensem cum crepidis, signa, quibus filium agnosceret, amoto saxo sustulit, idem *ibidem*. Theseus Marathonium taurum, in arcem compulsum, Dianæ mactavit, idem *ibid.* p. 51. Diodor. *l.* IV. p. 262. Theseus, cum ad fastigium perducta esset Apollinis Delphici ædes, incognitus, talari palla, & coma eleganter plexa, ad ædem accessit, rogatusque per illusionem ab iis, qui fastigium erigebant, quid ita nubilis virgo sola erraret: nihil aliud respondit, sed disjunctis a plaustro, quod in proximo erat, bobus, trabem laqueariis altius, quam fabri statuerant, projecit, Pausan. *Attic.* p. 33 Theseus aprum Crommyonium sustulit, Diodor. *l.* IV. p. 262. Plutarch. *Thes.* Theseus Cercyonem, qui omnes lucta secum certantes occiderat, luctandi in primis arte superavit: nam palæstricen Theseus primus invenit: & ab eo profecta Palæstritarum disciplina, cum ante sola corporis magnitudine & robore in lucta certaretur, Pausan. *Attic.* pag. 73. Diodor. *l.* IV. pag. 262. Plutarch. *Theseo*.

Theseus postquam regnare cœpit, cum esset vir non solum prudens, sed & potens, cum aliis in rebus Atticam excoluit, tum etiam cæterorum oppidorum curias & magistratus sustulit, & una curia, unoque concilio constituto in unam civitatem omnes coegit: ita illam opibus auctam posteris tradidit: a quo tempore Athenienses diem festum Συνοίκια in Deæ honorem publice celebrant, Thucyd. *l.* II. p. 110. Theseum XVII. urbes in unam coegisse auctor est Charax apud Stephanum. Sed XII. tantum scribit Strabo *l.* IX. p. 397. Theseus Veneris Popularis & Suadelæ (Πανδήμου καὶ Πειθοῦς) cultum induxit, cum in unam civitatem ex agris Atheniensem populum compulisset, Pausan. *Attic.* p. 38. Μετὰ δὲ τὴν Αἰγέως τελευτὴν Θησεὺς διαδεξάμενος τὴν βασιλείαν, ἦρχε νομίμως, καὶ πολλὰ πρὸς αὔξησιν τῆς πατρίδος ἔπραξεν. Ἐπιφανέστατον δὲ συνετελέσθη τὸ τοὺς δήμους ὄντας μικροὺς μὲν τοῖς μεγέθεσι, πολλοὺς δὲ τὸν ἀριθμόν, μεταγαγεῖν εἰς τὰς Ἀθήνας. Ἀπὸ γὰρ τούτων τῶν χρόνων Ἀθηναῖοι, διὰ τὸ βάρος τῆς πόλεως, φρονήματος ἐνεπίμπλαντο, καὶ τῆς τῶν Ἑλλήνων ἡγεμονίας ὠρέχθησαν, Diodor. *l.* IV. p. 264. Athenienses διελόμενοι τὴν μὲν πόλιν κατὰ κώμας, τὴν δὲ χώραν κατὰ δήμους, Isocrat. *Areopagit.* vide infra de Δήμοις. Περὶ ἧς (πόλεως Ἀθηνῶν τῆς ἐν Ἀττικῇ) φησὶ Χάραξ, ὅτι ὁ Θησεὺς τὰς ἕνδεκα πόλεις τὰς ἐν τῇ Ἀττικῇ συνοικίσας εἰς Ἀθήνας, Συνοίκια ἑορτὴν κατεστήσατο, Stephan. Ἐπειδὴ δὲ Θησεὺς συνῴκισεν αὐτοὺς, καὶ δημοκρατίαν ἐποίησε, καὶ ἡ πόλις πολυάνθρωπος ἐγένετο, τὸν μὲν βασιλέα οὐδὲν ἧττον ὁ δῆμος ᾑρεῖτο ἐκ προκρίτων κατ' ἀνδραγαθίαν χειροτονῶν, Demosth. in *Neæram* p. 737. Theseus æquabilem Reip. administrationem Atheniensibus constituit: inolevit tamen & alia apud vulgus fama, Theseum summam rerum multitudini tradidisse, & ex eo popularem statum ad Pisistratum usque mansisse, Pausan. *Attic.* p. 5. Οὐκ ἠγνόουν Αἰγεῖδαι Θησέα τὸν Αἰγέως πρῶτον ἰσηγορίαν καταστησάμενον τῇ πόλει, Demost. *Epitaph.* p. 744. Θησεὺς συνῴκισεν αὐτοὺς Athenienses, καὶ δημοκρατίαν ἐποίησε, καὶ ἡ πόλις πολυάνθρωπος ἐγένετο, Demosthenes *in Neæram* p. 737.

A Theseus latrociniis Græciam purgavit. Sinin latronem (qui in Isthmi prima fronte, curvatis ad terram diversarum pinorum ramis, ad eos, quos pugnando vicisset, arctis utrinque vinculis alligabat, ut cum in suam naturam arbores rediissent, illi distraherentur) eodem supplicii genere affecit, Pausan. *Corinth.* p. 86. Diodor. *l.* IV. p. 262. Plut. *Theseo*. Is Sinis Πιτυοκάμπτης ab eo supplicii genere dictus fuisse videtur, sicut vocatur a Strabone l IX. p. 391. Theseus in sacra Epidauro Periphetem, quem Vulcano natum putabant, quique in pugna ænea clava utebatur, occidit, Pausan. *Corinth.* p. 86. Plutarch. *Theseo*. Corynetes hic di-
B ctus fuit: Πρῶτον μὲν οὖν ἀνεῖλε τὸν ὀνομαζόμενον Κορυνήτην, χρώμενον τῇ προσαγορευομένῃ κορύνῃ, ἥτις ἦν αὐτῷ ὅπλον ἀμυντήριον, καὶ τοὺς παριόντας ἀποκτείνοντα, Diodor. *l.* IV. p. 262. Κορύνη, σιδηροβαρὲς ξύλον, οἱ δὲ ῥόπαλον, οἱ δὲ κολόροβον, οἱ δὲ ξύλον ἐπικαμπὲς, Hesych. Κορύνη ῥόπαλον, οἱ δὲ ξίφος, οἱ δὲ ξύλον ἐπικαμπὲς, Suidas. Ἁπλῶς μὲν πᾶσα ῥάβδος κεφαλωτὴ παρὰ τὸ κάραν sic dicitur Eustath. *in Iliad.* Ἡ ῥόπαλον interpretatur Auct. Schol. min. Κορυνήτης, ὄνομα κύριον est Suidæ. Κορυνήτης, κορυνομάχος, ῥοπαλομάχος, Hesych. Theseus Scironem Megarensis militiæ præfectum in mare,
C quos nactus fuit, detrudentem, in mare præcipitavit, Pausan. *Attic.* fin. Diodor. *l.* IV. p. 262. Plutarch *Theseo*. Theseus Procrusten, qui quos nactus fuit lecto impositos, si longiores essent, extante parte truncabat, si breviores, pedibus distendebat, occidit, Diodor. *l.* IV. p. 262. Theseus Amazonum Reginam Antiopen, vel, ut alii tradunt, Hippolyten cepit, & ex illa filium Hippolytum genuit, Diodor. *l.* IV. Γήμας δὲ μίαν τῶν Ἀμαζόνων Ἱππολύτην, Ἱππόλυτον ἐγέννησε, κάλλει τε καὶ σωφροσύνῃ διαφέροντα, Argum. Euripid. *Hippolyt.* Ἔχων ἐξ Ἱππολύτης Ἀμαζόνος Ἱππόλυτον, Plutarch. *Parallel.* XXXIV. Ex Antiope natum
D Hippolytum scribit idem in *Theseo*. Ex Antiope Demophontem natum ait Pindarus. Theseus Amazones, quæ Athenienses ob captam Antiopen bello lacessebant, superavit: adeo ut Hippolyte Amazonum dux, Antiopes soror, re male gesta, cum animum despondisset, & in primis de reditu in patriam Themiscyram desperasset, Megaris, quo cum paucis aufugerat, præ animi angore vita excederet, Pausan. *Attic.* p. 77. Herodot. *l.* IX. p. 595. Antiope pro viro fortiter pugnans occubuit, Diodor. *l.* IV. p. 234. Plutarch. *Thes.* Fuitque hæc prima pugna ab Atheniensibus contra exteras gentes suscepta, quæ Atheniensium nomen nobilita-
E vit, Pausan. *Eliac. pr.* p. 307. Καὶ γὰρ τὸν τῶν Ἀμαζόνων στρατὸν ἐλθόντα ἐκράτησαν, οὕτως, ὥστ' ἔξω Φάσιδος ἐκβαλεῖν, Demosth. *Epitaph.* p. 746. Theseus bellum Thebanis intulit: cum enim Creon Thebanus non fineret eorum cadavera, qui ad Thebas ceciderant, tolli ad sepulturam, Adrastus Thesei opem imploravit. Theseus vero, commissa inter Thebanos & Athenienses pugna, victor, cæsorum cadavera in Eleusinum agrum deportanda, ibique sepelienda curavit, Pausan. *Attic.* p. 72. Herodot. *l.* IX. p. 595. vide Euripid. *Supplic.* Athenienses ἤμυναν Ἀργείοις πρὸς Καδμείους, Plato *Menexen.* pag.
F 239. B. Theseus Herculis liberos Eurystheum fugientes suscepit, neque poscenti eos dedere voluit: atque tunc primum a Peloponnesiis Athenienses armis lacessiti fuerunt, Pausan. *Attic.* p. 61. Apollod. *l.* II. p. 82. α. Athenienses Eurysthei injuriam una cum Herculis filiis propulsarunt, victoriaque potiti sunt de iis, qui tum Peloponnesum tenebant, Herodot. *l.* IX. p. 595. Hæc gesta refert Euripides *Heraclid.* v. 116. seqq. quando erat πόλεως ἄναξ.

Ἐσθλοῦ πατρὸς παῖς Δημοφῶν ὁ Θησέως.

Sed falſo. Oraculum vero datum erat, ſi virgo no- A
bilis mactaretur, tum Heraclidas cum urbe ſalvos
fore. Ibi Macaria Herculis filiarum una, recu-
ſantibus aliis omnibus ſuos liberos victimam dare,
ſponte ſe morti præbuit, Euripid. *Heraclid.* v.
407. ſeqq. & 484. ſeqq. Theſeus mortua uxore
Hippolyte (imo potius Antiope) uxorem duxit
Cretenſem Phædram, filiam Minois Regis & Pa-
ſiphaæ, Argum. Eurip. *Hippol* Deucalionem filio-
rum Minois natu majorem, Cretæ imperantem,
inita cum Athenienſibus belli ſocietate, ſuam ſo-
rorem Phædram deſpondiſſe Theſeo, ſcribit Dio-
dorus lib. IV. pag. 264. Cum autem Theſeus Phæ-
dram ducturus eſſet, veritus ne qui gignerentur B
ex ea liberi, aut ipſi Hippolyto, aut illis Hippo-
lytus imperaret, ob eam rem Hippolytum Trœ-
zenem ad Pittheum amandavit, cum ut apud il-
lum educaretur, tum ut illi in regnum ſuccederet.
Poſt hæc Theſeus, cum Pallantem, & ejus filios
res novas molientes occidiſſet, Trœzenem, ut de
cæde purgaretur, venit. Ibi tunc primum viſus
Phædræ fuit Hippolytus, cum ſe in ſtadio is exer-
ceret: eaque amore adoleſcentis furens, cum nul-
lam malo levationem nanciſci poſſet, crinali acu
myrti folia transfigens, inſaniam ſuam oblecta-
vit, Pauſan. *Attic.* p. 38. & *Corinth.* p. 146. Cum- C
que diu tacita morbum tuliſſet, tandem coacta nu-
trici illum aperuit. Ea pollicita ſe heræ opitula-
turam, adoleſcentem compellavit præter Phædræ
voluntatem. Phædra vero ubi exaſperatum intel-
lexit adoleſcentem, objurgata nutrice, ſemet ſu-
ſpendit. Theſeus vero cum pendentem detrahe-
ret, appenſas ei literas animadvertit, in quibus
de ſtupro & vi intentata Hippolytum accuſavit.
Theſeus id crimen verum ratus, Hippolyto exſi-
lium indixit, & ad Neptunum preces fudit, qui-
bus ille annuit, & Hippolytum perdidit. Diana D
vero rem omnem Theſeo indicavit, ſolataque eum
orbatum uxore & filio, Hippolyto honores illic
receptos fieri juſſit, Argum. Eurip. *Hippol.* Periit
vero Hippolytus incitatis equis, cum curru vehe-
retur, occurrentis tauri a Neptuno immiſſi metu
territis, e curri excuſſus, capite ad ſaxa alliſo,
comminutoque corpore, vide Euripid *Hippolyt.*
v. 1173. ſeqq. & Diodor. *lib.* IV. p. 264. ſeq. Theſeus
occiſis Pallantidis, Peteum cum filio Mneſtheo
quoque expulit, ut qui opem ipſis tuliſſet, Euſta-
th. in *Iliad.* B. Theſeus Pallante cum filiis occiſo,
in Delphinio, ubi qui ſe jure occidiſſe defendunt,
cauſam dicunt, a judicibus abſolutus fuit. Ante E
Theſeum vero interfectorem neceſſe erat exſilii
cauſa ſolum vertere, aut talionis pœnam ſuſcipe-
re, Pauſan. *Attic.* p. 53. Certe anni exſilium ſubiiſ-
ſe Theſeum in Trœzenia auctor eſt Euripidis *Hip-
pol.* v. 34. ſeqq.

Επεὶ δὲ Θησεὺς Κεκροπίαν λίπε χθόνα,
Μίασμα φεύγων αἵματος Παλλαντιδῶν,
Καὶ τήνδε σὺν δάμαρτι ναυστολεῖ χθόνα,
Ενιαυσίαν ἔκδημον αἰνέσας φυγήν.

Theſei filii e Phædra fuerunt Acamas, & Demo-
phon. Theſeus, defuncta Phædra, Helenam, Pi-
rithoi conſilio & ope, raptam Athenas abduxit:
ita vero inter ipſum, & Pirithoum convenit, ut F
ſorte jacta, utrius ea uxor foret, is qui ea potire-
tur, alterum in quærenda alia uxore juvaret: re
firmata jurejurando, ſors Theſeo obtigit: Hele-
namque Aphidnas deductam curæ matris Æthræ
aliorumque amicorum commendavit, Diodor. *lib.*
IV. pag. 265. Theſei filiam ex Helena fuiſſe Iphi-
geniam Euphorion Chalcidenſis, & Alexander
Pleuronius, & Steſichorus Himeræus, & Argivi
teſtantur. Theſeo enim cum Pirithoo in Theſpro-
tos profectu, cum Dioſcuri, Aphidna capta, He-
lenam Spartam reducerent, ea e Theſeo gravida,

Argis puellam enixa fuit, quam Clytæmneſtræ
ſorori jam tum Agamemnoni nuptæ educandam
tradidit: ipſa poſtea Menelao nupſit, Pauſan.
Corinth. pag. 125. 126. Abduxerunt etiam Dioſcuri
Æthram Theſei matrem, quæ demum Ilio capto
elapſa in Græcorum caſtra venit, ibique a Theſei
filiis agnita, Helena non repugnante, ab Aga-
memnone repetenti Demophonti reſtituta fuit,
Pauſan. *Eliac. pr.* pag 323. & *Phocic.* p. 658. vide
Smyrn. *l.* XIII. v. 496. ſeqq. Theſeus vero in The-
ſprotidem venit cum Pirithoo, ut Regis uxorem
illi raperet, qui quærendæ uxoris nimia impulſus
cupiditate arma ceperat. Exercitus vero magna
parte amiſſa, a Rege in vincula ad Cichyrum u-
terque conjectus fuit, Pauſan. *Attic.* p. 30. Fertur
Theſeus cum Pirithoo ad inferos deſcendiſſe ad ra-
piendam Proſerpinam: ac Pirithoum quidem Cer-
berus devoraſſe dicitur; ſed Theſeus ope Herculis
ſervatus fuit & periculo ereptus: unde ἐξ ᾅδου ἀνε-
ληλυθέναι dicitur, Euſeb. *Chron.* lib. I. p. 28. vide
Schol. Apollon. *Arg.* lib. I. Tzetz. *Chil.* II. *Hiſt.* LI.

Οὗτός ποτε συνέθετο τῷ φίλῳ Πειριθόῳ,
Οπως Διὸς ἁρπάξωσι, τουτέστι βασιλέως,
Κόρην τινὰ, καὶ γήμωσι. οἳ δή ποτε μολόντες
Εἰς χώραν γῆς τῶν Μολοσσῶν, ὧν βασιλεὺς ἦν Αΐδης,
Οὗπερ γυνὴ Δημήτηρ ἦν, θυγάτηρ κλῆσιν Κόρη,
(Τὰς γὰρ εὐμόρφους Μολοσσοὶ κόρας καλοῦσι πάσας)
Καὶ κύων δὲ τρικέρβερος, φρικώδης τῷ μεγέθει.
Νύκτωρ ἐπέθεντο λαβεῖν αὐτοῦ τὴν θυγατέρα.
Καταληφθέντων δὲ αὐτῶν, Πειρίθους μὲν ἐβρώθη
Τῷ τρικερβέρῳ τῷ κυνὶ, Θησεὺς δὲ εἱρκτῇ κρατεῖ-
ται.

Sed Theſeum Hercules in Theſprotos profectus,
libertati reſtituit, Ælian. *Var.* lib. IV. cap. V. At
Dioſcuri Aphidna capta, dum in vinculis tenetur
Theſeus, Mneſtheum regno præficiunt. Et Mne-
ſtheus quidem Theſei liberorum, qui ad Elephe-
norem in Eubœam confugerant, nullam habuit
rationem; ſed cum ſe Theſeo, ſi unquam e The-
ſprotide rediiſſet, viribus multo inferiorem fore
intelligeret, multis obſequiis conciliato ſibi popu-
lo, obtinuit, ne rediens Theſeus reciperetur.
Miſſus itaque Theſeus ad Deucalionem in Cre-
tam, cum adverſa tempeſtate in Scyron inſulam
delatus eſſet, a Scyriis, cum ob generis clarita-
tem, tum ob rerum præclare geſtarum magnitu-
dinem ſplendide acceptus fuit: quæ res effecit, ut
eum Lycomedes per inſidias e medio tollendum
curaret, Pauſan. *Attic.* pag. 30. Οὗτος ἐλθὼν εἰς
Σκῦρον ἐτελεύτησεν, ὠσθεὶς κατὰ πετρῶν ὑπὸ Λυκο-
μήδους, φοβηθέντος μὴ σφετερίσηται τὴν νῆσον. Αθη-
ναῖοι δὲ ὕστερον περὶ τὰ Μηδικὰ μετεκόμισαν αὐτοῦ τὰ
ὀστᾶ, Heraclid. *de Polit.* Οτι Θησεὺς ἐπιθέμενος τῇ
Λυκομήδους ἀρχῇ, καὶ πειρῶν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, κατα-
κρημνισθείη, Suidas *in* Αρχὴ Σκυρία. Theſeum
primum Oſtraciſmi auctorem, ipſumque primum
legis illius vim in ſe expertum fuiſſe, quando exſi-
lii cauſa ſolum vertit, ſcribit Euſebius *Chron.* lib.
I. pag. 31. Οστρακισθῆναι δὲ πρῶτον Αθήνησι Θησέα,
ἱστορεῖ Θεόφραστος ἐν τοῖς πρώτοις καιροῖς, Suidas *in*
Αρχὴ Σκυρία: vide infra. Theſeo templum Athe-
nis dedicatum fuit, non multo poſt Marathonem
a Perſis occupatum: quo tempore Cimon Miltia-
dis filius, Theſei mortem ultus, Scyron evertit,
Theſeique oſſa Athenas reportavit, Pauſan. *At-
tic.* pag. 30. Theſeus Æthræ, & Neptuni filius
dicitur in Argum. Eurip. *Hippol.* & Diodor. *lib.* IV.
p. 261. Theſeus apud Euripid. *Hippol.* v. 1169.

Ω θεοὶ, Πόσειδον, ὡς ἄρ᾽ ἦσθ᾽ ἐμὸς πατήρ.

Sic Plutarch. *Parall.* XXXIV. Θησεὺς τῇ ἀληθείᾳ
παῖς Ποσειδῶνος: vide Plutarch. *Theſeo.* Tzetz.
Chil. II. *Hiſt.* LI.

Θησεὺς υἱὸς ὢν Ἀττικῶ Αἰγέως ϗ τῆς Αἴθρας.
Ὡς δὲ ἀνδρεῖον, ἔφασαν παῖδα τῶ Ποσειδῶνος.
Τοὺς θυμικοὺς γὰρ σύμπαντας ϗ πάντας τοὺς ἀνδρείους,
Υἱοὺς ϗ φίλους ἐρασὰς φασὶ τῶ Ποσειδῶνος,

Thefeus e Perigune Sinnidis filia filium genuit Melanippum, patrem Ioxi, qui Ornyti focius fuit deducendæ in Cariam coloniæ, unde Ioxides oriundi, quibus patrium eft neque fpinam, neque ftœben cremare, fed venerari ac colere, Plutarch. *Thefeo*. Thefeo regnante videntur Athenienfes primum extra Græciam exercitum mififfe, ducta in Sardiniam colonia, duce Iolao Iphiti Herculis fratris filio, Paufan. *Attic*. p. 54. & *Phocic*. pag. 639.

Mneftheus Petei filius, Ornei nepos, Erechthei pronepos, capta Aphidna a Diofcuris regno Athenienfium præfectus fuit, Paufan. *Attic*. pag. 30. Thefidæ vero in Eubœam aufugerunt, Euftath. *in Iliad*. B. miffi illuc ad Elephenora Chalcodontis F. illicque vitam privatam agentes, Elephenora ad Trojanum bellum fecuti funt, Plutarch. *Thefeo* fin. Mneftheus fufceptæ expeditionis ad Trojam focius futurus, cum aliquot navibus a Phalero, quod tum Athenienfium navale erat, folvit, Paufan. *Attic*. init. fuitque dux Athenienfium in eo bello, Homer. *Iliad*. B. v. 552. feqq. de Athenienfibus:

Τῶν δ' αὖ ἡγεμόνευ' υἱὸς Πετεῶο Μενεσθεὺς,
Τῷ δ' ὔπω τις ὁμοῖος ἐπιχθόνιος γένετ' ἀνὴρ
Κοσμῆσαι ἵππους τε ϗ ἀνέρας ἀσπιδιώτας,

Sed & Thefidæ inter principes Athenienfium ejus militiæ numerantur: nam Euripidi *Troad*. v. 31. Ἀθηναίων πρόμοι dicuntur. Et *Iphig. Aulid*. v. 247. feqq.

——— Ἀτθίδος δ' ἄγων
Ἑξήκοντα νῆας ὁ Θησέως
Παῖς ἑξῆς ἐναυλόχει.

Acamantem ad Trojanum bellum iviffe, matris Phædræ caufa, auctore Homero, fcribit Demofthenes: Ἐμέμνηντο, inquit, Ἀκαμαντίδαι τῶν ἐπῶν, ἐν οἷς Ὅμηρος ἕνεκα τῆς μητρὸς φησὶ Φαίδρας (al. Αἴθρας, vide in *Thefeus*) Ἀκάμαντα εἰς Τροίαν στεῖλαι. Ὁ μὲν ὢν παντὸς ἐπειρᾶτο κινδύνου, τὸ σῶσαι τὴν ἑαυτῶ μητέρα ἕνεκα, *Epitaph*. p. 749. Ab Acamante Thefei F. condita fuit urbs magnæ Phrygiæ Acamantium, Stephan. Mneftheus equo Trojano cum reliquis Græcorum principibus fe concluferat, Paufan. *Attic*. p. 2. Smyrnæus *l*. XII. v. 313. fed & Demophon Acamafque, Smyrn. *l*. XII. v. 321. 322. Athenienfes in difceptatione contra Tegeatas gloriati funt: Ἐν τοῖσι Τρωϊκοῖσι πόνοισι οὐδαμῶν ἐλειπόμεθα, Herodot. *l*. IX. p. 596. Mneftheus rediturus in patriam obiit in infula Melo, Eufeb. *Chron. Can*. ad an. IↃCCCCXXXV. Ariftotelis in Mneftheum Epitaphium hoc exftat:

Ταξίλοχος λαῶν, υἱὸς Πετεῶο Μενεσθεὺς,
Ἐνθάδ' ἐνὶ κλεινῇ πατρίδι μοῖραν ἔχει.

Demophon Thefei filius poft excifum Ilium Athenis imperium tenuit. Is Argivorum claffem cum Diomede e Troja redeuntem, & ad Phalerum per noctem appulfam, cum Argivi in agrum Atticum, inter tenebras, hoftilem rati excurriffent, & ipfe ignarus Argivorum claffem effe, repulit, & aliquot interfectis, erepto Palladio domum abiit. Sed cum ab ejus equo Athenienfis homo, cum parum is profpiceret, fubverfus elifufque interiiffet, Demophon ab interfecti propinquis reus factus fuit, vel, ut alii memorant, a Rep. Argivorum. Caufamque primus dixit in eo foro, quod Palladium appellatur, Paufan. *Attic*. p. 52. 53. vide & Harpocrat. ἐπὶ Παλλαδίῳ. Ἀγνῶτες Θεῷ. ὅπω λέγεσθαί φασι τοὺς, μετὰ τὴν τῆς Ἰλίου πλῶν,

A Φαληροῖ προσχόντας ϗ ἀναιρεθέντας, ὑπὸ Δημοφῶντος ταφῆναι, Hefych.

Oxyntes Demophontis filius.

Aphidas Oxyntæ filius. Eo regnante Dodonæi Jovis oraculum tale redditum fuit Athenienfibus:

Φράζεο δ' Ἄρειόν τε πάγον, βωμούς τε θυώδεις
Εὐμενίδων, ὅτι χρὴ Λακεδαιμονίους σ' ἱκετεῦσαι
Δουρὶ πιεζομένους. τοὺς μὴ σὺ κτεῖνε σιδήρῳ,
Μηδ' ἱκέτας ἀδικεῖν· ἱκέται δ' ἱεροί τε ϗ ἁγνοί.

Aphidas a fratre minore natu notho Thymœte occifus fuit, Athenæus ex Leonide Demone in IV. *Attic. Hift*.

B Thymœtes Oxyntæ filius. Is poftremus de Thefidis regnavit, regno pulfus a Melantho, Paufan. *Corinth*. p. 117. Etenim, cum Athenienfibus de Celænis, vel Oenoe, ut quidam volunt, cum Bœotis bellum ortum effet, Xanthus Bœotus Regem Thymœten ad fingulare certamen provocavit: eo recufante Melanthus cum Xantho congreffus, eum non virtute, fed dolo, perculit. Occurrenti enim adverfario, inique agis, inquit, o Xanthe, quod, præter pactum, focium tibi adjunxeris: ad quæ verba Xanthus cum fe converteret, venientem fecum vifurus, a Melantho cæ-
C fus periit. Inde Apaturia (ἀπὸ τῆς ἀπάτης) feftum diem agunt Athenienfes, Dionyfio Melanægidi (ita fcribe, pro Melanthidæ) fano exftructo juffu oraculi, Eufeb. *Chron*. lib. I. p. 33. Paufan. *Bœot*. pag 552. Strabo lib. IX. pag. 393. Schol. Ariftophan. *Pace* pag. 690. Melantho pugnanti poft Xanthum apparuiffe quendam, nigram hircinam pellem indutum (τραγῆν, τουτέστιν αἰγίδα, μέλαιναν ἐνημμένον) atque ita Melanthum ea verba dixiffe, & averfum adverfarium occidiffe auctores funt Scholiaft. Ariftoph. *Acharn*. pag. 378. Ab, & Suidas *in* Ἀπατούρια: ut Dionyfium inde cognominarint μελαναίγιδα. Λέγεται δὲ ϗ ἐς τὸν Θησέα, ὡς αὐτός τε
D ἐβασίλευσε, ϗ ὕστερον Μενεσθέως τελευτήσαντος, ϗ ἐς τετάρτην οἱ Θησεῖδαι γενεὰν διέμειναν ἄρχοντες, Paufan. *Attic*. p. 5.

Melanthus Andropompi filius e Meffene ab Heraclidis & Dorienfibus ejectus (ἐπιδημῶν Μεσσήνιος τὸ γένος ἀπὸ Περικλυμένου τῶ Νηλέως dicitur Schol. Ariftophan. *Acharn*. p. 378. & Suidæ *in* Ἀπατούρια. Ἀρκὰς τὸ γένος ἐν Ἀττικῇ ὢν ϗ οἰκῶν, eidem Schol. in *Pace* p. 690.) pulfo Thymœte regnum obtinuit, Paufan. *Corinth*. p. 117. Melanthum Thymœtæ filium fuiffe fcribit Tzetzes, fed addit, alios Melanthi genus aliunde deducere, *Chiliad*. I. *Hift* IV. Melantho regnante & auctore
E Iones cum in Atticam veniffent, ab Athenienfibus in civitatem recepti fuerunt. Tantum Ionis, & eo duce rerum bello geftarum memoria valuit. Sunt etiam qui dicunt Athenienfes, cum fufpectos haberent Dorienfes, metuerentque ne Ionibus devictis in fe quoque arma converterent, magis fuæ potentiæ ftudio, quam Ionum amore, eos in domicilii focietatem recepiffe, Paufan. *Achaic*. pag. 398. Nelei pofteri Alcmæon Silli filius, Thrafymedis nepos, & Pæonis Antilochi F. liberi, e Meffenia, a Dorienfibus ejecti, Athenas venerunt:
F a quibus Pæonidarum & Alcmæonidarum gens nomen accepit, Paufan. *Corinth*. p. 117. Καὶ τοῖς περὶ Μέλανθον τὸν Κόδρου πατέρα πολλοὺς ϗ τῶν Πυλίων συνεξᾶραί φασιν εἰς τὰς Ἀθήνας, Strabo *l*. XIV. p. 633. Κόδρος ϗ Μέλανθος πρότερον ἐπήλυδες ἐόντες (Πύλιοι ϗ Νηλεῖδαι) ἐγένοντο Ἀθηναίων βασιλῆες, Herodot. *l*. V. p. 354.

Codrus Melanthi filius. Eo regnante, cum exfulum frequentia faceret, ut virorum copia floreret Attica, metuentes fibi Heraclidæ, bellum Athenienfibus intulerunt, inftigantibus eos maxime Corinthiis & Meffeniis: illis ob vicinitatem, his

quod Cordus Melanthi filius tum Atticæ regnum A teneret, Strabo *lib.* IX. pag. 393. Oraculum vero Lacedæmoniis datum fuit, victos magnam cladem accepturos, si quis eorum Imperatorem Atheniensium occidisset: quo oraculo cognito Codrus deposita Regia veste lignatoris cultum induit, commistusque hostibus, cæso securi quodam Lacedæmonio, in suam necem eos incitavit, Tzetz. *Chil.* I. *Hist.* IV. Vellej. Paterc. *lib.* I. Justin. *Hist.* *lib.* II. Audita Codri morte & mortis genere, reliquæ quidem Peloponnesiorum copiæ ex Attica recesserunt, neque enim ulla reliqua fuit spes victoriæ, ex illo Delphici Apollinis oraculo. E Spartanis vero ii, qui jam intra portas penetrarant, B ubi se a suis destitutos animadverterunt, ea nocte delituerunt: cum vero jam illuxisset, & in eos Atheniensium concursus fieret, ad aras Dearum, quæ Σεμναὶ dicuntur, in Areopagum se receperunt: & tunc quidem incolumes dimissi sunt, Pausan. *Achaic.* pag. 447. 448. Athenienses vero moti procul dubio oraculo, quod in Aphidante retulimus, Lacedæmonios dimiserunt. Codri filii fuerunt Medon, Nileus, Androclus, Andræmon, Cyaretus, Damasichthon, Promethus, Cleopus. Codridæ a Codro appellati fuerunt Athenienses, Stephan. *in* Ἀθῆναι. Athenarum Re- C gem ultimum fuisse Codrum, Athenasque sub Regibus esse eo tempore desiisse, scribit Vellej. Paterculus *lib.* I. init.

Medon Codri filius. Ejus posteri Medontidæ appellati sunt. Eos populus Atheniensis in ordinem redactos, æquo jure & legibus magistratum gerere jussit, Pausan. *Messen.* pag. 226. Ἀπὸ δὲ Κοδειδῶν οὐκέτι βασιλεῖς ᾑροῦντο. διὰ τὸ δοκεῖν τρυφᾷ. καὶ μαλακοὺς γεγονέναι, Heraclid. *de Polit.* Codri filius Medon primus Archon Athenis fuit: ab hoc posteri apud Atticos dicti Medontidæ; sed ii, insequentesque Archontes usque ad Charopem, dum viverent, eum honorem usurpabant, Vell. Pater- D cul. *lib.* I. init. Dissidium autem ortum fuerat inter Medontem, & Nileum de regno, negante Nileo se regnum Medontis ferre posse, qui altero pede claudicaret; sed rei cognitione Delphico Oraculo permissa, respondit vates, deberi Medonti Atheniensium regnum, Pausan. *Achaic.* p. 398. Nileus, cæterique Codri filii dimissi in coloniam, cum ex Atheniensibus quicunque nomina dedissent, tum multo maximam Jonum partem abduxerunt, Pausan. *Achaic.* p. 398. Ælian. *Var. lib.* VIII. cap. V. Fuitque hic secundus exercitus ab Atheniensibus extra Græciam missus, Pausan. *Attic.* pag 54 Athe- E nienses εἰς Ἰωνίαν. ὡς οὐχ ἱκανῆς οὔσης τῆς Ἀττικῆς, ἀποικίας ἐξέπεμψαν, cum Attica tot alienigenas, qui eo confluebant, capere ac alere non posset, Thucyd. *lib.* I. p. 3. Medon Athenis jussu oraculi mansit. Tzetz. *Chiliad.* XIII. *Hist.* CCCCLXVIII.

Καὶ ὁ μὲν Μέδων ἐκ χρησμοῦ τῶν ἐλαιῶν τῶν δύο,
Αἵπερ παρατειβόμεναι σίαλον ἀπετέλουν,
Ἐν γῇ πατρίδος κατοικεῖν ἐτάχθη τῆς οἰκίας.

Acastus Medontis F. Euseb.
Achippus Acasti F. idem.
Thesippus Archippi F. idem.
Phorbas Thersippi F. idem.
Megacles Phorbantis F. idem. F
Diognetus Megaclis F. idem.
Pherecles Diogneti F. idem.
Ariphron Phereclis F. idem.
Thespieus Ariphronis X. idem.

Agamestor, idem. Huic R. Reneccius e Marcellino patrem tribuit Laium e posteris Ajacis, & filium Tisandrum, qui pater fuerit Miltiadis I. & avus Hippoclidis proci Agaristiæ Sicyonii. Sed ita Agamestor Medontida non fuerit, & Herodotus Hippoclidem Tisandri filium facit, non nepotem.

3. Anno ante I. Olympiad. Æschylus Agamestoris F. Euseb.

Olymp. VI. an. 3. Alcmæon. Is ultimus Medontidarum fuit, quibus imperium cum vita terminabatur. Populus Atheniensis edicto cavit, ne Medontidæ ultra annos X. magistratum continuarent, Pausan. *Messen.* p. 226.

Olymp. VI. an. 4. Charops Archon primus decennalis, Euseb. Τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος est ἄρχοντος Ἀθήνησι τῆς δεκαετίας Χάροπος ἔτος πρῶτον Dionysio Halicarnassensi.

Olymp. IX. an. 4. Æsimedes Æschyli F. Pausan. *Messen.* p. 226. Euseb.

Olymp. XI. an. 4. Cleidicus, Euseb.

Olymp. XIV. an. 2. Hippomenes, Euseb. Hujus ἔτος ἀρχῆς τέταρτον ἠνυσμένον dicitur Pausaniæ *lib.* IV. pag. 241. anno primo Olymp. XIV. Ergo primus Olymp. XIII. erit ejus annus primus. Hippomenes magistratu hanc ob causam excidit. Filiam habuit, quam a cive quodam clam stupratam, cum equo vinctam in domum conclusit, neutrique escam præbuit. Ibi equus fame urgente, impetu in puellam facto, ipsam absumpsit, & ipse deinde periit. Postea domo ejus destructa, ab illo locus ille dictus fuit Ἵππου καὶ Κόρης, Suidas *in* Hippomenes. Λειμώνη dicitur puella hæc ab Heraclide *de Polit.*

Olymp. XVI. an. 4. Leocrates, Euseb.

Olymp XIX. an. 2. Apsandrus, Euseb.

Olymp. XXI. an. 4. Eryxias. Is ultimus eorum fuit, quibus imperium X. annorum curriculo circumscribebatur, postea annuus magistratus factus est, Euseb.

Olymp. XXIV. an. 2. Creon Archon primus eorum, quibus cum anno imperium terminabatur, Euseb. Creabantur vero IX. magistratus annui, ὁ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐπώνυμος, ὁ βασιλεύς, ὁ πολέμαρχος, οἱ ἓξ νομοθέται. Hic annus est 3. Olymp. XXIV. Dionys. sed XXIII. Olymp. Scalig. XXV. aliis, Africano XIX.

Olymp. XXVI. an. 2. Leostratus.
XXVII. 4. Pisistratus.
XXVIII. 1. Autosthenes.
XXIX. 1. Archimedes.
XXX. 2. Miltiades.
XXXV. 1. Damasias. Eo Archonte Atheniensis Cylon Olympionica inter veteres & generis nobilitate florens, & opibus potens, Theagenis Megarensis Tyranni gener, cum Oraculum Delphicum consuluisset, hoc a Deo responsum accepit, ut festo die Jovis celeberrimo Athenarum arcem occuparet. Is ergo acceptis a socero Theagene copiis, cum factione amicorum, cum Olympia in Peloponneso agerentur, urbis arcem occupavit, sibi tyrannidem parans. Athenienses re cognita, facto concursu universi ex agris Reipubl. opem laturi, castris ad arcem positis, Cylonem obsidere cœperunt. Sed cum tempus protraheretur, Athenienses diuturna attriti obsidione, plerique discesserunt, commissa IX. Archontibus rerum summa. Tandem cum obsessi cibi ac aquæ penuria premerentur, Cylon ejusque frater aufugerunt: reliqui, quorum etiam quidam jam fame sitique confecti peribant, ad aram, quæ in arce fuit, supplices consederunt. Quos in templo morientes conspicati qui obsidebant, surgere jusserunt, impunitatem eis polliciti. Sed violata, quam dederant, fide, abductos interfecerunt. Quosdam etiam, qui ad Dearum, quæ Σεμναὶ dicuntur, aras sedebant, obiter interemerunt. Quam ob causam scelerati ac impii, ob scelus & piaculum in Deam admissum, tam ipsi, quam omnes ab illis oriundi, appellati sunt, Thu-

cyd. *l.* I. p. 81. 82. Ac Herodotus paulo aliter rem commemorat *l.* v. p. 357. Προσποιησάμενος, inquit, δὲ ἑταιρηΐην τῶν ἡλικιωτέων, καταλαβεῖν τὴν ἀκρόπολιν ἐπειρήθη. οὐ δυνάμενος δὲ ἐπικρατῆσαι, ἱκέτης ἵζετο πρὸς τὤγαλμα· τούτους ἀνιστέασι μὲν οἱ πρυτάνιες τῶν Ναυκράρων, οἵπερ ἔνεμον τότε τὰς Ἀθήνας, ὑπεγγύους πλὴν θανάτου. φονεῦσαι δὲ αὐτοὺς αἰτίη ἔχει τοὺς Ἀλκμαιωνίδας. ταῦτα πρὸ τῆς Πεισιστρατίδου ἡλικίης ἐγένετο. Ubi & πρυτάνιες τῶν Ναυκράρων vocantur, qui Thucydidi ἐννέα ἄρχοντες τότε τὰ πολλὰ τῶν πολιτικῶν πράσσοντες. De Naucraris vide infra in *Clisthenes*. Οἱ πρότερον Ναύκραροι, εἶτα ὑπὸ Σόλωνος κατασταθέντες, εἴτε καὶ πρῶτον, Schol. Aristoph. *Nubib.* p. 125. Scholiastes Thucydidis scribit hæc circa Cylonem gesta contigisse fere circa tempus pugnæ Marathoniæ. Id verum est de Atheniensibus piaculo isti obnoxiis, qui circa tempus pugnæ Marathoniæ Athenis per Cleomenem pulsi fuerunt; non vero de Cylone ipso, qui ante Pisistratidas tyrannidem affectavit, docente Herodoto. Κυλώνειον ἄγος, ἀπὸ Κύλωνος, ὃν καταφυγόντα ἐπὶ τὰς Σεμνὰς Θεάς, ἀποσπάσαντες αὐτὸν οἱ περὶ τὸν Περικλέα Ἀθηναῖοι ἀπέκτειναν, Suidas. Sed pro Περικλέα lege Μεγακλέα. Τοὺς μετὰ Κύλωνος διὰ τὴν τυραννίδα, ἐπὶ τὸν βωμὸν τῆς Θεᾶς πεφευγότας, οἱ περὶ Μεγακλέα ἀπέκτειναν. καὶ τοὺς δράσαντας ὡς ἐναγεῖς ἤλαυνον, (sc. Athenienses) Heraclid. *de Polit.* Megaclis hic Alcmæonis filius, Clisthenis Sicyonii gener, Clisthenis Alcmæonidæ pater fuit.

Olymp. XXXIX. an. I. Dracon. Is leges Atheniensibus tulit, Pausan. *Eliac. post.* p. 364. Ælian. *Var.* l. VIII. c. X. Tzetz. *Chiliad.* v. *Hist.* v.

Πρῶτος ὁ Δράκων γέγονεν Ἀθήναις νομογράφος,
Ἅπασι τοῖς ἐγκλήμασι, μέχρι κλοπῆς λαχάνων,
Φόνον τὸ ἐπιτίμιον ἀνηλεῶς ὁρίζων.

Unde Dedames:

Ἔοικεν, ἄνδρες δικασταί, Δράκων ὁ νομογράφος,
Οὐ μέλανι, δι᾽ αἵματος τοὺς νόμους δὲ χαράξαι.

Draco legislator Æginam profectus, faustisque populi acclamationibus ob perlatas leges exceptus, multitudine petasorum tunicarumque in caput ejus ab illis in theatro conjectarum suffocatus fuit, Hesych. illustr. *de Philosoph.*

Olymp. XL. an. 2. Heniochides.

Olymp. XLIII. an. 2. Atheniensibus de Sigeo contra Mitylenæos bellum fuit. Atheniensium dux Phrynon Pancratiastes & Olympionica ad singulare certamen provocavit Pittacum Mitylenæi exercitus imperatorem. Ibi Phrynon a Pittaco reti, quod hic clypeo tegebat, involutus, interemptus fuit, Diogen. Laert. *Pittaco*, Plutarch. *de malign. Herodoti*, p. 669. B.

Olymp. XLV. an. I. Ab Atheniensibus ad Megarenses defecerunt Salaminii: vide in *Megarens.*

Olymp. XLVI. an. I. Athenienses, cum peste laborarent, responso a Pythia accepto urbem oportere expiari, Niciam Nicerati F. in Cretam cum navi misere, ut Epimenidem adduceret. Epimenides Athenas profectus urbem lustravit, luemque hoc modo sedavit: Oves nigri & candidi velleris in Areum pagum duxit, atque inde, quo vellent, abire passus fuit; iis vero, qui illas sequebantur, præcepit, ubicunque illæ accubuissent, singulas mactare peculiari cuipiam Deo, atque hoc modo mali finis fuit. Ex eo jam hodieque per Atheniensium pagos aras sine nomine inveniri certum est, in ejus, quæ tunc facta fuit, expiationis memoriam, Diogen. Laert. *Epimenide*.

An. 2. Philombrotus.

An. 3. Solon. Is sine sorte Archon electus, cum aliis rebus civitatem ornavit, tum leges tulit, quibus diutissime usi sunt Athenienses: atque tunc leges Draconis, quæ θεσμοὶ dicebantur, abolitæ fuerunt, præter eas, quæ de cæde latæ erant, Ælian. *Var.* l. VIII. c. X. Βελτίονα Σόλων ἔλαβεν ἀρχήν, διεστώσης εἰς τρία μέρη τῆς πόλεως, τὸ τῶν Διακρίων λεγομένων, καὶ τὸ τῶν Πεδιέων, καὶ τὸ τῶν Παραλίων. οὐδενὶ γὰρ ἐμμίξας ἑαυτόν, ἀλλὰ κοινὸς ὢν πᾶσι, καὶ πάντα λέγων καὶ πράττων πρὸς ὁμόνοιαν, ᾑρέθη νομοθέτης ἐπὶ τὰς διαλύσεις, καὶ κατέστησεν οὕτω τὴν ἀρχήν, Plutarch. *Polit. præc.* p. 391. Ἦσαν ποτὲ τρεῖς στάσεις Ἀθήνησιν, Παράλων, Ἐπακρίων, Πεδιαίων, χαλεπῶς ἔχουσαι καὶ διαφερόμεναι πρὸς ἀλλήλας. ἐπεὶ δὲ πάντες ἐν ταυτῷ γενόμενοι, καὶ τὰς ψήφους λαβόμενοι ἤνεγκαν πάσας Σόλωνι, καὶ τοῦτον εἵλοντο κοινῇ διαλλακτὴν καὶ ἄρχοντα καὶ νομοθέτην, ὃς ἔδοξε τῆς ἀρετῆς ἔχειν ἀδηρίτως τὸ πρωτεῖον, Plutarch. *Amat.* p. 596. seq. Ἔστι δὲ καὶ Πεδιὰς φυλὴ τῆς Ἀττικῆς, Stephan. *in* Πεδίον. Κατὰ τοὺς Σόλωνος νόμους tres has τάξεις fuisse, & τῶν Παραλίων Megaclem, τῶν Πεδιέων Lycurgum, τῶν Διακρίων Pisistratum principem fuisse, scribit Schol. Aristoph. *Vesp.* p. 518. Vide infra in *Pisistratus*. Τὴν Δημοκρατίαν, ἣν Σόλων μὲν ὁ δημοτικώτατος γενόμενος ἐνομοθέτησε, Κλεισθένης δὲ ὁ τοὺς Τυράννους ἐκβαλὼν, καὶ τὸν δῆμον καταγαγὼν, πάλιν ἐξ ἀρχῆς κατέστησεν, ἧς οὐκ ἂν εὕροιμεν δημοτικωτέραν, ἢ μᾶλλον τῇ πόλει συμφέρουσαν, Isocr. *Areop.* Solon Execestidæ filius, Salaminius primus σεισάχθειαν Athenis invexit: cumque septem sibi talenta e sui patrimonii jure deberentur, ea primo remisit, ac reliquos suo exemplo ut idem facerent provocavit: hoc illi felix faustumque initium fuit ad cæteras leges condendas, Diogen. Laert. *Solone*. Σόλων νομοθέτης Ἀθηναίων χρεῶν ἀποκοπὴν ἐποίησε, τὴν σεισάχθειαν λεγομένην, Heraclid. *de Polit.* Σόλων χρεῶν ἀποκοπὴν δημοσίων καὶ ἰδιωτικῶν ἐνομοθέτησεν, ἥνπερ σεισάχθειαν ἐκάλεσε, παρὰ τὸ ἀποσείσασθαι τὰ βάρη τῶν δανείων, Hesych. Σεισάχθεια. Χρεωκοπία δημοσίων καὶ ἰδιωτικῶν, ἣν εἰσηγήσατο Σόλων. εἴρηται δὲ παρ᾽ ὅσον ἔθος ἦν Ἀθήνησι τοὺς ὀφείλοντας τῶν πενήτων σώματι ἐργάζεσθαι τοῖς χρήσταις. ἀποδόντας δὲ, οἱονεὶ τὸ ἄχθος ἀποσείσασθαι. ὡς Φιλοχόρῳ δὲ δοκεῖ, ἀποψηφισθῆναι τὸ ἄχθος, Suidas. Cum de Salamine inter Athenienses & Megarenses pene usque ad internecionem armis decertatum esset, multisque cladibus acceptis capitale apud Athenienses esse cœpisset, si quis legem de vindicanda insula ferret. Solon sollicitus, ne vel tacendo parum Reip. consuleret, vel consulendo sibi noceret, subitam dementiam simulavit, cujus prætextu non dicturus modo prohibita, sed & facturus erat. Deformis habitu more vecordium in publicum provolavit, factoque hominum concursu, quo magis consilium dissimularet, insolitis sibi versibus, per præconem populo suadere cœpit, quod vetabatur: omniumque animos ita cepit, ut adversus Megarenses bellum extemplo decernerent, insulaque devictis hostibus Atheniensium fieret. Versus hi sunt:

Εἴην δὴ τότ᾽ ἐγὼ Φολεγάνδριος ἢ Σικινήτης,
  Ἀντί γ᾽ Ἀθηναίου, πατρίδ᾽ ἀμειψάμενος,
Αἶψα γὰρ ἂν φάτις ἥδε μετ᾽ ἀνθρώποισι γένοιτο,
  Ἀττικὸς οὗτος ἀνὴρ τῶν Σαλαμιναφετῶν.
Ἴομεν εἰς Σαλαμῖνα μαχησόμενοι περὶ νήσου
  Ἱμερτῆς, χαλεπόν τ᾽ αἶσχος ἀπωσάμενοι.

Diogen. Laert. *Solone*, Justin. *Hist.* lib. II. Solon vero belli dux contra Megarenses constitutus, captis duabus Megaricis navibus, duces Atticos imposuit, militesque hostium armis instruxit: quo dolo deceptos, multos Megarensium inermes trucidavit, Ælian. *Var.* lib. VII. cap. XIX. Megarenses memores illati ab Atheniensibus belli,

& veriti ne frustra arma movisse viderentur, matronas Atheniensium in Eleusiniis sacris noctu oppressuri, naves conscendunt. Qua re cognita dux Atheniensium Pisistratus juventutem in insidiis collocat, jussis matronis solito clamore ac strepitu, etiam in accessu hostium, ne intellectos se sentiant, sacra celebrare, egressosque navibus Megarenses, inopinantes aggressus, delevit, ac protinus classe captiva intermixtis mulieribus, ut speciem captivarum matronarum præberent, Megaram contendit. Illi cum & navium formam, & petitam prædam agnoscerent, obvii ad portum procedunt, quibus cæsis Pisistratus paulum a capienda urbe abfuit. Ita Megarenses suis dolis hosti victoriam dedere, Justin. *Hist. lib.* 11. Solon, ne magis vi quam jure Salaminem possidere viderentur Athenienses, apertis quibusdam tumulis, cadavera ad orientem solem conversa; qui mos Atheniensibus erat sepeliendi, ostendit: sepulcra item ad ortum sita, insculptaque ipsis familiarum nomina, quod quidem Atheniensium proprium fuit, Diogenes Laert. *Solone*. Megarenses vero temere, & sine discrimine sepultos fuisse ostendit. Litem judicarunt Lacedæmonii, Ælian. *Var. lib.* VII. cap. XIX. Solon quoque Atheniensibus in Thracia ut sibi Chersonnesum vindicarent, persuasit, Diogen. Laert. *Solone*. Solonis consiliis usi sunt Amphictyones bello contra Cirrhæos: vide in *Amphictyon.* Solon populo Atheniensi imperium deferenti non acquievit; sed & Pisistrato Tyrannidem affectanti, quantum in se fuit, obstitit, Diogen. Laert. *Solone*. Solon, postquam leges Atheniensibus sanxerat, urbe relicta, decem annos peregrinatus est, per speciem contemplationis, ne quam earum, quas fixerat, legum refigere cogeretur: neque enim ipsi Athenienses id efficere poterant: quippe quos juramento obstrinxerat Solon, annos x. eas servaturos leges, quas Solon tulisset. In ea peregrinatione, & ad Amasin in Ægyptum venit, (Ὡς δὲ διώχλουν αὐτῷ τινες περὶ τῶν νόμων, ἀπεδήμησεν εἰς Αἴγυπτον, Heraclid. *de Polit.*) & Sardis ad Crœsum: & ab hoc quidem benigne acceptus, postquam illi jussu Crœsi thesauros omnes ostenderant servi, a Crœso rogatus, quem beatissimum omnium vidisset, Ὦ βασιλεῦ, inquit, Τέλλον Ἀθηναῖον: suique responsi rationem reddidit. Percontanti porro Crœso, quem secundum putaret, Cleobin & Bitonem respondit. Qua ejus oratione offensus Crœsus, querebatur suam a Solone contemni felicitatem. Ibi ille, nulla assentatione usus, quam veram esse felicitatem putaret, disseruit, Herodot. *lib.* 1. pag. 12. 13. 14. 15. Sardibus in Ciliciam profectus, urbem condidit, deque suo nomine Solos appellavit, colonis ibi collocatis quibusdam Atheniensibus, qui progressu temporis cum patriam linguam corrupissent, σολοικίζειν dicti fuerunt, Diogen. Laert. *Solone*.

Olymp. XLVII. an. 1. Eucrates. Eo Archonte Anacharsin Scytham Athenas concessisse tradidit Sosicrates, Diogen. Laert. *Anacharsi*.

Olymp. XLVIII. an. 1. Phænippus.

Olymp. L. an. 1. Pisistratus Hipoocratis F. (δήμου Φιλαΐδης, Plutarch *Solone* pag. 83.) cum orta seditione inter Athenienses, ducibus Megacle Alcmæonis F. & Lycurgo Aristolaidæ F. quorum ille his qui mare accolebant, (παράλοις) hic iis qui campestria colebant, (τοῖς ἐκ πεδίου, seu Πεδιαίοις: Πεδιέας vocat Plutarch. *Solone*) præfuit: ipse tertiæ factionis princeps fuit, Tyrannidem affectans: contractisque suæ factionis hominibus, per speciem tuendi Hyperacrios, (qui ὑπεράκρια, montana tenebant: Διακρίων γένος vocat Plutarc. *Solone* pag. 83.) rem hujusmodi machinatus

A fuit: Mulis vulneratis, ipse saucius in forum vehiculum agitavit, se in agrum tendentem ita acceptum ab hostibus fuisse simulans, & a populo petens sibi aliquam custodiam addi, cum prius suæ virtutis specimen dedisset bello Megarensi creatus imperator, Nisæa capta, aliisque præclaris editis operibus. Ibi ille ita decepto populo, delectis quibusdam e civibus satellitibus, qui clavas, non hastas ferrent, armatus, eorum opera, impetu facto, arcem occupavit: indeque Atheniensium imperio potitus, nullo urbis magistratu, qui tum erat, turbato, neque mutatis legibus, præsentem statum conservavit, urbemque bene
B ac pulcre exornavit. Sed non multo post, nondum valde stabilita Tyrannide, a Megaclis & Lycurgi militibus, concordibus animis expulsus fuit. Sed mox redintegrata seditione, Megacles fatigatus, Pisistrato, misso caduceatore, suam filiam & Tyrannidem obtulit. Accepta conditione, novo commento rem aggressi sunt. Fœminam e tribu Pæanica, Phyan nomine, quatuor cubitos minus tribus digitis longam, alioqui formosam, omni armatura instructam, & in currum sublatam, ornatissimo habitu compositam in urbem deduxerunt, præmissis præconibus, qui urbem in-
C gressi, ut jussi erant, Atheniensibus denunciarunt, ut bona mente Pisistratum exciperent, quem Minerva præcipuo honore dignata, ipsa in suam reduceret arcem. Athenienses itaque rursus decepti, & fœminæ tanquam Deæ supplicarunt, & Pisistratum receperunt. Et Pisistratus ex pacto Megaclis filiam uxorem duxit. Cum autem & filios adolescentes ex alia uxore haberet, & Alcmæonidæ crimini piaculari obnoxii haberentur, e novo conjugio liberos tollere noluit. Cum vero eam ob causam cum uxore non coiret, ut moris est, ea diu rem celatam tandem ad matrem retulit, quæ viro indicavit. Is insignem injuriam in-
D terpretatus, in gratiam cum seditiosis, positis inimicitiis, rediit. Quod Pisistratus contra se fieri animadvertens, tota regione excessit: & ubi Eretriam pervenit, cum filiis de rebus suis deliberavit. Ibi cum Hippiæ sententia vicisset de recuperanda Tyrannide, accepta non parva ab urbibus antea sibi utcunque cognitis, & inprimis a Thebanis, manu, & omnibus ad reditum paratis, cum Argivis mercede conductis, & Lygdami Naxio, Eretria profecti, anno undecimo vertente, Marathonem occuparunt, confluentibus ex urbe ipsa non tantum seditiosis, sed & aliis, quibus tyrannis quam libertas jucundior erat. Reliqui
E Athenienses primo rem contempsere: at ubi ex Marathone versus urbem movit Pisistratus, tum vero ad propulsandum hostem occurrerunt. Pisistratus vero e Marathone digressus, cum ad Minervæ Pallenidis fanum venisset, arma ex adverso posuit. Ibi vero divino impetu Amphilytus Acarnan ariolus Pisistrato adfuit, quem aggressus, hoc fatidico carmine affatus fuit:

Ἔῤῥιπται δ' ὁ βόλος, τὸ δὲ δίκτυον ἐκπεπέτασται
Θύννοι δ' οἰμήσουσι σεληναίης διὰ νυκτός.

Tum Pisistratus oraculum se accipere dixit, & in
F Athenienses urbe egressos copias duxit; sed illi ad prandium, & post illud alii ad talos, alii ad somnum se jam converterant. Impetu igitur in eos facto Pisistratus facile superior fuit, fugientibus, ne dispersi amplius conglobarentur, per pueros dici jussit, animo bono ut essent, & ad sua quique abirent. Atheniensibus dicto audientibus, Pisistratus tertium Athenis potitus, Tyrannidem firmavit, cum auxiliariorum copiis, tum pecuniarum proventibus, partim indidem, partim a fl. Strymone comparatis. Sed & Atheniensium,

quos

quos capere poterat, liberos, ceu obsides, in Naxum transtulit: eam enim insulam bello subactam Lygdami permiserat. Delum etiam Oraculi jussu expiavit, cadaveribus, qua prospectus e templo erat, effossis; & in alium insulæ locum translatis. Atheniensium vero alii in prælio ceciderant, alii cum Alcmæonidis solum verterant, Herodot. *l.* I. p.24. &c. Pisistratus *δημαγωγὸς γενόμενος, καὶ πολλὰ τὴν πόλιν λυμηνάμενος, καὶ τοὺς βελτίστους τῶν πολιτῶν ὡς ὀλιγαρχικοὺς ὄντας ἐκβαλὼν, τελευτῶν τόν τε δῆμον κατέλυσε, καὶ τύραννον ἑαυτὸν κατέστησε*, Isocrat. *Panathen.* Pisistratus Sigeum Mitylenæis eripuit, illicque Hegesistratum, filium ex Argiva muliere nothum, tyrannum constituit: neque tamen is, quod a patre acceperat, sine certamine tenuit: nam diuturnum inter Mitylenæos & Athenienses exstitit bellum, illis oppidum Achilleum, his Sigeum pro belli arce habentibus: illis Sigeum repetentibus, his negantibus plus juris esse Æolibus in agrum Iliensem, quam sibi ac ceteris Græcis, qui Menelaum ob raptam Helenam juvissent. In uno prælio, cum multa fierent, contigit Alcæum Poetam, quod ipse carmine testatus est, amissis armis fugere: quæ arma a victoribus Atheniensibus ad templum Minervæ in Sigeo suspensa fuerunt. Tandem Mitylenæos & Athenienses Periander Cypseli F. delectus arbiter ita reconciliavit, ut uterque populus ea coleret, quæ haberet. Atque hoc modo Sigeum Atheniensium factum est, Herodot. *lib.* V. p. 370. Pisistrato imperium quidem omne tenente Athenis, dominatu tamen potiebatur Miltiades Cypseli F. ab Æaco & Ægina oriundus repetita longius origine; sed propius, Atheniensis, Philæo Ajacis filio ex hac familia primo Atheniensi facto. Is a Doloncis Thracibus Chersonnesum tenentibus rogatus, assumptis voluntariis Atheniensium in Chersonnesum navigavit, illicque Tyrannus creatus fuit, Herodot. *l.* VI. p. 394. 395. Miltiades tres, unum qui coloniam in Chersonnesum deduxerit, alterum Cypseli F. tertium Cimonis filium fuisse, auctor est Ælianus *Var. l.* XII. c. XXXV. sed fallitur: nam Cypseli filius idem coloniæ in Chersonneso auctor fuit. Pisistratus Cimonem Stesagoræ filium Athenis expulit. Is exsul tethrippo in Olympiade victor, victoriam muneris gratia transtulit in Miltiadem e matre fratrem. Proxima Olympiade iisdem equabus victor, a filiis Pisistrati, jam tum mortui, occisus fuit ad Prytaneum, noctu submissis percussoribus, Herodot. *l.* VI. p. 419. Pisistratus dissipata Homeri carmina, & passim per alia literarum monumenta dispersa, in unum collegit, Pausan. *Achaic.* p. 452. *Οἵδε συνθέμενοι ταύτην κατ᾽ ἐπιταγὴν, ὥς φασι, Πεισιστράτου τοῦ τῶν Ἀθηναίων Τυράννου, γραμματικοὶ*, Eustath. *in Iliad. init.* Soloni id tribuit Diogenes Laert. *Solone.* Hipparchum Pisistrati F. Homeri carmina primum Athenas attulisse, Rhapsodosque ea in Panathenæis canere jussisse, scribit Ælianus *Var. l.* VIII. c. II. Pisistratus annos septendecim Tyrannidem obtinuit, Aristotel. *l.* V. *de Rep.* §. 12. Et senex in Tyrannide decessit, Thucyd. *l.* VI. p. 449. *Πεισίστρατος τριάκοντα ἓξ ἔτη τυραννήσας, γηράσας ἀπέθανεν*, Heraclid. *de Polit.* Pisistrati patri Hippocrati, cum privatus Olympia spectaret, immolanti ahena plena carne & aqua, non subjecto igne, efferbuerunt, quod portentum conspicatus Chilon Lacedæmonius, qui forte aderat, hominem dehortatus fuit, ne uxorem duceret fœcundam; deinde, si uxorem haberet, eam ejici jussit, & siquidem ex ea filium sustulisset, eum abdicari. Sed Hippocrates neglecto illius consilio, pater Pisistrati postea factus est, Herodot. *l.* I. p. 24. Pisistrati nomen illi pater dedit, repetita memoria Pisistrati filii Nestoris: oriundus enim erat e Pylo, atque Neleo, unde Codrus & Melanthus quoque, Herodot. *l.* V. p. 354. Pisistrati filii fuerunt Hippias, Hipparchus & Thessalus, Thucyd. *lib.* I. p. 14.

Hippias Pisistrati filius natu maximus patri mortuo successit, Thucyd. *l.* I. p. 14. & *lib.* VI. p. 449. *Ἵππαρχος ὁ Πεισιστράτου παῖς πρεσβύτατος τῶν τοῦ Πεισιστράτου* dicitur Æliano *Var. l.* VIII. c. II. sed falso. *Ἵππαρχον τὸν Πεισιστράτου, Ἱππίεω δὲ τοῦ Τυράννου ἀδελφεόν*, Herodot. *l.* V. p. 351. Atheniensium vulgus Hipparchum Tyrannum fuisse putavit; sed id falsum multis argumentis convincit Thucydides *l.* I. p. 14. ubi Scholiastes: *Ταῦτα λέγει*, inquit, *ὁ συγγραφεὺς, ὡς καὶ αὐτὸς ὢν τοῦ γένους τῶν Πεισιστρατειδῶν, καὶ διαβάλλει τοὺς περὶ Ἁρμόδιον.* Hipparchus pridie Panathenæorum, seu ejus diei, quo occisus fuit, sibi in somno videre visus fuit assistentem sibi virum procerum & elegantis formæ, & hos versus per ænigma dicentem:

Τλῆθι λέων ἄτλητα παθὼν τετληότι θυμῷ.
Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει,

Herodot. *l.* V. p. 351. Occisus autem fuit, facta conjuratione ab Harmodio & Aristogitone, quod Harmodium de stupro appellasset. Sed & in ipsum Hippiam insidiæ ab iisdem & sociis conjurationis cogitatæ fuerant: itaque jam sibi vehementius metuens, multis civibus interfectis, ad externa auxilia cœpit respicere: & Æantidæ Hippocli Lampsacenorum Tyranni filio suam filiam Archedicen uxorem dedit, quod sciret ipsos apud Darium auctoritate multum pollere. Ejus fœminæ monumentum Lampsaci fuit, cum hoc epigrammate:

Ἀνδρὸς ἀριστεύσαντος ἐν Ἑλλάδι τῶν ἐφ᾽ ἑαυτοῦ,
Ἱππίου Ἀρχεδίκην ἥδε κέκευθε κόνις.
Ἣ πατρός τε καὶ ἀνδρὸς, ἀδελφῶν τ᾽ οὖσα Τυράννων,
Παίδων τ᾽, οὐκ ἤρθη νοῦν ἐς ἀτασθαλίην.

Thucyd. *l.* VI. p. 450. seqq. Aliter de Hipparcho scribit Heraclides: *Ἵππαρχος*, inquit, *ὁ υἱὸς Πεισιστράτου παιδιώδης ἦν καὶ ἐρωτικὸς καὶ φιλόμουσος· Θεσσαλὸς δὲ νεώτερος καὶ θρασύς. τοῦτον τυραννοῦντα μὴ δυνηθέντες ἀνελεῖν. Ἵππαρχον ἀπέκτειναν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ*: *lib. de Polit.* *Μετὰ ταῦτα ἐτυραννεύοντο Ἀθηναῖοι ἐπ᾽ ἔτεα τέσσερα, οὐδὲν ἧσσον, ἀλλὰ μᾶλλον ἢ πρὸ τοῦ*, Herodot. *l.* V. p. 351. vide Suidam. *Ἱππίας δὲ πικρότερον ἐτυράννει, καὶ τὸν περὶ ὀστρακισμοῦ νόμον εἰσηγήσατο, ὃς ἐτέθη διὰ τοὺς τυραννοῦντας*, Heraclid. *de Polit.* Sed existimo distinguendum post *ἐτυράννει*, & post legendum *εἰσηγήσαντο*, sc. Athenienses: vide mox infra in *Ostracismus*. Hippiæ filius Pisistratus, Pisistrati nepos, cum Archon esset, aram XII. Deorum in foro dedicavit: quam cum postea Populus auxisset, epigramma, quod in ea erat, delevit. Idem aram in Apollinis Pythii templo dedicavit, cum hac inscriptione, apud Thucyd. *l.* VI. p 449. seq.

Μνῆμα τόδ᾽ ἧς ἀρχῆς Πεισίστρατος Ἱππίου υἱὸς
Θῆκεν Ἀπόλλωνος Πυθίου ἐν τεμένει.

Hippias vero cum tres deinceps annos Tyrannidem tenuisset, anno quarto a Lacedæmoniis & Alcmæonidis exsulibus imperio spoliatus, impetrata fide publica, Sigeum concessit, Thucyd. *l.* VI. pag. 452. quamvis enim Pisistratidæ Lacedæmoniis hospites ac amici essent, nihilominus Lacedæmonii sæpius admoniti a Pythia largitionibus per Alcmæonidas corrupta, ut Athenas liberarent, Athenienses in pellendis Pisistratidis juverunt, ac primum quidem, Anchimolio duce, infeliciter pugnarunt adversus Thessalos equites, qui Pisistratidis numero mille cum Rege Cinea, viro Coniæo, auxilio venerant. Sed mox majoribus cum

copiis, imperatore Cleomene Anaxandridæ F. reverſi, pulſo Theſſalico equitatu, cæſis ex eo ſupra XL. Piſiſtratidas intra murum Pelaſgicum redactos obſidere cœperunt. Maturavit deditionem, quod Piſiſtratidarum liberi clam inde ſubducendi, intercepti fuiſſent: qua calamitate fracti Piſiſtratidæ, liberorum redemptionem ab Athenienſibus pacti ſunt, ſuo intra dies V. ex Attica diſceſſu, Herodot. *l.* V. p. 353. 354. Fuerunt vero Athenæ in poteſtate Piſiſtratidarum annos ſex & triginta, Herodot. *l.* V. p. 354. quinque & triginta ſcribit Ariſtoteles *de Rep. l.* V. §. 12. Ac profecto hi Tyranni virtutem ac prudentiam diutiſſime coluerunt, nec præter vigeſimam proventuum ab Athenienſibus exegerunt: præterea urbem egregie exornarunt, bella adminiſtrarunt, & in templis rem divinam peregerunt. In cæteris vero rebus Civitas legibus priſtinis utebatur: niſi quod id ſollicite agerent Tyranni, ut ſemper aliquis de ſuo numero magiſtratum gereret, Thucyd. *lib.* VI. p. 449. Πεισιάνδρυ Πεισίστρατος καὶ ὁ παῖς Ιππίας φιλάνθρωποι μὲν ἦσαν καὶ σοφώτεροι τά τε πολεμικὰ ἦσαν, καὶ ὅσα ἦν ἐς κόσμον τῶν πολιτῶν, Pauſan. *Attic.* p. 40. Tyrannide porro liberati Athenienſes Harmodio & Ariſtogitoni, qui cæſo Hipparcho, ipſi mox a ſatellitibus oppreſſi occubuerant, ſtatuas collocarunt, Pauſan. *Attic.* p. 14. Sed & Leænæ meretrici æneam leænam, tanquam bene de ſe meritæ, poſuerunt. Eam, cum Ariſtogitonis amica eſſet, conjurationis ejus, qua Hipparchus periit, conſciam ratus Hippias, tamdiu fœdis cruciatibus laceravat, donec animam efflaret, Pauſan. *Attic.* p. 40.

Oſtraciſmus lege lata inſtitutus fuit Athenis poſt everſam Piſiſtratidarum Tyrannidem: Civium quiſque teſtæ (ὀστράκῳ) inſcribebat nomen ejus, qui plurimum virium habere videretur ad evertendam Democratiam. Cui ergo plures teſtæ nomine ipſius inſcriptæ obveniſſent, is patria excedere ad annos quinque jubebatur, Diodor. *lib.* 11. pag. 41. Cliſthenem Athenienſem primum auctorem legis de Oſtraciſmo fuiſſe, primumque Oſtraciſmo pulſum, auctor eſt Ælianus *Var. lib.* XIII. cap. XXIV. Photio Achilles Lyſonis filius primus Athenienſibus Oſtraciſmi auctor dicitur. Harpocration ſcribit Hipparchum Charini F. Piſiſtrati Tyranni cognatum primum Oſtraciſmo ejectum fuiſſe, lege de Oſtraciſmo tum primum lata. Falſum igitur eſt quod Euſebius Theſeum ejus auctorem, primumque ejus vim ſenſiſſe docet. De Oſtraciſmo vide Heſychium, & Suidam, & Scholiaſt. Ariſtoph. *Equit.* pag. 340. Db. & *Veſp.* pag. 498. Da. & Diodor. Sicul. *l.* XIX. præfat. & Ariſtotel. *de Rep. l.* V. §. 3. Κόλασις οὐκ ἦν ὁ ἐξοστρακισμὸς, ἀλλὰ παραμυθία φθόνου καὶ κουφισμὸς, ἡδομένου τῷ ταπεινοῦν τοὺς ὑπερέχοντας, καὶ τὴν δυσμένειαν εἰς ταύτην τὴν ἀτιμίαν ἀποπνέοντος, Plutarch. *Themiſtocle* pag. 123.

Athenienſibus repetentibus ab Æginetis ſigna Damiæ & Auxeſiæ, quæ per vim Epidauriis erepta fuerant, reſponderunt Æginetæ, nihil ſibi negotii cum Athenienſibus eſſe. Athenienſes ergo, miſſa publice trireme cum quibuſdam civibus, ſimulacra illa, tanquam de ſuis lignis facta, ſuis mota ſedibus ad ſe aſportare conati ſunt. Sec cum, qui miſſi erant, circumdatis funibus, ea traherent, cum tonitru terræ motus extitit: inde omnes in amentiam verſi, mutuis cædibus ſe tanquam hoſtes confecerunt, uno incolumi, qui ad Phalerum ſe recepit: qui ad ſuos reverſus tantæ cladis nuncius, ab uxoribus eorum, qui in inſula perierant, circumfuſis apprehenſus, & veſtimentorum fibulis compunctus, percontantibus interea ſingulis, ubi ſuus vir eſſet, periit. Quod mulierum factum Athenienſibus ipſa clade triſtius fuit. Quas cum aliter ulciſci non poſſent, veſtem Iadem illis imperarunt, cum ante Doridem veſtem geſtarent, Corinthiæ ſimillimam: eam igitur in lineam tunicam (λίνεον κιθῶνα) mutarunt, ne fibulis uterentur. Ut tamen, quod verum eſt, dicatur, non Ionica hæc veſtis eſt ab antiqua origine, ſed Caira: omnis enim priſca veſtis Græcarum mulierum eadem erat cum illa, quam nunc Doricam appellamus. At vero Argivis & Æginetis hanc ob cauſam conſuetudinem iſtam invaluiſſe ajunt, ut fibulæ fiant menſuræ ſeſcuplo majoris, quam quæ tum recepta erat, Herodot. *l.* V. p. 361. 362. 363. 364.

Athenæ, cum magnæ fuiſſent antea, tum vero Tyrannis liberatæ majores factæ ſunt. Præpollebant in urbe viri duo, Cliſthenes Alcmæonides, Cliſthenis Sicyonii Tyranni e filia Agariſtia nepos, Megaclis filius, quo auctore ferunt Pythiam perſuaſiſſe Lacedæmoniis ut Athenas liberarent, & Iſagoras Tiſandri filius. His de principatu urbis per factiones contendentibus, Cliſthenes victus populum ſibi conciliavit; & e quatuor Tribubus mox decem effecit, cognominibus filiorum Ionis, Geleontis, & Ægicoris, & Argadæ & Hopletis in alia commutatis, quæ ipſe invenerat, Heroum indigenarum, & hoſpitis Ajacis, ceu vicini ac ſocii: contemptu, ut videtur, Ionum: ne Ionibus & Athenienſibus eædem Tribus eſſent. Ita Cliſthenes, redactis omnibus ad ſuam unius auctoritatem, & populo in X. Tribus tributo, totidemque Phylarchis conſtitutis, adverſam factionem longe vicit. Victus viciſſim Iſagoras Cleomenem ſibi ab obſidione Piſiſtratidarum amicum ac hoſpitem factum, auxilio advocavit: nec cunctatus Cleomenes, miſſo caduceatore, Athenis Cliſthenem expulit, & una cum eo, quotquot crimini piaculari obnoxii erant, monente Iſagora: & nihilominus cum non magna manu Athenas ingreſſus, inde ſeptingentas familias, ceu piaculo contaminatas, ſuggerente Iſagora relegavit. Cum autem Magiſtratus conaretur Iſagoræ trecentis militibus mandare, repugnante Senatu, quem diſſolvere tentabat, arcem cum Iſagora ejuſque factionis hominibus occupavit: quos cæteri Athenienſes concordibus animis obſeſſos, tertio die, quicunque Lacedæmonii illic erant, fide data dimiſerunt, reliquos vinctos e medio ſuſtulerunt, Herodot. *l.* V. p. 355. ſeqq. Cliſthenem multos peregrinos, & ſervos, & inquilinos in Tribus tranſtuliſſe ſcribit Ariſtoteles *de Republ. l.* III. §. 2. Ex IV. igitur antiquis Tribubus, Cliſthenes X. fecit. Ἐπὶ δὲ (Κλεισθένους τοῦ, ita enim ſupple) Ἀλκμαίωνος δέκα ἐγένοντο (φυλαὶ) ἐκ πολλῶν ὀνομάτων, ἑρομένου τοῦ Πυθίου, Pollux *l.* VIII. col. 320. ſeq. Οἱ δὲ δέκα (ἐπώνυμοι) ἀφ᾽ ὧν αἱ φυλαὶ προσηγορεύθησαν, οἷον Ἐρεχθεὺς, Αἰγεὺς, Πανδίων, Λεὼς, Ἀκάμας, Οἰνεὺς, Κέκροψ, Ἱπποθόων, Αἴας, Ἀντίοχος. ταῦτα δὲ τὰ δέκα ὀνόματα ἀπὸ ρ᾽ ὁ Πύθιος εἵλετο. Κλεισθένης ὑποδιαταξάμενος, τὸ πᾶν πλῆθος εἰς δέκα φυλὰς, διένειμεν, ſupple cum Sylburgio) Etymol. magn. *in* Ἐπώνυμοι. Παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις δέκα ἦσαν φυλαὶ, Schol. Ariſtoph. *Pluto* p. 29. Earum ſunt hæc nomina.

I. Ἐρεχθηὶς, Demoſth. *de Corona* p. 167. Ἐρεχθὶς, Pollux *l.* VIII. Unde φυλέται dicti Ἐρεχθεῖδαι, quorum ἀρχηγὸς Erechtheus, Demoſth. *Epitaph.* p. 479. vide in *Erechtheus.*

II. Αἰγηὶς, Æſchin. *in Timarch.* pag. 187. Αἰγὶς, Pollux *l.* VIII. Unde φυλέται dicti Αἰγεῖδαι, quorum ἀρχηγὸς Theſeus Ægei filius, Demoſth. *Epitaph.* pag. 749. Hic autem Αἰγείδης dictus. Αἰγείδης ὁ τοῦ Αἰγέως παῖς, Suidas. Αἰγηὶς φυλὴ τῆς Ἀττικῆς, ἀπὸ Αἰγέως τοῦ Πανδίονος, Stephan.

Αἰγηὶς, ἡ τ̃ Αἰγέως φυλὴ, Suidas. Ἐςὶ ᾗ Αἰγηὶς φυλὴ, ἀπὸ Αἰγέως τ̃ Πανδίωνος. ἧς οἱ φυλέται Αἰγεῖδαι, idem *in* Αἰγεῖδαι. Αἰγηὶς φυλὴ ὠνομάσθη ἀπὸ Αἰγέως τ̃ Πανδίωνος, ὅθεν οἱ φυλέται Αἰγεῖδαι, Harpocrat. *in* Αἰγεῖδαι.

III. Πανδιονὶς, Demosth. *de Corona* p. 138. Πανδιωνὶς, Pollux *l.* VIII. Unde φυλέται dicti Πανδιωνίδαι, quorum ἀρχηγὸς Pandion, Procnes & Philomelæ pater, Demosth. *Epitaph.* p. 749. Πανδιωνὶς, μία τ̃ δέκα φυλῶν, (παρ' Ἀθηναίοις ἐςὶ, Harpocrat.) ἀπὸ Πανδίωνος τ̃ Ἀθηναίῳ (τ̃ Ἐριχθονίε, Harpocrat.) κληθεῖσα, Suidas: vide in *Pandion.*

IV. Λεοντὶς, Demosth. *de Corona* p. 149. Plutarch. *Sympos.* I. §. 10. & *Themistocle* init. Pollux *l.* VIII. Unde φυλέται dicti Λεοντίδαι, quorum ἀρχηγοὶ Λεωκόραι, quas fabula vulgatum est, se victimas pro regione obtulisse, Demosth. *Epitaph.* p. 749. Ἐλίμωξέ ποτε ἡ Ἀττικὴ, κ̀ λύσις ἦν τ̃ λιμῦ, παιδὸς σφαγή. Λεὼς ἦν τις τὰς ἑαυτῦ θυγατέρας ἐπιδέδωκε, κ̀ ἀπήλλαξε τ̃ λιμῦ τ̃ χώραν. & ἐκ τύτε ἐκλήθη ὁ τόπος (τῆς Ἀττικῆς) Λεωκόριον, Suidas. Fuit vero Leos Orphei filius, filiumque habuit Κύλανθον, & filias tres, Φασιθέαν, Θεόπην, Εὐβύλην, ἃς ὑπὲρ τ̃ χώρας σφαγιαθείσας ἔτι παρθένυς ἐτίμησαν Ἀθηναῖοι τῷ ἡρώῳ, (Λεωκορίῳ ἐν μέσῳ τῷ Κεραμικῷ) Suidas. Λεωκόριον, ἱερὸν Ἀθήνησι τῶν Λεὼ θυγατέρων. ὁ ᾗ Λεὼς, ὑὸς Ὀρφέως, Etymol. magn.

V. Ἀκαμαντὶς, Demosth. *in Bœot.* α. p. 579. Pollux *l.* VIII. Unde φυλέται dicti Ἀκαμαντίδαι, quorum ἀρχηγὸς Acamas Thesei filius, Demosth. *Epitaph.* p. 749. vide in *Mnestheus.* Ἀκαμαντὶς. μία αὕτη τῶν δέκα φυλῶν, ἀπὸ Ἀκάμαντος τ̃ Θησέως, Harpocrat. Ἀκαμαντὶς & Ἀκάμας. μία τῶν δέκα φυλῶν, ἀπὸ Ἀκάμαντος τ̃ Θησέως, Suidas. Ἐκαλεῖτο κ̀ φυλὴ Ἀκαμαντὶς τ̃ Ἀττικῆς, Stephan. *in* Ἀκαμάντιον. Περικλῆς γὸ τῶν μὲν φυλῶν Ἀκαμαντίδης, Plutarch. *Pericle.*

VI. Οἰνηὶς, Demosth. *de Corona* pag. 158. Οἰνὶς, Pollux *l.* VIII. Unde φυλέται dicti Οἰνίδαι, (in margine Οἰνεῖδαι) quorum ἀρχηγὸς Oeneus ejus, ὃν ἃ πρέπον ἐςὶν ὀνομάζειν ἐπὶ τῷδε τ̃ τάφε, filius, Semeles nepos, Cadmi pronepos, Demosth. *Epitaph.* p. 749. Οἰνηὶς φυλὴ, τ̃ Οἰνέως, Suidas. Οἰνηὶς, μία τῶν δέκα φυλῶν παρ' Ἀθηναίοις, idem. Οἰνηὶς. Ὑπερίδης ἐν τῷ πρὸς Ἀριςογείτονα. μία τῶν δέκα φυλῶν παρ' Ἀθηναίοις ἦν, Harpocration.

VII. Κεκροπὶς, Hyperides ἐν τῷ πρὸς Ἀριςογείτονα, Pollux *l.* VIII. Κεκροπηὶς etiam Suidæ. Unde φυλέται dicti Κεκροπίδαι, quorum ἀρχηγὸς Κέκροψ, Demosth. *Epitaph.* p. 749. vide in *Cecrops.* Κεκροπὶς, μία τῶν Ἀθήνησι δέκα φυλῶν, Suidas. Κεκροπίδαι, οἱ Ἀθηναῖοι, ἢ οἱ τ̃ Κεκροπίδος φυλῆς, idem *in* Κέκροψ. Κεκροπὶς φυλὴ, ἀπὸ Κέκροπος, Stephan. Μία δ' ἦν τῶν δέκα φυλῶν Ἀθήνησι Κεκροπὶς, Harpocr.

VIII. Ἱπποθοωντὶς, Demosth. *de Corona* p. 148. Pollux *l.* VIII. Unde φυλέται dicti Ἱπποθοωντίδαι, quorum ἀρχηγὸς Hippothoon e nuptiis Alopæ (perperam Ἀλώπης) natus, Demosth. *Epitaph.* p. 749. Ἱπποθόων, τ̃ Ἱπποθοωντίδος φυλῆς ἐπώνυμος, Suidas. Ἱπποθόωντος, ἀφ' ἧ τ̃ φυλὴν ὀνομάζεσι, Pausan. *Attic.* Ἀλόπης, ἣν τεκῦσαν Ἱπποθόωντα ἐκ Ποσειδῶνος, ἀπολέσαι ἐνταῦθά φασιν ὑπὸ τ̃ πατρὸς Κερκυόνος, Pausan. *Attic.* Ἀλοπὴ, Κερκυόνος θυγάτηρ ἐξ ἧς κ̀ Ποσειδῶνος Ἱπποθόων, ὁ τ̃ Ἱπποθοωντίδος φυλῆς ἐπώνυμος, Suidas, vide & Harpocr.

IX. Αἰαντὶς, Demosth. *de Corona* p. 170. Plutarch. *Sympos.* I. §. 10. Pollux *l.* VIII. Unde φυλέται, dicti Αἰαντίδαι, quorum ἀρχηγὸς Ajax Telamonis filius, Demosth. *Epitaph.* p. 749. Αἰαντὶς φυλὴ, ἡ τ̃ Αἴαντος, Suidas.

A X. Ἀντιοχὶς, Plutarch. Ψηφίσμ. pag. 458. Pollux *l.* VIII. Unde φυλέται dicti Ἀντιοχίδαι, quorum ἀρχηγὸς Antiochus Herculis filius, Demosth. *Epitaph.* pag. 749. Ἀντιοχὶς, ὄνομα φυλῆς, Harpocrat.

Ἀντιγονὶς & Δημητριὰς Tribubus X. postea additæ fuerunt, XV. annis post bellum Lamiacum, in honorem Antigoni & Demetrii Antigoni F. quorum ope & beneficio pristinam libertatem recuperarunt Athenienses, Diodor. *l.* XX. pag. 782. 783. Προσετέθησαν ᾗ αὐταῖς δύο, Ἀντιγονὶς κ̀ Δημητριὰς, Pollux *l.* VIII. col. 321. Ὕςερον ᾗ κ̀ ἄλλαι δύο προσεγένοντο αὐταῖς, Ἀντιγονίς τε καὶ Δημητριὰς,
B Suidas *in* Πάραλος: nam de Tribubus hæc dici, nec ad Πάραλος pertinere, manifestum est. Δέκα γὸ φυλὰς ἔχοντες Ἀθηναῖοι, προσέθεσαν δύο, Ἀντιγονίδα & Δημητριάδα καλῦντες, Stephan. Ἀντιγονὶς φυλὴ τ̃ Ἀττικῆς, ἀπὸ Ἀντιγόνυ, ὁ φυλέτης Ἀντιγονεὺς, idem.

Ἀτταλὶς & Πτολεμαῒς demum mutatis nominibus appellatæ fuerunt ἡ Ἀντιγονὶς & ἡ Δημητριὰς, Pollux *l.* VIII. col. 321. Ὕςερον ᾗ Ἀτταλίδα κ̀ Πτολεμαΐδα, διὰ τ̃ ἐπωνύμων εὐεργετηθέντες βασιλέων, (τ̃ Ἀντιγονίδα κ̀ τ̃ Δημητριάδα ἐκάλυν, suppleo) Stephan. Ἀτταλὶς φυλὴ τ̃ Ἀττικῆς, ἣν Ἀττάλῳ ἀνέθηκαν
C Ἀθηναῖοι. ὁ φυλέτης Ἀτταλεὺς, idem. Etiam ab Attalo Rege, Atheniensium in bello adversus Philippum Demetrii F. socio, Attalida Tribum denominatam, & ad X. veteres additam scribit Livius *l.* XXXI. Ἀτταλία dicitur Stephano *in* Ἀγνῦς e Phrynicho, & Hesychio *in* Οἶναι. Πτολεμαΐδα φυλὴν dictam puto, vel a Ptolemæo Antigoni fratris filio, quo duce usus fuit Antigonus in liberanda Græcia & Athenis: vide infra in Histor. & Suidam *in* Δημήτριος, & Diodor. *l.* XX. p. 700. 718. Vel a Ptolemæo Lagide, de cujus uxoris nomine Βερενικίδας δῆμον appellarunt.

Ἀρχηγὸς dicitur Demostheni is, de cujus nomi-
D ne singulæ Tribus appellantur, *Epitaph.* p. 749. Ἀρχηγέται, ἥρωες ἐπώνυμοι τῶν φυλῶν, ἢ Θεοὶ ἐν Ἀθήναις, Hesych. Ἡρῳ ἀρχηγέτᾳ, ἃ ἐπώνυμοι ἐςὲ, Oracul. apud Demosth. *in Macartat.* p. 609. Φύλαρχος appellatur singularum Tribuum princeps. Φύλαρχος, φυλῆς ἄρχων, Hesych. Φύλαρχος, ὁ κτ̀ φυλὴν ἑκάςην ἱππικῦ ἄρχων, ὑποτεταγμένος ᾗ τῷ Ἱππάρχῳ, Suidas & Etymol. magn. Οἱ ᾗ φύλαρχοι δέκα, εἷς ἀπὸ φυλῆς ἑκάςης, τῶν ἱππέων προεςῶντες καθάπερ οἱ Ταξίαρχοι τῶν ὁπλιτῶν, Pollux *l.* VIII. Φυλέται vero ipsi dicebantur, qui e singulis erant Tribubus. Φυλέτης, ἐκ τ̃ φυλῆς, Hesych. Φυλέται, συμπατριῶται, Schol. Aristophan.
E *Avib.* p. 559.

Cum ergo Populus Atheniensis ita in Tribus distributus esset, rursus singulæ in Δήμυς, quos Theseus in unam civitatem coegerat, distinctæ erant: vide de iis infra. Sicut autem Δημότης dicebatur ὁ ἐκ τ̃ Δήμυ, Hesych. ita cujuslibet Δήμυ princeps Δήμαρχος vocabatur. Δήμαρχος, ὁ δήμυ τινὸς ἄρχων. ὃς κ̀ τ̃ κτ̀ χώραν δήμυ προΐςατο, κ̀ ἀπεγράφετο τὰς ὐσίας ἑκάςῳ πρὸς τὰ δημόσια ὀφλήματα, Etymol. magn. Δήμαρχος. ἑκάςυ δήμυ τῶν ἐν Ἀθήναις κατάρχων Δήμαρχος ἐγένετο. ὗτοι ᾗ τὰς ἀπογραφὰς ἐποιῦντο τῶν προσόντων ἑκάςῳ δήμῳ χω-
F ρίων. (ἀπογραφὰς ἐποιῦντο τῶν ἐν ἑκάςῳ δήμῳ χωρῶν, Schol. Aristoph. *Nubib.* p. 125.) Ἔτι ᾗ & τὰ ληξιαρχικὰ γραμματεῖα παρ' αὐτοῖς ἦν. ἀλλὰ κ̀ συνῆγον τὰς δήμυς, ὁπότε δέησειε & ψῆφον αὐτοῖς ἐδίδοσαν, (ἐπεδίδοσαν, Schol. Aristoph.) κ̀ ἐνεχυρίαζον ᾗ ὗτοι τὰς ὀφείλοντας, (sic lege e Schol. Aristoph. & Hesych.) Suidas. Sic & fere Harpocration. Ἄρχοντες ᾗ ἦσαν, κ̀ ἠνεχύραζον ὗτοι τὰς ὀφείλοντας, Hesych. Demarchi vero instituti fuerunt a Clisthene, & quidem pro Naucraris. Ἀριςοτέλης ᾗ περὶ Κλεισθένυς (ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ, Harpocr.)

φησί. κατέστησε καὶ Δημάρχους τὴν αὐτὴν ἔχοντας (ἔχοντας Harpocrat.) ἐπιμέλειαν τοῖς πρότερον Ναυκράροις. καὶ γὰρ τοὺς δήμους αὐτῶν Ναυκραρίων (δημίους ἀντὶ τῶν Ναυκράρων Harpocrat. malo δήμους ἀντὶ Ναυκραρίων: cum δῆμοι olim Ναυκράριοι appellati fuerint, vide mox e Polluce) ἐποίησεν, Schol. Aristoph. *Nubib.* p. 125. Δήμαρχοι, οἱ πρότερον καλούμενοι Ναύκραροι, Hesych. Ονομα δὲ πολιτείας οἱ Δήμαρχοι παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, οἱ πρώην Ναύκραροι καλούμενοι, οἷς ἐξῆν ἐνεχυράζειν, Suidas. Οὗτοι (Δήμαρχοι) οἱ κατὰ δήμους ἄρχοντες, ἐκαλοῦντο τέως Ναύκραροι, (sic lego pro Ναύκληροι: quamvis ναυκληρεῖν πόλιν, gubernare urbem dixerit Æschylus *Sept. ad Theb.* v. 610.) ὅτε καὶ οἱ δῆμοι Ναυκράριοι. Ναυκραρία δ᾽ ἦν τέως φυλῆς δυοκαιδέκατον μέρος. καὶ δυόδεκα Ναυκράριοι ἦσαν, τέσσαρες κατὰ τριττὺν ἑκάστην. τὰς δ᾽ εἰσφορὰς εἰς δήμους διεχειροτόνουν οὗτοι, καὶ τὰ ἐξ αὐτῶν ἀναλώματα. Ναυκραρία δὲ ἑκάστη δύο ἱππέας παρεῖχε, καὶ ναῦν μίαν, ἀφ᾽ ἧς ἴσως ὠνόμασται, Pollux *l.* VIII. col. 320. Ναυκράρους γὰρ τὸ παλαιὸν τοὺς ἄρχοντας ἔλεγον, ὡς Ηρόδοτος ἐν πέμπτῃ δηλοῖ, Suidas & Harpocrat. Ισως δὲ παρὰ τὴν νηὸς κραίραν (id est, ὀρθίαν κεφαλὴν, Eustath.) εἴρηται τὸ Ναυκραρικὰ, Suidas. Demarchos a Solone constitutos fuisse ait Demetrius Phalereus. Δημάρχους, inquit, οἱ περὶ Σόλωνα καθίσαντο ἐν πολλῇ σπουδῇ, ἵνα οἱ κατὰ δῆμον ἄρχοντες διδῶσι καὶ λαμβάνωσι τὰ δίκαια παρ᾽ ἀλλήλων, Scholiast. Aristoph. *Nubib.* p. 125. Clisthenis porro Elogium hoc est apud Plutarch. *Pericle:* Ὃς, inquit, ἐξήλασε Πεισιστρατίδας, καὶ κατέλυσε τὴν Τυραννίδα γενναίως, καὶ νόμους ἔθετο, καὶ πολιτείαν ἄριστα κεκραμμένην πρὸς ὁμόνοιαν καὶ σωτηρίαν κατέστησεν. Hujus filia Agaristia nupsit Xantippo, qui prælio ad Mycalen vicit Persicos duces: & ex illo peperit Periclem, Plutarch. *Pericle.*

Athenienses revocatis cum Clisthene septingentis istis familiis Sardes miserunt, qui cum Persis societatem inirent: quippe qui non ignorarent, sibi cum Lacedæmoniis bellum futurum. Ut Sardes venere Legati, mandatis expositis, Artaphernes Hystaspis F. Sardium Prætor, qui homines essent Athenienses, quasque terras colerent, qui Persarum socii fieri cuperent, percontatus est: cognitoque eo, Si, inquit, Regi Dario terram & aquam traditis, postulatis satisfaciam; sin minus, vos hinc abire jubeo. Legati inter se collocuti, quia societatem inire animus erat, se daturos dixerunt: quo nomine in patriam reversis dies dicta fuit, Herodot. *lib.* v. p. 358.

Athenienses deinde a Cleomene ex omni Peloponneso coactis copiis, sociisque advocatis Bœotis & Chalcidensibus, lacessiti, Bœotorum, qui Oenoen & Hysias occuparant, & Chalcidensium, qui ex altera parte Atticam populabantur, ultione dilata, etsi ancipiti bello districti, arma contra Peloponnesios, qui Eleusina invaserant, tulerunt. Cumque jam ambo exercitus prælium conserturi essent, Corinthii primi omnium secum reputantes se inique agere, mutata sententia discessere. Eorum exemplum sequutus Demaratus alter Rex Spartanus collegam deseruit: quo viso & cæteri socii dilapsi sunt, Herod. *lib.* v. p. 358. 359.

Athenienses, dilapso Peloponnesiorum exercitu, ulturi injurias, bello primum Chalcidenses adorti sunt, & Bœotios, qui Chalcidensibus auxilio ad Euripum venerant, priusquam se iis conjungerent, egregia pugna superarunt, multis cæsis ac septingentis captis. Et eodem die in Eubœam transgressi, cum Chalcidensibus conflixere: victoriaque potiti quatuor millia Colonorum in prædiis Hippobatarum collocarunt. Hippobatarum vero quoscunque ceperunt, una cum Bœotis captivis vinctos in carcerem conjecerunt: quos postea binis minis mulctatos dimiserunt, vinculaque, quibus constricti fuerant illi, in arce suspenderunt. Decimam quoque pecuniarum a singulis in redemptionis pretium persolutarum consecrarunt, facta ærea quadriga cum hac inscriptione:

Ἔθνεα Βοιωτῶν καὶ Χαλκιδέων δαμάσαντες
Παῖδες Ἀθηναίων ἔργμασιν ἐν πολέμου,
Δεσμῷ ἐν ἀχλυόεντι σιδηρέῳ ἔσβεσαν ὕβριν.
Τῶν ἵππους δεκάτην Παλλάδι τάσδ᾽ ἔθεσαν.

Herodot. *l.* v. p. 359. seq. Athenienses, Thebanos vindictæ studio, auxiliis Æacidarum ex Ægina fretos, arma inferentes vicerunt. Cumque Æginetæ maritima Atticæ vastarent, jamque Athenienses in Æginam expeditionem suscepissent, advenit Delphis oraculum, quo jubebantur in XXX. annos a lædendis Æginetis abstinere, trigesimo vero anno, cum Æaco fanum dicassent, bellum Æginetis movere ex voto gerendum: sin statim bellum inferrent, indicavit multa damna daturos accepturosque interea, sed ad extremum illos subactum iri. Ibi Athenienses Æaco quidem fanum dicarunt, sed a bello in trigesimum annum abstinendum minime censuerunt, cum audissent sibi esse abstinendum, passis hostilia ab Æginetis, Herodot. *l.* v. p. 360. 361. 364.

Athenienses suasu Themistoclis Neoclis F. pecuniam, quæ e proventu metallorum in ærario Atheniensium plurima erat, in classem ducentarum navium in Æginetici belli necessitatem comparandam impenderunt, Herodot. *l.* VII. p. 489.

Atheniensibus ad ultionem Æginetarum se parantibus, Lacedæmonii intervenere. Etenim cognito Alcmæonidarum in corrumpenda Pythia facinore, Lacedæmonii se duplicem fecisse jacturam questi sunt, quod & hospites patria ejecissent, & nulla sibi ex eo facto gratia ab Atheniensibus haberetur. Movebantur præterea Oraculi voce, qua ipsis ab Atheniensibus atrocia multa denunciabantur: & in primis id a Cleomene discebant, qui Atheniensium oracula Athenis ex arce detulerat. Cum ergo Atheniensium potentiam crescere, nec sibi parituros animadverterent, & qui sub Tyrannis infirmi erant, & ad parendum prompti, eos parta libertate sibi pares futuros viderent, e Sigeo Hellesponti Hippiam revocarunt. Ibi cum Lacedæmonii cæteris Peloponnesiis summo studio conarentur persuadere, ut publico consensu & communi exercitu Hippias Athenas reduceretur, iste conatus, Sosicle Corinthio in primis auctore, irritus fuit: rediitque re infecta Sigeum Hippias, spretis quæ offerebantur urbibus, ab Amynta Macedone Amathunte, & a Thessalis Iolco, Herodot. *l.* v. p. 364. seqq.

Hippias e Sigeo Lampsacum ad Æantidem concessit. Inde ad Regem Darium profectus est, Thucyd. *l.* VI. p. 452. Omnem autem movit lapidem quo Darii in potestatem venire possent Athenæ. Quæ cum Hippiam agitare Athenienses cognovissent, Sardes Legatos miserunt, qui, ne fidem exsulibus Atheniensibus Persæ haberent, dissuasuri erant. Sed Artaphernes jussit Athenienses Hippiam recipere, si salvi esse vellent. Eam conditionem Athenienses rejecerunt, malueruntque professi Persarum hostes esse, Herodot. *l.* v. p. 371. Athenas vero Darius Legatos misit cum mandatis, ut se Dario dederent. Eos Legatos Athenienses in barathrum præcipitarunt, insultantes ac jubentes eos inde terram ac aquam ad Regem ferre, Herodot. *l.* VII. p. 483. Fuit autem Miltiades Cimonis F. Atheniensibus auctor, ut Legatos illos occiderent. Inde in Miltiadis domum ira Numinis incubuit, Pausan. *Lacon.* p. 182. 183.

Athenas, dum Hippias funesta patriæ consilia agitabat, venit Aristagoras Milesius, a Cleomene Spartano rejectus, Athenienses ad bellum Persis inferendum sollicitaturus. Cumque ad plebem accessisset, multa de Asiæ bonis, de belli facilitate, imo & æquitate, quod Milesios suos colonos liberare æquum esset, loquutus, & nihil non pollicitus, & precibus obtestans, quod cupiebat, illi persuasit: & qui Cleomenem unum decipere non potuit, tricies mille Athenienses fefellit. Itaque missa fuit Ionibus auxilio ab Atheniensibus classis navium viginti, cum Præfecto Melanthio, viro inter cives in re omni spectatæ virtutis. Sed Athenienses non ita multo post, Sardibus captis & incensis, cum Persæ Lydis opem laturi concurrerent, Ionas deseruerunt, Herodot. *l.* v. p.371.seq. Darius vero Athenienses, quod eorum consilio & ope rebellassent ipsi Iones, ulcisci decrevit; etenim sagitta ex arcu excussa precatus dicitur: O Jupiter, utinam Athenienses ulcisci possim! atque hæc loquutus, sibi quoties cœna apponeretur, per famulum ter accini jussit: Here, memento Atheniensium, Herodot. *l.* I. p. 374.

Athenienses, acceptis Platæensibus in deditionem, & a Thebanis rem ægre ferentibus armis lacessiti, victores Asopum & Hysias Thebanis adversus Platæenses limitem statuerunt, Herodot. *l.* VI. pag. 421.seq.

Atheniensibus Lemnum subegit Miltiades Cimonis F. Herod. *l.* VI. p. 432.

Atheniensis populi suffragiis Miltiades Cimonis F. postquam occupatæ in Chersoneso Thracica Tyrannidis & accusatus & absolutus fuerat, exercitus Atheniensis dux declaratus fuit cum aliis IX. adversus Persas, qui jam, ducente Hippia, ad Marathonem venerant. Duces Athenienses, antequam urbe egrederentur, Phidippidem Spartam miserunt, Lacedæmoniorum opem imploraturum, ne urbem vetustissimam in discrimen adductam, in Barbarorum potestatem venire paterentur. Ac Lacedæmoniis quidem placuit Atheniensibus opem ferre, sed per legem, nisi orbe lunari impleto, exercitum educere vetabantur: erat autem tum nonus mensis dies. Narrant Phidippidi Spartam eunti occurrisse Panem circa Parthenium montem, qui supra Tegeam est, & compellatum nomine Phidippidem jussisse nunciare Atheniensibus, quid ita nullam gererent Panis curam, qui bene ipsis cuperet, quique bene & meritus, & meriturus in posterum de ipsis esset: & Athenienses, fide habita Phidippidi hæc referenti, quod ipsorum res jam bene se haberent, sub arce templum Pani exstruxisse & annuis inde hostiis illi immolasse, ac ardenti candelabro supplicasse. Narrant etiam Hippiæ Persarum ductori in Marathonem visum in somnis obtigisse, ex quo conjectabat fore, ut recepta patria cum dominatu senex domi suæ obiret: visus enim fuit sibi cum matre concumbere. Sed in Marathone naves in stationibus collocanti, & egressos in terram Barbaros disponenti, sternutare contigit: sequuta simul tussis solito vehementior senis plerosque concussit dentes ea violentia, ut eorum unus excideret: qui cum in arenam delapsus & studiose quæsitus, nusquam appareret, suspirans Hippias, Hæc terra, inquit præsentibus, nostra non est, nec eam nostram efficere poterimus; sed eam illius portionem, quæ mea est, meus dens occupat, Herodot. *l.* VI. pag. 419. 420. 421. Atheniensibus vero ad fanum Herculis in Marathone instructis auxilia a Platæensibus venere Cum autem inter duces variarent sententiæ, an confligendum esset cum hoste, eorumque maxima pars prælium conserere vetarent, Miltiades, Callimacho Aphidnæo tunc forte Polemarcho (qui

A magistratus per suffragia electus in danda faba, id est, ferenda sententia undecimus est) in suam sententiam perducto, pervicit ut confligeretur. Postquam igitur litatum fuit, Athenienses cursu in Barbaros ferebantur. Quo viso Persæ insaniam interpretati, paucos nec equitatu, nec sagittis instructos in se tendere cursu, venientes exceperunt. Ibi Athenienses memorabilem pugnam ediderunt, qui primi omnium Græcorum cursu in hostem contenderunt, primique vestem Medicam, & Medos illam gestantes sustinuerunt intueri: cum antehac solum Medorum nomen auditum terrori fuisset. Athenienses, fuso hoste, non ante inse-

B qui & fugientium terga cædere destiterunt, quam ad mare pervenientes, petito igne, naves corriperent. Cecidit eo prælio Polemarchus Callimachus re fortissime gesta, cum Stesilao Thrasylei F. Cynægirus præterea Euphorionis F. dum summam hostilis navis puppim apprehendit, abscissa manu, periit. Septem hostium navibus Athenienses potiti sunt, reliquis Barbari avecti, amissis de exercitu sexies mille & trecentis, e vestigio recesserunt, circumvecti Sunium eo consilio ut Athenienses prævenirent. Athenienses vero, quorum centum nonaginta duo ceciderant, ad urbem defenden-

C dam festinantes, Barbaros præverterunt: progressique ex Herculis templo, quod in Marathone est, ad aliud ejusdem fanum, quod Cynosargi est, castra posuerunt, Herodot. *l.* VI. pag. 421. 422. 423. 424. Dimicarunt autem Athenienses in illa pugna Marathonica non majore numero, quam novem hominum millibus: in quo & inutilis ad pugnam ætas, & servi censebantur, Pauſ. *Phocic.* p. 646. Occubuit in illo prælio Datis Medici exercitus dux: ejusque cadaver repetentibus Persis denegatum fuit, Ctesias.

Athenienses Miltiadi petenti septuaginta naves instructas tradiderunt, pollicenti res magnas. Is

D cum ea classe in Parum navigavit, per speciem vindicandæ injuriæ, quam Parii intulissent, missa triremi una cum Persis in Marathonem: re ipsa ut ulsciscere tur Lysagoram Tisei F. genere Parium, a quo apud Hydarnen Persam accusatus fuerat. Parii in urbem a Miltiade compulsi & obsessi, & centum talenta pendere jussi, id egerunt ut suam urbem defenderent, adeo ut Miltiades re infeliciter gesta, neque urbe, neque pecunia potitus, præterea femore convulso, domum rediret. Quem mox inter alios Xantippus Ariphronis F. excepit, die dicta ad populum, quod Athenienses decepisset. Causam præsens Miltiades dicere non potuit,

E cum decumberet putrescente jam femore; sed amici Marathoniam pugnam & Lemnum expugnatam populo suggerentes, eum Miltiadi conciliarunt, ne capitis damnaretur. Quinquaginta talentis mulctatus, paulo post cum femur computruisset, obiit: filiusque Cimon L. talenta exsolvit, Herodot. l. VI. p. 431. 432.

Athenienses, cum Xerxes Darii filius, patre mortuo, ingentibus copiis Græciam invaderet, ne oraculis quidem, quæ Delphis horrenda ac terribilia afferebantur, adduci potuerunt, quo minus Græciam tutaturi hostem invadentem excipe-

F rent. Missis enim, qui consulerent Apollinem, cum ædem ingressi consedissent, Aristonice Pythia ita respondit:

Ὦ μέλεοι, τί κάθηθε; λιπὼν φεῦγ' ἔσχατα γαίης
Δώματα, καὶ πόλιος τροχοειδέος ἄκρα κάρηνα.
Οὔτε γὰρ ἡ κεφαλὴ μένει ἔμπεδον, οὔτε τὸ σῶμα,
Οὔτε πόδες νέατοι. οὔτ' ὦν χέρες, οὔτε τι μέσσης
Λείπεται, ἀλλ' ἄζηλα πέλει. κατὰ γάρ μιν ἐρείπει
Πῦρ τε καὶ ὀξὺς, Συριηγενὲς ἅρμα διώκων.
Πολλὰ δὲ κἄλλ' ἀπολεῖ πυργώματα, κοὐ τὸ σὸν οἶον.

Πολλὰς δ' ἀθανάτων νηὺς μαλερῷ πυρὶ δώσει,
Οἵ που νῦν ἱδρῶτι ῥεεύμενοι ἑστήκασι
Δείματι παλλόμενοι. κατὰ δ' ἀκροτάτοις ὀρόφοισι
Αἷμα μέλαν κέχυται, προϊδὸν κακότητος ἀνάγκας.
Ἀλλ' ἴτον ἐξ ἀδύτοιο, κακοῖς ἐπικίδνατε θυμόν.

Athenienſibus iſta cum mœrore ſecum agitantibus ſuaſit Timon Androbuli F. vir apud Delphos illuſtris, ut ſumptis oleæ ramis denuo ſupplices Oraculum conſulerent. Supplicantibus de meliore reſponſo, negantibuſque ſe illinc abituros, niſi meliora audirent, ſed in adyto ſe ad obitum uſque permanſuros, Pythia reſpondit:

Οὐ δύναται Παλλὰς Δί' Ὀλύμπιον ἐξιλάσασθαι,
Λισσομένη πολλοῖσι λόγοις καὶ μήτιδι πυκνῇ.
Σοὶ δὲ τόδ' αὖτις ἔπος ἐρέω, ἀδάμαντι πελάσσας.
Τῶν ἄλλων γὰρ ἁλισκομένων ὅσα Κέκροπος οὖρος
Ἐντὸς ἔχει, κευθμών τε Κιθαιρῶνος ζαθέοιο,
Τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεὺς
Μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν, τό σε τέκνα τ' ὀνήσει.
Μηδὲ σύγ' ἱπποσύνην τε μένειν καὶ πεζὸν ἰόντα
Πολλὸν ἀπ' ἠπείρου στρατὸν, ἥσυχος ἀλλ' ὑποχωρεῖν.
Νῶτον ἐπιστρέψας, ἔτι τοί ποτε ἀντίος ἔσῃ.
Ω θείη Σαλαμὶς, ἀπολεῖς δὲ σὺ τέκνα γυναικῶν,
Η που σκιδναμένης Δημήτερος, ἢ συνιούσης.

His tanquam mitioribus acceptis Athenas Legati rediere. Cumque hæc reſponſa ad populum recitata, alii aliter interpretarentur, vicit ſententia Themiſtoclis, ſuadentis claſſem parandam, qua prælio navali certarent, eumque murum ligneum eſſe. Præter paratam igitur in bellum Ægineticum claſſem, aliam inſtrui oportuit, Herodot. *l.* VII. p. 486. 487. 488. 489. Has naves ne ipſas quidem omnino conſtratas fuiſſe ſcribit Thucydides, *libr.* I. pag. 11.

Athenienſes & Æginetæ, abolita omnium injuriarum memoria, in gratiam rediere, communi Græcorum conſilio, qui de bello Perſico conſultaturi convenerant, Herodot. *l.* VII. p. 489.

Athenienſibus, qui in navalem pugnam præbebant naves centum viginti ſeptem a ſe inſtructas, præter viginti, quas Chalcidenſibus inſtruendas tradiderant, rem totam nauticam committere conſulrum initio viſum fuit: ſed recuſantibus ſociis Athenienſes ſequi ductores, & niſi Lacon eſſet Imperator, ſe exercitum ſoluturos minantibus: Athenienſes ceſſere, quod Græciæ ſalus ipſis cordi eſſet, quam videbant perituram, ſi de principatu foret contentio, Herodot. *l.* VIII. p. 528 529.

Athenienſes duce Themiſtocle, cum ſociis reliquis Græcis navali pugna ad Artemiſium cum Perſica claſſe congreſſi, æquo Marte pugnarunt, Herodot. *l.* VIII. p. 533. Poſt pugnam vero Græcam claſſem ad Salaminem ducendam ſuaſerunt: dumque ibi claſſis fuit, interim ipſi domum profecti, uxores & liberos ſuos ex urbe deportarunt, alii Trœzenem, alii in Æginam, nonnulli in Salaminem, Herodot. *l.* VIII. p. 541. Perſæ vero Athenas deſertas ceperunt, paucis quibuſdam Athenienſibus in templo repertis, nec non Quæſtoribus ærariis, & hominibus egenis, qui partim victus inopia, partim oraculi interpretatione adducti, illic manſerant & præſepta foribus atque lignis arce ſubeuntes Perſas arcebant: quaſi eum ligneum murum inexpugnabilem fore dixiſſet Pythia; ſed Perſæ capta urbe, interemptis ſupplicibus templum diripuerunt, & cum arce incenderunt, Herodot. *l.* VIII. p. 544. 545.

Athenienſes in pugna navali ad Salaminem contra Perſas præbuere naves centum octoginta, Herodot. *l.* VIII. p. 542. De ea pugna hoc oraculum a Bacide redditum putatur:

Ἀλλ' ὅταν Ἀρτέμιδος χρυσαόρου ἱερὸν ἀκτὴν
Νηυσὶ γεφυρώσωσι, καὶ εἰναλίην Κυνόσουραν,
Ἐλπίδι μαινομένῃ λιπαρὰς πέρσαντες Ἀθήνας.
Δῖα δίκη σβέσσει κρατερὸν κόρον ὕβριος υἱὸν
Δεινὸν μαιμώοντα, δοκεῦντ' ἀνὰ πάντα πυθέσθαι.
Χαλκὸς γὰρ χαλκῷ συμμίξεται, αἵματι δ' Ἄρης
Πόντον φοινίξει. τότ' ἐλεύθερον Ἑλλάδος ἦμαρ
Εὐρύοπα Κρονίδης ἐπάγει καὶ πότνια Νίκη.

Herodot. *l.* VIII. p. 554. 555. Laudem in ea pugna rei præclare geſtæ proximam poſt Æginetas conſequuti ſunt Athenienſes, & in his Eumenes Anagyraſius & Aminias Palleneus, Herodot. *l.* VIII. p. 560. Quamvis autem Athenienſes plures triremes, quam univerſi Græci in ea pugna præbuiſſent, tamen a Lacedæmoniis, qui κύριοι τῆ ψήφε erant, per invidiam nullo honore præ cæteris Græcis digni habiti fuerunt, Diodor. *l.* 11. p. 42. Dum ad Salaminem res gerebatur, interea Ariſtides Lyſimachi F. vir Athenienſis optimus atque juſtiſſimus, armatorum multos, qui ad littus Salaminiæ terræ collocati erant, genere Athenienſes in Pſytaleam inſulam traduxit: quorum ope, quotquot in illa inſula erant Perſæ, interemit, Herodot. *l.* VIII. p. 561. Mardonius vero Athenienſes ſibi conciliare conatus fuit, quod & fortem populum eſſe, & præcipuos Perſicæ cladis in mari acceptæ auctores exſtitiſſe audiviſſet: ſperavitque ſe, iis amicis, facile mari potiturum, indeque facile ſuperaturum Græcos: quibus ſuperior eſſe terreſtribus copiis ſibi videbatur. Legato autem ad Athenienſes uſus fuit Alexandro Amyntæ F. Rege Macedonum. Is ubi ad Athenienſes venit ad contrahendum Perſæ nomine ſocietatem, Athenienſes tempus extraxere, donec Sparta adeſſent quoque Legati, quos omnino venturos credebant, illa a Perſa legatione cognita. Alexandro igitur hortanti, & Lacedæmoniorum Legatis diſſuadentibus, ita reſponderunt Athenienſes, ut oſtenderent nunquam ſibi in animo fore, dum vel unus Athenienſium ſupereſſet, ut cum Xerxe ullam inirent ſocietatem: quem ſe tutantes propulſaturi eſſent, freti ope Deorum atque Heroum, quorum ille per contemptum templa ac ſigna incendiſſet, Herod. *l.* VIII. p. 578. ſeqq. Græci contra Athenienſibus polliciti ſunt, ſe ipſorum uxoribus & bello inutilibus domeſticis alimenta ſuppeditaturos, durante bello Perſico: eo quod Attica vaſtata, & urbe incenſa, agri fructibus & tectis carerent, Herodot. *l.* VIII. p. 581. 582. Mardonius vero tota Attica potitus, iterum, miſſo in Salaminem Munychide Helleſpontio, Athenienſibus ſocietatem perſuadere tentavit. Ibi Lycidam e Senatoribus unum cenſentem admittenda quæ diceret Munychides, & ad Populum referenda, Athenienſes tam qui in Concilio erant, quam qui extra, circumdantes lapidibus obruerunt: eorumque uxores, re cognita, Lycidæ uxorem ac liberos eodem necis genere ſuſtulerunt, Herodot. *libr.* IX. pagin. 585. Athenienſes cum Perſarum impetum nullo modo poſſent ſuſtinere, ſtatuerunt, ut urbe relicta, conjugibus & liberis Trœzene depoſitis naves conſcenderent, libertatemque Græciæ claſſe defenderent: Cyrſilum quendam ſuadentem, ut in urbe manerent, Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt, Cicero *libr.* III. *Offic.* Sed Cicero Cantero *Novar. Lect. libr.* VII. cap. V. videtur duo confudiſſe exempla Athenienſium magnanimitatis in Lycidam & Cyrſilum: Cyrſilum enim a Græcis ἐκ χειρὸς, cominus, peremptum, Lycidam vero lapidibus obrutum: & tempora utriuſque negotii tam diverſa tradi, ut nullo pacto in unum redigi queant. At Demoſthenes περὶ στεφάνε Cyrſilum lapidibus quoque necatum dicit: & cur

ἐκ χειρὸς peremptus dici nequeat, qui lapidibus obrutus est, non video. Κυρσίλος ὄνομα κύριον. ὃν Ἀθηναῖοι κατέλευσαν, διότι ὑπακούειν Πέρσαις προὔτρεπε, Suidas.

Athenienses ante pugnam ad Platæas cum Tegeatis de loco in acie contenderunt: sed Atheniensibus non tam res suas priscas recentesque egregie gestas memorantibus, quam omnem rem ad arbitrium Lacedæmoniorum referentibus, cornu in acie sinistrum tanquam dignioribus, totus Lacedæmoniorum exercitus succlamans attribuit. Ultimi & iidem primi in illa acie steterunt Athenienses, lævum tenentes cornu, octies mille, duce Aristide, Herodot. *l.* IX. p. 594. 595. 596. 597. Tuleruntque simul cum Tegeatis & Lacedæmoniis in illa pugna adversus Persas laudem rei fortiter gestæ, victis iis quos in exercitu hostili habuerunt oppositos: primas vero Atheniensium tulit Sophanes Eutychidis F. e Tribu Decelensi, Herodot. *l.* IX. p. 614. 615.

Athenienses, una cum cæteris Græcis, eodem die, quo ad Platæas pugnatum fuit, navali pugna vicerunt Persas ad Mycalen, & in ea pugna præclarissimam inter Græcos operam navarunt, primas eorum tulit Hermolycus Euthani F. Herodot. *l.* IX. p. 628.

Athenienses post pugnam ad Mycalen, Hellespontum versus profecti, ex Abydo in Chersonesum trajecere, Sestumque obsederunt, Herod. *l.* IX. p. 632. hybernisque illic actis, desertam a Medis urbem ceperunt, Thucyd. *l.* I. p. 628.

Athenienses, postquam Medi ex Europa, a Græcis terra marique victi, discesserunt, suas conjuges & liberos & quicquid supellectilis supererat, ubi deposuerant, inde reduxerunt in Atticam: seque ad urbis ædificia & muros instaurandos pararunt: Lacedæmoniis interim, metu magnitudinis classis Atticæ, & memoria audaciæ bello Medico ab Atheniensibus declaratæ, per Legatos obnixe petentibus, ne muri reficerentur. Quos arte ac consilio Themistoclis egregie fefellerunt Athenienses, Thucyd. *l.* I. p. 59. seqq. Piræeum portum ejusdem Themistoclis consilio munierunt, classemque auxerunt, Thucyd. *l.* I. p. 62.

Athenienses ducibus Aristide & Cimone, una cum Pausania Spartano duce, Græcas urbes in Cypro & Hellespontو, ejectis præsidiis Persicis, liberarunt, Thucyd. *l.* I. p. 63.

Athenienses, cum Pausanias se insolentius gereret, Græcas civitates moderatione & humanitate Cimonis & Aristidis invitatas, sibi adjunxere: imperatoque civitatibus in usus belli Persici tributo quadringentorum sexaginta talentorum, Magistratus apud Athenienses tum primum constitutus fuit eorum, qui Ἑλληνοταμίαι dicti τὸν φόρον reciperent. (φόρος enim dicebatur ἡ τῶν χρημάτων φορὰ seu *pecuniæ collatio*) Ærarium Delus fuit, & in ejus templo conventus fiebant. Cumque initio Athenienses sociis imperarent liberis, eosque suis vivere legibus sinerent, & de communi consilio in publicis Conciliis consultarent, ad eam imperii magnitudinem, rebus bellicis contra Medos, contra socios res novas molientes, contra Peloponnesios semper se rebus singulis immiscentes, gestis pervenerunt, quæ bello Peloponnesiaco postea apparuit, Thucyd. *l.* I. p. 63. 64. Ἡμεῖς τε γὰρ ἀναστάτου μὲν τῆς πόλεως ὑπὸ τῶν βαρβάρων γενομένης, διὰ τὸ δεδιέναι καὶ προσέχειν τὸν νοῦν τοῖς πράγμασιν, ἐπρωτεύσαμεν τῶν Ἑλλήνων, Isocrat. *Areopag.* Ἁπάσης γὰρ τῆς Ἑλλάδος ὑπὸ τὴν πόλιν ἡμῶν ὑποπεσούσης, idem *ibidem.*

Athenienses Themistoclem per Ostracismum urbe pepulerunt. Is Argis, patria pulsus habitavit, Thucyd. *l.* I. p. 88. Diodor. *l.* II. p. 41.

Athenienses, duce Cimone, Eionem ad Strymonem fl. sitam, obsessam expugnarunt, & incolas, direpta urbe, in servitutem abduxerunt. Deinde Scyrum insulam in Ægeo sitam, quam Dolopes (& Pelasgi, Diodor. *l.* II. p. 45. seq.) tenebant, incolis in servitutem abstractis, diripuerunt, eamque, missa illuc colonia, occuparunt. Cum Carystiis etiam, sine aliis Euboensibus bello suscepto, certis conditionibus pacti sunt. Naxios deinde, qui defecerant, bello adorti, obsessos in deditionem receperunt, Thucyd. *l.* I. p. 65. maritimasque Cariæ urbes omnes & Lyciæ subegerunt, Diodor. *l.* II. p. 45. 46.

Athenienses a Lacedæmoniis per Legatos edocti, Themistoclem una cum Pausania agitasse consilia de prodenda Persæ Græcia, eum comprehendere conati sunt; at is, re cognita, e Peloponneso in Corcyram fugit: inde in Epirum, & ad Regem Molossorum Admetum sibi inimicum: quem, ejus filium manu tenens atque supplex factus, permovit, ut Lacedæmoniis ac Atheniensibus postulantibus ipsum dedere recusarit. Sed cum ipsum Admetus tueri diutius non posset, Pydnam dimisit, ut inde in Asiam transiret ad Regem Artaxerxem: a quo benigne acceptus, maximam auctoritatem adeptus fuit, donatus a Rege Magnesia pro pane, Lampsaco pro vino, & Myunte pro obsonio, morbo illic decessit, Thucyd. *l.* I. p. 88. 89. 90. Diodor. *l.* II. p. 41. seqq.

Athenienses duce Cimone, sociique ad Eurymedontem Pamphyliæ fl. Persas eodem die, prælio navali & terrestri profligarunt, Thucyd. *lib.* I. pagin. 65. 66. E decimis vero spoliorum donarium Deo dicarunt Athenienses, cum hac inscriptione:

Ἐξ οὗ γ' Εὐρώπην Ἀσίας δίχα πόντος ἔνειμε
Καὶ πολέας θνητῶν θοῦρος Ἄρης ἐπέχει,
Οὐδέν πω τοιοῦτον ἐπιχθονίων γένετ' ἀνδρῶν
Ἔργον ἐν ἠπείρῳ καὶ κατὰ πόντον ἅμα.
Οἵδε γὰρ ἐν Κύπρῳ Μήδους πολλοὺς ὀλέσαντες,
Φοινίκων ἑκατὸν ναῦς ἕλον ἐν πελάγει
Ἀνδρῶν πληθούσας. μέγα δ' ἔστενεν Ἀσὶς ὑπ' αὐτῶν
Πληγεῖσ' ἀμφοτέραις χερσὶ, κράτει πολέμου.

Diodor. *l.* II. p. 47. Eam victoriam sequuta fuit celebris illa pax, qua omnibus in Asia Græcis civitatibus αὐτονομία concessa fuit. Legationis Atticæ princeps ad Artaxerxem fuit Callias Hipponici F. Plutarch. in *Cimone.*

Athenienses coloniam Amphipolin deduxerunt, Diodor. *l.* II. p. 54.

Athenienses Thasios, qui defecerant, tres annos obsessos ad deditionem compulerunt, omnibusque navibus & venis metallicis spoliarunt, Thucyd. *l.* I. p. 66. Diodor. *l.* II. p. 53.

Athenienses, suasu potissimum Cimonis, Lacedæmoniis auxilia contra Messenios petentibus miserunt. Ea a Lacedæmoniis mox remissa, prima dissensionis inter Lacedæmonios & Athenienses semina exstiterunt. Et Athenienses Cimonem, tanquam nimis Lacedæmoniis faventem, in exsilium egerunt. Et relicta Lacedæmoniorum societate, novam cum Argivis illorum hostibus inierunt, Thucyd. *l.* I. p. 66. 67.

Athenienses a Lacedæmoniis, quibus reditum in Peloponnesum intercludere nitebantur, magno prælio cum Argivis sociis victi sunt ad Tanagram Bœotiæ, Thucyd. *l.* I. p. 70. Diodor. *l.* II. p. 60. 61. Post id prælium revocarunt Cimonem, Pericle auctore, Plutarch. in *Cimone.*

Athenienses sexagesimo & altero die post prælium ad Tanagram Bœotios apud Oenophyta vi-

cerunt, duce Myronide: agroque Bœotio ac Phocensi in suam potestatem redacto, Tanagræorum muros demoliti sunt, & suos longos muros absolverunt: præterea Locrorum Opuntiorum centum viros opulentissimos acceperunt obsides, Thucyd. *l.* 1. p. 70. Diodor. *l.* 11. p. 61. 62. 63. Hujus victoriæ monumentum phialam in Olympia dedicarunt cum hac inscriptione:

Ναὸς μὲν φιάλαν χρυσέαν ἔχει, ἐκ δὲ Τανάγρας
Τοὶ Λακεδαιμόνιοι συμμαχίδες τε τέθεν
Δῶρον ἀπ' Ἀργείων, καὶ Ἀθηναίων, καὶ Ἰώνων,
Τὰν δεκάταν νίκας εἵνεκα τῶ πολέμω.

Pauf. *Bœot.* p. 304. Athenienses ducentarum navium classe in Cyprum, & inde in Ægyptum navigarunt, ut Inaro Psammetichi F. Afrorum Regi, qui ex urbe Marea progressus majorem Ægypti partem ab Artaxerxe averterat, opem ferrent, Thucyd. *l.* 1. p. 68.

Athenienses interea domi bello contra Epidaurios & Corinthios suscepto, primum a Corinthiis navali pugna victi sunt. Iterum cum Peloponnesiorum classe ad Cecryphaleam congressi, victores fuerunt, Thucyd. *lib.* 1. pag. 68. Diodor. *lib.* 11. pag. 59.

Athenienses moto adversus Æginetas bello, sociorum ope eos vicerunt, victoriaque & septuaginta eorum navibus petiti, in Æginam descenderunt, & duce Leocrate Strœbi F. obsessam urbem ad deditionem faciendam compulerunt: frustraque fuerunt Æginetis Peloponnesiorum auxilia: quos inter Corinthii magnam ab Atheniensibus in Megarensi agro cladem acceperunt, Thucyd. *libr.* 1. p. 68. 69. 71. Tum modestia illa Atheniensium prior in superbiam versa. *Ἀθηναῖοι καθόλου ἐπὶ πολὺ τῇ δυνάμει προκόπτοντες, οὐκέτι τοῖς συμμάχοις, ὥσπερ πρότερον ἐπιεικῶς ἐχρῶντο, ἀλλὰ βιαίως καὶ ὑπερηφάνως ἦρχον*, Diodor. *l.* 11. p. 54.

Athenienses duce Tolmide Tolmæi F. Peloponnesum circumvecti, Lacedæmoniorum navalibus incensis, & Chalcide urbe Sicyoniorum capta egressi e navibus, terrestri prælio Sicyonios vicerunt, Thucyd. *l.* 1. p. 71. Idem Tolmides Zacynthum & totam Cephaloniam subegit: & Naupactum repente occupavit, inque eam urbem Messenios a Lacedæmoniis dimissos deduxit colonos, Diodor. *l.* 11. p. 64.

Athenienses post sex annos in Ægypto exactos, Memphitide, quam occuparant, a Persis ejecti, & in Prosopitidem insulam conclusi, illicque annum integrum & sex menses obsessi, insula a Persis capta, amissis navibus, pauci & inopes, per Cyrenen in patriam redierunt, Thucyd. *l.* 1. pag. 71. vide Diodor. *l.* 11. p. 58. 59.

Atheniensium multitudinem in Areopagitas concitavit Ephialtes Simonichi F. Tribunus pl. eisque, ut publico decreto Senatus Areopagitici auctoritatem imminuerent, & inclyta patriæ instituta abrogarent, persuasit. Is vero ab incerto auctore per noctem interemptus fuit, Diodor. *l.* 11. pag. 59.

Athenienses Orestem Echecratidæ Regis Thessalorum filium e Thessalia profugum, in patriam reducturi, assumptis sociis Bœotiis & Phocensibus, expeditionem adversus Pharsalum Thessaliæ susceperunt. Sed re infecta redierunt Athenienses, Thucyd. *l.* 1. p. 72.

Athenienses duce Pericle frustra Oeniadem Acarnanum urbem, licet adjuvantibus Achæis, obsederunt, Thucyd. *l.* 1. p. 72. Periclem acceptis triremibus quinquaginta cum mille armatis magnam Peloponnesi partem diripuisse, & post in Acarnaniam transvectum propter Oeniadas, ea navigatione omnes ad eas partes urbes in suam potestatem redegisse: complurimosque eo anno populos sub Atheniensium imperium concessisse: & virtute ac peritia militari nomen Atheniensium auctum admodum & magna laude celebratum fuisse; Periclem deinde sequenti anno transvecto in Peloponnesum exercitu agros Sicyonios diripuisse, & Sicyonios universis copiis occurrentes fusosque & intra conclusos obsedisse, sed frustra, Lacedæmoniis auxilia ad obsessos mittentibus: & Sicyone relicta trajecisse in Acarnaniam, agro Oeniadum vastato, & coacta ingenti præda inde abiisse; postea in Chersonesum delatum, agrum illic mille civibus sorte distribuisse: Tolmidem vero in Eubœam profectum, Naxiorum agrum mille aliis civibus divisisse, scribit Diodor. *l.* 11. De Eubœa & Cytheriorum insula occupatis, & colonis in Eubœam ac Naxum deductis a Tolmide scribit quoque Pauf. *Attic.* p. 49.

Athenienses post exactum triennium, fœdera quinquennalia cum Peloponnesiis sanxere, Thucyd. *l.* 1. p. 72.

Athenienses classem ducentarum navium in Cyprum, duce Cimone, miserunt. Earum sexaginta in Ægyptum navigarunt, arcessitæ ab Amyrtæo, qui in Paludibus regnavit: reliquæ Citium obsidentes, Cimone defuncto, & fame urgente, relicta obsidione, abierunt: & cursum navigationis supra Salaminem Cypriam tenentes, Phœnices & Cyprios & Cilices navali pariter ac pedestri pugna vicerunt, Thucyd. *l.* 1. p. 72. 73. Huic in Cyprum expeditioni subnectit pacem illam celebrem inter Athenienses & Persas factam Diod. *l.* XII. p. 73. 74. 75.

Athenienses superatis Delphis, quibus templum Delphicum tradiderant Lacedæmonii, ereptum rursus, Phocensibus restituerunt, Thucyd. *l.* 1. p. 73.

Athenienses duce Tolmide Cheroneam ceperunt; ejus facti indignitate moti Bœoti, collectis copiis ex insidiis Tolmidem adorti, prælio atroci ad Coroneam commisso, eundem interemerunt, Atticumque exercitum partim ceciderunt, partim ceperunt, Diodor. *l.* XII. p. 75. Pausan. *Attic.* pag. 49. Ita Athenienses victi a Bœotis exsulibus, Locris & Euboensium exsulibus, Bœotiam reliquerunt: Bœotiique exsules in patriam reversi, libertatem recuperarunt, Thucyd. *l.* 1. p. 73.

Athenienses duce Pericle Eubœam, quæ defecerat iterum subegerunt. Quo vero tempore Eubœa defecit, etiam Megarenses adscitis Corinthiis, Sicyoniis & Epidauriis defecerunt, & Lacedæmonii, duce Plistionacte, Atticam vastarunt, Thucyd. *lib.* 1. pag. 73. 74. Diodor. *lib.* XII. pag. 75. 76.

Athenienses cum Lacedæmoniis sociisque tricennalia fœdera percusserunt, redditis Nisæa, Achaia, Pegis & Trœzene, quæ Peloponnesiorum erant, Thucyd. *l.* 1. p. 74. Pauf. *Eliac. pr.* p. 333. Diodor. *l.* XII. p. 76.

Athenienses, orto inter Samios & Milesios de Priene bello, opem laturi petentibus Milesiis, Samum expugnarunt, Samiosque in deditionem receperunt, Thucyd. *l.* 1. p. 74. 75. vide in *Samiis*. *Πρῶτος πάντων Περικλῆς μηχαναῖς τοῖς νομιζομένοις κριοῖς καὶ χελώναις ἐχρήσατο, πολιορκῶν τὴν Σάμον, Ἀρτέμονος τοῦ Κλαζομενίου κατασκευάσαντος*, Histor. Synag. ad Olymp. LXXXIV. 4.

Athenienses edicto caverunt, ne comœdiæ agerentur, Histor. Synag. ad Olymp. LXXXV. 1. Sed revocatum fuit ejusdem Olymp. an. 4. ibidem.

Athenienses Corcyræis petentibus in societatem rece-

receptis adversus Corinthios auxilia miserunt, Thucyd.*lib*.I. p.23.31.32.33.

Athenienses Potidæatas, suos socios ac vectigales, muros Pallenen versus demoliri, & obsides dare, & Epidemiurgos ejicere jusserunt. Sed Potidæatæ freti promissis Lacedæmoniorum ab Atheniensibus defecerunt. Eos victos Athenienses, licet amisso duce Callia, intra urbem compulerunt: & dum urbem obsessam tenuerunt, interim Chalcidensem & Botticum agrum duce Phormione vastarunt, & nonnulla oppidula ceperunt, Thucyd. *lib*. I. pag.39. seqq. Atheniensium ter mille ad obsidendam Potidæam missi fuerunt, nec pauciores in obsidione ejus permanserunt, donec expugnaretur, qui in singulos dies binas drachmas acceperunt, Thucyd. *lib*.III. p.182.

Athenienses, decreto a Lacedæmoniis, omnium sociorum suffragiis, in ipsos bello, Legatis Lacedæmoniorum per speciem tentandæ pacis Athenas missis, & duras Atheniensibus conditiones afferentibus, bellumque, nisi obtemperarent, denunciantibus, Periclis consilium sequuti, responderunt, se nihil eorum facturos, quod illi juberent, sed ex fœderum pactis ad subeundum judicium, ut de controversiis æquo jure disceptaretur, paratos esse, Thucyd. *lib*.I. pag. 91. seqq. Conditiones erant, ut eos, qui crimini piaculari obnoxii essent, urbe pellerent, & a Potidææ obsidione recederent, & Æginetas suis legibus vivere sinerent, & decretum de Megarensibus portubus Atticis arcendis factum rescinderent. Pericles isti piaculo affinis fuit propter maternum genus, Thucyd. *lib*. I. pag.83.

Athenienses, cognitis quæ Platæis a Thebanis gesta fuerunt, (vide in *Thebanis*) fœdera aperte rupta esse judicarunt, seque ad bellum gerendum parare cœperunt, Thucyd. *lib*. II. pag. 103. Socios in eo bello habuerunt Chios, Lesbios, Platæenses, Messenios qui Naupactum tenebant, Acarnanum plerosque Corcyræos, Zacynthios & alias civitates sibi vectigales: Cariam maritimam, Dorienses Caribus finitimos, Joniam, Hellespontum, Thraciæ urbes & insulas, quotquot intra Peloponnesum & Cretam ad orientem solem vergunt, & Cyclades omnes, exceptis Melo & Thera, Thucyd. *lib*.II. p.105.

Athenienses metuentes irruptionem Lacedæmoniorum in Atticam, in urbem, auctore Pericle, ex agris conjuges, liberos, supellectilem omnem, imo destructorum ædificiorum materiam asportarunt: pecoribus, & jumentis in Eubœam & vicinas insulas transmissis. Quod illis quidem permolestum fuit, assuetis in agro vivere, etiam postquam Theseo auctore in unam urbem convenissent. Cum ergo in urbem migrassent, pauci domos habuere, vel amicos ac necessarios, quo se reciperent: plerique deserta urbis loca, & Heroum sacella, & templa, præter arcem & Eleusinium, occuparunt. Sed & necessitas occupare coegit Pelasgicum templum, quod a nemine habitatum ad eum diem fuerat, metu oraculi Pythii, quo dictum fuerat:

Τὸ Πελασγικὸν ἀργὸν ἄμεινον.

Sed & ipsis murorum turribus domicilia, & prout quisque poterat, sibi pararunt, Thucyd. *lib*.II. p.107.108.109.110.111.112.

Athenienses, dum Lacedæmonii agrum Atticum vastarunt, interim instructa centum navium classe circa Peloponnesum missa, una cum Corcyræorum classe navium quinquaginta, agrum hostilem populati fuere, Thucyd.*lib*. II.p.116.117.

Athenienses eadem æstate Æginetas ex Ægina ejecerunt, suosque colonos in insula collocarunt, Thucyd. *lib*.II. p.117.

Athenienses, Archidamo Spartano iterum populante Atticam, lues dira invasit, Thucyd. *lib*. II. p. 129. seqq. De ea carmen illud olim decantatum interpretabantur;

Ἥξει Δωριακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

Cum inter ipsos altercatio pridem exstitisset, λιμὸν dictum fuisse in isto carmine a Priscis, non λοιμὸν, Thucyd. *lib*.II. p.134.

Atheniensibus Potidæatæ diuturna obsidione fracti, se dedidere, Thucyd. *lib*.II. p.145.

Athenienses, duce Phormione, classem Corinthiorum ad Naupactum vicerunt, Thucyd. *lib*.II. pag. 155.

Atheniensium centum naves Atticam, Eubœam & Salaminem custodiebant: aliæ centum circa Peloponnesum erant: præter eas quæ ad Potidæam, & aliis in locis erant. Summa navium una æstate instructarum fuit, ducentæ & quinquaginta, Thucyd. *lib*.III. p. 182.

Athenienses duce Pachete Lesbum (ea superiore anno ad Lacedæmonios defecerat, Thucyd. *lib*. III. pag. 172. 181.) receperunt, Thucyd. *lib*. III. pag. 192. 206. Et captæ Mitylenes muros demoliti sunt, navibusque Mitylenæos spoliarunt, Thucyd. *lib*. III. pag. 206. & παρέλαβον τὰ ἐν τῇ ἠπείρῳ πολίσματα οἱ Ἀθηναῖοι, ὅσων Μιτυληναῖοι ἐκράτουν: καὶ ὑπήκουον ὕστερον Ἀθηναίοις, Thucyd.*d.l.* Id Strabo *lib*.XIII. pag. 600. explicat: Θουκυδίδης, inquit, φησὶ ἀφαιρεθῆναι τὴν Τροίαν ὑπὸ Ἀθηναίων τοὺς Μιτυληναίους.

Athenienses Leontinis in Siciliam contra Syracusanos auxilia miserunt, Thucyd. *lib*. III. pag. 231.

Athenienses ab Ætolis prælio duce Demosthene lacessitis, insignem cladem acceperunt, Thucyd.*lib*.III. p. 237. seqq.

Athenienses Lacedæmonios & Ambraciotas ad Argos Amphilochium vicerunt, duce Demosthene, Thucyd. *lib*. III. p. 248.

Athenienses Lacedæmonios, qui Pylum, ab Atheniensibus munitam, navibus obsidebant, in Sphacteria insula interceptos, ad petendas pacis conditiones, coegerunt, Thucyd. *lib*.IV.pag.260. seqq.

Athenienses duce Nicia, aspero commisso prælio, Corinthios vicerunt, Thucyd.*lib*.IV. p.281.

Athenienses Cytheram insulam occuparunt, Thucyd. *lib*.IV. p.286.

Athenienses Nisæam arcem Megarensium occuparunt, Thucyd. *lib*.IV.p.298.299.

Athenienses, cum Delio munito domum redituri essent, a Bœotis prælio lacessiti victique fuere: inde Delii sequuta obsidio, Thucyd. *lib*. IV. pag. 312. 317. Hippocratem Ariphronis F. Atheniensium imperatorem in eo prælio cum magno militum numero cecidisse scribit Pausanias *Bœot*. pag.552.

Athenienses & Lacedæmonii unius anni inducias pepigerunt, Thucyd. *lib*.IV. pag.329. Brasida Lacedæmonio interea Scionem, Mendam, aliasque urbes Atheniensibus eripiente, Thucyd. *lib*. IV. p. 332. 334.

Athenienses duce Cleone & Lacedæmonii duce Brasida conflixerunt ad Amphipolin: utroque duce cæso vicerunt Lacedæmonii, Thucyd. *lib*. V. pag. 350. 351.

Athenienses quinquaginta annorum pacem cum Lacedæmoniis sanxerunt, Thucyd. *lib*. V. p. 355. Ea sex tantum annos & decem menses duravit, Thucyd. *lib*.V. p.356. 359.

Athenienſes cum Argivis, Mantinenſibus & Eleis fœdus ac ſocietatem inierunt, Thucyd. *lib.* v pag. 377.

Athenienſes Meliorum inſulam in ſuam poteſtatem redactam, puberibus omnibus interfectis, pueriſque & fœminis in ſervitutem abſtractis, ipſi ſuis colonis incolendam tradiderunt, Thucyd.*lib.* v. fine.

Athenienſes expeditionem novam in Siciliam ſuſceperunt, Thucyd. *lib.* vi. init. Syracuſanos victos obſidentes ipſi victi fuerunt, Thucyd. *lib.* vi. pag 482. ſeqq. Iterum in Sicilia victi, Thucyd. *lib.* vii. pag. 503. 527. 528. Et horrenda clade profligati fuerunt, Thucyd. *lib.* vii. pag. 542. 544. 551. 555. Socios vero ejus in Siciliam expeditionis habuerunt Lemnios, Imbrios, Æginetas, Heſtiæenſes, Eretrienſes, Chalcidenſes, Styrenſes, Caryſtios, Ceos, Andrios, Teios, Mileſios, Samios, Chios, Methymnæos, Tenedios, Ænios, Platæenſes, Rhodios, Cythereos, Cephallenes, Zacynthios, Corcyræos, Meſſenios e Naupacto a Pylo, Megarenſes exſules, Argivos, Mantinenſes, Cretes, Ætolos, Acarnanes, Thurios, Metapontios, Naxios, Catanæos, Egeſtæos, Tyrrhenios, Japyges, Thucyd. *lib.* vii. p. 531. ſeqq. Athenienſibus porro & alias orbis terræ partes, & univerſam Italiam armis opprimere cogitantibus, quo minus cum Romanis belli fortunam experirentur, Syracuſana clades impedimento fuit, Pauſan. *Attic.* p. 20.

Athenienſes Peloponneſios vicerunt, & in mari e navibus, & terra pugnantes, Thucyd *lib.* viii. pag. 564.

Athenis popularis ſtatus everſus fuit, auctoribus præcipuis Theramene Agnonis F. & Piſandro & Antiphonte & Alexicle, centeſimo fere anno ab exactis Tyrannis: & quadringenti Reip. adminiſtrandæ cauſa electi fuere, Thucyd. *lib.* viii. pag. 601. Sed paucorum ille dominatus imperioſus paulo poſt ſublatus fuit, Thucyd. *lib.* viii. p. 624.

Athenienſes ad Eretriam inſignem cladem a Peloponneſiis acceperunt, duabus & viginti navibus amiſſis, totamque Eubœam, excepto Oræo, amiſerunt, Thucyd. *lib.* viii p. 622.

Athenienſes facto decreto Alcibiadem, & alios ab exſilio revocarunt, Thucyd. *lib.* viii. pag. 623.

Athenienſes Lacedæmonios, & ſocios inter Seſtum, & Abydum navali pugna vicerunt, captis hoſtium navibus viginti, & una: ipſi quindecim amiſerunt. Lacedæmoniorum dux erat Mindarus, Athenienſium Thraſyllus & Thraſybulus. Ea victoria animos addidit Athenienſibus, ne Peloponneſiorum claſſem, quæ terrori hucuſque fuerat, formidarent, Thucyd. *lib.* viii. pag. 627. 628. 629. Xenophon *Hellen lib.* i. p. 334

Athenienſes ducibus Alcibiade, Thraſybulo & Theramene Mindarum ducem Lacedæmonium navali pugna vicerunt ad Cyzicum: traductiſque utrinque in terram copiis, pugnantem interfecerunt. Et Cyzicum urbem deſertam a Peloponneſiis ac Pharnabazo occuparunt, item Chryſopolin Chalcedoniæ, Xenoph. *Hellen. lib.* i. pag. 334. 335.

Athenienſes duce Thraſyllo Agidem Spartanum a muris Atticis repulerunt, Xenoph. *Hellen. lib.* i. p. 236. 237.

Athenienſes duce Thraſyllo Epheſum aggreſſi ſunt, ſed infeliciter, Xenoph. *Hellen. lib.* i. pag. 238.

Athenienſes duce Alcibiade Selymbriam occuparunt & Byzantium: rediitque Athenas Alcibiades, Xenoph. *Hellen. lib.* i. p. 339 340. 341.

Athenienſes Alcibiadi abrogarunt imperium, aliis x. ſimul conſtitutis ducibus, Xenoph. *Hellen. lib.* i. pag. 344.

Athenienſes primum victi, mox victores duce Conone Callicratidem ducem Lacedæmonium navali prælio profligarunt ad Arginuſas prope Leſbum, Xenoph. *Hellen. lib.* i. p. 356. Ab hoc prælio redeuntes in urbem duces morte mulctati fuerunt, quod cives ſuos naufragos non ſuſtuliſſent: neque iis profuit vel ipſorum juſta defenſio, vel Socratis ſententia, Xenoph. *Hellen. lib.* i.

Athenienſes a Lacedæmoniis duce Lyſandro ad Ægos flumen victi fuerunt: Athenæ a victore obſeſſæ deditæ, murique dejecti ſunt, atque ita finis bello Peloponneſiaco impoſitus, Xenoph. *Hellen. lib.* ii. pag. 355. ſeqq. *Ἐπειδὴ δ᾽ αἰστ.. ἐλντ ..ηθημεν.. τὴν δύναμιν, παρὰ μικρὸν ἤλθομεν ἐξανδραποδισθῆναι*, Iſocrat. *Areopagit.* Athenienſes hanc cladem ad Ægos flumen acceptam, ſibi non juſto prælio illatam ajebant, ſed ſuorum ducum proditione, qui ſe pecunia corrumpi paſſi fuerant; etenim dona a Lyſandro Tydeum & Adimantum accepiſſe: cujus rei teſtimonium e Sibyllinis attulerunt:

Καὶ τοτ᾽ Ἀθηναίοισι βαρύστονα κήδεα θήσει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, οὗπερ κράτος ἐστὶ μέγιστον.
Νηυσὶ φέρει πολέμοις μάχην καὶ δηιοτῆτα,
Ὀλλυμέναις δολεροῖσι τρόποις, κακότητι νομήων.

Sed & Muſæi carmina pro oraculis habuerunt:

Καὶ γὰρ Ἀθηναίοισιν ἐπέρχεται ἄγριος ὄμβρος.
Ηγεμόνων κακότητι παραιφασίη δὲ τις ἔσται,
Η γ᾽ ἄλες ἠμύσωσι πόλιν, τίσωσι δὲ ποινήν.

Pauſan. *Phocic.* pag. 626. Athenis forma Reip. mutata. Viſum enim fuit populo viros xxx. deligi, qui leges patrias ſcriberent, ad quas deinceps in Rep. vivendum foret. Illi vero dilata legum promulgatione ſemper in aliud tempus, ſenatum magiſtratuſque cæteros ſuo arbitratu conſtituerunt, Xenoph. *Hellen. lib.* ii. pag. 359. 360. De eorum tyrannide vide Xenoph. *lib.* ii. pag. 361. ſeqq. Qui eorum dominatus tempore lectus fuit Archon Pythodorus, ab Athenienſibus plane non recenſetur, ſed annus ille *Ἀναρχία* vocatur, Xenoph. *Hellen lib.* ii. p. 359.

Athenis xxx. Tyrannorum dominatum Thraſybulus cum ſexaginta non amplius ſociis initio Thebis profectus evertit, & Athenienſibus diuturnis ſeditionibus afflictis, compoſitionis & concordiæ auctor fuit, Pauſan. *Attic.* pag. 54. Sed vide Xenoph. *Hellen. lib.* ii. pag. 367. ſeqq. Lyſandro vero in Atticam cum exercitu redeunte, pax tamen data fuit Athenienſibus, Pauſania & Ephoris auctoribus, Xenoph. *lib.* ii. pag. 373. 374. 375.

Olymp. XCV. *Ἀθηναῖοι ἤρξαντο στοιχείοις κδ´ χρῆσθαι, πρότερον ιϛ´ χρώμενοι*, Euſeb. *Chron. Canon.*

Athenienſes ad belli Aſiatici ſocietatem a Lacedæmoniis invitati, ejus expeditionis participes eſſe recuſarunt, prætendentes ſe a priſtinæ fortunæ ſpe longius abeſſe ob acceptas bello Peloponneſiaco & ſævitia peſtis clades: re vero ipſa, quod Cononem Timothei F. ad Regem veniſſe audiſſent, Pauſan. *Lacon.* pag. 174. Quo vero Ageſilaus ex Aſia domum revocaretur, Athenienſes a Perſis incitati fuere ad inferendum Lacedæmoniis bellum, data pecunia, quam accepiſſe ferebantur Cephalus & Epicrates, Pauſan. *Lacon.* pag. 165. 166.

Athenienſes Thebanis opem adverſus Lacedæmonios rogantibus auxilia mittenda cenſuerunt, Xenoph. *Hellen. lib.* ii. pag. 393. 394. fuerunt-

que Athenienſium ſex millia gravis armaturæ, & ſexcenti equites, quando cum Thebanis, & reliquis ſociis profligati fuerunt a Lacedæmoniis duce Ariſtodemo, Xenoph. *Hellen. lib.* IV. pag. 401. ſeqq.

Athenienſes duce Conone, adjuti auxiliis Perſicis Lacedæmonios vicerunt ad Cnidum, Xenop. *Hellen. lib.* IV. pag. 404. Cononque, & Pharnabazus civitates Græcas in Aſia, & inſulis ab Harmoſtis Laconicis liberarunt, & Laconicam claſſem invaſerunt, Xenoph. *Hellen. lib.* IV. pag. 418. 419.

Athenarum muros Conon inſtauravit, Xenoph. *Hellen. lib.* IV. pag. 220. Is cum aliis Legatis ad Teribazum Perſam de pace miſſus, quaſi in Regem injurius a Teribazo in vincula conjectus fuit, Xenoph. *Hellen. lib.* IV. p. 420. 421.

Athenienſes per Thraſybulum Styrenſem (forte Stirienſem: vide in Δήμοις) fœdere & ſocietate ſibi junxerunt Amadocum Odryſarum & Seuthem maritimæ Thraciæ Reges: & Byzantiorum Remp. paucorum dominatu abrogato, Populo adminiſtrandum tradiderunt: & pellectis in amicitiam Chalcedonenſibus, oppida Lesbica partim deditione ceperunt, partim populati ſunt. Tandem ab Aſpendiis iratus ob abactam ex agris ſuis prædam, in tentorium noctu irruentibus obtruncatus fuit hic Thraſybulus, Xenoph. *Hellen. lib.* IV. pag. 422. 423.

Athenienſes duce Timotheo Cononis F. Corcyram occuparunt, ſuperata prius, duce Chabria, claſſe Laconica, cui Pollis præfuit: & deinde altera, cui Nicolochus præfuit, duce Timotheo, Xenoph. *Hellen. lib.* V. fine.

Athenienſes inter & Lacedæmonios & Græcos civitates pax facta fuit, excluſis Thebanis, Xenoph. *Hellen. lib.* VI. p. 461. ſeqq.

Athenienſes Argæum contra Philippum Amyntæ F. miſſis cum claſſe tribus hominum millibus duce Mantia juverunt; Philippus vero cedens Amphipoli Athenienſibus, miſſis Athenas Legatis pacem fecit cum Athenienſibus, Diodor. *lib.* XVI. pag. 408.

Athenienſes bellum ſociale triennio geſſere adverſus Chios, Rhodios, Coos & Byzantios, ducibus Charete & Chabria: interea Philippus Amphipolin recepit, & Pydnam, & Potidæam, & Crenidas, Diodor. *lib.* XVI. pag. 412. Quadriennium duraſſe illud bellum ſociale ſcribit idem *l. eodem*, p. 423. 424.

Athenienſes Phocenſibus bello ſacro auxilia publico decreto miſerunt, veterum erga ſe meritorum recordatione adducti, Pauſan. *Lacon.* p. 177. Didor. *lib.* XVI. p. 436. 457.

Athenienſes duce Charete Seſtum occuparunt, puberibuſque omnibus interfectis cæteros in ſervitutem abſtraxerunt: & in Cherſoneſi urbes, quibus Cherſobleptes Scotyis F. Philippo adverſus, Athenienſibus favens, omnibus Cardia excepta ceſſerat, colonias deduxerunt, Diodor. *lib.* XVI pag. 344.

Athenienſes, quibus jam Philippi incrementa ſuſpecta erant, omnibus quibus bellum movebat Philippus, auxilia adverſus ipſum miſerunt: per Legatos etiam civitates adhortati ſunt ad tuendam libertatem, & puniendos cives proditionis reos, omnibus eis auxilia polliciti. Itaque ſe Philippo hoſtes profeſſi, aperte cum eo bellum geſſerunt: incitati maxime ad defendendam Græciam a Demoſthene, Diodor. *lib.* XVI. p. 450. ſeq.

Athenienſes duce Iphicrate donaria Delphos, & Olympiam a Dionyſio Syracuſano miſſa circa Corcyram intercepere ac vendidere, Diodor. *lib.* XVI. pag. 453. ſeq.

A Athenienſes Byzantiis auxilia adverſus Philippum miſerunt: idem a Chiis, Rhodiis, aliiſque quibuſdam Græcis civitatibus factum. Ita Philippus territus, relicta obſidione, pacem cum Athenienſibus, & Græcis aliis ſibi inimicis pepigit, Diod. *lib.* XVI. p. 468.

Athenienſes Philippi irruptionem in Atticam metuentes, ſuaſu Demoſthenis, & eodem Legato, auxilia a Bœotis petierunt, & impetrarunt: itaque miſſo exercitu, ducibus Charete, & Lyſicle, ad Chæroneam ſimul cum Bœotis caſtra metati ſunt. Ibi congreſſi cum Philippo victi fuerunt: B plures quam mille cæſi, & duo millia capta. Captivis in Demadis gratiam remiſſis ſine pretio, Philippus Legatos Athenas de ſocietate, & amicitia miſit. Athenienſes vero Lyſiclem capitis damnarunt, accuſante Lycurgo, Diodor. *lib.* XVI. pag. 475. ſeqq. Poſt hanc pugnam Atehenienſes per ſimulationem pacis graviſſimis affecti fuerunt detrimentis a Philippo: ſpoliati ab eo, & inſulis, & maris imperio, Pauſan. *Attic.* pag. 45. Ita Remp. illam poſt Peloponneſiaci belli, & peſtilentiæ cladem reſpirantem, & quaſi emergentem, Macedonum potentia oppreſſit, Pauſan. *Achaic.* pag. 428. Forma tamen eadem Reip. manſit. C *Καὶ γὰρ εἴ τι μικρὸν ὑπὸ τῶν Μακεδονικῶν βασιλέων παρελυπήθησαν, ὥστε ὑπακούειν αὐτῶν ἀναγκασθῆναι, τόν γε ὁλοσχερῆ τύπον τῆς πολιτείας τὸν αὐτὸν διετήρουν*, Strabo *lib.* IX. p. 398.

Athenienſes, qui poſt pugnam ad Chæroneam regnante Philippo, & deinde Alexandro nihil moliri auſi fuerunt, hoc mortuo, cum Macedones, commiſſa Antiparro regni adminiſtratione, Aridæo regnum detuliſſent, non ferendum amplius putarunt, res Græcorum tam diu a Macedonibus oppreſſas teneri. Quare & ipſi ſtatim arma ceperunt, & ad bellum etiam alios concitarunt. Societatem ergo cum Athenienſibus iniverunt e D Peloponneſo Argivi, Epidaurii, Sicyonii, Trœzenii, Elei, Phliaſii, Meſſenii; ex iis qui extra Iſthmum Corinthium fuerunt, Locri, Phocenſes, Theſſali, Caryſtii, Acarnanes, qui in Ætolis cenſebantur. His omnibus cum ſuos quique duces dediſſent, imperator declaratus fuit Leoſthenes Athenienſis, cum propter patriæ dignitatem, & militaris rei ſcientiam, tum quod præclara ejus viri in omnes Græcos merita extarent: nam cum Alexander Græcos, qui Dario ſtipendia fecerant, in Perſidis urbes dividere ſtatuiſſet, is eos, antequam id fieret, claſſe E in Europam reportavit: & plane cum hominum de ſe ſpem virtute vinceret, fuit ejus mors non magis luctuoſa cunctis, quam calamitoſa, Pauſan. *Attic.* pag. 45. Athenienſes prælio ad Cranonen commiſſo, ducentis ferme ac nihilo pluribus militibus amiſſis, Macedonibus ſuccubuerunt, proditione Demadis, & aliorum nihil mite aut benignum in Græcos Antipatro ſuadentium, ſed ad præſidia, & Athenis, & aliis urbibus imponenda eum adhortantium, Pauſan. *Achaic.* pag. 415. Ita Macedonum præſidia, impetu in Athenienſes facto, Munychiam primum, Piræeum deinde, & Longos muros ocF cuparunt, Pauſan. *Attic.* pag. 45. Plutarch. *Phocione*. Bellum hoc Lamiacum appellatum fuit.

Athenienſibus, Antipatro mortuo, Aridæo ſublato, Olympiade a Caſandro capta, Caſander imperium adeptus Panactum Atticæ caſtellum, & Salaminem eripuit, Tyrannumque impoſuit Demetrium Phanoſtrati F. (Phalereum Theophraſti Philoſophi familiarem, Strabo) hominem ſapientiæ laude præſtantem, Pauſan. *Attic.* pag. 45. 46.

Demetrius Phalereus non solum non evertit Democratiam Athenis, sed etiam confirmavit: argumento sunt præcepta quæ de hac Reip. forma ipse scripsit, Strabo *lib.* IX. pag. 398. Τρίτος νομοθέτης Ἀθήνησι dicitur Eusebio, *Chron. lib.* I. p. 52. Eum postea Demetrius Antigoni F. adolescens e singulari quodam in Græcos studio gloriam captans, Athenis ejecit, Pausan. *Att.* p. 46. Eum a populo legatum missum ad Demetrium Antigoni F. ut populo αὐτονομίαν, sibi securitatem impetraret, cum sine fructu legatio fuisset, desperatis Atheniensium rebus, Thebas fugisse, postquam urbi X. annos præfuisset: & inde in Ægyptum ad
B Ptolemæum abiisse, scribit *Hist. Synag.* Auctor, ex Diodor. *lib.* XX. pag. 782. Ἀλλ' ὅπως ὁ φθόνος ἴσχυσε, καὶ ἡ πρὸς ὀλίγους ἀπέχθεια, ὥστε μετὰ τὴν Κασάνδρου τελευτὴν ἠναγκάσθη φυγεῖν εἰς Αἴγυπτον, Strabo *lib.* IX. pag. 398. Demetrius vero Antigoni F. jussu patris Athenienses in libertatem vindicavit: Populusque Lamiaco bello, libertate exfutus, post XV. annos, pristinum Reip. statum recuperavit: honoremque habuit Antigono, & Demetrio servatoribus, ut & illis statuas poneret, & X. Tribubus duas adderet, Ἀντιγονίδα & Δημητριάδα, Diodor. *lib.* XX. pag. 781. 782. 783. Amicitiam vero & fœdus inter se pepigerant Demetrius Antigoni
C F. & Ptolemæus (Antigoni fratris filius, Diodor. *lib.* XX. pag. 700.) de tota Græcia in libertatem asserenda. Ac Demetrius quidem Atheniensibus, & Megarensibus patriam libertatem restituit; Ptolemæus vero, quod insignem clementiam & humanitatem reipsa demonstrasset, Græcos libertatis spe commotos erexit, ut se facilius ipsi dederent. Αὐτονόμους sane plurimas Græcarum urbium esse sivit, Suidas *in* Δημήτριος: vide Diodor. *lib.* XX. p. 700. 708. 725.

Lachares, qui ad illud usque tempus principem in plebe locum tenuerat, a Casandro in fidem receptus, ab eodem eo adductus fuit, ut Tyrannidem invaderet: qua occupata, omnes, de quibus aliquid literis mandatum sit, crudelitate in homines, in Deos impietate superavit, Pausan. *Attic.* pag. 46. Lachares a Demetrio Antigoni F. etsi nonnihil ab Atheniensibus diffidente, Tyrannide spoliatus, ubi captos muros vidit, ad Bœotios confugit: quo, cum aurea scuta ex arce direpta, & Minervæ ipsius, quæ removeri poterant, omnia ornamenta asportasset, propter eam, quæ de divitiis ipsius erat, opinionem, a Coronæis fuit interemptus, Pausan. *Attic.* p. 46.

Atheniensibus Tyrannorum dominatu liberatis non solum Piræeum non redditum fuit a Demetrio, sed etiam vi bellica urbe in potestatem ejusdem redacta, præsidio & munitionibus ab ipso locus is firmatus fuit, quem Museum appellarunt, Pausan. *Attic.* p. 46.

Atheniensibus contra Antigonum Demetrii F. Athenas terrestribus maritimisque copiis oppugnantem, subsidio venit cum classe ex Ægypto Patroclus, sed frustra, Pausan. *Lacon.* pag. 169. Præsidium Museo impositum non multo post Antigonus ultro deduxit, idem *ibidem*.

Athenienses aliquot post annis, non multi, memoria majorum & rerum ab iis gestarum, simul consideratione status præsentis, in quem ex tanto fastigio pervenissent, excitati, confestim ducem delegerunt Olympiodorum. Is habito delectu, in quo neque senibus, neque adolescentibus vacatio fuit, exercitum contra Macedones eduxit, non magis robore, quam militum alacritate fretus, pristinam se belli gloriam patriæ vindicaturum. Prælio itaque Macedones fudit: ac fugientes in Museum persecutus, loco expugnato, Athenienses Macedonum dominatu liberavit. Præ-
A terea Piræeum & Munychiam recepit. Et Macedones Eleusinem invadentes, comparata Eleusiniorum manu, superavit. Unde illi Athenis statua posita fuit, cum ob rerum, quas gessit, magnitudinem, tum quod iniquissimis temporibus, & crebris cladibus affectos Athenienses, ac jam spem omnem futuri temporis abjicientes erexisset & confirmasset. Sed & Leocrito Protarchi F. in pugna cæso cum alios honores habuerunt Athenienses, tum ejus clypeum Jovi Liberatori dedicarunt cum inscriptione, nominis & præclari facinoris indice: eo quod primus muros ascenderat, primusque intra Museum irruperat, Pausan. *Att.* p. 44. 46. 47.

Athenienses tametsi & Macedonici belli diuturnitate debilitati, & adversis aliquot præliis prope fracti erant, tamen collectis adventitiis aliorum Græcorum copiis, Duce Callippo declarato, & occupato angustissimo in Thermopylis aditu, Gallos in Græciam irruentes accessu prohibuere. Sed Galli tramitem nacti eum, per quem Epialtes Trachinius olim Persas duxerat, & Phocensium præsidio inde deturbato, in Oeta superanda Græcos impune fefellerunt. Ibi Athenienses Gallorum multitudine a lateribus circumventi, fortiter pugnando, Græco se nomine dignos, ut qui maxime, præbuerunt. Sed qui in navibus remanserant, magno labore receptis in foros Græcis, graves viris, & armis naves ex cœni (nam sinus Lamiacus maxime ad ipsas Thermopylas cœnosus est) voragine exemerunt, Græcosque hoc modo servarunt, Pausan. *Attic.* p. 7. Atheniensium inprimis eo die virtus enituit, & inter ipsos Cydias antecelluit, qui valde adolescens & plane tiro, prima eo bello militiæ rudimenta posuerat. Scutum ejus a Gallis occisi Jovi Liberatori ejus propinqui dicarunt, cum hac inscriptione:

D

Ἦ μάλα δὴ ποθέουσα νέαν ἐπὶ Κυδίου ἥβην
Ἀσπὶς ἀριζήλου φωτὸς ἄγαλμα Διί,
Ἇς διὰ δὴ πρώτας λαιὸν ποτὲ πῆχυν ἔτεινεν,
Εὖτ' ἐπὶ τὸν Γαλάταν ἤκμασε θοῦρος Ἄρης.

Pausan. *Phocic.* p. 649. Copiæ Atheniensium tum fuerant, primum triremes omnes quæ deduci potuerunt: equites deinde quingenti: pedites in acie steterunt mille. Atque Atheniensibus quidem ob veterem dignitatem imperium totius illius Græci exercitus decretum fuit, idem *ibidem*. p. 646.

E Athenienses cum Philippo Demetrii F. bellum contraxerunt, hautquaquam digna causa: Acarnanes duo juvenes per initiorum dies non initiati, templum Cereris imprudentes religionis cum cætera turba ingressi sunt, facile eos sermo prodidit, absurde quædam percontantes: deductique ad antistites templi, cum palam esset per errorem ingressos, tanquam ob infandum scelus interfecti sunt. Id tam fœde atque hostiliter factum Gens Acarnanum ad Philippum detulit, impetravitque ab eo, ut datis Macedonum auxiliis bellum se inferre Atheniensibus pateretur. Hic exercitus primo terram Atticam ferro ignique depopulatus,
F cum omnis generis præda in Acarnaniam rediit: & irritatio animorum ea prima fuit: postea justum bellum decretis civitatis ultro indicendo factum. Attalus enim Rex Rhodiique secuti cedentem in Macedoniam Philippum, cum Æginam venissent, Rex Piræeum renovandæ firmandæque cum Atheniensibus societatis causa trajecit. Honores, Regi primum Attalo immodici, deinde & Rhodiis, habiti: tum primum mentio illata de Tribu, quam Attalida appellarent, ad X. veteres Tribus addenda. Iis discedentibus, Philippus Philoclem quendam ex Præfectis suis cum duobus millibus

peditum, equitibus ducentis ad populandos Athenienſium agros miſit. Athenienſes ergo adverſus Philippum Romanorum opem implorarunt & impetrarunt. Philippus deſtitutus ſpe potiundæ urbis, Cynoſarges & Lyceum, & quicquid ſancti amœnive circa urbem erat, incendit, diruitque non tecta ſolum, ſed etiam ſepulcra: nec divini humanive juris quicquam præ impotenti ira ſervavit. Iterum diviſo cum Philocle exercitu ad vaſtandos agros profectus, cum priorem populationem ſepulcris circa urbem diruendis exercuiſſet; ne quid inviolatum relinqueret, templa Deum, quæ pagatim ſacrata habebant, dirui atque incendi juſſit, neque diruere modo ipſa templa ac ſimulacra evertere ſatis habuit, ſed lapides quoque, ne integri cumularent ruinas, frangi juſſit, Livius *l.* XXXI.

Athenienſes egeſtate potius, quam libera voluntate impulſi, ſociam civitatem Oropum diripuerunt, nempe qui Macedonico bello rebus acciſis, Græcorum jam prope omnium eſſent egentiſſimi Accuſati ab Oropiis apud Romanos, juſſique eam mulctam pendere, quam Sicyonii imperaſſent, ad Senatum Romanum provocarunt: ejus decreto mulcta quingentorum talentorum ad centum redacta fuit, neque tamen ea ſolverunt: quin potius Oropios cum promiſſis, tum muneribus delenitos adduxerunt, ut obſidibus datis præſidium intra oppidum acciperent: ea tamen lege, ut ſi novæ factæ eſſent ab Athenienſibus injuriæ, & præſidium ultro deducerent, & obſides redderent. Non ita multo poſt cum præſidiarii injuria affeciſſent oppidanos, & Oropii miſſis Athenas Legatis contenderent pacta ſervanda eſſe, reſponderunt Athenienſes, non publicas populi, ſed paucorum, qui in præſidio eſſent, illas injurias eſſe, nec illos eas impune laturos. Oropiis vero auxilium Achæorum implorantibus, & Achæis opem ferendam cenſentibus, Athenienſes Oropum, quanta maxime potuerunt celeritate, adorti, ſuperioris prædæ reliquiis, ſi quæ forte ſupererant, aſportatis præſidium deduxerunt, Pauſan. *Achaic.* p. 418. 419.

Athenienſibus cum in Romanorum poteſtatem veniſſent, populari Reip. forma utentibus, & libertas, & leges incolumes a Romanis conſervatæ fuerunt, Strabo *l.* IX. p. 398.

Athenienſium adeo certa in Romanos fides fuit, ut ſemper & in omni re, quicquid ſincera fide gereretur, id Romani Attica fieri prædicarent. Cæterum oppreſſi Mithridatis armis homines miſerrimæ conditionis, cum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis (Romanis, duce Sulla) animos extra mœnia, corpora neceſſitati ſervientes intra muros habebant, Patercul. *l.* II. Sub iis enim Tyrannis eſſe coacti fuerunt, quos Mithridates vellet, Strabo *l.* IX. pag. 398. Sulla autem Athenas urbem obſidione ac fame ad humanos cibos compulit: mox ſubruto Piræei portu ſex quoque & amplius muris, poſtquam domuerat ingratiſſimos hominum, ut ipſe dixit, in honorem tamen mortuorum, ſacris ſuis famæque donavit, Florus *l.* III. *cap.* V. Ariſtionem Tyrannorum potentiſſimum a Mithridate impoſitum, & violenter urbi imperantem Sylla, expugnata urbe, ſupplicio affecit, & urbi veniam dedit, Strabo *l.* IX. p. 398.

Athenæ libertate fruebantur, & in honore apud Romanos erant ætate Strabonis, Strabo *l.* IX. p. 398.

Athenienſibus leges petentibus Hadrianus Imp. & Draconis & Solonis reliquorumque libris jura compoſuit, Caſſiodor. *Hadrian.*

Ἀθηναῖοι, ἀρχαιότατον μὲν γένος παρεχόμενοι,

A *μόνοι δὲ ἐόντες οὐ μετανάσται Ἑλλήνων. τῶν καὶ* Ὅμηρος *ἐποποιὸς* (*Iliad.* B. v. 553. 554.) *ἄνδρα ἄριστον ἔφησε ἐς Ἴλιον ἀπικέσθαι, τάξαι καὶ διακοσμῆσαι τὸν στρατόν.* Herodot. *l.* VII. p. 497. *Τόδ' αὐτὸ καὶ τοῖς Ἀθηναίοις συνέβη, λεπτογέων τε καὶ τραχεῖαν οἰκοῦντας χώραν, ἀπορθήτους μὲν εἶναι, καὶ αὐτόχθονας νομισθῆναι. διὰ τοῦτο φησιν ὁ Θουκυδίδης* (*l.* I. p. 2.) *κατέχοντας τὴν αὐτὴν ἀεὶ μηδενὸς ἐξελαύνοντος αὐτοὺς, μηδ' ἐπιθυμοῦντος ἔχειν τὴν ἐκείνων,* Strabo *l.* VIII. p. 333. *Μόνοι γὰρ τῶν ἁπάντων ὑμεῖς* (Athenienſes) *αὐτόχθονές ἐστε, κἀκεῖνοι* (Arcades) Demoſth. *de falſa legat.* p. 256. vide & Harpocrat. *in* Αὐτόχθονες.

B

ΔΗΜΟΙ ATTICI & ΔΗΜΟΤΑΙ.

ΔΗΜΟΙ *δὲ οἱ μικροὶ τῆς* Ἀττικῆς, *ὡς ἔτυχεν ἕκαστος οἰκισθεὶς,* Pauſan. *Attic.* p. 50.

Δῆμος, παρ' Ἀθηναίοις, *ἡ κώμη, καὶ ἡ τοῦ πλήθους συλλογή,* Stephan. *Δῆμος παρὰ* Ἀριστοφάνει (*Acharn.* p. 384.) *ἡ κώμη, ἢ ἡ νῆσος* (hoc mihi corruptum videtur) *σημαίνει δὲ καὶ τὸ τῶν* Ἀθηναίων *δῆμον,* Suidas. *Δῆμον δ' ἔφη τὴν κώμην,* Schol. Ariſtoph. *d. l.* Sic Ἀχαρνὰς, *χωρίον μέγιστον τῆς* Ἀττικῆς *τῶν δήμων καλουμένων,* dixit Thucyd. *l.* II. p. 113. Sic: *Τοῦ γὰρ δήμου* (Ἁλιμουσίου) *ἡμῖν πέντε καὶ τριάκοντα στάδια τοῦ ἄστεος ἀπέχοντος, καὶ τῶν πλείστων* (δημοτῶν) *ἐκεῖ οἰκούντων,* dixit Demoſth. Εφέσ. p. 707.

C

Δήμους CLXXIV. fuiſſe ſcribit Strabo: Ἐλευσινάτε, inquit, *εἰπὼν* (Πολέμων ὁ Περιηγητὴς) *ἕνα τῶν ἑκατὸν καὶ ἑβδομήκοντα δήμων, πρὸς δὲ καὶ τεττάρων, ὥς φασιν,* *Geogr.* l. IX. p. 396. Unde autem appellati ſint, ſic ſcribit Etymologus: *Οἱ γὰρ δῆμοι τῶν* Ἀθηναίων, *ἢ ἀπὸ τῶν τόπων, ἢ ἀπὸ τῶν παρακειμένων αὐτοῖς, ἢ ἀπὸ τῶν ἐν αὐτοῖς φυτῶν, ἢ ἀπὸ τῶν ἐν αὐτοῖς χειροτεχνῶν, ἢ ἀπὸ τῶν οἰκησάντων ἀνδρῶν ἢ γυναικῶν,* *in* Ἐλεεῖς. Nomina hæc reperi:

Ἀγγελὴ, *δῆμος τῆς* Πανδιονίδος *φυλῆς. ὁ δημότης ἐπιρρηματικῶς* Ἀγγελῆθεν, Stephan. Ἀγγελὴ, *δῆμος τῆς* Ἀττικῆς, Πανδιονίδος *φυλῆς,* Heſych. & Phavorin.

D

Ἁγνοῦς, *δῆμος ἐν τῇ* Ἀττικῇ, *τῆς* Δημητριάδος *φυλῆς. τινὲς δὲ τῆς* Ἀκαμαντίδος, *ἢ, ὡς* Φρύνιχος, *τῆς* Ἀτταλίας. *ἐκλήθη δὲ ἀπὸ τῆς ἐν αὐτῷ φυομένης ἄγνου. ὁ δημότης* Ἁγνούσιος, Stephan. Ἁγνοῦς, *δῆμός ἐστι φυλῆς τῆς* Ἀκαμαντίδος, *οὗ ὁ δημότης* (ſic lege pro *ἧς ὁ φυλέτης*) Ἁγνούσιος, Suidas & Harpocrat. & Phavorin. Ἁγνοῦς *τῆς* Ἀκαμαντίδος (ſic lege pro Ἁγνῶς *τῆς* Αἰολίδος, vel legendum *τῆς* Ἀτταλίδος) *φυλῆς δῆμος,* Heſych. Ἁγνούσιος, Demoſth. *in Macartat.* pag. 602. Æſchin. *in Cteſiphont.* pag. 282..

E

Ἀγραυλὴ, *δῆμος* Ἀθήνησι *τῆς* Ἐρεχθηΐδος *φυλῆς. τινὲς δὲ* Ἀγρυλὴ *γράφουσιν ἄνευ τοῦ α. θέλει δὲ τὸ α. ἀπὸ* Ἀγραύλου *τῆς* Κέκροπος *θυγατρός. ὁ δημότης* Ἀγρυλεὺς, *καὶ* Ἀγρυλῆθεν *ἐκ τόπου,* Stephan. Ἀγριαύλη, *δῆμος* Ἀττικὸς, Heſych. & Phavorin. Ἀγροίλη, *δῆμος τῆς* Ἐρεχθηΐδος *φυλῆς. ὁ δημότης* Ἀγροιλεὺς, *καὶ ἐπιρρηματικῶς τοπικὸν* Ἀγροιλῆθεν, Harpocrat. Ἀγροιλῆθεν, Ἀγροίλη, *δῆμός ἐστι φυλῆς* Ἐρεχθηΐδος. *ὁ δὲ δημότης πάλαι ἐλέγετο* Ἀγροιλεὺς, Suidas. Ἀγρύλη, *δῆμος τῆς* Ἐρεχθηΐδος *φυλῆς καὶ τῆς* Ἀτταλίδος, Heſych. poſt Ἀγρυξία, & Phavorin.

F

Vera igitur ſcriptura eſt Ἀγρυλὴ vel Ἀγραυλὴ, & Ἀγρυλεὺς, &c. Ἀγρύληθεν, Plutarch. *Antiphont. Rhetor.* p. 447. Ἀγραύληθεν, idem *Themiſtocle* p. 123.

Ἀζηνία, *δῆμος ἐν* Ἀττικῇ *τῆς* Ἱπποθοωντίδος *φυλῆς. ὁ δημότης* Ἀζηνιεὺς, Stephan. Ἀζηνία, *δῆμος* Ἱπποθοωντίδος *φυλῆς,* Heſych. Ἀζηνία, *δῆμος φυλῆς τῆς* Ἱπποθοωντίδος. *καὶ ὁ δημότης* (ſic lege pro *φυλέτης*) Ἀζηνιεὺς, Harpocrat. Ἀζηνία, *δῆμος* Ἱπποθοωντίδος, *ἀφ' οὗ ὁ δημότης* (ſic lege pro *ἧς ὁ φυλέτης*) Ἀζηνιεὺς *καὶ* Ἀζηνιεῖς, Suidas & Phavorin. Ἀζηνιεὺς, Æſchin. *in Cteſiph.* pag. 294. Ἀζηνιεὺς,

sed in margine Αξηνεὺς & Αζηνιεὺς, Demosth. *in Leptin.* p. 310. Αζlωεῖς, (lege Αζlωιεῖς) Strabo *l.* IX. p. 398.

Αθμονον, ὐδετέρως, δῆμος τῆς Κεκροπίδος. Τὸ ἐθνικὸν Αθμονεὺς, Stephan. Αθμονεὺς. Αθμονία, δῆμος ἐςὶ φυλῆς τῆς Κεκροπίδος· ἀφ' ὗ ὁ δημότης Αθμονεὺς, Harpocrat. Αθμονία, δῆμός ἐςι φυλῆς τῆς Κεκροπίδος, ἀφ' ὗ ὁ δημότης Αθμονεὺς, Suidas. Αθμονεὺς, Aristoph. *Pace* p. 636. & Scholiast. *ibid.* Δῆμος δέ ἐςιν Αθlωαίοις Αθμονέων. Αθμονῆς. Αθμονεῦσι, Pausan. *Attic.* Αθμονεὺς, φυλῆ τῆς Ατθίδος Αθlωᾶς. Αθμωνία, ϗ Αθμὼν, δῆμός ἐςι φυλῆς τῆς Κεκροπίδος, ἀφ' ὗ ὁ δημότης Αθμωνεὺς, Phavorin. Ασθμωνεὺς, Demosth. *in Neær.* p. 733. 734. lege Αθμονεύς. Per ω etiam legitur in Suida Porti, & in Harpocrat. ante Maussaci edit. Αρβήλȣ τȣ Αθμονέος, Strabo *l.* XIV. Αθμονοῖ, Isæus *de Philect. hæredit.*

Αἰγιλία, δῆμος τῆς Αντιοχίδος φυλῆς. ὁ δημότης Αἰγιλιεὺς, (sic lege pro Αἰγιαλεὺς) Stephan. Αἰγιλία, δῆμος Αντιοχίδος. ἧς ὁ δημότης Αἰγιλιεὺς, Suidas. Αἰγιλιεὺς, Demosth. *in Neær.* p. 733. 734. 735. Αἰγιαλεὺς, Demosth. *in Timoth.* p. 660. & *in Neær.* p. 744. l. Αἰγιλιεὺς. Αἰγινεῖς. Strabo *l.* IX. pag. 398. l. Αἰγιλιεῖς. Αἰγιλιεὺς, Υπερίδης. καὶ Αἰγιλία, δῆμος φυλῆς. Αντιοχίδος, ἔνθεν ὁ δημότης Αἰγιλεὺς, Harpocrat. Αἰγιαλία, & Αἰγιαλεὺς est in Phavor. perperam.

Αἰθαλίδαι, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς, ἀπὸ Αἰθαλίδȣ. ϗ ὁ δῆμος Αἰθαλίδης. οἱ δὲ Αἰθαλεῖς τὰς δημότας, Stephan. Αἰθαλία. δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς, Hesych. Αἰθαλείδης. δῆμός ἐςιν Αἰθαλεῖδαι τῆς Λεοντίδος φυλῆς. ȣ ὁ δημότης (sic lege pro ἧς ὁ φυλέτης) Αἰθαλείδης, Suidas. Αἰθαλίδαι, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς, Harpocrat. Αἰθαλίδης, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς, Phavorin.

Αἰξωνὴ, δῆμος Κεκροπίδος φυλῆς ὀξυτόνως, ὡς εἰθισαι πολλῶν τῶν δήμων. ϗ ὁ δημότης Αἰξωνεὺς, Stephan. *in* Αἰξωνία. Αἰξωνὶς, δῆμός ἐςι φυλῆς Κεκροπίδος, Suidas, & Phavorin. & Harpocrat. Αἰξωνεῖς. Ισαῖος ἐν τῷ πρὸς Μέδοντα περὶ χωρίȣ, Harpocrat. Αἰξονεὺς, Aristoph. *Vesp.* p. 494. Απὸ δήμȣ τῆς Πανδιονίδος φυλῆς, ἢ τῆς Κεκροπίδος, Schol. *ibid.* Αἰξωνεῖς, Strabo *l.* IX. pag. 398. Αἰξονεὺς, Demosth. *in Neær.* p. 729. 731. Αειξενεὺς, Plutarch. *Lycurg. Rhet.* p. 453. Εξωνεὺς, Demosth. *in Polycl.* p. 672. lege ubique Αἰξωνεύς. Αἰξωνεύεσθαι, τὸ κατηγορεῖν βλασφημȣ̃ντα. μετῆκται δὲ ἀπὸ τȣ̃ δήμȣ τῶν Αἰξωνέων. βλάσφημοι γὰρ κωμῳδȣ̃νται, Suidas: vide & Harpocrat.

Αλαὶ, δύο δῆμοι τῆς Αττικῆς, Hesych. Αλαὶ Αραφlωίδες, ϗ Αλαὶ Αἰξωνίδες, δῆμοι, ὁ μὲν τῆς Αἰγηΐδος. ὁ δὲ Αιξωνεὺς τῆς Κεκροπίας φυλῆς. ἑκατέρȣ δὲ ὁ δημότης αὐδᾶ τȣ̃ι Αλαεὺς, Stephan. Αλὰς Αραφηνίδας οἰκήσασα, Callimach. *Hymno in Dian.* v. 173. Αλαὶ ζωνίδες, Schol. Callimachi, l. Αἰξωνίδες. Euripid. *Iphig. in Tauris* . v. 1450. seqq.

Χῶρός τίς ἐςιν Ατθίδος ——

—— Αλάς νιν ȣ̓μὸς ονομάζει λεώς.

Αλαιεὺς ὄνομα δήμȣ, Suidas, & Phavorin. & Harpocrat. sed δημότȣ edidit Maussacus pro δήμȣ. Αλαιεὺς, Demosth. *in Olympiod.* p. 650. & *in Conon.* p. 692. & Εφέσ. p. 711. Αλιεῖς, Suidas *in* Αζlωιεύς. Αλιεῖς οἱ Αἰξωνικοὶ, Strabo *l.* IX. p. 398. lege Αλαεὺς & Αλαεῖς.

Αλιμȣ̃ς, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Αλιμȣ́σιος, Stephan. & Phavorin. Αλιμȣ́σιος. Αλιμȣ̃ς, δῆμός ἐςι τῆς Λεοντίδος, Suidas. Αλιμȣ̃ς, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς, ϗ οἱ δημόται Αλιμȣ́σιοι, Harpocrat. Αλιμȣ́σιοι, Demosth. Εφέσ. p. 713. Strabo *l.* IX. p. 398. Pausan. *Attic.* Αλιμȣ́ντάδε, Aristoph. *Avib.* p. 564. Δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς, Schol. p. 565. Απὸ τῶν ἐκεῖσε ἁλῶν dictum scribit Etymologus.

Αλωπέκη, δῆμος τῆς Αντιοχίδος φυλῆς. ὁ δημότης Αλωπεκεύς. τὰ τοπικὰ Αλωπεκῆθεν, &c. Stephan. Αλωπεκὴ, δῆμος Αντιοχίδος φυλῆς, Hesych. Αλωπεκῆθεν. δῆμός ἐςιν ἡ Αλωπεκὴ τῆς Αντιοχίδος. ϗ ὁ δημότης Αλωπεκεὺς, Suidas. Αλωπεκαὶ δῆμος τῆς Αντιοχίδος. ὁ δὲ δημότης Αλωπεκεὺς, ϗ Αλωπεκῆθεν, Harpocrat. Αλωπεκὴ, δῆμος τῆς Αντιοχίδος. ὁ δὲ δημότης Αλωπεκεύς. ϗ Αλωπεκῆθεν. πόθεν δὲ ὠνομάσθησαν, Φιλόχορος ἐν τρίτῳ δηλοῖ, Phavorin. Αλωπεκῆθεν, Demosth. *in Meid.* p. 353. Plutarch. *Antiphont. Rhet.* p. 447. Diogen. Laert. lib. II. *Socrat.* φυλῆς μὲν lῶ Αντιοχίδος, τȣ̃ δὲ δήμȣ Αλωπεκῆθεν, Plutarch. *Aristide* init. Αλωπεκῆθεν, idem *Themistocle* fin.

Αμαξάντεια, δῆμος τῆς Ιπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Αμαξαντιεὺς, Stephan. Αμαξαντία, δῆμος τῆς Ιπποθοωντίδος φυλῆς, Hesych. Αμαξαντεία, δῆμος τῆς Ιπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης (sic lege pro φυλέτης) Αμαξαντεὺς, Harpocrat. & Phavorin.

Αμφιτρόπη, δῆμος τῆς Αντιοχίδος φυλῆς. ὁ δημότης Αμφιτροπαιεὺς, Stephan. Αμφιτροπὴ, δῆμος τῆς Αντιοχίδος φυλῆς, Hesych. & Phavorin. Αμφιτροπῆσιν, Æschin. *in Timarch.* p. 184.

Αναγυρȣ̃ς, δῆμος Ερεχθηΐδος φυλῆς, ὁ δημότης Αναγυρȣ́ντοθεν. λέγεται ϗ Αναγυράσιος, Stephan. Δῆμός ἐςιν Αναγυρȣ̃ς τῆς Ερεχθηΐδος φυλῆς, ἀφ' ȣ̃ (sic lege pro ἧς) ὁ δημότης Αναγυράσιος, Suidas & Phavorin. & Harpocrat. Scholiast. Aristoph. in *Lysistr.* p. 839. ὁ Αναγυρȣ̃ς, δῆμος Αἰαντίδος, ἀφ' ȣ̃ Αναγυράσιος, Phavorin. Αναγοράσιος, δῆμος τῆς Αττικῆς, Hesych. Αναγοράσιος, Demosth. *de Corona* p. 148. Plutarch. *Demost.* p. 454. Pausan. *Attic.* Strabo *l.* IX. p. 398. Æschin. *in Ctesiph.* p. 290.

Ανακαία, δῆμος τῆς Ιπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Ανακαιεὺς, Stephan. Ανακαιᾶσιν δῆμος φυλῆς Ιπποθοωντίδος ἡ Ανάκαια, Suidas & Harpocrat. Δῆμος φυλῆς Ιπποθοωντίδος ἡ Ανακαία, (sic lege pro Ανακαίασις) Phavorin.

Ανάφλυςος, δῆμος τῆς Αντιοχίδος φυλῆς, ἀπὸ Αναφλύςȣ ἥρωος. ὁ δημότης Αναφλύςιος, Stephan. Αναφλύςȣ δήμȣ, Herodot. *l.* IV. Αναφλύςιοι, δῆμος τῆς Αντιοχίδος, Phavorin. Αναφλύςιος, Demosth. *de Corona* p. 148. Aristoph. *Ran.* p. 232. & in *Concion.* p. 752. Æschin. *in Ctesiphont.* p. 290. Αναφλύςιαι, Ανάφλυςον, Strabo *l.* IX. p. 398. Αναφλύςιοι. Ανάφλυςος δῆμος τῆς Αντιοχίδος. ἔνιοι δὲ ὡς πόλεως τῆς Αναφλύςȣ μνημονεύȣσιν, Harpocrat.

Απολλωνιεῖς, δῆμος προςεθεὶς τῇ Ατταλίδι φυλῇ. ὁ δημότης Απολλωνιεὺς, Stephan. Απολλωνιεῖς, δῆμος φυλῆς τῆς Αττικῆς, Hesych. & Phavorin. Nomen accepisse videtur ab Apolloniade Cyzicena, Attali uxore, Attali & Eumenis Regum matre.

Αραφlωὴ, δῆμος Αἰγηΐδος φυλῆς, ὁ δημότης Αραφήνιος, Stephan. Αραφήνιος, δῆμος Αἰγηΐδος, Suidas. Αραφlωάδε, Demosth. *in Macart.* p. 610. Αραφήνιος. Ισαῖος ἐν τῷ κατ' Ελπαγόρȣ ϗ Δημοφάνȣς. δῆμός ἐςι φυλῆς τῆς Αἰγηΐδος, Harpocrat. & Phavorin.

Ατlωὴ, δῆμος Αντιοχίδος φυλῆς. Φρύνιχος δὲ τῆς Αἰολίδος (forte Αἰαντίδος vel Ατταλίδος) φησίν. ὁ δημότης Ατηνεύς. Διονύσιος Ατηνίαν τὸν δῆμον, Steph.

Αφιδνα, δῆμος Αττικῆς ϗ Λεοντίδος φυλῆς, ἀπὸ Αφίδνȣ αὐτόχθονος. ὁ δημότης Αφιδναῖος, Stephan. Εςι δ' Αφιδνα δῆμος Αττικῆς, Λεοντίδας φυλῆς, Schol. Demosth. *in Neær.* p. 727. Αφιδνα, δῆμος τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς, Hesych. Αφυδνα, Strabo *l.* IX. p. 396. Αφιδναῖος, Demost. *in Neær.* p. 732. & *in Lacrit.* p. 551. Dinarch. *in Demosth.* p. 95. Plutarch. *Demost. Rhet.* p. 453. Αφνιδαῖος, Demost. *in Meid.* pag. 345. 349. & *in Stephan.* p. 624. l. Αφιδναῖος.

Αχάρνα, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Αχαρνεὺς, ϗ Αχαρνίτης, ϗ Αχαρνικὸς, Stephan. Αρχάρνη, δῆμος τῆς Αττικῆς, Hesych. Αχαρναὶ, χωρίον μέγιςον τῆς Αττικῆς, τῶν δήμων καλȣμένων, Thucyd. *l.* II.

p. 113. Ἀχάρναι δὲ παλαίφατον Εὐάνορες, Pindar. *Nem.* ode 11. ὀγδ. IV. Ἀχαρνεὺς, Demosth. *in Steph.* p. 622. Plutarch. *Lycurgo Rhet.* p. 453. Æschin. *in Ctesiphont.* p. 294. Ἀχαρνεῦσι, Ἀθήνηθεν, Suidas.

Ἀχερδοῦς, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Ἀγηρδούσιος, Stephan. Ἀγερδούσιος, Demosth. *in Meid.* p. 336. Κοίλης Ἀχέρδου, Sophocl. *Oed. Colon.* v. 1591.

Ἀχραδοῦς, δῆμος τῆς Ἀττικῆς. ὁ δημότης Ἀχραδούσιος, Stephan. Ἀχραδούσιος, Aristoph. *Concion.* p. 734. sed forte Aristophanes levi mutatione ludens pro Ἀχερδούσιος dixit Ἀχραδούσιος, παρὰ τὴν ἀχράδα: quæ vox *pyrum sylvestrem* significat.

Βατὴ, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. τὸ ἐθνικὸν ἐπιρρηματικῶς Βατῆθεν, Stephan. Βατῆθεν (sic lege pro Βατιῆθεν) ἐκ δήμου Βατῆς τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς, Hesych. Βατῆθεν, Plutarch. *Lycurgo Rhet.* p. 452. 453. Βατία, δῆμος φυλῆς τῆς Αἰγηΐδος. —— τὸ ἐθνικὸν Βατιεὺς, Phavorin.

Βερενικίδα, δῆμος τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς. ἀπὸ Βερενίκης τῆς Μάγα θυγατρὸς, γυναικὸς δὲ Πτολεμαίου ὠνομάσθησαν Βερενικίδαι οἱ δημόται, Stephan. Βερονικίδαι, δῆμος Πτολεμαΐδος φυλῆς, Hesych. & Phavorin.

Βουτάδαι, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Βουτάδης, Stephan. Δῆμός ἐστι τῆς Οἰνηΐδος Βουτία, (Βουτεία Harpocrat.) ἀφ' ἧς Βουτάδαι οἱ δημόται, Suidas & Phavorin. Βουτάδαι, δῆμός ἐστι τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς, ἀφ' ἧς οἱ δημόται, Etymol. magn. Supple e Suida. Βουτάδαι γένος Ἀθήνησιν, ἀπὸ τῆς Βούτου γενεᾶς, Hesych. Βουτάδης, Plutarch. *Lycurgo Rhet.* p. 452.

Βραυρὼν, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἀπὸ Βραύρωνος ἥρωος, Stephan. Βραυρὼν τόπος τῆς Ἀττικῆς, Schol. Demosth. Hesych. Suidas & Phavorin. Βραυρὼν, Strabo *l.* IX. p. 399. Βραυρώνιος, Aristoph. *Lysistrat.* p. 877. Βραυρωνόθεν, Demosth. *in Conon.* p. 691.

Γαργηττὸς, πολις καὶ δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Γαργήττιος, Stephan. Γαργηττὸς, δῆμος Ἀθήνησι τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς, Hesych. & Phavorin. Γαργήττιος, Diogen. Laert. *l.* X. *Epicur.*

Δαιδαλίδαι, δῆμος Κεκροπίδος φυλῆς. ὁ δημότης Δαιδαλίδης, Stephan.

Δειράδες, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Δειραδιώτης, Stephan. Δειρατιώτης, δῆμός ἐστι τῆς Λεοντίδος Δειράδες. ἀφ' οὗ ὁ δημότης Δειρατιώτης, Suidas, l. Δειραδιώτης. Δειραδιώτης, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς Δειράδες. ἀφ' οὗ ὁ δημότης Δειραδιώτης, Harpocrat. & Phavorin.

Δεκέλεια, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Δεκελειεὺς, Stephan. Δεκέλεια, τόπος, Suidas. Δεκέλεια, Strabo *l.* IX. p. 396. Δεκελεὺς, Demosth. *in Calipp.* p. 679.

Διόμεια, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς, ἀπὸ Διόμου, ἐρωμένου τοῦ Ἡρακλέους, Scholiast. Aristoph. *Ran.* p. 243 & Suidas. Διόμεια οὐδετέρως, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Διομιεὺς, Stephan. Διομιεῖς, δῆμος Ἀθήνησιν ἀπὸ τοῦ Διόμου τοῦ Κολύττου (sic lege pro Κολύπτου) παιδὸς, Hesych. Phavorin. Διομιεὺς, Plutarch. Ψηφίσμ. p. 538. Διομειαλαζόνας, Aristoph. *Acharn.* p. 399. Καλεῖ δὲ οὕτως ἀπὸ Διομείων τοῦ δήμου, ὃς ὠνόμασται οὕτως ἀπό τινος Διόμου, Suidas *in* Πανοῦργος.

Εἰρεσίδαι, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Εἰρεσίδης, Stephan.

Ἐκάλη, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Ἐκάλιος, Stephan. vide *in* Κεφαλαί.

Ἐλαιεὺς, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς, ὡς Διονύσιος, Διόδωρος δ' Ἐλαιοῦς. ἀφ' οὗ ὁ δημότης Ἐλαιούσιος, Stephan.

Ἐλεεῖς, δῆμος τῆς Ἀττικῆς. ὠνόμασται δ' ἀπὸ τῶν ἐν αὐτοῖς ἑλῶν. ἑλώδης γὰρ ὁ τόπος, Etymol. magn.

Ἐλευσὶς, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Ἐλευσίνιος, Stephan. vide in *Eleusiniis*. Ἐλευσίνιος, Demosth. *in Leochar.* p. 613. 615 617. & in *Calipp.* p. 681.

Ἐπιεικίδαι, δῆμος τῆς Κεκροπίδος φυλῆς. ὁ δημότης Ἐπιεικίδης, Stephan.

Ἐπικηφισία, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Ἐπικηφίσιος, Stephan.

Ἐρεχθία, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Ἐρεχθιεὺς, Stephan. Ἐρεχθιεὺς, Plutarch. *Isocrat. Rhet.* p. 449.

Ἐρίκεια, δῆμος Ἀθήνησιν Αἰγηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Ἐρικειεὺς, Stephan.

Ἑρμος, δῆμός ἐστι τῆς Ἀττικῆς, φυλῆς Ἀκαμαντίδος. ὥς φησι Διόδωρος ἐν τῷ περὶ Δήμων. Διονύσιος δὲ ὁ τοῦ Τρύφωνος ἐν τῷ περὶ Ὀνομάτων φησὶν, ὡς ἔοικεν οὐδέτερον εἶναι τὸ δήμου ὄνομα τὸ Ἑρμος, ὡς τὸ Ἑρπος. Ζώπυρος δὲ ἐν τοῖς περὶ Ποταμῶν Ἑρμον φησὶν εἶναι ἐν τῇ Ἀττικῇ, καὶ δῆμον ὁμώνυμον αὐτῷ, Harpocrat. sic & Suidas. Ἑρμος ἢ Ἑρμοὶ, δῆμος Ἀττικῆς, καὶ ποταμὸς Λυδίας, Hesych. & Phavorin.

Ἑροιάδαι, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Ἑροιάδης, Stephan. Ἑροιάδαι, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς, Hesych. & Phavorin. Ἑροιάδαι δῆμός ἐστι τῆς Ἱπποθοωντίδος, ὥς φησι Διόδωρος, Harpocrat. Εὐροιάδης, Demosth. *in Neær.* p. 732. Εὐειάδης, idem *ibid.* p. 735.

Ἐρχεια, δῆμος φυλῆς τῆς Αἰγηΐδος, Hesych. Ἐρχεία, δῆμός ἐστι φυλῆς τῆς Αἰγηΐδος, ὥς φησι Διόδωρος, Phavorin. Ἐρχιεὺς, Demosth. *in Neær.* p. 738. & *in Leptin.* p. 310. Æschin. *de fals. legat.* p. 255. & *in Ctesiphont.* p. 294 Diogen. Laert. *l.* II. *Xenophont.* Suidas *in* Ἀζηνιεὺς. Ἀρχιεὺς, Stephan. *in* Ἀζηνία.

Εὐπυρίδαι, δῆμος Λεοντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Εὐπυρίδης, Stephan. Εὐπυρίδαι, δῆμος καὶ τόπος Ἀθήνησιν, Hesych. & Phavorin.

Εὐωνυμία, ἐστὶ καὶ δῆμος Ἀθηναίων, ἀπὸ Εὐωνύμου. — ὁ δημότης Εὐωνυμεὺς, Stephan. Εὐώνυμον, δῆμος φυλῆς τῆς Ἐρεχθηΐδος, Hesych. Εὐωνυμεὺς, Æschin. *in Timarch.* p. 178. Plutarch. *Lycurgo Rhet.* pag. 453. Εὐώνυμοι. Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Φιλοκράτους. δῆμός ἐστι τῆς Ἐρεχθηΐδος, ὥς φησι Διόδωρος, Harpocrat. & Phavorin.

Ἐχελίδαι, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἀπὸ Ἐχέλου ἥρωος. ὁ δημότης Ἐχελίδης, Stephan. Δῆμος τῆς Ἀττικῆς Ἐχελίδαι, ἀπὸ τοῦ κειμένου ἕλους τῷ τόπῳ, ἐν ᾧ ἵδρυται τὸ τοῦ Ἐχέλου ἄγαλμα, παρὰ τὸ ἕλος ἔχειν Ἔχελος, καὶ Ἐχελιδῶν δῆμος ἀπὸ Ἐχέλου, Etymolog. magn.

Ἡφαιστία, δῆμος Ἀκαμαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Ἡφαιστιάδης, Steph. Ἡφαιστιάδαι, Ἀθηναῖοι, Hesych.

Θημακοὶ, δῆμος τῆς Ἐρεχθηΐδος φυλῆς. ὡς δὲ Φρύνιχος, τῆς Πτολεμαΐδος. ὁ δημότης Θημακεὺς, Stephan. Θημακεὺς. Ἀνδοκίδης ἐν τῷ περὶ Μυστηρίων, δῆμός ἐστι φυλῆς τῆς Ἐρεχθηΐδος Θήμακος, ὥς φησι Διόδωρος, &c. Harpocrat.

Θοραὶ, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς. ὁ δημότης Θορεὺς, Stephan. Θόραι, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος, ὥς φησι Διόδωρος, Harpocrat. & Phavorin. Θόραι, δῆμος Ἀντιοχίδος, Etymol. magn. Θορεὺς, Plut. *Andocid. Rhet.* p. 448. l. Θορεὺς. Ὠρεεῖς, Strabo *l.* IX. p. 398. l. Θορεῖς. Μετὰ Θορέας, idem *ibid.*

Θορικὸς, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Θορίκιος καὶ Θορικεὺς, Stephan. Θορικὸν etiam vocat Xenoph. Ἑλλην. l. I. p. 337. Θόρικος, Strabo *l.* IX. p. 398. Θόρικος, (sic lege & hic, & in Etymol. mag. pro Θόρυκος) δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς. ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Θορίκου, Hesych. Θόρικος. Ἰσαῖος ἐν τῷ κατὰ Ποσιδίππου. δῆμός ἐστι τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς. ὡς ὁ αὐτὸς Διόδωρός φησιν, &c. Harpocrat. & Phavorin. Θορίκιος, Demosth. *in Meid.* p. 353. & *in Bœot.* p. 577. Θορικίου Πέτρου, Sophocl. *Oedip. Colon.* v. 1590. Θορικοῦ etiam meminit Herodotus *l.* IV.

Θρία, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς. λέγεται καὶ Θριώ. ὁ δημότης Θριάσιος, Stephan. Θριάσιον πεδίον, καὶ ὁμώνυμος αἰγιαλὸς καὶ δῆμος, Strabo *l.* IX. p. 395. Θριάσιος, Demosth. *in Lacrit.* p. 551. & *in Spud.* pag. 590. Plutarch. *Demost. Rhet.* p. 454. Diogen. Laert. l. IV. *Cratet.* Θριάσιαι πύλαι, οὕτω καλοῦνται Ἀθήνησιν, Hesych.

Θυμαιτάδαι, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Θυμαιτάδης, Stephan. Θυμαιτάδαι, δῆμος Ἱπποθοωντίδος, ἀπὸ Θυμοίτου ἥρωος, Suidas. Θυμαιτίδα, Ariſtoph. *Veſp.* pag. 512. Ἀπὸ δήμου τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς, ἀπὸ Θυμοίτου ἥρωος. μήποτε δὲ γραπτέον Θυμοιτίδα, Schol. Ariſtoph. pag. 513. Θυμαιτάδης, Demoſth. *in Lacrit.* p. 551. Θυμοιτάδαι, Suidas *in* Δραχαρνεῦ. Θυμοιτάδαι, δῆμος Ἱπποθοωντίδος, ἀπὸ Θυμοίτου τοῦ ἥρωος ὀνομασθεὶς, ὥς φησι Διόδωρος, Harpocrat.

Θυργωνίδαι. Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Νικοκλέα. Νίκανδρος ὁ Θυατειρηνὸς ἐν τῷ περὶ τῶν δήμων μετέθηκε, φησιν ἐξ Αἰαντίδος Ἀφιδναῖοι, Περιθοΐδαι, Τιτακίδαι, Θυργωνίδαι. Φησὶ δὲ καὶ Δημήτριος ὁ Σκήψιος ἐν δευτέρα διακόσμου, τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς τὸν δῆμον εἶναι, Harpocrat. Θυργωνίδαι, δῆμος Πτολεμαΐδος φυλῆς, Suidas. Θυργωνίδης, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, Heſych. & Phavorin.

Ἰκαρία, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς, ἀπὸ Ἰκάρου τοῦ πατρὸς Ἠριγόνης. ὁ δημότης Ἰκαριεὺς, Stephan. Ἰκαριεὺς, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς, Suidas & Phavorin. Ἰκάριος, δῆμος Ἀθήνησι, φυλῆς Αἰγηΐδος, Heſych. Ἰκαριεὺς, Demoſth. *in Conon.* p. 692. Ἰκαριεύς. Ἰσαῖος ἐν τῷ κατ' Ἐλπαγόρου καὶ Δημοφάνους, δῆμός ἐστι φυλῆς τῆς Αἰγηΐδος, ὥς φησι Διόδωρος, Harpocrat.

Ἱπποταμάδαι, δῆμος Οἰνηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Ἱπποταμάδης, Stephan.

Ἰτέα, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Ἰτεαῖος, Stephan. Ἰτεαῖος. Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Νικίου. δῆμός ἐστι τῆς Ἀκαμαντίδος Ἰτέα. ἀφ' ἧς ὁ δημότης Ἰτεαῖος, ὥς φησι Διόδωρος, Harpocrat. Ἰτέα, πόλις, ἀφ' ἧς ὁ δημότης Ἰτεαῖος, Phavorin. ſed pro πόλις ſcribe δῆμος.

Ἰωνίδαι, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Ἰωνίδης, Stephan. Ἰωνίδης ἀπὸ δήμου. εἰσὶ γάρ τινες Ἰωνίδαι φυλῆς Αἰγηΐδος, Heſych.

Κειριάδαι δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Κειριάδης, Stephan. Κειριάδαι, δῆμος φυλῆς Ἱπποθοωντίδος, Heſych. & Phavorin. Κειριάδης, Ἱπποθοωντίδος, Suidas. Κιριάδης, Demoſth. *in Neær.* pag. 732. Κειριάδης. Ἰσαῖος ἐν τῇ πρὸς Βοιωτόν. &c. Ὅτι Κειριάδαι δῆμός ἐστι τῆς Ἱπποθοωντίδος. εἴρηκε Διόδωρος ἐν τῷ περὶ τῶν δήμων, Harpocrat.

Κεραμὶς, δῆμός ἐστι φυλῆς τῆς Ἀκαμαντίδος ἡ Κεραμίς. εἴληφε δὲ τοὔνομα ἀπὸ τῆς κεραμικῆς τέχνης, καὶ τοῦ θύειν Κεράμῳ τινὶ ἥρωϊ, Suidas. Κεραμεῖς. Ὑπερίδης ἐν τῷ ὑπὲρ Ξενοφίλου πρώτῳ, δῆμός ἐστι φυλῆς τῆς Ἀκαμαντίδος Κεραμεῖς, ὥς φησι Διόδωρος. φησὶ δὲ Φιλόχορος ἐν τῇ τρίτῃ εἰληφέναι τούτους τοὔνομα ἀπὸ τῆς κεραμικῆς τέχνης, καὶ τοῦ θύειν Κεράμῳ τινὶ ἥρωϊ, Harpocrat. Κεραμῆς, Ariſtoph. *Ran.* p. 263. οἱ τὸ Κεραμικὸν οἰκοῦντες. δῆμος δὲ Ἀθηναίων, Schol. Ariſtoph. p. 264. Κεραμεικὸς τόπος Ἀθήνησιν, &c. ἔστι δὲ καὶ δῆμος Κεραμεικὸς, Suidas. Τὸ χωρίον Κεραμεικός. τὸ μὲν ὄνομα ἔχει ἀπὸ ἥρωος Κεράμου, Pauſan. *Attic.* p. 5. Ἐκ Κεραμέων, Demoſth. *in Leptin.* p. 310. & *in Neær.* p. 733. Æſchin. *in Cteſiphont.* p. 208.

Κεφαλὴ, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος, ἀφ' ἧς ὁ δημότης λέγεται Κεφαλῆθεν, Phavorin. Κεφαλῆσι, Pauſanias *Attic.* Κεφαλῆθεν. Demoſth. *in Neær.* p. 735. bis. & pag. 736. bis. in margine pag. 735. γρ. Ἐκαλῆθεν. Κεφαλῆθεν. Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Καλυδῶνα ἐπιτροπῆς. Κεφαλὴ, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος, ἀφ' ἧς ὁ δημότης λέγεται Κεφαλῆθεν, καθά φασι Διόδωρος, Harpocrat. Κεφαλίδαι γένος Ἀθήνησιν, Heſych.

Κιττοὶ, δῆμος τῆς Λεοντίδος, Suidas. & Phavorin. Ἐκ Κεδῶν, Demoſth. *in Euerg.* pag. 638. forte Κιττῶν. Κιττεὺς, Demoſth. *in Lacrit.* pag. 550. forte Κιττεύς. Κιττοί. Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Νικίου ἀργίας. δῆμός ἐστι τῆς Λεοντίδος, ὡς Διόδωρος ὁ περιηγητής φησι, Harpocrat.

Κηφισιεύς. Ἰσαῖος ἐν τῷ κατ' Ἐλπαγόρου καὶ Δημοφάνους. δῆμός ἐστι τῆς Ἐρεχθηΐδος φυλῆς. ὡς αὐτὸς (Diodorus) φησι, Harpocrat. Κηφισιεὺς, Demoſth. *in Neær.* p. 732. Κηφισιεὺς, Demoſth. *in Conon.* p. 689. Κηφισιεῖς, γένος Ἰθαγενῶν, Heſych. Κηφισιᾶσιν, Æſchin. *in Timarch.* p. 184.

Κικυννα, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς, Schol. Ariſtoph. *Nubib.* p. 131. Κικυννεῖς, idem *ibid.* pag. 135 Κικυνεῖς, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς, Heſych. Κικίνης perperam legitur apud eundem. Κικυννόθεν, Ariſtoph. *Nubib.* p. 131.

Κοθωκίδαι, δῆμος, Stephan. in Βουτάδαι, & Heſych. & Phavorin. Κοθωκίδης, Demoſth. *de Corona* pag 148. Plutarch. *Æſchin. Rhet.* pag. 451.

Κοιλὶς, δῆμος Ἀττικῆς, Heſych. & Phavorin. forte Κοίλη. Ἀρχῖνος ὁ ἐκ Κοίλης, Æſchin. *in Cteſiphont.* p. 302.

Κολυττὸς, ὄνομα δήμου, Heſych. & Phavorin. Κολυττεὺς (ſic lege) ὁ δῆμος τῆς Αἰγηΐδος, Suidas. Κολυττεὺς, Demoſth. *de Corona* p. 148. Dinarch. *in Demoſth.* p. 102. Plutarch. *Hipperide Rhet.* pag. 456. Diogen. Laert. *l.* III. *Plat.* Κολυττεύς. Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχου. δῆμός ἐστι τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς Κολυττὸς, Harpocrat.

Κολωνὸς ἦν τῷ δήμῳ, Schol. Ariſtoph. *Avib.* p. 589. Τὸν δῆμον ἦν ἐκ Κολωνοῦ. Euphronius apud Schol. *d. l.* Κολωνῆθεν, Demoſth. *in Neær.* pag. 735. bis. Σοφοκλῆς Σοφίλου Κολωνῆθεν, Suidas. Sophocl. *Oedip. Colon.* v. 57. ſeqq.

—— οἱ δὲ πλησίοι γύαι
Τόνδ' Ἱππότην Κολωνὸν εὔχονταί σφισιν
Ἀρχηγὸν εἶναι, καὶ φέρουσι τοὔνομα
Τὸ τοῦδε κοινὸν πάντες ὠνομασμένοι.

Τὸ τοῦ Κολωνοῦ ὄνομα κοινὸν φέρουσι πάντες, ὠνομασμένοι Κολωνιᾶται δηλονότι, Scholiaſt. Sophoclis. Euripid. *Phœniſſ.* v. 1700. ſeq.

Ποῦ, τίς σε πύργος Ἀτθίδος προσδέξεται;
Ἱερὸς Κολωνὸς, δώμαθ' ἱππείου Θεοῦ.

Κονθύλη, δῆμος Ἀττικῆς τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς, ἢ Πανδιονίδος, Scholiaſth. Ariſtoph. *Veſp.* p. 445. & Phavorin. Κονθυλεὺς, Ariſtophanes *d. l.*

Κορύδαλλος, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Κορυδαλλεὺς, Stephan. Κορυδαλλὸς, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἢ Κόρυδος παρ' ἐνίων, Heſych. Ὁ δῆμος οἱ Κορυδαλεῖς, Strabo *l.* IX. p. 395. Κορυδαλὸς, εἶδος ὀρνέου, καὶ δῆμος τῆς Ἀττικῆς, Phavorin.

Κριῶα, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος. ὁ δημότης Κριωεὺς, Stephan. Κριωεὺς, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος Κριῶα, Suidas & Harpocrat. ex Diodoro ἐν τῷ περὶ τῶν δήμων. Κριώοθεν (ſic lege pro) Κριόθεν) ἀπὸ δήμου. ἔστι γὰρ Κριωεὺς (ſic lege pro Κριωθεὺς) δῆμος φυλῆς τῆς Ἀντιοχίδος, Heſych. & Phavorin. Κριωέως, Demoſth. *in Phænip.* p. 596. Κρισέως Demoſth. *in Leochar.* pag. 613. in margine Κρισοέως, lege Κριωέως.

Κρωπία, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. Φρύνιχος δὲ Κρωπιάδα φησίν. Ἀνδροτίων δὲ Κρωπάς φησι τὸν δῆμον. ὁ δημότης Κρωπίδης, Stephan. Κρώπια, τόπος. Κρωπίδαι, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς, οὓς Ἀριστοφάνης παίζων ἐναλλαγῇ τοῦ ρ΄. στοιχείου εἰς τὸ λ΄. εἶπεν Κλωπιδῶν, (*Equit.* p. 292.) Phavorin. Τὸ δ' ἐν Κλωπιδῶν, ἐναλλαγὴ πάλιν στοιχείου τοῦ ρ. εἰς τὸ λ΄. Κρωπίδαι γὰρ δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς, Scholiaſt. Ariſtoph. *d. l.*

Κυδαθήναιον, ὁ δῆμος τῆς Πανδιονίδος φυλῆς. ὁ δημότης Κυδαθηναιεὺς, Stephan. Κυδαθηναῖος δῆμος τῆς Πανδιονίδος φυλῆς ἐν ἄστει, Heſych. & Phavorin. Κυδαθηναιεὺς, δῆμός ἐστι φυλῆς τῆς Πανδιονίδος τὸ Κυδαθήναιον, ἀφ' οὗ ὁ δημότυς Κυδαθηναιεὺς, ἢ Κυδαθηναῖος, Suidas. Κυδαθηναιεύς. Ὑπερίδης

ἐν τῷ ὑπὲρ τοῦ Ἱππέως κλήρου. Κυδαθήναιον, δῆμός ἐστι φυλῆς. Πανδιονίδος, ἀφ' οὗ ὁ δημότης Κυδαθηναιεὺς, Harpocrat. Κυδαθηναιεὺς, Demosth. *in Stephan.* pag. 622. & *in Neær.* pag. 731. 744. & *in Timocrat.* pag. 468. Æschin. *in Timarch.* pag. 186. Aristophan. *Vesp.* pag. 494. Scholiast. ejusdem. Κυδαθήναιος, Plutarch. *Andocid. Rhet.* p. 448.

Κυδαντίδαι, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. ὡς δὲ Φρύνιχος, Πτολεμαΐδος. ὁ δημότης Κυδαντίδης, Stephan. Κυδαντίδης, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος Κυδαντίδαι, Suidas. Κυδαντίδαι, δῆμος τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς, Hesych. & Phavorin. Κυδαντίδης, Demosth. *in Neær.* pag. 744. Dinarch. *in Demosth.* p. 99. Κυδαντίδης. Ὑπερίδης ἐν τῷ πρὸς Πολυεύκτου. δῆμός ἐστι τῆς Αἰγηΐδος Κυδαντίδαι, Harpocrat.

Κύθηρος, δῆμος τῆς Πανδιονίδος φυλῆς. ὁ δημότης Κυθήριος, Stephan. Κύθηρος δῆμος τῆς Πανδιονίδος φυλῆς, Hesych. & Phavorin. Κύθηρον, δῆμος τῆς Πανδιονίδος, Suidas. Κυθήραδε, Demosth. Κυθήριος. Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Φαίνιππον. Κύθηρον, δῆμος τῆς Πανδιονίδος, ἀφ' οὗ ὁ δημότης λέγεται Κυθήριος, Harpocrat.

Κυνόσαργες, γυμνάσιον ἐν τῇ Ἀττικῇ, καὶ δῆμος. ὁ δημότης, καὶ τὸ ἐκ τόπου, ἐκ Κυνοσάργους, Stephan. Κυνοσάργους meminerunt etiam Hesychius, Harpocration, Phavorinus & Suidas: neque tamen δῆμον vocant: videantur ipsi.

Κυρτιάδαι, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς, Hesych.

Κωλυπὲς, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος, Suidas. Κωλυπὲς, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς, Phavorin.

Λακιάδαι, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Λακιάδης. ἀναγράφεται ὁ δῆμος Λακία. καὶ ὁ δημότης Λακιεὺς, Stephan. Λακιάδαι, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, Hesych. & Phavorin. Λακιάδης, Demosth. *in Neær.* p. 735.

Λαμπραὶ, δῆμος τῆς Ἐρεχθηΐδος, Suidas. Λαμπρεὺς, Demosth. *in Timocrat.* p. 467. & *in Neær.* p. 732. 733. Λαμπρέα, Λαμπρεῦσι, Pausan. *Attic.* Λαμπυρεῖς, Strabo *l.* IX. p. 398. l. Λαμπρεῖς. Λαμπτρεῖς. Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Κάλλιππον. Λαμπραὶ, δῆμος τῆς Ἐρεχθηΐδος, ὡς Διόδωρος φησι, δύο δέ εἰσι Λαμπτραὶ, αἱ μὲν παράλιαι, αἱ δὲ καθύπερθεν. Ἀριστοφάνης Ἀμφιάρεῳ. Λαμπτρεὺς ἔγωγε τῶν κάτω, Harpocrat. ubique sine τ scribendum puto, ut in Phavorino.

Λευκονοεὺς, δῆμος τῆς Λεοντίδος οἱ Λευκόνοι; Suidas. Λευκονιεὺς, δῆμος τῆς Λεοντίδος, Phavorin. Λευκονοιεὺς. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Ἀφόβου. Λευκόνοιον, δῆμος τῆς Λεοντίδος, ὡς Διόδωρος φησι, Harpocrat. Λευκονοεὺς, Demosth. *in Lacrit.* p. 549. Plutarch. *Demosth. Rhet.* pag. 455. bis. Λευκωνοεὺς, philochorus apud Schol. Aristoph. *Avib.* p. 589. & Suidam *in* Μέτων, item Stephanus *in* Φύλον. Λευκωνιεὺς, Phrynichus apud Schol. Aristoph. *d. l.*

Λουσία, τῶν Ὑακίνθου θυγατέρων μία. ἀφ' ἧς ὁ δημότης Οἰνηΐδος φυλῆς Λουσιεὺς, Stephan. Λουσία, ἀφ' οὗ οἱ δημόται Λουσιεῖς. καὶ Λουσιεὺς δῆμός τῆς Οἰνηΐδος, Suidas. Λούσιος, δῆμος Οἰνηΐδος, Hesych. Λουσιεῖς (sic lege Λυσιεῖς) δῆμος φυλῆς Οἰνηΐδος, Hesych. Λουσιεὺς. Ὑπερίδης ἐν τῷ πρὸς τὴν Δημαίου γραφήν. Δῆμός ἐστι τῆς Οἰνηΐδος Λουσία, ἀφ' ἧς ὁ δημότης Λουσιεὺς, ὡς Διόδωρος φησι, Harpocrat. Λουσιλεὺς perperam editum est in Phavorino.

Μαραθὼν, δῆμος ὢν ἐκείνης (Αἰαντίδος) τῆς φυλῆς, Plutarch. *Sympos.* I. §. 10. Μαραθὼν, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. καὶ Μαραθώνιος, Stephan. Μαραθὼν, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, Hesych. Strabo *l.* IX. p. 399. Δῆμός ἐστι Μαραθὼν, Pausan. *Attic.* Μαραθώνιος, Demosth. *de Corona* p. 162.

Μελαινεῖς, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς. Καλλίμαχος δὲ Μελαινάς φησι τὸν δῆμον κεκλῆσθαι. ὁ δημότης ὁμοίως Μελαινεὺς, Stephan.

A Μελίτη, δῆμος Οἰνηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Μελιτεὺς, Stephan. Μελίτη. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Κόνωνος. (pag. 689.) δῆμος ἐστι τῆς Κεκροπίδος. κεκλῆσθαι δὲ φησι τὸν δῆμον Φιλόχορος ἐν τρίτῃ, ἀπὸ Μελίτης, &c. Harpocrat. Μελίτη, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, Phavorin. Μελιτεὺς Κάπρος, τὸν γὰρ δῆμον Μελιτεύς ἐστι, Hesych. & Phavorin. Μελιτεὺς, Demosth. *in Neær.* p. 733. 734. & Ἐφέσ. p. 711. (sed in margine Μελιττεὺς) 715. Suidas *in* Ἀπαίδευτοι, Μελυττεὺς, Plutarch. *Lycurg. Rhet.* p. 453.

B Μυρρινοῦς, δῆμος τῆς Πανδιονίδος φυλῆς. ὁ δημότης Μυρρινούσιος, Stephan. cum duplici ρ scribe. Μυρρινοῦς δῆμος ἐν Ἀττικῇ μυρρίνας ἔχων, Schol. Aristoph. *Pluto* p. 62. & Phavorin. Μυρρινοῦς, Strabo *lib.* IX. pag. 399. Μυρρινοῦντι, Μυρρινουσίοις, Pausan. *Attic.* Μυρρινούσιος, Demosth. *in Meid.* pag. 344. Æschin. *in Timarch.* p. 184. Plutarch. *Isocrat. Rhet.* p. 449. Diog. Laert. *l.* IV. *in Speusippo*.

Ξυπέτη, δῆμος Κεκροπίδος φυλῆς. ὁ δημότης Ξυπεταιών. τὸ τοπικὸν, ἐκ Ξυπεταιώνων. —— Φιλόχορος δὲ Ξυπετέωνον τὸν δῆμόν φησι. διὰ τοῦ ω, καὶ τοῦ ο ἐν τέλει, Stephan. Ξυπετέα, δῆμος τῆς Κεκροπίδος φυλῆς, Hesych. & Phavorin. Ξυπεταιωνεὺς, δῆμος τῆς Κεκροπίδος Ξυπεταίη, ἀφ' οὗ ὁ δημότης Ξυπεταιὼν,

C Suidas. Ξυπεταιὼν, Demosth. *in Neær.* p. 731. Ξυμπεταιὼν, Demosth. *in Lacrit.* p. 551. Ἐξ ὑπαιτέων, Demosth. *in Lacrit.* p. 549. l. Ξυπεταιών. Ξυπεταίονες. ὑπερίδης κατ' Ἀρχεστρατίδου. δῆμος τῆς Κεκροπίδος Ξυπέτη, ἀφ' ἧς ὁ δημότης Ξυπεταίων, ὡς Διόδωρος, Harpocr.

Ὄα, δήμου τῆς Ἀττικῆς, τῆς Πανδιονίδος φυλῆς. Διονύσιος δὲ ὁ τοῦ Τρύφωνός φησι τὸ πληθυντικὸν Ὄεις λέγεσθαι αὐτὰς, ὡς καὶ ἄλλα πολλά. Ὁ μέν τοι δημότης Ὄαθεν λέγεται, Stephan.

Ὄη. ἔστι δὲ Ὄη τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Ὄηθεν, Stephan. Ὄη, δῆμός Ἀττικῆς, Hesych. &

D Phavorin.

Οἶηθεν. δῆμος Πανδιονίδος Οἴη. (sic lego ex Harpocrat. pro Οἰείη) καὶ τὸ Οἴηθεν τοπικὸν ἐπίρρημα. Φιλόχορος δὲ τὴν Οἴην φησὶ Κεφάλου μὲν θυγατέρα εἶναι, Χαρίππου δὲ γυναῖκα, Suidas. Οἴηθεν, Diog. Laert. *l.* IV. *Polemon.* Οἴηθεν. Ἰσαῖος, ἐν τῷ κατ' Ἐλπαγόρου καὶ Δημοφάνους. Δῆμος τῆς Πανδιονίδος ἡ Οἴη, ὡς Διόδωρος. Οἴηθεν δὲ ἐν τόπῳ ἐπίρρημα, Harpocrat.

Οἶναι, οἱ μὲν τῆς Ἀτταλίας, οἱ δὲ τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς εἶναι, Hesych. sic & Phavorinus, nisi quod corrupte in eo pro Ἀτταλίας editum sit Ἰταλίας.

Οἰνόη, Ἀττικός ἐστι τῆς Ἀττικῆς, Suidas. Οἰνόη (sic

E lege pro Οἰνέη) καὶ Οἰναῖος. Ὑπερίδης ἐν τῷ πρὸς Ἀριστογείτονα, Harpocrat. Οἰνόη, ὁ μὲν (sic lego ex Harpocrat. pro καὶ Οἰνέως) δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος πρὸς Ἐλευθεράς. ὁ δὲ τῆς Αἰαντίδος, πρὸς Μαραθῶνα. ἀφ' ἑκατέρου δὲ τῶν δήμων ὁ δημότης Οἰναῖος, (sic lege pro Οἰνέως) Suidas & Harpocrat. Οἰναῖοι τὴν χαράδραν. παροιμία τιθεμένη ἐπὶ τῶν ἑαυτοῖς κακόν τι προσελκομένων. φησὶ δὲ Δήμων, ὅτι τῆς Ἀττικῆς ἐστι τόπος Οἰνόη, Hesych. & Phavorin. Lapsus vero est Strabo, cum utrumque hunc Δῆμον vocat Οἰνώνην, *l.* VIII. pag. 375. Ὠνομάζετο, inquit, δ' Οἰνώνη (Ægina) παλαι, ὁμώνυμος δυσὶ δήμοις τῆς Ἀττικῆς,

F τῷ τε πρὸς Ἐλευθεραῖς,

—— Οἰνώνης
Σύγχορτα ναίειν πεδία, τῶν τ' Ἐλευθεραῖς.

καὶ μιᾷ τῶν ἐκ Τετραπόλεως, τῆς περὶ Μαραθῶνα, καθ' ἧς ἡ παροιμία, Οἰνώνη τὴν χαράδραν. Οἰνώνην quidem appellatam esse Æginam constat: at Οἰνόην δῆμον dici ipse Strabo testis est

lib. eodem p. 383. Itaque in verſu, ut omnia conſtent, lege Οἰνόν.

Οἶον, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. Ἐξ Οἴου, Stephan. Οἶον. δῆμοί εἰσιν ἐν τῇ Αττικῇ (διττοὶ, Harpocrat.) ὀυδετέρως λεγόμενοι. ἔστι δὲ τὸ μὲν Κεραμικὸν Οἶον τῆς Λεοντίδος φυλῆς. τὸ δὲ Δεκελεικὸν τῆς Ἱπποθοωντίδος. (ὡς Διόδωρος, Harpocrat.) οἱ δὲ δημόται ἑκατέρωθεν ἐλέγοντο ἐξ Οἴου. ἄλλοι δὲ ἦσαν οἱ λεγόμενοι Οἴηθεν, Suidas & Harpocrat. Ἐξ Οἴου, Demoſthenes *in Macartat.* pag. 602. Ἐξ Οἴνου, idem *ibidem* pag. 604. in margine ἐξ ἴσου, lego ἐξ Οἴου. Οἶον. Ισαῖος ἐν τῷ περὶ τῆς ποιήσεως, Harpocrat.

Οξυωνεὺς, Demoſth. *in Leochar.* p. 613. Ἐγγεγράφθαι εἰς τοὺς Οξυωνεῖς, ὄντα ἐξ ἑτέρου δήμου. —— ἀπεγράψατο Οξυωνεὺς εἶναι, ἐν Ἐλευσινίοις δημοτευόμενος, Demoſth. *in Leochar.* p. 617.

Παιανίδαι, δῆμός ἐστιν οὗτος Λεοντίδος, Suidas. ὡς αὐτὸς Διόδωρος δηλοῖ, Harpocr.

Παιανιεῖς καὶ Παιανίδαι. Δῆμοι διττοί εἰσι Παιανιέων τῆς Πανδιονίδος φυλῆς, ὡς Διόδωρος καλεῖσθαί φησι, Παιανιαίαν καθύπερθεν, καὶ Παιανιαίαν ὑπένερθεν. Τὸν δὲ δημότην ἑκατέρου δήμου καλεῖσθαι ὁμοίως Παιανιέα. διαφέρουσι δὲ οὗτοι τῶν Παιανιδῶν, (ὡς Ιστρος ἐν Ἀτάκτῳ ὑποσημαίνει, Harpocrat.) Suidas & Harpocrat. Apud utrumque perperam legitur Παιονίδαι. Παιανιέα, ἀπὸ δήμου τῆς Αττικῆς, Heſych. Παιανιεὺς, Demoſth. *de Corona* p. 150. Æſchin. *in Cteſiphont.* p. 198. Plutarch. *Demoſth.* p. 453. Diog. Laert. *l.* v. *Lycon.*

Παλλήνη, δῆμος τῆς Αντιοχίδος. ὁ δὲ δημότης Παλληνεὺς, Suidas & Harpocrat. Ἐστι δὲ καὶ δῆμος Αττικὸς τῆς Αντιοχίδος φυλῆς οὕτω λεγόμενος Παλλήνη. ὁ δημότης Παλληνεὺς, Stephan. Οἱ Παλληνεῖς, δῆμός ἐστι τῆς Αττικῆς, Schol. Ariſtoph. *Acharn.* pag. 383. & Phavorin. Παλληνεὺς, Demoſth. *in Leochar.* pag. 614. Παλλήναδε, Ariſtophan. *Acharn.* pag. 382. Πελληνεὺς, Plutarch. *Antiphon. Rhet.* pag. 447. l. Παλληνεύς. Παλληνεύς. Ὑπερείδης ἐν τῇ ὑπὲρ Χαιρεφίλου ἀπολογίᾳ, Harpocrat.

Παμβωτάδης, δῆμος Αττικὸς Ερεχθηίδος φυλῆς. ὁ δημότης Παμβωτάδης, Stephan. Παμβωτάδες, Παμβῶται, δῆμος τῆς Ερεχθηίδος, Suidas. Παμβωτάδεις. Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Νικόστρατον. Παμβωτάδαι, τῆς Ερεχθηίδος δῆμος, Harpocrat. & Phavorin.

Πειραιεὺς, δῆμος Ἱπποθοωντίδος φυλῆς ὁ δημότης Πειραιεὺς, Stephan. Ὁ Πειραιεὺς, καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς δήμοις ταττόμενος, Strabo *l.* IX. p. 395. Πειραιεὺς, Demoſth. *in Lacrit.* p. 548. Δῆμος τῶν ἐκ Πειραιῶς, Demoſth. *in Timocrat.* p. 467. Ὁ ἐκ Πειραιῶς, idem *in Apatur.* pag. 535. Παραιεὺς non tantum λιμὴν, ſed & ἐμπόριον τῶν Αθηναίων dicitur Phavorino.

Πεντέλη, δῆμος Αντιοχίδος φυλῆς. ὁ δημότης Πεντεληθεὺς, Stephan. Πεντέληθεν ἀπὸ Πεντέλης πόλεως, Suidas.

Περγασὴ ὀξυτόνως, δῆμος τῆς Ερεχθηίδος φυλῆς. ὁ δημότης Περγασεὺς, Stephan. Περγασῆθεν. δῆμος ἡ Περγασὴ τῆς Ερεχθηίδος. τὸν μέντοι δημότην διχῶς λέγεσθαί φασι, Περγασέα τε καὶ Περγασῆθεν, Suidas. Περγάση, δῆμος τῆς Ερεχθηίδος, Phavorin.

Περιθοῖδαι, δῆμός Οἰνηίδος φυλῆς. ὁ δημότης Περιθοίδης, Stephan. Περιθοῖδαι, δῆμος τῆς Οἰνηίδος φυλῆς, Heſych. Περιθοῖδαι, δῆμος τῆς Οἰνηίδος φυλῆς. ἀπὸ Πειρίθου, τοῦ Ἰξίονος, Suidas. Ab eodem Pirithoo Athenienſes χώραν peregrinis Græcis & in primis Theſſalis apud ſe aſſignatam vocarunt Περιθίδα, Suidas. Περιθοῖδαι. Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Πολυκλέα. δῆμος ἐστι τῆς Οἰνηίδος, Harpocr. Περιθοῖδαι. δῆμος φυλῆς τῆς Οἰνηίδος, Phavorin.

Περρίδαι, δῆμος τῆς Αντιοχίδος φυλῆς. ὁ δημότης ἐκ Περριδῶν, Stephan. Περρίδαι, τῆς Αττικῆς δῆμος ἐν Αφίδναις, Heſych. & Phavorin.

Πήληκες, δῆμος Λεοντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Πήληξ, Stephan. Πήληξ, δῆμος τῆς Λεοντίδος, Suidas. Αρχίδημος ὁ Πήληξ, Æſchin. *in Cteſiphont.* pag. 294. Δῆμός ἐστι τῆς Λεοντίδος Πήληκες, ὥς φησι Διόδωρος ὁ Περιηγητὴς, Harpocrat. & Phavorin.

Πίθος, ὁμωνύμως τῷ ἀγγείῳ, δῆμος τῆς Κεκροπίδος φυλῆς. ὁ δημότης Πιθεὺς, Stephan. Πιτθεὺς, Πιτθέως, δῆμος τῆς Κεκροπίδος, Suidas. Πιτθεὺς, Demoſth. *in Lacrit.* p. 548. & *in Conon.* p. 692. Diog. Laert. *l.* II. *Socrat.* Πιτθεὺς, Πιτθέως. δῆμος τῆς Κεκροπίδος ἡ Πιτθὶς, Phavorin.

Πλωθεῖα, δῆμος τῆς Αἰγηίδος, καὶ ὁ δημότης Πλωθεὺς, Suidas, Harpocrat. & Phavorin. Πλωθεῖα, δῆμος Αἰγηίδος φυλῆς. ὁ δημότης Πλωθειεὺς καὶ Πλωθεὺς, Stephan. Πλωθεὺς, Demoſth. Εφέσ. p. 711.

Πόρος ἐστὶ δῆμος τῆς Ακαμαντίδος. ὁ δὲ δημότης Πόριος, Harpocrat. & Suidas. Ποριεῖς, δῆμος τῆς Ακαμαντίδος φυλῆς, Heſych. & Phavorin. Πόριος. Δημοσθένης ἐν τῇ πρὸς Εὐβουλίδην ἐφέσει, Harpocrat. & Suidas.

Ποταμοὶ, δῆμος τῆς Λεοντίδος. οὗ ὁ δημότης Ποτάμιος, Suidas. Ποταμὸς, δῆμος, &c. Harpocrat. & Phavorin. ut Suidas. Ποταμὸς, δῆμος οὕτω καλούμενος, ἐξ οὗ οἱ ἄνδρες Ποτάμιοι, Strabo *l.* IX. p. 398. Ποταμός. Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Νικίου ἀργίας, Harpocrat.

Πρασίαι, δῆμος Αθήνησι, Πανδιονίδος φυλῆς. ὁ δημότης Πρασιεὺς, Stephan. Πρασία, Strabo *l.* IX. p. 399. Πρασιάς. Πρασιαῖς. Πρασιεῦσι, Pauſan. *Attic.*

Προβάλινθος, δῆμος Πανδιονίδος φυλῆς. ὁ δημότης Προβαλίνθιος, Stephan. Προβαλείσιος, Demoſth. *in Neær.* p. 733. 744. Προβαλίσιος, Demoſth. *in Aphobum* α. p. 507. Προβαλλήσιος, Plutarch. *Æſchin. Rhet.* p. 451.

Πρόσπαλτα, δῆμος Ακαμαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Προσπάλτιος, Stephan. Πρόσπαλτα, δῆμος τῆς Ακαμαντίδος. Προσπάλτιος, Suidas. Προσπαλτίοις, Pauſan. *Attic.* Προσπάλτιος, Demoſth. *in Macartat.* p. 608. Προσπάλτιοι. Λυσίας ἐν τῷ περὶ Μακαρτάτου κλήρου. Πρόσπαλτα δῆμος τῆς Ακαμαντίδος, Harpocrat. Πρόσπαξος perperam editum eſt in Phavorino.

Πτελέα, δῆμος Οἰνηίδος φυλῆς. ὁ δημότης Πτελεάσιος, Stephan. Ἐστι δὲ καὶ Πτελέα δῆμος φυλῆς Αττικῆς, τῆς λεγομένης Οἰνηίδος. ἧς ὁ δημότης Πτελεάσιος, Phavorin.

Ραμνοῦς, δῆμος ἐν Αττικῇ, ἀπὸ τῶν ἐκεῖ φυομένων ῥάμνων. ἀφ' οὗ ὁ δημότης Ραμνούσιος, Schol. Ariſtoph. *Pluto* p. 62. Ραμνοῦς, δῆμος τῆς Αἰαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Ραμνούσιος, Stephan. Ράμνος, δῆμος Αττικῆς, ἐν ᾧ καὶ Αντιφῶν ἤκμασε κατὰ ῥητορικήν. λέγεται δὲ καὶ Παροιμία Ραμνούσιος, ἐπὶ τῶν σοφῶν καὶ ἐλλογίμων, Suidas. Ραμνοῦς, Strabo *l.* IX. pag. 399. Pauſan. *Attic.* Ραμνούσιος, Demoſth. *in Phænip.* p. 598. Æſchin. *in Timarch.* p. 192. Plutarch. *Antiphont. Rhet.* p. 446. Ελσὴν Ραμνουσίδι, Callimach. *Hymn. in Dian.* v. 232. Ραμνουσίας ἀκτάς. δῆμος ἐν τῇ Αττικῇ, ὅπου Νέμεσις τιμᾶται, Phavorin.

Σημαχίδαι, δῆμος Αττικὸς ἀπὸ Σημάχου. ἔστι δὲ τῆς Αντιοχίδος φυλῆς. Φιλόχορος δὲ τῆς Επακρίας (ſic lego pro Επακξίς) φησὶ τὸν δῆμον. ὁ δημότης Σημαχίδης, Stephan. Σημαχίδαι, δῆμος τῆς Αντιοχίδος φυλῆς, Heſych. & Phavorin.

Σκαμβωνίδαι, δῆμος Αττικὸς Λεοντίδος φυλῆς. τὰ τοπικὰ ἐκ Σκαμβωνιδῶν, Stephan. Σκαμβωνίδαι, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς, Heſych. & Phavorin.

Σκαμβωνίδης, Aristophan. *Vesp.* pag. 436. Ἀπὸ δήμου τῆς Λεοντίδος φυλῆς, Scholiast. Aristoph. Σκαμβωνίδων, Pausan. *Attic.* l. Σκαμβωνιδῶν. Σκαμωνίδαι, (l. Σκαμβωνίδαι) δῆμος τῆς Λεοντίδος, Suidas. Σκαμβωνίδαι. Λυκοῦργος ἐν διαδικασίᾳ Κροκωνιδῶν. ἔστι δὲ δῆμος τῆς Λεοντίδος, Harpocration.

Σούνιον, δῆμος Λεοντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Σουνιεὺς, Stephan. Ἀξιόλογος δῆμος Σούνιον, Strabo *l.* IX. pag. 398. Σούνιον, ἀκρωτήριον τῆς Ἀττικῆς. Σουνιεὺς, Σουνιεῖς, δῆμος, Hesych. Σουνιεὺς, Demosth. *in Meid.* pag. 535. Æschin. *in Timarch.* p. 179.

Σπόργιλος, δῆμος Ἀττικός. ὁ δημότης Σποργίλιος. Stephan.

Στείρεια, δῆμος Ἀττικὸς, Πανδιονίδος φυλῆς, θηλυκῶς καὶ οὐδετέρως. ὁ δημότης Στειριεὺς, Stephan. Στειριεῖς, δῆμος φυλῆς τῆς Πανδιονίδος, Hesych. & Phavorin. Στειρία, δῆμος τῆς Πανδιονίδος, ἧς ὁ δημότης Στειριεὺς, Suidas. Θρασύβουλον τὸν Στυρέα, Xenoph. *l.* IV. Ἑλλην. p. 422. l. Στειριέα, ut apud Æschin. *in Ctesiphont.* p. 302. Pro Σπειριεὺς l. Στειριεὺς, apud Æschin. *in Timarch.* p. 180. Στειρία, Strabo *l.* IX. p. 399. Στειριεύς. Ὑπερίδης κατ' Ἀρχεστρατίδου. δῆμος φυλῆς τῆς Πανδιονίδος Στειρία, Harpocr.

Συβρίδαι, δῆμος τῆς Ἐρεχθηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Συβρίδης, Stephan. Συβαριασμὸς, ὁ ἐν εὐωχίᾳ θόρυβος, τῆς Ἐρεχθηΐδος φυλῆς, Hesych. & Phavorin. manifestum est posteriora ad priora minime pertinere: distingue igitur post Θόρυβος, & insere Συβρίδαι vocem, a qua pendent quæ sequuntur.

Συπαληττὸς, δῆμος τῆς Κεκροπίδος φυλῆς. ὁ δημότης Συπαλήττιος, Stephan. Συπαλήττιος (sic lege pro Συπαλιτίττειος) δῆμος φυλῆς Κεκροπίδος, Hesych. & Phavorin.

Σφενδάλη, δῆμος Ἱπποθοωντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Σφενδαλεὺς, Stephan. Σφενδάλης, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, Hesych. & Phavorin.

Σφηττὸς, δῆμος Ἀκαμαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Σφήττιος, Stephan. Σφήττιοι, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς, Hesych. & Phavorin. Σφήττιος δῆμος, Suidas. Σφήττιος, Demosth. *in Lacrit.* pag. 548. Æschin. *in Timarch.* pag. 176. Diodor. Sicul. *l.* XV. pag. 386. Aristoph. *Nubib.* pag. 132. Ἀπὸ δήμου τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς, Schol. Aristoph. Σφήτιος, Demosth. *de Corona* pag. 171. & *in Meid.* pag. 341. 353. Σφηττοῖ. Δημοσθένης. τῆς Ἀκαμαντίδος ὁ Σφηττὸς, Suidas. Σφηττός. Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς δημότας περὶ χωρίου. Σφηττὸς, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος, Harpocrat. sed σφιττὸς utrobique perperam apud eum legitur.

Τίθρας, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Τιθράσιος, Stephan. Γοργόνες Τιθράσιαι, Aristoph. *Ran.* p. 234. Ἀπὸ δήμου τῆς Ἀττικῆς πονηροῦ. —— εἰσὶ δὲ ἀπὸ Τίθραντος τοῦ Πανδίονος παιδὸς ἐπώνυμοι. εἰς δὲ τὴν Αἰγηΐδα φυλὴν κατανενέμηνται, Schol. Aristoph. vide & Suidam.

Τιτακίδαι, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς. ἀπὸ Τιτάκου τοῦ προδόντος Ἀφίδνας τοῖς Διοσκούροις. ὁ δημότης Τιτακίδης ὁμοφώνως, Stephan. Τιτακίδαι. Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Νικοκλέα. δῆμος ἐστι τῆς Αἰαντίδος φυλῆς οἱ Τιτακίδαι, ὡς Νίκανδρος ὁ Θυατειρηνὸς ἐν τῷ περὶ τῶν δήμων δηλοῖ, Harpocrat. Phavorin.

Τρικόρυνθον οὐδετέρως Δίδυμος καὶ Διόδωρος. Διονύσιος ἀρσενικῶς, Εὐφορίων θηλυκῶς. ἔστι δὲ δῆμος τῆς Αἰαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Τρικορύσιος, Stephan. Τρικόρυθος, Strabo *l.* IX. p. 399.

Τρινεμεῖς, δῆμος τῆς Κεκροπίδος φυλῆς. ὁ δημότης Τρινεμεὺς, Stephan.

G.Tom.XI.

Τυρμίδαι, δῆμος Οἰνηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Τυρμίδης, Stephan. Τυρμίδαι, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος οἱ Τυρμίδαι, Suidas. Τυρμεῖδαι. Ὑπερίδης ἐν τῷ ὑπὲρ Ξενοφίλου, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος οἱ Τυρμεῖδαι, ὥς φησι Διόδωρος, Harpocrat.

Ὕβα. οὕτως ὁ δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. τινὲς δὲ τὸν δῆμον Ὑβάδαι λέγουσι. τὰ τοπικὰ, ἐξ Ὑβαδῶν, Stephan. Ὑβάδαι, δῆμός ἐστι τῆς Λεοντίδος, Suidas, & Phavorin. & Etymol. magn. Ὑβάδαι. Λυσίας ἐν τῇ περὶ τῆς Ὀνομακλέους θυγατρός. ἔστι δὲ δῆμος τῆς Λεοντίδος, Harpocrat.

Φάληροι, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος, ἀφ' οὗ ὁ δημότης Φαληρεὺς, Suidas. Φάληρον, δῆμος τῆς Ἀττικῆς, λέγεται δὲ καὶ ὁ δῆμος, καὶ ὁ δημότης Φαληρεύς. λέγεται δὲ καὶ Φαληραῖος, Stephan. Φάληρον. Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Λυσιθέου. Φάληρον, δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος, ἀφ' οὗ ὁ δημότης Φαληρεὺς, Harpocrat. Φαληρεῖς, δῆμος τῆς Αἰαντίδος φυλῆς, Phavorin. Φαληρεῖς, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς, Hesych. Φαληρεῖς, δῆμος ἐν τῇ ἐφεξῆς παραλίᾳ, Strabo *l.* IX. pag. 398. Φαληρεὺς, πολίτης ἐκ Φαλήρων. Φάληρον δὲ λιμὴν τῆς Ἀττικῆς, Suidas. Φαληρεὺς, πολίτης, Hesych. Φαληρεὺς, Demosthenes *de Corona* pag. 140. & *in Neær.* pag. 732. Diogenes Laertius, *l.* V. *Demetrio.*

Φηγαία, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Φηγαιεύς. ἔστι καὶ ἄλλος δῆμος τῆς Πανδιονίδος φυλῆς οἱ Φηγαιεῖς, Stephan. Φηγαιεὺς, δῆμος Αἰγηΐδος, Hesych. Φηγαιεῦσι, δῆμος τῆς Αἰαντίδος φυλῆς, Etymol. magn. & Suidas. Φηγαιεῦσι. Λυσίας ἐν τῷ περὶ τῶν ἰδίων εὐεργεσιῶν. Φηγαία, δῆμος τῆς Αἰαντίδος, ὥς φησι Διόδωρος, Harpocrat. sed perperam in eo legitur Φυγαιεῦσι & Φυγαιής.

Φηγοῦς, δῆμος Ἐρεχθηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Φηγούσιος, Stephan. Φηγοῦς, δῆμος τῆς Ἐρεχθηΐδος, Suidas, Etymol. magn. & Harpocrat. & Phavorin. Φηγούσιον, τὸ ἐκ Φηγοῦντος δήμου, Suidas citans Lysiam ἐν τῷ περὶ βατράχων φόνου.

Φιλαΐδαι, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς, ἀπὸ Φιλαίου τοῦ Αἴαντος υἱοῦ, καὶ Λυσίδης τῆς Κορωνοῦ, τοῦ Λαπίθου. ὁ δημότης Φιλαΐδης, Stephan. Γένους Φιλαϊδῶν. meminit Diog. Laert. *l.* X. in *Epicuro.* Δῆμον ἐπώνυμον Φιλαίου Ajacis filii τῶν Φιλαϊδῶν ἔχουσιν Athenienses, Plutarch. *Solone* pag. 83. Φιλαεῖδαι γένος Ἀθήνησιν, Suidas. Φιλιάται, Schol. Aristoph. *Avib.* p. 582.

Φλυΐα, δῆμος τῆς Κεκροπίδος. ὁ δημότης Φλυεὺς, Suidas. Φλυεῖς, δῆμος τῆς Κεκροπίδος φυλῆς. ὁ δημότης Φλυεὺς καὶ Φλυῆθεν, Stephan. Φλυεῖς, (sic lege pro Φλύεις) δῆμος τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς, Hesych. Φλυεὺς, Demosth. *de Corona* p. 138. 155. Aristoph. *Vesp.* p. 445. Φλυεῦσι, Pausan. *Attic.* Φλυεῖα. Ἰσαῖος ἐν τῷ περὶ τοῦ Κίρωνος κλήρου. Φλυεῖς δῆμος τῆς Κεκροπίδος. ἐκ τούτου δὲ τοῦ δήμου ἦν Εὐριπίδης ὁ τῆς Τραγῳδίας ποιητὴς, Harpocr. Φλυεία, δῆμος τῆς Κεκροπίδος, Etymol. magn. Φλυεῖς, δῆμος, &c. ut in Harpocrat. Phavorin.

Φρεάῤῥιος, δῆμος τῆς Λεοντίδος, Suidas. Φρεάῤῥοι, δῆμος Ἀθήνησι τῆς Λεοντίδος φυλῆς ἀπὸ Φρεάρου Ἀθήνησιν ἐπισήμου ἥρωος. ὁ δημότης Φρεάῤῥιος Stephan. Φρεάριοι, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς, Hesych. Φρεάριος, δῆμος τῆς Λεοντίδος, Phavorin. & Etymol. magn. Φρεάῤῥιος. Δημοσθένης ὑπὲρ Κτησιφῶντος. ἔστι δὲ δῆμος τῆς Λεοντίδος, Hapocrat. Φρεαρίου τὸν δῆμον ἐκ τῆς Λεοντίδος φυλῆς, Plutarch. *Themistocle* init.

Φυλὴ, δῆμος Οἰνηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Φυλάσιος, Stephan. Φυλὴ δὲ δῆμος Ἀττικῆς, καὶ οἱ ἐνοικοῦντες Φυλάσιοι, Schol. Aristoph. *Pluto* pag. 110. Φυλὴ δῆμός ἐστι τῆς Οἰνηΐδος, Suidas. Φυλὴ, ὄνομα δήμου παρ' Ἀθηναίοις, idem. Ἀπὸ Φυλῆς, Aristoph. *Acharn.* pag. 420. Ὄνομα δήμου, Schol. Aristoph. Ἦν δὲ ἡ Φυλὴ, χωρίον τῆς Ἀττικῆς, καὶ ὄνομα τόπου, καὶ

Φυλάσιοι οἱ ἐνοικοῦντες, Suidas. Δῆμος τῆς ἀπὸ Φυλῆς, Demosth. *in Timocrat.* p. 467. Φυλή. Ἰσοκράτης ἐν τῷ περὶ τῆς εἰρήνης. Φυλή, δῆμος ἐστὶ τῆς Οἰνηΐδος, Harpocrat. Φυλάσιοι, οἱ ἐκ τοῦ δήμου. καλεῖται δὲ ἔτω καὶ Φυλή τις, Hesych. Φυλάσιοι, οἱ ἐκ τοῦ δήμου τῆς Φυλῆς. Φυλὴ γὰρ δῆμος τῆς Οἰνηΐδος, Etymol. magn. Φυλάσιος, Aristoph. *Acharn.* p. 420. Μὴ μνησικακήσῃς, εἰ σὺ Φυλὴν κατέλαβες, Aristoph. *Pluto* p. 109. vide Scholiast. explicantem hoc proverbiale de Thrasybulo, qui, occupata Phyle, acceptisque illic auxiliaribus, Tyrannorum XXX. potestatem dissolvit, & quia arrogantius loquebatur, audivit, μὴ μνησικακήσω. Φυλασιμος (l. Φυλάσιος, ὁ ἐκ τοῦ δήμου, Suidas.

Χόλαργος. ἔτω Δίδυμος καὶ Διόδωρος. Διονύσιος δὲ Χολάργοι. ἐστὶ δὲ δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Χολαργεύς, Stephan. Χολαργεῖς, δῆμος φυλῆς Ἀκαμαντίδος, Hesych. Χολαργέων. Χολαργεῖς, δῆμος τῆς Ἀττικῆς. ἡ εὐθεῖα Χολαργεύς, Suidas. Χολαργεύς, Demosth. *in Bœot.* p. 582. & Ἐφέσ. p. 715. Æschin. *in Timarch.* p. 179. Χολαργέων, Aristoph. *Acharn.* p. 412. δῆμος Ἀττικῆς οἱ Χολαργεῖς τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς, Schol. Aristoph. Χολαργεύς. Ἰσαῖος ἐν τῷ περὶ τοῦ Κήρωνος κλήρου. δῆμος τῆς Ἀττικῆς Χολαργία, τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς, Harpocrat. Χολαργεῖς, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς. καὶ Χολαργία, καὶ Χολαργεύς, Phavorin. Τῶν μὲν φυλῶν Ἀκαμαντίδης, τῶν δὲ δήμων Χολαργεύς, Plutarch. *Pericle.*

Χολλίδαι, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. ὁ δημότης Χολλίδης, Stephan. Χολλίδης, Demosth. *in Conon.* p. 689. Aristoph. *Acharn.* p. 391. Χολλίδης, δῆμος τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς, Schol. Aristoph. Χολλεῖδαι, δῆμος τῆς Λεοντίδος, Suidas. Χολεῖδαι. Λυσίας. Δῆμος τῆς Λεοντίδος, Harpocrat. l. Χολλίδαι.

TETRAPOLITÆ.

Tetrapolis Atticæ quatuor Δήμους & quatuor urbes comprehendebat, Oenoen, Probalinthum, Tricorythum, Marathonem. Hæc prius vocabatur Ὑττηνία, Stephan. vide in *Erechtheus.* Duplicem Tetrapolin faciunt Suidas & Etymol. magn. vide in *Cecrops.*

ELEUSINII.

Eleusis Heroes, Mercurii & Dairæ Oceano genitæ filius, urbi Eleusini nomen dedit. Alii Ogygi filium eum fuisse dicunt: nam prisci Eleusinii, cum ad nullam fere ætatem hominum suas origines habeant referre, multis cum alia fingendi, tum quæ de Heroum familiis prodita sunt, locum dedere, Pausan. *Attic.* p. 71. Ὠνομάσθη δὲ ἡ πόλις Ἐλευσὶς ἀπὸ Ἐλευσινίου τοῦ Ἑρμοῦ, Harpocration, & Suidas. Alii ἀπὸ τῆς ἐλεύσεως, *ab adventu,* deducunt. Ἐλευσὶν δῆμος Ἀττικὸς, διὰ τὸ τὴν Δημήτερος ἔλευσιν, ὅτι ἐκεῖ ἐλθοῦσα, εὗρε τὴν Κόρην, Etymol. magn. Ἃ δ' εἰς τὸ μέσον ποιηταὶ, καὶ λογοποιοὶ, καὶ συγγραφεῖς πάντες ὑμνοῦσι, Κόρην τὴν Δήμητρος ἀφανῆ γενέσθαι χρόνιον ἐστιν ὄν. Δήμητραν δ' ἐπέρχεσθαι γῆν πᾶσαν καὶ θάλατταν, ζητοῦσαν τὴν θυγατέρα, τέως μὲν οὐχ οἷόν τε εἶναι εὑρεῖν. Ἐλθοῦσαν δ' εἰς Ἐλευσῖνα, τήν τ' ἐπωνυμίαν ποιῆσαι τῷ τόπῳ, καὶ τὴν Κόρην εὑροῦσαν ποιῆσαι τὰ μυστήρια, Aristid. *Eleusin.* Alii ab advecto aliunde frumento. Τὸν γὰρ τόπον, τὸν ἐξ ἀρχῆς δεξαμένον τὴν δωρεὰν ταύτην Ἐλευσῖνα προσαγορεύειν ἀπὸ τοῦ παρ' ἑτέρων ἐλθεῖν τὸ σπέρμα τοῦ σίτου κομισθέντος, Diodor. *l.* v. p. 336. Κατοικῆσαι δὲ τὴν Ἐλευσῖνα ἱστοροῦσι πρῶτον μὲν τοὺς αὐτόχθονας. εἶτα Θρᾶκας τοὺς μετ' Εὐμόλπου παραγενομένους πρὸς βοήθειαν εἰς τὸν κατ' Ἐρεχθέως πόλεμον, Schol. Sophocl. *Oed. Colon.* Ἐλευσὶν πόλις —— ἐν ᾗ τοῖς δήμοις καταριθμεῖται ἡ πόλις, Strabo *l.* IX. p. 395.

Celeus Eleusine regnavit: quo tempore Triptolemus erat, qui, ut ait Philochorus, navi longa ad urbes appellens, frumentum distribuit: homines vero suspicati fuere navem alatum serpentem fuisse: & quidem aliquid figuræ ejus habuit, Euseb. *Chron. Can.* ad an. DCXI. Hinc Ἐλευσῖνα πόλιν Κελεοῖο vocavit Nonnus. Cererem Eleusine suscepit Celeus, quæ in Atticam venerat, Apollodor. *l.* III. p. 131. β. vide & *l.* I. p. 8. β. Triptolemus Celei F. a Cerere agriculturam homines docere jussus fuit, Pausan. *Attic.* p. 25. Diodor. *lib.* V. pag. 336. Etymol. magn. Nonn. *Dionys.* *l.* XIX. v. 80.

—— ὅτι ζαθέαις ἐν Ἀθήναις
Καὶ Κελέος ξείνισσε βίου παμμήτορα Δηώ
Τριπτολέμῳ σὺν παιδὶ καὶ ἀρχαίῃ Μετανείρῃ,
Καὶ σφισι καρπὸν ὄπασσεν, ὅτε χθονὸς αὔλακα νείφων
Τριπτόλεμος σπόρον εὗρε φερεσταχύων ἐπὶ δίφρων.

Eleusinii, Eumolpo socio, contra Athenienses bellum gesserunt, Thucyd. *lib.* II. p. 110. Πολέμου ἐνστάντος πρὸς Ἀθηναίους καὶ Ἐλευσινίους ἐπικληθεὶς (ὁ Εὔμολπος) ὑπὸ Ἐλευσινίων μετὰ πολλῆς συνεμάχει Θρᾳκῶν δυνάμεως, Apollod. *l.* III. p. 134. α. Is Eumolpus filius Neptuni & Chiones, Boreæ & Orithyiæ genitæ fuisse fertur, Apollod. *ibidem.* Pausan. *Attic.* p. 70. Commissa pugna Erechtheus Atheniensium Rex cecidit: Eleusinii Immaradum Eumolpi F. amiserunt. Arma inde his conditionibus posita, ut Eleusinii se suaque omnia cætera in Atheniensium potestatem traderent: initia ipsi tanquam propria retinerent: ac ut Cereri & Proserpinæ Eumolpus & Celei filiæ sacra facerent, Pausan. *Attic.* p. 71. Quidam ajunt Eumolpum invenisse mysteria, quæ quotannis Eleusine fiunt Cereri & Proserpinæ; sed Androtion ait non primum Eumolpum, sed ab eo quintum ea invenisse: Eumolpi enim filium fuisse Cerycem: Cerycis Eumolpum: Eumolpi Antiphemum: Antiphemi Musæum Poetam: Musæi Eumolpum, qui ea initia docuerit, & sacerdos fuerit, Schol. Sophocl. *Oed. Colon.* Homerus *Hymno in Cererem* recenset eos, qui initia a Dea docti sint:

Δεῖξεν Τριπτολέμῳ τε, Διοκλεῖ τε πληξίππῳ,
Εὐμόλπου τε βίῃ, Κελεῷ θ' ἡγήτορι λαῶν,
Δρησμοσύνην ἱερῶν, καὶ ἐπέφραδεν ὄργια πᾶσιν.

Pausan. *Corinth.* p. 110. Eleusinia initia veteres Græci religione quanta non alia quævis sacra sanxerunt, tantoque augustiora duxerunt, quanto Dii Heroibus præstant, Pausan. *Phocic.* p. 670. De iis sacris scribere se prohibitum, visa per somnum specie, ait Pausan. *Attic.* p. 26. & 71. Vide de his sacris Ἑορτολόγιον Petri Castellani.

Celei filias iisdem nominibus Pamphus & Homerus appellant, Diogeneam, Pammeropen, Sæsaram. Ex Eumolpi vero filiis natu minimus Ceryx patri superstes fuit: quem tamen Κήρυκες ex Aglauro Cecropis filia & Mercurio, non Eumolpo procreatum dicunt, Pausan. *Attic.* p 71. Κήρυκες θεῖον γένος νομιζόμενοι. ἐδόκουν γὰρ καταγέσθαι ἀπὸ Κήρυκος τοῦ Ἑρμοῦ, ὃς ἐκ Πανδρόσου ἐγεννήθη αὐτῷ, θυγατρὸς Κέκροπος, Eustath. *in Iliad.* A. Sæsaram Croconi, qui eum agrum tenuit, qui trans Rhetos dictus fuit Βασιλεία Κρόκωνος, nupsisse memorant Athenienses, Pausan. *Attic.* p. 70.

Eleusinem, quam tum Megarenses tenebant, dicitur Theseus, circumvento per fraudem ejus præfecto Diocle, occupasse, ac Scironi necem intulisse. Eleusine quoque Cercyonem Arcadem lucta victum necavit Theseus, Plutarch. *Theseo.*

ELEUTHERIENSES.

A

Eleutherienses Atticam olim & Bœotiam dirimebant. Sed posteaquam Eleutherienses in Atheniensium potestatem venerunt, Cithæron mons finis utriusque regionis haberi cœptus fuit. Attico vero nomini, non illi quidem bello subacti, se adjunxerunt, sed quod eam in primis Reip. formam, qua Athenienses utebantur, expetiverunt, quodque capitali in Thebanos odio semper laborarunt, Pausan. *Attic.* p. 72. Nomen habuerunt ab Eleuthere Apollinis & Æthusæ Neptuno genitæ filio. Ἐλευθεραὶ, πόλις Βοιωτίας, ἀπὸ Ἐλευθῆρος τοῦ Ἀπόλλωνος, Stephan. Vel quod

B

Bacchus, assertis in libertatem reliquis Bœotiæ urbibus, hanc ejus rei monumentum esse voluerit. Καὶ κατὰ μὲν τὴν Βοιωτίαν ἀποδιδόντα (Bacchum) τῇ πατρίδι χάριτας, ἐλευθερῶσαι πάσας πόλεις, καὶ κτίσαι πόλιν ἐπώνυμον τῆς αὐτονομίας, ἣν Ἐλευθερὰς προσαγορεῦσαι, Diodor. *l.* IV. p. 211. Equidem Eleutherem Bacchum vocatum scribit Plutarch. *Sympos. l.* VII. c. X. vel ab Eleuthere Lycaonis filio: quem cum fratre Lebado solum immunem fuisse sceleris in Jovem commissi, adeoque in Bœotiam fugisse, scribit Plutarch. *Quæst. Græc.* XXXIX.

C

Quidam ajunt Eleutheras nomen accepisse, quod quidam imprudentes Jovis abatum ingressi, ab Arcadibus Phliasiis traditi, & a Phliasiis Megarensibus, Megaris vero Thebas deportati circa Eleutheras, aquis & tonitru & aliis ostentis, ceu numine aliquo afflati fuerint, Plutar. *Quæst. Græc.* XXXIX.

OROPII.

Oropus urbs Bœotiæ, Stephan. Nominis originem hanc affert Ulpianus *in Demosth. de Pace* p. 40. Ἐκ τοῦ ὤρος, ὃ σημαίνει ὄνομα κύριον, καὶ τοῦ ὤψ, ὠπὸς, τοῦ σημαίνοντος τὸν ὀφθαλμόν. ἐν αὐτῷ γὰρ τόπῳ οἱ τοῦ Ὤρου ὦπες ἀπεβλήθησαν. ὡσαύτως καὶ Ὠρωπία χώρα, καὶ Ὠρώπιος ὁ ἐξ αὐτῆς. Oropii νέμονται τὴν γῆν τὴν Πειραϊκὴν καλουμένην, Thucyd. *l.* II. p. 115. Γραϊκὴν pro Πειραϊκὴν perperam legitur apud Stephanum. Erant tamen Oropii Ἀθηναίων ὑπήκοοι, Thucyd. *lib.* II. p. 114. Athenienses de Oropo cum Bœotis dimicarunt, Pausanias *Attic.* pag. 64.

D

Oropum eripuerunt Bœoti Atheniensibus pro ditione Eretriensium & ipsorum Oropiorum, Thucyd. *l.* VIII. p. 595.

E

Oropum Atheniensibus dedit Philippus Amyntæ F. cum Thebas expugnasset, atque tum stabilem ejus possessionem nacti sunt Athenienses, Pausf. *Attic.* p. 64.

Oropum Athenienses diripuerunt: Oropii primum Romanorum opem implorarunt, & deinde Achæorum: & horum quidem exercitus imperatori Menalcidæ homini Spartano decem talenta polliciti sunt se daturos, si Achæorum sibi auxilium ut præsto esset, efficeret. Sed quamvis nulla ex parte Achæorum societas ad Oropiorum salutem quicquam profecisset, promissum tamen pretium ab Oropiis exegit Menalcidas, Pausan. *Achaic.* p. 418. 419.

F

Oropii Amphiaraum rejectis a Thebarum muris Argivis fugientem, cum curru & auriga Batone, & Melampodida gentili suo, terræ hiatu absorptum, in Deorum numerum retulerunt, templo & e candido lapide signo ei dicato: quos reliqui Græci sequuti sunt, Pausan. *Attic.* p. 64. & *Corinth.* p. 126. 127. Fuitque apud Psaphidem Oropiorum Amphiarai oraculum, ubi eum fugientem, ut ait Sophocles,

> Ἐδέξατο ῥαγεῖσα Θηβαία κόνις
> Αὐτοῖσιν ὅπλοις, καὶ τετρωρίστῳ δίφρῳ.

Strabo *l.* IX. p. 399. E fonte Amphiarai dicti apud Oropios Deum Amphiaraum ascendisse tradunt, Pausf. *Attic.* p. 63.

BŒOTI ÆOLES.

Mimas Æoli F. Hellenis nepos, solus ex Æoli filiis in Æolide regnavit. Ejus filius Hippotes e Menalippe Æolum II. genuit. Is filiam Arnen a Neptuno compressam cuidam hospiti Metapontino Metapontium avehendam tradidit. Ea illic Æolum III. peperit & Bœotum, quos Metapontinus ille ex oraculo quodam, cum ipse liberis careret, adoptavit. Illi vero cum adolevissent, orta Metaponti seditione, vi regnum occuparunt. Post excitato inter Arnen & Autolyten Metapontini uxorem dissidio, matri ferentes opem, Autolyten occiderunt: quod cum iniquissimo animo tulisset Metapontinus, ipsi cum matre & amicis non pauci illinc discesserunt, & Æolus maris Tyrrheni insulas, quas de suo nomine appellavit, occupavit, & urbem incolis auctiorem reddidit Liparam. Bœotus vero ad Æolum avum maternum profectus, & loco filii habitus, Æolidis regnum obtinuit, & regionem de matris nomine Arnen, de suo vero populos Bœotos appellavit, Diodor. *l.* IV. p. 269. 270.

Bœotum Itoni & Menalippes Nymphæ filium, Amphictyonis nepotem, qui universæ genti Bœotiæ nomen dederit, fuisse scribit Pausan. *Bœot.* init. Τῆς ὅλης χώρας ἤδη Βοιωτίας καλουμένης ἀπὸ Βοιωτοῦ τοῦ Μελανίππης μὲν καὶ Ποσειδῶνος υἱοῦ, δυναστεύσαντος δὲ τῶν τόπων, Diodor. *l.* XIX. p. 696. Bœotum Neptuni & Arnes filium fuisse ait Nicocrates, Stephan. Verisimile est Arnen ita appellatam a patre ἀπὸ περιουσιασμοῦ ἀρνῶν, *ab agnorum copia*; quemadmodum & ipsa puerum sibi e Neptuno natum Βοιωτὸν ἐκ τῶν βοῶν *a bubus* vocavit, Eustath. *in Iliad.* B. Euphorion:

> Ὄφρα κε μαντεύοιτο μεθ' ὑιᾶσι Βοιωτοῖο,
> Τὸν ῥα Ποσειδάωνι δαμασσαμένη τέκεν Ἄρνη,
> Βοιωτὸν δ' ὀνόμηνε. τὸ γὰρ καλέσαντο νομῆες,
> Ὅττι ῥα παρ' ὤησι βοῶν ἀπεθήκατο κόπροις.

Et Euripides:

> Τὸν δ' ἀμφὶ βοῦν ῥιφέντα Βοιωτὸν καλεῖν.

Μετωνομάσθη Βοιωτία κατὰ μὲν τινας ἀπὸ Βοιωτοῦ υἱοῦ Ἰτώνου ἢ Ποσειδῶνος καὶ Ἄρνης. ἔτι δὲ Βοιωτοὶ τιμῶσι τὸν προπάτορα αὐτῶν υἱὸν Ποσειδῶνος, Schol. min. *in Iliad.* B. Castor Bœotiam dictam auctor est a Bove. quæ Cadmo itineris dux fuit, Stephan. (vide Schol. minor. *in Iliad.* B.) Alii volunt sic appellatam ab ingenii tarditate Bœotorum, ὡς οὐκ ὄντας τῇ διανοίᾳ τοὺς Βοιωτοὺς ἄγαν εὐκινήτους. Vocabatur ante Aonia, & Mesapia, & Ogygia, & Cadmeis, Stephan. Βοιωτίας καλουμένης τότε (κατὰ Κέκροπα) Ὠγυγίας, Strabo *l.* IX. p. 407. Has terras primi tenuisse dicuntur Aones, & Temmices vel Tembices, & Hyantes, & Leleges. Ἡ δ' οὖν Βοιωτία πρότερον μὲν ὑπὸ βαρβάρων ᾠκεῖτο Ἀόνων, καὶ Τεμμίκων ἐκ τῆς Σουνίου πεπλανημένων, καὶ Λελέγων, καὶ Ὑάντων, Strabo *l.* IX. p. 401. Αὐτὴν δὲ τὴν Βοιωτίαν Ἄονες, καὶ Τέμβικες, καὶ Ὕαντες (ἔσχον) ὡς δὲ Πίνδαρός φησιν (in *Dithyrambis*, teste Scholiaste)

> Ἦν ὅτε Ὕας τὸ Βοιώτιον ἔθνος ἔλεγον.

Strabo *l.* VII. p. 321. Ὕαντες ἔθνος βάρβαρον ἀρχαῖον, κατῴκησαν τὴν Βοιωτίαν. οὕστινας ἐκ παραφθορᾶς τοῦ ὀνόματος, ἀντὶ τοῦ Ὕαντας λέγειν, Ὗς ἐκάλουν. ὥστε καὶ τοῖς ὕστερον διαδοθῆναι τὴν λέξιν ἐπὶ τῶν Βοιωτῶν. καὶ λοιπὸν νομισθῆναι διὰ πολλὴν ἀλογίαν καὶ ἀγροικίαν, οὕτως

ἐξ ἀρχαίας αὐτὰς κεκλῆσθαι, Scholiast. Pindar. *in Olymp.* ode VI. strophe V. Cratinus:

> Οὗτοι δ' εἰσὶν συοβοιωτικὸν πεζοφόρον γένος ἀνδρῶν.

Sic Εκτῆνας quoque Bœotios, quasi ἐκ κτηνῶν & κτηνώδεις, dictos volunt. Εκτῆνες. (perperam legitur Εγκτῆνες) οἱ Βοιωτοὶ οὕτως ὠνομάζοντο, ὥσπερ καὶ Υαντες, διὰ τὸ κτηνώδεις εἶναι καὶ χοιρώδεις, Etymol. magn. Stephano Υαντες ἔθνος περὶ Αλαλκομενίαν sunt. Eidem Αονες ἔθνος Βοιωτίας, ἀφ' ὧν ἡ Αονία. Sic & Eustath. *in Iliad.* B. item Schol. min. Homeri. Lycophron. *Casand.* v. 644.

> Αρνης παλαιᾶς γοῦνα, Τεμμίκων πρόμοι.

Stephano Τέμμιξ ἔθνος πρῶτον οἰκῆσαν ἐν Βοιωτίᾳ dicitur. Æolus etiam filium habuit Lapitham, Diodor. *l.* v. p. 347. de quo in *Lapithis*.

Ithonus Bœoti filius, filios habuit Hippalcimum, Electryonem, Archilycum & Alegenorem. Hippalcimo natus fuit Peneleus, Electryone Leitus, Alegenore Clonius, Archilyco Prothoenor & Arcesilaus: fueruntque hi duces omnium Bœotorum ad Trojam militantium, Diodor. *l.* IV. p. 270. Homerus *Iliad.* B. v. 496. seqq.

> Βοιωτῶν μὲν Πηνελέως καὶ Λήϊτος ἦρχον,
> Αρκεσίλαός τε, Προθοήνωρ τε, Κλονίός τε.

Aristotelis in Peneleum exstat Epitaphium:

> Τόνδ' ἐπὶ Κηφισσῷ ποταμῷ θέσαν ὠκὺ ῥέοντι
> Παῖδες Βοιωτῶν σώφρονα Πηνελέων.

Bœotos (domi relictos, reliquis ad Trojam militantibus) Thraces & Pelasgi & alii Barbari vi expulerunt, & Bœotiam incoluerunt, Strabo *l.* IX. p. 410. Diodor. *l.* XIX. p. 696.

Bœoti e Bœotia a Thracibus & Pelasgis pulsi, in Thessalia imperium constituerunt una cum Arnæis longo tempore, adeo ut omnes etiam Bœoti appellarentur, Strabo *l.* IX p. 401. Bœoti enim priscis temporibus Thessaliæ partem tenuerunt, Æolenses appellati, Pausan. *Phoric.* p. 622. Αἰολεῦσι Βοιωτοῖς, Thucyd. *l.* VII. p. 532.

Bœoti, sexagesimo post Ilii expugnationem anno, Arne a Thessalis pulsi, cum agrum, qui Bœotius dictus fuit, tunc vero Cadmeus appellabatur, occuparunt, licet & olim fuerit in eo agro quædam Bœoticæ gentis portio, unde etiam ad Ilium cum exercitu sunt profecti, Thucyd. *l.* I. p. 9. 10. Ita redierunt Bœoti in pristinas sedes, & adjecta Bœotiæ Orchomenia, una cum Orchomeniis Pelasgos & Thraces expulerunt, Strabo *l.* IX. p. 401. Refert autem Ephorus Thraces factis cum Bœotis induciis, eos noctu, ut qui pace facta negligentius castra tutarentur, adortos fuisse, profligatos vero & accusatos simul, quod inducias violassent, negasse id a se factum: pactos enim dierum inducias, noctu vero impetum fecisse, atque inde natum proverbium, Θρακία παρεύρεσις, Strabo *lib.* IX. p. 401. 402. Idem Ephorus refert Pelasgos & Bœotos, durante adhuc bello inter ipsos, Oraculum Dodonæum consuluisse: quid autem responsum fuerit Pelasgis, ignorari: sed Bœotis vatem responsum fuerit Pelasgis, ignorari: sed Bœotis vatem respondisse, ἀσεβήσαντας εὖ πράξειν. Consultores vero ratos vatem in gratiam Pelasgorum, διὰ τὸ συγγενὲς, ἐπεὶ καὶ τὸ ἱερὸν Πελασγικὸν ἐξ ἀρχῆς ὑπῆρξεν, ita respondisse, arreptam illam in rogum conjecisse, ratiocinatos, sive jure, sive injuria id facinus perpetrassent, recte a se factum esse: etenim si mala fide oraculum edidisset, supplicio ea affecta esset; sin nihil fraudis commisisset, recte egissent, qui mandatis paruissent. Templi vero accolas, facinoris auctores indicta causa, & quidem in templo necare non censuisse, sed eos ad dicendam causam vocasse, judicesque constituisse reliquas duas (nam tres omnino erant) vates. Bœotis vero contendentibus nusquam lege constitutum esse, ut fæminis judicium permitteretur, totidem viris iis fuisse adjunctos: porro viros absolvisse, mulieres damnasse: cumque pares numero essent sententiæ, absolventes vicisse: indeque receptum, ut Bœotis solis apud Dodonam, viri oracula redderent, Strabo *l.* IX. p. 402.

Bœoti Penthilum Orestis F. in deducenda colonia Æolica adjuverunt, plurimis suorum cum eo missis, adeo ut Bœotica illa migratio cognominata fuerit, Strabo *l.* IX. p. 402. Tenediorum & Æniorum in Thracia κτίσται vocantur Αἰολεῖς Βοιώτιοι a Thucydide *l.* VIII. p. 532.

Bœoti in gratiam Cleomenis Spartani, moto adversus Athenienses bello, Oenoen ex composito occuparunt & Hysias, extremos Asiæ vicos, Herodot. *l.* V. p. 358.

Bœoti Chalcidensibus opem adversus Athenienses laturi, antequam Chalcidensibus conjungerentur, commissa pugna ab Atheniensibus victi fuerunt, permultis cæsis, & septingentis captis, Herodot. *l.* V. p. 359.

Bœoti, Xerxe Græciam invadente, cum Medis universi, præter Thespienses & Platæenses, senserunt: eorum urbes viri Macedones ab Alexandro missi, illisque impositi servarunt, planum facere Xerxi cupientes, Bœotos Medorum partes sequi, Herodot. *l.* VII. p. 483. & *l.* VIII. p. 539.

Bœotis ab Atheniensibus duce Myronide prælio ad Oenophyta superatis, ager Bœotius in hostium potestatem redactus fuit, Thucyd. *l.* I. p. 70.

Bœoti exsules, adjunctis sibi Locris & Euboensium exsulibus, facta eruptione ex Orchomeno (quam urbem cum Chæronea & aliis quibusdam tenuerant) Athenienses post captam direptamque & præsidio munitam Chæroneam redeuntes, ad Coroneam invaserunt, prælioque superatos, aliis interfectis, aliis captis, totam Bœotiam relinquere coegerunt, ea conditione, ut redditis captivis, Bœotorum exsules ad sua reversi, suis legibus & liberi viverent Thucyd. *l.* I. p. 73.

Bœoti socii Lacedæmoniorum fuerunt in bello Peloponnesiaco, & equitatum præbuerunt, Thucyd. *l.* II. p. 105.

Bœoti Panactum Atheniensium castellum per proditionem occuparunt, Thucyd. *l.* IV. p. 345.

Bœotorum principes Agesilaum Spartanum in Aulide sacrificaturum ante expeditionem in Persas, missis equitibus jusserunt de cætero sacrificiis abstinere, & quas forte mactatas hostias invenere, de ara hinc inde disjecerunt, Xenoph. *Hellen. l.* III. p. 387.

Bœoti bello Phocico contra Phocenses arma tulerunt, Diodor. *l.* XVI.

Bœotis agrum Thebanum concessit Alexander Philippi F. qui forte fundos inter se partiti, amplos inde reditus percipiebant. Bello ergo Lamiaco, cum scirent futurum ut Athenienses bello victores Thebanis patriam & agros restituerent, Macedonum partibus se adjunxerunt. Sed victi fuerunt a Leosthene Atheniensi, Diodor. *libr.* XVIII. pag. 595.

Bœoti ad Thermopylas contra Gallos miserunt gravis armaturæ decem millia, equites quingentos. His duces præfuerunt quatuor Bœotarchæ Cephisodotus, Thearidas, Diogenes & Lysander, Pausan. *Phocic.* p. 646.

Bœoti a Quintio petierunt impetraruntque, ut hi qui suæ gentis militassent apud Philippum (Demetrii F. contra Romanos) sibi restituerentur. Restitutis, confestim apparuit, quam nulla inita apud Bœotos gratia esset: nam & ad Philippum gratias agentes pro redditis hominibus, perinde atque ab ipso hi, & non a Quintio & Romanis dati essent, miserunt: & comitiis proximis Bœotarchen nullam aliam ob causam Barcillam quendam, quam quod præfectus Bœotorum apud Regem militantium fuisset, fecerunt, præteritis Zeusippo & Pisistrato, aliisque qui Romanæ societatis auctores fuerunt. Id ægre hi passi Barcillam ex epulo publico revertentem domum temulentum, per sex armatos occiderunt. Efferavit ea cædes Thebanos Bœotosque omnes ad exsecrabile odium Romanorum, Zeusippum principem gentis id facinus conscisse: ad rebellandum neque vires, neque ducem habebant; proximum bello quod erat, in latrocinium versi, alios hospites, alios vagos per hyberna milites ad varios commeantes usus excipiebant: quidam in ipsis itineribus ad notas latebras ab insidiantibus, pars in deserta per fraudem diversoria devecti deductique opprimebantur: postremo non tantum odio, sed etiam aviditate prædæ ea facinora faciebant: quia negotiandi ferme causa argentum in zonis habentes in commeatibus erant. Cum primo pauci, deinde in dies plures desiderarentur, infamis esse Bœotia omnis cœpit, & timidius quam in hostica egredi castris miles. Quintius primo, missis legatis ad quærendum de latrociniis per civitates, noxios tradi sibi jussit, & pro quingentis militibus, (tot enim intercepti erant) quinquaginta talenta Bœotos conferre; quorum neutrum cum fieret, verbis tantum civitates excusarent, nihil publico consilio factum esse: missis Athenas & in Achajam legatis, qui testarentur socios, justo se pioque bello persecuturum Bœotos: & cum parte copiarum P. Claudio Acræphiam ire jusso, cum parte Coroneam circumsedit; evastatis prius agris, qua ab Elatia duo diversa agmina iere. Hac perculsi clade Bœoti, legatos miserunt, quibus per Achæos deprecantes copia adeundi alloquendique Romanum facta est; jussisque tradere noxios & mulctæ nomine triginta talenta conferre, pax data, & ab oppugnatione recessum, Livius *l.* XXXIII.

Bœoti sub levi verborum prætextu decretum pro Rege Antiocho adversus Romanos fecerunt, Livius *l.* XXXVI. Et in Templo Itoniæ Minervæ Antiochi statuam communi decreto posuerunt. Sed verbis tantum a Romano Cos. victore castigati sunt ob ingratum in tantis tamque recentibus beneficiis animum erga Romanos, idem *ibidem.*

Bœotorum gens captata Philippo nunquam ad amicitiæ fœdus adduci potuit: tribus vero locis cum Perseo fœdus incisum literis fuit: uno Thebis: altero ad Sidenum augustissimo & celeberrimo in templo: tertio Delphis," Livius *l.* XLII.

Bœoti ad Minervæ Itoniæ templum conveniebant, eratque id illis commune Concilium, Paus. *Bœot.* p. 593. Eorum summus Magistratus Bœotarchæ appellabantur, Βοιώταρχοι, Βοιωτάρχαι & Βοιωταρχοῦντες. Erant autem undecim, Thucyd. *l.* IV. p. 313. Αἱ τέσσαρες βουλαὶ τῶν Βοιωτῶν ἅπαν τὸ κῦρος ἔχουσι, Thucyd. *l.* V. p. 371.

Bœotium Concilium sustulerunt Romani, bello Achaico confecto, Pausan. *Achaic.* p. 428. Sed postea restitutum fuit, remissaque C. talentorum mulcta a Romanis, quam Bœotos jusserat Mummius pendere Heracleotis, Pausan. *Achaic.* p. 428.

THEBANI.

Ogygus primus in terra Thebaide rex fuisse fertur, homo indigena. Ectenes vero vocabantur, quibus imperavit. Hunc populum pestilentia periisse ferunt. Ab Ogygo multi Poetæ Thebas Ogygias appellarunt, Pausan. *Bœot.* p. 548. ut Sophocl. *Oedip. Colon.* v. 1773. διὰ τὸ Ὤγυγον πρῶτον ἄρξαι τῶν Θηβῶν, Suidas *in* Ὠγύγιον. Ὠγύγου σπαρτὸς λεώς dicuntur Thebani, Lycophr. *Casandr.* v. 1206. Thebas Ægyptias etiam Ὠγυγίας vocat Æschylus *Persis.* Λέγεται καὶ ἡ Βοιωτία, καὶ ἡ Θήβη ἀπὸ Ὠγύγου, (Ὠγυγία,) Stephan. Ὠγυγίη Θήβη, Apollon. *Argon. l.* III. v. 1177. Ὠγυγίας δὲ τὰς Θήβας ἀπὸ Ὠγύγου τοῦ βασιλεύσαντος αὐτῶν. Κόριννα δὲ τὸν Ὤγυγον Βοιωτοῦ υἱὸν εἶπεν, Schol. Apollon. *d. l.* Sub Ogygo diluvium contigisse dicitur. Nonn. *Dionys. l.* III. v. 198. seqq.

Πρώτου γὰρ κελάδοντος ἐπειρήθη νιφετοῖο
Ὠγύγος ἠλιβάτοιο δι' ὕδατος αἰθέρα τέμνων,
Χθὼν ὅτε κεύθετο πᾶσα κατάρρυτος. ἄκρα δὲ πέτρης
Θεσσαλίδος κεκάλυπτο, καὶ ὑψόθι Πυθίας ἄκρη
Ἀγχινεφὴς νιφόεντι ῥόῳ κυμαίνετο πέτρη.

Hyantes & Aones post Ectenas ea loca tenuisse traduntur, gentes Bœoticæ, non alienigenæ, Pausan. *Bœot.* p. 548. vide in *Bœotis.* Ab Aonibus Thebæ vocantur Ἀονίη πόλις apud Nonn. *Dion. l.* V. vers. 56. Ἀόνων γλῶ Bœotiam vel Thebas vocat Lycophron *Casand.* v. 1209. Ἐκτηνῶν πρόμοι apud eundem *ibid.* v. 1212. Thebanorum duces interpretatur Canterus.

Cadmus Agenoris filius Phœnix (ab Agenore patre ad quærendam sororem Europam a Cretensibus raptam missus: vide Apollod. *l.* III. p. 86. β. seqq. Nonn. *Dionys.* & alios) adductis in ea loca Phœnicum copiis, Hyantes (Temmices, Nonn. *Dionys. l.* V. vers. 38. seqq.) prælio fudit; ii postea nocte profugerunt. Aones supplices Cadmus manere, & cum Phœnicibus permisceri facile passus est: & illi quidem vicatim habitarunt. Cadmus vero oppidum condidit, & de se Cadmeam appellavit, Pausan. *Bœot.* p. 549. Εἶτα Φοίνικες ἔσχον οἱ μετὰ Κάδμου, ὃς τήν τε Καδμείαν ἐτείχισε, καὶ τὴν ἀρχὴν τοῖς ἐκγόνοις ἀπέλιπεν, Strabo *l.* IX. p. 401. Hinc πόλισμα Κάδμου & Κάδμου ἐπώνυμος πόλις dicitur Æschylo *Sept.* v. 111. & 123. Καδμείων πόλις Euripid. *Phœnis.* v. 717. Et regio illa Καδμηῒς γῆ dicta fuit, Thucyd. *l.* I. p. 10. Καδμείων γᾶν κλεινῶν Ἀγηνοριδᾶν vocat Euripid. *Phœnis.* v. 224. & urbem ἄστυ Καδμείας χθονὸς, *ibid.* v. 1108.

Vulgatus est inter Thebanos sermo Cadmum Delphis in ea loca pergentem (cum enim frustra sororem quæsivisset, Delphos ad consulendum Oraculum adiit, Schol. min. *Iliad.* B.) ducem itineris bovem habuisse: emptam illam de Pelagontis bubulcis, & in utroque latere insignem fuisse candida nota in speciem Lunæ jam plenæ. Oportebat autem Cadmum cum sociis & exercitu ex Oraculi responso, (neglecta sorore, bovem ducem sequi, Schol. min. *Iliad.* B.) ibique consistere, quo loco bos fessa procubuisset, Pausan. *Bœot.* p. 569. vide Euripid. *Phœnis.* v. 643. Nonn. *Dionys. l.* IV. v. 290. seqq. Apollod. *l.* III. p. 91. α. & alios. Principium Oraculi Cadmo dati hoc refertur a Tzetze *Chiliad.* IX. *Hist.* CCCXXXII.

Φράζεο δὴ τὸν μῦθον Ἀγήνορος ἔκγονε Κάδμε
Ἠοῦς ἐρχόμενος προλιπὼν, ἴθι Πυθὼ δῖαν
Ἐνθάδ' ἔχων αὔθηπα καὶ ἀγανὴν μετὰ χερσί.

Cadmus Harmoniam Martis & Veneris filiam

uxorem duxit, Pausan. *Bœot.* pag. 549. Euripid. *Phœnis.* v. 7. Nonn. *Dionys.* *l.* III. v. 366. seqq. Græci ajunt Musas Harmoniæ nuptias carmine celebrasse, Pausan. *Bœot.* p. 560. Nonn. *Dionys.* *l.* v. vers. 88. seqq. vide Apollod. *l.* III. p. 92. *a.* Dii interfuerunt nuptiis Cadmi & Pelei, & utrique dona nuptialia dederunt, Pindar. *Pyth.* ode III. strophe v. Dedit autem Venus Cadmo ducenti Harmoniam aureum monile: quod hæreditate postea acceptum Polynices tradidit Eriphylæ, ut Amphiarao ad bellum contra Thebanos adduceret, Schol. Pindari. Cadmus ex Harmonia sustulit filium Polydorum & filias quatuor. Ino Athamanti nupta peperit Learchum & Melicerten. Agave nupta Echioni peperit Pentheum. Autonoe Aristæo nupta Actæonem peperit. Semele a Jove compressa Bacchum peperit, Tzetz. *Chiliad.* VI. *Hist.* LXI. Brasiatæ sermonibus vulgarunt Semelen quidem Jovi Bacchum peperisse: a Cadmo vero deprehensam, cum puero recens nato in arcam conjectam: eam arcam æstu jactatam in fines suos ejectam: ibi Semelen, quæ jam mortem obierat, a se magnifice sepultam, superstitem puerum educatum. Eam fuisse causam, cur urbs sua, quæ antea Oreatæ appellata fuit, mutato nomine Brasiæ diceretur, παρὰ τὸ ἐκβεβρᾶσθαι, *maris æstu ejectari.* Addunt Ino profugam in agrum suum venisse: ibi Bacchum alendum suscepisse: antrum monstrant ubi illa infantem enutrierit, & campum appellant Διονύσου κῆπον, Pausan. *Lacon.* p. 209. Semele in cœlum translata, Ino (quæ & Leucothea vocatur, Schol. Pindar.) in marinas Deas, cum se in mare præcipitasset, relata fertur. Pindar. *Pyth.* ode XI. str. I.

> Κάδμου κόραι, Σεμέλα
> Μὲν Ὀλυμπιάδων ἀγυιᾶτις,
> Ἰνὼ δὲ Λευκοθέα ποντιᾶν
> Ὁμοθάλαμε Νηρηίδων.

Semele vocatur etiam Thyone, Scholiast. Pindar. *Pyth.* ode III. st. v. Cadmus valde inclytus fuit, multis nominibus. Ὅλως δὲ αὐτὸν (Cadmum) ἀποσεμνυνουσι, διαπεφυκότα γείτονας εἰς Θεούς. πρόπαππος γὰρ ὁ Ζεύς, καὶ πάππος ὁ Ποσειδῶν. ὁ δὲ Ἄρης κηδεστής. ἡ δὲ Ἀφροδίτη πενθερά. ἡ δὲ Θυώνη καὶ Λευκοθέα θυγατέρες. ὁ δὲ Διονύσιος καὶ ὁ Παλαίμων θυγατριδοῖ. Τὸ δὲ ὅλον, καὶ ὑπὸ θεῶν, καὶ ὑπ' ἀνθρώπων αὐτὸν μάλιστα πάντων κατὰ τὴν Ἑλλάδα τετιμῆσθαι. διόπερ καὶ αὐτὸς ἀπεθεώθη μετὰ γυναικὸς αὐτοῦ Ἁρμονίας, καὶ ἀπελθὼν ἐπὶ δρακόντων ἅρματος κατῴκησεν ἐν Ἠλυσίῳ πεδίῳ, ὡς οἱ ποιηταὶ καὶ οἱ μυθογράφοι παραδεδώκασιν ἡμῖν, Schol. Pindar. *Pyth.* ode III. epod. IV.

Phœnices illi qui cum Cadmo advenerunt, dum hanc regionem incolunt, cum alias multas doctrinas in Græciam intulere, tum vero literas, quæ apud Græcos antea fuisse non videntur. Et primæ quidem illæ exstiterunt, quibus omnes Phœnices utuntur: progressu vero temporis una cum lingua mutaverunt & modulum pristinum. Et cum ea tempestate in plerisque circa locis eorum accolæ Iones essent; & ii a Phœnicibus literas didicissent, iisque, forma paucarum quarundam immutata, uterentur, fama celebrarunt Phœnicias dici, ut æquitas postulabat, quod Phœnices eas in Græciam introduxissent, Herodot. *l.* v. p. 351. 352. Τὸν Κάδμον φασὶ πρῶτον εἰς τὴν Ἑλλάδα κομίσαι τὰ γράμματα, ἅπερ πρῶτοι Φοίνικες ἐξεῦρον, Suidas. Literarum usum in Græcia ante Cadmum fuisse contendit Tzetz. *Chiliad.* IX. *Hist* CCCXXXII. Cadmo regnante, magnæ secundum Cadmum opes fuerunt Spartorum: Eos fabulantur Terram edidisse cum Cadmus occisi a se Draconis (qui φόνιος δράκων Ἄρεως, ὠμόφρων φύλαξ dicitur Euripidi *Phœnis.* v. 661. seq.) dentium sementem fecisset: inde παρὰ τὸ σπείρειν Σπαρτοὺς dictos, Pausan. *Bœot.* p. 549. 556. Apollod. *l.* III. p. 91. *a.* Hanc fabulam explicat Palæphatus ita: Cadmum Thebas proficiscentem cum alia multa, qualia Rex solet, tum quoque dentes Elephantum habuisse: cum vero Regem Thebarum Draconem Martis filium occidisset, regno potitum, vicisse quoque Draconis liberos & amicos, qui adversus ipsum bellum concitarant: eos vero direptis Cadmi opibus & Elephantum dentibus profugisse, & alios quidem in Atticam, alios in Peloponnesum, alios in Phocidem, alios denique in Locridem concessisse, e quibus locis Thebanis arma intulerint. Sed hanc explicationem Tzetzes *Chil.* IX. *Hist.* CCCXXXII. vocat ἀφαύτου μύλου ἀλέσματα καὶ λόγους Παλαιφάτου. Ipse scribit Principem latronum, vel loci illius principem fuisse Draconem, quem Cadmus sociorum suorum Deioleontis & Seriphi necem ulciscens occidit: socios vero Draconis seu dentes τοὺς φονικὸν συνδάκνοντας, ἢ καὶ δημοεξάπτας dissipavit in diversa loca Cadmus, ex quibus fortissimi viri prognati sint. Spartorum nomina hæc feruntur: Chthonius, Hyperenor, Pelorus, Udæus & Echion, quem etiam virtutis ergo dignum duxit, quem generum adsciceret Cadmus, Pausan. *Bœot.* p. 549. Μετὰ τὸν ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸν Κάδμου κτίσαντος τὴν ἀπ' αὐτοῦ προσαγορευθεῖσαν Καδμείαν, συνῆλθεν ἐπ' αὐτὴν λαός, ὅν τινες μὲν Σπαρτὸν προσηγόρευσαν, διὰ τὸ πανταχόθεν συναχθῆναι. τινὲς δὲ Θηβαγενῆ, διὰ τὸ τὴν ἀρχὴν ἐκ τῆς προειρημένης πόλεως ὄντα, διὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐκπεσεῖν καὶ διασπαρῆναι, Diodor. *lib.* XIX. p. 696. A Spartis oriundus fertur Epaminondas, Pausan. *Arcad.* p. 474. Cadmus postea ad Illyrios & Illyricum populum Encheleas commigravit, Pausan. *Bœot.* p. 549. vide illic. Cadmum δυσδαιμονήσαντα ἐκπεσεῖν εἰς Ἰλλυριούς, Schol. Pind. *Pyth.* ode III. epod. IV. Cadmeos una cum Cadmo ab Encheliensibus bello superatos & expulsos fuisse scribit Diodor. *l.* XIX. p. 696. Cadmi posteri tenuerunt imperium, plerisque Bœotis imperantes, usque ad bellum Epigonorum, Strabo *l.* IX. p. 401. Ex historia literarum Hamburg. Cadmus non Ægyptius, sed Phœnix fuit: nam quamvis pater ejus Agenor Ægyptius esset, Thebis tamen Ægyptiis relictis & Memphi in Assyriam concessit. Nonn. *Dionys.* *l.* III. v. 290. seqq.

> Ἀστὸς ἀμοιβαίων πολίων περίφοιτος Ἀγήνωρ
> Ἀσταθέος βιότοιο πατὴρ ἐμὸς εἶχε πορείην,
> Εἰς Θήβην μετὰ Μέμφιν, ἐς Ἀσσυρίην μετὰ Θήβην.

Et Rex Phœniciæ fuit, Scholiast. Pindari in ἐπιγραφῇ odes x. *Nem.* Tzetz. *Chil.* VII. *Hist.* CXXXVI. Ibique Cadmus natus fuit. Nonn. *Dionys.* *lib.* IV. v. 85. seqq.

> Ἀξεινὲς Ἀσσυρίης ἀπὸ πατρίδος αἷμα κομίζει
> Ἤχι ῥόος χαρίεντος Ἀδωνίδος. ἱμερόεις γὰρ
> Ἠχὴ Λιβάνου νέος ἔτος, ὅπη Κυθέρεια χορεύει.

Epigram. Zenonis apud Suidam:

> Εἰ δὲ πάτρα Φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος; ἦν καὶ Κάδμος
> Κεῖνος, ἀφ' οὗ γραπτὴν Ἑλλὰς ἔχει σελίδα.

Hinc Phœnix, Tyrius & Sidonius appellatur, e Phœnicia & Sidone profectus, una cum Phœnicibus. Κάδμος δὲ Φοῖνιξ ἦν, Clemens Alex. *Strom.* *l.* I. p. 306. Κάδμος τὸ γένος Φοῖνιξ ἦν, Euseb. *Præparat. Evangel.* *l.* X. cap. V. pag. 473. Φοῖνιξ Κάδμος, Chrestodor. *Florileg. Epigram.* *lib.* III. cap. I. §. 4. Cadmus Phœnix, Plinius *l.* VII. c. LVI. Κάδμῳ τῷ ἐκ Φοινίκης, Eustath. *in Iliad.* Δ. Κάδμου Τυρίου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἐκ Φοινίκης ἀπικομένων

μεόων ἐς τὴν Βοιωτίην, Herodot. *l.* II. p. 123. Κάδμος ἔμολε τάνδε γᾶν Τύριος, Euripid. *Phœniſſ.* v. 642. Σιδωνίου Κάδμοιο, Nicand. *Theriac.* v. 608. Πόλιν Σιδωνίαν λιπὼν, Euripid. *Bacch.* v. 171. Ἐκλιπὼν Φοίνισσαν ἐναλίαν χθόνα, Euripid. *Phœniſſ.* v. 6. Τῶν σὺν Κάδμῳ ἀπικομένων Φοινίκων ἐς γῆν τὴν νῦν Βοιωτίην καλεομένην, Herodot. *l.* v. p. 351. Τοῖς νομίζουσιν ἐς γῆν ἀφικέσθαι Κάδμον τὴν Θηβαΐδα, Αἰγύπτιον καὶ οὐ Φοίνικα ὄντα, ἐστὶν ἐναντίον τῷ λόγῳ τῆς Ἀθηνᾶς ταύτης τὸ ὄνομα, ὅτι Ογκα κατὰ γλῶσσαν τὴν Φοινίκων καλεῖται, καὶ οὐ Σαΐς κατὰ τὴν Αἰγυπτίων φωνήν, Pauſan. *Bœot.* p. 559. 560. In Pauſania Σίγα pro Ογκα corrupte legitur. Ογκα Ἀθηνᾶ ἐν Θήβαις ἐπιχώριον ὄνομα ἔχουσα, Heſych. Hinc Ογκα Παλλὰς apud Æſchyl. *Sept.* v. 507. & πύλας ἔχων, & Μάκαιρ᾽ ἄνασσ᾽ Ογκα, *ibidem* v. 170. Ογκας Ἀθάνας, *ibidem* v. 494. ſeq. ubi, τὰς Ὠγυγίας πύλας λέγει, ait Heſychius. Ογκαῖαι πύλαι Θηβῶν. Εὐφορίων Θρακί. Ογκα γὰρ ἡ Ἀθηνᾶ κατὰ Φοίνικας, Stephan. Ογκαΐδας πύλας vocat Apollod. *l.* III. p. 103. *α.* Παλλὰς, ἐπιχωρία θεὸς, ἄγαλμα γὰρ αὐτῆς ὁ Κάδμος ἱδρύσατο ἐν Ογκαις, κώμη τῆς Βοιωτίας. Ογκαία οὖν ἡ Ἀθηνᾶ τιμᾶται, Schol. Pindar. *Olymp.* ode II. ſtrophe II. Nec audiendus Nonnus *Dionyſ.* l. v. ver. 71. Ογκαίην πύλην vocans ἐκ βοὸς Ογκηθμοῖσι φερώνυμον, & Lunæ, quæ eadem ſit cum Minerva, eam conſecratam putans. Cadmus in inſula Calliſte quoſdam Phœnices reliquit: vide in *Theræis*.

Polydorus Cadmi filius patri ſucceſſit, Pauſan. *Bœot.* p. 549. Uxorem habuit Nycteidem Nyctei filiam, Chthonii neptem, Apollod. *l.* III. p. 96. *α.* Pentheus Echionis F. Polydori amicitia & generis dignitate plurimum pollens, cum inſolentior eſſet & impius, Baccho violati Numinis pœnas dedit, Pauſan. *Bœot.* p. 549. Bacchi enim inter Deos recepti ſacra recipere noluit; itaque Bacchus, furore ſororibus matris injecto, eas eum dilaniare coegit, Argum. Euripid. *Bacchar.* vide ipſam Fabulam. Eam Tzetzes *Chil.* VI. *Hiſt.* LXI. ita explicat: Pentheum atque Labdacum, ſed præcipue Pentheum, interfectis reliquis nepotibus Cadmi, & Actæone a propriis dilaniato canibus, Learcho & Melicerte ſublatis, in ſpem obtinendi regni veniſſe; cognito vero, Dionyſium nepotem Cadmi ſpurium regnum affectare, eum vinculis conſtrinxiſſe, ſed cum eum deprecante matre ſolviſſet, ab eodem dolo occiſum fuiſſe. Pentheo Regnum a Cadmo traditum fuiſſe ait Bacchus apud Euripid. *Bacch.* v. 43. ſeq.

Κάδμος μὲν οὖν γέρας τε, καὶ τυραννίδα
Πενθεῖ δίδωσι, θυγατρὸς ἐκπεφυκότι.

Polydori filius Æmon, in venatione occiſo quodam ſuæ gentis homine, Athenas conceſſit: poſteri vero ejus relictis Athenis una cum Argivis Rhodum incoluerunt: poſtea autem Agrigentum abierunt: & numerantur uſque ad Theronem decem & ſeptem generationes, Schol. Piandari *Olymp.* ode II. ant. *α.* e Menecrate.

Labdacus Polydori F. Is a moriente patre una cum regno in tutelam Nycteo traditus fuit, Pauſan. *Bœot.* p. 549. Nyctei filiam Antiopen rapuit Epopeus Rex Sicyoniorum. Eam injuriam ulturus Nycteus, commiſſo prælio, vulnus accepit. Ex eo, æger domum reportatus, non ita multo poſt obiit, (Νυκτεὺς ἀθυμήσας ἑαυτὸν φονεύει, Apollod. *l.* III. p. 96. *β.*) regni adminiſtratione Lyco fratri ad tempus relicta, & Labdaco in tutelam tradito. Fratrem præterea multis precibus obteſtatus, ut majore exercitu in Ægialeam ducto Epopeum ulciſceretur, atque ipſam etiam Antiopen, ſi capere poſſet, male mulctaret. Sed Lamedon Epopei ſucceſſor ultro Antiopen Lyco dedidit. Ea cum domum reduceretur, in via partu levata fuit, enixa Zethum & Amphionem, Pauſan. *Bœot.* p. 549. & *Corinth.* p. 95. Antiopen a Jove ſub Satyri forma compreſſam, metu Nyctei Sicyonem ad Epopeum confugiſſe, natoſque ex ſe Amphionem & Zethum in monte Cithærone apud Bubulcum quendam expoſuiſſe: patrem vero Nycteum audaciæ filiæ dolore motum obiiſſe, monito prius fratre Lyco, ne rem negligeret, ſed Antiopen Sicyonem profectus comprehenderet: & Lycum quidem, ſuſcepta expeditione in Sicyonem, occidiſſe Epopeum & captam Antiopen uxori Dircæ cuſtodiendam tradidiſſe, ſcribit Scholiaſt. Apollon. *Argon.* l. IV. Lycus Labdaco adulto regnum reſtituit, Pauſan. *Bœot.* p. 549.

Lajus Labdaci F. Is a Lyco in tutelam receptus fuit. Eo jam iterum tutelam gerente, Zethus & Amphion Antiopes & Epopei filii, collecta militum manu agrum invaſerunt: & Lajum quidem periculo ſubtraxerunt, quibus curæ fuit providere, ne Cadmei generis nomen in poſterum aboleretur. Lycus prælio victus fuit, Pauſan. *Bœot.* p. 549. Euripid. *Hercul. Fur.* v. 26. ſeqq.

Γέρων δὲ δή τις Καδμείων λόγος,
Ὡς τὴν πάρος Δίρκης ὁ εὐνήτωρ Λύκος
Τὴν ἑπτάπυργον τήνδε δεσπόζων πόλιν,
Τὼ λευκοπώλω πρὶν τυραννῆσαι χθονὸς
Ἀμφίον᾽ ἠδὲ Ζῆθον ἐκγόνω Διός.

Lyci uxor Dirce injurioſius tractarat Antiopen, ideoque ab ejus filiis occiſa fuit, Pauſan. *Bœot.* p. 578. Lycum ab iiſdem occiſum fuiſſe, Dircen vero crinibus religatam e tauro necatam fuiſſe & in fontem conjectam, qui ab ea Dirce poſtea appellatus fuit, ſcribit Apollod. *l.* III. p. 97. *α.* vide Schol. Apollon. *Argon.* l. IV. Lajus porro in Peloponneſum fugit, & a Pelope hoſpitio exceptus, filium ejus Chryſippum aurigandi artem docuit, eundemque, amore ejus captus, rapuit, Apollod. *l.* III. p. 97. *α.* vide in *Piſatis Pelops*. Antiope poſtea Phoco nupſit: vide in *Phocenſibus*.

Zethus & Amphion Epopei & Antiopes filii regno potiti oppidum inferius cum Cadmea conjunxerunt, & Thebas, ob cognationem, quæ cum Thebe ipſis fuit, nuncuparunt: hujus rei teſtimonio eſt Homerus *Odyſ.* Λ. v. 262. ſeqq.

Οἳ πρῶτοι Θήβας ἕδος ἔκτισαν ἑπταπύλοιο,
Πύργωσάν τ᾽ ἐπεὶ οὐ μὲν ἀπύργωτόν γ᾽ ἐδύναντο
Ναιέμεν εὐρύχορον Θήβην, κρατερώ περ ἐόντε,

Pauſan. *Bœot.* p. 549. 550. Diodor. *l.* XIX. p. 696. Alii a Thebe Aſopi, ſive Phliaſii, ſive Bœoti filia Thebas ſub Cadmea nomen accepiſſe volunt, Pauſan. *Corinth.* p. 93. Vel a Thebe Promethei filia, Stephan. Vel a Thebe Zethi uxore, Apollod. *l.* III. p. 97. *α.* Η διὰ τὸ θεῦσαι τὴν βοῦν, ἤτοι δραμεῖν μέχρις ἐκεῖ τὴν ὁδηγὸν τοῦ Κάδμου, ἣν ἐκεῖνος θύσας τὴν πόλιν Θήβην ἐκάλεσεν, ἀπὸ τῆς θύσεως, ἤτοι τοῦ δρόμου τῆς βοός, Euſtath. *in Iliad.* B. Sed fallitur Euſtathius, quod Thebarum nomen urbi inditum a Cadmo putet. Et Etymologus: Θήβα, inquit, Συριστὶ λέγεται ἡ βοῦς· ὅθεν ἐκλήθησαν αἱ Θῆβαι, ὑπὸ τοῦ Κάδμου κτισθεῖσαι. ὅτι ζητῶν τὴν ἀδελφὴν, χρησμὸν ἔλαβε κατοικῆσαι, ὅπου ἡ βοῦς ἑαυτὴν καταθήσει. Item Nonnus, qui non tantum Thebas ἑπταπύλους a Cadmo conditas, ſed & ſic ab eodem a Thebis Ægyptiis appellatas fuiſſe ſcribit, *Dionyſ.* l. v. verſ. 50. 64. 85. 86.

Κάδμος ἀπυργώτοιο θεμείλια πήγνυε Θήβης.
Ἑπταπόρῳ πυλεῶνι, περίδρομον ἄστυ χαράξας.
—— καὶ ἱερὸν ἄστυ πολίσσας
Αἰγυπτίης ἐκάλεσσεν ὁμώνυμον ἄστεϊ Θήβης.

Cadmeam enim tantum condidit Cadmus, quæ poſtea, aucta urbe, arx facta fuit τῶν κάτω Θηβῶν, ut ait Pauſanias *Bœot.* p. 549. Ἐκεῖνοι (Cadmi poſteri)

τὰς Θήβας τῇ Καδμείᾳ προσέκτισαν, Strabo *l.* IX. p. 401. Tzetz. *Chil.* IX. *Hist.* CCCXXXII.

—— Κάδμος
Καὶ τὴν Καδμείαν ἔκτισε μόνην, οὐχὶ τὰς Θήβας.

Auctor *Carminis in Europam* memoriæ prodidit Amphionem Mercurio magistro Lyræ usum primum didicisse, cantu vero saxa & feras duxisse, Pausan. *Bœot.* p. 550. Ægyptius quidam censebat Amphionem magicarum artium fuisse peritissimum, & cum incantamenta adhiberet, lapides ad exstruendos muros ipsum sequutos fuisse, Pausan. *Eliac.* p. 383. 384. Memorant Hesiodus & alii, quod citharæ pulsu Thebana mœnia exstructa sunt: arbitrantur vero nonnulli, modulantibus illis, sua sponte lapides in murum prosiluisse. Res vero ita se habet. Citharœdi erant præstantissimi: & licet nullus adhuc ea tempestate inter homines esset pecuniæ usus, artem tamen nunquam, nisi mercede, ostendebant: jusserant itaque Zethus & Amphion, si quis audiendi desiderio teneretur, manum ædificando muro adhibere, Palæphat. vide & Tzetzen *Chil.* I. *Hist.* XIII. & Nonn. *Dionys.* l. v. vers. 66. 67. Consequutus fuit Amphion magnam in Musicis famam, quod a Lydis ob Tantali affinitatem Lydios modos didicit, primusque chordas tres ad quatuor a superioribus inventas addidit, Pausan. *Bœot.* p. 550. Myron Byzantius tradit Amphionem primum omnium Mercurio aram dedicasse, & idcirco Lyram ab ipso accepisse, Pausan. *Bœot* p. 550. Amphion uxorem habuit Nioben Tantali & Euryanassæ filiam, & liberos ex ea XII. ut scribit Homerus *Iliad.* Ω. v. 603. 604. XIV. vero, ut volunt alii. Cum autem Niobe tanta prolis felicitate insolentior facta, Latonæ objiceret, quod non nisi duos genuisset, Latonæ instinctu, Apollo filios Niobes in Citherone venantes, Diana vero filias ejus domi sedentes jugularunt: cumque occisi novem dies insepulti jacuissent, decimo die a superis sepulti fuere. Niobe vero in lapidem versa eos deflere dicitur. Res autem ita se habet; Insolescentem Niobem fortuna adversa excepit, ut uno die liberi ejus pestilentia absumerentur: ipsa vero sensibus vacua præ dolore, solis lacrymis incubuit, Tzetzes *Hist.* CXLI. *Chil.* IV. Nioben, ereptis fato liberis, statuam sibi lapideam confici, & sepulcro liberorum imponi jussisse, & inde natam fabulam, auctor Palæphatus. Totam Amphionis domum excisam & pestilentia deletam fuisse scribit Pausanias *Bœot.* p. 550 Unam Melibœam, servatam cum Amycla, reliquis liberis ab Apolline & Diana peremptis, quod eæ solæ Latonam deprecatæ fuissent: ac Melibœam quidem præ terrore statim pallidam factam permanente illo colore, sumpto e rei eventu nomine, Χλῶριν appellatam fuisse, scribit idem Pausan. *Corinth.* p. 124. vide Apollod. *l.* III. p. 97. β. Ajunt Amphionem apud inferos ob eas contumelias plecti, quibus Latonam & ejus liberos affecit, Pausan. *Bœot.* p. 550. Zethus, cum genitum ex se puerum mater ipsa ob certam noxam peremisset, animi ægritudine contabuit, Pausan. *Bœot.* p. 550. Zethi filio nomen fuit Neis, unde portarum uni nomen datum fuisse volunt, Νηίτας. Sed alii a Nete chordarum una, quam ante eam portam invenisse dicitur Amphion, nomen accepisse scribunt, Pausan. *Bœot.* p. 555. A septem planetis nomina portis Thebanis imposita, auctor est Nonnus *Dionys.* l. v. v. 67. seqq. Zethi & Amphionis commune monumentum fuit, terræ non magnus cumulus: ex eo qui Tithoream Phocensium tenebant, terram surripere studebant, quo tempore sol Taurum permearet, rati si eam ad Antiopes Phoci uxoris monumentum adjicerent, suum agrum fœcundum, non item Thebanum futurum: quare per eos dies id sepulcrum diligenter custodiebant Thebani: id ut facerent hi populi, his fatidicis Bacidis versibus adducti fuerunt;

Ἀλλ' ὁπόταν Τιθορεὺς Ἀμφίονί τε Ζήθῳ τε
Χύτλα τε κ' εὐχωλὰς μειλίγματα τ' ἐν χθονὶ χεύῃ
Θερμομένῃ ταύροιο κλυτοῦ μένει ἠελίοιο,
Καὶ τότε δὴ πεφύλαξο πόλει κακὸν οὐκ ἀλαπαδνὸν
Ἐρχόμενον· καρποὶ γὰρ ἀποφθινύθουσιν ἐν αὐτῇ
Γαίης δασσαμένων, Φώκου δ' ἐπὶ σῆμα φερόντων.

Pausan. *Bœot.* p. 567. 568. Aristotelis in Zethum exstat Epitaphium;

Ἑπταπύλων Θηβῶν βασιλεὺς ὅδε κεῖται ὑπὸ χθὼν
Ζῆθος, ὃν Ἀντιόπη γείνατο παῖδ' ἀγαθός.

Amphionem & Zethum ἐκγόνω Διὸς vocat Euripid. *Hercul. Fur.* v. 30. E Jove & Antiope Asopi filia eos natos scribit Homerus *Odyss.* Λ. v. 259. seqq. Alii vero Chronici & Antiochenus Theoboontis & Antiopes filios fuisse volunt, Tzetz. *Chil.* I. *Hist.* XIII. Amphione & Zetho loco potitis, conditaque urbe, iterum eos qui illic habitabant, expulsos fuisse, cum rediisset Cadmi filius Polydorus, rerum contemptu, ob calamitatem, quæ Amphioni ex liberis acciderat, scribit Diodorus *l.* XIX. p. 696. sed forte ibi legendum κατελθόντος τοῦ Λαΐου, τοῦ Λαβδάκου, τοῦ Πολυδώρου, τοῦ Κάδμου: cum rediisset Lajus Labdaci filius, Polydori nepos, Cadmi pronepos.

Lajus Labdaci F. post Zethum & Amphionem in regnum a Thebanis restitutus fuit, Pausan. *Bœot.* p. 550. Is uxorem duxit Jocastam (Ἐπικάστην Homer. *Odyss.* Λ. v. 270.) Menœcei filiam, Creontis sororem: cumque sterile esset illud conjugium, adiit Oraculum Lajus sobolem petiturus, atque hoc responsum tulit:

—— Ὦ Θήβαισιν εὐίπποις ἄναξ,
Μὴ σπεῖρε τέκνων ἄλοκα δαιμόνων βίᾳ.
Εἰ γὰρ τεκνώσεις παῖδ', ἀποκτενεῖ σ' ὁ φύς,
Καὶ πᾶς σὸς οἶκος βήσεται δι' αἵματος.

Euripid. *Phœniss.* v. 17. seqq. Refertur & aliter Oraculum illud:

Λαΐε Λαβδακίδη, παίδων γένος ὄλβιον αἰτεῖς.
Δώσω σοὶ φίλον υἱόν. ἀτὰρ πεπρωμένον ἐστὶ
Σοῦ παιδὸς χείρεσσι λιπεῖν φάος· ὣς γὰρ ἔνευσε
Ζεὺς Κρονίδης, Πέλοπος στυγεραῖς ἀραῖσι πιθήσας,
Οὗ φίλον ἥρπασας υἱόν· ὁ δ' ηὔξατό σοι τάδε πάντα.

At Lajus ebrius per voluptatem procreavit filium: quem in lucem editum, agnito errore & voce Oraculi, pastoribus in montem Cithæronem exponendum tradidit, transfixis ferro mediis pedum malleis,

Ὅθεν νιν Ἑλλὰς ὠνόμαζεν Οἰδίπουν.

Euripid. *Phœniss.* v. 27. seqq. Polybi vero Regis Corinthiorum bubulci (ἱπποβουκόλοι Euripid.) ad Peribœam Reginam repertum infantem detulerunt: ea illum ceu suum partum sibi supposuit, curatisque pedibus Oedipum appellavit, διὰ τὸ τοὺς πόδας ἀνοιδῆσαι, quod pedes e vulneribus intumuerant. Oedipus adultus robore æqualibus præstans, ob patratam ab ipso cædem supposititius arguebatur. Cumque Peribœam ea de re percontatus, nihilo plus rescisset, Delphos profectus fuit: sciscitantique de parentibus Apollo respondit, non esse illi in patriam redeundum: patrem enim ab ipso occisum iri, & matrem cum ipso concubituram. Corinthum ergo redire noluit; sed dum curru per Phocidem vehitur, Lajo (qui etiam ad Oraculum contendebat, de filio exposito sciscitaturus, an superstes esset, Euripid.) in angusta via occurrit: cumque præco-

ni Laii Polyphontæ de via cedere jubenti (Ω ξεῖνε, τυράννοις ἐκποδὼν μεθίστασο, Eurip.) non paruisset, ideoque alterum ejus equorum occidisset præco, ira percitus Laium & Polyphontem occidit, atque ita Thebas venit, Apollod. *l.* III. p. 98. *α*. *β*. 99. *α*. Euripid. *Phœniss.* v. 28. seqq. Pyndar. *Olym.* ode II. ep. II. Diodor. *l.* IV. p. 266. Laio regnante Tripus in Ismenii Apollinis templo dedicatus fuit, cui Epigramma hoc literis Cadmeis incisum fuit:

Αμφιτρύων μ' ἀνέθηκεν, ἐὼν ἀπὸ Τηλεβοάων.

Herodot. *l.* V. p. 352. Quæ Valla perperam vertit, *Theleboo natus genere*, legisse enim videtur ἐὼν ἀπὸ pro ἰὼν ab ἰέναι veniens: tu verte, *cum rediisset e bello Teleboico*. Amphitruo autem cum uxore Alcmena & Licymnio uxoris fratre notho Thebas concesserat, ditione Argiva a Sthenelo pulsus: vide in *Mycenæis*: ibique delectus imperator exercitus Thebani adversus Teleboas, seu Taphios, eosdem victos imperata facere coegit, obtruncato ipso Rege Pterela. Dum vero domo abest in illa expeditione, interim Iupiter in faciem Amphitruonis versus cum Alcmena concubuit, jam ante e viro suo gravida: illaque geminos enixa fuit uno partu, alterum viri, alterum Jovis susceptum semine, Plaut. *Amphitruone*, Pindar. *Pyth.* ode IX. strophe IV. Amphitruo:

—— λευκίπποισι Κα-
δμείων μετοικήσας ἀγυιαῖς.
Τέκε οἱ καὶ Ζηνὶ μιγεῖσα δαΐφρων
Εν μόναις ὠδῖσιν Αλκμήνα, διδύμων
Κρατησίμαχον σθενος υἱῶν,

Et *Nem.* ode X. epod. I.

Επεὶ καὶ ἐν χαλκέοις ὅπλοις (Amphitruo)
Τηλεβόας ἔναρεν, οἱ
Οψιν εἰδόμενος
Αθανάτων βασιλεὺς, αὐλὰν ἐσῆλθε,
Σπέρμ' ἀδείμαντον φέρων
Ηρακλέως.

Euripid. *Hercul. Fur.* v. 60. seq.

Ω πρέσβυ (Amphitruo) *Ταφίων ὅς ποτ' ἐξεῖλες*
πόλιν
Στρατηλατήσας κλεινὰ Καδμείων δορός.

Ex Amphitruone nato nomen fuit Iphicles, e Jove, Hercules. Theocr. *Heraclisco* v. I. seq.

Ηρακλέα δεκάμηνον
—— καὶ νυκτὶ νεώτερον Ιφικλῆα.

Teleboas victos, Rege Creonte, auctor Plautus *Amphitr.* cum ait act. I. v. 206.

Regique Thebano Creonti regnum stabilivit suum. (Amphitruo)

Sed repugnat Herodotus. Socios istius belli gerendi habuit Amphitruo Cephalum Dionei F. e Thorico Atheniensium, Panopeum e Phocensibus, Helium ex Argivorum Helo, & Creontem e Thebis. Taphum vero tum demum cepit, cum Comætho Amphitruonis amore capta, patris Pterelæ crine aureo resecto, eidem mortis causa exstitisset. Amphitruo, redactis in suam potestatem Taphiorum insulis, & occisa Comætho, Thebas rediit, Helioque & Cephalo eas insulas tradidit, Apollod. *l.* II. p. 54. 55.

Creon Menœcei filius, regnum mortuo Laio invasit, Apollod. *l.* III. p. 99. *α*. Creonte imperante res pro Thebanis adversus Orchomenios ab Hercule gestæ videntur: vide in *Orchomen. Clymenus & Erginus*. Hercules enim cum ex ephebis excessisset, primum quidem Thebas in libertatem asseruit, tum Ergino Minyarum Regi servientes. Creon vero Thebanus Rex, virtutis ejus admiratione Megaram filiam ei uxorem dedit, eique ceu filio legitimo urbis curam tradidit, Diodor. *l.* IV. p. 218. 219. minorem natu filiam Pyrrham Creon Iphicli uxorem dedit, Apollod. *l.* II. p. 57. *β*. Moschus *Idyll.* III. v. 52. seq. Cum Sphinx Thebanos vastaret, & inter alios etiam Æmonem Creontis filium interemisset, Creon præconis voce edixit, se ei, qui Sphingem vicisset, & regnum & Laii uxorem daturum, Apollod. *l.* IIV. p. 99. *β*. Euripid. *Phœniss.* v. 45. seqq. Oedipus ergo Sphingem e monte erumpentem, & decantato ænigmate, quotquot illud solvere non possent, homines abreptos interimere solitum: vel ut alii volunt, palantem cum navalibus copiis prædonum more, ad Anthedonem e mari appulsam: deinde, eo monte occupato, latrocinia exercentem interfecit, numeroso exercitu, quem Corintho eduxerat, superatam, Pausan. *Bœot.* p. 580. Quæ adduntur illic in Pausania de Laii filia notha, & corrupta sunt, & videntur alieniora. Ænigma Sphingis hoc refertur:

Εστι δίπουν ἐπὶ γῆς, καὶ τετράπον, οὗ μία φωνὴ,
Καὶ τρίπον· ἀλλάσσει δὲ φυὴν μόνον, ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν
Ερπετὰ κινεῖται, ἀνά τ' αἰθέρα, καὶ κατὰ πόντον.
Αλλ' ὁπόταν πλείστοισιν ἐπειγόμενον ποσὶ βαίνῃ,
Ενθα τάχος γυίοισιν ἀφαυρότατον πέλει αὐτοῦ.

Eiusque solutio talis ab Oedipo data:

Ανθρωπον κατέλεξας, ὃς ἡνίκα γαῖαν ἐφέρπῃ
Πρῶτον ἔφυ τετράπους νήπιος ἐκ λαγόνων.
Γηραλέος δὲ πέλων τρίτατον πόδα βάκτρον ἐρείδει,
Αὐχένα φορτίζων γήραϊ καμπτόμενος.

vide & Diodor. *l.* IV. p. 266.

Oedipus Laii filius exposito Sphingis ænigmate, regnum, sapientiæ præmium, adeptus, matrem quoque per ignorantiam uxorem duxit, & ex ea duos filios, Eteoclen & Polynicen, duasque filias, Ismenen & Antigonen, suscepit, Euripid. *Phœniss.* v. 49. seqq. Apollod. *l.* III. p. 99. *β*. Diodor. *l.* IV. p. 267. Oedipum nullos omnino e matre liberos genuisse testimonio est Homerus *Odyss.* Λ. v. 270. seqq.

Μητέρα τ' Οἰδιπόδαο ἴδον καλὴν Επικάστην,
Η μέγα ἔργον ἔρεξεν ἀϊδρείῃσι νόοιο
Γημαμένη ᾧ υἱεῖ· ὁ δ' ὃν πατέρ' ἐξεναρίξας
Γῆμεν· ἄφαρ δ' ἀνάπυστα Θεοὶ θέσαν ἀνθρώποισι.

Qui enim ejus flagitii fama statim potuisset aboleri, si quatuor fuissent e Jocasta liberi suscepti? Verum Euryganea Hyperphantis filia illos peperit: quod auctor Carminis, quod Oedipodia dicitur, declarat, Pausan. *Bœot.* p. 550. 551. Cum pestilentia & diuturnus morbus Thebanos invasisset, Creon ab Oedipo ad Oraculum Delphicum missus fuit, consulturus de mali istius remedio. Is vero ab Oraculo didicit, cædem Laii vindicandam esse, parricida ex iis terris pulso, Aristophan. Gramm. *in Sophocl. Oed. Tyran.* vide ipsius Sophoclis Fabulam. Oedipus ergo, ubi in lucem prodita fuere, quæ in patrem matremque egerat, se luminibus ipse orbavit, Thebisque pulsus filios exsecratus fuit, quod parentem urbe pelli spectantes, ipsum ab injuria non defendissent. Profugit autem cum Antigone in Colonum terræ Atticæ, ibique, ubi Eumenidum fanum erat, supplex consedit: susceptusque a Theseo, non multo post e vita discessit, Apollod. *l.* III. p. 100. *α*. Vide Sophocl. *Oedip.* utramque, & Euripid. *Phœniss.* v. 59. seqq. Exstat in *Florileg. Epigram.* l. VI. cap. V. hic de Oedipode versus *ἀντιστρέφων*:

Οἰδιπόδης κάσις ἦν τεκέων, καὶ μητέρι πόσις
Γίγνετο, καὶ παλάμης ἦν τυφλὸς ἐκ σφετέρης.

Polynicen, vivente & imperante patre, Thebis dis-

cessisse, metuentem ne diris, quibus filios is devoverat, obnoxius esset: cumque Argos confugisset, Adrasti filiam uxorem duxisse, & mortuo patre ab Eteocle Thebas revocatum, orto inter fratres de regno dissidio, iterum Argos concessisse, instructumque soceri copiis ad repetendum regnum Thebas rediisse, scribit Pausanias *Bœot.* p. 551. Ætate Oedipi Tripus hoc hexametro carmine inscriptus fuit:

Σκαῖος πυγμαχέων με ἑκηβόλῳ Ἀπόλλωνι
Νικήσας ἀνέθηκε τεῒν περικαλλὲς ἄγαλμα.

Herodot. *l.* v. p. 352.

Eteocles Oedipi filius. Filii Oedipi veriti diras paternas, si simul habitarent, inter se pacti sunt, ut minor natu Polynices sponte Thebis exsularet, dum Eteocles regno præesset, annuumque esset utrique imperium. Sed Eteocles, expleto sui regni termino, imperio cedere noluit, sed fratrem urbe in exsilium expulit. Is Argos concessit, ductaque uxore Adrasti filia, ingenti Argivorum exercitu instructus Thebas venit ad repetendum regnum paternum & ditionis partem, Euripid. *Phœniss.* v. 69. seqq. Jocasta frustra reconciliationem fratrum tentavit, Polynice in urbem per inducias ad colloquium cum fratre introducto, cum propter tyrannidem insolentius se gereret Eteocles. Ibi Tiresias Thebanis victoriam prædixit, si Creontis filius Menœceus Marti victima foret. Abnuente patre, filius juvenis mortem sibi conscivit, Argum. *Phœniss.* vide ipsius Euripidis Fabulam *Phœniss.* Septem Thebani Principes, Argivis totidem, in totidem portis oppositi fuerunt: *Προιτίσι Μελάνιππος ὁ Ἀςακῶ. Ηλέκτραις Αἴθων πολυφόντα. Νηΐτισι Μεγαρεὺς Κρέοντος. Ογκας Ἀθανᾶς ὁ Οἴνοπος. Βορέαις Ἄκτωρ. Ομολωΐσι Λαθςένης. Υψίςαις Ετεοκλῆς*: vide in *Argivis*. Thebanis auxilio venerant e Phocide copiæ mercenariæ, & e Minyade terra Phlegyæ. Prælio ad Ismenum inito, in ipso congressu Thebani superati, & in fugam versi intra mœnia se receperunt: cumque Peloponnesii essent earum artium, quibus urbes oppugnantur, ignari, & ira incitati improvide impetum facerent, eorum multos de muris Thebani occiderunt: quin facta etiam eruptione, dissipatos turbatis ordinibus perculerunt. Itaque totus ille exercitus, uno Adrasto excepto, est ad internecionem cæsus. Capaneum ad portam Electram, dum vehementiore impetu muros ascendere conatur, fulmine ictum corruisse memorant, Pausan. *Bœot.* p. 555. 556. Ismarus Hippomedontem occidit: Leades Eteoclum: Amphidicus, vel ut Euripidi placet, Periclymenus Neptuni F. Parthenopæum, Apollod. *l.* III. p. 104. *β.* Mecisteum Adrasti fratrem & Tydeum generum occidit Menalippus Astaci F. Herod. *l.* v. p. 355. Sed Menalippus ab Amphiarao interfectus fuit, Pausan. *Bœot.* p. 568. *Τυδεὺς ὑπὲρ Μελανίππου τιτρωσκεις*, Apollod. *l.* I. p. 20 *α.* Sed lege *ὑπὸ* pro *ὑπὲρ*, & in versione *a*, non *pro*. Polynices & Eteocles fratres congressi singulari certamine, e provocatione, ambo ceciderunt, Pausan. *Bœot.* p. 551. vide Diodor. *l.* IV. p. 267. 268. Ea victoria Thebanis magna steterit clade: ex eo usurpatum, ut si qua victores pernicies opprimat, *Καδμεία νίκη* vocetur, Pausan. *Bœot.* p. 556. Sic *Καδμείη τις νίκη τοῖσι Φωκαιεῦσι ἐγένετο*, apud Herodot. *l.* I. p. 76. De hujus proverbii varia explicatione vide Zenobium & Suidam. Jocasta conspecta filiorum nece, se ferro transfixit, Euripid. *Phœniss.* v. 1563. seqq. laqueo gulam fregisse eam scribit Apollod. *l.* III. p. 100. *α.*

Creon Menœcei F. iterum regnum adiit, cæso Eteocle, id sibi ab ipso Eteocle datum dictitans, dotem nuptiis Hæmonis filii sui & Antigonæ filiæ Oedipi dictam, Euripid. *Phœniss.* v. 1580. seqq. Creontem tantum Laodamantis tutelam & regni administrationem gessisse scribit Pausanias *Bœot.* p. 551. Cum autem Creon cæsorum Argivorum cadavera ad sepulturam tolli vetaret, Theseus ab Adrasto rogatus, armis illa tradere Creontem coegit. Vide in *Atheniensibus*. Polynicis cadaver quoque Creon insepultum abjici jussit, proposita mortis pœna ei qui id sepelisset. Illud soror Antigone, clam custodibus, humo obruit: custodes, quibus mortem minabatur Creon, nisi facinoris auctorem indicarent, pulvere sublato, ut ante, excubias egerunt: reversa Antigone, ubi cadaver retectum vidit, se ipsa ejulatu prodidit. Ibi illa a Creonte viva in speluncam conclusa fuit. Hæmon, cui illa desponsa erat, doloris impatiens, juxta virginem præfocatam, sibi necem conscivit: Eurydice vero uxor Creontis tam tristi casu mota se ipsa interemit, Argument. Sophocl. *Antigon.* vide ipsam Fabulam. Thebani vero mota seditione adversus Creontem principem, Lycum Lyci superioris filium ex Eubœa in urbem reduxerunt, Argum. Euripid. *Hercul. Fur.* Euripides ipse ead. v. 31. seqq.

οὗ (Lyci senioris) *ταυτὸν ὄνομα παῖς πατρὸς κεκλημένος,*
Καδμεῖος οὐκ ὤν, ἀλλ' ἀπ' Εὐβοίας μολὼν
Κτείνει Κρέοντα, καὶ κτανὼν ἄρχει χθονός,
Στάσει νοσοῦσαν τήνδ' ἐπεισπεσὼν πόλιν.

Lycus occiso Creonte, regnum Thebis adeptus, uxori Herculis Megaræ & liberis necem molitus est, dum Hercules apud inferos erat, Euripid. *Hercul. Fur.* v. 37. seqq. Sed ab Hercule interemptus fuit, Euripid. *Hercul.* v. 755. seqq.

Laodamas Eteoclis filius: is Tripodem dedicavit, cui literis Cadmeis incisum fuit hoc Epigramma:

Λαοδάμας τρίποδ' αὐτὸς ἐϋσκόπῳ Ἀπόλλωνι
Μουναρχέων ἀνέθηκε, τεῒν περικαλλὲς ἄγαλμα.

Herodot. *l.* v. p. 352. Cum Laodamas adolevisset, & regni administrationem suscepisset, Argivi, qui Græcis *Επίγονοι* dicuntur, Thersandro Polynicis filio duce, iterum in Thebanos expeditionem susceperunt: constatque eorum signa sequutos non tantum Argivos, Messenios & Arcades: sed in auxilium accitos Corinthios etiam & Megarenses. Thebanis rursus opem finitimi tulere. Acriter utrinque ad Glisantem dimicatum est. Ibi Ægialeum Adrasti F. Laodamas occidit. Sed ab Argivis prœlio superatus, cum ea Thebanorum manu, quæ eum ultro sequuta est, insequente nocte fuga se in Illyrios recepit, Pausan. *Bœot.* p. 551. 556. *Επὶ τοῦ Λαοδάμαντος μουναρχέοντος ἐξανιστέαται Καδμεῖοι ὑπ' Αργείων, καὶ τρέπονται ἐς τοὺς Εγχέλεας*, Herodot. *l.* v. p. 352. Thebani, qui in urbe relicti sunt, per obsidionem expugnati fuerunt. Captas Thebas Argivi Thersandro Polynicis filio tradiderunt, Pausan. *Bœot.* p. 551. 556. Pars eorum Thebanorum, quæ cum Laodamante profugerant, ab itinere in Illyrios capessendo abhorruerunt: itaque in Thessalos conversi, Homolen occuparunt, omnium, qui in Thessalia sunt, montium maxime fertilem & aquis irriguum. Illinc a Thersandro revocati, portam, qua redeuntes urbem ingressi sunt, Homoloiden ab Homole nuncuparunt, Pausan. *Bœot.* p. 555. Cadmeos Tiresiæ vatis consilium sequutos, deserta urbe, noctu in Tilphosæum Bœotiæ profugisse, illicque Tiresiam ipsum obiisse magnificeque sepultum fuisse: & postea Cadmeos ea urbe relicta Doriensibus bellum intulisse, victosque patria expulisse, eorumque sedes occupasse ad tempus: & partim ibi remansisse, partim Thebas regressos fuisse, scribit Diodorus *l.* IV. p. 269. & *l.* XIX. pag. 696.

In eo vero fallitur, quod eos Creonte Menœcei F. regnante in patriam rediisse putet. Cadmi posteri συνεφύλαξαν τὴν ἀρχὴν ἡγέμενοι τῶν πλείστων Βοιωτῶν, ἕως τῆς τῶν Ἐπιγόνων στρατείας. κατὰ δὲ τούτους ὀλίγον χρόνον ἐκλιπόντες τὰς Θήβας, ἐπανῆλθον πάλιν, Strabo *lib*. IX. p. 401.

Thersander Polynicis F. pulso Laodamante, regno potitus fuit. Cum autem pars Agamemnonis copiarum, dum ad Trojanum bellum contenderet, ab instituto navigationis cursu aberrasset, & in Mysia cladem accepisset, fors ita tulit, ut Thersander, cujus in ea pugna præ cæteris Græcis virtus enituerat, a Telepho occideretur, fuitque ei circa Caicos campos in Elea urbe monumentum erectum, lapis in subdiali fori parte: incolæque ei parentarunt, Pausan. *Bœot*. p. 551. Mortuo Thersandro, altera jam classe contra Paridem & Trojanos comparata, Peneleus (Hippalci filius, Itoni nepos, Bœoti pronepos.) dux constitutus fuit, quod Tisamenus Thersandri F. nondum per ætatem imperio capessendo idoneus esset. Peneleus ab Eurypylo Telephi F. interfectus fuit, Pauf. *Bœot*. p. 551. Thebas desertas fuisse ob Epigonorum bellum quidam scribunt, ideoque neque participes fuisse militiæ adversus Trojanos: alii ajunt Thebanos ei bello interfuisse, sed tunc in planis locis habitasse infra Cadmeam, cum post Epigonorum impressionem non valuisset eam reficere: & quia Cadmea appellabatur Thebæ, Homerum (*Iliad*. B. v. 505.) Ὑποθήβας, ἀντὶ τοῦ ὑπὸ τῇ Καδμείᾳ οἰκοῦντας τοὺς τότε Θηβαίους, Strabo *lib*. IX. p. 412. Οἱ πλείους νοοῦσιν ὑπὸ Θήβας ἐν δυσὶ μέρεσι λόγου, ἀλλ᾽ ὑφ᾽ ἕν, Ὑποθήβας λέγοντες, πολισμάτιόν τι διὰ τὴν τοῦ τόπου θέσιν ὠνομασμένον. φασὶ δὲ οὕτω καλεῖσθαι τὰς Ποντίας τῆς Βοιωτίας. τινὲς δὲ Ὑποθήβας φασὶ, τὰς ὑποκειμένας κώμας τῶν ἑπταπύλοις Θήβαις. ἕτεροι δὲ Ὑποθήβας τὰς ἐλάττους Θήβας. ἃς δηλαδὴ ἠλάττωσαν οἱ ἐπίγονοι οἱ τῶν ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας. Eustath. *in Iliad*. β. duas posteriores expositiones reperies in *Schol. minor. in Iliad*. B. Thebanos qui remanserant, reliquis ad bellum Trojanum profectis, ejectos una cum aliis Bœotis a Pelasgis fuisse scribit Diodor. *lib*. XIX. p. 696.

Tisamenus Thersandri & Demonassæ Amphiarao genitæ filius, mortuo Peneleo, Rex declaratus fuit. Is dirarum Laii & Oedipi expers fuit, Pauf *Bœot*. p. 552. Cadmei, qui profugerant cum aliis Bœotis, Thebas redierunt, Strabo *lib*. IX. p 401. Sexagesimo autem anno post Ilii expugnationem rediisse Bœotos, auctor est Thucydides *lib* I. p. 9. seq. Οὐκ ὀλίγοις δὲ μετὰ ταῦτα (postquam a Pelasgis expulsi fuerant) περιπεσόντες συμπτώμασι, μόγις μετὰ τετάρτην γενεὰν, κατὰ τὸν γενόμενον ἐπὶ τῶν κοράκων χρησμὸν ἀπῆλθον εἰς τὴν Βοιωτίαν, καὶ τὰς Θήβας κατῴκησαν, Diodor. *lib*. XIX. pag. 696. Ab hoc tempore ad octingentos fere annos urbs stetit: atque initio Thebani suæ Gentis caput erant, Diodor. *lib*. XIX. pag. 697.

Autesion Tisameni F. Is ad Dorienses ex oraculo migrare coactus fuit, Pausan. *Bœot*. p. 552. Deditque Aristodemo Aristomachi F. Heraclidæ suam filiam Argian uxorem, e qua nati Eurysthenes & Procles: quorum, dum pueri patrem amittunt, tutor fuit avunculus Theras, Autesionis filius: is qui in Theram insulam, quæ prius Calliste dicta fuit, coloniam deduxit, Pausan. *Messen*. p. 220. Herod. *lib*. IV. p. 308.

Damasichthon Opheltæ filius, Penelei nepos, abeunte Autesione, Rex electus fuit, Pauf. *Bœot*. p. 552.

Ptolemæus Damasichthonis filius, idem *ibidem*.

Xanthus Ptolemæi filius. Eum Melanthus Andropompi F. in singulari certamine, non virtute, sed dolo perculit, idem *ibid*. Eufeb. *lib*. I. *Chron*. p. 33. vide in *Athenienf. Thymœtes*.

Thebanis post mortem Xanthi placuit non uni amplius in posterum, sed pluribus Reip. administrationem committere, Pausan. *Bœot*. p. 552.

Thebanis Philolaus Corinthius legum auctor fuit: erat vero ex Bacchiadarum genere: sed cum Dioclis ejus qui vicit Olympia (Olymp XIII.) amator esset; ille autem insanum matris Alcyonæ amorem aspernatus ac detestatus urbem reliquisset, Thebas una cum eo concessit, ibique ambo mortui sunt, Aristotel. *Polit. lib*. II. §. 12.

Thebani victi sunt prælio ab Atheniensibus, qui Platæensium defensionem susceperant, in eo bello, quod de agri finibus gerebatur, Pausan. *Bœot*. p. 552. vide in *Platæenf*.

Thebani quingenti cum reliquis Græcis Persam ad Thermopylas operiebantur, Herodot. *lib*. VII. pag. 513. Iique cum Lacedæmoniis jam a Persa circumventis perstiterunt, inviti quidem ac nolentes: sed eos Leonides Spartanus obsidum loco distinebat, Herodot. *lib*. VII. p. 520. Ad tempus igitur, dum quidem fuerunt una cum Græcis, necessitate adacti adversus copias Persicas dimicarunt Thebani duce Leontiade: at ubi res Persarum superiores esse animadvertere, ibi a Græcis, quibuscum fuerant, ad tumulum ire properantibus se dissociantes, manus ad Barbaros protenderunt, & propius ad eos accedentes affirmarunt, quod res erat, sese Medorum partes sequutos, inter primos Regi terram & aquam dedisse: ac vi coactos ad Thermopylas venisse, adeoque a culpa cladis Regi illatæ abesse. Hæc referentes, quorum Thessalos etiam testes habebant, servati sunt: non tamen usquequaque res iis successit. Eorum enim quidam a Barbaris, ut quisque accedebat, obtruncati fuerunt: pluribus, jussu Xerxis, regiæ notæ inustæ, initio a duce Leontiade facto, Herodot. *lib*. VII. pag. 523. 523. Thebas Attaginus & Timagenidas Thebanorum primores Xerxi Græciam invadenti prodiderunt, Pausan. *Achaic*. p. 415. Θηβαῖοι δ᾽ ἦσαν οἱ κατὰ Πλαταιέων τὸν Ξέρξην κινοῦντες, Ctesias. Ex Thebanis ii, qui cum Medis senserunt, in pugna ad Platæas strenue rem gesserunt, & fortissime dimicantes, trecenti eorum primores ac fortissimus quisque illic Atheniensium manibus occubuerunt: reliqui Thebas fugerunt. Sed equites Thebani, duce Asopidoro Timandri filio, equis, in Megarenses & Phliasios nullo ordine irruentes, incitatis, eorum sexcentos straverunt: reliquos ad Cithæronem usque eorum terga cædentes, persequuti sunt, Herodot. *lib*. IX. p. 613. Atque hanc alteram cladem acceperunt Thebani ad Platæas cum Atheniensibus congressi: quo tempore Xerxis amicitiam Græcorum saluti anteponere visi sunt. Veruntamen hujus rei culpa non fuit penes universum populum: tunc enim paucorum dominatus, non patria Reip. administratio viguit, Pausan. *Bœot*. p. 552. Undecimo vero post pugnam ad Platæas die, obsessi fuerunt Thebani a Græcis, jussique dedere eos qui Medorum partes sequuti fuissent, inprimis Timagenidem & Attaginum, factionis istius principes. Abnuentibus dedere Thebanis, agri vastari & mœnia oppugnari cœperunt. Ibi Timagenidis consilio, vigesimo die Thebani caduceatorem ad Pausaniam miserunt, viros dedituri. Ubi conventum fuit inter ipsos, Attaginus ex urbe profugit, liberique ejus ad Pausaniam deducti, ab eo dimissi fuerunt, tanquam culpæ immunes. Cæteri a Thebanis dediti, quibus spes erat se pecunia crimen redempturos, a Pausania, dimissis omnium sociorum copiis, Corinthum deducti supplicio affecti fuerunt, Herodot. *lib*. IX. p. 620. 621.

Thebis poſt pugnam ad Oenophyta(de qua vide Thucyd. *lib.*I.p.70.) Reſp. male adminiſtrabatur a populo, atque tum Democratia penitus exſtincta atque oppreſſa fuit, Ariſtotel.*de Rep.lib.*v.cap.III.

Thebani cum bellum fore præviderent, Platæenſium, quibus cum perpetuas ſimultates alebant, in pace, belloque nondum moto, urbem intercipere cupiebant. Rem aggreſſi ſunt per Eurymachum Leontiadæ F.virum Thebanorum potentiſſimum, introductique in urbem Thebani paulo plures trecentis, circa primum ſomnum, ducibus Pythangelo Phylidæ F. & Diemporo Onetoridæ F. Bœotarchis, (proditione Nauclidis Platæenſis & aliorum, qui inimicos ſibi cives e medio tollere, & urbem Thebanis adjungere volebant) per præconem edixerunt, ut ſi quis ex patriis Bœotorum inſtitutis eandem belli ſocietatem ſequi vellet, apud ipſos arma poneret. Infelix ille fuit conatus, cæſis vel deditis omnibus, quicunque urbem ingreſſi fuerant: mox & captivos qui ſe dediderant, numero centum & octoginta, & inter illos Eurymachum occiderunt Platæenſes, Thucyd. *lib.* II. p. 99. ſeqq. Εὐρύμαχον (Leontiadæ F. χρόνῳ μετέπειτα ἐφόνευσαν Πλαταιέες, στρατηγήσαντα ἀνδρῶν Θηβαίων τετρακοσίων, καὶ σχόντα τὸ ἄστυ τῶν Πλαταιέων, Herodot. *lib.*VII.p.524.

Thebani, qui in dextro cornu erant in pugna ad Delium in Tanagræis, Athenienſes vicerunt, Thucyd. *lib.*v.p.317. Pauſan. *Bœot.*p.552.

Thebani bello contra Mantinenſes geſto Lacedæmoniis auxilia miſerunt. Ibi Pelopidam ſaucium magno ſuo periculo in pugna ſervavit Epaminondas, Pauſan. *Bœot.* p. 560.

Thebani, confecto bello Peloponneſiaco, & exarmata jam Athenienſium claſſe,non ita multo poſt arma contra Lacedæmonios moverunt: cum quibus poſt Perſarum e Græcia diſceſſum uſque ad id tempus, iis optime convenerat, Pauſan. *Bœot.*p. 552. Concitati fuerunt ad id bellum Thebani a Tithrauſte, miſſo per Timocratem Rhodium Thebas auro, datoque Androclidæ, Iſmeniæ & Galaxidoro, quo ex Aſia Ageſilaus revocaretur: ſocioſque illius belli Corinthios, Argivos & Athenienſes habuerunt. Ac primum quidem Thebani Locris Opuntiis contra Phocenſes, qui in Locridem irruerant, opem tulerunt. Lacedæmonii a Phocenſibus opem rogati, ultro movendi adverſus Thebanos belli occaſionem arripuerunt, jam olim iis infenſi, quod (1.) apud Deceleam Apollinis decumam ſibi vindicaſſent. (2.) Adverſus Piræum ſequi Lacedæmonios noluiſſent. (3.) Corinthiis auctores exſtitiſſent, ne in eadem expeditione ſe Lacedæmoniis adjungerent. (4.) Non ſolum in Aulide rem Divinam Ageſilaum facere prohibuiſſent, ſed etiam mactatas hoſtias de ara dejeciſſent. (5.) Ne quidem in Aſiam cum Ageſilao expeditionem ſuſcipere voluiſſent, Xenoph.*Hellen.lib.*III.p.392. Prima autem expeditio Lacedæmoniorum contra Thebanos infelix fuit, cæſo ad Haliartum Lyſandro: vide in *Lacedæmon. Pauſanias*. Altera pugna victi cum ſociis Thebani; vide in *Lacedæm.* Ariſtodemus item, ad Coroneam ab Ageſilao: vide in *Lacedæm. Ageſilaus*.

Thebani in pacem Antalcidæ omnium Bœotorum nomine jusjurandum præſtare volebant: ſed Ageſilao negante ad accipiendum, niſi jurarent ex ſententia literarum Regiarum, oppida parva magnaque ſui juris fore, & comminante excludendos ſocietate fœderis, tandem fœderis conditiones accipere, & oppida Bœotica libera relinquere coacti ſunt, Xenoph. *Hellen.lib.*v.p. 430.

Thebani inter ſe diſſidebant, & forte Prætores erant Iſmenias & Leontiades, inimici inter ſe, & ſuæ uterque factionis dux. Cum autem Phœbidas dux Lacedæmonius cum copiis Acanthum ituris, Thebas veniſſet, Leontiadæ inſtinctu & proditione, Thebanam arcem occupavit. Tum Iſmenias captus, & cæteri factionis Leontiadæ adverſæ, ſibi metuentes ex urbe fugerunt, & CCCC. circiter Athenas ſe contulerunt. Iſmeniæ in locum alius Prætor deſignatus fuit, ipſe judicium (ii erant Lacedæmonii tres, ex ſociorum quolibet parvo magnoque oppido ſinguli) ſententiis damnatus mortem oppetiit. Ita Leontiades in ſua poteſtate Thebas habens, in Lacedæmoniorum gratiam plura fecit, quam ei præcipiebatur, Xenoph. *Hellen.lib.*v. p. 435. ſeqq. vide Plutarch. *de Dæmone Socratis*.

Thebani exſules conſilio, & arte Phyllidæ, qui ſcriba Polemarchi Archiæ erat, introducti habitu fœminarum ad comeſſantes Polemarchos, & aſſidere juſſi eoſdem trucidarunt. Tum Leontiadem a cœna ſeorſum recubantem occiderunt, & eductis carcere, qui illic vincti erant, armatiſque, Thebanos omnes, equites & pedites, ædibus ſuis egredi per præconem juſſerunt, quod jam Tyranni perempti eſſent. Adfuerunt & auxilio Athenienſes: ibi metu territi qui in arce erant, ſe inde abituros ſignificarunt, ſi ſibi tuto abeundi cum armis facultas daretur. Data illis fide ſacramento firmata cum exirent, quicunque ex hoſtium numero agniti fuerunt, comprehenſi necatique: nonnulli ab Athenienſibus clam ſurrepti ſervati: cum Thebani etiam cæſorum liberos comprehenſos trucidarent. Lacedæmonii arcis præfectum, quod eam non exſpectatis ſubſidiis dediſſet, interfecerunt, & adverſus Thebanos bellum decreverunt, duce Cleombroto.

Thebani interim, Sphodria Lacedæmonio Theſpiis præfecto, ut Atticam cum copiis invaderet Piræum occupaturus, largitionibus corrupto, Athenienſes adverſus Lacedæmonios concitarunt, quia viderunt id Sphodriæ facinus non tantum inultum Lacedæmone fuiſſe, ſed etiam collaudatum. Inde Ageſilaus dux conſtitutus primum per ſe, inde per Phœbidam Thebanum agrum igni ferroque vaſtavit. Sed Phœbida in quadam velitatione cæſo, res Thebanæ meliore loco eſſe cœperunt, moto jam adverſus Theſpienſes & reliqua finitima oppida bello. Itaque populus ex iis Thebas migravit: in omnibus enim oppidis imperia erant talia conſtituta, qualia Thebis. Ageſilaus vero jam iterum agrum Thebanum populatus. Thebani annonæ inopia preſſi, quod biennio nullos ex agro fructus percepiſſent, Pagaſas ad frumentum comparandum duas triremes miſerunt. Sed ab Alceta Orci præfecto intercepti homines, negligentia ipſius Alcetæ animadverſa, arcem Orci ceperunt, & magna copia frumentum Thebas deportarunt. Inde Cleombrotus copias adverſus Thebanos duxit, ſed ſucceſſu nullo, Xenoph. *Hellen.lib.* v.p.442.443. ſeqq.

Thebani, Bœotiæ oppidis in ſuam poteſtatem redactis, etiam in Phocenſium fines expeditionem ſuſceperunt: Lacedæmonii contra mari illuc Cleombrotum Regem cum copiis miſerunt, Xenoph. *Hellen. lib.* 6. init.

Thebani, pace inter Lacedæmonios ac Athenienſes inita, excluſi fuerunt, quod, cum inter urbes alias, quæ jurarant, nomen ſuum profeſſi eſſent, poſtridie reverſi eorum legati peterent, ut mutata ſcriptura pro Thebanis ſubſtitueretur juraſſe Bœotios, idem *ibid.* p.464.

Thebanis, quia neque urbes Bœoticas liberas eſſe permittebant, neque copias dimittebant, ſed eas in aciem adverſus Cleombrotum educebant, Cleombrotus ex Phocide deducto exercitu, arma intulit, prælioque commiſſo ad Leuctra victus occubuit, idem *ibid.*ſeqq. Thebani, victis ad Leuctra Lacedæmoniis, omnium quas de Græcis Græci un-

quam reportarunt, maxime illustrem victoriam sunt adepti, ductu & auspiciis inprimis Epaminondæ: qui illustribus quidem generis claritate majoribus, sed patre Polymnide tenuioris rei homine inter Thebanos oriundus, a puero patriis disciplinis accuratissime erudiendus Lysi Tarentino traditus fuit, homini Pythagoræ Semii præceptis instructo, Pausan. *Bœot.* p. 552. 560.561.562. vide in *Lacedæm. Cleombrotus*. Eidem præceptori in disciplinam traditus fuit Philippus Amyntæ F. quem pater ab Illyriis victus obsidem dederat, & Illyrii Thebas custodiendum miserant, & Thebani Epaminondæ patri curandum ac instituendum commiserant, Diodor. *lib.* XVI. p. 406. Plutarchus in *Pelopida*.

Thebani post victoriam Leuctricam, arcessito in Bœotiam cum exercitu Jasone Pheræo, quem socium habebant, Lacedæmonios invadere voluerunt, sed Jasonis consilio inducias sanxerunt, Xenoph. *Hellen. lib.* VI. p. 468. Decurionatus vero, quos in civitatibus constituerant Lacedæmonii, sustulerunt, & Harmostas ejecerunt, Pauf. *Bœot.* p. 552. Ita Thebanos Epaminondas, quos nactus fuerat rebus suis maxime diffidentes, & aliorum imperiis assuefactos, brevi ad Principatus gloriam evexit, Pausan. *Arcad.* p. 474.

Thebani Mantinensibus adversus Lacedæmonios opem laturi in Peloponnesum ingressi, sociis, Phocensibus, jam in ipsorum potestatem redactis, & Euboicis ex omnibus oppidis, & utrisque Locris, & Acarnanibus, & Heracleotis, & Maliensibus, equitibusque ac cetratis e Thessalia, sequentibus, instigati ab Arcadibus, Argivis, & Eleis, Laconicam invaserunt, & Sellasiam adorti, direptam cremarunt: inde progressi, ut ad dextram amnem Eurotam haberent, ædes magna bonorum copia plenas populati succenderunt. Cumque Amyclas accessissent, illic Eurotam transierunt. Tum ad Hippodromum ac Geaochi fanum progressi, levi conflictu a Lacedæmoniis repulsi fuerunt. Et cum Spartam amplius adoriri audaciæ plenum videretur, abducto inde exercitu, oppida obvia muris carentia exusserunt, & Gytheum triduo toto oppugnarunt. Porro Arcadibus, Argivis & Eleis e Laconica præda onustis discedentibus, etiam ipsi sine suo incommodo, (quod Iphicrates Atheniensis, qui Lacedæmoniis auxilio venerat, transitum juxta Cenchreas, qua domum redituri erant Bœoti, sine præsidio reliquisset) ad sua abierunt, Xenoph. *Hellen. lib.* VI. p. 472. seqq. Expeditionis hujus Thebanæ dux fuit Epaminondas, qui dum in Peloponneso fuit, Mantinenses in vicos dispersos in veterem urbem reduxit: & Arcadibus auctor fuit condendæ urbis Megapoleos: & exacto imperii tempore, cum lex capitis pœnam ei qui imperium continuasset, irrogaret, alienissimo Reip. tempore non esse legis rationem habendam ratus, imperium retinuit. Idem Alexandrum Pheræum metu injecto Pelopidam Thebanis restituere coegit, Pausan. *Bœot.* p. 563. 564. Plutarch. *Pelopida*.

Thebani Orchomenios suis sedibus expulerunt, Pausan. *Bœot.* p 564.

Thebani assidue consultantes, qua ratione principatum Græciæ adipiscerentur, & per Persarum Regem voti se compotes fore sperantes, convocatis sociis Pelopidam Thebanum, Antiochum Arcadem, & Achidamum Eleum ad Regem miserunt. Ibi Pelopidas commemoratis priscis recentibusque suorum factis, a Rege obtinuit, ut decreto perscriberetur, ut Lacedæmoniorum potestati Messene eximeretur, utque Athenienses naves subducerent: ni parerent, bellum indicendum iis esse: quod si qua civitas sequi recusaret, eam pri- A mam esse debere, quæ cum exercitu peteretur. Sed instituta hoc pacto imperii affectatio a Pelopida & Thebanis in nihilum recidit, civitatibus in illud Regis decretum jurare recusantibus, Xenoph. *Hellen. lib.* VII. p. 485. seqq.

Thebani duce Epaminonda Achaiam invaserunt: vide in *Achæis*.

Thebani, cum Mantinei aliique Arcades, Elei, Achæi, missis quoque Athenas & Lacedæmonem nunciis commune pro defendenda Peloponneso fœdus pepigissent, Peloponnesum duce Epaminonda, sequentibus Bœotis omnibus, Euboensibus ac Thessalis multis, ingressi, in Nemea B substiterunt aliquandiu, se Athenienses transeuntes intercepturos rati; sed Atheniensibus mari iter facientibus, Tegeam concesserunt. Et Epaminondas certior factus hostes se ad Mantineam magna cum cura muniisse, ac Agesilaum ab iis arcessitum cum copiis domo profectum ad Pellenen esse, recta Spartam copias duxit: & nisi Cretensis quidam Agesilao ejus adventum nunciasset, Spartam defensoribus vacuam cepisset: sed Agesilao eum antevertente, urbem quidem ingressus, cum aliqua suorum clade inde abiit, veritus ne Arcades Lacedæmonem opis ferendæ causa accurrerent. C Tandem ad Mantineam commisso prælio victor universum hostilem exercitum in fugam conjecit. Sed postquam ipse occubuit, Thebani uti victoria nescierunt: fuitque is eventus pugnæ, ut utrique quasi victores tropæum statuerent, & mortuos per inducias redderent, & utrique quasi victi cæsos per inducias reciperent: hinc factum, ut neque hi, neque illi regione aliqua, vel oppido, vel imperio magis aucti, quam ante pugnam, viderentur. Confusio certe, majorque rerum perturbatio in Græcia, quam ante fuerat, sequuta fuit, Xenoph. *Hellen lib.* VII. p. 502. seqq. A Gryllo Xenophontis Historici F. interemptum ferunt Epami- D nondam; ejus vero statuæ hoc carmen adscriptum fuit:

Ημετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν,
Μεσσήνη δ' ἱερὰ τέκνα χρόνῳ δέχεται.
Θῆβαι δ' ὅπλοισιν μεγάλη πόλις ἐστεφάνωται,
Αὐτόνομος δ' Ἑλλὰς πᾶσ' ἐν ἐλευθερίῃ.

Pausan. *Bœot.* p. 365.

Thebani bellum Phocicum, quod sacrum Græci appellarunt, annos perpetuos decem gesserunt, Pausan. *Bœot.* p. 552. quo temporis intervallo, modo Phocenses cum suis conductitiis, modo Thebani victores fuerunt, Pausan. *Phocic.* p. 612. Tandem cum Thebanis per legatos opem implorantibus so- E cietatem belli hujus coivit Philippus Amyntæ filius: susceptaque ejus administratione, hostes acie fudit, belloque tandem finem imposuit, Pausan. *Phocic.* p. 612. 613. vide Diodor. *lib.* XVI. Durante hoc bello, Thebani ab Artabazo, qui a Rege Persico defecerat, sollicitati Pammenem ducem, & militum quinque millia in Asiam miserunt. Ibi Pammenes duobus magnis præliis præfectos Regios in rem Artabazi superavit, sibique & popularibus suis Bœotis magnam gloriam peperit, Diod. *lib.* XVI. p. 434.

Thebani ab Atheniensibus de auxiliis sollicitati adversus Philippum Amyntæ F. castra cum Athe- F niensibus simul ad Chæroneam junxerunt, hostem operientes. Ibi commisso prælio Bœotorum multi interempti, nec pauciores capti: Philippus victor cum Thebis præsidium imposuisset, deducto eo, pacem etiam Thebanis concessit, Diodor. *lib.* XVI. p. 474. seqq. Mortuo Philippo Thebani præsidium Regium e Cadmea pellere, neve amplius Græciæ imperium penes Macedones esset, decreverunt. Alexander vero Philippi F. mature cum exercitu e Thracia superveniens, Thebanos fortissime dimi-

cantes superavit, adjuvantibus etiam iis qui in præsidio Cadmeæ erant. Ibi nullum genus crudelitatis in victos prætermissum fuit: rapti pueri, & virgines, & senes qui ad templa confugerant: cæsorum numerus fuit supra sex millia, (nonaginta millia, Ælian.) capti plures triginta millibus: pecuniæ vis immensa distracta: factoque decreto urbs diruta fuit, Diodor. *lib.* XVII. p. 488. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. Sacerdotibus pepercit Alexander, & antiquis patris hospitibus, eorumque cognatis: Pindari quoque familiam honoravit, ejusque domum solam incolumem esse jussit, Ælian. *Var. lib.* XIII. c. VII. Auctor *Vitæ Pindari*, qui etiam Lacedæmonios ante, cum Bœotiam & Thebas igni vastarent, a sola Pindari domo abstinuisse refert, conspecto hoc, qui illi inscriptus fuit, versu:

Πινδάρου τοῦ μουσοποιοῦ τὰν στέγαν μὴ καίετε.

Thebani, qui supererant, Athenas profugerunt, Pausan. *Bœot.* p. 552. Agrum vero finitimis Bœotis attribuit Alexander, Diodor. *lib.* XVIII. p. 595.

Thebani a Cassandro Antipatri F. restituti sunt: ac ad Thebas quidem instaurandas egregiam præ aliis operam navarunt Athenienses, adjuvantibus etiam Messeniis & Megalopolitanis, Pausan. *Bœot.* p. 553. Thebani *ὑπὸ τῶν αὐτῶν (Μακεδόνων) καὶ ἀπέβαλον τὴν πόλιν κατασκαφεῖσαν, καὶ ἀνέλαβον ἀνακτισθεῖσαν*, Strabo *lib.* IX. p. 403. vide Diodor. *lib.* XIX. p. 696. 697.

Thebas, ejecto præsidio, dux Antigoni Ptolemæus libertati restituit, Didor. *lib.* XIX. p. 718.

Thebani a Ptolemæo Philometore, tertio postquam defecerant anno, armis subacti, tam graviter mulctati fuerunt, ut qui ante ditissimas quasque Græciæ civitates, Delphos etiam ipsos, penes quos erat sacrata Deo pecunia, & Orchomenios opibus superarent, nullum pristinæ fortunæ vestigium retinuerint, Pausan. *Attic.* p. 15.

Thebæ, quod Bœotiæ caput est, in magno tumultu erant, (quo tempore Perseus bellum in Romanos moliebatur) aliis ad Perseum trahentibus civitatem, aliis ad Romanos: & turba Coronæorum Haliartiorumque convenerat ad defendendum decretum Regiæ societatis. Sed constantia Principum victa multitudo, & ut tolleretur Regia societas, decrevit: & eos qui auctores paciscendæ amicitiæ fuerant, ad satisfaciendum Legatis Romanis Chalcidem misit, fideique Legatorum commendari civitatem jussit. Thebanos Legati læti audiverunt, auctoresque & his separatim singulis fuerunt ad renovandam amicitiam mittendi Romam Legatos: ante omnia exsules restitui jusserunt, & auctores Regiæ societatis suo decreto damnarunt, Livius *lib.* XLII.

Thebas bello Macedonico sine certamine recepit Lucretius Pr. urbemque exsulibus tradidit, & qui Romanorum partis erant: adversæ factionis hominum fautorumque Regis & Macedonum familias sub corona vendidit, Livius *lib.* XLII.

Thebani in Phocensium fines armati excurrerant, & agrum Euboensium populati fuerant, & Amphissensium frumenta sub messis tempora dissecuerant. Ob eas causas Metellus Thebanos jussit iis pecuniam pendere, quos injuria affecissent. Incitavit ergo Pytheas Bœotarcha Achæos ad bellum suscipiendum, & Thebani ultro professi sunt se belli contra Romanos fore socios. Et interfuerunt prælio ad Scarphean Locrorum. Jamque una cum Achæis Heracleam obsidebant, cum Metellus, cæsis Arcadibus, infesto agmine ad Thebas contenderet. Metello appropinquante, Thebanæ mulieres, & cujusvis ætatis viri, urbe relicta, partim per Bœotiæ agros, & oppida sunt dispersi, partim in juga montium confugerunt. Metellus vero neque Deum templa exuri, neque domos everti passus fuit: edicto etiam cavit, ne quis e cæteris Thebanis vel occideretur, vel fugiens caperetur. Solum Pythean ad se perductum merito affecit supplicio, Pausan. *Achaic.* p. 423. 424. 425.

Thebani se Mithridati adversus Romanos bellum gerenti adjunxerunt, publica Atheniensium amicitia adducti. Sed Sylla cum exercitu Bœotiam ingresso, sua studia, terrore periculi, mutata sententia ad Romanos converterunt: non tamen Sylla propterea quicquam de sua in illos ira remisit: nam & alia ad Thebanorum fortunas imminuendas excogitavit, & dimidia eos agri parte mulctavit, Diis adjudicata, ut sacrilegii infamiam redimeret, eo quod pecuniæ egens initio belli Mithridatici donaria ex Olympia, Epidauro & Delphici Apollinis templo conflata, stipendium militi divisisset. Thebani tamen agrum a Sylla ademptum Romanorum liberalitate postea receperunt, Pausanias *Bœot.* p. 554.

Thebanos a Syllæ temporibus ad summam redactos fuisse inopiam, & sua quidem ætate totam inferiorem urbem, delubris Deorum exceptis, desertam fuisse, arcem habitatam, Thebarum non Cadmeæ nomine, scribit Pausan. *Bœot.* p. 554. *Ἐξ ἐκείνου* (a Macedonum temporibus) *ἤδη πράττοντες* (*οἱ Θηβαῖοι*) *ἐνδεέστερον ἀεὶ μέχρι εἰς ἡμᾶς, οὐδὲ κώμης ἀξιολόγου τύπον σώζουσι*, Strabo *lib.* IX. p. 403.

ORCHOMENII.

ANdreus Penei fluminis filius in his locis primus consedisse, & de se Andreidem illam terram appellasse traditur. Is Athamanti Æoli F. cum illuc venisset, de suo agro, illum qui circa Laphystium est, & Coroneam, & Haliartiam, concessit, Pausan. *Bœot.* p. 594. Cum autem Athamas nullam sibi civilem prolem superstitem esse putaret, (vide in *Alusiis*) filios Thersandri, fratris sui Sisyphi nepotes Coronum, & Haliartum adoptavit: sed redeunte e Colchis vel ipso Phrixo, ut quidam dicunt, vel ut alii malunt, Presbone Phrixi ex Æetæ filia filio, censuerunt Thersandri filii regnum Athamantis jure ipsi Athamanti & ejus soboli reddendum: accepta itaque ab Athamante agri parte, Coroneæ & Haliarti conditores fuerunt, Pausan. *Bœot.* p. 594. 595. Andreis urbs ab Andreo condita & appellata quoque videtur, Pausan. *Bœot.* p. 596. Ex Athamante oriundi, qui in Lycia, Græci, Plato *Polit.* p. 315. C. *Τῶν Αἰόλου παίδων Ἀθάμας δυναστεύων Βοιωτίας* dicitur Apollodor. *lib.* I. p. 20. β. *Καὶ Ἑλλάνικός φησι τὸν Ἀθάμαντα Ὀρχομενὸν ᾠκηκέναι*, Scholiast. Apollon. *Argon. lib.* III. v. 269. seqq. ubi dicitur, *Ὀρχομενὸς κτεάνων Ἀθάμαντος ἔκητι*.

Eteocles Andrei F. ex Euippe Leuconis filia: eam enim Andreus, despondente avo Athamante, uxorem duxerat. Pervulgata inter cives fama fuit, Eteoclem Cephisi amnis satu genitum fuisse: quocirca & poetarum quidam Cephisiadem Eteoclem in carminibus appellarunt. Eteocles suscepto regno, agrum ab Andreo vocari passus fuit; tribus vero constituit Cephisiadem, & alteram de suo nomine dictam. Venienti ad se Halmo Sisyphi F. non magnam utique soli partem concessit: & ab hoc Halmo vici Halmones appellati fuerunt. Sed iis, quæ sequuta sunt, temporibus usus obtinuit, ut vicus unicus Halmones vocaretur. Eteoclem Bœoti primum omnium Gratiis sacra fecisse memorant, Pausan. *Bœot.* pag. 595. Theocrit. *Idyll.* XVI. v. 104. seqq.

Ω Ετεόκλειοι Χάριτες θεαὶ, αἱ Μινύειον
Ορχομενὸν φιλέοισαι, ἀπεχθόμενόν ποτε Θήβαις.

De Eteocle vide Strabon. *lib.* IX. p. 414. Halmo filiæ fuerunt Chryſogenea, & Chryſe: e Chryſe fama eſt Phlegyam Marti genitum: e Chryſogenea Neptuno Chryſen, Pauſan. *Bœot.* p. 596. 597. E Chryſogenea & Neptuno Minyam natum ſcribit Schol. Apollon. *Argon. lib.* III.

Phlegyas Martis & Chryſes filius Eteocli, cum hic virilem ſobolem nullam reliquiſſet, in imperio ſucceſſit. A Phlegya Phlegyantis, quæ antea Andreis vocabatur, terra mutato nomine appellata fuit. Condidit autem Phlegyas urbem de ſuo nomine appellatam, congregatis in eam bellica virtute præſtantiſſimis quibuſque e Græcia, Pauſ. *Bœot.* p. 596. 597. Phlegyas fuit omnium ſui temporis bellator acerrimus: & in quamcunque partem excurſiones feciſſet, ex ea cum frumenta, tum reliqua omnia egit ac rapuit, Pauſan. *Corinth.* p. 132. Phlegyas ſine virili ſobole diſceſſit: filiam habuit Coronidem: de qua vide in *Epidauriis*. Phlegyam a Lyco & Nycteo fratribus occiſum fuiſſe ſcribit Apollodor. *lib.* III. p. 96. *a.*

Chryſes Neptuni & Chryſogeneæ filius Phlegyæ ſucceſſit, Pauſan. *Bœot.* p. 697.

Minyas Chryſæ filius: ab eo Minyæ appellati, quibus imperavit. Ei tam ampla fuerunt vectigalia, ut ſuperiores divitiis ſuperarit: primuſque omnium, de quibus aliquid accepimus, ærarium ad ſervandam pecuniam ædificavit, Pauſan. *Bœot.* p. 597. Minyæ ærarium, unum eſt de Græciæ miraculis, nulli omnino eorum, quæ uſquam alibi ſint, operum magnificentia ſecundum, Pauſan. *Bœot.* p. 600. A Minya Μινύεια urbs dicitur Pindaro *Olymp.* ode XIV. ſtr. II. Ea eſt Orchomenus: hæc enim opus Minyæ. Apollonius *Argon. lib.* III. v. 1092.

Μινύην γε μεν ὁρμηθέντα
Αἰολίδην Μινύην ἔνθεν φάτις Ορχομενοῖο
Δή ποτε Καδμείοισιν ὁμούρον ἄστυ πολίσσαι.

Minyæ genus illic a Scholiaſta ſic deducitur: Siſyphi filii Almus & Porphyrion: Chryſogonæ filiæ Almi, & Neptui filius Minyas, ὁ τὸ Ορχομενὸν κτίσας.

Clymene Minyæ filia Phylaco nupta mater fuit Alcimedæ, quæ nupta Æſoni Jaſonem peperit, Apollon. *Argon. lib.* I. v. 45. ſeq. 232. ſeq. Minyæ filias Leucippen, Arſinoen & Alcathoen ferunt furore actas, humanas appetiſſe carnes: & ſortes de liberis jeciſſe: Leucippe vero ex ſorte præbente filium Hippaſum diſcerpendum, vocari quidem viros, lugubri præ dolore veſte utentes, Ψολόεις, ipſas vero Αἰολείας: & uſque ad hæc tempora Orchomenii, quæ ex his oriundæ ſint, ita vocant, ſinguliſque annis Dionyſii ſacerdos ſtricto eas gladio perſequitur in Agrioniis, permiſſumque eſt eam, quæ comprehenſa fuerit, occidere, Plutarh. *Qu. Græc.* XXXVIII. Minyæ quidam ex Orchomeno Jolcum migrarunt, Strabo *lib.* IX. p. 414. Ο δὲ Σκήψιος Δημήτριός φησι τοὺς περὶ τὴν Ιωλκὸν οἰκοῦντας Μινύας προσαγορεύεσθαι, Schol. Apollon. *lib.* I. p. 26. vide in *Æol. Jolci*.

Orchomenus Minyæ filius. Eo regnante, & urbs Orchomenus, & populus Orchomenii appellati: manſit nihilominus Minyarum cognomen, ut ab Orchomeniis Arcadicis diſtinguerentur, Pauſan. *Bœot.* p. 597. Ορχομενὸν τὸ Μινύειον πρότερον καλούμενον, νῦν δὲ Βοιώτειον, Thucyd. *lib.* IV. p. 303. Ορχομενὸν Μινύειον, Homer. *Iliad.* B. v. 511. Theocrit. *Idyll.* XVI. v. 104. Ορχομενὸς, πόλις εὐδαίμων ἦν καὶ πλουσία. Βοιώτιος δὲ τῷ τοῦ Διὸς Ορχομενῷ ἐπωνόμασται, Euſtath. *in Iliad.* B. Ad Orchomenum Hyellus Argivis venit fugiens ob Moluri Ariſbantis filii cædem, quem in uxoris adulterio deprehenſum interfecerat. Satiſque conſtat Hyellum primum omnium de adulterio pœnam ſumpſiſſe. Auctor Carminis, quod *Eœas magnas* appellant Græci:

Υηττος δὲ Μόλυρον Αρίσβαντος φίλον υἱὸν
Κτείνας ἐν μεγάροις εὐνῆς ἕνεχ' ἧς ἀλόχοιο,
Οἶκον ἀποπρολιπὼν φεῦγ' Αργεος ἱπποβότοιο,
Ιξεν δ' Ορχομενὸν Μινύειον καί μιν ὅγ' ἥρως
Δέξατο, καὶ κτεάνων μοῖραν πόρεν, ὡς ἐπιεικές.

Conceſſit autem Hyetto Orchomenus eam agri partem, quæ circa Hyettum vicum eſt, cum tota vicinitate, Pauſan. *Bœot.* pag. 597. 598. Orchomenum Jovis & Heſiones Danæo natæ filium, Minyæ vero ex Hermippe Bœoti filia patrem fuiſſe ſcribit Scholiaſt. Apollon. *Argon. lib.* I. p. 26. Jovis & Hermippæ Bœoto natæ filium, ſcribit Auctor Sch. min. *Iliad.* B. Orchomeni filios fuiſſe ajunt, Aſpledonem, Clymenum & Amphidocum Θεοειδῆ, Euſtath. *in Iliad.* B.

Clymenus Presbonis filius, Phrixi nepos, Athamantis pronepos, mortuo ſine ſobole Orchomeno, regno potitus eſt. Ei filii fuerunt Erginus, Stratius, Arrhon, Pyleus, Azeus. Clymenum ipſum, dum feſti dies Oncheſtii Neptuni agitarentur, Thebani homines vehementi ira, e levi cauſa, concitati occiderunt, Pauſan. *Bœot.* p. 598. A Periere Menœcei auriga ictu lapidis interemptum refert Apollod. *lib.* II. p. 57. a. Azei filius Actor fuit, pater Aſtyoches, quæ ex Marte Aſcalaphum & Jalmenum peperit: vide infra.

Erginus Clymeni filius natu maximus patri ſucceſſit, ætatis jure. Is mox cum fratribus, comparato exercitu, Thebas adortus, prælio hoſtes fudit: icto deinde fœdere Thebani ſe annua pecunia de Clymeni cæde ſatisfacturos pacti ſunt, Pauſan. *Bœot.* p. 598. In viginti annos, ut ſingulis centenos boves darent tributi nomine pactum fuiſſe ſcribit Apollod. *lib.* II. p. 57. α. Θηβαῖοι δασμὸν ἐτέλουν τοῖς Ορχομενίοις καὶ Εργίνῳ τῷ τυραννοῦντι αὐτῶν, Strabo *lib.* IX. p. 414. Cum autem aliquando Legati Ergini Thebas ad tributum exigendum miſſi in Herculem incidiſſent, Hercules eos ignominia affecit, defectiſque auribus & naribus, eorum manus funiculis ipſorum collis alligavit, inſultans ſimul, τοῦτον Εργίνῳ καὶ Μινύαις δασμὸν κομίζειν juſſit, Apollod. *lib.* II. p. 57. α. β. Cum ergo Hercules ad Thebanorum res tuendas ſe convertiſſet, tributo liberati ſunt Thebani, & Minyarum opes bello magnopere acciſæ fuerunt, Pauſan. *Bœot.* p. 598. Euripid. *Hercul. Fur.* de Hercule v. 220. ſeq.

Ος εἷς Μινύαισι πᾶσι διὰ μάχης μολὼν,
Θήβαις ἔθηκεν ὄμμ' ἐλεύθερον βλέπειν.

Erginum Thebanis bellum intuliſſe, & ab Hercule occiſum fuiſſe, & duplum Minyis ab eodem imperatum fuiſſe tributum, quod Thebanis penderent: eoque bello Amphitryonem periiſſe ſcribit Apollod. *lib.* II. pag. 57. α. β. Erginus, ut qui confectos jam prope belli calamitatibus cives ſuos videret, pacem quidem cum Hercule fecit: ad priſtinas autem opes, & felicitatem redintegrandam converſus, ita præ hac una cura omnia contempſit cætera, ut ſenectus eum cœlibem & orbum oppreſſerit. Magna demum congeſta pecunia, cupiditas eum liberos ſuſcipiendi cepit. Itaque cum Delphos ea de re conſulturus veniſſet, tale accepit reſponſum:

Εργῖνε Κλυμένοιο παῖ Πρεσβωνιάδαο
Οψ' ἦλθες γενεὴν διζήμενος, ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν
Ιστοβοῆϊ γέροντι νέην ποτίβαλλε κορώνην.

Hujus oraculi monitu Erginus adoleſcentulam uxorem duxit, ex qua illi nati fuerunt Trophonius

& Agamedes: quamvis traditum sit Trophonium Apollinis filium fuisse. Ii cum ad virilem ætatem pervenissent, sollertia in Deorum templis & hominum regiis ædificandis præstiterunt. Erexerunt itaque Delphis Apollini templum, Pausan. *Bœot.* pag. 598. 599. Ædificarunt quoque Amphitryoni thalamum, teste inscriptione:

Αμφιτρύων ὅτ' ἔμελλ' ἀγαγέσθαι δεῦρο γυναῖκα
Αλκμήνην, θάλαμόν γ' ἐλέξατο τοῦτον ἑαυτῷ,
Αγχάσιος δ' ἐποίησε Τροφώνιος ἠδ' Αγαμήδης.

Pausanias *Bœot.* p. 558. Neptuno quoque templum erexerunt, Pausan. *Arcad.* p. 471. Pindarus auctor est Agamedem & Trophonium, constructo templo Delphico, ab Apolline mercedem flagitasse: eum vero pollicitum se in septimum diem redditurum, jussisse eo die convivium instruere: ipsos vero jussis parentes, nocte septima consopitos finem vitæ fecisse, Plutarch. *ad Apollon.* p. 67. A. Trophonius terræ hiatu absorptus fuit eo in loco, quo exstat in luco, qui Lebadeæ est, fovea, quæ Agamedis dicitur, columna supereminente, Pausan. *Bœot.* p 599. De Trophonii luco, templo, simulacro, antro, oraculo, vide Pausan. *Bœot.* p. 602. 603. 604. Quæ vero de Hyriei ærario & furto ab hisce fratribus commisso refert Pausanias, ea mihi ab Heroibus illis aliena videntur, apparentque conficta ex iis, quæ similia de Rhampsiniti Regis Ægyptii ærario scribit Herodotus *lib.* II. p. 151. 152. vide de Trophonio & de hac fabula Scholiast. Aristophan. *Nubib.* p. 155.

Ascalaphus & Jalmenus Martis ex Astyoche Actoris filia, Azei nepte, Clymeni pronepte, filii Orchomeniorum regnum obtinuerunt. Eosque duces ad Trojam Orchomenii sequuti sunt, Pausan. *Bœot.* p. 599. Homer. *Iliad.* B. v. 511. seqq. Achæi in Ponto Orchomeniorum post bellum Trojanum cum Jalmeno illic vagantium coloni sunt, Strabo *l.* IX. p. 416. Ascalaphus in bello Trojano a Deiphobo occisus fuit, Homer. *Iliad.* N. v. 518. seqq. Aristotelis in Ascalaphum & Jalmenum exstat Epitaphium:

Ασκαλάφῳ Τροίη φθιμένῳ καὶ Ιαλμένῳ ἠδέ.
Οστέα πληξίππων γῆ Μινυὰς κατέχει.

Orchomenia a Bœotis e Thessalia redeuntibus, circa Æolicam migrationem, Bœotiæ adjecta fuit, *οὐ γὰρ ἦσαν καὶ τὸ πρότερον, οὐδ' Ομηρος μετὰ Βοιωτῶν αὐτοὺς κατέλεξεν, ἀλλ' ἰδίᾳ Μινύας προσαγορεύσας*, *Iliad.* B. v. 511. Strabo *l.* IX. p. 401.

Orchomenii coloniæ, quam in Joniam Codri filii deduxere, consortes fuerunt, Pausan. *Bœot.* p. 599.

Orchomenii a Thebanis, absente Epaminonda, & indignissime ferente, nec a Rep. id factum censente, suis sedibus expulsi fuerunt, Paus. *Bœot.* p. 564 565.

Orchomenum Onomarchus Phocensium imperator, impetu in Bœotiam facto, cepit, Diodor. *l.* XVI. p. 433.

Orchomenii a Philippo Amyntæ filio Orchomenum reducti fuerunt, Pausan. *Bœot.* p. 599.

Orchmeniis ereptum Bacchi simulacrum in Helicone dedicavit Sylla: hoc illud est, quod a Græcis dici solet, *θαυμάσιον ἀλλοτρίοις τὸ θεῖον σέβεσθαι*, Pausan. *Bœot.* p, 585.

Orchomeniorum res adversa fortuna semper gravius afflixit, Pausan. *Bœot.* p. 600. Orchomenum illustrem, si qua alia Græcis fuit, urbem & gloria insignem, & ad felicitatem maximam evectam, idem prope, qui Mycenas & Delon, rerum exitus perculit, Pausan. *Bœot.* p. 594. & *Arcad.* p. 509. De Orchomeniorum divitiis & potentia antiqua vide Strabon. *l.* IX. p. 414. 415.

PHLEGYÆ.

Phlegyas Martis & Chryses filius urbi a se conditæ nomen dedit: vide in *Orchomen.* *Φλεγύα πόλις Βοιωτίας, ἀπὸ Φλεγύου τοῦ Αρεος καὶ Χρύσης παιδός*, Stephan. Phlegyas in Thessalia, qui postea Gyrtonii dicti fuere, nomen accepisse a Phlegya Ixionis fratre scribit Strabo *l.* IX. p. 442. Gyrtonem Thessaliæ urbem a Gyrtone Phlegyæ fratre conditam fuisse nomenque accepisse scribit Stephanus. *Φλεγύαι ὅμοροι τοῖς Εφύροις* (Crannoniis vel Thesprotis) *ὄντες, ἢ κάτοικοι τῆς ἐν Φωκίδι Γυργώνης, ἢ ἐπὶ τὴν Δαυλίδα τῆς Φωκίδος*, Eustath. *in Iliad.* N. Phlegyas *μεγαλήτορας* vocat Homerus *Iliad.* N. v. 301. Gyrtonios Strabo intelligit; Bœotios Pausanias, quibus bellicæ in primis rei studia præ cunctis Græciæ populis consectatos fuisse scribit *Bœot.* p. 597. *Φλεγυῶν γένος ἤνθησεν ἐν δόξαις καὶ ἀρεταῖς μεγάλων βασιλέων*, Plutarch. *de tard. Num. vind.* p. 284.

Phlegyæ viri impii ac latrociniis dediti erant; qui etiam Pythicum templum vastarunt: Thebasque eorum metu ab Amphione & Zetho mœnibus cinctas fuisse ajunt: ac his quidem mortuis, urbem rursus captam a Phlegyis, regnante Eurymacho, desertam mansisse usque ad Cadmum: (at Cadmus ante Amphionem & Zethum regnavit: & quis ille Eurymachus?) adeo vero violenti fuerunt Phlegyæ, ac ad injurias inferendas prompti, ut apud Phocenses *Φλεγυᾶν* dicitur *τὸ ὑβρίζειν*, Eustath. *in Iliad.* N. Homer. *Hymno in Apoll.* v. 278. seq.

Ιξες δ' ἐς Φλεγύων ἀνδρῶν πόλιν ὑβριστάων,
Οἱ Διὸς οὐκ ἀλέγοντες ἐπὶ χθονὶ ναιετάασκον
Εν καλῇ βήσσῃ, Κηφισίδος ἐγγύθι λίμνης.

Phlegyæ se a reliquis Orchomeniis, audacia & mentia impulsi segregarunt, & finitimorum bona agere ac rapere aggressi sunt: postremo arma sua converterunt ad diripiendum Apollinis Delphici templum. Contra quos cum Philammon Delphis opem ferens lectam Argivorum manum duxisset, ipsa una cum fortissimis viris pugnans cecidit, Pausan. *Bœot.* p. 597. Phlegyæ Phocenses bello premebant, Pausan. *Arcad.* p. 459.

Phlegyæ a Minyade terra Thebanis auxilio venerunt contra Adrastum ac Polynicen, Pausan. *Bœot.* p. 556.

Phlegyæ crebris fulminibus & vehementissimis terræ motibus funditus aboliti fuerunt, reliquos pestilentia absumpsit, præter paucos, qui in Phocidem effugerunt, Pausan. *Bœot.* p. 597. Hi Panopeum illic tenuerunt, Pausan. *Phocic.* p. 614. *μῦθος δέ ἐστι καταποντωθῆναι αὐτοὺς ὑπ' Απόλλωνος Θηβαίοις ἐπιχειροῦντας*, Eustath. *in Iliad.* N.

MINYÆ.

Minyæ a Minya Chrysæ filio appellati sunt: vide in *Orchomen.* Minyæ appellantur, tum qui Orchomeniis finitimi sunt, tum qui ad Scarphean Locrorum urbem pertendunt, Pausan. *Corinth.* p. 138. *Μινύαι Ορχομενίοισι ἀναμεμίχαται*, Herodot. *l.* I. p. 68.

Minyæ quidam ex Orchomeno Minyeo cum Chloride Nestoris matre in Peloponnesum venerunt, Strabo *l.* VIII. p. 347. vide in *Pyliis*.

Minyæ quidam ex Orchomeno Iolcum migrarunt: Minyæque appellati, qui circa Iolcum habitabant: *Μινύα, πόλις Θετταλίας, ἡ πρότερον Αλμωνία, ἀφ' ἧς οἱ Μινύαι, ἀπὸ Μινύου κληθεῖσα*, Stephan. Tum & Argonautæ Minyæ vocati: vide in *Orcho-*

men. & *Æol. Iolci*. Atque hi quidem Lemnum viris vacuam occuparunt: vide in *Lemniis*. Hi Argonautarum posteri a Pelasgis e Lemno ejecti Lacedæmonem confugerunt: & illic a Lacedæmoniis, præcipue quod Dioscuri in Argo navigassent, suscepti & agro donati, ac in tribus cooptati fuerunt. Ibi confestim, ablocatis in alios, quas in Lemno duxerant, uxoribus, nova matrimonia contraxerunt. Nec longo deinde post interjecto tempore, elati superbia, cum alia flagitiosa perpetrarunt, tum regnum affectarunt. Itaque eos Lacedæmonii morte mulctandos cum censuissent, comprehensos in vincula duxerunt. Sed uxores eorum, quæ cives, & primorum Spartanorum filiæ erant, impetrata potestate in carcerem ad viros ingrediendi, veste, quam gestabant, viris tradita, ipsæ virorum vestem induerunt. Ita Minyæ muliebri veste tecti, e carcere evaserunt, & ad montem Taygetum consederunt. Eos cum Lacedæmonii necare statuissent, Theras Autesionis F. necem eorum deprecatus, se eos ex iis terris abducturum recepit. Quosdam igitur eorum Theras in insulam Theram deduxit: plerique ad Paroreatas & Caucones se contulerunt: iisque pulsis, se in sex partes distribuerunt, totidemque oppida illic condiderunt, Lepreum, Macistum, Phrixas, Pyrgum, Epium & Nudium: quorum pleraque Elei (ætate Herodoti) deleverunt, Herodot. *lib.* IV. p. 307. 308. 309. In Triphyliam concessisse Minyas, & habitasse circa Arenen in regione quæ nunc Hypæsia appellatur, tum vero nullas habebat a Minyis conditas urbes, scribit Strabo *lib.* VIII. p. 347. Pindar. *Pyth.* ode IV. strophe XII.

——— Λακεδαιμονίων μιχθέντες ἀνδρῶν
Ηθεσιν, ἔν ποτε Καλλίςαν ἀπῴκεσαν χρόνῳ
Νᾶσον.

GEPHYRÆI.

Gephyræi fuere Phœnices, ex iis qui cum Cadmo in Bœotiam venerunt, habitaruntque in ea terra sortiti Tanagricum tractum. Sed per Bœotos inde expulsi, Athenas se contulerunt. Et ab Atheniensibus recepti sunt, sub conditionibus, ut cives inter ipsos essent. Sed multis, nec memoratu dignis rebus arcerentur. Ex his Gephyræis fuerunt Harmodius & Aristogiton, qui Hipparchum Hippiæ Tyranni fratrem occiderunt, Herodot. *lib.* V. p. 351. Sed displicent hæc Plutarcho, cui Gephyræi Euboenses, & Eretrienses origine videntur esse, *lib. de malign. Herodoti* p. 671. Καλῦνται δὲ καὶ Γεφυραῖοι οἱ Ταναγραῖοι, Strabo *lib.* IX. p. 404.

TANAGRÆI.

Pœmander Cheresilai filius, Jasi nepos, Eleutheris pronepos, Apollinis ex Æthussa Neptuni filia abnepos, urbis conditor fuisse dicitur, cui nomen dederit Tanagræ, ab uxore Tanagra Æoli, vel, ut Corinnæ placet, Asopi filia, Pausan. *Bœot.* p. 571. Pœmandriam urbem primum vocatam fuisse auctor est Stephanus ex Lycophrone:

Ηνὲς βαθεῖαν λαιμίσας Ποιμανδρίαν.

Sed Strabo: Η Ποιμανδρὶς δ' ἐςὶν ἡ αὐτὴ τῇ Ταναγρικῇ, *lib.* IX. p. 404. Tanagrum Pœmandri uxorem, cum vitam longissime protraxisset, vicini mutato nomine Γραῖαν (anum) appellarunt, & subsequente tempore etiam urbs Graja appellata fuit: unde Homerus in *Catalogo*, *Iliad.* B. v. 498.

A Θέασειαν, Γραῖάν τε, καὶ εὐρύχορον Μυκαλησσόν.

Pausan. *Bœot.* p. 571. Τινὲς δὲ τῇ Ταναγρᾳ τὴν αὐτὴν (Γραῖαν) φασιν, Strabo *lib.* IX. p. 404. Γραῖα δὲ ἐςι κατά τινας ἡ καὶ Τάναγρα. Τάναγρα δὲ πόλις Βοιωτίας, ἣν Ομηρος Γραῖαι καλεῖ διὰ τὸ πλησίον εἶναι, Eustath. *in Iliad.* B. Sic & Stephanus ante. Sed τὸ πλησίον intellige, non locorum vicinitatem, sed vocum Γραῖα & Ταναγραῖα affinitatem: nam *in* Γραῖα ait Stephanus, quod ἀφαίρεσις γέγονε τῆς ἀρχῆς, ὡς δειχθήσεται, inquit, ἐν τῷ Ταναγραῖα: ita enim quoque a quibusdam, inter quos Callimachus, appellari docet, pro Τάναγρα. Aristoteli Γραῖαν eandem esse cum Oropo idem scribit. Item B *in* Ωρωπός: Η Γραῖα τόπος τῆς Ωρωπίας πρός τῇ θαλάσσῃ, καὶ Ερετρίας, καὶ Εὐβοίας κειμένη. Item: Γραῖα πόλις Ερετρίας. Pœmander Ephippi pater, cum etiamnum Tanagrica per vicos habitaretur, in loco, qui Στέφων vocabatur, obsessus ab Achæis. quod cum ipsis militare nollet, ea regione noctu relicta, Pœmandriam munivit. Cum autem Polycrithus architectus per contemptum ac ludibrium fossam transiluisset, Pœmander sublato saxo Polycrithum percussurus aberrante ictu, filium Leucippum occidit. Oportuit itaque e legis præscripto eum e Bœotia discedere, ac ad alicujus focum supplicem C factum & hospitem accedere. Id autem fieri non potuit, quod Achæi in Tanagricam invasissent. Misit igitur filium Ephippum Achilli supplicaturum. Is ab Achille & Tlepolemo Herculis F. & Peneleo Hippalcmi F. suis cognatis impetravit, ut ab ipsis Pœmander Chalcidem missus de cæde expiaretur apud Elephenorem. In hujus rei gratam memoriam Pœmander iis omnibus delubra dedicavit, quorum Achilleum nomen suum retinuit. Pœmandri matrem Stratonicen Achilles repuit, & Ephippi filium Acestora occidit, Plutarch. *Qu. Græc.* XXXVII. Referunt Tanagræos non militasse ad Trojam. Sic Euphorion:

D Οἱ πλόον ἠρνήσαντο καὶ ὅρμυς αἰγιαλοῖο.

Eustath. *in Iliad.* B. Tanagra interjecto deinde tempore pristinum nomen recepit, Pausan. *Bœot.* p. 571. Tanagræi etiam Gephyræi vocati, Strabo *lib.* IX. p. 404.

Tanagræi in bello adversus Athenienses Thebanis auxilia tulerunt. Ταναγραῖοί τε καὶ Κορωναῖοι καὶ Θεσπιέες ἅμα ἡμῖν ἀεὶ μαχόμενοι, προθύμως συνδιαφέρυσι τὸν πόλεμον ajunt Thebani apud Herodot. *lib.* V. p. 360.

Tanagræi Lacedæmoniorum socii contra Athe- E nienses & Argivos, & Jonas fuerunt: sed Athenienses prælio ad Oenophyta commisso, victores, Tanagræorum muros demoliti fuerunt, Thucyd. *lib.* I. p. 70.

Tanagram bello Thebano Hypatodorus Lacedæmoniis addictus tenebat, Xenoph. *Hellen. lib.* V. p. 449.

LEBADENSES.

Midea Aspledonis mater urbi nomen dedit, quæ tum in edita regionis parte habitabatur, Pausan. *Bœot.* p. 601.

F Lebadus Atheniensis cum in ea loca venisset, urbis nomine mutato, Lebadeam appellavit, ex edito loco in plana deductam, Paus. *Bœot.* p. 601.

Lebadum & Eleutherem Lycaonis filios, solos paterni sceleris immunes, in Bœotiam fugisse, & Lebadenses ex æquo cum Arcadibus Reip. participes esse, scribit Plutarch. *Qu. Græc.* XXXIX.

Lebadia Trophonio sacra, Pausan. *Attic.* p. 64. Estque in agro Lebadensi Trophonii lucus, & oraculum, Pausan. *Bœot.* p. 601. 602. Οὐδαμῦ γὰρ ἀλ

λαχοθινοῦ, ἣ ἐν Λεβαδίᾳ ἡ Βοιωτία παρέχεται τοῖς χρῄζουσιν ἀρύσασθαι μαντικῆς. τῶν δὲ ἄλλων τὰ μὲν σιγὴ, τὰ δὲ παντελὴς ἐρημία κατέσχηκε, Plutarch. *de Def. Orac.* p.284. B.

CHÆRONENSES.

ARne Æoli (secundi) filia nomen urbi in Bœotia dedit, ut & alteri in Thessalia, Pausan. *Bœot.* p. 605. vide in *Bœotis*. Ἄρνην πόλιν Βοιωτίας ἀπὸ Ἄρνης. ἧς καὶ Ποσειδῶνος Βοιωτός, Schol. min. *Iliad.* B. Ἄρνη πόλις Βοιωτίας, Stephan.

Chæron Apollinis filius ex Thero Phylantis filia, urbi Arnæ nomen immutasse fertur, ut Chæronea diceretur, Pausan. *Bœot.* p.605. Χαιρώνεια, πόλις πρὸς τοῖς ὅροις Φωκίδος. Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. Ἡ δὲ Χαιρώνεια πόλις τὸ πρῶτον κέκληται ἀπὸ Χαίρωνος. Ἀριστοφάνης ἐν Βοιωτικῶν δευτέρῳ. Λέγεται δὲ οἰκιστὴν γενέσθαι τοῦ πολίσματος Χαίρωνα, τοῦτον δὲ μυθολογοῦσιν Ἀπόλλωνος καὶ Θηροῦς. Ἐκαλεῖτο δὲ ἡ πόλις καὶ Ἄρνη τὸ ἀρχαῖον, Stephan. Τὴν ἐμὴν πατρίδα πρὸς ζέφυρον ἄνεμον κεκλιμένην, ἐπὶ ἥλιον ἐρείδοντα δείλης ἀπὸ Παρνασοῦ δεχομένην, ἐπὶ τὰς ἀνατολὰς τετράφθαι λέγουσιν ὑπὸ τοῦ Χαίρωνος, Plutarch. *de curiositate* init. Ἔστι δὲ ἡ Χαιρώνεια ἔσχατον τῆς Βοιωτίας, πρὸς τῇ Φανοτίδι τῆς Φωκίδος, Thucyd. *lib.* IV. p. 303. Ὀρχομενοῦ πλησίον, Strab. *lib.* IX. Cum autem Troicis temporibus Arne urbs Bœotiæ non inveniatur, quidam verisimiliter legunt apud Homerum *Iliad.* B. v. 507. Πολυστάφυλον Τάρνην, Schol. min. *Iliad.* B.

Chæronea accensebatur Orchomeno. Et nonnulli Phocenses Chæroneæ cum cæteris colonis habitabant, Thucyd. *lib.* IV. p. 430. Ὀρχομενίων πόλις dicitur Stephano.

Chæronensis fuit Plutarchus Philosophus, cujus ætate urbs ea μικρὰ erat, teste ipso in *Parallel. Demosth. & Cicer.* Idem dicit, eam tempore Luculli διὰ μικρότητα καὶ πενίαν παρορωμένην in *Vita Cimonis*.

CORONENSES.

COronea urbs Bœotiæ, nomen accepit a Corono Thesandri filio, Stephan. Schol. min. *Iliad.* B. Pausan. *Bœot.* p.595. vide in *Orchomen. Andreus*. Ἔστι δὲ ἐγγὺς Ἑλικῶνος, ἐφ' ὕψους ἱδρυμένη, ἔνθα τὰ Παμβοιώτια συνετέλουν, Eustath *in Iliad.* B.

Coroneam occuparunt Bœoti post bellum Trojanum ab Arne Thessalica redeuntes, quando etiam Orchomenum obtinuerunt: potitique Coronea, in campo ante ipsam Itoniæ Minervæ fanum, ejusdem cum Thessalico nominis, condiderunt, Strabo *lib.* IX. p.411.

Coronenses Thebanis auxilium tulerunt adversus Athenienses, Herodot. *lib.* V. p.360.

Coroneam bello sacro tenebant Phocenses, Diodor. *lib.* XVI.

Coronæi, & Haliartii favore quodam insito in Reges, Legatos in Macedoniam miserunt præsidium petentes, quo se adversus impotentem superbiam Thebanorum tueri possent, Livius *lib.* XLII.

HALIARTII.

HAliartus urbs Bœotiæ condita ab Haliarto Thersandri filio, Pausan. *Bœot.* p 595. Eustath. *in Illiad.* B. vide in *Orchonem. Andreus*. Haliartum nomen accepisse ἀπὸ ἁλιέων καὶ ἄρτου scribit Auct. *Etymol. magni*.

Haliartii cum sterilitate & stagni eluvione vexarentur, culpam ejus calamitatis contulerunt in monumentum sepulcri Alcmenæ, quod illud effossum sustinuissent circumire, Plutarch. *de Socrat. Dæmone* p.655.

Haliartus Persico bello in Græcorum amicitia perstitit: ideoque una pars copiarum Xerxis agrum & urbem Haliartiorum igne vastavit, Pausan. *Bœot.* p.590.

Haliartum Lysander Spartanus oppugnare cœpit, cum Haliartii adduci non possent, ut a Thebanis deficerent: defendebatur autem urbs Atheniensium & Thebanorum, qui clam in urbem venerant, præsidio: eruptione autem facta, & ante ipsa urbis mœnia commissa pugna, Lysander cum multis Lacedæmoniis dimicans occubuit, Pausan. *Lacon.* p. 167. & *Bœot.* p.590.

Haliartum Lucretius Pr. bello Macedonico oppugnavit: & quanquam nec habebant externa auxilia obsessi, præter Coronæorum juniores, qui prima obsidione mœnia intraverant, neque sperabant, tamen ipsi animis magis quam viribus resistebant: tandem mœnia pluribus simul partibus capta fuerunt. In primo tumultu captæ urbis seniores impubesque, quos casus obvios obtulit, passim cæsi: armati in arcem confugerunt: & postero die cum spei nihil superesset, deditione facta sub corona vænierunt. Fuere autem MM. ferme & D. ornamenta urbis, statuæ & tabulæ pictæ, & quicquid pretiosæ prædæ fuit ad naves delatum. Urbs diruta a fundamentis, Livius *lib.* XLII.

MYCALESSII.

MYcalessus urbs Bœotiæ mediterranea, nomen accepit a bove, quæ cum Cadmo ejusque sociis dux esset ad Thebas, illic mugiit, (ἐμυκήσατο) Pausan. *Bœot.* p. 570. Stephan. Ἡ ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ γεγονυίας τῇ Γοργόνι μυκήσασθαι addit Eustat. *in Iliad.* B. A Mycale, quæ in Caria est, nomen accepisse vult Auct. Schol. min. *Illiad.* B. Ὁ Μυκαλησσὸς δὲ κώμη τῆς Ταναγρικῆς. καλοῦσι δὲ Βοιωτικῶς Μυκαλυττὸν, Strabo *lib.* IX. p. 404.

Mycalessum Diitrephes Atheniensis expugnavit opera Thracum conductitiorum, a quibus non tantum Mycalessiorum ætatis militaris viri trucidati fuerunt, sed fœminæ etiam ac pueri, Pausan. *Atticis* p. 40.

Mycalessi tantum ruinas exstitisse sua ætate scribit Pausanias *Bœot.* p. 570. quod argumento esse, a Thracibus universam cum incolis omnibus deletam fuisse idem docet *Attic.* p.40.

HARMATENSES.

HArma urbs Bœotiæ nomen accepit, quod illic Amphiarai currus (ἅρμα) in terræ voraginem, ut Tanagræi ajunt, descenderit, Pausan. *Bœot.* p.570. & *Attic.* p.64. Stephan. Schol. min. *Iliad.* B. Τὸ Ἅρμα τῆς Ταναγρικῆς κώμη ἔρημος περὶ Μυκαλησσὸν ἀπὸ τοῦ Ἀμφιαράου ἅρματος λαβοῦσα τοὔνομα, Strabo *lib.* IX. p.404. Alii Adrasti fugientis currum illic confractum ajunt, ipsumque ope Arionis equi evasisse: Philochorus scribit eum ab Harmatensibus servatum fuisse, ideoque eos apud Argivos habere (ἰσοπολιτείαν) jus civitatis æquale. Strabo *l.* IX. p.404. Ἅρμα κώμη τις πλησίον Μυκαλησσοῦ. ἐκλήθη δέ φασιν ἔπος, ἢ διότι ἐκεῖ κατεάγη τὸ τοῦ Ἀδράστου ἅρμα, ἢ ἀπὸ ἅρματος Ἀμφιαράου, καταδύντος ἐκεῖ μὴ ἐκδοθέντος τοῖς διώκουσι, Eustath. *in Illiad.* B.

DELIENSES.

DElium urbs parva Bœotiæ in Tanagræorum finibus, Stephan. Pausan. *Bœot.* p.571. Thucydidi non tam oppidum dicitur, quam Ἀπόλλωνος ἱερὸν, τὸ ἐν τῇ Ταναγραίᾳ πρὸς Εὔβοιαν τετραμμένον, *lib.* IV. p. 304. Δήλιον τὸ Θηβαίων. τὸ δ' ἔστι ἐπὶ θα-

λάσῃ, Χαλκίδος καταντίον, Herodotus *l.* VI. pag. 425.

Delium Athenienses bello Peloponnesiaco munierunt, Thucyd. *l.* IV. p. 304. 312. Sed receptum fuit a Bœotiis, idem *ibid.* p. 319. 320.

AULIDENSES.

AUlis urbs Bœotiæ ad Chalcidem, Stephan. Nomen accepisse ob Ogygi filia scribit Pausan. *Bœot.* p. 570. vel ab Aulide Euonymi filia, Cephissi nepte, Eustath. & Schol. min. in *Iliad.* B. Stephan. vel *παρὰ τὸ ἐκεῖ αὐλισθῆναι τὰς τῶν Ἀχαιῶν νῆας πρὸ τοῦ ἀπόπλου*, Eustath. in *Iliad.* B. Tryphon. Schol. min. *in Iliad.* B. quia illic *ἠθροίσθησαν καὶ ηὐλίσθησαν καὶ ἔμειναν οἱ Ἕλληνες*. Aulide cum e Calchantis responso Græci ad aram immolaturi essent Iphigeniam, pro puella cervam mactandam submisisse Dianam perhibent. Etiam memoriæ proditum est, cum Græci illic adversis tempestatibus detinerentur, ubi repente venti secundi flare cœperunt, eos Dianæ, quas quisque habuit hostias fœmineas & masculas mactasse: indeque ritum mansisse, qualibet hostia Aulide litari posse, Pausan. *Bœot.* p. 570. 571.

Aulide rem divinam facere voluit Agesilaus, cum ad expeditionem Asiaticam iret: vide in *Lacedæmon. Agesilaus.*

Syleus in Aulide peregrinos ea iter facientes terram fodere coegit, sed ab Hercule refossis a radice vitibus occisus fuit una cum filia Xenodice, Apollod. *l.* II. p. 73.

Aulidem non multos homines tenuisse sua ætate, eosque omnes figulinam exercuisse: agrum vero coluisse Tanagræos, quique circa Mycalessum & Harma erant, scribit Pausan. *Bœot.* p. 571.

COPÆI.

COpæ urbs parva Bœotiæ ad lacum sita: cujus etiam Homerus in *Catalogo Iliad.* B. v. 502. mentionem fecit, Pausan. *Bœot.* p. 557. Nomen accepit a Copeo Apatalei filio, Onchesti nepote, Neptuni pronepote, Stephan. *Ἀπὸ Κωπεῶνός τινος Ἥρωος*, Schol min. *Iliad.* B. *Ἀπὸ Κωπέως ἢ Κωπεῶνος οὕτω καλοῦνται υἱοῦ Ὀγχηστοῦ. Ἕτεροι δέ φασιν ὅτι Κῶπαι καὶ Κωπαῒς ἐκλήθησαν διὰ τὰς κώπας αἷς ἐχρῶντο οἱ ἐγχώριοι πρὸς ἀλλήλους πλέοντες, διὰ τὸ ἀπολιμνωθῆναι τὰ ἐκεῖ*, Eustath. *in Iliad.* B.

LARYMNÆI.

LArymna urbs ad mare Bœotium sita, nomen accepit a Larymna Cyni filia: olimque cum Opunte censebatur: sed auctis deinde Thebanorum opibus, ultro se Bœotis adjunxerunt Larymnæi, Pausan. *Bœot.* p. 576.

ASCRÆI.

AScra vicus Bœotius in agro Thespiensi, quo e Cumis Æolicis pater Hesiodi commigravit, Strabo *l.* IX. p. 409. Cumæi Æolenses, homines inopes, relicta ob inopiam patria, Ascram Bœotorum commigrarunt, Tzetz. *in Hesiodi* Ἐργ. α. p. 2. β. Hesiod. Ἐργ. β. v. 637. seq.

Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ
Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέποτ' ἐσθλῇ.

Vide Tzetz. *in Hesiodi* Ἐργ. α. p. 2. β.

Orchomenii, sæviente in homines & pecudes pestilentia, missis ad Oraculum consultoribus re-

A sponsum tulerunt, ad sedandam luem unicum illud fore remedium, si ex Naupactio agro in Orchomenium ossa Hesiodi deportassent: aliam nullam reperiri posse mali levationem. Illi monitu Oraculi & indicio ejusdem per cornicem saxo insidentem, Hesiodi ossa in ejus saxi latebra invenerunt, cum hac inscriptione:

Ἄσκρη μὲν πατρὶς πολυλήϊος, ἀλλὰ θανόντος
Ὀστέα πληξίππων γῆ Μινυῶν κατέχει
Ἡσιόδου, τοῦ πλεῖστον ἐν Ἑλλάδι κῦδος ὀρεῖται
Ἀνδρῶν κρινομένων ἐν βασάνῳ σοφίης.

B Pausan. *Bœot.* pag. 600. Vide Plutarchum *Sap. Conviv.* p. 98. ubi & quomodo perierit Hesiodus, refert.

HYSIENSES.

HYsiæ urbs Bœotiæ, colonia Hyreorum, condita a Nycteo Antiopes patre, Stephan. meminit urbis hujus Thucyd. *l.* III. p. 187.

Hysiarum rudera sua ætate exstitisse scribit Pausan. *Bœot.* p. 545.

C

HYRIENSES.

HYria regio est finitima Aulidi, condita ab Hyrieo Neptuni & Alcyones filio, vel ut quidam dixerunt, a Bœoto Orionis patre, Schol. min. *Iliad.* B. Hyria primum Tanagricæ, inde Thebaidi accensebatur, Eustath. *in Iliad.* B. e Strabone.

ERYTHRÆI.

ERythræ urbs Bœotiæ, Stephan. nomen accepit ab Erythro Neptuni & Amphimedusæ D Danao natæ filio, Eustath. in *Iliad.* B. vel ut alii volunt, ab Erythra Porphyrionis filia, Seriphi nepte, Schol. min. *Iliad.* B. Ἐρυθραὶ βαρυτόνως μὲν πόλις Βοιωτίας, ὀξυτόνως δὲ πόλις Ἰωνίας, Schol. min. *Iliad.* B. Sed fallitur: nam ὀξυτόνως urbs Bœotiæ scribitur: meminit hujus urbis Thucyd. *l.* III. p. 187. Ejus rudera sua ætate exstitisse scribit Pausan. *Bœot.* p. 545.

ANTHEDONII.

ANthedon urbs Bœotiorum maritima, sub monte Mesabio, sic appellata vel ab Anthe- E done Nympha, vel ab Anthane Neptuni & Alcyonæ Atlante natæ filio: quem illic principatum tenuisse ferunt, Pausan. *Bœot.* p. 574. *Ἀπὸ Ἀνθηδόνος, τοῦ Δίου, τοῦ Ἄνθου, τοῦ Ποσειδῶνος καὶ Ἀλκυόνης τῆς Ἄτλαντος* (sic lego pro *Ἀλκης τῆς Ἀβαντος*) *ἢ διὰ τὸ πασῶν ἀνθηροτάτην εἶναι*, Stephan. *Ἀνθηδὼν καλεῖται μὲν οὕτω διὰ τὸ αὐτῆς ἀνθηρὸν, ἢ ἀπὸ Ἀνθηδόνος ἢ Ἀνθίου ἀπογόνου Ποσειδῶνος*, Eustath. *in Iliad.* B. *Ἡ ἐν Βοιωτοῖς Ἀνθηδὼν, οὐκ ἔστι πολύοινος*: quæritur ergo quæ sit de qua Pythia dixerit: *Πῖν' οἶνον τρυγίαν, ἐπεὶ οὐκ Ἀνθηδόνα ναίεις*, Plutarch. *Quæst. Græc.* XIX.

F Thraces etiam habitabant in hac urbe, propterea Lycophron *Θρηϊκίαν Ἀνθηδόνα* vocat, Eustath. *in Iliad.* B. Lycophr.

Ἀστῷ συνοίκος Θρηϊκίας Ἀνθηδόνος.

Glaucus marinus ex Athedone urbe Bœotiæ erat; Schol. min. *Iliad.* B. vide fabulam de illo apud Eustath. *in Iliad.* B. Nonn. *Dionys.* lib. XXXV. v. 75. & Palæphat. *de incredib.*

Anthes ex Anthedone oriundus Hymnos fecit, Plutarch. *de Musica* p. 436. B.

ONCHESTII.

ONchestus urbs Bœotiæ, sic dicta ab Onchesto Neptuni filio, quem illic habitasse ferunt, Pausan. *Bœot.* pag. 580. Et lucus eodem nomine, Netuno sacer, quem Homerus suis versibus celebravit, *Iliad.* b. v.506.

> Ογχηστόν θ' ἱερόν Ποσειδήιον ἀγλαὸν ἄλσος.

Hunc ab Onchesto Bœoti filio consitum ferunt, Stephan. Eustath. *in Iliad.* B. Schol. min. *Iliad.* B. Homer. *Hymno in Mercur.* v. 186. seq.

> Ογχηστὸν δ' ἀφίκανε, κιὼν πολυήρατον ἄλσος
> Αγνὸν ἐρισφαράγου Γαιηόχου.

Ibidem Ογχηστὸν λεχεποίην vocat v.88. & ποιήεντα v. 190. Onchesti filius fuit Megareus, & filia Abrote, Plutarch. *Qu. Gr.* XVI. vide in *Megarens.*

Onchesti Megareus Neptuni filius sedem habuisse dicitur a Bœotiis, Pauf. *Attic.* p. 73. vide in *Megarens.*

Onchesti tantum ruinas, cum delubro, signo & luco Neptuni fuisse sua ætate scribit Pauf. *Bœot.* p. 580.

TIPHÆENSES.

TIphæenses præcipuam sibi præ cunctis Bœotis maritimarum rerum peritiam jam tum ab initio sibi vindicarunt, Tiphyn prædicantes, cui nominatim Argus navis gubernacula credita fuerint, suum fuisse indigenam. Ostenderunt etiam extra oppidum locum, quo Argo ipsam Colchis reversam applicuisse dixerunt, Pausan. *Bœot.* p. 590.

THESPIENSES.

THespius Erechthei Regis Atheniensium filius Athenis profectus, ubi Thespiæ nomen dedisse fertur, Pausan. *Bœot.* p. 580. Alii a Thespia Asopi filia nomen accepisse urbem volunt, idem *ibid.* Θεσπιάδου κτίσμα, τοῦ Τελέθραντος, τοῦ Πανδίονος, Stephan. Κτίσμα δ' ἐστὶν ἡ Θέσπια Θεσπιάδου, κατὰ δέ τινας Θεσπίου, υἱοῦ Τελέθραντος, τοῦ Πανδίονος, Eustat. *in Iliad.* B.

Thespienses, cum in ipsos draco sæviret, Deus imperavit, ut quotannis singuli ephebi sorte ducti feræ exponerentur: ibi eorum uni Cleostrato amator Menestratus loricam æneam faciendam curavit, resupinatis extrorsum hamis confertam: eam puer indutus, cum ultro draconi occurrisset, mortem quidem oppetiit, sed ipsam etiam feram exanimavit: inde æneum signum Jovis Servatoris (Σαώτου) factum, Pausan. *Bœot.* p. 580.

Thestius Rex fuit Thespiensium. Is e Megamede Arnæi filia quinquaginta filias habebat, quas omnes, singulas singulis noctibus Herculi, qui Thespias contra leonem Cithæronium venerat, supposuit, cupiens e singulis Herculeos nepotes sibi progigni, Apollod. *lib.* II. p. 59. *β.*

Thespienses cum Atheniensibus, Jolao duce, coloniam in Sardiniam miserunt, Pausan. *Phocic.* p. 639.

Thespienses septingenti cum reliquis Græcis Xerxem ad Thermopylas opperiebantur, Herod. *lib.* VII. p. 513. Thespienses, cum reliqui Græci dimitterentur a Leonide Spartano, perstiterunt cum Lacedæmoniis, summa voluntate, negaruntque se, Leonide iisque, qui cum eo erant, desertis abituros. Illic adversus tot hostium millia fortissime pugnantes occubuerunt, una cum duce suo Demophilo Diadromei filio, Herodot. *lib.* VII. p. 520. 522. De Thespiensibus a Persis occisis exstat Epigramma Philiadæ Megarensis apud Stephanum:

> Ανδρες θ' οἵ ποτ' ἔναιον ὑπὸ κροτάφοις Ἑλικῶνος
> Λήματι τῶν αὐχεῖ Θεσπιὰς εὐρύχορος.

Thespiam incenderunt Persæ, eo quod didicissent a Thebanis eam civitatem suas non sequi partes, Herodot. *lib.* VIII. p. 544. Thespienses vero in Peloponnesum abscesserant, idem *ibidem.*

Thespiensis populus in magistratus suos insurrexit: cumque eventus conatui non respondisset, Athenienses auxilio fuerunt, illique partim comprehensi fuerunt, partim Athenas profugerunt, Thucyd. *lib.* VI. p. 481.

Thespias, quod in Thebanos alieno essent animo, Thebani expugnarunt, Diodor. *lib.* XV. p. 362.

Thespiis Sphodriam præfectum cum tertia sociorum parte reliquit Cleombrotus Spartanus bello Thebano, Xenoph. *Hellen. lib.* V. p. 444.

Thespienses Epaminondæ ad Leuctra dimicaturo suspecti fuerunt. Veritus igitur, ne dum manus consererentur, partes proderent, potestatem fecit omnibus, qui vellent, e castris domum eundi. Ibi Thespienses omnes omnino discesserunt. Post pugnam vero Thebanis felicem, Thespiensibus, quod & vetera in se Thebanorum odia, & recentem eorum felicitatem suspectam haberent, visum fuit urbe relicta Ceressum confugere. Erat vero Ceressus castellum in agro Thespiensi munitissimum, quo & ante multo Thespienses se receperant, Thessalis in agrum suum cum exercitu invadentibus. Cumque Thessali frustra Ceressum diu oppugnassent, consulto Oraculo didicerunt, quod post pugnam Leuctricam

> Τουτάκι δ' ἐστὶ Κέρησσος ἁλώσιμος ἄλλοτε οὐχί.

Tunc igitur Epaminondas Ceressum expugnavit, ac Thespienses, qui illuc confugerant, ejecit, Pausan. *Bœot.* p. 561. 563.

ALALCOMENIENSES.

ALacomenium urbs Bœotiæ, nomen accepit ab Alalcomene, Steph Αλαλκομεναὶ dicitur Pausaniæ, κώμη οὐ μεγάλη. Idem scribit nomen accepisse ab Alalcomene, homine indigena, a quo Minerva enutrita fuerit, vel ut alii voluerunt ab Alalcomenia Ogygi filia, *Bœot.* p. 592. 593. Alalcomeniensium Homerus in *Catalogo* non meminit, quod cum Minervæ, quæ ibi nata putabatur, sacri essent, missionem militiæ habuerint. Etenim hæc urbs, quamvis neque magna esset, neque in munito exstructa loco, sed humili, tamen nunquam vastata fuit, ob Deæ reverentiam omnibus omnem vim abstinentibus: adeoque Thebani, urbe ab Epigonis capta, eo confugisse feruntur, Strabo *lib.* IX. p. 413.

PLATÆENSES.

PLatæenses αὐτόχθονας nomen accepisse ferunt a Platæa, quam amnis filiam fuisse putant, Pausan. *Bœot.* p. 543. a Plate Onchesti filia, Schol. min. *Iliad.* B. Πλαταιὰς ἀπὸ τῆς πλάτης τῶν κωπῶν εἰρῆσθαι πιθανόν, καὶ Πλαταιέας τοὺς ἀπὸ κωπηλασίας ζῶντας· ἀλλὰ νῦν ἄπωθεν τῆς λίμνης οἰκοῦντες, οὐκέτ' ἂν προσηγορεύοιντο ἐτύμως, Strabo *lib.* IX. p. 406. vide Eustath. *in Iliad.* B.

Platæenses in Regum imperio fuisse satis omnibus constat: primusque Regum Platæensium nominatur Cithæron, a quo mons nomen accepit, Pausan. *Bœot.* p 543.

Asopus Rex a Platæensibus agnoscitur, qui flumini nomen dederit. Ejus filiam fuisse Platæam, potius quam amnis, consentaneum est, Pausan. *Bœot.* p.543.

Platæenses cum a Thebanis peremerentur, Cleomeni Anaxandridæ F. & Lacedæmoniis se dediderunt: Lacedæmoniis vero non recipientibus, utpote a quibus ob locorum intervalla parum auxilii esse posset, sed suadentibus, ut se Atheniensibus dederent, vicinis pariter, & ad ferendam opem non ignavis, Platæenses, aditis Atheniensibus, dum rem divinam XII. diis faciebant, supplices ad aram sedentes, se dediderunt. Thebani, re cognita, in Platæenses arma moverunt. Athenienses Platæensibus auxilio venerunt. Cumque jam conserturi prælium essent, intervenere Corinthii. Ab iis utroque populo permittente, limites constituti fuerunt, ut Bœotios, qui nollent inter Bœotios censeri, Thebani suo relinquerent arbitrio. Sed abeuntes Athenienses aggressis Thebanis, & commissa pugna victis, Athenienses transgressi, quos statuerant terminos Corinthii, Asopum & Hysias Thebanis adversus Platæenses limitem statuerunt, Herodot. *lib.*VI. p. 421.422.

Platæenses Atheniensibus, qui frequentes jam pro ipsis suscepissent labores, auxilio venerunt, in Marathonem adversus Persas, & in prælio, quod illic commissum fuit, bonam operam navarunt, Herodot. *lib.* VI. p. 421. 424. *Πλαταιεῖς γὰρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μόνοι τῶν Ἑλλήνων ὑμῖν ἐβοήθησαν Μαραθῶνάδε, ὅτε Δάτης ὁ βασιλέως Δαρείου στρατηγὸς ἀναχωρῶν ἐξ Ἐρετρίας, Εὔβοιαν ἐφ' ἑαυτῷ ποιησάμενος, ἀπέβη εἰς τὴν χώραν πολλῇ δυνάμει καὶ ἐπόρθει*, Demost. *contra Neæram* p. 740.

Platæenses soli Bœotorum cum Leonide & Lacedæmoniis in Thermopylis oppositi Barbaro invadenti, simul perierunt, Demosth. *contra Neær.* p. 740. Sed Herodotus inter Græcos, qui Xerxem ad Thermopylas operiebantur, non numerat.

Platæenses, etsi rei nauticæ inexperti, tamen strenue alacriterque pro se Atheniensium naves armarunt in prælio ad Artemisium, Herodot. *lib* VIII. init. Pausan. *Bœot.* p. 543. *Πάλιν δὲ Ξέρξου ἰόντος ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, Θηβαίων μηδισάντων οὐκ ἐτόλμησαν ἀποστῆναι τῆς ἡμετέρας φιλίας. ἀλλὰ μόνοι τῶν ἄλλων Βοιωτῶν, οἱ μὲν ἡμίσεις αὐτῶν μετὰ Λακεδαιμονίων καὶ Λεωνίδου ἐν Θερμοπύλαις παραταξάμενοι τῷ Βαρβάρῳ ἐπιόντι, συναπώλοντο· οἱ δὲ λοιποὶ ἐμβάντες εἰς τὰς ἡμετέρας τριήρεις, ἐπειδὴ οἰκεῖα σκάφη οὐχ ὑπῆρχε, συνεναυμάχουν ὑμῖν ἐπί τε Ἀρτεμισίῳ, καὶ ἐν Σαλαμῖνι*, Demosth. *contra Neæram* p. 740.

Platæenses post pugnam ad Artemisium, cum juxta Chalcidem appulissent, descendentes in Pieriam oræ Bœotiæ, ad recipiendos domesticos suos se converterunt. Itaque dum in suis conservandis occupati fuere, prælio ad Salaminem non interfuerunt, Herodot. *lib.* VIII. p. 542. At interfuisse eos ait Demosthenes *d. loco*.

Platæensium urbem incendit Xerxes, Herodot. *lib.* VIII. p. 544. Thebani autem Xerxem in Platæenses concitarant, Ctesias. Platæenses intra suos fines Mardonium Gobryæ F. Xerxis copiarum Præfectum male mulctarunt, Pausan. *Bœot.* p. 543. Fuerant vero Platæenses sexcenti in illo Græcorum exercitu ad Platæas coacto, Herodot. *lib.* IX p. 597. *Καὶ τὴν τελευταίαν μάχην Πλαταιᾶσι Μαρδονίῳ τῷ βασιλέως στρατηγῷ μεθ' ὑμῶν καὶ τῶν συνελευθερούντων τὴν Ἑλλάδα μαχεσάμενοι, εἰς κοινὸν τὴν ἐλευθερίαν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι κατέθηκαν*, Demosth. *contra Neæram* p. 740.

Platæensibus infensi ac infesti fuerunt Lacedæmonii, & qui Regii generis erant, ob hanc causam. Pausanias Lacedæmoniorum Rex, liberata Græcia, tripodi Delphico, quem Græci, qui ad Platæas, & Salaminem dimicarant, communiter dedicarant *ἀριστεῖον τῷ Ἀπόλλωνι ἀπὸ τῶν Βαρβάρων*, inscripsit, quasi suum solius opus esset id donarium:

> *Ἑλλήνων ἀρχηγὸς ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσε Μήδων*
> *Παυσανίας Φοίβῳ μνῆμ' ἀνέθηκε τόδε.*

Ægre hoc ferentibus Græcis, Platæenses Lacedæmoniis apud Amphictyones mille talentorum actionem pro sociis intenderunt, coegeruntque eos, erasis istis elegiis, urbes, quæ operis participes fuerant, inscribere, Demosthenes *contra Neæram* p.740.

Platæenses suam urbem a Thebanis proditione quorundam Platæensium, circa primum somnum, captam, re strenue adversus hostem gesta, accedente etiam fœminarum & servorum opera, receperunt, cæsis vel deditis omnibus, quicunque Thebanorum urbem ingressi fuerant, Thucyd. *lib.* IV. p. 99. 100. 101. 217. vide Demosth. *contra Neæram* p. 740. 741. ubi has insidias Platæensibus structas fuisse auctore Archidamo Zeuxidami F. L. annis post bellum Xerxis scribit.

Platæenses, comportatis ex agro in urbem omnibus quæ illic erant, Thebanos, quos in urbe sua ceperant, omnes interfecerunt, numero centum & octoginta: quos inter fuit Eurymachus Leontiadæ filius, quo cum proditores de prodenda urbe egerant, Thucyd. *lib.* II. p. 102.

Platæensium urbi Athenienses frumentum importarunt, & præsidio in urbe relicto, inutilissimos quosque cum fœminis ac pueris exportarunt, Thucyd. *lib.* II. p. 103.

Platæensium urbem Lacadæmonii, duce Archidamo Rege, obsederunt, eorumque agrum vastarunt. Fuerunt autem in urbe tantum Platæenses quadringenti, & Athenienses octoginta, & centum ac decem mulieres, quæ panes conficiebant. Cum autem obsidionem diu tolerassent, nec ullum amplius commeatum haberent, urbem Lacedæmoniis dediderunt: sed a Lacedæmoniis in Thebanorum gratiam, crudeliter habiti, ac Platæensium non pauciores ducentis, Atheniensium viginti & quinque necati fuerunt, fœminis in servitutem abductis. Urbem Megarensibus domo propter seditionem profugis, & Platæensibus, qui supererant, quique secum senserant, Thebani per integrum annum incolendam dederunt. Postea urbe tota funditus eversa & solo æquata, prope Junonis templum diversorium exstruxerunt, usi ad id opus ipsis Platæensium tectis, & januis. Ex ære vero & ferro, Platæensium supellectile, quæ in mœnibus erat, lectos confecerunt, quos Junoni consecrarunt, templo lapideo centum pedum eidem exstructo, Thucyd. *lib.* III. p. 145. 148. 149. 150. 220. vide Demosth. *contra Neæram* p. 740. 741. & Diodor. *lib.* XII. p. 109. Hæ res gestæ sunt nonagesimo tertio anno a societate, quam cum Atheniensibus Platæenses inierant, Thucyd. *lib.* III. p. 220. Scionen insulam Platæensibus exsulibus inhabitandam tradiderunt Athenienses, Diodor. *lib.* XII. p. 124.

Platæensium urbs, per eam pacem, quam Antalcidas Græcis a Rege Persarum confecit, restituta fuit, redieruntque in patriam Platæenses, qui Athenas confugerant, Pausan. *Bœot.* p.543.

Platæenses, cum suspectam haberent voluntatem Thebanorum, urbem suam firmissimo præsidio tuebantur: qui vero agros a mœnibus longinquio-

res habebant, non nisi observatis concionum temporibus, (quas Thebani frequentes ex omni populi parte celebrare solebant) tum demum sua quiete curabant. Sed Neocles Thebanus summum tunc in Bœotis magistratum gerens, astu deprehenso, suos in concionem omnes cum armis venire jussit. Venientesque Platæas ea duxit, ubi nullus a Platæensibus speculator erat. Ita meridiana hora, qua oppidani Thebanos concione occupatos rati, se in agros, occlusis a tergo portis, effuderant, cum iis qui intra muros fuerunt deprehensi, Thebani pepigerunt, ut cum singulis viris, mulieres cum binis vestimentis ante solis occasum urbe exirent. Urbs tota a Thebanis, præter Deorum templa, excisa fuit, Pausan. *Bœotic.* p. 544. id gestum anno tertio ante pugnam Leuctricam, idem *ibid.*

Platæenses urbe exclusi vel ejecti ab Atheniensibus recepti fuerunt, Pausan. *Bœot.* p. 545. & civitate ab iis donati, Diodor. *l.* xv. p. 362. Decretum de iis recitat Demosthenes *contra Neær.* pag. 741. Ἱπποκράτης εἶπε Πλαταιέας εἶναι Ἀθηναίους ἀπὸ τῆσδε τῆς ἡμέρας, ἐντίμους, καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἀθηναῖοι, καὶ μετεῖναι αὐτοῖς, ὧνπερ Ἀθηναίοις μέτεστι πάντων καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων. πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη ἢ τελετή ἐστιν ἐκ γένους, μηδὲ τῶν ἐννέα ἀρχόντων. τοῖς δὲ ἐκ τούτων, καταν-έιμαι δὲ τοὺς Πλαταιέας εἰς τοὺς δήμους καὶ τὰς φυλάς. ἐπειδὰν δὲ νεμηθῶσι, μὴ ἐξέστω ἔτι Ἀθηναίῳ μηδενὶ γίγνεσθαι Πλαταιέων, μὴ εὑρομένῳ παρὰ τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων.

Platæenses, a Philippo Macedone, parta ad Chæroneam victoria, & præsidio Thebanis imposito, Thebanorum odio, in sedes pristinas reducti fuerunt, Pausan. *Bœot.* p. 544.

OCALEENSES.

OCalea urbs Bœotiæ, Stephan. nomen accepit a præterlabente fluvio, Schol. min. & Eustath. *in Iliad.* B. vel διὰ τὸ ὦκα καὶ συντέμως ἐκεῖθεν εἰς Θήβας πορεύεσθαι, Eustath.

Ocaleam e Creta pulsus Rhadamanthus Asterii (vel Jovis) filius commigravit. Is Alcmenam, mortuo Amphitryone, uxorem duxit, Apollod. *l.* II p. 57. *β.* Idem vita defunctus una cum fratre Minoe judicandis animabus apud inferos præfectus dicitur Apollod. *l.* III. p. 87. *β.* Plutarch. *Consol. ad Apollon.* p. 75. A.

Aspledon urbs terræ Orchomeniæ, appellata ab Aspledone Presbonis filio, Schol. min. *Iliad.* B. Alii Aspledonem Neptuni vel Orchomeni filium fuisse ajunt, Eustath. *in Iliad.* B.

Thisbe urbs Bœotiæ nomen accepit a Thisbe Asopi filia, Eustath. *in Iliad* B. Nunc numero plurali dicitur Thisbæ, Sch. min. *in Iliad.* B.

Tegyra urbs Bœotiæ, in qua Apollinem natum fuisse perhibent, Stephan.

Glissas domicilium Thebaicum in monte Hypato, nomen accepit a Glissone vel Glissante, Eustath. *in Iliad.* B. ex Stephano.

Midea urbs Bœotiæ dicta a Midea Aloei filia, Eustath. *in Iliad.* B.

Nisa urbs Bœotiæ appellata a Niso quodam Heroe, Bacchi fanum illustre habuit, Eustath. *in Iliad.* B.

Schœnus urbs Bœotiæ nomen accepit a Schœneo Athamantis filio, Atlante patre, Schol. min. *Iliad.* B. vel ἀπὸ τῶν σχοίνων φυομένων αὐτόθι, (a juncis) Eustath. *in Iliad.* Σχοῖνος χώρα Θηβαϊκὴ, ἐν ὁδῷ τῇ ἐπὶ Ἀνθηδόνα, Strabo.

Scolus vicus sub monte Cithærone Thebarum Bœoticarum, nomen accepit διὰ τὸ δυσοίκητον τοῦ τόπου, Schol. min. & Eustath. *in Iliad.* B.

Eteonus urbs Bœotiæ appellata ab Eteono, Bœoti nepote, Eleonis patre: postea Scarphe vocata fuit, Eustath. & Schol. min. *Iliad.* B.

Eilesion, Hyle & Eleon urbes Bœotiæ sic dictæ, ἐπειδὴ ὑλώδεις οἱ τόποι, Schol. min. *Iliad.* B. vel Hyle nomen accepit ab Hyle Thespiei filia, Eustath. *in Iliad* B. Eleon κώμη Ταναγρικὴ, ἀπὸ τῶν ἑλῶν dicta, vel, ut quidam volunt, ab Elone Eteoni filio, Eustath. *in Iliad.* B.

Medeon urbs Bœotiæ dicta a Medeone Pyladæ & Electræ filio, Eustath. *in Iliad* B. sed tum Troicis temporibus illud nomen habere non potuit.

Eutresis urbs Bœotiæ a Zetho & Amphione mœnibus cincta, sic dicta διὰ τὸ πολλαῖς αὐτὴν ῥυμοτομίαις, οἱονεὶ συντετρῆσθαι τεμνομένην εἰς ἀμφόδους συχνάς, Eustath. *in Iliad.* B.

PHOCENSES.

DEion (Δηΐων vel Δηϊονεὺς) Æoli filius, Rex in Phocide imperavit. Uxorem habuit Diomeden Xuthi filiam, & ex illa filios Ænetum, Actorem, Phylacum & Cephalum, ac filiam Asteropæan, Apollod. *l.* I. p. 22. *β.* Actoris filius (vel nepos ex filio Iro) Eurytion in Phthiotide regnavit: vide in *Phthiotis*. Menœtium etiam hujus Actoris filium faciunt quidam, de quo in *Locris*. De Phylaco vide in *Phylacensibus*. De Cephalo vide in *Cephalleniis*. Diam filiam Ixioni uxorem dedisse Deioneus dicitur Schol. Pindar. *Pyth.* ode II. epod. I. vide in *Lapithis*. Canes Cephali filius in Phocide regnasse dicitur Diodoro *l.* IV. p. 256.

Phocus Ornytionis filius, Sisyphi nepos, Tithorean, in ea regione, quæ Phocis dicta fuit, coloniam deduxit, Pausan. *Corinth.* p. 92. Et ab hoc Phoco ea duntaxat regio Phocis nuncupata fuit, quæ est ad Tithorean & Parnassum, Pausan. *Phocic.* init. & *Corinth.* p. 138. Marcian. Περ. p. 20. v. 15.

> Ἑξῆς δὲ Φωκεῖς, οὓς δοκεῖ συνοικίσαι
> Φωκὸς, κατελθὼν μετὰ Κορινθίων πρὸ τοῦ
> Γενεαλογεῖται δ' Ὀρνύτου τοῦ Σισύφου.

Ubi observa eum, qui Pausaniæ dicitur Ornytion, Marciano dici Ὄρνυτον: nec dubito quin Nauboli pater Ornitus apud Apollonium idem sit Ὀρνυτίων vel Ὄρνυτος.

Phoci uxor fuit Antiope Lyci uxor: cum enim ea præ cæteris Diis Baccho honorem haberet, & ab ipso petiisset, quæ vulgo prodita sunt, is iratus fœminæ furorem immisit, ut mente capta per totam Græciam erraret. Phocus vero & morbo eam liberavit, & uxorem duxit, Pausanias *Bœot.* p. 569.

Naubolus Rex Phocidis & Tanagræ, Orph. *Argon.* v. 144. seq. Ναυβόλου, Φωκίδος ὅς ῥ' ἤνασσε καὶ εὐπύργοιο Τανάγρης. Naubolus Orniti filius dicitur Apollon. *Argon.* l. I. v. 207. ut Phocus & Naubolus ex eodem patre fratres fuerint. Iphitus Nauboli (& Perinices Hippomacho genitæ, Schol. Apollon.) filius, Orniti nepos, Phocensis, socius fuit Argonauticæ Expeditionis, Apollon. *Argon.* lib. I. v. 207.

Phocus Æaci filius, deductis in eam regionem Æginetis, toti regioni, quanta postea fuit, nomen dedit, Pausan. *Phocic.* init. Ante Leleges appellabantur Phocenses. Dicæarch. *βίῳ* Ἑλλάδ. p. 165. 166.

> —— Λέλεγες τὸ πρὶν κεκλημένοι,
> Ἔπειτα Φωκεῖς· ἐκ Λελέγων φερόμενοι.

Οἱ Φωκεῖς ἐκλήθησαν ἀπὸ Φώκου τοῦ Αἰακοῦ, Schol. Apollon. *Argon.* l. I. v. 207. Τοὺς δὲ Φωκεῖς, οἱ μὲν ἀπὸ Φώκου τοῦ Ψαμάθης καὶ Αἰακοῦ· οἱ δὲ τοῦ Ποσειδῶνος καὶ Προνόης τῆς Ἀσωποῦ, Schol. min. *Iliad.* B. Pindar. *Nem.* ode V.

v. antistr. & epod. 1.

Καὶ βία Φώκυ κρέοντος
Ὁ' πὰς Θεῶ τ' Ψαμάθεια
Τίκτ' ἐπὶ ῥηγμῖνι πόντυ.

Cum Phocus Æaci F. ex Ægina transmisisset in eam regionem quæ Phocis dicta fuit, ibique parto sibi ejus continentis imperio, domicilium suum statuisset, cum eo Jaseus singularem quandam amicitiam conciliavit, & inter alia dona ei lapidem aureo annulo inclusum dedit. Verum cum non multo post Phocus in Æginam revertisset, Pelei insidiis vitam amisit, Pauf. *Phocic.* p. 667. vide Schol. Pindar. *Nem.* ode v. epod. 1. Plutarch. *Parall.* xxv.

Phoci filii post mortem patris in Phocidem concesserunt, Pausan. *Corinth.* p. 138. Ii erant Panopeus Panopei, & Crissus Crissæ conditores, Eustath. *in Iliad.* B.

Panopei filius fuit Epeus equi Trojani fabricator, Homer. *Iliad.* Ψ. v. 665. & *Odyss.* Θ. v. 493.

Panopei quoque filia fuit Ægle, cujus amore Theseus Ariadnen deseruit, Plutarch. *Theseo.*

Schedius & Epistrophus Iphiti filii, Nauboli nepotes, duces Phocensium fuerunt ad bellum Trojanum, Homer. *Iliad.* B. v. 517. Schedius Rex Phocensium Panopei domicilium habuit: occisus vero fuit ab Hectore, Pausan. *Phocic.* p. 614. Homer. *Iliad.* P. v. 306. seqq.

Strophius (Crissi filius, Phoci nepos) Pythone in Phocide imperavit, Schol. Pindar. *Pyth.* ode 11. epod. 1. Uxorem habuit Anaxibiam (Astyochen Hygin.) Atrei filiam. Ad Strophium in Phocidem Orestes infans a sorore Electra ablegatus fuit, cum pater Agamemnon a Clytæmnestra occideretur, Argum. Sophocl. *Electr.* in ipsa Fabula v. 297. ait Ægisthus Electræ:

—— ἥτις ἐκ χερῶν
Κλέψασ' Ὀρέστην τῶν ἐμῶν ὑπεξέθυ,

Pindar. *Pyth.* ode xi. epod. 1.

Ἐν ἀφνεαῖς ἀρούραισι Πυλάδα νικῶν,
Ξένυ Λάκωνος Ὀρέστα.
Τὸν δὴ φονευομένυ
Πατρὸς Ἀρσινόα Κλυταιμνήστρας
Χειρῶν ὑπὸ κρατερᾶν ἐκ δόλυ
Τροφὸς ἄνελε δυσπενθέος.

Vide illic Scholiast. Crissæ autem vixisse Orestem docet Sophocl. *Electr.* v. 180. seqq.

Pylades Strophii filius. Is amicissimus Oresti, Euripid. *Orest.* v. 724. & 1621. Eundem in occidenda matre adjuvit, Euripid. *Orest.* v. 33. Ideoque a patre Strophio patria pulsus fuit, idem *ibid.* v. 765. seqq. item v. 406. Uxorem accepit Orestis sororem Electram, idem *ibid.* v. 1660 Filium habuit Medeonem, a quo Medeon urbs Bœotiæ nomen accepit, Eustath. *in Iliad.* B. A Pyladæ & Electræ filiis Aristodemus Heraclida occisus fuit, Pausan. *Lacon.* p. 159. Aristotelis in Pyladem exstat Epitaphium:

Υἱὸς ὅδε Στροφίυ Πυλάδης ἐν Φωκίδι γαίᾳ
Κεῖται ἐπεὶ παντὸς μοῖραν ἔπλησε βίυ.

Phocidem a Pylade ἀφνεὰς ἀρούρας Πυλάδα ξένυ Λάκωνος Ὀρέστα vocat Pindar. *Pyth.* ode xi. epod. 1.

Phocenses, metu Thessalorum: murum, portis impositis, struxerunt, ubi in Græciam iter est: cum enim Thessali eos subigere conarentur, hoc præsidio imposito se tutabantur: aquamque illam ferventem (θερμὰ λυτρὰ) itineri induxerunt, ut lacum præberet locus: omnia excogitantes, quibus suas terras ab Thessalorum incursionibus tutas præstarent, Herodot. *l.* vii. p. 504.

A Phocenses ante Persarum in Græciam irruptionem contra Thessalos bella gesserunt: quo tempore insigne ad memoriam facinus ediderunt. Ad Hyampolim enim, qua intra ipsorum fines invasurum Thessalorum equitatum exploratum habebant, urnas fictiles defoderunt, iisque terra superaggesta opertis, hostilis equitatus impetum sustinuerunt. Hostes, ut qui eas insidias non providerant, citatis equis excursione facta, incauti in eas urnas inciderunt: ibi cum eo casu fracti ac debilitati fuissent equorum pedes, viri ex equis prolapsi, passim cæsi fuerunt. Ea re vehementius quam ante multo ira Thessali inflammati, ex omnibus

B civitatibus accitis auxiliis, Phocenses armis adorti sunt. Magnus Phocensibus incessit terror, tum apparatum reliquum hostium, tum maxime equestres copias metuentibus, quod non ipso tantum numero, sed equorum & hominum in equestribus præliis peritia atque exercitatione, facile excellebant Thessali. Miserunt itaque Delphos, qui de periculo propulsando Oraculum consulerent. Ii tale retulerunt responsum:

Συμβαλέω θνητόν τε καὶ ἀθάνατον μαχέσασθαι.
Νίκην δ' ἀμφοτέροις δώσω, θνητῷ δὲ νυν ἄλλον.

C Hoc Phocenses accepto oraculo, delectos viros ccc duce Gelone in hostes miserunt, cum mandatis ut noctis initio ex occulto, quam maxime possent quid Thessali molirentur, speculatum irent: deinde in castra redirent, cœco maxime itinere: nec omnino sua voluntate manus conferere. Hi omnes ad unum cum ipso Gelone duce suo perierunt, partim equorum pedibus conculcati, partim ab hostibus occisi. Ingentem ea clades pavorem in castris excitavit: atque eo desperationis ventum fuit, ut conjuges, liberos, fortunas cæteras, quas agere quisque aut ferre posset, vestem, aurum, ar-

D gentum, Deorum signa, in unum coegerint. Ibi maximo exstructo rogo viros xxx. duntaxat reliquerunt: quibus imperarunt, si ita accidisset, ut, qui ad prælium exissent, hostibus succumberent, primo fœminas ac impuberes omnes jugularent: deinde quas congesserant opes, in rogum conjicerent, & igne subjecto comburerent: postremo & ipsi vel mutuis se confoderent vulneribus, vel ultro in hostium equitatum ruerent. Ex eo extrema omnia consilia a Græcis appellantur Ἀπόνοια Φωκική. His ita constitutis contra Thessalos statim copias eduxerunt, ducibus Rhœco Ambryssensi

E & Daiphane Hyampolitano, hoc equitum, illo peditum ductore. Erat apud imperatores perhonorificus Eleo vati Telliæ locus: in eo magnam salutis spem repositam habuerunt Phocenses. Alacres vero discriminis aleam subierunt. Et victoriam adepti sunt illustrissimam. Atque tunc oraculi sensus Græcis omnibus innotuit. Tesseræ nempe a Ducibus eædem datæ fuerunt in conflictu: Thessalis quidem Itonia Minerva, Phocensibus autem Phocus, a quo nomen ducebant. Sed neque postea callida Phocensibus consilia defuerunt. Constiterunt in primo Phocidis aditu ca-

F stra hostium. Ibi lecti homines e Phocensibus 10. observato eo tempore, quo suum Luna orbem explerat, Thessalos noctu adorti sunt, oblitis gypso corporibus, gypso etiam dealbatis armis. Ingentem memorant Thessalorum factam cædem, quod immissa divinitus per noctem sibi visa, non hostium astu illud evenisse interpretarentur. Atque hoc etiam Tellias vates in Thessalos excogitarat, Pausan. *Phocic.* pagin. 609. 610. 611. Sexcentos fuisse Phocenses scribit Herodotus, qui hoc commento terruerint Thessalos, eorumque tria

millia hoc modo occiderint, atque ipsorum scutis potiti sint, *lib.* VIII. p. 537.

Phocide Aulin Tyrannum ejecerunt Lacedæmonii, Plutarch. *de Malign. Herodoti* p. 670.

Phocenses mille cum reliquis Græcis Xerxem ad Thermopylas opperiebantur, Herodot. *l.* VII. p. 513. Oetæ tramitem eos custodivisse scribit Pausan. *Phocic.* p. 645.

Phocenses, cum in Europam Persæ exercitum trajecissent, fama fuit necessitate coactos in Xerxis partibus fuisse, Paus. *Phocic.* p. 611. At Herodotus solos Phocenses inter istarum terrarum populos cum Medis non sensisse scribit: cujus nullam ille aliam causam putat fuisse, quam odium Thessalorum, qui partes Medorum sequebantur: nam si Thessali Græcorum partes fovissent, Phocenses partibus Xerxis se juncturos fuisse arbitratur, *lib.* VIII. p. 538. Idem tamen mille Phocenses in exercitu Mardonii ad Platæas fuisse scribit p. 598.

Phocenses, post acceptam ad Thermopylas cladem, a Thessalis misso caduceatore jussi sunt in compensationem injuriarum talenta ipsis pendere; ita futurum, ut qua Thessali apud Xerxem pollebant gratia & auctoritate, ab agro Phocensium omnia damna averterent. At Phocenses & se pecuniam daturos negarunt, & sibi non minus quam Thessalis copiam factam sentiendi cum Medis, si vellent: nequaquam tamen fore se sua sponte proditores Græciæ, responderunt, Herodot. *l.* VIII. p. 538.

Phocenses metu Persarum, pars Parnassi cacumina conscenderunt: plures ad Locros Ozolas, Amphissam se receperunt. Persæ, ducentibus Thessalis responso isto Phocensium irritatis, Phocidem ingressi, omnem agrum igni ferroque vastarunt: & urbibus captis, ædes sacras incenderunt. Phocensium etiam quosdam per montana insecuti ceperunt, & fœminas aliquot multitudo stuprantium necavit, Herodot. *l.* VIII. p. 538. 539.

Phocenses cum Græcis Platæensi prælio in acie stetisse scribit Pausan. *Phocic.* p. 611. Sed Herodotus nullam eorum facit mentionem, cum recenset singulos populos, qui in eo fuerunt exercitu, *lib.* IX. p. 596. 597. Hoc tantum scribit, Phocenses, qui in Parnassi vicina loca se receperant, Græcis faventes, excurrisse ex iis locis, & Mardonii exercitum carpsisse, p. 598.

Phocenses contra Dorienses, Lacedæmoniorum metropolin, Bœum, Cytinum & Erineum expeditione suscepta, eorum oppidorum unum ceperunt. Sed a Lacedæmoniis duce Nicomede Cleombroti filio suæ metropoli succurrentibus, deditione certis conditionibus facta, oppidum reddere coacti fuerunt, Thucyd. *l.* I. p. 69. 70.

Phocensibus Athenienses post discessum Lacedæmoniorum, cum exercitu illuc profecti Templum Delphicum tradiderunt, Thucyd. *l.* I. p. 73.

Phocenses socii Lacedæmoniorum fuerunt in bello Peloponnesiaco, & equitatum præbuerunt, Thucyd. *l.* II. p. 105.

Phocenses cum Locris ex Amphissa de agri finibus contenderunt: cumque Phocenses excursiones in agrum Locrorum cum subitariorum militum manu fecissent, idem ipsi a Locris passi sunt, & Thebanis, quos Locri socios adsciverant. Phocenses vero missis Lacedæmonem Legatis Thebanos acerbissime infectati fuerunt, Paus. *Lacon.* p. 176. Phocenses socii fuerunt Lacedæmoniorum in bello Corinthiaco, contra Thebanos, Pausan. *Lacon.* p. 167.

Phocensibus mulcta ab Amphictyonibus irrogata fuit, incertum quam ob causam, Paus. *Phocic.* p. 611. Idem Pausanias scribit eam ob causam irrogatam, quod sacrum agrum coluissent Phocenses, *Phocic.* p. 635. Οἱ δὲ Φωκεῖς ἐπεργασάμενοι πολλὴν τῆς ἱερᾶς χώρας τῆς ὀνομαζομένης Κιῤῥαίας, δίκας ὑπέσχον ἐν Ἀμφικτύοσι, καὶ πολλοῖς ταλάντοις κατεκρίθησαν, Diodor. *l.* XVI. p. 425.

Phocensibus originem belli sacri fuisse seditionem coortam inter Mnaseam Mnesonis patrem & Euthycratem Onomarchi filium ex puella patri diviti superstite, scribit Aristoteles *de Republica lib.* V. cap. IV.

Phocenses mulctæ ab Amphictyonibus irrogatæ magnitudinem iniquissimo animo ferentes, Philomelus Theotimi filius, Phocensium nemini dignitate secundus, e Ledone urbe Phocica ortus, edocuit, longe graviorem esse pecuniæ summam, quam ut eam pendere ullo modo possent: simul iis auctor fuit ut Delphicum templum spoliarent. Consilium Philomeli pronis multitudinis animis acceptum fuit, sive quod mentem Deus a rectis consiliis avertisset, sive quod is populus suopte ingenio religioni solitus esset quæstum anteponere. Olymp. CV. an. 4. Delphos occuparunt Phocenses Heraclide Delphis principatum tenente: pecuniaque sacra potiti, statim ex omnibus Græciæ partibus, firmissimas mercenariorum militum cohortes conduxerunt. Thebani quidem aperte in eos arma moverunt, nempe qui & ante offensiore in illos fuissent animo. Collatis vero ad Neonem urbem signis, Phocenses terga verterunt. Philomelus in fuga ex arduo & prærupto saxo cum se præcipitem dedisset, exanimatus fuit: quod supplicii genus alias ab Amphictyonibus in eos, qui participes essent sacrilegii ejus, constitutum fuerat, Pausan. *Phocic.* p. 611. 612. vide Diodor. *lib.* XVI. pag. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. ubi a Locris primum arma sumpta fuisse contra Phocenses, inde simul a Bœotis: tum a Thessalis, & Achæis Peloponnesi, scribit. Locri enim victi, legatione missa Thebas, ut sibi Deoque subveniretur, postularunt. Ibi Bœoti per Legatos a Thessalis, cæterisque Amphictyonibus petierunt, ut contra Phocenses socia arma sumerent. Factoque decreto ab Amphictyonibus de bello Phocensibus inferendo, Bœoti, & Locri, & Thessali, & Perrhæbi, & Dorienses, & Dolopes, & Athamanes, & Achæi, & Phthiotæ, & Magnetes, & Ænianes, & quidam alii templo succurrendum judicarunt, Diodor. *lib* XVI. p. 430. Phocensibus auxilia miserunt decreto publico Athenienses & Lacedæmonii, Pausan. *Lacon.* p. 177. & nonnulli ex Peloponnesiis alii; Diodor. *l.* XVI. p. 430.

Phocenses imperium collegæ Onomarcho (Philomeli collegæ & fratri, Diodor. *lib.* XVI. p. 432. 452.) detulerunt. Sed acie victi fuerunt a Philippo Amyntæ filio, qui inita cum Thebanis societate, ejus belli gerendi imperium susceperat. Onomarchus ad mare fugiens a suis militibus jaculis confixus fuit, ipsius ignavia & imperandi inscitia, ea se clade affectos interpretantibus, Paus. *Phocic.* pagin. 612. vide Diodorum *lib.* XVI. p. 432. 433. 434. 435.

Phocenses Onomarchi fratri Phayllo imperium cum summa potestate decreverunt. Is paucis post diebus macie contabescens, somnii, quod illi contigerat, eventum implevit, Pausan. *Phocic.* p. 612. 613. vide Diodor. *l.* XVI. p. 435. 436. 437.

Phocenses ad Phalæcum Phaylli (Onomarchi Paus.) filium principatum transtulerunt. Ei, quod sacram pecuniam in suos usus depeculatus fuisset, imperium abrogatum fuit. Deinde cum in Cretam classe transmisisset una cum Phocensibus ejus partes sequentibus & mercenariorum parte, & Cydoniam urbem obsideret, quod imperatam pecuniam illa civitas pendere recusasset, omissa maxima exercitus parte, ipse etiam periit, Pausan. *Phocic.* p. 613. vi-

de Diodor. *l.* XVI. p. 437. 438. 452. 456. 457. 458. Phalæco tres imperatores ſuffecti, Dinocrates, Callias & Sophanes, Diodor. *l.* XVI. p. 452.

Phocenſes decem annos continuos hoc bellum geſſerunt, varia fortuna. Olymp. CVIII. an. I. Decimo tandem anno Philippus bello finem impoſuit. Phocenſium urbes expugnatæ & ſolo æquatæ fuerunt, & ad formam vicorum redactæ præter Abas: nam Abæi ſacrilegii prorſus expertes fuerant, & non modo a templi direptione manus abſtinuerant, ſed etiam a belli ſocietate abhorruerant, Pauſ. *Phocic.* p.612.613. vide Diodor. *l.* XVI. p. 454. 455.

Phocenſibus & fani Delphici, & publici Græcorum conventus communione interdictum fuit: & jus ſuffragii, quod penes ipſos fuerat, ad Macedonas Amphictyones tranſtulerunt, Pauſ. *Phocic.* p.613. Diodor. *l.* XVI. p. 455.

Phocenſes non longo deinde interjecto tempore, ex vicis in ſuas quiſque patrias reſtituti, urbes inſtaurarunt: præter eas tamen, quæ ob priſtinam tenuitatem & præſentem pecuniæ inopiam refici non potuerunt. Reſtitutionis ejus duces & auctores fuerunt Athenienſes & Thebani ante cladem Græcis ad Chæroneam acceptam, Pauſ. *Phoc.* p.613.

Phocenſes pugnæ ad Chæroneam interfuerunt, Pauſan. *Phocic.* p. 614.

Phocenſes ad Lamiam & in Cranone in acie contra Antipatrum & Macedonas ſteterunt, Pauſ. *Phocic.* p. 614.

Phocenſes omnium Græcorum accerrime Gallorum exercitum perſecuti ſunt: ſimul ut Apollinis Delphici injuriam ulciſcerentur, ſimul vero ut veterem infamiam abolerent, Pauſan. *Phocic.* p.614. 652. Miſerant autem ad Thermopylas contra illos quingentos equites, pedites ter mille, ducibus Critobulo & Antiocho, Pauſan. *Phocic.* p. 646.

Rurſus in acie Græcorum, qui Delphos convenerant, contra Brennum, Phocenſes ex omnibus undecunque civitatibus ſteterunt: locorum autem notitia freti, per medias nives, ex arduis & præruptis Parnaſſi anfractibus deſcendentes, ac de improviſo Gallos adorti, miſſilibus illos & ſagittis impune fixerunt. Conciderunt in eo prælio e Phocenſibus & alii complures, & Aleximachus, qui in ea pugna, cum animi quandam egregiam alacritatem ad florentis ætatis vigorem & corporis robur adjunxiſſet, magnam ediderat hoſtium ſtragem. Ejus effigiem Delphos ad Apollinem miſerunt, Pauſan. *Phocic.* p.652. 653.

Phocenſes, quod adverſus Gallos præ cunctis Græcis ſtrenue rem geſſiſſent, & Amphictyonatum, & priſtinam omnem dignitatem receperunt, Pauſan. *Phocic.* p.622.

Phocenſes in Phocæam coloniam deduxerunt, Pauſan. *Achaic.* p. 402.

Cypariſſus urbs Phocidis appellata, dicitur vel a Cypariſſo Minyæ filio, Orchomeni fratre, vel a copia Cypreſſi, quæ illic eſt, Euſtath. & Schol. min. *Iliad.* B. vocabant etiam eam Cypariſſuntem, & Apolloniada, & ante aliquando Erannum, Euſtath. *in Iliad.* B.

Criſſa campus in Locride, vel, ut plures ajunt, in Delphis, nomen accepit a Criſſo Tyranni F. Deionei e filia Aſterodia nepote, Schol.min. *Iliad.* B. Hecatæus Criſſum Phoci filium fuiſſe dicit, Euſtath. *in Iliad.* B. Κρίσσῃ ὑπὸ πτυχὶ Παρνασσοῖο, Homer. *Hymno in Apollin.* v. 269. Apud Criſſam Apollinis templum erat, idem *ibid.* v.282. ſeqq. Criſſæus ſinus ſeparat Peloponneſum, (a reliqua Græcia) idem *ibid.* v. 431. 504.

Criſſæi Cirrham everterunt: Criſſa vero ab Eurylocho Theſſalo deleta fuit, cum Criſſæi e portoriis e Sicilia & Italia opibus aucti, acerbius vecti-

A galia exigerent ab iis qui ad Oraculum proficiſcebantur, idque injuſſu Amphictyonum, Strabo *l.* IX. p.418. Sed Pauſanias Criſſam & Cirrham eandem urbem eſſe vult: Ομηρος, inquit, μὲν τοι Κρίσσαν, ἔν τε Ἰλιάδι (B.V.520.) ὁμοίως καὶ ὕμνῳ τῷ εἰς Ἀπόλλωνα (v.469.482.431.438.445.) ὀνόματι τῷ ἐξ ἀρχῆς καλεῖ τὴν πόλιν, (Λίῤῥαν) *Phocic.* p. 684.

Criſſæa gens circa templum Pythicum habitavit, eumque agrum tenuit, qui, poſt Apollini conſecratus, Criſſæus appellabatur, ad quem Locri habitabant & Melæna erat: cuique Carphius mons adjacebat, prope quem Phocenſes habitabant. Hi
B Criſſæi viribus & opibus aucti, Delphos ſubegerunt, finitimos pulſarunt, eos qui Oraculum conſulebant, ſpoliarunt, colonos deprædabantur, mulieres alienas, liberos, corporaque eorum per injuriam vexarunt. Ideoque Amphictyones miſſo in eorum agrum exercitu, victores, regionem eorum & agrum vaſtarunt, & urbes depopulati ſunt. Habebant vero Criſſæi urbem maximam ad eum locum, ubi equeſtre celebrabatur certamen: eam mœnibus firmiſſimis cinxerunt, receptiſque in eam aliarum urbium exſulibus, & bello inutilibus expulſis, & rebus neceſſariis importatis, adverſus omnem vim hoſtilem invictam eam futuram
C ſibi perſuaſerunt. Amphictyones autem, reliqua regione potiti, ad hanc urbem obſidendam ſe pararunt, ſtructoque caſtello, & præſidio in eo collocato, reliquas copias per urbes diſtribuerunt. Progreſſu temporis, peſtilentia præſidium & exercitum invaſit, caſtellumque ſæviente morbo deſertum fuit. Ibi Amphictyones, conſulto Oraculo, reſponſum tulerunt, bellum gerendum eſſe, victoriamque eorum fore, ſi ex inſula Co Cervi filium cum Auro auxiliarium adducerent, feſtinarentque antequam Criſſæi de penetralibus & adyto tripodem cortinamve raperent. Ita ex inſula Nebros (νεβρὸς *binnulus* ſeu *cervi pullus* dicitur)
D Aſclepiades, ex quo oriundus fuit Hippocrates, ſummus Græcorum Medicus cum filio Chryſo (χρυσὸς *aurum* dicitur) & Calydonio quodam ſuo alumno, oraculum de ſe interpretatus, ad exercitum Amphictyonum profectus eſt, confeſtimque morbus ceſſavit. Et cum forte equus Eurylochi exercitus Theſſali ducis, genus ab Heraclidis ducentis, ſeſe in pulvere volutans, ungula ictas fiſtulas perfregiſſet, per quas aqua in obſeſſam Criſſæorum urbem devehebatur, Nebros aquam venenatis medicamentis infecit, qua Criſſæorum ventriculi ſoluti corrumpebantur. Tum obſidentibus animi aucti, præmiaque primis mœnia conſcenſu-
E ris propoſita. Primus vero murum conſcendit Chryſos Nebri F. turrimque cepit: quem proxime ſequutus eſt Calydonius ille. Ac Chryſos quidem pilo ictus a Mermedeo Lycei fratre, qui cum tripodem de Apollinis penetralibus ac adyto rapere vellet, interfectus fuit, de turri decidit. Urbs nihilominus capta fuit. Amphictyones vero templum Delphis ſtruxerunt Apollini, gymnicoque certamine ac equeſtri inſtituto, Criſſæorum agrum totum Apollini conſecrarunt, Chryſon vero in circo hippodromove publice ſepelivere, edixeruntque Delphis, ut ei ſingulis annis publice parentarent,
F Theſſal. Hippocrat. F. in *Orat. pro Cois.* Confer hæc cum iis quæ in *Amphictyon.* dicuntur e Pauſania.

Cirrhæos deleverunt Amphictyones: vide in *Amphictyon.* Cirrham aliquando tenebant Ænianes: vide in *Ænian.*

Daulis urbs Phocidis appellata a Daubeo Tyranni & Creſtones filio: vel διὰ τὸ σύμφυτον: Veteres enim δαῦλον dicebant τὸ δασύ, Schol. min. & Euſtath. *Iliad.* B Daulide habitavit Tereus Thrax: vide in *Athenienſ. Pandion.*

Panopeus urbs Phocidis, dicta a Panopeo Phoci

filio, Schol. min. *Iliad.* B Panopen quidam urbem vocant, & civem Panopea: apud Strabonem Phanoteus dicitur nunc pro Panopeus, Eustath. *in Iliad.* B.

Anemoria inter Phocidem & Delphos sita, super edito loco, unde nomen accepit, quod ventis valde sit exposita, Sch. min. & Eustath. *Iliad.* B.

Hyampolis urbs ab Hyantibus, Gente Barbara, condita, Schol. min. *Iliad.* B. Hyantes a Cadmo & ejus copiis superati, Thebis profugi in hanc regionem se receperunt. Et a finitimis jam tum ab initio Hyantopolis (Ὑάντων πόλις) appellata urbs fuit; sed temporis diuturnitas deinde pervicit, ut Hyampolis vocaretur, Pausan. *Phocic.* p. 680. Ὕαντες (a Bœotis expulsi) τῆς Φωκίδος Ὕαν πόλιν ᾤκισαν, Strabo *l.* IX. p. 401. Sed non usque adeo certum est, ab Hyantibus Bœotis sic appellatam esse; verum accurati Geographi tradunt Anemoriam mutato nomine Hyampolin dictam, in quam e Bœotia pulsi confugerint Hyantes: diversam ab Hyampoli ea quæ est in Parnasso, Eustath. *in Iliad.* B.

Hyampolin pars copiarum Xerxis incendit, Herodot. *l.* VIII. p. 539.

Hyampolin funditus evertit Philippus, Pausan. *Phocic.* p. 680. Sed restituta fuit: nam bello Philippi Demetrii F. receptam a Romanis scribit Livius *l.* XXXII.

Stiris urbs Phocidis condita a Peteo Ornei filio, quem Ægeus Athenis expulerat: sic dicta, quod magna Petei comitum pars e Stiriensium curia fuerit, Pauf. *Phocic.* p. 680.

Lilæa urbs Phocidis juxta Cephissi fl. fontes, Schol. min. *Iliad* B. nomen accepit a Lilæa Cephissi filia, Eustath. *in Iliad.* B.

Abas Lyncei & Hypermnestræ filius urbem Abas in Phocide condidisse, & de se appellasse dicitur, deductis illuc ex Argis colonis, Pausan. *Phocic.* p. 679.

Abas partem exercitus Xerxis incendit: & delubrum Apollinis, quod illic erat locuples thesaurisque ac donariis plurimis ornatum, primum diripuit, inde exussit, Herodotus *l.* VIII. p. 539. Pauf. *Phocic.* p. 679. In eo fano etiam Herodoti ætate dabantur oracula, Herod. *l.* VIII. p. 539. Ἄβαι τὸ μαντεῖον, Strabo *l.* IX. p. 423. Αἱ δὲ Ἄβαι πόλις Φωκεῦσιν, ἔνθα ἱερὸν Ἀπόλλωνος. ἦν δὲ τοῦτο μαντεῖον, πρὸ τοῦ ἐν Δελφοῖς, Stephan. ἐν Ἄβαις χρηστήριον ἦν Ἀπόλλωνος, Pauf. *Phocic.* p. 679. Ἄβαι, περὶ τὴν Φωκίδα τόπος, οὗ μαντεῖον Ἀπόλλωνος Ἀβαίου, (sic lege pro σαβαίου) Hesych.

Abæi neque sacrilegii, neque belli Phocici participes fuerunt: vide in *Phocens.*

Abas in delubrum Phocenses a Thebanis bello Phocico superati confugerunt: sed Thebani ignibus circumdatis, & supplices eos perdiderunt, & delubrum incenderunt: quodque reliquum fecerant Persarum flammæ, postea fere deletum fuit immisso a Bœotiis igne, Pausan. *Phocic.* p. 679. 680.

Abæis Romani, ut suis legibus uterentur, Dei cultu adducti concesserunt, Pausan. *Phocic.* p. 679.

Elatus Arcadis filius, cum Phlegyæ templum Delphicum adorti essent, ad arcendam injuriam in Phocidem venit, & deinde ibi cum suis copiis mansit, ac urbem Elateam condidit, Pausan. *Phocic.* p. 678. Elati filii e Laodice Cinyræ filia fuerunt Stymphalus & Pereus, Apollod. *l.* III. p. 110. β.

Elateam Cassander & Macedones frustra oppugnarunt, opera Olympiodori Atheniensis defensam, Pausan. *Phocic.* p. 678.

Elateensium plebem Philippus Demetrii filius, corruptis largitione civitatis principibus, metu injecto in ordinem redegit: & permanentes in fide Philippi, sive populi vecordia, sive Magistratus suasu, portas Romanis clauserunt, ideoque ab iis obsessi, nec aures præbuerunt Tito Flaminio se ipsis pristinam Remp. reddíturum per Legatos edicenti, modo a Macedonibus deficerent, Pausan. *Phocic.* p. 678. Urbe a Consule capta direptaque libertas Elateensibus data, Livius *l.* XXXII.

Elateenses Taxili Mithridatis præfecti & Barbarorum e Ponto obsidionem sustinuerunt: id factum Romani libertate data remunerati sunt, Pauf. *Phocic.* p. 678.

Elateensis Mnesibulus Costobocos excursionibus ad Elateam usque penetrantes, comparata cohorte aggressus, cum magnam stragem Barbarorum edidisset, fortiter dimicans ipse cecidit, Pausan. *Phocic.* p. 678.

DELPHI.

Parnassus, Cleodoræ Nymphæ e Neptuno vel Cleopompo filius, urbem his in locis condidit. Ab eo Parnassus mons & Parnassius saltus nominatus fuit. Ab eodem inventam ajunt ex avium volatu futurorum prædictionem, Pausan. *Phocic.* p. 61[illegible]. Πυθὼ πάλαι μέν ποτε Παρνάσσια ἐκαλεῖτο ταύτῃ ἀπὸ Παρνασσοῦ ὄρους παρακειμένου, Eustath. & Schol. min. *Iliad.* B.

Urbem a Parnasso conditam imbres temporibus Deucalionis deleverunt: qui autem ex illis homines servati fuerunt, illi (λύκων) luporum ululatum sequuti feris ducibus ad Parnassi montis juga confugerunt: unde urbem, quam illic condiderunt, Lycorean vocarunt. Alii tradunt Lycorum Apollini ex Corycia Nympha genitum Lycoreæ nomen dedisse: & de Nymphæ nomine antrum Corycium appellatum fuisse, Pauf. *Phocic.* p. 619.

Hyamus Lycori filius filiam Celæno habuit, e qua Apollo Delphum filium suscepisse fertur, unde nomen urbs Delphi acceperit: Alii Apollinis & Thyiæ (quæ hominis Castalii filia fuit) filium Delphum fuisse tradunt: Alii ejus matrem Melænen Cephissi filiam fuisse volunt, Pauf. *Phocic.* p. 619. Apollinem Delphusium cognominatum a Delphusa fonte, cujus fluxum averterat, auctor est Homerus *Hymno in Apoll.* v. 282. seqq. Delphinium vero eundem appellatum, & aram ejus Delpheam, a Delphine, cujus forma sumpta ad navem Cretensem accesserat, idem Homerus fabulatur *Hymno in Apollin.* v. 493. seqq. vide Plutarch. *de anim. Sapient.* p. 488. A.

Pythis Delphi filius fuisse fertur: ab eo, dum regnaret, urbi nomen impositum tradunt, ut Pytho vocaretur: nam & ita nominatam a finitimis, testantur Homerici versus (*Iliad.* B. v. 519.) de Phocensium delectu, Pausan. *Phocic.* p. 619. Pythonem urbem nomen accepisse ex eo, quod draco, vetus oraculi custos, ab Apolline sagittis confixus, illic computruerit: πύθεσθαι enim significare *computrescere*, scribit Auctor Schol. min. *in Iliad.* B. item Eustath. *in Iliad.* B. Ἡ δὲ Πυθὼ πόλις Φωκίδος, ἔνθα τὸ μαντεῖον, ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι τῶν μαντείων οὕτω κληθεῖσα, ἢ ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ σεσῆφθαι τὸν δράκοντα, Schol. Apoll. *Argon. l.* I. v. 207. Homer. *Hymno in Apoll.* v. 371. seqq.

> Τὴν δ' αὐτοῦ κατέπυσ' ἱερὸν μένος ἠελίοιο.
> Ἐξ οὗ νῦν Πυθὼ κικλήσκεται. οἱ δὲ ἄνακτα
> Πύθιον καλέουσιν ἐπώνυμον, οὕνεκα κεῖθι
> Αὐτοῦ πῦσε πέλωρ μένος ὀξέος ἠελίοιο.

Parnassii quidam αὐτόχθονες dicti olim Parnassum tenuerunt: quo tempore Apollo terras peragrans homines ad morum placiditatem composuit, frugibusque uti, & ratione victus mitioribus docuit, cumque Athenis profectus (ut Æschylus quoque

auctor est) Delphos illac iret, qua Athenienses postea pompam ad Pythonem miserunt, & ad Panopeos pervenisset, Tityum occidit, ejus loci dominum, hominem violentum & injustum: Parnassii vero cum illo congressi, alium quemdam difficilem virum, cui nomen Pytho, cognomen Draco erat, ei indicarunt, quem cum sagittis conficeret Apollo, illi acclamarunt, ἰὲ Παιάν. ἀφ' οὗ τὸν παιανισμὸν οὕτως ἐξ ἔθους παραδοθῆναι τοῖς μέλλουσι συμπίπτειν εἰς παράταξιν, Ephorus apud Strabon. *l.* IX. p. 422. vide Plutarch. *de Defectu Oracul.* p. 188. Callimach. *Hymno in Apoll.* v. 97. seqq.

Ἰὴ, ἰὴ Παιῆον ἀκούομεν, οὕνεκα τοῦτο
Δελφός τοι πρώτιστον ἐφύμνιον εὕρετο λαὸς
Ἦμος ἑκηβολίην χρυσέων ἐπεδείκνυσο τόξων
Πυθώ τοι κατιόντι συνήντετο δαιμόνιος θὴρ
Αἰνὸς ὄφις. τὸν μὲν σὺ κατήναρες, ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ
Βάλλων ὠκὺν ὀϊστόν. ἐπηΰτησε δὲ λαὸς,
Ἰὴ, ἰὴ Παιῆον ἵει βέλος.

Tum quoque incensum fuit a Delphis Pythonis tabernaculum: quemadmodum & postea semper ejus rei memoriam renovarunt, Ephorus apud Strabon. *l.* IX. p.422. Quidam Pythonem appellatam volunt, διὰ τὸ παραγενομένους αὐτόθι πυθέσθαι τοὺς ἀνθρώπους περὶ ὧν ἐθέλουσι, Schol. min. *Iliad.* B. Διὰ τὸ δύνασθαι τοὺς ἐκεῖ χρωμένους πυθέσθαι τὰ μέλλοντα ἤτις μαθεῖν. ὅθεν πυθαΐζειν τὸ μαντεύεσθαι, Eustath. *in Iliad.* B. Πρώτην δὲ Φημονόην φασὶ γενέσθαι Πυθίαν, κεκλῆσθαι δὲ καὶ τὴν προφῆτιν οὕτω, καὶ τὴν πόλιν ἀπὸ τοῦ πυθέσθαι, Strabo *l.* IX. p. 419. Parnassium saltum primo, tum Pythona, post Delphos hanc urbem vocatam fuisse scribunt Eustath. & Schol. min. *Iliad.* B. Phemonoe hoc hexametrum primum fudisse dicitur:

Συμφέρετε πτερά τ' οἰωνοὶ, κηρόν τε μέλισσαι.

Delphicum Apollinis Oraculum ajunt vetustissimis temporibus fuisse Telluris, quæ Daphnen, unam Nympharum circa montem habitantium, vatem præsidem delegisset. In Eumolpia poesi Musæo Antiophemi F. adscripta proditum est Neptuno & Telluri commune id oraculum fuisse, ipsamque Tellurem suo ore responsa dedisse, Neptunum vero interpretem habuisse Pyrconem:

Αὐτίκα δὲ Χθονίης σφῶν δὴ πινυτὸν φάτο μῦθον,
Σὺν δέ τε Πύρκων ἀμφίπολος κλυτοῦ Ἐννοσιγαίου.

Postea Tellurem ajunt suam oraculi partem Themidi dedisse; Themidem vero in Apollinem eam transtulisse, & Apollinem tandem etiam alteram partem a Neptuno accepisse, facta permutatione Calauriæ insulæ ante Trœzenem sitæ, Pausan. *Phocic.* p.617. Ἔφορος ἐπιφέρει παραχρῆμα, ὅτι ὑπολαμβάνουσι κατασκευάσαι τὸ μαντεῖον Ἀπόλλωνα μετὰ Θέμιδος, ὠφελῆσαι βουλόμενον τὸ γένος ἡμῶν. Εἶτα τὴν ὠφέλειαν εἰπὼν, ὅτι εἰς ἡμερότητα προὐκαλεῖτο, καὶ ἐσωφρόνιζε, τοῖς μὲν χρηστηριάζων, καὶ τὰ μὲν προστάττων, τὰ μὲν ἀπαγορεύων, τοὺς δ' οὐδ' ὅλως προσιέμενος. Ταῦτα δὲ διοικεῖν νομίζουσι (φησιν) αὐτὸν, οἱ μὲν αὐτὸν τὸν Θεὸν σωματοειδῆ γενόμενον, οἱ δ' ἀνθρώποις ἔννοιαν παραδιδόντα τῆς ἑαυτοῦ βουλήσεως, Strabo *l.* IX. p.422. Ἤκουσα δὲ καὶ ὡς ἄνδρες ποιμαίνοντες ἐπιτύχοιεν τῷ μαντείῳ, καὶ ἔνθεοί τε ἐγένοντο ὑπὸ τῆς ἀτμοῦ, καὶ ἐμαντεύσαντο ἐξ Ἀπόλλωνος, Pausan. *Phocic.* p. 617. Quomodo inventum fuerit oraculum hoc in Delphis, Diodorus in XVI. historiarum *Bibliothecæ* sic ait: Cum terræ hiatus contigisset in eo loco, ubi adytum erat, & illuc accederent capræ, quod nondum Delphi habitarentur, forte una ad hiatum accedens & inspiciens mirabiliter exsultavit, & singularem emisit vocem: ibi pastori mirabundo quoque ad hiatum accedenti idem quod capris accidit, isque futura prædixit. Fama ejus rei divulgata, plures illuc se contulerunt, & propius accedentes divino spiritu afflati fuerunt: quapropter creditum fuit Telluris id oraculum esse: cumque multi ob enthusiasmum illum perirent, una vates constituta fuit: eique machina parata, quam ea conscendens, tuto vaticinabatur, pedibus innixam, a quibus τρίπες appellata fuit. Olim vero ajunt virginem, ob sanctitatem, vaticinatam fuisse; postea vero, cum Echecrates vatis pulcritudine captus, eidem raptæ vim intulisset, ideo lege sanxisse Delphos, ut fœmina annorum quinquaginta habitu virgineo responsa daret, monumentumque esset vetustæ vatis, Schol. Aristoph. *Plut.* p. 2. β. Vide ipsum Diodor. *d. l.* p. 427. Φασὶ δ' εἶναι τὸ μαντεῖον ἄντρον κοῖλον κατὰ βάθους, οὐ μάλα εὐστομον, ἀναφέρεσθαι δ' ἐξ αὐτοῦ πνεῦμα ἐνθουσιαστικόν. Ὑπερκεῖσθαι δὲ τοῦ στομίου τρίποδα ὑψηλὸν, ἐφ' ὃν τὴν Πυθίαν ἀναβαίνουσαν, δεχομένην τὸ πνεῦμα, ἀποθεσπίζειν ἔμμετρά τε καὶ ἄμετρα. Ἐντείνειν δὲ καὶ ταῦτα εἰς μέτρον ποιητάς τινας ὑπουργοῦντας τῷ ἱερῷ, Strab. *l.* IX. p.419. Καὶ γὰρ ἐνταῦθα τὴν περὶ τὸν τόπον δύναμιν ἐμφανῆ γενέσθαι πρῶτον ἱστοροῦσι, νομέως τινὸς ἐμπεσόντος κατὰ τύχην, εἶτα φωνὰς ἀναφέροντος ἐνθουσιώδεις. ὧν τὸ μὲν πρῶτον οἱ παραγενόμενοι καταφρόνουν, ὕστερον δὲ γενομένων ὧν προεῖπεν ὁ ἄνθρωπος, ἐθαύμασαν. Οἱ δὲ λογιώτατοι Δελφῶν καὶ τοὔνομα τοῦ ἀνθρώπου διαμνημονεύοντες Κορήταν λέγουσι, Plutarch. *de Defectu Oracul.* p.197. A.& 198.A. Maxima vero gloria Phemonoes fuit, ut quæ prima πρόμαντις fuerit, primaque hexametrum cecinerit, Pausan. *Phocic.* p. 617. Πρώτην δὲ Φημονόην φασὶ γενέσθαι Πυθίαν, Strab. *l.* IX. p.419. Bœo tamen fœmina indigena, Hymno Delphis composito, tradidit advenas ab Hyperboreis profectos oraculum Apollini constituisse, cum alios, tum Olena, qui primus futura prædixerit, & hexametrum cecinerit:

Ἔνθα τοι εὔμνηστον χρηστήριον ἐκτελέσαντο
Παῖδες Ὑπερβορέων Παγασὸς καὶ δῖος Ἀγυιεύς.

Enumeratisque aliis Hyperboreis, *Hymni* fine Olena nominavit:

Ὠλήν θ' ὃς γένετο πρῶτος Φοίβοιο προφήτας
Πρῶτος δ' ἀρχαίων ἐπέων τεκτήνατ' ἀοιδάν.

Pausan. *Phocic.* p. 617. Apollinis & Noctis commune fuisse hoc oraculum ait Orpheus apud Plutarch. *de tard. num. Vindict.* p.291. Putabatur vero hoc oraculum esse ἀψευδέστατον τῶν πάντων, Strabo *l.* IX. p. 419. Marcian. Περ. p. 20.

Τό τε Πυθικὸν μαντεῖον ἀψευδέστατον.

Delphis maxime inclytum in terris oraculum, Livius *l.* I. Multa igitur ibi & opulenta Regum populorumque visuntur munera: quæque magnificentia sui reddentium vota gratam voluntatem, & Deorum responsa manifestant. Media saxi rupes in formam theatri recessit: in hoc rupis anfractu, media ferme montis altitudine, planicies exigua est, atque in ea profundum terræ foramen, quod in oracula patet: ex quo frigidus spiritus, vi quadam velut vento in sublime expulsus, mentes vatum in vecordiam mittit, impletasque Deo responsa consulentibus dare cogit, Justin. *Histor.* *l.* XXIV.

Delphi Crœso ac Lydis, ob munera, quæ & Deo & Delphis miserat Crœsus, eos honores decreverunt, ut primas partes in consulendo ac referendo oraculo, & primum in sedendo locum obtinerent, & jus perpetuum cuique volenti in numerum Delphorum adscribi dederunt, Herodot. *l.* I. p. 22.

Delphos ad Oraculum filios & Brutum misit Tarquinius Superbus domestico exterritus visu, Livius *l.* I. Legati Delphos ad donum ex præda Asdrubalis portandum missi a Romanis, idem *l.* XXVIII.

Delphicum Apollinis templum cum ſacra pecunia apud Delphos erat, Pauſan. *Phocic.* p. 620. Primum e lauro erectum fuit, forma tugurii. Altera ædicula fuit ab apibus e cera & pinnulis compacta, quam ad Hyperboreos miſit Apollo: vel potius fabricata ea ædes fuit ab homine Delpho, cui nomen erat Pteras, unde & nomen ædi inditum ab opifice fuerit. (non ἀπὸ πτερῶν τῶν μελισσῶν) Tertium templum ex ære ſtructum fuit: id alii terræ hiatu hauſtum, alii igne colliquefactum dicunt. Quartum e lapide a Trophonio & Agamede, Pauſan. *Phocic.* p. 618. Hujus fundamenta ipſe Apollo jeciſſe dicitur, Homer. *Hym. in Apoll.* v. 294.

Ὣς εἰπὼν διέθηκε θεμείλια Φοῖβος Ἀπόλλων
Εὐρέα καὶ μάλα μακρὰ διηνεκές. αὐτὰρ ἐπ᾽ αὐτοῖς
Λάϊνον οὐδὸν ἔθηκε Τροφώνιος ἠδ᾽ Ἀγαμήδης
Υἱέες Ἐργίνου, φίλοι ἀθανάτοισι θεοῖσι.

Hoc ſua ſponte deflagravit, Herodot. *l.* II. p. 180. A Piſiſtratidis combuſtum refert Scholiaſt. Pindar. *Pyth.* ode VII. antiſtr. Quintum ab Amphictyonibus erectum fuit per architectum Spintharum Corinthium, Pauſan. *Phocic.* p. 618. Amphictyones autem illud inſtaurandum locarant trecentis talentis: Delphi vero, qui quartam ſumptuum partem præſtare debebant, circa civitates vagi, cum aliunde, tum vero ex Ægypto non minimam ejus pecuniæ portionem retulerunt: nam ab Amaſi Rege mille talenta aluminis, a Græcis Ægypti incolis viginta minas acceperunt, Herodot. *l.* II. p. 180. Alcmæonidæ porro Athenienſes ab Amphictyonibus templum ædificandum mercede conduxerunt, ac exemplari pulcrius ſtruxerunt, anterioribus ejus e lapide Pario effectis, cum tantum ut ex Porino lapide ea facerent, conventum fuiſſet, Herodot. *l.* V. p. 353. Pindar. *Pyth.* od. VII. antiſtr. de Alcmæonidis:

——— Ἀπόλ-
λων, οἳ τεόν τε δόμον Πυθῶνι δίᾳ
Θαητὸν ἔτευξαν.

ubi Scholiaſt. Παρὰ τὴν ἱστορίαν. λέγεται γὰρ ὅτι τὸν Πυθικὸν ναὸν ἐμπρησθέντα, ὥς φασιν, ὑπὸ τῶν Πεισιστρατιδῶν, οἱ Ἀλκμαιονίδαι φυγαδευθέντες ὑπ᾽ αὐτῶν ὑπέσχοντο ἀνοικοδομῆσαι. καὶ δεξάμενοι χρήματα καὶ συναγαγόντες δύναμιν, ἐπέθεντο τοῖς Πεισιστρατίδαις. καὶ νικήσαντες, μετ᾽ εὐχαριστηρίων πλειόνων ἀνῳκοδόμησαν τῷ θεῷ τέμενος. Φιλόχορος ἱστορεῖ. Primos templi miniſtros Apollo ipſe Cretenſes homines ex Gnoſſo Minoja conſtituit, quos in Pylum navigantes commerciorum gratia, in Criſſæum portum deduxerat, Homer. *Hym. in Apollin.* v. 391. ſeqq

Delphicum templum multorum ſacrilegiis expoſitum fuit, Pauſan. *Phocic.* p. 620. Τυφὼν Δελφοὺς καταχωννὺς καὶ συνταράξας τὸ χρηστήριον dicitur Plutarcho *de Cycl. Lun.* p. 616.

Crii principatum in Eubœa tenentis filius, & Delphicum templum ſpoliavit, & ſimul locupletium domos diripuit. Cumque iterum in Delphos expeditionem ſuſcepiſſet, Delphi ſupplices ab Apolline petierunt, ut is imminentem averteret calamitatem. Ibi Phemonoe vates tunc exiſtens, hoc hexametro reſpondit:

Ἀγχοῦ δὴ βαρὺν ἰὸν ἐπ᾽ ἀνέρι Φοῖβος ἐφήσει
Σίντῃ Παρνησοῖο. φόνου δὲ Κρήσιοι ἄνδρες
Χεῖρας ἁγιστεύσουσι. Τὸ δὲ κλέος οὔποτ᾽ ὀλεῖται.

Pauſ. *Phocic.* p. 620. pro Κρήσιοι Cretenſes, χρήγιοι, id eſt, ἀγαθοὶ, legendum putat Xylander, quod Cretenſium mentio parum huc videatur quadrare. Sed Cretenſes templi miniſtros fuiſſe ſupra dictum fuit, ut nihil mutari debeat.

Phlegyæ templum Apollinis ſpoliare aggreſſi ſunt, Pauſ. *Phocic.* p. 620.

Tertium templi incendium factum a Thracibus memoratur, Euſeb. *Præpar. Evangel. l.* IV.

Pyrrhus Achillis filius cum templum Delphicum ſpoliare tentaret, ad aram ab Apollinis ſacerdote occiſus fuit, Pauſ. *Phocic.* p. 620. 625. vide in *Theſprot. Epirot.*

Xerxis copiarum pars, poſt cladem ad Thermopylas, cum ſuis ducibus ab exercitu reliquo ſejuncta in eum finem ibat, ut direpto Delphico templo, pecuniam illam Xerxi traderent. Id ubi Delphi audiviſſent, formidine pleni Deum conſuluerunt, humi ne pecuniam ſacram defoderent, an alio tranſportarent. Deus eam loco moveri vetuit: ſe enim res ſuas tutari poſſe. Delphi igitur de ſe ipſis ſolliciti, liberos ac uxores in Achajam tranſportarunt. Ipſi plerique vertices Parnaſſi conſcenderunt, & Corycium antrum ſubierunt: quidam Amphiſſam in Locris ſe contulerunt. Nec in urbe remanſerunt niſi ſexaginta viri una cum Propheta. Barbaris ad templum appropinquantibus, arma Martia, quæ in conclavi ſervabantur, ſua ſponte extra delubrum propoſita apparuerunt. Iiſdem ad ſacellum Minervæ, quod ante templum fuit, accedentibus, miſſa e cœlo fulmina, & abſciſſi duo a Parnaſſo vertices, magnoque cum fragore in ipſos devoluti, & audita ex ipſo Minervæ ſacello jubilatio ac vociferatio, tantum terrorem incuſſerunt, ut fuga ſibi ſalutem quærendam putarent. Quo cognito, Delphi in eos impetu facto, magnam eorum ſtragem ediderunt. Superſtites ad Bœotos fugerunt: & præter ea, quæ dixi, miracula, narrarunt viſos a ſe duos armatos, ſtatura, quam quæ humana ſit, majore, ſibi inſiſtentes, ac inter perſequendum tergora cædentes. Eos Delphi ajebant indigenas ſuos Heroas fuiſſe, Phylacum & Autonoum, Herodot. *l.* VIII. p. 539. 540. 541. Xerxes vero poſtquam in Aſiam Sardes rediit, Megabyzum miſit ad templum Delphicum diripiendum; eo recuſante, Matacas miſſus fuit: is rebus e mandato confectis ad Xerxem rediit, Cteſias.

Phocenſes omnium maxime & diutiſſime in ſacram pecuniam involarunt, Pauſ. *Phocic.* p. 620. vide in *Phocenſ.*

Olymp. CXXV. an. 2. Galli, duce Brenno, poſt ſuperatas Thermopylas, Delphos contendere. Oppidanos præ metu ad Oraculum confugientes, bono animo eſſe, ac nihil formidare juſſit Deus: ſe ſua defenſurum pollicitus: Græci qui Deum defenſuri convenerant, erant Phocenſes, Amphiſſenſes & Ætoli. Ibi ſimilia Barbaris evenerunt prodigia, qualia olim Perſis. Sed & jam terra ingenti motu ad multas horas contremuit: viſique Barbaris, præter Phylacum, in ipſos conſurgere Hyperochus, Ladocus & Pyrrhus: & nocte, quæ ſequuta fuit, acerrimo frigore ac nive vehementer afflicti ſunt. Et prima luce Delphis, erumpentes Græci territis Barbaris inſtabant: quos tamen ante loco deturbare non potuerunt, quam Brennus aliquot acceptis vulneribus, jam prope animam agens, extra aciem elatus ſit. Fugientes Barbaros in caſtra, ea nocte, Panicus terror invaſit, ut mutuis confecti vulneribus ſupra decem millia perierint, cum in prælio ſexies mille occubuiſſent. Fame etiam decem millia conſumpta traduntur. Reliqui a Theſſalis & Malienſibus ad unum omnes cæſi fuerunt, Pauſan. *Phocic.* p. 625. vide Juſtin. *Hiſtor. lib.* XXIV.

Delphis orta ex affinitate diſſenſio fons & principium fuit omnium, quæ poſt exortæ fuerunt, ſeditionum: quidam enim (Orgilaus Phalidis filius, Plutarch. *Polit. Præc.* p. 402.) captato augurio &

consultis auspiciis, (τοῦ κρατῆρος αὐτομάτως ἐπὶ ταῖς σπονδαῖς μέσου ῥαγέντος, Plutarch.) nescio quid sinistri sibi portendi auguratus, ut ad sponsam (Cratetis filiam, Plutarch.) venit, ea repudiata discessit. At puellæ propinqui tanquam contumeliose habiti, interim dum ille sacrificat, res quasdam sacras (χρυσίον τι τῶν ἱερῶν, Plutarch.) in eum locum ubi sacrificabat, occulte conjecerunt: eumque deinde ut sacrilegum (una cum fratre & amicis quibusdam in templo supplicantibus, indicta causa, Plutarch.) necarunt, Aristotel. *de Republ. l.* v. c. IV. Sed Delphi, cum talia multa fierent, Cratetem & factiosos occiderunt, & e pecunia piaculari dicta inferiora templa exstruxerunt, Plutarch. *Polit. Præc.* p. 402.

Timasitheus Delphus particeps fuit facinoris, quo Isagoras Atheniensis Athenarum arcem occupavit; itaque oppressis iis qui in arcem se concluserant, capitis damnatus, injuriæ pœnas dedit, Pausan. *Eliac. post.* p. 359.

Delphis Lacedæmonii templum Delphicum tradiderunt; sed Athenienses superatis Delphis ereptum illud rursus Phocensibus tradiderunt, Thucyd. *l.* I. p. 73. Et antiquitus oraculi locum juris & potestatis Phocensium fuisse contendit Philomelus, testimonio Homeri, (*Iliad.* B. v. 517. 518. 519.) Diodor. *l.* XVI. p. 425.

Delphos a communi Phocensium corpore Lacedæmonii separarunt, & seorsim suam Remp. habere jusserunt, Strabo *l.* IX. p. 423. seq.

Delphi magno terræ motu eversi fuerunt, Plutarch. *de Defectu Oracul.* p. 197. B.

AMPHICTYONES.

Amphictyon Deucalionis filius conventum Delphis constituisse Græcis dicitur, & ab eo consessus ille Amphictyones appellatus. Androtion vero in *Histor. Attic.* scribit in Delphicum consessum initio convenisse eos, qui circa in vicinia habitabant, ad consultandum: & qui eo convenire solebant, eos appellatos fuisse Ἀμφικτίονας: postea vero invaluisse nomen Ἀμφικτύονες, Paus. *Phocic.* p. 622. Ita legit Sylburgius Ἀμφικτίονες, ut idem sit quod περικτίονες, hoc est, ἀμφὶ seu περὶ τοὺς Δελφοὺς ἐκτισμένοι: vel περίοικοι Δελφῶν, ut ex Anaximene interpretantur Hesychius, & Harpocration, & Suidas. Περικτίονές εἰσι καὶ ἀμφικτίονες, οἱ περιοικοῦντες, Schol. Thucyd. *l.* III. p. 242. Ἐν δὲ τῷ τῶν Ἀμφικτυόνων καὶ περιοίκων ὄχλῳ καὶ συνόδῳ, Schol. Pind. *Pyth.* ode X. ant. I. Ἀμφικτύονες, οἱ περιοικοῦντες. τὸ γὰρ κτίσαι, ἐπὶ τοῦ οἰκίσαι ἔλαβον οἱ παλαιοί· ἔστιν οὖν οἰκίζω, οἰκίσω, οἰκιῶν καὶ οἰκτιῶν κατὰ πλεονασμὸν τοῦ τ' καὶ μετὰ τῆς ἀμφὶ προθέσεως Ἀμφικτιῶν, καὶ τροπῇ τοῦ ι εἰς υ, Ἀμφικτύων, Etymol. magn. sed pro οἰκίζω &c. lege κτίζω, κτίσω, κτιῶ, κτιών: & dele κατὰ πλεονασμὸν τοῦ τ', nec enim alias constabit ratio. Ἀμφιπερικτύονας de vicinis usurpat Tyrtæus §. 2. v. 2. Legitur & Ἀφικτίονες, παρὰ τὸ ἀφικέσθαι. Verba Androtionis apud Pausaniam sunt; Ὡς τὸ ἐξ ἀρχῆς ἀφίκοντο εἰς Δελφοὺς παρὰ τῶν προσοικούντων συνεδρεύοντες. De nominis hujus recte scribendi ratione causisque consulatur Etymol. magn. Ἀμφικτύονες οἱ ἐκ πόλεων καὶ ἐθνῶν αἱρετοὶ δικασταί. Item συνέδριόν ἐστιν οἱ Ἀμφικτύονες Ἑλληνικὸν συναγόμενον ἐν Θερμοπύλαις. ὠνομάσθησαν δὲ ἀπὸ Ἀμφικτύονος τοῦ Δευκαλίωνος. αὐτὸς γὰρ συνήγαγε τὰ ἔθνη βασιλεύων, Suidas.

Ab Amphictyone in hoc Concilium vocatos tradunt hos Græci nominis populos, Ionas, Dolopas, Thessalos, Ænianes, Magnetes, Maleenses, Phthiotas, Dorienses, Phocenses, & Locros Phocidi finitimos, Cnemidis montis accolas. (Ionas, Dorienses, Perrhæbos, Bœotos, Magnetes, Achæos, Phthiotas Malienses, Dolopes, Ænianes, Delphos, Phocenses, apud Harpocrat. & Suidam.) Confecto bello sacro Macedones locum in Amphictyonum curia adepti sunt, Phocenses vero & Dorici nominis Lacedæmonii loco moti fuerunt; illi ob admissum sacrilegium, hi quod sacrilegis Phocensibus opem tulissent. Sed Phocenses ob egregiam contra Gallos navatam operam receperunt postea Amphictyonatum. Augustus Imp. suffragia Dolopum (quæ gens tum interierat) ad Nicopolitanos, qui ad Actium sunt, transtulit: Magnetas vero, Maleenses, Ænianes & Phthiotas Thessalis se contribuere jussit, Pausan. *Phocic.* p. 622. Amphictyonum non minimam partem esse Athenienses dicit Thessalus Hippocratis F. in *Oratione pro Cois.*

Ab Acrisio hunc conventum institutum fuisse & XII. urbes singulos misisse Pylagoras docet Strabo: Ἀκρίσιος δὲ, inquit, τῶν μνημονευομένων πρῶτος διατάξαι δοκεῖ τὰ περὶ τοὺς Ἀμφικτύονας, καὶ πόλεις ἀφορίσαι τὰς μετεχούσας τοῦ συνεδρίου, καὶ ψῆφον ἑκάστῃ δοῦναι, τῇ μὲν καθ' αὑτήν, τῇ δὲ μεθ' ἑτέρας, ἢ μετὰ πλειόνων. ἀποδεῖξαι δὲ καὶ τὰς Ἀμφικτυονικὰς δίκας, ὅσαι πόλεσι πρὸς πόλεις εἰσίν. Et mox: Αἱ μὲν οὖν πρῶται δώδεκα συνελθεῖν λέγονται πόλεις· ἑκάστη δ' ἔπεμπε Πυλαγόραν, δὶς κατ' ἔτος οὔσης τῆς συνόδου, ἔαρός τε καὶ μετοπώρου. ὕστερον δὲ καὶ πλείους συνῆλθον πόλεις, *l.* IX. p. 420. Οἱ Πυλαγόραι ἐπέμποντο εἰς τὴν σύνοδον τῶν Ἀμφικτυόνων, ἐπὶ τὴν Πυλαίαν: & Pylagoræ vocati sunt, ἀπὸ τοῦ εἰς τὴν Πυλαίαν ἀγείρεσθαι. ἦσαν δὲ οἱ πεμπόμενοι Πυλαγόραι καὶ ἱερομνήμονες, Suidas. Ἀμφικτύονες, περίοικοι Δελφῶν συναγόμενοι ἐπὶ Πυλαίαν, Πυλαγόραι καὶ ἱερομνήμονες, Hesych. Πυλαγόραι, οἱ προεστῶτες τῆς Πυλαίας. Πυλαία δέ ἐστιν ἡ εἰς Πύλας, τὰς Θερμοπύλας, γενομένη σύνοδος τῶν Ἀμφικτυόνων, Hesych. Οἱ πεμπόμενοι εἰς τὸ τῶν Ἀμφικτυόνων συνέδριον, ὡς κύριοι τῶν ψήφων, ἐλέγοντο ἱερομνήμονες, Ulpian. *in Demosth.* περ. στεφ. ἱερομνήμονες, οἱ πεμπόμενοι εἰς Πυλαίαν ἱερογραμματεῖς, Hesych. Conventus enim Amphictyonum ad Thermopylas & Delphos fuit, Paus. *Achaic.* p. 445. ἐν Πύλαις, ἃς καὶ Θερμοπύλας καλοῦσι, Strabo *l.* IX. p. 420. Unde Pylæa apud Amphictyonas dicebatur locus in quo considebant, qui illuc mittebantur, & ipsa congregatio, Suidas. Τὴν σύνοδον Πυλαίαν ἐκάλουν, τὴν μὲν ἐαρινήν, τὴν δὲ μετοπωρινήν, ἐπεὶ ἐν Πύλαις συνήγοντο, ἃς καὶ Θερμοπύλας ἐκάλουν. ἔθυον δὲ Δήμητρι οἱ Πυλαγόραι, Ulpian. *in Demosth. de Pace* p. 41. Thermopylas, ubi frequens Græciæ statis diebus esse solet conventus, Pylaicum appellant, Liv. *lib.* XXXIII. Marcian. Περ. p. 25. Ἀγορὰ δ' ἐν αὐτῇ (Πυλαίᾳ) γίνετ' Ἀμφικτυονική. Medio inter Phœnicem fl. & Thermopylas vicum fuisse Anthelen, quem præterfluens Asopus in mare devolvebatur: & locum ei circumjectum spatiosum, ἐν τῷ Δήμητρός τε ἱρὸν Ἀμφικτυονίδος ἵδρυται, καὶ ἕδραι εἰσὶ Ἀμφικτύοσι, καὶ αὐτοῦ τοῦ Ἀμφικτύονος ἱρόν, scribit Herodot. *l.* VII. p. 512. Erant vero Amphictyones ludorum Pythicorum præsides, & templi antistites, & quasi publicus Senatus. Ἀμφικτύονες δὲ καλοῦνται οἱ ἀγωνοθέται τῶν Πυθίων, ἐκ δώδεκα ἐθνῶν τῆς Ἑλλάδος ὄντες, Schol. Pindar. *Pyth.* ode IV. epod. III. Τὸ Ἀμφικτυονικὸν σύστημα—περί τε τῶν κοινῶν βουλευσόμενον, καὶ τοῦ ἱεροῦ τὴν ἐπιμέλειαν ἕξον κοινοτέραν, Strabo *l.* IX. p. 420. Ἀπῄεσαν δὲ καὶ εἰς Δελφοὺς ἐπίσκοποι τῶν ἀναλισκομένων ἐν ταῖς θυσίαις, Suidas *in* Πυλαγόραι. Messenii in controversia cum Lacedæmoniis ajunt se rem commissuros judicio vel Argivorum, qui utriusque populi consanguinei essent, vel Amphictyonum, vel Areopagitarum, apud Pausan. *Messen.* p. 224. Amphictyones mulctam Phocensibus irrogarunt, ob id quod sacrum agrum coluissent, Pausan. *Phocic.* p. 635. Amphictyones decretum de Phocensium urbibus delendis ediderunt, Pausan. *Phocic.* p. 676. & Senatusconsultum de bello illis inferendo fecerunt, Diodor. *l.* XVI. p. 430. In Amphictyonum Concilio Lacedæmoniis ingens multa ad CIↃ·

talenta imperata fuit, folvenda Thebanis, ob occupatam arcem Cadmæam, Diodor. *l.* XVI. p. 430. In Amphictyonum Concilio communi decreto, Alexandro M. Græcorum principatus tributus fuit, Diodor. *l.* XVI. p. 489. Amphictyonum duo decreta adverfus Amphiffenfes, agrum facrum colentes, hæc proferuntur a Demofthene περὶ Στεφαν. p. 165. Pyladem quoque ajunt ob Clytæmneftræ cædem (illic) primum judicium fubiiffe, & ab ipfo nomen accepiffe τ̃ Πυλαίας, Suidas. Amphictyones templum Delphicum conftruendum locarunt, Herodot. *l.* II. p. 180. & *l.* V. p. 353. Pauf. *Phocic.* p. 618.

Amphictyones Leonidem & Græcos ad Thermopylas cæfos epigrammatis & cippis ornarunt, Herodot. *l.* VII. p. 523. Et Scyllidi Scionæo, ejufque filiæ Cyanæ natandi fubter altiffimas cujufvis maris aquas peritiffimis ftatuas pofuerunt, eo quod claffi Xerxis vehementi tempeftate circa Pelion oppreffæ, an & aliis, quæ forte infra aquas erant, retinaculis navium abfciffis, perniciem apportaffent, Pauf. *Phocic.* p. 642. 643. Amphictyones Cirrhæos, cum & aliis impietatis generibus Apollinem læfiffent, & in facrorum finium poffeffionem involaffent, bello adorti funt, conftituto duce ac imperatore Clifthene Sicyoniorum Tyranno, & Athenis evocato Solone, cujus confilio uterentur. Confulentibus de victoria refpondit Pythia:

> Οὐ πρὶν τῆσδε πόληος ἐρείψετε πύργον ἑλόντες,
> Πρὶν καὶ ἐμῷ τεμένει κυανώπιδος Ἀμφιτρίτης
> Κῦμα ποτικλύζῃ, κελαδοῦν ἐπὶ οἴνοπα πόντον.

Perfuafit igitur Solon, ut Cirrhæum agrum Apollini facrarent, quo facro Dei agro mare vicinum fieret. Alio etiam aftu Solon in Cirrhæos ufus fuit. Plifti enim amnis aquam per alveum in urbem fluentem alio avertit; ac oppidani quidem obfidionem fuftinebant, e puteis & pluviis aquam bibentes. Solon vero hellebori radicibus in Pliftum conjectis, poftquam fatis infectas pharmaco aquas cognovit, in priftinum alveum amnem reduxit. Cumque Cirrhæi avidius de illis aquis bibiffent, perpetua alvi profluentia laborantes, murorum præfidium deferuere. Amphictyones vero urbe potiti Dei injurias in Cirrhæos ulti funt, Paufan. *Phocic* p. 684. Vide hæc aliter commemorata in Criffæis. Cottyphus Amphictyonum imperator adverfus Amphiffenfes agrum facrum colentes exercitum duxit, Demofth. περὶ Στεφαν.

Amphictyonicum Concilium abolitum fuiffe fcribit Strabo *l.* IX. p. 420. fed Amphictyones fua ætate fuiffe XXX. fcribit Paufanias: a Nicopoli, Macedonia, Theffalis, Bœotis, Phocenfibus & Delphis binos: e vetere Doride, unum: a Locris Ozolis, & iis qui ultra Eubœam funt, fingulos: ab Eubœa, unum: Athenis unum, *Phocic.* p. 623.

Ἀμφικτυονίαν etiam vocat Strabo conventum feptem urbium ad fanum Calauriæ Neptuno facrum: erantque illæ: Hermione, Epidaurus, Ægina, Athenæ, Prafiæ, Nauplia & Orchomenus Minyeius: ac pro Prafienfibus cenfebantur Lacedæmonii; pro Nauplienfibus vero Argivi, *l.* VIII. p. 374.

Nicæa urbs in Pylis fita: quam Thebanorum vocat Demofthenes, quandoquidem ipforum erat colonia, Ulpian. *in Demofth. ad Philip. Epiftol.* p. 89.

L O C R I.

LOcrorum duo genera funt apud Homerum, Epicnemidii, & Hefperii qui & Ozolæ dicti: funt & Locri Opuntii, Euftath. *in Iliad.* B. Τρεῖς Λοκρίδες εἰσὶν, ἡ τ̃ Ὀπουντίων, ἡ τ̃ Ἐπιζεφυρίων, καὶ ἡ τ̃ Ὀζολῶν, Schol. Thucyd. *l.* III. p. 233. Strabo *l.* IX. p. 425. Sed Epizephyrii in Italia habitabant, erantque Locrorum Opuntiorum vel Ozolarum coloni, Marcian. Περ. p. 13. Locri Epicnemidii e regione Eubœæ habitabant, Schol. min. *Iliad.* B. Homer. *Iliad.* B. v. 535.

> Λοκρῶν, οἳ ναίουσι πέρην ἱερῆς Εὐβοίης.

Locri Ozolæ habitabant circa Ætoliam, ad alterum latus juxta Criffæum campum, Sch. min. *Iliad.* B. Cur Ozolæ cognominati fint, diverfa referuntur: I. Orestheo Deucalionis filio in iis locis imperanti canis pro catulo lignum peperit: id cum Orefthcus defodiffet, vere appetente vitem ex eo enatam tradunt, & ἀπὸ τ̃ ξύλου τ̃ ὄζων, *a ligni ramis*, nomen gentem duxiffe, Paufan. *Phocic.* p. 685. II. Neffus Centaurus portitoris munus ad Euenum fl. obiens, ab Hercule vulneratus, non quidem ftatim mortuus fuit, fed in hæc loca fugit: cumque ibi animam efflaffet, a tetro infepulti cadaveris odore noxam aer contraxit, Paufan. *Phocic.* p. 685. III. Fluvii cujufdam & vapor & aquæ graviter olent, Paufan. *Phocic.* p. 685. Ὀζόλαι κεκλημένοι οὕτως ἀπὸ τ̃ αὐτόθι ῥέοντος ὄζοντος ποταμοῦ, ᾧ ἐπέκλυσαν οἱ ἰχῶρες δυσώδεις τ̃ Κενταύρου τ̃ ὑπὸ Ἡρακλέως τοξευθέντος, ὁπηνίκα διάγων Δηϊάνειραν τ̃ Οἰνέως κατὰ τ̃ Εὐήνου ποταμὸν ἐπεχείρει βιάζεσθαι, Schol. min. *Iliad.* B. Ἐν ᾧ (Taphiaffo colle) τὸ τ̃ Νέσσου μνῆμα καὶ τῶν ἄλλων Κενταύρων, ὧν ἀπὸ τ̃ σηπεδόνος φασὶ τὸ ὑπὸ τῇ ῥίζῃ τ̃ λόφου προχεόμενον δυσῶδες, καὶ θρόμβους ἔχον ὕδωρ ῥεῖν. διὰ δὲ τοῦτο καὶ Ὀζόλας καλεῖσθαι τὸ ἔθνος, Strabo *l.* IX. p. 427. IV. Plurima afphodelus illic nafcitur, eaque gravi odore fcatet ac velut floret, Paufan. *Phocic.* p. 685. V. Primi qui illic habitarunt homines, αὐτόχθονες fuerunt: cumque veftem texere nondum didiciffent, velare corpora folebant ad frigus propulfandum recentibus ferarum coriis, pilo extrorfum converfo, quo veftitus plus decoris haberet: oportuit itaque confimilem tergoribus odorem membra redolere, Paufan. *Phocic.* p. 685. Ὅτι εἰσὶν αἰγονόμοι ἢ τὰς δορὰς τῶν βοσκημάτων δυσώδεις ἔσας καὶ ἀβυρσεύτους ἀμφιέννυνται, Schol. min. & Euftath. *in Iliad.* B. Τινὲς δὲ κώδια καὶ τραγέας τοὺς ἀνθρώπους φοροῦντας καὶ τὰ πλεῖστα συνόντας αἰπολίοις, γενέσθαι δυσώδεις, Plutarch. *Quæft. Græc.* XV. VI. Quidam ajunt draconem Pythonem dictum fluctibus marinis ejectum, in Locrorum terris computruiffe, Plutarch. *Quæft. Græc.* XV. VII. Quidam contra volunt floribus abundantem regionem ab odoris fuavitate nomen accepiffe, quos inter Archytas Amphiffenfis, qui ita fcribit:

> Τὴν βοτρυοστέφανον μυρίπνουν Μακυναν ἐραννήν,

idem *ibid.*

Fuerunt autem hi Locri Epicnemidiorum coloni, Marcian. Περ. p. 20.

> Ἔπειτ' ἀπ' Αἰτωλῶν παροικοῦσι Λοκροὶ,
> Οὓς Ὀζόλας καλοῦσιν, ἀποίκους γενομένους
> Ἀπὸ τῶν πρὸς Εὐβοίαν Λοκρῶν ἱδρυμένων.

vide infra in *Locrus.*

Locri Opuntii appellabantur a metropoli Opunte, finitimi Phocenfibus & Bœotis, Euftath. *in Iliad.* B.

Amphictyon Deucalionis filius primus Locris Epicnemidiis imperavit, qui tum Leleges appellabantur, Marcian. Περ. p. 24. Locri Epicnemidii cognominantur, olim Leleges appellati, per quos amnis Cephifus defertur in mare, Plin. *lib.* V. cap. VII. Ariftoteles *de Rep.* Ætolorum τοὺς νῦν Λοκροὺς Λέλεγας καλεῖ. κατασχεῖν δὲ καὶ τ̃ Βοιωτίαν αὐτούς φησι, Strabo *l.* VII. p. 321. 522. Amphictyonis filii fuerunt, Phyfcus, Plutarch. *Quæft. Græc.* XV. & Itonus, Paufan. *Bœot.* init. & *Eliac. pr.* init. & filia

Protogenia, Apollod. *lib.* I. pag. 14. *a.* Orestheus Deucalionis filius Locris Ozolis imperavit, Pausan. *Phocic.* p 685.

Physcus (Amphictyonis filius) post Amphictyonem regnavit, Marcian. Περ. p. 24. Physcus Ætoli filius, Amphictyonis nepos, Deucalionis pronepos, urbi Locridis Phisco nomen dedit, Stephan. Φύσκος δὲ, ἀφ' ἧ οἱ Λέλεγες, οἱ νῦν Λοκροί. Ριανὸς δὲ Φυσκέας αὐτὰς καλεῖ, idem.

Locrus Physci filius, e Cabye filium Locrum sustulit, Plutarch. *Quæst. Græc.* XV. Fuit autem Cabye Opuntis Regis Eleorum filia. Οπᾶντος ἦν θυγάτηρ, Ηλέων βασιλέως, ἣν Αριστοτέλης Καβύλω (sic lege pro Καμβύλω) καλεῖ, Schol. Pindar. *Olymp* ode IX. str. III. Locrus Leleges de se appellavit Locros. Marcian. Περ. p. 24.

Αντίαντι δ' Εὐβοίας κατοικᾶσι Λοκροί.
Ων πρῶτος ἦρξεν, ὡς λέγεσι, Αμφικτύων
Ο Δευκαλίωνος, ἐχόμενος δ' ἀφ' αἵματος
—— εἶτα Φύσκος, ὃς γενιᾷ Λοκρὸν,
Ος τὰς Λέλεγας ὠνόμασεν ἀφ' ἑαυτᾶ Λοκρὰς.

Locrus adversus filium Locrum suscepta contentione, assumptis civium multis de deducenda colonia Oraculum consuluit: Deo vero jubente, illic urbem condere, ubi eum morderi contigisset a cane ligneo, transgressus ad alterum mare, calcavit Cynosbatum. Ex ea plaga æger illic plures dies commoratus fuit, in quibus cum regionis statum didicisset, condidit urbes, Physcensem & Hyantheam, & alias, quascunque Locri Ozolæ, tenuere, Plutarch. *Quæst. Græc.* XV.

Locrum Opuntis filiam uxorem duxisse, quam Jupiter ex Epeorum terra raptam, in Mænaliis jugis, suo semine impleverit, & ad Locrum duxerit, ne hic sine sobole diem obiret: Locrum vero, viso supposititio filio, gavisum fuisse, eumque de avi materni nomine appellasse, forma & factis excellentem, atque ei imperium tradidisse scribit Pindarus *Olymp.* ode XI. strophe III Opuntem Locri socerum; alii Jovis & Protogeniæ Deucalione genitæ filium; alii ipsum Deucalionem fuisse volunt: hunc enim *διώνυμον* fuisse, & Opuntem quoque appellatum, Schol. Pindar. *Olymp.* ode IX. epod. II. & strophe III. vide & Schol. Recent. p. 167. Οπᾶντος, τᾶ Διὸς υἱᾶ καὶ Πρωτογενείας, ἃ καὶ ἡ πόλις ἐπώνυμος. Οπᾶς δὲ καὶ ποταμὸς Λοκρίδος, Schol. Apollon. *Argon.* lib. IV. fin. ad verba Οπᾶντιά τ' ἄστεα Λοκρῶν. Ego Opuntem hunc Aethlium fuisse puto; nam Aethlius & Jovis e Protogenea filius, & Rex Eleorum dicitur Pausan. vide in *Eleis*. Opuntis filiam, Protogeniam ajunt Scholiastæ Pindari, a Pindaro vocari; sed falso: nam Pindarus ejus nomen non exprimit. Meminit quidem Protogeneæ urbis, in quam descenderint post Diluvium e Parnasso Deucalion & Pyrrha, & in qua sedes primas collocarint: forte Opuntem intelligens, eoque nomine appellans, quod Protogenea avi mater esset Opuntis Locrorum Regis.

Opus Jovis filius (Locrus, ut puto, hic est Plutarcho *Quæst. Græc.* XV. ut adeo binomius fuerit patris avique materni nomina referens) a Locro imperium accepit: veneruntque ad eum hospites Argivi, Thebani, Arcades & Pisatæ; sed Menœtium Actoris & Æginæ filium inter advenas præcipue coluit, Pindar. *Olymp.* ode IX. strophe & antistr. III. Menœtius hic expeditionis Argonauticæ socius fuit cum fratris Iri filio Eurytione, & Eribote Teleontis filio, Apollon. *Argon.* lib. I. v. 69. seqq. Menœtii (& Sthenelæ) filius Patroclus Opuntius, occiso per imprudentiam Æane, e patria ad Peleum profugit, patre Menœtio in patria manente: pollicitusque fuit Achilles Menœtio se illuc reductūrum Patroclum bello Trojano finito, Strabo *lib.* IX. p. 425. Οὗτος (Patroclus) ἐν Οπᾶντι διενεχθεὶς ἐν παιδιᾷ περὶ ἀστραγάλων παίζων, παῖδα Κλυσώνυμον τᾶ Αμφιδάμαντος ἄκων ἀπέκτεινε, καὶ φυγὼν μετὰ τᾶ πατρὸς παρὰ Πηλεῖ κατῴκει, καὶ Αχιλλεῖ ἐρώμενος γίνεται, Apollod. *lib.* III. p. 127. 128. Patroclum parvum ab ipso Menœtio ex Opunte in ædes Pelei abductum fuisse post cædem filii Amphidamantis, auctor est Homer. *Iliad.* Ψ. v. 85. seqq. Patroclus, cum in bellum Trojanum una cum Achille ivisset, illic armis Achillis indutus, post magnam Trojanorum cædem, ipse ab Euphorbo primum vulneratus, mox ab Hectore occisus fuit, Homer. *Iliad.* Π. tot. Aristotelis in Patroclum exstat Epitaphium:

Πατρόκλε τάφος οὗτος. ὁμᾶ δ' Αχιλῆϊ τέθαπται,
Ον κτάνεν ὠκὺς ἄρης Εκτορος ἐν Παλάμαις.

Cynus Opuntis filius, Eustath. *in Iliad.* B. Locri filius dicitur Schol. min. *Iliad.* B. nam Opus etiam Locrus appellatus fuisse videtur.

Odœdocus Cyni filius, Eustath. *in Iliad.* B. Ejus filius ex Laonome fuit Calliarus, Eustath. *in Iliad.* B. sed Opuntis filius dicitur Schol. min. *Iliad.* B.

Oileus Odœdoci filius, Eustath. *in Iliad.* B. Is Argonauticæ expeditionis socius fuit, Apollon. *Argonaut.* lib. I. v. 74. Hesiodum & Stesichorum ajunt duobus modis proferre hoc nomen, *τριστυλλάβως* Οἰλεὺς, & *δισυλλάβως* Ιλεὺς, & hoc quidem frequens aliis multis e Recentioribus, qui etiam cum denso spiritu scribunt apud Homer. *Iliad.* B. v. 527. ὁ Ιλῆος ταχὺς Αἴας, Eustath. *in Iliad.* B.

Ajax Oilei filius Aryci natus Rex Locrorum fuit, Strabo *lib.* IX. p. 425. Hunc ducem Locri ad bellum Trojanum sequuti fuerunt, Homer. *Iliad.* B. v. 527. seqq. Medon vero Ajacis frater, Oilei filius nothus ex Rhena, pro ægro Philoctete dux fuit eorum, qui sub Philoctetis imperio erant, Homer. *Iliad.* B. v. 716. habitabat autem Medon in Phylaca, patria profugus, quod fratrem novercæ Eriopidis, Oilei conjugis, occidisset, Homer. *Iliad.* O. v. 333. seqq. Locros Opuntios cum arcu & funda ad Trojam venisse Homerus, (*Iliad.* N. v. 713. seqq.) scribit, Pausan. *Attic.* p. 41. Medon in ipso bello occisus fuit ab Ænea, Homer. *Iliad.* O. v. 331. Ajax post excidium Trojanum exitii Græcis causa fuit: Cassandram enim Priami filiam, Minervæ supplicem, in fano Deæ stupravit, adeo ut Dea sui signi oculos in tectum adverteret. Redeuntibus vero Græcis, & ad Eubœam provectis, tempestatem magnam concitavit, ut multi eorum perirent. Ajax vero natando ad saxa appellata Gyradas evadens, se præter Deorum etiam voluntatem servatum jactavit. Ibi Neptunus indignatus, saxum dirupit, & Ajantem fluctibus tradidit. Ejectum ac mortuum Thetis miserata sepelivit. Minerva vero neque sic iræ desiit, sed & Locrenses coegit ad mille annos sorte electas virgines mittere, Schol. min *in Iliad.* N. ex Homer. *Odyss.* Δ. v. 499. seqq. & Callimacho *in Αἰτίοις*, vide Smyrn. *lib.* XIV. v. 547. seqq. Καὶ μὴν ὁ πολὺς χρόνος, ἀφ' ὃ Λοκροὶ πέμποντες εἰς Τροίαν πέπαυνται τὰς παρθένας.

Αἳ καὶ ἀναπέχονοι γυμνοῖς ποσὶν, ἠύτε δᾶλαι,
Η οἶαι σαίρεσκον Αθηναίης περὶ βωμὸν,
Νόσφι κρηδέμνοιο, καὶ εἰ βαρὺ γῆρας ἵκανοι,

διὰ τὴν Αἴαντος ἀκολασίαν, Plutarch. *de sera Numin. vind.* pag. 286. Lycophr. *Alexand.* v. 1146. seqq.

Λάρυμνα, καὶ Σπέρχις, καὶ Βοάγειε,
Καὶ Κύνε, καὶ Σκάρφεια, καὶ Φαλωριάς,
Καὶ Ναρύκειον ἄστυ, καὶ Θρονίτιδες

Λοκρῶν ἀγυιαὶ, καὶ πυραύθειοι νάπαι,
Καὶ πᾶς Ὀδοιδόκειος Ἰλέως δόμος,
Τῆς ἐμῶν ἕκατι δυσσεβῶν γάμων
Ποινὰς Γυγαίᾳ τίσετ' ἀγριωπίδι Θεᾷ
Τὸν χιλίωρον τὰς ἀνυμφεύτας χρόνον,
Πάλῳ βραβευθείσαις γηροβοσκῆσαι κόρας,
Αἷς ἀκτέριστος ἐν ξένῃ ξέναις τάφος
Ψάμμῳ κλύδωνος λυπρὸς ἐκλυθήσεται,
Ὅταν ἀκάρποις γυῖα συμφλέξας φυτοῖς
Ἥφαιστος εἰς θάλασσαν ἐκβράσῃ σποδὸν
Τῆς ἐκ λόφων Τράρωνος ἐφθιτωμένης.

Aristotelis in Ajacem exstat Epitaphium:

Ενθάδε τὸν Λοκρῶν ἡγήτορα γαῖα κατέχει
Αἴαντ' Οἰλιάδην ἐν πελάγει φθίμενον.

Locri Boagrii fl. accolæ e Thronio & Abantes ex Eubœa, disjecta tempestatibus classe cum Græci ab Ilio redirent, octo utrique navibus ad Ceraunios montes delati sunt. Ibi cum consedissent, & oppidum Thronium condiderunt, & agrum intra certos fines communem utrique genti Abantidem regionem appellarunt. Pulsi deinde fuerunt finitimorum Apolloniatarum bello, Pausan. *Eliac. pr.* p. 332.

Locri Xerxi Græciam invadenti sese dediderunt, Herodot. *lib.* VII. pag. 483. Sed Locri Opuntii ex omnibus urbibus Xerxem ad Thermopylas cum reliquis Græcis opperiebantur, Herodot. *lib.* VII. p. 513. Et gravem armaturam ferebant, Pausan. *Attic.* p. 41. Et septem naves quinquagenorum remorum in pugna navali ad Artemisium præbuerunt, Herodot. *lib.* VIII. init. Locris, qui in prælio adversus Xerxem ceciderunt, statua posita fuit in Thermopylis, cum inscriptione:

Τοὺς δέ ποτε φθιμένους ὑπὲρ Ἑλλάδος ἀντία Μήδων
Μητρόπολις Λοκρῶν κεύθει Ὀπόεντία.

Strabo *lib.* IX. p. 425.

Locri Lacedæmoniorum in bello Peloponnesiaco socii fuerunt, & equitatum præbuerunt, Thucyd. *lib.* II. p. 105. Locri Ozolæ Atheniensium socii fuerunt, idem *lib.* III. p. 237.

Locri, templo Delphico a Phocensibus occupato, subito instructis copiis Philomelum Phocensem aggressi sunt: sed commisso ad Delphos prælio victi, multis suorum amissis, domum redierunt. Philomelus deinde agrum Locrensem magna ex parte populatus, tentata frustra castelli munitissimi expugnatione, conflixit cum Locris. In eo conflictu cum viginti ipsius militum cæsorum cadaveribus Locri potiti, per Legatos ea repetenti denegassent, quod legibus Græcorum sacrilegi insepulti essent abjiciendi, irritatus iterum cum Locris conflixit, idque egit, ut hostium cæsorum cadaveribus potiretur. Ita Locri coacti, permutatione facta, tradiderunt quos inhumaniter tenebant. Iterum prælium commissum fuit ad petras Phædriades: in quo victor Philomelus, multos hostium interfecit, plures cepit, quosdam se de rupe præcipitare coegit. Ita Locri, rebus afflictis, Legatos Thebas miserunt, sibi & Deo opem implorantes, Diodor. *lib.* XVI. p. 426. 427. 429. 430.

Locri auxilio contra Gallos ad Thermopylas miserunt pedites septingentos, duce Midia, Pausan. *Phocic.* p. 646.

Locrenses omnes liberos, immunes suis legibus esse jussit Senatus Rom. & T. Quintius, Livius *lib.* XXXIII.

Locrorum urbes, præter Amphissam, Augustus Imp. ditioni Patrensium subjecit, Pausan. *Phocic.* p. 686.

AMPHISSENSES.

Amphissa Macarei filia, Æoli neptis, ab Apolline adamata, urbi Amphissæ nomen dedisse fertur, Pausan. *Phocic.* p. 685. Amphissam urbem Locrorum Ozolarum dictam ab ἀμφὶ per paragogen, διὰ τὸ ἐμπεριέχεσθαι τοῖς ὄρεσι τοῖς παρακειμένοις scribit Stephanus. Locros hos ex Amphissa se cum Ætolis censuisse, quod nominis Ozolarum puderet, auctor est Pausan. *Phocic.* p. 685.

Amphissenses (Λοκρῶν δ' εἰσὶν οὗτοι τῶν Ὀζολῶν) irruptione facta Crissam occuparunt, & agrum ab Amphictyonibus consecratum rursus culturæ subjecerunt, & hospitibus se inhumaniores, quam Crissæi ante fecerant, exhibuerunt. Itaque Amphictyones eos mulctarunt, & agrum deo reddiderunt, Strabo *lib.* IX. p. 419. κατέσπασαν δ' αὐτὴν (Amphissam) Ἀμφικτύονες, καθάπερ εἰρήκαμεν, Strabo *lib.* IX. p. 427.

Amphissenses Locri cum Phocensibus de agri finibus contenderunt, & adscitis in societatem Thebanis, agrum Phocensem vastarunt, Pausan. *Lacon.* p. 176. Amphissenses metu injecto ad faciendam deditionem compulit Onomarchus Phocens. imperator, Diodor. *lib.* XVI. p. 434.

Amphissenses Locros Aratus Sicyonius armis adortus fuit, Pausan. *Corinth.* p. 100.

NAUPACTII.

Dorienses filios Aristomachi sequuti, in eo loco classem ædificarunt, in Peloponnesum transmissuri: & inde nomen urbi inditum fuit Naupactus, (Ναύπακτος) Pausan. *Phocic.* p. 687. Ναύπακτος ὠνόμασται ἀπὸ τῆς ναυπηγίας τῆς ἐκεῖ γενομένης. εἴτε τῶν Ἡρακλειδῶν ἐκεῖ ναυπηγησαμένων τὸν στόλον, εἴθ' ὥς φησιν Ἔφορος, Λοκρῶν ἔτι πρότερον παρασκευαζόντων, Strabo *lib.* IX. p. 426. Ναύπακτος ἐκλήθη ἀπὸ τοῦ τοὺς Ἡρακλείδας μέλλοντας κατελθεῖν ἐπὶ τὴν Πελοπόννησον, ἐκεῖ πήξασθαι καὶ κατασκευάσαι τὰς ναῦς, Ulpian. in *Demosth. Philip.* III. p. 69. Marcian. Περ. p. 20.

Πρὸς τῷ Ῥίῳ κεῖται δὲ Ναύπακτος πόλις,
Ἣν Δωριεῖς κτίζουσιν, οἱ σὺν Τημένῳ.

sic pro Τιμέσῳ lege. Τήμενος ναῦς ἐπήξατο ἐν τῷ Αἰτωλίας τόπῳ· ἔνθα νῦν ἀπ' ἐκείνου ὁ τόπος Ναύπακτος λέγεται, Apollod. *lib.* II. p. 83. β.

Naupactii homines profani, cum, quæ fiebant Thebis, Cabirorum sacra usurpare ausi essent, non multo post fraudem luerunt, Pausan. *Bœot.* pag. 579.

Naupactum Locris Ozolis ademerunt Athenienses, & Messeniis exsulibus, Ithome dedita, tradiderunt, Thucyd. *lib.* I. pag. 67. Pausanias *Messen.* p. 262.

Naupactus fuit Atheniensibus copiarum receptaculum bello Peloponnesiaco, Pausan. *Messen.* p. 264.

Naupacto potiti Messenii bellum Oeniadis intulerunt: vide in *Messen.*

Naupacto pulsi fuerunt Messenii, victis Atheniensibus ad Ægos potamon: vide in *Messen.* ita Messeniis ejectis Naupactum receperunt Locri, Pausan. *Phocic.* p. 686.

Naupactum Locris ademptum Philippus Ætolis adjudicavit, Strabo *lib.* IX. p. 426. 427. Οὐκ Ἀχαιῶν Ναύπακτον ἀφελόμενος, ὀμώμοκεν Αἰτωλοῖς παραδώσειν Philippus Amyntæ F. Demosth. *Philip.* III. p. 69.

Locrorum urbes, Opus metropolis ab Opunte nomen habet: Cynus a Cyno: Calliarus a Calliaro, Schol. min. *Iliad.* B. Quidam Calliara in neutro scribunt, διὰ τὸ εὔκαρπον τῆς ἐκεῖ γῆς, Eustath. *in*

Iliad. B. Bessa appellata, quia regio arboribus consita: Πάντες γὰρ οἱ σύνδενδροι τόποι καὶ μάλιστα τῶν ὀρῶν βῆσαι λέγονται, Schol. min. *Iliad.* B. ἀπὸ τῆς τοῦ τόπου φύσεως, ναπώδους οὔσης, Eustath. *in Iliad.* B. Scarphe prope Thermopylas sita, ab illustri quadam fœmina, Eustath. *in Iliad.* B. e Scarphe Æsonis matre, Schol. min. *Iliad.* B. Augea ab indigena quadam Nympha, Schol. min. *Iliad.* B. Tarphe a densitate sylvæ: Ταρφέα γὰρ τὰ συνεχῆ, Schol min. ταρφέα γὰρ τὰ πυκνὰ, καὶ τάρφος τὸ δάσος, Eustath. *in Iliad.* B. Thronium, a Thronia Nympha, Schol min. *Iliad.* B.

Tolophon urbs Locrorum Ozolarum, Stephanus.

ÆTOLI.

Curetes initio omnem eam regionem (quæ post Ætolia dicta fuit) tenuerunt, Ephorus apud Strabon. *l.* x. p. 463. Curetes enim in Eubœa, Ætolia, Acarnania sedes habuerunt, Strabo *l.* x. p. 467. Archemachus Euboensis ait Curetas in Chalcide habitasse, cumque continenter de Lelanto campo dimicarent, anterioreque eos coma hostes apprehensos prosternerent, comam alere in occipite, radere sinciput instituisse, atque adeo Κουρῆτας ἀπὸ τῆς κουρᾶς vocatos fuisse: migrasse autem in Ætoliam, & loca circa Pleuronem obtinuisse; eos autem, qui trans Acheloum habitabant, διὰ τὸ ἀκούρους φυλάττειν τὰς κεφαλὰς Ακαρνᾶνας dictos fuisse. Quidam utramque gentem a suis Heroibus nomina accepisse ajunt. Alii a monte Curio supra Pleuronem sito Curetas appellatos, & esse eos gentem Ætolicam, sicut Ophienses, Agræos, Eurytanes, & alias plures, Strabo *l.* x. p. 465. Οἱ Κουρῆτες Αἰτωλοὶ ὑπῆρχον, Schol. min. *Iliad.* I. Vel Curetes dicti, quia sicut κόραι (puellæ) ornabantur, Eustath. *in Iliad.* N. Θηλυστολοῦντας γὰρ, ὡς αἱ κόραι τοὔνομα σχεῖν τούτους τοὺς περὶ τὴν Αἰτωλίαν φασίν. εἶναι γὰρ καί τινα τοιοῦτον ζῆλον ἐν τοῖς Ἕλλησι, καὶ Ἰάονας ἑλκεχίτωνας εἰρῆσθαι, Strabo *l.* x. p. 466.

Ætolus Endymionis filius e Peloponneso profugus in eam terræ continentis partem, cujus incolæ ab ipso Ætoli appellati sunt, ad Acheloum fl. habitantes, concessit, Pausan. *Eliac. pr.* p. 288. Αἰτωλία χώρα ἀπὸ Αἰτωλοῦ τοῦ Ενδυμίωνος. ὃς ἐκπεσὼν ἀπὸ Πίσης ὑπὸ Σαλμωνέως συνῴκισε τὴν ἀπ' αὐτοῦ κληθεῖσαν Αἰτωλίαν, Stephan. Αἰτωλὸς φυγὼν εἰς τὴν Κουρῆτιδα χώραν, κτείνας τοὺς ὑποδεξαμένους Φθίας καὶ Απόλλωνος υἱοὺς, Δῶρον καὶ Λαοδόκον, καὶ Πολυποίτην, ἀφ' ἑαυτοῦ τὴν χώραν Αἰτωλίαν ἐκάλεσεν, Apollod. *l.* I. p. 15. *β.* Inscriptio apud Eleos de Ætolo:

Κτήσατο Κουρῆτιν γῆν δορὶ πολλὰ καμών.

Strabo *l.* x. p. 464. Ætoli imagini in Ætoliæ thermis, ubi comitia creandis magistratibus Ætoli patrio more habebant, positæ, hoc Epigramma in basi insculptum fuit:

Χώρης οἰκιστῆρα παρ' Αλφειοῦ ποτε δίναις
  Τρεφθέντα σταδίων γείτον' Ολυμπιάδος,
Ενδυμίωνος παῖδ' Αἰτωλὸν τόνδ' ἀνέθηκαν
  Αἰτωλοὶ σφετέρας μνῆμ' ἀρετῆς ἐσορᾶν.

Strabo *l.* x. p. 463. ex Ephoro. Curetes ab Ætolo expulsos fuisse auctor Marcian. Περ. p. 20.

Μετὰ τοὺς Ακαρνᾶνας μέν ἐστ' Αἰτωλία,
Εξ Ηλιδος λαβοῦσα τὴν ἀποικίαν.
Κουρῆτες αὐτὴν ὤκουν γὰρ κατῴκουν τὸ πρότερον.
Αφικόμενος δ' Αἰτωλὸς ἐκ τῆς Ηλιδος,
Αἰτωλίαν ὠνόμασεν, ἐκείνους ἐκβαλών.

Sic Ephorus: Αφικομένου δ' ἐξ Ηλιδος Αἰτωλοῦ τοῦ Ενδυμίωνος, καὶ τοῖς πολέμοις κρατοῦντος αὐτῶν, τοὺς μὲν Κουρῆτας εἰς τὴν νῦν καλουμένην Ακαρνανίαν ὑποχωρῆσαι, τοὺς δ' Αἰτωλοὺς συγκατελθόντας Επειοῖς, τὰς ἀρχαιοτάτας κτίσαι τῶν ἐν Αἰτωλίᾳ πόλεων δέκα, apud Strabon. *l.* x. p. 463. Inde Æoles & Bœotii Epeis mixti illic fuerunt: Συμμιχθέντων δ' αὐτοῖς (Επειοῖς) ὕστερον Αἰολέων, τῶν ἅμα Βοιωτοῖς ἐκ Θετταλίας ἀναστάντων, κοινῇ μετὰ τούτων τὴν χώραν κατασχεῖν, Ephor. apud Strabon. *l.* x. p. 464. item Hyantes: Απολλόδωρος δ' εἴρηκεν ἐκ τῆς Βοιωτίας ἀπελθόντας Υαντας ἱστορεῖσθαι, καὶ ἐποίκους τοῖς Αἰτωλοῖς γενομένους, Strabo *l.* x. p. 464. Et Hyantin hanc regionem appellatam fuisse scribit Stephanus. Ætoli filii e Pronoe Phorbi filia fuerunt Pleuron & Calydon, Apollod. *l.* I. p. 15. 16.

Andræmon ex Ætolo oriundus, Ephor. apud Strabon. *l.* VIII. p. 357. Uxorem habuit Gorgen Oenei filiam, & ex ea filium Thoantem, Apollodor. *l.* I. p. 17. *α.* Andræmoni regnum Ætoliæ Diomedes tradidit: vide in *Calydoniis*.

Thoas Andræmonis filius Ætolorum dux fuit in bello Trojano, Homer. *Iliad.* B. v. 638. vide laudes ejus *Iliad.* O. v. 281. seqq. ubi a facundia inprimis commendatur: unde parum commode dictum puto a Livio *l.* XXXII. de Alexandro Ætolo, vir, ut inter Ætolos, facundus. Aristotelis in Thoantem exstat Epitaphium:

Υἱὸν ὑπερθύμου Ανδραίμονος ἠδὲ θυγατρὸς
  Γόργης τοῦ Οἰνέως ἥδε κόνις κατέχει.

Hæmon Thoantis filius, Pausan. *Eliac.* p. 291.

Oxylus Hæmonis filius, occiso fratre Thermio vel Alcidoco Scopii filio, in exsilium ex Ætolia abiit: eoque duce nonnulli Ætolorum, una cum Doriensibus in Peloponnesum suscepta expeditione, Elidem occuparunt: vide in *Eleis*. Τῇ δὲ ὕστερον δεκάτῃ γενεᾷ τὴν Ηλιν ὑπὸ Οξύλου τοῦ Αἵμονος συνοικισθῆναι, περαιωθέντος ἐξ Αἰτωλίας, Ephor. apud Strabon. *l.* x. p. 463.

Ætoli a Demosthene Atheniensium duce bello lacessiti fuerunt, Messeniis Naupactis suadentibus, quod gens esset illa magna quidem, & bellicosa: quia tamen in vicis nullo muro cinctis atque longo intervallo inter se distantibus habitarunt, & levi armatura uterentur, ea facile subigi posset, antequam ipsa copiis omnium suarum civitatum in unum coactis, suæ saluti ac communibus fortunis opem ferret. Ac Demosthenes quidem singulis diebus singulas urbes Ætolorum initio cepit. Sed Ætoli, cognitio consilio, cum ingenti manu ei occurrerunt. Ibi acri pugna commissa, Athenienses fusi fugatique fuerunt, Thucy. *l.* III. p. 236. seqq.

Ætoli cum Acarnanibus assiduas exercuerunt inimicitias, Pausan. *Messen.* p. 263.

Ætolos Achæis amicos, sibi socios, Acarnanibus superatis, reddidit Agesilaus, Xenoph. *Agesil.* pag. 523.

Ætoli Heracleotas se Ætolico nomini contribuere coegerunt, Pausan. *Phocic.* p. 647.

Ætoli, cum Galli in Græciam irruperent, juventutis robore præstabant, Pausan. *Atticis* p. 7. Eorumque agmen ad Thermopylas, cum numero insigne, tum vero ad omne pugnæ genus instructissimum erat. Quæ fuerint equestres eorum copiæ, non est proditum, sed gravis armaturæ fuerunt haut minus peditum septem millia: expediti vero milites, nonaginta: duces erant Polyarches, Polyphon & Lacrates, Pausan. *Phocic.* pag. 646. Gallos vero, qui in Callienses omne crudelitatis genus exercuerant, jamque domibus ac sacris ædibus direptis ac spoliatis, & urbe incensa ad exercitum redire cogitabant, acriter ulti sunt, adeo ut ex hominum quadraginta milli-

bus & octingentis vix dimidia pars ad Thermopylas in castra redierit, Pausan. *Phocic.* pag. 650. 651. Cum porro Galli Delphos duce Acichorio contenderent, Ætoli pauci primum accurrerunt: mille deinde & ducentos adduxit Philomelus. Et suarum quidem copiarum robur in Acichorii agmen converterunt: neque tamen acie dimicarunt, sed iter facientium terga lacesserunt: cum impedimenta diripientes, tum homines ipsos, qui clitellaria jumenta agebant, trucidantes, Pausan. *Phoc.* pag. 652. Sed & mortuo Brenno retrocedentes Gallos periculoso itinere, Ætoli acriter urserunt, Pausan. *Phocic.* p. 655.

Ætolorum, cujus gentis socii Lacedæmonii erant, amicitiam affectabant Romani, Livius *lib.* xxv. Cum autem M. Valerius Lævinus Acharnanes, quos ægre ferebant Ætoli a corpore suo diremptos, restituturum se in antiquam formulam, jurisque ac ditionis eorum promisisset, Scopas, qui tum gentis Prætor erat, & Dorimachus princeps Ætolorum affirmarunt auctoritate sua minore cum verecundia & majore cum fide vim majestatemque extollentes Populi Rom. maxime tamen spes potiundæ movebat Acarnaniæ. Igitur conscriptæ conditiones, quibus in amicitiam societatemque Populi Rom. venirent: (quas vide apud Livium) & Ætoli extemplo moverunt adversus Philippum bellum, Liv. *lib.* xxvi.

Ætoli summum suæ gentis magistratum ad Attalum in Concilio suo detulerunt: Philippo vero in Græciam descendenti ad Lamiam urbem duce Physia, qui Prætor in eum annum cum absente Attalo creatus erat, occurrerunt. Habebant & ab Attalo auxilia secum, & mille ferme ex Romana classe a P. Sulpicio missos. Adversus hunc ducem, atque has copias Philippus bis prospero eventu pugnavit: multos admodum hostium utraque pugna occidit. Inde cum Ætoli metu compulsi, Lamiæ urbis mœnibus tenerent sese, Philippus ad Phaleram reduxit exercitum. Tentataque pax fuit inter Philippum & Ætolos, per Legatos Ptolomæi Regis Ægyptii, & Rhodiorum, & Atheniensium & Chiorum, pacificatore Aminandro Rege Athamanum, sed frustra, Livius *lib.* xxvii. Animos Ætoli sustulerant, cum ob Romanam societatem, tum post Attali adventum, finitimosque depopulabantur, Livius *lib.* xxviii.

Ætoli soli, omnibus Græciæ civitatibus pacem, victo Philippo, approbantibus, decretum x. Legatorum Rom. clam mussantes carpebant, Livius *lib.* xxxiii. Et Ætolorum Principes alii interquesti sunt, quod non idem erga suam gentem Romanorum animus esset post victoriam, qui in bello fuisset, alii ferocius incusarunt exprobraruntque, non modo vinci sine Ætolis Philippum, sed ne transire quidem in Græciam Romanos potuisse, Livius *lib.* xxxiii. Ætolorum alienati a societate Rom. animi sunt: quorum Legatos Pharsalum, & Leucadem, & quasdam alias civitates ex primo fœdere petentes, Senatus ad Quintium rejecit, Livius *lib.* xxxiii. fin. Et Thoas Prætor eorum conquestus injurias Romanorum, statumque Ætoliæ, quod omnium Græciæ gentium civitatumque inhonoratissimi post eam victoriam essent, cujus causa ipsi fuissent, Legatos censuit circa Reges mittendos, qui non solum tentarent animos eorum, sed suis quemque stimulis moverent ad Romanum bellum. Damocritus ad Nabin, Nicander ad Philippum, Dicæarchus frater Prætoris ad Antiochum est missus, Livius *lib.* xxxv. Thoas princeps Ætolorum, quem miserant ad Antiochum, reversus, adducto secum Menippo Regis Legato, in Panætolico Concilio, cæterique ejusdem factionis cum assensu omnium auditi pervicerunt, ut ne dilato quidem Concilio, & absentibus Romanis, decretum fieret, quo arcesseretur Antiochus ad liberandam Græciam, disceptandumque inter Ætolos & Romanos. Huic tam superbo decreto addidit propriam contumeliam Damocritus Prætor eorum: nam cum idipsum decretum posceret eum Quintius, non veritus majestatem viri, aliud in præsentia, quod magis instaret, prævertendum sibi esse dixit: decretum responsumque brevi in Italia, castris supra ripam Tiberis positis, daturum. Tantus furor illo tempore gentem Ætolorum, tantusque magistratus eorum cepit, Livius *lib.* xxxv. Superato vero a Romanis Antiocho Acilius a Thermopylis Heracleam ad Ætolos præmisit, ut nunc saltem experti Regiam vanitatem, resipiscerent: traditaque Heraclea cogitarent de petenda ab Senatu, seu furoris sui, seu erroris venia. Sed ad ea nihil pacati responsum fuit, apparuitque armis rem gerendam, & Rege superato bellum Ætolicum integrum restare, Livius *lib.* xxxvi.

Ætolorum animos fregit tandem Heraclea ab Acilio capta: & post paucos dies, quam ad bellum renovandum, acciendum Regem Antiochum in Asiam miserant Legatos, abjectis belli consiliis, pacis petendæ oratores ad Cos. Acilium miserunt. Sed cum in Concilio Delectorum, quos Apocletos vocant, Phaneas legationis Ætolicæ princeps, & quæ imperarentur a Consule, & quæ ipsis prope accidissent, exposuisset: ingemuerunt quidem principes conditioni suæ, parendum tamen victori censebant: & ex omnibus oppidis convocandos Ætolos ad Concilium. Postea quam vero omnis coacta multitudo eadem illa audivit, adeo sævitia imperii atque indignitate exasperati animi sunt, ut si in pace fuissent, illo impetu iræ concitari potuerint ad bellum, Livius *lib.* xxxvi.

Ætolorum principes tres & quadraginta, inter quos Damocritus & frater ejus erat, ab duabus cohortibus missis a M. Acilio Romam deducti & in latomias conjecti sunt, Livius *lib.* xxxvii. Damocritus Ætolorum dux paucos ante dies cum e carcere nocte effugisset, in ripa Tiberis, consequutis custodibus, priusquam comprehenderetur, gladio se transfixit, Livius *lib.* xxxvii. Ætoli Legati in Senatum introducti, cum & causa eos sua & fortuna hortaretur, ut confitendo, seu suæ culpæ, seu errori veniam peterent supplices: orsi a beneficiis in Populum Rom. & prope exprobrantes virtutem suam in Philippi bello, & offenderunt aures insolentia sermonis: & eo, vetera & obliterata repetendo, rem adduxerunt, ut haud paulo plura maleficiorum gentis, quam beneficiorum memoria subiret animos Patrum, & quibus misericordia opus erat, iram & odium irritarent, Livius *lib.* xxxvii. Interim Ætoli Aminandrum in regnum Athamanum restituerunt, & in Amphilocos profecti, majoris partis voluntate in jus ditionemque totam redegerunt gentem: eaque recepta, eadem spe in Aperantiam transcenderunt: ea quoque magna ex parte sine certamine in deditionem venit: sed & Dolopes a Philippo ad Ætolos defecerunt, Livius *lib.* xxxviii. Ætoli diu jactati tandem, deprecantibus Rhodiis & Atheniensibus, ut conditiones pacis convenirent, effecerunt. Certisque legibus fœdus ictum a Romanis cum Ætolis, idem *ibidem*.

Ætolorum in semetipsos versus furor, mutuis cædibus ad internecionem adducturus videbatur gentem. Fessi deinde & Romam utraque pars miserunt Legatos, & inter se ipsi de reconcilianda concordia agebant: quæ novo facinore discussa res, veteres iras excitavit. Exsulibus Hypateis, qui factionis Proxeni erat, cum reditus in patriam

promissus esset, fidesque data per principem civitatis Eupolemum, octoginta illustres homines, quibus redeuntibus inter cæteram multitudinem Eupolemus etiam obvius exierat, cum salutatione benigne excepti essent, dextræque datæ, ingredientes portam, fidem datam, Deosque testes nequicquam invocantes, interfecti sunt. Inde gravius de integro bellum exarsit. Apud Legatos Rom. cum Delphis utriusque partis Legati magno certamine agerent, Proxenus maxime cum causa, tum eloquentia præstare visus est: qui paucos post dies ab Orthobula uxore veneno est sublatus: damnataque eo crimine in exsilium abiit, Livius *lib.* XLI. Marcellus cum certatum utrinque temeritate atque audacia cerneret, decreto quidem suo neutram partem aut levare, aut onerare voluit: communiter ab utrisque petiit, abstinerent bello, & oblivione præteritorum discordias finirent. Hujus reconciliationis inter ipsos fides obsidibus ultro citroque datis firmata est, Livius *lib.* XLII.

Ætoli suis sedibus excitati ab Augusto Imp. Nicopolin translati sunt, ut illam coloniam inquilinis locupletaret; major vero pars multitudinis se Amphissam recepit, Pausan. *Phocic.* p. 685. *Γεγόνασι δὲ αὐτοί τε (Αἰτωλοὶ) ἀνάστατοι, καὶ ἡ γῆ σφισὶ πᾶσα ἠρήμωται*, Pausan. *Arcad.* p. 493. *Καλυδῶνος καὶ Αἰτωλίας τῆς ἄλλης ὑπὸ Αὐγούστου βασιλέως ἐρημωθείσης*, Pausan. *Achaic.* p. 432. Sustinuerant vero Ætoli cum Acarnanibus conjunctis plurimum temporis adversus Macedones & alios Græcos denique etiam contra Romanos bellum pro libertate, Strabo *lib.* x. p. 460.

Eurytanes Ætolorum pars maxima: ii sermone utuntur ignotissimo, & carnibus crudis vescuntur, unde & *ὠμοφάγοι* dicti, Thucyd. *lib.* III. p. 237.

Apodoti & Ophionenses Ætoliæ populi, Thucyd. *lib.* III. p. 237.

Phanam Ætoliæ urbem obsidebant Achæi: obsidionis tempus ducebatur, neque ulla urbis capiendæ ratio iniri poterat. Missi ergo ad consulendum Apollinem Delphicum, tale responsum acceperunt:

Γῆς Πέλοπος ναέται καὶ Ἀχαιΐδος, ὁππότε Πυθὼ
Ἤλθετε πευσάμενοι ὥς κε πτολίεθρον ἕλητε.
Ἀλλ' ἄγε δὴ φράζεσθε λάχος πόσον ἦμαρ ἕκαστον
Λαῶν πινόντων ῥύεται πόλιν, ἠδὲ πέπωκεν,
Οὕτω γάρ κεν ἕλοιτε Φαναν πυργήρεα κώμην.

Hæc cum non intelligerent, domum soluta obsidione navigare decreverunt. Hostem obsessi plane contemnebant: quare mulier quædam ad proximum fontem aquatum e portis egressa fuerat. Eam militum globus captivam in castra pertraxit: a qua Achæi didicerunt oppidanos noctu ex eo fonte haustam aquam suis dividere, neque eos ad sitim levandam aliud quicquam præsidii habere: conturbato itaque fonte oppidum Achæi ceperunt, Pausan. *Phocic.* p. 641.

Ætolorum urbes Olenus, Pylene, Chalcis, Homer. *Iliad.* B. v. 639. 640. Olenum Ætoliæ Æolenses diruerunt, Strabo *lib.* x. p. 451. Oleni habitavit Dexamenus, ad quem venit Hercules, cumque filiam Hippolyten Axani nuptum daret, & ei in ipsis nuptiis vis intentaretur a Centauro Eurytione, Hercules Centaurum obtruncavit, Diodor *lib.* IV. p. 238. in Græco est *πρὸς Δεξαμενὸν*, quod Interpres Rhodomannus conjuncte legit *προσδεξάμενον*, vertitque, *a N. quodam hospitio excipitur*.

CALYDONII.

Calydon urbs Ætoliæ, Schol. min. *Iliad.* B. *Πρώτη πόλις τῆς Αἰτωλίας*, Schol. min. *Iliad.* K. nomen accepit a Calydone Endymionis vel Ætoli filio, Stephan. Eustath. in *Iliad.* B. Æolidem ante appellatam fuisse scribit Thucyd. *lib.* III. p. 241. Calydonis filia ex Æolia Amythaonis filia fuit Epicaste, quæ nupta Agenori Pleuronis filio Parthaonem & Demonicen genuit, Apollod. *lib.* I. p. 16. *α*.

Parthaon uxorem habuit Euryten Hippodamantis filiam, & liberos ex ea Oeneum, Agrium, Alcathoum, Melana, Leucopœum, Steropen, Apollodor. *lib.* I. p. 16. Habuit & filium Laocoontem serva natum, Apollon. *Argon.* lib. I. v. 192. seqq. Laocoon senex ab Oeneo moderator filii Meleagri in expeditionem Argonauticam ituri constitutus fuit, Apollon. *Argon.* lib. I. v. 193. seqq.

Oeneus Parthaonis filius Rex Calydonis. *Τὰ περὶ Καλυδῶνα τὸν Οἰνέα ἔχειν φασὶ*, Strabo *lib.* x. pag. 465. *Αἰτωλίας δυνάστης* uxorem habuit Althæam Thestii filiam, & ex ea liberos Toxeum, a patre occisum, Thyreum, Clymenum & Meleagrum: Gorgen Andræmoni nuptam, & Deianiram Herculi, Apollod. *lib.* I. p. 17. *α.* habuit & filium Tydeum e Peribœa Hipponoi filia, Apollod. *lib.* I. p. 19. *α. β*, Meleager expeditionis Argonauticæ socius fuit, Apollon. *Argon.* lib. I. p. 191. seqq. In Oenei soceri gratiam Hercules aggeribus & aquæ ductibus Acheloum fl. vitiose fluentem compescuit, magnamque Paracheloitis partem exsiccavit: id Amaltheæ cornu est, Strabo *lib.* x. p. 458. Diodor. *lib.* IV. p. 241. Fingunt vero Poetæ Acheloum Deianiræ nuptias ambiisse, & hanc pugnæ inter fluvium & Herculem occasionem exstitisse, Sophocl. *Trachin.* v. 5. seqq. Cumque Hercules Acheloo sinistrum cornu fregisset, Acheloum ei Amaltheæ cornu restituisse, quo bona omnia volenti suppeditaret, Eustath. *in Dionys. Per.* v. 433. ubi hujus fabulæ explicationes quoque adferuntur aliquot. Hercules etiam Calydoniis adversus Thesprotos auxilium tulit, captaque Ephyra Phyleum (Phylantem vocat Apollod. *lib.* II. p. 78. *α.*) Regem occidit, Diodor. *lib.* IV. pag. 241. Oeneus Calydone imperans, vitis plantam a Dionysio primus accepit, Apollod. *lib.* I. pag. 16. *β.* Frugum primitias diis omnibus obtulit: solius Dianæ oblitus fuit. Ea idcirco irata aprum immisit magnitudine ac robore insignem, qui neque terram coli passus fuit, & pecora omnia, & obvia quæque interemit. Oeneus vero in feram fortissimos quosque concitavit, ei qui illam occidisset, pellem, pulcerrimi facinoris præmium se daturum pollicitus. Convenerunt autem ad apri venationem Meleager Oenei F. & Dryas Martis F. Calydonii: Idas & Lynceus Apharei FF. Messenii: Castor & Pollux Jovis & Ledæ FF. Lacedæmonii: Theseus Ægei F. Atheniensis: Admetus Pheretis F. Pheræus: Ancæus & Cepheus Lycurgi FF. Arcades: Jason Æsonis F. ex Iolco: Iphicles Amphitryonis F. (non Iphicles, sed Iolaus ejus filius, Pausan. *Arcad.* pag. 529.) Thebanus: Pirithous Ixionis F. Larissæus: Peleus Æaci F. Phthiota: Telamon Æaci F. Salaminius: Eurytion Actoris F. Phthiota: Atalanta Schœnei F. ex Arcadia: Amphiaraus Oiclei F. Argivus: Prothous & Comesus Thestii FF. Cum vero aprum ipsum circumstitissent, Pylus (forte Thestii frater) & Ancæus a fera icti occubuerunt: Eurytion a Peleo per imprudentiam jaculo confossus fuit: Atalanta prima omnium in feræ tergum sagittam misit: post eam Amphiaraus in oculum: tum Meleager transverberato *κενεῶνι* feram confecit,

detractamque pellem Atalantæ dedit. Sed eam rem indignam rati Thestii filii, fœminæ, præsentibus viris, præmia dari, pellem Atalantæ eripuerunt: illam vero, occisis Thestii filiis, Meleager Atalantæ restituit. Alii ajunt Thestii filios de fera ita contendisse, quod Iphicles primus feram vulnerasset, indeque ortum inter Curetes ac Calydones bellum, & quosdam e Thestii filiis a Meleagro occisos fuisse: Meleagrum vero hostibus urbem oppugnantibus, suorum civium & uxoris precibus motum, ut patriæ laboranti succurreret, obviam progressum, in ipsa pugna, cum reliquos Thestii filios occidisset, occubuisse, Apollod. *lib.* I. pag. 17. *β.* seqq. Thestii filios, avunculos Meleagri, Meleagro ob datam Atalantæ pellem insidiatos fuisse, ipsum vero cognitis insidiis, eorum alios occidisse, alios in fugam vertisse: eamque ob causam Pleuronios bellum Calydoniis intulisse: ac Meleagrum initio matri irascentem noluisse patriæ succurrere, sed vastata jam urbe, a Cleopatra uxore persuasum prodiisse, ac hostium alios sustulisse, alios persequentem coegisse de præcipitiis ferri. Matrem Althæam porro infensam filio, datam a Parcis facem combussisse: fuisse vero in fatis, ut illa combusta, etiam Meleager periret: Althæam demum, post interitum filii, pœnitentia cepit facti, ideoque ipsa sibi mortem conscivit, Schol. min. *Iliad.* I. Homer. *Iliad.* I. vers. 525. seqq.

Κȣρῆτές τ' ἐμάχοντο, καὶ Αἰτωλοὶ μενεχάρμαι
Αμφὶ πόλιν Καλυδῶνα, καὶ ἀλλήλȣς ἐνάριζον.
Αἰτωλοὶ μὲν ἀμυνόμενοι Καλυδῶνος ἐραννῆς,
Κȣρῆτες δὲ διαπραθέειν μεμαῶτες Αρηϊ, &c.

Κȣρῆτες Ακαρνᾶνες, οἱ ἐν Πλȣρῶνι πόλει τῆς Αἰτωλίας οἰκȣ̃ντες, Schol. min. *Iliad.* I. Tydeus Oenei filius, sive ab Alcathoo Oenei fratre, sive a Melanis filiis, sive ab Olenio fratre, sive ab Agrio in exsilium pulsus ad Argivos confugit, & Adrasti filia Deipyle uxore ducta, Diomedem genuit, Apollod. *lib.* I. pag. 19. 20. Oenei vero regnum Agrii filii Thersippus, Onchestus, Prothous, Celeutor, Lycopeus, Melanippus, occupatum suo patri tradiderunt, viventemque adhuc Oeneum in vincula conjectum flagris ceciderunt, Apollod. *lib.* I. p. 20. *α.* Diomedes vero Tydei filius Argis regressus, Agrii filios, præter Onchestum & Thersippum, omnes occidit: illi enim in Peloponnesum jam ante aufugerant. Cum autem Oeneus ætate confectus esset, Andræmoni Oenei genero regnum tradidit, Oeneumque in Peloponnesum abduxit, sed Agrii filii, qui evaserant, senem in Arcadia ex insidiis occiderunt, Apollod. *lib.* I. p. 20. *α. β.* Vita functum Diomedes Argos transtulit, ibique sepelivit, ubi urbs fuit Oenoe de ipsius appellata nomine, Apollod. *lib.* I. p. 20. *β.*

Calydonem, quæ quondam Ætolici juris oppidum fuerat, Achæi, adscitis in civitatem suam Calydoniis, obtinebant, præsidioque imposito eam tueri cogebantur: nam bello ab Acarnanibus infestabatur, quibus se nonnulli Athenienses ac Bœoti adjungebant, quod eorum societate tenerentur. Sed Acarnanes ab Agesilao vexati, Legatis Lacedæmonem missis, pacem cum Achæis, societatem cum Lacedæmoniis inierunt, Xenoph. *Hellen.* lib. IV. p. 414. 415. 416.

Καλυδὼν τε καὶ Πλȣρὼν νῦν μὲν τεταπεινωμέναι, τὸ δὲ παλαιὸν πρόσχημα ἦν Ελλάδος ταῦτα τὰ κτίσματα, Strabo *lib.* x. p. 450.

PLEURONII.

Pleuron urbs Ætoliæ, Stephan. Schol. min. *Iliad.* B. Dicæarch. p. 165. nomen accepit a Pleurone Ætoli filio, Apollod. *lib.* I. p. 16. *α.* Pleuronia a Curetibus habitabatur, & Curetis cognominabatur. Eam Curetibus ademerunt Æolenses, eosque inde expulerunt, Strabo *lib.* x. p. 465. Pleuronis e Xantippe Dori filia liberi fuerunt Agenor, Sterope, Stratonice & Leophonte, Apollod. *lib.* I. p. 16. *α.*

Agenor Pleuronis filius Parthaonem & Demonicen genuit ex Epicaste Calydonis filia, Apollod. *lib.* I. p. 16. *α.* Demonice ex Marte peperit Thestium, Apollod. *lib.* I. p. 16. *α.*

Thestius Martis filius, Agenoris e filia Demonice nepos, genuit ex Eurythemide Cleobæi filia, filias Althæam Oeneo nuptam & Hypermnestram: filios vero Iphiclum, Euippum, Plexippum & Eurypylum, Apollod. *lib.* I. p. 16. *α. β.* Ledam Tyndareo nuptam filiam Thestii fuisse scribit Strabo *lib.* x. p. 461. Sed Thespii Ætoliæ Regis, Marte & Androcide geniti, filiam dicit Scholiastes Apollon. *Argon.* l. I. v. 146. additque eam ab Ibyco Pleuroniam, ab Hellanico Calydoniam vocari; ab Eumelo vero in Corinthiacis patre Glauco Sisyphi F. & matre Panteidya natam haberi: Glaucum enim perditis equis Lacedæmonem venisse, ibique e Panteidyia genuisse Ledam: & Panteidyan postea nupsisse Thespio, Ledam vero, quæ Glauci filia erat, Thespii filiam vocatam fuisse. Pherecydem vero *lib.* II. scribere, Ledam & Althæam Thespio natas fuisse e Laophonte Pleuronis filia. Thestius hic socer Oenei, Althææ pater Pleuroniam sub suo imperio habebat princeps Curetum, Strabo *lib.* x. p. 466. Ad Thestium Pleuroniis imperantem venerunt Tyndareus & Icarius ab Hippocoonte Lacedæmone pulsi, Strabo *lib.* x. p. 461. vide in *Lacedæmon.* & *Acarnan.* Thestii filii venationis apri Calydonii socii fuerunt, vide in *Calydoniis.*

Pleurone antiqua, quæ Calydoni vicina, solo ubere & plano jacebat, relicta cives novam Pleuronem condiderunt, cum Demetrius cognomento Ætolus eam regionem vastaret, Strabo *lib.* x. pag. 450 451.

Pleuronenses Ætoli ab Achaico Concilio, Senatu Rom. approbante, se sejunxerunt, Pausan. *Achaic.* p. 417.

Pleuron ad tenuitatem redacta fuit, Strabo *lib.* x. p. 450. vide in *Calydon.*

MOLYCRII.

Molycria urbs Ætoliæ, Stephan. Corinthiorum colonia, Thucyd. *lib.* III. p. 240. Euphorioni Μολυκρία, Thucydidi Μολύκρειον dicitur, Stephan. Μολύκρειον est apud Pausan. *Eliac. pr.* p. 291. sed intellige Ρίον, ut integre appellatur a Strabone *lib.* VIII. p. 336. Estque Αντίῤῥιον, diversa urbs a Molycria, quæ dicitur Pausaniæ Μολυκρία *Bœot.* p. 589 Μολύκρεια δ' ἐστὶ κατὰ τὸ Αντίῤῥιον, Αἰτωλικὸν πολίχνιον, Strabo *lib.* IX. p. 477.

Molycrii Atheniensium imperio parentes, a Lacedæmoniis subacti fuerunt, Thucyd. *lib.* III. p. 240.

THESSALI.

Uranus primus orbis universi imperio præfuit: ducta vero uxore Terra, filium, præter alios, Japetum genuit, Apollod. *lib.* I. p. I. *α. β.* Τȣ̃ Οὐρανȣ̃ παιδὸν Ιαπετȣ̃, Tzetz. *in Hesiod.* Εργ. *β.* p. 92. *α.* Deucalion primus hominibus imperasse dicitur Apollon. *Argon.* lib. III. v. 1088.

Japetus Urani (Titanis Procl. *in Esiod.* Ερϒ. α. p. 24. α.) filius ex Asia Oceani filia, Prometheum, Epimetheum, Menœtium & Atlantem genuit, Apollod. *lib.* 1. p. 3. β. Alii e Clymene hos liberos Japeto natos ferunt, Tzetz. *in Hesiod.* Ερϒ. β. p. 92 α. Promethei matrem Asopen, vel Clymenen, vel Themidem fuisse scribit Proclus *in Hesiod.* Ερϒ. α. p. 23. β. Japeti multos liberos fuisse, omnes numero viginti novem: & inter illos præcelluisse Prometheum, Epimetheum & Atlantem scribit Proclus *in Hesiod.* Ερϒ. α. p. 24. α. Epimetheus ex Pandora genuit Pyrrham Deucalioni nuptam, Schol. Pindar. *Olym* ode VI. epod II. Apollod. *lib.* 1. p. 13. α. Atlas e Pleione Oceani filia septem filias genuit, Tzetz. *in Hesiod.* Ερϒ. β. p. 92. α. Arat. *Phænom.* v. 261. seqq.

—— ἑπτὰ δὲ κεῖναι ἐπιῤῥήδην καλέονται
Ἀλκυόνη, Μερόπη τε, Κελαινώ τ', Ηλέκτρη τε,
Καὶ Στεροπὴ, ϗ Τηϋγέτη, ϗ πότνια Μαῖα.

Prometheus Japeti filius homines ex aqua & terra finxisse & clam Jove, quem in ferula absconderat ignem iis immisisse fertur. Unde Jupiter iratus eum Vulcano ad montem Caucasum religandum tradidit, ubi aquila quotidie advolans epatis ejus fibras noctu succrescentes depascebatur, donec Hercules eum vinculis solveret, Apollod. *lib.* 1. p. 12. β. 13. α vide Hesiod. Ερϒ. α. v. 50. seqq. & Comment. Moschopul. Proclum, & Tzetzen, item Æschyl. *Prometh. vinct.* & Apollon. *Argon.* lib. II. v. 1251. seqq. Agrœtas lib. XIII. *Scythic.* ait videri hepar Promethei ab aquila (ὑπὸ ἀετῶ) absumi, quod fluvius dictus Aquila (ἀετὸς) præstantissimam Promethei regionis partem corrumperet: ἧπαρ vero apud multos, sicut & ὖθαρ vocari terram fertilem. Cum vero Hercules fortis fluvium derivasset, videri & aquilam ab eo segregatam, & Prometheum vinculis solutum fuisse: Theophrastus vero ait Prometheum visum sapientem fuisse, & primum homines philosophiam docuisse: unde fabula orta sit, quasi ignem cum iis communicasset. Et Herodorus de vinculis Promethei hæc ait: fuisse eum Scytharum Regem, cumque subditis res necessarias præbere non posset, eo quod Aquila fluvius campos inundaret, a Scythis ligatum fuisse. Herculem vero supervenientem, fluvium quidem in mare divertisse, (indeque fabula ferri aquilam ab Hercule sublatam) Prometheum vero vinculis solvisse, Scholiast. Apollon. *Argon.* lib. II. Λεωργὸς, ὁ τῶ ἀνθρώπων πλάσης, ἐπίθετον Προμηθέως, παρὰ Αἰσχύλῳ, Etymol. magn. Sed potius convenit Deucalioni: vide in *Deucalion.* Prometheus e Clymene genuit Deucalionem, Schol. Pind. *Olymp.* ode VI. epod. II. Promethei & Pandoræ filium fuisse ait Hesiodus, Schol. Apollon. *Argon.* lib. III. ipse Apollon. *Argon.* lib. III. v. 1085. seqq.

—— ἔνθα (in Thessalia) Προμηθεὺς
Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα.

Ὁ δὲ Δευκαλίων ἐτυράννει τῶν εἰς Παρνασσὸν κατοικούντων, Auctor apud Suidam in Τυραννεῖν. Deucalion Promethei filius memoratur Phthiotidi, & omnino Thessaliæ imperasse, Strabo *lib.* IX. p. 432. Βασιλεύων τῶ περὶ τὴν Φθίας τόπων, Apollod. *lib.* 1. p. 13. α. Apollon. *Argon.* lib. III. v. 1087. seqq.

Ὃς πρῶτος ποίησε πόλεις ϗ ἐδείματο νηὺς
Ἀθανάτοις, πρῶτος δὲ ϗ ἀνθρώπων βασίλευσεν.

Cumque uxorem haberet Pyrrham (Epimethei & Pandoræ filiam) de ejus nomine Thessalia Pyrrhæa appellata fuit, Strabo *lib.* IX. p. 443. Πυῤῥαία μοῖρα Θετταλίας ὠνομασμένη ὑπὸ Πύρας, Stephan. sed lege Πυῤῥαία, Πύῤῥας: ut & apud Schol. Apollon pro Πυῤῥοδία. Οἱ δὲ Πυῤῥαίαν εἶναι μοῖραν τῆς Θετταλίας λέγουσιν, ὑπὸ Πύῤῥας τῆς Δευκαλίωνος, Hesych. Rhianus:

Πυῤῥαίαν ποτὲ (Πύῤῥαν δήποτε legit Schol. Apollon.) τὴν γε παλαιότερον καλέεσκον,
Πύῤῥης Δευκαλίωνος ἀπ' ἀρχαίης ἀλόχοιο.

Et Pyrrha olim vocabatur urbs Melitæensium, quo tempore Hellas habitabatur, distans a Pyrrha circiter decem stadia, trans Enipeum fl Strabo *lib.* IX. p. 432. Sub Deucalione effusi de cælo imbres maximam Græciæ partem cooperuerunt, ut quicquid in ea mortalium esset, interierit, præter paucos qui in altissimos circa montes confugerant. Tunc & Thessalici montes disjuncti a se invicem fuerunt, quæque extra Isthmum ac Peloponnesum erant, omnia confusa fuerunt. (τὰ κατὰ Θετταλίαν ὄρη διέστη, ϗ τὰ ἐκτὸς Ἰσθμῶ ϗ Πελοποννήσυ συνεχέθη πάντα, quæ Ægius Spolet. male vertit: Thessalicos montes aquarum diluvii immunes fuisse ferunt: nec non quæ sunt Isthmum extra & Peloponnesum loca, undarum vi omnia contecta fuerunt) Deucalion vero Promethei consilio fabrefactam e lignis arcam, impositis in eam rebus ad victum necessariis, ingressus fuerat, & novem dies, totidemque noctes per mare vectus, ad Parnassum demum appulit, cessantibusque aquis ex arca egressus Jovi Φυξίῳ sacra fecit. Inde Jovis voluntate ac jussu lapides ipse & uxor trans capita projecerunt: ac quos ipse jecit, viri, quos illa, fœminæ exstiterunt: ὅθεν ϗ λαοὶ μεταφορικῶς ὠνομάσθησαν ὑπὸ τῶ λᾶας ὁ λίθος, Apollod. *lib.* 1. p. 13. α. β. Pindar. *Olymp.* ode IX. antistr. II.

—— Διὸς αἴσᾳ
Πύῤῥα Δευκαλίων τε Παρ-
νασσῶ καταβάντε,
Δόμον ἔθεντο πρῶτον. ἄτερ
Δ' εὐνᾶς, ὁμόδαμον
Κτισσάσθαν λίθινον γόνον.
Λαοὶ δ' ὀνομάσθεν.

Epicharmus ait ἀπὸ τῶ λίθων λαὺς τὺς ὄχλυς appellatos: Mythographos sequitur Pindarus:

Ἐκ δὲ λίθων ἐγένοντο βροτοὶ, λαοὶ δὲ καλέονται.

Schol. Pindar. *d. l.* vide Eustath. *in Iliad.* A. & in primis Tzetzen *Chiliad.* VII. *Hist.* XXXIV. Λαοὶ παρὰ τὸ λα ἐπιτατικὸν μόριον, ϗ τὸ αὔω τὸ φωνῶ, ἐξ ὧν λαῦος ϗ κατὰ κρᾶσιν λαὸς, πολύφωνος γὰρ ὁ λαὸς, etiam deducit Eustath. *in Iliad.* A. Deucalioni columbam ex arca emissam, tempestatem indicasse intro volantem, serenitatem extra arcam avolantem ajunt Fabularum scriptores, Plutarch. *de Animal. Prud.* p. 479. A. Deucalion Græcis leges tulit, Plutarch. *ad Colot.* p 636. B Deucalionis & Pyrrhæ liberi fuerunt, Hellen, quen quidam Jove natum fuerunt, Amphictyon & Protogenia, Apollod. *lib.* 1. p. 13. β. & 14. α. Hellen Promethei & Clymenes filius, Deucalionis frater, dicitur Schol. Pindar. *Olymp.* ode IX. antistr. II. Deucalionis filius Thucydidi & Eusebio. Jovis filius Euripidi & Dicæarcho: de eo vide in *Hellen.* De Amphictyone in *Atheniens. Locris* & *Amphictyon.* Protogenia Jovi (Æolo) Aethlium peperit: vide in *Eleis*: item Opuntem: vide in *Locris*. A Deucalione orti videntur apud Delphos quinque illi ὅσιοι διὰ βίυ, qui una cum Prophetis multa administrant, & simul sacra faciunt, Plutarch. *Quæst. Græc.* IX.

Pelasgus, cum huic regioni imperaret, alteram appellationem ei dedit, ut Pelasgia & Pelasgicum Argos diceretur: Η Θετταλία ἡ Πελασγία ἐκαλεῖτο, ὑπὸ Πελασγῶ τῶ βασιλεύσαντος, Schol. Apollon. *Argon.* ad lib. IV. v. 265. Θετταλία, ἡ πρότερον Πελασ-

γία, Stephan. Schol. min. *Iliad.* B. & Π. Τὴν μὲν Θετταλίαν Πελασγικὸν Ἄργος καλῶν, Homerus *Iliad.* B. v. 681. Strabo *lib.* VIII. p. 369. Ἄρχων δὲ ὁ Πελασγὸς μοίρας τῆ χώρας, Πελασγικὸν Ἄργος ὠνόμασεν, Eustath. in *Iliad.* B. Τῆς πεδιάδος Θετταλίας καὶ Μαγνητίδος τὸ κύκλον .... ᾠκῆσθαι δ' ὑπὸ τῶν Πελασγῶν, Strabo *lib.* IX. p. 443. ex Hieronymo. Πελασγικὸν Ἄργος, τὸ Θετταλικὸν λέγει ἀπὸ Πελασγῶν, οἳ πολυπλανεῖς ὄντες ᾤκησαν καὶ ἐκεῖ, Eustathius *in Iliad.* B. Ἐπεὶ Πελασγοὶ κατῴκησαν τὴν Δωδώνην ἐκβληθέντες ἀπὸ Βοιωτίας παρὰ Αἰολέων, ἐξ Ἄρνης τῆ Φθιώτιδος. Ἡ μὲν τοι πόλις Πελασγία, Schol. min. *Iliad.* Π.

Æmon Pelasgi filius tertii nominis auctor fuit, ut Æmonia appellaretur hæc regio. Αἱμονία, ἡ Θετταλία, ἀπὸ Αἵμονος. Αἵμων δὲ υἱὸς μὲν Χλώρου τοῦ Πελασγοῦ, πατὴρ δὲ Θεσσαλοῦ, ὡς Ῥιανὸς καὶ ἄλλοι, Stephan. Rhianus:

> Αἱμονίην δ' ἐξαῦθις ἀπ' Αἵμονος, ὅν ῥα Πελασγὸς
> Γείνατο φέρτατον υἱόν. ὁ δ' αὖ τέκε Θεσσαλὸν Αἵμων.

Χλώρου ergo dele in Stephano. Αἱμονία ἀπὸ Αἵμονος, Strabo *lib.* IX. p. 443. Hinc Αἵμονας Thessalos vocavit Pindar. *Nem.* ode IV. strophe III. Æmonem & Deucalionem συγχρόνους fuisse scribit Strabo *lib.* IX. fin. Jason apud Apollon. *Argon.* lib. III. vers. 1089.

> Αἱμονίην δὴ τήν δε περικτίονες καλέουσι.

Thessalus Æmonis filius quartum nomen huic regioni dedit, ut Thessalia appellaretur. Θεσσαλία ἀπὸ Θεσσαλοῦ, Stephan. Rhianus:

> —— ὁ δ' αὖ τέκε Θεσσαλὸν Αἵμων,
> Τοῦ δ' ἀπὸ Θεσσαλίην λαοὶ μετεφημίξαντο.

Sequitur mutatis sæpe nominibus Æmonia: eadem Pelasgicum Argos: Hellas: eadem Thessalia & Dryopis, semper a Regibus cognominata, Plinius *lib.* IV. *cap.* VII. Πρῶτος ἐβασίλευσε τῆ Θετταλίας ὁ Γραικοῦ παῖς Θεσσαλός, Euseb. *Chr* lib. I. pag. 24. 2. Pelasgi (circa reditum Heraclidarum) Athenas commigravere: acerque belli juvenis, nomine Thessalus, natione Thesprotius, cum magna civium manu eam regionem armis occupavit, quæ nunc ab ejus nomine Thessalia appellatur, antea Myrmidonum vocitata civitas. Quo nomine mirari convenit eos, qui Iliaca componentes tempora, de ea regione ut Thessalia commemorant: quod cum alii faciant, Tragici frequentissime faciunt: quibus minime id concedendum est; nihil enim ex persona Poetæ, sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt. Quod si quis a Thessalo Herculis filio (cujus meminit Homerus *Iliad.* B.v. 679.) eos appellatos Thessalos dicet; reddenda erit ei ratio, cur nunquam ante hunc insequentem Thessalum ea gens id nominis usurpaverit, Vell. Paterc. *lib.* I. Οἱ ἀπὸ Θεσσαλοῦ τοῦ Φειδίππου παιδός, τοῦ Ἡρακλείδου, μετὰ τὰ Τρωϊκὰ κληθῆναί φασι, Schol. Apollon. *Argon.* lib. III. Thessali e Thesprotis profecti Æolidem, id est, Thessaliam, occuparunt. Migrarat enim Bœotus εἰς τὴν τότε μὲν Αἰολίδα, νῦν δὲ Θετταλίαν καλουμένην, Diodor. *lib.* IV. p. 269. Et Bœoti priscis temporibus Thessaliæ partem tenuerant, Æolenses appellati, Pausan. *Phocic.* p. 622. Et in Thessalia imperium constituerant, Strabo *lib.* IX. p. 401. Sed inde in agrum Bœotium a Thessalis pulsi fuerunt, sexagesimo post Ilii expugnationem anno, Thucyd. *lib.* I. pag. 9. 10. Thessalum Jasonis & Medeæ filium parentes sibi populos Thessalos appellasse scribit Diodor. *lib.* IV. p. 258. Sed idem de hoc Thessalo dicendum, quod de Thessalo Herculis F. scribit Vellejus. Eustathius Thessali genus sic texit: Thessaliæ imperavit Thessalus: Thessali filius fuit Ægon: Ægonis Æmon: Æmonis & Larissæ fœminæ Argivæ Pelasgus & Phthius & Achæus, in *Iliad.* B. Ἡγοῦντο δὲ τῆ ἀποικίας (Pelasgicæ) Ἀχαιός, καὶ Φθῖος, καὶ Πελασγός, οἱ Λαρίσσης καὶ Ποσειδῶνος υἱοί. ἀφικόμενοι δ' εἰς τὴν Αἱμονίαν, τούς τε κατοικοῦντας ἐν αὐτῇ Βαρβάρους ἐξελαύνουσι, καὶ νέμονται τὴν χώραν τριχῆ, τοῖς ἡγεμόσι ποιήσαντες ὁμωνύμους τὰς χώρας, Φθιῶτιν, καὶ Ἀχαΐαν, καὶ Πελασγιῶτιν, Dionys. Halicarn. *lib.* I. In quatuor partes, Φθιῶτιν, Ἑστιαιῶτιν, Θετταλιῶτιν, Πελασγιῶτιν, dividit Strabo *lib.* IX. p. 430. sic & Suidas *in* Τετραρχία: pro Ἑστιαιῶτιν habet Ἰωλκῖτιν Schol. Apollon. Thessaliam olim lacum fuisse, montibus præaltis, Pelio, Ossa, Pindo, Olympo & Othry, undique conclusum, cum nondum anfractus essent, per quem flumina Peneus, Apidanus, Onochonus, Enipeus & Pamisus mearent; sed a Neptuno factum alveum, per quem nunc fertur Peneus, & in mare cum cæteris fluviis delabitur, scribit Herodot. *lib.* VII. pag 487. vide Strabon. *lib.* IX. p. 430. Thessalia Græciæ acraensetur: nam ipsa Hellas urbs in Thessalia sita erat, Dicæarch. *βίῳ Ἑλλ.* pag. 177. 178.

Thessali Reges Heraclidæ fuere: vide in *Larissæis*. Thessalorum servitia, penesteam, vocant, sæpe in Thessalos insurrexerunt: & a Thessalis initio desciverunt, propterea quod Thessalis tum etiam bellum esset cum finitimis, Achæis, Perrhæbis, Magnetibus, Aristotel. *de Rep.* lib. II. cap. IX.

Thessali bellum contra Phocenses gesserunt: vide in *Phocensib.*

Thessali Pisistratidis auxilia miserunt: vide in *Atheniens.*

Thessaliæ dynastian sustulerunt Lacedæmonii, eversis Aristomede & Angelo per Leotychidem Regem, Plutarch. *de Malign. Herodoti* p. 670.

Thessaliæ Reges Aleuadæ, Aleuæ filii Thorax Larissæus, Eurypylus & Thrasydius fratres, missis Legatis Xerxem arcessiverunt in Græciam, omne studium & obsequium ei polliciti, Herodot. *lib.* VII. p. 437. Atque hi Græcorum primi se suaque Xerxi tradiderunt: inde Rex totius gentis illius sibi amicitiam spopondit. Et Regis Legatis in eum finem missis Thessali terram & aquam dederunt, Herodot. *lib.* VII. p. 483. Thessali necessitate coacti Medorum partes initio foverunt, ostenderuntque sibi non placere ea quæ Aleuadæ excogitassent: cum enim primum audiissent Persas in Europam trajecisse, ad Isthmum nuncios miserunt, ubi convenerant delecti e civitatibus, qui providerent, ne quid detrimenti Græcia caperet. Iis persuaserunt, ut ad amnem Peneum inter Olympum & Ossam misso exercitu ingressus in Græciam obsideretur: decem millibus Græcorum ibi se adjunxit Thessalorum equitatus. At postquam Græci inde abierunt vel metu, vel suasu Regis Macedonum Alexandri, Thessali alacres ad Medos transiverunt, Regique utilem operam navarunt, Herodot. *lib.* VII. pag. 502. 503. De caduceatore a Thessalis ad Phocenses misso, vide in *Phocens.* Fueruntque Thessali ductores itineris exercitui Xerxis in Phocidem: vide in *Phocens.*

Thessali equites Atheniensibus, pro vetere amicitia, auxilio venerunt, cum in Atticam Peloponnesii, duce Archidamo, invasissent: eorundem proditione Athenienses victi fuerunt a Lacedæmoniis ad Tanagram, Pausan. *Attic.* p. 55. nam in prælio ad Lacedæmonios transierunt, Thucyd. *lib.* I. pag. 70.

Thessalorum plebs perpetuo Atheniensibus benevola fuit: quare Brasidas Lacedæmonius cum exercitu nunquam in Thessaliam progredi potuisset, nisi Thessali, patrio instituto, dominatu potius, quam juris æquabilitate in administranda Rep. usi fuissent, Thucyd. *lib.* IV. p. 305.

Thes-

Thessali Agesilao per Thraciam in Thessaliam contendenti, cum exercitum ex Asia reportaret, viam in gratiam Thebanorum intercludere conati fuerunt: pro vetere etiam cum Atheniensibus amicitia id sibi faciendum rati; sed ille fuso Thessalico equitatu iter sibi aperuit, Pausan. *Lacon.* p. 176. 177. vide Xenophont. *Hellen.* *l.* IV. p. 404. & *Agesil.* p. 520.

Thessali Jasonem Pheræum summæ rerum apud se præfecere: vide in *Pheræis*.

Thessalos, victis Tyrannis & pristina libertate urbibus reddita, Philippus Amyntæ fil. sibi devinxit, ut ipse ac filius Alexander in variis bellis socios armorum habuerint, Diodor. *l.* XVI. p. 418.

Thessali bello Phocico adversus Phocenses arma tulerunt: primoque conflictu, ad tumulum qui Argolas dicitur, victi fuerunt, Diodor. *lib.* XVI. p. 431. Et Onomarchus Phocensium imperator, Thessalos, quorum nomen inter hostes amplissimum erat, largitionibus induxit, ut bello contra se abstinerent, Diodor. *l.* XVI. p. 433.

Thessali Philippi opem adversus Lycophronem Pheræorum Tyrannum implorarunt, Phocensium auxiliis subnixum: is Phocenses victos e Thessalia expulit: sed Philippum & Thessalos iterum vicit Onomarchus: rursus consertis manibus, Thessalis equitibus & numero & virtute præstantibus, victi Phocenses, Diodor. *l.* XVI. p. 434. 435.

Thessalorum urbes & Rempub. sustulit Philippus, & τετραδαρχίας apud eos constituit, ut non solum quoad urbes, sed quoad gentem etiam servirent, Demosth. *Philipp.* III. p. 68.

Thessali & Malienses Gallos e Græcia retro cedentes, ad Sperchium ex insidiis adorti, ita sunt hostium cæde satiati, ut ne unus quidem salvus domum redierit, Pausan. *Phocic.* p. 655.

Thessalia bello Philippi Demetrii F. a tribus simul exercitibus, Ætolorum, Athamanum & Macedonum, vastabatur, Livius *l.* XXXII. Et plures sociorum urbes in Thessalia evastasse Philippum, quam omnes qui unquam hostes Thessaliæ fuissent, objicit Alexander Ætolus apud Liv. *l.* XXXII.

Thessalos, devicto Philippo, Senatus Rom. & T. Quintius imp. liberos, immunes suis legibus esse jussit, Livius *l.* XXXIII. Thessalorum genti præter libertatem concessam Achæi Phthiotæ dati, Thebis Phthioticis & Pharsalo exceptis, Liv. *l.* XXXIII.

Thessalis urbes Ætoli ademerant aliquot: eas ut regno suo adjiceret Philippus, permisit Acilius Cos. Livius *l.* XXXIX. Sed in controversiam postea venit ea res, captis a Philippo urbibus iis, Livius, *ibid.*

Ἡ δὲ Θετταλία παρήκει ἐν μεσογείᾳ ὑπὲρ Αἰνιάνων, καὶ Δολόπων, καὶ Μαλιέων, καὶ Ἀχαιῶν, καὶ Μαγνήτων, μέχρι Τέμπων: ejusque maritimæ urbes sunt Amphinæum, Pagasæ: mediterraneæ Pheræ, Larissa, Pharsalus, Fanum Pellenæum, Scotusa, Crænum, & aliæ, Scyl. Caryand. p. 132.

HELLENES.

HEllen Jovis (Euripid. & Hesychio & Dicæarch. Deucalionis Thucyd. & Euseb. Promethei Schol. Pindar.) filius condidit & a se appellavit urbem Hellada in regione Thessaliæ, sitam medio loco inter Pharsalum & Melitæorum urbem, Dicæarch. *βίῳ Ἑλλ.* p. 178. distabatque ab urbe Melitæensium circa decem stadia trans fl. Enipeum, Strabo *l.* IX. p. 432. Φασὶ δὲ Δευκαλίωνος μὲν Ἕλληνα εἶναι. τοῦτον δὲ περὶ τὴν Φθίαν τῶν μεταξὺ Πηνειοῦ καὶ Ἀσωποῦ δυναστεύσαντα, τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν παίδων παραδοῦναι τὴν ἀρχήν. Τοὺς δὲ ἄλλους ἔξω διαπέμψαι ζητήσοντας ἵδρυσιν ἕκαστον αὑτῷ, Strabo *l.* VIII. p. 383. Ἔστιν οὖν ἡ Ἑλλὰς ὑφ᾽ Ἕλληνος οἰκισθεῖσα πόλις τε καὶ χώρα, Dicæarch. p. 178. Ἑλλὰς, πόλις ἐν Θεσσαλίᾳ, καὶ τὸ ἔθνος ἡ Ἀχαΐα, καὶ ἡ αὐτόθεν γυνή, Hesych. Ἑλλὰς ἡ χώρα ἐκλήθη ἀπὸ Ἕλληνος τοῦ Δευκαλίωνος, ὃς δυναστεύσας τῆς Φθιώτιδος τοὺς ὑπηκόους ἑαυτῷ γενομένους ἀντὶ Γραικῶν Ἕλληνας ἐκάλεσε. καὶ τότε πρῶτον Ἑλλὰς ὠνομάσθη. οὐκ ἦν δὲ τοῦτο παλαιὸν ὄνομα ἔθνους, ἀλλὰ φωνῆς τῆς Ἑλληνικῆς ἰδίωμα, ὡς ὁ συγγραφεὺς Ἀλέξανδρός φησι, τὴν ὀνομασίαν νεωτερικὴν εἰδώς, Constantin. Porphyr. *l.* II. *Themat.* v. Ἕλλην ὁ Δευκαλίωνος τῆς Φθιώτιδος ἐβασίλευσε, καὶ Ἕλληνες ὠνομάσθησαν τὸ πρότερον Γραικοὶ καλούμενοι, Epoch. Vet. in *Marmor. Arundell.* Ἑλλὰς πόλις Θεσσαλίας ἐκτίσθη ὑπὸ Ἕλληνος, οὐ τοῦ Δευκαλίωνος, ἀλλὰ τοῦ Φθίου καὶ Χρυσίππης τῆς Ἴρου. ὁ δὲ Φθῖος ἦν Ἀχαιοῦ, Stephan. & Eustath. *in Iliad.* B. Sed quis Hellenem Phthii facit filium? Ἑλλάδα νῦν τὴν Φθιωτικὴν ὅλην χώραν ὁμωνύμως τῇ πόλει vocat Apollonius *Argonaut.* *l.* III. v. 992. Scholiast. illic. Melitæenses ajunt Hellenas ex urbe Hellade depresso in loco sita commigrasse in suam urbem: testimonioque esse in suo foro sepulcrum Hellenis, Deucalionis & Pyrrhæ filii, Strabo *l.* IX. p. 432. Hellenis & Nymphæ Orseidis filii fuerunt Dorus, Xuthus, & Æolus, Apollod. *lib.* I. p. 14. *a.*

Ἕλληνος δ᾽ ἐγένοντο θεμιστοπόλοι βασιλῆες,
Δῶρός τε, Ξοῦθός τε, καὶ Αἴολος ἱππιοχάρμης.

Plutarchus *Symp.* *l.* IX. quæst. XV. vide de Doro in *Dorienſibus*, de Xutho in *Atheniensibus*, *Ionibus* & *Achæis*, de Æolo in *Æolibus*. Hellene vero ejusque liberis rerum in Phthiotide potitis, cæterisque Thessaliæ populis eos in alias civitates ad se auxilii causa arcessentibus, propter diuturnum congressum & consuetudinem factum videtur, ut singuli paulatim eodem cognomento Hellenes vocarentur, Thucyd. *l.* I. p. 3. Δευκαλίωνος Ἕλλην, ὃς Ἕλληνας τοὺς ἐκεῖ ἐκάλεσεν, Eustath. *in Iliad.* B. Ἕλλην ἀφ᾽ αὑτοῦ τοὺς καλουμένους Γραικοὺς προσηγόρευσεν Ἕλληνας, Apollod. *l.* I. p. 14. *a.* Ἕλλην υἱὸς Δευκαλίωνος ἐγνωρίζετο, ἀφ᾽ οὗ Ἕλληνες οἱ Γραικοὶ μετεκλήθησαν, Euseb. *Chron.* *l.* I. p. 26. Ut autem omnes Græciæ populi Hellenes appellarentur, sero usus obtinuit: nam Homerus, licet Trojani belli temporibus longe posterior, nunquam universos Græciæ populos Hellenas appellavit, nec alios quam eos, qui cum Achille ex Phthiotide venerant, quique primi Hellenes fuerunt, Thucyd. *l.* I. p. 3. Homer. *Iliad.* B. v. 684.

Μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο, καὶ Ἕλληνες, καὶ Ἀχαιοί.

Et Apollodorus solos, qui in Thessalia sunt, Hellenas vocari ait, Strabo *l.* VIII. p. 370. similia ex Alexandro Polyhistore scribit Constantin. Porph. *l.* II. *Themat.* v. Ἕλληνες γὰρ παρ᾽ αὐτῷ (Ὁμήρῳ) οἱ τὴν Φθιῶτιν Ἑλλάδα κατοικοῦντες, Stephan. in Πανέλληνες. Ἡ δὲ καλουμένη νῦν Ἑλλὰς, λέγεται μὲν, οὐ μέντοι ἐστί. ἡ δὲ Ἑλλὰς ἐν Θετταλίᾳ κεῖται. ἐκείνους οὖν ἐροῦμεν τὴν Ἑλλάδα κατοικεῖν. —— Ἕλληνες δὲ οἱ ἀφ᾽ Ἕλληνος. οὗτοι δέ εἰσιν Αἴολος καὶ Σίσυφος. ἔτι δὲ Ἀθάμας καὶ Σαλμωνεὺς, καὶ οἱ τούτων φύντες ἔκγονοι, Dicæarch. p. 179. Ἑλλάδα οἱ μὲν τὴν Φθίαν φασὶ συνωνύμως, Schol. Apoll. *Argon.* *l.* I. v. 416. Τὴν Ἑλλάδα τὴν ἀρχαίαν. αὕτη δ᾽ ἐστὶν ἡ περὶ τὴν Δωδώνην, καὶ τὸν Ἀχελῷον, &c. Aristotel. *Meteor.* *l.* I. c. XIV. Ἑλλὰς καὶ Φθία πόλεις Θετταλικαὶ, Eustath. *in Iliad.* I. δῆλον δ᾽ ὅτι πάλαι μὲν ποτε πόλις Φθίας ἡ Ἑλλάς. ὕστερον δὲ καὶ χώρα ἡ πρὸ τῆς Πελοποννήσου κοινότερον, Eustath. *in Iliad.* Π. Hesiodus tamen & Archilochus noverunt Ἕλληνας λεγομένους τοὺς σύμπαντας καὶ Πανέλληνας: & Homerus *Odyss.* A. v. 344.

Ἀνδρὸς τοῦ κλέος εὐρὺ καθ᾽ Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος

videtur quibusdam omnes Hellenas vocasse, Strabo *l.* VIII. p. 370. οὔτ' οὖν Θουκυδίδης ὀρθῶς. τό, τε γὰρ μήτε Ἕλληνάς πω (λέγεσθαι) ψεῦδος ὁ Ποιητὴς ἐλέγχει, *Odyss.* A. v.344. & O. v.80. Strabo *l.* XIV. p.661. Huc refer quoque Πανέλληνας καὶ Ἀχαιούς, *Iliad.* B. v.530. Ἡμεῖς δὲ χώραν ὑπολαμβάνομεν εἶναι Ἑλλάδα, οὐ μὴν πόλιν, τὴν αὐτὴν τῇ Φθίᾳ, Schol. Apoll. *Arg. l.* I. v. 416. Sed cur Dicæarchus Xuthi & Dori posteros exclusit ab appellatione Hellenon? forte Hellenis liberos eos non agnoscit: quia solius Æoli in carmine meminit Euripides:

> Ἕλλην γάρ, ὡς λέγουσι, γίγνεται Διός.
> Τοῦ δ' Αἴολος παῖς. Αἰόλου δὲ Σίσυφος,
> Ἀθάμας τε, Κρηθεύς θ', ὅς τ' ἐπ' Ἀλφειοῦ ῥοαῖς
> Θεοῦ μανεὶς ἔρριψε Σαλμωνεὺς φλόγα.

Euripides quidem præter Æolum alios Hellenis liberos non videtur agnoscere: nam Xuthum ex Æolo Jovis filio prognatum dicit, *Ione* v.63. & Dorum Achæumque Xuthi & Creusæ filios facit, *Ione* v. 1575. seqq. Ionem vero Apollinis & Creusæ filium fuisse ait, *Ione* v. 10. seqq. & 517. seqq. non tamen negat Dorum & Achæum ab Hellene oriundos esse: Ionem vero Xutho filium ab Apolline datum refert, *Ione* v. 545. Certe Dorienses inprimis Ἑλληνικὸν ἔθνος vocat Herodot. *l.* I. p. 23. Strabo Hellenas dividit secundum Dialectos, quas quatuor statuit, Ionicam, Atticam, Doricam & Æolicam: & Ionicam quidem eandem cum Attica antiqua, Doricam vero eandem cum Æolica esse scribit *l.* VIII. p 333. Sed perperam in hac divisione Gens Achaica excluditur: nec Attica Hellenica est, nisi quatenus Ionibus mixta fuerit: vide in *Atheniensib. Erechth.* Ἀθηναῖοι δὲ οἱ τὴν Ἀττικὴν κατοικοῦντες, Ἀττικοὶ μέν εἰσι τῷ γένει, τῇ δὲ διαλέκτῳ ἀττικίζουσι. —— Ποσείδιππος μεμφόμενος Ἀθηναίοις, ὅτι τὴν αὐτῶν φωνὴν καὶ τὴν πόλιν φασὶ τῆς Ἑλλάδος εἶναι· λέγων οὕτως·

> Ἑλλὰς μέν ἐστι μία, πόλεις δὲ πλείονες.
> Σὺ μὲν ἀττικίζεις, ἡνίκ' ἂν φωνὴν λέγῃς
> Αὐτοῦ τινες. οἱ δ' Ἕλληνες ἑλληνίζομεν.

Dicæarch. p. 178. 179. sed v. 3. principium aperte mendosum esse scribit. Henr. Stephanus, sic tamen ut valde obscura & ipsi, & aliis itidem, ut opinatur, futura sit ejus emendatio. Casaubonus legit Σεαυτοῦ, vel τοῦ σαυτοῦ, sed lex metri eam emendationem non admittit; quid si legatur Αὐτόχθονες; quales se Athenienses jactabant esse, ut vel hac voce ab ipsis usurpata Athenienses ipsos se negare Ἕλληνας esse Posidippus ostendat. Proprie igitur Hellenon nomine comprehenduntur, Dores, Æoles, Iones & Achæi: Ἕλληνες μὲν γάρ εἰσιν οἱ τῷ γένει, καὶ ταῖς φωναῖς ἑλληνίζουσιν, ἀφ' Ἕλληνος, Dicæarch. p.178. Ἕλληνες, οἱ ἀπὸ τοῦ Ἕλληνος, τοῦ Διός, ἢ φρόνιμοι, ἤτοι σοφοί, Hesych. improprie, non tantum Athenienses, Arcades, Cynurii ac Dryopes, aliique in Græcia habitantes populi, sed & quicunque Hellenon amplectebantur disciplinam, ubicunque locorum essent; videbaturque hæc appellatio τῶν Ἑλλήνων μηκέτι τοῦ γένους, ἀλλὰ τῆς διανοίας τεκμήριον εἶναι, ut scribit Isocrat. *Panegyr.* Sic quidam gentes Judæus Ἑλληνικὸς οὐ τῇ διαλέκτῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ ψυχῇ dicitur Aristoteli apud Clearchum teste Josepho *contra Appion. lib.* I.

Hellenes Barbaris opponi solent. Ἁπάντων ἀνθρώπων οὐδενός, οὔτε Ἕλληνος, οὔτε Βαρβάρου, Demosth. *de fals. legat.* p 297 Ἕλλησί τε καὶ Βαρβάροις, *Roman.* c. I. v. 14. Παρ' Ἕλλησί τε καὶ Βαρβάροις, Diodor. *l.* I. p. 5 Homerus istam Barbari vocem non usurpavit, quod ne Hellenes quidem a Barbaris distincti, in unum totius Gentis commune nomen Barbaro oppositum ejus ætate coaluissent, Thucyd. *l.* I. p. 3. Ἄλλοι δὲ ἀντιθέασιν, ὅτι καὶ Βαρβάρους εἴρηκεν, εἰπών γε ἐν τῷ βαρβαροφώνους τοὺς Κᾶρας, *Iliad.* B. v. 867. Strabo *l.* VIII. p. 370. Apud Scriptores N. T. etiam Judæo opponitur Hellen, ut *Roman.* III. 9. *Colos.* III. 11. *Act.* XIV. 1. & alibi: in quibus locis incircumcisum notat. Sic apud Patres Græcos opponitur Christiano: ut Chrysostom. *Hom.* XII. *in* 1. *Corinth.* Basil. Seleuc. Orat. in *Olympia.* Procl. *Orat.* IV.

GRÆCI.

IN Thessalia genitus Rex nomine Græcus, a quo Græcia cognominata, Plin. *l.* IV. c. VII. Γραικὸς ὁ Ἕλλην ὀξυτόνως. Γραῖκος ὁ Θεσσαλοῦ υἱός, ἀφ' οὗ Γραικοὶ οἱ Ἕλληνες. τὸ δὲ Γραῖκος τὸ κύριον βαρύνεται, τὸ δὲ ἐθνικὸν ὀξύνεται. λέγεται καὶ Γραικίτης, καὶ Γραικὶς τὸ θηλυκόν, Stephan. Ἕλλην τοὺς καλουμένους Γραικοὺς προσηγόρευσεν Ἕλληνας, Apollod. *l.* I. p. 14. α. Ἕλληνες οἱ Γραικοὶ μετεκλήθησαν, Euseb. *Chron. l.* I. p.26.28. Ἕλληνος τοῦ Δευκαλίωνος, ὃς δυναστεύσας τῆς Φθιώτιδος τοὺς ὑπηκόους ἑαυτῷ γενομένους ἀντὶ Γραικῶν Ἕλληνας ἐκάλεσε, Constantin. Porphyrog. *l.* II. *Themat.* v. Γραικὸς Ἕλλην. Γραικιστί, Ἑλληνιστί, Hesych. Ὁ καλούμενος ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμός. καὶ γὰρ οὗτος περὶ τὸν Ἑλληνικὸν ἐγένετο μάλιστα τόπον, καὶ τούτου περὶ τὴν Ἑλλάδα τὴν ἀρχαίαν. αὕτη δ' ἐστὶν ἡ περὶ τὴν Δωδώνην καὶ τὸν Ἀχελῷον. οὗτος γὰρ πολλαχοῦ τὸ ῥεῦμα μεταβέβληκεν. ᾤκουν γὰρ οἱ Σελλοὶ ἐνταῦθα, καὶ οἱ καλούμενοι τότε μὲν Γραικοί, νῦν δὲ Ἕλληνες, Aristot. *Meteorol. l.* I. c. XIV. Γραικοὶ οἱ Ἕλληνες, ἀπὸ κώμης τινός, καὶ ἀπὸ Γραικοῦ τινος, ἐκ τοῦ Γραῖξ Γραικός, Suidas Γραῖκες apud Alcmanem & Sophoclem in *Pastoribus* dicuntur αἱ τῶν Ἑλλήνων μητέρες. ἔστι δὲ ἡ μεταπλασμός, ἢ τῆς Γραῖξ εὐθείας κλίσις ἐστίν, Stephan. Γραίους prius dictos fuisse, quod toties usurpatur a Latinis Poetis: postea Γραικούς, ut ab Ἀχαιοὶ Ἀχαϊκοί, existimat Scaliger *Animadv. in Euseb.* p.19. β. Ραῖκος, Ἕλλην. Ῥωμαῖοι δὲ τὸ Γ προστιθέντες, Γραικόν φασι, Hesych. Græcos a Latinis ita dictos, a semetipsis vero Ἕλληνας scribit Laur. Valla *in Actor.* c. XVII. Paucissimi certe Græci scriptores sunt, qui hac appellatione usi sint. Lycophron. *Casandr.* v. 532.

> Γραικῶν ἄριστος, ὃν πάλαι τεύχει τάφους.

Et v. 891. seqq.

> Γραικοὺς δὲ χώρας τοὐπίκις λαβεῖν κράτη,
> Θαλασσόπαις δίμορφος αὐδάξει Θεός.
> Ὅταν παλίμπουν δῶρον ἄγραυλος λεὼς
> Ἑλλὴν ὀρέξῃ νοσφίσας πάτρας Λίβυς.

Et v. 1338.

> Γραικοῖσιν, ἀμνάμοις τε τοῖς Ἐρεχθέως.

Callimachus:

> Γραικοὶ γὰρ γαίης ἡμετέρης ἀδαεῖς.

Idem apud Strabon. *l.* I. & *l.* V.

> —— τὸ μὲν φυγάδων τις ἐνίσποι
> Γραικός, ἀτὰρ κείνων γλῶσσ' ὀνόμηνε Πύλας.

Alexander Ætolus apud Macrob. *Saturn. l.* V. c. XXII.

> Ἀλλ' ὅγε πειθόμενος πάγχυ Γραικοῖσι μέλεσθαι
> Τιμόθεον, κιθάρης ἴδμονα καὶ μελέων.

Mirum vero est, apud vetustissimos Græcos scriptores non reperiri hanc vocem, si ita Græci ipsi se appellarint; nec video quomodo vetustate apud ipsos Græcos obsolescere potuerit, & Italis familiari in usu esse, quibus Græca Gens ignota fuisse videtur, cum apud Græcos hæc appellatio in usu esse desiisset. Sed neque alii hoc nomine appella-

ti sunt, quam qui circa Dodonem & Acheloum habitabant, ut scribit Aristoteles, quosque sub suo imperio continebat ipse Hellen, ut Apollodor. Stephanus, Eusebius, docent: neque enim tam amplum fuit Græcorum nomen, quam postea Hellenon fuit, Hellenis filiis aliis alio abeuntibus. Sed neque inter Scriptores convenit: Græci filius est Thessalus, Eusebio: Græcus filius Thessali, Stephano. Græcos a vico quodam, vel a Græco quodam, appellatos fuisse, auctor Suidas. A quibus abit Hesychius: quem proxime sequitur Valla: cujus opinionem verisimilem mos hodiernus & pristinus reddit. Teutonas Franco-Galli appellant *Alemans*, quos Latini Germanos, cum tamen neutra appellatio Teutonibus in usu sit. Danos & Norvigios Moscovitæ *Mauremans* vocant, appellatione nobis plane incognita. Sic Dorienses a Lydis *Castolos* appellatos fuisse scribit Stephanus. Apud Athenæum *l.* II. c. XI. Γραικοὺς per *Græculos* exponit Casaubonus. M. Cato major Περὶ Γραικῶν γεροντίων, (de Achæis exsulibus) Plutarch. *Apophth.Reg.* p. II. 119. B. Et Γραικὸς καὶ σχολαστικὸς apud Plutarch. in *Cicer.* per contemptum. Ὁ Γραικὸς ἐπιθέτης, *Græcus impostor*, in Christianos jactatum.

SELLI. HELLI. DODONAEI.

SElli Gens Epirotica Thesprotidis regionis, appellata a præterlabente fluvio Selleente. Pindarus Hellos vocatos ait absque primo S, ab Hello Drytomi filio, quem ajunt primum oraculum (illud Dodonæum) aperuisse, Schol. min. *Iliad.* Π. Qui Hellos scribunt sine S, per synalœphen scribunt in Homer. *Iliad.* Π. v. 234. ἀμφὶ δὲ σ' Ἑλλοί. ἤγουν περὶ σέ. dicuntque Hellos Gentem esse cognominatam ab Hello Thessali filio: a qua Gente etiam Hellopia vocetur circa Dodonem locus, Eustath. *in Iliad.* Π. Σελλήεις ποταμὸς Θεσπρωτίας, ἀφ' οὗ καὶ τὸ ἔθνος Σελλοί—οἱ δὲ ἀναγινώσκοντες κατὰ συναλοιφὴν, ἀμφὶ δὲ σ' Ἑλλοὶ, οὐχ ὑγιῶς ἀκούουσι τὸ ἔθνος, Hesych. Sellos circa Dodonem & fl. Acheloum habitasse, ubi & Græci, postea Hellenes dicti, scribit Aristotel. *Meteorol.* *l.* I. c. XIV. Ἑλλοὶ, Ἕλληνες οἱ ἐν Δωδώνῃ, καὶ οἱ ἱερεῖς, Hesych. Hellos Gentem a Tyrrhenis ortam scribit Alexander Pleuronius, Schol. min. *Iliad.* Π. Hellopiam locum ubi Dodone erat, dictam scribit Hesiodus in *Eœis:*

> Ἔστι τις Ἑλλοπίη πολυλήϊος, ἠδ' εὐλείμων,
> Ἀφνειὴ μήλοισι καὶ εἰλιπόδεσσι βόεσσι,
> Ἐν δ' ἄνδρες ναίουσι πολύρρηνες πολυβοῦται
> Πολλοὶ ἀπειρέσιοι φῦλα θνητῶν ἀνθρώπων.
> Ἔνθα τε Δωδώνη τις ἐπ' ἐσχατιῇ πεπόλισται.
> Τὴν δὲ Ζεὺς ἐφίλησε, καὶ ὃν χρηστήριον εἶναι
> Τίμιον ἀνθρώποις, ναῖον δ' ἐν πυθμένι φηγοῦ,
> Ἔνθεν ἐπιχθόνιοι μαντήϊα πάντα φέρονται,
> Ὃς δὴ κεῖθι μολὼν Θεὸν ἄμβροτον ἐξερεείνῃ,
> Δῶρα φέρων ἔλθῃσι σὺν οἰωνοῖς ἀγαθοῖσι.

Erat vero Dodone urbs Molossidis in Epiro, Stephan. Ἡ Δωδώνη τοίνυν τὸ μὲν παλαιὸν ὑπὸ Θεσπρωτοῖς ἦν, καὶ οἱ Τραγικοί τε καὶ Πίνδαρος Θεσπρωτίδα εἰρήκασι τὴν Δωδώνην· ὕστερον δὲ ὑπὸ Μολοττοῖς ἐγένετο, Strabo *l.* VII. p. 328. Nomen accepit a Dodone, una Nympharum Oceanidum, vel a Dodono Jovis & Europæ filio; vel a fluvio Dodone, Stephan. Eustath. *in Iliad.* B. Cum enim Deucalion post diluvium, quod sub ipso contigerat, in Epirum pervenisset, in quercu oraculum consuluit: acceptoque a columba responso, locum, collectis qui e diluvio supererant, habitatoribus frequentavit, καὶ ἀπὸ τοῦ Διὸς καὶ Δωδώνης μιᾶς τῶν Ὠκεανίδων Δωδώνην τὴν χώραν προσηγόρευσεν, ut narrat Thrasybulus, Schol.min. *Iliad.* Π. Ἕτεροι δὲ Δωδώνην ἀλληγοροῦντες ἐνταῦθα, τὴν γῆν φασι, παρὰ τὸ δώσω. ὡς δότειραν καὶ ἀνησιδώραν καὶ ζείδωρον, Eustath. *in Iliad.* Π. Oraculum Dodonæum fuisse Πελασγῶν ἵδρυμα, ait Ephorus. Homer. *Iliad.* Π. v. 233. seqq.

> Ζεῦ ἄνα, Δωδωναῖε, Πελασγικὲ, τηλόθι ναίων,
> Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου. ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ
> Σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι.

Hesiodus:

> Δωδώνην φηγόν τε Πελασγῶν ἕδρανον ἧκεν.

Strabo *l.* VII. p. 327. Πελασγοὶ ἐχρηστηριάζοντο ἐν Δωδώνῃ, Herodot. *l.* II. p. 124. Marcian. p. 19.

> —— ἥτε Δωδώνη Διὸς
> Μαντεῖον ἵδρυμ' ἐστὶ δ' οὖν Πελασγικόν.

Æschyl. *Prometh.* v. 803. seqq.

> —— πρὸς Μολοσσὰ δάπεδα
> Τὴν αἰπύνωτόν τ' ἀμφὶ Δωδώνην, ἵνα
> Μαντεῖα, θῶκός τ' ἐστὶ Θεσπρωτοῦ Διὸς,
> Τέρας τ' ἄπιστον, αἱ προσήγοροι δρύες.

Euripid. *Phœniss.* v. 988. seqq.

> Θεσπρωτὸν οὖδας.
> Σεμνὰ Δωδώνης βάθρα.

Erat vero in Thesprotide & fanum Jovis in Dodone, & sacra Dei quercus, Pausan. *Attic.* p. 30. τὴν δρῦν πολύγλωσσον λέγει ὁ Σοφοκλῆς, ἤγουν πολύφωνον, Eustath. *in Iliad.* B. fuitque ea quercus Græcarum arborum vetustissima post viticem Samiam, Pausan. *Arcad.* p. 490. Antistites Dodonæorum referebant, duas nigras columbas Thebis Ægyptiis avolasse, earumque unam in Libyam, cujus jussu Ammonis oraculum conditum fuerit, alteram ad Dodonæos venisse: & hanc quidem fago insidentem, humana voce dixisse, in fatis esse, ut illic Jovis oraculum constitueretur: Dodonæos vero interpretatos id divinitus ipsis imperari, fecisse quod jussum erat, Herodot. *l.* II. p. 125. Τοῖς γὰρ τὴν Ἤπειρον ταύτην οἰκοῦσι, τοῖς τε Αἰτωλοῖς, καὶ τοῖς προσχώροις αὐτῶν Ἀκαρνᾶσι, καὶ Ἠπειρώταις αἱ πέλειαι, καὶ τὰ ἐκ τῆς δρυὸς μαντεύματα μετέχειν μάλιστα ἐφαίνετο ἀληθείας, Paus. *Achaic.* p. 438. Αἱ πελειαὶ παρὰ Δωδωναίοις ἐμαντεύσαντο μὲν ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ αὗται, Pausan. *Phocic.* p. 631. 632. Sophocl. *Trachin.* v. 173. seqq.

> Ὡς τὴν παλαιὰν φηγὸν αὐδῆσαί ποτε
> Δωδῶνι δισσῶν ἐκ πελειάδων ἔφη.

Sed Sacerdotes Jovis Thebani narrabant duas fœminas sacerdotes Thebis a Phœnicibus abductas fuisse, earumque unam in Libya, alteram in Græcia venundatam: atque has fœminas in iis gentibus primas oracula constituisse. Columbæ vero (πελειάδες) mihi videntur a Dodonæis appellatæ ob hanc causam eæ fœminæ, quod barbaræ essent: visæque sunt avium instar loqui; sequenti vero tempore ajunt columbam humana voce loquutam, quandoquidem fœmina iis loquebatur quæ intelligerent: dum vero barbare loquebatur, more avis visa est illis loqui: quo enim modo alias columba humana voce loqueretur? nigram vero quod dicunt columbam fuisse, indicant eo fœminam Ægyptiam fuisse, Herodot. *l.* II. p. 124. 125. Habebatur porro hoc oraculum inter Græcos omnium antiquissimum & erat aliquando hoc solum, Herodot. *l.* II. p. 124. Τὰς Πελειάδας δὲ Φημονόης (de qua vide in *Delphic.*) τε καὶ ἔτι προτέρας γενέσθαι λέγουσι, καὶ ᾆσαι γυναικῶν πρώτας τάδε ἔπη:

Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἐστι, Ζεὺς ἔσσεται, ὦ μεγάλε Ζεῦ,
Γᾶ καρποὺς ἀνίει, διὸ κλήζετε ματέρα γαῖαν.

Pausan. *Phocic.* p. 631. 632.

Tomuros oraculi Dodonæi interpretes Homero dictos ajunt nomen accepisse a monte Tomaro vel Tmaro, utrumque enim dicitur, sub quo fanum Dodonæum situm erat, Strabo *l.* VII. p. 328. Eustath. *in Odyss.* Π. Lycophron Τόμουρον simpliciter vatem vocat, communi cum iis nomine, qui Dodonæ erant: Τόμουροι γὰρ οἱ ἐκεῖ τοῦ Διὸς ὑποφῆται, καὶ Τόμουραι αἱ μαντεῖαι, Eustath. *in Iliad.* Π. Τόμαρος τὸ ἐν Δωδώνῃ ὄρος, καὶ προφήτης, καὶ ἱερεὺς, καὶ θύτης, καὶ μάντις. Τόμουροι, προφῆται, ἱερεῖς, οἰωνοσκόποι, διάκονοι, Hesych. Dodonam ad consulendum oraculum misit Crœsus, Herodot. *l.* I. p. 19. Et Agesilaus, cum Persis arma inferre cogitaret, oraculum Dodonæum consuluit, Plutarch. *Apophth. Lacon.* p. 125. A.

Pelasgorum, qui Thessalia a Curetibus & Lelegibus pulsi, profugi & hinc inde dispersi erant, pars maxima per loca mediterranea se contulit ad Dodonæos consanguineos suos, quos ut sacros nemo fas putabat bello aggredi, ibique sat longo tempore manserunt: inde in Italiam abierunt, Dionys. Halicarn. *l.* I. Ἐκλέλοιπε δέ πως καὶ τὸ μαντεῖον τὸ ἐν Δωδώνῃ, καθάπερ τἆλλα, Strabo *l.* VII. p. 327.

DORIENSES.

Dorus Hellenis F. huic Genti & Regioni nomen dedit. Δῶρος τοὺς περὶ Παρνασσὸν συνοικίσας, κατέλιπεν ἐπωνύμους αὐτοῦ, Strabo *lib* VIII. p. 383. Δῶρος τὴν πέραν χώραν Πελοποννήσου λαβὼν, τοὺς κατοίκους ἀφ' ἑαυτοῦ Δωριεῖς ἐκάλεσεν, Apollodor. *l.* I. p. 14. a. Euripid. *Ion.* v. 1590.

Δῶρος μὲν, ὅθεν Δωρὶς ὑμνηθήσεται
Πόλις. ——

Habitavit autem cum suis Dorus, sub montibus Ossa & Olympo, in regione quæ postea Hestiæotis dicta fuit. Ἐπὶ δὲ Δώρου τοῦ Ἕλληνος (οἴκεε τὸ Ἑλληνικὸν ἔθνος) τὴν ὑπὸ τὴν Ὄσσαν καὶ τὸν Οὔλυμπον χώρην, καλεομένην δὲ Ἱστιαιῶτιν, Herodot. *l.* I. p. 23. Hinc & Doris ea appellata. Ταῦτα τὰ χωρία ἐστὶ μὲν τῆς Ἑστιαιώτιδος. ἐκαλεῖτο δὲ, ὥς φασι, πρότερον Δωρὶς, Strabo *l.* IX. p. 437. Condiditque Dorus IV. parvas urbes, Erineum, Bœum, Cytinium & Pindum. Marcian. p. 24.

Ἑξῆς δὲ τούτων (Λοκρῶν) Δωριεῖς μικρὰς πόλεις,
Δρίνεον, Βοιόν τε, καὶ Κυτίνιον
Ἀρχαιοτάτας ἔχουσι, Πίνδον τ' ἐχομένην,
Ἃς Δῶρος Ἕλληνος γενόμενος ᾤκισεν.
Τούτων δ' ἄποικοι πάντες εἰσὶ Δωριεῖς.

Οὗτοι μὲν οὖν εἰσιν οἱ τὴν τετράπολιν οἰκήσαντες, ἥν φασιν εἶναι μητρόπολιν τῶν ἁπάντων Δωριέων. Πόλεις δ' ἔχον Ἐρίνεον, Βοιόν, Πίνδον, Κυτίνιον. ἐντεῦθεν ὁρμηθεῖσι τοῖς Ἡρακλείδαις ὑπῆρξεν ἡ εἰς Πελοπόννησον κάθοδος, Strabo *l.* IX. p. 427. Fueruntque hæ urbes aliquando in existimatione, quanquam exiguæ & asperi soli; sed deinde nullo loco habitæ fuerunt, attritæque ita bello Phocico, & Macedonum, Ætolorum & Athamanum armis, ut mirum fuerit, earum vestigia ad Romanos pervenisse, Strabo *l.* IX. p. 427. Alii tres tantum faciunt Doriensium urbes. Δωριεῖς τοὺς προγόνους μὲν Λακεδαιμονίων, οἰκοῦντας δὲ πόλεις τρεῖς, Κυτίνιον, Βοιὸν, καὶ Ἐρίνεον, κειμένας ὑπὸ τὸν λόφον τὸν ὀνομαζόμενον Παρνασσὸν, Diodor. *l.* XI. p. 60. Easdem tres urbes Λακεδαιμονίων μητρόπολιν vocat Thucydides *l.* I. p. 69. Ἐξ ἧς (Θετταλίας, τῆς Δωρίδος μὲν πρότερον, νῦν δὲ τῆς Ἑστιαιώτιδος καλουμένης) ὡρμήθησαν οἱ περὶ τὸν Παρνασσὸν οἰκήσαντες Δωριεῖς, καὶ ἔκτισαν τήν τε Ἐρίνεον, καὶ Βοιὸν, καὶ Κυτίνιον, ἀφ' οὗ καὶ Τριχάϊκες ὑπὸ τοῦ Ποιητοῦ (*Odyss.* Τ. v. 177.) λέγονται, Andron. apud Strabon. *l.* X. p. 475. 476. Sed improbatur hæc Andronis opinio, Doridem, quæ tetrapolis fuit, tripolin, & metropolin Doriensium, coloniam Thessalorum facientis: & Dorienses Τριχάϊκες dici videntur, ἤτοι ἀπὸ τῆς τριλοφίας, ἢ ἀπὸ τοῦ τειχίνους εἶναι τοὺς λόφους, Strabo *l.* X. p. 476. Plinio Pentapolis est Doris, additque quatuor istis urbibus Sperchion, *l.* IV. c. VII. Tzetzæ in *Lycophr.* est Hexapolis. Δωρὶς, inquit, ἓξ πόλεις ἔχει, Κυτίνιον, Βοιὸν, Λίλαιον, Καρφαίαν, Δρυόπαν καὶ τὴν Ἐρίνεον. Scholiastes Pindar. *Pyth.* ode I. p. 195. duplicem facit Doridem, unam Tetrapolin, in qua Pindum collocat: alteram Hexapolin, sex urbes continentem: Οἱ Δωριεῖς, inquit, οἰκοῦντες πρότερον τὴν Πίνδον, μίαν οὖσαν τῆς τετραπόλεως τῆς ἐν Περραιβίᾳ, ἀφικνοῦνται εἰς τὴν μεταξὺ Οἴτης καὶ Παρνασσοῦ Δωρίδα ἑξάπολιν οὖσαν. ἐστὶ δὲ, Ἐρίνεον, Κυτίνιον, Βοιὸν, Λίλαιοι, Καρφαία, Δρυόπη. ἐκ δὲ τούτων σὺν τοῖς Ἡρακλείδαις εἰς Λακεδαίμονα κατέρχονται. Ptolemæus quatuor agnoscit, sed pro Pindo habet Lilæam: quam tamen a Pindo distinguit Strabo, & Pindum a quibusdam Acyphantem dici scribit *l.* IX. p. 427. Ἐρίνεον, πόλις Δωριέων ὑπὸ τὸν Παρνασσὸν, Stephan. Βοιὸν, ὡς Ὅμηρος ἔοικε Βοίβην λέγειν. ἐστι δὲ Δωρικὴ πόλις, Steph. Ἐστι καὶ Κυτίνιον μία τῶν τριῶν τῶν Δωρικῶν, Steph. Ἀκύφας, πόλις μία τῆς Δωρικῆς τετραπόλεως, Steph. Hujus vero diversitatis in Scriptoribus causa esse videtur, quod Gens hæc crebrius sedes mutaverit: unde ἔθνος πολυπλάνητον κάρτα dicitur Herodoto *l.* I. p. 23. Quidam Dorienses habitarunt ad occiduum Parnassi latus, sed plerique ad orientale, ἔχοντες τὴν τετράπολιν παρακειμένην πως τῷ Παρνασσῷ, πλεονάζουσαν δὲ τοῖς πρὸς ἕω μέρεσιν, Strabo *l.* IX. p. 417. Τοὺς Δωριέας ὀλίγους ὄντας, καὶ τραχυτάτην οἰκοῦντας χώραν, Strabo *l.* VIII. p. 333. Dori F. Tectamus in Cretam abiit: vide in *Cretensib.*

Ægimius Dori (non quidem ejus qui nomen Genti dedit) filius, Doriensium Rex fuit, Diodor. *l.* IV. p. 261. Adversus hunc Lapithæ, duce Corono, de finibus bellum gesserunt, cumque in urbem compulsum obsiderent, ipse Herculis opem imploravit, partem regni se ei daturum pactus. Hercules vero, Corono cum exercitu cæso, Doriensium terras liberas reddidit, Apollodor. *l.* II. p. 79. a. Μετὰ τὴν Δρυόπων ἀνάστασιν, πολέμου συνεστῶτος τοῖς Δωριεῦσι, τὴν Ἑστιαιῶτιν καλουμένην οἰκοῦσιν, ὧν ἐβασίλευεν Αἰγίμιος, καὶ τοῖς Λαπίθαις, τοῖς περὶ τὸν Ὄλυμπον ἱδρυμένοις, ὧν ἐβασίλευε Κορωνὸς ὁ Καινέως. ὑπερεχόντων δὲ τῶν Λαπιθῶν πολὺ τῇ δυνάμεσιν, οἱ Δωριεῖς κατέφυγον ἐπὶ τὸν Ἡρακλέα, καὶ σύμμαχον αὐτὸν ἐκάλεσαν ἐπὶ τῷ τρίτῳ μέρει τῆς Δωρίδος χώρας καὶ τῆς βασιλείας. Πείσαντες δὲ, κοινῇ τὴν ἐπὶ τοὺς Λαπίθας στρατείαν ἐποιήσαντο. Ὁ δ' Ἡρακλῆς ἔχων ἀεὶ τοὺς μεθ' αὐτοῦ στρατεύσαντας Ἀρκάδας, καὶ μετὰ τούτων χειρωσάμενος τοὺς Λαπίθας, αὐτόν τε τὸν βασιλέα Κορωνὸν ἀνεῖλε, καὶ τῶν ἄλλων τοὺς πλείστους κατακόψας, ἠνάγκασεν ἐκχωρῆσαι τῆς ἀμφισβητησίμου χώρας. Τούτων δὲ πραχθέντων, Αἰγιμίῳ μὲν τὸ ἐπιβάλλον τῆς χώρας τρίτον μέρος παρέθετο, καὶ παρεκελεύσατο φυλάττειν τοῖς ἀφ' ἑαυτοῦ, Diodor. *l.* IV. p. 242. Τούτων (Δωριέων) ὁ βασιλεὺς Αἰγίμιος (sic lego pro Αἰπάλιος) ἐκπεσὼν τῆς ἀρχῆς, κατήχθη πάλιν, ὥς ἱστοροῦσιν, ὑφ' Ἡρακλέους. ἀπεμνημόνευσεν οὖν αὐτῷ τὴν χάριν τελευτήσαντι περὶ τὴν Οἴτην. Ὕλλον γὰρ εἰσεποιήσατο τὸν πρεσβύτατον τῶν ἐκείνου παίδων, καὶ ἐδέξατο ἐκεῖνος τὴν ἀρχὴν, καὶ οἱ ἀπόγονοι, Strabo *l.* IX. p. 427. Ægimii filii fuerunt Pamphylus & Dymas, Apollod. *l.* II. p. 84. a. Cum his Hyllum adoptatum fuisse scribit Stephanus. Αἰγίμιος, inquit, ἦν τῶν περὶ τὴν Οἴτην Δωριέων βασιλεύς. ἔσχε δὲ δύο παῖδας, Πάμφυλον καὶ Δυμᾶνα. καὶ τὸν τοῦ Ἡρακλέους Ὕλλον ἐποιήσατο τρίτον, χάριν ἀποδιδοὺς, ἀνθ' ὧν Ἡρακλῆς ἐκπεπτωκότα κατήγαγεν. Ab his tribus nomina tribuum Doriensium facta: Ὑλλεῖς, καὶ Πάμφυλοι, καὶ Δυμᾶνες, Stephan. *in* Δυμᾶν. Ægimii tres filios fuisse scribit Schol. Pindar. *Pyth.* od. I. Pamphylum, Dymanem & Dorum.

Hyllus Herculis F. Pamphylus & Dymas Ægimii FF. Doriensium Reges, Strabo & Steph. Hyllo, Iolao & Theseo ducibus, Heraclidæ & Athenienses Eurystheum Stheneli F. collata acie superarunt, & magnam in ejus exercitu stragem ediderunt: ipsum etiam, confracto in fuga curru, Hyllus occidit, Diodor. *l.* IV. p. 260. Apollodor. *l.* II. p. 82. α. Heraclidæ, occiso Eurystheo, in Peloponnesum redierunt, amissasque urbes omnes receperunt. Cæterum, quoniam intra anni spatium, ex quo redierant, universam Peloponnesum pestis invasit, & oraculo declaratum fuit eam evenisse, quod Heraclidæ ante rediissent, quam oporteret, ipsi, relicta Peloponneso, Marathonem commigrarunt, Apollod. *l.* II. p. 82. α. β. Mortuo Eurystheo in Doride habitasse ait Archidamus. Ἐπεὶ Ἡρακλῆς μετήλλαξε τὸν βίον, θεὸς ἐκ θνητοῦ γενόμενος, κατὰ μὲν ἀρχὰς οἱ παῖδες αὐτοῦ διὰ τὴν τῶν ἐχθρῶν δύναμιν ἐν πολλοῖς πλάνοις ἦσαν. Τελευτήσαντος δ' Εὐρυσθέως, κατῴκησαν ἐν Δωριεῦσιν, Isocr. *Archidamo*. Hillus, sicut pater jusserat, uxorem duxit Iolen Euryti filiam, Apollodor. *l.* II. p. 82. β. Hyllus in id incubuit, ut Heraclidis reditum in Peloponnesum conficeret: itaque Delphos profectus, de reditu Apollinem consuluit: is respondit περιμείναντας τὸν τρίτον καρπὸν κατέρχεσθαι. Hyllus de triennio interpretatus, triennio exacto, Heraclidas in Peloponnesum reduxit, Apollodor. *l.* II. p. 82. β. 83. α. Sed & oraculo jussi fuerant διὰ στενῶν εἰσβάλλειν, quod illi de Isthmo Corinthiaco interpretati sunt, Schol. Thucyd. *l.* I. p. 10. Adversus hos autem, Arcades, Achæi & Iones, qui tum Peloponnesum tenebant, profecti ad Isthmum consederunt: ibi Hyllus oratione habita docuit, non expedire, ut uterque exercitus, commissa pugna, dubiam belli aleam periclitaretur; præstare ut, reliquis quiescentibus, is secum singulari certamine congrederetur, quem Peloponnesii in suo exercitu virtute ac robore cæteris præstare judicarent. Accepta conditione, fœdus inter ipsos in hanc sententiam ictum fuit, ut, si Hyllus Peloponnesiorum ducem superaret, in patrias sedes Heraclidæ redirent; sin vinceretur, Heraclidæ retro cederent, nec intra centum annos reditum in Peloponnesum molirentur. A Peloponnesiis omnibus ad id certamen sua sponte delectus fuit Echemus Rex Arcadum. Is Hyllum singulari certamine congressum occidit, Herodot. *l.* IX. p. 94. 65. Hyllus Megaris sepultus fuit, Pausan. *Attic.* p. 76. Atreum, qui post Eurysthei interitum Mycenas occuparat, adscitis Tegeatis & nonnullis aliis in belli societatem, occurrisse Heraclidis scribit Diodorus *lib.* IX. p. 261. Tisamenum vero Orestis filium tum tenuisse Peloponnesiorum regnum, & Aristomachum interfectum fuisse falso scribit Apollodor. *l.* II. p. 83. α. cum neuter eo tempore natus fuerit: & ne quidem Oreste ipso regnante, hanc Hylli expeditionem susceptam fuisse verisimile videatur Paus. *Arcad.* p. 461. Heraclidæ, occiso Hyllo, ex pacto Peloponneso excesserunt, & Tricorynthum redierunt, indeque ad Ægimium Dori F. concesserunt, & repetito ab illo paterno regionis deposito, communes cum Doriensibus sedes obtinuerunt, Diodor. *l.* IV. p. 262. Pamphylus & Dymas Ægimii filii in Peloponneso occubuerunt, Apollod. *l.* II. p. 84. α. non quidem quo tempore ille scribit, redeuntibus Heraclidis duce Temeno: nam ratio temporis id non patitur, sed duce Hyllo molientibus reditum: verisimile enim est, eos illius expeditionis socios fuisse.

Cleodæus, Hylli filius. Ejus temporibus, ut puto, Dorienses, a Cadmeis ex Hestiæotide pulsi, sedes in Macedno posuerunt, indeque in Dryopidem concesserunt. Ἐκ δὲ τῆς Ἱστιαιώτιδος ὡς ἐξανέστη (τὸ Ἑλληνικὸν ἔθνος) ὑπὸ Καδμείων, οἴκεεν ἐν Πίνδῳ Μακεδνὸν καλεόμενον. ἐνθεῦτεν δὲ αὖτις ἐς τὴν Δρυοπίδα μετέβη, Herodot. *l.* I. p. 23. Cadmei illi fuere, qui Thebis a Thersandro captis profugerunt: hi enim πόλιν Ἑστιαίαν κτίσαντες κατῴκησαν, ut scribit Apollodor. *l.* III. p. 106. αὐτοὶ δὲ (Καδμεῖοι) μεταναστάντες ἐκ τῆς πόλεως, ἐπὶ Δωριεῖς ἐστράτευσαν, καὶ μάχῃ νικήσαντες τοὺς ἐγχωρίους, ἐκείνους μὲν ἐξέβαλον ἐκ τῆς πατρίδων, αὐτοὶ δ' ἐπί τινας χρόνους, οἱ μὲν ἐν αὐτῇ κατέμειναν, οἱ δ' ἐπανῆλθον εἰς τὰς Θήβας, Κρέοντος τοῦ Μενοικέως βασιλεύοντος, οἱ δ' ἐκ τῆς πατρίδων ἐξελαθέντες, ὕστερόν τισι χρόνοις κατῆλθον εἰς τὴν Δωρίδα, καὶ κατῴκησαν ἐν Ἐρινεῷ, καὶ Κυτινίῳ, καὶ Βοιῷ, Diodor. *l.* IV. p. 269. Dryopidem autem non ita multo post videntur Dores occupasse, cum inde Dryopes ejecisset Hercules: unde quæ Dryopis olim, tum Doris appellata fuit. Δωρὶς, ἥπερ ἐστὶ τὸ παλαιὸν Δρυοπὶς, Herodot. *l.* VIII. p. 538. Atque ex hac regione Dorienses ac Heraclidæ profecti in Peloponnesum redierunt. Καὶ ἐκ τῆς Δρυοπίδος, οὕτως ἐς Πελοπόννησον ἐλθὸν, Δωρικὸν ἐκλήθη, Herodot. *l.* I. p. 23. Λακεδαιμόνιοι, Κορίνθιοι, Σικυώνιοι, Ἐπιδαύριοι, Τροιζήνιοι, ἐόντες οὗτοι Δωρικόν τε καὶ Μακεδνικόν (sic lege pro Μακεδονικόν ex ipso Herodoto, cui Gens Dorica dicitur habitasse ἐν Πίνδῳ Μακεδνὸν καλεόμενον, & Stephano, cui Μακεδνὸν χωρίον ἐν Πίνδῳ) ἔθνος ἐξ Ἐρινεοῦ καὶ Δρυοπίδος ὕστατα ὁρμηθέντες, Herodot. *l.* VIII. p. 542. Hinc lego apud Pausaniam *Eliac. pr.* p. 287. Δρύοπες ἐκ Παρνασσοῦ, Δωριεῖς ἐκ τῆς αὐτῆς γῆς ἐς Πελοπόννησόν εἰσιν ἀφιγμένοι. Camerarius ἐκ τῆς Οἴτης legendum censet, quod ad montem Oetam vitam finierit Hercules, ut scribunt Strabo *l.* IX. p. 427. Diodor. *l.* IV. p. 243. Apollod. *l.* II. p. 80. β. Cleodici filia Anassa Neptolemo Achillis filio nupsit, Plutarch. *Pyrrho*.

Aristomachus Cleodæi F. Huic tres fuerunt filii, Aristodemus, Temenus & Cresphontes. Aristodemus uxorem duxit Autesionis Thebani, qui oraculi jussu ad Dorienses commigrarat, filiam Argian, sustulitque ex illa gemellos Eurysthenem & Proclem, Pausan. *Bœot.* p. 552. *Messen.* p. 220. & Herodot. *l.* IV. p. 308. Aristodemus, Temenus & Cresphontes Pythiam de reditu in Peloponnesum consuluerunt, responsumque idem datum fuit illis, quod Hyllo olim. Ibi Temenus Apollini objecit, quod ejus monitis parentes rem infeliciter gessissent. Ac Apollo ipsos suæ calamitatis fuisse auctores, qui oracula non perpendissent: Λέγει γὰρ οὐ γῆς, ἀλλὰ γενεᾶς καρπὸν τρίτον, καὶ στενύγρων τὴν εὐρυγάστορα δεξιὰν κατὰ τὸν Ἰσθμὸν ἔχοντα τὴν θάλασσαν. Quæ ubi audivit Temenus, comparato exercitu, naves compegit (ναῦς ἐπήξατο) illic in Ætolia, ubi locus nunc ab ea re Ναύπακτος dicitur, Apollodor. *l.* II. p. 83. α. β. Apollinem de reditu consulentibus Heraclidis respondisse, διὰ τῶν στενῶν εἰσβάλλειν, reclamantibusque iis, quod & prius decepti fuissent, dixisse, non intellectum ab iis oraculum: se enim στενὰ illa intelligere Crissæum sinum, scribit Scholiast. Thucyd. *l.* I. p. 10. Ἐπὶ δὲ τῆς τρίτης γενεᾶς ἀφίκοντο εἰς Δελφοὺς, χρησόμενοι τῷ μαντείῳ περί τινων βουληθέντες. ὁ δὲ Θεὸς, περὶ ὧν μὲν ἠρώτησαν, οὐκ ἀνεῖλεν. ἐκέλευσε δ' ἐπὶ τὴν πατρῴαν ἰέναι χώραν, Isocrat. *Archidamo*. Cum Naupacti moraretur exercitus, Aristodemus fulmine ictus periit, Apollod. *l.* II. p. 83. α. Morbo decessisse eum scribit Herodotus *l.* VI. p. 398. Lacedæmonii ajunt eum ab Apolline sagittis confixum fuisse, quod consulendi causa non venisset ad oraculum, sed Herculem, in quem forte inciderat, qui reditus in Peloponnesum Doriensibus confici posset, consuluisset: alii, quæ verior fama est, eum a Pyladæ & Electræ filiis, Tisameni Orestis filii consobrinis, occisum memorant, Pausan. *Lacon.* p. 159. Eurystheni & Procli, quia pater parvis decesserat, tutor datus fuit Theras Autesionis (male in Pausan.

legitur Ἀπὸ Ἴωνος pro Αὐπσίονος) filius, matris Argiæ frater: in ejus mandatis obeundis par utrique fuit & concors alacritas: in cæteris vero voluntatum & consiliorum summa dissensio: quæ in eorum posteros quoque propagata fuit, Pauſ. *Lacon.* p. 159. Posthæc Naupacti exercitus in calamitatem incidit: aderat enim illi vates oracula edens, numineque afflatus: quem magum esse putabant, in perniciem exercitus a Peloponnesiis missum. Eum Hippotes Phylantis F. Antiochi nepos, Herculis pronepos, jaculo ictum interemit. Quo facto navalis apparatus, corruptis navibus, periit, peditatus vero fame interiit, & exercitus dissolutus fuit. Temeno consulenti oraculum responsum fuit, ob cæsum vatem ista mala contingere, exsilioque decem annorum mulctandum homicidam, deligendumque ductorem trioculum. Ita Hippotem solum vertere coegerunt, Apollod. *l.* 11. p. 83. *β*. 84. *α*. Addubitantibus, quid sibi responsum vellet, (*de duce trioculo*) Oxylus Hæmonis (*Andræmonis* Apollod) filius forte occurrit, mulum altero captum oculo agens. Tum nimirum acute Cresphontes conjecit oraculi vocem ad hunc hominem pertinere. Eum itaque sibi Dorienses familiarem ac socium adsciverunt. Is in Peloponnesum navibus transmittendum, non pedestri exercitu per Isthmum irruptionem tentandam, censuit. Neque tantum id fieri oportere monuit, sed ipse navigationis a Naupacto ad Molycrium dux fuit: quamobrem illi Dorienses Eleum agrum petenti desponderunt. Proditum autem memoriæ est, Oxylum veritum, ne Aristomachi filii, cum quam esset fertilis ac bene cultus omni ex parte ager Eleus cognovissent, eum sibi tradere recusarent, per Arcadum fines, non per Eleorum agrum, Dorienses deduxisse, Pauſan. *Eliac. pr.* p. 291. 292. Heraclidæ cum Peloponnesiis congressi, eos terra marique vicerunt, Apollodor. *l.* 11. p. 84. *α*. *Ita Heraclidæ, & una cum iis Dorienses Peloponneso potiti sunt, octogesimo post eversum Ilium anno:* Δωριεῖς ὀγδοηκοστῷ ἔτει (μετὰ Ἰλίου ἅλωσιν) ξὺν Ἡρακλείδαις Πελοπόννησον ἔσχον, Thucyd. *l.* 1. p. 10. Et inter Dorienses, Pamphyli posteri:

—— θέλοντι δὲ Παμφύλου
Καὶ μὰν Ἡρακλειδᾶν ἔκγονοι,
Ὄχθαις ὑπὸ Ταϋγέτου ναίοντες, αἰ-
εὶ μένειν τεθμοῖσιν ἐν Αἰγιμίου
Δωριεῖς. ἔσχον δ' Ἀμύκλας ὄλβιοι
Πινδόθεν ὀρνύμενοι.

Pindar. *Pyth.* ode 1. strophe IV. Achæique, posteri eorum, qui exciso Ilio ad sua in Peloponnesum redeuntes, male illic excepti, patria exciderant. Τὰ τῆς πολιορκίας τούτων (Ἰλίου) ἕνεκα δὴ καὶ κακὰ πολλὰ ξυνέβαινε γιγνόμενα περὶ τὰς στάσεις τῶν νέων. οἳ καὶ ἀφικομένους τοὺς στρατιώτας εἰς τὰς αὑτῶν πόλεις τε καὶ οἰκίας, οὐ καλῶς, οὐδ' ἐν δίκῃ ὑπεδέξαντο. ἀλλ' ὥστε θανάτους τε καὶ σφαγὰς γενέσθαι παμπόλλας. οἱ πάλιν, ἐκπεσόντες, κατῆλθον μεταβαλόντες ὄνομα Δωριεῖς ἀντ' Ἀχαιῶν κληθέντες, διὰ τὸ συλλέξαντα εἶναι τὸς τότε φυγάδας Δωριέα, Plato *l.* III. *de Leg.* p. 682. Sed quis ille Doriensis Platonis? Doriensium Regem ex Ægimii nepotibus eum fuisse oportet, qui exsules Achæos hospitio exceperit, iisque inter suos Dorienses sedes dederit, atque sic communi Doriensium nomine eos censeri voluerit. Dorienses certe omnes vocatos fuisse constat, qui expeditionem hanc in Peloponnesum susceperant. Reges tamen Spartani Heraclidæ nomen Doriense respuisse videntur: nam Cleomenes Anaxandridæ F. sacerdoti Atticæ dicenti, οὐ γὰρ θεμιτὸν τοῖσι Δωριεῦσι παριέναι ἐνθαῦτα, respondit: ἀλλ' οὐ Δωριεύς εἰμι, ἀλλ' Ἀχαιός, ut refert Herodotus *lib.* v. p. 357. Itaque ἡ δὲ χώρη αὕτη (Δωρὶς) ἐστὶ μητρόπολις Δωριέων τῶν ἐν Πελοποννήσῳ, Herodot. *l.* VIII. p. 538. Δι' ἃς αἰτίας ἐν Πελοποννήσῳ κατῳκήσατε (vos Lacedæmonii) Δωριεῖς τὸ παλαιὸν ὄντες. Archidamus, apud Isocrat. *Archidamo*. Dorienses Peloponneso potiti, tribus Patrii Jovis aris excitatis sacra fecerunt, & sorte urbes distribuerunt: sortitio itaque prima fuit Argos, Lacedæmon altera, tertia Messene: illata deinde situla aquæ plena, singuli sortes misere: ac Temenus quidem & Aristodemi filii Procles & Eurysthenes lapides miserunt; sed Cresphontes Messenen cupiens, terræ glebam injecit: ea vero resoluta, reliquas duas sortes ante prodire necesse erat: educta igitur prima Temeni sorte, secunda liberorum Aristodemi, Cresphontes Messenen obtinuit, Apollodor. *libr.* 11. p. 84. *β*. Sic Suidas: Κρεσφόντης, ὄνομα κύριον, ἦν δὲ πανοῦργος. καὶ γὰρ βῶλον γηΐνην εἰς τὴν ὑδρίαν ἐνέβαλε, κληρουμένων περὶ Μεσσήνης: vide eundem in Δραπέτης κλῆρος. At Pausanias refert inter Cresphontem & Aristodemi liberos de Messene rem sorti commissam fuisse, re ita constituta, ut utra sors prior exisset, illius Messenia esset, Temenumque a fratre inductum subdole Aristodemi liberum sortem e siccata sole argilla, Cresphontis e cocto latere fecisse: indeque factum esse, ut illa soluta, hæc constiterit, & per eam Messenia Cresphonti obtigerit, *Messen.* p. 220. Porro in aris, super quas sacra fecerant, jacentia invenire signa: Argivi rubetam, Lacedæmones draconem, Messenii vulpem: de iis signis cecinere vates, expedire iis, qui rubetam nacti essent, ut in urbe manerent, quod ea bestia, si peregrinetur, viribus careat: Eos, qui draconem accepissent, formidabiles fore, si quos invaderent: Eos, quibus vulpes obtigerat, dolosos futuros pronunciarunt, Apollod. *l.* 11. p. 84 *β*. 85. *α*. Atque hæc præcipuorum hujus expeditionis ducum inter se regionum fuit partitio. Ὅτε Λακεδαίμων μὲν, καὶ Ἄργος, καὶ τὰ μετὰ τούτων ὑποχείρια τοῖς προγόνοις ὑμῶν, ὦ Μέγιλλε, ἱκανῶς ἐγεγόνει, τότε δὲ δὴ μετὰ τοῦτο ἔδοξεν αὐτοῖς, ὥς γε λέγεται τὸ τοῦ μύθου, τριχῆ τὸ στράτευμα διανειμαντες, τρεῖς πόλεις κατοικίζειν, Ἄργος, Μεσσήνην, Λακεδαίμονα, Plato *l.* III. *de Leg.* p 683. Πολέμῳ δὲ κρατήσαντες τοὺς ἐν τοῖς τόποις τοῖς εἰρημένοις (Argo, Lacedæmone & Messene) κατοικοῦντας, τριχῆ διείλοντο τὰς βασιλείας, Isocrat. *Archidamo*. Regnorum Corinthi & Lacedæmonis tantum meminit Dexippus. Μετὰ τὴν ἅλωσιν, inquit, Τροίας ἔτεσι π' Ἡρακλεῖδαι κατέσχον τὴν Πελοπόννησον, ἐξ ὧν αἱ τῶν Κορινθίων καὶ Λακεδαιμονίων βασιλεῖαι πρῶτον συνέστησαν, apud Euseb. *Chron.* *l.* 1. p 47. Equidem Aletes Heraclida Corintho potitus fuit: occupatæque fuerunt deinceps a Doriensibus Sicyon, Epidaurus, Trœzen, Megara & Ægina: unde postea in Asiam & alio coloniæ deductæ fuere: vide suis locis de his singulis.

Olymp. LXXV. Dorisdem Persæ, bello Persico, invaserunt quidem, sed nullo damno affecerunt: nam partes Persarum sequebantur Dorienses, Herodot. *l.* VIII. p. 538. Diodor. *l.* 11. p. 12.

Olymp LXXXI. Dorienses Lacedæmoniorum metropolim, Bœum, Cytinium & Erineon, bello adorti Phocenses, ex iis urbibus unam ceperunt; sed Lacedæmoniis opem ferentibus metropoli, eam restituere coacti fuerunt, Thucyd. *l.* 1. p. 69. 70. Τὸ μὲν οὖν πρῶτον βίᾳ χειρωσάμενοι (οἱ Φωκεῖς) τοὺς Δωριεῖς, κατέσχον αὐτῶν τὰς πόλεις. μετὰ δὲ ταῦτα Λακεδαιμόνιοι μὲν Νικομήδην τὸν Κλεομένους ἐξέπεμψαν βοηθήσοντα τοῖς Δωριεῦσι διὰ τὴν συγγένειαν, Diodor. *l.* 11. p. 60.

Olymp. LXXXVIII. Dorienses ab Oetæis gravissime vexati opem Lacedæmoniorum implorarunt, qui coloniam Heracleam deduxerunt, præsidio

futuram Doriensibus, Thucyd. *lib.* III. pag. 235.

Dores bello Phocico contra Phocenses arma tulerunt, Diodor. *l.* XVI. p. 430. Doricas urbes diripuit, & agrum vastavit Onomarchus Phocensium imperator, Diodor. *l.* XVI. p. 433.

Dorienses Atheniensium socii fuerunt bello Lamiaco, Diodor. *l.* XVIII. p. 595.

MELIENSES.

Meliensium sedes in Thessalia fuit. Μηλιεῖς οἱ ἐν Θετταλίᾳ, Stephan. Μετὰ Φωκεῖς εἰσὶ Μηλιεῖς, Scyl. Caryand. p. 131. Μηλιεῖς οἱ ξύμπαντές εἰσι μὲν τρία μέρη, Παράλιοι, Ἱερῆς, Τραχίνιοι, Thucyd. *l.* III. p. 235. Μηλὶς, πόλις Τραχῖνος, Schol. Callimach. *Hymn. in Delum*, v. 287. ubi dicitur ἱερὸν ἄστυ καὶ οὔρεα Μηλίδος αἴης. Μηλιέων quoque meminit Herodot. *l.* VII. p. 511. Λιμοδωριεῖς, qui in sinu Meliensi habitarunt, vocat Scylax Caryand. p. 131. Δίδυμος δὲ τοὺς περὶ τὴν Οἴτην κατοικοῦντας, οὕτω (Λιμοδωριεῖς) λέγεσθαι, διὰ τὸ λιμώττειν καὶ μοχθηρὰν ἔχειν ταύτην, Hesych. Sic appellatos Colonos e Peloponneso circa Rhodum & Cnidum scribit idem Hesych. Alias Λιμῷ Μηλίῳ proverbio dicitur; sed de Meliis, fame ad deditionem coactis ab Atheniensibus, vide Hesych.

Melienses cum Hercule militantes, Dryopiden, pulsis incolis, occuparunt: vide in *Dryopibus*.

Lamia urbs Thessaliæ Meliensium: eam dictam volunt alii a Lamio Herculis F. alii a Lamia fœmina, quæ Trachiniis imperavit. Ex ea dictum Bellum Lamiacum, Stephan.

TRACHINII. HERACLEOTÆ.

Trachis urbs Thessaliæ sub monte Oeta nomen accepit, διὰ τὴν τραχύτητα, Stephan. Περὶ τὸν χῶρον τοῦτον οὔρεα ὑψηλὰ καὶ ἄβατα περικληΐει πᾶσαν τὴν Μηλιάδα γῆν, Τρηχίνιαι πέτραι καλεόμεναι, Herodot. *l.* VII. p. 512. ipsa tamen urbs in plano sita fuit, teste Herodoto *ibidem*, Stephanus porro & Eustathius *in Iliad.* B. scribunt, ὑπὸ Ἡρακλέους κτισθεῖσα: quod sic accipi debet, Herculem aliquando illic habitasse. Ἡρακλέα ἐγκατῳκηκέναι κατὰ τοὺς ἀρχαίους χρόνους ἐν τῇ Τραχῖνι, Diodor. *l.* XII. p. 111. Σοφοκλῆς τὴν Τραχινίαν Φθιῶτιν εἴρηκεν, Strabo *l.* IX. p. 131. Μηλιέων τῶν ἐκ Τραχῖνος, Apollodor. *l.* II. p. 79. β. sic enim omnino legendum pro Μινυείων: ut & recte Ægius interpretatus est.

Ceyx Rex Trachiniorum Herculem hospitio accepit, moriensque Hercules suos liberos apud ipsum deposuit: eos Ceyx, rebus suis diffidens, metu Eurysthei ad Theseum Athenas misit.

Trachinii expeditionis Doriensium in Peloponnesum participes fuerunt: nam Lacedæmonios eorum ἀποίκους & συγγενεῖς vocat Diodor. *lib.* XII. pag. 111.

Olymp. LXXXVIII. 3. Trachinii cum finitimis Oetæis per annos multos bello disceptarunt, maximamque civium partem amiserunt. Exhausta igitur urbe, precibus a Lacedæmoniis, suis colonis, contendere, ut urbis curam susciperent. Lacedæmoniis vero, & quod gentiles essent, & quod Hercules sui generis auctor Trachine olim habitasset, amplam ex ea civitatem facere decreverunt. Ideo ex suæ civitatis & cæterorum Peloponnesiorum delectu IV. millibus conscriptis, receptisque, quicunque vellent, e reliqua Græcia, esse participes, coloniam illuc miserunt: numerusque eorum fuit non infra VI. millia: urbem vero ad eam amplitudinem provexerunt, ut X. millium virorum capax esset, eamque, distributo per sortem agro, Heracleam appellarunt, Diodor. *l.* XII. p. 111. Ex omnibus Græcis, præter Iones & Achæos, quicunque ire vellent, in hanc coloniam missi fuerunt; coloniæ duces & conditores fuerunt e Lacedæmoniis Leon, Alcidas & Damagon: urbemque e fundamentis excitatam muro cinxerunt, ut Trachimis adversus Oetæos, & Doriensibus adversus finitimos præsidium esset, Thucyd. *l.* III. p. 235. Non tamen in eo loco Heraclea sita fuit, quo Trachin. διέχει δὲ τῆς ἀρχαίας Τραχῖνος περὶ ἓξ σταδίους ἡ Ἡράκλεια, Strabo *l.* IX. p. 428.

Heraclea urbs Thessaliæ, Stephan. Ἡράκλεια, ἡ Τραχὶν καλουμένη πρότερον, Λακεδαιμονίων κτίσμα, Strabo *l.* IX. p. 428.

> Ἔνθα παρὰ αὐτοῖς (Δωριεῦσιν) Ἡράκλει' ἐστὶ πόλις,
> Ἣν οἱ Λάκωνες μυρίους οἰκήτορας
> Πέμψαντες, εἰς Τραχῖνα πρότερον, ἔκτισαν.

Marcian. Περ. p. 25.

Heracleotæ a Thessalis, in quorum agro urbs condita fuit, præpotentes accolas metuentibus, assiduo bello premebantur, donec attriti ad paucissimos redigerentur, qui ab initio plurimi fuerant, Thucyd. *l.* III. p. 236.

Heracleotarum res maxime labefactarunt ipsi Lacedæmoniorum magistratus, urbe infrequente reddita, quod illuc profecti asperius nonnullis in rebus imperarent, Thucyd. *l.* III. p. 236.

Olymp. XCI. I. Heracleotæ commisso cum Ænianibus, Dolopibus, Meliensibus, & nonnullis Thessalis, prælio, victi fuerunt, multis cæsis una cum duce Xenare Lacedæmonio, Thucyd. *l.* V. p. 381. Diodor. *l.* XII. p. 125.

Heracleotæ victi, & amissa magna militum parte intra mœnia compulsi præsidium a Bœotis arcessiverunt, acceptisque ab iis M. gravis armaturæ militibus, eorum ope hostem repulerunt, Diodor. *l.* XII. p. 125. Cumque ipsorum res post prælium illud accisæ deteriores quotidie fierent, a Bœotis in fidem recepti fuerunt, Hegesippida Lacedæmonio, tanquam res male administrante, urbe pulso. Verebantur autem Bœoti, ne Lacedæmoniis circa res Peloponnesiacas occupatis, Athenienses urbem occuparent. Eam tamen rem iniquo animo ferebant Lacedæmonii, Thucyd. *l.* V. p. 381.

Olymp. XCV. 2. Heracleæ ortam seditionem Eripidas a Lacedæmoniis missus composuit, auctoresque seditionis comprehensos, qui circiter quingenti erant, omnes morte mulctavit, Diodor. *lib.* XIV. p. 266.

Olymp. XCVI. 2. Heracleam Bœoti cum Argivis, per noctem intra mœnia quorundam opera deducti, occuparunt, & quicquid illic Lacedæmonii nominis erat, trucidarunt: reliquos vero Peloponnesios cum rebus suis discedere passi sunt. Inde Trachiniis, qui antiquissimi regionis incolæ, sed a Lacedæmoniis patriis sedibus pulsi fuerant, ab exsilio revocatis urbem habitandam tradiderunt, Diodor. *l.* XIV. p. 301.

Olymp. CII. 3. Heracleam proditione captam Jason Pheræorum Tyrannus evertit, agrumque Oetæis & Meliensibus dedit, Diodor. *l.* XV. p. 371. ita Oetæorum facta Heraclea: unde Heracleotas Oetæos vocat Diodor. *l.* XVIII. p. 595.

Heracleam Ætoli adversus Gallos tutati sunt; ager tamen a Gallis vastatus fuit, hominesque in eo deprehensi, occisi fuerunt, Pausan. *Phocic.* pag. 647.

Heracleotæ ob Ætolis in Concilium Ætolicum se contribuere coacti fuerunt, Pausan. *Phocic.* p. 647. Sed Heracleam Ætolis Acilius ademit, armis

captam una cum principibus Ætolorum, Livius *l.* XXXVI.

Heracleam Achæi, duce Critolao, oppugnarunt, recusantem se Concilio Achaico adjungere; sed audito Metelli adventu, inde metu profugerunt, Pauſ. *Achaic.* p. 424.

DORIENSES. HESTIÆOTÆ, vel HISTIÆOTÆ.

DOres ſub Doro, Hellenis filio, eam regionem, quæ Heſtiæotis dicta fuit poſtea, ſed tum Doris vocabatur, incoluerunt: vide in *Dorienſ.* metropol.

Cadmei Dorienſes ex Heſtiæotide expulerunt: vide in *Dorienſ.* metropol. Θηβαῖοι (Thebis a Therſandro captis profugi) ἐπὶ πολὺ διελθόντες, πόλιν Εςιαίαν κτίσαντες κατῴκησαν, Apollod. *l.* III. p. 106.

Hiſtiæenſes ex Eubœa a Perrhæbis huc pertracti, nominis Heſtiæotidis auctores fuerunt: κατασχόντων δὲ τῶν Περραιβῶν αὐτὴν (Δωρίδα) οἱ ἐκ τῆς Εὐβοίας τὴν Ιςιαιῶτιν κατεςρέψαντο, καὶ τοὺς ἀνθρώπους εἰς τὴν ἤπειρον ἀνέστασαν, διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐποικησάντων Εςιαίων, τὴν χώραν ἀπ' ἐκείνων οὕτως ἐκάλεσαν, Strabo *l.* IX. p. 437. Ιςιαία Θετταλικὴ μοῖρα, Stephan.

MALIENSES.

MAlieus urbs Malienſium nomen accepit a Malo Amphictyonis filio, vel Amyro Bœoti filio, Stephan. Μετὰ Μηλιεῖς, Μαλιεῖς ἔθνος. ἔςι δὲ Μαλιεῦσιν ἡ πρώτη πόλις Λαμία, Scyl. Car. p. 131.

Malienſes cum Theſſalis Gallos e Græcia fugientes ad internecionem uſque ceciderunt, Pauſan. *Phocic.* p. 655.

Malienſes cum Theſſalis cenſeri juſſit Auguſtus Imperator, Pauſan. *Phocic.* p. 622.

DRYOPES. MELIENSES & DORIENSES

DRyops Apollinis filius huic populo nomen dedit, Pauſ. *Meſſen.* p. 281. 282. Dryopes circa Oetam habitantes a Dryope Eurypyli filia nomen accepiſſe ſcribit Stephanus: καλεῖται Δρυοπὶς ἡ χώρα ὅλη, ea in qua eſt Ambracia, & Minervæ fanum, Dicæarch. p. 164. Εςι καὶ Δρυοπία τῶν Δρυόπων περὶ Τραχῖνα, Stephan. Dryopes erant olim Lycoritis finitimi, Parnaſſi accolæ, Pauſan. *Meſſen.* p. 281. Dryopes vel circa Sperchium fl. vel circa montem Parnaſſum habitaſſe ſcribit Strabo *l.* VIII. p. 373. Schol. Apollon. *Argon. l.* I. Theſſaliam a ſuo Rege Dryopidem cognominatam fuiſſe auctor eſt Plinius *l.* IV. c. VII. Δρυοπία, λῃςρικὸν τὸ ἔθνος, ὁμοροῦν τοῖς Μηλιεῦσιν, teſte Pherecyde *l.* III. Schol. Apoll. *Argon. l.* I. v. 1212.

Dryopes, gentem injuſtam circa Parnaſſum, quam devictam Hercules in Peloponneſum tranſtulit, nomen accepiſſe a Dryope Lycaonis & Diæ Lycaoneæ filio, ſcribit Schol. Apol. *l.* I. v. 1218. Pherecydes *l.* II. ait Penei fl. filium fuiſſe Dryopem e Polydora Danai filia, a quo appellati ſunt Dryopes, Schol. Apollon. *Arg. l.* I. p. v. 1212.

Laogoras Dryopum Rex, Lapitharum ſocius, vir improbus, cum filiis in luco Apollinis epulans, ab Hercule occiſus fuit, Dryopeſque debellati, Apollod. *l.* II. p. 79. *a.*

Theodamantem Dryopum Regem educto Dryopum exercitum eo neceſſitatis adegiſſe Herculem, ut etiam Deianiram uxorem armaret: Herculem vero victorem Theodamantem occidiſſe, ejuſque filio Hyla ſuſcepto, totam Dryopum gentem ob latrocinia traduxiſſe circa Trachinem urbem Theſſalicam, & montem Oetam, ad fines Phocidis, ut mixti multis hominibus, latrocinandi more abſtinerent, ſcribit Schol. Apoll. *d. l.*

Dryopes, Phylante regnum obtinente, prælio ab Hercule victi, Delphos abducti, & Apollini devoti fuerunt, Pauſan. *Meſſen.* p. 281. Φύλαντος τοῦ Δρυόπων βασιλέως, δόξαντος εἰς τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν παρανενομηκέναι, (Hercules) ςρατεύσας μετὰ τῶν Μηλιέων, τόν τε βασιλέα τῶν Δρυόπων ἀνεῖλε, καὶ τοὺς ἄλλους ἐκ τῆς χώρας ἐξαναςήσας, Μηλιεῦσι παρέδωκε τὴν χώραν, Diodor. *l.* IV. p. 242. Ipſi Dryopes fatentur quidem ſe ab Hercule prælio ſuperatos; ſed ad Apollinis pertractos captivos negant: muris enim expugnatis ab Hercule, oppido deſerto ſe diffugiſſe narrant ad Parnaſſi juga: ac mox cum in Peloponneſum navibus tranſmiſiſſent, Euryſthei opem ſupplices imploraſſe: & ab illo quidem, Herculis odio, Aſinen ſibi in Argolica terra traditam, Pauſ. *Meſſen.* p. 282. Alii Dryopum Hermionem ad Cardamylam Laconicam ſitam tenuerunt, poſtquam ab Hercule & Melienſibus ſuis ſedibus pulſi fuerant, Herodot. *l.* VIII. p. 542. 553. Alii Eionem in Peloponneſo domicilium acceperunt. Οἱ δὲ λοιποὶ τῶν Δρυόπων καταφυγόντες ἐπὶ τὸν Εὐρυσθέα, βοηθείας ἔτυχον διὰ τὴν ἔχθραν τὴν πρὸς Ηρακλέα. τούτου γὰρ αὐτοῖς συνεργοῦντος, τρεῖς πόλεις ᾤκησαν ἐν Πελοποννήσῳ, Ασίνην, καὶ Ερμιόνην, ἔτι δ' Ηιόνα, Diodor. *l.* IV. p. 242. Δρυοπίδα τε τετράπολιν γεγονυῖάν ποτε, καθάπερ καὶ τὴν Δρυοπίδα, μητρόπολιν δὲ τῶν ἐν Πελοποννήσῳ Δρυόπων νομιζομένην, Strabo *l.* IX. p. 538. Alii Dryopum, cum paulo longius ab urbe habitarent, pugnæ adverſus Herculem non interfuerunt quidem, ſed tamen relictis ſedibus ſuis in Eubœam conceſſerunt, Pauſ. *Meſſen.* p. 282. Caryſtumque illic condiderunt. Τῶν δ' ἐκπεσόντων Δρυόπων, οἱ μὲν εἰς τὴν Εὔβοιαν καταντήσαντες ἔκτισαν πόλιν Κάρυςον, Diodor. *l.* IV. p. 242. & Styra, Herodot. *l.* VIII. p. 543. & Cynthum, idem *ibid.* Alii Dryopum in Cyprum conceſſerunt: Οἱ δ' εἰς Κύπρον τὴν νῆσον πλεύσαντες, καὶ τοῖς ἐγχωρίοις ἀναμιχθέντες, ἐνταῦθα κατῴκησαν, Diodor *l.* IV. p. 242.

Dryopes & Bebryces loca circa Abydum occuparunt, Strabo *l.* XIII. p. 587.

Dryopidem ſubactam Melienſibus dedit Hercules, Diodor. *l.* IV. p. 242. Dryopis a Dorienſibus occupata, Doris appellata fuit, Herodot. *lib.* VIII. p. 538. E Dryopide Dorienſes in Peloponneſum conceſſerunt, Herodot. *libr.* I. p. 23. & *libr.* VIII. pag. 542.

LAPITHÆ.

OCeanus e Thetye filium habuit Peneum, Diodor. *l.* IV. p. 271.

Peneus in ea, quæ poſtea Theſſalia dicta fuit, habitavit, & Peneum fl. de ſuo nomine appellavit Diodor. *l.* IV. p. 271. Peneo e Creuſa Nympha natus fuit Hypſeus, & filia Stilbe, Diodor. *l.* IV. p. 371. Hypſei filia Cyrene ex Apolline Ariſteum peperit, Diodor. *l.* IV. p. 280.

Stilbe ex Apolline peperit Lapitham & Centaurum, Diodor. *l.* IV. p. 271. Sed Lapithas Æoli filius dicitur eidem Diodoro *l.* V. p. 347.

Lapithas vicinos Peneo fl. tractus in poteſtate habuit. Οἱ δὲ σύμπαντες λαοὶ ἀπὸ Λαπίθου Λαπίθαι προσηγορεύθησαν, Diod. *l.* IV. p. 271. Λαπίθη πόλις Θεσσαλίας. ἀπὸ Λαπίθου τοῦ Περίφαντος, Steph. Fuit vero Periphas non pater, ſed filius Lapithæ, ergo non υἱοῦ, ſed πατρὸς intellige in Stephano. Lapithas ducta uxore Orſinome Eurynomes filia genuit Phorbantem & Periphantem, Diodor. *lib.* IV. p. 271.

Phor-

Phorbas Olenum concessit, Diodor. *lib.* IV. p. 271. A vide in *Oleniis*. Phorbantem Lapithæ F. cum pluribus aliis in Thessalia commorantem, & terram habitationi commodam quærentem, in Rhodum insulam, a Rhodiis jussu Apollinis arcessitum, commigrasse idem scribit *lib.* I. p. 329. Habuit & Lapitha filiam Diomeden, quæ Amyclæ nupsit, materque fuit Cynortæ & Hyacinthi, Apollod. *lib.* III. p. 114. α.

Periphas ex Astyagæa Hypsei filia pater octo liberorum fuit, quorum primus Antion fuit, Diodor. *lib.* IV. p. 272.

Antion e Perimela Amythaonis filia Ixionem genuit, Diodor. *lib.* IV. p. 272. Τὸν δὲ Ἰξίονα οἱ μὲν B Ἀντίωνος γενεαλογοῦσιν, ὡς Αἴσχυλος, Φερεκύδης δὲ Πεισίωνος. ἔνιοι δὲ Ἄρεος. οἱ δὲ Φλεγύα, Schol. Pindar. *Pyth.* ode II. epod. I.

Ixion ex Hesionei (Deionei, Schol. Pindar. *Pyth.* ode II. epod. I.) filia Dia Pirithoum sustulit, Diodor. *lib.* IV. p. 272. Ixion & Pirithous Perrhæbos victos in regionem Peneo fl. vicinam & mediterraneam compulerunt, eorumque sedes ipsi occuparunt, Strabo *lib.* IX. p. 437. Habitarunt Lapithæ alicubi permixti Perrhæbis, sed Perrhæbos oppresserunt Lapithæ, Strabo *lib.* IX. p. 440. Ixionem Regem Thessaliæ fuisse, & Larissæ habitasse scribit Palæphat. περὶ Ἀπίς. C Ixion Hesioneum (Deioneum, pro more dona, tanquam socerum, ab Ixione violentius flagitantem, Schol. Pindar.) socerum ad se arcessitum, in foveam igni plenam dejecit: tandemque ob flagitiorum magnitudinem rotæ a Jove alligatus, sempiternis post mortem cruciatibus addictus fuit, Diodor. *lib.* IV. p. 272. Ixionem post cædem Deionei a Jove, recusantibus reliquis diis, expiatum de cæde, & in cælum subductum & commensalem factum, tantæ gratiæ immemorem, stuprum Junoni inferre conatum fuisse, sed delusum a Jove, pro Junone, nubem substituente, ex ea sub forma Junonis procreasse agre- D stem ac portentosum virum Centaurum: & tandem a Jove manibus pedibusque rotæ alligatum fuisse, quam Jupiter perpetuo mobilem fecerat, Schol. Pindar. *Pyth.* ode II. epod. I.

Pirithous Pelium montem occupavit, Centauris, gente fera, inde vi pulsis, Homer. *Iliad.* B. vers. 745.

Ἐκ τοῦ Πηλίου ὦσε, καὶ Αἰθίκεσσι πέλασσε,

& campos Lapithis tradidit, Strabo *lib.* IX. p. 439. A Pirithoo Centauri partem paternæ ditionis (nam Ixione natos fuisse quidam perhibent) exegerunt: E repulsam passi, ipsi & Lapithis bellum intulerunt: quo confecto, Pirithous ad suas, & Hippodamiæ Bysti filiæ nuptias, eos ac Theseum invitavit. Centauri vero vino repleti fœminis, quæ convivio intererant, vim afferre cœperunt: sed Theseus & Lapithæ, ea irritati contumelia, eorum non paucos obtruncarunt, reliquis urbe pulsis, Diodor. *lib.* IV. p. 272. Pirithous socius fuit venationis apri Calydonii: vide in *Calydoniis*. Pirithous Thesprotici Regis uxorem rapere conatus fuit. Vide in *Athenienf. Theseus*. Pirithous ad rapiendam Proserpinam descendisse fertur ad inferos: vide in *Athen. Theseus*. F

Polypœtes Pirithoi F. procorum Helenæ unus fuit: vide in *Lacedæm. Tyndareus*: sub Polypœte erant in exercitu contra Trojanos,

Οἵ δ' Ἄργισσαν ἔχον καὶ Γυρτώνην ἐνέμοντο,
Ὄρθην, Ἠλώνην τε, πόλιν τ' Ὀλοοσσόνα λευκήν.

Homer. *Iliad.* B. v. 738. seq. Polypœtes autem dictus fuit, quasi Πολυποινήτης per syncopen, διὰ τὸ πολλοῖς τῶν Κενταύρων ἐπιθεῖναι ποινήν, ὅ ἐστι τιμωρίαν quando in nuptiis matris ipsius Melanippes (Hippodameæ Homer. *Iliad.* B. v. 743.) vim facere aggressi sunt, Schol. min. *Iliad.* B. & Eustath. Aristotelis in Polypœtem & Leonteum exstat Epitaphium;

Ἄρχοντες Λαπιθῶν Πολυποίτης ἠδὲ Λεοντεὺς
Ἐν γαίῃ Μήδων πέρμ' ἀφίκοντο βίου.

CENTAURI.

Centaurus Lapithæ frater huic genti nomen dedit: quidam tradunt Centauros Nephele & Ixione prognatos, quod principes equitandi studium aggressi fuerint, inde nomen Hippocentaurorum retulisse: & inde figmentum de duplici natura in fabulam abiisse: fabulantur enim quidam Jovem Ixioni Junonis concubitum appetenti, spectrum nubis Junonis loco subjecisse, quo ille inito Centauros ex parte homines (ἀνθρωποφυεῖς) procreavit: quidam Centauros in Pelio a Nymphis educatos, adulta post ætate ex equarum inscensu biforme Hippocentaurorum genus proseminasse, Diodor. *lib.* IV. p. 271. 272. Centaurum Ixione & Nephele natum cum equabus Magnesiis in Pelii vallibus concubuisse, indeque natam gentem mirabilem, matri inferius, patri superius similem scribit Pindar. *Pyth.* ode II epod. II. Δῆλον δ' ὅτι Κένταυροι μὲν ἐκλήθησαν, διότι ταύρους ἀγριωθέντας, καὶ πολλὰ περὶ Θετταλίαν βλάπτοντας κατηκόντισαν. ἐνομίσθησαν δὲ σύνθετοι ἐξ ἵππων καὶ ἀνδρῶν, διότι ἁρματηλατεῖν ἀφυεῖς, κελητίζειν ἐπετηδεύσαντο, ἤγουν ἀζεύκτοις ἵπποις ἐποχεῖσθαι, Eustath. *in Iliad* A. Εἰσί γε μὴν, οἳ τὸν ὅλον μῦθον παρεγκεχειρήκασιν, ὡς οὐ διφυῶν γεγονότων. Λέγεται γὰρ φασι πρότερον αὐτοὺς προσαγορευομένους, διὰ τὸ ἀποκεντῆσαι ἐξ ἵππων τοὺς ταύρους, (sic enim lege, pro ἵππους, ex Eustath. & Palæphat.) προσαγορευθῆναι Ἱπποκενταύρους. οἱ δὲ ὅτι ἵπποις κέλησιν ἐποχηθέντες, πρῶτοι πάντων τοῦτο διεπράξαντο, Schol. Pindar. *Pyth.* ode II. epod. II. Sed vide imprimis Palæphat. περὶ Ἀπίς. fabulam hanc de Centauris & Ixione explicantem. De Centauris vide etiam in *Lapithis Pirithous*. Centauris multis a Pirithoo & Lapithis cæsis, superstites in Phloen Arcadiæ, sic ab uno Centaurorum denominatam, aufugerunt, & illic contra Herculem bellum gesserunt, Schol. Pindar. *Pyth* ode II. epod. II.

Nessus Centaurus ad Euenum fl. habitans justitiæ mercedem a Diis pactus fuit munus transvehendi viatores per fluvium. Deianiram vero transvecturus, ei vim afferre aggressus fuit, sed clamantis Deianiræ voce exaudita Hercules, Nessum occidit. Nessus moriens Deianiræ persuasit, philtrum confici ex semine in terram effuso & cruore e vulnere manante, Apollod. *lib.* II. p. 78. β

Chiron Centaurus a Lapithis e Pelio monte pulsus, ad Maleam habitavit, Apollod. *lib.* II. p. 61. β. Chironi Æsculapius alendus traditus fuit, Apoll. *lib.* III. p. 115. Pindar. *Pyth.* ode III. init. & epod. II. ubi vocatur Μάγνης Κένταυρος: & Jason, Pindar. *Pyth.* ode IV. epod. V. & Achilles, Apollod. *lib.* III. p. 127. Habuit præterea discipulos venationis, & aliarum honestarum rerum, Cephalum, Melanionem, Nestorem, Amphiaraum, Peleum, Telamonem, Meleagrum, Theseum, Hippolytum, Palamedem, Ulyssem, Mnestheum, Diomedem, Castorem, Pollucem, Machaonem, Podalirium, Antilochum, Æneam, quorum quisque suo tempore a Diis ornatus fuit, Xenoph. *de Venat.* init. Chironem Phillyra, una Oceanidum, & Saturno natum ferunt, Schol. Pindar. *Pyth.* ode III. init. ubi eum Φιλλυρίδαν Οὐρανίδα γόνον εὐρυμέδοντα vo-

cat Pindarus. Chironis filiam Endeidem uxorem habuit Æacus, Apollod. *lib.* III. p.122 *β*.

ÆTHICES.

ÆThices habitarunt in Thessalia in monte Pindo. Marsyas vero eorum sedes fuisse scribit medio loco inter Tymphæam; & Athamaniam, Stephan. Πλησίον δ' ἤδη τῆς τε Μακεδονίας καὶ τῆς Θετταλίας περὶ τὸ Ποῖον ὄρος καὶ τὴν Πίνδον, Αἴθικες καὶ αἱ τοῦ Πηνειοῦ πηγαὶ, Strabo *lib.* VII. p.327. Αἴθικες, Θεσσαλικὸν ἔθνος, ὑπερκείμενον τῆς Ἠπείρου. κατὰ δέ τινας, Μακεδονικόν· κατὰ δὲ ἑτέρους, Περραιβικόν. Αἴθικες δ' ἐν Θετταλίᾳ ᾤκουν ἐν τῷ Πίνδῳ ὄρει, Eustath. *in Iliad.* B. vide & Schol. min.

Ad Æthices Centauros Pirithous compulit: vide in *Lapithis*.

Æthices Barbari, & latrociniis dediti erant, Stephan. Eustath. *in Iliad.* B.

Æthices postea in Thessalis censeri cœpti sunt, Strabo *lib.* IX. p.434.

Æthicum gens intercidit. Ἐκλελοιπέναι δὲ νυνὶ ἱστοροῦνται, Strabo *lib.* IX. p.434.

ÆOLES.

ÆOlus, unus cognomento Jupiter, alius Neptunus dicitur Pausaniæ: qui tamen unum eundemque facere videtur, quando Amythaonem Æoli Neptuni nepotem, Endymionem Æoli Jovis nepotem ἀνεψιὸν πρὸς πατρὸς vocat *Eliac. pr.* p 300. Sed longe verisimilius est, diversos fuisse: & Æolum Neptunum, qui Crethei pater, Amythaonis avus fuerit, posteriorem omnino esse puto Æolo Jove, qui Aethlii pater, Endymionis avus dicitur. Certe Æoli, qui filius Hellenis fuerit, filios fuisse Cretheum & Perierem, ratio temporum non patitur: horum enim nepotes expeditioni Argonauticæ interfuerunt: cum Xuthi, fratris filius Jon σύγχρονος Erechthei, cujus filia uxorem habuit, eam expeditionem integro seculo præcedat. Itaque hæc ita concilianda puto.

Æolus Hellenis filius (cognomento Jupiter) in Thessalia regnavit, quosque suo imperio continebat, Æoles appellavit, Apollod. *lib.* I. pag. 14. *α*. Æolisque ea regio vocata fuit. Τὴν πότε μὲν Αἰολίδα, νῦν δὲ Θετταλίαν καλουμένην, Diodor. *lib.* IV. p. 269. Regni sedes Jolcus fuit, Pindar. *Pyth.* ode IV. antistr. V.

——— τάν ποτε (ἀρχὰν Ἰωλκοῦ)
Ζεὺς ὤπασεν λαγέτᾳ.
Αἰόλῳ καὶ παισὶ τιμάν.

Ἰαωλκὸν vocat Homerus *Iliad* B. v.712. & ab Jaolco Amyri F. nomen accepisse scribit Eustathius, Ἰωλκὸν πόλις Θεσσαλίας, Schol. min. *Iliad* B. Æoli Jovis filius fuit Aethlius, Pausan. *Eliac pr.* p.300. vide in *Eleis*. Æoli hujus quoque filius fuit Mimas, Diodor. *lib.* IV. p 269. item Deion: & filia Calyce, Apollod. *lib.* I. p. 14. *α*. *β*. De Deione vide in *Phocensibus*. Canaces filii e Neptuno fuerunt Aloeus & Epopeus, Apollod. *lib.* I. p.14. *β*. De Epopeo vide in *Sicyon.* & *Corinth.* Sed Æetes & Aloeus fratres dicuntur, Helii filii, & Epopeus Aloei filius, apud Pausan. *Corinth.* pag 91 Calyce Aethlio Endymionem peperit, Apollod. *lib.* I. p. 15. *β*. De Ormeno vide in *Ormeniis*.

Mimas Æoli F. solus ex Æoli filiis in Æolide (quæ postea Bœotia dicta fuit) regnavit, Diodor. *lib.* IV. p.269. vide in *Bœotis*.

Hippotes Mimantis F. Diodor. *lib.* IV. p.269.

Æolus (secundus, cognomento Neptunus) filium habuit Lapitham, Diodor. *lib.* V. p. 347 & filiam Arnen, Diodor. *lib.* IV. pag.269. Æoli (quoque hujus, ut puto) fuerunt filii ex Enarete Deimachi filia, Cretheus, Magnes & Perieres, Apollod. *lib.* I. pag. 14. *α*. *β*. Æoli filius fuit Cercaphus Ormeni pater, Scepsius apud Strabon. *lib.* IX. pag. 438. De Sisypho vide in *Corinthiis*. De Athamante in *Alusiis*. Salmoneus primum quidem in Thessalia habitavit, Apollod. *lib.* I. pag. 23. *α*. Inde in Eleam commigravit: vide in *Eleis*. De Magnete in *Magnetibus* & *Seriphiis*. De Periere in *Messeniis*. Canace mater Triopæ, filia Æoli, Scholiast. Callimachi *Hymn. in Cerer.* ad verba Triopæ alloquentis Neptunum, v. 98. seqq.

Ψευδοπάτωρ, ἴδε τόνδε τεοῦ τρίτον. εἴπερ ἐγὼ μὲν
Σεῦ τε καὶ Αἰολίδος Κανάκης γένος.

Ita Æolum nomen late diffusum fuit, ut illo comprehenderentur Elei in Peloponneso, & extra Isthmum Acarnanes, Phocenses, Bœoti, Ætoli, Locri. Πάντες γὰρ οἱ ἐκτὸς Ἰσθμοῦ, πλὴν Ἀθηναίων καὶ Μεγαρέων, καὶ τῶν περὶ τὸν Παρνασσὸν Δωριέων, καὶ νῦν ἔτι Αἰολεῖς καλοῦνται, Strabo *lib.* VIII. p.333. Ἠλείους τοῦ Αἰολικοῦ γένους ὄντας, Strab. *lib.* VIII. p.333. Οὕτω δὲ Αἰολικοῦ ἔθνους ἐπικρατήσαντος ἐν τοῖς ἐκτὸς Ἰσθμοῦ, καὶ οἱ ἐντὸς Αἰολεῖς πρότερον ἦσαν, Strab. *lib.* VIII. pag. 333. Achæos quoque Æolicam gentem vocat Strabo: vide in *Achæis*. De Æolibus Asiaticis vide suo loco.

Cretheus Æoli F. patri in Jolci imperio successit. Κρηθεὺς κτίσας Ἰωλκὸν, Apollod. *lib.* I. p.24. *β*. Uxorem duxit Tyro Salmonei filiam, e qua illi nati fuerunt Æson, Amythaon & Pheres, Apollod. *lib.* I. pag. 24. *β*. De Amythaone vide in *Pyliis*: de Pherete in *Pheræis*. Eadem Tyro Salmonei filia, cum apud Cretheum aleretur, compressa a Neptuno Peliam, & Neleum peperisse fertur, Apollod. *lib.* I. p.23. *α*. *β*. Argum. Apollon. *Argon.* Pelias Τυροῦς ἐρασιπλοκάμου γενεά, & παῖς Ποσειδᾶνος Πετραίου dicitur Pindaro *Pyth.* ode IV. eod. VI. De Neleo vide in *Pyliis*. Æson uxorem habuit Polymeden Autolyci filiam, Apollod. *lib.* I. p.27. *β*. & Herodot. apud Schol. Apollon. Amphinomen, Diod. *lib.* IV. p. 153. Alcimedam Iphicli sororem, Phylaci filiam, Pherecyd. apud Schol. Apollon. & ipse Apollon. *Argon. lib.* I. v.45.46. Theogneten Laodici filiam, Andron apud Schol. Apollon. *lib.* V. p.5. Ex uxore filium habuit Jasonem, qui educandus Chironi traditus fuit, utque ab eo artem Medicam disceret, Argum. Apollon. *Argon.* Parentes enim Jasonis, metu Peliæ, puerum, quem mortuum simulabant, noctis beneficio usi, clam miserunt ad Chironem, Pindar. *Pyth.* ode IV. epod. V.

Pelias Neptuni, & Tyrus filius post Cretheum Jolci regnavit, Apollod. *lib.* I. p.27. *β*. Æson enim paternum imperium Peliæ fratri concessit, donec a Chirone rediret Jason, Argum. Apollon. *Argon.* At Pindarus violenter Æsoni ereptum refert, *Pyth.* ode IV. epod. I.

Πεύθομαι γὰρ μιν Πελίαν ἀθεμιν
Λευκαῖς πιθήσαντα φρεσὶν
Ἀμετέρων ἀποσυ-
λᾶσαι βιαίως ἀρχεδικᾶν τοκέων.

Cum Pelia de regno contendisse Neleum scribit Diod. *lib.* IV. p.270. Peliæ nati fuerunt ex Anaxibia Biantis filia, vel Philomache Amphionis filia, Acastus, Pisidice, Pelopea, Hippothoe & Alcestis, Apollod. *lib.* I. pag. 24. Peliæ filiæ fuerunt quoque Amphinome, quæ Andræmoni, Leontei fratri, & Euadne, quæ Canæ Cephali filio, Phocensium Regi nupsit: Alcestis vero Admeti Thessali Pheretis filii uxor fuit, Diodor. *lib.* IV. pag. 255 256. Peliæ oraculum de successore consulenti respondit Apollo, cavendum ipsi esse ab eo, qui alteri tan-

tum pedi calceum induisset, Apollod. *l.* I. p. 27. β. Pindarus *Pyth.* ode IV. strophe IV.

Ηλθε δέ οἱ χρυσέν
Πυκινῷ μαντεῦμα θυμῷ,
Παρὰ μέσον ὀμφαλὸν εὐ-
δενδροιο ῥηθὲν ματέρος,
Τὸν μονοκρηπῖδα πάντως
Ἐν φυλακᾷ σχεθέμεν μεγάλᾳ
Εὖτ' ἂν αἰπεινῶν ἀπὸ
Σταθμῶν ἐς εὐδείελον
Χθόνα μόλῃ κλειτᾶς Ἰωλκῦ
Ξεῖνος, αἴτ' ὦν ἀστός.

Apollon. *Argon.* l. I. v. 5. seqq.

Τοίην γὰρ Πελίης φάτιν ἔκλυεν, ὥς μιν ὀπίσσω
Μοῖρα μένει στυγερὴ τοῦδ' ἀνέρος, ὅν τιν' ἴδοιτο
Δημόθεν οἰοπέδιλον, ὑπ' ἐννεσίῃσι δαμῆναι.

Paulo post cum in littore Pelias Neptuno sacra faceret, præter alios multos, Jasonem etiam Æsonis F. ad sacrificium vocavit. Jason autem, quod rei rusticæ desiderio teneretur, ruri agebat: properans vero ad ea sacra, cum Anaurum amnem trajiceret, alterum in amnis alveo calceum amisit, Apollod. *l.* I. p. 27. β. 28. α. Apollon. *Argon.* l. I. v. 48. seqq.

Δηρὸν δ' οὐ μετέπειτα τεὴν κατὰ βάξιν Ἰήσων
Χειμερίοιο ῥέεθρα κιὼν διὰ ποσσὶν Ἀναύρου,
Ἄλλο μὲν ἐξεσάωσεν ὑπ' ἰλύος, ἄλλο δ' ἔνερθε
Κάλλιπεν αὖθι πέδιλον ἐνισχόμενον προχοῇσιν
Ἵκετο δ' ἐς Πελίην αὐτοσχεδὸν, ἀντιβολήσων
Εἰλαπίνης, ἣν πατρὶ Ποσειδάωνι, καὶ ἄλλοις
Ῥέζε θεοῖς. Ἥρης δὲ Πελασγίδος οὐκ ἀλέγιζεν.

Pelias conspecto Jasone, oraculum mente revolvit, ac tunc quidem tacuit: sed postero die arcessitum ad se Jasonem percontatus est, quid facturus esset, si ab oraculo didicisset, se a cive quodam occisum iri. Jason vero respondit: se Colchos eum missurum, ut vellus aureum ab Æeta adferret. Atque hoc Jasoni Juno suggessit, ut Medea calamitas futura Peliæ veniret, Schol. Pindar. *Pyth.* ode IV. Jason vero cognatis suis Pherete Amythaone, Admeto & Melampode stipatus, regnum a Pelia repetiit. Pindar. *Pyth.* ode IV. antistr. VII.

— *μῆλά τε γάρ τοι ἐγὼ*
Καὶ βοῶν ξανθὰς ἀγέλας ἀφίη-
μ', ἀγρούς τε πάντας, τοὺς ἀπούρας
Ἁμετέρων τοκέων
Νέμεαι, πλοῦτον πιαίνων.
Κοὔ με πονεῖ τεὸν οἶ-
κον ταῦτα πορσύνοντ' ἄγαν,
Ἀλλὰ καὶ σκᾶπτον μόναρχον,
Καὶ θρόνος, ᾧ ποτε Κρηθεΐδας
Ἐγκαθίζων ἱππόταις
Εὔθυνε λαοῖσι δίκας.
Τὰ μὲν ἄνευ ξυνᾶς ἀνίας
Λῦσον ἄμμιν, μή τι νεώτερον ἐξ
Αὐτῶν ἀναστήσῃ κακόν.

At Pelias jurejurando pollicitus fuit se regnum Jasoni restituturum, simulac e Colchis cum vellere aureo rediisset: se enim Oraculum Delphicum consuluisse, & ex eo didicisse, Jasoni eam expeditionem celerrime suscipiendam esse. Nec cunctatus Jason per præcones navigationem indixit, Pindar. *Pyth.* ode IV. epod VII. stroph. & antistr. VIII. *Ἰάσωνα, ῥώμῃ δὲ σώματος καὶ ψυχῆς λαμπρότητι διενέγκαντα τῶν ἡλικιωτῶν, ἐπιθυμῆσαί τι πρᾶξαι μνήμης ἄξιον. ὁρῶντα δὲ τὸν πρὸ αὐτοῦ* (*progenitorem suum* perperam vertit Rhodaman.) *Περσέα, καί τινας ἄλλους, διὰ τὰς ὑπερορίους στρατείας καὶ τὸ παράβολον τῶν ἄθλων,*

A *δόξης ἀειμνήστου τετυχηκότας, ζηλῶσαι τὰς προαιρέσεις αὐτῶν*: atque hoc incitamentum ad suscipiendam illam expeditionem Jasoni fuisse scribit Diodorus *l.* IV. p. 244. 245. Nomina in illam dederunt, Orpheus Oeagri Thracis & Calliopes F. Asterion Cometæ F. Polyphemus Larissæus Elati F. Iphiclus Phylacensis Phylaci F. Admetus Pheræus Pheretis F. Erytus & Echion Alopenses Mercurii ex Antianira Menetcide FF. Æthalides Mercurii ex Eupolemea Phthiotica F. Coronus Gyrtonius Cænei F. Mopsus Titaresius Ampyci F. Eurydamas Ctimenius Ctimeni F. Menœtius Opuntius Actoris F. Eurytion Iri Actoridæ F. Eribotes Teleontis F. Oileus, Can-
B thus Euboensis, Clytius & Iphitus Oechalienses Euryti FF. Telamon & Peleus Æaci FF. Butes Cecropius Teleontis F. (*Αἰνεάδης* dicitur Orpheo *Argon.* v. 138.) Phalerus Alconis F. Tiphus Siphaensis Agniæ F. Phlias Aræthyreensis Bacchi F. Talaus, Arejus & Leodocus Argivi Biantis e Pero Neleide FFF. Hercules Amphitryonis F. Hylasque *Φορεὺς Φυλακός τε βιοῖο*. Nauplius Clytonai F. Idmon Apollinis vel Abantis F. Castor & Pollux Spartani Tyndarei FF. Lynceus & Idas Apharei FF. Periclimenus Pylius Nelei F. Amphidamas & Cepheus Arcades Alei FF. Anceus Lycurgi F. Augeas Helii
C F. Asterius & Amphion Pellenenses Hyperasii FF. Euphemus Neptuni ex Europa Tityi F. Erginus & Ancæus Neptuni FF. Meleager Calydonius Oenei F. Laocoon Oenei frater, Iphiclus Thestii F. Palæmonius Lerni Olenii F. Iphitus Phocensis Nauboli F. Zetes & Calais Boreæ FF. Acastus Peliæ F. (hic apud Orph. *Argon.* v. 221. dicitur *Πελίαο ἄνακτος ἀγχιστεὺς*, sed ibi pro *ἄνακτος* Ἀκαστ… legendum putat Canter. *Nov. Lect.* l. v. c. … gus navis fabricator, Apollon. *Argon.* l. I. — 226. Recensentur etiam plures: Theseus Ægei F. (quem negat Apollonius v. 101. seqq. illius expeditionis socium fuisse, quod tum apud inferos
D cum Pirithoo detineretur) Amphiaraus Oiclei F. Palæmon Vulcani vel Ætoli F. Laertes Arcesii F. Autolycus Mercurii F. Atalanta Schœnei F. Actor Hippasii F. Pœas Neptuni F. Phanus & Staphylus Dionysii FF. Eurylaus Mecistei F. (sed is huic expeditioni interesse non potuit, cum tanto post intervallo ad Trojam militarit, quod & dicendum de iis qui sequuntur) Penelaus Hippalmi F. Leitus Alectoris F. Ascalaphus & Almenus Martis FF. Apollod. *l.* I. p. 28. β. 29. α. Ac Argonautæ quidem omnes Minyæ appellati fuerunt, quod eorum plerique Minyæ filiabus orti essent. Apollon. *Argon.* l. I. v. 229.
E

Τοὺς μὲν ἀριστῆας Μινύας περιναιετάοντες
Κίκλησκον μάλα πάντας, ἐπεὶ Μινύαο θυγατρῶν
Οἱ πλεῖστοι καὶ ἄριστοι ἀφ' αἵματος εὐχετόωντο
Ἔμμεναι. ὡς δὲ καὶ αὐτὸν Ἰήσονα γείνατο μήτηρ
Ἀλκιμέδη Κλυμένης Μινυηΐδος ἐγγεγαυῖα.

Pindar. *Pyth.* ode IV. epod. III.

— *πάγ-*
χρυσον νάκος κριοῦ. μετὰ γὰρ
Κεῖνο πλευσάντων Μινυᾶν, θεόπομ-
ποί σφισιν τιμαὶ φυτεύθεν.

Et Minyas quosdam ex Orchomeno Iolcum com-
F migrasse scribit Strabo *l.* IX. p. 414. Navem remorum L. ei expeditioni rogatus ab Jasone fabricavit Argus Phrixi F. Minervæ consilio, quæ *κατὰ τὴν πρῷραν ἐνήρμοσεν φωνῆεν φηγοῦ τῆς Δωδωνίδος ξύλον*, Apollod. *l.* I. p. 28. β. Navis Argo appellata fuit, vel ab architecto, vel a celeritate. *Τὴν δὲ ναῦν Ἀργὼ προσαγορευθῆναι, κατὰ μέν τινας τῶν μυθογράφων, ἀπὸ τοῦ τὸ σκάφος ἀρχιτεκτονήσαντος Ἄργου καὶ συμπλεύσαντος, ἕνεκα τοῦ θεραπεύειν ἀεὶ τὰ πονοῦντα μέρη τῆς νεώς. ὡς δ' ἔνιοι λέγουσιν, ἀπὸ τῆς περὶ τὸ τάχος ὑπερβολῆς, ὡς ἂν τῶν ἀρχαίων ἀργὸν τὸ ταχὺ προσαγορευ-*

ἐπων, Diodor. *lib.* IV. pag. 143. Herculem στρατηγὸν constituisse Argonautas, προκρίναντας τὴν ἀνδρείαν, scribit Diodor. *lib.* IV. p. 243. Jasonem ναυαρχοῦντα vocat Apollod. *lib.* I. pag. 29. *a.* Argonautæ navi conscensa in Lemnum appulerunt: vide in *Lemniis*. Inde ad Doliones; vide in *Dolionibus*: porro in Mysiam: ubi Hylas Thiodamantis F. qui Herculi in amoribus erat, aquatum emissus, a Nymphis ob formæ præstantiam raptus dicitur, (ad Arganthonium montem, Strab. *lib.* XII. p. 564) quem dum Hercules & Polyphemus investigant, nave vi ventorum a littore abrepta, illic relicti fuerunt: & Polyphemo in Mysia domicilium ponente, Hercules Argos rediit: quem tamen Demaretes in Colchos navigasse, & Dionysius Argonautarum fuisse ducem perhibent: Pherecydes eum in Thessaliæ urbe Aphetis relictum scribit; at Herodotus ne navem quidem ingressum, sed apud Omphalen tum serviisse memorat. Argonautæ inde ad Bebryces pervenerunt: vide in *Bebrycibus*. Porro Salmydessum Thraciæ: vide in *Salmydess.* Inde per Symplegades ad Mariandynos pervenerunt, ubi a Lyco Rege benigne accepti fuerunt Illic vates Idmon ab apro ictus decessit. Tiphys etiam ibi mortuus fuit, navemque suscepit gubernandam Ancæus. Deinde prætervecti Thermodontem, & Caucasum flumine Colchidis Phasi invecti navem ad terram appulerunt. Tum Jason ab Æeta vellus aureum postulavit, quod se traditurum Æetes pollicitus fuit, si Jason solus æripedes Tauros (ii erant milites Taurici, qui cum præfecto suo, cui nomen Draco erat, vellus aureum custodiebant: vide in *Colchis*) domuisset. Ibi Medea Æetæ, & Idyæ F. Jasonis amore ardens, ejusque nuptias pacta, eum qua arte Æetæ jussa exsequeretur edocuit, simul ejus arma ac membra unguento delibuta, igni ac ferro impervia reddidit. Sed perdomitis ab Jasone Tauris fidem fefellit Æetes, & navem Argo & Argonautas perdere conatus. Sed Medeæ artibus Dracone aurei velleris custode consopito, Jason vellus rapuit: eademque nocte Argonautæ cum Medea ejusque fratre Absyrto avecti e Colchis fuerunt. Æetes re cognita navem insequutus fuit: quem appropinquantem Medea conspicata, fratrem jugulavit, dissectique membra in mare projecit: in quibus colligendis pater occupatus, in nave insequenda tardior fuit. Itaque converso itinere, servatos pueri artus sepeliit, locumque eum Tomos (παρὰ τὴν τομὴν τῶν μελῶν) appellavit. Inde emissis Colchorum multis ad quærendam navem, idem supplicium, quod Medea subitura esset, minatus fuit, nisi Medeam ad se retraherent. Illi in diversa abierunt imperata facturi: quorum quidam tandem ad Phæacum insulam Corcyram navem Argo consequuti fuerunt, Medeamque ab Alcinoo Corcyræ Rege repetierunt. Alcinous vero se Medeam patri remissurum, si virgo ea esset; sin ab Jasone subacta esset, eam illi se redditurum ajebat. (sic enim legendum, εἰ μὲν ἤδη συνεληλύθει Ἰάσονι αὐτὴν ἐκείνῳ, εἰ δὲ παρθένος ἐστὶ, τῷ πατρὶ αὐτὴν πέμψειν, sine negativa οὐ ante δώσειν, constat ex Schol. Apoll. *Argon. lib.* IV. init. ubi est: παρθένον μὲν οὖσαν τῷ πατρὶ ἀποστέλλεσθαι δεῖν, εἰ δὲ γυνὴ εἴη παραδίδοσθαι τῷ ἀνδρί) Ibi confestim Aretes Alcinoi uxoris consilio Jason cum Medea concubuit. Tum Colchicis cum Phæacibus illic habitare placuit, Apollodor. *lib.* I. p. 29. seqq. Colchorum alii, qui ad persequendam Medeam missi fuerant, re infecta, exsilium ipsi sibi indixerunt, Polamque in Italia condiderunt. Callimach.

—— τὸ μὲν φυγάδων τις ἐνίσποι
Γραικὸς ἀτὰρ κείνων γλῶσσ' ὀνόμηνε Πόλας.

Strabo *lib.* V. p. 215. 216. A Corcyra provecti Argonautæ, tandem post multos errores Jovis ira ob jugulatum Absyrtum immissos, quarto mense a suscepta expeditione Jolcum redierunt, Apollod. *lib.* I. p. 35. *a.* seqq. Argonautas post raptum vellus aureum, cum Ponti fauces præoccupasset Æetes, Tanaim ingressos, navi ad ejus fontes ascendisse, & navi inde per terram aliquo intervallo protracta, per aliud flumen in Oceanum se effundens ad mare pervenisse, & inde juxta Gades in mediterraneum mare invectos fuisse, multi veterum & recentiorum scriptorum prodiderunt, teste Diodor. *lib.* IV. p. 259. quod certe perquam ineptum est: sicut & id, quod quidam scribunt, Argonautas per Istrum ad fontes subvectos, in Adriaticum inde sinum, per occurrentem illic alveum, intrasse, quod recte refellit Diodor. *lib.* IV. p. 260. his verbis: Ῥωμαίων γὰρ καταπολεμησάντων τὸ τῶν Ἴστρων ἔθνος εὑρέθη τὰς πηγὰς ἔχων ὁ ποταμὸς ἀπὸ τετταράκοντα σταδίων τῆς θαλάττης: quæ parum commode vertit Rhodomannus, *fontes ejus fluvii non longius* XL. *stadiis a mari abesse deprehensum est*: illa *non longius* tolle, ut argumento Diodori sua vis constet. Pelias, dum aberant Argonautæ, fama increbrescente Jasonem cum sociis in ponto interiisse, Æsonem taurinum cruorem bibere coegit, filiumque ejus Promachum ætate puerum obtruncavit: cumque Amphinomen ejus uxorem quoque occisurus esset, ea ad focum Regis profugiens, & diris ejus exsecrata caput, gladio pectus transverberavit, Diodor. *lib.* IV. p. 253. Πελίας δὲ ἀπογνοὺς τὴν ἐπιστροφὴν τῶν Ἀργοναυτῶν est apud Apollod. *lib.* I. p. 37. *a.* quod perperam reddidit Ægius, *Verum Pelias quod Argonautarum reditum haud æquo animo ferret*; cum sit: *Cum Pelias nequaquam redituros putaret Argonautas*, cum de eorum reditu omnem ex animo cogitationem abjecisset. De uxore Æsonis scribit idem Apollodorus quod ἑαυτὴν ἀνήρτησε: non ut Diodor. ξίφει πατάξασα ἑαυτῆς τὸ στῆθος. Interea Jason rediit, ac vellus quidem aureum Peliæ tradidit, sed expostulandi cum eo de injuriis opportunum tempus exspectavit; & tunc quidem cum lectissimis Heroibus in Isthmum profectus navem Neptuno consecravit. Medea vero ab Jasone jussa rationem inire vindicandi in Peliam tot injurias, regiam Peliæ ingressa Asteropeæ & Antinoæ Peliæ filiabus, facto experimento in ariete, quem recoctum agnum reddiderat, persuasit ut patrem necarent, quasi mox recoctum suis veneficiis, & juvenem e sene factum in vitam revocandum. Ita necatum Peliam Acastus filius cum Jolci incolis sepeliit; sed Jasonem ac Medeam Jolco expulit: illi vero Corinthum commigrarunt, Apollod. *lib.* I. p. 37. *a.* Pherecydes & Simonides ajunt, Jasonem a Medea recoctum juvenem factum: de patre vero ejus Æsone, sic scribit Poeta qui *Reditus* confecit:

Αὐτίκα δ' Αἴσονα θῆκε φίλον κόρον ἡβώοντα,
Γῆρας ἀποξύσασ' εἰδυίῃσι πραπίδεσσι,
Φάρμακα πόλλ' ἕψουσ' ἐπὶ χρυσείοισι λέβησι:

Æschylus in *Nutricibus Bacchi* narrat, etiam nutrices Bacchi cum maritis recoctas, juvenes factas, Argument. Euripid. *Medeæ*. Post necatum Peliam, Jolcum cum Regia ab Jasone & Argonautis vi captam fuisse, & victorem Jasonem Acasto regnum paternum tradidisse scribit Diodor. *lib.* IV. pag. 255.

Acastus Peliæ filius Rex Jolci: uxorem habuit Hippolytam, Pindar. *Nem.* ode IV. antist. III. Hippolyti filiam Cretheidem, Scholiast. Pindar. Astydamean, Apollod. *lib.* III. pag. 125. Ad Acastum Phthia profugit Peleus: vide in *Phthiotis*.

Peleo Acastus ex insidiis mortem machinatus fuit; sed a Chirone defensus fuit, Pindar. *Nem.* ode IV. antistr. III. Iolcum Peleus expugnavit: vide in *Phthiotis*. Iolcum expugnatam Peleus Æmonibus (Thessalis) subjecit, Pindar. *Nem.* ode IV. strophe III.

> Παλίου δὲ πὰρ ποδὶ λα-
> τρείαν Ἰαωλκὸν
> Πολεμίᾳ χειρὶ, προστραπὼν
> Πηλεὺς παρέδωκεν Αἱμόνεσσι.

vide Scholiast. Λέγεται δὲ, τὸν μὲν πάνυ παλαιὸν Ἄκαστον φθεγξάμενον τὸν Πελίου πλοῦτον συλῆσαι, Plutarch. *Sylla* p. 474.

Thessalus Jasonis & Medeæ F. crudeles matris manus effugiens Iolcum venit, & defuncto nuper Acasto, jure hæreditatis in regnum successit, parentesque sibi populos Thessalos appellavit, Diodor. *l.* IV. p. 258. Euneus Jasonis (& Hypsipylæ, Etymol. magn.) filius Lemnum insulam tenuit, Strabo *l.* I. p. 45. Ab eo Εὐνεῖδαι γένος Ἀθήνησι μουσικὸν dicti, Etymolog. magn.

Iolcenses in bello Trojano Eumeli Admeti filii signa sequuti sunt, Homer. *Iliad.* B. v. 712. seqq.

Iolcum Demetriadem transtulit Demetrius Poliorcetes, Strabo *l.* IX. p. 436. Τὴν Ἰολκὸν αὐξηθεῖσαν ἐπὶ πλέον κατέλυσαν αἱ στάσεις καὶ αἱ τυραννίδες, Strabo *loco cit.*

Bœbe locus ad Bœbeidem Thessaliæ lacum, Pheris vicinum, nomen accepit a Bœbo Glaphyri filio, Eustath. *in Iliad.* B.

Glaphyræ appellatæ sunt a Glaphyro conditore, Bœbi patre, Eustath. *in Iliad.* B.

PHERÆI.

PHeres Crethei F. Æoli nepos urbi a se conditæ Pheris nomen dedit. Φέρης ὁ Κρηθέως, Φερὰς ἐν Θεσσαλίᾳ κτίσας, Apollod. *l.* I. p. 27. *a.* Φεραὶ πόλις Θεσσαλίας, ἀπὸ Φέρητος τοῦ Κρηθέως, ἢ Φερᾶς τῆς Αἰόλου θυγατρὸς, Stephan. Αἱ Φεραὶ ὠνομάσθησαν ἀπὸ Φέρητος τοῦ Κρηθέως τοῦ Ἀδμήτου πατρός. Et Schol. Apollon. τῶν Πελασγικῶν πεδίων πέρας, πρὸς τὴν Μαγνησίαν vocat Eustath. *in Iliad.* B. Homer. *Iliad.* B. v. 711.

> Οἳ δὲ Φερὰς ἐνέμοντο παραὶ Βοιβηΐδα λίμνην,

Apud fontem Hypereidem habitasse Pheretem scribit Pindar. *Pyth.* ode IV. antistr. VI. Pheretis filii fuerunt Admetus & Lycurgus: Lycurgus Neмeam concessit, Apollod *l.* I. p. 27. *a.*

Admetus Pheretis F. Rex Pheræorum Alcestin Peliæ filiam uxorem duxit: cum vero in nuptiis sacra faceret, Dianæ oblitus fuit: itaque thalamo aperto magnum draconum globum invenit. Apollo vero eum Deam placare jussit, simulque a Parcis petiit, ut Admeto vita servaretur, si quis ultro, ipsius loco vel pater, vel mater, vel uxor mortem subiret. Ut vero fatalis hora adfuit, parentibus mori recusantibus, Alcestis mortem obiit: sed a Proserpina in vitam revocata fuit; vel, ut aliis placet, ab Hercule, commissa cum Plutone pugna, in hanc lucem reducta fuit, Apollod. *l.* I. p. 27. *a.* *β.* Hanc fabulam integro dramate exposuit Euripides, cui nomen *Alcestis*. Ab Admeto scolion Athenis decantari solitum:

> Ἀδμήτου λόγον ὦ ἑταῖρε μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει,
> Τῶν δειλῶν δ᾽ ἀπέχου, γνοὺς ὅτι δειλῶν ὀλίγα χάρις.

Per ἀγαθοὺς indicabatur Alcestis; per δειλοὺς Admeti pater, qui pro filio mori recusavit, Eustath. *in Iliad.*

Eumelus Admeti & Alcestidis F. cum XI. navibus ad bellum Trojanum profectus fuit. Homer. *Iliad.* B. v. 713. seqq.

> Τῶν ἦρχ᾽ Ἀδμήτοιο φίλος παῖς ἕνδεκα νηῶν
> Εὔμηλος, τὸν ὑπ᾽ Ἀδμήτῳ τέκε δῖα γυναικῶν
> Ἄλκηστις, Πελίαο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστη.

Aristotelis in Eumelum exstat Epitaphium:

> Υἱὸς δ᾽ Ἀδμήτοιο, Φερητιάδης Εὔμηλος
> Νέρθ᾽ ὑπ᾽ ἐμοὶ κεῖται μοῖραν ἔχων θανάτου.

Jason Pheræorum Tyrannus Neogenem in subigendis Actiæis & Oropiis adjuvit, Diodor. *l.* XV. p. 349. Idem, augescens subinde viribus, Locridem infesto exercitu aggressus fuit, & Heraclea Trachiniensi proditione capta, eversaque agrum Oetæis & Meliensibus dedit. Inde prolatis in Perrhæbiam signis, urbium alias humanitate sibi adjunxit, alias vi subegit: & prudentia militari excellens, plurimis finitimorum ad societatem armorum pertractis, auctor Thessalis fuit, ut Græcorum sibi vindicarent principatum. Ita a Thessalis summæ rerum præfectus, tota belli administratione suscepta, vicinas quasdam gentes sibi adjunxit, & cum Amynta Macedonum Rege societatem armorum iniit. Sed tandem quanquam moderate ac humaniter subditis præesse videbatur, a VII. quibusdam adolescentibus, qui gloriæ causa conjurarant, ut Ephorus prodidit, vel a Polydoro fratre, ut alii scribunt, per dolum obtruncatus fuit, Olymp. CII. 3. Diodor. *l.* XV. p. 371. 372. 373. Xenoph. *Hellen.* l. VI. p. 453. 456. 468. 469. Jason & plurimas & maximas Thessaliæ urbes sibi societate devinctas habuit, in potestatem suam redactas: ejusque imperio paruerunt Maraci, & Dolopes, & Alcetas Epiri Princeps, Xenoph. *Hellen.* l. VI. p. 453.

Polydorus Jasonis frater & Polyphron, mortuo Jasone, Tagi constituti fuere. Cumque Larissam ambo proficiscerentur, noctu Polydorus a Polyphrone fratre interemptus fuit, ut videbatur: nam morte subita, & cujus nulla manifesta esset causa, exstinctus fuit, Xenophon. *Hellen.* lib. VI. p. 469. 470. Polydorum suscepto principatu, annum imperasse: provocatum autem a fratre Alexandro ad compotationem, venenata potione necatum fuisse scribit Diodorus *l.* XV. p. 373. 374.

Olymp. CII. 4. Polyphron anno imperium tenuit, & pro Tago se Tyranno similem gessit: nam & Pharsali Polydamantem aliosque cives octo præstantissimos interfecit, & Larissa multos in exilium ejecit. Itaque ab Alexandro interfectus fuit, Xenoph. *Hellen.* l. VI. p. 470.

Alexander Polydori frater principatum annos XI. tenuit: cumque violenter & aspere dominaretur, cunctorum sibi odia conflavit. Hinc Larissæi Aleuadæ de ejus principatu evertendo conspirarunt, ac Alexandrum Regem Macedonum ad armorum societatem induxerunt. Captis itaque a Macedone urbibus Larissa ac Cranone, Alexander Pheræus fuga simul & terrore perculsus, in urbem Pheras se recepit, Diodor. *l.* XV. p. 374. Idem Pelopidam ad se cum publica, tum privata amicitia fretum venientem in vincula conjecit, Pausan. *Bœot.* p. 564. Sic Diodor. *l.* XV. p. 382. Pelopidas καταντήσας πρὸς Ἀλέξανδρον τὸν Φερῶν Τύραννον, ἀλόγως συνελήφθη μετὰ Ἰσμηνίου, καὶ εἰς φυλακὴν παρεδόθη. Sed quæ illa amicitia? cur ἀλόγως comprehensus fuit? Certe Pelopidam in Thessaliam miserant cum exercitu Bœoti, μεταπεμπομένων αὐτοὺς Θετταλῶν ἐπ᾽ ἐλευθερώσει μὲν τῶν πόλεων, καταλύσει δὲ τῆς Ἀλεξάνδρου τοῦ Φεραίου τυραννίδος, ut auctor est Diodorus *l.* XV. pag.

xander metu Thebanorum, qui capto Pelopida exacerbati in Thessaliam octo millia gravis armaturæ militum, & sexcentos equites miserant, per legatos Athenienses ad societatem armorum invitavit. Illi XXX. naves & mille milites duce Autocle miserunt. His & aliorum auxiliorum copiis cum instructus esset Alexander, Bœoti, a Thessalis destituti, deficiente commeatu, retrò signa verterunt: sed Olymp. CIII. I. ab Alexandro cum equitatu insequente graviter vexati, ac ad extrema redacti, Epaminondæ virtute servati fuerunt, Diodor. *lib.* XV. p. 382. 383. Epaminondæ enim, licet privatus in eo exercitu esset, imperium tamen delatum fuit, ipsis Bœotarchis summa voluntate assentientibus: quod ubi Alexander intellexit belli aleæ se committere non ausus, Pelopidam ultro dimisit, Pausan. *Bœot.* p. 564. Ἐστράτευσαν δὲ καὶ εἰς Θετταλίαν Βοιωτοί, καὶ Πελοπίδαν ἐκομίσαντο παρ' Ἀλεξάνδρου τοῦ Φερῶν Τυράννου, Diod. *lib.* XV. p. 385. Cum autem Alexander cum Thessalis bellum gereret, illi sæpius acie victi, Thebanos de auxiliis sollicitarunt: qui misso exercitu duce Pelopida Alexandrum vicerunt, eumque Thessalis subacta prius oppida restituere, Magnetesque & Phthiotas Achæos Bœotis tradere, & Pheræorum tyrannidi acquiescere, & Bœotorum deinceps amicitiam colere coegerunt, Diodor. *lib.* XV. p. 389. 390. Idem Olymp. CIII. 2. Alexander Scotussæorum in Thessalia urbi crimina quædam intendens, ut ad concionem venirent civibus edixit: quos, ubi convenissent, peltatorum & sagittariorum manu undique circumseptos, ad unum omnes jaculis confodit, projectisque in fossas, quæ ante mœnia erant, cæsorum cadaveribus, urbem diripuit: puberes etiam quotquot erant, trucidari jussit: fœminas & pueros vendidit: de pretio militi mercenario stipendium dedit, Diodor. *lib.* XV. p. 385. Pausan. *Eliac. post.* p. 352. Idem Olymp. CIV. I. missis in Cycladas insulas navibus prædatoriis, nonnullas expugnavit, ac magno captivorum numero potitus fuit: & expositis in Peparethum mercenariis, urbem oppugnavit. Cum autem Athenienses duce Leosthene opem ferrent Peparethiis, ipsos Athenienses statim invasit, qui tum forte contra Alexandri milites ad Panormum commorantes excubabant, eosque subito impetu feliciter oppressit: Olymp. CIV. 4. quo factos & suos e maximis periculis exemit, & V. triremes Atticas unamque Peparethiam cepit, & sexcenta corpora in suam redegit potestatem, Diodor. *lib.* XV. p. 402.

Olymp. CV. 4. Tandem Alexander insidiis Thebes uxoris, ejusque fratrum Lycophronis & Tisiphoni, periit, Diodor. *lib.* XVI. p. 417. 418. Xenoph. *Ellen. lib.* VI. p. 470.

Lycophon & Tisiphonus, cæso Alexandro, militem peregrinum largitionibus sibi devinxerunt, vique tyrannidem retinuerunt, trucidatis multis, quos suis obsistere conatibus animadvertebant. Sed a Philippo Rege Macedonum ab Aleuadis sollicitato in ordinem redacti fuerunt, & libertas civitatibus reddita, Diodor. *lib.* XVI. p. 418. Tisiphonum fratrum natu maximum principatum tenuisse, quo tempore suam historiam scribebat Xenophon, scribit ipse *Hellen. lib.* VI. p. 470. Lycophronem bello Phocico Phocensium auxiliis subnixum Philippus a Thessalis sollicitatus armis aggressus bis vicit: semel victus fuit, Diodor. *lib.* XVI. pag. 434. seqq. Αἱ στάσεις καὶ αἱ τυραννίδες τὰς Φερὰς συνέστειλαν ἐξαρθείσας ποτὲ καὶ συγκαταλυθείσας τοῖς Τυράννοις, Strabo *lib.* IX. p. 436.

MOPSII.

MOpsium urbs Pelasgiotidis regionis Thessaliæ, Stephan. Μόψιον δ' ὠνόμασται οὐκ ἀπὸ Μόψου τοῦ μάντεως τοῦ Τιρεσίου, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ Λαπίθου τοῦ συμπλεύσαντος τοῖς Ἀργοναύταις, Strabo *lib.* IX. p. 443. Mopsus hic Titaresius & vates dicitur Apollon. *Argon. lib.* I. v. 65. Ampyci filius, Titaronis nepos, matre Chloride, Schol. Apollon.

LARISSÆI.

LArissa urbs Thessaliæ ad Peneum P. sita, ab Acrisio condita, Stephan. Schol. Apollon. *Argon. lib.* I. v. 40. Λαρισαῖοι πλησίον μὲν οἰκοῦντες τοῦ Πηνειοῦ, Strabo *lib.* IV. p. 440. Λάρισαν εὐτυχεστάτην πόλιν vocat Marcian. Περ. pag. 25. Erat & alia illic Larissa, quæ Cremaste appellabatur, & a quibusdam Pelasgia, Strabo *lib.* IX. p. 440. Stephan. nam habitarant in ea Pelasgi, Homer. *Iliad.* B. v 842. 843.

—— φῦλα Πελασγῶν ἐγχεσιμώρων
Τῶν οἳ Λάρισαν ἐριβώλακα ναιετάασκον.

Ea tenebatur ab Achæis, Dicæarch. p. 178. Fuit & Larissa ἐν τῇ Ὄσσῃ χωρίον, Strabo *lib* IX. p. 440. Stephan. Pelasgus Larissæ fœminæ Argivæ & Æmonis filius Larissam urbem nuncupasse dicitur Eustath. *in Iliad.* B. A Larissa Pelasgi filia appellatam scribit ex Hellanico Schol. Apollon. *Argon. lib.* I. v. 40.

Polyphemus Elati filius Larissæus cum juvenis esset bello Lapitharum adversus Centauros gesto interfuit. Senior vero expeditionis Colchicæ socius fuit, Apollon. *Argon. lib.* I. v. 40. seqq.

Larissæi Perrhæbiam occuparunt, Strabo *lib.* IX. p 440.

Aleuas e posteris Herculis unus, Thessalus, Thessalis imperavit, Ulpianus *in Demosthenem* p. 8. 30. Aleuam Thessalum, superbum & petulantem, pater aspere tractavit: sed patruus ad se recepit: Thessalis vero ad Deum Delphis sortes divinatorias mittentibus de Rege, sortem clam immisit patruus pro Aleua: & Pythia hunc respondente, pater negavit pro ipso injectam sortem, & omnibus visus error fuit contigisse in inscriptionibus nominum: propterea iterum missis nunciis Deum interrogarunt. Pythia vero quasi confirmans priorem sententiam, dixit: Τὸν Πυῤῥὸν τοί φημι τὸν Ἀρχεδίκη τέκε παῖδα. Et hoc modo Aleuas a Deo patrui ope Rex renunciatus, αὐτός τε πολὺ τῶν πρὸ αὐτοῦ ὑπερεβάλετο, καὶ τὸ ἔθνος εἰς δόξαν προήγαγε μεγάλην καὶ δύναμιν, Plutarch. *de amor. frat.* fine. Aristoteles ἐν τῇ κοινῇ τῶν Θετταλῶν πολιτείᾳ, sub Aleua Pyrrhi F. divisam fuisse ait Thessaliam in IV. partes, Suidas *in* Τετραρχία.

Larissæi Aleuadæ, Aleuæ filii, Reges Thessaliæ, Thorax, Eurypylus & Thrasydius fratres, missis legatis Xerxem arcessiverunt in Græciam omne studium, & obsequium ei polliciti, Herod. *lib.* VII. p. 437. Atque hi Græcorum primi se suaque Xerxi tradiderunt: inde Rex totius gentis illius amicitiam sibi spopondit. Et Regis legatis in eum finem missis Thessali se dediderunt, Herodot. *lib.* VII. p. 483. Erant vero hi Aleuadæ Heraclidæ ex Aristomacho Herculis pronepote oriundi, Pindar. *Pyth.* ode X. str. I.

Ὀλβία Λακεδαίμων,
Μάκαιρα Θετταλία πατρὸς
Δ' ἀμφοτέραις ἐξ ἑνὸς
Ἀριστομάχου γένος Ἡρακλέος βασιλεύει.

A Sed ἀειςομάχυ ἐπιθετικῶς, ἀντὶ τῦ ἀρίςυ κτ̃ τὰς μάχας, exponit Scholiast. Eadem strophe illi dicuntur Αλεύα παῖδες commendatque eos epod. IV.

Αδελφεὺς τ' ἐπαινή-
  σομεν ἐσθλὺς, ὅτι
Υψȣ̃ φέροντι νόμον Θεσσαλῶν
Αὔξοντες· ἐν δ' ἀγαθοῖσι κεῖν)
Πατρῶαι κεδναὶ πολί-
  ων κυβερνάσεις.

B Sed & Pindaro cum Thorace hospitalis amicitia intercessit, antistr. IV.

Πέποιθα ξενίᾳ προσ-
  ανεῖ Θώρακος, ὅς περ
Εμὰν ποιπνύων χάριν,
Τόδ' ἔζευξεν ἅρμα Πιερίδων
Τετράορον, φιλέων φιλέοντ', ἄγων
Αγοντα προφρόνως.

Aleuadæ vero nobilissimi habebantur. Τῶν Λαρισσαίων τινὲς, οἱ διὰ εὐγένειαν Αλευάδαι προσαγορευόμενοι, Diodor. *lib.* XV. p. 374. Οἱ Αλευάδαι καλȣ́μενοι παρὰ τοῖς Θετταλοῖς, διὰ εὐγένειαν δὲ ἀξίωμα ἔ-
C χοντες περιβόητον, Diodor. *l.* XVI. p. 418.

Larissæi Aleuadæ Alexandrum Regem Macedonum in Thessaliam contra Alexandrum Pheræum arcessiverant: vide in *Pheræis*.

Larissæi Aleuadæ Philippum Regem Macedonum in Thessaliaam contra Lycophronem & Tisiphonum Pheræorum Tyrannos arcessiverunt: vide in *Pheræis*.

Larissæi Perrhæbiam obtinuerunt, & tributa exegerunt, donec Philippus ea loca in suam redigeret potestatem, Strabo *l.* IX. p. 440.

PHYLACENSES.

D PHylace urbs Thessaliæ, Schol. min. *Illiad.* B. Phylacus Æolidarum unus (Deionei filius) hanc urbem condidit, & de suo nomine appellavit, Eustath. *in Iliad.* B. Phylaci filia Alcimede Æsoni nupsit, Apollon. *Argon.* l. IV. 47.

Phylaci (e Minyæ filia Clymene) filius fuit Iphiclus, Eustath. *in Iliad.* B. Schol. Apollon. *Argon.* l. I. v. 45. Is socius fuit expeditionis Argonauticæ, Apollon. *Argon.* l. I. v. 45. seq. Observatu vero dignum est, neque Hesiodum, neque Pherecydem auctores esse, Iphiclum cum Argonautis navigasse, Schol. Apollon. *dicto loco.* Boves ex Iphi-
E cli grege sponsalitium filiæ munus depoposcit Neleus: vide in *Pyliis*. Iphicli boves abigens Melampus Amythaonis filius, in furto deprehensus ab Iphiclo fuit: & in vincula conjectus, cum artis futura prædicendi beneficio, famulæ indicasset ædificii tectum statim prolapsurum, ab Iphiclo, re cognita, non tantum dimissus fuit, sed & bubus, quas abacturus venerat, donatus, Schol. Apollon. *Argon.* l. I.

Iphicli filius fuit Phylacus: cujus filii fuerunt Pœas & Iphiclus. Pœantis vero & Methones filius fuit Philoctetes: Iphicli vero & Astyoches Protesilaus & Podarces, Eustath. *in Iiad.* B Prote-
F silaus Phylacensium dux fuit ad bellum Trojanum; sed cum de navi desiliret, a Dardano viro occisus fuit, Homer. *Iliad.* B. v. 695. seqq. Dardanum eum alii Æneam, quia hic Dardaniorum Rex fuit: alii Euphorbum: alii Hectorem; quidam Achaten Æneæ sodalem fuisse putant, Schol. min. *Iliad.* B. vide & Eustath. *in Iliad.* B. Podarces, mortuo fratre Protesilao, Phylacensium ad Trojam dux fuit, Homer. *Iliad.* B. v. 704.

Pyrhasus urbs Phthiæ, ut ait Stephanus: sic dicta, διὰ τὸ τὴν χώραν εἶναι πυροφόρον, quod regio frugum sit ferax: propterea Homerus *Iliad.* B. vers. 696. vocat eam Δήμητρος τέμενος, ὡς πολύκαρπον δηλαδὴ κ̀ εὔκαρπον, &c. Sed non consentit Strabo, qui ait Pyrhasum urbem commodi portus esse, in qua fuerit Cereris lucus & sacrum templum, Eustath. *in Iliad.* B.

Iton, vel Itone, vel Itonus urbs, vocabatur etiam Σιτὼν, διὰ τὸ σιτοφόρον: Itonus vero ab Itono Heroe, Eustath. *in Iliad.* B Stephan. Ιτὼν πόλις Θεσσαλίας, ἔνθα τιμᾶται Αθηνᾶ, Schol. Callimachi *Hym. in Cerer.* ad verba Ιτωνιάδος Αθηναίας.

Antron urbs Thessaliæ, in qua asini excellentes & optimi nascebantur, unde & in proverbium abiit, Shol. min. *Iliad.* B. & Eustath. *in Iliad.* B. ex Stephano. Nomen accepit διὰ τὸ τὰς ἐκεῖ τόπȣς ἀντρώδεις, τȣτέστι σπηλαιώδεις κ̀ ὑπονόμȣς εἶναι, Eustath. *in Iliad.* B.

Pteleos urbs Achæorum in Thessalia, Eustath. *in Iliad.* B. Πτέλεον, πόλις Ιωνίας, κ̀ Τρῳάδος, κ̀ παραθαλαττίων Αχαιῶν. ὀυδετέρως, Stephan.

METHONAEI.

METhone urbs Thessaliæ, unde erat Philoctetes Pœantis filius, Schol. min. *Iliad.* B. Nomen accepit a Methone Pœantis uxore, Philoctetæ matre.

Pœas Herculis pyram succendit, eique Hercules sagittas ac arcum dono dedit, Apollod. *l.* II. p. 80. Sed Philoctetæ Pœantis filio dedisse sagittas Herculem, docet Diodor. *l.* IV. p. 243. unde Philocteten

Τῶν Ηρακλείων ὄντα δεσπότην ὅπλων,

vocat Sophocles *Philoctet.* v. 261. vide Schol. min. *Iliad.* B. Θεράπων ἐγένετο τῷ Ηρακλεῖ ὁ Φιλοκτήτης ἐκ νηπίȣ, ὅτε κ̀ φορεὺς ἦν ὁ τῶν τόξων. ἃ δὴ ὕστερον μισθὸν ἔλαβε παρ' αὐτȣ̃ εἰς τὴν πυρὰν ὑπȣργίας, Philostrat. *Imag.* vide eundem in *Heroic.*

Philoctetes dux Methonæorum fuit euntium ad bellum Trojanum; sed morsus ab hydra, eoque vulnere saucius, in Lemno insula relictus fuit a Græcis: accepitque vicarium Medontem Oilei filium nothum, Homer. *Iliad.* B. v. 716. seqq. Dicitur autem Philoctetes, cum aram Minervæ Aureæ terra obrutam purgaret, ab ea hydra fuisse læsus; cum vero vulnus neque lethale esset, neque tamen facile curabile, is impatientia doloris vociferans Græcis molestus nimis fuit, ideoque in Lemno ab iis relictus fuit, Eustath. *in Iliad.* B. Cum vero in fatis esset, sine armis Herculis capi Trojam non posse, quæ Philoctetes ab Hercule acceperat, Græci Philoctete indigebant, Schol min. *Iliad.* B. Itaque per insidias ab Ulysse vinctus ad Græcos fuit deductus, Argum. Sophocl. *Philoct.* vide ipsam fabulam, & Smyrn. *l.* IX. v. 326. seqq. Equum Trojanum etiam Philoctetes ingressus fuit, Smyrn. *l.* XVI. v. 313. Aristotelis in Philocteten exstat Epitaphium:

Τοξων Ηρακλέȣς ταμίην Ποιάντιον υἱὸν
  Ηδε Φιλοκτήτην γῆ Μινυὰς κατέχει.

Methonen Philippus (Amyntæ F.) Rex Macedonum expugnavit, direptamque solo æquavit, Diodor. *l.* XVI. p. 432. 434.

Thaumacia urbs Thessaliæ, Schol. min. *Iliad.* B. Urbs Magnesiæ, Eustath. *in Iliad.* B.

Meliboea nomen accepit ab Heroina, Eustath. *in Iliad.* B.

Olizon appellata fuit, quia parva urbs erat; Thessali enim parvum ὄλιζον vocant, idem *ibidem*.

Tricca urbs Thessaliæ, Schol. min. *Iliad.* B. nomen accepit a Tricca Penei fl. filia, uxore Hypsei

Eustath. *in Iliad.* B. Triccensium duces ad bellum Trojanum fuerunt Æsculapii filii Podalirius & Machaon, Homer. *Iliad.* B. v. 729. seqq.

Ithome urbs Thessaliæ, Schol. min. *Iliad.* B. Vocatur etiam Thumæum, Eustath. *in Iliad.* B. e Stephan.

Oechalia urbs Thessaliæ, Stephan. vide in *Oechal. Messen.*

MACEDONES.

Macedonia regio nominata est a Macedone Jovis & Thyiæ Deucalionis filiæ filio, ut ait Hesiodus Poeta:

Ἡ δ' ὑποκυσαμένη Διὶ γείνατο τερπικεραύνῳ
Υἷε δύω, Μάγνητα, Μακεδόνα θ' ἱππιοχάρμην,
Οἳ περὶ Πιερίην, καὶ Ὄλυμπον, δώματ' ἔναιον.

Æoli filio, ut Hellanicus. Dicitur & Macedoniæ pars Maceta, ut Marsyas scribit *Macedoniacor.* l. 1. ἐν τῇ Ηρίστειαν δὲ Μακέταν λέγουσι ὑπὸ τῆ Μακεδόνος. Sed & totam Macedoniam Macetian appellatam dicit Clidemus in *primis Atthidos.* Καὶ ἐξῳκίσθησαν ὑπὲρ τὸν αἰγιαλὸν ἄνω τῆς καλουμένης Μακετίας, Constantin. l. II. *Themat.* II. Ὅτι Μακεδόνες λέγονται ἀπὸ Μακεδόνος τοῦ Διός. οἱ δὲ παῖδας Αἰόλου δέκα παραδιδόασιν, ὧν εἷς Μακεδὼν φασιν, ἐξ οὗ ἡ Μακεδονία· ἦν δέ τις μοῖρα Μακεδονίας, Μακέτα λεγομένη, ἐξ ἧς καὶ ἡ Μακεδονία Μακετία ἐλέγετο, Eustathius *in Dionysii Periegesin* v. 427. Alii a Macedone Osiridis filio denominatam ajunt. Καὶ Osirin Μακεδόνα μὲν τὸν υἱὸν ἀπολιπεῖν βασιλέα τῆς ἀπ' ἐκείνου προσαγορευθείσης Μακεδονίας, Diodor. *l.* 1. p. 12. Οἱ δὲ τῆς Μακεδονίας βασιλεύσαντες ἀπογόνους ἑαυτοὺς Ηρακλέους ὀνομάζουσιν. —— διὸ καὶ ἀντὶ ταινίας καὶ στέμματος, καὶ πορφύρας βασιλικῆς τῷ δέρματι τῆς κεφαλῆς τοῦ λέοντος ἑαυτοὺς ταινιοῦσι. καὶ στέμμα τοῦτο καὶ κόσμον ἡγοῦνται, καὶ ὑπὲρ πάντα λίθον καὶ μάργαρον τούτῳ ἐγκαλλωπίζονται. καὶ μάρτυς ἀξιόπιστος αὐτὸ τὸ νόμισμα τοῦ Μακεδόνος Ἀλεξάνδρου, τοιαύτῃ εἰκόνι καλλωπιζόμενον, Constantin. l. II. *Themat.* II.

Regnum Macedonum vigere cœpit a tertio Herculis filio Carano appellato: auctum a Philippo Alexandri patre: magnitudinem vero & splendorem immensum nactum extremas terrarum oras attigit sub ipso Alexandro, ejusque successoribus: tandem concidit sub Perseo Philippi filio, adeo ut Regiam dignitatem etiam amitteret —— ὥστε ἀπὸ βασιλείας εἰς ἐπαρχίαν τὸ σχῆμα μεταβαλεῖν, Constantin. l. II. *Themat.* II.

Macedoniæ urbes Græcæ hæ recensentur a Scylace Caryand. p. 132. Pydna, Methone, Anea.

Pella urbs Macedoniæ dicta prius Βούνομος & Βουνόμεια: nomen accepit a Pella conditore, Stephan. Eratque metropolis Macedonum, Philippi & Alexandri patria, Strabo *l.* XVI. p. 752. itaque οὖσαν μικρὰν πρότερον, Φίλιππος εἰς μῆκος ηὔξησε, τραφεὶς ἐν αὐτῇ, *Excerpt.* Strabon. *l.* XVI. p. 330. Quarum Pellam maxime illustrem alumni efficiunt Philippus Græciæ domitor, Alexander etiam Asiæ, Mela *l.* II. *cap.* III.

Berrhœa urbs Macedoniæ, quam Pheronem condidisse ajunt: Macedones vero τὸ Φ in B mutant, Stephan. Pella & Berrhœa dicuntur πόλεις ἐπιφανέσταται, Marcian. Περιηγ. p. 26. v. 629.

Thessalonice urbs Macedoniæ, dicta prius Ἀλία, Stephan. Sed prius Θέρμην dictam, scribitur in *Excerpt.* Strabon. *lib.* VII. pag. 330. Κασσάνδρου κτίσμα dicitur illis simul, sed a Philippo conditam urbem quosdam auctores esse scribit Tzetzes *d. loco.*

Pydna urbs Macedoniæ, Stephan. in *Excerpt.* Strabon. *lib.* VII. p. 330. dicitur Πιερικὴ πόλις.

Europus urbs Macedoniæ, dicta ab Europo Macedonis, & Orithyiæ Cecropis natæ filio, Stephan.

Euporia urbs Macedoniæ, quam Alexander, celerem consequutus victoriam, condidit, appellavitque ita διὰ τὸ εὔπορον, *ob facilitatem*, Stephan.

Philippi, urbs Macedoniæ, prius Crenides dicta, teste Apollodoro in *Epitome* XI. Crenitis vero bello pressis a Thracibus, subveniens Philippus, urbem Philippos appellavit, Stephan.

Methone, urbs Macedoniæ, nomen accepit ἀπὸ τοῦ μέθυ. πολύοινος γάρ ἐστι, Stephan. Μεθώνη ἡ ἐν Μακεδονίᾳ, ἄποικος Ἐρετριέων, Eustath. *in Iliad.* B.

MAGNETES.

Magnetes gens juxta mare habitans, Scyl. Caryand. p. 133. circa montem Pelium, Marcian. p. 25. unde Pindar. ἵπποισι Μαγνητίδεσσι ἐν Παλίου σφυροῖς, *Pyth* ode. II. epod. II. νυνὶ μέντοι Μαγνησίας νομίζουσι τὴν ἐπ' Εὐρυπύλῳ τὰ περὶ Ὀρμένιον, καὶ τὴν ὑπὸ Φιλοκτήτῃ πᾶσαν, Strabo *l.* IX. p. 432. Nomen accepisse videntur Magnetes a Magnete Æoli filio. Μάγνητες ἐκλήθησαν ἀπὸ ἀνδρὸς ἐπιφανοῦς. Μάγνης γάρ φησιν εἷς τῶν Αἰολιδῶν ὑπὸ τὸ Πήλιον ὄρος κτίσας πόλιν, ἀπὸ τῆς γυναικὸς Μελίβοιαν ἐκάλεσεν. ὕστερον δὲ τὴν πᾶσαν χώραν, Μαγνησίαν, Eustath. *in Iliad.* B. Magnesiam a Græcia separavit Phileas:

Τινὲς δὲ τὴν Μαγνησίαν τῆς Ἑλλάδος
Λέγουσιν εἶναι, τὴν δὲ Φιλέαν ἀγνοεῖν
Ἀποχωρίσαντα.

Dicæarch. p. 164. Magnetis filius fuit Alector, Alectoris Hæmon, Hæmonis Hyperochus, Hyperochi Tenthredon, Tenthredonis Prothous: quo duce Magnetes, circa Peneum & Peleum habitantes, ad Trojanum bellum iverunt, Eustath. *in Iliad.* B. v. 765. seq. Aristotelis in Prothoum exstat Epitaphium:

Σῶμα μὲν ἐν Πόντῳ Προθόου, Τενθρηδόνος υἱοῦ
Κεῖται. ἀνοίκτιστον δ' οὔνομα τύμβον ἔχει.

Magnetis filios e Naide Nympha Polydectem & Dictyn fuisse scribit Apollodor. vide in *Seriphiis.*

Magnetes pedestres copias Xerxi Græciam invadenti præbuerunt, Herodot. *l* VII. p. 507.

Magnesiam τὴν ὑπὸ Πήλιον adversus Thessalos & Ætolos tenuit Philippus Demetrii F. Pausan. *Achaic.* p. 410. Magnetum enim gentem, permissu Acilii Cos. suæ ditionis fecit, Livius *l.* XXXIX.

Magnetas Augustus Imp. Thessali se contribuere jussit, Pausan. *Phocic.* p. 622.

Magnesia ad Mæandrum Magnetum colonia, Strabo *l.* XIV. p. 636.

PERRHÆBI.

Perrhæbus urbs Thessaliæ, Stephan. ἐν μεσογείῳ δὲ (τῶν Μαγνητῶν) ἐποικοῦσιν ἔθνος Περραιβοί, Ἕλληνες, Scyl. Caryand. p. 132. Nomen accepit a Perrhæbo illustri, ut verisimile est, viro, Eustath. *in Iliad.* B. Perrhæbus Pallenensis pater Cyphi dicitur Eustath. *ibidem.*

Perrhæbi ad mare & Peneum fl. habitarunt usque ad ejus ostia & Gyrtonam Perrhæbicam urbem; sed a Lapithis inde in mediterranea fluvio adjacentia expulsi fuerunt, Strabo *l.* IX. pag. 439. Tenuerunt etiam quasdam ad Olympum partes: alicubi etiam toti Lapithis permisti fuerunt, Strabo *l.* IX. pag. 440. Perrhæbos & Lapithas promis-

miscue habitantes, omnes Πελασγιώτας vocavit Simonides, Strabo *l.* IX. p. 441. Perrhæbi oppressi a Lapithis in montana recesserunt: plerique ad Pindum, Athamanes & Dolopes: regionem & Perrhæborum reliquias Larissæi occuparunt, ad Peneum habitantes, Strabo *l.* IX. p. 440. A

Perrhæbi pedestres copias Xerxi præbuerunt, Herodot. *l.* VII. p. 507.

Perrhæbi Thessalorum imperio paruerunt, Thucyd. *l.* IV. p. 305. νυνὶ δὲ μικρὸν, ἢ ἐδὲν αὐτῶ (Περῤαιβῶν) ἴχνος σώζεται, Strabo *l.* IX. p. 442.

Perrhæborum colonia fuit Histiæa in Eubœa: vide illic.

ÆNIANES.

B

AEnia urbs Perrhæborum, Stephanus. Οἱ Αἰνιᾶνες Θεσσαλικῆς ἐστι μοίρας τὸ δ' εὐγενέστατον καὶ ἀκριβῶς Ἑλληνικὸν, ἀφ' Ἕλληνος τῦ Δευκαλίωνος, Heliodor. *l.* II. Ενιῆνες dicuntur Homero *Iliad.* B. v. 749. & Herodoto *l.* VII. p. 407.

Sæpius Ænianes mutarunt sedes. Primum habitarunt circa agrum Dotium: inde a Lapithis expulsi concesserunt ad Æthices. Inde occuparunt eam Molossidis regionem quæ circa Arauan erat, unde Παραυαῖοι appellati sunt, & Cassiopæam. Sed cum illic nullum fructum perciperent, & vicinis uterentur molestiis, in Cirrhæum agrum concesserunt, ductu Regis Onocli: ibi cum magna siccitate premerentur, jussu oraculi, Rege Onoclo lapidibus obruto, iterum vagi, in regionem, quæ circa Inachum est, descenderunt, habitatam ab Inachiensibus & Achivis, Plutarch. Ἑλλ. ιγ & κϛ. vide illic. C

Ænianes XII. navium classem ad Trojam miserunt, duce Guneo, Euripid. *Iphig. Aul.* v. 277. seq.

Αἰνιάνων δὲ δώδεκα στόλοι
Ναῶν ἦσαν, ὧν ἄναξ Γυνεὺς ἦρχε. D

Homerus Guneum XXII. navibus præfuisse scribit *Iliad.* B. v. 748. seq.

Γυνεὺς δ' ἐκ Κύφυ ἦγε δύω καὶ εἴκοσι νῆας,
Τῷ δ' Ενιῆνες ἕποντο μενεπτόλεμοί τε Πέραιβοι,
&c.

Aristotelis in Guneum exstat Epitaphium:

Σῆμα τὸ μὲν Γυνῆος ὁρᾷς. Ψυχὴ δὲ θανόντος
Αέρ' ἐς ὑγρὸν ἔβη. σῶμα δὲ πόντος ἔχει.

Ænianes Ætoli & Athamantes, junctis cum Amynta Rege copiis, oppresserunt, Strabo *l.* IX. p. 427. sic enim reddo ἐξέφθειραν hoc loco: non cum Xylandro & Casaubono *deleverunt.*: neque enim Gens ea tum deleta fuit. E

Olymp. CXIV. 2. Ænianes Atheniensium socii fuerunt bello Lamiaco, Diodor. *l.* XVIII. p. 595.

Ænianes & Heracleotæ Brenno itineris duces fuerunt; non quod infenso in Græcos animo essent, sed quod bene secum actum iri putarent, si e suis finibus discessissent Galli, priusquam omnia pessum darent, Pausan. *Phocic.* p. 651.

Ænianes se Thessalis contribuere jussit Augustus Imp. Pausan. *Phocic.* p. 651. F

GONNII.

GOnni urbs Perrhæbiæ, ἀπὸ Γυνέως κληθεῖσα τῦ ἀπογόνυ, ὥς φησιν Ομηρος, Stephan. Sed Homer. *Iliad.* B. v. 478. Κύφος urbs est: quod ipse Stephanus confirmat *in* Κύφος: Κύφος, inquit, πόλις Περῤαιβίας, ἀπὸ Κύφυ, τῦ παιδὸς Περῤαιβῦ. Sic & Eustath. *in Iliad.* B. cui Perrhæbus Παλλινεὺς dicitur.

CYPHÆI.

CYphus urbs Perrhæbiæ, nomen accepit a Cypho Perrhæbi filio, Stephan. vide in *Gonniis.* ἔστι δέ φασι καὶ Θετταλικὴ, Eustath. *in Iliad.*

ARGISSÆI.

ARgissa urbs Thessaliæ, Schol. min. *Iliad.* B. Sita est super Peneum fl. condita a filiis Larissæ. Stephanus ait vocatam postea Arguram. Argissa vero appellata fuit, vel ab Argivis, vel διὰ τὸ προσκυρῦν τοῖς πεδίοις τῆς Θεσσαλίας, Eustath. *in Iliad.* B. Argissensium dux ad bellum Trojanum fuit Polypœtes Pirithoi & Hippodameæ filius, Jovis nepos, Homer. *Iliad.* B. v. 738. seqq.

GYRTONII.

GYrton urbs Thessaliæ aut Perrhæbiæ, quam Homerus Γυρτώνην vocat, Stephan. Schol. Apollon. Eustath. in *Iliad.* B. Nomen accepit a Gyrtone filia Phlegyæ, Schol. Apollon. *l.* I. v. 57. Gyrtonios antiquitus Phlegyas a Phlegya Ixionis fratre nominatos fuisse scribit Strabo *l.* IX. p. 442. Γυρτῶνος πόλεως Περῤαιβίδος, idem *eod. lib.* p. 439.

Cæneus Gyrtonius fabulose fertur primum fœmina fuisse, inde post Neptuni concubitum transmutatus in marem: hoc enim, & simul ne vulnerari posset, petierat: contendit vero cum Apolline, & victus fuit. Idem prætereuntes suam hastam jurare coegit, unde proverbium, τὸ Καινέως δόρυ. Quidam ajunt Cæneum fuisse socium expeditionis Colchicæ, Schol. Apollon. Cæneus cum Centauros solus in fugam vertisset, illi rursus impetu facto ipsum, cum vulnerari non posset, abietibus obruerunt, Apollon. *Argon.* lib. I. v. 59. seq.

Coronus Cænei F. socius fuit expeditionis Colchicæ, Apollon. *Argon.* l. I. v. 57.

Orthe urbs Perrhæbiæ vel Thessaliæ: dicta etiam Corsea, Eustath. *in Iliad.* B.

Elone condita fuit ab Hercule, cæsis Centauris: dicta etiam Limone διὰ τὸ ἐν αὐτῇ λειμῶνα, Eustath. *in Iliad.* B.

Oloosson urbs Perrhæbiæ, idem *ibidem.*

ATHAMANES.

AThamanes & Perrhæbos tanquam vicinos conjunxit Homerus: qui vero post scripserunt, Athamanes longo tempore habitasse auctores sunt in Dotio campo, qui Perrhæbiæ, Ossæ ac Bœbeidi paludi propinquus est, in media fere Thessalia, propriis inclusus collibus. Verum Athamanes plerique in Oetam a Lapithis ejecti, ibique rerum potiti fuerunt, cum & Doriensibus & Maliensibus quædam loca eripuissent, usque ad Heracleam & Echinum: quidam apud Cyphum montem Perrhæbicum urbi cognominem consederunt, Strabo *l.* IX. p. 442. Hinc Stephanus scribit Athamaniam a quibusdam Thessaliæ regionem dici. Marcian. p. 25.

Τῇ Θετταλίᾳ δ' ἐστὶ ὅμορος ἡ Ἀθαμανία.

Athamanes ὕστατοι τῶν Ηπειρωτῶν dicuntur Straboni *l.* IX. p. 427. & Αθαμανία χώρα Ἰλλυρίας Stephano. In iis enim partibus postea habitarunt.

Athamanes ad dignitatem evecti, reliquis jam defatigatis, & cum Amynta Rege comparato exercitu Ænianes oppresserunt, Strabo *l.* IX. p. 427. vide in *Ænianibus.*

Athamanes Athenienſium ſocii fuerunt bello Lamiaco, Diodor. *l.* XVIII. p. 595.

Athamanes poſtea in Theſſalis cenſeri cœpti fuerunt, Strabo *l.* IX. p.434. Ἐν τῇ Ἀθαμάνων χώρᾳ γεωργοῦσι μὲν αἱ γυναῖκες, νέμουσι δὲ οἱ ἄνδρες, Heraclid. *de Polit.*

DOLOPES.

DOlopes, gens Theſſalis finitima, ſic appellata a Dolope, Stephan. Dolops Mercurii filius in urbe Magneſe periit, ibique ad littus ſepultus fuit, Schol. Apollon. *Arg.* l. I. v. 587. Marcian. p. 25.

Δόλοπές τε Περῥαιβοί τε συνορίζοντ' ἔθνη.

Dolopum regio vicina Pindo fuit & circumjacentibus locis: Homerus vero manifeſte ait Dolopes habitaſſe in extremo Phthiæ, & ſub eodem principe Peleo fuiſſe eos & Phthiotas, Strabo *l.* IX. pag. 434. Δόλοπες ἔθνος Θεσσαλίας, Schol. Apollon.

Dolopum Regem Peleus conſtituit Phœnicem Amyntoris F. Apollod. *l.* III. p. 127. *β.* Strabo *l.* IX. p. 434.

Ὃς (Φοῖνιξ) Δολόπων ἄγαγε θρασὺν ὅμιλον σφενδονᾶσαι,
Ἱπποδάμων Δαναῶν βέλεσι πρόσφορον.

Pindar. apud Strabon. *l.* IX. p. 431. Κτιμένη πόλις Θετταλίας, ὑπὸ Πηλέως Φοίνικι δωρηθεῖσα, ἧς τοὺς πολίτας Ὅμηρος Δόλοπάς φησιν, Stephan.

Dolopes Xerxi terreſtres copias præbuerunt, Herodot. *l.* VII. p. 507.

Dolopes Athenienſium ſocii fuerunt bello Lamiaco, Diodor. *l.* XVIII. p. 595.

Dolopum gens, imperante Auguſto, interciderat, Pauſan. *Phocic.* p. 622.

De Dolopibus in Scyro: vide illic.

Ctimene urbs Theſſaliæ, Schol. Apoll. Ad lacum Xyniadem Ctimenen Dolopeidem inhabitavit Eurydamas Ctimeni F. ſocius expeditionis Argonauticæ, Apollon. *Argon.* l. I. v. 67. ſeq.

ORMENII.

ORmenus Cercaphi F. Æoli nepos, urbem Ormenium condidit, Scepſius apud Strabon. *l.* IX. p. 438. ſitam in Theſſalia inter Pheras & Lariſſam, Euſtath. *in Iliad.* B. Ormeni filii fuerunt Amyntor & Euæmon. Amyntore Phœnix natus fuit, qui a patre ex Ormenio (inſimulatus falſo, apud patrem a Clytia patris pellice, tentatæ pudicitiæ, Apollod. *l.* III. p. 127. *β.*) profugit Phthiam ad Peleum, a quo regnum Dolopum conſecutus fuit. Euæmonis filius fuit Eurypylus: is, quia Phœnix e familia abſceſſerat, totam hæreditatem avi conſecutus fuit, Scepſius apud Strabon. *l.* IX. p. 438. 439. Fueruntque ſub Eurypylo, Homer. *Iliad.* B. v. 734. ſeq.

Οἳ δ' ἔχον Ὀρμένιον, οἵ τε κρήνην Ὑπέρειαν,
Οἵ τ' ἔχον Ἀστέριον, Τιτάνοιό τε λευκὰ κάρηνα.

Eoque duce ad Trojanum bellum iverunt, v. 736. Ariſtotelis in Eurypylum exſtat Epitaphium:

Πάτρῃ ἐν Ὀρμενίῳ Εὐαίμονος ἀγλαὸν υἱὸν
Εὐρύπυλον κρύπτει δακρυόεσσα κόνις.

Pro Ὀρμενίῳ mendoſe legitur Ὀρχομενῷ: quod non obſervatum a Cantero: nam vertit *Orchomeni patriæ*. Γένος ἐπίσημον οἱ Ὀρμενίδαι, Schol. Callimach. *Hymn. in Cerer.* Ormenium poſtea Orminium dictum, & κώμην fuiſſe circa Pagaſiticum ſinum ſcribit Strabo *l.* IX. p. 438.

Ormenium Demetriadem tranſtulit Demetrius Poliorceta, Strabo *l.* IX. p. 436.

Fontem Hyperean, ſic appellatam ab Hyperete Lycaonis filio, fuiſſe in media Pheræorum urbe, ſcribit Euſtath. *in Iliad.* B.

Aſterion urbs Theſſaliæ, nomen accepit ab Aſterio Heroe, vel quod edito loco ſita τοῖς πόῤῥωθεν ὡς ἀστὴρ φαίνεται, Euſtath. *in Iliad.* B.

Titanus mons Theſſaliæ ab albedine ſic dictus: nam τίτανος λευκή ἐστι γῆ, Schol. min. & Euſtath. *in Iliad.* B.

ACHÆI in Theſſalia.

XUthus Hellenis F. e Theſſalia Athenas profugit: vide in *Ionibus*.

Achæus Xuthi F. aſſumptis ex Ægialo & Athenis auxiliis in Theſſaliam rediit, ac paternum recepit principatum, Pauſan. *Achaic.* init. Ὁ δὲ Ἀχαιὸς φόνον ἐμφύλιον δράσας, παρεγένετο εἰς Θεσσαλίαν, καὶ κυριεύσας τῆς χώρας, τοὺς ὑποτεταγμένους ἀφ' ἑαυτοῦ προσηγόρευσεν Ἀχαιούς, Schol. min. *Iliad.* A. init. Ab Achæo Achæi appellati fuerunt, Apollod. *l.* I. p. 14. *α.* Achæos vocat Homerus eos qui etiam nunc Melitiam incolunt, & Lariſſam Cremaſten, & Thebas Achaides, quibus Phylace ante nomen fuit: unde & Proteſilaus fuit, qui ad Ilium militavit, Dicæarch. p. 178. Μελιτίαν τῆς Ἀχαΐας, Thucyd. *l.* IV. p. 304. Ἐρινεὸν τῆς Ἀχαΐας ἐν τῇ Ῥυπικῇ, Thucyd. *l.* VII. p. 513. Quas Ἀχαιΐδας Θήβας Dicæarchus vocat, Steph. & Strabo *l.* IX. p. 431. vocant τῆς Φθιώτιδος & Φθιώτιδας: nec mirum, cum eadem regio Φθιῶτις & Ἀχαΐκὴ appelletur a Strabone *l.* IX. p. 433. Euſtathio *in Iliad.* I. Hellas & Phthia urbes Achaides dicuntur, διότι, inquit, καὶ οἱ ἐκεῖσε Μυρμιδόνες Ἀχαιοὶ ἐκαλοῦντο: adeo ut illi Μυρμιδόνες, Ἕλληνες & Ἀχαιοὶ iidem ſint, quos accurate diſtinguit Dicæarchus; ſed vix alii. Marcian. p. 25.

Ἀχαιοὶ παράλιοι Φθιωτικοί.

ita enim Scaliger legit. Achæi filii Archander & Architeles in Peloponneſum commigrarunt: vide in *Achæis Peloponn.*

Achæi ex oraculo Athamantem ad expiandam regionem erant immolaturi; ſed Cytiſſorus Phrixi filius e Colchide adveniens, eum liberavit. Eo facto in poſteros Dei iram concitavit, ut qui ex iis natu maximus eſſet, is prytanei (λήϊτον vocant Achæi) aditu arceretur: & ſi quis adiiſſet, non prius inde exire, Achæis cuſtodientibus, poſſet, quam mactaretur. Ita multi cum mactandi eſſent, metuentes ſibi alio profugerunt: interjecto deinde tempore reverſi, ſi prytaneum ingredi deprenſi eſſent, toto corpore coronis cooperto, & cum pompa educti, mactari conſueverunt, Herodot. *lib.* VII. p. 511. 512. Ὥσπερ με τὸν Ἀθάμαντα ὅπως μὴ θύσετε, Ariſtoph *Nubib.* p. 138. Προσαχθεὶς στεφανηφορῶν Athamas ἐν τῷ βωμῷ τοῦ Διὸς σφαγησόμενος, ὑπὸ Ἡρακλέους σέσωσται. οὕτω γὰρ Σοφοκλῆς ἐν δράματι πεποίηκε, Schol. Ariſtoph.

Achæi pedeſtres copias Xerxi præbuerunt, Herodot. *lib.* VII. p.507.

Achaiæ fluviorum quum maximus ſit Apidanus, potanti tamen exercitui Xerxis non ſuffecit, niſi parce admodum, Herodot. *lib.* VII. p. 511.

PHTHIOTÆ & MYRMIDONES.

PHthia urbs, & regio Theſſaliæ, nomen accepit a Phthia muliere; vel a Phthio Neptuni & Lariſſæ filio, Euſtath. *in Iliad.* A. e Stephano. Ælianus meminit cujuſdam virginis Phthiæ, quam Jupiter, amore ejus captus, in columbam tranſmutarit, Euſtath. *ibid.* Regionem eſſe Phthiam Par-

menifcus ait, urbem eſſe negat, ſed perperam, Stephan. Φθίαν τε οἱ μὲν τὴν αὐτὴν εἶναι τῇ Ἑλλάδι καὶ Ἀχαΐᾳ, οἱ δὲ διαιροῦσιν, Strabo *lib.* IX. p. 431. Ἀχαιοὶ δ' ἐκαλοῦντο οἱ Φθιῶται πάντες, Strabo *lib.* IX. p. 433. Homerus diſtinguit Helladem a Phthia *Iliad.* I. v. 447.

Οἵ τ' εἶχον Φθίην, οἵ δ' Ἑλλάδα καλλιγύναικα.

Et v. 474.

Φεῦγον ἔπειτ' ἀπάνευθε δι' Ἑλλάδος εὐρυχόροιο,
Φθίην δ' ἐξικόμην.

Et *Odyſſ.* Λ. v. 495.

Ἀν' Ἑλλάδα τε Φθίην τε.

Ὁ μὲν οὖν Ποιητὴς δύο ποιεῖ, πότερον δὲ πόλεις, ἢ χώρας οὐ δηλοῖ, Strabo *lib.* IX. p. 431. Habitarunt autem in Phthiotide ſub Rege Deucalione, qui poſtea Hellenes appellati fuerunt, Herodot. *lib.* I. p. 23. E Phthiotide Achæi filios Argos commigraſſe ſcribit Pauſanias *Achaic.* p. 397. Phthios vocatos fuiſſe & qui ſub Achille, & ſub Proteſilao, & ſub Philoctete, & forte etiam qui ſub Eurypylo erant Φθίοις Achillis ὅμοροι ſcribit Strabo *lib.* IX. p. 432.

Eurytion Actoris filius, Deionis Regis Phocidis nepos, in Phthiotide regnavit, Apollod. *lib.* I. p. 18. α. & *lib.* III. p. 125. α. Eurytion Iri filius Actoris nepos eſt, Scholiaſt. Apollon. *Argon.* & ipſi Apollon. *lib.* I. v. 72. Ad Eurytionem Phthiam venit.

Peleus Æaci filius ob fratris Phoci cædem ex Ægina profugus, & ab Eurytione expiatus Antigonen filiam ejus uxorem duxit, atque in tertiam regni partem adſcitus fuit. Antigone Peleo Polydoram filiam peperit, quæ poſtea Boro Perieris F. nupſit. Inde Peleus in apri Calydonii venationem cum Eurytione egreſſus, miſſo in aprum telo, aberrante ictu, Eurytionem occidit. Relicta itaque Phthia Jolcum conceſſit ad Acaſtum, a quo luſtratus fuit. Ibi cum Atalanta, ludis in Peliæ honorem inſtitutis, lucta decertavit, & Aſtydameæ Acaſti uxori, ejus amore captæ, ac per literas eum de concubitu interpellanti, conſenſum negavit. Illa repulſam paſſa apud Antigonen Pelei uxorem per nuncium finxit Steropen Acaſti filiam a Peleo propediem ductum iri uxorem; id ubi audivit Antigone, laqueo ſe præfocavit. Aſtydamea porro Peleum apud virum quæſiti concubitus accuſavit. Acaſtus Peleum in montem Pelium venatum abduxit, ſomnoque illic oppreſſum deſeruit, & detractum illi enſem fimo condidit. Peleus diſcuſſo ſomno, dum enſem quærit, a Centauris comprehenſus jam jam moriturus, ope Chironis ſervatus fuit. Poſtea Peleus Thetin uxorem duxit, & ex illa filium ſuſtulit, quem Chironi alendum tradidit, Apollod. *lib.* III. pag. 125. α. ſeqq. Paulo aliter hæc refert Schol. Pind. *Nem.* ode IV. ſtrophe III. Peleus cum in Phthiam adduxiſſet Thetin, habitavit Pharſali & Thetidei, quæ urbs a Thetide id nomen accepit, Schol. Pindar. *loco cit.* Apollon. *Argon. lib.* I. v. 94.

Πηλεὺς δ' ἐν Φθίῃ ἐξεβώλακι ναῖε λιαθείς.

Nuptiis Pelei interfuerunt Dii, eique dona nuptialia dederunt, Pindar. *Pyth.* ode III. ſtrophe V. Τῷ μὲν γὰρ Πηλεῖ γαμοῦντι τὴν Θέτιν, ὁ Ποσειδῶν διὰ τὴν σωφροσύνην ἐδωρήσατο ἵππους, Ἥφαιστος δὲ μάχαιραν, Schol. Pindari. Peleus poſtea auxiliis Jaſonis, & Dioſcurorum Jolcum expugnavit, & Aſtydamean occidit, diſſectiſque ejus membris per illa exercitum in urbem traduxit, Apollodor. *lib.* III. p. 127. α. Solum expugnaſſe Jolcum auctor eſt Pindar. *Nem.* III. antiſtr. II.

Ὃς (Πηλεὺς) Ἰωλκὸν εἷλε
Μόνος ἄνευ στρατιᾶς.

Idem *Nem.* ode IV. ſtrophe III.

Παλίου δὲ πὰρ ποδὶ λα-
τρείαν Ἰαωλκὸν
Πολεμίᾳ χερὶ προστραπὼν
Πηλεὺς παρέδωκεν Αἱμόνεσσι.
Δάμαρτος Ἱππολύτας
Ἀκάστου, δολίαις
Τέχναισι χρησάμενος.

Mymidones fugientem Peleum ex Ægina Phthiam ſecuti fuerunt. Μυρμιδόνας — οἳ συνηκολούθησαν ἐξ Αἰγίνης φεύγοντι τῷ Πηλεῖ, Strabo *l.* IX. p. 433.

Achilles Pelei, & Thetidis filius hoc nomen accepit a Chirone, (a quo leonum viſceribus & aprorum urſorumque medullis enutritus fuit) ὅτι τὰ χείλη μαστοῖς οὐ προσήνεγκε, cum ante Ligyron illi nomen eſſet, Apollod. *lib.* III. p. 127. α. Agameſtor Pharſalius auctor eſt Achillem prius Πυρίσσοον appellatum fuiſſe, in Thetidis Epithalamio: deinde quamcunque ob rationem Achillem vocatum, quod hi verſus oſtendunt:

Παιδ' ᾧ οὔνομα θῆκε Πυρίσσοον, ἀλλ' Ἀχιλῆα
Πηλεὺς κίκλησκεν, χείλεος εἵνεκέ μιν
Κείμενον εἰνὶ κόνει, σποδιῇ ἔνι, πῦρ ἀπάμαρσε
Χείλεος αἰθομένου ἀπροφάτως ἑτέρου.

Schol. Lycophr. Nam ubi Thetis e Peleo conceptum partum edidit, eum immortalem factura, clam Peleo noctu in igne abſcondidit, & quicquid in eo paternæ mortalitatis inerat, excoxit, interdiu vero eum ambroſia inunxit. Peleus vero conſpicatus puerum in igne palpitantem exclamavit, Thetiſque, quo minus inſtitutum exſequeretur, impedita fuit, Apollod. *lib.* III. p. 126. β. vide Schol. Pindar. *Pyth.* ode III. Auctor Etym. mag. ſcribit Achillem hoc nomen accepiſſe, ſive παρὰ τὸ ἄχος λύειν, *a dolore tollendo*, nam medicus fuit: ſive διὰ τὸ ἄχος, *ob dolorem*, cujus, & matri, & Trojanis auctor fuit: ſive quod *labris* (χείλεσι) mammas non ſuxerit, ſed cervorum medullis a Chirone enutritus fuerit: unde ita appellatum a Myrmidonibus ſcribit Euphorion:

Ἐς Φθίην χιλοῖο κατήιε πάμπαν ἄπαστος,
Τοὔνεκα Μυρμιδόνες μιν Ἀχιλλέα φημίζοντο.

Achilles expleto anno ætatis nono, muliebri veſte a matre tectus in inſulam Scyron eeductus, ac Lycomedi Regi, tanquam virgo, commendatus fuit, quod mater prævidiſſet eum, ſi in bello Trojano militaret, omnino periturum, & Calchas prædixiſſet Trojam ſine ipſo capi non poſſe, Apollod. *lib.* III. p. 127. α. Achilles Regis Scyri filiam Deidamiam compreſſit, unde illi natus fuit filius Pyrrhus, qui poſtea Neoptolemus appellatus fuit, Apollod. *lib.* III. p. 127. β. Achilles Ulyſſis arte inventus in Scyro, ac ad bellum Trojanum perductus fuit, Apollod. *ibidem*. Ariſtotelis in Achillem exſtat Epitaphium:

Παῖδα Θεᾶς Θέτιδος, Πηληϊάδην Ἀχιλῆα
Ἥδ' ἱερὰ Προποντὶς ἀμφὶς ἔχει πεδίῳ,

Item:

Θεσσαλὸς οὗτος ἀνὴρ Ἀχιλεὺς ἐν τῷδε τέθαπται
Τύμβῳ. ἐθρήνησαν δ' ἐννέα Πιερίδες.

Achæi Phthiotæ Theſſalis, devicto Philippo, a Romanis dati, Livius *lib.* XXXIII.

Phthiotas Nicopolitanis ad Actium ſe contribuere juſſit Auguſtus Imp. Pauſan. *Phocic.* p. 622.

ALUSII.

ALos urbs Achaiæ & Phthiotidis, ſub extremo Othrye, diſtans ab Itone LX. circiter ſtadia, condita ab Athamante, ἀπὸ τ̃ συμβάσης αὐτῷ ἄλης. (id eſt, ab errore, in quem incidit furore correptus, Euſtath. *Iliad.* B.) Theon vero ſcribit Alon ancillam fuiſſe Athamanthis, quæ Ino docuerit φρύγειν τὰ σπέρματα, & in ejus memoriam appellatam fuiſſe urbem, Stephan. Ὁ δὲ Φθιωτικὸς Ἄλως ὑπὸ τῷ πέρατι κεῖται τ̃ Ὄθρυος ὄρυς. —— ἀπέχει δ' Ἰτώνυ περὶ ἑξήκοντα ςαδίυς ὁ Ἄλος, ἢ ἡ Ἄλος. Λέγεται γὰρ ἀμφοτέρως. ᾤκισε δὲ ὁ Ἀθάμας τ̃ Ἄλον, Strabo *l.* IX. p. 433. Athamas hic fuit Æoli (Neptuni) filius. Is ex uxore Nephele Phrixum genuit & Hellen. Et Nephele mortua liberis novercam induxit Ino Cadmi filiam, quæ illi Learchum & Melicerten peperit. E Themiſto vero Hypſei filia nati illi fuerunt Leucon, Erythroes, Schœneus & Ptous. (Σχοινεὺς, Ἐρύθειος, Λεύκων, Πτῶος, Schol. Apollon. *Argon.* l. II. v. 1147. ex Herodoro) Leuconis filius fuit Argennus ab Agamemnone amatus, Boetius, Stephan. *in* Ἄργεννος. Ino vero Nephelæ liberis inſidiata, fœminis perſuaſit, ut clam viris ſemina torrerent. Ita terra, cum toſta ſemina excepiſſet, fructum nullum protulit. Athamas eam ob cauſam Delphos conſulturos oraculum miſit: ii, Inus ſuaſu, reſponderunt, ii ſterilitatem eam ſublatam cuperent, Apollinem præcepiſſe, Jovi Phrixum eſſe immolandum. Quod cum Athamas, cogentibus etiam incolis, facturus eſſet, Phrixus ad aram conſtitutus, cum Helle ſorore a Nephele ereptus fuit, acceptoque a Mercurio ariete aurei velleris, ejus ope aufugit. Sed cum ad fretum, quod inter Sigeum eſt & Cherſoneſum veniſſent, Helle in mare decidit, ſubmerſa nomen Helleſponto dedit: Phrixus vero ad Æeten Colchos pervenit, Apollodor. *l.* I. p. 20. β. 21. α. 22. α. & *l.* III. p 92. α. Scholiaſt. Ariſtoph. *Nubib.* pag. 138. Quidam tradunt Phrixum navi vectum, cujus in prora facies arietis expreſſa fuerit, & Hellen cum nauſeæ moleſtiam evomitura in pariete navis prominerer, in mare decidiſſe, Diodor. *l.* IV. pag. 250. Ἔνιοι δέ φασιν αὐτὸ (Phrixum) ἐπὶ κριοπρώρυ σκάφυς πλεῦσαι. Διονύσιος δὲ ἐν β'. κριόν φησι Φρίξυ τροφέα γενέσθαι, κὴ συμπεπλευκέναι αὐτῷ εἰς Κόλχυς, Schol. Apollon. *l.* I. p. 28. Διονύσιος ἐν τ̃ Ἀργοναύταις φησὶ Κριὸν γεγονέναι τροφέα Φρίξυ. ὃν αἰσθόμενον τ̃ ἐπιβυλῆς Ἰνῦς, ὑποθέσθαι τῷ Φρίξῳ, τ̃ φυγὴν ποιήσασθαι. ὅθεν κὴ μεμυθεῦσθαι, ὡς ὑπὸ κριῦ διασωθείη, Schol. Apollon. *Argon.* l. II. v. 1147. Ἦν δὲ αὐτῷ (Athamanti) ἀνὴρ ἐπίτροπος τ̃ χρημάτων, ὃν μάλιςα πιςὸν ἡγεῖτο, ὀνόματι Κριός, Palæphat. *Incred.* Athamas deinde Junonis ira, etiam filiis, quos ex Ino ſuſtulerat, orbatus fuit. Etenim a Junone furore immiſſo, quod Bacchum alendum ipſe & uxor ſuſcepiſſent, Learchum ipſe ſagitta, velut cervum venatus, confodit: Ino vero Melicerten ſecum ipſa in mare (de ſaxo, quam Moluridem Petram appellant, Pauſan.) præcipitem dedit, Apollod. *l.* I. p. 21. β. & *l.* III. p. 92. β. vide Pauſan. *Bœot.* p. 594. 595. Athamantis filio Leuconi morbus vitam ademit, relicta filia Euippe, quæ Eteocli Andrei F. nupſit, Pauſan. *Bœot.* p. 594. 595.

Athamantem Achæi immolaturi erant: vide in *Achæis*.

Athamas ab Andreo agri partem accepit: vide in *Orchomeniis*.

ALOENSES.

ALoion urbs Theſſaliæ ſuper Tempe, ab Aloidis, qui Thraces oppreſſerunt, condita, ut nomen acceperit ἀπὸ Ἀλωέως, Stephan. Fuit vero Aloeus Neptuni & Canaces Æolo genitæ filius, uxoremque habuit fratris Triopis filiam Iphimediam, quæ a Neptuno compreſſa geminos peperit Otum & Ephialten, qui Aloidæ appellati ſunt, Apollod. *l.* I. p. 14. β. 15. α. Helii ex Antiope filius, Æetæ frater dicitur Eumelo apud Schol. Pindar. *Olymp.* ode XIII. ſtrophe III. & Tzetzen Lycoph. Epopeum filium habuit: de quo vide in *Sicyon.* & *Corinth.* De Aloidis, ut bellum Jovi intulerint, & Olympo Oſſam, Oſſæ Pelium impoſuerint, & plures ejus generis nugas vide Apollod. *l.* I. p. 15. α. β.

ALOPENSES.

ALope urbs Theſſaliæ vel Magneſiæ, Schol. Apollon. *Argon.* l. I. v. 51.

Alope, urbs Theſſaliæ, nomen accepit ab Alope Cercyonis, ut Pherecydes ait, vel Actoris, ut Philonidas ſcribit, filia: ſita eſt inter Lariſſam Cremaſten & Echinum, Stephan. Euſtathius *in Iliad.* B.

Erytus & Echion Mercurii filii ex Antianira Meneteide: & Æthalides Mercurii filius e Phthia Myrmidonis filia, Alopenſes ſocii fuere expeditionis Argonauticæ, Apollon. *Argon.* lib. I. v. 51. ſeqq.

ECHINÆI.

ECHinus extrema urbs Malienſium, Scyl. Caryand. p. 131. in ſinu Maliaco eam ponit Marcian. p. 25.

Κόλπος δὲ κεῖται Μαλιακὸς ἐν τῷ μυχῷ
Ἐχῖνος· ἡ πόλις ἐςὶ τ̃ Σπαρτῶ κτίσις
Ἐχῖνος, κὴ ἐναλίων ἄλλαι πόλεις.

Inter maritima Phthiotidis eam recenſet Ptolemæus: Phthioticæ ditionis ſub Achille eam cenſeri ſcribit Strabo *l.* IX. p. 433. Ἐχίου ἄςυ eam vocavit Rhianus, conditamque ab Echino ſcribit Stephanus. Sed Acarnaniæ urbem hic vocat, ſine auctore.

ACARNANES.

ALcmæon Amphiarai filius, cum propter matris Eriphyles cædem a Furiis agitatus & vagabundus erraret, ex oraculo Apollinis didicit, non ante ſe terroribus liberatum iri, quam in ea regione locum incolendum reperiſſet, quæ necdum a ſole, quando matrem interfecit, conſpecta fuiſſet, neque tellus eſſet: quod cæde matris omnem ipſe aliam terram polluiſſet. Is vero conſilii inops, vix tandem animadvertit, iſtud ſolum, quod limo congeſto Acheolus fl. conſolidarat, ab eo exſtitiſſe tempore, quo ille matre cæſa multos annos erraviſſet. Id cum ſibi ſatis amplum videretur, ſuarum fortunarum ſedem occupavit: & de filii ſui Acarnanis nomine regionem eam, in qua imperium habebat, Acarnaniam nuncupavit, Thucyd. *l.* II. p 171. Ephorus apud Strabon *l.* X. p. 462. Apollod. *l.* III. p. 107. 108. Marcian. p. 19.

Ὧν (Ἀκαρνάνων) τὰς μὲν Ἀλκμαίωνά φασιν οἰκίσαι,
Τὰς δὲ τ̃ ἐκείνυ παῖδ' Ἀκαρνᾶνα κτίσαι.

At Stephanus τὸ Ἀκαρνὰν παρὰ τὸ κείρεσθαι deducit: διὸ, inquit, καλῦνται μὲν κειρόμενοι Κυρῆτες, οἱ δὲ ἀκέρσεκοι Ἀκαρνᾶνες. Sic Antimachus Euboenſis eos διὰ τὸ ἀκύρυς φυλάττειν τὰς κεφαλὰς Ἀκαρνᾶνας dictos fuiſſe ait apud Strabon *l.* X. p. 466. Ἀκαρνᾶνες. ὠνομάσθησαν δὲ ὅτως, παρὰ τὸ μὴ κείρεσθαι τὰς κόρας, Schol. min. *Iliad.* I. vide in *Curetibus*. Curetes ab

Ætolo ex Ætolia pulsos in Acarnaniam concessisse, auctor est Ephorus apud Strabon. *lib.* X. p 463. Acarnaniæ unam partem Curetes, aliam occiduam Leleges, deinde Teleboas, tenuisse prodidit Aristoteles in Acarnan. Rep. teste Strabone *lib.* VII. p. 321. Curetes hanc gentem appellatam fuisse antea, scribit Pausan. *Arcad.* p. 492. Alcmæon uxorem habuit Callirrhoen, Acheloi fl. ut Acarnanes dicunt, filiam, & ex ea filios Amphoterum & Acarnanem, Pausan. *Arcad.* pag. 492. Apollod. *lib.* III. p. 107. β. Alcmæon a Phegei filiis occisus fuit: ejus vero mortem vindicarunt filii: vide in *Phegiensibus*. Icarius Tyndarei frater, cum ad Thestium Pleuronem confugisset, iis in terris mansit: & quandam Acarnaniæ partem possedit: & e Polycaste Lygæi filia Penelopen & ejus fratres genuit, Strabo *lib.* X. p. 461. Icarium & Leucadium filium regnasse in Acarnania scribit Auctor Alcmæonidis, Strabo *lib.* X. p. 452.

Alcarnaniam Laertes, & Cephallenii possederunt, Strabo *lib.* X. p. 461.

Acarnanes socii fuerunt expeditionis ad Trojam susceptæ, Strabo *lib.* X. pag. 461. contra Ephorum.

Acarnanibus Amphilochi Argis pulsi ab Ambraciotis se dediderunt, & Acarnanes pariter ac Amphilochi, ope Atheniensium ejectis Ambraciotis Argos communiter incolere cœperunt: atque tum primum inter Athenienses & Acarnanes societas inita fuit, Thucyd. *lib.* II. p. 144. Fueruntque Acarnanum plerique Atheniensium socii bello Peloponnesiaco, Thucyd. *lib.* II. p. 105.

Olymp. LXXXVII. 4. Acarnaniam Lacedæmonii Ambraciotarum & Chaonum suasu subigere conati fuerunt, magnisque sociorum copiis adscitis maximam Acarnaniæ urbem oppugnare cœperunt, rati cæteras urbes facile secuturas. Sed dum Chaones virium fiducia, & longius a sociis, & audacius, ad urbem expugnandam ruunt, a Stratiis, magna accepta clade, fusi fugatique sunt. Et Lacedæmonii, cum audissent Acarnanum auxilia undique cogi, re infecta domum redierunt, Thucyd. *lib.* II. p. 152. 153. 154.

Olymp. LXXXVIII. 4. Acarnanes fœdus postea & societatem cum Ambraciotis in C. annos pepigerunt, Thucyd. *lib.* III. p. 249. veriti scilicet, ne Athenienses, qui Ambraciam occupare conabantur, graviores forent vicini, ea potiti, quam fuerant Ambraciotæ, Diodor. *lib.* XII. p. 112.

Acarnanes anno post Oeniadas a Messeniis Naupactiis urbe & agro pulsos, contractis omnibus ex urbibus copiis, Naupactum aggredi constituerunt: mutato vero consilio, quod per Ætolos sibi iter faciendum esset, quibuscum assiduas exercebant inimicitias, quodque Naupactiis classe instructis se pedestribus tantum copiis armatos impares fore putarent, in Messenios, qui Oeniadis erant, omnem belli impetum converterunt. Acie dimicatum fuit usque ad extremum diei, victoria ancipiti. Sed cum ex proximis urbibus supplementum Acarnanibus missum esset, Messeniis se intra mœnia recipientibus, res ad obsidionem deducta fuit. Messenii vero, deficiente commeatu, clam portis egressi, tamen hostem fallere non potuerunt: itaque manus conserere coacti, circiter trecentos de suo agmine amiserunt: plures hostium ipsi trucidarunt: mox via sibi per medios Acarnanes facta, per Ætolos Naupactum redierunt, Pausan. *Messen.* p. 262. 263. 264.

Acarnanes Anactorium colonos miserunt: vide in *Anactoriis*.

Acarnanes bello Corinthiaco adversus Lacedæmonios stabant, Xenoph. *Hellen. lib.* IV. p. 402.

Acarnanes Ætolos bello premebant; sed Agesilaus Rex Spartanus in Ætoliam profectus, Ætolis opem laturus, Acarnanes ab armis discedere coegit, cum jam parum tamen abesset, quin & Calydonem, & alia Ætoliæ oppida, expugnassent, Pausan. *Lacon.* p. 177. vide Xenoph. *Hellen. lib.* IV. p. 414. 415. 416. & *Agesil.* p. 523.

Olym. CXIV. 3. Acarnanes, dum Ætoli in Thessalia bellum gerunt, Ætoliam invaserunt, agrosque vastarunt, & urbes obsederunt, sed supervenientes Ætoli, terrore Acarnantibus incusso, patriam periculo exemerunt, Diodor. *lib.* XVIII. p. 617. 618.

Olymp. CXVI. 3. Acarnanes cum Cassandro societatem contra Ætolos inierunt, ejusque consilio e minoribus castellis in pauciores urbes habitatum concesserunt, quo magis præsto essent ad mutuum ferendum auxilium, & inopinatos hostium impetus sustinendos: maxima pars Stratopolin, Oeniadæ aliique nonnulli Saurion, Dorienses cum cæteris Agrinium commigrarunt, Diodorus *lib.* XIX. pag. 708.

Acarnanes impetratis a Philippo Demetrii F. Macedonum auxiliis bellum Atheniensibus intulerunt, Atticamque ferro ignique depopulati, cum omnis generis præda in Acarnaniam redierunt, Livius *lib.* XXXI.

ŒNIADÆ.

Oeniadæ urbs Acarnaniæ ad Acheloum fl. quæ & Erysiche vocabatur, Stephan.

Oeniadis Athenienses arma intulerunt, sed obsessam urbem capere non potuerunt, Thucyd. *lib.* I. p. 72. fueruntque Oeniadæ soli omnium Acarnanum perpetui Atheniensium hostes, Thucyd. *lib.* II. p. 170.

Oeniadæ ab universis Acarnanibus in Atheniensium societatem adacti fuerunt, Thucyd. *lib.* IV. p. 304.

Oniadæ a Messeniis urbe & agro pulsi fuerunt; sed sequenti anno coactis omnium Acarnanum auxiliis receperunt: vide in *Acarnan.* & *Messen.*

Oeniada Naxumque Acarnanum captas Ætolis contribuit M. Val. Lævinus, Livius *lib.* XXVI.

Oeniadæ ab Ætolis patria pulsi fuerunt, Diod. *lib.* XVIII. p. 593.

ASTACIENSES.

Astacus urbs Acarnaniæ, Stephan. Strabo *lib.* X. pag. 549. Scyl. Caryand. p. 121. Schol. Thucyd. *lib.* II. p. 118.

Astacum Athenienses vi ceperunt, ejectoque inde Tyranno Euarcho, eam in societatem adsciverunt, Thucyd. *lib.* II. p. 118.

Palirensibus solis Acarnanum Solium Corinthiorum oppidum captum Athenienfibus incolendum tradiderunt, idem *ibidem*.

AMPHILOCHI.

Amphilocus Amphiasai filius, cum exciso Ilio Argos rediisset, nec rerum statum, qui Argis erat, probaret, relicta patria in sinu Ambracico urbem condidit, quam de patriæ suæ nomine Argos appellavit, Thucyd. *lib.* II. p. 144. Ἄργος τὸ Ἀμφιλοχικὸν, Stephan. Marcian. p. 19.

— Ἀμφιλοχικὸν
Ἄργος λεγόμενον. τοῦτο δὲ κτίσαι δοκεῖ
Ἀμφίλοχος, υἱὸς Ἀμφιαράου μάντεως.

Sed dissentit ab his Ephorus, qui urbem ab Alc.

mæone conditam ſcribit. Τὸν δ' Ἀλκμαίωνα μείναντα ἐν τῇ Ἀκαρνανίᾳ (quo invitatus a Diomede venerat) τὸ Ἄργος κτίσαι δ' Ἀμφιλοχικὸν ἐπώνυμον τοῦ ἀδελφοῦ, Strabo *lib.* VII. p. 325. 326. Τό, τε Ἄργος Ἀμφιλοχικὸν ἐκείνου κτίσμα ἀποφαίνει, (Ἔφορος) Ἀμφιλόχους δὲ (ὠνομάσθαι φησὶν) ἀπὸ τοῦ ἀδελφοῦ Ἀμφιλόχου, Strabo *lib.* X. p. 461. Amphilochus poſtea Mallum conceſſit: vide illic.

Argos Amphilochicum urbs omnium in Amphilochia ſitarum maxima fuit, civeſque habuit potentiſſimos, Thucyd. *lib.* II. pag. 144. Acarnaniæ πρώτη πόλις Ἄργος τὸ Ἀμφιλοχικὸν dicitur Scylaci p. 120. Ἠπειρῶται δ' εἰσὶ καὶ Ἀμφίλοχοι, Strabo *l.* VII. pag 426.

Arg. Amphilochi, multis poſt ætatibus, calamitatibus afflicti, Ambraciotas agro Amphilochico finitimos in civitatis ſocietatem arceſſiverunt: linguamque Græcam tunc primum ab Ambraciotis didicerunt, cum in urbem eos recepiſſent: reliqui vero Amphilochi Barbari ſunt, Thucyd. *lib.* II. p. 144.

Arg. Amphilochi ab Ambraciotis, quos in civitatem receperant, progreſſu temporis, urbe pulſi, ſeſe Acarnanibus dediderunt: & utrique Athenienſes opem rogarunt, qui ipſis Phormionem ducem & triginta naves auxilio miſerunt. Argos per vim Phormio cepit, & Ambraciotis in ſervitutem abſtractis, Amphilochi & Acarnanes urbem communiter incoluerunt, Thucyd. *lib.* II. p. 144.

Argos oppugnarunt Ambraciotæ, ſed fruſtra: agrum tamen ſuæ poteſtatis fecerunt, idem *ibidem*.

Amphilochi, & Acarnanes, ſi voluiſſent, Ambraciam primo impetu capere, profligatis magna clade Ambraciotis, potuiſſent; ſed noluerunt Athenienſes, ſi eam cepiſſent, moleſtos ſibi accolas habere: itaque cum Ambraciotis fœdus & ſocietatem in centum annos coiverunt, Thucyd. *lib.* III. pag. 249.

Amphilochia fuerat quondam Ætolorum: & bello Romano, majoris partis voluntate in jus ditionemque totam redegerunt gentem, Livius *lib.* XXXVIII.

LEUCADII.

Leucas urbs Acarnaniæ. Acarnanes vero, cum ſeditione laborarent, colonos e Corintho mille arceſſiverunt: ſed ii Acarnanibus occiſis, ipſi regionem obtinuerunt: ea vero nunc inſula eſt, iſthmum ἀποτεταφρευμένη, Scyl. Caryand p. 120. 121. Κορίνθιοι — τῆς Χερσοννήσου διορύξαντες τὸν ἰσθμόν, ἐποίησαν νῆσον τὴν Λευκάδα, καὶ μετενέγκαντες τὴν Νήρικον ἐπὶ τὸν τόπον, ὃς ἦν ποτε μὲν ἰσθμός, νῦν δὲ πορθμὸς γεφύρᾳ ζευκτός, μετωνόμασαν Λευκάδα, ἐπώνυμον, δοκῶ μοι, τοῦ Λευκάτα. πέτρα γάρ ἐστι λευκὴ τὴν χρόαν προκειμένη τῆς Λευκάδος, εἰς τὸ πέλαγος καὶ τὴν Κεφαλληνίαν, ὥς ἐντεῦθεν τοὔνομα λαβεῖν, Strabo *lib.* X. p. 452. Λευκάδα τὴν Κορινθίων ἀποικίαν, Thucyd. *lib.* I. p. 22. Λευκάδιοι, ἔθνος ἐόντες οὗτοι Δωρικὸν ἀπὸ Κορίνθου, Herodot. *lib.* VIII. p. 543. Marcian. p. 19.

Λευκὰς μὲν ἐν πρώτοις Κορινθίων κτίσις.

Ephorus Leucadiam dictam putat a Leucadio Icarii filio, Penelopes fratre, quem cum patre in Acarnania regnaſſe ſcribit auctor Alcmæonidis, Strabo *lib.* X. pag. 452. Leucadem inhabitaſſe Teleboarum quoſdam, qui Lelegis αὐτόχθονος cujuſdam e nepote ex filia Teleboa fuerint pronepotes, ſcribit Ariſtoteles in Leucad. Rep. Strabo *lib.* VII. p. 322.

Leucadii tres naves Græcis præbuerunt in pugna ad Salaminem, Herodot. *lib.* VIII. pag. 643.

Leucadiorum & Anactoriorum octingenti fuerunt in exercitu Græco ad Platæas coacto contra Perſas, Herodot. *lib.* IX. p. 597.

Leucadiorum agrum vaſtarunt Corcyræi, victis Corinthiis imperio maris potiti, Thucydides *lib.* I. p. 22.

Leucadii Lacedæmoniorum ſocii fuerunt in bello Peloponneſiaco, Thucyd. *lib.* II. p. 105.

Leucadii, dum ab Athenienſibus eorumque ſociis, ipſorum ager, tam extra, quam intra Iſthmum, ubi ipſa urbs Leucas ſita eſt & Apollinis fanum, vaſtaretur, quod militum numero longe inferiores eſſent, ſe non moverunt, Thucyd. *lib.* III. pag. 239.

Olymp. CXIV. 2. Leucadii ſocii fuerunt Athenienſium in bello Lamiaco, Diodorus *lib.* XVIII. pag. 595.

Olymp. CXVI. 3. Leucadem ſibi per legatos adjunxit Caſſander, Diodor. *lib.* XIX. p. 709.

Olymp. CXVII. 1. Leucadi Athenienſem Lyſandrum præfecit Caſſander. Leucadii vero, acceptis a Corcyræis auxiliis, Caſſandri præſidium ex urbe ejecerunt, Diodor. *lib.* XIX. p. 729.

Echinus Acarnaniæ oppidum, Plin. *lib.* IV. cap. I. Phthiotarum oppidum Echinus in faucibus Sperchii fl. dicitur Plinio *lib.* IV. cap. VII. vide & Melam *lib.* II. cap. III. Thebanorum colonia, vicina Theſſaliæ urbs, ſic appellata ab Echino uno Spartorum dicitur Ulpiano in Demoſth. *Philipp.* III. p. 69. ubi, Θηβαίων Ἐχῖνον ἀφῄρηται Philippus, ait Demoſth. In Maliaco ſinu ſita, & Σπαρτοῦ κτίσις dicitur Marciano Περ. p. 25.

ANACTORII.

Anactorium urbs Acarnaniæ, Corinthiorum colonia, Stephan. Anactorium condiderunt Corinthii miſſi a Cypſelo & Gargaſo, Strabo *lib.* X. p. 450. Ἀνακτόριον, ὅ ἐστιν ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ Ἀμπρακικοῦ κόλπου, ἦν κοινὸν Κερκυραίων καὶ Κορινθίων, Thucyd. *lib.* I. p. 37.

Anactoriorum & Leucadiorum octingenti fuerunt in exercitu Græco ad Platæas, Herodot. *lib.* IX. p. 597.

Anactorium Corinthii, poſt pugnam cum Corcyræis, proditione ceperunt, & in urbe Corinthios colonos collocarunt, Thucyd. *lib.* I. p. 37.

Anactorii Lacedæmoniorum ſocii fuerunt in bello Peloponneſiaco, Thucyd. *lib.* II. p. 105.

Anactorium Corinthiorum urbem Athenienſes, qui Naupacti erant, & Acarnanes proditione ceperunt: & Corinthiis inde pulſis Acarnanes urbem tenuerunt, colonis ex omnibus Acarnaniæ partibus eo miſſis, Thucydides *lib.* IV. p. 285. Marcianus p. 19.

Ἐν τῇ παραλίᾳ δ' ἐστ' Ἀνακτόριον πόλις.
Ταύτην δ' Ἀκαρνᾶνές τε καὶ Κορίνθιοι
Ἀπῴκισαν.

Anactorii ab Auguſto Imp. Nicopolin ad Actium promontorium tranſlati fuerunt, Pauſan. *Eliac. pr.* p. 333.

Athenæ urbs Acarnaniæ: Demetrio teſtante Athenienſes in Curitide conditam a ſe urbem Athenas appellaſſe, Stephan.

Phœtiæ, urbs Acarnaniæ, nomen accepit a Phœtio, Alcmæonis filio, Amphiarai nepote, Stephan.

AMBRACIOTÆ.

AMbracia urbs Thesprotiæ nomen accepit ab Ambrace Thesproti filio, Lycaonis nepote: vel ab Ambracia Ægei filia, de qua Phileas, Stephan. Statuiturque hæc prima urbs esse in Græcia: ἐντεῦθεν ἄρχεται ἡ Ἑλλὰς συνεχὴς εἶναι μέχρι Πηνειοῦ ποταμοῦ, &c. Scyl. Caryand. p. 120. Dicæarch. p. 164.

Τῆς Ἑλλάδος ἐστὶν Ἀμβρακία πρώτη πόλις.
Ἡ δ' Ἑλλὰς ἀπὸ τῆς Ἀμβρακίας εἶναι δοκεῖ
Μάλιστα συνεχὴς τὸ πέρας. αὐτὴ δ' ἔρχεται
Ἐπὶ τὸν ποταμὸν Πηνειόν. ὡς Φιλέας γράφει.

Ambracia Corinthiorum colonia. Κορίνθιοι δὲ πεμφθέντες ἀπὸ Κυψέλου καὶ Γοργάσου, ταύτην κατέσχον τὴν ἀκτὴν καὶ μέχρι τοῦ Ἀμβρακικοῦ κόλπου προῆλθον, καὶ ἥτε Ἀμβρακία συνῳκίσθη, καὶ τὸ Ἀνακτόριον, Strabo l. x. p. 452. Marcian. p. 19.

—— Ἀμβρακία Κορινθίων
Ἀποικός ἐστιν. ᾤκισεν δ' ὁ Κυψέλου
Αὐτὴν πρότερον παῖς Γόργος.

Sed Γόργος Straboni Τόλγος est: nam Ambracia ei est Τόλγου τοῦ Κυψέλου κτίσμα, l. VII. p. 325. Dicæarch. p. 164.

Αὕτη δ' ἀποικία λέγεται τῶν Κορινθίων
Εἶναι. κατὰ τὸν κόλπον δὲ τὸν καλούμενον
Ἀμβρακικὸν ᾤκισται μέση.
Καλεῖται Δρυοπὶς ἡ χώρα δ' ὅλη.

Scribitur vero Ἀμπρακία, ut apud Thucyd. Ἀμπρακιῶται apud Herodot. & Thucyd. ηὐτύχει μὲν οὖν καὶ πρότερον ἡ πόλις αὕτη διαφερόντως, Strabo l. VII. p. 325.

Periander Ambraciotarum Tyrannus. Huic insidiæ structæ fuerunt, quod inter compotandum, a puero, quem in deliciis habebat, quæsivisset, esset ne jam ab ipso prægnans, Arist. *de Rep.* lib. V. cap. X. A catamito illo occisum refert Plutarch. *Amat.* A. p. 600.

Ambraciotæ Periandro Tyranno, una cum iis, qui cum ipso juncti civitatem invaserant, exacto, ad se Reip. administrationem revocarunt, Aristotel. *de Rep.* l. V. c. IV.

Ambraciotæ septem naves Græcis præbuerunt in pugna ad Salaminem, Herodot. l. VIII. p. 543.

Ambraciotarum quingenti fuerunt in exercitu Græco ad Platæas contra Persas coacto, Herodot. l. IX. p. 597.

Ambraciotæ victis nocturna pugna Molossis, æneum asinum Apollini dedicarunt: nam cum in Ambraciotas Molossi noctu insidias disposuissent, asinus, qui forte ex agro in urbem agebatur, asellam insectans multa cum lascivia, vehementem ruditum sustulit: ipse etiam agaso per tenebras, obscura & incondita voce clamavit. Ea res tantum Molossis injecit terrorem, ut locum insidiarum statim desererent: quos Ambraciotæ, detecta fraude, noctu invadentes prælio superarunt, Pausan. *Phocic.* p. 641. 642.

Ambraciotæ socii fuerunt Lacedæmoniorum in bello Peloponnesiaco, & classem præbuerunt, Thucyd. l. II. p. 105.

Ambraciotarum contra Amphilochos & Acarnanes res gestas, & deinde fœdus, vide in *Amphilochis* & *Acarnanibus*. Unum, inter alias, ab his & Atheniensibus cladem terribilem acceperunt, Thucyd. l. III. p. 149. Τῶν δὲ ἐκ τῆς Ἀμπρακίας ἐπεξελθόντων πανδημεί, πάλιν ὁ Δημοσθένης τοὺς πλείους

A αὐτῶν ἀπέκτεινεν, ὥστε τὴν πόλιν σχεδὸν ἔρημον γενέσθαι Diodor. l. XII. p. 112.

Ambraciam Corinthii præsidium de suis, trecentos gravis armaturæ milites miserunt, Thucyd. l. III. pag. 250. Ambraciotas metu Atheniensium præsidium arcessivisse a Lacedæmoniis, scribit Diodor. l. XII. p. 112.

Ambraciotis præsidium Philippus Amyntæ F. imposuerat: id Ambraciotæ, Aristarchi consilio, ejecerunt, & Democratiam reduxerunt, Diodor. l. XVII. p. 488.

Ambraciam maxime exornavit Pyrrhus, eaque Regia ipsi fuit, Strabo l. VII. p. 325.

B Ambraciam Macedones, & demum Romani frequentibus bellis attriverunt rebellantem: adeo ut tandem & hæc & aliæ urbes plane desererentur: quo viso Augustus Imp. illas in unam urbem Nicopolin, quam sic vocavit ἐπώνυμον τῆς νίκης de Antonio & Cleopatra, transtulit, Strabo l. VII. p. 325. Pausan. *Eliac. pr.* p. 333.

THESPROTI. EPIROTÆ. MOLOSSI.

THesprotia urbs & regio extra sinum Ambracicum, Stephan. Thesprotos ad Acherontem
C fl. ponit Herodotus l. V. p. 369. eosque Ambraciotis ac Leucadiis finitimos ait l. VIII. p. 543. vide Strabon. l. VII. p. 324. μετὰ δὲ Χαονίαν Θεσπρωτοί εἰσιν ἔθνος. οἰκοῦσι δὲ καὶ οὗτοι κατὰ κώμας, Scyl. Cary. pag. 119. Thesprotia nomen potest videri accepisse vel a Thesproto Laocoontis filio, cujus meminit Stephanus in *Ambracia*; vel a Thesproto Lycaonis filio, cujus meminit Apollodor. l. III. p. 109. α.

Aidoneus Rex Thesprotorum Theseum & Pirithoum, qui cum exercitu ad ipsius uxorem rapiendam, cupiente eam uxorem Pirithoo, captos in vincula conjecit, cæso eorum exercitu, Pausan. *Attic.* p. 30. Sed Hercules in Thesprotos profectus,
D Theseum libertati restituit, Ælian. *Var.* lib. IV. cap. V.

Phyleus Rex Thesprotorum ab Hercule occisus fuit in bello, quod Hercules una cum Calydoniis adversus Thesprotos gessit: cepitque Hercules vi Ephyram urbem, & cum Phylei filia captiva congressus genuit Tlepolemum, Diodor. l. IV. p. 241. Πόλιν ἑλὼν Ἐφύραν, ἧς ἐβασίλευε Φυλεύς, (sic lege pro Φύλας) Ἀστυόχῃ τῇ τούτου θυγατρὶ συνελθὼν, πατὴρ Τληπολέμου γίνεται, Apollod. l. II. p. 78. Sed Strabo l. VIII. p. 338. negat ex Ephyra Thesprotica fuisse Astyochen, sed ex Ephyra quæ in Elea
E sita erat; apud hanc enim solam esse fluvium Selleentem, Homer. *Iliad.* B. v. 659.

Τὴν ἄγετ' ἐξ Ἐφύρης ποταμοῦ ἀπὸ Σελλήεντος.

Philon Rex Thesprotorum, quo tempore in Ithacam rediit Ulysses, exciso Ilio, Homer. *Odyss.* Ξ. v. 316.

Pyrrhus seu Neoptolemus Achillis F. post excisum Ilium, omisso in Thessaliam reditu, in Epirum Thesprotidem appulit, atque ibi Heleni vatis monitu consedit. Is ex Andromache tres suscepit filios, Molossum, Pielum & Pergamum, Pausan. *Attic.* p. 19. Pindar. *Nem.* ode IV. strophe III.

F —— Νεοπτόλεμος δ' Ἀπείρῳ διαπρυσίᾳ, (κρατεῖ.)

Occisus fuit Delphis ad aram ab Apollinis sacerdote, cum templum Delphicum spoliare tentaret, Pausan. *Phocic.* p. 620. 656. Μαχαιρέως Δελφοῦ ἀνδρὸς ἀνελόντος αὐτόν. ὡς μὲν ὁ μῦθος, δίκας αἰτοῦντα τὸν θεὸν τοῦ πατρῴου φόνου. ὡς δὲ τὸ εἰκὸς, ἐπιτιθέμενον τῷ ἱερῷ, Strabo l. IX. p. 421. vide Pindar. *Nem.* ode VII. epod. II. & Scholiast. Pylades ejus cædis particeps fuisse videtur, non solum ob Orestis amicitiam,

ſed ut proavum Phocum ulciſceretur a Peleo occiſum, Pauſan. *Corinth.* p. 140. Anaſſam Cleodæi filiam Hylli neptem nupſiſſe Pyrrho ſcribit Plutarchus *Pyrrho*. A Pyrrho Pyrrhiadæ dicti Moloſſi. Neoptolemo & poſteris ſcribit Pindarus *Nem.* ode Πυῤῥιάδαι. ὅπως ἐκαλοῦντο οἱ νῦν Μολοσσοὶ, ἀπὸ Πύῤῥου τοῦ Ἠπειρώτου, Heſych.

Helenus Priami F. vates, occiſo Pyrrho, regno Epiri potitus fuit. Is ex Andromache, quam Pyrrho mortuo uxorem duxit, filium genuit Ceſtrinum, Pauſan. *Attic.* p. 19. moriens regnum reliquit Moloſſo Pyrrhi filio, Pauſan. *Attic.* p. 19. ode VII. epod. II.

Μολοσσίᾳ δ' ἐν βασιλεύεν ὀλίγον
Χρόνον. ἀτὰρ γένος αἰεὶ φέρειν,
Τοῦτό οἱ γέρας.

Moloſſus Pyrrhi F. Eo regnante Ceſtrinus, Heleni ex Andromache filius, collecta Epirotarum manu, eam, quæ ſupra Thyamin fl. eſt, regionem occupavit. At Pergamus cum in Aſiam, matre comite, trajeciſſet, Arium in Teuthrania principatum tenentem ſingulari certamine de imperio dimicantem occidit: urbique nomen, quod etiam nunc habet, de ſuo dedit, Pauſan. *Attic.* p. 19. Pielus in Epiro manſit, eique Pyrrhus Æacidæ F. & majores ejus potius quam Moloſſo ſuam originem retulerunt, Pauſan. *Attic.* p. 19. Ἀπὸ Μολοσσοῦ τοῦ Νεοπτολέμου καὶ Ἀνδρομάχης τοὔνομα ἔλαβεν ἡ Μολοσσία, Schol. Pind. *Nem.* ode VII. A Moloſſo Moloſſi dicti. Marcian. p. 19.

Μετὰ τοὺς Θεσπρωτοὺς Μολοττοὶ λεγόμενοι
Οἰκοῦσιν, οὓς κατήγαγε Μολοττός (ſic lege, pro Πύῤῥος) ποτε,
Ὁ Νεοπτολέμου παῖς.

Moloſſi poſt Chaones toti Epiro imperarunt, οἱ δὲ διὰ τὴν συγγένειαν (ſic lego, pro συγγένειαν) τῶν βασιλέων ἐπιπλέον ηὐξήθησαν. τῶν γὰρ Αἰακιδῶν ἦσαν, καὶ διὰ τὸ παρὰ τούτοις εἶναι τὸ ἐν Δωδώνῃ μαντεῖον, παλαιόν τε καὶ ὀνομαστὸν ὄν, Strabo *lib.* VII. p. 324. Μολοσσία ἡ χώρα τῆς Ἠπείρου, Stephan. οἰκοῦσι δὲ ἐπὶ κώμας, Scyl. Caryand. p. 120.

Theſproti ex ultimis regionibus Græcis auxilio venerunt adverſus Xerxem Græciam invadentem, Herodot. *lib.* VIII p. 543.

Alcetas Tharypi F regno pulſus Syracuſis exſulavit. Sed ab Illyriis & copiis Dionyſii Syracuſani auxiliaribus, facto in Epirum impetu, in Moloſſorum regnum reductus fuit: Moloſſorumque, qui arma contra ferebant, ſupra L. millia cæſa fuerunt, Diodor. *lib.* XIV. p. 336. Olymp. XCVIII. 4. Alcetas duos filios habuit Neoptolemum & Arybbam: illi inter ſe diſſidentes, æqualiter inter ſe regnum diviſerunt, ac inde ſtabilis inter ipſos manſit concordia: Ἦν δὲ ἄρχει μὲν Ἀλκέτου τοῦ (ſic lege, pro καὶ) Θαρύπου ἑνὶ βασιλεῖ καὶ τὰ Ἠπειρωτῶν, Pauſan. *Attic.* p. 19. Ἀλκέτας ὁ ἐν τῇ Ἠπείρῳ ὕπαρχος dicitur ὑπήκοος fuiſſe Jaſoni Pheræo apud Xenoph. *Hellen lib* VI. p. 453.

Arybbas Alcetæ F. duos habuit filios Alcetam & Æaciden, Pauſan. *Attic.* pag. 20. Alcetam pater in exſilium ejecit, Diodor. *lib.* XIX. p. 725. Arybbas poſt decimum regni ſui annum vita deceſſit, Diodor. *lib.* XVI. pag. 465. Olymp. CIX. 3. Neoptolemus Alcetæ F. Alexandrum filium genuit, & filiam Olympiadem Philippi Macedonis uxorem, Alexandri M. matrem, Pauſan. *Attic.* p. 19.

Alexander Neoptolemi F. defuncto Arybbæ ſucceſſit, adjuvante Philippo, viro Olympiadis, Diodor. *lib.* XVI. pag. 465. Uxorem habuit Cleopatram Magni Alexandri ſororem, Livius *lib.* VIII. Alexandro occiſo a Tarentinis in Italiam data dictio erat, caveret Acheruſiam aquam Pandoſiamque urbem: ibi fatis ejus terminum dari: eoque ocyus tranſmiſit in Italiam, ut quam maxime procul abeſſet urbe Pandoſia in Epiro, & Acheronte amni: quem ex Moloſſide fluentem in ſtagna inferna accipit Theſprotius ſinus, Livius *lib.* VIII. Πυθικὸν ἦν χρησμῳδούμενα ἐν τόνοις ἑξαμέτροις, οὕτω προλέγον τὴν τελευτήν.

Αἰακίδη προφύλαξαι μολεῖν Ἀχερούσιον ὕδωρ,
Πανδοσίην θ' ὅθι τοι θάνατος πεπρωμένος ἐστί.

Suidas *in* Τόνον. Cæterum cum ſæpe Brutias Lucanaſque legiones fudiſſet, Heracleam Tarentinorum coloniam, Conſentiam ex Lucanis, Sipontumque, Brutiorum coloniam Acerinam, alias inde Meſſapiorum ac Lucanorum cepiſſet urbes, & trecentas familias illuſtres in Epirum, quas obſidum numero haberet, miſiſſet, haut procul Pandoſia urbe imminente Lucanis ac Brutiis finibus, tres tumulos aliquantum inter ſe diſtantes inſedit: ex quibus incurſiones in omnem partem agri hoſtilis faceret: & ducentos ferme Lucanorum exſules circa ſe pro fidis habebat. Imbres continui campis omnibus inundantes cum intercluſiſſent trifariam exercitum a mutuo inter ſe auxilio, duo præſidia, quæ ſine Rege erant, improviſo hoſtium adventu opprimuntur: deletiſque eis, ad ipſius obſidionem omnes converſi. Inde ab Lucanis exſulibus ad ſuos nuncii miſſi ſunt, pactoque reditu promiſſum eſt Regem aut vivum, aut mortuum, in poteſtatem daturos. Cæterum cum delectis ipſe egregium facinus auſus, per medios erumpit hoſtes, & ducem Lucanorum cominus congreſſum obtruncat: contrahenſque ſuos ex fuga palatos, pervenit ad amnem ruinis recentibus pontis, quem vis aquæ abſtulerat, indicantem iter: quem cum incerto vado tranſiret agmen, feſſus metu ac labore miles, increpans nomen abominandum fluminis, jure Acheros vocaris, inquit. Quod ubi ad aures accidit Regis, adjecit extemplo animum fatis ſuis, ſubſtititque dubius an tranſiret. Tum Sotimus miniſter ex Regiis pueris, quid in tanto diſcrimine periculi cunctaretur interrogans, indicat Lucanos inſidiis quærere locum, quos ubi reſpexit Rex procul grege facto venientes, ſtringit gladium, & per medium amnem tranſmittit equum. Jamque in vadum egreſſum eminus veruto Lucanus exſul transfigit: lapſum inde cum inhærente telo corpus exanime detulit amnis in hoſtium præſidia, Livius *lib.* VIII.

Æacides Arybbæ filius Olympiadem Antipatri metu in Epirum redeuntem cum aliis officiis proſequutus fuit, tum quoque ſuis juvit copiis ad bellum cum Aridæo ac Macedonibus gerendum, atque invitis etiam ac ſequi recuſantibus Epirotis. Cumque Olympias victrix multa infanda in Aridæum ac Macedonas patraſſet, Æacidem initio, Olympiadis odio, Regem recipere recuſarunt Epirotæ: placatis tandem illis, Caſſander obfuit, quo minus in Epirum rediret. Ac pugna quidem inter Philippum Caſſandri fratrem, & Æacidem ad Oeniadas commiſſa, Æacides, accepto vulnere, non ita multo poſt e vita diſceſſit, Pauſan. *Attic.* p. 19. 20.

Alcetas Arybbæ filius natu major, Epirotis volentibus, regno potitus fuit, homo impotentis iracundiæ, & eam ob cauſam a patre ejectus. Eum, cum regnum iniiſſet, more ingenii ſui furentem, Epirotæ noctu adorti, cum liberis occiderunt, Pauſan. *Attic.* pag. 20. Diodor. *lib.* XIX. p. 725. 726.

Pyrrhus Æacidæ filius ab Epirotis in regnum receptus fuit. Ei, ut ad regnum acceſſit, juveni admodum, nec ſatis firmatis regni rebus, Caſſander bellum intulit. Pyrrhus vero, Macedonibus Epirum invadentibus, in Ægyptum ad Ptolemæum Lagi filium ſe contulit: ab eo, accepta in matrimonium ejus filia, eadem, qua cæteri Ptolemæi li-

A liberi, matre nata, cum classe & Ægyptiorum copiis in regnum reductus fuit. Pyrrhus ergo regno potitus, primis Græcorum Corcyræis arma intulit, nolens eam insulam, quam suis finibus ex adverso sitam videbat, aliis pro statione esse, unde ipse invaderetur, Pausan. *Attic.* 20. Pyrrhum Corcyræos oppugnantem navalibus copiis adjuverunt Tarentini, Pausan. *Attic.* p. 21. Pyrrhus sæpe ab domo abesse consuevit: Lysimachus vero ejus absentia observata, & reliquam Epirum hostilem in modum populatus fuit, & ad Regum sepulcra pervenit. Sed postea fœdere inter ipsos inito Pyrrhus belli societatem cum Lysimacho contraxit: ejusque auxiliis B Lysimachus & Thraciæ regnum retinuit, & Nestiis deinde, ac Macedonum parti imperavit: etenim Pyrrhus exercitu ex Epiro translato, dum Lysimachi rebus pro tempore studebat, magnam Macedoniæ partem sibi subegit, Pauf. *Attic.* p. 17. Pyrrhus postea relicto Lysimacho partibus Antigoni Demetrii F. se adjunxit, sed magno prælio superatus a Lysimacho, in Epirum redire coactus fuit, Pausan. *Attic.* p. 18. Pyrrhus a Tarentinis bellum diuturnum cum Romanis gerentibus arcessitus, primus omnium Græcorum adversus Romanos ultra Ionium mare copias transportavit. Facilem autem petentibus Tarentinis se præbuit, quod ipsi belli Tro- C jani eventus in mentem veniret, spemque conciperet ex animi sententia omnia eventura, quando ipse ab Achille originem ducens, adversus Trojanam coloniam arma sumpturus esset. Magna autem sollertia in Italiam classe transmisit, nec prius eum appulisse Romani resciverunt, quam commissa cum Tarentinis pugna, se ille cum exercitu inopinato ostendit, factoque repente impetu, hostium agmen turbavit, Elephantis etiam, (quos secum adduxerat, veritus ne Romanis par foret) inter præliandum in eos immissis: quos plerique eorum aliud quam belluas esse existimarunt, Pausan. *Attic.* p. 21. D Pyrrhus sollicitatus a Siculis, relicto Tarento ac Italia, in Siciliam transiit, & repulsis Carthaginensibus, qui cæteris Siciliæ urbibus, Græci nominis, subactis, Syracusas obsidebant, urbem obsidione liberavit. Sed cum iisdem, licet navali disciplina excellentibus, navali prælio, Epirotarum copiis fretus, confligere ausus esset, victus, cum paucis, quæ e clade superarant, navibus Tarentum se recepit. Inde legatos ad Asiæ Reges, & ad Antigonum ipsum cum literis misit, ab aliis pecuniam, ab aliis auxilia, ab Antigono utrumque exposcens. Cum autem Legati cum literis rediissent, Epirotarum ac Tarentinorum magistratibus in concionem vocatis, non quidem literas recitavit, sed propediem ad- E futura auxilia affirmavit. Cum ergo percrebuisset fama etiam in Romanorum exercitu, e Macedonia & Asia adventare Pyrrho magna auxilia, Romani nihil novi moliri ausi sunt. Hæc autem excogitavit, ut fuga, quam meditabatur, sibi tutior & sine pugna esset, nec a Romanis impediretur. Itaque ea, quæ consequuta fuit, nocte ad Ceraunios montes classe transvectus fuit, Pausan. *Attic.* p. 21. 22. Pyrrhus ab Italica clade cum militem confirmasset, Antigono bellum indixit, cum ob alia, tum inprimis quod petenti auxilia in Italiam non misisset; ejusque & proprias, & Gallorum mercenarias co- F pias fusas, ad maritimas usque urbes persecutus fuit. Quæ victoria Pyrrho Macedoniam superiorem & Thessaliam peperit. Pyrrhus in Itoniæ Palladis templo, quod inter Pheras ac Larissam est, Gallorum scuta dicavit, cum hac inscriptione:

Τὰς θυρεὺς ὁ Μολοσσὸς Ἰτωνίδι δῶρον Ἀθάνᾳ
  Πύῤῥος ἀπὸ θρασέων ἐκρέμασε Γαλατᾶν,
Πάντα τὸν Ἀντιγόνου καθελὼν στρατόν. οὐ μέγα θαῦμα.
  Αἰχμηταὶ καὶ νῦν, καὶ πάρος Αἰακίδαι.

In Dodonæi vero Jovis templo, ipsorum Macedonum scuta suspendit, cum hac inscriptione:

Αἵ δέ ποτ' Ἀσίδα γαῖαν ἐπόρθησαν πολύχρυσον,
  Αἵδε καὶ Ἑλλάδι τὰν δουλοσύναν ἔπορον.
Νῦν δὲ Διὸς ναῷ ποτὶ κίονας ὀρφανὰ κεῖται,
  Τᾶς μεγαλαυχήτω σκῦλα Μακεδονίας.

Pausan. *Attic.* p. 22. 23. Pyrrhus, quo minus totam Macedoniam in suam potestatem redigeret, licet paratissimus ad præsentes occasiones arripiendas, a Cleonymo Acrotati Spartani Regis fratre avocatus fuit, ut Laconicam invaderet: vide in *Lacedæmoniis Acrotatus.* Sed dum Pyrrhus bello Laconico occupatus fuit, Antigonus, recepta Macedonia, exercitum in Peloponnesum traduxit. Ibi cum Antigonus exercitum Argis in agrum Laconicum educere pararet, Pyrrhus ipse jam ad Argos accesserat, commissaque pugna victor fugientes in urbem persequutus est: ubi cum ejus exercitus, ut fere fieri solet, in diversa abiisset, pugnantibusque acriter Argivis pro templis & domibus, & in angiportis, aliisque urbis locis, Pyrrhus a suis solus relictus esset, in capite vulnus accepit: ajunt eum tegulæ ictu, a muliere dejectæ, interiisse. Argivi, non mulierem illam, sed Cererem forma mulieris assumpta fuisse affirmant. Quo loco Pyrrhus cecidit Argis, Cereri fanum ex oraculo erectum fuit, & in eo ipse Pyrrhus sepultus, Pausan. *Attic.* p. 24. Ælianus scribit Pyrrhi, cum noctu Argos contenderet, hastæ noctuam insedisse: eam mali ominis fuisse: nam Pyrrhus Argos ingressus ἀκλεέστατα ἀνθρώπων ἀπέθανεν, *l.* x. *de Animal.* c. XXXVII. Pyrrhum Procles Carthaginensis fortuna & rerum gestarum splendore Alexandro Philippi filio inferiorem fuisse scribit: in disponendis vero in acie peditum equitumque copiis, & item capiendi consilii, quo hostis caperetur arte, illo multo meliorem, Pauf. *Messen.* p. 283. Πύῤῥος ὁ Ἠπειρώτης τακτικὰ συνέγραψε, Ælian. *de ordin.* c. I. Pyrrhi filia Nereis Geloni Hieronis filio nupsit, fuitque Hieroni cum Pyrrho hospitium, Pauf. *Eliac. post.* p. 365.

Alexander Pyrrhi filius. Ἀλέξανδρος Πύῤῥου υἱὸς τακτικὰ συνέγραψε, Ælian. *de ordin.* c. I.

Ptolemæus Alexandri filius.

Pyrrhus Ptolemæi filius.

Deidamia Pyrrhi filia liberis orba e vita excessit. Ea moriens Populo Reip. administrationem tradidit, Pauf. *Messen.* p. 283.

Θεσπρωτοὶ ἀβασίλευτοι, Thucyd. *l.* II. p. 153.

Chyton, regio Epiri, Ephorus *l.* XIX. Οἵ δ' ἐκ Κλαζομενῶν κατῴκησαν τῆς Ἠπείρου τὸ Χυτὸν καλούμενον, Stephan.

Epirotæ accepta libertate, & aliis in rebus indies insolentiores fuerunt, & omnino Magistratibus parere recusarunt. Eos subito impetu, Illyrii, qui supra Epirum ad mare Ionium habitant, subegerunt, Pauf. *Messen.* p. 283.

Epirotarum gentes XIV. fuisse scribit Theopompus; sed earum celeberrimæ Chaones & Molossi, Strabo *l.* VII. p. 323.

Epirotarum LXX. urbes, quarum pleræque Molossorum erant, evertit L. Æmilius Paulus victo Perseo, Polyb. apud Strabon. *l.* VII. p. 322.

EPHYRAEI.

Ephyra urbs Epiri, nomen accepit ab Ephyro Ambracis F. Thesproti nepote, Lycaonis pronepote, Pelasgi indigetis abnepote, Stephan. ita enim series, quæ in Stephano confusa est, restituenda est ex Apollodoro & Pausania. Ἔφυραν δ'

εἶπε (Pindar. *Nem.* VII. ant. II) νεῦ τῆ ἐν Ἠπείρῳ. ὧν Κίχυρον φασι μετωνομάσθαι, ἀπὸ Κιχύρου τῆς Μέρμερος, Scholiast. Pindar. de Phyleo Rege & Astyoche ejus filia vide supra.

ORESTÆ.

ORestæ Gens Molossica. Theagenes auctor est Orestem, postquam insania liberatus fuit, præ pudore fugientem cum Hermione, in hanc regionem venisse, filiumque Orestem genuisse: quo imperante, Orestæ appellati sint incolæ, Stephan.

ILLYRII. ENCHELIENSES.

CAdmus cum uxore Harmonia, relictis Thebis, ad Enchelienses commigravit. Cum autem Enchelienses ab Illyriis bello premerentur, oraculum iis victoriam de Illyriis pollicitus fuit, si ducem Cadmum ad Harmoniam cepissent. Ii oraculi fidem secuti, constitutis, qui jubebantur, imperatoribus, victores fuerunt. Ita Cadmus regno Illyriorum potitus, filium Illyrium genuit, Apollod. *l.* III. p. 95. β. 96. α. Ἰλλυρία, χώρα πλησίον τῆ Παγγαίε, ἀπὸ Ἰλλυρίε τῆ Κάδμε (sic lege pro Κάδμοιος) παιδός, Stephan. Ὡν ἐν τοῖς Ἐγχελίοις, οἱ Κάδμε καὶ Ἁρμονίας ἀπόγονοι ἦρχον, Strabo *l.* VII. p. 326.

Lyncistæ sub Arrhabæo fuerunt, qui a Bacchiadis genus duxit, Strabo *l.* VII. p. 326. Bacchiadæ vero Corinthii erant: vide in *Corinth.*

AMANTIENSES. ABANTES.

AMantia Illyriorum pars, propinqua Orico & Corcyræ, condita ab Abantibus post excisum Ilium redeuntibus. Callimachus Ἀμαντίνην eam vocat. Dicuntur & Abantes, Stephan. Ὅπερ (Ἀβαντία) καὶ Βαρβαρικὴν ... Ἀμαντία ἐκλήθη παρὰ Ἀντιγόνῳ ἐν Μακεδονικῇ περιηγήσει, Stephan. *in* Abantis. Οἱ δὲ Ἀμαντιεῖς εἰσι μέχρι ἐνταῦθα Ἰλλύριοι ἀπὸ Βελινῶν, Scyl. Car. p. 118. Abantes ex Eubœa & Locri e Thronio Thronium urbem in Thesprotide Epiro ad Ceraunios montes condiderunt, & agrum utrique genti communem, uno nomine Abantidem regionem appellarunt. Inde ab Apolloniatis bello pulsi fuerunt, Pausan. *Eliac. pr.* p. 331. 332.

ORICII.

ORicus urbs in sinu Ionio, Stephan. Οἱ δὲ Ὠρικοὶ κατοικῆσι τῆ Ἀμαντίας χώραν, Scyl. Car. p. 118. Callimach.

Καὶ τῆ Ἀμαντίνην ...σαν Ὠρικόν.

Sic enim legendum puto apud Stephan. *in* Abantis: ubi & hoc observandum Ἀμαντίνη Callimacho adjective dici, non, ut Stephanus ait, pro Ἀμαντία ipso regionis nomine. Oricus Euboensium colonia fuit. Marcian. p. 18.

Ἑλλωνὶς Ὠρικός τε παράλιος πόλις,
Ἐξ Ἰλίε γὰρ ἐπανάγοντες Εὐβοεῖς
Κτίζεσι, κατενεχθέντες ὑπὸ τῶν πνευμάτων.

Oricum a Colchis conditum dicitur Plinio *l.* III. c. XXIII. Ὠρικίαν αἶαν Dionysius Περιηγ. vocat continentem circa Molossos & Thesprotas, in qua est urbs Oricus, & portus Oricus, auctore Herodoto, Thesproticus vel Epiroticus, Eustath. *in Dionys.* vide Polyb. *lib.* VII.

APOLLONIATÆ.

APollonia urbs Græca Illyridis, Scyl. Car. p 118. Apollonia Illyriorum urbs fuit; sed Corinthii, missis in eam ducentis colonis, duce Gylace, Gylaciam appellarunt, Stephan. Κορινθίων ἀποικίαν vocat Thucyd. *l.* I. p. 19. Apollonia quondam Corinthiorum colonia, Plin. *l.* III. c. XXIII. Dicta fuit Γυλάκεια a Gylace Corinthio, Stephan. Sed & Corcyræorum colonia fuit. Ἐφ᾽ ὧ (Aoo fil.) Ἀπολλωνία πόλις εὐνομωτάτη, κτίσμα Κορινθίων καὶ Κερκυραίων, Strabo *l.* VII. p. 316. Marcian. p. 18.

Οἷς πλησιόχωρός ἐστιν ἡ Ἀπολλωνία,
Κορινθίων Κερκυραίων τε καὶ κτίσις.

Pausanias scribit ἀποικισθῆναι ἐκ Κερκύρας τὴν Ἀπολλωνίαν, καὶ Κορινθίοις αὐτοῖς μετεῖναι τῆ λαφύρω, *Eliac. pr.* p. 332. Ἀπολλωνιάται πόλιν οἰκῦσι γείτονα Ἐπιδάμνε ἐν τῷ Ἰωνίῳ κόλπῳ, Ælian. *Var. l.* XIII. c. XVI. Ἀπολλωνίης τῆ ἐν τῷ Ἰωνίῳ κόλπῳ, Herodot. *l.* IX. p. 623. Ἀπολλωνιάται ξενηλασίας ἐποίεν κατὰ τῆ Λακεδαιμονίων νόμον, Ælian. *loco cit.*

Apolloniatæ Thronios, qui in Abantide fuere, motis in eos armis, suis sedibus pepulerunt: ejus rei monumentum posuerunt Apolloniatæ donaria in Olympia, cum hac inscriptione:

Μνάματ᾽ Ἀπολλωνίας ἀνακείμεθα, τὰν ἐνὶ πόντῳ
Ἰονίῳ Φοῖβος ᾤκισ᾽ ἀκερσεκόμας,
Οἳ γᾶς τέρματ᾽ ἑλόντες Ἀβαντίδος, ἐνθάδε ταῦτα
Ἔστασαν σὺν τοῖς ἐκ Θρονίε δεκάταν.

Pausan. *Eliac. pr.* p. 331. 332.

Apolloniatæ Euenium Apolloniatam sacrarum Soli ovium custodem, quod ipso obdormiscente lupi antrum ingressi ex ovibus circiter LX. dilaniassent, luminibus orbarunt: inde cum Apolloniatis neque pecora fœtum, neque agri fructum consuetum ederent, Prophetæ de præsentis mali causa consulti, responderunt, injuste Euenium visu privatum, se enim lupos immisisse, nec prius ab ultione cessaturos, quam illi pro ipsius arbitrio satisfactum esset. Ibi Euenio, qui oraculum ignorabat, duo pulcerrima prædia cum domo in urbe optima postulanti, ut Apolloniatis amicus esset, Apolloniatæ morem gesserunt. Sed ubi de Oraculo certior factus fuit Euenius, se deceptum questus, mox insitam divinandi scientiam consecutus fuit, ut celebratissimus evaderet. Olymp. LXXV. 2. Ejus filius Deiphonus a Corinthiis adductus, Græco exercitui ad Mycalen vates fuit, Herodot. *l.* IX. p. 623. 624.

Olymp. CXVI. III. Apolloniam primo impetu cepit Cassander, Diodor. *l.* XIX. p. 709.

Olymp. CXVII. I. Apolloniatis opem Corcyræi ferentes, milites Cassandri fide data dimiserunt, & urbi libertatem restituerunt, Diodor. *l.* XIX. p. 718. Apolloniatæ vero, ejecto Cassandri præsidio, se cum Illyriis conjunxerunt: itaque Cassander urbem obsessurus adfuit, Apolloniatæ vero auxiliis sociorum advocatis ante mœnia hosti aciem opposuerunt. Ibi commissa pugna acri, Apolloniatæ, numero militum superiores, hostem, multis cæsis, fuderunt, Diodor. *lib.* XIX. p. 726.

EPIDAMNII.

EPidamnus urbs Illyridis, in sinu Ionio, Stephan. Ἐπίδαμνός ἐστι πόλις ἐν δεξιᾷ εἰσπλέοντι τὸν Ἰόνιον πόντον, Schol. Pindar. *Pyth.* ode III. epod. III. Δέξιππος ἐν Χερρονικῷ δεκάτῳ Μακεδονικὴν πόλιν αὐτὴν καλεῖ, γράφων ὥτως. Ἡ Μακεδόνων Ἐπίδαμνον, ἐσύστερον Δυρράχιον μετονομασθεῖσαν, πόλιν τῆ Μακεδονίας μεγάλην καὶ εὐδαίμονα ἔσταν κατὰ κράτος αἱρῦσι, Constantin. *l.* II. *Themat.* IX. nomen accepit ab Epidamno, Stephan. *in* Dyrrachium. Epidamnus a Corcyræis, missa colonia condita fuit; sed dux

coloniæ fuit Phalius Eratoclidæ F. Corinthius, ab Hercule oriundus, ex metropoli, instituto prisco, arcessitus. Nonnulli etiam Corinthii, & alii præterea Dorici nominis ejus coloniæ socii fuerunt, Thucyd. *l.* I. p. 17. Ἐπιδάμνιοι κατοικῶντες ἐπὶ τὸ Ἀδρίαν, ἄποικοι δ' ὑπάρχοντες Κερκυραίων καὶ Κορινθίων, Diodor. *l.* XII. p. 90. Ἐπίδαμνος Κερκυραίων κτίσμα, Strabo *l.* VII. p. 316. Marcian. p. 18.

Πρὸς τῇ θαλάττῃ δ' ἐστὶν Ἐπίδαμνος πόλις
Ἑλληνίς, ἣν Κέρκυρ' ἀποικίσαι δοκεῖ.

Barbaros primum sub Regibus Epidamno & Dyrrhacho, deinde Phrygas, postea Taulantios, porro Illyrios Liburnes, demum Corcyræos eam urbem tenuisse scribit Appian. Ἐμφυλ. *l.* II.

Epidamniorum urbs progressu temporis magna evasit, civium aucta frequentia, Thucyd. *l.* I. p. 17. Ἐπιδάμνιοι ἐπιδημεῖν καὶ μετοικεῖν παρεῖχον τῷ βουλομένῳ, Ælian. *Var. lib.* XIII. c. XVI

Epidamnii, cum diu civilibus discordiis laborassent, quodam finitimorum Barbarorum bello attriti, magnam potentiæ partem amiserunt, Thucyd. *l.* I. p. 17.

Olymp. LXXXV. 2. Epidamniorum plebs potentissimos quosque cives urbe expulit. Exsules, adscitis Barbaris, eos qui in urbe erant, terra marique populati sunt. Hi igitur Corcyram, ut ad metropolin suam, missis legatis, orarunt supplices, ne se perire paterentur, sed exsules suos sibi reconciliarent, ac Barbaro bello finem imponerent. Cum a Corcyræis frustra opem petiissent, Delphos missis legatis Deum consuluerunt, an Corinthiis, ut Coloniæ auctoribus se dederent. Annuente Pythia, dedentes se Epidamnios in suam fidem receperunt Corinthii, moti cum æquitate causæ, quod suam non minus quam Corcyræorum eam coloniam esse censerent: tum odio Corcyræorum, a quibus, licet colonis suis, contemptui habebantur. Itaque Corinthii summa voluntate auxilia miserunt Epidamnum cum sua, tum Ambraciotarum ac Leucadiorum, facta etiam omnibus, quibus liberet, eundi illuc potestate ad habitandum, Thucyd. *l.* I. p. 18. 19.

Olymp. LXXXV. 3. Epidamnus a Corcyræis obsessa, & ad deditionem coacta fuit, Thucyd. *l.* I. p. 19. 20. vide in *Corcyræis*.

Olymp. CXVI. 3. Epidamnii societatem cum Cassandro inierunt, ejusque præsidium receperunt, Diodor. *l.* XIX. p. 709.

Olymp. CXVII. 1. Epidamnum Glauciæ Regi Illyriorum Corcyræi tradiderunt, dimisso, fide data, præsidio Cassandri, Diodor. *l.* XIX. p. 718.

Epidamnios sua ætate eundem agrum, quem ab initio habuerant, tenuisse; sed non idem fuisse oppidum, quod priscis temporibus, verum quod a vetere urbe non longe absuit, a conditore Dyrrhacium appellatum, scribit Pausan. *Eliac. post.* p. 363. Alii volunt Epidamnum ominosum nomen in Dyrrhacium a Latinis mutatum fuisse: nam a damno nomen accepisse putarunt: quo referenda illa Messenionis apud Plautum *Menæchm.* Act. II. Sc. I. v. 33. seqq.

Nam ita est hæc hominum natio Epidamnia:
Voluptarii atque potatores maximi;
Tum Sycophantæ & palpatores plurimi
In urbe hac habitant; tum meretrices mulieres
Nusquam perhibentur blandiores gentium.
Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum est:
Quia nemo ferme huc sine damno divortitur.

Sic Mela *l.* II. c. III. Dyrrachium, Epidamnos ante erat. Romani nomen mutavere, quia velut in

A damnum ituris, omen id visum est. Et Plinius *l.* III. c. XXIII. In ara vero civium Rom. Epidamnum colonia, propter inauspicatum nomen a Romanis Dyrrhachium appellata. At Appianus *l.* II. Ἐμφυλ. ait Δυῤῥάχιον, quod esset ominosum nomen, in Epidamnum mutatum fuisse a Corcyræis. Scaliger *Animadv. in Euseb.* p. 78. β. scribit, cum Epidamnus esset oppidum, Dyrrachium ejus navale: a loco celebriore ab exteris Dyrrachium potius, quam Epidamnum vocatum. Sed harum trium opinionum nulla probatur. Dum urbs vetere loco fuit, Epidamnus vocabatur; at postquam translata fuit in Chersonesum, quæ Dyrrachium diceba-
B tur, & ipsa Dyrrachium appellata fuit. Ἐπίδαμνος Κερκυραίων κτίσμα, ἡ νῦν Δυῤῥάχιον ὁμωνύμως τῇ Χερσονήσῳ λεγομένη, ἐφ' ἧς ἵδρυται, Strabo *l.* VII. p. 316. Ἐπίδαμνος Κερκυραίων κτίσμα, ἡ νῦν Δυῤῥάχιον ὁμωνύμως τῇ Χεῤῥονήσῳ λεγομένη, ἐφ' ἧς ἵδρυται, ὡς Φίλων γράφει, Constant. Porphyr. *l.* II. *Themat.* IX. Sed pro Φίλων legendum puto Στράβων. Ἐπίδαμνος πόλις Ἰλλυρίδος, ἐπὶ Χεῤῥονήσου τῆς καλουμένης Δυῤῥαχίου, Stephan. Dyrrachium vero nomen accepit a Dyrrachio Neptuni filio, Epidamni e Melissa filia nepote. Δυῤῥάχιον πόλις Ἰλλυρική, Ἐπίδαμνος κληθεῖσα, ἀπὸ Ἐπιδάμνου τούτου θυ-
C γάτηρ Μέλισσα. ἧς καὶ τοῦ Ποσειδῶνος Δυῤῥάχιος, Stephan. & Appian. *l.* II. Ἐμφυλ. Δυσράχιον vocat Alexander in *Europa*: Δυσραχίου τ' Ἐπίδαμνος ἐπ' ἀγχιάλου χθονὸς ἀκτῆς, Stephan. Tum (quo tempore Romani contra Perseum rem gerebant) Epidamni magis celebre nomen Græcis erat, (quam Dyrrachium) Livius *l.* XLIII.

Epidamnius fuit Cleosthenes, qui omnium Græcorum, quos studium alendi equos nobilitavit, primus statuam Olympiæ posuit, Pausan. *Eliac. post.* p. 362.

HYLLENSES.

D Hyllenses Gens Illyrica, nomen acceperunt ab Hyllo Herculis filio, Stephan. Οὗτοι (Ὕλλοι) φασὶν Ὕλλον τὸν Ἡρακλέους αὐτοὺς κατοικίσαι, Scyl. Car. p. 115. Marcian. p. 17.

Ἑξῆς δὲ μεγάλη Χερσόνησος Ὑλλική,
Πρὸς τὴν Πελοπόννησόν τε ἐξισουμένη.
Πόλεις δὲ εἶν' αὐτῇ φασι πέντε καὶ δέκα
Ὕλλους κατοικεῖν ὄντας Ἕλληνας γένει.

De magnitudine hujus Chersonesi & alii consentiunt. κατοικοῦσι δὲ Χεῤῥόνησον ὀλίγῳ ἐλάσσω τῆς Πελο-
E ποννήσου, Scyl. Car. p. 116. Πρόκειται Χεῤῥόνησος ἡλίκη μάλιστα Πελοποννήσου, ὥς φασι, πέντε καὶ δέκα πόλεις ἔχουσα παμμεγέθεις οἰκουμένας, Stephan.

Hyllenses Barbari fuerunt, Scyl. Caryand. p. 116. Marcianus eos in Barbarorum mores transiisse insequentibus temporibus auctor est p. 17.

Καὶ βαρβαρωθῆναι δὲ τούτους τῷ χρόνῳ
Τοῖς ἤθεσιν ἱστοροῦσι τοῖς τῶν πλησίον
Ὥς φασι Τίμαιός τε καὶ Ἐρατοσθένης.

CALATIANI.

F Calatis urbs Illyridis, Ἡρακλεωτῶν ἄποικος, Strabo *l.* VII. p. 319. Κάλατις πολίχνιον ἐν τῇ παραλίᾳ τοῦ Πόντου, Stephan.

Calatianus fuit Ister, libri de Tragœdia auctor Stephan. Item Demetrius Calatianus, cujus meminit Marcianus Heracl. p. 5. & Strabo *l.* I. p. 60.

HERACLEOTÆ.

HEraclea urbs Græca Illyridis, Scyl. Caryand. Περ. p. 115.

OENOTRII. ABORIGINES. ITALI.

OEnotria Italiæ regio: quidam vero etiam ipsam Italiam sic appellari ajunt ab Oenotro Arcadis (imo Lycaonis) filio, ut Pausanias octavo: Pisander vero decimo tertio scribit, eam nomen accepisse ἀπὸ τῆς οἴνου χρήσεως, *a vini usu*, Stephan. Oenotria dicta est, vel a vino optimo, id est, ἀπὸ τοῦ οἴνου, quod in Italia nascitur, vel, ut Varro dicit, ab Oenotro, Rege Sabinorum. Alii patrem Itali Oenotrum tradunt ex Arcadia in Italiam venisse cum Pelasgis, & eam sibi cognominem fecisse, Servius ad *l.* I. *Æn.* Οἴνωτρος γὰρ ὁ τῶν παίδων νεώτατος Λυκάονι τῶν ἀρσένων, Νυκτίμου τοῦ ἀδελφοῦ χρήματα καὶ ἄνδρας αἰτήσας, ἐπεραιώθη ναυσὶν ἐς Ἰταλίαν, καὶ ἡ Οἰνωτρία χώρα τὸ ὄνομα ἔσχεν ἀπὸ Οἰνώτρου βασιλεύοντος, Pausan *Arcad.* p 458. Scriptorum Romanorum doctissimi, & in his Portius Cato, qui accuratissime scripsit *de Originibus Italicarum urbium*, Cajusque Sempronius —— antiquiorem hac migrationem e Græcia in partes Europæ occiduas reperire nequeo, Dionys. Halicarn. *l.* I. Pausanias auctor est hanc primam a Græcis missam fuisse coloniam: imo ne a Barbaris quidem ullam ante Oenotrum deductam fuisse in peregrinum solum scribit. Sed hoc plane falsum est. Italum quoque, a quo Italia nomen accepit, fuisse Oenotrum genere, scribit Dion. Halicarn. *l.* I. ex Antiocho Syracusano. Pelasgi, Oenotri, Itali, Morgetes, Siculi, Græciæ maxime populi, Plin. *l.* III. c. V. Ἀβοριγῖνες, Οἰνώτρων ὄντες ἀπόγονοι, τῶν κατῳκημένων τὴν ἀπὸ Τάραντος μέχρι Ποσειδωνίας παράλιον, Dionys. Halicarn. *l.* II. At Strabo Chones & Oenotros Græcorum numero eximit: Πρὶν δὲ τοὺς Ἕλληνας ἐλθεῖν, οὐδ' ἦσάν πω Λευκανοί. Χῶνες δὲ καὶ Οἴνωτροι τοὺς τόπους ἐνέμοντο, *l.* VI. Timæus in historiis quas oratione Græca *de rebus Populi Rom.* composuit, & M. Varro in *antiquitatibus rerum humanarum*, terram Italiam de Græco vocabulo appellatam scripserunt: quoniam Boves Græce vetere lingua *Italoe* vocitati sunt, Gellius *Noct. Attic. l.* II. c. I. Italia dicta, quod magnos Italos, hoc est, boves habeat: vituli etenim Itali sunt dicti: Italia ab Italo Rege, Festus. Italus quoque & Sabinus, & Sicanus fratres fuerunt, ex quibus nomina populis imposita & regionibus sunt, Isidor. *Orig. l.* IX. c. II. Italia olim a Græcis populis occupata, magna Græcia appellata est; deinde a Regis nomine Saturnia: mox & Latium dicta —— postremo ab Italo Siculorum Rege ibi regnante Italia nuncupata est, Isidor. *lib.* XIV. c. IV. De Italo Rege vide Aristotel. *Polit. l.* VII. §. 10. Marcian. Περιηγ. p. 13. v. 306. Ἀπὸ τοῦ δυναστεύσαντος Ἰταλοῦ τοὔνομα λαβοῦσα.

S A B I N I.

SAbini a Lacedæmoniis originem ducunt, ut Hyginus ait de origine urbium Italicarum, a Sabo. Cato autem & Gellius a Sabo Lacedæmonio trahere eos originem referunt, Servius *ad Æneid. l.* VIII. Σαβῖνοι δὲ βούλονται Λακεδαιμονίων ἑαυτοὺς ἀποίκους γεγονέναι, Plutarch. *Numa.* Oebalium Tatium Regem Sabinorum vocat Ovidius *l.* I. *Fastor.* v. 260. ab Oebalo Rege Lacedæmonio. Theramnæo a sanguine Clausi, vocat Silius *l.* VIII. v. 414. Claudium Neronem e Sabinis oriundum a Theramnis Laconiæ oppido, & Amyclæum nepotem vocat idem *l.* XV. v. 545. eundem ab Neronem Amyclis Laconiæ quoque oppido. Hinc Lacedæmonios in tutela Claudiorum fuisse scribit Suetonius *Tiberio* c. VI. In Sabinorum historiis domesticis refertur. Laconicam eo venisse coloniam, quo tempore Lycurgus, tutor sui nepotis Eunomi, Spartanis leges condidit: quarum severitatem pertæsos quosdam, secessione a cæteris facta, urbem prorsus deseruisse: deinde enavigato longo maris tractu, qualicunque terræ desiderio, votum Diis fecisse, quocunque terrarum primum appellerent, id posthac sibi fore domicilium: cumque delati essent ad Pometinos campos, locum, quo primum appulerant, Feroniam vocasse, ἀπὸ τῆς πελαγίου φορήσεως, & templum Deæ Feroniæ struxisse, cui vota fecerant. Inde quosdam eorum profectos, cum Sabinis sedes conjunxisse: ideoque multa apud illos esse instituta Laconica: præcipue, quantum ad belli studium ac frugalitatem, vitæque in omnibus rebus duritiem attinet, Dionys. Halicarn. *l.* II. Oenotria tellus, proprie Sabinorum tractus ab Oenotro, (Rege Sabinorum) Servius *ad l.* VII. *Æneid.* ἔστι δὲ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι, καὶ αὐτόχθονες, Strabo *lib.* V. Itaque hic Græcos colonos esse negat.

U M B R I.

LAtinus Ulyssis & Circes filius auctor Gentis hujus fertur. Marcian. p. 10.

> —— Ὀμβρικοὶ,
> Οὓς ᾤκισεν ὁ ἐκ Κίρκης Ὀδυσσεῖ γενόμενος
> Λατῖνος.

Sunt vero Umbri Gens Italica circa sinum Adriaticum, inter Padum & Picentinum, Stephan. Solin. c. VIII. Isidor. *Orig. l.* VIII. c. II. Servius *ad Æneid. l.* XII. Æginetæ in Umbros miserunt colonos, Strabo *l.* VIII. p. 376. Umbros ex Hetruria exegere antiquitus Pelasgi: hos Lydi: a quorum Rege Tyrrheni, mox a sacrifico ritu, lingua Græcorum, Thusci sunt cognominati, Plinius *l.* III. c. V. ἐκεῖθεν (ex Retine) ὑπὸ Πελασγῶν ἐξελαθέντας Umbros, Dionys. Halicarn. *l.* II. Marcian. p. 9.

> Τυῤῥηνίαν δ' ὁ Λυδὸς Ἄτυος ἔκτισε
> Τυῤῥηνὸς, ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικοὺς ἐλθών ποτε.

A U S O N E S.

AUson Ulyssis & Calypsus filius Gentis Ausonum auctor fertur. Marcian. p. 10.

> —— Αὔσονές τε μεσόγειον τόπον
> Ἔχοντες, Αὔσων οὓς συνοικίσαι δοκεῖ,
> Ὀδυσσέως παῖς καὶ Καλυψοῦς γενόμενος.

vide Tzetz. *Chil.* V. *Hist.* XVI. hanc originem refellentem. Αὔσονες Πελλώνιοι dicuntur Lycophroni apud Stephanum.

GRÆCIA MAGNA.

GRæci inde ab everso Ilio in Italia adeo potentia creverunt, ὥστε τὴν μεγάλην Ἑλλάδα ταύτην ἔλεγον καὶ τὴν Σικελίαν, Strabo *l.* VI. p. 253. διὸ καὶ μεγάλη Ἑλλὰς ἐκλήθη πᾶσα σχεδὸν ἡ κατὰ τὴν Ἰταλίαν κατοίκησις, Athenæus *l.* XII. Ἱστορεῖται δὲ κληθῆναί ποτε Ἑλλάδα, καὶ πᾶσαν σχεδὸν τὴν κατὰ τὴν Ἰταλίαν μετοίκησιν, Eusthath. *in Iliad.* Π. Marcian. p. 13.

> —— μεγάλη δ' ὕστερον πρὸς ἑσπέραν
> Ἑλλὰς προσαγορευθεῖσα ταῖς ἀποικίαις.
> Ἑλληνικὰς γὰρ παραθαλαττίους ἔχει
> Πόλεις.

Ovidius *l.* IV. *Fastor.*

Itala nam tellus Græcia major erat.

A Locris Italiæ frons incipit, magna Græcia appellata, in tres sinus recedens Ausonii maris, quoniam Ausones tenuere primi, Plin. *l.* III. c.X. Regionem quæ circa Lucanos est, & Siciliam, magnam Græciam olim appellatam fuisse, propter frequentes ibi Græcorum colonias, scribit Eustath. *in Dionys.* Περ.

Græci in Italia communem habuerunt conventum solennem Heracleæ Tarentinæ ditionis: eum Alexander Molossus, abalienato a Tarentinis animo, in Thurios fines transferre voluit, jussitque ad Acalandrum fl. locum muniri, ubi conventus fieret, Strabo *l.* VI. p. 280. Οἱ δὲ τὴν Ἰταλίαν κατοικοῦντες Ἕλληνες — συμμαχίαν πρὸς ἀλλήλους ἐποιήσαντο, καὶ συνέδριον ἐγκατεσκεύαζον. ἤλπιζον γὰρ τὸν Διονύσιον (Syracusanum Tyrannum Italiæ inhiantem) ῥᾳδίως ἀμυνεῖσθαι, καὶ τοῖς παροικοῦσι Λευκανῶν ἀντιτάξασθαι. καὶ γὰρ οὗτοι τότε διεπολέμουν πρὸς αὐτούς, Diodor. *l.* XIV. p. 306. vide & p. 312. 313. Græci Italici armis cum Lucanis congressi, victi fuerunt, ab oraculo decepti:

Λαΐου ἀμφὶ Δράκοντα, πολλυύ ποτε λαὸν ὀλεῖσθαι.

Erat vero Heroum Draconis, qui e sociis Ulyssis unus fuerat, Strabo *l.* VI. p. 253.

ACHÆI.

Achæorum quidam ab expeditione Trojana redeuntes, in reditu errantes ad Italiam appulere: cumque in terram egressi essent, ut loca ista explorarent, Trojanæ fœminæ, quæ una vehebantur, navigia viris vacua, navigationis molestia impulsæ incenderunt: itaque illic manere coacti fuerunt, alliciente simul terræ bonitate: mox & aliis pluribus ejusdem gentis, eorum exemplo incitatis, illuc commigrantibus, multa condita fuerunt oppida, quorum pleraque a Trojanis denominata sunt, Strabo *l.* VI. p. 262.

Achaicæ in Italia urbes, præter Tarentum, ætate Strabonis nullæ erant. Αἱ τῶν Ἀχαιῶν πόλεις νυνὶ οὐκ εἰσὶ πλὴν τῶν Ταραντίνων, Strabo *l.* VI. p. 262. Imo omnia in Græcia magna a Barbaris subacta fuisse sua ætate, exceptis Tarento, Rhegio & Neapoli: aliaque a Lucanis & Brutiis, alia a Campanis occupata, scribit Strabo *l.* VI. p. 253.

PELASGI ITALIÆ.

Pelasgorum gens Græca fuit, e Peloponneso oriunda, agitata variis casibus, sed erroribus maxime, (vide in *Pelasgis*) cum apud Dodonæos longo tempore commorantes animadverterent ab se gravari cæteros, quod terra omnibus alendis non sufficeret, eas terras reliquerunt, oraculo moniti in Italiam navigare, quæ tum Saturnia dicebatur. Tum parata classe . . . . . tenuerunt capta de Siculis. Tempus vero, quo res Pelasgorum deficere cœperunt, incidit... tum maxime Thusci plurimas atque optimas. Pelasgica igitur natio, quantum ejus cladibus superfuit, nec in colonias distractum fuit, ex magno ad parvum redactum fuit numerum, & inter Aborigines degens, in his consedit locis, ubi postea Romam eorum posteri una cum aliis condiderunt, Dionys. Halicarn. *l.* I. vide in *Pelasgis*. Pelasgi quidam excisо Ilio in Lucaniam concesserunt. Lycophron *Alexand.* v. 1083. seqq.

Οἱ δ' αὖ Πελασγῶν ἀμφὶ Μέμβλητος ῥοὰς
Νῆσόν τε Κερνεᾶτιν ἐκπεπλωκότες
Ὑπὲρ πόρον Τυρσηνὸν ἐν Λαμητίαις
Δίναισιν, οἰκήσουσι Λευκανῶν πλάκας.

Dionys. v. 346. Hellanicus Lesbius ait Tyrrhenos, qui ante Pelasgi vocabantur, postquam in Italia habitare cœperunt, assumpsisse, quam nunc habent appellationem. Sic autem ait in *Phoronide*: Τοῦ Πελασγοῦ τοῦ βασιλέως αὐτῶν, καὶ Μενίππης τῆς Πενειοῦ ἐγένετο Φράστωρ· τοῦ δὲ Ἀμύντωρ· τοῦ δὲ Τευταμίδης· τοῦ δὲ Νάνας. ἐπὶ τούτου βασιλεύοντος οἱ Πελασγοὶ ὑφ' Ἑλλήνων ἀνέστησαν, καὶ ἐπὶ Σπινῆτι ποταμῷ ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ τὰς νῆας καταλιπόντες, Κρότωνα πόλιν ἐν μεσογείῳ εἷλον. καὶ ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι, τὴν νῦν καλουμένην Τυρσηνίαν ἔκτισαν, Dionys. Halicarn. *l.* I.

ARCADES.

Alia classis Græcorum in eandem Italiæ partem, (ubi Aborigines degebant) LX. ferme annis ante bellum Trojanum, appulit, ut ipsi Romani auctores sunt, profecta a Palantio, urbe Arcadica. Eam coloniam deduxit Euander Mercurii filius & Nymphæ cujusdam Arcadicæ, quam Græci Themin fuisse dicunt, & divino afflatu plenam: Romanarum antiquitatum scriptores Carmentam propria lingua vocant. Hæc secunda Gens Græca, post Pelasgos delata in Italiam, communes cum Aboriginibus sedes habuit, easque in præcipuo Romæ loco constitutas, Dionys. Halicarn. *l.* I. A Palanteo urbe Arcadica Palantium, deinde Palatinum montem appellatum; ibi Euandrum, qui ex eo genere Arcadum, multis ante tempestatibus, ea tenuerat loca, solenne (Lupercal) ex Arcadia instituisse, Livius *l.* I. Euander tum ea, profugus ex Peloponneso, auctoritate magis quam imperio, regebat loca: venerabilis vir miraculo literarum, rei novæ inter rudes artium homines, venerabilior divinitate credita Carmentæ matris, quam fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam adventum, miratæ hæ gentes fuerant, Livius *l.* I.

GRÆCI cum Hercule.

Post Arcadum adventum paucis aliquot annis elapsis, alia Græca classis, ductu Herculis in Italiam venit, qui tum Hispaniam, & quicquid terrarum usque ad occidentem solem protenditur, domuerat, Dionys. Halicarn. *l.* I. Herculem in ea loca (ubi Roma post fuit) Geryone interempto boves mira specie abegisse memorant, Livius *l.* I. Tzetzes *Chiliad.* II. *Histor.* XXXVI. v. 242. de Hercule:

—— χωρεῖ δ' ἐς Τυῤῥηνίαν.
Ἀπὸ Ῥηγίου Ταῦρος δὲ πηδήσας ἐς Σικελίαν
Κλῆσιν τῇ χώρᾳ λέλοιπε καλεῖσθαι Ἰταλίαν.
Οἱ Τυῤῥηνοὶ γὰρ Ἰταλὸν καλοῦσί πως τὸν ταῦρον.

HERNICI.

Hernici, quorum est Anagnia, a Pelasgis oriundi, appellatique sunt ita a Pelasgo quodam duce suo, qui Hernicus nominabatur. — Hernici sunt vetus Colonia Pelasgorum. Et Hernicum quidem hominem Pelasgum ducem Hernicis fuisse Julius Hyginus in libro secundo *Urbium* non paucis verbis probat, Macrob. *Saturn.* *l.* V. cap. XVIII.

CROTONIATÆ.

Croton urbs Italiæ celebris, Stephan. nomen accepit a Crotone, quem Hercules impruden-

ter occidit : Κρότωνα δὲ ἀκουσίως ἀποκτείνας Hercules ἔθαψε μεγαλοπρεπῶς καὶ τάφον αὐτοῦ κατεσκεύασε. προεῖπε δὲ τοῖς ἐγχωρίοις, ὅτι καὶ κατὰ τοὺς ὕστερον χρόνους ἔσται πόλις ἐπίσημος, ὁμώνυμος τῷ τετελευτηκότι, Diodor. *l*.IV. p. 231. ᾤκουν δ᾽ Ἰάπυγες τὴν Κρότωνα πρότερον, ὡς Ἔφορός φησι, Strabo *l*.VI.p.262. Pelasgorum bonam partem, Aboriginibus sociis assumptis, Umbros bello aggressam, eorum urbem florentem atque magnam repentino impetu cepisse scribit Dionys. Halicar. *l*. I. Inde ab Achæis occupata fuit. Κρωτωνιῆται δὲ γένος εἰσὶ Ἀχαιοί, Herodot. *l*. VIII, p. 543. Sed & Lacedæmonios coloniam Crotonem misisse, regnante Polydoro, scribit Pauf. *Lacon*. p.162. Antiochus refert, cum Achæi oraculo jussi essent Crotonem habitationis locum capere, Myscellum eo, loci contemplandi causa, venisse, cumque jam conditam ibi videret Sybarin vicino amni cognominem, eam potiorem judicasse, profectumque iterum ad oraculum quæsivisse, anne Sybarin Crotonis loco occupare liceret, sed hoc tulisse responsum :

Μύσκελλε βραχύνωτε παρὲκ θεὸν ἄλλο ματεύων,
Κλάσματα θηρεύεις· ὀρθὸν δ᾽ ὅ, τι δῷ τις ἐπαίνει.

(al. παρὲκ Θεὸν ἄλλο ματεύεις, Οὔδαλα θηρεύων : erat autem Myscellus ὑπόκυφος) regressum vero condidisse Crotonem, adjuvante etiam Archia, qui forte illuc appulerat, cum ad Syracusas condendas contenderet, Strabo *l*. VI.p.262. vide & in *Syracusan*. Marcian.p.14.

Ἑξῆς δὲ ταύτης ἡ πρὶν Αὐλὼν ἐστάτη,
Εὐανδροτάτη πόλις τε γειτονοῦσα Κρότων,
Μύσκελλος Ἀχαιὸς ἣν ἀποικίσαι δοκεῖ.

Myscellus oraculo reddito, sanitatem divitiis antepofuit : oraculum autem hoc erat :

Χώρας καὶ πόλεας δίζησθε, λαὸν ἔχοντες
Ἤλθετ᾽ ἐρησόμενοι Φοῖβον, τί ἂν γαῖαν ἵκησθε.
Ἀλλ᾽ ἄγε δὴ φράζεσθ᾽ ἀγαθῶν πότερόν κεν ἕλοισθε
Πλοῦτον ἔχειν κτεάνων, ἢ τερπνοτάτην ὑγίειαν.

Quibus auditis, Archias quidem divitias elegit : Syracusani enim divites sunt ; Myscellus vero sanitatem: robusti enim Crotoniatæ, Suidas & Schol. Aristoph. v.351.*Eq*. Locris & Crotone pestilentiam nunquam fuisse, nec ullo terræ motu laboratum, adnotatum est, Plin. *l*. II. c. XCVI.

Crotoniatæ metu belli, quod Sybaritæ una cum Rege suo Tely ipsis illaturi erant, Dorieum Spartanum cum classe Italiam prætervectum, auxilium rogarunt : ejusque ope Sybarin ceperunt. Crotoniatæ tamen negarunt se ullum peregrinum in belli societatem adscivisse, præter unum Calliam Eleum ex Jamidis vatem, qui a Tely Sybaritarum Tyranno ad ipsos transfugerat, quod sacrificans de expeditione in Crotoniatas suscipienda, non litasset, Herodot. *l*. V. p. 346. Crotoniatas centies mille adversus CCC. Sybaritarum millia pugnasse duce Milone, scribit *l*. XII.p.77.

Crotoniatæ soli eorum, qui ultra Thesprotos habitabant, Græciæ periclitanti auxilium adversus Persas tulere, missa navi una cui præfuit Phayllus, qui tres Pythicas victorias consecutus fuerat, Herodot. *l*.VIII. p. 543.

Crotoniatæ centies & tricies mille, commissa pugna ad Fanum Castorum, fluviumque Sagram, a decem millibus Locrorum & Rheginorum victi fuerunt : unde tractum ajunt proverbium, πρὸς τοὺς ἀπιστοῦντας ἐκπεσεῖν, ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ. Atque hanc cladem causam fuisse ajunt, cur Crotoniatæ paulo post dissiparentur, ob multitudinem eorum, qui tum ceciderant, Strabo *l*. VI. p. 261. Cleonymus Crotoniatarum imperator, commisso cum Locris Epizephyriis prælio, vulnus in pectore accepit : ex quo cum vehementer laboraret, Oraculum Delphicum consuluit, responsumque tulit, si in Leucen insulam iret, Ajacem ei vulneris remedium monstraturum : cui cum paruisset, sanus domum revertit, Pausan. *Lacon*. p. 200.

Crotoniatæ a Brutiis obsidione pressi, a Syracusanis auxiliares copias acceperunt, ducibus, præter Antandrum Agathoclis fratrem, Heraclide & Sosistrato : cum his quidam Crotoniatæ conspirarunt, sed a civibus suis pulsi in alterum annum arma patriæ intulerunt. Crotoniatæ cum Brutiis inde transegerunt, & bello adversus exsules, Paronem & Menedemum viros illustres præfecerunt. Exsules e Thuriis impetu facto, conductis CCC. mercenariis, noctu in patriam irrumpere conati sunt. Sed a Crotoniatis repulsi, in Brutiorum finibus castra posuere : verum paulo post a civibus magnis copiis ipsos invadentibus, omnes pugnantes occubuerunt, Diodor.*l*.XIX. p.653. 659.

Crotonem exercitus Brutiorum circumsedit, Græcam urbem, opulentam quondam armis virisque, tum jam adeo multis magnisque cladibus afflictam, ut omnis ætatis minus XX. millia civium superessent : itaque urbe defensoribus vacua facile potiti sunt hostes : arx tantum retenta, in quam inter tumultum captæ urbis e media cæde quidam effugere, Livius *l*. XXIII. Locrenses brevi post legati, cum permissu Hannonis arcem intrassent, persuadent Crotoniatis, ut traduci se in Locros paterentur, nec ultima experiri vellent, hoc ut sibi liceret, impetraverant & ab Hannibale, missis ad idipsum tum legatis. Ita Crotone excessum est, deductique Crotoniatæ ad mare, naves conscendunt. Locros omnis multitudo abeunt, Liv.*l*.XXIV.

Crotonem, cum diu retinuisset pristinam formam, haut multo ante suam ætatem, & cives, & nomen mutasse, Cothorniam appellatam, & coloniam Romanorum factam, scribit Dionysius Halicarn. *l*.I.

Crotoniatæ & bellicis rebus studuerunt, & athleticæ : una enim Olympiade septem viri, qui stadio vicere, omnes Crotoniatæ fuere : ut non injuria dictum videatur, διότι Κρωτωνιατῶν ὁ ἔσχατος, πρῶτος ἦν τῶν ἄλλων Ἑλλήνων : & proverbium erat, ὑγιέστερον Κρότωνος, Strabo *l*.VI.p.262. Crotona urbem antiquissimam, & aliquando Italiæ primariam, Petron. *Satyr*.

Crotoniatæ fuerunt multi Philosophi Pythagorici. Milo ἐπιφανέστατος μὲν τῶν ἀθλητῶν γεγονώς, ὁμιλητὴς δὲ Πυθαγόρου, διατρίψαντος ἐν τῇ πόλει πολὺν χρόνον, Strabo *l*.VI p. 623 Ὁ γὰρ ἀνὴρ ἑξάκις Ὀλύμπια νενικηκώς, καὶ τὴν ἀλκὴν ἀκόλουθον ἔχων τῇ κατὰ τὸ σῶμα φύσει, λέγεται πρὸς τὴν μάχην (adversus Sybaritas) ἀπαντῆσαι κατεστεφανωμένος μὲν τοῖς Ὀλυμπιακοῖς στεφάνοις, διεσκευασμένος δὲ εἰς Ἡρακλέους σκευὴν, λεοντῇ καὶ ῥοπάλῳ, Diodor. *l*. XII. p. 75. de Milone. In hac urbe non literarum studia celebrantur, non eloquentia locum habet, non frugalitas sanctique mores laudibus ad fructum perveniunt, sed quoscunque homines in hac urbe videritis, scitote in duas partes esse divisos : nam aut captantur, aut captant. In hac urbe nemo liberos tollit : quia quisquis suos hæredes habet, nec ad scenas, nec ad spectacula admittitur, sed omnibus prohibetur commodis, inter ignominiosos latitat : qui vero nec uxores unquam duxerunt, nec proximas necessitudines habent, ad summos honores perveniunt, id est, soli militares soli fortissimi, atque etiam innocentes habentur, Petron. *Satyr*.

SYBARITÆ.

Sybaris urbs Italiæ, Stephan. inter duos fluvios sita. τὴν Σύβαριν κειμένην ἀνὰ μέσον ποταμῶν δυοῖν, τοῦ τε Συβάριος καὶ Κράθιος, Diodor. *l.* XI. p.68. a quorum altero Sybari nomen accepit. ἀφ' οὗ (Συβάριος) ταύτης ἔτυχε προσηγορίας, Diodor. *l.* I. p.76. Σύβαρις πόλις Ἰταλίας, ἢ ἀπὸ οἰκιστοῦ τινος, ἢ ἀπὸ Συβάρεως ποταμοῦ, Schol. Theocrit. *Iliad.* v. Achæorum colonia. Marcian. p. 14.

Ἦν καὶ πρότερον μέγιστον ἐξυμνουμένη
Πόλις μεγάλη, βαρεῖα, πλουσία, καλή,
Ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ Συβάριδος ὠνομασμένη
Σύβαρις, Ἀχαιῶν ἐπιφανὴς ἀποικία.

Sed & Trœzenii cum Achæis ibi habitabant. Τροιζηνίοις Ἀχαιοὶ συνῴκισαν Σύβαριν. εἶτα πλείους οἱ Ἀχαιοὶ γενόμενοι ἐξέβαλον τοὺς Τροιζηνίους. Ὅθεν τὸ ἄγος συνέβη τοῖς Συβαρίταις, Aristotel. *l.* v. *de Rep.* §. III. Straboni οἰκιστὴς αὐτῆς ὁ Ἰσελικεὺς dicitur *l.* VI. p.263. Cum autem Sybaritæ plurimos in civitatis societatem reciperent, adeo creverunt, ut viderentur reliquis Italiæ populis longe antecellere, Diodor. *l.* XII. p. 76. Et tanto rerum successu civitas invaluit, ut quatuor vicinis gentibus imperaret, & XXV. urbes suo imperio comprehenderet, & in aciem CCC. hominum millia educeret, Strabo *l.* VI. p. 264. Marcian. p. 14.

Μυριάδας δέκα ἔχουσα τῶν ἀστῶν σχεδὸν,
Περιουσίᾳ πλείστῃ τε κεχορηγημένη.

Telys Sybaritarum Rex, Herodot. *l.* v. p. 346. Δημαγωγὸς dicitur Diodoro. Is potentissimum quemque ad populum criminando, effecit, ut civium quingenti ditissimi urbe pellerentur, eorumque bona publicarentur. Exsules Crotonem confugerunt, & ad aras, quæ in foro erant, supplices consederunt. Mox Telys missis Crotonem legatis, supplices dedi jubet, vel bellum denunciat. Crotoniatæ suasu ac consilio Pythagoræ Philosophi, armis tueri supplices decreverunt. Ita Crotoniatis bellum inferunt Sybaritæ, educuntque in aciem CCC. armatorum millia. Olymp LXVII. 3. Commissa pugna funduntur Sybaritæ: cumque Crotoniatæ nullius eorum, quos capiebant, vitæ parcerent, & quos fugientes assequebantur, omnes trucidarent, major illius exercitus pars concisa periit, & urbs post fœdam direptionem ad vastitatem redacta fuit, Diodor. *l.* XII. p.77. Marcian. p.14.

Κρωτωνιᾶται πλησίον δὴ κείμενοι,
Κατὰ κράτος αὐτοὺς ἦραν ἐν βραχεῖ χρόνῳ
Τὰ πάντα διαμείναντας ἀπταίστως ἔτη
Ὡς ἑκατὸν ἐννενήκοντα πρὸς τοῖς εἴκοσι.

Capta autem urbs fuit a Crotoniatis, postquam hoc Sybaritis redditum fuerat oraculum:

Εὐδαίμων Συβαρῖτα πανευδαίμων, σὺ μὲν αἰεὶ
Ἐν θαλίῃσι θεῶν τιμῶν γένος αἰὲν ἐόντων.
Εὖτ' ἂν δὴ πρότερον θνητὸν θεοῦ ἄνδρα σεβίζῃ,
Τηνίκα σοι πόλεμός τε καὶ ἐμφύλιος στάσις ἥξει.

Exitium vero illis ex hoc oraculo contigit: Sybarita quidam servum flagris in agro cecidit, nec confugientem ad Junonis signum verberare destitit: servus ergo, ut hoc auxilium vanum vidit, ad statuam patris accurrens, reverentia illius a verberibus immunis fuit: & mox se Junonis signum avertit, Stephan. Dionys. Περιηγ. metaphr.

Posthæc est Sybaris, periit quæ Numinis ira,
Præponens hominum tumulos cœlestibus aris.

Sed & aliter refertur id oraculum datum ob cæsum citharœdum.

Sybaritæ citharœdum in ludis Junoniis canentem, orta inter ipsos de illo contentione, confugientem ad aram Junonis cum stola verberare non destiterunt: nec multo post sanguis in templo Junonis, non secus quam e perenni fonte, manare cœpit. Sybaritæ consulto oraculo, hoc responsum acceperunt;

Βαῖν' ἀπ' ἐμῶν τριπόδων, ἔτι τοι φόνος ἀμφιχέρεσσι
Πουλὺς ἀποστάζων ἀπὸ λάϊνον οὐδὸν ἐρύκει.
Οὔ σε θεμιστεύσω, Μουσῶν θεράποντα κατέκτας
Ἥρης πρὸς βωμοῖσι, θεῶν τίσιν οὐκ ἀλεείνας.
Τοῖς δὲ κακῶς ῥέξασι δίκης τέλος οὐχὶ χρονιστὸν,
Οὐδ' ἀπαραίτητον, οὐδ' εἰ Διὸς ἔγγονοι εἶεν.
Ἀλλ' αὐτῶν κεφαλῇσι, καὶ ἐν σφετέροισι τέκεσσιν
Εἰλεῖται, καὶ πῆμα δόμοις ἐπὶ πήματι βαίνει.

Neque dilata fuit vindicta: nam a Crotoniatis, quibuscum illis bellum erat, suis sedibus pulsi fuerunt, & urbs eorum eversa, Ælian. *Var. l.* III. c. LXIII.

Sybaritas luxus perdidit. Ὑπὸ μὲν τῆς τρυφῆς καὶ ὕβρεως τὴν εὐδαιμονίαν ἅπασαν ἀφῃρέθησαν ὑπὸ τῶν Κρωτωνιατῶν, ἐν ἡμέραις ἑβδομήκοντα. ἑλόντες γὰρ τὴν πόλιν, ἐπήγαγον τὸν ποταμὸν καὶ κατέκλυσαν, Strabo *l.* I. p.263. Ὁ μὲν δημώδης λόγος, καὶ εἰς πάντας ἐπιφοιτήσας, λέγει Συβαρίταις καὶ αὐτῇ τῇ Συβάρει αἰτίαν τῆς ἀπωλείας γενέσθαι τὴν πολλὴν τρυφὴν, Ælian. *Var. l.* I. c. XIX. Marcian. p.14.

Ἤδη παρεξαρθέντες οὐκ ἀνθρωπίνως
Αὔτανδρον ἐξέφθειραν ἐπιφανῆ πόλιν,
Τἀγαθὰ τὰ λίαν μὲν οὐ μαθόντες εὖ φέρειν.
Λέγεται γὰρ αὐτοὺς μήτε τοῖς νόμοις ἔτι
Τοῖς τοῦ Ζαλεύκου τἀκόλουθα συντελεῖν.
Τρυφὴν δὲ καὶ ῥᾴθυμον ἑλομένους βίον
Χρόνῳ προελθεῖν εἰς ὕβριν τε καὶ κόρον.

Dionysius Περιηγ. v. 572. seqq. Sybaritas Jovis ira ac vindicta periisse scribit;

Ἔστι δέ τοι κἀκεῖθι Διὸς μέγα χωσαμένοιο
Δειλαίη Σύβαρις ναέτας στενάχουσα πεσόντας
Μηναμένους ὑπὲρ αἶσαν ἐπ' Ἀλφειοῦ γεγάεσσιν.

Etenim invidia præmiorum, quæ in Olympico certamine dabantur, ludicrum apud se instituerant, majoribus præmiis propositis, ut eorum magnitudine invitati homines, vetus illud Olympicum negligerent. Marcian. p.14.

Σπεῦσαι δὲ καὶ τὸν τῶν Ὀλυμπίων ὅπως
Ἀγῶνα καταλύσωσι, τὰς δὲ τοῦ Διὸς
Ἀνέλωσι τιμὰς, τῇδε τῇ παρευρέσει.
Ἀδρομίσθιον δὴ γυμνικόν τιν' ἐπετέλουν
Κατὰ τὸν χρόνον τὸν αὐτὸν Ἠλείοις, ἵνα
Πᾶς τις πρὸς αὐτοὺς τοῖς ἐπάθλοις ἀγόμενος
Σπεύδῃ καταντᾶν ἀπολιπὼν τὴν Ἑλλάδα.

Sybaritas Alphei donaria deprædatos ac turpiter iis abusos, Dei iram in se concitasse, scribit Eusth. *in Dionys.*

Sybaritæ patria privati Laum & Scidrum condiderunt, Herodot. *l.* VI. p.387.

Olymp. LXXXI. 4. & LXXXII. 2. Sybaris LVIII. annis postquam a Crotoniatis eversa fuerat, a Thessalis quibusdam habitari cœpit, Diodor. *l.* XII. p. 77. at *l.* XI. p. 68. Ὕστερον, inquit, ἔτεσιν ὀκτὼ πρὸς τοῖς πεντήκοντα, Θετταλὸς συναγαγὼν τοὺς ὑπολοίπους τῶν Συβαριτῶν, ἐξ ἀρχῆς ᾤκισε τὴν Σύβαριν. Sic Strabo *l.* VI. p. 263. Ὕστερον οἱ περιγενόμενοι (τῶν Συβαριτῶν) συνελθόντες ἐπῴκουν ὀλίγοι.

Olymp. LXXXIII. I. Sybaritæ anno quinto, postquam urbs instaurata fuit, a Crotoniatis inde pulsi

fuerunt, Diodor. XI. p. 77. at *l.* XII. p. 68. Κατα-χόντες, inquit, ἢ τὴν πόλιν ἔτη ἕξ, ἐξέπεσον ἐκ τῆς Συβάρεως.

Olymp. LXXXIII. 3. Sybaritæ, qui jam iterum urbe exciderant, missis in Græciam legatis, a Spartanis & Atheniensibus petierunt, ut & reditus auctores, & coloniæ participes esse vellent. Lacedæmoniis recusantibus, Athenienses X. naves milite completas Sybaritis miserunt, ducibus Lampone & Xenocrate: & missis per Peloponnesi urbes præconibus, edixerunt, liberum esse omnibus se isti coloniæ aggregare. Ita non exiguus numerus consensit, oraculo Pythico etiam accepto, ὅτι δεῖ κτίσαι πόλιν αὐτοὺς ἐν τούτῳ, ὅπου μέλλουσιν οἰκεῖν, μέτριον ὕδωρ πίνοντες, ἀμεξὶ ἢ μάζαν ἔδοντες. Tum Sybarin profecti, fonte Thuria non procul a Sybari invento, qui per æneum canaliculum, quem indigenæ μέδιμνον vocabant, latices effunderet, illic oppidum condiderunt, cui de fonte Thurium nomen inditum, Diodor. *l.* XII. p. 77. 78. Αλούσης γὰρ Συβάρεως, Θούριοι ἐκλήθησαν ἀπὸ κρήνης Θουρίας. ἐξέπεμψαν ἢ εἰς τὴν κτίσιν αὐτῆς Ἀθηναῖοι μυρίους ἄνδρας, Suidas. Ἄλλους δ' ἔστειλε (Pericles) κληρούχους εἰς Ἰταλίαν, οἰκιζομένης Συβάρεως, ἣν Θουρίους προσηγόρευσαν, Plutarch. *Pericle.* Τὴν εἰς Σύβαριν ἀποικίαν τὴν ὕστερον Θουρίους μετονομασθεῖσαν ἔστελλεν ἡ πόλις, Plutarch. *Lysia* p. 448. Lamponi, qui θύτης ἦν καὶ χρησμολόγος, καὶ μάντις, coloniam Atheniensium Sybarim ductam attribuunt quidam, ajuntque eum, qui Atheniensis erat, una cum aliis ducem fuisse, Scholiastes Aristophan. *Avib.* p. 566. Εἰς γὰρ Σύβαριν τὴν ἀποικίαν λέγει) Λάμπων ἀγαγεῖν, Hesych. *in* Θουριομάντεις: vide Schol. Aristoph. *Nubib.* p. 144. b. Θούριοι πόλις Ἰταλίας, ἡ πρότερον Σύβαρις, ἀπὸ Θουρίας πηγῆς, Stephan. Νῦν ἢ καλεῖται (ἡ Σύβαρις) Θούριον, ταυτὸ ὂν Θούριοι καὶ Σύβαρις, Schol. Theocr. *Idyll.* V. Huic coloniæ in Thurios ductæ, quod se socium præbuisset Herodotus Halicarnassensis, Thurius appellatus fuit, Strabo *l.* XIV. p. 656. Epigramma apud Scholiast. Aristophan. *Nubib.* p. 144. b.

Ἡρόδοτον Λύξεω κρύπτει κόνις ἥδε θανόντα
Ἰάδος ἀρχαίης ἱστορίης πρύτανιν.
Δωριέων πάτρης βλαστόντ' ἄπο. τῶν γὰρ ἄπλητον
Μῶμον ὑπεκπροφυγὼν, Θούριον ἔσχε πάτρην.

Thurios inter urbes ab Achæis conditas refert Marcianus Περ. p. 14.

Thurii gravi seditione vexari cœperunt, cum prisci Sybaritæ præcipuos honores sibi vindicarent, minoribus relictis iis qui aliunde venerant, suasque marronas primo loco ad sacra Deorum admittendas censerent, postremo cæterorum: ad hæc vicinum urbi agrum inter se partirentur, remotiore cæteris relicto. Sed novitii cives numero & viribus longe superiores, Sybaritas priscos prope omnes ad internecionem deleverunt, urbemque suo arbitrio administrandam susceperunt, Diodor. *l.* XII. p. 78. Aristotel. *l.* V *de Rep.* §. 3. At Strabo *l.* VI. p. 263. scribit in urbe Sybari, nondum ad fontem Thuriam translata, Sybaritas oppressos fuisse ab Atheniensibus & reliquis Græcis, atque tum demum Thurium conditum. Χρόνῳ δὲ καὶ ὕστερον, inquit, διαφθάρησαν ὑπὸ Ἀθηναίων, καὶ ἄλλων Ἑλλήνων οἱ συνοικήσοντες μὲν ἐκείνοις ἀφίκοντο. καταφρονήσαντες δὲ αὐτῶν, τοὺς μὲν διεχειρώσαντο, τὴν δὲ πόλιν εἰς ἕτερον τόπον μετέθηκαν πλησίον, καὶ Θουρίους προσηγόρευσαν ἀπὸ τῆς κρήνης ὁμωνύμου, hæc Strabo. Αλούσης γὰρ Συβάρεως Θούριοι ἐκλήθησαν ἀπὸ κρήνης Θουρίας, Schol. Aristoph. *Nubib.* p. 144. b. Sybaritarum reliquias, qui e seditione evaserant, & ad Truentum fl. consederant aliquandiu, Brutii postea deleverunt, Diodor. *l.* XII. p. 85.

Thurii cum agro abundarent, plures Græcos ad se arcessiverunt, divitiisque aucti, fœdere cum Crotoniatis icto, Remp. præclare administrarunt, & instituta Democratia cives in X. tribus distribuerunt, quibus a sua cuique gente nomina dederunt, erantque hæc: Arcas, Achais, Elea, Bœotia, Amphictyonica, Doriensis, Ias, Athenais, Eubois & Insularis. Tum Charondam, τὸν ἄριστον τῶν ἐν παιδείᾳ θαυμαζόμενον πολιτῶν, (Καταναῖος dicitur Heraclidi *de Polit.* & Aristoteli *Polit. l.* II. §. 12.) Legislatorem constituerunt, Diodor. *l.* XII. p. 78. 79. Charondas imprudens in concionem gladio, contra leges, succinctus ex agro rediens accessit: & exclamante quodam, legem ab ipso conditam ab ipso destrui, μὰ Δί', inquit, ἀλλὰ κύριον ποιήσω: & stricto confestim gladio semet transfodit, Diodor. *l.* XII. p. 84.

Thuriorum agros Lucani incursarunt: Thurii peditatu XL. millium & mille equitibus instructi in hostem duxerunt. Eorum adventu territi Lucani, in sua se receperunt. Thurii in Lucaniam impetu facto castellum quoddam expugnarunt. Eo successu elati, ultra perrexerunt, quasi gentem ipsam expugnaturi. Sed Lucani prælio commisso victores supra decem millia Thuriorum trucidarunt. Superstites servavit Leptines Dionysii Navarchus, qui etiam eo rem deduxit, ut Lucani & Græci Italiotæ positis armis pacem inter se sancirent, Diodor. *l.* XIV. p. 313. 314.

Thurii longo tempore fortuna secunda usi, tandem a Lucanis subacti fuerunt: iis vero a Tarentinis oppressis, hi ad Romanos confugerunt, qui missis illuc colonis, urbem Copias appellarunt, Strabo *l.* VI. p. 263. Sic & Stephan. Θούριοι — ὕστερον δὲ Κωπίαι: nisi quod Straboni sit Κοπιαί. Ego neutrum probo, sed legendum puto Λουπία vel Λουπίαι. Ὁπόσοι δὲ περὶ Ἰταλίας καὶ πόλεων ἐπολυπραγμόνησαν τῆς ἐν αὐτῇ, Λουπίαν φασὶ κειμένην Βρεντεσίου τε μεταξὺ καὶ Ὑδροῦντος μεταβεβληκέναι τοὔνομα, Σύβαριν οὖσαν τὸ ἀρχαῖον, Pausan. *Eliac. post.* p. 379. Hartungus & Lœscherus legunt Θούριον pro Λουπίαν, forte quia Sybarin postea Thurium appellatam fuisse constat. Sed Sylburgius recte defendit Λουπίαν, cum e Strabone apud quem est Λουπίαι *l.* VI. p. 282. tum imprimis e Ptolemæo, apud quem *lib.* III. eodem, quo apud Pausaniam, ordine collocantur hæ urbes Ὑδροῦς, Λουπίαι, Βρεντέσιον. Consentit Plinius *l.* III. c. XI. Ab Hydrunte, inquit, Soletum desertum, deinde Fratuertium, Portus Tarentinus, statio militum Lupia, Balesium, Cælium, Brundisium, nisi quod cum Pausania utatur singulari numero, Strabo & Ptolemæus plurali. In eo dissensus, quod Ptolemæus maritimam urbem Lupias facit; Strabo eam ἐν τῇ μεσογαίᾳ collocat. Ἀπίαι corrupte est apud Scholiast. Aristoph. *Nubib.* p. 144. b.

PANDOSIANI.

Pandosia urbs Italiæ, Achæorum colonia dicitur Marciano p. 14. Πλαταιέων ἀποικία, Scylaci p. 111. Sic enim legendum putat Cluverius. Certe inter Græcas urbes illic memoratur a Scylace. Φρούριον Βρεττίων ἐρυμνὸν, δίκορυφον, Stephano. Φρούριον ἐρυμνὸν, & βασίλειόν ποτε τῶν Οἰνωτρικῶν βασιλέων, Straboni *l.* VI. p. 256.

Ad urbem Pandosian periit Alexander Molossus, ab oraculo deceptus, quo jubebatur Pandosian & Acherontem vitare: nam in Thesprotia ejusdem nominis loca illi ostenderant; is vero ad hoc castellum periit, quod Acheron fl. præterlabitur: accessit & hoc oraculum:

Πανδοσία τρικόλωνε, πολύν ποτὲ λαὸν ὀλέσσεις.

xie-

existimavit enim hostium, non suorum interitum significari, Strabo *lib.* VI. p. 256. Stephan. Oraculum refert Suidas:

Αἰκίδη φροφύλαξαι μολεῖν Ἀχερέσιον ὕδωρ,
Πανδοσίαν δ', ὅθι τοι θάνατος πεπρωμένος ἐςί.

METAPONTINI.

Metapontium urbs Italiæ nomen accepit a Metabo, Sisyphi F. Æoli nepote: Τὸν γὰρ Μετάποντον οἱ Βάρβαροι Μέταβον ἔλεγον, Stephan. Ἀντίοχος τὴν πόλιν Μεταπόντιον, εἰρῆσθαι πρότερον Μέταβον, μετονομασθῆναι δ' ὕςερον, Strabo *lib.* VI. p. 265. Conditum ajunt a Pyliis, qui cum Nestore ab expeditione Trojana redierunt: σημεῖον δὲ ποιοῦνται τ̃ κτίσεως, τ̃ τῶν Νηλειδῶν ἐναγισμόν, Strabo *lib.* VI. pag. 264. Daulium ejus οἰκιςὴν vocat Ephorus. Οἰκιςὴς δὲ τ̃ Μεταποντίε Δαύλιος ὁ Κρίσσης τύραννος γεγένηται τ̃ πρὸς Δελφοῖς, ὥς φησιν Ἔφορος, Strabo *lib.* VI. pag. 265. Sirin hanc urbem prius appellatam fuisse ajunt Stephanus & Eustath. *in Dionys.* Περ Sed Siris cum Heraclea eadem est Straboni *lib.* VI. p. 264.

Metapontinos tanto successu terram coluisse ajunt, ut auream æstatem Delphis dedicarint, Strabo *lib.* VI. p. 264.

Metapontium Samnites deleverunt, idem *ibid.*

Metapontium civibus vacuum Antiochus scribit a quibusdam Achæis occupatum fuisse, evocatis eo ab Achæis Sybarin tenentibus: stimulavit vero odium Achæos, qui e Laconica pulsi fuerant, adversus Tarentinos, ut arcesserentur isti, ne Tarentini ut vicini eum locum invaderent. Ferunt autem ab Achæis Leucippum ad deducendam coloniam missum, impetratum a Tarentinis in diem & noctem locum non reddidisse: & reposcentibus interdiu respondisse, ὅτι καὶ εἰς τὴν ἐφεξῆς νύκτα αἰτήσαιτο καὶ λάβοι: noctu vero, ὅτι καὶ πρὸς τὴν ἑξῆς ἡμέραν, Strabo *lib.* VI. p. 264. 265. Ita urbs facta Achæorum colonia. Marcian. de Crotone, Pandosia, Thuriis & Metapontio, p. 14.

Ταύτας Ἀχαιοὺς ἐκ Πελοποννήσου κτίσαι
Ἀφικομένους λέγουσι πάσας τὰς πόλεις.

Metapontium Cleonymus Rex Spartanus ut amicus ingressus, Metapontinos plusquam sexcentis argenti talentis emunxit: ducentasque obsidum loco virgines cepit, non tam firmandæ fidei, quam libidinis suæ explendæ causa: deposita enim veste Laconica, deliciis tempus impendit, & qui ipsi crediderant, eos servitutis jugo involvit, Diodor. *lib.* XX. p. 829.

CUMANI.

Cum urbs Italiæ, Stephan. *in* Opicis, Chalcidensium & Æolum colonia. Marcian. pag. 10.

Μετὰ δὲ Λατίνους ἐςὶ ἐν Ὀπικοῖς πόλις
Τῆς λεγομένης λίμνης Ἀόρνου πλησίον
Κύμη, πρότερον ἣν οἱ Χαλκιδεῖς ἀπῴκισαν,
Εἶτ' Αἰολεῖς. μάλιςα δ' εὐανδρουμένη
Κατὰ τὴν Ἀσίαν Κύμη ἐςὶ κειμένη πόλις.

Scaliger *Animadv. in Euseb.* p. 56. *a.* scribit hallucinationem esse Marciani, quod dicat primum a Chalcidensibus, postea ab Æolibus conditam; sed ipse hallucinatus est Scaliger, quod Chalcidenses Cumanos Æoles putet: nam Chalcidenses Iones erant. Κύμην τὴν ἐν Ὀπικοῖς Ἑλληνίδα πόλιν, Ἐρετριεῖς τε καὶ Χαλκιδεῖς ἔκτισαν, Dionys. Halicarn. *lib.* VII. Κύμης, τ̃ ἐν Ὀπικίᾳ Χαλκιδικῆς πόλεως,

A Thucyd. *lib.* VI. p. 413. Cumani a Chalcide Euboica originem trahunt, Livius *lib.* VIII. Cumæ Chalcidensium, Plin. *lib.* III. cap. V. Ab Euboensibus constitutæ Cumæ, Solin. cap. VIII. Nec multo post Chalcidenses, orti, ut prædiximus, Atticis Hippocle & Megasthene ducibus Cumas in Italia condiderunt: hujus classis cursum esse directum alii columbæ antecedentis volatu fuerunt, alii nocturno æris sono, qualis Cerealibus sacris cieri solet, Vellejus *lib.* I. init. Κύμη Χαλκιδέων καὶ Κυμαίων παλαιότατον κτίσμα. Πασῶν γάρ ἐςι πρεσβυτάτη τῶν τε Σικελικῶν καὶ τῶν Ἰταλιωτίδων, Strabo
B *lib.* V p. 243. Idem eosdem quos Vellejus coloniæ duces nominat, sed Ἱπποκλῆς ei Κυμαῖος est, Μεγασθένης Χαλκιδεύς: inter quos convenisse scribit, τῶν μὲν ἀποικίαν εἶναι, τῶν δὲ τὴν ἐπωνυμίαν. ὅθεν νῦν μὲν, inquit, προσαγορεύεται Κύμη, κτίσαι δ' αὐτὴν Χαλκιδεῖς δοκοῦσι. Idem porro auctor est quosdam velle urbem sic appellatam ἀπὸ τῶν κυμάτων· ῥαχιώδης γὰρ ὁ προεχὴς ὁ πλησίον αἰγιαλός. A colonia Cumas appellavit: nam Eubœa insula est, in qua Chalcis civitas est, de qua venerunt, qui condiderunt civitatem in Campania, quam Cumas vocarunt ἀπὸ τῶν κυμάτων, vel a gravidæ mulieris augurio, quæ Græcis ἔγκυος dicitur, Sarvius *ad lib.*
C VI. *Æneid.* v. 2.

Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.

Cæterum quæri potest, qui hi Chalcidenses & Cumæi fuerint? Casaubonus utrosque Euboenses putat: quod & Κύμη & Χαλκὶς urbes Euboicæ sint apud Stephanum. Sed quin Cumæi [illegible] dubitare non patitur Marcianus: Chalcidenses ex Eubœa fuisse facile largior.

Olymp. LXIII. Cumas conati fuerunt Hetrusci, Umbri, Daunii, aliique complures Barbari exscindere; non ob justam aliquam odii causam, sed
D tantum ob felicitatem: erant enim Cumæ eo tempore per omnem Italiam divitiarum, potentiæ, cæterorumque bonorum nomine celebres, Dionys. Halicarn. *lib.* VII.

Olymp. LXXVI. 3. Cumani ab Hetruscis bello pressi, missis ad Hieronem Syracusanum Legatis, ab eo triremes auxiliares maltas impetrarunt: quæ commisso navali prælio Hetruscos vicerunt, & Cumanos periculo exemerunt, Diodor. *lib.* XI. p. 39.

Olymp. LXXXIX. 4. Cumani a Campanis commissa pugna victi cæsique fuerunt. Inde Cuma vi expugnata direptaque fuit; incolæ quotquot in ea deprehensi fuerunt, servituti addicti: & in urbem
E Campani translati, Diodor. *lib.* XII. p. 124. Eodem anno a Campanis Cumæ, quam Græci tum urbem tenebant, capiuntur, Livius *lib.* IV. Πρότερον μὲν οὖν ηὐτύχει ἡ Κύμη. ὕςερον δὲ οἱ Καμπανοὶ κύριοι καταςάντες τ̃ πόλεως, ὕβρισαν εἰς τοὺς ἀνθρώπους πολλὰ καὶ δὴ ταῖς γυναιξὶν αὐτ̃ συνῴκησαν αὐτοί. ὅμως δ' οὖν ἔτι σώζεται πολλὰ ἴχνη τ̃ Ἑλληνικ̃ κόσμου, καὶ τῶν ἱερῶν, καὶ τ̃ νομίμων, Strabo *lib.* V. p. 243. Κύμην, ἣν δὲ πρὸ γενεᾶ πρότερον ἐξελάσαντες τοὺς Κυμαίους, Καμπανοὶ κατέχον, *Excerpt. legat.* Dionys. Halicar.

F

RHEGINI.

Rhegium urbs Lucaniæ, Græca, Scyl. Caryand. p. 112. Nomen accepit, ut ait Æschylus, ab eo quod huic regioni accidit: ἀπορραγῆναι γὰρ ἀπὸ τ̃ ἠπείρου τὴν Σικελίαν ὑπὸ σεισμῶν, & alii, & ille dixit, ἀφ' οὗ δὴ Ῥήγιον κικλήσκεται, Strabo *lib.* VI. p. 258. Ab hoc descifcendi argumento Rhegium Græci nomen dedere oppido, in margine Italiæ sito, Plin. *lib.* III. cap. VIII. Φασὶ γὰρ οἱ παλαιοὶ μυθογράφοι τὴν Σικελίαν τὸ πρῶτ̃ χερρόννησον οὖσαν, ὕςερον γενέσθαι νῆσον διὰ τοιαύτας αἰτίας. τ̃ ἰσθμὸν

καὶ τὸ στενώτατον ὑπὸ δυοῖν πλευρῶν θαλάττης προσκλυζόμενον ἀναῤῥαγῆναι, καὶ τὸν τόπον ἀπὸ τούτου Ῥήγιον ὀνομασθῆναι. καὶ τὴν ὕστερον πολλοῖς ἔτεσι κτισθεῖσαν πόλιν τυχεῖν τῆς ὁμωνύμου προσηγορίας, Diodor. *lib.* IV. p. 284. Πλὴν εἴτε διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν τοὔνομα τῇ πόλει γέγονεν, εἴτε διὰ τὴν ἐπιφάνειαν τῆς πόλεως, ὡς ἂν βασίλειον (Regiam) τῇ Λατίνῃ φωνῇ προσαγορευσάντων Σαυνιτῶν, διὰ τὸ τοὺς ἀρχηγέτας αὐτῶν κοινωνῆσαι Ῥωμαίοις τῆς πολιτείας, καὶ ἐπὶ πολὺ χρήσασθαι τῇ Λατίνῃ διαλέκτῳ, πάρεστι σκοπεῖν ὁποτέρως ἔχει τἀληθές, Strabo *lib.* VI. p. 258. & Eustath. *in Dionys.* Ῥήγιον ἐκαλεῖτο ἀπό τινος ἐγχωρίου Ἥρωος, Heraclid. *de Polit.* Græcam vocem esse eo ipso fassi sunt Romani, quod perpetuo cum aspiratione scripserint Rhegium. Rhegium dicitur ideo, quia Græce abrupta hoc nomine pronunciantur, Justinus. Conditorem urbis fuisse Jocastum Æoli filium scribit e Callimacho If. Tzetzes *in Lycophr.* Sed Chalcidenses & Messenios primum habitasse, tantum apud Jocasti, unius Æoli (mendose legitur Διόλου: quod non observatum a Nicol. Kragio nostro, qui vertit *Dioli*) filiorum sepulcrum scribit Heraclides *de Polit.* Et Chalcidensium colonia fuit Rhegium. Κτίσμα δ' ἐστὶ τὸ Ῥήγιον Χαλκιδέων, οὓς κατὰ χρησμὸν δεκατευθέντας τῷ Ἀπόλλωνι δι' ἀπορίαν, ὕστερον ἐκ Δελφῶν ἀποικῆσαι δεῦρό φασι, παραλαβόντας καὶ ἄλλους τῶν οἴκοθεν. ὡς δ' ὁ Ἀντίοχός φησι, Ζαγκλαῖοι μετεπέμψαντο τοὺς Χαλκιδέας, καὶ οἰκιστὴν Ἀντίμνηστον συνέστησαν ἐκείνων, Strabo *lib.* VI. p 215. Ῥηγῖνοι δὲ Χαλκιδέων ὄντες ἄποικοι, Diodor. *lib.* XIV. p. 267. Marcian. p. 13.

—— Χαλκιδεῖς τε Ῥήγιον
Ἀποικίσαι δοκοῦσιν.

Sed & Messenii ejus coloniæ socii fuerunt. Ἦσαν δὲ τῆς ἀποικίας καὶ οἱ Μεσσηνίων φυγάδες τῶν ἐν Πελοποννήσῳ καταστασιασθέντες ὑπὸ τῶν μὴ θελομένων δοῦναι δίκας ὑπὲρ τῆς φθορᾶς τῶν παρθένων τῆς ἐν Λίμναις γενομένης τοῖς Λακεδαιμονίοις, Strabo *lib.* VI. p. 257. Ῥήγιον ᾤκισαν Χαλκιδεῖς, οἱ ἀπ' Εὐρίπου, διὰ λιμὸν ἀναστάντες. παρέλαβον δὲ καὶ ἐκ Πελοποννήσου τοὺς Μεσσηνίους τοὺς ἐν Μακίστῳ τυχόντας διὰ τὴν ὕβριν τῶν Σπαρτιαδῶν παρθένων, Heraclid. *de Polit.* Rheginorum duces usque ad Anaxilaum semper de genere Messenio delecti fuerunt, Strabo *lib.* VI. p. 257. vide in *Messen. Phintas.* Alcidamidas e Messene Rhegium commigravit post Aristodemi mortem Ithome expugnata, Pausan. *Messen.* p. 260. Πολιτείαν δὲ κατεστήσαντο Rhegini ἀριστοκρατικήν. χίλιοι γὰρ πάντα διοικοῦσιν, αἱρετοὶ ἀπὸ τιμημάτων. νόμοις δὲ ἐχρῶντο τοῖς Χαρώνδου τοῦ Καταναίου, Heraclid. *de Polit.*

Rhegii Tyrannus fuit Anaxilaus, ab Alcidamida oriundus, quarto gradu, Pausan. *Messen.* p. 260. Heraclid. *de Polit.* Critinei filius fuit, uxoremque duxit Cydippam Terilli Himeræorum Tyranni filiam, Herodot. *lib.* VII. p. 499. Cum Zanclæorum in Sicilia hostis esset, Samiis & Milesiis exsulibus persuasit, ut Zanclam occuparent, dum Zanclæi in obsidenda quadam Sicula urbe occupati essent, Herodot. *lib.* VI. p. 388. Messenios quoque e patria profugos in Siciliam traduxit adversus Zanclæos, cum quibus ipsi bellum erat, Pausan. *Messen.* p. 260. 261. Thucyd. *lib.* VI. p. 414. Filios suos Amilcari Carthaginensi obsides dedit: vide in *Himeræis.* Cum autem Locris Epizephyriis bellum intulisset, metu Hieronis, misso ad eum Chromio genero interminantis, nisi bello contra eos suscepto abstineret, se armis Rhegium oppugnaturum, arma posuit, Schol. Pindari *Pyth.* ode II. epod. Mortuus fuit cum annos XIIX. principatum tenuisset, Diodor. *lib.* II. p. 37.

Micythus tyrannidem suscepit ea conditione, ut Anaxilai liberis, ubi adolevissent, eam restitueret, Diodor. *lib.* XI. p. 37. Micythus Chœri F. Anaxilai famulus, procurator Rhegii relictus, Rheginos Tarentinis contra Messapios opem ferre coegit: sed Rheginorum tria millia cæsa fuerunt, Herodot. *lib.* VII. p. 501. Fugientes vero Rheginos tanta pertinacia urserunt hostes, ut cum fugientibus simul intra mœnia irruperint, eoque impetu urbem ceperint, Diodor. *lib.* XI. p. 39.

Olymp. LXXVIII. 2. Anaxilai porro filii, cum adolevissent, instinctu Gelonis Syracusani, a Micytho tutore suo gestæ tutelæ rationes poposcerunt: eas ille, convocatis juvenum paternis amicis, adeo liquide reddidit, ut omnes in suæ justitiæ fideique admirationem raperet. Ibi juvenes pœnitentia ducti, Micythum obtestati sunt, ut porro res administrare pergeret. Sed Micythus recusans, restitutis plane omnibus, suis vero facultatibus navi impositis, Rhegio, populo cum summo favore prosequente, Tegeam Arcadiæ discessit, illicque cum laude vixit, Diodor. *lib.* XI. p. 50. Herodot. *lib.* VII. p. 501.

Olymp. LXXIX. 4. Rhegini Anaxilai filios, suos principes expulerunt, patriæque libertatem asseruerunt, Diodor. *lib.* XI. p. 58.

Rheginorum Remp. constituit ac correxit Charondas, cum Catana profugisset, Ælian. *Var. lib.* III. cap. XVII. ἴσχυσε δὲ μέγιστον ἡ τῶν Ῥηγίνων πόλις, καὶ περιοικίας ἔσχε συχνάς, Strabo *lib.* VI. p. 258.

Rhegini cum jampridem seditionibus agitarentur, Locros ipsorum agros, exulum Rheginorum instinctu, vastantes arcere non potuerunt, Thucyd. *lib.* IV. init.

Olymp. XCIV. 1. Rhegini & Zanclæi Messenii triremes XXC. miserunt Syracusanis contra Dionysium, Diodor. *lib.* XIV. p. 239.

Rhegini Dionysio Syracusano per legatos petenti, ut affinitatem secum contraherent, virgine ex oppidanis aliqua sibi in matrimonium data, assentiri noluerunt, Diodor. *lib.* XIV. p. 271. A Rheginis filiam lictoris Dionysio, sibi virginem nuptum dari postulanti, oblatam fuisse, & hoc prætextu usum Dionysium Rhegium solo æquasse, scribit Strabo *lib.* VI. p. 258. item Diodorus *lib.* XIV. p. 317.

Olymp. XCVII. 3. Rhegium Italiæ propugnaculum Dionysius imperio omnium Græcarum in Italia urbium inhians primum exercitu aggressus fuit: Græci Rheginis auxilio LX. naves miserunt, quæ a L. navibus Dionysii fusæ, & ad terram appulsæ jam pene in hostis persequentis potestatem venerant, cum universa Rheginorum multitudo ad ferendam opem effusa, Dionysium telorum multitudine a littore propulit: ortaque vehementi tempestate Rhegini naves ad terram protraxerunt. Dionysius vero septem naves & cum iis milites mille quingentos illic amisit, Diodor. *lib.* XIV. p. 282.

Olymp. XCVII. 4. Rhegini, cum Dionysius ob nuptias sibi contumeliose denegatas adversus ipsos expeditionem suscepisset, metuentes sibi, Legatos ad Dionysium de pace miserunt. Is indicto CCC. talentorum tributo, & navibus, quotquot habebant, numero LXX. ad se receptis, & centum præterea acceptis obsidibus, pacem dedit, Diodor. *lib.* XIV. p. 316. Nihilominus anno sequente, obsidibus Rheginis redditis, Rhegium denuo copiis adductis oppugnavit, machinisque incredibilis magnitudinis mœnia concussit. Rhegini vero, Phytone duce constituto, egregie pro patria pugnarunt: undecimo tandem mense, ab omnibus auxiliis undique exclusi, dira fame urgente, urbem Tyranno dediderunt. Is deditos crudelissime tractavit, Phytonis filium in mare demersit, ipsum Phytonem per totam urbem circumductum flagris cædi, & omni ludibriorum ac sævitiæ genere affici, ac demum in mare cum omnibus cognatis præcipitari jussit, Diodor. *lib.* XIV. p. 317. 318. 319. 320.

Olymp. CVII. 2. Rheginis libertatem restituerant Leptines & Calippus Syracusani, prædio Dionysii Junioris inde ejecto, Diodor. *lib.* XVI. p 443. A Dionysio Juniore Rhegii urbis partem instauratam, ac Phœbiam appellatam, auctor est Strabo *lib.* VI. p. 258.

Olymp. CXV. 4. Rheginis contra Heraclidem & Sosistratum opem tulit Agathocles, Diodor. *lib.* XIX. p. 653.

Rheginos circumventos, violatis pactis, plerosque interfecit præsidium Campanorum, Strabo *lib.* VI. p. 258.

Rhegii urbis partem magnam terræ motus, paulo ante Marsicum bellum, prostrarunt, idem *ibidem*.

Rheginis Augustus Imp. expulso e Sicilia Pompejo, quosdam e sua classe, qui cum ipsis habitarent, dedit, cum urbs civium penuria laboraret, Strabo *lib.* VI. p. 259.

SCYLLETINI.

Scylletium, postea Scylacion dictum, urbs Italiæ post Sagram, colonia Atheniensium, qui cum Mnestheo illuc venerant, Strabo *lib.* VI. p. 261. Scylacæum Virgilius *Æneid.* III. v. 553. vocat. Scylaceum, Scylletium Atheniensibus, cum conderent, dictum, Plinius *lib.* III. *cap.* X. vide Erythræi *Indicem* Virgilianum.

PISANI.

Pisa urbs Italiæ condita a Peloponnesiis Pisatis, qui cum Nestore ad Trojam profecti, in reditu errantes, alii Metapontium, alii ad agrum Pisanum delati fuerunt, omnes Pylii appellati, Strabo *lib.* V. p. 222. Sed & Pisæ in Liguribus Græcos auctores habent, Justin. *lib.* XX. Pisæ, inter amnes Auserem & Arnum, ortæ a Pelope Pisisque, Plin. *lib.* III. *cap.* V. *A Pelope Pisas*, Solin. *cap.* VIII. *A Pelopidis Pisas* legit Martin. Delrio e vet. exempl. Alpheus fluvius est inter Pisas & Elidem civitates Achaiæ, ubi est templum Jovis Olympii: ex quibus locis venerunt, qui Pisas in Italia condiderunt, appellatas a civitate pristina: unde nunc addidit (Virgilius *Æneid.* X. v. 180. *Urbi Etrusca solo*: cum præmisisset (v. 179.) *Alphææ ab origine Pisæ*. Sane Pisas antiquitus conditas a Peloponneso profectis, vel ab his qui cum Pelope in Elidem venerant, Servius *in Æneid. lib.* X.

TARENTINI.

Tarentum urbs Italiæ maritima, Stephan. Lacedæmoniorum colonia: nomem accepit cum fluvio ab Heroe Tarante, Neptuni & Nymphæ indigenæ filio, Pausan. *Phocic.* p. 627. Marcian. p. 14.

Εἶτ' ἐστὶ μεγίστη τῶν ἐν Ἰταλίᾳ Τάρας,
Ἀπό τινος Ἥρωος Τάραντος λεγομένη,
Λακεδαιμονίων ἄποικος διδαίμων πόλις,
Οἱ Παρθενίαι ταύτην γὰρ ἔκτισαν πρὸ τοῦ.

Dionys. Περιηγ. v. 376. seqq.

—— Τάρας δ' ἀλὸς ἔγγυθι κεῖται,
Ἥν ποτ' Ἀμυκλαίων ἐπολίσσατο καρτερὸς Ἄρης.

Notum est, ab Heraclidis Tarentum esse constitutum, Solin. *cap.* VIII.

Antiochus refert, conflato bello Messeniaco, eos qui Lacedæmoniorum castra secuti non fuissent, servitutis damnatos fuisse, appellatosque Hilotas: quibus vero belli tempore liberi nati essent, Parthenias appellatos, & ignominia notatos. Id hos ini-

A que tulisse, (erant vero non pauci) & adversus Remp. consilia agitasse; sed Spartanos re cognita submisisse quosdam, qui simulatione amicitiæ insidias detegerent: fuisse autem inter conjuratos, conjurationis principem Phalantum, qui, cum in Amyclæo Hyacinthii ludi agerentur, galeam capiti impositurus esset: id signum fore, cum insidias exsequuturi essent: verum hujus Phalanti instituti cognitione, clam conjuratis, delata ad Spartanos, præconem in medium progressum, cum ludi cœpti essent, edixisse ne Phalantus galeam capiti imponeret; conjuratos, cum delatam indicio conspirationem intellexissent, alios diffugisse, alios
B supplices veniam petiisse: eos bono animo esse jussos, in custodiam traditos fuisse: Phalantum vero ad oraculum missum de deducenda colonia hoc responsum accepisse:

Σατύρειόν τοι δῶκα, Τάραντά τε πίονα δῆμον
Οἰκῆσαι, καὶ πῆμα Ἰαπύγεσσι γενέσθαι.

Venisse igitur Parthenias cum Phalanto Tarentum, receptosque fuisse a Barbaris & Cretensibus, qui prius illic sedem occuparant, Strabo *lib.* VI. p. 278. 279. Ephori narrationem de Partheniis ab hac
C discrepantem vide in *Lacedæmon. Alcamen.* *Οἷον ἐν Λακεδαίμονι οἱ λεγόμενοι Παρθενίαι. οὓς φωράσαντες ἐπιβουλεύσαντας, ἀπέστειλαν Τάραντος οἰκιστάς*, Aristotel. *Polit.* lib. V. cap. VII. vide Justin. *Hist* lib. III. Quid Tarentini? quos Lacedæmone profectos, spuriosque vocatos accepimus, Justin. *Hist.* lib. XX. Phalanto coloniam deducturo Delphis oraculum redditum fuit, tunc se agri & urbis compotem fore, cum sub æthra pluviam animadvertisset. Is vero oraculo neque a se, neque ab interpretibus examinato, classe in Italiam contendit. Ibi cum Barbaros vicisset, neque tamen urbe vel agro aliquo potiri posset, oraculum ei in mentem venit, ac
D plane sibi, quod fieri nullo modo posset voce Dei significatum suspicari cœpit: neque enim unquam sub æthra (puro serenoque cælo) pluere. Animum despondentem, uxor, quæ domo virum secuta fuerat, amanter complexa, & in genua sua viri caput excipiens, dum pediculos legit, amore viri, ejusque irritæ spei ingemiscens, uberes lacrymas in ejus caput profudit. Tum oraculi ambages evolutæ: nam Æthra nomen uxori erat. Sequenti itaque nocte Tarentum hostium urbem maximam & opulentissimam cepit, Pausan. *Phocic.* p. 627. 628. Ad Myscelum, de quo in *Crotoniatis*, hæc referunt Suidas & Scholiast. Aristoph. *Nubib.* pag.
E 148. Fa. Phalantum, antequam in Italiam iret, ajunt navi in Crisæo mari fracta ad littus a delphino advectum fuisse, Pausan. *Phocic.* p. 634. Phalantum octavum ab Hercule fuisse ait Servius *in Æn. lib.* III. v. 551. ubi Herculeum Tarentum vocat Virgilius. Quidam Tarentum ante Satyrium dictum tradunt, & ab Herculis filio Tarento post Tarentum dictum: alii Herculem appellatum tradunt, quia Heraclidæ Lacedæmoniorum Reges, Servius *in* III. *Æneid.*

Olymp. LXXVI. 4. Tarentinis cum Japygibus
F contentio erat de finibus: post multas velitationes & actas utrinque prædas, atroci pugna cum sociis Rheginis Tarentini victi fuerunt, Diodor. *lib.* XI. p. 39.

Tarentini victis Messapiis, gente Barbara sibi vicina, donum Delphos miserunt, Pausan. *Phocic.* p. 627. Item victis Peucetiis, Pausan. *Phocic.* pag. 633. Tarentini urbes Messapiorum Japygum everterunt, non sine maxima sua clade: adeo ut maximam omnium, quas ipse novisset, cædem Tarentinorum factam fuisse scribat Herodotus *l.* VII. p. 501.

Tarenti superata & exstincta magna parte nobilitatis ab Japygibus, non ita multo post bellum Persicum tempore, Democratia e Politia facta est, Aristotel. *de Rep.* lib. v. §. 111.

Tarentini olim potentes fuerunt, cum populari administratione uterentur: nam & classem maximam eorum, qui in illis locis erant, & exercitum tricies mille peditum & ter mille equitum, & equitum præfectos mille habuerunt, Strabo *lib.* vi. p. 280.

Olymp. cviii. 3. Tarentinis bellum contra Lucanos gerentibus Archidamus Agesilai F. Rex Spartanus in Italiam profectus, auxilium tulit, & in quodam prælio egregie dimicans occubuit, Diodor. *lib.* xvi. p. 457. Pausan. *Lacon.* p. 178.

Tarentini in bello contra Messapios & Lucanos duce usi sunt Alexandro Molosso, Strabo, *lib.* vi. p. 280. vide Livium *lib.* vi.

Olymp. cxix. 2. Tarentini adversus Lucanos & Romanos bellum gerentes, missis Spartam Legatis, auxilia & Cleonymum R. imperatorem petierunt, & impetrarunt, Diodor. *lib.* xx. p. 828.

Tarentini Pyrrhum Corcyræos oppugnantem navalibus copiis juverunt, Pausan. *Attic* p. 21. Ejusdem opem implorarunt ipsi adversus Romanos, quibus cum diuturnum gerebant bellum, cum se iis impares esse intelligerent, Pausan. *Attic.* p. 21.

Tarentini bello Punico secundo libertatem amiserunt: deinde colonia Romana in urbem recepta, quiete vixerunt, & melius quam prius, Strabo *lib.* vi. p. 281.

Tarentini olim amplexi fuerant Pythagoricam Philosophiam, & præ cæteris Archytas, qui ei urbi longo tempore præfuit. Sequentibus temporibus eos luxus invasit e rebus secundis: adeo ut plures publicas solennitates per annum celebrarent, quam dies haberent operibus destinatos: unde deterior factus Reip. status fuit, Strabo *lib.* vi. p. 280. Επετειψε δ' αὐτοὺς ἡ τρυφὴ, παρ' οἷς πανδήμους ἑορτὰς κατ' ἔτος πλείους ἢ τὰς ἄλλας ἡμέρας συνέβαινεν ἄγεσθαι, Eustath. qui secutus est MSS. Strabonis, in quibus legitur: ἑορτὰς πλείους ἄγεσθαι κατ' ἔτος παρ' αὐτοῖς, ἢ τὰς ἄλλας ἡμέρας ἐργατικάς: cum vulgata lectio Strabonis habeat: τὰς πανδήμους ἑορτὰς πλείους ἄγεσθαι κατ' ἔτος παρ' αὐτοῖς, ἢ τὰς ἡμέρας: quod absurdum videtur: eam tamen sequitur Epitomes auctor, ὥστε, inquit, καὶ τὰς δημοτελεῖς ἑορτὰς πλείους τῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἡμερῶν ἄγειν.

ELEATAE. VELIENSES.

ELea urbs Italiæ: vocabatur vero Υέλη: (sic lege pro Βύλη) nomen vero accepit a præterlabente fluvio: nunc Βελέα vocatur, Stephan. Ἣν (πόλιν) οἱ μὲν κτίσαντες Φωκαεῖς Υέλην, οἱ δὲ Ελλην ἀπὸ κρήνης τινὸς, οἱ δὲ νῦν Ελέαν ὀνομάζουσιν. ἔνιοι δὲ τοὔνομα ἀπὸ ποταμοῦ Ελέητος, Strabo *lib.* vi. p. 252. Helia & Velia dicitur Plinio *lib.* iii. *cap.* v. Phocæensium colonia fuit. Φησὶ δ' Αντίοχος Φωκαίας ἁλούσης ὑφ' Αρπάγου τοῦ Κύρου στρατηγοῦ τοὺς δυναμένους ἐμβάντας εἰς τὰ σκάφη πανοικίους, πλεῦσαι πρῶτον εἰς Κύρνον καὶ Αλαλίαν (sic lege pro Μασσαλίαν, vide Herodot.) μετὰ Κρεοντιάδου. ἀποκρουσθέντας δὲ τὴν Ελέαν κτίσαι, Strabo *lib.* vi. pag. 252. Phocæenses Cyrno relicta Rhegium commigrarunt, ibique in agro Oenotriæ urbem Hyelen condiderunt, edocti a quodam Posidoniata, oraculo Pythiæ jussos fuisse Cyrnum condere non insulam, sed Heroem, Herodot. *lib.* i. p. 76. 77. Τὴν πρότερον μὲν Υέλην, (sic lege pro Υλην) ὕστερον δὲ Ελέαν, Φωκαέων οὖσαν ἀποικίαν, Laertius in *Parmenide*. Velia dicta est a paludibus, quibus cingitur, quas Græci ἕλη dicunt. Fuit ergo Helia. Sed accepit δίγαμμον, V scilicet consonans, & facta Velia, ut Henetus Venetus, Servius *in* vi. *Æneid.*

Eleatæ Remp. bonis legibus constitutam habuerunt, Strabo *lib.* vi. p. 252.

Eleatæ, quamvis & terrarum amplitudine, & hominum numero inferiores essent, superarunt Lucanos & Pæstanos, Strabo *lib.* vi. p. 252.

Eleatæ fuerunt Parmenides & Zeno Pythagorei, Strabo *lib.* vi. p. 252.

PARTHENOPAEI.

PArthenope in Opicis, condita a Rhodiis, Strabo *lib.* xiv. p. 654. Παρθενόπη πόλις ἐν Οπικοῖς Ιταλίας, κτίσμα Ροδίων, Stephan. Hanc urbem eandem esse cum Neapoli putat Cluverius, quia & Neapolis Parthenope dicta fuit. Sed hæc Parthenope Rhodiorum colonia, Neapolis vero Phocæensium & Chalcidensium.

ELPIANI.

ELpia urbs in Dauniis, a Rhodiis condita, Stephan. Εν δὲ Δαυνίοις μετὰ Κώων Ελπίας, (ἔκτισαν οἱ Ρόδιοι) Strabo *lib.* xiv. p. 654.

SALENTINI.

SAlentia urbs Messapiorum, Stephan. Cretensium colonia. Τοὺς δὲ Σαλεντίνους Κρητῶν ἀποίκους φασὶν, Strabo *lib.* vi. p. 281. Virgil. *Æneid.* iii. v. 400.

> *Et Salentinos obsedit milite campos*
> *Lyctius Idomeneus.*

BRUNDUSINI.

BRundusium colonia Cretensium, qui cum Theseo e Cnosso illuc appulerunt: postea alii e Sicilia cum Japyge illuc accesserunt, qui tamen inde in Bottiæam concesserunt. Nomen accepit ob loci figuram a capite cervi, quod lingua Messapiorum βρέντιον caput cervi vocatur, Strabo *lib.* vi. p. 282. Βρεντήσιον πόλις παρὰ τῷ Αδρίᾳ ἀπὸ Βρέντου Ηρακλέος, ἢ ὡς εὐλίμενος οὖσα. ἐνὶ γὰρ στόματι λιμένες πολλοὶ συγκλείονται, ὡς ἐοικέναι τινὶ κεφαλῇ ἐλάφου οὕτως ὠνόμασται. βρέντιον γὰρ παρὰ Μεσσαπίοις ἡ τῆς ἐλάφου κεφαλὴ, ὡς Σέλευκος ἐν δευτέρῳ γλωσσῶν, Stephan. Minoia tecta curvi Brundusii vocat Lucanus *lib.* v. vers. 406. seqq. Ætolos, sequutos Diomedem ducem, condidisse Brundusium, scribit Isidorus *Orig.* lib. xiv. cap. iv.

Brundusini Regem habuerunt: multum agri amisere, a Spartanis, qui eo cum Phalanto venerant, ademptum. Phalantum tamen Tarento pulsum exceperunt, mortuumque splendida sepultura extulerunt, Strabo *lib.* vi. p. 282.

HYRIENSES.

HYria urbs Lucaniæ Græca, Scyl. Caryand. p. 113. Cretensium colonia. Εστιν Υρία πρὸς τῇ Ιαπυγίᾳ Κρητῶν κτίσμα, Stephan. Cretenses, cum in Siciliam expeditionem suscepissent, & quinquennio Camicum frustra obsedissent, fame urgente inde discesserunt, & cum circa Japygiam cursum tenerent, valida tempestate in terram ejecti, laceratisque navibus nullus in Cretam receptus ostenderetur, illic consederunt, ac pro Cretensibus, mutato nomine, appellati fuerunt Japyges Messapii, condita urbe Hyria, & ex illa aliis, Herodot.

lib. VII. p. 501. Hyriam hanc Strabo *lib.* VI. p. 282. putat esse vel Οὐραίυς (sic lege cum Casaubono pro Θυραίυς) vel οὖριτον, idem apud Herodot. Οὐρίαν legit pro Ὑρίλω. Diversa autem est Hyria ab Hyrio, quam Dionysius Περιηγ. vocat Ὑριον παραλίαν, τόθι σύρεται Ἀδριὰς ἅλμη. Sic & Ptolemæus *lib.* III. *cap.* I. Καὶ παρὰ τ Ἀδρίαν κόλπον Ὑριον. Eustathius tamen *in Dionys.* Περ. ad Hyrium refert ea quæ Herodotus de Hyria scribit.

Hyria a Tarentinis eversa fuit, Herodot. *lib.* VII. p. 501.

LOCRI EPIZEPHYRII.

Locri Epizephyrii urbs Italiæ, Stephan. Τῶν ἐν Ἰταλίᾳ Λοκρῶν, οἱ χώραν τὴν πρὸς τῷ ζεφυρίῳ τῇ ἄκρᾳ νέμονται, Pausan. *Eliac. post.* p. 354. Λοκρῶν Ζεφυρίων, Pindar. *Olymp.* ode X. epod. I. Ἐπιζεφυρίων Λοκρῶν, Pindar. *Olymp.* ode XI. epod. I. Erantque hi Locri Locrorum Ozolarum coloni. Λοκροὶ Ἐπιζεφύριοι Λοκρῶν ἄποικοι τ ἐν τῷ Κρισσαίῳ κόλπῳ μικρὸν ὕστερον τ ἀπὸ Κρότωνος ἢ Συρακουσῶν κτίσεως ἀποικισθέντες ὑπὸ Εὐάνθους. ἔτη μὲν οὖν τρία ἢ τέτταρα ᾤκουν ἐπὶ τῷ ζεφυρίῳ. εἶτα μετήνεγκαν τὴν πόλιν, συμπραξάντων καὶ τῶν Συρακουσίων, Strabo *lib.* VI. p. 259. Omne Locrorum genus veluti infame habitum fuit, quia a servis erant oriundi: quippe cum servi essent prioribus annis apud Locros Ozolas ad Crissæum sinum juxta Eubœam habitantes, dominis ad bellum profectis, cum dominabus suis rem habuerunt: redeuntium vero dominorum metu, ne ab ipsis punirentur, cum dominabus profugerunt, & Hetruriam incoluerunt: unde oriundi sunt Locri Epizephyrii, Eustath. *in Dionys.* Dionys. Περιηγ. v. 364. seq.

Κεῖθεν δ' ἐς βορέην ζεφύρου παραφαίνεται ἄκρη,
Τῇδ' ὑπὸ Λοκροὶ ἔασιν, ὅσοι προτέροισιν ἔτεσιν
Ἦλθον ἐπ' Αὐσονίην σφετέραις μιχθέντες ἀνάσσαις.
Τῶν καὶ νῦν γένος ἐστὶν ἐπὶ προχοῇσιν Ἄληκος.

Alii Locrorum Opuntiorum colonos fuisse volunt. Ἔφορος δ' οὐκ εὖ, τ Ὀπουντίων Λοκρῶν ἀποίκους φήσας, Strabo *lib.* VI. p. 259. Marcian. p. 13.

—— οἱ δὲ λεγόμενοι
Ἐπιζεφύριοι πλησίον κεῖνται Λοκροί,
Εἰσὶ δ' ἄποικοι τῶν Ὀπουντίων Λοκρῶν.
Ἔνιοι δὲ Λοκρῶν φασι τῶν ἐν Ὀζόλαις.

Socii Ajacis Oilei fuerunt Epizephyrii & Ozolei. Sed post tempestatem montis Capharei, Epizephyrii tenuerunt Brutios, & hos nunc dicit. (Virgilius III. *Æneid.*) Narycii autem a loco dicti sunt, provinciæ suæ. Alii Narycios Opuntios eosdem & Epicnemidas dicunt: namque prius Naryx, Opus postea dicta. Eadem & Epicnemidia vocatur. Est enim Cnemis promontorium, in quo Opuntii Locri positi sunt: a quibus originem trahunt, qui in Italia sunt, & appellantur Epizephyrii, quod Zephyrium promontorium vocatur a Græcis, in quo sunt conditi Locri, qui in Græcia (sc. magna) sunt, Servius ad III. *Æneid.* Notum est a Naryciis Locros constitutos, Solin. *cap.* VIII Virgil. III. *Æneid.* v. 399.

Hic & Narycii posuerunt mœnia Locri.

Νάρυξ πόλις Λοκρίδος. τινὲς δὲΝαρύκιον τὴν πόλιν φασὶν, ἐξ ἧς Αἴας, Stephan.

Locris bellum intulit Anaxilaus: vide in *Rheginis*.

Lacedæmonios coloniam Locros ad Zephyrium promontorium misisse, Polydoro regnante, scribit Pausan. *Lacon.* p. 162.

A Zaleucus Locrensis, vir stirpe clarus, & ob eruditionem admirandus, Pythagoræ Philosophi discipulus, a suis civibus delectus fuit ad ferendas civitati novas leges, Diodor. *lib.* XII. p. 84. Ἣν (Λοκρῶν νομογραφίαν) Ζάλευκος συνέταξεν, ἔκ τε τῶν Κρητικῶν νομίμων, καὶ Λακωνικῶν, καὶ ἐκ τῶν Ἀρεοπαγιτικῶν, Strabo *lib.* VI. p. 260. Χαμαιλέων τε ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ περὶ μέθης, καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Λοκρῶν Πολιτείᾳ, Ζάλευκον τ Λοκρὸν παρὰ τ Ἀθηνᾶς τοὺς νόμους λαμβάνειν ἀπομνημονεύουσι, Clem. Alexand. Καίπερ τραχεῖα οὖσα, ὀνομεῖται διὰ τί δέ; φησὶν Ἀριστοτέλης. ἐπειδὴ γὰρ ἐχρῶντο τῷ Θεῷ, πῶς ἂν πολλῆς ταραχῆς ἀπαλλαγεῖεν, ἐξέπεσεν αὐτοῖς χρησμὸς, ἑαυτοῖς νόμους B τίθεσθαι. ὅτε καί τις ποιμὴν, ὄνομα δ' ἦν Ζάλευκος, πολλοὺς νόμους δυνηθείη τοῖς πολίταις ἐξενεγκεῖν δοκίμους γνωσθείς τε καὶ ἐρωτηθεὶς πόθεν εὕροι; ἔφησεν, ἐνύπνιον αὐτῷ τὴν Ἀθηνᾶν παραστῆσαι. διὸ αὐτός τε ἠλευθέρωται καὶ νομοθέτης κατέστη, Schol. Pindar. *Olym.* ode X. epod. I. ad verba:

Νέμει γὰρ ἀτρέκεια πόλιν Λοκρῶν
Ζεφυρίων, μέλει τέ σφισι Καλλιόπα,
Καὶ χάλκεος Ἄρης.

Zaleucus sub nomine Minervæ apud Locrenses C prudentissimus habitus est, Val. Maximus. ἐπηνώρθωσε τὰ κοινὰ Ζάλευκος, τὰ ἐν Λοκροῖς, Ælian. *lib.* III. *cap.* XVII. Marcian. p. 13.

Τούτους δὲ πρώτους φασὶ χρήσασθαι νόμοις
Γραπτοῖσιν, οὓς Ζάλευκος ὑποθέσθαι δοκεῖ.

Cum autem adultero deprehenso pœnam constituisset ut utroque oculo orbaretur, ejusque filius in crimine deprehensus supplicium lege constitutum luiturus esset, pater, ne ad cæcitatem redigeretur filius, & nihilominus sua legi constaret auctoritas, D sibi unum, pro altero filii, oculum erui passus fuit, Ælian. *lib.* XIII. *cap.* XXIV.

Locrorum & Rheginorum X. millia superarunt Crotoniatas centies & tricies mille ad fl. Sagram, Strabo *lib.* VI. p. 261. Locri vero Ajacem Oilei F. ob eam, quæ ipsis cum Locris Opuntiis erat, affinitatem, invocarunt: Cleonymus vero Crotoniatarum imperator in eam hostilis aciei partem, cui Ajacem præesse audivit, impressionem fecit, sed vulnus in pectore accepit, Pausan. *Lacon.* p. 200.

Locrensem virginem Xeneti viri clarissimi filiam Doridem, Dionysio Syracusano affinitatem cum ipsis cupienti dederunt Locri, Diodor. *lib.* XIV. p. E 271. quodque ei se faciles in hoc negotio præbuissent Locri, de ipsis perpetuo bene mereri enixe studebat: ideoque & Hipponiatarum agrum ipsis tradidit, Diodor. *lib.* XIV. p. 317.

Locros Dionysius de Syracusarum tyrannide dejectus, crudelissime vexavit: etenim virginibus in morem nuptarum ornatis pronubum se ipse gessit in conclave ingressus, & conductis formosis virginibus in conviviis columbas alis integris dimisit, virginesque nudas eas jussit capere, &c. Sed Dionysio in Siciliam recuperandæ tyrannidis causa redeunte, Locri se in libertatem, dejecto ejus præsidio, vendicarunt, uxoremque ejus & filias duas, F & filium natu majorem jam pubescentem in suam potestatem redegerunt: nec, etiam magnopere flagitante Dionysio, & pro ipso deprecantibus Tarentinis, reddiderunt; sed obsidionem & agri evastationem sustinuerunt, ac in filias ejus præcipue iram evomuerunt, quas vulgo constupratas strangularunt (καταπορνευθείσας ἐστραγγάλισαν) crematisque cadaveribus ossa mola contrita submerserunt, Strabo *lib.* VI. p. 256. 260. At Ælianus, κεντοῦντες, inquit, αὐτὰς ὑπὸ τοῖς ὄνυξι τοῖς τῶν χειρῶν, βελόναις ἀπέκτειναν, *Var. lib.* IX. cap. VIII. Sic & Athenæus *lib.* XII.

Locri a Dionysio Juniore eversi fuerunt, Aristotel. *lib.* v. *de Rep.* Athenæus.

HIPPONIATÆ.

Hipponium urbs Magnæ Græciæ, Locrorum colonia, Marcian. p. 13. Hipponium urbs Lucaniæ Græca, Scyl. Car. p. 111. Ἱππώνιον Λοκρῶν κτίσμα, Strabo *lib.* VI. p. 256. Ἱππώνιον πόλις Βρεττίων, ἀπὸ Ἥρωος, Stephan.

Olymp. XCVIII. I. Hipponium cum exercitu ingressus Dionysius Syracusanus, Hipponiatas Syracusas transtulit, & agrum, exciso oppido, Locris attribuit, Diodor *lib.* XIV. p. 317.

Olymp. cap. 2. Hipponiatis urbem patriam, unde exciderant, restituerunt Carthaginenses cum exercitu in Italiam transgressi, Diodor. *lib.* XV. p. 344.

Hipponio potitus fuit Agathocles Siculorum Tyrannus, Strabo *lib.* VI. p. 256.

Hipponium Brutii in suam potestatem redegerunt, Diodor. *lib.* XVI. ubi corrupte legitur Ἀρπώνιον, & in aliis exemplaribus Ταρπώνιον, lege Ἱππώνιον.

Hipponium Brutiis ademptum Romani Vibonem Valentiam appellarunt, Strabo *lib.* VI. p. 256. ἡ μετονομάσθη ὑπὸ Ῥωμαίων Οὐίβων καὶ Οὐαλεντία, Stephan. Hippo, nunc Vibon, Mela *lib.* II. *cap.* IV. Hippo, quod nunc Vibonem Valentiam appellamus, Plin. *lib.* III. *cap.* V.

MEDMÆI.

Medma urbs Italiæ nomen accepit a fonte ejusdem nominis, Stephan. Locrorum colonia. Marciani. p. 13.

> —— ἃς οἱ πλησίον
> Ἱππώνιον καὶ Μέδμαν (sic lege pro Μέδναν) ᾤκισαν
> Λοκροί.

Straboni Μέδαμνα dicitur, πόλις Λοκρῶν τῶν αὐτῶν, ὁμώνυμος κρήνῃ μεγάλῃ, *lib.* VI. p. 256. Μέδμη πόλις Ἰταλίας, καὶ κρήνη ὁμώνυμος, Stephan. Medmæus erat Philippus ὁ ἀξιόλογος ἀνὴρ, ὁ περὶ ἀνέμων γεγραφώς, Stephan.

PETELINI.

Petelia urbs Italiæ, Stephano: a Philoctete condita. Πετηλία μὲν οὖν μητρόπολις νομίζεται τῶν Λευκανῶν, καὶ συνοικεῖται μέχρι νῦν ἱκανῶς, κτίσμα δ' ἐστὶ Φιλοκτήτου, φυγόντος τὴν Μελίβοιαν κατὰ στάσιν, Strabo *lib.* VI. p. 254. Notum est a Philoctete Peteliam constitutam, Solin. *cap.* VIII. Virgil. III. *Æn.* 401. seq.

> —— *heic illa ducis Melibœi*
> *Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.*

CRIMISÆI.

Crimisa urbs Italiæ, vicina Crotoni & Thuriis, nomen accepit a Crimisa Nympha, Stephan. Condita a Philoctete: Φιλοκτήτου δ' ἐστὶ καὶ ἡ παλαιὰ Κρίμισα, Strabo *lib.* VI. p. 254. Lycophr. *Alexandr.* v. 911. seqq.

> Τὸν δ' Αἰσάρου τε ῥεῖθρα καὶ βραχύπτολις
> Οἰνωτρίας γῆς κεγχρίνῃ βεβρωμένον
> Κρίμισα φιτροῦ δέξεται μισοφόνον.

CHONES.

Chone urbs Oenotriorum, Stephan. Apollodorus refert quosdam scribere, Philoctetem in agrum Crotoniatarum profectum arcem Crimisam condidisse, & urbem Chonen super eam, unde Chones nomen acceperunt, Strabo *lib.* VI. p. 254. ἦσαν δὲ καὶ οἱ Χῶνες Οἰνωτροὶ τὸ γένος, Aristotel. *Polit.* lib. VII. cap. X. Οἴκησαι γὰρ τοὺς τόπους τούτους Χῶνας, Οἰνωτρικὸν ἔθνος κατακεκοσμημένον, καὶ τὴν γῆν ὀνομάσαι Χωνίαν, Strabo *lib.* VI.

TERINÆI.

Terina urbs Italiæ, Crotoniatarum colonia, Stephan. Marcian. p. 13.

> —— Τέριναν πρῶτον, ἣν ἀπῴκισαν
> Κροτωνιάται πρότερον.

Stephanus scribit eam vocatam fuisse μεγάλην Ἑλλάδα: inepte: nec rectius eam a quibusdam insulam statui docet, in quam Λίγεια Σειρὴν ejecta fuerit, eo quod Lycophron dixerit: Λίγεια δ' εἰς Τέριναν ἐκναυσθλώσεται. Certe Τέρινα urbs ἐπὶ θαλάττιος est Marciano. Τέρινα urbs Lucaniæ Græca, Scyl. Car. p. 112. Lycophron *Alex.* v. 1008.

> Οἱ δ' αὖ Τέρειναν ——
> Ἄλῃ κατοικήσουσιν καμόντες πικρᾷ.

Crotoniensium Terina, Plin. *lib.* III. *cap.* V. Erat & fluvius ejusdem nominis, Stephan.

Terinam evertit Hannibal, cum tutari non posset, quando in Brutios aufugit, Strabo. *l.* VI. p. 256.

CAVLONIATÆ.

Caulonia urbs Italiæ, quam Auloniam Hecatæus vocat, διὰ τὸ μέσον αὐλῶνος εἶναι: nam ἀπὸ τῆς Αὐλωνίας ὕστερον μετωνομάσθη Καυλωνία Stephan. Καυλωνία, πρότερον δ' Αὐλωνία λεγομένη, διὰ τὸν προκείμενον αὐλῶνα, Strabo *lib.* VI. p. 261. hinc Horatio *lib.* II. *ode* VI. & Martiali *lib.* XIII. *epigr.* CXXIV. dicitur Aulon: alii tamen non urbem, sed montem Aulonem ab Horatio & Martiali vocari volunt. Caulonem oppidum Plinius vocat *lib.* III. *cap.* X. Caulonis arces, Virgil. *Æn.* III. v. 553. Fuit Crotoniatarum colonia. Marcian. p. 13.

> Ἔχεται δὲ τούτων πρῶτα μὲν Καυλωνία
> Ἐκ τοῦ Κρότωνος ἥτις ἔσχ' ἀποικίαν.
> Ἀπὸ τοῦ συνεγγὺς κειμένου τῇ πόλει
> Αὐλῶνος αὕτη τοὔνομα ἔχει ὕστερον
> Μετωνομάσθαι τῷ χρόνῳ Καυλωνίαν.

Ab Achæis Cauloniam in Italiam coloniam ductam fuisse, duce Typhone Ægiensi, auctor est Pausanias *Eliac. pr.* pag. 349. Ἀχαιῶν κτίσμα Καυλωνία, Strabo *lib.* VI. p. 261.

Olymp. XCVII. 4. Cauloniam Dionysius Syracusanus, transmissis in Italiam copiis, cepit, ac evertit: ac agrum Locris dedit, Cauloniatas vero Syracusas transtulit, eosque civitate donatos immunitate v. annorum frui jussit, Diodor. *lib.* XIV. pag. 316. Cauloniam a Campanis captam ac eversam fuisse, quo tempore Pyrrhus in Italiam susceperat expeditionem, scribit Pausanias *Eliac. pr.* p. 349. Ἔστι δ' ἔρημος. οἱ γὰρ ἔχοντες ἐν Σικελίᾳ ὑπὸ τῶν Βαρβάρων ἐξέπεσον, καὶ τὴν ἐκεῖ Καυλωνίαν ἔκτισαν, Strabo *lib.* VI. p. 261. Ubi ἐν Σικελίᾳ dixit pro εἰς Σικελίαν, in Siciliam se receperunt patria pulsi, ut Thucydides, ἐξέπεσον Ἀθήναζε, pro ἐκπεσόντες ἦλθον.

LAINI.

LAus urbs extrema Lucanicarum, Sybaritarum colonia: eodemque nomine dicitur & ſinus & fluvius, Strabo *lib.* VI. p. 253. Λαὸς πόλις Λευκανίας, ἀπὸ Λαοῦ ποταμοῦ, Stephan. Συβαρῖται, οἱ Λαόν τε καὶ Σκίδρον οἴκεον, τῆς πόλεως ἀπεστερημένοι, Herodot. *lib.* VI. pag. 307.

Laum oppidum nullum fuiſse ſua ætate ait Plinius: Laus amnis, inquit, fuit & oppidum eodem nomine, *lib.* III. *cap.* V.

Prope Laum fuit Heroum Draconis, unus e ſociis Ulyſſis: de quo Italiotis oraculum datum fuit:

Λάϊον ἀμφὶ Δράκοντα πολὺν ποτὲ λαὸν ὀλεῖσθαι.

Græci enim, qui in Italia habitabant, armis adverſus urbem hanc motis, a Lucanis cladem acceperunt, oraculo decepti, Strabo *lib.* VI.

Temeſe prima a Lao Brutiorum urbs, quam Tempſam nunc dicunt: ab Auſonibus primum condita: deinde ab Ætolis, qui Thoantem ſequuti: hos Brutii ejecerunt. Atque hujus Temeſes ajunt Homerum mentionem fecîſse, *Odyſſ.* A, v. 184.

Εἰς Τεμέσην μετὰ χαλκόν.

Strabo *lib.* VI. A Nauboli Phocenſis poſteris urbem hanc conditam ſcribit Lycophr. *Alexandr.* v. 1067. ſeqq.

Τῶν Ναυβολείων δ' εἰς Τέμεσαν ἐγγόνων
Ναῦται καταβλώξουσιν, ἔνθα Λαμπέτης
Ἱππωνίου πρηῶνος εἰς Τηθὺν κέρας
Σκληρὸν νένευκεν, ἀντὶ δὲ Κρίσσης ὅρων
Κροτωνιᾶτιν ἀντίπορθμον αὔλακα
Βοῶν ἀροτρεύσουσιν ὁλκαίῳ πτερῷ,
Πάτραν Λίλαιαν κἀνεμωρείας πέδον.
Ποθοῦντες Ἀμφισσάν τε καὶ κλεινὰς Ἄβας.

Tempſam & Crotonem Romanorum coloniæ deductæ. Tempſanus ager de Brutiis captus erat. Brutii Græcos inde expulerant, Livius *lib.* XXXIV. Τεμέση πόλις Ἰταλίας, Stephan.

SCIDRANI.

SCidrus urbs Italiæ, Stephan. Sybaritarum colonia, Herodot. *lib.* VI. p. 387.

POSIDONIATÆ.

POſidonia urbs Lucaniæ Græca, Scyl. Car. p. III. Poſidonia urbs Italiæ, Stephan. Sybaritarum colonia. Marcian. p. 10. 11.

—— τῆς Ποσειδωνιάδος ὠνομασμένης
Ἣν φασι Συβαρίτας ἀποικίσαι ποτέ.

Συβαρίτας enim lego, pro Συμβελτάς. Ἡ πόλις ἡ Ποσειδωνία Παῖστος καλεῖται ἐν μέσῳ τῷ κόλπῳ κειμένη. Συβαρῖται μὲν οὖν ἐπὶ θαλάττῃ τεῖχος ἔθεντο. Οἱ δ' οἰκισθέντες ἀνωτέρω μετέστησαν. ὕστερον δὲ Λευκανοὶ μὲν ἐκείνους Ῥωμαῖοι δὲ Λευκανοὺς ἀφείλοντο τὴν πόλιν, Strabo *lib.* V. pag. 251. Συμβελτὰς retinet in Marciano Hœſchelius, putatque eos alio nomine Συμβρίους & Σύμβρους dici: qui vero Σύμβροι fuerint ignorare ſe ſcribit Caſaubonus. Ego eos eſse exiſtimo, qui Ἴνσουβροι Straboni dicuntur *lib.* V. pag. 212. & Ἴνσοβροι ἔθνος Ἰταλικὸν Polybio apud Stephan. Ἰνσόβαρες ἔθνος Κελτικὸν πρὸς τῷ Πάδῳ, οὓς καὶ Ἰνσοβράς φασι, Stephan. & monet Caſaubonus apud Strabon. p. 218. in pr. interpretat. fuiſse ἡ τῶν Ἰνσουβρῶν, quod in ipſius edit. legitur ἡ τῶν Σύμβρων. Sed Inſubres Græci non erant, cum Poſidonia urbs Græca fuerit. Βόϊοι καὶ Ἴνσουβροι, Strabo *lib.* V. p. 212. ita Βοΐους καὶ Συμβρίους, p. 216. Oppidum Pæſtum, Græ-

A cis Poſidonia appellatum, Plin. *lib.* III. *cap.* V. Pæſtum a Dorienſibus conſtitutum, ſcribit Solinus *cap.* VIII.

Gens Picentinorum, particula avulſa Picentinorum, qui in Hadria habitabant, a Romanis tranſducta ad Poſidoniatem ſinum, qui nunc Pæſtanus vocatur, Strabo *lib.* V. p. 251.

BUXENTINI.

BUxentum (Πυξοῦς) arx, & portus, & flumen: duxit eo coloniam Micythus Meſſanæ Siculæ princeps; ſed, paucis exceptis, diſceſſerunt B inde, qui illuc habitatum venerant, Strabo *lib.* VI. p. 253. Πυξοῦς πόλις Σικελίας, κτίσμα Μιαύθου, Stephan. Sed lege, Ἰταλίας, κτίσμα Μικύθου: vide in *Meſſen. Siciliæ*. Oppidum Buxentum. Græce Πυξοῦς, Plin. *lib.* III. *cap.* V.

Eodem temporum tractu (An. U. C. 558.) Buxentum miſſi coloni, Vellej. *lib.* I. Buxentum coloniæ civium Romanorum deductæ ſunt, Livius *lib.* XXXIV.

SIRITAE. HERACLEOTAE.

C SIris urbs Italiæ, Metaponto vicina, & fluvius: mutato autem nomine etiam Polieum dicta fuit, ἀπὸ τῆς ἐν Ἰλίῳ Πολιάδος Ἀθηνᾶς, Stephan. Trojanorum eſſe coloniam documentum proferunt Minervæ Iliacæ ſimulacrum, ibi collocatum, Strabo *lib.* VI. p. 264. Σῖρις καὶ Λευταρνία, πόλις Ἰταλίας, ἔνθα οἱ κατάλοιποι τῶν ἐξ Ἰλίου φυγόντων ᾤκησαν, καὶ πάντα κατὰ μίμησιν Τροίας ἐποίησαν πόλιν ὁμοίαν Τροίας. ἡ πρῶτα μὲν ἐκαλεῖτο Πολίειον, εἶτα Ἡράκλειον, εἶτα Σῖρις, Iſaac. Tzetz. *ad Lycophr.* Καὶ οἱ τὴν Σῖριν κατοικοῦντες, ἣν πρῶτοι κατέσχον οἱ ἀπὸ Τροίας. ὠνομάσθη δ' ἡ Σῖρις, ὡς μὲν Τίμαιός φησι, καὶ Εὐριπίδης ἐν Δεσμώτιδι Μελανίππῃ, ἀπὸ γυναικός τινος Σιρί- D τιδος. ὡς δ' Ἀρχίλοχος, ἀπὸ ποταμοῦ, Athenæus *lib.* XII. Iones vero, id eſt, Athenienſes, ante Trojani belli tempora in Italiam profecti, circa Sirin habitarunt. Cum autem poſt exciſum Ilium Trojani quoque in Italiam profugiſſent, Crotoniatæ, quos Achæos vocat Lycophron, auxilium his ferentes, expeditionem cum ipſis ſuſceperunt adverſus Sirin, omneſque Iones, qui in templum Minervæ confugerant, contrucidarunt: Achæos autem appellat Lycophron Crotoniatas, qui auxilium ferentes, Trojanis, priſcos Siris incolas Ionas interfecerunt: quos & gentiles dixit, quia utrique & Iones & Crotoniatæ erant Græci, Iſaac. Tzetz. E *in Lycophr. Alexandr.* v. 978. ſeqq.

Πολλοὶ δὲ Σῖριν ἀμφὶ καὶ Λευταρνίαν
Ἄρουραν οἰκήσουσιν. ἔνθα δύσμορος
Κάλχας, ὀλυνθῶν Σισυφεὺς ἀνηρίθμων
Κεῖται, κάρα μάστιγι γογγύλῃ τυπείς.
Ῥεέθροισιν ὠκὺς ἔνθα μύρεται Σῖρις,
Ἄρδων βαθεῖαν Χωνίας παγκληρίαν.
Πόλιν δ' ὁμοίαν Ἰλίῳ δυσδαίμονες
Δείμαντες, ἀλγυνοῦσι Λαφρίαν κόρην
Σάλπιγγα, δῃώσαντες ἐν ναῷ θεᾶς,
F *Τοὺς πρόσθ' ἕδεθλον Ξουθίδος ᾠκηκότας·*
Γλήναις δ' ἄγαλμα ταῖς ἀναιμάκτοις μύσει
Στυγνὴν Ἀχαιῶν εἰς Ἰάονας βλάβην
Λεῦσσον, φόνον τ' ἐμφύλιον ἀγραύλων λύκων.

Ionas Colonos, cum Lydorum imperium fugerent, eo perveniſſe, eamque urbem, quæ Chonum (Χώνων enim legendum videtur pro αὐτοχθόνων: vide quæ citata ſunt e Lycophr.) erat, vi cepiſſe: & urbe capta ſupplices a ſimulacro Iliacæ Minervæ, quod illic erat, avelliſſe, ſimulacro oculos clauſis palpebris in terram defigente, ſcribit Strabo *lib.* VI.

p. 264. Antiochus refert Tarentinos contra Thurios & Cleandriam Imperatorem Lacedæmonium exsulem ob Siritidem bellum gerentes, ita pacem coivisse, ut æquo jure ab utrisque Siritis habitaretur; Tarentinorum tamen haberetur colonia: eam postea Heracleam appellatam, cum nomine quoque locum mutasse, Strabo *lib.* VI p. 264. Λέγεται δὲ μετὰ τὸ παραλαβεῖν τοὺς Ταραντίνους, Ἡράκλειαν τὸν τόπον καλεῖσθαι, ὃν νῦν καπικοῦσιν. ἐν δὲ τοῖς ἄνω χρόνοις, τῶν Ἰώνων κατεχόντων Πολίειον. (sic lego pro Πλεῖον) ἔτι δὲ ἐκείνων ἔμπροσθεν, ὑπὸ τῶν πρῶτον κατεχόντων αὐτὴν, Σῖριν (sic lego pro Σίγειον) ὠνομάσθαι, Aristoteles in *Mirandis*. Heraclea aliquando Siris vocitata, Plin. *l.* IV. *cap.* XI. Μετὰ Θουρίους Ἡράκλειά ἐστι πόλις, Stephan. Εἶθ᾽ Ἡράκλεια πόλις (sic lego pro Ἡρακλεόπολις) μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάσσης, καὶ ποταμοὶ δύο πλωτοὶ, Ἄκιρις καὶ Σῖρις, ἐφ᾽ οὗ πόλις ἦν Τρωϊκή. Χρόνῳ δὲ τῆς Ἡρακλείας ἐντεῦθεν οἰκισθείσης ὑπὸ Ταραντίνων, ἐπίνειον αὕτη τῶν Ἡρακλεωτῶν ὑπῆρξε. διεῖχε δ᾽ Ἡρακλείας μὲν τέτταρας καὶ εἴκοσι σταδίους, Strabo *lib.* VI. p. 263. Sirin urbem hanc vocant Auctores omnes, præter Strabonem: cui fluvius quidem Σῖρις dicitur, sed urbs Σιρῖτις: nec de mutatione nominum inter scriptores convenit. Ego puto, cum Ionum esset, Sirin a fluvio appellatam fuisse: Trojanis Polieum dictam, ab Iliaca Poliade: demum Tarentinis Heracleam, ab Hercule, cujus filius Tarentus Tarento urbi nomen dederit; vel ab Heraclidis Lacedæmoniorum, qui Tarentum condiderunt, Regibus.

Heracleam Tarentinorum coloniam cepit Alexander Rex Epiri, Livius *lib.* VIII.

LAGARITANI.

Lagaria castellum Italiæ (nam Ἰταλίας lege pro Σικελίας) vicinum Thuriis, Epei & Phocensium colonia, Stephan. Μετὰ δὲ Θουρίους Λαγάρια φρούριον, Ἐπειοῦ καὶ Φωκέων κτίσμα, Strabo *lib.* VI. p. 263. Lycophr. *Alexandr.* v. 930. 946. seq.

Ὁ δ᾽ ἱπποτέκτων Λαγγαρίας ἐν ἀγκάλαις
Ὃς ἀμφὶ Κῖριν (forte Σῖριν) καὶ Κυλιστάρνου γάνος
Ἐπηλυς οἴκους τῆλε ναάσσεται πάτρας.

Vide illic Tzetzen.

PALÆPOLITANI.

Palæpolis fuit haut procul inde, ubi nunc Neapolis sita est: duabus urbibus populus idem habitabat: Cumis erant oriundi. Cumani ab Chalcide Euboica originem trahunt. Classe qua advecti ab domo fuerant, multum in ora maris ejus, quod accolunt, potuere: primo in insulas Ænariam & Pithecusas egressi: deinde in continentem ausi sedes transferre, Livius *lib.* VIII.

NEAPOLITANI.

Neapolis urbs Italiæ illustris, in qua Parthenope excepta fuit, una Sirenum, Stephan. Ἡ δὲ πόλις Νεάπολις ἐν Ἰταλίᾳ ᾤκισται, γένος Ἕλληνες καὶ ἀστικοί. ὅθεν καὶ τὰς σπουδὰς τῶν λόγων Ἑλληνικοί εἰσι, Philostrat. *Icon.* lib. I. exordio. Phocæensium colonia. Marcian. p. 11.

Καὶ Μασσαλιωτῶν Φωκαέων τε Νεάπολις,
Ἣν ἔκτισαν φυγόντες ὑπὸ τὰ Περσικὰ
Οἱ Φωκαεῖς. ——

Colonos quoque Cumis accepit. Marcian. p. 11.

Ἐκ τῆς δὲ Κύμης τῆς πρὸς Ἀόρνῳ κειμένης
Κτίσιν κατὰ χρησμὸν ἔλαβεν ἡ Νεάπολις.

A Inde Νεάπολις Κυμαίων dicitur Straboni *l.* V. p. 246. Sed & Chalcidenses, & Pithecusæi, & Athenienses illuc commigrarunt. Ὕστερον δὲ καὶ Χαλκιδεῖς ἐπῴκησαν, καὶ Πιθηκουσαίων τινὲς καὶ Ἀθηναίων, ὥστε καὶ Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο, Strabo *lib.* V. p. 246. Littore autem Neapolis, Chalcidensium & ipsa, Pathenope a tumulo Sirenis dicta, Plin. *l.* III. *cap.* V. Nec multo post Chalcidenses orti Atticis, Hippocle & Megasthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt .... Pars horum civium magno post intervallo Neapolin condidit, Vellej. *lib.* I. vide & in *Palæpolit.* Vocabatur etiam Phalerum. Φάληρον, πόλις ἐν Ὀπικοῖς, εἰς ἣν ἐξεβράσθη Παρθενόπη ἡ Σειρὴν, ἡ καλεῖται Νεάπολις, Stephan. Νεάπολις. ὅπου δείκνυται

B μνῆμα τῆς Σειρήνων μιᾶς, Παρθενόπης, Strabo *lib.* V. p. 246. Lycophr. *Alexandr.* v. 712. seqq.

Κτενεῖ δὲ κούρας Τηθύος παιδὸς τριπλᾶς,
Οἴμας μελῳδοῦ μητρὸς ἐκμεμαγμένας,
Αὐτοκτόνοις ῥιφαῖσιν ἐξ ἄκρας σκοπῆς
Τυρσηνικὸν πρὸς κῦμα δυπτούσας πτεροῖς,
Ὅπου λινεργὴς κλῶσις ἑλκύσει πικρά.
Τὴν μὲν Φαλήρου τύρσις ἐκβρασμένην
Γλάνις τε ῥείθροις δέξεται τέγγων χθόνα.
Οὗ σῆμα δωμήσαντες ἔγχωροι κόρης
Λοιβαῖσι καὶ θύθλοισι Παρθενόπην βοῶν

C Ἔτεια κυδανοῦσιν, οἰωνὸν θεάν.

Ad quæ nugatur Tzetzes. Dionys. Περ. vers. 357. seqq.

Τὴν δ᾽ ἔπι Καμπανῶν λιπαρὸν πέδον, ᾗχι μέλαθρον
Ἁγνῆς Παρθενόπης, σταχύων βεβριθὸς ἀμάλλαις.
Παρθενόπης, ἣν πόντος ἑοῖς ὑπεδέξατο κόλποις.

Neapolitani, ortis inter se dissidiis, Campanos quosdam in urbem civium loco receperunt, coactique fuerunt inimicissimos loco familiarissimorum

D habere, quandoquidem suos pro alienis habuerant, Strabo *lib.* V. p. 246.

Canusium, Arpi, urbes duæ Græcæ in Italia olim maximæ, conditæ a Diomede, cujus imperium in iis locis campus & alia multa vestigia testantur, fuitque urbs Arpi primum appellata Ἄργος ἵππιον, deinde Ἀργυρίππη, demum Ἄρποι, Strabo *lib.* VI. p. 283. 284. Tzetz. *Chil.* I. *Hist.* XXVII.

Αἱ Καῦαι πεδιάδες δέ εἰσι τῆς Ἀργυρίππας,
Οὗ Διομήδης ἔκτισε τὴν πόλιν Ἀργυρίππαν,
Τουτέστιν Ἄργος ἵππειον, τῇ γλώσσῃ τῇ Ἑλλήνων.

Argyrippa urbs Dauniæ, juxta sinum Ionium.

E Lycophron *Alexandr.* v. 592. seq.

Ὁ δ᾽ Ἀργυρίππαν, Δαυνίων παγκληρίαν
Παρ᾽ Αὐσονῖτιν Φυλαμὸν δομήσεται.

Hæc Lampe vocabatur. Diomedes, post Ilium captum, mœnibus cinxit, nomenque mutavit. In Ἄργος ἵππιον, Stephan. Ἀργυρίππα δέ ἐστι πόλις ἐν τῇ Δαυνίᾳ, ἣν Διομήδης ὁ Ἀργεῖος λέγεται κτίσαι, Appian. in *Annibalicis*. Cum Diomedes post eversum Ilium, in patriam Argos navigasset, uxoremque suam Ægialeam a Cometa Stheneli F. corruptam inveniret, ira Veneris a se vulneratæ: cumque

F Ægialea ei necem moliretur, tunc quidem ad Junonis Argivæ aram confugiens, servatus fuit: postea vero in Italiam profectus est, ad Dauniorum gentem Barbaram, cujus Rex erat Daunus: Is cum ab hostibus obsideretur, auxilium atque opem a Diomede petiit, partem terræ ei se daturum pollicitus. Diomedes vero, cum victoriæ auctor Dauniis fuisset, condidit urbem Argyrippam, seu Hippion Argos: vid. Servius *in Æneid.* VIII. Ea mutato nomine Apulis dicta fuit Arpi, (μετεκλήθη Ἀπυλοῖς Ἄρποι, sic enim legendum) Isaac. Tzetzes *in Lycophr.* Arpi aliquando Argos Hippium, Diome-

de

de condente, mox Argyrippa dictum, Plin. *l.* III. c. XI. Arpos Diomedes, exciso Ilio, naufragio in ea loca delatus, condidit, Justin. *l.* XX. Arpos & Beneventum a Diomede, Solin. c. VIII. Arpos & Beneventum Diomedes condidit, Martian. Capella *l.* VI. Ovid. *Metam. l.* XIV. vers. 457. seqq.

At Venulus frustra profugi Diomedis ad urbem
Venerat: ille quidem sub Japyge maxima Dauno
Mœnia condiderat, dotaliaque arva tenebat.

Sipontum (Σιπὺς) urbs Dauniæ, a Diomede condita. Græce Σηπιὺς vocabatur, ἀπὸ τῶν ἐκκυματιζομένων Σηπιῶν, Strabo *l.* VI. p. 284.

Lacinium, Junonis fanum, urbibus Græcis in Lucania accensetur a Scylace p. 113. Λακίνιον Ἥρας ἱερὸν, πλούσιόν ποτε ὑπάρξαν, καὶ πολλῶν ἀναθημάτων μεστὸν, Strabo *l.* VI. p. 261.

Rhodæorum (Ῥωδαίων) urbs Græca, Ennii patria fuit, Strabo *l.* VI. p. 281. Ῥουδία dicitur Ptolemæo: Ῥοδαὶ Stephano. Ennio cive nobiles Rudiæ, Mela *l.* II. c. IV.

Dædalea urbs Italiæ, condita a Dædalo, quæ nunc Julia vocatur, Ῥωμαίου ἄρχοντος κληρουχήσαντος, Stephan.

Ravenna urbs Italiæ, Stephan. metropolis Flaminiæ: urbs antiqua, Thessalorum colonia: Rhene dicta, quod eam aquæ ab omni parte circumfluant, Zosimus *l.* V. Καὶ ἡ Ῥαβέννα Θετταλῶν λέγεται κτίσμα· οὐ φέροντες δὲ τὰς Τυῤῥηνῶν ὕβρεις, ἐδέξαντο ἑκόντες τῶν Ὀμβρικῶν τινας, οἳ καὶ νῦν ἔχουσι τὴν πόλιν. αὐτοὶ δ' ἀνεχώρησαν ἐπ' οἴκου, Strabo *l.* V.

Cænina & Antemna, urbes haut ignobiles, origine Græcæ erant: eas enim Siculis ademptas tenebant Aborigines, Oenotrorum pars, qui ex Arcadia venerant, ut ante dictum est. Post bellum Sabinum coloniæ Romanæ factæ sunt, Dionys. Halicarn. *l.* II.

Cameria antiquitus Aboriginum domicilium erat in primis nobile, Dionys. Halicarn. *l.* II.

Sinope urbs Græca dicitur fuisse in saltu Vescino, Falernum continente agrum: Sinuessa deinde ab colonis Romanis appellata, Livius *l.* X. Oppidum Sinuessa extremum in adjecto Latio: quam quidam Sinopen dixere vocitatam, Plin. *l.* III. c. V.

Cære seu Agylla a Pelasgis conditum: vide in *Pelasgis*.

Spina urbs juxta Eridanum seu Spineticum Padi ostium, prævalens, ut Delphicis creditum est thesauris, condita a Diomede, Plinius *l.* III. c. XVI. vide Strab.

Puteoli urbs Hetruriæ, condita a Samiis, Stephan.

Falisca Argis orta, ut auctor est Cato, quæ cognominatur Hetruscorum, Plinius *l.* III. c. V. Φαλίσκος, πόλις Ἰταλίας, ἄποικος Ἀργείων, Steph.

Regis villa dicitur fuisse Regia Malæoti Pelasgi, quem ajunt istis locis imperantem, cum accolis Pelasgis inde Athenas concessisse, Strabo *l.* V. p. 225. seq.

GALATÆ.

Aborigines primos in his regionibus quidam esse firmarunt, Celtas nomine Regis amabilis, & matris ejus vocabulo Galatas dictos: ita enim Gallos sermo Græcus appellat. Alii Dorienses, antiquiorem sequutos Herculem, Oceani locos inhabitasse confines. Ajunt quidam, paucos, post excidium Trojæ, fugitantes Græcos ubique dispersos, loca hæc occupasse tunc vacua. Regionum autem incolæ id magis omnibus asseverant, (quod etiam nos legimus in monumentis eorum incisum) Amphitryonis filium Herculem, ad Geryonis & Taurisci sævorum Tyrannorum perniciem festinasse: quorum alter Hispanias, alter Gallias infestabat: superatisque ambobus coisse cum generosis feminis, suscepisseque liberos plures, & eos partes, quibus imperabant, suis nominibus appellasse, Amm. Marcellin. *l.* XV.

MASSILIENSES.

Massilia urbs Liguriæ (Λιγυστικῆς enim lege pro Λιβυστικῆς) circa Celticam, Phocæensium colonia: nomen accepit ex eo quod navis gubernator, cum adnavigaret, conspectum ἁλιέα (*piscatorem*) jusserit μάσαι (*ligare*, nam μάσαι τὸ δῆσαι dicunt Æoles) ἀπόγειον σχοινίον: igitur ἀπὸ τοῦ ἁλιέως καὶ τοῦ μάσαι dicta fuit, Stephanus e Timæo. Ἐν ταύτῃ τῇ χώρᾳ (Λιγύων) πόλις ἐστὶν Ἑλληνὶς Μασσαλία, Scyl. Car. p. 110. κτίσμα δ' ἐστὶ Φωκαιέων ἡ Μασσαλία, Strabo *l.* IV. p. 179. Οἱ δὲ Μασσαλιῶται Φωκαιέων εἰσὶν ἄποικοι, τῆς ἐν Ἰωνίᾳ μοίρα καὶ αὕτη, τῶν ποτε Ἅρπαγον τὸν Μῆδον φυγόντων ἐκ Φωκαίας· γενόμενοι δὲ ναυσὶν ἐπικρατέστεροι Καρχηδονίων, τήν τε γῆν, ἣν ἔχουσιν, ἐκτήσαντο, καὶ ἐπὶ μέγα ἀφίκοντο εὐδαιμονίας, Paus. *Phocic.* p. 623. Φωκαεῖς τε Μασσαλίαν οἰκίζοντες, Καρχηδονίους ἐνίκων ναυμαχοῦντες, Thucyd. *l.* I. p. 11. A Phocæa vero Asiaticus populus Harpagi inclementiam vitans Cyri Regis præfecti, Italiam navigio petiit: cujus pars in Lucania Veliam (Ὑέλην Οἰνωτρίης Herodoto) alia condidit in Viennensi Massaliam, Ammian. Marcell. *l.* XV. vide in *Corsica*. Perperam vero á multis Phocenses & Φωκεῖς dicuntur pro Phocæenses & Φωκαεῖς. At & altera parte per Ligurum oram in Narbonensem provinciam pergit, in qua Phocenses, quondam fugati Persarum adventu, Massiliam urbem Olympiade XLIV. condiderunt, Solinus. Phocide relicta Seneca *consul. ad Helv.* c. VIII. *nec Phocidos undis Massiliæ*, Lucanus. *Ibis Phocida, Sextiasque Bajas*, Sidonius. Φωκεῖς pro Φωκαεῖς Eustathius *in Dionysium*, cum de Massilia loquitur, sæpius usurpat. In versu Callimachi, qui producitur a Schol. Sophocl. *Antigon.* est Φωκείων pro Φωκαέων. Ὑπὸ Φωκαίων ᾠκίσθη ἡ Μασσαλία est apud Harpocration. ut, Massilia a Phocæis condita, apud Melam. Φωκαῶν etiam est apud Marcian. p. 9. Sed inconstanter Hœscheliana editio exhibet hanc vocem, Φωκιεῖς bis p. 9. & Φακέων p. 11. hic Φωκαῶν, illic Φωκαεῖς lege. Φωκεῖς οἱ τῆς Ἑλλάδος, ἀπὸ Φωκίδος πόλεως. Φωκαεῖς οἱ τῆς Ἰωνίας, ἀπὸ Φωκαίας πόλεως. Ἴωνες ὄντες οἱ Φωκαεῖς καὶ πολεμούμενοι ὑπὸ Περσῶν, ἀφέντες τὴν Ἰωνίαν, ἔπλευσαν ἐπὶ τὴν Ἀφρικὴν, τὴν πάλαι Καρχηδόνα καλουμένην. ἡ δὲ Μασσαλία πόλις ἐστὶ τῆς Ἀφρικῆς, Schol. Thucyd. *l.* I. p. 11. Recte Φωκεῖς & Φωκαεῖς distinguit: sed in eo errat, quod urbem Africæ Massiliam esse putet, deceptus nomine Μασσύλων, qui sunt populi Africæ Cæsariensi Mauritaniæ proximi. Μασσύλοι vel Μασσυλεῖς Λιβυκὸν ἔθνος, Stephan.

Cum Phocæenses patria excederent, iis oraculum datum fuit, ut navigationis ducem a Diana Ephesia acciperent: cumque Ephesum appulissent, quæsiverunt, quo pacto id, quod mandatum erat, a Dea consequerentur. Ibi Aristarchæ matronæ honoratissimæ ajunt Deam per quietem adstitisse, jubentem, eam quadam sacrorum imagine secum sumpta Phocæenses comitari: hoc facto, colonia condita, Phocæenses fanum exstruxerunt, ejusque antistitam constituerunt Aristarcham, Strabo *l.* IV. p. 179.

Ita plerique Scriptores in eo consentiunt Massiliam a Phocæensibus, Cyri tempore conditam:

quidam tamen ante conditam prodiderunt. Ἰσωκράτης ἐν Ἀρχιδάμῳ, ὡς Φωκαεῖς φυγόντες τὴν μεγάλου βασιλέως δεσποτείαν εἰς Μασσαλίαν ἀπῴκησαν. ὅτι δὲ ἄποικοι τῶν χρόνων ἤδη ὑπὸ Φωκαέων ἡ Μασσαλία, καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Μασσαλιωτῶν πολιτείᾳ δηλοῖ, Harpocrat. Marcian pag. 9.

—— Μασσαλία δ' ἐστ' ἐχομένη
Πόλις μεγίστη, Φωκαέων ἀποικία,
Ἐν τῇ Λιγυστικῇ δὲ ταύτην ἔκτισαν
Πρὸ τῆς μάχης τῆς ἐν Σαλαμῖνι γενομένης
Ἔτεσι πρότερον, ὥς φασιν, ἑκατὸν εἴκοσι.
Τίμαιος οὕτως ἱστορεῖ δὲ τὴν κτίσιν.

CXX. annis ait ante pugnam ad Salaminem: ea contigit Olymp. LXXV. Harpagus Ioniam ſubegit Olymp. LIX. intervallum Olymp. XVI. ſeu annorum LXIV. tantum: diſcrimen ergo annorum LVI.

Maſſilienſium Reſp. Ariſtocratica erat, optimis legibus conſtituta; Concilium conſtabat DC viris, quos ab honore, quem per omnem vitam gerebant, Τιμέχυς appellabant: ipſi vero Concilio XV. viri præfuerunt, quorum erat negotia occurrentia expedire. Legibus porro Ionicis utebantur, publice propoſitis, Strabo *l.* IV p.179.

Maſſilienſes progreſſu temporis ſua virtute occuparunt quædam finitima ſibi prædia, & urbes, munitionis loco futuras, condiderunt, Strabo *l.* IV. p.180.

Maſſilienſes amici Romanorum facti ſunt, iiſque multis in rebus uſui fuerunt, & rurſum eorum ope aucti fuerunt, Strabo *l.* IV. p.180.

Maſſilienſes bello civili partes Pompeii ſecuti, magnæ ſuæ felicitatis parte a Cæſare victore privati fuerunt, Strabo *l.* IV. p. 181.

Maſſilia Barbaris ludi literarii loco fuit: & poſtea Romanorum nobiliſſimi pro Athenienſi peregrinatione Maſſiliam ſe contulerunt diſcendi ſtudio, idem *ibid.*

TAURENTII.

TAurentium (Ταυρόεις) urbs Gallica, Maſſilienſium colonia: Apollod. *l.* I. I. ſcribit, navem inſigne Taurum habuiſſe, qua vecti fuerint urbis conditores, qui a reliqua Phocæenſium claſſe disjecti, illucque delati, ab inſigni navis urbem appellarunt, Stedhan. Τὸ δὲ Ταυροέντιον, καὶ τὴν Ὀλβίαν, καὶ Ἀντίπολιν, καὶ Νικαίαν, πρὸς τὸ Σαλύων ἔθνει καὶ τοῖς Λίγυσι τοῖς τὰς Ἄλπεις οἰκοῦσι (ἔκτισαν οἱ Μασσαλιῶται) Strabo *l.* IV p. 180. Marcian. p.9.

Εἶτ' ἐστὶ μετὰ ταύτην Ταυρόεις, καὶ πλησίον
Πόλις Ὀλβία, καὶ Ἀντίπολις αὐτῶν ἐσχάτη.

OLBIANI.

OLbia urbs Ligurum, Steph. a Maſſilienſibus condita, Strabo *l.* IV. p. 180. vide in *Taurentiis.* Olba urbs Hiſpaniæ eſt Livio *l.* XXX.

ANTIPOLITANI.

ANtipolis urbs a Maſſilienſibus condita adverſus Barbaros: vide in *Taurentiis*. Urbem in Narbonenſi provincia ponit Strabo *l* IV.p.284. His (Maſſiliæ, &c.) prope Salluvii ſunt, & Nicæa, & Antipolis, Amm.Marcell *l.* XV. circa fin. Etiam in Narbonenſi provincia collocat, ſed oppidum Latinum vocat Plinius *l.* III. c. IV.

Antipolis, re diſceptata, a juriſdictione Maſſilienſium liberata fuit, & Italicis urbibus adſcripta, Strabo *l.* IV.p.284.

Athenopolis Maſſilienſium collocatur in Narbonenſi provincia a Plinio *l.* III. c. IV.

NICÆENSES

NIcæa urbs Gallica, Maſſilienſium colonia, Steph. vide in *Taurentiis.* Urbem in Italiæ partibus ponit Strabo *l.* IV.p.284.

Nicæa oppidum a Maſſilienſibus conditum, Plin. *l.* III. c. V. Μασσαλιωτῶν Νίκαια, Ptolemæus.

Nicæam ætate ſua ſub Maſſilienſium ditione fuiſſe ſcribit Strabo *l.* IV. p. 284.

RHODANUSII.

RHodanuſia urbs Maſſilienſis, Stephan. Maſſilienſium colonia, Marcian. p.9.

AGATHINI.

AGathe urbs Ligurum vel Gallorum, Stephan. Maſſilienſium colonia adverſus Barbaros condita, Strabo *l.* IV. p. 180. 182. Σκύμνος δὲ Φωκαέων αὐτὴν φησιν, ἐν τῇ Εὐρώπῃ, Steph. Marcian. p. 9.

Οἱ Μασσαλίαν κτίσαντες ἔσχον Φωκαεῖς,
Ἀγάθην, Ροδανουσίαν τε, Ροδανὸς ἣν μέγας
Ποταμὸς παραρρεῖ.

Eam a Timoſthene appellatam fuiſſe Ἀγαθὴν τύχην, ſcribit Stephan. Agatha quondam Maſſilienſium, Plinius *l.* III. c.IV.

RHODÆI.

RHode urbs Ligurum, Rhodiorum & deinde Maſſilienſium colonia. Marcian. p. 9.

—— Ρόδη δὲ δευτέρα.
Ταύτην μὲν ἤδη οἱ πρὶν κρατοῦντες ἔκτισαν
Ρόδιοι: μεθ' οὓς ἐλθόντες εἰς Ἰβηρίαν
Οἱ Μασσαλίαν κτίσαντες ἔσχον Φωκαεῖς.

Rhode πόλις Ἰβηρίας Stephano dicitur. Rhodii μέχρι Ἰβηρίας ἔπλευσαν, κἀκεῖ μὲν τὴν Ρόδην ἔκτισαν, ἣν ὕστερον οἱ Μασσαλιῶται κατέσχον, Strabo *l.* XIV. p. 654. Ρόην Ἀγαθὴν eſt apud Strabon. *libr.* IV. p. 180. ſed lege Ρόδην καὶ Ἀγάθην: quas duas urbes a Maſſilienſibus conditas fuiſſe ſcribit adverſus Barbaros ad fl. Rhodanum habitantes. Rhoda Rhodiorum, Plinius *l.* III. c. IV. Rhoda quoque Hiſpaniæ caſtellum dicitur Livio *l.* XXXIV. vide in *Emporit.*

EMPORITÆ.

EMporium urbs Gallica; Maſſilienſium colonia, Stephan. In Liguribus ponit eam Marcianus. Habitabant vero mixti Iberi & Ligures uſque ad Rhodanum fluvium in ora maritima, quæ Gallica provincia eſt. Ἀπὸ δὲ Ἰβήρων ἔχονται Λίγυες καὶ Ἴβηρες μιγάδες, μέχρι ποταμοῦ Ροδανοῦ, Scyl. Car. p. 110. Marcian. p.9.

—— ἔπειτα παραθαλάττιοι κάτω
Λίγυες ἔχονται, καὶ πόλεις Ἑλληνίδες,
Ἃς Μασσαλιῶται Φωκαεῖς ἀπῴκισαν.
Πρώτη μὲν Ἐμπόριον.

Sed revera urbs hæc ſita erat in Hiſpania, non procul Tarracone. P. Cornelius Scipio oſtiis Tiberinis profectus præter oram Tuſci maris, Alpes atque Gallicum ſinum, & deinde Pyrenes circumvectus promontorium, Emporiis urbe Græca (oriundi & ipſi Phocæa ſunt) copias expoſuit: inde ſequi navibus juſſis, Tarraconem pedibus profectus, &c.

Livius *l.* XXVI. Prætervecti Liguſtinos montes, ſinumque Gallicum, ad diem, quam edixerat, convenerunt. Inde Rhodam ventum, & præſidium Hiſpanorum, quod in caſtello erat, vi dejectum. Ab Rhoda ſecundo vento Emporias perventum. Ibi copiæ omnes, præter ſocios navales, in terram expoſitæ. Jam tunc Emporiæ duo oppida erant mutuo diviſa: unum Græci habebant a Phocæa, unde & Maſſilienſes oriundi: alterum Hiſpani. Sed Græcum oppidum in mare expoſitum, totum orbem muri minus CCCC. paſſus habentem patentem habebat: Hiſpanis retractior a mari III. millium paſſuum in circuitu murus erat. Tertium genus Romani coloni a D. Cæſare poſt devictos Pompeii liberos adjecti: nunc in corpus unum confuſi omnes, Hiſpanis prius, poſtremo & Græcis in civitatem Romanam adſcitis, &c. Livius *l.* XXXIV. Τῆς Εὐρώπης εἰσὶ πρῶτοι Ἴβηρες —— εἶτα Ἐμπόριον πόλιν Ἑλληνίδα, ᾗ ὄνομα Ἐμπόριον. εἰσὶ δὲ οὗτοι Μασσαλιωτῶν ἄποικοι, Scyl. Caryand. p. 109.

IN HISPANIA.

Herculis quidam ſocii, & quidam Meſſenii in Hiſpania habitarunt, Aſclepiades Myrlean. apud Strabon. *l.* III. p. 157.

Ulyſſea urbs Hiſpaniæ, & in ea fanum Minervæ fuit, in quo affixa fuerunt monumenta errorum Ulyſſis, aſpides & ſumma navium roſtra, Aſclepiad. Myrlean. apud Strabon. *l.* III. p. 157. Ὀδυσσεὺς πόλις Ἰβηρίας, Stephan.

Hellenes & Amphilochi duæ urbes in Hiſpania in Callaicis fuerunt, conditæ ab iis, qui Teucrum in bellum ſecuti fuerant: & Amphilochis mortuus fuit Amphilochus, Aſclepiad. Myrlean. apud Strabon. *l.* III. p. 157.

Lacones Cantabriæ partem occuparunt, Aſclepiad. Myrlean. apud eundem *loco cit.*

Mænaca ultima verſus occaſum Phocæenſium urbs, cujus everſæ rudera Græcæ urbis veſtigia retinent, diverſa a Malaca, quæ ad Punicæ formam accedit, Strabo *l.* III. p. 156. Marcian. p. 7.

— μιᾷ δὲ τούτων (στηλῶν Ἡρακλέος) Μασσαλιωτικὴ
Πόλις ἐστὶν ἐγγὺς, Μαινάκη καλουμένη
Αὕτη, πρὸς Εὐρώπην δὲ τῶν Ἑλληνίδων
Πόλεων ἁπασῶν ἐσχάτην ἔχει θέσιν.

Græcorum nonnulli Tarteſſion ad Arganthonium Tarteſſi Regem Hiſpanis imperantem advecti, in illis locis conſederunt, Appian. *Bell. Hiſp.* p. 256.

PALLENENSES.

Pallene, Cherſoneſus (Thraciæ) triangula eſt, cujus radix ad meridiem vergit: vocabatur vero olim Phlegra, & a Gigantibus habitabatur, & Deorum Gigantumque pugna illic geſta memoratur. Theagenes enim in *Macedonicis* auctor eſt, Herculem ad Gigantes veniſſe, viſaque eorum petulantia & inhumanitate attonitum fuiſſe, ſed poſtquam ipſum armis adorti ſunt, ipſum conſuetis armis eos occidiſſe, qui bellum illi hoſpitalitatis loco præbuerant: in ipſo vero prælio fulmina & tonitrua exſtitiſſe, quæ fingendæ fabulæ occaſionem dederint, ipſos Deos adverſus Gigantes dimicaſſe, Stephan. Hercules ἦκε δὲ ἀθλῶν εἰς Φλέγραν, καὶ μετὰ Θεῶν ἐπολέμησε γίγαντας, Apollod. *l.* II. p. 75. β. Παλλήνην πρότερον Φλέγρην καλουμένην, Herodot. *l.* VII. p. 480. Παλλήνη ἄκρα μακρὰ εἰς τὸ πέλαγος ἀνατείνουσα, Scyl. Caryand. p. 133. καὶ σκοπιὰς Παλλήνης, Dionyſ. Περιηγ. Marcian. Περ. p. 26.

—— Παλλήνη ἐπ' ἰσθμοῦ κειμένη,
Ταύτην δὲ Φλέγραν τὸ πρότερον καλουμένην,
Τοὺς θεομάχους γίγαντας οἰκῆσαι λόγος.

Apud Thucyd. *lib.* IV. p. 332. Τῆς Πελλήνης ἐν τῷ ἰσθμῷ, lege Παλλήνης. Nomen Pallenæ dederunt Pellenenſes Achæi, unius literæ mutatione. Marcian. Περ. p. 26.

Μετὰ ταῦτα Πελληνεῖς δ' ἀφ' αὐτῶν ὀνομάσαι
Λέγουσιν ὁρμηθέντας ἐξ Ἀχαΐας.

Ita enim lego, ἀφ' αὐτῶν pro Ἀμυυτῶν. In Pallene urbes ſitæ memorantur ab Herodoto, Potidæa, Aphytis, Neapolis, Æge, Therambus, Scione, Mende & Sane. A Scylace Caryand. urbes Græcæ in ea collocantur, Potidæa, Mende, Aphytis, Therambus, Scione. Melæ *l.* II. c. II. dicitur Pallene ſoli tam patentis, ut quinque urbium ſedes ſit atque ager. Pallene etiam πόλις Θρᾴκης, & nomen accepiſſe a Pallene Sithonis filia, Cliti uxore, dicitur a Stephano. Παλλήνη δὲ ὄρος Θρᾴκης καὶ πόλις, ὅθεν ἦν Πρωτεὺς, Schol. Apoll. *Arg.* *l.* I. v. 599.

POTIDÆATÆ.

Potidæa urbs Thraciæ, Stephan. ἐν τῇ Παλλήνῃ Ποτίδαια, ἐν τῷ μέσῳ τὸν ἰσθμὸν ἐμφράττουσα, Scyl. Caryand. p. 133. Potidæatæ, qui in Pallenes iſthmo habitant, Corinthiorum coloni ſunt, Thucyd. *l.* I. p. 37. Diodor. *l.* XII. p. 93. Marcian. Περ. p. 26. τῶν Κορινθίων κτίσις, Ποτίδαια ἐστὶ Δωρικὴ πόλις.

Potidæatis Epidemiurgos magiſtratum Corinthii ſingulis annis miſerunt, Thucyd. *lib.* I. p. 38.

Potidæatæ, cum Rex Xerxes in Aſiam rediturus præteriiſſet, & claſſis Perſica a Salamine fugiens e conſpectu abiiſſet, a Perſis defecerunt, quemadmodum & alii Pallenenſes. Artabazus vero parum decorum ſibi ratus fore, ſi non rebelles Potidæatas diriperet, urbem obſedit, & de illa prodenda cum Timoxene Scionæorum magiſtratu tranſegit. Cum vero aliquid alterutri ab altero ſignificandum eſſet, libellum ſagittæ involutum, adaptatis pennis, in locum, de quo convenerat, emiſerunt. Sed aliquando Artabazus, aberrante jactu, humerum cujuſdam Potidæatæ percuſſit. Revulſa ſagitta libellus apparuit, & ad magiſtratum delatus, proditionis quidem auctorem oſtendit: neque tamen eum Potidæatæ plectendum cenſuerunt, ne in poſterum ſemper Scionæi pro proditoribus haberentur. Tandem tribus exactis menſibus, ingens maris æſtus obſidentem Artabazum excepit, qui eum obſidionem deſerere, re infecta, coegit, Herodot. *l.* VIII. p. 574. 575.

Potidæatæ e Pallene trecenti fuerunt in exercitu Græco ad Platæas contra Perſas coacto, Corinthiis, ipſorum rogatu, adſtantes, Herodot. *l.* IX. p. 596.

Olymp. LXXXVI. 2. Potidæatæ Athenienſium ſocii ac vectigales, ab Athenienſibus, orta inter ipſos & Corinthios ſimultate, veritis ne Potidæatæ a Perdicca Alexandri F. Rege Macedonum & Corinthiis ſollicitati deficerent, juſſi fuerunt muros Pallenen verſus demoliri, & obſides dare, & Epidemiurgos expellere, nec in poſterum recipere: cumque miſſis Legatis ad Athenienſes hæc deprecati fruſtra fuiſſent, ad Lacedæmonios confugerunt: quorum promiſſis freti cum Chalcidenſibus & Bottiæis, inita conſpiratione, defecerunt, Thucyd. *l.* I. p. 37. 38. 39. Diodor. *l.* XII. p. 92. ſeq.

Potidæatæ & ſocii, ducibus Ariſteo Corinthio & Perdicca Macedone, cum Athenienſibus, duce Callia, prælio congreſſi, ſuperati fuerunt, & in urbem compulſi. Inde acris ſequuta fuit urbis op-

pugnatio, duce Phormione, Thucyd. *l.* I. p. 40. 41. 42. Diodor. *l.* XII. p. 93. A

Olymp. LXXXVII. I. & 4. Potideatæ diuturna obsidione fracti Atheniensibus se dediderunt, his conditionibus, ut ipsi exirent, & liberi, & uxores, & milites auxiliarii: mares cum singulis vestimentis, fœminæ cum binis: & cum certa singuli ad viaticum pecunia. Illi itaque publica interposita fide egressi, alii in agrum Chalcidicum, alii alio se contulerunt, Thucyd. *l.* II. p. 145. Diodor. *l.* XII. p. 94. 101. 102.

Potidæam Athenienses de suis colonos miserunt, qui illic habitarent, Thucyd. *l.* II. p. 145. Diodor. *l.* XII. p. 102. Quomodo Athenienses, qui Potidæam inhabitabant, pecunia in belli usus indigentes, eam confecerint, vide Aristotel. *Oeconom. l.* II. B

Potidæam frustra tentavit Brasidas Lacedæmonius, Thucyd. *l.* IV. fin.

Potidæam expugnavit, & Atheniensibus ademptam tradidit Olynthiis, Philippus Amyntæ F. Liban. argum. *Olynth.* I. Demosth.

Potidæatæ a Philippo Amyntæ F. suis sedibus pulsi fuerunt, Pausan. *Eliac. pr.* p. 333.

Olymp. CXVI. I. Potidæatæ a Cassandro Macedone restituti fuerunt, sed nomen mutarunt, urbe Casandrea appellata a conditore, Pausan. *Eliac. pr.* p. 333. Ἔκτισε δὲ (Cassander) καὶ πόλιν ἐπὶ τῆς Παλλήνης, ὁμώνυμον αὐτῷ Κασσάνδρειαν. εἰς ἣν τάς τε ἐκ τῆς Χερρονήσου πόλεις συνῴκισε καὶ τὴν Ποτίδαιαν. ἔτι δὲ τῶν σύνεγγυς χωρίων οὐκ ὀλίγα. κατῴκισε δ' εἰς αὐτὴν καὶ τῶν Ὀλυνθίων τοὺς διασωζομένους ὄντας οὐκ ὀλίγους, Diodor. *l.* XIX. p. 695. Ἡ Ποτίδαια ἐκλήθη καὶ Κασσάνδρεια, Stephan. Ἡ πρὶν μὲν Ποτίδαια, νῦν δὲ Κασσάνδρεια, Φλέγρα τὸ πρὶν ἐκαλεῖτο, Strab. *l.* VII. *Epit.* Ποτίδαιαν, τὴν Κασσάνδρειαν, Ulpian. *in Demosth. de Cherson.* p. 62. Marcian. Περ. p. 26 C

Μετὰ ταῦτα Κασσάνδρεια δ' ὠνομασμένη.

Agri vero multum, & quidem boni, cum attributum esset Cassandrensibus, multumque studii Cassander urbi amplificandæ impendisset, urbs magnum cepit incrementum brevi tempore, & urbibus Macedonicis longe antecelluit potentia, Diodor. *l.* XIX. p. 695. D

Aphyte vel Aphytis urbs ad Pallenen Thraciæ, nomen accepit ab Aphyo quodam indigena, Stephan. Ἐν τῇ Παλλήνῃ Ἑλληνὶς Ἄφυτις, Scyl. Car. p. 133. corrupte illic scribitur Ἀφυτίς. Μία πόλις τῶν ἐν Παλλήνῃ ἡ Ἄφυτις, Schol. Thucyd. *l.* I. p. 41.

Mende urbs Thraciæ, nomen accepit a Mende fœmina: Apollodorus illam Mendin vocat, Stephan. Pallenes Herodoto, & Scyl. Caryand. & Melæ. Eretriensium colonia, Thucyd. *lib.* IV. p. 334. Μενδαίοις δὲ αὐτοῖς γένος τε Ἑλληνικόν, καὶ ἀπὸ Ἰωνίας ἐστίν. Οἰκοῦσι δὲ ἀπὸ θαλάσσης ἄνω τῆς πρὸς Αἴνῳ πόλει, Pausan. *Eliac. pr.* fin. Mende ab Eretriis, capto Ilio remeantibus, posita, Mela *l.* II. c. II. E

Mendæi Sipten Thraciæ castellum vel urbem ceperunt: inde donarium cum hac inscriptione:

Ζηνὶ θεῶν βασιλεῖ μ' ἀκροθίνιον ἐνθάδ' ἔθηκαν
Μενδαῖοι, Σίπτην χερσὶ βιασάμενοι.

Pausan. *Eliac. pr.* fin. F

Mendæi adversus Olynthios bellum gesserunt, Aristotel. *Oeconom. l.* II.

Mendæi ab Atheniensibus ad Brasidam Lacedæmonium defecerunt, Thucyd. *l.* IV. p. 334. Sed Mendam expugnatam Athenienses diripuerunt, cum inter Mendæos & Peloponnesios orto dissidio, Peloponnesii a Mendæis quotquot non cæsi statim fuerunt, in arcem compulsi fuissent, Thucyd. *l.* IV. p. 339. seqq.

Scione urbs Thraciæ, Stephan. Παλλήνης, Herodoto, & Scyl. Caryand. & Melæ. Σκιώνη ἐν τῇ Παλλήνῃ, Thucyd. *l.* IV. p. 332. Sed lege vel ἐν τῇ Παλλήνῃ, vel ἐκ τῆς Παλλήνης: nam Παλλήνη Thracica dicitur, & Scionæi erant e Peloponneso Pellenenses origine. Φασὶ δὲ οἱ Σκιωναῖοι Πελληνῆς μὲν εἶναι ἐκ Πελοποννήσου, πλέοντας δ' ἀπὸ Τροίας σφῶν τοὺς πρώτους κατενεχθῆναι ἐς τὸ χωρίον τοῦτο, τῷ χειμῶνι ᾧ ἐχρήσαντο Ἀχαιοί, καὶ αὐτοῦ οἰκῆσαι, Thucyd. *l.* IV. p. 332. Quæ apud Stephanum leguntur, corrupta sunt, sed forte ita restitui possunt: Ἔνθα λέγεται τὰς Τρῳάδας αἰχμαλώτους, ὡς τὸ ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων εἰς δουλείαν ἀπενεχθῆναι, τῶν αὐτῶν ἐμπρῆσαι τὰς ναῦς. Οἱ δὲ πλοίων ἀπορῶντες, ἐξ ἀνάγκης κατέμειναν αὐτόθι πόλιν Σκιώνην οἰκίσαντες: ut sensus sit, fœminas Trojanas, quas Græci captas secum ducebant, servilis conditionis impatientes, Græcorum naves incendisse, Græcosque navibus destitutos illic manere coactos fuisse.

Scione ab Achivis, capto Ilio remeantibus, posita, Mela *l.* II. c. II.

Scionæi ab Atheniensibus ad Brasidam Lacedæmonium defecerunt, Thucyd. *l.* IV. p. 332.

Scionæos Athenienses expugnarunt, puberibusque interfectis, ac pueris mulieribusque in servitutem abstractis, agrum Platæensibus colendum dederunt, Thucyd. *l.* V. p. 366.

Sane urbs Thraciæ inter Athon & Pallenen, Stephan. Pallenes, Herodot. Actes, Andriorum colonia, Thucyd. *l.* IV. p. 325. Ἐν τῷ ἰσθμῷ, ἐς ὃν τελευτᾷ ὁ Ἄθος, Σάνη πόλις Ἑλλὰς οἴκηται, Herodot. *l.* VII. p. 448. Andrios & Chalcidenses in Thraciam habitatum concedentes, urbem Sanen per proditionem occupasse, scribit Plutarchus *Quæst. Græc.* XXX.

ACTII.

Acte regio, a fossa Xerxis introrsum prominens, urbes continet Sanen, Thyssum, Cleonas, Acrothoos, Olophyxum, Dion, quæ a promiscuis Barbarorum bilinguium gentibus habitantur. Etiam exigua quædam gentis Chalcidicæ pars illic est, sed maxima Pelasgica ex illis Tyrrhenis, qui Lemnum & Athenas quondam incoluerunt, & Bisaltica, & Crestonica, & Edonica, Thucyd. *l.* IV. p. 325. Αἱ δὲ ἐντὸς Σάνης, ἔσω δὲ τῆς Ἄθω οἰκημέναι, Δῖον, Ὀλόφυξος, Ἀκρόθοον, (Ἀκρόθωοι, Thucyd. Ἀκρόθωται Ἑλληνες, Scyl. Car.) Θύσσος, (Θυσσος, Thucyd.) Κλεωναί, Herodot. *l.* VII. p. 448. Has urbes Macedoniæ accenset & Græcas vocat Scyl. Caryand. p. 133. Ima ejus (regionis) tenent parvæ Pelasgorum coloniæ, Mela *l.* II. c. II.

CHALCIDENSES.

Chalcis regio Thraciæ. Χαλκὶς Θρᾴκης, Schol. Thucyd. *l.* I. p. 71. Τοῖς ἐπὶ Θρᾴκης Χαλκιδεῦσι, Thucyd. *l.* I. p. 38. Erantque Chalcidenses hi coloni Chalcidensium in Eubœa, Schol. Thucyd. *l.* I. p. 38. Ἦν γὰρ ἐπὶ Θρᾴκης πολύ τι γένος Χαλκιδικόν, Liban. argum. *Olynth.* I. Demosth. Chalcidensibus Thraciis Androdamas Rheginus lator legum fuit, Aristotel. *Polit. l.* II. § 12.

Chalcidenses Perdiccæ suasu ab Atheniensibus defecerunt, relictisque & excisis urbibus maritimis, suis sedibus Olynthum commigrarunt, seque ad gerendum bellum pararunt: deditque iis Perdiccas, cum Macedonici, tum etiam Mygdonii agri partem, quæ est circa paludem Bolben, colendam, quamdiu bellum contra Athenienses susceptum duraret, Thucyd. *l.* I. p. 38. 39.

SITHONII.

Sithonia Thraciæ pars, Steph. in ea hæ Græcæ urbes collocantur ab Herodoto *l.* VII. p. 480. Torona, Galepſus, Sermyle, Mecyberna, Olynthus. Ἔξω τ̃ ἰσθμȣ̃ (τ̃ Παλλήνης) αἱ πόλεις αἵδε, Ὄλυνθος Ἑλληνὶς, Μηκύβερνα Ἑλληνὶς, Ισμυρία Ἑλληνὶς, Τορώνη πόλις Ἑλληνὶς, &c. Scyl. Caryand. p. 133.

Torone urbs Thraciæ, nomen accepit a Torone Protei vel Neptuni & Phœnices filia, Steph. Chalcidenſium colonia. Τορώνην τὴν Χαλκιδικὴν, Thucyd. *l.* IV. p. 326. Marcian. Περ. p. 27.

Ἐξ ἧς (Μηκυβέρνης) τοῖς τόποις ὁμώνυμος.

Sinus enim Toronicus vocatur, teſte eodem.

Polygonum Telegonumque, Protei filios, Neptuni nepotes ad luctam provocantes in palæſtra interemit Hercules Toronæ, Apollod. *l.* II. p. 65.

Torone a Braſida Lacedæmonio per proditionem capta fuit, Thucyd. *l.* IV. p. 326. 327. Sed ab Athenienſibus recepta, Thucyd. *l.* V. p. 344. 345.

Torone ab Ageſipoli Lacedæmonio vi capta, Xenoph. *Hellen. l.* V. p. 441.

Galepſus urbs Thraciæ & Pæonum, Stephan. Thaſiorum colonia, Thucyd. *l.* V. p. 346.

Galepſus a Cleone Athenienſi expugnata fuit, Thucyd. *l.* V. p. 346.

Sime Thaſiorum colonia, Diodor. *lib.* XII. pag. 118.

Sermylia urbs circa Athon montem, Stephan. Chalcidica, Schol. Thucyd. *l.* I. p. 42. Σερμυλίων πόλις dicitur Thucyd. *l.* V. p. p. 357.

Mecyberna, quæ urbs Græca Sithoniæ, Herodoto: urbs Pallenes, quæ in Thracia eſt, Cherſoneſi dicitur Stephano.

Mecyberna, ubi præſidium Athenienſium erat, ab Olynthiis capta fuit, Thucyd. *l.* V. p. 371.

Olynthus, urbs Thraciæ ad Sithoniam Macedoniæ, (vide *Sithonii*) nomen accepit ab Olyntho Herculis filio, Stephan.

Bottiæi e ſinu Thermæo a Macedonibus ejecti, Olynthum occuparunt, Herodot. *l.* VIII. p. 574.

Bottiæi, qui Olynthum tenebant, ab Artabazo Perſa, quod defecturos a Xerxe ſuſpicaretur, obſidione cincti, expugnati, in paludem deducti, trucidatique fuerunt: urbſque adminiſtranda Critobulo Toronæo, genere Chalcidenſi, tradita fuit. Ita Chalcidenſium urbs Olynthus facta: καὶ ὕτω Ὄλυνθον Χαλκιδέες ἔσχον, Herodot. *l.* VIII. p. 574. Ὄλυνθον τὴν Χαλκιδικὴν, Thucyd. *l.* IV. p. 574. vide & ſupra *Chalcidenſes*. Ὄλυνθος ἦν πόλις ἐπὶ Θρᾴκης. Ἑλληνικὸν ἢ ταύτῃ τῶν ἐνοικȣ́ντων τὸ γένος ἀπὸ Χαλκίδος τ̃ ἐν Εὐβοίᾳ. ἡ δὲ Χαλκὶς Ἀθηναίων ἄποικος, Liban. argum. *Olynth*, I. Demoſth.

Olynthus multa & gloriæ plena bella geſſit: nam & contra Athenienſes olim principatum Græcorum tenentes, & adverſus Lacedæmonios bellum geſſit: & progreſſu temporis magnis aucta viribus, ſuper cognatas urbes eminuit, Liban. argum. *Olynth.* I. Demoſth. Olynthiis arma intulit Ageſipolis Rex Spartanus: vide in *Lacedæmon.* Habebant vero Olynthii tum non niſi CCCC. equites, nec omnes plures numero erant quam V. mille, cum necdum Chalcidenſes in unum omnes coaluiſſent, Lacedæmonii vero magna claſſe & pedeſtri exercitu eos invaderent, eaque tempeſtate terræ mariſque imperium tenerent. Nihilominus neque urbem, neque caſtellum ullum amiſerunt. Sed & multis præliis victores fuerunt, & tres hoſtilis exercitus imperatores occiderunt: & tandem pro arbitrio finem bello impoſuerunt, Demoſth. *de falſ. legat.* p. 257.

A Olynthii Philippo Regi Macedonum ſocietate juncti, contra Athenienſes cum ipſo bellum geſſerunt initio, accepta a Philippo urbe Anthemunte, de qua inter ſe ambigebant Macedones & Olynthii, traditaque ab eodem Potidæa, quam Athenienſibus eripuerat: demum ſuſpectum habere cœperunt Regis ſubitum & magnum incrementum, idque infidum. Itaque abſente Rege, miſſis Legatis cum Athenienſibus pacem confecerunt, adverſus pacta cum Philippo inita: convenerat enim, ut communibus armis oppugnarent Athenienſes, & ſi quid aliter alteri parti videretur, ſimul pacem facerent. Ibi Philippus, arrepta, quam B olim quæſiverat, occaſione adverſus ipſos, ipſis bellum intulit, tanquam fœdifragis. Ipſi vero miſſis Legatis Athenienſium opem implorarunt, Liban. argum. *Olynth.* I. Demoſth. Ab Athenienſibus vero decretum fuit opem eis ferendam eſſe, argum. *Olynth.* II. Sed Philippus captam urbem evertit. Marciani Περ. p. 26.

Ἣν ἐξανέστησεν Φίλιππος ὁ Μακεδὼν
Δόρατι κρατήσας.

Exitii Olynthiorum cauſa quæ fuerit, vide Demo- C ſthen. *de falſ. legat.* p. 257.

Methone urbs Thraciæ, condita ab Eretrienſibus, qui in Corcyra habitabant, ſed inde a Cherſicrate Corinthio pulſi fuerant: vide in *Corcyræis.*

Acanthus urbs Thraciæ ſupra montem Atho, ἀκάνθαις (*ſpinis*) præſepta, unde nomen accepit; vel a quodam Acantho, ut Mnaſeæ placet, Stephan. Andriorum colonia. Marcian. Περ. p. 27.

Τὸν Ἄθω δὲ παραπλεύσαντι παράλιος πόλις
Ἄκανθός ἐστιν Ἀνδρίων ἀποικία.

Andrios & Chalcidenſes in Thraciam habitatum D concedentes, cum intellexiſſent Acanthum a Barbaris deſertam fuiſſe, duos ſpeculatores miſiſſe: utque hi ad urbem accedentes omnino aufugiſſe hoſtes cognoviſſent, Chalcidicum quidem præcurriſſe tanquam urbem Chalcidenſibus occupaturum, Andrium vero poſteriorem relictum, haſtam ejaculatum fuiſſe, eaque cum jactu portis infixa, dixiſſe Andriorum filiis haſta præoccupatam fuiſſe urbem: inde orta diſſenſione abſque bello, arbitros habuiſſe Erythræos, Samios & Parios: & Erythræos ac Samios ſecundum Andrios pronunciaſſe, Parios vero ſecundum Chalcidenſes: ideoque Andrios vota feciſſe contra eos, ſe neque uxores E Pariis nuptum daturos, neque ab iis accepturos, Plutarch. *Quæſt. Græc.* XXX.

Acanthiis hoſpitalitatem exhiberi juſſit Xerxes, cum Græciam invadens, Acanthum perveniſſet: laudatoſque veſte Medica donavit, quod alacres ad bellum cerneret, quodque foſſam, quam per montem Atho fodere juſſerat, abſolutam eſſe audiret, Herodot. *l.* VII. p. 478. Marcian. Περ. p. 27.

Παρ' ἣν διῶρυξ δείκνυται τετμημένη
Ἑπτὰ σταδίοις. Ξέρξην δὲ λέγετ' αὐτὴν τεμεῖν.

F Amphipolis urbs Macedoniæ circa Thraciam, (imo ipſius Thraciæ Marciano & Melæ) quæ antea Ἐννέα ὁδοὶ, (*Novem-viæ*) item Myrue, Crademna, Anadræmus etiam appellabatur, Steph. Ἠϊόνα eandem quoque appellatam ſcribit Stephanus, ſed falſo: nam XXV. ſtadiis Eionem ab Amphipoli diſtantem facit Thucydides *l.* IV p. 321. Edoni urbem Novem-vias tenuerunt, Thucyd. *l.* I. p. 66. & *l.* IV. p. 320. Cum Perſæ ad Edonos perveniſſent, eamque urbem Novem-vias appellari audiviſſent, totidem illic pueros ac virgines, parentibus

illic habitantibus natos, vivos defoderunt, Herodot. *l.* VII. p. 477. Coloniam Novem-vias deducere tentavit Ariſtagoras Mileſius, cum Regem Darium fugeret, ſed ab Edonis repulſus fuit, Thucyd. *l.* IV. p. 320. Athenienſes duobus & triginta poſt annis, miſſis decem millibus, cum ſuorum, tum ſociorum, Novem-vias quidem occuparunt; ſed cum in mediterranea Thraciæ progreſſi eſſent, ad Drabeſcum Edonicam ab univerſis Thracibus, quibus ille locus infeſtus erat, profligati fuerunt ac interfecti, Thucyd. *l.* I. p. 66. & *l.* IV. p. 321. Diodor. *l.* XI. p. 54.

Athenienſes rurſus undetrigeſimo anno redeuntes, duce coloniæ deducendæ Agnone Niciæ F. pulſis Edonis, Novem-vias occuparunt: urbem autem Agnon Ἀμφίπολιν vocavit, ὅτι ἐπ' ἀμφότερα περιῤῥέοντος τοῦ Στρυμόνος, διὰ τὸ περιέχειν αὐτὴν, τείχει μακρῷ ἀπολαβὼν ἐκ ποταμοῦ ἐς ποταμὸν, περιφανῆ ἐς θάλασσάν τε καὶ τὴν ἤπειρον ᾤκισεν, Thucyd. *l.* IV. p. 321. vide & Marcian. Περ. p. 27. Corrupta ſunt quæ leguntur in Diodoro *l.* XII. p. 117. διαλιπόντες ἔτη δύο, πάλιν ἐκτίσαντο τὴν πόλιν, Απίωνος ἡγεμόνος: reſtituenda e Thucydide.

Lacedæmonii cum ſociis, quos in Thracia habebant, duce Braſida, Amphipolitanis bellum intulerunt, eoſque ad dedendam urbem æquis conditionibus induxerunt, Thucyd. *l.* IV. p. 321. 322. 323. Amphipolin primum tenuiſſe Alexandrum, ex quo ipſe oriundus erat, ideoque captivorum Medorum primitias ſtatuam auream collocaſſe Delphis; ſe vero, expugnatis, qui inde Athenienſes expulerant, quique a Lacedæmoniis in ea collocati fuerant, eam occupaſſe, ſcribit Philippus Amyntæ F. *Epiſtola ad Athenienſ.* Cum autem Philippus cerneret, Athenienſes omni ſtudio in id incumbere, ut Amphipolin recuperarent, ideoque Argæum in regnum reducerent, ea ultro ceſſit, libertate ei reſtituta, Diodor. *l.* XVI. p. 408. Poſtea tamen rurſus eam occupavit, Diodor. *l.* XVI. p. 412.

Amphipoli, cum Cleotimus quidam Chalcidenſium inquilinos in urbem adduxiſſet, eos in locupletes incitavit, Ariſtotel. *Polit. l.* V. c. VI. Et Amphipolitæ, receptis Chalcidenſium colonis, ab his plerique urbe expulſi fuerunt, Ariſtotel. *Polit. l.* V. c. III.

Oeſyma urbs olim Thaſiorum, deinde Macedonum fuit, Amphipoli vicina. Marcian. Περιηγ. p. 27. v. 660.

> Μετ' Ἀμφίπολιν δὴ πρότερον Οἰσύμη πόλις
> Θασίων γενομένη, μετὰ δὲ ταῦτα Μακεδόνων
> Ἀπὸ τῆς Μακέτης Ἠμαθίας τε λεγομένης.

Sic enim in Marciano legendum Οἰσύμη conſtat ex Mela *l.* II. c. II. *Ultra Neſtos fluit, interque eum & Strymona, urbes ſunt Philippi, Apollonia, Amphipolis. Inter Strymona & Athon, turris Calarnæa, & portus Caprullon, urbs Acanthus & Oeſyma.* Et Plinio *l.* IV. c. LIV. *Cujus in ora a Strymone, Apollonia, Oeſima, Neapolis, Pæſtos.* Οἰσύμη πόλις Μακεδονίας, Θουκυδίδης τετάρτη, ἡ νῦν Ἠμάθεια. Ταύτην Αἰσύμην Ὅμηρος ἔφη, Stephan. Locus Homeri eſt *Iliad.* Θ. v. 304. ubi Euſtathius, Ἐξ Αἰσύμηθεν, ἀντὶ τοῦ ἐξ Αἰσύμης πόλεως Θρᾳκικῆς, ὡς ὁ τὰ Ἐθνικὰ γράψας δηλοῖ. In Scylace Caryand. p. 134. etiam Thraciæ urbs dicitur: ſed corrupte illic σισύμη editum eſt pro Οἰσύμη.

Apollonia urbs Thraciæ in Ponto, Græca, Scyl. Caryand. p. 135. Aſticæ regionis, antea Anthium appellata, Plinius *lib.* IV. c. XI. inter Neſtum & Strymona, Mela *lib.* II. c. II. condita a Mileſiis, L. annis ante Cyri regnum. Marcian. Περ. p. 30.

> Μεθ' ἣν πόλις ἐστὶν σύνορος ἡ Ἀπολλωνία.
> Ταύτην δὲ πρότερον ἔτεσι πεντήκοντά που
> Κτίζουσι τῆς Κύρου βασιλείας τὴν πόλιν,
> Εἰς τοὺς τόπους ἐλθόντες οἱ Μιλήσιοι.

In inſula ſita ad Salmydeſſum colonia Mileſiorum & Rhodiorum, dicitur Stephano. Εἶτ' Ἀπολλωνία, ἐν χιλίοις τριακοσίοις σταδίοις (a Calati) ἄποικος Μιλησίων, τὸ πλέον τοῦ κτίσματος ἱδρυμένον ἔχουσα ἐν νήσῳ τινὶ, Strabo *l.* VII. p. 319. Ejus quoque tanquam Salmydeſſo vicinæ meminit Herod. *l.* IV. p. 288.

Abdera urbs Thraciæ, nomen accepit ab Abdero (Ἀβδήρου enim e Marciano lego, pro Ἀβδηρίτου) Erini F. quem equi Diomedis dilaniarunt, ut Hellanicus & alii ajunt, Stephan. Marcian. Περ. p. 27.

> Τῶν δ' ἐπὶ θαλάττῃ κειμένων ἐστὶ πόλις
> Ἀβδήρ' ἀπ' Ἀβδήρου μὲν ὠνομασμένη,
> Τοῦ καὶ κτίσαντος πρότερον αὐτήν. ὃς δοκεῖ
> Ὑπὸ τῶν Διομήδους ὕστερον ξενοκτόνων
> Ἵππων φθαρῆναι.

Abdera viſitur Protagoræ domicilium & Democriti, cruentæque Diomedis Thracii ſedes, Ammian. Marcellin. *l.* XXII. p. 479. a.

Diomedis ſororem Abderam condidiſſe & a ſe ſic vocaſſe auctor eſt Solinus: item Mela *l.* II. c. II. Ab Hercule urbem conditam ad tumulum interempti Abderi ſcribit Apollodor. *l.* II. p. 64. β. Tzetz. *Chil.* II. *Hiſt.* XXXVI.

> Ἄβδηρον τὸν Ἠρίνου δὲ, τὸν Ἡρακλέος φίλον
> Οἱ ἵπποι διεσπάραξαν, ὀδοῦσι βεβρωκότες,
> Ἐκ Λοκρικῆς Ὀποῦντος μὲν φύλακα τούτων ὄντα.
> Ἐφ' ᾧ πόλιν τὴν Ἀβδηρον ὁ Ἡρακλῆς ἑδράσας
> Πρὸς Εὐρυσθέα τὸ λοιπὸν ἐκόμισε τοὺς ἵππους.

Temeſius Clazomenius coloniam Abdera deduxit; ſed nullo cum fructu: nam a Thracibus inde pulſus fuit, Herodot. *l.* I. p. 77. Hanc Abderam Olympiade prima & trigeſima ſenio collapſam, Clazomenii ex Aſia, ad majorem faciem reſtitutam, obliteratis quæ præceſſerant, nomini ſuo vindicarunt, Solinus.

Teii, cum Harpagus Tejum cepiſſet, omnes conſcenſis navibus in Thraciam trajecerunt, illicque urbem Abdera occuparunt, Herodot. *l.* I. p. 77. Marcian. Περ. p. 27. 28.

> —— Τήϊοι δὲ τὴν πόλιν
> Συνῴκισαν φυγόντες ὑπὸ τὰ Περσικά.

Inde dictum refert Strabo *l.* XIV. p. 644. Ἄβδηρα καλὴ Τηΐων ἀποικία.

Abdera Xerxes, cum e Græcia in Aſiam ſe reciperet, pervenit, & cum Abderitis hoſpitii neceſſitudinem contraxit, eoſque acinace aureo & tiremi auro intertexta donavit, Herodot. *l.* VIII. p. 572.

Abdera magis id memorandum habet, quod Democritum Phyſicum tulit, quam quod ita condita eſt, Mela *l.* II. c. II.

Ænus urbs Thraciæ, Apſinthus ante vocata, Stephan. ad oſtium Hebri, Herodot. *l.* IV. p. 288. Poltiobria olim dicta, Strabo *l.* VII. p. 319. Poltys enim Æni habitavit, & Herculem illuc venientem hoſpitio excepit: ubi & Hercules Sarpedonem Neptuni F. hominem improbum ſagittis confixit, Apollod. *l.* II. p. 66. β. Eximia eſt Ænos, ab Ænea profugo condita, Mela *l.* II. c. II. Etiam ab Ænea conditam ſcribit Ammian. Marcell. *l.* XXVII.

Ad oſtium Hebri fl. qui duo habet oſtia, urbs Ænus Cumæorum colonia nomen accepit, quod Ænus fl. Oſſæ monti propinquus erat, cum

vico ejusdem nominis, Stephan. Mitylenæorum colonia est Marciano Περ. p. 29.

> Μετὰ τὴν Μαρώνειαν δὲ κεῖτ' Αἶνος πόλις
> Ἔχουσ' ἀποίκους ἐκ Μιτυλήνης Αἰολεῖς.

Æolenses Ænios fuisse constat. *Αἴνιοι Αἰολεῖς Αἰολεῦσι τοῖς κτίσασι Βοιωτοῖς κατ' ἀνάγκην ἐμάχοντο*, Thucyd. *l.* VII. p. 532. *Αἶνος πόλις ἐστὶ τῆς Θρᾴκης, ἣν Ἕλληνες τὰ πρῶτα Αλωπεκοννησίοις κατῴκισαν. ὕστερον δὲ ἐκ Μιτυλήνης καὶ Κύμης ἐπηγάγοντο ἐποίκους*, Suidas in *Αλωπεκόννησος*, & Harpocrat.

Ænii *ὑποτελεῖς* erant Atheniensium, Thucyd. *l.* VII. p. 532.

Dicæa urbs Thraciæ nomen accepit a Dicæo Neptuni F. Stephan. urbs Græca, Herodot. *l.* VII. p. 476.

Stagira (vel Stagirus) urbs Thraciæ, Pausan. *Eliac. post.* p. 351. Urbs Græca, Herodot. *l.* VII. p. 477. Andriorum colonia, Thucyd. *l.* IV. p. 311. & *l.* V. p. 346. *Σταγείρου πόλεως τῆς Ἀριστοτέλους*, Strabo *l.* VII. Exc.

Stagirus ab Atheniensibus defecit, Thucyd. *lib.* IV. p. 311.

Maronea urbs Ciconiæ, circa Chersonesum Thracicam, Stephan. Urbs Græca, Herodot. *l.* VII. p. 476. Maronea, prius Ortagurea dicta, Plin. *l.* IV. c. XI. Eam urbem olim Cicones tenuerunt: deinde Chii. Marcian. Περ. p. 28.

> Εἶτεν Μαρώνει, οὓς κατοικῆσαι τὸ πρὶν
> Τοὺς Κίκονας ἱστοροῦσι τοὺς ἐν Ισμάρῳ.
> Αὕτη δὲ Χίων ἐγένεθ' ὕστερον κτίσις.

Berge urbs Thraciæ, ad Chersonesum, Stephan. Marcian. Περ. p. 27.

> —— κατὰ μεσόγειον Αντιφάνης πατρὶς
> Κεῖται λεγομένη Βέργα, τοῦ δὴ γεγραφότος
> Ἄπιστον Ἱστορίας τε μυθικῆς.

Is Antiphanes Comicus erat, & quia *ἄπιστα συνέγραψε*, ortum fuit proverbium, *Βεργαΐζειν, ἀντὶ τοῦ μηδὲν ἀληθὲς λέγειν*, Stephan. vide & Strabon.

Chersonesus Thracica ab antiquis temporibus in potestate Atheniensium fuit, Liban. argum. orat. Demosth. *de Cherson.* Miltiades enim Cypseli F. Atheniensis a Doloncis Thracibus, cum ab Absinthiis bello vexarentur, in Chersonesum vocatus, & assumptis Atheniensium voluntariis quibusque, illuc profectus, ab iis, qui ipsum deduxerant, Tyrannus creatus fuit. Eum vero Dolonci vocarunt, quod consulentibus de bello Pythia respondisset, eum arcessendum coloniæ in suas terras deducendæ auctorem, qui primus ipsos templo egressos in hospitium invitasset. Cumque sacram viam ingressi, itinere per Phocenses ac Bœotos facto, a nemine invitarentur, Athenas diverterunt. Ibi Miltiades, ut in suæ domus vestibulo sedebat, Doloncos peregrinam vestem ac arma gestantes cernens, hospitio eos accepit: illi vero liberaliter accepti, oraculo Miltiadi exposito, eum ut Deo obsequeretur orarunt. Is Pisistrati imperium pertæsus, eorum precibus annuit, consultoque Apolline Delphico, ejusque jussu cum Doloncis in Chersonesum navigavit. Ante omnia vero Chersonesi isthmum ab urbe Cardia ad Pactyam muro præsepsit, quo ab Absinthiorum populationibus tuta redderetur. Deinde Lampsacenis bellum intulit, a quibus ex insidiis captus fuit. Sed jubente, non sine minis, Crœso, (Crœso enim Miltiades carus erat) ab iis dimissus fuit, Herodot. *l.* VI. p. 392. 393. Fallitur Pausanias, cui Miltiades Cimonis F. *ἀρχὴν ἔχων ἐν Χερσοννήσῳ τῇ Θρᾳκίᾳ πρῶτος τῆς οἰκίας ταύτης*, *Eliac. post.* p. 379. & ad Miltiadem Cypseli F. referendum est Epigramma, quod ibidem adfert Pausanias:

> Ζηνί μ' ἄγαλμ' ἀνέθηκαν Ολυμπίῳ ἐκ Χερονήσου
> Τεῖχος ἑλόντες Ἀράτου, ἐπῆρχε δὲ Μιλτιάδης σφίν.

Miltiade sine sobole exstincto, Stesagoras Cimonis, qui Miltiadis ex eadem matre frater fuit, filius Chersonesi imperium consequutus est. Miltiadi vero Chersonitæ ut conditori urbis sacra fecerunt, ac certamen equestre ac gymnicum stato tempore celebrarunt, in quo nulli Lampsacenorum certare permittebatur. Stesagoræ cum Lampsacenis quoque bellum fuit. Occisus fuit, accepto in capite vulnere, a quodam, qui se transfugam simulavit, Herodot. *l.* VI. p. 393. 394.

Stesagora sine liberis mortuo, Miltiades Cimonis F. Stesagoræ frater a Pisistratidis cum trireme ad Chersonesi res suscipiendas dimissus fuit. Is Chersonitarum Principes, qui undique ex omnibus civitatibus ad lugendam cum eo fratris mortem venerant, in vincula conjecit: atque ita Chersonesum obtinuit, quingentos alens auxiliarios, & ducta uxore Hegesipyla Olori Regis Thraciæ filia, Herodot. *l.* VI. p. 394. Miltiades, rogantibus Scythis, ut Iones ratem Istro injectam solverent, & ad sua se reciperent, suasit obtemperandum, quo Ionia in libertatem vindicaretur, Herodot. *l.* IV. p. 304. & *l.* VI. p. 394. 395. vide in *Ionibus*. Postea cum Scythæ Nomades a Dario Persa irritati, conferto agmine ad Chersonesum hanc usque progressi essent, Miltiades iis obsistere non ausus, e Chersoneso aufugit, sed post Scytharum abitum a Doloncis reductus fuit. Porro cum Phœnices Darii nomine omnes Chersonesi urbes, præter Cardiam, subegissent, jamque ad Tenedum essent, Miltiades cum quinque triremibus, quas opibus suis impleverat, Athenas Cardia profugit. Ac filius quidem ejus natu maximus Metiochus in potestatem Phœnicum venit: a quibus, existimantibus se magnam gratiam apud Regem inituros, quod Miltiades ratem solvendam suasisset, ad Regem perductus fuit, & ab eo non tantum nullo malo, sed & multis beneficiis affectus, domoque, & opibus, & uxore Persica donatus fuit, Herodot. *l.* VI. p. 394. 395. Vide plura de Miltiade in *Atheniens.* & *Lemniis*.

Athenienses tempore Philippi Amyntæ F. Regis Macedonum colonos agri partem assignatam sorte possessuros miserunt, duce Diopithe: ac reliqui quidem Chersonitæ advenas exceptos in societatem ædium & agri admiserunt, Cardianis exceptis, prætendentibus proprium se agrum, non Atheniensium, colere. Inde bellum Cardianis a Diopithe illatum. Hi vero ad Philippum confugerunt. Is ab injuria Cardianis sibi conjunctis inferenda abstinere jussit, & jure rem disceptare adversus ipsos, si quid deliquissent. Non obtemperantibus Atheniensibus auxilia Cardianis misit. Ibi Diopithes iratus, Philippo circa mediterraneam superiorem Thraciam adversus Odryssarum Regem bellum gerente, maritimam Thraciam Philippo subjectam invasit atque populatus fuit: & ante Philippi regressum, securus recessit, Liban. argum. Orat. Demosth. *de Cherson.*

Chersonitarum qui habitabant Sesti, Eleunte, Madyti & Alopeconnesi Atheniensem Senatum & Populum coronarunt corona aurea LX. talentorum, &c. quod potestati Philippi ereptis, patriam, leges, libertatem & sacra restituisset. Decret. Chersonit. apud Demosth. *περὶ στεφάνου*. De limitibus Chersonesi vide Demosth. *de Haloneso*.

Cardia urbs Chersonesi Thracicæ condita ab Hermochare, nomen accepit ex eo, quod Hermochare rem divinam faciente, Corvus abreptum cor (*καρδίαν*) victimæ, in hunc locum avolans dimise-

rit, Stephan. Χερσονήσου τ̃ μεγίστην πόλιν Καρδίαν vocat Demoſth. *Philipp.* III. p. 69. Cardia, ex facie loci nomine accepto, Plin. *l.* IV. c. XI. Mileſios & Clazomenios ejus primos conditores fuiſſe, deinde Athenienſes illuc coloniam deduxiſſe, auctor Marcian. Περ. p. 29.

Ἡ Θρᾳκία δὲ Χεῤῥόνησος ἐχομένη
Κεῖται, καθ' ἣν πόλις ἐστὶ πρώτη Καρδία,
Ἀρχὴν μὲν ὑπὸ Μιλησίων κτισθεῖσα καὶ
Κλαζομενίων. πάλιν δὲ Ἀθηναίων ὕπο
Ὅτε Μιλτιάδης ἐκράτησε Χεῤῥονησίων.

Cardiam evertit Lyſimachus, & pro ea Lyſimachiam in Iſthmo Thraciæ Cherſoneſi condidit, Pauſan. *Attic.* p. 17. Marcian. Περ. p. 29.

Προσεχὴς δὲ Λυσιμάχεια. ταύτην δ' ἔκτισε
Ἐπώνυμον Λυσίμαχος [illegible] τὴν πόλιν.

Pactyas & Cardiam, utraſque comprehenſas poſtea Lyſimachiam (appellatas) ſcribit Plinius *l.* IV. c. XI. Lyſimachia urbs ante duos & viginti annos a Lyſimacho Rege condita, everſa eſt (terræ motu) Juſtin. *Hiſtor. l.* VII. A Thracibus poſt mortem Lyſimachi everſam, ſed ab Antiocho magno inſtauratam ſcribit Appianus *Bell. Syriac.* init.

Alopeconeſus urbs Cherſoneſi Thracicæ ab Æolibus condita, Marcian. Περ p. 29. juſſerat vero oraculum eos illic urbem condere, ubi catulos vulpis (ἀλώπεκος) vidiſſent: indeque urbs nomen accepit, quod cum urbem conderent, vulpes catulum aliunde deportatum, illic depoſuerit, Stephan. Ἀλωπεκόννησος, πόλις ἐστὶ μία τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ, Suidas.

Limnæ urbs Cherſoneſi Thracicæ, a Mileſiis condita, Marcian. Περ. p. 29. urbs Helleſponti circa Seſtum, Stephan.

Elæus urbs Cherſoneſi Thracicæ, condita a Teiis. Marcian. Περ. p. 29.

Ἑξῆς Ἐλαιοῦς, Τηΐκὴν ἀποικίαν
Ἔχουσα, Φόρβας ἣν συνοικίσαι δοκεῖ.

In cod. Palat. pro Τηΐκὴν legi Ἀττικὴν docet Hœſchelius: ita Athenienſium fuerit colonia. Urbs Helleſponti dicitur Stephano. Eſt Elæus, quæ finit Helleſpontum, Mela *l.* II. c. II. Et in extrema Cherſoneſi fronte, quæ vocatur Æolium, oppidum Elæus, Plin. *l.* IV. c. XI.

Seſtus urbs Cherſoneſi Thracicæ, ἐπὶ τ̃ στενοπῦ ſita, ab Æolibus condita, Marcian. Περ. p. 29. Lesbiorum colonia, Euſtath. *in Dionyſ.* Urbs ad Propontidem dicitur Stephano. Eſt & Abydo objacens Seſtus, Leandri amore pernobilis, Mela *l.* II. c. II.

Seſtum Athenienſes cum ſociis, qui ex Ionia & Helleſponto venerant, obſeſſam, tandem a Barbaris Medis deſertam ceperunt, Thucyd. *l.* I. p. 59.

Madytus Cherſoneſi urbs, Abydo diſtans XXX. ſtadiis, Lesbiorum colonia, ut ait Geographus, Euſtath. *in Dionyſ.* Περ. vide in *Cherſonit.*

Crithote urbs Cherſoneſi Thracicæ, a Miltiade condita, Marcian. Περ. p. 29. Urbs Helleſponti, Stephan. Cherroneſos a Propontide habuit Crithoten, Plin. *l.* IV. c. XI.

Pactya urbs Cherſoneſi Thracicæ, a Miltiade condita, Marcian. Περ. p. 29. Urbs Helleſponti, Stephan. Pactyæ a Propontide, Cardia a Melane ſinu, —— utræque comprehenſæ poſtea Lyſimachia, Plin. *l.* IV. c. XI.

Perinthus urbs Thraciæ, condita a Perintho Epidaurio, qui cum Oreſte militavit, Stephan. Civitatem, quam Hercules conditam, Perinthum comiti [illegible] dicavit, Ammian. Marcell. *l.* XXII. Perintho, quam Heracleam poſteritas dixit, Ammian. Marcell. *l.* XXVII. Euſtath. *in Dionyſ.* Περ. Samiorum colonia dicitur Marcian. Περ. p. 29. & Plutarch. Κεφ. Ἑλλ. LVII. Πέρινθος πόλις Θρᾴκης, ἥτις νῦν καλεῖται Ἡράκλεια, [illegible] τ̃ Βυζαντίου, Ulpian. *in Demoſth. ad Philip. Epiſtol.* p. 88. Ἡράκλεια πόλις Θρᾴκης ἐν τῷ Πόντῳ [illegible], Stephan. Sed Perinthus ſita dicitur in Propontide a Mela *l.* II. c. II.

Perinthiis, juſſu oraculi, Pæones ad Strymonem fl. bellum intulerunt; nam cum ſingulari certamine triplici, e provocatione, viri cum viro, equi cum equo, canis cum cane commiſſo, victores duobus certaminibus Perinthii præ gaudio carmen Pæana canerent, (ἐπαιώνιζον) Pæones hoc Dei reſponſum eſſe conjectantes, ſeſe mutuo cohortati, in Perinthios Pæana canentes (παιωνίσαντας) impetu facto, egregiam victoriam reportarunt. Oraculum autem juſſerat Pæonas adoriri Perinthios, ſi ab ipſis nominatim compellarentur; ſin minus, ab invadendo abſtinerent, Herodot. *l.* V. init.

Perinthiis Samiorum colonis bellum intulerunt Megarenſes, compedes geſtantes, quibus captos vincirent. Id ubi intellexere Geomori, (hi enim poſt occiſum Demotelem & everſam ejus monarchiam Reip. præerant) opem tulerunt confeſtim, novem conſtitutis ducibus, & inſtructis navibus triginta, quarum duæ ante portum fulmine ictæ perierunt. Duces vero reliquis avecti Megarenſes vicerunt, eorumque ſexcentos vivos ceperunt. Elati vero victoria, cogitabant Oligarchiam Geomororum diſſolvere. Occaſionem vero præbuerunt ipſi Reip. præſides, per literas jubentes eos captivos Megarenſes propriis compedibus vinctos adducere. Literis acceptis, & cum Megarenſibus communicatis, iiſdem perſuaſerunt, ut conjuratione ſecum facta urbem in libertatem aſſererent. Conſultantibus de hoc negotio viſum fuit compedum annulos compingere, impoſitaſque ſic cruribus Megarenſium, loris ad cingula ſuſtinere, ne delaberentur, aut ipſis exciderent inter eundum laxatæ. Sic inſtructos viros, datoque ſingulis gladio, cum domum revecti in terram deſcendiſſent, deduxerunt per forum in curiam, ubi omnes Geomori ſimul conſidebant; deinde dato ſigno Megarenſes, impetu facto Geomoros occiderunt. Ita liberata urbe, Megarenſium, quicunque volebant, civitate donarunt, & conſtructa ampliſſima domo, in ea compedes (πέδας) repoſuerunt, unde πεδήτης ὁ οἶκος nomen accepit, Plutarch. Κεφ. Ἑλλ. LVII.

Perinthii ex Helleſpontiis primi, cum Darii imperium detrectaſſent, a Megabyzo ſubacti fuerunt, cum pro libertate ſtrenue pugnaſſent, Herodot. *l.* V. init.

Perinthiis urbem ſervavit Apollodorus Athenienſis dux mercenariorum, miſſus illuc ab Ariſto Phrygiæ Helleſponticæ Satrapa, cum Philippus Amyntæ F. cum exercitu Perinthiam invaſiſſet, Pauſan. *Attic.* p. 56.

Perinthii Cotyi Regi Thraciæ pecuniam ad cogendum militem mutuo petenti dare nolebant: iterum poſtulanti, ut ſaltem ſuorum civium aliquos mitterent, qui certis locis præſidio eſſent, dum ſuorum militum opera alibi uteretur, prompte annuerunt, rati ea loca in ſua poteſtate fore. At Cotys miſſos ad ſe captos detinuit, juſſitque petitam pecuniam ad ſe mitti, ſuoſque cives ita recipere, Ariſtotel. *Oecon. l.* II.

Datos urbs Thraciæ, Stephan. Urbs Græca, quam Calliſtratus Athenienſis in Thracia condidit, Scyl. Caryand. p. 134. meminit ejus Herodotus *lib.* IX. p. 616. Thaſus inſula, quæ aurifodinis quondam

dam

dam celebris fuit, Daton coloniam duxit, urbem celebrem ad Strymonis ripam: unde etiam proverbium jactatur, Δάτος ἀγαθῶν: item ἀγαθῶν ἀγαθίδες, Eustath. *in Dionys.* Περ. vide Zenobium, & Suidam, & in illos Andr. Schottum.

Selymbria urbs Thraciæ, Σήλυος βρία, id est, πόλις, Stephan. ἡ τοῦ Σήλυος πόλις Σηλυβρία προσηγόρευται, Strabo *l.* VII. p. 319. Καὶ μαρτυροῦσιν αὐτὰ τὰ ὀνόματα τῆς πόλεως, ἥτε Μεσημβρία, καὶ ἡ Συλημβρία, βασιλέων προσηγορίας ἔχουσαι πόλεις, &c. Constantin. l. II. *Them.* I. Σηλυβρίη Herodoto *l.* VI. p. 391. in Propontide, Mela *l.* II. *c.* II. Megarensium colonia. Marcian. Περ. p. 29.

—— ἐχομένη ἡ Συλυμβρία,
Ἣν οἱ Μεγαρεῖς κτίζουσι πρὶν Βυζαντίου.

Byzantium urbs in Bosporo, Mela *l.* II. *c.* II. ἡ πόλις ἐπιφανὴς, πλησιάζουσα μάλιστα τῷ στόματι, &c. Strabo *l.* VII. p. 320. a Megarensibus condita. Marcian. Περ. p. 29.

Ἑξῆς Μεγαρέων εὐτυχῶν Βυζάντιον.

Megarenses consulto oraculo, tale responsum acceperunt:

Ὄλβιοι οἳ κείνην πόλιν ἀνέρες οἰκήσουσιν
Ἀκτῆς Θρηϊκίης ὑγρὸν παρ' ἄκρον στόμα πόντου.
Ἔνθ' ἰχθῦς, ἔλαφός τε νομὸν βόσκουσι τὸν αὐτὸν,
Στέλλονθ' ὡς ὤκιστα, καὶ εἰς φρένα πάντα λαβόντα.

Et sic conditum fuit Byzantium, sic appellatum a Byzante Ceroessæ, quæ Neptuni & Ius filia fuit, filio; vel quia classis dux fuit Byzas quidam, Stephan. Βύζας enim rectius legitur quam Βύζης, ab hoc enim Βυζαῖος flectendum esset. Aliam nominis rationem apud eundem, & eam quam Isidorus adfert *Origin.* l. XV. c. I. ut ineptas omitto. Byzantem, justissimum mortalium fuisse ajunt, Thraciæque maritimæ universæ, usque ad Æmum montem, præfuisse, Eustath. *in Dionys.* Περ. Byzantis Herois Ceroessæ filii προτομὴν galeatam in æreis nomismatis impressam esse cum titulo ΒΥΖΑΣ docet Scaliger *Animadv. in Euseb.* p. 75. b. Ejus & uxoris Phidaleæ signum geminum erexit in Basilica Calliades, *Florileg. Epigr.* l. IV. §. VIII.

Τὸν κρατερὸν Βύζαντα, καὶ ἱμερτὴν Φιδαλείαν
Εἰν ἑνὶ κοσμήσας ἄνθετο Καλλιάδης.

Atticorum colonia dicitur Amm. Marcell. *l.* XXII. Αὐτὸ δὲ τὸ Βυζάντιον Μεγαρέων, καὶ Λακεδαιμονίων, καὶ Βοιωτῶν ἐστὶν ἀποικία, τῶν ἀρχαιοτάτων Ἑλλήνων. διὸ καὶ τῆς τῶν Δωριέων γλώττης ἐνεπιστήμη τυγχάνουσι, Constantin. l. II. *Themat.* I.

Byzantios Darii nomine subegit Otane, Herodotus *l.* V. p. 338.

Byzantium Iones, qui a Dario defecerant, in suam potestatem redegerunt, Herodotus *l.* V. pag. 373.

Byzantium a Medis occupatum, Pausaniæ ductu ac auspiciis expugnarunt Græci, Thucyd. *l.* I. p. 63.

Byzantii ab Athenienfibus defecerunt, Thucyd. *l.* I. p. 74. Sed non ita multo post iisdem iterum accesserunt, ea conditione, ut eorum imperio, sicut ante, parerent, Thucyd. *l.* I. p. 76.

Byzantiorum Remp. sublata Oligarchia, populo administrandam tradidit Thrasybulus Atheniensis, Xenoph. *Hist. Gr.* l. II. p. 423.

Byzantii cum advenas sibi insidiari comperissent, eos commisso prælio superatos urbe expulerunt, Aristotel. *Polit.* l. V. c. III.

G. Tom. XI.

A Byzantii cum Thracibus immortale ac difficile bellum gesserunt, Polyb. *l.* IV. p. 312.

Byzantiis ultimum periculum crearunt Galli, qui Thracibus devictis, ac regni sede Tulæ constituta, bonitate agri circa Byzantium capti, sedes illic posuerant. Ac initio quidem cum Rex primus Comontorius eorum fines incursare cœpisset, annui muneris specie Byzantii terna aut quina, interdum etiam dena aureorum millia pendebant, vastationem agrorum sic redimentes: tandem LXXX. talenta stipendii nomine ab iis exacta: usque ad tempora Clyari, quo imperante regnum eversum, & gens a Thracibus debellata funditus interiit, Polyb. *l.* IV. p. 313. 314.

B Byzantium aliquando absente Rege, Barbara quædam gens turmatim invasit: ibi Regis uxor fœmina prudens civibus serpentes testaceis vasculis injectos tradidit, ut fundis impositos in hostem eosdem ejacularentur: quod factum perniciem hosti attulit, tanquam serpentibus quoque in ipsos pugnantibus. At recedentibus ad sua Barbaris, serpentes ipsis Byzantiis infesti, eorum multos venenatis morsibus necarunt. Sed ciconiarum agmen deinde serpentes consumpsit; projectis vero illis in cisternas major pernicies Byzantios invasit, e cisternis bibentes. Tum Apollonius Tyaneus, veris C ciconiis urbe pulsis, marmoreas fecit, Tzetz. *Chil.* I. *Hist.* LX.

Byzantium, quæ libera urbs ante hoc tempus fuerat, in provinciæ formam redegit Fl. Vespasianus, Eutrop. *l.* VII. Et Pacatiano ac Hilariano Coss. civitas, quæ prius Byzantium dicta est, mutato nomine a Constantino Constantinopolis dicta, Cassiodor. *Chron.* Ajunt Byzantium aliquando vocatum fuisse Antoniam, dum imperabant Severus, ejusque filius Antoninus: a Constantino M. vero Anthusam, Eustath. *in Dionys.* Περ.

Mesembria urbs Pontica, sic appellata a Melso D & bria: βρία γὰρ τὴν πόλιν φασὶ Θρᾶκες. Μέλσου πόλις, sed διὰ τὸ εὐφωνότερον dicitur Μεσημβρία, Stephan. vide *Selymbria*. Chalcedoniorum & Megarensium colonia. Marcian. Περ. p. 30.

Περὶ τὴν ὑπώρειαν δὲ τοῦ καλουμένου
Αἵμου, πόλις ἐστὶ λεγομένη Μεσημβρία,
Τῇ Θρακίᾳ Γετικῇ τε συνορίζουσα γῇ,
Χαλκηδόνιοι ταύτην δὲ Μεγαρεῖς τ' ᾤκισαν,
Ὅτ' ἐπὶ Σκύθας Δαρεῖος ἐστρατεύσατο.

Megarenses intelligo Byzantios. Βυζάντιοι μὲν νυν καὶ οἱ πέρηθεν Χαλκηδόνιοι οὐδ' ὑπέμειναν ἐπιπλέοντας τοὺς Φοίνικας, ἀλλ' οἴχοντο φεύγοντες, ἀπολιπόντες τὴν πόλιν, ἔσω εἰς τὸν Εὔξεινον Πόντον. καὶ ἐνθαῦτα πόλιν E Μεσαμβρίην οἴκησαν, Herodot. *l.* VI. p. 391. Μεσημβρία Μεγαρέων ἄποικος, πρότερον δὲ Μενεβρία, οἷον Μενάπολις, τοῦ κτίσαντος Μένα καλουμένου, τῆς δὲ πόλεως Βρίας καλουμένης Θρᾳκιστὶ, Strabo *l.* VII. p. 319. Mesembriam aliam Thraciæ ad extremum Chersonesi sitam scribit Stephanus ex Herod. *l.* VII. p. 476. ubi ait, quod Samothraciorum murorum ἐσχάτη πεπόλισται πρὸς ἑσπέρην πόλις, τῇ οὔνομα ἐστὶ Μεσαμβρίη. ἔχεται δὲ ταύτης Θασίων πόλις Στρύμνα. Sed eandem esse constat. Herodotus etiam meminit illius *l.* IV. p. 288. tanquam Apolloniæ vicinæ, eamque a Thracibus habitari docet. Sic quoque Strabo *l.* VII. p. 319. hoc ordine collocat: Æmus mons, F Mesembria, Anchiale, Apollonia.

Odessus, urbs in Thracia, Milesiorum in ora a Dionysopoli, Plin. *l.* IV. *c.* XI. Odessus urbs Ponti, Salmydesso vicina dicitur Stephano. Ὀδυσσὸς Μιλησίων ἄποικος, Strabo *l.* VII. p. 319.

Calatis, urbs Thraciæ, a Milesiis deducta, Mela *lib.* II. *c.* II. Πόλις Κάλατις Ἡρακλεωτῶν ἄποικος dicitur Straboni *lib.* VII. p. 319. Κάλαπις scribitur corrupte *lib.* XII. p. 542. & corruptius apud Arrian. *Perip. Pont. Eux.* Κάλλαντρα. Calatis, antea Acerve-

is vocabatur, Plin. *l.* IV. *c.* 11. Κάλατις πολίχνιον [illegible], Stephan. [illegible] etiam duplici λλ scribitur a Stephano *in* Αντίκυρα, Καλλατικοὶ: item a Marciano Περιηγ. p. 29. v. 723. Sed a Stephano *in* Κάλατις uno λ. ut & a Marciano Περ. v. 122. Καλατιανός. Calatianus fuit Ister, qui de Tragœdia scripsit, Stephan. & Demetrius συγγραφεὺς memoratus Marcian. Περιηγ. v. 122 & 723.

Argilus urbs Thraciæ ad Strymonem fl. nomen accepit ex eo, quod mus, qui ἄργιλος vocatur a Thracibus, primus visus fuerit iis, qui ad jacienda urbis fundamenta terram egesserunt, Stephan. Ἄργιλον πόλιν Ἑλλάδα, Herodot. *l.* VII. p. 477. Erant enim Argilii Andriorum coloni, Thucyd. *l.* IV. p. 321.

Argilii ab Atheniensibus ad Brasidam Lacedæmonium defecerunt, Thucyd. *l.* IV. p. 321. Cautum fuit Argiliis, fœdere inter Lacedæmonios & Athenienses icto, ne ab Atheniensibus bello lacesserentur, si tributum Aristidis tempore imperatum penderent, Thucyd. *l.* V. p. 356.

Ister vel Istria urbs Ponti, Steph. In littoribus Istro proxima est Istropolis, Mela *l.* II. *c.* II. Thracia altero latere a Pontico littore incipiens, ubi Ister amnis immergitur, vel pulcerrimas in ea parte urbes habet, Istropolin Milesiorum, Plin. *l.* IV. *c.* XI. Τελευτᾷ δὲ ὁ Ἴστρος ἐς θάλασσαν ῥέων τὴν τοῦ Εὐξείνου πόντου διὰ πάσης Εὐρώπης, τῇ Ἰστρίηνοι Μιλησίων οἰκέουσι ἄποικοι, Herodot. *l.* II. p. 114. quæ non satis commode interpretatur Valla; sic reddenda: *Exonerat sese Ister, per universam Europam fluens, in Pontum Euxinum, quo in loco habitant Istriani Milesiorum coloni.* Ἴστρος πολίχνιον ἐν πεντακοσίοις σταδίοις (ἀπὸ τοῦ ἱερῦ στόματος τοῦ Ἴστρου) Μιλησίων κτίσμα, Strabo *l.* VII. p. 319.

Coloniæ Ionum multæ erant ad Pontum Euxinum: item Doriensium. Marcian. Περ. p. 30.

> Πλείσας ἀποικίας δ' ἐξ Ἰωνίων
> Ἔστειλαν εἰς τὸν Πόντον, ὃν πρὶν ἄξεινον
> Διὰ τὰς ἐπιθέσεις λεγόμενον τῶν Βαρβάρων
> Προσηγορίαν ἐποίησαν εὔξεινον τυχεῖν.

Herodot. *l* VII. p. 470. Οἱ ἐκ τοῦ Πόντου — Ἰώνων καὶ Δωριέων ἄποικοι. Hi Xerxi Græciam invadenti centum naves præbuerunt, Herodot. *l.* VII. p. 470. Arrian. *Peripl. Pont. Euxin.* de Istria, Tomis, Callantra, Tetrisiade, Dionysipoli, Odesso, Mesembria, Anchialo, Apollonia, scribit: Αὗται πᾶσαι αἱ πόλεις, Ἑλληνίδες εἰσὶν, ᾠκισμέναι ἐν τῇ Σκυθίᾳ ἐν ἀριστερᾷ ἐσπλέοντι εἰς τὸν Πόντον.

Chersonesus Mæotidis lateri lævo propinqua, coloniarum plena Græcorum, Ammian. Marcellin. *l.* XX p. 480. b.

Panticapæum urbs maxima, Bosporanorum metropolis, condita a filio Æetæ, qui locum illum accepit ab Agaete Scytharum Rege, urbemque de præterlabente flumine Panticape denominavit, Stephan. Milesiorum colonia. Παντικάπαιον τὴν μητρόπολιν τῶν Βοσπορανῶν ἱδρυμένης ἐπὶ τῷ στόματι τῆς λίμνης τῆς Μαιώτιδος. κτίσμα δ' ἐστὶ Μιλησίων, Strabo *l.* VII. p. 309. 310.

Theodosia (urbs Bosporanorum) urbs Græca fuit, Ionica, Milesiorum colonia, multis passim literarum monumentis celebrata, Arrian. *Peripl. Pont. Euxin.* Arriani ætate deserta fuit, *ibid.*

Chersonesus urbs sita in promontorio Tauricæ Chersonesi, Heracleotarum, qui in Ponto sunt, colonia, Strabo *l.* VII. p. 508. Heraclea Chersonesos, libertate a Romanis donatum (oppidum, in ora a sinu Carcinite) Megarice vocabatur antea, præcipui nitoris in eo tractu, custoditis Græciæ moribus, V. millia passuum ambiente muro, Plin. *l.* IV. *c.* XII.

Olbia vel potius Olbiopolis urbs ad Hypanin fl. Græca, Milesiorum colonia, indeque Miletopolis dicta. Ἕλληνες οἱ οἰκέοντες ἐπὶ τῷ Ὑπάνι ποταμῷ καλέουσι (τοὺς Σκύθας γεωργοὺς, ἀπὸ Ὑλαίης οἰκέοντας) Βορυσθενεΐτας. σφέας δὲ αὐτοὺς, Ὀλβιοπολίτας, Herodot. *lib.* IV. p. 261. Ex his procul dubio Herodoti verbis non recte intellectis putavit Stephanus urbem Græcam esse, quæ ab aliis Borysthenes, ab ipsis vero Græcis Olbia appellaretur. Βορυσθένης, inquit Stephanus, ἐστὶ πόλις Ἑλληνὶς πρὸς ἑσπέραν, Μιλησίων ἀποικία, ἣν οἱ μὲν ἄλλοι Βορυσθένην, αὐτοὶ δὲ Ὀλβίαν, (deest καλοῦσι vel ὀνομάζουσιν) ἣν ποιοῦσιν ὅ, τε Βορυσθένης καὶ Ὕπανις. Sed Herodotus Scythas, non Græcos, Borysthenitas vocari scribit. In eodem cum Stephano errore est Plinius *l.* V. *c.* XII. *Et a Tyra, inquit, contum viginti* M. *passuum flumen Borysthenes, lacusque & gens eodem nomine, & oppidum a mari recedens quindecim (lege viginti quinque)* nam a Strabone dicitur hæc urbs occurrere πλέοντι τὸν Βορυσθένη σταδίους διακοσίους, amne adverso a mari subvecto: imo Herodotus scribit Borysthenitas νέμεσθαι τὸ πρὸς βορέην ἄνεμον, πλόον ἀνὰ τὸν Βορυσθένην ἡμερῶν ἕνδεκα: & *l.* IV. p. 261. ait Borysthenitarum emporium esse τῶν παραθαλασσίων μεσαίτατον πάσης τῆς Σκυθίας) M *passuum, Olbiopolis & Miletopolis antiquis nominibus.* Imo & Strabo: Ὁμώνυμος, inquit, τῷ ποταμῷ (Βορυσθένει) πόλις. ἡ δ' αὐτὴ καὶ Ὀλβία καλεῖται, μέγα ἐμπορίον, κτίσμα Μιλησίων, *l.* VII. p. 306. Sed Mela recte distinguit: Borysthenes, inquit, secundum Borysthenida & Olbida Græca oppida egreditur, *l.* II. *c.* I. Fieri tamen potest, ut hæ urbes duæ in unam coaluerint. Ἐν Πόντῳ Βορυσθένης ἐκτίσθη, Euseb. *Chron. Can.* ad an. MCCCLXII. Quod vero Mela dicit Borysthenem secundum Olbiam egredi, & Herodotus ad Hypanin habitare Olbiopolitas, id conciliari potest eo, quod scribit Strabo vicinos esse hos fluvios: Βορυσθένης, inquit, ποταμὸς πλωτὸς, καὶ πλησίον ἄλλος ποταμὸς Ὕπανις. Stephani verba, licet corrupta, hoc ipsum innuere videntur, ἣν ποιοῦσιν ὅ, τε Βορυσθένης καὶ Ὕπανις: certe fluvii urbem non faciunt: quæ tamen ita arripuit Scaliger *Animadv. in Euseb.* p. 77. *a.* ut auctoritate eorum Hypanin Borystheni misceri collegerit. Insulam quidem esse πρὸ τοῦ στόματος τοῦ Βορυσθένους scribit Strabo *l.* VII. p. 306. Sed eam a duobus istis fluviis fieri non dicit. Κατὰ δὲ τὸν Βορυσθένην ἄνω πλέοντι, πόλις Ἑλληνὶς, ὄνομα Ὀλβία πεπόλισται, Arrian. *Peripl. Pont. Eux.*

Dioscurias urbs in Heniochorum finibus, a Castore & Polluce Pontum cum Jasone ingressis condita, Mela *l.* I. *c.* XXI. Dioscurias quondam adeo clara, ut Timosthenes in eam CCC. nationes, quæ dissimilibus linguis uterentur, descendere prodiderit: & postea a nostris CXXX. interpretibus negotia ibi gesta. Sunt qui conditam eam ab Amphito & Telchio, Castoris ac Pollucis aurigis, putant, a quibus ortam Heniochorum feram gentem constat, Plin. *l.* VI. *c.* V. Fuit autem Milesiorum colonia, postea Sebastopolis dicta, Arrian. *Peripl. Pont. Euxin.* Ἀπὸ Τραπεζοῦντος δὲ εἰς Σεβαστόπολιν ἑξήκοντα καὶ ὀκτακόσιοι καὶ δισχίλιοι, (στάδιοι) ἡ δὲ Σεβαστόπολις πάλαι Διοσκουριὰς ἐκαλεῖτο, ἄποικος Μιλησίων.

Achæi in Ponto Orchomeniorum sunt coloni. Ἱστοροῦσι δὲ τοὺς ἐν τῷ Πόντῳ καλουμένους Ἀχαιοὺς, ἀποίκους Ὀρχομενίων εἶναι, τῶν μετὰ Ἰαλμένου πλανηθέντων ἐκεῖσε, μετὰ τὴν τῆς Τροίας ἅλωσιν, Strabo *l.* IX. p. 416. Μετὰ δὲ Κερκέτας, Ἀχαιοὶ ἔθνος, Scyl. Caryand. p. 137. Ajunt vero Achæos hos a Troja redeuntes in Pontum tempestatibus actos, & ibi, ut Græcos, a Barbaris multa perpessos, cum missis in patrias urbes nunciis ad impetrandas naves, repulsam tulissent, indignationem eam concepisse in Græcam gentem, ut more Scythico, quotquot Græcos in potestatem

redegissent, ut victimas mactarent: primum nullo discrimine: postea pulcerrimum quemque demum sorte ductos, Appian. *Mithridat.* p. 241.

Cygnus oppidum in primo flexu jam curvi littoris est, quod Græci mercatores constituisse, & quia cum cæca tempestate agerentur, ignaris quæ terra esset, Cygni vox notam dederat, Cygnum appellasse dicuntur, Mela *l.* I. *c.* XXI.

Phasis urbs Ææ ad Phasidem fl. in Colchis: colonia eo a Milesiis deducta fuit, Stephan. Hic sunt Colchi. Hinc Phasis erumpit: hic eodem nomine, quo amnis est, a Themistagora Milesio deductum oppidum, Mela *l.* I. *c.* XXI. Φάσις Ἑλληνὶς πόλις, Scyl. Caryand. p. 138. Τῷ Φάσιδι ὁμώνυμος πόλις ἐμπορεῖον τῶν Κόλχων, Strabo *l.* XI. p. 498. Φᾶσιν ὡς τὸ ἐξ ἀρχῆς Ηνιόχοι κατῴκουν, φῦλον ἀνθρωποφάγον, καὶ ἔκδειρον τοὺς ἀνθρώπους· ἔπειτα Μιλήσιοι, Heraclid. *de Polit.*

Gyenus urbs Græca in Colchis, Scyl. Caryand. p. 138.

Trapezus urbs ad Euxinum Pontum, Sinopensium colonia: vocabatur etiam Oezenis, Stephan. Τραπεζοῦς πόλις Ἑλληνὶς, Scyl. Caryand. p. 139. Strabo *l.* XII. p. 548. Sinopes, Diodoro teste, colonia est Trapezus, Græca urbs, juxta Colchorum regionem sita, Eustath. *in Dionys.* Περ. Τραπεζοῦντα πόλιν Ἑλληνίδα, ἐπὶ θαλάττῃ ᾠκισμένην, Σινωπέων ἄποικον, Arrian. *Peripl. Pont. Euxin.* Τραπεζοῦντα πόλιν Ἑλληνίδα οἰκουμένην ἐν τῷ Εὐξείνῳ Πόντῳ, Σινωπέων ἀποικίαν, ἐν τῇ Κόλχων χώρᾳ, Xenoph. *Exped. Cyr.* l. IV. p. 268. Τραπεζοῦντα πόλιν Ἑλληνίδα, Σινωπέων μὲν ἄποικον, κειμένην δὲ ἐν τῇ Κόλχων χώρᾳ, Diodor. *l.* XIV. p. 260. A Pharmacea CM. pass. Trapezus liberum oppidum, vasto monte clausum, Plin. *l.* VI. *c.* IV. Trapezuntii, qui, ut antiquis patriæ sedibus relictis in Megalopolin concederent, adduci non potuerunt, e Peloponneso excesserunt, & navibus in Pontum incolumes delati, ab iis, qui Trapezuntem jam metropolin in ora Euxini condebant, tanquam gentiles recepti fuerunt, Pausan. *Arcad.* p. 458.

Sinope urbs Ponti διαφανεστάτη, Stephan. ἀξιολογωτάτη τῶν ταύτῃ πόλεων, Strabo *l.* XII. p. 545. Σινώπην πόλιν τὴν ἐν Εὐξείνῳ Πόντῳ μάλιστά κη κειμένην, Herodot. *l.* I. p. 34. Σινώπη πόλις Ἑλληνὶς in Assyria est Scyl. Caryand. p. 139. Nomen accepit a Sinope Asopi filia, a Jove adamata, quæ Jove volente oberrans, a Thermodonte excepta illic invita habitavit: dicitur & Sinopica Chersonesus, Eustath. *in Dionys.* Περ. vide ipsum Dionys. v. 774. seqq. Τῶν δὲ θυγατέρων (Asopi) Σινώπη μὲν ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἁρπαγεῖσα ἀπηνέχθη πρὸς τοῦτον τὸν οὖν νῦν τόπον ἐστὶν ἡ ἀπ' ἐκείνης ὀνομασθεῖσα πόλις Σινώπη, Didor. *l.* IV. p. 271. Primus eam condidisse fertur Autolicus, unus eorum, qui cum Jasone navigarunt: quem propterea incolæ divinis colebant honoribus: erat & ejus ibi oraculum, Strabo *l.* XII. p. 546. Κτίσμα Μακεστίου (Κριτίου, Eustath. *in Dionys.* Περ. (Κῶου, ὥς φησι Φλέγων, Stephan. Milesiorum colonia. Ἔκτισαν μὲν οὖν αὐτὴν Μιλήσιοι: Milesii enim loci opportunitate considerata, & incolarum imbecillitate, Sinopen suam fecerunt, eoque colonos miserunt, Strabo *l.* XII. p. 545. seq. Σινωπεῖς δὲ οἰκοῦσι μὲν ἐν τῇ Παφλαγονικῇ, Μιλησίων δ' ἄποικοί εἰσι, Xenoph. *Exped. Cyr.* l. VI. p. 290. Ἡ δὲ Σινώπη Μιλησίων μὲν ἦν ἄποικος. κειμένη δ' ἐν τῇ Παφλαγονίᾳ, μέγιστον εἶχεν ἀξίωμα τῶν περὶ τοὺς τόπους, p. 261. Σινωπεῖς Μιλησίων ἄποικοι, Arrian. *Peripl. Pont. Euxin.*

Sinopenses a classe instructi, imperium maris, quod intra Cyaneas est, habuerunt, & extra illud etiam Græcos in multis certaminibus adjuverunt: suisque legibus diu liberi vixerunt, Strabo *l.* XII. p. 545. Sinopensibus vectigales erant Cotyorenses, Xenophon. *Exped. Cyr.* l. V. p. 278. Item Cerasuntii & Trapezuntii, *ibidem*.

Sinope expugnata, Pharnaci primum, deinde successoribus ejus usque ad Mithridatem, paruit: eamque in magno honore habuit Mithridates, eamque regni caput fecit: fuerat autem ibi & natus & educatus, Strabo *l.* XII. p. 545. Ἐν ᾗ δὴ καθ' ἡμᾶς ἔσχε Μιθριδάτης, ὁ πρὸς Ῥωμαίους διαπολεμήσας, τὰ μέγιστα βασίλεια, Diodor. *l.* IV. p. 261.

Sinopen Romani per Lucullum ceperunt, & Mithridatem oppresserunt: recepitque Sinope Coloniam Romanam, quæ in urbis agrique partem venit, Strabo *l.* XII. p. 546.

Sinopenses fuerunt Diogenes Cynicus & Timotheus Patrion Philosophi: Diphilus Poeta Comicus: Batho Historicus, qui Persica scripsit, Strabo *l.* XII. p. 546.

Sinopes & Apollinis filius Syrus imperavit Syris de se nuncupatis, Diodor. *lib.* IV. p. 271.

Amisus urbs Ponti ἀξιόλογος, Stephan. & Strab. *lib.* XII. p. 547. Theopompus ait eam primo a Milesiis conditam fuisse: deinde a Cappadocum principibus: (sic enim lego, πρώτους Μιλησίους κτίσαι, εἶτα Καππαδόκων ἄρχοντας) tertio ab Athenocle & Atheniensibus colonis frequentatam, & Piræeum mutato nomine appellatam, Strabo *l.* XII. p. 547. Ἀμισὸς, πόλις Ἑλληνὶς, Ἀθηναίων ἄποικος, ἐπὶ θαλάττῃ οἰκεῖται, Arrian. *Peripl. Pont. Eux.*

Amisus sub Regum imperio fuit: eamque Mithridates templis ornavit, & urbi novam partem adjecit. Lucullus eam expugnavit; sed postea Pharnaces e Bosporo digressus recepit, Strabo *l.* XII. p. 547.

Amisum C. Cæsar libertate donavit: sed Regibus subjecit Antonius: verum Amisenis post victoriam Actiacam Augustus libertatem restituit, Strabo *l.* XII. p. 547.

Amiseni fuerunt Demetrius & Dionysiodorus Mathematici, & Tyrannion Grammaticus, Strabo *l.* XII. p. 548.

Cytorus urbs Paphlagoniæ Græca, Scyl. Car. p. 139. A Cytoro Phryxi filio posita, Mela *l.* I. *c.* XX. Κύτωρος πόλις Παφλαγονίας, ἀπὸ Κυτώρου τοῦ Φρίξου παιδὸς, Stephan. Τὸ δὲ Κύτωρον ἐμπορεῖον ἦν ποτε Σινωπέων. ὠνόμασται δ' ἀπὸ Κυτώρου τοῦ Φρίξου παιδὸς, ὡς Ἔφορός φησι, Strabo *l.* XII. p. 544. Κοτύωρα πόλιν Ἑλληνίδα, Σινωπέων ἀποίκους, οἰκοῦντας ἐν τῇ Τιβαρηνῶν χώρᾳ, vocat Xenophon. *Exped. Cyr.* l. V. p. 278. Sic & Arrianus *Peripl. Pont. Eux.* hunc Xenophontis locum citans. Κοτύωρα πόλιν Ἑλληνίδα, Σινωπέων ἄποικον, Diodor. *l.* XIV. p. 261.

Armene urbs Paphlagoniam finit, Mela *l.* I. *c.* XX. Urbs Assyriæ Græca, Scyl. Car. p. 139. Ἀρμήνη τῆς Σινώπης, Xenoph. *Exped. Cyr.* l. VI. p. 290. Καὶ Ξενοφῶν τῆς Ἀρμένης ἐμνημόνευσεν, Arrian. *Peripl. Pont. Euxin.* Κώμη Παφλαγονίας, Stephan. Κώμη τῶν Σινωπέων, Strabo *l.* XII. p. 545. Idem hoc proverbium de ea ferri scribit:

Ὅστις ἔργον οὐδὲν εἶχεν, Ἀρμένην ἐτείχισε.

Sesamus urbs Paphlagoniæ Græca, Scyl. Car. p. 139. Σέσαμος πόλις Παφλαγονίας, ἐν ᾗ ᾤκησεν ὁ πρῶτος Φινεὺς, Stephan.

Cromna (sic enim lege pro Κάραμος, nisi forte sit Κάραμβις ὁμώνυμος promontorio, cujus meminerunt his in locis Strabo & Mela) urbs Paphlagoniæ Græca, Scyl. Car. p. 139. Κρῶμνα πόλις Παφλαγονίας, ἡ νῦν Ἀμαστρις, Stephan. nam a Sesamo, Cytoro, Cromna & Tio unam urbem factam, testatur Strabo *l.* XII. p. 544. Sed Arriano *Peripl. Pont. Eux.* diversæ & diversis locis sitæ sunt hæ urbes.

Tios urbs Paphlagoniæ Ponti, nomen accepit a sacerdote Tio, qui genere Milesius erat, ut Philo ait. Sed Demosthenes in *Bithyniac.*: ait eam conditam a Pataro, qui Paphlagoniam cepit, & Τίον nominavit urbem ἐκ τοῦ τιμᾶν τὸν Δία, Stephan. Tum Tios oppidum, Milesiorum quidem colonia, sed jam soli gentisque Paphlagonum, Mela *lib.* I. *cap.* XX. Τίον, (sic lego, pro Τίθιον) πόλις Ἑλληνὶς in Paphlagonia, Scyl. Car. pag. 140. Τίον πόλιν Ἑλληνίδα Ἰωνικὴν, ἐπὶ θαλάττῃ οἰκουμένην, Μιλησίων καὶ ταύτην ἄποικον, Arrian. *Peripl. Pont. Euxin.* Τίος (sic lego, pro Τήιος) ἤδη πολίχνιον, οὐδὲν ἔχον μνήμης, nisi quod Philetærus Princeps generis Regum Attalicorum inde oriundus fuerit, Strabo *lib.* XII. p. 543. Τίειον legit Stephanus apud Strabonem; sed Τίον geminum esse, vel ex ipso Strabone constat, cui ἐθνικὸν est Τιανὸς vel Τιανοὺς, *lib.* XIII. p. 623. sicut & Stephano.

Cerasus oppidum Græcum est, ad mare situm, Sinopensium in Colchide colonia, Xenoph. *Expedit. Cyr. lib.* V. p. 273. Κερασοῦντα, πόλιν Ἑλληνίδα, Σινωπέων ἄποικον, Diodor. *lib.* XIV. p. 260. Αὕτη ἡ Φαρνακεία, πάλαι Κερασοῦς ἐκαλεῖτο, Σινωπέων καὶ αὕτη ἄποικος, Arrian. *Peripl. Pont. Eux.* Urbs Græca in Assyria, Scyl. Car. p. 139. Pontica Cerasus, a cerasis dicta, Eustath. *in Dionys.*

Amastris urbs condita ab Amastri uxore Dionysii, Heracleæ Ponticæ Tyranni, Oxyathræ, qui frater fuit Darii ab Alexandro M. debellati, filia, ex aliis quatuor eo traductis Sesamo, Cytoro, Cromna ac Tio: ac Tios quidem cito a societate defecit, reliquis manentibus, Strabo *lib.* XII. p. 544. Ἀμαστριν πόλιν Ἑλληνίδα, Arrian. *Peripl. Pont. Eux.*

Amenea urbs Græca, & Asinea arx Græca in Chalybibus: Themiscyra, Lycastus, Carussa, Tetracis, urbes Græcæ in Assyria: Colussa & Coronis urbes Græcæ in Paphlagonia, Scyl. Car. pag. 139. Odeinios in Ececheiriensibus, & Becheiras in Becheiris, & Phanagoræ urbs ac Cepi in Sintis, & Toricus in Cercetis, Chœrades in Mosynœcis, urbes Græcæ, Scyl. Car. pag. 137. 138. 139. Quidam Becheiras gentem, Macrias esse ajunt & Macronas, colonos Euboensium: unde & Macrones dicti: nam Macris Eubœa appellabatur, Schol. Apollon. *Argon. lib* I. v. 1024.

HERACLEOTÆ PONTICI.

Bebryces in Asia nomen acceperunt vel ἀπὸ Βέβρυκος, vel ἀπὸ Βεβρύκης, Stephan. Dictam Bebryciam ajunt a Bebryca Ægypti fratris filia, quæ, sicut Hypermnestra, etiam suo marito pepercerit, cum reliquæ Danai filiæ suos viros trucidassent, Eustath. *in Dionys.* Περ. Bebryces Thraces fuerunt, sed relicta Europa, loca, quæ circa Cyzicum & Abydum sunt, occuparunt, Strabo *lib.* VII. p. 295. & *lib.* XIII. p. 586. Bebrycum regionem a Mariandyno, qui Mariandynis nomen dederat, occupatam fuisse scribit Theopompus, Strabo *lib.* XII. p. 542. Mariandynus is Æolides fuit. Μαριανδυνία χώρα, ἀπὸ Μαριανδυνοῦ τινος Αἰολέως, Stephan.

Amycus Neptuni & Bithynidis F. Bebrycibus imperavit, cumque viribus polleret, hospites, qui illuc venirent, secum luctari coegit, victosque interemit. Idem Argonautas illuc delatos, & ex iis fortissimum quemque provocavit. Ibi Pollux cum illo congressus, ictu ad cubitum inflicto, hominem occidit. Bebryces vero in Pollucem impetum facientes, a fortissimis quibusque Argonautarum arrepti in fugam acti, cæsique fuere permulti, Apollod *lib.* I. p. 30. β. 31. α.

Mygdon Amyci frater Rex Bebrycum una cum multis Bebrycibus ab Hercule, cum ad Amazonicum baltheum navigaret, opem ferente Lyco Dascyli filio Myso, occisus fuit: & Hercules, urbe excisa, terram Lyco dedit, qui eam omnem appellavit Heracleam, Apollod. *lib.* II. p. 65. β. Tzetz. *Chil.* II. *Hist.* XXXVI. de Hercule:

> Κἂν τῷ παράπλῳ σύμπασαν πορθήσας Βεβρυκίαν
> Τῷ Δηϊπύλου τῷ Μυσῷ Λύκῳ δωρεῖται ταύτην,
> Ἄμυκον καὶ Μύγδονα τοὺς ἀδελφοὺς ἡττήσας.
> Ἡράκλειαν ὁ Λύκος δὲ ταύτην καλεῖ τὴν πόλιν,
> Τιμῶν τὸν χαρισάμενον τὴν χώραν Ἡρακλέα.

Heracleam a Milesiis ducta colonia. Ἡράκλειαν ἐν τοῖς Μαριανδυνοῖς ἱδρῦσθαι φασὶ, Μιλησίων κτίσμα, Strabo *lib.* XII. p. 542. Etiam in Mariandynis Ἡράκλεια πόλις Ἑλληνὶς collocatur a Scyl. Car. p. 140. Milesii, qui Heracleam condiderunt, Mariandynos, qui ante ista incoluerunt loca, in servitutem redegerunt, εἱλωτεύειν ἠνάγκασαν, adeo ut etiam ab illis divenderentur, non tamen extra fines: συμβῆναι γὰρ ἐπὶ τούτοις, καθάπερ Κρησὶ μὲν ἐθήτευσεν ἡ Μνωΐα σύνοδος, Θετταλοῖς δὲ οἱ Πενέσται, Strab. *lib.* XII. p. 542. Heracleotæ Ponti Euxini accolæ Megarensium & Tanagræorum coloni, & vicinorum Mariandynorum agrum vastasse, dicuntur a Pausania *Eliac. pr.* p. 340. Ἀπὸ δὲ Λύκου (ποταμοῦ) εἰς Ἡράκλειαν πόλιν Ἑλληνίδα, Δωρικὴν Μεγαρέων ἄποικον, στάδιοι εἴκοσι, Arrian. *Peripl. Pont. Euxin.* Ἡράκλειαν Μεγαρέων ἄποικον, Diod. *lib.* XIV. p. 261. Bœotiorum coloniam fuisse Heracleam Ponti scribit Justinus *Histor. lib.* XVI. quem vide.

Heracleæ Oligarchia in Democratiam mutata fuit, Aristotel. *Polit. lib.* V. *cap.* VI.

Heracleotæ naves ablegarunt quadraginta adversus Tyrannos in Bosporo, Aristot. *Oecon. lib.* II.

Heraclea libera fuit primum: Tyrannis aliquando paruit. Rursus se in libertatem asseruit. Regem deinde habuit, cum in potestatem Romanorum venisset: & coloniam Romanam accepit in partem urbis & agri, Strabo *lib.* XII. pag. 542. Est autem urbs τῆς Ποντικῆς ἐπαρχίας τῆς συντεταγμένης τῇ Βιθυνίᾳ, Strabo *lib.* XII. p. 543.

Olymp. CIV. 1. Clearchus genere Heracleota Ponticus Tyrannidem arripuit, totumque se ad imitationem Dionysii Syracusani composuit: ac principatum Heracleotarum annos XII. magnifice gessit, Diodor. *lib.* XV. p. 390. Clearchum suum auditorem fuisse, & discipulorum ἐλευθεριώτατον, καὶ πρᾳότατον, καὶ φιλανθρωπότατον, sed principem factum, ita mutatum, ut omnes mirarentur, qui ipsum prius nossent, scribit Isocrates *Epistol. ad Timoth.* Κλέαρχος δὲ ὁ Ποντικὸς Τύραννος εἰς κιβωτὸν ἐνδυόμενος ὥσπερ ὄφις ἐκάθευδε, Plutarc. *ad Princ. indoct.* p. 369. A. Trucidatus vero fuit, cum in Bacchanalibus ludos spectatum iret, Diodor. *lib.* XVI. pag. 435. auctore Chione filio Matridis, Platonis discipulo, ut apparet ex ipsius Chionis *Epistola ad Platonem* ultima: quam vide, ut & alias *ad Patrem* scriptas de hoc Clearcho. A Chione & Leonide Platonis discipulis occisum Clearchum, neque tamen Heracleam tyrannide liberatam: nam fratrem Clearchi Saturum eadem via Tyrannidem invasisse: multisque annis per gradus successionis Heraclienses sub regno Tyrannorum fuisse scribit Justinus *Histor. lib.* XVI.

Olymp. CVI. 4. Timotheus Clearchi F. annos XV. imperavit, Diodor. *lib.* XVI. p. 453. Ad hunc scripta ab Isocrate epistola exstat, ejus laudes continens.

Olymp. CX. 3. Dionysius Timothei frater, successor fratris, annos XXXII. imperavit, Diodor. *lib.* XVI. p. 478.

Olymp. CXVIII. 3. Zathras & Clearchus Dionysii FF. successerunt patri, & annos XVI. imperarunt, Diodor. *lib.*XX. p.806.

Heracleæ coloniæ sunt, Chersonesus, Calatis.

Chalcedon urbs Bithyniæ, ad Ponti fauces, e regione Byzantii sita, nomen accepit a Chalcide, fluvio vicino, Stephan. Chalcidenses, qui origine Dores fuisse dicuntur, prope ostium habitant, id est, Propontidem: Arrianus vero Chalcidensium urbem Chalcedonis Saturni filii nomen retinere ait, a quo primum amnis illic fluens Chalcedon appellatus fuit, deinde & urbs, cum Dores illuc colonias deduxissent, Eustath. *in Dionys.*Περ. Oppidi nomen Chalcedon, auctor Archias Megarensium Princeps: templi numen Jupiter, conditore Jasone, Mela *lib.* I, *cap.*XIX. Χαλκηδόνα τὴν ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ Πόντου, Μεγαρέων ἀποικίαν, Thucyd. *lib.* IV. pag.303. Τὴν ὑπὸ Μεγαρέων Χαλκηδόνος κτίσιν, Strabo *lib.*VII. p.320. Condiderunt vero Chalcedonii suam urbem septendecim annis ante conditum Byzantium. Quos Megabazus Persa ajebat cæcos eo tempore fuisse, οὐ γὰρ ἂν, τοῦ καλλίονος παρεόντος κτίζειν χώρου, τὸν αἰσχίονα ἑλέσθαι εἰ μὴ ἦσαν τυφλοί, Herodot. *lib.*IV. p. 306. Apollinem, cum a Byzantiis conditoribus consuleretur, jussisse e regione cæcorum locum urbi condendæ capere, τυφλοὺς καλέσαντα τοὺς Χαλκηδονίους, ὅτι πρότερον πλεύσαντες εἰς τοὺς τόπους, ἀφέντες τὴν πέραν κατασχεῖν τοσοῦτον πλοῦν ἔχουσαν, εἵλοντο τὴν λυπροτέραν, refert Strabo *lib.*VII. p.320. Quibus (Byzantii conditoribus) Pythium Apollinem consulentibus ubi conderent urbem, redditum oraculum est: quærerent sedem, cæcorum terris adversam. Ea ambage Chalcedonii monstrabantur, quod priores illuc advecti, prævisa (*parum visa* legit Lipsius) locorum utilitate pejora legissent, Tacit. *Annal. lib.*XII. In iis Chalcedon libera, Procerastis antea dicta: dein Compusa: postea Cæcorum oppidum, quod cum locum eligere nescissent, septem stadia distante Byzantio, tanto feliciore omnibus modis sede, Plin. *lib.*V. fin. Ubi errore insigni Chalcedonem a Cæcorum oppido distinguit.

Chalcedoniis cum Bithynis bellum erat: Rege vero Bithynorum Zipœte ad Phalium incumbente ipsis, male pugnantes temere ac inordinate, supra VIII. millia militum amiserunt: & omnino deleti non fuerunt, Zipœte eam gratiam Byzantiis faciente, ut bello finem imponeret; sed magna in urbe virorum penuria, plurimæ quidem fœminæ præ necessitate cum libertis ac inquilinis conjugia contraxerunt: aliæ vero viduitatem ejusmodi nuptiis prætulerunt, Plutarch. *Qu.Græc.*XLIX.

Chalcedonem cepit Otanes Persa, Herodot. *lib.* V. pag. 338. Cum autem Darii copiæ Græciam invaderent, Chalcedonii ne quidem adventum classis Phœniciæ expectarunt; sed relicta urbe, in interiora Ponti Euxini recesserunt, & illic urbem Mesembriam condiderunt: Persæ vero urbem incenderunt, Herodot. *lib.* VI. p. 391. 392. Darium e Scythia redeuntem Chalcedonensium ædes, & templa combussisse, quod pontes, qui versus ipsos spectabant, dissolvere tentassent, & aram, quam Darius Jovi Diabaterio, cum transiret, statuerat, evertissent, scribit Ctesias.

Myrlea urbs trans Rhyndacum, quam Colophonii collocavere, Mela *lib.*I. *c.* XIX. Urbs Bithyniæ, nomen accepit a Myrlo Colophoniorum duce, vel a Myrlea Amazone, Stephan. Ab Amazone appellatam scribit Strabo *lib.* XII. p. 550. Apameam postea vocavit Myrleam Prusias de uxoris nomine, Sttabo *lib.* XII. p. 561. Sed Nicomedem Prusiæ filium Apameam appellasse de nomine matris suæ Apamæ, scribit Stephanus. Myrleam in Phrygia collocat Scyl. Caryand. p. 141.

Astacus urbs Bithyniæ, nomen accepit ab Astaco Neptuni & Nymphæ Olbiæ filio, Stephan. Astaci filii Ismarus, Leades & Menalippus adversus Argivos in bello. Septem ad Thebas ἀριστεῦσαι dicuntur apud Apollod. *l.* III. p. 104. β. Astacos a Megarensibus condita, Mela *l.* I. *c.* XIX. Τὴν Ἀστακὸν δὲ Μεγαρέων ᾤκισαν ἄποικοι, Ὀλυμπιάδος ἱσταμένης ιζ΄. Ἀστακὸν ἐπίκλην κατὰ χρησμὸν θέμενοι ἀπό τινος τῶν λεγομένων Σπαρτῶν καὶ Γηγενῶν, τῶν ἀπογόνων τῶν ἐν Θήβαις Ἀστάκου τὴν κλῆσιν, ἀνδρὸς γενναίου καὶ μεγαλόφρονος, Memnon. Ἀστακὸς Μεγαρέων κτίσμα καὶ Ἀθηναίων, καὶ μετὰ ταῦτα Δοιδαλσοῦ, Strabo *l.* XII. p. 563. Astacon a quodam Zipœte Thrace conditam, & postea Nicomediam appellatam fuisse, scribit Pausan. *Eliac. pr.* p. 310. Zipœtæ meminit de bello Heracleotarum loquens Memnon: Ζιποίτην τὸν Βιθυνόν, ὃς τῆς Θυνιακῆς ἐπῆρχε Θρᾴκης. Et Tzetzi *Chil.* III. *Hist.* CXV. Zipœtæ filius dicitur Nicomedes Nicomediæ conditor:

Ὁ τοῦ Ζιποίτου μὲν υἱὸς ἐκεῖνος Νικομήδης
Ὁ κτίσας Νικομήδειαν πατὴρ ὁ τοῦ Προυσίου.

Zybœa partem tenuisse Bithyniæ, & a Nicomede Rege Bithyniæ, Gallorum maxime opera devictus fuisse dicitur Livio *l.* XXXVIII.

Nicomedem Regem inclytum Zelæ filium conditorem Nicomediæ vocat Stephanus; & Olbiam etiam appellatam scribit *in* Νικομήδεια. Erant vero aliquando Astacus & Nicomedia urbes diversæ, (vide Plin. *l.* V. fin.) sed eversa Astaco a Lysimacho, incolæ Nicomediam translati fuerunt. Ἐν ᾧ Νικομήδεια ἔκτισται ἐπώνυμος ἑνὸς τῶν Βιθυνῶν βασιλέως τοῦ κτίσαντος αὐτήν. — Ἦν δ' ἐν αὐτῷ τῷ κόλπῳ καὶ Ἀστακός, κατεσκάφη δ' ὑπὸ Λυσιμάχου, τοὺς δ' οἰκήτορας μετήγαγεν εἰς Νικομήδειαν, ὁ κτίσας αὐτήν, Strabo *l.* XII. p. 563. Ἀπὸ τούτου δὲ (Νικομήδους) καὶ τῇ μεγίστῃ τῶν ἐν Βιθυνίᾳ πόλεων μετεβλήθη τὸ ὄνομα Ἀστακῷ τὰ πρὸ τούτου καλουμένῃ. τὰ δὲ ἐξ ἀρχῆς αὐτῇ Ζιποίτης ἐγένετο οἰκιστής, Θρᾷξ γένος, εἰκάζοντί γε ἀπὸ τοῦ ὀνόματος, Pausan. *Eliac. pr.* p. 310. Astacum, quæ postea Nicomedia dicta est, Trebell. Poll. in *Gallien.* Astacum sequuto tempore Nicomediam a Rege cognominatam, Ammian. Marcell. *l.* XXII. Οὐχ ὁ μὲν πρῶτος οἰκιστὴς ἑτέρωθι πολίζειν ἐπιχειρῶν, ἀπαντικρὺ τῆς νῦν οὔσης, &c. ἀφικνεῖται δὲ ἕτερος οἰκιστής, μάλιστα δὴ βασιλέων θεοὺς ἡγεμόνας ποιούμενος, μεγέθει θυσίας ὑπερβαλλόμενος, κρείττον ὑμῶν νικησάντων, ἐπωνόμασε τὸ ἄστυ, Liban. Rhet. in Μονῳδίᾳ ἐπὶ Νικομηδείᾳ.

Cius urbs Mysiæ, nomen accepit a Cio, qui eo Milesios colonos deduxit, Aristotel. in *Rep. Cianor.* Schol. Apollon. *Argon.* lib. I. v. 1177. Καὶ ποταμός ἐστιν οὕτως ὀνομαζόμενος, τὴν Μυσίαν περιρρέων, οὗ μνημονεύει Σκύλαξ ὁ Καρυανδεύς. περιρρέει δὲ καὶ τὴν πόλιν ὁ ποταμὸς οὗτος, ibidem. Κίος πόλις Ἑλληνίς, καὶ Κίος ποταμὸς Mysiæ, Scyl. Caryand. p. 141. Cium a Cio uno sociorum Herculis, e Colchis redeunte conditam appellatamque fuisse scribit Strabo *l.* XII. p. 564. A Polyphemo Elati F. Argonautarum uno auctor est Apollon. *Argon.* l. I. v. 1321. seqq.

Αὔτως δ' αὖ Πολύφημον ἐπὶ προχοῇσι Κίοιο
Πέπρωται Μυσοῖσι περικλεὲς ἄστυ καμόντα
Μοῖραν ἀναπλήσειν.

Et *l.* IV. v. 1470. seqq.

Εἰλατίδην Πολύφημον·
Ἀλλ' ὁ μὲν ἐν Μυσοῖσιν ἐπικλεὲς ἄστυ πολίσσας.

Κίερον & Heracleotarum urbem vocant Memnonis *Excerpta*. Habitarunt hic primum Mysii, deinde Cares, post Milesii, Schol. Apollon. *Argon.* d. l.

Cium Myſiam nomine Darii cepit Hymees Perſa, Herodot. *lib.*v. p.379.

Cium evertit Philippus Demetrii F. Perſei pater; ſed eam datam ſibi a Philippo Pruſias Zelæ F. e rudentibus excitavit, & de ſe Pruſiada appellavit, Strabo *lib.* XII. p. 563. Προυσίας ὁ Βιθυνῶν βασιλεὺς δραστήριος ὢν καὶ πολλὰ πράξας μετὰ τῶν ἄλλων καὶ Κίερον πόλιν Ἡρακλεωτῶν οὖσαν, ὑφ' ἑαυτὸν ἔθετο τῷ πολέμῳ, ἀντὶ Κιέρου Προυσιάδα καλέσας, Memnon. *Excerpta.* Ἡ μὲν Προυσιὰς Βιθυνίας ἀπὸ Προυσίου τοῦ Ζήλα τοῦ Βιθυνῶν βασιλέως, ἡ Κίος πρότερον ὀνομασθεῖσα, Stephan. A Demetrio everſam Cium ſcribit Euſtath. *in Dionyſ.* Περ.

Pruſienſes, quod amice Romanis Remp. ſuam adminiſtrarent, libertatem conſequuti fuerunt, Strabo *lib.* XII. p. 564.

Pruſienſes feſtum agitabant, in quo in montibus pererrabant Bacchicos choros ducentes atque inclamantes Hylam, tanquam in ſylvas egredientes ad eum inveſtigandum, Strabo *lib.* XII. p.564. Nam juxta Cium Hylas raptus fertur, vide Apollon. & Orphei *Argonaut.* & Theocrit. *Idyll.* XIII. Dionyſ. Περ. v. 806. ſeq.

Macrienſes ſeu Macrones, coloni fuerunt Euboenſium, unde & Macrones appellati. Etenim Eubœa etiam Macris dicebatur. Erantque Dolionibus finitimi Macrones. Alii gentem Bechirorum ajunt Macrias, perpetua cum Cyzicenis bella gerentes. Bellicis operibus exercitos fuiſſe docent Philoſtephanus, & Herodorus, qui eorum vitas ſcripſere. Dionyſius vero Chalcidenſis ait eos Macronas dictos, quod Euboenſium eſſent coloni; alii vero ſic appellatos ajunt, quod plurimi inter ipſos eſſent μακροκέφαλοι, ſicut apud Perſas ſimi, Schol. Apoll. *Argon. lib.* I. v. 1024. Ποντικὸν δὲ ἔθνος οἱ Μάκρωνες, Schol. Apoll. *lib.* I. v. 1112.

Placia & Scylace, parvæ Pelaſgorum coloniæ, Mela *lib.* I. *cap.* XIX.

Cyzicus urbs Propontidis ſuper Cherſoneſum ſita: vocabatur vero etiam Urſorum inſula. Homerus incolas vocavit Δολίονας, Stephan. Urbs Cherſoneſi eſt, Herodoto *lib.* VI. pag. 392. Trans amnem Granicum ſedet in cervice peninſulæ Cyzicum; nomen Cyzicus indidit, quem a Minyis imprudentibus, cum Colchos peterent, fuſum acie cæſumque accepimus, Mela *lib.* I. *cap.* XIX. Cyzicus enim Dolionibus imperans, quo tempore illuc Argonautæ venerunt, eoſdem benigniſſime excepit: noctu vero illinc avecti, reflantibus ventis, inſcii rurſus ad Doliones appulerunt. Doliones vero copias Pelaſgicas eſſe rati, nam frequenter a Pelaſgis bello petebantur, pugnam per noctem conſeruerunt, utrinque ignari adverſus quos res gereretur. Itaque cæſis pleriſque Dolionum & Rege Cyzico, Argonautæ die orto, re cognita, multis cum lacrymis, & detonſis capillis Cyzicum magnifice tumularunt, Apollod. *lib.* I. pag.29. β. vide Apollon. *Argon. lib.* I. v. 961. ſeq. & Scholiaſt. Fuit vero Cyzicus Æneі Theſſali filius ex Ænere Euſori Regis Thracum filia: Æneus vero Apollinis & Stilbes filius fuit, relictaque Theſſalia, circa Helleſpontum habitavit, Schol. Apollon. *Argon. lib.* I. v. 948. Cyzicus uxorem habuit Cliten filiam Meropis, genere Percoſii, vatis, teſte Deilocho, & Ephoro. Pityeæ vero Rex fuit Merops Percoſius, ut docet Homerus in *Catalogo*, Schol. Apoll. *Argon. lib.* I. v.975. Sunt vero Cyziceni Mileſiorum coloni, Strabo *lib.* XIV. p. 635. ex Anaximene Lampſaceno. Portum Cyzici obſtruxerunt Pelaſgi, teſte Deilocho, odio Theſſalorum, a quibus expulſi fuerant: Apollonius vero (*Argon. lib.* I. v. 989.) ait a Gigantibus obſtructum, ποιητικῶς, Schol. Apollon.

Cyziceni ſe dediderunt Oebari Megabyzi F. Daſchylii præſidi, Herodot. *lib.* VI. p.392.

Cyziceni Proconneſios armis coegerunt, ut apud ſe inquilini fierent, Pauſan. *Arcad.* p.530. Cyziceni, orta apud ipſos ſeditione, & ſuperiore plebe, oppreſſiſque ac captis divitibus, cum deberetur militibus pecunia, ſcitum fecerunt, Ne capti interficerentur, ſed exactis pecuniis exſularent, Ariſtotel. *Oeconom. lib.* II.

Cyzicenos Mithridates CL. millibus peditum de improviſo invaſit, urbemque terra oppugnavit, & mari navibus CCCC. ita tamen hæc omnia ſuſtinuerunt Cyziceni, ut parum abfuerit, quin & vivum cepiſſent Mithridatem in cuniculo, quem is fodiebat. Tandem a Lucullo noctu præſidio in urbem introducto, & orta in exercitu Mithridatis peſte, Mithridates multis ſuorum amiſſis diſceſſit, Strabo *lib.* XII. p.575. 576.

Cyzicum honorarunt Romani, & liberam urbem eſſe juſſerunt, agroque, quem antiquitus habuit, multum adjecerunt, Srabo *lib.* XII. p.576.

Lampſacus urbs circa Propontidem, nomen accepit a Lampſace, puella indigena: olim Pityuſa dicta fuit. Epaphroditus auctor eſt eam ab Homero Pityean appellatam ob copiam πιτύων, cum Laomedontia ei nomen eſſet, Stephan. Inter urbes Helleſponti refertur ab Herodoto *lib.* V. p. 378. Fuit autem Phocæenſium colonia, Stephan. Lampſacum, Phocæis appellantibus, nomen ex eo traxit quod conſulentibus, in quaſnam terras potiſſimum tenderent, reſponſum erat, ubi primum fulſiſſet, ibi ſedem capeſſerent, Mela *lib.* I. *cap.* XIX. ergo παρὰ τὸ λάμπειν huic dicta urbs.

Lampſaceni a Miltiade bello laceſſiti, eundem ex inſidiis vivum ceperunt. Sed minis Crœſi territi dimiſerunt, Herodot. *lib.* V. p. 393.

Lampſacum Dauriſes, Xerxis nomine, cepit, Herodot. *lib.* V. p.378.

Lampſacum Themiſtocli Artaxerxes Xerxis F. dedit, ut inde vinum haberet, ἐδόκει γὰρ πολυοινόπεδον τῶν τότε εἶναι, Thucyd *lib.* I. p. 91. Strabo *lib.* XIV. pag. 636. Demoſthenes διὰ τὸ δ' οἶνον, urbem hanc vocavit Priapi Veneris & Bacchi filii opus, Stephan.

Lampſaceni ab Athenienſibus ad Lacedæmonios defecerunt, ſed mox ab Athenienſibus prælio ſuperati fuerunt, & urbs nullis cincta muris primo impetu, clamore ſublato, capta fuit, mancipiiſque cum ſupellectile direptis, qui liberi erant, ſuis ſedibus reſtituti fuerunt, Thucyd. *lib.* VIII. pag. 596.

Lampſacenis Alexander Philippi F. iratus, extrema omnia comminabatur, quod vel ad Perſarum Regem defeciſſent, vel defectionis ſuſpecti eſſent. Lampſaceni vero de liberis, uxoribus, patria ſolliciti, Anaximenem Alexandro & ante Philippo cognitum deprecatum ad Alexandrum miſerunt. Alexander, cognita Anaximenis adventus cauſa, Græcorum Deos teſtatus, juravit ſe contra facturum omnia, quam ille oraſſet: tum Anaximenes, Oro, inquit, ut Lampſacenorum conjuges, & liberos in ſervitutem abripias: urbem exſcindas: Deorum templa exuras. Hac arte circumventus Alexander Lampſacenis pepercit. Ii Anaximeni ſtatuam in Olympia poſuere, meriti gratiam referentes, Pauſan. *Eliac. poſt.* p. 376. 577.

Parion urbs Helleſponti, appellata a Pario Jaſionis filio, Stephan. Parion, quam condidit Jaſionis filius Parius, Ammian. Marcell. *lib.* XXII. Τούτου (Ἰασίωνος ἀδελφοῦ Ἀετίωνος καὶ Δαρδάνου, προγόνου Πελάμου) φησὶν (ὁ Ἀρριανὸς) υἱὸς Πάριος, ᾧ ἐπώνυμον τῷ ἐν Ἑλλησπόντῳ Πάριον, ὡς οἰκιστῇ, Euſtath. *in Odyſſ.* Β. At Srabo *lib.* X. p. 487. Parion in Pro-

pontide urbem a Pariis insularibus conditam fuisse scribit. Colonia autem fuit Milesiorum, Erythræorum & Pariorum, Strabo *lib.*XIII. pag. 588. Ἑλλησποντίων Παριανοὶ τὸ μὲν ἀνέκαθεν ἐξ Ἰωνίας καὶ Ἐρυθρῶν ἀπῳκισμένοι, Pausan. *Bœot.*p.581. Æolenses, qui Parium incolebant, Γραῖας dictos fuisse scribit Stephanus.

Priapus urbs Hellespontia, Stephan. Colonia, ut quidam volunt, Milesiorum, qui Abydum & Proconesum eodem tempore colonias deduxere, vel Cyzicenorum, ut alii ajunt, nomen accepit a Priapo, qui ibi colitur, sive id sacrum ab Orneis Corintho vicinis eo delatum est; sive quod adducti sunt ad eum colendum ceu Bacchi & Nymphæ filium: nam & vitibus abundat regio, Strabo *lib.* XIII. p. 587.

Abydus Hellesponti urbs, Milesiorum colonia, Stephan. Abydeni Μιλησίων ἄποικοι, Thucyd.*lib.* VIII. p. 595. Ἄβυδος δὲ Μιλησίων ἐστὶ κτίσμα, ἐπιτρέψαντος Γύγου τοῦ Λυδῶν βασιλέως. ἦν γὰρ ὑπ' ἐκείνῳ τὰ χωρία, καὶ ἡ Τρῳὰς ἅπασα, Strabo *lib.* XIII. p.590. At Marciano Περ. p.29. Αἰολέων κτίσεις Ἄβυδος & Σηστὸς dicuntur: in Codice Palatino Λέσβων δὲ pro Αἰολέων legi scribit Hœschelius. Certe Sestum tenuisse ἐπιχώριοι Αἰολέες dicuntur Herodoto *lib.*IX. p.533. In ora Grajæ urbes, Abydos & Lampsacum, Parion & Priapos: Abydos magni quondam amoris commercio insignis est, Mela *lib.* I. *cap.*XIX. id erat inter Leandrum Abydenum & Sestiam Hero: de quo vide Musæi carmen. Abydum post Troica tenuisse Thraces, inde Milesios, scribit Strabo *lib.*XII. p.591.

Abydus a Daurise, Darii nomine, capta fuit, Herodot. *lib.*V. p. 378. a Dario, Xerxis patre, incensa, Strabo *lib.* XIII. p.591.

Abydus, quæ est in Hellesponto, ad Dercylidam Lacedæmonium, & Pharnabazum Persam ab Atheniensibus defecit, Thucyd. *lib.* VIII. pag. 596.

Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα, Proverb. vide, Zenob. Diogenian. Suidam, Athenæum *lib.* XIV. Stephan. Ἀβυδος de hominibus calumniatoribus usurpatur: ob calumnias enim, & molliciem male audiebant Abydeni, Suidas: vide Eustath. *in Iliad.* B. & *in Dionys.* Περ.

ÆOLES ASIATICI.

Æoles Asiatici sic dicti fuerunt, non solum quod Europæorum Æolum essent coloni, sed etiam quod ex αἰολέων, id est, ex variis, & mixtis gentibus collecti fuerint, Eustathius *in Dionys.* Περ. Æolicam migrationem quatuor ætatibus Jonica priorem fuisse traditum est: ἀρεσβὰς δὲ λαβεῖν καὶ χρόνους μακροτέρους, Strabo *lib.*XIII. pag. 582.

Æolicæ coloniæ deducendæ primus auctor fuit Orestes; sed is in Arcadia mortuus fuit, Strabo *lib.* XIII. p. 582. Penthilus Orestis F. patri successit, & in Thraciam usque progressus fuit LX. annis post eversum Ilium, Strabo *lib.*XIII.p.582. lege LXXX. nam addit: ὑπ' αὐτὴν τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν εἰς Πελοπόννησον κάθοδον: Heraclidæ etiam LXXX. anno redierunt. Penthilum in deducenda colonia Æolica adjuverunt Bœoti, plurimis suorum cum eo missis, adeo ut Bœotica illa migratio cognominata fuerit, Strabo *lib.*IX. p.402. Erant vero hi Æoles: Θεσσαλίας οἱ Βοιωτοὶ τὰ ἀρχαιότερα ᾤκησαν καὶ Αἰολεῖς τηνικαῦτα ἐκαλοῦντο, Pausan. *Phocic.* p.622. Penthilus in Lesbum, Æolidis continenti objectam insulam, coloniam deduxit, Pausan. *Lacon.* p.160. Archelaus Penthili F. coloniam Æolicam traduxit in Cyzicenam circa Dascylium, Strab.*lib.*XIII. p. 582. Graus Archelai filius natu minimus usque

A ad Granicum fl. progressus, cum se melius instruxisset, majorem exercitus partem in Lesbum trajecit, eamque obtinuit, Strabo *lib.*XIII. pag. 582. Sed Penthilus Lesbum occupasse, & Grais Echelati filius, Penthili nepos, Orestis pronepos, adjuvantibus Lacedæmoniis coloniam deduxisse in eam regionem, quæ inter Joniam & Mysos est, & Æolis dicta fuit, dicitur Pausaniæ *Lacon.*p.160. Cleuas Dori F. & Malaus, stirpis & ipsi Agamemnoniæ, eodem, quo Penthilus, tempore exercitum collegerunt; sed Penthili copiæ occuparunt in Asiam transire: alteri in Locride & ad Phricium montem multum temporis traxerunt: postea quoque in B Asiam trajecere & Cumam condiderunt, a Locridis monte Phriconidem dictam, Strabo *lib.* XIII. p. 582. Cometes quoque Tisameni filius, Orestis nepos, in Asiam cum classe transmisisse dicitur Pausaniæ *Achaic.* p. 407. Æolii eadem profecti Græcia, longissimisque acti erroribus, non minus illustres obtinuerunt locos, clarasque urbes condiderunt, Smyrnam, Cymen, Larissam, Myrinam, Mitylenenque, & alias urbes, quæ sunt in Lesbo insula, Vellej. Pat. *lib.* I. Æolica colonia se per totam dispersit oram a Cyzico ad Caicum usque, ac præterea magnam partem eorum occupavit, quæ C intra Caicum & Hermum fluvios sunt. Cum ergo Æolenses per totam eam regionem dispersi essent, quæ ab Homero Troica vocatur, posteriorum alii totam eam Æolidis nomine affecerunt, alii ejus partem, Strabo *lib.* XIII. p. 582. Proxima regio, ex quo ab Æoliis incoli cœpit, Æolis facta ante Mysia, & qua Hellespontum attingit Trojanis possidentibus, Troas fuit, Mela *lib.* I. *cap.* XVIII. Æolenses Iliadem oram post Ilii excidium tenuerunt, Pausan. *Attic.* p. 66. Τὸ δὲ παλαιὸν ὑπὸ τοῖς Αἰολεῦσιν ἦν τὰ πλεῖστα τῆς Τρῳάδος, Strabo *lib.* XIII. pag. 600. Æolensibus tamen in oram Iliadem plus juris quam sibi ac cæteris Græcis esse negarunt Athe- D nienses. Ἀθηναῖοι ἀποδεικνύντες τῷ λόγῳ οὐδὲν μᾶλλον Αἰολεῦσι μετεὸν τῆς Ἰλιάδος χώρης, ἢ οὔ σφισι καὶ τοῖσι Ἕλλησι, οἳ συνεπρήξαντο Μενελάῳ τὰς Ἑλένης ἁρπαγάς, Herodot.*lib.*V.p.370. Æolicæ civitates XII. erant numero in continenti sitæ, Cumæ, Phriconis appellata, Larissa, Novus murus, Tenus, Cilla, Notion, Ægiroessa, Pitane, Ægææ, Myrina, Grynæa, Smyrna, præter eas, quæ erant ad Idam: nam illæ ad has non referuntur: & Æolenses χώρην μὲν ἔτυχον κτίσαντες ἀμείνω, ὡρέων δὲ οὐκ ἥκουσαν ὁμοίως, Herodot. *lib.* I. p. 69. Æolenses Insulares in Lesbo sex civitates: in Tenedo unam: E in Centum insulis unam tenuerunt, Herodot. *lib.* I.p. 70. Sed & alias urbes tenuerunt Æolenses: de quibus vide suis locis. Æolicæ urbes XXX. fere numero erant, sed earum haut paucæ interierunt. Earum Metropolis erat Cuma & Lesbus, Strabo *lib.* XIII. p.623.

Æoles Crœsus Rex Lydorum subegit, Herodot. *lib.*I. p.3. II. 12.

Æoles a Cyro sollicitati ad defectionem a Crœso, non paruerunt. Victo vero Crœso se Cyro dedere voluerunt iis conditionibus, quibus Crœso subjecti fuerant. Sed ab eo rejecti fuerunt, Herod. *lib.*I. p.66. Itaque Jonum consilium sequuti, cum F iisdem Legatos Spartam miserunt, auxilia petituros: sed frustra, Herodot. *lib.*I. p.70. vide in *Ionibus*. Æolibus vero Insularibus Lesbiis ac Tenediis nihil periculi erat metuendum, Herodot. *lib.* I. pag. 70.

Æoles pro paternis servis habuit Cambyses, Herodot. *lib.* II. init.

Æoles cum Jonibus, & Hellespontiis classem Darii ducebant, cum Scythas invaderet, Herod. *lib.*IV.p.287. vide in *Ionibus*.

Æoles omnes, qui oram Iliadem tenuerunt,

expugnavit Hymees Perſa, Herodot. *lib*.v. p. 380. nam cum Ionibus rebellarant Æoles: vide in *Ionibus*.

Æoles & Iones pars claſſis Perſicæ erant, cum Darius Græciam armis invaderet, Herodot.*lib*.VI. pag 417.

Æoles Xerxi Græciam invadenti ſexaginta naves præbuerunt, Herodot. *lib*.VII. p.470.

Cuma urbs Æolidis ante Lesbum, nomen accepit a Cuma, una Amazonum: vocabatur etiam Amazonium, Stephan. *Τὸδ᾽ ὄνομα ὑπὸ Ἀμαζόνας τῇ πόλει τεθεῖσθαι*, Strabo *lib*.XIII. p.623. Sequentem (urbem) Pelops ſtatuit, victo Oenomao reverſus ex Græcia. Cymen nominavit, pulſis qui habitarant, dux Amazonum Cyme, Mela *lib*. I. *cap*. XVIII. Myrinam Amazonum Imperatricem Cymen, Pitanen, Prienen a præcipuis copiarum ducibus denominaſſe ſcribit Diodor. *lib*. III. pag. 188. Fallitur Stephanus, cui alia ab Æolica eſt *Φρικωνίτις λεγομένη*; quem ſequitur Scaliger *Animadv. in Euſeb*. p.56. a. *Κύμη, ἡ φρικωνὶς καλεομένη*, Herodot. *lib*. I. pag. 69. de Cuma Æolica. *Ἐλθόντας* (Æoles e monte Locrico Phricio) *δὲ κτίσαι τὴν Κύμην ἐκ τοὺς περιγινομένους ἀνθρώπους ἐκεῖσε ἀποικίσαι. ἀπὸ δὲ τοῦ Λοκρικοῦ ὄρους τήν τε Κύμην Φρικωνίδα καλοῦσιν, ὁμοίως δὲ καὶ τὴν Λάρισαν*, Strabo *lib*.XIII. p. 621. vide in *Æolib*. *τὴν ὑπὸ τῶν Αἰολέων καὶ Ἰώνων οἰκισθεῖσαν ὕστερον, πρότερον δὲ ὑπὸ Ἀμαζόνων*, Strabo *lib*. XII. p. 550.

Cumam, urbem Æolum vetuſtam, coloniam deduxerunt, cum aliæ Græciæ omnis generis Gentes, tum e Magneſia præter alios, Menalopus Ithagenis F. Crithonis nepos, vir in tenuis, qui ducta uxore Omyretis Cumæi filia, Critheidem ex ea ſuſtulit, Homeri matrem, Herodot. in *Vita Homeri*. Cuma urbs Lydiæ eſt Scyl. Car. pag. 143. *μεγίστη τῶν Αἰολικῶν καὶ ἀρίστη*, Straboni *lib*. XIII. p. 623. Marcian. Περ. p.10.

—— *μάλιστά τ᾽ εὖ τ᾽ αἰ᾽ ρυμένη*
Κατὰ τὴν Ἀσίαν Κύμησι κειμένη πόλις.

Telephanes Cumæ regnavit, *ὅς ἐξεφύτευσε τὴν Κυμαίων χώραν*, Heraclid. *de Polit*.

Cumæis monetam prima cudit Hermodice Midæ Regis Phrygum uxor, Heraclid. *de Polit*.

Cumæi Pactum Lydum, qui interverſo Lydorum theſauro Lydos ad defectionem ſollicitarat, profugum ſuſceperunt. Repoſcentibus ipſum Perſis, oraculum in Branchidis conſuluerunt. Reſponſum datum, Pactyam Perſis tradi oportere. Cumæis cenſentibus parendum oraculo, ſolus Ariſtodicus, vir inter Cumæos clarus, ſive conſultorum, ſive ipſius oraculi fidei diffidens, interceſſit. Ita alii ſacerdotes, inter quos & Ariſtodicus fuit, ad Branchidas miſſi ſunt. Ariſtodico ex omnibus uni conſulenti oraculum, reſponſum idem datum, quod prioribus. Ibi Ariſtodicus aviculas, quæ nidos forte in templo ſtruxerant, de nidis detraxit. Id agentem vox ex adyto compellaſſe fertur: Sceleſtiſſime hominum, quæ te inceſſit libido, ut auderes meos ſupplices diripere? At Ariſtodicus, Tune Rex, inquit, ita ſupplicibus fers opem, & Pactyam Perſis dedere jubes Cumæos? Cui Deus reſpondit: Equidem, inquit, jubeo, ut impii male pereatis, nec unquam in poſterum de ſupplicibus tradendis oraculum conſulatis. Tum Cumæi, quibus nec placuit ſupplicem inimicis tradere, nec conſultum viſum eum retinere, ne Cyrum in ſe concitarent, Pactyam in Mitylenen dimiſerunt. Unde in Chium deportatum, & e templo Minervæ Deæ tutelaris vi abreptum, Chii eum Perſis tradiderunt, Herodot. *lib*.I. p.73.74.

Cumæorum Rempubl. evertit, & ut Regio imperio regeretur effecit, Heraclid. *de Polit*. In urbe Cumis Democratiam funditus deletam fuiſſe a Thraſymacho ſcribit Ariſtoteles *Polit*. *lib*. V. §. V.

Cumæis immunitatem conceſſerunt Romani victo Antiocho, Livius *lib*. XXXVIII.

Cumæus erat Ephorus, *ἀνὴρ ἄξιος μνήμης*, Strabo *lib*.XIII. p. 622.

Cumis Regem arceſſiverunt ſibi Lydi juſſu oraculi, hominem in officina fabri plauſtrarii ſervientem, Heraclid. *de Polit*.

Lariſſa urbs Æolidis, Stephan. Herodot. *lib*. I. p. 69. Troadis, Stephan. Scyl. Caryand. pag. 141. Cumis vicina cognomento Phriconis, Strabo *lib*. XIII. p. 620.621. *Μάλιστα δ᾽ αὖ περὶ τὴν Κύμην ὑπολάβοι τις ὀρθῶς τὴν τοιαύτην Λάρισαν*, Euſtath. *in Iliad*. *l*. B. *Πέμπτη (Λάρισα) Αἰολίδος, περὶ Κύμην τὴν Φρικωνίδα*, Stephan. ſic enim reſtituo quæ corrupta ſunt in Stephano. Lariſſam tenuerunt Pelaſgi, Strabo *lib*.XIII. p.621.

Novus murus (*Νέον τεῖχος*) urbs Æolids, Stephan. Herodot. *lib*. I. pag. 69. Ajunt enim eos, qui in Phricio ſuper Thermopylas monte Locrico habitabant, progreſſos quidem fuiſſe eo, ubi nunc eſt Cuma; ſed aſſumptis Pelaſgis bello Trojano afflictis, & nihilominus Lariſſam tenentibus adhuc, Cuma ſeptuaginta ſtadiis diſtantem, muro muniviſſe ſibi, quæ etiamnum dicitur Novus murus, (*Νέον τεῖχος*) urbem triginta ſtadiis a Lariſſa diſtantem, Strabo *lib*.XIII. p. 621.

Temnus (ſic lego e Strabone) urbs Æolidis, Herodot. *lib*. I. p.69. Strabo *lib*. XIII. pag. 621. Homallo oraculum redditum fuit, ut illic urbem conderet, ubi axis currus frangeretur: (*διατμηθῇ*) fracto igitur illic axe, urbem condidit, Stephan.

Temnus patria Hermagoræ Rhetoris fuit, Strabo *lib*.XIII. p. 621.

Cilla urbs Æolidis, Herodot. *lib*. I. p.69. de Cilla agit Strabo *lib*.XIII. p.612.

Notion urbs Æolidis, Herodot *lib*. I. p. 69. Colophonii ſua patria a contraria factione pulſi, Notium ſe contulerunt: ſed orta inter ipſos & veteres urbis colonos ſeditione, alii quidem accitis auxiliaribus copiis a Piſſuthne & Arcadibus & Barbaris, Remp. una cum Colophoniis Medorum partes ſequentibus adminiſtrabant: alii vero, qui clam iſtis fugerant, una cum exſulibus Pachetem (Athenienſem ducem) arceſſiverunt. Is munitiones Notii repente adortus cepit, Arcadeſque ac Barbaros, qui illic erant, occidit, & Hippiam Arcadum ducem ſagittis confodit, & Colophoniis Notium reſtituit, exceptis iis qui Medorum partibus favebant. Poſtea Athenienſes colonis eo miſſis, civitatem eam ex ſuis legibus ac inſtitutis conſtituerunt, omnibus Colophoniis, ubicunque eſſent, ex urbibus in unum coactis, Thucyd.*lib*.III. p.191. 192. Hinc Notion urbs Ioniæ dicitur Stephano: nam Colophonii Iones erant.

Ægiroeſſa urbs Æolidis, Herodot. *lib*. I. p. 69. *Αἰγείρουσα* dicitur Stephano.

Pitana urbs Æolidis, Stephan. Strabo *lib*.XIII. p.614. Herodot. *lib*. I. p.69. Urbs Lydiæ, Scyl. Car. p. 142. Nomen accepit a Pitane Amazone, Diod. *lib*. III. p. 188. vide in *Cuma*.

E Pitana erat Arceſilas Academicus, Strabo *lib*. XIII. p.614. Pitanen illam, quæ Arceſilam tulit, nihil affirmantis Academiæ clariſſimum antiſtitem, Mela *lib*. I. *cap*. XVIII.

Ægææ urbs Æolidis, Herodot. *lib*. I. p. 69. *Αἰγαὶ* Straboni *lib*. XIII. pag. 621. *Αἰγαὶ πόλις Ἑλληνὶς τῆς Λυδίας, ὑπὲρ Κύμης ἐν μεσογείᾳ*, Scyl. Car. pag. 143.

Myrina urbs Æolidis, Stephan. Strabo *lib*.XIII. pag. 622. Herodot. *lib*. I. pag. 69. Myrina urbs Lydiæ,

diæ, Scyl. Car. p. 143. Nomen accepit a Myrina Amazone, sepulta in campo Trojano sub Batiea:

> Τὴν ἤτοι ἄνδρες Βατίειαν κικλήσκουσιν,
> Ἀθάνατοι δέ τε σῆμα πολυσκάρθμοιο Μυρίνης.

Strabo *l.* XIII. p. 623. Myrinam οἰκοδομῆσαι πλείους πόλεις, καὶ τούτων ὁμώνυμον ἑαυτῇ κτίσαι μίαν, scribit Diodor. *l.* III. p. 188. Primam urbem a Myrino conditore Myrinam vocant, Mela *l.* I. c. XVIII. Errat Eusebius, cum in *Chr. Can.* ad an. IↃCCCCLXIV. scribit: Μυρίνα, ἡ παρά τισι Σμύρνα λεγομένη, ἐκτίσθη ἐν Ἀσίᾳ: diversæ enim urbes sunt Myrina & Smyrna. Sed & Myrinam Smyrnam ab Amazone Smyrna dictam scribit Scaliger *Animadv. in Euseb.* p. 54. sed falso, ut puto.

Grynea urbs Æolidis, Herodot. *l.* I. p. 69. Γρύνειον πολίχνιον Μυριναίων, Strabo *l.* XIII. p. 622. hinc emenda in Stephano, ubi corrupte legitur Γρυνοικυρηναίων, lege Γρύνειον Μυριναίων. Hecatæus urbem Γρύνειαν vocat, Stephan. sc. ficut Herodotus.

Elæa urbs Asiæ Æolica, Pergamenorum navale, quæ Cidænis appellabatur, a Mnestheo condita, Stephan. Ἐλαία πόλις Αἰολική, Strabo *l.* XIII. p. 615. Μενεσθέως κτίσμα, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ Ἀθηναίων τῶν συστρατευσάντων ἐπὶ Ἴλιον, Strabo *lib.* XIII. p. 622.

Canæ oppidulum Locrorum, qui e Cyno illuc commigrarunt, situm juxta extremas Lesbi partes versus meridiem in regione Canæa, Strabo *l.* XIII. p. 615. Κάναι πολίχνιον Εὐβοϊκόν, ἢ Λοκρὸν κατὰ τὰ ἄκρα τῆς Λέσβου, Stephan. Tum in promontorio est Canna oppidum, Mela *l.* I. c. XVIII.

Trallis urbs Lydiæ ad fl. Mæandrum, quæ prius dicebatur Anthea, διὰ τὸ πολλὰ ἄνθη ἐκεῖ πεφυκέναι: vocabatur & Eurymna, Stephan. Conditam urbem ajunt ab Argivis, & quibusdam Thracibus, a quibus nomen accepit, Strabo *lib.* XIV. p. 649.

Trallianos Leleges & Minyæ expulerunt urbemque & regionem occuparunt: postea Tralliani rediere, & rerum potiti, quos Lelegas non occiderant, vel qui non effugerant, sed ob inopiam & imbecillitatem illic remanserant, eorum nulla ratione habita sive viverent, sive perirent, legem tulerunt, Trallianum, qui Lelegem vel Minyam occidisset, insontem esse, si occisi propinquis medimnum ὀρόβων penderet, Plutarch. *Quæst. Gr.* XLVI.

Trallem sub tempus belli Mithridatici tyrannide, brevi tempore, pressere Cratippi filii, Strabo *l.* XIV. p. 649.

Nysa urbs ad Mæandrum. Athymbrus, Athymbradus & Hydrelus fratres Lacedæmone profecti urbes sibi cognomines condidisse feruntur; sed deficientibus tandem in iis incolis, ex illis habitatam Nysam ferunt, suæque urbis auctorem Athymbrum fuisse perhibent Nysaenses, Strabo *l.* XIV. p. 650.

Nysaenses fuerunt Apollonius Stoicus Panætii auditor, Menecrates Aristarchi discipulus, Aristodemus Menecratis F. Strabonis præceptor, & Sostratus Aristodemi F. item alius Aristodemus Pompeii M. præceptor, omnes egregii Grammatici, Strabo *l.* XIV. p. 650.

Magnesia urbs Græca in Lydia, Scyl. Car. p. 143. urbs ad Mæandrum & regio, Stephan. Urbs Æolica, Strabo *l.* XIII. p. 647. Μαγνησίῃ τῇ ὑπὲρ Μαιάνδρου ποταμοῦ οἰκεομένῃ, Herodot. *l.* III. p. 237.

Μαγνήτων τῶν ἐν τῇ Ἀσίῃ, Herodot. *l.* III. p. 225. Magnetum Thessalicorum & Cretensium colonia,

A Strabo *l.* XIV. p. 636. Μαγνησία περὶ Ἔφεσον ἐκτισμένη ὑπὸ Δελκίππου τοῦ Καρός, μετοικήσαντος ἐκεῖ σὺν Μάγνησι τοῖς ἐκ Κρήτης, Schol. Apollon. *Argon.* *l.* I. v. 584. Magnesia Mæandri cognomine insignis, a Thessalica Magnesia orta, Plin. *l.* V. c. XXIX. Δοκοῦσι δ' εἶναι Μάγνητες (ad Mæandrum) Δελφῶν ἀπόγονοι, τῶν ἐποικησάντων τὰ Δίδυμα ὄρη ἐν Θετταλίᾳ, Strabo *l.* XIV. p. 647. Herodotus & ab Ionibus & ab Æolibus distinguere videtur Magnetes: Ἰώνων, inquit, καὶ Μαγνήτων τῶν ἐν τῇ Ἀσίῃ, καὶ Αἰολέων, *l.* III. p. 225. Lacedæmonios in Asia Magnesiam colonis occupasse scribit Vellej. Patercul. *l.* I.

B Magnetes οἱ Μαιάνδρῳ παροικοῦντες contra Ephesios bellum gesserunt, Ælian. *Var. l.* XIV. c. XLVI. Contigit vero olim Magnetes funditus sublatos fuisse a Treribus, Gente Cimmerica diuturna prosperitate gaudente: sequente vero anno Milesios eum locum occupasse, Strabo *l.* XIV. p. 647.

Magnesiam τὴν Ἀσιανὴν Artaxerxes Xerxis F. Themistocli dedit, ut inde panem haberet, Thucyd. *l.* I. p. 91. Strabo *l.* XIV. p. 636.

Magnesii fuerunt Hegesianax Rhetor, Simon tibicen, & Cleomachus pugil, idem *lib.* XIV. p. 648.

C Scepsis urbs Æolidis, Scyl. Car. p. 142. Troica, Stephan. Fuit autem antiqua Scepsis supra Cebrenem sita juxta excelsissimam Idæ partem ad Polichnam: nomen accepit sive alias, sive ἀπὸ τοῦ περίσκεπτον εἶναι τὸν τόπον, Strabo *l.* XIII. p. 607. Ἐκλήθη ἀπὸ τοῦ σκήψασθαι τὴν Ῥέαν αὐτὶ τοῦ παιδὸς λίθον τεκεῖν, Stephan. Scepsis XL. stadia deorsum translata fuit a Scamandrio Hectoris F. & Ascanio Æneæ F. Ac hæ duæ familiæ Scepsi diu regnasse traduntur: postea Oligarchia illic constituta fuit, Strabo *l.* XIII. p. 607.

D Scepsis se Milesii in civitatem adjunxere, & Democratiam instituerunt: οἱ δ' ἀπὸ γένους οὐδὲν ἧττον ἐκαλοῦντο βασιλεῖς, ἔχοντες τιμάς τινας, Strabo *l.* XIII. p. 607.

Scepsios Antigonus Alexandriam traduxit, Strabo *l.* XIII. p. 607.

Scepsios in patriam remisit Lysimachus, Strabo *l.* XIII. p. 607.

Scepsii fuerunt Socrati Erastus, Coriscus, & Neleus Corisci F. Aristotelis & Theophrasti auditor, quique & Theophrasto in Schola successit, & ejus bibliothecam consequutus fuit: quam Scepsin translatam suis posteris, hominibus indoctis, reliquit, qui eam negligenter habitam, etiam postea in fossa quadam occultarunt, cum Attalicos Reges,
E quibus Scepsis parebat, bibliothecæ comparandæ studere intellexissent. Tandem eam eorum cognati Apelliconi Teio magna pecunia vendiderunt jam ab humore & blattis corruptam. Scepsius etiam fuit Demetrius Grammaticus Catalogi Homeri enarrator: item Metrodorus Philosophus, & postea Politicus, Strabo *l.* XIII. p. 609.

Atarneus (Ἀτάρνα perperam) urbs inter Mysiam & Lydiam, vicina Lesbo, Stephan. Τοῦ δὲ Ἀταρνέως τούτου ἐστὶ χῶρος τῆς Μυσίης, Λέσβου ἀντίος, Herodot. *l.* I. p. 74. Leleges ea loca tenuere, Strabo *l.* XIII. p. 611. Datus vero fuit Atarneus Chiis, quod Pactyam Lydum profugum Cyro reddidissent, Herodot. *l.* I. p. 74. γῆν τῆς Μυσίης, τὴν Χῖοι μὲν νέμονται, Ἀταρνεὺς δὲ καλέεται, Herodot. *l.* VIII. p. 565. ἡ Χίων χώρα καὶ πόλις Ἀταρνεύς, Scyl. Caryand. p. 142.

Adramytteum urbs circa Caycum Mysiæ: scribitur Ἀδραμύττειον & Ἀτραμύτιον: nomen accepit conditore Adramytto Alyattæ F. Crœsi fratre, ut Aristoteles & alii scribunt: quidam ajunt ab Hermone Rege Lydorum: nam Hermonem Lydi Adramyn vocant lingua Phrygia, Stephan. Atramy-

tum Pelasgum genere olim sub montem in Lycia Idam profectum, conditam a se illic urbem de suo nomine appellasse Ἀδραμύτειον, scribit Auct. Schol. min. *Iliad*. Z. Ἀδραμύτιος, ἀνδρὸς Πελασγοῦ, τὸ τῆς Ἀδραμυτίαν ὁμώνυμον ἑαυτῷ κτίσαντος, ἣν οἱ ὕστερον Ἀδραμύτιον μετεκάλεσαν ἀσυνόπτως, Eustath. *in Iliad*. Z. Thebe filia Atramyti, Herculi, certamine Gymnico victori, uxor data, nomen dedit urbi Thebæ ab Hercule conditæ, quam Homerus Ὑποπλακίην *Iliad*. Z. vocat, Schol. min. & Eustath. *in Iliad*. Z. v. 397. Fuit vero Atramytion Atheniensium colonia, Strabo *l*. XIII. p. 606. πόλις ἀξιόλογος, Strabo *l*. XIII. p. 614.

Atramytteum in Asia situm Pharnaces dedit Deliis, Delo ab Atheniensibus, expulsis: iique illuc commigrarunt, Thucyd. *l*. IV. p. 344.

Atramyttenum Senatum Diodorus Prætor in gratiam Mithridatis occidit, & in Pontum cum eo abiit. Rege dejecto, Diodorus, cum multorum criminum argueretur, turpiter se inedia confecit, tanti dedecoris impatiens, Strabo *l*. XIII. p. 614.

Atramyttenus fuit Xenocles Orator insignis, Strabo *l*. XIII. p. 614.

Antandrus urbs sub monte Ida, ad Mysiam Æolidis, nomen accepit ab Antandro Æolici exercitus imperatore. Aristoteles scribit eam ante appellatam fuisse Edonida, cum eam Cimmerii annos centum tenerent, Stephan. In altero latere Antandrum: duplex causa nominis jactatur. Alii Ascanium Æneæ F. cum ibi regnaret, captum a Pelasgis, ea se redemisse commemorant; alii ab iis putant conditam, quos ex Andro insula vis & seditio exegerat: hi Antandrum quasi pro Andro; illi quasi pro viro accipi volunt, Mela *l*. I. c. XVIII. Ἄντανδρον Πελασγίδα, Herodot. *l*. VII. p. 456. Τὴν ἐν Τρῳάδι, Herodot. *l*. V. p. 338.

Antandrum Otanes Persa, Darii nomine, cepit, Herodot. *l*. V. p. 338.

Antandrus a Mytilenæis aliisque Lesbiis exsulibus per proditionem capta fuit, Thucyd. *lib*. IV. p. 286. Sed ab Atheniensibus non diu post recepta fuit, Thucyd. *l*. IV. p. 303.

Sigeum urbs Troadis, Stephan. Mytilenæorum colonia. Ἀρχαιάνακτα δέ φασι τὸν Μυτιληναῖον ἐκ τῶν ἐκεῖθεν (ex Ilii ruderibus) λίθων τὸ Σίγειον ἐντειχίσαι, Strabo *l*. XIII. p. 599. Sed Pisistratus Atheniensis eam armis Mytilenæis eripuit, Herodot. *l*. V. p. 370. vide in *Atheniens. Pysistratus*. Τοῦτο (Σίγειον) κατέσχον μὲν Ἀθηναῖοι, Φρύνωνα τὸν Ὀλυμπιονίκην πέμψαντες, Strab. *l*. XIII. p. 599. vide & in *Mytilen*.

Cebren urbs Æolidis, Scyl. Caryand. pag. 142. Κεβρήνη dicitur Straboni *l*. XIII. p. 596.

Cebrenia (Κεβρηνία enim lego, pro Κεβρνία) regio Troadis, nomen accepit a Cebrione Priami F. Didymus Κέβρειρα urbem vocat: Herodianus vero sic dictam ait a fluvio Cebrine, Stephan. Homer. *Iliad*. Π. v. 738.

Κεβριόνην νόθον υἱὸν ἀγακλῆος Πριάμοιο.

ὃν εἰκὸς εἶναι ἐπώνυμον τῆς χώρας, ἢ καὶ πόλεως, ὅπερ πιθανώτερον, Strabo *l* XIII. p. 596. 597.

Cebreniis cum Scepsiis perpetuæ erant inimicitiæ & bellum: donec utrosque eos Antigonus in unam urbem Antigoneam, quæ postea Alexandria dicta fuit, traduceret: ac Cebrenii quidem illic cum aliis manserunt; sed Scepsii ad sua redierunt, Strabo *l*. XIII. p. 597.

Neandrea urbs Æolidis, Scyl. Car. p. 142. Urbs Troadis in Hellespontο, Stephan.

Petiea urbs Æolidis, Scyl. Car. p. 142. forte Pityea, quæ urbs inter Parium & Priapum Stephano.

Assus urbs Troadis sub Idam montem sita, Æolum colonia, Pausan. *Eliac. post*. p. 351. Urbs Æolidis, juxta Hellespontum, Stephan. Alexander Cornelius Assum in Mysia collocat, Mytilenæorum coloniam, Stephan. Myrsilus ait a Methymnæis Assum conditam, & Hellanicus eam Æolicam vocat, Strabo *l*. XIII. p. 610. Æolorum colonia, Mela *l* I. c. XVIII. Πόλις ἀξιόλογος est Straboni *l*. XIII. p. 614. Tres Assos ex una, Λυκίας, Αἰολίδος, Μυσίας, facit Stephanus: sed male: neque enim in Lycia est Assus: & quod ipse ait de ea, πλησίον Ἀταρνέως, ostendit non Lyciæ urbem esse, sed Mysiæ: nam Herodoto *l*. I. p. 74. Ἀταρνεὺς Mysiæ est, & qui de eadem e Nicostrato affertur versus ab ipso:

Ἄσσον ἵκεθ᾽ ὥς κεν θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ᾽ ἵκηαι,

is a Strabone e Citharœdo Stratonice adducitur de Asso Æolica: sed forte Stephanus scripsit Λυδίας: ita Lydia, Æolis & Mysia pro eadem regione positæ. Certe Mysiam prius regionem dictam, deinde Lydiam docet Scyl. Caryand. p. 142.

Hermeas Eunuchus mensarii cujusdam famulus Athenis, ubi Platonem & Aristotelem audivit, Assum reversus, domino tyrannidem in Atarnenses & Assenses molienti socium se præbuit: postea ei successit, & Aristotelem ac Xenocratem ad se invitavit: Aristoteli etiam filiam patruelis sui uxorem dedit: sed a Memnone Rhodio Persarum ministro & duce, specie amicitiæ & negotiorum invitatus, comprehensus, & ad Regem missus fuit: illic suspendio vitam finiit, Strabo *l*. XIII. p. 610.

Assensis fuit Cleanthes Stoicus, Zenonis Citiensis in schola successor, Strabo *l*. XIII. p. 610.

Gargara, urbs Troadis, a Lelegibus habitata, nomen accepit a Gargaro Jovis Larissæi e Thessalia filio, Stephan. Æolorum colonia, Mela *l*. I. c. XVIII. Gargara Assios coloniam deduxisse auctor Strabo: Ἀσσίων γὰρ ἐστι κτίσμα, inquit, Γάργαρα· οὐκ εὖ συνοικούμενα. ἐποίκους δὲ οἱ βασιλεῖς εἰσήγαγον ἐκ Μιλήτου πόλεως, ἐρημώσαντες ἐκείνην, ὥστε ἀντὶ Αἰολέων ἡμιβαρβάρους γενέσθαι φησὶ Δημήτριος αὐτοὺς ὁ Σκήψιος ἀντὶ Αἰολέων, *l*. XIII. p. 610. 611. Μετὰ δὲ τὴν Ἄσσον ἐστὶν Γάργαρα πλησίον πόλις, Ephorus *l*. V. apud Macrob. *Saturn*. *l*. V. cap. XX. Μετὰ δὲ τὴν Ἄτλην legit J. Meursius *Notis ad Macrob*. quod ita olim Ilium appellitatum, ut se ad Lycophronem docere scribit. Perperam. Μετὰ Ἄσσον πόλις ἐστὶν ὄνομα Γάργαρα. τούτης ἔχεται Ἄντανδρος, Phileas in eo libro qui inscribitur *Asia*, apud eundem Macrob. *d. l.* Gargara igitur hæc sunt in Mysia, quæ est Hellesponti provincia, ipse Macrobius *d. l.*

Gargaris docuit Diotimus (sic lege, pro *Didimus* e Macrobio) Adramyttenus, de quo Aratus dixit:

Αἰάζω ὅτι μοῦνος ἐνὶ πέτρῃσι κάθηται
Παισὶν Γαργαρέων βῆτα καὶ ἄλφα λέγων.

Stephan. Macrobius paulo aliter refert hunc versum *Saturn*. *l*. V. c. XX.

Αἰάζω Διότιμον, ὃς ἐν π. κ.
Γαργαρέων παισὶν β. κ. α. λ.

Arisba urbs Troadis, Mytilenæorum colonia: ejus conditores fuerunt Scamandrius & Ascanius Æneæ filius. Cephalon ait Dardanum e Samothracia in Troadem venisse, & Teucri Cretensis filiam uxorem duxisse Arisbam, a qua urbs nomen acceperit. Hellanicus eam Ateam vocat, Stephan. Teucri Trojani filiam Dardano nuptam Batean vocat Mnaseas apud Stephan. Milesiorum coloniam Arisbam vocat Strabo *l*. XIV. p. 635. ex Anaximene Lampsaceno. Asii Regiam eam videtur Homerus facere *Iliad*. B. v. 835. seqq.

A Rhœteum urbs Troadis Græca, Scyl. Car. p. 141. meminit ejus Herodotus *l.* VII. p. 456. Ἀστυπαλαιεῖς τὸ Ῥοίτειον κατασχόντες, Strabo *l.* XIII. p. 601.

Lamponia urbs Troadis, Stephan. Æolica, Strabo *loco cit.*

Dardanus urbs Troadis Græca, Scyl. Car. p. 141 prius Teucris appellabatur, Stephan. Ἀβύδῳ ὅμουρος, Herodot. *l.* VII. p. 456. Dardanus, surrepto e fano Minervæ Palladio, in Samothraciam abiit una cum sorore Harmonia & fratre Jasione: cum illic ageret, Cadmum Agenoris F. benevolentia sibi conciliavit. Isque, mortua Telephane, Harmoniam uxorem duxit, Dardanumque in Asiam cum sociis

B misit ad Teucrum Trojanum. Trojanus agnito Dardano Bateam filiam uxorem dedit, moriensque regnum reliquit. Dardanus urbem condidit, & Dardaniam eam regionem vocavit, quæ prius Teucris dicebatur, Mnaseas apud Stephan. In Samothracia Jasionem & Dardanum fratres habitasse: & fulmine cæso Jasione ob violatam Cererem, Dardanum relicta Samothracia concessisse habitatum sub montem Idam, in urbe quam Dardaniam vocavit, scribit Strabo *l.* VII. p. 331. Marcian. Περ. pag. 28.

C

Ων τὸν μὲν Ἰασίωνα δυσσέβημά τι
Πρᾶξαι περὶ Δήμητρος λέγουσ' ἄγαλμα, καὶ
Πληγῇ κεραυνωθέντα δαιμονίᾳ θανεῖν.
Τὸν Δάρδανον δὲ λιπόντα τοὺς τόπους πρῶτον
Πρὸς τὴν ὑπώρειάν γε τῆς Ἴδης κτίσαι
Πόλιν ἀφ' ἑαυτοῦ Δαρδανίαν καλουμένην.

Dardanus a Daurise Persa capta fuit, Herodot. *l.* V. p. 378.

Dardanum liberandi causa Romanis fuit, victo Antiocho, originum memoria, Livius *l.* XXXVIII.

D Ilium urbs Troadis Græca, Scyl. Caryand. pag. 141. nomen accepit ab Ilo, Stephan. Τοῦτον (Ἶλον) παραδεδώκασι τὴν Ἰλίου κτίσιν, ἀφ' οὗ καὶ τὴν ἐπωνυμίαν λαβεῖν τὴν πόλιν, Strabo *l.* XIII. p. 601. Ilio urbe, bello, excidioque clarissima, Mela *l.* I. c. XVIII. vide Homer. & Smyrnæum. Ἰλίου ἅλωσιν scripsit Tryphiodorus libro singulari. Ἅλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantavit Nero, Sueton. *Nerone* cap. XXXVIII. Eum vero, qui Ilium instaurare vellet, Agamemnon more prisco diris devovit: quemadmodum & Crœsus, eversa Sidene, eos exsecratus fuit, qui locum illum rursus mœnibus cingerent, Strabo *l.* XIII. p. 601. Instaurata post ex-

E cidium fuit tamen hæc urbs: vide Strabon. *l.* XIII. p. 597. seqq. Αἰολέων τῶν ὕστερον οἰκησάντων Ἴλιον, Pausan. *Attic.* p. 66. Sub Iliensibus erat postea tota maritima regio, quæ est ad Dardanum: & etiamnum sub illis est; olim vero pleraque erant sub Æolensibus: adeo ut Ephorus ausit totam regionem, quæ est ab Abyda usque ad Cumam, vocare Æolidem, Strabo *l.* XIII. p. 600. Αἰολέων οἱ Ἴλιον ἐφ' ἡμῶν ἔχοντες, Pausan. *Arcad.* p. 476.

Iliensibus Rhœteum & Gorgithum addiderunt Romani victo Antiocho, non tam ob recentia ulla merita, quam originum memoria, Livius *lib.* XXXVIII.

F Iliensibus, quasi Romanæ Gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisit Claudius Imp. recitata vetere Epistola Græca Senatus populique R. Seleuco Regi amicitiam & societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset, Sueton. *Claudio* cap. XXV. vide Tacitum *Annal.* *l.* XII.

Achilleon oppidum Troadis juxta tumulum Achillis conditum a Mytilenæis, & mox Atheniensibus, ubi classis ejus steterat, Plinius *l.* V. c. XXX.

Phantia, urbs Troica, condita a Cumæis, Stephan.

Smyrna Amazonum una, quæ Ephesum occuparat, nomen suum urbi Naulocho dedit, quam Tantalus condiderat, & incoluerat, Stephan. Atque tum Ephesii & Smyrnæi simul habitabant. Ἦσαν γὰρ αὐτοῖς (Ἐφεσίοις οἱ Σμυρναῖοι) σύνοικοι τὸ παλαιὸν, ἡνίκα καὶ Σμύρνα ἐκαλεῖτο ἡ Ἔφεσος, Strabo *l.* XIV. p. 633. Ἐκλήθη δὲ (Σμύρνα ἡ Ἔφεσος) ἀπὸ μιᾶς τῶν Ἀμαζόνων, (Σμύρνης) ἣν καὶ βασίλισσαν καὶ πρόπολον Ἀρτέμιδος εἶναί φησιν, Stephan. Callinus in *oratione ad Jovem*, Ephesios vocat Smyrnæos, Σμυρναίους δ' ἐλέησον. Smyrna vero Amazon fuit, quæ Ephesum occupavit: a qua & urbi & incolis nomen: & locus quidam Ephesi Smyrna vocabatur, teste Hipponacte. ᾤκει δ' ὄπισθεν τῆς πόλιος ἐν Σμύρνῃ μεταξὺ Τρηχείης τε καὶ Λέπρης ἀκτῆς. Postea Smyrnæi ab Ephesiis secedentes, eum locum, in quo postea Smyrna fuit, & a Lelegibus tum tenebatur, armis occuparunt, ejectisque Lelegibus, veterem Smyrnam condiderunt, Strabo *l.* XIV. p. 633. 634.

Smyrnæi, ab Æolibus urbe pulsi, Colophonem confugerunt, Strabo *l.* XIV. p. 634.

Smyrnam Cumæi Æoles in Hermei sinus recessu condiderunt: Theseus autem princeps Thessalorum, qui Cumam condiderant, ab Eumelo Admeti filio oriundus, suæ uxoris monumentum relinquere cupiens, de ejus nomine Smyrnam vocavit urbem, Herod. *Vita Homeri.* Smyrnam a Theseo conditam quoque scribit Isidorus *Orig.* *l.* XV. c. I. item Aristides. Smyrnæi repetita vetustate, seu Tantalus Jove ortus, illos, sive Theseus, divina & ipse stirpe, sive una Amazonum, condidisset, Tacitus *Annal.* *l.* IV.

Smyrnæi, qui ab Æolibus pulsi Colophonem fugerant, cum Colophoniis regressi, patriam receperunt, Strabo *l.* XIV. p. 634. Colophonii enim per seditionem Colophone pulsi, & a Smyrnæis Æolibus in urbem recepti, eosdem extra urbem Bacchi sacra celebrantes, urbe excluserunt. Succurrentibus autem Æolibus universis, sic inter eos transactum fuit, ut si Iones supellectilem Æolibus redderent, Æoles Smyrna cederent. Itaque ex hoc pacto urbe cesserunt Æoles, & in reliquas XI. civitates Æolicas distributi fuerunt, Herodot. *l.* I. p. 69. 70. Σμύρναν ἐν ταῖς δώδεκα πόλεσιν οὖσαν Αἰολέων, καὶ οἰκουμένης τῆς χώρας, καθὰ καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι, πόλιν ἣν καλοῦσιν ἀρχαίαν, Ἴωνες ἐκ Κολοφῶνος ὁρμηθέντες, ἀφελόμενοι τοὺς Αἰολεῖς, ἔσχον, Pausan. *Achaic.* p. 404. Mimnermus in *Nanno:*

Ἡμεῖς δ' αἰπὺ Πύλον Νηλήιον ἄστυ λιπόντες
Ἱμερτὴν Ἀσίην νηυσὶν ἀφικόμεθα,
Ἐς δ' ἄρα τὴν Κολοφῶνα βίην ὑπέροπλον ἔχοντες,
Ἑζόμεθ' ἀργαλέης ὕβριος ἡγεμόνες.
Κεῖθεν δ' Ἀστήεντος ἀπορνύμενοι ποταμοῖο,
Θεῶν βουλῇ Σμύρναν εἵλομεν Αἰολίδα.

Smyrna itaque urbs Ioniæ facta. Σμύρνα πόλις Ἰωνίας, Stephan. Χρόνῳ δὲ ὕστερον καὶ Ἴωνες μετέδωσαν Σμυρναίοις τοῦ ἐν Πανιωνίῳ συλλόγου, Pausan. *Achaic.* p. 404. Προσελήφθη δὲ ὕστερον καὶ Σμύρνα εἰς τὸ Ἰωνικὸν ἐναγόντων Ἐφεσίων, Strabo *l.* XIV. p. 633.

Smyrnam Lydi diruerunt. Inde per CCCC. annos per pagos habitarunt Smyrnæi, Strabo *l.* XIV. p. 646. Ab Ionibus dirutam scribit Herodotus *l.* I. p. 69.

Smyrnam novam condidit Alexander Philippi F. Cum enim in Pago monte venaretur, post venationem ad fanum Nemesium accessit, illicque ad platanum juxta fontem ante templum enatam obdormivit, & per quietem a Nemesibus jussus fuit

eo in loco urbem condere, & Smyrnæos eo deducere e pristinis sedibus. Smyrnæi, Claron missis consultoribus, responsum tulerunt:

> Τρισμάκαρες κεῖνοι καὶ τετράκις ἄνδρες ἔσονται,
> Οἳ Πάγον οἰκήσουσι πέρην ἱεροῖο Μέλητος.

Ita Smyrnæi eo non inviti transmigrarunt, Pauf. *Achaic.* p.404. 405. Μὴ γάρ μοι Λυσίμαχον ἔτι, μηδ' Ἀλέξανδρον αὐτὸν, μηδὲ Θησέα καὶ μύθους. ἀλλ' ὑμεῖς οἰκισταὶ τῆς πόλεως (Σμύρνης) γενέσθε, Aristides. Antigonum urbem instaurasse, ac postea Lysimachum, scribit Strabo *l.* XIV. p. 646.

Smyrna libertatem usurpabat: periculumque erat, ne eam in Æolide Ioniaque aliæ urbes sequerentur: igitur Antiochus Rex ipse ab Epheso ad eam obsidendam misit, Livius *l.* XXXIII. Smyrnæi vero ultima pati, quam se Regi tradere maluerunt: collaudatos itaque egregie, eos pro singulari fide, quam eo bello præstiterunt, & agro donarunt, & in omni præcipuo honore habuerunt Romani, Livius *libb.* XXXVII. & XXXVIII.

IONES.

Ionum multo maxima pars in coloniam deducta fuit, cum Atheniensibus, quicunque nomina dedissent, a Nileo, cæterisque Codri filiis: contribuerant se in eam coloniam Ionibus, e Græciæ populis Thebani primum Philotam sequuti, Penelei nepotem: ex Orchomeniis Minyæ: Phocenses, exceptis Delphis: Abantes ex Eubœa. Phocensibus naves ad transmittendum dederunt, & ipsi classis duces exstiterunt, Philogenes & Damon Athenienses, Euctemonis filii, Pausan. *Achaic.* p. 398. Pylios quoque, qui cum Melantho Athenas concesserant, communiter una cum Ionibus in coloniam abiisse scribit Strabo *l.*XIV. p. 633. Subsequenti tempore magna vis Græcæ juventutis, abundantia virium sedes quæritans, in Asiam se effudit: nam & Iones, duce Ione profecti Athenis, nobilissimam partem regionis maritimæ occupavere, quæ hodieque appellatur Ionia, urbesque constituere, Ephesum, Miletum, Colophona, Prienen, Lebedum, Myuntem, Erythram, Clazomenas, Phocæam: multasque in Ægæo atque Icario occupavere insulas, Samum, Chium, Andrum, Tenum, Pharum, Delum, aliasque ignobiles, Vellejus Paterc. *l.* I. Ionicæ coloniæ ducem Androclum Codri F. fuisse scribit Pherecydes, Strabo *l.* XIV. init. vide in *Ephesiis*. Placuit autem Ionibus XII. civitates, ad quas Panionium pertineret, constituere, propterea quod totidem civitatibus habitassent, dum Peloponnesum incolebant. Nomina urbium sunt: Miletus, Myus, & Priene in Caria sitæ, adeoque lingua cum ea conveniente utentes: Ephesus, Colophon, Lebedos, Teos, Clazomenæ, Phocæa in Lydia, cum Caricis, quoad linguam non convenientes, sed alias consentientes: Samus & Chius in insulis: Erythræ in continenti: Chiis & Erythræis eadem lingua est: Samii peculiarem sibi habent, Herodot. *l.* I. p. 66. 67. 68. Ἰωνία, χώρα. καὶ Ἰωνίας πόλεις ιβ'. ἃς ἀποικίζει Νειλεὺς ὁ Κόδρου. εἰσὶ δὲ, &c. Suidas. Ἔκτισαν δὲ δώδεκα πόλεις ἐν τῇ παραλίᾳ τῆς Καρίας καὶ τῆς Λυδίας. εἰς τοσαῦτα μέρη διελόντες σφᾶς, ὅσα καὶ ἐν τῇ Πελοποννήσῳ κατεῖχον, Strabo *l.* VIII. p. 383. Verum quod hi præcipue, magisve aliis Iones sint, aut præstantius quicquam gesserint, magna dementia esset asseverare, cum ex his Abantes sint, Eubœæ hautquaquam minima portio, qui tamen cum Ionum nomine nihil habent commune: & Minyæ Orchomeniis admixti, Cadmæi quoque, Dryopes, Phocenses, Molossi, Arcades, Pelasgi, Dores, Epidaurii, atque aliæ nationes commistæ fuerint. E quibus ex Atheniensium Prytaneo egressi, nobilissimos se Ionum existimarunt: qui cum coloniam ducerent, uxorum loco mulieribus Caricis violenter ad concubitum raptis usi sunt, quarum parentes, viros, liberos, jam ante interemerant: ob quam cædem mulieres Caricæ legem tulerunt inter se jurejurando firmatam, suisque filiabus traditam, ne qua unquam cum suo marito cibum caperet, aut cum proprio compellaret nomine. Hæc Mileti gesta. Reges vero crearunt partim Lycios, Glauco Hippolochi F. oriundos: partim Cauconas Pylios e Codri Melanthi F. progenie, partim ex utrisque. Sed nomen Ionum inter cæteros maxime amplectuntur. Et sunt quidem illi veri ac genuini Iones: omnes tamen Ionum nomenclaturæ participes sunt, quotquot Athenis oriundi Apaturia celebrant. Celebrant autem omnes præter Ephesios & Colophonios, qui soli Ionum ab iis arcentur, ob cædem patratam. Est autem Panionium locus Mycales sacer, ad septentrionem vergens, communiter ab universis Ionibus Neptuno Heliconio dicatus. Huc collecti universi Iones sacrum operantur, quod Panionia vocant, Herodot. *l.* I. p. 68. 69. Cares vero quondam tenuisse Miletum, Myuntem, & quæ sunt circa Mycalen atque Ephesum loca: reliquam usque ad Phocæam, Chium & Samum oram, cui Ancæus præfuit, Leleges: utrosque ab Ionibus ejectos in reliquas Cariæ partes demigrasse scribit Pherecydes, Strabo *l.* XIV. init. Euripid. *Ion.* v. 1581. seqq.

> —— οἱ τῶν δὲ (Ionis filiorum) δ' αὖ
> Παῖδες γενόμενοι σὺν χρόνῳ πεπρωμένῳ
> Κυκλάδας ἐποικήσουσι νησαίας πόλεις,
> Χέρσους τε παράλους, ὃ σθένος τἠμῇ χθονὶ
> Δίδωσιν. ἀντίπορθμα δ' ἠπείροιν δυοῖν
> Πεδία κατοικήσουσιν, Ἀσιάδος τε γῆς
> Εὐρωπίας τε. Τοῦδε δ' ὀνόματος χάριν,
> Ἴωνες ὀνομασθέντες ἕξουσιν κλέος.

In Iones Cimmerii expeditionem susceperunt, nullam tamen urbem everterunt, sed tantum per incursiones prædas abegerunt, Herodot. *lib.* I. p. 3. Καὶ γὰρ καθ' Ὅμηρον, ἢ πρὸ αὐτοῦ μικρὸν φασὶ τὴν Κιμμερίων ἔφοδον γενέσθαι, τὴν μέχρι τῆς Αἰολίδος καὶ τῆς Ἰωνίας, Strabo *l.* III. p. 149.

Iones subegit Crœsus, Herodot. *l.* I. p. 3. Singulos enim carptim fuit aggressus, alias in alios, in quosdam etiam frivolas prætendens causas, eosque vectigales fecit. Etiam Insulanos aggredi constituit, classe in eum finem comparata. Sed cum omnia in promptu essent ad compingendas naves, Bias Prienæus, vel, ut alii volunt, Pittacus Mytilenæus, Sardes venit, rogatusque a Crœso, quid rei in Græcia ageretur, Insulani, inquit, o Rex, magnum equitatum parant, quo Sardes atque te aggrediantur. Et Crœsus eum vera dixisse ratus, Utinam, inquit, eam mentem Dii dent Insulanis, ut equestribus cum copiis Lydos invadant. Tum subjiciens alter, Videris, inquit, o Rex, cupide vota facere, ut Insulanos equitantes in continente adipiscaris, haut absurda spe. Nec alia vota Insulanorum esse cogita, quam ut in te, classe adversus ipsos rem gerentem, in mari interceptum, injuriam Græcis, qui in continente sunt, cum servitute illatam ulciscantur. His verbis delectatus Crœsus, a paranda classe destitit, & cum Ionibus Insulanis hospitalem amicitiam contraxit, Herodot. *l.* I. p. II.

Iones atque Æoles a Cyro per Legatos sollicitati, ut a Crœso deficerent, in fide constanter perseverarunt. At Crœsi rebus accisis, ipsi ultro ad Cyrum Legatos miserunt, postulantes iisdem ab ipso recipi conditionibus, quibus Crœso subjecti

fuerant. Verum Cyrus, Tibicen, inquit, conspectis in mari piscibus, tibia cœpit canere, ratus eos in terram progressuros; sed cum spe decidisset, jacto in mare verriculo magnam vim piscium captam extraxit. Cumque palpitantes eos in sicco cerneret, eos sibi a saltando temperare jussit, quod ipso canente noluissent in terram saltu egredi. Iones cum frustra legatio fuisset apud iratum Regem, ad suas quique civitates reversi, & mœnibus urbes cinxerunt, & conventu in Panionium facto decreverunt Spartam Legatos mittere, Ionibus auxilia petituros, Herodot. *l.* I. p. 66. Princeps legationis ab Ionibus & Æolibus missæ fuit Pythermus Phocæensis: is purpurea veste indutus, in frequenti Spartanorum conventu, verbis multis a Lacedæmoniis opem Ionibus ferri postulavit; sed frustra Herodot. *l.* I. p. 70. Iones vero Insulani nihil sibi periculi fore rati, quamdiu Phœnices Persis nondum subjecti erant, nec Persæ ipsi navibus utebantur, a reliquis Ionibus defecerunt, non aliam ob causam, quam, quia cum imbecilles essent omnes alii Græci, tum Iones oppido quam infirmissimi fuerunt, & nullius prope momenti: siquidem præter Athenas, nulla urbs alia insignis erat: atque adeo & Athenienses, & alii Iones, nomen Ionum refugerunt, nec Iones appellari voluerunt, Herodot. *l.* I. p. 67. Magnam porro Iones navium copiam sibi Cyri temporibus compararunt, belloque contra Cyrum suscepto, maris agro suo vicini imperium ad tempus obtinuerunt, Thucyd. *l.* I. p. 11. Cæterum prælio commisso cum Harpago Cyri duce pro sua quisque patria fortiter pugnantes, superati captique, in suis sedibus remanserunt, imperata facientes: exceptis Phocæensibus & Teiis, qui servitutis impatientes solum patrium reliquere. Sed & Insulani Iones eorum, qui in continente habitabant, exemplo territi, Cyro se ultro dediderunt, Herodot. *l.* I. p. 77. *Κῦρος ὁ Καμβύσεω Ἰωνίην πᾶσαν πλὴν Ἀθηναίων κατεστρέψατο δασμοφόρον εἶναι Πέρσῃσι*, Herodot. *l.* VII. pag. 459.

Iones & Æoles pro paternis servis habuit Cambyses, Herodot. *l.* II. p. 100.

Iones cum Æolibus & Hellespontiis classem Darii, cum adversus Scythas expeditionem susciperet, duxerunt, Herodot. *l.* IV. p. 287. Inter eos auctoritate apud Darium valebant Hellespontiorum Tyranni, Daphnis Abydenus, & Hippoclus Lampsacenus, & Erophantus Parianus, & Metrodorus Proconnesius, & Aristagoras Cyzicenus, & Ariston Byzantius: Ionum Stratias Chius, & Æacides Samius, & Laodamas Phocæensis, & Histiæus Milesius: Æolum Aristagoras Cumæus, Herodot. *l.* IV. p. 305. Jussique sunt Iones in Pontum navigare usque ad Istrum, illicque Darium præstolari, & fluvium ponte jungere, Herodot. *l.* IV. p. 287. Transmissis per pontem Darii copiis, consilio Cois Mytilenæorum ducis, relicti illic fuere Iones ad conservandum ac custodiendum pontem, Herodot. *l.* IV. p. 290. 291. Sollicitatique deinde a Scythis ad solvendum pontem, cum Miltiades Chersonesi Tyrannus obtemperandum Scythis censeret, Histiæi Milesii Tyranni tamen sententiæ accesserunt omnes, & partem quidem pontis, quæ versus Scythas spectabat, solverunt, non amplius tamen quam ad teli jactus spatium, ne nihil facere viderentur, utque a Scythis tuti essent. Scythæ eam ob rem Iones pessimos & ignavissimos judicant, eosque mancipia dominorum amantia & minime fugitiva vocant, Herodot. *l.* IV. p. 302. 303. 304. 305. 306. Darius vero quamprimum transmisso Hellesponto Sardes pervenit, memor beneficii ab Histiæo in se collati, & consilii a Coe dati, Histiæo Myrcinum Edonidem petenti dedit: Coem vero Mytilenes Tyrannum constituit, Herodot. *l.* V. p. 332.

Iones, auctore Aristagora Mileti Procuratore, a Dario defecerunt. Histiæus enim Mileti Tyrannus, cum ægre ferret se a Dario distineri, per hominem, quem e servis habebat fidissimum, Aristagoram ad defectionem sollicitavit. Ejus servi caput raserat, rasoque literas, quibus defectionem suadebat, impresserat, nec ante Miletum eum misit, quam capilli renati fuissent: cumque mitteretur, nihil aliud præcepit Histiæus, quam ut Aristagoras raderet iterum servi caput, idque inspiceret. Aristagoras re communicata cum suæ factionis hominibus, Histiæo obtemperavit. Hecatæus tamen Historicus initio bellum dissuasit, potentiam Darii commemorans, sed frustra: ergo secundo loco suasit mare classe occupandum, & pecuniam in Branchidis a Crœso repositam rapiendam. Quod autem primum actum est, hoc fuit. Itagoras Myuntem missus, ubi classis erat e Naxo reducta, classiorum duces Oliatum Ibanolis F. Mylassensem, & Histiæum Tymnis F. Termenensem, & Coem Exandri F. Mytilene a Dario donatum, & Aristagoram Heraclidis F. Cumæum comprehendit. Aristagoras, quo promptiores ad rebellandum haberet Milesios, deposita tyrannide, juris æquabilitatem civitati reddidit. Idem in reliqua deinde Ionia fecit: aliis Tyrannorum ejectis, aliis, quos in navibus ceperat, traditis civitatibus, ut illis gratificaretur. Et Mytilenæi quidem suum Coem lapidibus obruerunt: Cumæi suum dimiserunt. Tyrannis submotis passim ex urbibus, Aristagoras, in singulis singulos magistratus constitui jussit: ipse pro Legato Lacedæmonem cum triremi missus fuit: nam magnis auxiliis opus erat, Herodot. *l.* V. p. 342. 343. 344. Sed Lacedæmoniis frustra sollicitatis ad liberandam dominatu Persarum Ioniam, Athenas profectus fuit, Herodot. *l.* V. p. 347. 348. 349. 350. 351. Ibi viginti naves ab Atheniensibus impetravit: classem Atticam auxerunt Eretriorum triremes quinque, ad reddendam Milesiis gratiam, quod bello Chalcidensi Milesii juvissent Eretrios, cum Samii opem Chalcidensibus tulissent. Aristagoras vero eam & aliorum sociorum classem Ephesum misit ducibus fratre Charopino & Hermophanto. Ephesique relictis navibus, Sardes progressi Iones urbem quidem ceperunt, præter arcem, quam ipse Artaphernes non exiguis cum copiis tutabatur: cumque pleræque domus Sardibus essent arundinaceæ, quæque lateritiæ erant, tamen ex arundinibus lacunaria haberent, earum una a milite incensa, flamma repente totam urbem corripuit consumpsitque. Lydi vero & Persæ, ardente urbe, in forum conglobati ad sui defensionem, metu perculerunt Ionas, ut ad montem Tmolum, & deinde insequente nocte ad naves se Ephesum reciperent. Illic congressi cum Persis, qui opem laturi Lydis eo confluxerant, fusi fugatique multos suorum amisere, & in his cum alios illustres viros, tum etiam Eualcidem Eretriorum ducem, Simonidis Cei carminibus celebratum. Qui e pugna evasere, per urbes dissipati fuerunt. Athenienses, quamvis Aristagora per nuncios obnixe flagitante, negarunt se ultra Ionibus auxilio futuros. Iones ab Atheniensibus deserti, nihilo segnius adversus Darium bellum pararunt: & Hellespontum invecti, Byzantium, & vicinas alias urbes omnes in suam potestatem redegerunt. Inde evecti magnam Cariæ partem in belli societatem adsciverunt: iisque Cyprii omnes, exceptis Amathusiis ultro accesserunt, Herodot. *lib.* V. p. 372. 373. 374. Iones Onesilo Amathuntem oppugnanti auxilium ferentes, Phœnicas, qui Amathusiis auxilio venerant,

prælio navali strenue pugnantes superarunt. Sed cum perditas deinde res Onesili, & urbes Cypria Persis obsideri intellexissent, in Ioniam redire maturaverunt. Nec multo post a Darii ducibus receptæ fuere urbes, quas Iones occuparant, Clazomenis etiam ex Ionia captis una cum Æolicis urbibus, quæ in Iliade sunt, & Cuma, Herodot. *l.*v. p. 376. 377.378.

Ionas reducturi in suam potestatem Persæ, cæterorum oppidorum minore habita ratione, Miletum primum adorti fuerunt, adscitis in auxilium Phœnicibus & Cypris recens subactis, & Cilicibus, & Ægyptiis, classemque instruxerunt IϽC. navium. Adversus tanti periculi magnitudinem, Ionibus, qui in Panionium convenerant, saluti patriæ consulturi, visum fuit quoque classem armare, & primo quoque tempore prælio navali rem committere: aciemque ita instruxerunt, ut cornu, quod auroram versus erat, naves Milesiorum LXXX. tenerent: iis proximæ Prienensium XII. Myusiorum III. Teiorum XVII. & Chiorum C. jungerentur: ultra eas Erythræorum VIII. & Phocæensium III. collocarentur: quibus Lesbiorum LXX. adhærerent: ultimum locum & cornu occasum versus Samiorum LX. naves tenerent. Numerus navium Ionicarum erat CCCLIII. Habuerunt & Æoles socios. Persæ eum Ionum apparatum formidantes, ad alias artes animum converterunt: convocatisque Ioniæ Tyrannis, qui dejecti ab Aristagora dominatu, ad Medos confugerant, jamque adversus Miletum militabant, auctores fuerunt, ut suos quique populares, metu injecto malorum, quæ a victoribus Persis passuri essent, a reliquis sociis abducerent. Sed Iones surdas Tyrannis id suadentibus præbuerunt aures. Interim Dionysius dux Phocæensis, accepto quod petebat, totius classis imperio, Ionas in classe frequentibus militaribus laboribus exercuit: quos illi in septimum usque diem pertulere. Tum vero non amplius ferendam hominis Phocæensis, trium navium ducis, superbiam clamaverunt, & ejusmodi laborum inexperti, ac defatigatione simul & solis æstu afflictati, ei ultra parere recusarunt. Id ubi Samiorum duces animadverterunt, memores eorum, quæ Persarum nomine dixerat Æaces, suis rebus consulendum duxerunt: pugnaque navali commissa, sublatis velis ex acie, ut fertur, excesserunt, præter X. naves, quarum trierarchi, spreto ducum imperio, pugnæ interesse voluerunt: quorum nomina, ut egregiorum virorum, ob hoc factum Populus Samius columnæ inscribenda curavit. Lesbii deinde, exemplo Samiorum, primi in fugam se dederunt: mox & Ionum bona pars. Inter eos qui perstiterunt, Chii asperrime tractati fuerunt, quippe qui egregia facinora ederent, & nullum laborem detrectarent. Tandem multis hostium navibus captis, suarum pluribus amissis, cum reliquis ad sua perfugerunt, quorum vero naves ab hoste laceratæ erant, adeoque invalidæ, ii insequente hoste ad Mycalen fugientes, impactis terræ navibus, relictisque, pedestri itinere in Ephesium agrum pervenere: quos Ephesii noctu ad urbem contendentes conspicati, fures, & ad mulieres, quæ tum forte Thesmophoria agitabant, tendere rati, ad vim propulsandam accurrentes, omnes occiderunt. Dionysius Phocæensis, captis tribus hostium navibus, in Phœniciam ivit: unde, direptis navibus onerariis & ingenti pecunia accepta, in Siciliam navigavit: ubi latrociniis Carthaginenses ac Tyrrhenos, Græcum nullum, vexavit. Tandem Miletus, pulsis mari Ionibus, a Persis expugnata fuit, Herodot. *l.* VI. p. 182. seqq. Mileto capta, haut difficulter insulas continenti objectas, Chium, Lesbum, Tenedum, occupa-

A runt Persæ; sed & in continente Ionicas urbes ceperunt: & ut quaque potiti sunt, selectos formosissimos quosque pueros castrarunt: virginesque forma præstantissimas ad Regem traduxerunt, ipsasque urbes cum templis exusserunt. Ita tertium Iones subacti fuerunt, primum a Lydis, iterum ac tertium a Persis, Herodot. *lib.* VI. p. 391. Artaphernes porro Sardium Prætor ad mutuam inter sese pacem adegit, ut jure inter se agerent, ac a mutuis direptionibus abstinerent: inde regionibus per parasangas divisis, vectigal instituit, quod Iones Regi penderent, Herodot. *libr.* VI. pag. 395. Id ad suam ætatem eos pependisse idem B scribit.

Iones & Æoles pars classis Persicæ erant, cum Darius armis Græciam invaderet, Herodot. *lib.* VI. p. 417.

Iones C. naves præbuerunt Xerxi Græciam invadenti: Insulani XVII. Herodot. *l.* VII. p. 470.

Ex Ionibus ii, qui Græcis favebant, inviti militarunt, & Græcorum vicem doluerunt, cum viderent eos ad Artemisium a classe Xerxiana undique conclusos, veriti ut quis eorum evaderet: adeo infirmæ res Græcorum videbantur. At ii Iones, quibus ea expeditio grata erat, pro se quis- C que primus, annitebantur, navi aliqua Atheniensi capta, donum a Rege accipere, Herodot. *lib.* VIII. p. 531. Iones in prælio ad Salaminem Lacedæmoniis oppositi erant: eorum pauci, hortante Themistocle, ignaviter agebant, plerique vero minime, Herodot. *l.* VIII. p 557. At tanquam proditores apud Xerxem a Phœnicibus insimulabantur, utpote quorum culpa naves perirent. Sed dum Phœnices hæc loquuntur, navis Samothracia Atticæ impacta, eam depressit, & in hanc Æginetica impulsa, ipsam demersit. Ibi Xerxes conspecto eo Ionum facinore egregio, Phœnicum capita præcidi jussit, quod cum ipsi imbelles essent, D fortes viros criminati fuissent, Herodot. *lib.* VIII. p. 559. Complurium quod trierarchorum nomina possent commemorari, qui Græcas naves expugnarunt: inter alios Theomestor Androdamantis F. Samius Sami Tyrannidem consequutus fuit: & Phylacus Histiæi F. Samius quoque, inter bene de Rege meritos adscriptus, & magno terræ tractu donatus fuit, ob navatam eo prælio Persis operam, Herodot. *l.* VIII. p. 557.

Iones, qui in classe Xerxis erant ad Mycalen, Leutychides, navem quam proxime poterat littori applicans, per Præconem sollicitavit, ut, simulac prælium inciperet, meminissent ante omnia E libertatis & deinde tesseræ Hebes: quod eo fine factum, ut si hoc præceptum clam Barbaris esset, Iones ad obsequendum induceret; sin minus, Græcis suspectos redderet. Cum autem conferenda pugna esset, scirentque Persæ sollicitatos fuisse Iones, Samiis, quos suspectos, & cum Græcis sentientes, habebant, arma ademerunt. Nam Samii captos in Attica Athenienses a Xerxe, & in classem Barbarorum traductos, eos omnes solutos Athenas cum viatico remiserant. Milesiis adhæc tanquam locorum gnaris Persæ imperarunt, ut quæ ad Mycales cacumina ferrent, custodirent: quod eo consilio factum, ut Milesii ab exercitu F abessent, Herodot. *l.* IX. p. 625. 626. Samii porro, qui apud Persas militabant, quibusque adempta arma fuerant, commissam pugnam ubi viderunt statim ab initio in alteram inclinare partem, Græcis suppetias ivere, quantum poterant. Quorum exemplum imitati cæteri Iones, defectione facta & ipsi Barbaros invaserunt. Milesii vero, qui ad custodiendos viarum exitus in Persarum gratiam collocati fuerant, Barbaros per vias alias in Græcos deduxerunt, & ad extremum in iis occidendis

animum maxime hostilem declararunt. Atque hunc in modum Ionia iterum a Persis defecit, Herodot. *l.* IX. p. 628.

Ephesus Caystri fl. ut ferunt filius, urbi Epheso nomen dedit. Is cum Creso homine indigena templum Ephesium condidit: incolebant tunc eam oram Leleges Carici nominis, & Lydorum pars magna: sed & sedes & domicilia fixerant circum templum supplicandi causa, tum alii, tum Amazonici generis mulieres, Pausan. *Achaic.* p. 399. Ἔφεσον κληθῆναί φασιν ἀπὸ μιᾶς τῶν Ἀμαζόνων. οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ τὸν Ἡρακλέα ταῖς Ἀμαζόσιν ΕΦΕΙΝΑΙ τὰ ἀπὸ Μυκάλης ἕως Πιτάνης, Heraclid. *de Polit.* Τὴν δὲ πόλιν ᾤκουν μὲν Κᾶρές τε καὶ Λέλεγες, Strabo *l.* XIV. p. 640. Amazonas condidisse templum Ephesium, quando adversus Athenas & Theseum expeditionem susceperant, auctor est Pindarus. Sed Thermodonteæ istæ mulieres sacra fecerunt etiam tunc, quippe quæ templum illud jam olim nossent, & quo tempore Herculem, & multo ante Bacchum ugiebant, supplices eo se recepissent, Pausan. *Achaic.* p. 399. Τὸν δὲ νεὼν τῆς Ἀρτέμιδος πρῶτος μὲν Χερσίφρων (Ἀρχίφρων al.) ἠρχιτεκτόνησεν. εἶτ' ἄλλος ἐποίησε μείζω, Strabo *l.* XIV. p. 640. Dianæ clarissimum templum Amazones Asia potitæ consecrasse traduntur, Mela *l.* I. c. XVII. Dionys. Περ. v. 827. seq.

Παραλίην Ἔφεσον μεγάλην πόλιν Ἰοχεαίρης,
Ἔνθα θεῇ ποτὲ νηὸν Ἀμαζονίδες τετύκοντο.

Id templum a quodam, immortale nomen inde sibi captante, exustum fuit: sed spe excidit. Cautum enim fuit, ne quis ejus nomen indicaret, Eustath. *in Dionys.* Περ.

Ab Herostrato quodam combustum templum fuisse; sed aliud præstantius erectum, collato ad hoc mundo muliebri, & suis facultatibus, prioribus etiam columnis venditis: testarique id, quæ tum facta fuerunt decreta, refert Strabo *l.* XIV p. 640. Τὸ τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος ἱερόν, ἣν μεγαλειότητα αὐτῆς, ἣν ὅλη ἡ Ἀσία, καὶ ἡ οἰκουμένη σέβεται, ait Demetris ἀργυροκόπος *Actor.* XIX. 27. Sacros Dianæ reditus e lacubus apud Ephesios, Reges Deæ eripuerunt: Romani restituerunt: sed Publicani vi rursus ad se vectigalia traxerunt. Artemidorus vero legatus missus Romam, datis judicibus evicit, ut lacus Dianæ restituerentur, & Heracleotis descifcens Ephesiis adjudicaretur: in cujus meriti gratiam Ephesiorum civitas ei auream in templo statuam posuit, Strabo *l.* XIV. p. 642. Ephesii memorarunt, non ut vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos: esse apud se Cenchrium amnem, lucum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam & oleæ, quæ tum etiam maneat, adnisam, edidisse ea numina: Deorumque monitu sacratum nemus. Atque ipsum illic Apollinem, post interfectos Cyclopas, Jovis iram vitavisse. Mox Liberum Patrem bello victorem, supplicibus Amazonum, quæ aram insederant, ignovisse: auctam hinc concessu Herculis, cum Lydia poriretur, cerimoniam templo: neque Persarum ditione deminutum jus. Post Macedonas, deinde Romanos servavisse, Tacitus *l.* III. *Annal.*

Ephesii olim Smyrnæi appellati fuerunt, a Smyrna Amazone: vide in *Smyrnæis*. Ephesum Trachian olim vocatam, item Ortygiam, & Ptelеam. Ephesum vero appellatam ab Epheso fœmina, Dianæ ministra, matre Amazonis, quæ Amazonibus nomen dedit; alios vero dicere, Amazonas Hercule persequente fugientes ad aram Dianæ confugisse, illicque veniam impetrasse: atque inde locum Ephesum vocasse, quasi Ἄφεσιν, scribit Eustath. *in Dionys.* Περ.

Σαμόρνα καὶ Σάμορνος etiam Ephesus vocabatur, Stephan.

Androclus Codri F. Ionum, qui Ephesum venerant, dux, Lelegas & Lydos in superiore urbis parte habitantes ejecit: sacræ vero areæ inquilini, fœdere cum Ionibus icto, omni belli metu caruerunt, Pauf. *Achaic.* p. 399. Pherecydes ait Androclum Codri filium legitimum, principem Ionicæ coloniæ deducendæ fuisse, & Ephesum condidisse: propterea illic Regiam Ionum constitutam ajunt. Καὶ ἔτι νῦν οἱ ἐκ τοῦ γένους ὀνομάζονται βασιλεῖς, ἔχοντές τινας τιμάς, προεδρίαν τε ἐν ἀγῶσι, καὶ πορφύραν ἐπίσημον τοῦ βασιλικοῦ γένους, σκίπωνα ἀντὶ σκήπτρου, καὶ τὰ ἱερὰ τῆς Ἐλευσινίας Δήμητρος, Strabo *l.* XIV. init. Androclus etiam Samiis Samon ademit; eamque insulam ad quoddam tempus possederunt Ephesii, cum reliqua etiam contiguarum insularum vicinia. Atenim cum sedes pristinas recepissent Samii, Prienensibus contra Caras auxilium tulit Androclus: cumque Græci victores e prælio discessissent, ipse in pugna cecidit. Ejus cadaver sublatum Ephesii sepulturæ intra suos fines mandarunt, Pauf. *Achaic.* p. 399. Epigramma:

Ἐς πόλιν Ἀνδρόκλοιο θοῶν βασίλειαν Ἰώνων
Ταῦ δορὶ καὶ μάχαις αἰπυτάταν Ἔφεσον.

Ephesii viribus aucti, multum regionis Mæonibus, qui postea Lydi vocati sunt, ademerunt, Strabo *l.* XIII. p. 622.

Ephesiis Græcorum primis bellum intulit Crœsus. Ephesii ab eo obsessi, suam urbem Dianæ donarunt, fune ex æde Dianæ ad murum alligato: erat autem inter veterem urbem, quæ tum obsidebatur, & templum, septem stadiorum intervallum, Herodot. *l.* I. p. 11.

Ephesum belli officinam habuit Agesilaus Rex Spartanus bellum contra Persas gerens, Xenoph. *Agesil.* p. 418.

Ephesus, cum in loco cavo sita esset, aquarum eluvione obruta fuit, hominumque infinita multitudo periit. Lysimachus vero urbem instauravit, sed e vetere loco translatam: eamque de uxoris nomine Arsinoen appellavit; sed eo mortuo priscum nomen recepit urbs, Stephan. Lysimachum, cum novam urbem conderet, & ægre illuc traducerentur Ephesii, observasse impetuosum imbrem, & & ipsum adjuvisse, obstructis aquarum viis, adeo ut urbs inundaretur: ita ultro eos transmigrasse, scribit Strabo *l.* XIV. p. 640. De hac inundatione Duris Eleates Epigramma scripsit, cujus initium recitat Eustathius *in Dionys.* Περ. & integrum extat apud Stephan. item *Epigramm.* *l.* I. cap. LXX. §. XVIII.

Ἠέριαι νεφέλαι πόθεν ὕδατα πικρὰ πιοῦσαι
Νυκτὶ σὺν ἀστεμφεῖ πάντα κατεκλύσατε.
Οὐ Λιβύης, Ἐφέσου δὲ τὰ μυρία κεῖνα ταλαίνης
Αὔλια, καὶ μακάρων ἐς ἐτέων κτέανα.
Ποῦ δὲ σαωτῆρες τότε δαίμονες ἔτραπον ὄμμα,
Αἲ, αἲ τὰν Ἰάδων πολλὸν ἀοιδοτάτην.
Κεῖνα δὲ κύμασι, πάντα κυλινδομένοισιν ὁμοῖα
Εἰς ἅλα σὺν ποταμοῖς ἔδραμε πεπταμένοις.

Ephesum vero traducti Colophonii & Lebedii: vide suis locis.

Ephesum Eumeni Regi dederunt Romani, victo Antiocho, Livius *l.* XXXVIII.

Ephesii fuerunt, Heraclitus σκοτεινὸς dictus, Hermodorus, qui ab Ephesiis urbe pulsus fuit, dicentibus, ἡμέων μηδεὶς ὀνήϊστος ἔστω. εἰ δὲ μή, ἄλλη τε καὶ μετ' ἄλλων. Idemque Romanis quasdam leges

scripsisse videtur: & Hipponax Poeta, & Parrhasius Pictor, & Apelles, & Alexander Lychnus, Orator, Historicus & Poeta, Strabo *l.* XIV. p.642.

Larissa, vicus Ephesiæ regionis in Caystrio solo: quam olim fuisse urbem ajunt, & habuisse templum Larissæi Apollinis, Tmolo quam Ephesovi viciniorem, Strabo *l.* XIII. p. 620. Ex hac Larissa Λαρισσαῖον dici puto Damianum Philosophum, Heliodori F. cujus περὶ Ὀπτικῶν ὑποθέσεων κεφάλαια exstant: ut is sit, quem Suidas Ἐφέσιον σοφιστὴν vocat, & ab Imperatore Severo in Consules relatum fuisse, & Bithyniæ præfuisse, & porticum, quæ ex Ephesο ad templum exporrigebatur, ad instar tholi fabricasse memorat.

Colophonem primi Græcorum Cretes venerunt, Rhacio coloniæ duce: eaque multitudo, quæ eum sequebatur, cum viribus superior esset, oram maritimam occupavit, Caribus magnam ejus regionis partem tenentibus. Cum vero Thebas Thersander Polynicis F. & Argivi cepissent, inter captivos ad Apollinem Delphos abducta fuit Manto, cum ejus pater Tiresias in via ad Haliartum diem suum obiisset. Ii captivi, jubente oraculo in coloniam ire, navibus in Asiam transmiserunt. Ad Claron delatis, Cretenses armati occurrerunt: a quibus ad Rhacium illi deducti sunt. Is cum ex puellæ oratione, & qui essent, & quæ fuisset in Asiam veniendi causa, cognovisset, Manto, comitatu ejus in domicilii societatem recepto, uxorem duxit, Paus. *Achaic.* p. 400.

Mopsus Rhacii & Mantus filius Cares omnes e ditionis suæ finibus ejecit, Pausan. *Achaic.* p.400. Cum hoc Mopso ferunt Calchantem congressum, quo tempore Clarum cum Amphilocho Amphiarai F. pedestri itinere Troia venit, &, ut Hesiodus refert, ei hanc quæstionem proposuisse:

Θαῦμά μ' ἔχει κατὰ θυμὸν ἐρινεὸς ὅσσους ὀλύνθους
Οὗτος ἔχει μικρός περ ἐὼν, εἴποις ἂν ἀριθμόν.

Respondisse Mopsum:

Μύριοί εἰσιν ἀριθμὸν, ἀτὰρ μέτρον γε μέδιμνος
Εἷς δὲ περισσεύει, τὸν ἐπενθέμεν οὔ κεν δύναιο.
Ὣς φάτο. καί σφιν ἀριθμὸς ἐτήτυμος εἴδετο μέτρου,
Καὶ τότε δὴ Κάλχανθ' ὕπνος θανάτοιο κάλυψε.

Pherecydes ait a Calchante propositam porcam gravidam fuisse, & de fœtus numero quæstionem: Mopsum respondisse tres porcellos, & de his unam fœmellam: idque re comprobante, Calchantem animi ægritudine exstinctum fuisse, Strabo *l.* XIV. p. 642. 643. vide illic.

Colophonem Damasichthon & Promethus Codri filii (Ἀνδραίμων Pylius, Straboni e Mimnermo) obtinuerunt; sed ita ut Iones icto cum Græcis, qui Colophonem jam pridem tenebant, fœdere, æquabili cum illis jure eadem civitate fruerentur. Promethus postea, fratre Damasichthone occiso, in Naxon insulam profugit, illicque obiit, Paus. *Achaic.* p. 400. 401.

Colophonii exsules Smyrnam occuparunt: vide in *Smyrnæis*.

Colophone orta seditio: factio una Ithamanem & Barbaros accivit: ab iis urbs capta fuit: Colophonii urbe pulsi, Notium se contulere, Thucyd. *l.* III. p. 191. vide in *Notiensibus*.

Colophonem evertit Lysimachus, & Colophonios in novam Ephesum a se conditam deduxit, Pausan. *Attic.* p. 16. Colophonii soli ex iis, qui Ephesum in coloniam deducti fuerunt, adversus Lysimachum & Macedonas bellarant, Pausan *Achaic.* p.401.

Colophoniis, qui in otio habitant, immunitatem concesserunt Romani, victo Antiocho, Livius *l.* XXXVIII.

Colophonis locus dicitur esse Clarus, in quo naves fabricantur, sic dictus ἀπὸ τοῦ κλήρου, (*a sorte*) cum enim Dii sortirentur, quis eum locum occupaturus esset, sors Apollini obtigit: ajunt etiam ibi oraculum esse Clarii Jovis: unde apud Lycophronem *Casandra* vates Claria dicitur, Eustath. *in Dionys.* Περ.

Clarii Apollinis fanum Manto Tiresiæ filia, fugiens victores Thebanorum Epigonos, statuit, Mela *l.* I. c. XVII.

Colophonii quondam navalibus & equestribus copiis præstabant, adeo ut in ambiguis bellis, si equitatus Colophonius auxilio veniret, bella dirimerentur. Inde natum proverbium, Κολοφῶνα ἐπέθηκεν. ὅταν τέλος ἐπιτεθῇ βέβαιον τῷ πράγματι, Strabo *l.* XIV. p.643. Proverbium hoc, ἐπὶ τῆς βεβαίας ψήφου dici scribit Diogenianus. Duodecim Ioniæ civitates in Panionium de Rep. consulturæ conveniebant. Et si quando pares forent calculi, Colophonii imparem adjiciebant, eumque victorem. Smyrnæos enim voluntarios habebant socios, pro quibus suffragia ferebant: ὅθεν ἐπὶ τῆς κρατούσης καὶ βεβαίας ψήφου ἡ παροιμία εἴρηται, Suidas. Aliter: Colophonii cum seditione laborarent, pars quædam factiosorum Smyrnam migravit. Cum autem aliquando Smyrnæi ad bellum exissent, Colophonii qui remanserant, urbem occuparunt, ut ex eo Colophonii duas urbes haberent, Colophonem & Smyrnam. Et quando aliqua de re deliberabant Smyrnæi, qui cum Colophoniis Smyrnæ remanserant; cum pares essent eorum calculi, ad Colophonios eos deferebant: qui cui sententiæ suffragabantur, ea vincebat, Suidas.

Colophonios luxus perdidit. Καὶ γάρ τοι καὶ ἐπὶ ἐσθῆτι πολυτελεῖ ἐθρύπτοντο, καὶ τραπέζης ἀσωτίᾳ, καὶ ὑπὲρ τὴν χρείαν χρώμενοι ὕβριζον, Ælian. *Var. l.* I. c. XIX.

Colophonii fuerunt Mimnermus tibicen & Poeta, Xenophanes Physicus, & Polymnestus Musicus, Strabo *l.* XIV. p. 643.

Lebedon initio tenuerunt Cares. Sed, Caribus ejectis, eam occupavit Andræmon Codri F. (Ἀνδρόκοπος Straboni) Paus. *Achaic.* p. 401.

Lebedii Teios libenter in suam urbem receperunt, ob hominum penuriam, qua tum laborabant, Strabo *l.* XIV p. 643.

Lebedii, urbe eversa, a Lysimacho Ephesum traducti fuerunt, Pausan. *Attic.* p.16. Urbem autem Lebedon non aliam ob causam evertit, quam ut profugorum accessione, Ephesiorum civitas cresceret, Paus. *Achaic.* p. 401.

Teon Cares initio tenuerunt. Iis permisti fuerunt Orchomenii Minyæ, ducta illuc colonia, duce Athamante, Athamantis nepote, Æoli pronepote, Paus. *Achaic.* p.401. Τέω δὲ Ἀθάμας μὲν πρότερον, (κτίζει) διὸ Ἀθαμαντίδα καλεῖ αὐτὴν Ἀνακρέων, Stabo *l.* XIV. p. 633. Stephan.

Teon Ionas in coloniam deduxit Apœcus Melanthi pronepos. Is nihil gravius omnino in Orchomenios & Teios statuit. Nec multis post annis Damasus & Naoclus Codri filius & Geres Bœotius, plures colonos, Athenienses & Bœotos Teon deduxerunt: quos Apœcus & Teii in domicilii societatem receperunt, Pausania *Achaic.* p. 401. aliter Strabo: Τέω—κατὰ δὲ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν Ναύκλος υἱὸς Κόδρου νόθος· καὶ μετὰ τοῦτο Ἄποικος καὶ Δάμασος Ἀθηναῖοι, καὶ Γέρης ἐκ Βοιωτῶν: ita enim hæc lego apud Strabon. *l.* XIV. p. 633.

Teii servitutem (a Cyro intentatam) non ferentes, relicta patria, quam Harpagus (Cyri dux) aggerum operibus ceperat, conscensis navibus omnes

in Thraciam trajecerunt, & illic Abdera condiderunt, Herodot. *lib.* I. p. 77.

Teii, orta seditione, Ephesum confugerunt. Eos Attalus Myonesum traduxit. Sed Teii missis Romam Legatis petiere, ne paterentur contra se Myonesum muniri. Ita Teii a Romanis Lebedum traducti, Strabo *lib.* XIV. p. 643.

Clazomenæ urbs Ionica in Lydia, Herodot. *lib.* I. p. 68. Ionum pars, post diutinos errores, arcessito a Colophoniis duce Parphoro, (Πάρφαλος dicitur Straboni) oppidum ad Idam montem condiderunt: eo relicto postea in Ioniam reversi, Scyppium in Colophoniorum finibus condiderunt: mox & inde migrantes, Clazomenas in continenti struxerunt, illicque sedes fixerunt. Clazomeniis postea juncti fuerunt Cleonæi & Phliasii, quicunque Doriensibus, in Peloponnesum redeuntibus, suas patrias sedes reliquerant, Pausan. *Achaic.* p. 402.

Clazomenios armis adortus fuit Alyattes Rex Lydorum, sed nullo successu, Herodot. *lib.* I. pag. 7.

Clazomenii, Persarum metu, suam urbem e continenti in insulam objectam transtulerunt, Pausan. *Achaic.* p. 402.

Clazomenii ad defectionem ab Atheniensibus inducti a Lacedæmoniis, in continentem transgressi, Polichnam munire cœperunt, ut si forte ex parva illa insula, quam tenebant, migrandum esset, haberent, quo se reciperent, Thucyd. *lib.* VIII. p. 566.

Clazomeniæ receptæ fuerunt ab Atheniensibus, Polichna etiam capta, Thucyd. *lib.* VIII. pag. 571.

Clazomenas, ducto a continenti solo ad insulam aggere, in peninsulæ formam redigere cogitabat Alexander Philippi F. Pausan. *Achaic.* p. 402.

Clazomeniis super immunitatem & Drymusam insulam dono dederunt Romani, victo Antiocho, Livius *lib.* XXXVIII.

Clazomenius fuit Anaxagoras Physicus, Strabo *lib.* XIV. p. 645.

Phocæa urbs Ionica in Lydia, Herodot. *lib.* I. p. 68. Phocenses ducibus Philogene & Damone Atheniensibus in Asiam ducti, agro, non armis, sed Cumæorum concessu, certis conditionibus, potiti, Phocæam condiderunt. Cum autem ab Ionibus in Panionium non admitterentur, nisi Reges e Codri genere creassent, ab Erythris & Theo, Oeten, Periclum & Abartum arcessiverunt, Pausan. *Achaic.* p. 402.

Phocæenses primi Græcorum longinquis navigationibus usi sunt, Adriamque, Tyrrheniam & Iberiam & Tartessum patefecere: navibus utebantur, non rostratis, sed remis L. instructis. Cumque Tartessum venissent, Arganthonio jam octogesimum annum regnanti adeo accepti fuerunt, ut recusantibus accipere, quas dabat ipsis de suo inhabitandas sedes, pecuniam dederit liberaliter, ad urbem muro circumdandam adversus Medos, quorum vires incrementum capere audiverat, Herodot. *lib.* I. p. 75

Phocæam Harpagus (Cyri dux Ionas subacturus) primum aggressus fuit oppugnare, postquam a Phocæensibus postulasset, ut tantum unum muri propugnaculum demolirentur, ubi domicilium statueret. Phocæenses servitutem aversati, unum sibi diem ad consultandum concedi petierunt, utque interea exercitus ab urbe abduceretur. Abducto exercitu, Phocæenses continuo instructis lembis, liberos cum uxoribus & omni supellectile, adhæc statuas templorum, cæteraque donaria, nisi quæ vel ferrea, aut lapidea, aut denique picta essent, imposuerunt: ipsique eos conscendentes in Chium trajecerunt. Persæ vero desertam ab hominibus

A Phocæam occuparunt. Phocæenses autem, cum ipsis Chii Oenusas insulas licitantibus addicere nollent, veriti ne illuc emporium transferretur, eamque ob causam hæc sua insula excluderetur, in Cyrnum, ubi ante XX. annos urbem Alalian ex oraculo condiderant, ire constituerunt: diverteruntque primo Phocæam, ubi præsidium ab Harpago relictum trucidarunt: deinde diras atroces omnibus, qui e sua classe illic manerent, imprecati, candente ferri massa in mare projecta, mutuo jurejurando se astrinxerunt, non prius Phocæam se redituros, quam ea massa emerget. At cum in Cyrnum navi-
B garent, majorem illorum partem desiderium ac commiseratio cepit ipsius urbis & sedium patriarum. Inde violato juramento Phocæam regressi sunt. Cæteri, servata jurisjurandi fide, ex Oenusis solventes, in Cyrnum recta contenderunt, Herodot. *lib.* I. p. 74. 75. 76. Horat. *Epod.* XVI.

—— Phocæorum
Velut profugit exsecrata civitas:
Agros atque lares proprios, habitandaque fana
Apris reliquit, & rapacibus lupis.

Phocæenses in Cyrnum delati, ibi communiter
C una cum prioribus colonis annos V. habitarunt, Herodot. *lib.* I. p. 76. Seneca *Epigramm.*

Corsica Phocaico tellus habitata colono.

nam quæ Cyrnus Græcis, ea ab inquilinis Libybus Corsica appellabatur, teste Pausan. *Phocic.* p. 639. Sic per littus Phocaicum intelligitur Corsica in vetusta Inscriptione, Scalig. Cum vero Phocæenses vicinos circumquaque hostilem in modum popularentur, communi sententia Tyrrheni atque Carthaginenses adversus eos arma sumpserunt, utrique LX. navibus instructi. Phocæenses ex adverso
D & ipsi LX. naves milite impleverunt. Commissa pugna in mari Sardonio, Phocæensibus Cadmæa obtigit victoria: nam amissis navium XL. reliquæ XX. contusis rostris inutiles redditæ fuerunt. Itaque regressi Alalian, navibus imposuerunt liberos & uxores, reliquasque facultates, quantas eæ capere poterant, Rhegiumque Cyrno relicta commigrarunt, ibique in agro Oenotriæ urbem Hyelen condiderunt, Herodot. *lib.* I. p. 76. 77. vide in *Eleatis.*

Phocæenses bello Antiochi obsessi ab Æmilio, posteaquam Legati missi ad Antiochum, nihil in eo
E præsidii esse retulerant, portas aperuerunt, pacti ne quid hostile paterentur. Cum signa in urbem inferrentur, & pronunciasset Prætor, parci se deditis velle, clamor undique est sublatus, indignum facinus esse, Phocæenses nunquam fidos socios, semper infidos hostes, impune eludere: ab hac voce, velut signo a Prætore dato, ad diripiendam urbem passim discurrerunt. Æmilius primo resistere & revocare, dicendo captas, non deditas, diripi urbes, & in his tamen arbitrium esse imperatoris, non militum: posteaquam ira & avaritia imperio potentiora erant, præconibus per urbem missis, liberos omnes in forum ad se convenire jubet, ne
F violarentur: & in omnibus, quæ ipsius potestatis fuerunt, fides constitit Prætoris: urbem, agrosque & suas leges iis restituit, Livius *lib.* XXXVII. vide & *lib.* XXXVIII.

Miletus classis Cretensium in regionem, in qua Anax indigena imperarat, quæque ab ipso Anactoria dicta fuit, appulsæ dux, urbi & agro illi de se nomen, priori abolito, dedit: reliquerat autem Cretam Miletus cum factione sua, Minoem Regem Europæ filium fugiens, Pausan. *Achaic.* p. 399.

Miletus, a quo nomen accepit urbs Miletus, Eu-

xantii filius, Miconis nepos fuit. Alii ajunt eum Apollinis & Areæ Cleocho genitæ filium fuisse. Aristocritus auctor est, Aream Cleochi filiam ex Apolline peperisse infantem, qui expositus fuerit (εἰς μίλακα) Cleochum vero sublatum eum ἀπὸ τῆς μίλακος appellasse Miletum: hunc adultum, & Minois invidia agitatum, concessisse in Samum: Indeque transgressum in Cariam, condidisse urbem, quam de suo nomine appellavit Miletum, Schol. Apollon. *Argon.* lib. I. v. 186. Sarpedonem e Mileto Cretica colonos eo deduxisse, & nomen urbi idem, quod Creticæ urbi fuit, imposuisse, cum locum eum ante tenuissent Leleges, scribit Ephorus apud Strabon. *lib.* XIV. p. 634. 635. Οἱ δέ φασιν ὑπὸ Σαρπηδόνος τοῦ Διὸς Μίλητον κτισθῆναι, ὀνομασθεῖσαν ἀπὸ τῆς ἐν Κρήτῃ. ὠνομάσθαι δὲ αὐτὴν πρῶτον λέγουσι Πιτυοῦσσαν, οἱ δὲ Ἀστερίαν, εἶτα Ἀνακτορίαν, εἶτα Μίλητον, Scholiast. Apollon. *d. l.* Miletum olim Lelegin appellatam fuisse, ab incolis Lelegibus: item Pityusam, ἀπὸ τῶν πιτύων, quod primum illic pinus creverit, Stephanus, & Eustath. *in Dionys.* Περ. Μετὰ δὲ ταῦτα ἀπὸ Ἄνακτος, τοῦ Γῆς καὶ Οὐρανοῦ ὠνομάσθη Ἀνακτορία, Stephan. Cares eam Asiæ partem tenuisse, & ab iis Cretenses in domicilii societatem receptos fuisse, auctor est Pausan. *Achaic.* p. 99. Οἱ (Κᾶρες) καὶ τὴν Μίλητον ἔκτισαν, ἐκ τῆς Κρητικῆς Μιλήτου λαβόντες Σαρπηδόνα οἰκιστήν, Strabo *lib.* XII. p. 573. Cares quondam tenuisse Miletum scribit Pherecydes, Strabo *lib.* XIV. init.

Nileus Codri filius, relictis in Naxo insula Ionibus, qui sibi alicujus sceleris conscii erant, cum cæteris in Ioniam pervenit, ac primum Mileti consedit, ejectis Caribus, Mygdonibus, Lelegibus, aliisque Barbaris, Ælian. *Var.* lib. VIII. cap. V. Νειλεὺς δὲ καὶ ἡ σὺν αὐτῷ μοῖρα ἐς Μίλητον ἐξέπεσε, Pausan. *Achaic.* p. 398. Nileum Codri filium Miletum coloniam deduxisse, auctor quoque est Herodot. *lib.* IX. p. 625. Hinc Thales Milesius in inscriptione Phialæ dicatæ Apollini Milesios vocat Νειλέω δῆμον, apud Diogen. Laert. *lib.* I. E Callimacho inscriptio hæc est;

Θαλῆς με τῷ μεδέοντι Νειλέω δήμου
Δίδωσι.

Quæ verba sic interpretatus est Fr. Ambrosius: *Plebem regenti me Thales Nileo dat:* legit enim Νειλέῳ: perperam. Νειλέω enim secundus casus est: ergo sic verte;

Thales dat imperanti Nilei plebi
Phialam, bis ipse consequutus hoc donum.

Atheniensium coloni Milesii, inter Ionas alios in Asia per Nileum multo ante locati, Codri illius filium, qui se pro patria bello fertur Dorico devovisse, Ammian. Marcell. *lib.* XXII. p. 479. b. Nileum domo Pylium fuisse scribit Strabo *lib.* XIV. p. 633. & post eum Eustath. *in Dionys.* Περ.

Milesii Chalcidensibus in bello illo pervetusto adversus Eretrienses opem tulerunt, Herodot. *lib.* V. p. 572.

Milesios Sadyattes Ardyis filius Rex Lydorum sex annorum bello vexavit, Herodotus *lib.* I. pag. 8.

Milesios Alyattes Sadyattæ F. bello quinque annorum persequutus fuit, transgressusque in agrum Milesium, maturis jam frugibus & fructibus arborum vastatis, ædificiis, quæ in agris erant, nullum damnum intulit: eo consilio ut ex iis Milesii prodeuntes terram colerent, ipseque illuc reversus cum exercitu, haberet quod popularetur: neque enim ad Miletum considere perpetuo opus erat, quia Milesii mari potiebantur. Milesii hoc XI. annorum bello duas ingentes clades acceperunt, unam in Limeneio commissa pugna: alteram in campo Mæandri. Milesiis soli Ionum Chii opem tulerunt, gratiam Milesiis reddentes, quod bellum contra Erythræos cum Chiis Milesii gessissent antea. Duodecimo anno incensis ab exercitu Lydorum segetibus, vi venti adacta flamma fanum Minervæ Assesiæ celerrime corripuit. Cum vero post reditum exercitus, Alyattes in morbum incidisset, Delphosque de sua valetudine Deum consulturos misisset, Pythia negavit se responsum daturam, priusquam templum Minervæ combustum instauratum esset. Alyattes vero, ut hæc audivit, caduceatores confestim Miletum misit, inducias cum Milesiis, eorumque Tyranno Thrasybulo facturos, dum templum instauraretur. Sed Thrasybulus, qui rem omnem præviderat, omne, quod in urbe erat, frumentum, publicum ac privatum, in forum comportari, datoque signo Milesios comessationibus & compotationibus indulgere jussit. Quod ubi caduceator ad Regem reversus exposuisset, Rex qui crediderat, summa rei frumentariæ penuria Milesios ad extrema redactos esse, ac jam contra deprehenderat, ab armis destitit, ac hospitii societatisque fœdera cum Milesiis junxit, & pro uno duo delubra ad Assesum extruxit, Herodot. *lib.* I. p. 7. 8. 9. Thrasybulus hic Periandri Corinthii amicus fuit: vide in *Corinthiis*.

Milesii prætextu metus cum Cyro fœdus pepigerunt, iisdem ab illo recepti conditionibus, quibus recepti fuerant a Crœso, Herodot. *lib.* I. pag. 66. 67.

Milesii cum duabus superioribus ætatibus seditionibus laborassent, Parios ex omnibus Græcis delegerunt, quorum opera uterentur in componendis rebus suis. Cum ergo Pariorum præstantissimi Miletum venissent, cernerentque Milesios plane fortunis eversos, peragratis Milesiorum agris, ut quemque fundum bene cultum animadverterunt, ejus domini nomen conscripserunt. Cumque paucos ejusmodi invenissent, coacto cœtu censuerunt illos administraturos Remp. quorum fundos cultos deprehendissent: eos enim ita videri publica curaturos, ut sua curassent: cæteros Milesios, qui prius seditionem movissent, horum dicto audientes esse jusserunt, Herodot. *lib.* V. p. 339.

Mileto Aristogenem Tyrannum ejecere Lacedæmonii, Plutarch. *de malign. Herodot.* p. 670.

Miletus regnante Dario Hystaspis F. magis quam unquam antea florens, Ioniæ ornamentum fuit, Herodot. *lib.* V. p. 339. Histiæum Mileti Tyrannum, Lysagoræ F. Darius Myrcino Edonide donavit, memor beneficii, quod Iones, ejus consilio, non solvissent pontem, quo Ister junctus fuerat, Dario rem gerente adversus Scythas: vide in *Ionibus*. Eundem Darius Susis distinebat, Megabyzi consilio, nec Miletum redire passus fuit, ne quid novi moliretur. Interea Miletum Procuratoris nomine regebat Aristagoras Molopagoræ F. Histiæi consobrinus ac gener, Herodot. *l.* V. p. 337. 338. 339. Naxiis exsulibus Aristagoras hic opem petentibus, auxilia pollicitus fuit, se ab Artapherne procuraturum, persuasitque ei, ut Dario consilium approbante, classis CC. navium, duce Megabate, in Naxum mitteretur, ad reducendos exsules. Ivitque simul Aristagoras cum Ionum exercitu atque Naxiis. Sed dum classis ad Caucasum stabat, illinc in Naxum aquilone vento trajectura, Megabates navium excubias circumiens offendit navem Myndiam sine custodibus. Iratus ergo, navis principem Scylacem per satellites vinctum trajici jussit per thalamiam, ita ut capite exstante corpus intra navem esset. Aristagoras cum a Megabate impetrare non posset, ut sibi hospes suus Myn-

dius condonaretur, ipse eum solvit. Inde altercatio inter Aristagoram & Megabaten orta, eo processit, ut Megabates Naxios, qui hanc classem adversus se paratam minime putabant, misso nuncio ipsos peti docuerit, adeoque ipsis auctor fuerit, ut sibi prospicerent. Ita consumptis frustra quatuor mensibus in obsidione Naxi, una cum pecunia, quam eo advexerant Persæ & Aristagoras, re infecta, & male affecti ad sua redierunt, Herodot. *lib.* v. p. 340. 341. 342. Histiæus porro Aristagoram ad defectionem sollicitavit: vide in *Ionibus*. Sed res infelici successu gestæ ita Aristagoram turbarunt, ut pene mente excederet: demandataque Pythagoræ viro spectato Mileto, una cum voluntariis omnibus in Thraciam navigavit, in Myrcinum Edonum: ubi dum urbem obsedit, a Thracibus cum exercitu interemptus fuit, Herodot. *lib.* v. p. 378. 379. 380. Histiæus vero a Dario, tanquam conscius consiliorum Aristagoræ accusatus, ita se ipsi excusavit, ut ab ipso ad res restituendas dimitteretur, Herodot. *lib.* v. p. 374. 375. Sardis profectus, & ab Artapherne rogatus de rebus Ionicis comperit eum non ignarum esse, defectionis istius se auctorem fuisse: itaque sibi metuens, fuga ad mare se nocte proripuit, & Dario decepto, in cujus potestatem cum Sardiniam se redacturum pollicitus fuisset, jam primas partes Ionici belli adversus ipsum gerendi subiit. Cum autem in Chium transmisisset, a Chiis in vincula ductus fuit, tanquam a Dario missus ad res novas illic moliendas; at ubi Regis hostem esse didicerunt, hominem solverunt: territi quoque ab eo fuerunt conficto mendacio, quasi Darius, quod nunquam cogitarat, constituisset Phœnices in Ioniam, & Iones in Phœniciam, permutatis sedibus transferre. Sed & Sardis ad Persas quosdam literas scripsit, tanquam de rebellione secum antea collocatos. Eas literas Hermippus Atarniteus, non iis quibus inscriptæ erant, sed Artapherni tradidit: qui Hermippum jussit iis reddere, quibus mittebantur, &, quas illi ad Histiæum scriberent, sibi dare. Ita, re cognita, Artaphernes in multos Persas animadvertit. Histiæus ea spe lapsus, exoratis Chiis, Miletum reductus fuit. Sed Milesii, qui jam libertatem degustarant, Aristagora liberati, nequaquam animum induxerunt ad Tyrannum recipiendum. Atque adeo Histiæus sub noctem Miletum ingredi conatus, a quodam Milesio in femore vulneratus fuit. Ita a patria rejectus, in Chium rediit. Inde, cum naves a Chiis impetrare non posset, trajecit Mitylenen: impetratisque a Lesbiis octo armatis triremibus, una cum iis Byzantium profectus, ibi navigia, quæ e Ponto navigabant, intercepit, præterquam eorum qui se Histiæo dicto audientes fore dicebant, Herodot. *lib.* vi. p. 301. 302

Miletus, pulsis mari Ionibus a Persis expugnata, & viris plerisque cæsis, eorumque uxoribus ac liberis in servitutem abductis, direpta fuit, templumque, quod in Didymis erat, una cum delubro ac oraculo exustum. Eam calamitatem Oraculum Delphicum prædixerat:

Καὶ τότε δὴ Μίλητε κακῶν ἐπιμήχανε ἔργων,
Πολλοῖσι δεῖπνόν τε καὶ ἀγλαὰ δῶρα γενήσῃ.
Καὶ δ' ἄλοχοι πολλοῖσι πόδας νίψουσι κομήταις,
Νηοῦ δ' ἡμετέρου Διδύμοις ἄλλοισι μελήσει.

Milesiis ex illa clade superstitibus & Susa perductis Ampam urbem ad rubrum mare sitam Darius incolendam tradidit, nulla alia pœna affectis. Agrum Milesium, qui in plano erat, ipsi Persæ occuparunt: montana Caribus & Pedasensibus possidenda dederunt. Hanc Mileti calamitatem adeo

A sibi cordi esse passi sunt Athenienses, ut præter alia doloris signa, Phrynicho fabulam de direpta Mileto docente, theatrum illacrymarit, & auctorem mille drachmis, quod domestica mala refricuisset, mulctaverint, & edicto caverint, ne quis postea eam fabulam doceret, Herodot. *lib.* vi. p. 328. seqq. Strabo *lib.* xiv. p. 635. e Callisthene. Histiæus de rebus ad Miletum gestis certior factus, rebus Hellespontiis Bisaltæ Apollophanis F. Abydeno delegatis, ipse cum Lesbiis in Chium navigavit, cumque a Chiorum præsidio non reciperetur, commissa pugna in agro Chio, multos eorum interfecit: B simulque reliquos Chios ex clade navali male affectos subegit. Inde cum copiis Ionum atque Æolum, post tentatam frustra Thasum, cum audivisset Phœnices Mileto in reliquam Ioniam discessisse, in Lesbum trajecit. Inde, quod ejus exercitus sibi metueret, in provinciam Atarnei transmisit, fruges & inde, & e Caico agro demessurus. Ibi congressus cum Harpago viro Persa magnis copiis imperante, magna sui exercitus parte occisa, ipse vivus in potestatem hostis venit, & Sardes perductus, ab Artapherne & Harpago in crucem sublatus fuit: ejusque caput sale conditum Susa ad Darium missum. Sed Dario res ea non placuit, jussitque C caput elotum atque obvolutum sepeliri, tanquam hominis de Persis bene meriti, Herodot. *lib.* vi. p. 389. 390. 391 *Ες τελέων απώλειαν ἄλισθεν Μιλήσιοι, διὰ τὸ ἐς τὰς ἐπιθυμίας Ἱστιαίου πρόχειρον καὶ ἔρωτα, ἄλλοτε μὲν τῆς ἐν Ἠδωνοῖς πόλεως, τότε δὲ εἶναι Δαρείου σύμβουλον, ἄλλοτε δὲ ἐπανήκειν ἐς Ἰωνίαν.*

Milesii cum Samiis de Priene bello contenderunt: vide in *Samiis*.

Mileti quidam, paucorum dominatus studiosi, populare imperium, adjuvantibus Lacedæmoniis, sustulerunt. Ac initio in Dionysiacis, factioni suæ adversantes maxime in ædibus comprehensos ad XL. trucidarunt. Postea, foro pleno delectos CCC. D locupletissimos occiderunt. Ornatissimi vero cives, populi causæ faventes, circiter CIↃ. metu periculi ad Satrapam Pharnabazum confugerunt. Is humaniter exceptis, & singulis statere aureo donatis, Clauda, castellum Claudiæ inhabitandum dedit, Diodor. *lib.* xiii. p. 223.

Milesii, inducti ab Alcibiade, ab Atheniensibus ad Lacedæmonios defecerunt, Thucyd. *lib.* viii. pag. 568. Et structum a Tissapherne in urbe castellum, clam aggressi ceperunt, & præsidium, quod illic erat ejecerunt, Thucyd. *lib.* viii. p. 611. Milesii octingenti gravis armaturæ, oppositos in acie Argivos mille, qui contemptis hostibus, quippe E Ionibus, negligentius servabant ordines, superarunt, trecentis eorum cæsis, in eo prælio quod ad Miletum inter Lacedæmonios & Athenienses gestum fuit, Thucyd. *lib.* viii. p. 573.

Miletum profugerunt Persæ cum suo imperatore Memnone, ex pugna ad Granicum elapsi. Mox urbs ab Alexandro obsessa fuit: Macedonibusque per disjecti muri ruinas irrumpentibus, obsessi viribus inferiores in fugam versi sunt: Milesii vero supplicum ritu ad genua Regis prostrati, se & urbem in Regis fidem tradiderunt. Barbarorum alii trucidati: alii profugerunt: reliqui om- F nes capti sunt. Cum Milesiis Rex benigne egit: cæteros sub hasta vendidit, Diodor. *lib.* xvii. pag. 503. 504.

Miletum, quod Alexandrum exclusisset, vi captam fuisse scribit Strabo *lib.* xiv. p. 635.

Milesiorum colonias, insulam Icarum & Lerum: & circa Hellespontum in Chersoneso Limnas: & in Asia Abydum, Arisbam, Pæsum: & in insula Cyzicenorum Artacem, Cyzicum: & in mediterraneis Troadis Scepsin, scribit Anaximenes Lampsacenus, Strabo *lib.* xiv. p. 635. Milesiorum co-

loni Istriani, Herodot. *lib.* II. p. 114. Hinc proverbium:

Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.

Milesii fuerunt Thales de VII. Sapientibus unus: Anaximander ejus discipulus, & Anaximenes Anaximandri discipulus: item Hecatæus Historiarum scriptor: & Æschines Orator, qui in exsilio mortuus fuit, quod immodica dicendi libertate Pompejum M. perstrinxisset, Strabo *lib.* XIV. pag. 635. Miletum urbem, quondam Ioniæ totius, belli pacisque artibus principem, patriam Thaletis Astrologi, & Timothei Musici, & Anaximandri Physici, aliorumque civium inclytis ingeniis merito inclytam, utcunque Ioniam vocant, Mela *lib.* I. *cap.* XVII.

Mileti locus & oraculum Didyma consecratum Jovi & Apollini, Stephan. Μετὰ τὸ ποσείδιον τὸ Μιλήσιον, ἑξῆς ἐςὶ τὸ μαντεῖον τοῦ Διδυμέως Ἀπόλλωνος, τὸ ἐν Βραγχίδαις, Strabo *lib.* XIV. p. 635. Erat vero hoc Apollinis in Didymis fanum & oraculum vetustius Ionum habitatione in iis locis, Pausan. *Achaic.* p. 399. Ἐν Διδύμοις δὲ μαντεῖον τοῦ Ἀπόλλωνος. Ἐμοὶ δοκέει δὲ τοῦτο ἐκ τῶν ἱερέων Διδύμων ὀνομάζεσθαι, Lucianus. Ἐνταῦθα μυθεύεται καὶ τὰ περὶ τὸν Βράγχον, καὶ τὸν ἔρωτα τοῦ Ἀπόλλωνος, Strabo *lib.* XIV. pag. 634. Branchus templi apud Didyma præfectus, a Machæreo, qui Neoptolemum Delphis occidit, oriundus fertur, Strabo *lib.* IX. p. 421. Βραγχίδαι, οἱ ἐν Διδύμοις τῆς Μιλησίας οἰκοῦντες, Suidas. Crœsus τοὺς Μιλησίης ἐς Βραγχίδας misit ad consulendum oraculum, eoque donaria misit, Herodot. *lib.* I. pag. 19. 43. Templum hoc a Xerxe incensum fuit, eique fugienti Apollinis Thesauros tradiderunt Branchidæ, unaque abierunt, ne pœnas sacrilegii & proditionis darent, Strabo *lib.* XIV. p. 634. Suidas. Defecit vero Oraculum hoc, ex quo a Branchidis templum spoliatum fuit tempore Xerxis, Strabo *lib.* XVII. pag. 814. ex Callisthene. Milesii postea templum denuo magnificentissimum struxerunt, Strabo *lib.* XIV. pag. 635. Oraculum Apollinis, dictum olim Branchidæ, nunc Didymi, Mela *lib.* I. *cap.* XVII. Branchidarum urbem evertit, & omnis ætatis homines trucidavit Alexander M. eo quod eorum majores templum Milesium prodidissent, Plutarch. *de ser. Num. vind.* p. 286.

Myus urbs Ioniæ, Stephan. Urbs Ionica in Caria sita, Herodot. *lib.* I. pag. 66. 67. Πόλις Καρίας, Schol. Thucyd.

Myuntem Cares tenuerunt: eos Iones deducta eo colonia expulerunt: & Myus quidem Cyareto Codri F. (Κυδρῆλος νόθος υἱὸς Κόδρου dicitur Straboni *lib.* XIV. pag. 633.) provincia obtigit, Pausan. *Achaic.* p. 399.

Myuntem Themistocli Artaxerxes Xerxis F. dedit, ut inde opsonium haberet, Thucyd. *lib.* I. p. 91. Strabo *lib.* XIV. p. 636.

Priene urbs Ioniæ, Stephan. Urbs Ionica in Caria sita, Herodot. *lib.* I. p. 66. 67. Πλησίον τῆς Μιλήτου, Schol. Thucyd. *lib.* I. p. 74.

Prienen Cares tenuerunt. Eos Iones deducta eo colonia expulerunt: & quod Ionibus mixti essent Thebani, Philotam Penelei nepotem, & Æpytum Nelei filium conditores habuerunt Prienenses, Pausan. *Achaic.* p. 399. 400. Πριήνην δ' Αἴπυτος ὁ Νηλέως, εἶθ' ὕστερον Φιλώτας ἐκ Θηβῶν λαὸν ἀγαγών, Strabo *lib.* XIV. p. 633. Prienen olim Cadmam vocatam fuisse scribit Eustath *in Dionys.* Περ.

Prienenses cum Samiis bellum gesserunt, confertaque pugna Prienenses CIↃ. Samios trucidarunt. Septimo inde anno cum Milesiis congressi, præstantissimos & primos civium amiserunt, Plutarch. *Quæst. Græc.* XX.

Prieneus Bias, Teutami F. unus e VII. Sapientibus, cum Priene ab Alyatte Rege Lydorum obsideretur, fertur duos saginasse mulos, eosque in castra propulisse: Rex conspectis illis obstupuit, quod bruta quoque animantia tam nitide haberent, & de solvenda obsidione cogitans, nuncium in urbem explorandi causa misit. Ibi Bias, cognito Regis consilio, magnos arenæ acervos tritico opertos homini ostendit. Ita deceptus Rex pacem Prienensibus dedit, B antemque ad se arcessivit; sed is Alyatten cepas edere (κρόμμυα ἐσθίειν) jussit, Diogen. Laert. ***Biant.*** Hipponax de Biante:

Ὁ καὶ δικάσασθαι Βίαντος τοῦ Πριηνέως κρέσσων.

Strabo *lib.* XIV. p. 636.

Prienenses a Mazare Cyri duce subacti fuerunt, Herodot. *lib.* I. p. 74.

Prienenses primum a Tabuta, homine Persa, deinde ab Hierone cive suo, maximis affecti calamitatibus, Ionico tamen nomine censebantur, Pausan. *Achaic.* p. 400.

Erythrus Rhadamanti F. e Creta colonos in hanc regionem deduxit, & urbem de suo nomine appellavit Erythras. Tenuerunt autem eam urbem una cum Cretensibus Lycii, Cares & Pamphylii, Pausan. *Achaic.* p. 401. 402.

Cleopus Codri F. (νόθος Straboni) collecta ex omnibus Ioniæ urbibus eorum manu, qui nomina in coloniam dedissent, eos cum Erythræis conjunxit, Pausan *Achaic.* p. 402.

Erythris,
Trallis,
Nysa,
Magnesia, } Regis Androcli posteris Oligarchian obtinentibus, priscis illis temporibus, quamvis ea, quæ ad Remp. pertinerent, bene administrarentur; tamen populus indigne ferens, quod paucorum imperio subjectus esset, formam Reip. mutavit, Aristotel. *Polit.* lib. V. cap. VI.

Cares olim insulares erant; sed adjuvantibus Cretensibus in continente sedes posuerunt, Strabo *lib.* XII. p. 572. 573. Cares Minoi Regi Cretensium olim paruerunt, & Leleges appellati fuerunt, & in insulis habitarunt: deinde cum in continentem migrassent, multum oræ maritimæ & mediterranei soli possessoribus ereptum obtinuerunt, Strabo *lib.* XIV. p. 661. Κᾶρες ἀπιγμένοι ἐς τὴν ἤπειρον ἐκ τῶν νήσων. τὸ γὰρ παλαιὸν ἐόντες Μίνω κατήκοοι, καλεόμενοι Λέλεγες, εἶχον τὰς νήσους, &c. Atque ita Cretenses de Caribus referunt; sed ipsi Cares αὐτόχθονας se esse putant, & in continente sedes habuisse, eodemque nomine semper usos, Herodot. *lib.* I. p. 78. Caria sequitur: habitator incertæ originis: alii indigenas, sunt qui Pelasgos, quidam Cretenses existimant: genus usque eo quondam armorum pugnæque amans, ut aliena etiam bella mercede gerent, Mela *lib.* I. *cap.* XVI. Cares per totam Græciam militando ac ære merendo dissipati fuerunt. Iidem cum Græcis insulas incoluerunt: indeque in Asiam expulsi, ne ibi quidem sine Græcis habitare potuerunt, invadentibus Ionibus & Doriensibus, Strabo *lib.* XIV. p. 662. Partem enim regionis Caribus ademerunt Græci, Iones & Dorienses, Strabo *lib.* XIV. p. 661. Ita Lydi, Cares & Græci permixtim habitarunt in mediterraneis Ioniæ, Strabo *lib.* XIV. pag. 647. In Caria Ioniam, Æolidem, Trojam, Cyzicum, Byzantium esse, scribit Strabo *lib.* XIV. pag. 655. Cares Trojani belli tempore possederunt Miletum, Φθειρῶν montem, Mæandri fluenta, & Mycales promontorium, & duce Naste Trojanis opem tulerunt, Homer. *Iliad.* B. v. 867. seqq. Cares post excisum Ilium opibus aucti, & maris imperio potiti, Cyclades subegerunt, earumque alias, Cretensibus pulsis, sibi proprias fecerunt: alias communi cum prioribus inco-

A lis Cretensibus jure possederunt; sed a Græcis postliminio inde ejecti fuerunt, Diodor. *lib.* v. fin. Cares post bellum Trojanum Insulam Symen occuparunt; sed ob sterilitatem insula cedere coacti Uranium incoluerunt, Diodor. *lib.* v. p. 326. Cares Lamia expulsi, insulam, quæ tum Dia vocabatur, occuparunt, eorumque Rex Naxus Polemonis F. Naxum insulam appellari jussit, Diodor. *lib.* v. pag. 325. Cares condiderunt Miletum, Termilas seu Lycios, &c. vide suis locis. Cares Calydnam & Nisyrum olim tenuerunt, Diodor. *lib.* v. pag. 326. Cariæ urbs fuit Mylasa, quæ nomen accepit a Mylaso Chrysaonis filio, Glauci nepote, Sisyphi pronepote,
B Æoli abnepote, Stephan. Heraclidæ Regis Mylassensium res gestas scripsit Scylax Caryandensis, Suidas *in* Scylax. Fuitque Mylasa patria & regia Carum, qui cum Hecatomno erant, Strabo *lib.* XIV. p. 659.

Cares solos Homerus *Iliad.* B.V. 867. vocavit *Βαρβαροφώνους*. Apollodorus Grammaticus auctor est hoc communi nomine & convitiandi causa Græcos usos, & maxime Iones, adversus Cares, quos odio haberent, ob assiduas inimicitias atque bella. Id vero refellit Strabo *lib.* XIV. p. 661. quod tum *Βάρβαροι* fuissent dicendi: cui & *βαρβαρίζειν* dicitur *ἐπὶ τῶν κακῶς Ἑλληνιζόντων, οὐκ ἐπὶ τῶν Καρισὶ λεγόντων.*
C Item, *Τοὺς Βαρβαροφώνους δεκτέον, τοὺς κακῶς Ἑλληνίζοντας*, p. 663. *Βαρβαροφώνων: ἀγριοφώνων καὶ τὴν Ἑλλάδα φωνὴν ἠχρηστωκότων. ὅτι τὰ μὲ ἀῤῥενικὰ θηλυκῶς ἔλεγον, τὰ δὲ θηλυκὰ ἀρσενικῶς*, Schol. min. *Il.* B. vide & Eustath.

Caunus urbs Cariæ, Stephan. Caunii erant *ὁμόγλωττοι* Caribus; sed Cretenses eo profecti, suis legibus usi sunt, Strabo *lib.* XIV. p. 652. *Οἱ δὲ Καύνιοι αὐτόχθονες, δοκέειν ἐμοὶ, εἰσί. αὐτοὶ μέν τοι ἐκ Κρήτης φασὶν εἶναι. προσκεχωρήκασι δὲ γλῶσσαν μὲν πρὸς τὸ Καρικὸν ἔθνος, ἢ οἱ Κᾶρες πρὸς τὸ Καυνικόν. νόμοισι δὲ χρέωνται κεχωρισμένοι πολλὸν τῶν τε ἄλλων*
D *ἀνθρώπων, καὶ Καρῶν*, Herodot. *lib.* I. p. 79.

Caunum subegit Harpagus, Herodot. *lib.* I. p. 81. Sardibus autem incensis Caunii societatem cum Ionibus fecere contra Darium, cum ante recusassent, Herodot. *lib.* v. p 374.

Caunii a Rhodiis defecerunt, Cybiratarum ad scitis auxiliis: sed Rhodii missa juventute propere, eos imperio parere coegerunt, Livius *lib.* XXXV. Caunios quoque a Rhodiis defecisse, sed Romanorum judicio ab iis receptos fuisse, scribit Strabo *lib.* XIV. p. 652.

Myndus vetusta urbs Cariæ, unde erant Apollonius & Zeno Grammatici, Stephan.

E Caryanda urbs Cariæ Halicarnasso vicina, unde erat Scylax Caryandensis Mathematicus & Musicus, auctor Peripli eorum quæ sunt ultra Herculis Columnas, Suidas *in* Scylax.

Cryassa nova urbs Cariæ Græca. Melii accepto oraculo, Nymphæum virum juvenem & forma præcellentem coloniæ deducendæ principem constituerant, Deo jubente eos navigare, ubi vero amitterent bajulos, illic habitare. Forte in Cariam appulerunt, & egressis in terram naves tempestatibus collisæ perierunt. Cares vero, qui Cryassæ habitabant, sive misericordia moti, sive metu eorum audaciæ, apud se eos habitare jussere, par-
F te regionis illis data. At postea conspicati eos brevi tempore magnum cepisse incrementum, ex insidiis eos e medio tollere decreverunt, ad epulas invitatos. Sed Carica virgo nomine Caphene, quæ clam adamabat Nymphæum, cum intentum Nymphæi sustinere non posset, ei civium consilium aperuit. Ut igitur Cryassenses eos ad epulas vocarunt, Nymphæus negabat moris esse Græcis ad cœnam sine uxoribus venire. Ibi Cares etiam uxores adduci jusserant. Ita Meliis negotio indicato Nymphæus, ipsos quidem sine armis venire jussit, uxorum vero singulas gladios in sinu adferre, singulasque suis viris assidere. Cum vero sub mediam cœnam Caribus signum, ut convenerat, datum esset, etiam Græci tempus intellexerunt: uxoribusque sinus expandentibus, gladios arripuerunt, Barbarosque omnes obtruncarunt: & regione ac urbe in suam potestatem redacta, urbem aliam condiderunt, quam *Νέαν Κρύασσαν* appellarunt. Caphena vero in matrimonium ducta, a Nymphæo dignos beneficio honores & gratiam consequuta fuit, Plutarch. *Γυναικ. ἀρετ.* *Meliæ*.

DORIENSES ASIATICI.

Dores, qui Megara post Codri mortem condiderunt, partim quidem illic manserunt; alii cum Althæmene Argivo participes fuerunt coloniæ in Cretam ductæ; alii denique in Rhodum, Halicarnassum, Cnidum concesserunt, Strabo *lib.* XIV. p. 653. *Δωριέες γεγονότες ἐκ Πελοποννήσου*, Herodot. *lib.* VII. p. 470. *Ἁλικαρνασσῆας μὲν Τροιζηνίους. Κῴους δὲ καὶ Νισυρίους, καὶ Καλυδνίους, Ἐπιδαυρίους. τὸ ἔθνος ἀποφαίνω πᾶν ἐὸν Δωρικὸν*, Herodot. *lib.* VII. p. 471. 472. Dorienses sex urbes tenuere, unde ea regio Hexapolis dicta fuit. Civitatum nomina hæc sunt: Lindus, Ialysus, Camirus (in insula Rhodo:) Cos (in insula Meropide:) Cnidus (in Chersoneso Carica:) Halicarnassus (in Caria.) Cum vero Agasicles vir Halicarnasseus in certamine Apollinis Triopii victoria potitus, æreum tripodem, victoriæ præmium dari solitum, ausus sit domum suam delatum ad clavum suspendere, violata lege, qua illum e templo victor efferre vetabatur, sed Deo ipsi offerre jubebatur, quinque civitates sextam Halicarnassum a sacrorum communione excluserunt. Inde a quinque civitatibus regio Pentapolis nomen accepit, Herodot. *lib.* I. p. 67. 68. *Ἡ τῶν Δωριέων Πεντάπολις*, Schol. Theocr. *Idyll.* XVII. v. 69. Dorienses ex insulis egressi, sedes in continenti posuerunt, Herodot. *lib.* II. p. 80.

Dorienses a Crœso subacti fuerunt, Herodot. *lib.* I. p. 3. 12.

Dorienses Xerxi Græciam invadenti naves XXX. præbuerunt, Herodot. *lib.* VII. p. 470.

Dorienses Caribus finitimi, socii fuerunt Atheniensium in bello Peloponnesiaco, Thucyd. *lib.* II. pag 105.

Cnidus urbs Cariæ Græca, Scyl. Caryand. pag. 144. Chersonesi Caricæ, Pausan. *Attic.* pag. 2. Coloniam eo deduxit Triopas, Pausan. *Phocic.* pag. 628. *Κνιδίοις δὲ τῆς πόλεως τὸ μὲν πολὺ ἐν τῇ ἠπείρῳ πεπόλισται τῇ Καρικῇ. ἡ δὲ καλουμένη χερρόνησός ἐστιν ἐπὶ τῇ ἠπείρῳ νῆσος, γεφύρᾳ διαβατὸς*, Pausan. *Eliac. pr.* pag. 335.

Cnidii Lacedæmoniorum coloni, cum regionem tenerent pene totam mari cinctam, quod reliquum erat, perquam exiguum, quinque stadiorum, id perfodere conati sunt, interim dum Harpagus in Ionia subigenda occupabatur, ut eam insulam facerent. Sed qui operi incumbebant, cum aliis corporis partibus, tum præcipue circa oculos, dum rupes feriebatur, vulnerari videbantur. Cnidiis ergo Oraculum Delphicum, quid ita conatibus suis obsisteret, consulentibus, responsum fuit:

Ἰσθμὸν δὲ μὴ πυργοῦτε, μηδ' ὀρύσσετε,
Ζεὺς γάρ κ' ἔθηκε νῆσον, εἴ κ' ἐβούλετο.

Cnidii hoc accepto oraculo, a perfodiendo Isthmo destiterunt, & invadenti Harpago cum exercitu sese non commisso prælio ultro dediderunt, Herodot. *lib.* II. p. 80.

Cnidi Oligarchia mutata fuit, cum viri illustres & nobiles ipsi inter se dissidere cœpissent,

propterea quod, filius, si pater magistratum obtineret, a magistratu excluderetur: & si plures fratres essent, soli natu maximo ad magistratus aditus patebat. Cum ergo Populus eos inter se dissidentes occupasset, ducem ex illustrium virorum numero nactus, impetu facto eos adortus profligavit, & summa rerum potitus fuit, Aristotel. *Polit.* lib. v. cap. vi.

Cnidiorum coloni Liparæi, & qui in Corcyra nigra habitant: vide suis locis.

Cnidii fuerunt Eudoxus Mathematicus e Platonis sociis: Agatharcides Peripateticus, ejusque filius Artemidorus: & Ctesias Artaxerxis Medicus, Persicorum & Syriacorum Scriptor, Strabo *lib.* XIV. p. 656.

Halicarnassus urbs Cariæ. Ita illam vocavit Anthes, qui illuc Trœzene Dymanam tribum coloniam duxit, *ἀπὸ τῦ ἁλία περιέχεσθαι τὴν Καρίαν*. Apollodorus scribit sic dictam *ἀπὸ τῦ ἱστασθαι αὐτὴν ἀπὸ Τροιζῆνος*. Vocabatur & Isthmus, & Zephyria, Stephan. Halicarnassum & Myndum in Caria coloniam deduxerunt Aetii Anthæ filii posteri, Pausan. *Corinth.* p 142. Halicarnassus Regia Dominorum Cariæ, quondam Zephyra dicta: *οἰκισαὶ δ᾽ αὐτῆς ἐγένοντο ἄλλοι τε καὶ Ἄνθης μετὰ Τροιζηνίων*, Strabo *lib.* XIV. p.656. Halicarnassenses Trœzeniorum coloni, Herodot. *lib.* VII. p. 472. Et Halicarnassus quidem non ante fuerat, Strabo *lib.* XIV. p. 653. Halicarnassus Argivorum colonia est, Mela *lib.* I. cap. XVI.

Halicarnassensibus, & Cois, & Nisyriis, & Calydniis imperavit Artemisia Lygdamis filia. Ea classem Xerxis Græciam invadentis auxit quinque instructissimis navibus, quæque proxime ad Phœnicias accederent, ipsaque nulla adacta necessitate, sed virtute ac animi robore stimulante, illius expeditionis socia esse voluit. Paternum illi genus ex Halicarnasso, maternum e Creta fuit, Herodot. *lib.* VII. p.471. 472. Ea in navalibus ad Eubœam pugnis summæ virtutis edidit facinora, Herodot. *lib.* VIII. p. 551. Eadem a tentando navali prælio ad Salaminem Xerxem dehortata fuit, Herodot. *lib.* VIII. p. 551. Eadem, commissa pugna, cum insequente nave Attica, nullum haberet effugium, navibus amicis obsistentibus in navem sociam, qua Rex Calydensium Damasithymus vehebatur, impegit, eamque demersit. Navis Attica eam sociam rata, quod in Barbaram navem incurrisset, ab ea ad alias se convertit. Et Xerxes eam, quæ periit, Græcam fuisse putans, Artemisia collaudata dixisse fertur: *Οἱ μὲν ἄνδρες γεγόνασί μοι γυναῖκες, αἱ δὲ γυναῖκες ἄνδρες*, Herodot. *lib.* VIII. p. 558. Eandem Aminias Palleneus summo studio capere conatus fuit: nam trierarchis Atheniensium præceptum erat, ut eam caperent, præmiumque X. M. drachmarum ei constitutum fuerat, qui vivam cepisset: indigne enim ferebant, fœminam adversus Athenas militare, Herodot. *lib.* VIII. p. 560. Eadem consilium Xerxi dedit, ut ipse Græciam relinqueret, Mardonio res illic gerendas committeret, Herodot. *lib.* VIII. p. 564. Eidem dimissæ a Xerxe Xerxis liberi nothi, Ephesum ducendi, traditi fuerunt, Herodot. *lib.* VIII. p. 565. Hanc Artemisiam Mausoli conjugem sororemque fuisse scribit Tzetzes *Chiliad.* XIII. *Histor.* CCCCLV. sed falso: vide Suidam.

Hecatomnus Rex Cariæ tres filios habuit, Mausolum, Hidrieum & Pixodarum: & filias duas Artemisiam Mausoli, Adam Hidriei uxorem, Strabo *lib.* XIV. p. 656.

Mausolus Hecatomni F. Rex Cariæ sine prole decedens, regnum uxori reliquit, quæ viro suo sepulcrum erexit, *τῶν ἑπτὰ θεαμάτων ἔργον*: inde præ desiderio viri tabe mortua fuit, Strabo *lib.* XIV.

A p. 656. Halicarnassus cur memoranda sit, præter conditores, Mausoleum efficit, Regis Mausoli monumentum, unum de miraculis septem, Artemisiæ opus, Mela *lib.* I. cap. XVI. Mausolum a nullo facinore, pecuniæ causa, sibi temperasse ait Theopompus, Suidas.

Hidrieus Hecatomni F. Rex Cariæ. Eo e morbo mortuo regnum suscepit Ada uxor. Sed Ada pulsa Pixodarus Hecatomni F. Satrapam Persicum in societatem regni arcessivit. Pixodaro mortuo, Satrapa Halicarnassum possedit, uxoremque habuit Adan Pixodari ex Aphneide fœmina Cappadocica filiam. Alexandro vero invadente, obsidionem sustinuit. Ada vero Hecatomni
B filia, a Pixodaro pulsa, supplex Alexandro facta, obsecravit, ut se in regnum vi ereptum restitueret: pollicita suam operam in recipiendis, quæ defecerant, quod ea a suis necessariis teneri ostenderet, simulque Alinda, ubi degebat, dedidit. Alexander cum annuisset, Reginamque eam declarasset, primum urbem, inde arcem cepit, Strabo *lib.* XIV. p. 656. 657.

Castolus urbes in Lydia. *Καστωλῦ πεδίον, Δωριέων, ὡς Ξενοφῶν Exped. Cyr.* lib. I. init. Sic appellatum, quia Lydi Dorienses vocant Castolos, Stephan.

C Lycii e Creta originem traxerunt: Sarpedon enim, cum suæ factionis hominibus a Minoe e Creta pulsus, Asiæ regionem Milyada occupavit: quam enim Lycii colunt, ea olim erat Milyas: & Milyæ jam tunc appellabantur Solymi. Dum vero ipsis imperavit Sarpedon, vocabantur nomine, quod ferebant, quoque etiamnum vocantur a vicinis Lycii, Termilæ. Ut vero ab Atheniensibus Lycus Pandionis F. (& hic a fratre Ægeo patria pulsus erat) ad Termilas ad Sarpedonem venit, factum est, ut progressu temporis Lycii de Lyci nomine appellarentur, Herodot. *lib.* I. p. 79. *Λυ-*
D *κίους ἀπὸ Λύκου τοῦ Πανδίονος, ὃς ἐκπεσόντα τὴν οἰκίαν ἐδέξατο Σαρπηδὼν ἐπὶ μέρει τῆς ἀρχῆς*, Strabo *lib.* XIV. p. 667. *Λύκιοι δὲ Τερμίλαι ἐκαλέοντο, ἐκ Κρήτης γεγονότες. ἀπὸ δὲ Λύκου τοῦ Πανδίονος, ἀνδρὸς Ἀθηναίου, ἔσχον τὴν ἐπωνυμίην*, Herodot. *lib.* VII. p. 470. Lycia cognominata a Lyco Rege, Pandionis filio, Mela *lib.* I. cap. XV. *Λυκία ἡ χώρα, ἀπὸ Λύκου τοῦ Πανδίονος. ἐστὶ δὲ* sic lego, pro *καὶ*) *ἡ Λυκία πρὸς Κιλικίαν, ἧς ἦρχε Σαρπηδὼν*, Stephan. *Λέγεται δὲ ὅτι καὶ Τερμιλεῖς, ἐς οὓς ἦλθεν ὁ Λύκος φεύγων Αἰγέα, καὶ τούτοις αἴτιός ἐστι Λυκίους ἀπ᾽ αὐτοῦ καλεῖσθαι*, Pausanias *Attic.* p. 33. Pro *Τερμιλεῖς* reperiri alibi *Τερμιλεῖς* notat Camerarius. *Τέρμερα πόλις Λυκίας.*
E *Ἡρόδοτος δὲ Τερμίλας αὐτοὺς καλεῖ, ὁ δὲ χρησμὸς ὁ περὶ αὐτῶν Τερμελίας αὐτάς φησι*, Stephan. *Τρεμίλη, ἡ Λυκία ἐκαλεῖτο οὕτως. οἱ κατοικοῦντες Τρεμιλεῖς ἀπὸ Τρεμύλου —— τούτους δὲ Τρεμιλέας Λυκίους Βελλεροφόντης ὠνόμασεν. Ἑκαταῖος Τρεμίλας αὐτοὺς καλεῖ ἐν τετάρτῳ γενεαλογιῶν*, Stephan.

Solymi ergo & Milyæ, & Termilæ, & Lycii, hac ratione iidem erunt. Sed Homerus distinguit, cum scribit *Iliad.* Z. v. 184. seqq. quod Bellerophontes e Lycia profectus

F *Σολύμοισι μαχέσατο κυδαλίμοισι.*

Et Mars ejus filium Isandrum, *μαρνάμενον Σολύμοισι κατέκτανε*. Sed & Sarpedonem Homerus *ἐπιχώριον* vocat, Bellerophontis e filia nepotem. Bellerophontem enim Glauci F. Sisyphi nepotem, Æoli pronepotem, missum in Lyciam a Prœto cum exitialibus literis ad Regem Lyciæ, Prœti socerum, (Iobaten: vide in *Tiryntiis*) primum Chimæram,

—— ἡ δ' ἄρ ἔην θεῖον γένος, ὐδ' ἀνθρώπων,
Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα
Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο,

occidiſſe: inde in Solymos pugnaſſe; poſt Amazones interfeciſſe; demum occiſis, qui ex inſidiis ipſum occiſuri erant, Lyciis, viris fortiſſimis, a Rege filiam uxorem & regni partem dimidiam accepiſſe; & ex uxore genuiſſe Iſandrum, Hippolochum Glauci patrem, & Laodamiam Sarpedonis e Jove matrem, refert Glaucus apud Homer. *Iliad.* Z. v. 152. ſeqq. Sarpedonem autem Herodoti diverſum eſſe ab Homerico, vel ſola temporum ratio docet: nam Homericus Lyciis Trojani tempore belli præfuit, *Iliad.* B. v. penult. cum Herodoteus eam expeditionem duabus vel tribus ætatibus antecedat. Βέλτιὸς οἱ φάσκοντες λέγεσθαι Σολύμους ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ, τοὺς νῦν Μιλύας προσαγορευομένους, περὶ ὧν εἰρήκαμεν, Strabo *lib.* XIV. p. 667. Μιλύα δ' ἐστὶν ἡ ἀπὸ τῶν κατὰ Τερμησσὸν στενῶν, καὶ τῆς εἰς τὸ ἐντὸς τοῦ Ταύρου ὑπερθέσεως δι' αὐτῶν ἐπὶ Σίνδα παρατείνουσα ὀρεινὴ μέχρι Σαγαλασσοῦ καὶ τῆς Ἀπαμέων χώρας, Strabo *lib.* XIII. fin. Τερμησσὸν autem Πισιδικὴ πόλις Strabo *lib.* XIV. p. 666. & Stephano. Τερμησσὸν vocat Strabo *lib.* XII. p. 570. Τερμησσὸν *lib.* XIII. fin. & vicina ſunt Solyma mons, Termeſſus & Milyas Strabon. *lib.* XIV. p. 666. Ultra Xanthus flumen, & Xanthus oppidum, mons Cragus, & quæ Lyciam finit, urbs Telmiſos, Mela *lib.* I. *cap.* XV. vide & Strabon. *lib.* XII. p. 573. Ajunt in Lycia montem eſſe, ignem ultro generantem, Euſtath. *in Dionyſ.* Περ. Lycia, ut ferunt, infeſtata olim Chimæræ ignibus, Mela *lib.* I. *cap.* XV.

In Lycia Athamantis poſteros, qui Græci erant, fuiſse ſcribit Plato *Politic.* p. 315.

Lycii naves L. Xerxi Græciam invadenti præbuerunt, Herodot. *lib.* VII. p. 470.

PAMPHYLII.

Pamphylia nomen accepit vel a Pamphyla muliere, vel a Pamphylo, cujus Lycophron meminit, Euſtath. *in Dionyſ.*

Pamphylii ab iis originem ducunt, qui poſt Ilii excidium una cum Amphilocho & Calchante diſjecti fuerunt, Herodot. *lib.* VII. p. 470.

Pamphylii XXX. naves Xerxi Græciam invadenti præbuerunt, Herodot. *lib.* VII. p. 470.

Side urbs Pamphyliæ, nomen accepit a Side Mentauri filia, Moli uxore, Stephan. Cumæorum colonia, Strabo *lib.* XIV. p. 667. & Scyl. Caryand. p. 145. Τὸ τῶν Πειρατῶν ἐργαστήριον, Conſtant. Porphyrog. lib. I. *Themat.* XIV.

Selga, Lacedæmoniorum colonia, Conſtantin. lib. I. *Themat.* XIV.

Aſpendos urbs Pamphyliæ, Strabo *lib.* XII. p. 570. ab Argivis condita, Euſtath. *in Dionyſ.* Περ. Aſpendos, quam Argivi condiderant, Mela *l.* I. *cap.* XIV. Εὐανδροῦσα ἱκανῶς, Ἀργείων κτίσμα, Strabo *l.* XIV. *cap.* XIV. p. 667. Ἀσπενδος κτίσμα dicitur Stephano ex Hellanico.

Aſpendios ab Alexandro male habitos refert Arrianus, eo quod fidem datam fefelliſſent, polliciti ſe exercitui L. talenta daturos, & equos L. quos Regi alebant. Itaque Rex iratus pro L. accepit C. Euſtath. *in Dionyſ.* Περ.

Phaſelis (Φασηλὶς Straboni & Stephano, Φάσηλις Herodoto & Cteſiæ) urbs Pamphyliæ, Euſtat. *in Dionyſ.* Περ. Lyciæ urbs Cteſiæ: πόλις ἀξιόλογος Straboni *lib.* XIV. pag. 666. Phaſelis a Mopſo condita, finis Pamphyliæ, Mela *lib.* I. *cap.* XIV. Urbs Dorienſium, Herodot. *l.b.* II. p. 180. prius Pityuſa, poſtea Pharſalus dicta, Stephan. Duobus fratribus Lindiis, Lacio & Antiphemo, de colonia deducenda oraculum conſulentibus, reſponſum fuit Lacio, ut orientem verſus; Antiphemo, ut ab oriente navigaret: ita a Lacio Phaſelis in Pamphylia, ab Antiphemo Gela in Sicilia condita, ex Ariſtæneto. Athenæus *lib.* VIII. Lacium Argivum vocat, ſed addit, ὃν τινες μὲν Λίνδιον εἶναι λέγουσιν, ἀδελφὸν δ' Ἀντιφήμου, &c.

CILICES.

Cilices a Cilice Phœnice Agenoris filio nomen acceperunt, prius Hypachæi appellati, Herodot. *lib.* VII. p. 470. Strabo ait Cilices, qui in agro Trojano erant, in Syriam profectos, Syris ademiſſe eam, quæ nunc eſt, Ciliciam, Euſtath. *in Dionyſ.* Cilices, quibus Eetion imperavit apud Homerum *Iliad.* Z. v. 396. omnino diverſi ſunt ab iis, qui nunc magnam Ciliciam poſſident, Euſtath. *in Iliad.* Z.

Cilices Xerxi Græciam invadenti C. naves præbuerunt, Herodot. *lib.* VII. p. 470.

Tarſus urbs Ciliciæ ἐπισημοτάτη: quam Ταρσὸν appellarunt, παρὰ τὸ ταρσωθῆναι, ὅ ἐστιν ἀναξηρανθῆναι: ajunt enim aquis, cum primum colligerentur, recedentibus in eum, qui nunc πέλαγος dicitur, locum, apparuiſse primos montes Tauricos, διὰ τὸ μετὰ τὸν κατακλυσμὸν τοὺς τόπους τούτους τῆς Κιλικίας πρώτους ἀναφανῆναι καὶ ἀναξηρανθῆναι, διὸ καὶ τὴν πόλιν Ταρσίαν ὀνομασθῆναι. Dionyſius vero Thrax in libro *de Rhodo* ait nomen accepiſse a Bellerophontis caſu, (pedis enim partem vocari Ταρσὸν) priſcis mortalibus monumentum ſtatuentibus ejus claudicationis, Stephan. Eratoſthenes ſcribit nomen urbi inditum a Jove, qui ibi Terſius vocatur. Nonnulli ajunt Terſum vocatam fuiſse, quod primi illius incolæ fructus virides collectas exſiccarent, & in hyberna tempora conſervarent, Euſtath. *in Dionyſ.* Περ. Ciliciam Tarſus nobilitat, urbs perſpicabilis: hanc condidiſse Perſeus memoratur, Jovis filius & Danaes; vel certe ex Æthiopia profectus Sandan quidam nomine, vir opulentus & nobilis, Amm. Marcell. *lib.* XIV. *Florileg. Epigramm.* lib. I. cap. I. §. 3. Antipatri:

Περσέα σὸν κτίστην Ταρσὲ Κίλισσα πόλι.

Tarſus condita ab Argivis, qui cum Triptolemo vagabantur ad inveſtigandam Io, Strabo *lib.* XIV. p. 673. Euſtath. *in Dionyſ.* Περ. Tarſus Sardanapali κτίσμα, Ἀργείων ἄποικος dicitur Stephano. Quidam ajunt Sardanapalum Anchialan condidiſſe, ac ſimul etiam Tarſum, idque una die, Euſtath. *in Dionyſ.* Περ. Sardanapali monumento in urbe Nino inſcriptum fuit: Σαρδανάπαλος ὁ Ἀνακυνδαράξου παῖς, Ἀγχίαλον καὶ Ταρσὸν ἐν ἡμέρῃ μιῇ ἐδείματο, Suidas. Tarſi floruerunt ſtudia artium & Philoſophiæ magis quam vel Athenis, vel Alexandriæ, vel alibi, Strabo *lib.* XIV. p. 673. Τάλλα τ' ἄνδρεῖ, καὶ πλεῖστον δύναται, τῆς μητροπόλεως ἐπέχουσα λόγον, Strabo *lib.* XIV. p. 674.

Tarſenſibus Antonius præfecit Boethum malum & civem & Poetam, quod in ejus ad Philippos victoriam ſcripſiſset: ſed is cum aliis Remp. male tractavit, & inter alia oleum peculatus fuit; quo nomine cum apud Antonium accuſaretur, ejus iram his inter alia verbis mitigavit: Ὥσπερ Ὅμηρος ἐξύμνησεν Ἀχιλλέα, καὶ Ἀγαμέμνονα, καὶ Ὀδυσσέα, οὕτως ἐγὼ σέ. οὐ δίκαιος οὖν εἰμι εἰς τοιαύτας ἄγεσθαι διαβολὰς ἐπὶ σοῦ. Sed Accuſator hoc ejus dictum excepit: ἀλλ' Ὅμηρος μὲν, inquit, ἔλαιον μὲν Ἀγαμέμνονος οὐκ ἔκλεψεν, ἀλλ' οὐδὲ Ἀχιλλέως. σὺ δέ, ὥστε δώσεις δίκην, Strabo *lib.* XIV. pag. 674

Tarſenſis Reip. ſtatum mutavit Athenodorus

Sandonis F. cognomento Cananita, C. Cæsaris præceptor, in patriam reversus: Boethum ejusque commilitones cum frustra verbis eos corrigere aliquandiu conatus fuisset, urbe expulit, potestate sibi a Cæsare concessa usus. Ii vero exsilio damnati, adversus eum parietibus inscripserunt;

Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, πορδαὶ δὲ γερόντων.

Sed is rescribi jussit:

—— βρονταὶ δὲ γερόντων.

Strabo *lib.* XIV. pag. 674, 675.

Tarsensi Reipub. post Athenodorum præfuit Nestor, Marcelli Octaviæ F. Augusti nepotis præceptor, Philosophus Academicus, Strabo *lib.* XIV. p. 675.

Tarsenses fuerunt Antipater, Archidamus, Nestor, Athenodorus Cordylio, Athenodorus Sandonis F. Cananita, Stoici philosophi: & Nestor Academicus, & Plutiades, & Diogenes: item Artemidorus & Diodorus Grammatici, & Dionysides Tragicus, Strabo *lib.* XIV. p. 674. 675. Ajunt urbem illam viris eloquentibus ac oratoribus abundasse, qui prompte, quicquid proponeretur, explicare possent: sed & multis aliis bonis viris refertam fuisse, Eustath. *in Dionys.* Περ.

Mopsuestia urbs Ciliciæ, vatis illius domicilium Mopsi, (Μοψουεστία) quem a commilitio Argonautarum cum aureo vellere direpto reducem, & errore abstractum, delatum ad Africæ littus mors repentina consumpsit: & ex eo, cæspite Punico tecti manes ejus heroici, dolorum varietati medentur, plerumque sospitales, Amm. Marcellin. *lib.* XIV. vide Apollon *Argon.* lib. IV. v. 1501. seqq. vide & de hoc Mopso in *Mopsiis Thessal.* Ex hac urbe fuit Grammaticus Heraclides ὁ Μοψεάτης, Stephan.

Soli urbs memorabilis, initium alterius Ciliciæ, quæ est circa Issum, condita ab Achæis & Rhodiis qui in Lindo sunt, Strabo *lib.* XIV. p. 671. Σόλοι πόλις Ἑλληνὶς in Cilicia, Scyl Caryand. Solos urbem Ciliciæ, quæ postea Pompejopolis dicta, nomen accepisse a Solone, ex Euphorione scribit Stephanus. A Solone quodam, e quorundam opinione, dictam urbem, etiam monet Eustath. *in Dionys.* Περ. Σόλων ἐπιβουλευθεὶς ὑπὸ Πεισιστράτου τοῦ τυράννου, ἀπεδήμησεν ἐν Κιλικίᾳ, καὶ ἔκτισε πόλιν, ἣν Σόλους ἐκάλεσεν ἐξ αὐτοῦ, Suidas. Sed Solos Cypri, Atheniensium coloniam, a Solone Atheniensi nomen accepisse verisimilius est. Οἱ δὲ καὶ τοὺς ἐν Κύπρῳ Σόλους, ἐξ αὐτοῦ (Σόλωνος) φασὶ, καὶ τελευτῆσαι αὐτὸν ἐν Κύπρῳ, Suidas. Ex hac Ciliciæ urbe ἐθνικὸν Σολεὺς & Σόλιος facit Stephanus; sed Solios Cyprios vocari, docent Strabo *lib.* XIV. p. 683. & Eustath. *in Dionys.* Περ. Cilicas vero non Solios, sed Solenses appellari scribit idem Eustath. Ἀλλ' οἱ μὲν Κύπριοι Σόλιοι καλοῦνται. οἱ δὲ Κιλίκιοι, Σολεῖς, Auctor *Vitæ Arati.* A Solensibus ajunt solœcismum dici, quod Attici, cum apud eos habitarent, linguam Atticam genuinam corruperint, Eustath. *in Dionys.* Τὸ σολοικίζειν εἴτ' ἀπὸ Σόλων, εἴτ' ἄλλως τοῦ ὀνόματος τούτου πεπλασμένου, Strabo *lib.* XIV. p. 663. Σόλοι, Κιλικίας πόλις καὶ Κύπρου, ἀφ' ὧν ὁ σολοικισμὸς, βαρβαριζόντων κατὰ τὴν ἰδίαν γλῶσσαν, Σόλων δὲ ταύτην κτίζει, ἀφ' οὗ τὴν ἐπωνυμίαν ἔχει. ἢ σολοικισμὸς, ὁ τοῦ σόου λόγου αἰκισμὸς, Suidas. Sed ab utra urbe, Ciliciæ an Cypri, videtur dubitari posse, & a Cypria quidem verisimilius, quod illic Athenienses habitarent.

Solos urbem incolarum frequentia destitutam Pompejus M. piratarum reliquiis eo translatis, quos salute & cura maxime dignos judicavit, frequentavit, & mutato nomine Pompejopolin vocavit, Strabo *lib.* XIV. p. 671. ἀνεκτίσθη ὑπὸ Πομπηΐου, καὶ μετωνομάσθη Πομπηϊούπολις Stephan. Deinde urbs est, olim a Rhodiis Argivisque, post piratis, Pompejo assignante, possessa, nunc Pompejopolis, tunc Solœ, Mela *lib.* I. cap. XIII.

Solenses fuerunt, Chrysippus Stoicus patre natus Tarsensi, qui inde commigrarat: Phileno Comicus: Aratus qui Φαινόμενα scripsit, Strabo *lib.* XIV. p. 671. Οἱ δὲ Σόλοι, πόλις ἐπιφανεστάτη τῆς Κιλικίας ἀφ' ἧς πολλοὶ κἀγαθοὶ γεγόνασιν ἄνδρες. καλεῖται δὲ νῦν Πομπηϊούπολις, Auctor *Vitæ Arati.*

Mallus urbs Ciliciæ, condita ab Amphilocho & Mopso Apollinis ac Mantus filio, cum a Trojana expeditione redirent, Strabo *lib.* XIV. p. 675. Mallum rediisse Amphilochum, cum res ipsi Argivæ displicerent, cumque societate excluderetur, singulari certamine cum Mopso congressum fuisse, in quo uterque occubuerit, ferunt, Strabo *lib.* XIV. p. 676. Mopsus Calchantem arte divinandi superavit: vide in *Colophon.* Mallum ἀπὸ Μάλλου κτίσαντος αὐτὴν nomen accepisse scribit Stephanus.

Mallotes fuit Crates Grammaticus, Strabo *lib.* XIV. p. 676.

Selge urbs Pisidiæ, Lacedæmoniorum Colonia, Stephan. Σέλγη δὲ καὶ ἐξ ἀρχῆς μὲν ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἐκτίσθη πόλις. καὶ ἔτι πρότερον ὑπὸ Κάλχαντος. ὕστερον δὲ καθ' αὑτὴν ἔμεινεν αὐξηθεῖσα, ἐκ τοῦ πολιτεύεσθαι νομίμως, ὥς ποτε καὶ δισμυρίανδρος εἶναι. Strabo *lib.* XII. p. 570.

IN ARABIA.

FUerunt & Græca oppida, Arethusa, Larissa, Chalcis, deleta variis bellis, Plinius *lib.* VI. cap. XXVIII.

IN ÆGYPTO.

IOnes & Cares, regnante Psammiticho, prædandi causa navigantes, necessitate compulsi ad Ægyptum appulere: ii a Psammiticho, qui tum regno pulsus erat, magnis pollicitationibus inducti, eundem in recuperando regno adjuverunt, atque ab eo prædia ultra & citra Nilum acceperunt, quibus nomen inditum Στρατόπεδα, erantque sita propemodum ad mare, infra urbem Bubastin, ad ostium Nili Pelusiacum. Unde postea translati fuerunt ab Amasi Rege Memphin, ut adversus Ægyptios ipsi præsidio essent, Herodot. *lib.* II. pag. 169. 170. Milesios, Rege Psammiticho, ætate Cyaxaris Regis Medi, appulisse ad ostium Bolbitinum XXX. navibus, ibique munimentum construxisse, scribit Strabo *lib.* XVIII. p. 801.

Græcis in Ægyptum profectis, Amasis Rex Ægypti Græcorum studiosus, urbem Naucratin incolendam dedit. Aliis, qui illic habitare nollent, potestatem fecit fana ac aras certis in locis constituendi: ac eorum quidem maximum, celeberrimum & maxime frequentatum fanum, Ἑλλήνιον appellatum, structum fuit ab his communiter civitatibus, Ionum, Chio, Teo, Phocæa, Clazomenis: Dorum, Rhodo, Cnido, Halicarnasso, Phaselide: Æolum, Mytilene. Et ab his civitatibus, quarum hoc fanum fuit, præfecti præbebantur emporii, quod antiquitus sola Naucratis erat. Ab Æginetis præterea Jovis, a Samiis Junonis, a Milesiis Apollinis fana structa fuerunt, Herodot. *lib.* II. p. 179. 180. Milesios ad præfecturam Saiticam delatos, adversus Inarum navali prælio dimicantes, Naucratin urbem condidisse, scribit Strabo *lib.* XVII. p. 801. Naucratis urbs Ægypti ἀπὸ Μιλησίων θαλασσοκρατούντων, dicitur a Stephano. Ναύκρατις. πόλις αὕτη Αἰγύπτου ὑπὸ Μιλησίων οἰκισθεῖσα, ὁπηνίκα ἐθαλαττοκράτουν, Suidas.

Nau-

Naucratites fuit Athenæus, Suidas.

Pelusium oppidum, Dionysius Περ. v. 261. Πηλῆος πτολίεθρον ἐπώνυμον, quasi militibus ex Phthia sub Peleo ordinatis, ibique habitantibus: alii vero ἀπὸ τῦ πηλῦ, *a luto*, & nemoribus nomen accepisse ajunt, Eustath. *in Dionys.* In Augustamnica Pelusium oppidum est nobile, quod Peleus Achillis pater dicitur condidisse, lustrari Deorum monitu jussus in lacu, qui ejusdem civitatis alluit mœnia, cum, post interfectum fratrem nomine Phocum, horrendis furiarum imaginibus raptaretur, Ammian. Marcellin. *lib.* XXII.

Heliopolin urbem condidit Actis Heliada Solis filius in Ægyptum e Rhodo profectus, parentis nomine illi imposito. Et ab hoc Ægyptii Astrologiæ scientiam acceperunt, Diodor. *lib.* v. p. 328.

Sain urbem in Ægypto condiderunt Athenienses, Diodor. *lib.* v. p. 328. Meminerunt urbis hujus, Herodotus *lib.* II. Mela *lib.* I. *cap.* IX. Auctor *Vitæ Arati*, Nicander *Theriac.* v. 566. Plutarchus *de Iside & Osirid.* pag. 263. Sais vero lingua Ægyptia Minervam significat, teste Pausan. *Bœot.* p. 559.

Archandri urbs in Ægypto videtur nomen accepisse ab Archandro Danai genero, Phthii Achæi filio. Καλέεται. γὰρ δὴ Ἀρχάνδρε πόλις. εἴη δ' ἂν καὶ ἄλλος τις Ἀρχανδρος. ἐ μὲν τοιγε Αἰγύπτιον τὄνομα, Herodot. *lib.* II.

IN LIBYA.

IRasa Libyæ locus, in quem Libyes Battum deduxerunt, Stephan. vide in *Theræis*. Ιρασαν πόλιν Ανταίε vocat Pindarus *Pyth.* ode IX. strophe v. Ιρασα πόλις Λιβύης, ἣν ᾤκησεν Ανταῖος, ὀχ ὁ παλαίσας Ηρακλεῖ, ἐκεῖνος γὰρ διαλλάσσει τοῖς χρόνοις, ὃν καὶ ἀνεῖλεν Ηρακλῆς. ἀλλ' ἕτερος, ᾧ συνῴκησεν Εὔφημος, ὧ οἱ ἀπόγονοι μετῴκησαν εἰς Κυρήνην, Schol. Pindar. Antæus filiam habebat formæ venustissimæ: (Alceiden vel Barcen) eam Danai exemplo uxorem, ei qui cursu vicisset, decrevit: vicitque Alexidamus, eaque potitus fuit, Pindar. *Pyth.* ode IX. strophe, antistr. epod. v. Battus cum Theræis in Irasam deductus a Libybus, Zoam condidit, Herodot. *lib.* IV. p. 313.

Cyrene urbs Libyæ, nomen accepit a Cyrene Hypsei filia, Stephan. vel a Cyrene, fonte patrio, Eustath. *in Dionys.* Erat vero Hypseus Rex Lapitharum, genere secundus Heros ab Oceano oriundus, (id est, Oceani nepos) Penei & Naidis Creusæ Terra genitæ filius, pater Cyrenes: Cyrene vero, cum venatrix esset & bellicosa, ab Apolline rapta, & in Libyam abducta, compressaque peperit ex eo Aristæum, Pindar. *Pyth.* ode IX. strophe I. seqq. vide Diodor. *lib.* IV. p. 280. Aristæus in Bœotiam profectus Autonoen Cadmi filiam uxorem cepit, e qua illi genitus Actæon, quem a canibus suis discerptum fabulæ tradunt: deinde in Sardiniam concessit, Diodor. *lib.* IV. p. 281. Cyrenen quatuor filios enixam fuisse, Nomium, Aristæum, Authocum, Argæum, scribit Justinus *Histor. lib.* XIII. Sed Αγρέα καὶ Νόμιον cognomina Aristæi fuisse docet Pindarus *Pyth.* ode IX. antistr. III. Estque Cyrene insularium Theræorum colonia, qui ex Lacedæmonia olim coloniam deduxerant: Theras enim, qui eos in illam coloniam miserat, Lacon erat, ut Pindarus refert, Eustath. *in Dionys.* Sed Theras ipse Lacon non erat, sed Thebanus; nec hoc Pindarus dicit, sed Lacedæmonios, Argivos & Mycenæos colonos istos fuisse ait, *Pyth.* ode IV. strophe III. Major Syrtis ostentat oppidum, Cyrenas vocant, quod Battus Lacedæmonius Olympiade prima, & quadragesima, Rege Marcio res Romanas tenente, anno post Trojam captam, quingentesimo sexagesimo octavo condi-

A dit, Solinus. Κυρήνην ᾤκισε Βάττος, ὃς ἐκαλεῖτο πρότερον Αριστοτέλης. τὸ δὲ Πυθίας Βάττον αὐτὸν εἰπούσης, ὄνομα τῦτο ἔσχηκεν, Heraclid. *de Polit.* Anchionin Lacedæmonium cum Batto Theræo in Africam classe profectum coloniam Cyrenen deduxisse, eique in ejiciendis finitimis socium fuisse tradunt, Pausan. *Lacon.* p. 186. Κυρήνη, ἐςὶ δὲ Θηραίων κτίσμα, Λακωνικῆς νήσε. λέγεται δὲ Κυρήνη κτίσμα Βάττε, Strabo *lib.* XVII. p. 837. Dionys. Περ. v. 213.

Κυρήνη τ' εὔιππος, Αμυκλαίων ἕδος ἀνδρῶν.

pro ἕδος legit γένος Eustathius, & Amyclæorum
B exponit Laconum: partem enim Laconum esse Amyclas. Callimach. *Hymno in Apollin.* v. 72. seqq. de Apolline Carnæo:

Σπάρτη τοι Καρνεῖε τόδε πρώτιςον ἔδεθλον,
Δεύτερον αὖ Θήρη, τρίτατόν γε μὲν ἄςυ Κυρήνης.
Εκ μέν σε Σπάρτης ἕκτον γένος Οἰδιπόδαο
Ηγαγε Θηραίην ἐς ἀπόκτισιν, ἐκ δὲ σὲ Θήρης
Οὖλος Αριςοτέλης Ασβύςιδι πάρθετο γαίῃ.

Battus annos quadraginta regnavit, Herodot. *lib.* IV. p. 313. inter Heroas cultus fuit, Pindar. *Pyth.*
C ode v. strophe IV.

Μάκαρ μὲν ἀνδρῶν μέτα
Εναιεν, ἥρως δ' ἔπειτα
Λαοσεβής.

Arcesilaus Batti filius annos XVI. regnavit, Herodot. *lib.* IV. p. 313.

Battus II. in ordine Regum horum tertius, cognomento felix, successit: eo regnante, Pythia suo oraculo incitavit omnes Græcos ad navigandum in Libyam, ut cum Cyrenæis habitarent:

Ος δέ κεν ἐς Λιβύην πολυήρατον ὕςερον ἔλθῃ
Γᾶς ἀναδαιομένας, μετά οἵ ποκα φαμὶ μελήσειν.

D Et a Cyrenæis ad agri partitionem arcessebantur. Cum ergo ingens multitudo se Cyrenen contulisset, & finitimos agros Libybus eripuissent Cyrenæi, Libyes cum Rege suo Adicran injuria affecti se Apriæ Ægyptiorum Regi dediderunt. Is magnas Ægyptiorum copias adversus Cyrenæos misit: sed commisso prælio ad Irasam & fontem Thestin, Cyrenæi Ægyptios, ut inexpertos antea Græcorum, quique adeo eos præ se contemnerent, profligarunt, adeo ut eorum pauci in Ægyptum redirent, Herodot. *lib.* IV. p. 313.

Arcesilaus II. Batti filius regnum adeptus, inter
E ipsa initia, simultates cum fratribus exercuit: illi vero eo relicto, in alium Libyæ locum migrarunt, ibique urbem Barcen incoluerunt. Cumque illam conderent, ad defectionem a Cyrenæis Libyas induxere. Arcesilaus vero tam iis qui defecerant, quam illis qui eos susceperant, bellum intulit: ii vero metu illius ad orientales Libyas confugerunt: sed fugientes persequens, ad Leuconem Libyæ pervenit. Ibi Libyes opportunum ad invadendum eum nacti locum, prælio congressi cum eo, Cyrenæorum VII. millia trucidarunt. Arcesilaus post hanc cladem ægrotans, epoto medicamento, a fratre Aliarcho strangulatus fuit: Aliarchus vero per
F dolum ab Eryxo Arcesilai uxore occisus est, Herodot. *lib.* IV. pag. 314. Arcesilaum Laarcho quodam amico malo utentem Tyrannum factum, & Laarchum Tyrannidem affectantem, cum præstantissimos Cyrenæorum vel necaret, vel in exsilium ageret, culpam in Arcesilaum transtulisse, & tandem ipsi morbi tabifici ac difficilis auctorem fuisse, ac epoto lepore marino ipsum e medio sustulisse, ac principatum occupasse, tanquam Batto Arcesilai filio id servaturum: puerum vero ob ætatem, quodque claudus esset, contemptui fuisse; matris vero

partes plurimos sequutos, quod prudens ac benevola esset, & domesticis multis ac potentibus abundaret: ideoque Laarchum eam coluisse, ejusque nuptias ambiisse, Battum, ducta ea uxore, adoptaturum, & regni participem facturum pollicentem: Eryxo autem, hoc erat mulieri nomen, re communicata cum fratribus, jussisse Laarchum cum fratribus ea de re agere, tanquam ipsa in nuptias consentiret: Laarchum paruisse, eos vero ipsum opportune distulisse, tum Eryxo, missa ancilla, nunciasse ei, fratres quidem nunc contradicere, congressu vero facto in nuptias consensuros: ita Laarchum, vocante Eryxo, noctu ad eam venisse sine satellitibus, ibique a Polyarcho Eryxus fratre natu maximo & duobus adolescentibus clam domum eam ingressis, ferro cæsum occubuisse: cadavere autem super murum projecto, Battum ad populum productum & Regem declaratum fuisse, & Polyarchum Cyrenæis pristinam Reip. administrationem reddidisse. Fuisse porro multos Amasidis Ægypti Regis milites illic, quorum fida opera usus Laarchus, haut parvum metum injiciebat civibus: eos misisse ad Amasin accusaturos Polyarchum & Eryxo: Amasin vero indignatum constituisse Cyrenæis bellum inferre, sed incidisse tum mortem matris, in cujus funere occupabatur: interim venisse, qui hæc nunciarent de Amaside: tum Polyarchum una cum Eryxo, & matre Critola, sorore Batti felicis vetula, in Ægyptum ivisse ad dicendam causam: Ægyptios vero factum approbasse, & Amasin collaudata Eryxus prudentia ac fortitudine, donis & cultu Regio ornatos Polyarchum & mulieres in Cyrenen dimisisse, refert Plutarchus *de mulier. Virtut.* in *Eryxo*. Amasis Rex Ægypti cum Cyrenæis amicitiam & societatem iniit, uxoremque inde duxit, quam alii Batti, alii Arcesilai, alii Critobuli filiam fuisse ajunt, nomine Ladicen: quæ a Cambyse, postquam Ægypto potitus fuit, illæsa Cyrenas remissa fuit, Herodot. *lib.* II. p. 180. 181.

Battus III. pedibus claudus, Arcesilao successit. Cyrenæi vero ob acceptam calamitatem Delphos miserunt, qui oraculum de rebus suis consulerent. Eos Pythia jussit e Mantinea Arcadum moderatorum adducere: petentibus Cyrenæis Mantinenses dederunt Demonactem, virum inter suos spectatissimum: is Cyrenen profectus, & singula edoctus, distributos in tres tribus ita digessit, ut Theræorum & finitimorum unam portionem faceret: Peloponnensium, & Cretensium alteram: tertiam omnium insulanorum. Cumque Batto Regi peculiaria fana & ceremonias secrevissent, cætera omnia, quæ Regum ante fuerant, populo in commune dedit: atque hæc instituta sub Batto integra permanserunt, Herodot. *lib.* IV. p 314.

Arcesilaus III. Batti, & Pheretimæ filius patri successit. Is Cambysi Cyrenen tradidit ac tributum instituit: & negavit se rata habiturum illa, quæ Mantinensis Demonax constituisset, suorumque majorum honores repoposcit. Inde seditione orta, superatus in Samum profugit: mater vero ejus Salaminem Cypri, ad Euelthonem Salaminis Regem se contulit, ejusque opem imploravit, ut cum exercitu ab ipso Cyrenen cum filio reduceretur. Is vero omnia potius quam exercitum Pheretimæ dedit: quæ illa accipiens laudavit quidem, sed melius facturum ajebat, si petenti exercitum daret. At ille fœminæ eadem verba ad omnia dona repetenti, etiam cum fusum aureum atque colum penso circumdatam ab ipso accepisset, respondit: se talibus muneribus, non autem exercitu, fœminas donare. Arcesilaus interim Sami agens, ad spem rei agrariæ unumquemque sollicitavit, coactoque ingenti exercitu, Delphos ivit ad consulendum oraculum de reditu: Pythia vero ei respondit: Ἐπὶ μὲν τέσσαρας Βάττες καὶ Ἀρκεσίλεως τέσσαρας, ὀκτὼ ἀνδρῶν γενεὰς διδοῖ ὑμῖν Λοξίης βασιλεύειν Κυρήνης. πλέον μέντοι τέτε ἐδὲ πειρᾶσθαι παραινέει. σὺ μέν τοι ἥσυχος εἶναι κατελθὼν εἰς τὴν σεωὐτῦ. ἢν δὲ τὴν κάμινον εὕρῃς πλέην ἀμφορέων, μὴ ἐξοπτήσῃς τὰς ἀμφορέας, ἀλλ' ἀπόπεμπε κατ' ἔρον. εἰ δὲ ἐξοπτήσῃς τὴν καμινον, μὴ εἰσέλθῃς εἰς τὴν ἀμφιῤῥυτον. εἰ δὲ μὴ, ἀποθανέαι καὶ αὐτὸς, καὶ ταῦρος ὁ καλλιστεύων. Arcesilaus hoc oraculo accepto, cum exercitu, quem in Samo coegerat, Cyrenen rediit, recuperatoque regno, immemor oraculi, pœnas sui exsilii ab adversariis exigere cœpit: eorum vero alii fuga salutem quæsiverunt, alios quosdam comprehensos in Cyprum ad necem misit; sed eos Cnidii in suum agrum delatos liberarunt, ac in Theram miserunt: quosdam in grandem Aglomachi turrim confugientes, circumdata materia igni cremavit. Eo facto tandem agnovit oraculi sensum, & metu mortis ab oraculo prædictæ urbe Cyrene ultro excessit, appellatione ἀμφιῤῥύτε Cyrenen significatam fuisse existimans. Cum autem uxorem haberet genere propinquam, Alazeris Barcæorum Regis filiam, ad eum se contulit. Sed a Barcæis & quibusdam exsulibus Cyrenæis illic in foro, una cum socero Alazere occisus fuit. Mater Pheretima, quæ hucusque absentis filii munera Cyrenæ obibat, senatuique assidebat, cognita ejus nece, fuga se in Ægyptum proripuit, ibique Ægypti Prætori a Cambyse constituto Aryandæ supplex facta, eum ad vindicandam filii necem sollicitavit, quem, quod Medis studuisset, interemptum prætendit. Aryandes vero misso navali terrestrique exercitu, Pheretimæ petitioni satisfecit: Persæque, Barce capta, Barcæos Pheretimæ potestati tradiderunt: & illa cædis auctores sudibus suffixit per murorum ambitum, fœminarum vero recisas mamillas circa muros appendit. Cæteros diripi a Persis jussit, præter Battiadas, & qui cædis affines non exstiterant. Pheretima post vindicatam filii necem, celerrime e Libya in Ægyptum rediit, ibique male periit, ebullientibus in viventis etiamnum corpore vermibus. Persæ redeuntes a direptione Barcæ, a Cyrenæis, oraculi cujusdam servandi causa, per urbem deducti sunt, & inter transeundum, a classis præfecto Bare jussi urbem diripere, se continuerunt, auctoritate Amasis qui peditum ductor erat, negantes se ad aliam urbem Græcam quam Barcam missos fuisse: nihilominus cum transiissent, pœnitentia subeunte, eam invadere conati sunt; sed a Cyrenæis contemptui habiti, &, licet nemo contra arma ferret, metuentes, se cursu inde proripuerunt, & mox ab Aryande revocati domum fuerunt: cumque a Cyrenæis commeatum impetrassent, in Ægyptum redierunt, Herodot. *lib.* IV. p. 314. 315. 316. 317. Φερετίμη δὲ ἡ μήτηρ Ἀρκεσιλάε ἐβασίλευσε χαλεπὴ καὶ περίεργος. πολεμῦσα γῦν πρὸς Βαρκαίες, λαβῦσα δὲ τὴν Βάρκην, τὰς μὲν ἄνδρας ἀνεσκολόπισε, τῶν δὲ γυναικῶν τὰς μαςὰς ἐξέτεμε. μετ' ἐ πολὺ δὲ ζῶσα κατεσάπη, Heraclid. *de Polit.*

Battus IV. Regum horum septimus, imperium accepisse post Arcesilaum dicetur e fide oraculi & Scholiastæ Pindari in *Pyth.* ode IV. init. Sed forte rectius Alexibius, qui Pindaro pater est Arcesilai octavi, Rex erit: & potuit fortasse binominis fuisse, Battus Alexibius. Βᾶττος δὲ ἐβασίλευσεν ὁ καλὸς, ἕβδομος ὢν ἀπὸ τῦ πρώτε, Heraclid. *de Polit.*

Arcesilaus IV. in ordine octavus a Batto primo, Pindar. *Pyth.* ode IV. epod. III.

Ἦ μάλα δὴ μετὰ καὶ
Μοῦ, ὥςε Φοινικανθέμε ἦρος ἀκμᾶ,
Παισὶ τέτοις ὄγδοον θάλ-
λει μέρος Ἀρκεσίλας.

Curru in Pythiis vicit, Pindar. *ibidem*: trigesima prima Pythiade: &, ut quidam volunt, etiam octogesima Olympiade vicisse eum, scribit Scholiast. Pindari. Seditione Cyrenæ orta, Arcesilaus alios occidit, alios in exsilium agit, inter quos erat etiam quidam Damophilus, qui exsul patria, Thebas concessit, Scholiast. Pindar. *Pyth.* IV. vide ipsum Pindarum. Arcesilaus hic ultimus, per dolum cæsus a Cyrenæis, finem attulit imperio Battiadarum, quod annos ducentos durarat, Schol. Pindar. *d. l.* Ἀρκεσιλάου δὲ βασιλεύοντος λευκὸς κόραξ ἐφάνη, περὶ οὗ λόγιον ἦν χαλεπόν, Heraclid. *de Polit.*

Republica ad statum popularem redacta, Battus (forte occisi Arcesilai filius) in Hesperidas profectus obiit: caput vero ejus in mare demersum fuit, Heraclid. *de Polit.*

Olymp. XCIV. 4. Cyrenen Aristo cum quibusdam aliis occupavit: civiumque 10. potentissimi subito incursu interempti fuerunt: cæterorum ornatissimus quisque profugit. Exsules itaque Cyrenæi, adscitis Messeniis, (ii patria a Lacedæmoniis pulsi fuerant) in aciem contra eos, qui urbem occuparant, descenderunt. Prælio vero commisso, & utrinque magna cæde Cyrenæorum edita, Messenii prope omnes occubuerunt. Inde Cyrenæi, missis ultro citroque Legatis, rem composuerunt, factaque amnestia, civitatem communi deinceps jure administrarunt, Diodor. *lib.* XIV. pag. 263. seq.

Cyrenæi Platonem arcessiverunt, ut ab eo leges acciperent; sed is recusavit hoc facere, eo quod nimio luxui jam inde ab initio assuevissent: & Eupolis in *Marica* scribit eorum contemptissimos habuisse sigilla pretii decem minarum, Ælian. *Var. lib.* XII. *cap.* XXX. vide & Plutarch. *ad princ. indoct.*

Cyrenæorum Legati Alexandro M. rebus in Ægypto constitutis ad Hammonis oraculum proficiscenti occurrerunt cum muneribus, isque amicitiam & societatem cum illis junxit, Diodor. *lib.* XVII. p. 526.

Cyrenen Macedones, Ægypto potiti ac viribus aucti, invaserunt, Thimbronis ductu, qui Harpalum interfecerat, Strabo *lib.* XVII. pag. 837. vide Diodor. *lib.* XVIII. pag. 602. seqq. Rebellantes Ptolemæus per Agidem & Epænetum domuit, Diodor. *lib.* XIX. p. 719.

Cyrenæi cum aliquo tempore sub Regio imperio fuissent, in Romanorum potestatem venerunt, & Cyrene facta fuit provincia cum Creta conjuncta, Strabo *lib.* XVII. p. 837.

Cyrene aucta fuit ob regionis bonitatem: etenim & optima est alendis equis, & fertilis, & multos viros memorabiles tulit, qui præclare libertatem tueri, & fortiter incumbentes Barbaros sustinere potuerint: ideoque antiquitus urbs libera suis legibus utebatur, Strabo *lib.* XVII. p 837. Qua tempestate Carthaginenses pleraque Africæ imperitabant, Cyrenenses quoque magni ac opulenti fuere. Ager in medio arenosus una specie: neque flumen, neque mons erat, qui fines eorum discerneret. Quæ res eos in magno diuturnoque bello inter se habuit. Postquam utrinque legiones, item classes sæpe fusæ fugatæque, & alteri alteros aliquantum attriverant, veriti ne mox victos victoresque defessos alius adgrederetur, per inducias sponsionem faciunt, uti certo die Legati domo proficiscerentur: quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur: igitur Carthagine duo fratres missi, quibus nomen Philænis erat, maturavere iter peragere: Cyrenenses tardius iere. Postquam Cyrenenses aliquanto posteriores se esse vident, & ob rem corruptam, domi pœnas metuunt, criminari Carthaginenses, ante tempus domo digressos: conturbare rem: denique omnia malle quam victi abire. Sed cum Pœni aliam conditionem tantummodo æquam peterent, Cyrenenses optionem Carthaginensibus faciunt, ut vel illi, quos fines populo suo peterent, ibi vivi obruerentur, vel eadem conditione sese, quem in locum vellent, processuros. Philæni conditione probata, seque vitamque suam Reip. condonavere: ita vivi obruti, Sallust. *Jugurth.*

Cyrenæi fuerunt: Aristippus Socraticus, sectæ Cyrenaicæ auctor: Areta ejus filia, quæ in schola successit: & qui huic successit, filius Aristippus, Μητροδίδακτος appellatus: & Anniceris Anniceriæ sectæ auctor: & Callimachus Poeta & Grammaticus, qui Battum primum πρόγονον ἑαυτοῦ φάσκει: & Eratosthenes Philosophus & Mathematicus excellens: & Carneades: & Cronus Apollonius, Strabo *lib.* XVII. p. 837. 838. Callimachus Batti & Mesatmæ filius, discipulus Hermocratis Jasensis Grammatici, uxorem habuisse Euphratis Syracusani filiam, & vixisse temporibus Ptolemæi Philadelphi, dicitur Suidæ. Cyrenæus quoque fuit Callimachus Heroicus Poeta, superioris sororis Megatimæ e Stasenore filius, Suidas.

Cyrenaica oppida fuerunt, Apollonia, Barce, Teuchira & Berenice, Strabo *lib.* XVII. p. 837. ita quinque fuerunt cum Cyrene. Hinc Πεντάπολις dicta Cyrenæ, apud Eustath. *in Dionys.* & Pentapolitana Plinio *lib.* V. *cap.* V.

Teuchira urbs Cyrenaica Arsione dicta fuit, Strabo *lib.* XVII. p. 836.

Barce urbs Libyæ, quæ postea Ptolemais dicta fuit, condita fuit ædificiis lateritiis a Perseo, Zacyntho, Aristomedonte & Lyco, Stephan. Βάρκην Ἑλληνίδα πόλιν, Herodot. *lib.* IV. pag. 328. Fuitque a Cyrenæis inhabitata: vide in *Cyrenæis Arcesilaus* II.

Alazer Barcæorum Rex socer Arcesilai Regis Cyrenæorum, generum exsulem suscepit, cumque eo in foro a Barcæis & Cyrenæis exsulibus occisus fuit: vide in *Cyrenæis Arcesilaus* III.

Barcen obsederunt Persæ sollicitati a Pheretima in ultionem filii Arcesilai: cum autem urbem vi capi posse diffiderent, ad dolum conversi auctore Amasi peditum ductore, latam fossam per noctem depresserunt, fragilibusque super eam stratis lignis humum induxerunt, ut cætero æquabile solum redderetur: mox ubi illuxit, Barcæos ad colloquium evocatos ad paciscendum invitarunt, nec illi inviti assensi sunt. Super occulta vero illa fossa data acceptaque utrinque fides, fœdus inter ipsos ratum fore, dum ea humus ita se haberet: Barcæis Regi se, quod æquum esset, pensuros, & Persis se nihil novi adversus Barcæos molituros, promittentibus. His fœderibus freti Barcæi, & ipsi ex urbe prodibant, & Persis quibus libebat, potestatem ingrediendi urbem fecerunt, patentibus omnibus portis. Tum Persæ rescisso illo occulto ponte, & simul humo collapsa, in urbem invaserunt, & Barcæos Pheretimæ pro lubitu puniendos tradiderunt. Ea occisis, qui cædis rei erant, direptam a Persis urbem Battiadis tradidit, iisque qui culpæ exsortes exstiterunt: reliquos Persæ in servitutem abstraxerunt: quibus ex Ægypto ad se transportatis Darius vicum Bactrianæ terræ incolendum dedit, quem illi de patriæ nomine Barcen appellarunt, Herodot. *lib.* IV. p. 327. 328. 329.

Barce postea Ptolemais dicta fuit, Strabo *lib.* XVII. p. 837.

CORCYRÆI.

Corcyra Asopi filia insulæ Corcyræ nomen dedisse fertur, Pausan. *Corinth.* pag. 93. Corcyram Neptunus in insulam hanc deportatam compressit, ac ex ea genuit Phæacem, qui Phæacibus nomen dedit, fuitque pater Alcinoi, Diodor. *lib.* IV. pag. 273. 274. Corcyræ cives Phæaces Homerus (*Odyss.* E. v. 35. & alibi sæpissime) appellavit, Stephan. Corcyram Ἀλκινόου νῆσον vocat Scylax Caryand. p. 115. & φίλον πέδον Ἀλκινόοιο, Dionysius Περ. v. 494. Aliis nominibus dicta fuit, Phæacia, Scheria, Drepanum, & Argos, Eustath. *in Dionys.* Σχερία ἐκαλεῖτο ἡ νῆσος τῶν Φαιάκων, τὸ δὲ μετὰ ταῦτα ἐκλήθη Κερκύρα. τὸ δὲ ἀρχαιότατον ἐκαλεῖτο Δρεπάνη, Schol. min. *in Odyss.* E. & Eustath. vide Apollon. *Argon. lib.* IV. v. 982. & Scholiast. ejus. Κερκύρα ἡ Φαιακία, Schol. Callimachi *Hymno in Delum*.

Alcinous uxorem habuit Areten: Argonautas in hanc insulam post abductam Medeam, venientes liberaliter cum Phæacibus excepit, Apollon. *Argon. lib.* IV. v. 993. seqq. Fuit vero Arete Rhexenoris filia, Homer. *Odyss.* H. v. 146. Sed & Colchi ab Æete missi ad reducendam Medeam, cum sine ea ad Æeten redire metuerent, a Phæacibus suscepti in insula hac manserunt, Apollon. *Argon. lib.* IV. v. 1206. seqq. Alcinous quoque Ulyssem post excidium Trojanum in hanc insulam delatum benigne excepit, Homer. *Odyss.* H. v. 167. Hinc Agathocles Syracusanorum Tyrannus cum risu subsannans Corcyræos, quærentes cur insulam ipsorum vastaret, ὅτι νὴ Δία, inquit, οἱ πατέρες ὑμῶν ὑπεδέξαντο τὸν Ὀδυσσέα, Plutarch. *de tard. vindict.*

Eretrienses in Corcyra habitabant: sed a Charicrate (Chersicrate lege, ut apud Strabon. & Schol. Apollon.) navibus e Corintho illuc advecto cum copiis, bello victi, conscensis navibus, domum navigarunt; sed fundis abacti a suis civibus & regione prohibiti ac exclusi, cum eosdem neque placare possent, neque vi cogere, cum multi & inexorabiles essent, in Thraciam navigarunt: & occupata regione, in qua ferunt prius Methonem Orphei avum habitasse, urbem quidem appellarunt Methonen, ipsi vero a finitimis ἀποσφενδόνητοι appellati fuerunt, Plutarch. *Quæst. Græc.* XI. Ferunt autem Archiam, cum in Siciliam navigaret, reliquisse Chersicratem genus ab Heraclidis ducentem, cum parte aliqua exercitus, qui in Corcyram, quæ prius Scheria dicebatur, colonos duceret: eumque ejectis Liburnis, qui tum insulam tenebant, illic consedisse, Strabo *lib.* VI. p. 269. Χερσικράτης, εἷς τῶν Βακχιαδῶν, ἔκτισε Κέρκυραν, ἐκβαλὼν τοὺς ἐνοικοῦντας Κόλχους, Schol. Apollon. *Argon. lib.* VI. vide in *Corinth.* Corinthii ergo in Corcyram coloniam deduxerunt, Herodot. *lib.* III. pag. 205. Thucyd. *lib.* I. p. 18. 28. Κερκυραῖοι οὐ μόνον Δωριεῖς, ἀλλὰ καὶ Κορίνθιοι. Κορινθίων ἄποικοι. Συρακουσίων συγγενεῖς, Thucyd. *lib.* VII. p. 532. Apollon. *Argon. lib.* IV. v. 1210. seqq. de Colchis:

— αὖθι δὲ νήσῳ
Δὴν μάλα Φαιήκεσσι μετ' ἀνδράσι ναιετάεσκον
Εἰσότε Βακχιάδαι, γενεὴν Ἐφύρηθεν ἐόντες
Ἀνέρες ἐνάσσαντο μετὰ χρόνον.

Corcyrei in Epidamnum coloniam miserunt, duce coloniæ a Corinthiis accepto, Thucyd. *lib.* I. p. 17. & in Apolloniam. Pausan. *Eliac. pr.* p. 332. Sed Corcyræi quamvis Corinthiorum coloni essent, ipsos tamen contempserunt: nam neque in publicis solennitatibus consuetos illis honores habuerunt, neque in sacrificiis, cum exta distribuebantur, a viro Corinthio auspicati sunt, cæterarum coloniarum more: sed illos contempserunt, quod opibus ac divitiis, vel ditissimis quibusque illius sæculi Græcis pares essent, & armis pollerent: interdum etiam se classe aliis præstare jactarunt, quod Phæaces olim rerum nauticarum gloria florentes Corcyram tenuissent, Thucyd. *lib.* I. pag. 18. 19. Ὅτι ἡ Κερκύρα τὸ παλαιὸν εὐτυχὴς ἦν, καὶ δύναμιν ναυτικὴν πλείστην εἶχεν, Strabon. *Excer. lib.* VII. p. 329.

Corcyræ imperium tenuit Periander Corinthi Tyrannus: ejus filium Corcyræi occiderunt, Herodot. *lib.* III. pag. 206. seqq. vide in *Corinthiis Periand.*

Corcyræi a Græcis sollicitati de ope ferenda adversus Xerxem Græciam invadentem, polliciti fuerunt se, absque mora, auxilia missuros, nec passuros Græciæ salutem periclitari: qua collapsa, sibi certo servitutem subeundam esse. Ac ubi ferro opem oportuit, sexaginta quidem naves instruxerunt, ægreque provecti, ad Peloponnesum appulerunt, ac naves circa Pylon ac Tænarum in statione collocarunt, intenti in belli exitum: neque enim sperabant Græcos superiores futuros, sed Xerxem Græciam subacturum. Quod si igitur Persarum victoria foret, hac oratione præparata eos erant excepturi: Nos, o Rex, quum hanc expeditionem susciperent Græci, quamvis opibus polleremus, & naves numero proximas Atheniensibus suppeditare potuissemus, tamen tibi molestiæ esse noluimus. Ad Græcos vero hæc meditati sunt, quibus etiam postea usi sunt, quando Græcorum fuit victoria, accusantibus Græcis, quod auxilia mittere neglexissent: Sexaginta, inquiebant, triremes armaveramus, sed per ventos Etesias Maleam superare nequivimus: atque adeo ad Salaminem non pervenimus, nec, quod a navali pugna abfuerimus, in eo ulla malitia nisi fuimus, Herodot. *lib.* VII. p. 500.

Corcyræi, supplices Epidamnios, qui a suis exsulibus & Barbaris bello vexabantur, & in Corcyram, ut ad Metropolin suam, opem petituri venerant, non admiserunt, sed re infecta remiserunt, Thucyd. *lib.* I. p. 18.

Corcyræi iniquo animo tulerunt Corinthios, misso Epidamnum præsidio, eam in suam fidem recepisse, & mox Epidamnum profecti cum viginti quinque navibus, & deinde cum altera classe, Epidamniis insultantes imperarunt, ut remissis novis colonis cum præsidio Corinthiorum, exsules suos (ii enim Corcyram venerant opem orantes) reciperent. Epidamniis imperata facere recusantibus, Corcyræi cum infesta quadraginta navium classe & exsulibus, ac Illyriis in belli societatem adscitis, Epidamniis arma intulerunt. Urbeque obsessa, denunciarunt, ut & Epidamniorum, quicunque vellent, & peregrini impune inde abirent, alioqui se eos hostium loco habituros, Thucyd. *lib.* I. p. 19.

Corcyræi audito apparatu Corinthiorum, Corinthum profecti, assumptis Lacedæmoniis ac Sicyoniis Legatis, Corinthios jusserunt præsidium & colonos Epidamno deducere: sin minus, quamvis bellum minime placeret, dispiciendum sibi de externis eorum auxiliis, qui tum potentia præstarent. Respondentibus Corinthiis se, si Barbari & naves Epidamno abducerentur, consultaturos: Corcyræi dixerunt se id facturos esse, si & a Corinthiis, qui Epidamni essent, abducerentur. Sed Corinthii nihil horum facere constituerunt. Inde per Caduceatorem bellum Corcyreis indictum, Thucyd. *lib.* I. p. 20. 21.

Corcyræi centum ac viginti navium classem habuerunt, cum hoc bellum gerere cœpissent, Thucyd. *lib.* I. p. 19.

Corcyræi octoginta navibus congressi cum Co-

rinthiis eorumque ſociis navali pugna, longe ſuperiores fuerunt, Thucydid. *l.* I. p. 22.

Corcyræi, qui Epidamnum obſidebant, eodem die, quo navale prælium fuit, urbem ad deditionem coegerunt, iis conditionibus, ut peregrinis venditis, Corinthii in vinculis eſſent, donec aliquid de iis ſtatueretur, Thucyd. *l.* I. p. 22.

Corcyræi victores imperium totius maris illius adepti, cum claſſe Leucadem, Corinthiorum coloniam, provecti, agrum vaſtarunt, & Cyllenen, Eleorum navalia, incenderunt, quod naves ac pecuniam Corinthiis ſuppeditaſſent: & Corinthiorum ſocios infeſta claſſe navigantes vexarunt, Thucyd. *l.* I. p. 22.

Corcyræi cognito novo maximo apparatu Corinthiorum ſocietatem ac opem Athenienſium implorarunt, Thucydid. *l.* I. p. 22. ſeqq. a quibus decem naves auxilio miſſæ fuerunt, Thucyd. *l.* I. p. 32. Ipſi centum ac decem naves armarunt, ducibus præfectis Miciade, Æſimide & Eurybato. Zacynthii ipſis mille gravis armaturæ milites miſerunt. Commiſſa acris pugna fuit, ſed parum ex arte, quod pedeſtris prælii ſpeciem habuerit, multis utrinque gravis armaturæ militibus, & ſagittariis & jaculatoribus in foris vetuſto adhuc more imperitius inſtructis. Ac Megarenſes quidem ac Ambracienſes, qui in dextro cornu erant, victos, diſperſoſque in continentem uſque perſequuti ſunt Corcyræi, & e navibus egreſſi caſtris incenſis, pecuniam diripuerunt. Sed in altera parte Corcyræi victi a Corinthiis profligatique fuerunt, Thucyd. *l.* I. p. 32. 33. 34.

Corcyræi Athenienſium ſocii fuerunt in bello Peloponneſiaco, Thucyd. *l.* II. p. 105. claſſem autem præbuerunt, idem *ibidem*.

Corcyræorum ducenti & quinquaginta prælio navali capti a Corinthiis diligenter ac officioſe curati, poſteaque dimiſſi ſine pretio, in eum finem ut Corcyram in poteſtatem Corinthiorum redigerent, in patriam reverſi ſingulos cives ad deficiendum ab Athenienſibus ſollicitarunt, ac Pithiam civitatis principem inſimularunt, quod Corcyram in Athenienſium poteſtatem redigere conaretur. At ille abſolutus viciſſim reos fecit quinque ex illis ditiſſimos, quod ex Jovis & Alcinoi fano vallos præcidiſſent. At illi, inita conjuratione in Senatum cum pugionibus irrumpentes ex improviſo, & ipſum Pithiam, & alios e Senatu atque e populo ad ſexaginta interfecerunt. Et principes civitatis plebem adorti, pugna commiſſa vicerunt. Uno interjecto die iterum pugnatum fuit, ſed plebs vicit. Nobiles autem ac divites, quorum exiguus numerus fuit, in fugam verſi, plebis metu ædes, quæ circa forum erant, illiſque contiguas incenderunt; unde multæ mercatorum pecuniæ crematæ ſunt, parumque abfuit, quin penitus urbs tota periret. Poſtea adventante claſſe ab Athenienſibus duce Eurymedonte, Meſſenios quingentos armaturæ gravis milites Naupacto a Nicoſtrato Athenienſi adductos in urbem introduxerunt Corcyræi. Ibi facta a plebe cædes inimicorum horribilis fuit, nihilque non accidit, atque adeo longe plura, quam quæ oratione concipi poſſent: etenim pater filium occidit: ſupplices a templis abſtracti, prope ipſa cæſi fuerunt: imo & nonnulli muro concluſi in fano Bacchi perierunt, Thucyd. *l.* I. p. 37. & *l.* III. p. 221. ſeqq.

Corcyræorum exſules, qui e laniena illa evaſerant, quingenti cum centum auxiliaribus, fruſtra Lacedæmoniis ac Corinthiis ſollicitatis ad ſe in patriam reducendos, cum navibus in inſulam trajeciſſent, navibus crematis, ne ſpes ulla alia relinqueretur, quam agri occupandi, montem Iſtonem occuparunt, & munitione illic ſtructa, eos, qui in urbe erant, graviſſime vexarunt, agris ſpoliatos, Thucydid. *l.* III. p. 231. Sed ab Athenienſibus ſuperati arma tradiderunt, & a Corcyræis omnes interempti fuerunt, niſi qui ſibi ipſis violentas manus attuliſſent: eorumque uxores in ſervitutem redactæ, Thucyd. *l.* IV. p. 283. 284. 285. Ἡ Κόρκυρα ὑπὸ πολέμων τινῶν καὶ Τυράννων ἐφθάρη. καὶ ὕστερον ὑπὸ Ρωμαίων ἐλευθερωθεῖσα, οὐκ ἐπῃνέθη, ἀλλ' ἐπὶ λοιδορίᾳ παροιμίαν ἔλαβεν. Ἐλευθέρα Κόρκυρα χέζ' ὅπου θέλεις, Strabo *Excer.* l. VII. p. 329.

Corcyram cum vaſtaret Agathocles Syracuſanorum Tyrannus, quærentibus, cur id faceret, reſpondit, ὅτι νὴ Δία, οἱ πατέρες ὑμῶν ὑπεδέξαντο τὸν Οδυσσέα, Plutarch. *de ſer. Num. vind.* p. 286.

Corcyræi Apolloniatas & Epidamnios a Caſſandri præſidio liberarunt: ac Apolloniam quidem libertati reſtituerunt: Epidamnum vero Glauciæ Regi Illyriorum tradiderunt, Diodor. *l.* XIX. p. 718.

Corcyra potitus Cleonymus Rex Spartanus, urbi præſidium impoſuit, & magnam vim pecuniæ exegit, ea urbe tanquam arce belli uti cogitans, Diodor. *l.* XX. p. 829.

Corcyram terra marique a Caſſandro Rege Macedonum obſeſſam, Agathocles Rex Siciliæ liberavit, navibus Macedonicis omnibus incenſis, Diodor. *Eclog.* l. XXI. §. II.

Corcyræos Pyrrhus Æacidæ F. armis ſubegit: vide in *Epirotis*.

ECHINÆI.

Echinæ vel Echinades inſulæ circa Ætoliam, quibus Achelous fl. limum aggerit: ſic dictæ παρὰ τὸν ἐχῖνον, διὰ τὸ τραχὺ καὶ ὀξύ: vel ob multitudinem echinorum. Apollodorus vero ſic dici ait a vate Echino, Stephan. Ἐχινάδες εἰσὶ νῆσοι ἢ παρὰ τὸ ἔχειν πλῆθος ἐχίνων· ἢ ἀπὸ Ἐχίνου τοῦ μάντεως τοῦ μετ' Ἀμφιτρύωνος στρατεύσαντος. ἢ παρὰ τὸ συνέχεσθαι πλησίον ἀλλήλων. ἢ ἐπειδὴ ἰλὺς ἐκ τοῦ Ἀχελώου ποταμοῦ κατερχομένη, ἐκεῖσε συνέχεται καὶ ἀπογαιοῦται, Etymol. magn. Marcian. Περ. p. 19.

—— αἱ καθήκουσαι πέραν
Πρὸς τὸν Ἀχελῷον, λεγόμεναι δ' Ἐχινάδες.

Quod vero Echinades inſulæ a fl. Acheloo continenti reliquæ junctæ non fuerint, cauſa eſt, quia Gens Ætolica ſuis ſedibus pulſa fuit, & terra inculta relicta: itaque Echinadibus, Ætolia inculta, Achelous non perinde limum aggerit, Pauſan. *Arcad.* p. 493. hinc apud Stephanum legendum puto αἷς Ἀχελῷος ποταμὸς οὐ προσβάλλει ἰλύν, cum negatione, quæ apud eum deeſt; niſi forte Stephani ætate iterum limum aggerere cœpit fluvius, ut tempore Herodoti, quando jam media parte continens eæ inſulæ factæ fuerunt. Ὅς (Ἀχελῷος) inquit Herodotus, ῥέων διὰ Ἀκαρνανίης, καὶ ἐξιὼν ἐς τὴν θάλασσαν, τῶν Ἐχινάδων νήσων τὰς ἡμισέας ἤδη ἤπειρον πεποίηκε, *l.* II. p. 104. Sic & Strabo de his inſulis: ἡ χοῦς τὰς μὲν ἐξηπείρωκεν αὐτῶν ἤδη, τὰς δὲ μέλλει πολλὴ καταφερομένη, *l.* X. p. 458. εἰσὶ τῶν νήσων αἱ ἠπείρωνται. ἐλπὶς δὲ καὶ πάσας οὐκ ἐν πολλῷ τινι ἂν χρόνῳ τοῦτο παθεῖν, Thucyd. *l.* II. p. 170. 171. vide Schol. min. *in Iliad.* B.

Echinadum una eſt Dulichium, Strabo *l.* VIII. p. 335. 340. & *l.* X. p. 453. 458. Hellanicus Dulichium Cephalleniam vocavit, & Andron Dulichium ad Cephalleniam pertinere ſcripſit; ſed refelluntur a Strabone *l.* X. p. 456. quod Dulichium Epei & Meges tenuerint; Cephalleniam vero Ce-

phallenes & Ulysses. Dulichii olim Palenses vocati: vide in *Cephall. Palens.* A

Phyleus (Augeæ, Eleæ & Epeorum Regis filius) patri succensens in Dulichium concessit, Homer. *Iliad.* B. v. 628. Epeique ex Elide cum eo in Echinadas insulas commigrarunt, Strabo *lib.* x. p. 456. ἐν αἷς (Ἐχινάσι) οἱ κατοικοῦντες καλοῦν) Ἐπειοί, Schol. min. *in Iliad.* B. Phyleus uxorem habuit Ctimenen Laertis filiam, Ulyssis sororem: alii ajunt Phyleum Timandram stupro sibi cognitam, Helenæ & Clytæmnestræ sororem, in Dulichium abduxisse, Eustath. *in Iliad.* B.

Meges Phylei F. Dulichio & Echinadibus belli Trojani tempore imperavit, navesque quadraginta in illam expeditionem duxit, Homer. *Iliad* B. v. 628. seqq. Epeorum principem Phylei socium, Otum Cyllenium vocat Homerus *Iliad.* O. v. 518. Aristotelis in Megetem exstat Epitaphium: B

Μνῆμα Μέγητι θοῷ, μεγαθύμου Φυλέος υἱῷ,
Δουλίχιοι τεῦξαν. σῶμα δὲ πόντος ἔχει.

Ithaca insula Cephalleniæ proxima, Stephan. Marcian. Περ. p. 19. Nomen accepit ab Ithaco Heroe, Eustath. *in Iliad.* B.

Ithacensis fuit Ulysses, Homer. *Odyss.* B. v. 246 Jovis quidem & Euryodiæ (Celei Eustath. *in Iliad.* B.) filius fuit Arcesius. Arcesii & Chalcomedusæ Laertes. Laertis & Anticleæ (ea erat Autolyci filia, Homer. *Odyss.* Λ. v. 85.) Ulysses. Ulyssis & Penelopes (ea erat Icarii filia, Homer. *Odyss.* P. v. 562. vide in *Lacedæmon.*) Telemachus. Telemachi & Polycastæ Nestore genitæ Persepolis, ut ait Hesiodus: C

Τηλεμάχῳ δ' ἄρ' ἔτικτεν ἐΰζωνος Πολυκάστη
Νέστορος ὁπλοτάτη κούρη Νηληϊάδαο
Περσέπτολιν μιχθεῖσα διὰ χρυσῆν Ἀφροδίτην.

Aristoteles vero in *Rep Ithacensium*, & Hellanicus, ajunt Telemachum uxorem duxisse Nausicaam Alcinoi filiam, & ex ea genuisse Persepolin. E Circe Ulyssis filii fuerunt, ut vult Hesiodus, Agrius & Latinus: e Calypso Nausithous & Nausinous. Cyrenæus vero Telegonius auctor scribit e Calypso quidem Ulyssi filium fuisse Telegonum vel Teledamum: e Penelope vero Telemachum & Arcesilaum. Ut vero vult Lysimachus, filius illi fuit ex Euippe Thesprotide Leontophron, quem alii Doryclum vocant. Sophocles vero refert ex eadem Euryalum natum, quem Telemachus occidit. Colophonius vero, qui reditus scripsit, ait Telemachum postea Circen uxorem duxisse, Telegonum vero e Circe natum, uxorem duxisse Penelopen, Eustath. *in Odyss.* Π. Ulysses Ithacensium dux fuit ad bellum Trojanum, Homer. *Iliad.* B. v. 631. seq. vir ποικιλομήτης, Hom. *Iliad.* Λ. v. 482. ποικιλόφρων, Euripid. *Hecub.* v. 134. πολυμήχανος, Hom. *Odyss.* A. v. 205. Πολύμητις, Hom. *Iliad.* Γ. v. 200. δόλοις ἀχόρητος, ἐν χθονί, ἐν πελάγεσσι, ἐν νεκύεσσιν, *Epigr. lib.* I. *cap.* LXII. vide Homer. *Odyss.* T. vers. 285. & Sophocl. *Ajac.* vers. 380. seqq. 388. 446. & *Philoctet.* v. 407. & alios. Postquam Ulysses suæ uxoris procos occiderat, occisorum necessarii in Ulyssem insurrexerunt: Neoptolemus vero ab utrisque arbiter arcessitus, Ulyssem quidem relictis Cephallenia, Zacyntho & Ithaca ob patratam cædem exsulare, socios vero & domesticos procorum Ulyssi pœnam pendere injuriarum in domum ejus factarum singulis annis jussit. Ulysses itaque in Italiam concessit, Plutarch. *Qu. Græc.* XIV. Aristotelis in Ulyssem Epitaphium exstat: D E F

Ἀνέρα τὸν πολύμητιν ἐπὶ χθονὶ τῇδε θανόντα
Κλεινότατον θνητῶν τύμβος ἐπεσκίασεν.

Ithacensibus expostulantibus cum Agathocle Syracusanorum Tyranno, quod oves suæ a militibus diriperentur, per risum illudens Agathocles respondit: ὁ δὲ ὑμέτερος βασιλεὺς ἐλθὼν πρὸς ἡμᾶς, καὶ τὸν ποιμένα προσεξετύφλωσε, Plutarch. *de sera Num. vindict.* p. 286.

ZACYNTHII.

Zacynthus Dardani filius, vir Psophidius, primus in hanc insulam navibus transmisit, eique nomen dedit. Sed & arx Zacynthiorum Psophis appellata fuit, Pausan. *Arcad.* p. 491. Estque hæc insula supra Cephalleniam, Pausan. *Messen.* p. 260. Ἀντιπέρας Ἤλιδος κεῖσθαι, & Achæorum Peloponnesiacorum colonia dicitur Thucydidi *l.* II. p. 142. Τῶν ὑπὸ τῷ Ὀδυσσεῖ τεταγμένων νήσων. ἡ Ζάκυνθος μικρῷ πρὸς ἑσπέραν μᾶλλον τῆς Κεφαλληνίας κεκλιμένη καὶ τῆς Πελοποννήσου, Strabo *l.* X. p. 457. Marcian. Περ. p. 19.

Ἡ τῇ Πελοποννήσῳ σύζυγος κειμένη
Ζάκυνθος.

Zacynthus aliquando appellata Hyrie, Plin. *lib.* IV. *cap.* XII.

Zacynthus urbs, a Zacyntho Dardani F. Stephan.

Zacynthios ad bellum Trojanum duxit Ulysses, Homer. *Iliad.* B. v. 634.

Zacynthii bello Peloponnesiaco Atheniensium socii fuerunt, Thucyd. *lib.* II. pag. 105. 142. ideoque eorum agrum vastarunt Lacedæmonii, neque tamen eos ad deditionem impellere potuerunt, Thucyd. *lib.* II. p. 242.

CEPHALLENII.

Cephalus Deionei filius uxorem habuit Erechthei, & Praxitheæ filiam. (Procridem Apollod. Pausan.) Ea, accepta aurea corona, cum Pteleonte concubuit, & a Cephalo deprehensa, ad Minoem aufugit, cumque & hoc rem habuit, acceptoque ab ipso jaculo, & cane venatico ad Cephalum rediit, eique reconciliata fuit, & cum eo venatum egressa, telo aberrante ab ipso confossa fuit. Cephalus vero sententia Areopagitarum damnatus in exilium abiit, Tzetzes *Chiliad.* I. *Histor.* XX. Procnen Erechthei matrem ἀκουσίως occidisse Cephalum scribit Etymologus ex Epaphrodito: sed emenda, Πρόκριν τὴν Ἐρεχθέως θυγατέρα. Athenis ergo Thebas migravit, & Teleboas una cum Amphitryone expugnavit: postea insulam, quæ ab ipso Cephallenia dicta fuit, incoluisse fertur, Pausan. *Attic.* p. 70. vide Apollod. *lib.* II. p. 54. a. β. Strabon. *l.* X. p. 456. Κέφαλος, ἀφ' οὗ οἱ Κεφαλλῆνες παρώνυμοι. καὶ ὅτι Ἀμφιτρύων φυγὰς παραλαβὼν ἐξ Ἀθηνῶν Κέφαλον τὸν Δηιονέως, κατέσχε νῆσον, καὶ παρέδωκε τῷ Κεφάλῳ, Eustath. *in Iliad.* B. Κεφαλλῆνες δὲ ἀπὸ τοῦ Κεφάλου ἐκλήθησαν, Heraclid. *de Polit.* Κεφαλληνία, ἀπὸ Κεφάλου τινός, Etymol. magn. Cephalo in carmine, quod Νόστοι inscribitur, Clymene Minyæ filia nupsisse dicitur, e qua ille Iphiclum genuerit, Pausan. *Phocic.* p. 665. Cephali filius fuit Celeus Κηλεὺς pater Arcesii, avus Laertis, proavus Ulyssis, Eustath. *in Iliad.* B. Κεφάλῳ μαντευσαμένῳ περὶ παίδων ὁ Θεὸς εἶπεν, ᾧ ἂν ἐντύχῃ θήλει πρώτῳ, συγγενέσθαι. τὸν δὲ περιτυχεῖν ἄρκτῳ, καὶ πλησιάσαντα γεννῆσαι ** γυναῖκα, ἐξ ἧς Ἀρκείσιον φερωνύμως ὀνομασθῆναι λέγεται, Heraclid. *de Polit.* Corrupta hæc esse animadvertit Nicol. Kragius noster, sed mendum non sustulit: imo & θήλει omisit post ἐντύχῃ, & ἄρκῳ pro ἄρκτῳ edidit: ubi asteriscos posuimus inserendum est, υἱόν, τὴν δὲ ἄρκτον ἐγκύμονα γενομένην μετα-

βαλεῖν εἰς, vel ſimile, ex Etymol. magno: ubi eſt: Ἀριϛοτέλης δὲ ἐν τῇ Ἰθακησίων πολιτείᾳ, τὸν Κέφαλον οἰκοῦντα ἐν ταῖς ἀπ' αὐτοῦ κληθείσαις Κεφαλληνίας νήσοις, ἄπαιδα ἐπὶ πολὺ ὄντα, ἐρόμενον τὸν Θεὸν, κελευσθῆναι, ᾧ ἂν ἐντύχῃ θήλει συγγενέσθαι. παραγενόμενον δὲ εἰς τὴν πατρίδα, καὶ δὴ ἐντυχόντα ἄρκτῳ, κατὰ χρησμὸν συγγενέσθαι. τὴν δὲ ἐγκύμονα γενομένην, μεταβαλεῖν εἰς γυναῖκα, καὶ τεκεῖν παῖδα Ἀρκίσιον, ἀπὸ Ἄρκτου. Hæc Etymol. *in* Ἀρκείσιος. Ἀρκείσιος πάππος Ὀδυσσέως, ὡς ἢ ἀπὸ ἄρκτου, ἢ ἀπὸ τοῦ Ἀρκέω, ἀρκέσω παρῆκται, δηλοῦσιν οἱ παλαιοὶ, Euſtath. *in Odyſſ.* Ξ. Etiam ab ἀρκέω ducit Herodianus apud Etymolog. Ulyſſes tamen Arceſium avum ſuum Jove natum fuiſſe gloriatur apud Ovid. *Metam.* XIII. verſ. 144. ſeq.

Nam mihi Laertes pater eſt: Arceſius illi:
Jupiter huic.

Cephali filii Proneſus, Samus, Paleus (ſic lego, pro Peleus) & Cranius quatuor Cephalleniæ urbibus nomina dediſſe dicuntur, Stephan. *in* Κράνιον. Quatuor enim civitates ſunt in Cephallenia, Palenſes, Cranii, Samæi & Pronæi, Thucyd. *l.* II. p. 119. Strabo *l.* X. p. 453. Ἔπειτα δὲ Cephalus ἐκ Λυσίππης ἔσχε Σαμαῖον, καὶ Κρανέων, καὶ Παλαίων ἀφ' ὧν οἱ ἐν τῇ Κεφαλληνίᾳ Πρόνοοι, Σαμαῖοι, Κρανέιοι, Παλεῖς προσηγορεύθησαν, Etymol. magn. ex Epaphrodito. Sed primi filii nomen omiſſum eſt, quod eſt Πρόνησος vel Πρῶνος: & populorum nomina diverſe ſcribuntur. Πρώνειοι, Σάμιοι, Παλεῖς & Κράνειοι Tzetzæ *in Lycophron.* Παλλῆς, Κράνιοι, Σαμαῖοι, Πρόναιοι Thucyd. Πρόνος & Παλαιέων πόλις apud Polybium *l.* v. init. Neſiotæ, Cranonii, Pallenſes & Samæi civitates Cephalleniæ appellantur a Livio *l.* XXXVIII. Homerus *Iliad.* B. v. 631. omnes, qui ſub Ulyſſe erant, inter quos & Acarnanes ſunt, Κεφαλλῆνας appellavit, Strabo *l.* X. p. 452. Κεφαλλήνων ἄναξ Ulyſſes dicitur Sophocl. *Philoctet.* v. 263. Duxit vero Ulyſſes Cephallenios ad bellum Trojanum, Homer. *Iliad.* B. v. 631. Promneſi (forte Proneſi, ut apud Stephanum, Cephali filii) filius in Cephalenia imperium tenuit, moribus aſper, nec civibus præter duos feſtos dies permiſit; nec in urbe ultra decem menſis dies degere conceſſit. Puellas vero, antequam nuptum darentur, ipſe ſtupravit. Antenor vero ſumpto gladio, veſteque muliebri indutus, eum in lecto interemit. Populus vero eum honorem habuit illi, ut Principem conſtitueret. Sed & puella, cujus vicem ipſe obierat, honoribus affecta fuit, Heraclid. *de Polit.*

Palenſes olim Dulichii appellabantur, Pauſan. *Eliac. poſt.* p. 372. Οἱ δὲ Παλεῖς Δουλίχιον ὑφ' Ὁμήρου λέγεται, ὡς γράφει Φερεκύδης, τὴν νῦν Strabo *l.* X. p. 456. Samum Homerus *Odyſſ.* Δ. v. 671. vocat, τὴν νῦν Κεφαλληνίαν, Strabo *l.* X. p. 453.

Palenſium e Cephallenia ducenti fuerunt in exercitu Græco ad Platæas contra Perſas coacto, Herodot. *l.* IX. p. 597.

Cephalleniam inſulam Athenienſes, navibus illuc profecti, ſine armis in ſuam poteſtatem redegerunt, Thucyd. *l.* II. p. 118. 119.

Cephalleniam inſulam totam ſibi parentem habuit C. Antonius, quando poſt geſtum cum Cicerone conſulatum exſul, illic exſulabat, Strabo *l.* X. p. 455.

Crocylea & Ægilips urbes Cephalleniæ, Schol. min. in *Iliad.* B. ſub Ulyſſis imperio, Homer. *Iliad.* B. v. 633.

TAPHII.

Taphius Neptuni & Hippothoes Meſtore Perſei filio genitæ filius in Taphum inſulam colonos deduxit, quos Τηλεβόας appellavit, ὅτι τηλοῦ τῆς πατρίδος ἔβη, quod procul e patria veniſſet, Apollod. *l.* II. p. 52. α. β. Τηλεβόαι οὖν αἱ Τάφιοι, ἤτοι ὅτι τῆλε οἰκοῦντες ἀπὸ Ἄργους τὰς βοῦς ἀπήλασαν, ἢ ἀπὸ Τηλεβόου τοῦ Πτερέλα τοῦ βασιλέως υἱοῦ, οὗ ἀδελφὸς Τάφιος. ἀφ' οὗ καὶ ἡ νῆσος, Schol. Apoll. *Arg.* l. I. v. 746. Ariſtoteles in *Rep. Leucadiorum* Lelegem quendam indigenam nominat, ejuſque e filia nepotem Teleboam: hujus vero duos & viginti filios Teleboas, Strabo *l.* VII. p. 322. Meſtoris e filia Hippothoe & Neptuno nepotem Pterelam, & Pterelæ filios Teleboam & Taphium fuiſſe ſcribit Schol. Apollon. *Arg.* d. l. αἱ δὲ τῶν Ταφίων νῆσοι, πρότερον δὲ Τηλεβόων, ὧν ἦν καὶ ἡ Τάφος, Strabo *l.* X. p. 459. Inter Leucadiam & Acyaiam permultæ, (inſulæ) quarum Teleboides: eædem quæ Taphiæ: ab incolis ante Leucadiam appellantur, Taphias, Oxiæ, Prinoeſſa, Plin. *l.* IV. *c.* XII. Τάφος, ἡ νῆσος τῶν Ἐχινάδων, ἣν κατῴκουν Τηλεβόαι, Schol. min. *in Odyſſ.* A. Ἡ Τάφος νῆσός ἐστι μία τῶν Ἐχινάδων, ἣν ᾤκησαν Τηλεβόαι οἱ πρότεροι τὴν Ἀκαρνανίαν οἰκοῦντες, ἄνδρες λῃστρικώτατοι τὸν τρόπον, Schol. Apoll. *Arg.* l. I. v. 746. Τοὺς Ταφίους πρότερον Τηλεβόας φασὶ καλεῖσθαι. κληθῆναι δὲ αὐτοὺς Ταφίους, ἀπὸ Τάφου τινὸς βασιλέως. καὶ αὐτοὶ τὸ ἀνέκαθεν Φοίνικες, τῶν μετὰ Κάδμου σταλέντων, Etymol. magn. *in* Τάφιοι λῃστῆρες. Τάφιος, ἐθνικὸν, ὁ λῃστής, Suidas. Τάφιοι, οἱ Τηλεβόαι λεγόμενοι, οἱ τὰς Ἐχινάδας νήσους κατοικοῦντες, Heſych.

Pterelas Taphii filius a Neptuno, crine aureo capiti impoſito, immortalis factus fuit, Apollodor. *l.* II. p. 52. β. Filios habuit Chromium, Tyrannum, Antiochum, Cherſidaman, Meſtorem, Eueren, & filiam Comætho, Apollod. *l.* II. p. 52. β. Hi ab Electryonis filiis occiſi fuerunt: vide in *Mycenæis*: & Ptereleas bello adortus fuit Amphitryo: vide in *Thebanis*: victorque Amphitryo Taphiorum inſulas Cephali Deionei F. imperio ſubjecit, Strabo *l.* X. p. 459. Apollodorus Helio quoque eas ſubjectas fuiſſe ab Amphitryone ſcribit *l.* II. p. 55.

Taphii tempore Trojani belli Mentæ Anchiali filio paruerunt, Homer. *Odyſſ.* A. v. 180. ſeqq.

SALAMINII.

Salamis inſula Atticæ objecta: & urbs ejuſdem nominis in illa, Euſtath. *in Iliad.* B. Nomen ei dediſſe fertur Salamis Aſopi filia, Cychrei mater, Pauſan. *Attic.* p. 65. Ita enim lege apud Pauſan. ἀπὸ τῆς μητρὸς τοῦ Κυχρέως Σαλαμῖνος τῆς Ἀσωποῦ. Cychreus enim Rex Salaminis, Neptuno & Salamine Aſopi filia genitus fuit, Apollod. *l.* III. p. 124. Diodor. *l.* IV. p. 274. apud hunc tamen legitur Κεγχρέος. Salamis appellabatur antea Sciras & Cychria ἀπό τινων Ἡρώων & Pityuſſa, ἀπὸ τοῦ φυτοῦ. (πίτυος) Heſiodus ſcribit ſerpentem qui Κυχρείδης dicebatur a Cychreo nutritum, & inſulam vaſtantem, ab Euryclo vero profligatum, Eleuſine a Cerere pro miniſtro receptum fuiſſe, Strabo *l.* IX. p. 393. 394. at Diodorus: Κέγχρεὺς, inquit, ἀπέκτεινεν ὄφιν ὑπερφυῆ τὸ μέγεθος, καὶ λυμαινόμενον τοὺς ἐγχωρίους, *l.* IV. p. 274. Cychreum Ophin propter loci aſperitatem cognominatum fuiſſe, & ab Eurylocho ex inſula pulſum, ſcribit Euſtath. *in Dionyſ.*

Cychreus Telamoni Æaci filio ad ſe venienti regnum moriens ſine ſobole reliquit, Apollod. *l.* III. p. 124. Dederat autem ei ſuam filiam Glaucen uxorem, Diodor. *l.* IV. p. 274. Cychreus ſocer Scironis dicitur Plutarch. *Theſeo.*

Telamon Æaci filius Æginetas in Salaminem deduxit, Pauſan. *Attic.* pag. 65. vide in *Æginet.* Et illic habitavit, Apollon. *Argon.* v. 93. lib. I.

Τελαμὼν μὲν ἐν Ατθίδι νάσατο νήσῳ.

regnavitque. Marcian. Περ. p. 23.

Καὶ πλησίοι ταύτῃ (Αἰγίνῃ) Σαλαμὶν, ἐν ᾗ λόγος
Τὸν Αἰακȣ̃ Τελαμῶνα βασιλεῦσαί ποτε.

Uxorem post Glaucæ mortem habuit Eribœam (Eribœam vocat quoque Pindarus *Isthm.* ode VI. epod. II. Alii vero Peribœam) Atheniensem Alcathoi filiam, & ex illa filium Ajacem, Diodor. *l.* IV. p. 274. Τελαμὼν δὲ τοσȣ̃τος ἐγένετο, ὥστε ἐκ μὲν πόλεως τῆς μεγίστης, ἣν αὐτὸς ἐβȣ́λετο, γῆμαι Περίβοιαν τὴν Αλκάθȣ, Xenoph. *de Venat.* initio. Peribœam a Telamone compressam, ideoque a patre jussam mergi, sed a ministro venundatam, navique appulsam ad Salaminem, a Telamone emptam Ajacem peperisse, scribit ex Aretade Cnidio Plutarch. *Parallel.* XXVII. Hercule precante, ut Telamoni filius nasceretur, post preces apparuit aquila, (αἰετὸς) puerque Αἴας appellatus fuit, Apollodor. *l.* III. p. 124. β. ὄρνιθος φανέντος ἐπώνυμος, ut scribit Pindarus *Isthm.* ode VI. strophe III. quem vide illic antistr. & epod. II. unde hæc hausit Apollodorus. Sed apud Sophoclem Ajax suum nomen deducit ab αἶ, αἶ, *Ajac. flagell.* v. 431. seqq.

Αἶ, αἶ. Τίς ἄν ποτ' ᾤεθ' ὧδ' ἐπώνυμον
Τȣ̀μὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς.
Νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοὶ,
Καὶ τρίς. τοιȣ́τοις γὰρ κακοῖς ἐντυγχάνω.

vide Eustath. *in Iliad.* Z. Telamon socius expeditionis Argonauticæ fuit, Apollon. *Argon. lib.* I. v. 89. seqq. Sed & Herculis socius fuit adversus Laomedontem Trojanum susceptæ expeditionis: cumque primus Ilii muros transcendisset, & post eum Hercules, ab Hercule, qui neminem se præstantiorem patiebatur, stricto gladio petitus, proximos, qui adjacebant, lapides colligere cœpit: rogantique Herculi, quam rem ageret, respondit, se Herculis Καλλινίκȣ aram moliri. Tum Hercules collaudato Telamoni, postquam Ilium cepit, & Laomedonte una cum filiis, Podarce excepto, trucidato, Hesionem Laomedontis filiam rei præclare gestæ præmium dedit: simul Hesionæ copiam fecit, quem vellet e captivis abducendi. Tum illa fratrem Podarcen elegit, & Herculi pretium redempti fratris demptum capiti suo flammeum aureum dedit, unde is pro Podarce Priamus) ἀπὸ τȣ̃ πρίασθαι) appellatus fuit, Apollod. *l.* II. p. 74. 75. Diodor. *l.* IV. p. 238. Sophocl. *Ajac. flag.* v. 435. seqq. ait Ajax:

Οτȣ πατὴρ μὲν τȣ̃δ' ἀπ' Ιδαίας χθονὸς
Τὰ πρῶτα καλλιστεῖ', ἀριστεύσας στρατȣ̃
Πρὸς οἶκον ἦλθε πᾶσαν εὔκλειαν φέρων.

Ex Hesione Telamoni Teucer natus fuit. Sophocl. *Ajac. flag.* v. 1321. ait Teucer:

Ος ἐκ πατρὸς μέν εἰμι Τελαμῶνος γεγὼς,
Οστις στρατȣ̃ τὰ πρῶτ' ἀριστεύσας ἐμὴν
Ισχει ξύνευνον μητέρ', ἣ φύσει μὲν ἦν
Βασίλεια, Λαομέδοντος. ἔκκριτον δέ νιν
Δώρημα κείνῳ δῶκεν Αλκμήνης τόκος.

Hinc Agamemnon Teucrum vocat τὸν ἐκ τῆς αἰχμαλώτιδος apud Sophocl. *Ajac.* v. 1251. & νόθον, Homer. *Iliad.* Θ. v. 284. Teucer vero vocatus fuit οἰκείως ὄνομα τȣ̃το ἐπιχώριον τοῖς Τρωσί. Τεῦκροι γὰρ οἱ Τρῶες, Eustath. *in Iliad.* Θ. Ajax imperium Megaris consequutus fuit: vide in *Megarens.* Ajax dux Salaminiorum fuit ad bellum Trojanum, Homer. *Iliad.* B. v. 557. Ajax, cum inter ipsum & Ulyssem de Achillis armis contentio incidisset, ac ea Ulyssi adjudicata essent, ex nimio dolore in furorem actus, gregem invasit, se Græcos trucidare existimans: & de morte ejus variæ feruntur narrationes: Alii a Paride vulneratum venisse ad naves sanguine madidum: Alii a Trojanis, sicut oraculo moniti fuerant, luto a cœno in ipsum conjecto, mortem oppetiisse: (nam ferro vulnerari non poterat) Alii ipsum sibi mortem conscisse asserunt, inter quos est etiam Sophocles (& Euripid. *Helen.* v. 95.) Argument. *Ajac. flagel.* vide ipsam Fabulam, & Pindar. *Nem.* ode VIII. antistr. II. & *Nem.* ode VII. strophe II. & *Isthm.* ode IV. epod. II. Οὐκ ἐλάνθανεν Αἰαντίδας, ὅτι τῶν ἀριστείων στερηθεὶς Αἴας, ἀβίωτον ἑαυτῷ ἡγήσατο τὸν βίον, Demosth. *Epitaph.* pag. 749. Aristotelis in Ajacem exstat Epitaphium:

Αδ' ἐγὼ ἁ τλάμων ἀρετὰ παρὰ τῷδε κάθημαι,
Αἴαντος τύμβῳ κειραμένα πλοκάμȣς,
Θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβολημένα, ȣ̃νεκ' Αχαιοῖς
Α δολόφρων ἀπάτα κρέσσον ἐμȣ̃ κέκριται.

Teucer, quod cum fratre Ajace non una periisset, a patre Telamone e patria Salamine expulsus fuit, Euripid. *Helen.* v. 89. seqq. Exsul igitur in Cyprum concessit, Schol. Pindar. *Nem.* ode IV. epod. II. vide in *Cypriis*.

Eurysaces Ajacis filius e Tecmessa Teleutantis filia, Sophocl. *Ajac. flag.* v. 333. 341.

Phylæus Eurysacis filius civitate ab Atheniensibus donatus fuit: atque tum Salaminii in potestatem Atheniensium venerunt, Pausan. *Attic.* p. 65. Philæus Æaci filius, qui Atheniensis ex ea familia primus factus fuerit, & a quo Miltiades oriundus, dicitur ab Herodoto *l.* VI. p. 392. vide in Δήμοις Φιλαΐδαι.

Salaminii ab Atheniensibus ad Megarenses defecerunt, Pausan. *Attic.* p. 75. Atheniensibus de Salamine contendentibus cum Megarensibus, ferunt Pisistratum, vel, ut alii volunt, Solonem in navium catalogo (*Iliad.* B.) post versum (557.)

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δύο καὶ δέκα νῆας,

inserto hoc per fallaciam:

Στῆσε δ' ἄγων, ἵν' Αθηναίων ἵσταντο φάλαγγες,

Homeri testimonio docuisse insulam antiquitus Atheniensium fuisse; Megarenses vero illis ἀντιπαρῳδῆσαι ȣ̃τως:

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν νέας, ἔκ τε Πολίχνας
Εκ τ' Αἰγειρȣ́σης, Νισαίης τε, Τριπόδων τε.

hæc enim loca Megarica sunt, Strabo *l.* IX. pag. 394.

Salaminii, vel armis Atheniensium, vel proditione Megarensium exsulum, quos Dorycleos vocant, ut Megarenses ajunt, in potestatem Atheniensium iterum redacti fuerunt, Pausanias *Attic.* p. 75.

Salaminem Heracleo, angustissimo Atticæ loco, jungere conatus fuit Xerxes aggere ducto, ut pedestri itinere in eam trajiceret, Ctesias. Quidam autem Atheniensium in eam suas uxores & liberos deportarant, Herodot. *l.* VIII. p. 541. Et ad Salaminem Græci navali pugna cum Persis decertarunt: vide in *Atheniens.* hinc πλήρης κατορθωμάτων Ελληνικῶν dicitur Suidæ.

Salaminii suis sedibus ejecti fuerunt ab Atheniensibus, quod in bello contra Casandrum de industria fuissent segniores, urbemque suam Macedonibus, voluntate magis, quam vi coacti, dedidissent, Pausan. *Attic.* p. 65.

ÆGI-

ÆGINETÆ.

ÆGina Asopi filia nomen insulæ dedit, quæ prius Oenone appellabatur, Pausan. *Corinth.* p. 39. Strabo *lib.* VIII. pag. 375. Eustath. & Schol. min. *Iliad.* B. Apollod. *lib.* III. p. 122. β. Αἰγινῆται—τῇ ἣ νήσῳ πρότερον ὄνομα ἦν Οἰνώνη, Herodot. *lib.* VIII. p. 543. Marcian. Περ. p, 23. *lib.* IX.

Πρότερον μὲν Οἰνώνη προσηγορδμένη,
Ὕστερον ἀπ' Αἰγίνης δὲ τ Ἀσωπίδος
Αἴγιναν ἐκάλεσεν καταχὼν Αἴακος.

B Hinc Οἰνώνας βασιλεὺς dicitur Æacus a Pindaro *Nem.* ode VIII. antistr. I. & οἰνώνης πρόμος ab Euripide *Iphig. Aulid.* v. 699. In Ægina nullos initio fuisse incolas dicunt; sed in eam vacuam ac desertam Æginam Asopi filiam deportatam, Pausan. *Corinth.* p. 138. Cum autem Jupiter Æginam in insulam deportasset, mixtus illi, filium ex illa Æacum procreavit, Apollod. *lib.* III. p. 122. β. Pindar. *Isthm.* ode VIII. διαίρ. γ.

Σὲ (Æginam) δ' ἐς νᾶσον Οἰνοπίαν ἐνεγκὼν
Κοιμᾶτο, δῖον ἔνθα τέκες
Αἰακὸν βαρυσφαράγῳ πα-
τρὶ κεδνότατον ἐπιχθονίων, ὃ κὴ
δαιμόνεσσι δίκας ἐπείρα-
νε.

C Ubi & observa Oenopiam hanc insulam dictam fuisse. Ovid. VII. *Metam.* v. 472. seqq.

Oenopiam veteres appellavere; sed ipse
Æacus Æginam genitricis nomine dixit.

Quidam ajunt Jovis filium fuisse Myrmidonem, Myrmidonis Actorem, qui ducta uxore Ægina, postquam illa e Jove Æacum pepererat, procreavit ex illa Menœtium Patrocli patrem: Hesiodus vero dicit Menœtium Patrocli patrem fuisse fratrem Pelei, Eustath. *in Iliad.* A.

D Æacus Jovis ex Ægina filius, cum adolevisset, Jovem rogasse fertur, ut inquilinos sibi daret; Jovem vero fabulantur e terra homines, a quibus insula teneretur, protulisse, Pausan. *Corinth.* p. 138. Τούτῳ (Αἰακῷ) Ζεὺς ὄτι μόνῳ ἐν τῇ νήσῳ τοὺς μύρμηκας ἀνθρώπους ἐποίησεν, Apollod. *lib.* III. p. 122. β. Eustath. *in Iliad.* A. Hesiodus de Myrmidonibus, apud Schol. Pindari *Nem.* ode III. antistr. I.

Ἡδ' ὑποκυσαμένη τέκεν Αἰακὸν ἱπποχάρμην.
Αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἥβης πολυηράτου ἵκετο μέτρον,
Μοῦνος ἐὼν ἤχαλλε. Πατὴρ ἀνδρῶν τε Θεῶν τε,
Ὅσσοι ἔσαν μύρμηκες ἐπηράτου ἔνδοθι νήσου,
Τοὺς, ἄνδρας ποίησε, βαθυζώνους τε γυναῖκας.
Οἳ δή τοι πρῶτον ζεῦξαν νέας ἀμφιελίσσας.

E vide Nonn. *Dionys.* lib. XIII. v. 201. seqq. Inde Myrmidones appellatos fabulati sunt: de qua fabula sic Strabo: Μυρμιδόνας δὲ κληθῆναί φασιν, οὐχ ὡς ὁ μῦθος, τοὺς Αἰγινήτας, ὅτι λοιμοῦ μεγάλου συμπεσόντος, οἱ μύρμηκες ἄνθρωποι γένοιντο κατ' εὐχὴν Αἰακοῦ. ἀλλ' ὅτι μυρμήκων τρόπον ὀρύττοντες τὴν γῆν, ἐπιπεφείροιεν ἐπὶ τὰς πέτρας, ὥς ἔχειν γεωρεῖν, ἐν δὲ τοῖς ὀρύγμασι οἰκοῖεν, φειδόμενοι πλίνθων, *lib.* VII. p. 375. & Eustathius: Οἱ δὲ τ μῦθον ἱστορικῶς θεραπεύοντες, γεωρύχους τοὺς Αἰγινήτας εἶναί φασι, κοιλαίνοντας τὴν γῆν γῆν δίκην σπηλαίων, καὶ ὑπὸ μὲν τὰς καταδύσεις οἰκοῦντας. Τὸ δὲ ἀναβαλλόμενον χῶμα εἰς εὔχρηστον καρποῖς γῆν διαπεταννύοντας, *in Iliad.* A. Et Schol. Pindari, ex Theagene: Ἄλλοι δέ τινες πιθανώτερον ἐξηγοῦνται περὶ τούτων. ὀλιγανθρωπούσης γὰρ τ νήσου, φασὶ τοὺς ἐνοικοῦντας αὐτὴν ἐν σπηλαίοις καταγείοις διαιτᾶσθαι, παντελῶς ἀκατασκεύους ὄντας. καὶ τοὺς μὲν γινομένους καρποὺς εἰς ταῦτα καταφέρειν, τ δὲ ἐκ τούτων ὀρυττομένην γῆν ἐπὶ τὰ γεώργια ἀναφέ-

F

A ρειν, ὥστε ἐπιεικῶς ὑπαίθρου ἐπιπέδου τ νήσου, μάλιστα δὲ τ πεδινῶν τόπων αὐτῆς, διόπερ ἀφομοιούντων αὐτοὺς, ὡς εἶδον ταῦτα πράττοντας, τ ἔξωθεν ἐρχομένων μύρμηξι, Μυρμιδόνας κληθῆναι. μεθ' ὧν συνοικίσαντα τ Αἰακὸν τοὺς ἐκ Πελοποννήσου μεθ' ἑαυτοῦ παραγινομένους, ἐξημερῶσαί τε καὶ νόμους δοῦναι, καὶ σύνταξιν πολιτικὴν ἢ χρησαμένους αὐτοὺς παντελῶς δοκεῖν ἐκ μυρμήκων γενέσθαι ἀνθρώπους, in *Nem.* ode III. antistr. I. vide & Tzetz. *Chiliad.* VII. *Hist.* CXXXIII. Æacus rem Divinam in Ægina, e quodam oraculo, Jovi Panellenio faciens, squalidam agri siccitatem, quæ Græcis incubuerat, depulit. Jupiter inde Ἀφέσιος dictus παρὰ τὸ ἀφεῖναι, Pau-B san. *Attic.* p. 84. & *Corinth.* p. 139. Apollod. *lib.* III. p. 123. α. Isocrat. *Euagora*. Sed Æaci filiis Telamoni, Peleo & Phoco hoc tribuit Pindarus *Nem.* ode V. antistr. I. Æacum Thebarum πολίαρχον, & Herculis προπρεῶνα ξεῖνον ἀδελφεόν τε vocat Pindarus *Nem.* ode VII. strophe V. Æaci filii fuerunt ex Endeide Chironis (Scironis & Chariclus, Plutarch. *Theseo*) filia Telamon & Peleus, ex Psamathe Nereide Phocus, Schol Pindari *Nem.* ode V. antistr. I. Phocus in Phocidem Æginetas deduxit: vide in *Phocens.* Peleus & Telamon venationis & aliarum præclararum rerum magistrum Chironem C habuerunt, Xenoph. *de Venat.* init. Peleus & Telamon cum Phocum (e Phocide reversum) ad quinquertium invitassent, pro disco lapide usi sunt: eoque Peleus Phocum, cum ei loco suo lapis esset mittendus, consulto percussit: quod illi facinus, ut matri obsequerentur, commisisse dicuntur. Ubi Phocus concidit, statim Peleus & Telamon navi ex insula profugerunt. Telamon, non ita multo post, caduceatorem ad patrem misit, qui suis verbis negaret Phoco se cædem machinatum fuisse. At Æacus in insulam descendere eum vetuit: tantum de navi, vel si ita mallet, ab exstructo in mari D aggere, causam jussit dicere. Ille igitur noctu intra portum, qui κρυπτὸς dicitur, navi vectus, aggerem exstruxit. Damnatus vero eo crimine, quod in cæde Phoci culpa non caruisset, in Salaminem eum classe iterum abiit, Pausan. *Corinth.* p. 140. Phocum patri dilectum a Telamone ad venandum abductum, & cum se sus ostendisset, hastæ ictu occisum fuisse refert Plutarchus *Parallel.* XXV. Peleus in Thessaliam abiit, Schol. Pindari *Nem* ode V. epod. I. vide in *Salaminiis* de Telamone: in *Phthiotis* de Peleo. Æacea in Ægina celebrabantur, Schol. Pindari *Olymp.* ode VII. antist. V. Σω-E θέντες (Græci) καὶ τυχόντες ἁπάντων, ὧν ἐδεήθησαν, ἱερὸν ἐν Αἰγίνῃ κατεστήσαντο κοινὸν τῶν Ἑλλήνων, οὗπερ ἐκεῖνος (Æacus) ἐποιήσατο τὴν εὐχὴν, (ad depellendum siccitatem) Isocrat. *Euag.* Æacus cum Minoe & Rhadamanto jus dicit apud inferos, Plutarch. *Consol. ad Apollon.* pag. 75. A. Ἐπειδὴ δὲ μετήλλαξε τὸν βίον, λέγεται παρὰ Πλούτωνι καὶ Κόρῃ, τιμὰς μεγίστας ἔχων, παρεδρεύειν ἐκείνοις, Isocrat. *Euagora*.

Æginæ qui tenuit imperium, præter Æacum, nominari nemo potest. Æaci enim filiis Peleo & Telamone ob fratris Phoci cædem solum vertentibus, de Æaci filiis nemo in Ægina permansit, Pau-F san. *Corinth.* p. 138. de Philæo, quem Æaci filium vocat Herodotus, vide in *Salamin.* Τελευτήσαντος Αἰακοῦ ἔρημος ἡ νῆσος περιελείπετο βασιλέως, Schol. Pindari *Olymp.* ode VIII. antist. II.

Æginetæ Argivorum Principum signa sequuti fuerunt ad bellum Trojanum, Homer. *Iliad.* B. v. 562. seqq.

Argivorum pars, qui cum Deiphonte Epidaurum occuparant, in Æginam transmisit, atque insulæ indigenis permista, Dorienfium in eam cum mores, tum linguam importavit, Pausan. *Corinth.* p. 139. Αἰγινῆται δ' εἰσὶ Δωριεῖς ἀπὸ Ἐπιδαύρου, He-

rodot. *lib.* VIII. p. 543. Hinc Æginam Δωριεῖ λαῷ ταμιευομένην ἐξ Αἰακοῦ vocat Pindarus *Olymp.* ode VIII. antist. II. Triacon Argivus, qui Argivos in Æginam deduxit, vocatur a Schol. Pindari, & a Tzetze *Chiliad.* VII. *Histor.* CXXXIII. Ἐπῴκησαν δ' αὐτὴν Ἀργεῖοι, καὶ Κρῆτες, καὶ Ἐπιδαύριοι, καὶ Δωριεῖς, Strabo *lib.* VIII. p. 375.

Æginetæ Epidauriis parebant, suasque lites apud eos disceptabant; sed fabricatis navibus, nullo usi consilio, ab Epidauriis desciverunt, Herodot. *lib.* V. p. 361. 362. Eorumque opes adeo auctæ fuerunt, ut navalibus copiis fere ipsis Atheniensibus fuerint potentiores, Pausan. *Corinth.* p. 139. Αἰγινῆται ποτε ἠδυνήθησαν τὰ μέγιστα ἐν τοῖς Ἕλλησιν, εὐφορίαν τινὰ καὶ εὐκαιρίαν λαχόντες. δύναμιν δὲ ναυτικὴν ἔσχον, καὶ ἦσαν μέγιστοι, Ælian. *Var. lib.* XII. *cap.* X. Αὕτη (Αἴγινα) δ' ἐστὶν ἡ θαλαττοκρατήσασά ποτε, Strabo *lib.* VIII. p. 375. Æginetæ πρῶτον ζεύσαντες νέας dicuntur Hesiodo, apud Schol. Pindari *Nem.* ode III.

Æginetæ Epidauriorum hostes facti, ac mari potiti, cum alias iis clades intulerunt, tum simulacra Damiæ & Auxesiæ abstulerunt. Cumque Epidaurii, quod Atheniensibus pacti fuerant, non solverent, eaque signa in Æginetarum potestate esse monerent, in Æginam misere Athenienses ad repetenda ea signa. Æginetæ vero negarunt sibi quicquam negotii cum Atheniensibus esse. Athenienses ergo (ut Æginetæ referunt) cum compluribus navibus in insulam invaserunt; Æginetæ vero navale certamen detrectantes cesserunt, sive quod se pugnæ impares esse agnoscerent, sive quod volentes passi sint eos facere quod fecerunt. Tum Athenienses navibus egressi, nemine obsistente, ad simulacra tollenda se converterunt: cumque ea suis sedibus amoliri non possent, circumdatis restibus trahere conati sunt, donec illa in genua procumberent, quæ ex eo tempore semper genu nixa remanserunt. Interea Argivi, qui vocati Æginetis contra Athenienses auxilio venerant, clam hoste ex Epidauro in insulam trajecti, in Athenienses securos, ac a navibus disclusos, impetum fecerunt: & interim quoque tonitru ac terræ motus exstitit, Herodot. *lib.* V. p. 362. 363. Atque hoc odiorum inter Æginetas & Athenienses principium fuit, idem *ibidem*.

Æginetæ victos navali prælio Samios in urbe Cretæ Cydonia degentes cum Cretensibus in servitutem redegerunt, naviumque rostra a navibus recisa apud Minervæ templum in Ægina affixerunt. Odii in Samios causa fuit, quod a Samiis Rege bello Æginæ illato, magnas clades accepissent, & rursus istis intulissent, Herodot. *lib.* III. p. 209.

Æginetæ Thebanorum precibus moti, & magnitudine opum inflati, & pristini odii adversus Athenienses suscepti memores, Thebanis adversus Athenienses alacriter auxilia tulere, & bello non indicto in Atticam longis navibus trajecti, cum alios multos vicos, in cætera ora maritima, tum Phalerum diripuerunt, magna clade Atheniensibus eo facto illata, Herodot. *lib.* V. p. 361. vide in *Atheniens.*

Æginetæ Darii Legatis aquam & ignem petentibus, dederunt: quo facto irritati Athenienses, ratique eos id hostili animo fecisse, ut socii belli gerendi essent Persæ adversus Athenienses, Spartam profecti Æginetas proditionis accusarunt. Itaque Cleomenes Anaxandridæ F. Rex Spartanus in Æginam transmisit, eo fine, ut præcipuos ejus rei auctores comprehenderet. Sed hoc conanti cum alii Æginetæ intercessere, tum præcipue Crius Polycriti F. negans eum impune quenquam Æginetarum abducturum: facere enim eum id absque communi Spartanorum consilio; sed ab Atheniensibus pecunia corruptum: alioqui & alterum Regem venturum fuisse ad ipsos comprehendendos. Atque hæc Crius e mandato Demarati dixit. Crium Cleomenes ex Ægina discedens rogavit, quod ei nomen esset, & respondenti, quod Κριός, (id est, *aries*) dixit, ἤδη νῦν καταχάλκου, ὦ Κριέ, τὰ κέρεα, ὡς συνοισόμενος μεγάλῳ κακῷ, Herodot. *lib.* VI. p. 367. 368.

Æginetæ, cum Cleomenes adjuncto Leotychide in insulam rediisset, non amplius repugnandum sibi esse putarunt. Reges vero selectos ex Æginetis decem divitiis & genere eminentissimos, & inter hos Crium Polycriti F. & Casambum Aristocratis F. opibus potentissimos, in Atticam abductos, penes inimicissimos Æginetis Athenienses deposuerunt, Herodot. *lib.* VI. p. 407.

Æginetæ mortuo Cleomene Spartam Legatos miserunt, expostulaturos cum Leotychide de injuria, quæ fieret obsidibus, qui Athenis detinebantur: neque tamen Athenienses obsides reddidere, quamvis Lacedæmonii æquissimum censerent reddendos, Herodot. *lib.* VI. p. 411. seqq.

Æginetæ Atheniensium in Sunio quinqueremem, quæ ex instituto in Delum itura erat, ex insidiis interceperunt, plenam primoribus Atheniensium, quos captos vinculis constrinxerunt, Herodot *lib.* VI. p. 414.

Æginam Atheniensibus prodere conatus fuit Nicodromus Cnœthi F. vir in Ægina spectatus, qui superiore tempore ex insula sponte abierat, abitus causam Æginetis imputans. Sed cum Athenienses ad constitutum tempus non adfuissent, Nicodromus, quamvis occupata jam cum suæ factionis hominibus, vetere urbe, conscenso navigio ex insula profugit, cum aliis nonnullis Æginetis, quibus Athenienses Sunium incolendum dederunt. Unde illi in Æginam facta excursione, omnia populabantur. Cæterum Æginetarum proceres, superata plebe, quæ factionis Nicodromi erat, mox quos ceperant, ad necem abduxerunt, e plebe septingentos. Eorum unus e vinculis elapsus ad Cereris θεσμοφόρου vestibulum confugit, ejusque cardines amplexus fuit: cumque inde avelli non posset, præcisis manibus, quæ cardinibus consertæ manserunt, abductus fuit, Herod. *lib.* VI. p. 414. 415.

Æginetæ classe septuaginta navium cum Atheniensibus congressi, navali prælio victi Argivorum auxilia implorarunt, Herodot. *lib.* VI. p. 415. 416. vide in *Argivis*.

Æginetæ classe adorti Athenienses incompositos, victores fuerunt captis quatuor hostium navibus, una cum iis, qui illis vehebantur, Herodot. *lib.* VI. p. 416.

Æginetæ ante Xerxis bellum paucas naves possidebant, easque ut plurimum πεντηκοντόρους, (quinquaginta remorum) Thucyd. *lib.* I. p. 11.

Æginetæ in pugna navali ad Artemisium naves octodecim præbuerunt, Herodot. *lib.* VIII. init. Et in prælio navali ad Salaminem naves triginta exhibuerunt: habuerunt & alias naves instructas; sed illæ insulæ præsidio relictæ erant, Herodot. *lib.* VIII. p. 543. Αἰγινήτας ἐν τῷ Μηδικῷ πολέμῳ παρασχέσθαι πλοῖα μετά γε Ἀθηναίους πλεῖστα scribit Pauf. *Corinth.* p. 139. In eo prælio primas rei optime gestæ tulerunt Æginetæ, & ex iis Polycritus Crii F. Herodot. *lib.* VIII. p. 560. Αἰγινῆται ἐν τοῖς Περσικοῖς ἀγαθοὶ ἐγένοντο, καὶ διὰ ταῦτα καὶ τῶν ἀριστείων ἠξιώθησαν, Ælian. *Var. lib.* XII. cap. X. Περὶ πρωτείων ἀμφισβητήσασά ποτε πρὸς Ἀθηναίους ἐν τῇ περὶ Σαλαμῖνα ναυμαχίᾳ κατὰ τὰ Περσικά, (Αἴγινα) Strabo *lib.* VIII. p. 375.

Æginetæ quingenti fuerunt in exercitu Græco ad Platæas coacto adversus Persas, Herodot. *lib.* IX pag. 597. Postque id prælium ingentes divitias con

ſequuti ſunt: cum enim Pauſanias per ſervos omnem e cæſis Perſis prædam comportari juſſiſſet, ſervi res pretioſiſſimas ſuffurati Æginetis vendiderunt, aurum pro ære, Herodotus *lib.* IX. p. 618. Quid Lampon Ægineta Pauſaniæ ſuaſerit, vide in *Lacedæmon. Pauſan.*

Æginetæ, non quidem aperte miſſa legatione, quia Athenienſes metuebant; ſed clam tamen Lacedæmonios ad bellum contra Athenienſes concitarunt, quod ſui juris non eſſent ex fœdere, Thucyd. *lib.* I. p. 43.

Æginetæ cum ſociis navali prælio victi ab Athenienſibus fuerunt, amiſſis ſeptuaginta navibus. Inde obſidio ſequuta: & poſtea deditio Æginetarum, iis facta conditionibus, ut urbis muros demolirentur, naves traderent, & imperatum tributum in poſterum penderent, Thucyd. *lib.* I. p. 68. 71. *Αἰγινητῶν μὲν ἑκάϛε τ̀ μέγαν ἀποκόψαι τῆς χειρὸς δάκτυλον τ̃ δεξιᾶς, (ἐψηφίσαντο Ἀθηναῖοι) ἵνα δόρυ μὲν βαϛάζειν μὴ δύνωνται, κώπην δὲ ἐλαύνειν δύνωνται*, Ælian *Var.* lib. II. cap. IX.

Æginetæ ex Ægina cum liberis & conjugibus ab Athenienſibus pulſi, Thyrean & ejus agrum a Lacedæmoniis acceperunt. Crimini datum Æginetis fuit, quod belli contra ipſos moti Peloponneſiaci præcipui auctores fuiſſent, Thucyd. *lib.* II. p. 117.

Æginetis ex inſula pulſis, Athenienſes in eam de ſuis coloniam miſerunt, Thucyd. *lib.* II. pag. 117. *ὕϛερον δὲ κατεκληρούχησαν τὴν νῆσον Ἀθηναῖοι*, Strabo *lib.* VIII. p. 375. Hinc Æginetæ *τοῖς Ἀθηναίοις τῇ αὐτῇ φωνῇ καὶ νομίμοις ἔτι χρώμενοι* dicuntur Thucydidi *lib.* VII. p. 531.

Æginam Lacedæmonii Athenienſibus ademptam priſtinis incolis reddiderunt, Strabo *lib.* VIII. p. 375. 376.

Æginetæ & Athenienſes commercia mutua poſt bellum Peloponneſiacum habebant; ſed coorto rurſus (inter Athenienſes & Lacedæmonios) bello, Eteonicus Lacedæmonius in Ægina degens Æginetis poteſtatem fecit, Ephoris etiam conſentientibus, prædam ex arbitrio ex Attica agendi. Laceſſiti autem ab Æginetis Athenienſes, terra marique eos oppugnarunt; ſed opem ferentibus Lacedæmoniis, domum, qui jam menſe quinto oppidum obſederant, revocati fuerunt, Xenoph. *Hellen.* lib. V. init.

Æginetæ a Caſſandro ſubacti fuerunt, Diodor. *lib.* XVIII. p. 642.

Æginetæ colonos miſerunt in Cydoniam Cretæ, & in Umbricos, Strabo *lib.* VIII. p. 376.

Æginam inſulam Attalo dederunt Romani, victo Philippo, Livius *lib.* XXXIII.

EUBOENSES.

EUboea inſula objecta Atticæ, & Bœotiæ, & Phocidi, & Locridi: quæ & Macris appellabatur: vel quod in longitudinem (*μῆκος*) porrigatur: vel a Macride Nympha Junonis nutrice. Eubœa vero appellata fuit ab Eubœa Aſopi filia, Schol. min. *Iliad.* B. *Μάκρις Ἀβαντιὰς Ἐλλοπιήων*, Callimach. *Hym. in Delum*, v. 20. *Ἡ τ̃ Εὐβοέων*, Schol. *Μάκρις ἡ Εὔβοια. οἱ οἰκοῦντες Μάκρωνες. ὁ οἰκήτωρ Μακριεὺς καὶ Μακρηὶς*, Stephan. *Μάκρις ἡ Εὔβοια ἐκαλεῖτο*, Schol. Apollon. *Argon.* lib. I. v. 1024. Marcian. Περ. p. 23.

Εὔβοια κεῖται νῆσος, ἡ καλουμένη.
Διὰ τὴν φύσιν πρότερον, ὥς φασιν, Μάκρις,
Ἔπειτα ἀπὸ τ̃ λεγομένης Ἀσωπίδος
Χρόνῳ λαβοῦσα τοὔνομα, Εὔβοια πάλιν.

Quidam volunt Eubœam appellatam ab Io, quam in bovem mutatam fabulantur, Euſtat. *in Iliad.* B. Abantidem primo dictam ab Abante Argivo, vel Neptuni & Arethuſæ filio, ut Ariſtocrati placet: ſed deinde Eubœam a Jove appellatam bovi cognominem, ſcribit Stephanus. Heſiod. in ſecundo de Io:

—— νήσῳ ἐν Ἀβαντίδι δίῃ.
Τὴν πρὶν Ἀβαντίδα κίκλησκον Θεοὶ αἰὲν ἐόντες.
Τὴν τότ' ἐπώνυμον Εὔβοιαν βοὸς ὠνόμασεν Ζεύς.

Abantes in Eubœa ab Abante, Neptuni filio, ſuo Rege appellatos, ſcribit Auctor Schol. min. *Iliad.* B. Ab Abante, Canethi patre, Canthi avo, Abantes dictos Euboenſes ſcribit Scholiaſt. Apollon. *lib.* I. *Οὐ μόνον δὲ Μάκρις ἐκλήθη ἡ νῆσος, ἀλλὰ καὶ Ἀβαντίς.* Ait vero Ariſtoteles Thraces Abis urbe Phocidis profectos inſulam hanc occupaſſe, & incolis nomen Abantum impoſuiſſe; alii id ab Heroe quodam ductum dicunt. Sed & Oche appellata fuit hæc inſula, nomine cum maximo in illa monte communi: & Ellopia dicta fuit ab Ellope Ionis filio: quem quidem alii Æoli & Cothi fratrem fuiſſe dicunt, conditorem Ellopiæ in Oria Heſtiæotidis Strabo *l.* X. p. 445. *Ἐλλοπία χωρίον Εὐβοίας καὶ αὐτὴ ἡ νῆσος*, Stephan. Eubœa & ipſa avulſa Bœotiæ, tam modice interfluente Euripo, ut ponte jungatur — antea vocitata eſt Chalcodontis, aut Macris, ut Dionyſius & Ephorus tradunt; ut Ariſtides, Macra: ut Callidemus, Chalcis, ære ibi primum reperto: ut Menæchmus, Abantias: ut Poetæ vulgo, Aſopis, Plin. *l.* IV. *cap.* XII. Dionyſ. Περ. v. 520.

Εὐρώπης δ' ἤτοι μὲν Ἀβαντιὰς ἔπλετο Μάκρις.

Homerus cum Eubœam nominat, Euboenſes tamen nuſquam, ſed Abantes appellat, ut *Iliad.* B. v. 536. & 542. Abantem Lyncei filium, Talai patrem, Adraſti avum, Argis conceſſiſſe in Eubœam ſcribit Scholiaſt. Pindari *Pyth.* ode VIII. epod. III.

Eubœa cum continens eſſet Bœotiæ, illinc abſciſſa fuit, Ion in *Omphale* apud Strabonem *lib.* I. p. 60.

Εὐβοΐδα μὲν γῆν λεπτὸς Εὐρίπου κλύδων
Βοιωτίας ἐχώρισ' ἀκτῆς, ἐκτέμνων
Πρὸς Κρῆτα πορθμόν.

Eubœam tenuerunt primi, mixti inter ſe, Leleges. Marcian. Περ. p. 24.

Πρώτους δὲ εἰν αὐτῇ φασιν οἰκῆσαι προτοῦ
Μιγάδας συνοίκους Λέλεγας.

Curetes in Eubœa ſedes habuerunt, Strabo *lib.* X. p. 467 Et Æolenſium quidam e Penthili exercitu permanſerunt in hac inſula; antiquitus vero etiam Arabes, (id eſt, Phœnices) qui cum Cadmo illuc deſcenderant, Strabo *lib.* X. pag. 447. Poſtea Cecrops Erechthei filius coloniam in Eubœam miſit, Pauſan. *Attic.* p. 9. Atque Athenienſes, Dryopes, Perrhebi urbes in ea vel condiderunt, vel conditas occuparunt: vide in *Urbibus*.

Cothus & Æolus Xuthi filii in Eubœam ad quærendas ſibi ſedes venerunt. Erat vero Cotho oraculum datum, felicem futurum eum & victurum hoſtes, ſi regionem emeret. Cum ergo paulo poſt in inſulam deſcendiſset, in pueros ad mare ludentes incidit. Ludens vero cum illis amanter, oſtendit iis crepundia multa peregrina, utque vidit eos illa concupiſcere, negabat ſe daturum, niſi terram ab ipſis acciperet. Ibi illi ſublatam ei dederunt, & acceptis crepundiis abierunt. Æolenſes vero, re cognita, navigantibus contra ſe hoſtibus, ira pariter ac dolore ſtimulati, pueros occiderunt. Illi ſepulti fuerunt

ad viam, qua ex urbe Chalcide ad Euripum itur: & sepulchrum id τάφος παίδων vocatur, Plutarch. *Quæstion. Græc.* XXII.

Chalcodontem Eubœæ Regem occidit Amphitruo a Sthenelo in exsilium pulsus, Plutarch. *Amat. Narr.* III. p. 501. Pyræchmen Regem Euboensium arma Bœotis inferentem, Hercules adhuc juvenis victum, & pullis equinis alligatum, in duas partes discerpsit, abjecitque insepultum: inde loco nomen Πῶλοι Πυραίχμου, Plutarch. *Parallel.* VII.

Euboenses duce Elephenore Chalcodontis F. militarunt ad Trojam, Homer. *Iliad.* B. v. 536. seqq. Aristotelis in Elephenorem exstat Epitaphium:

Νήσου ἀπ' Εὐβοίης Ελεφήνορα ἀρχὸν Αβάντων
Ενθάδ' ἐνὶ Τροίῃ μοῖρα κατέσχε βίου.

Abantes ex Eubœa una cum Locris Thronium urbem condiderunt: vide in *Locris*.

Euboenses, auctore Bacide, hoc oraculum acceperant bello Persico imminente:

Φράζεο βαρβαρόφωνον ὅταν ζυγὸν εἰς ἅλα βάλλῃ
Βύβλινον, Εὐβοίης ἀπέχειν πολυμηκάδας αἶγας.

Illi vero spreto oraculo tanquam vano, neque exportaverunt quicquam, neque importarunt, velut ingruente bello. Cum autem Themistocles cum Græca classe ad insulam appulisset, Euboenses pecora ad mare propellebant: illa a Græcis rapta ac mactata fuerunt, jussu Themistoclis satius judicantis suum exercitum illis potiri, quam hostem, Herodot. *l.* VIII. p. 535. Eubœam armis subactam depopulatus fuit Navarchus Persicæ classis, Diodorus *l.* 11. p. 12.

Eubœa ab Atheniensibus defecit, Thucyd. *l.* I. p. 73. Sed recepta fuit ab Atheniensibus, duce Pericle: omnesque ejus partes, deditione certis conditionibus facta, in fidem ac ditionem Athenienses acceperunt, præterquam Histiæos, quorum agrum sibi retinuerunt, ipsis inde ejectis, Thucyd. *l.* I. p. 74.

Euboenses ad Agin Regem Spartanum Legatos miserunt de defectione ab Atheniensibus ad Lacedæmonios: victisque ad insulam Atheniensibus navali prælio, non sine fraude Eretriensium, a Lacedæmoniis, tota Eubœa descivit ad Lacedæmonios, præter Oreum, quod Athenienses tenuerunt, Thucyd. *l.* VIII. p. 560. 622.

Eubœæ urbes subegit Philippus Amyntæ F. Demosth. *Philip.* III.

Eubœam insulam, immunem suis legibus esse Senatus Rom. & T. Quintius jusserunt, Livius *l.* XXXIII.

Euboicæ urbes Antiochi bello ad Antiochum defecerunt, Livius *l.* XXXV. fin.

Euboensium coloni erant Macrienses seu Macrones: unde & Macrones appellati, Schol. Apollon. *Argon.* l. I. v. 1024.

CHALCIDENSES.

CHalcis quanquam Eubœæ insulæ urbs est, tamen adeo arcto interscinditur freto, ut ponte continenti jungatur, terraque aditum faciliorem, quam mari habeat, Livius *l.* XXVIII. Η Χαλκὶς μητρόπολίς τις νήσου τρόποι τινὰ ἐπ' αὐτῷ τῷ Εὐρίπῳ ἱδρυμένη, Strabo *l.* X. p. 446. Chalcis appellata fuit vel a Comoe (Κόμβης est apud Eustath. *in Iliad.* B.) Asopi filia Chalcide dicta, vel ab æneis opificiis illic primum visis: sed & olim Stymphalus cognominata fuit, Stephan. Condita dicitur ab Atheniensibus ante Trojana tempora: & post Trojanum bellum Cothus Atheniensis eam habitatoribus frequentiorem reddidit, Strabo *l.* X. pag. 446. Marcian. Her. p. 24.

—— ἐκ τῆς δ' Αττικῆς
Τὸν Ερεχθέως διαβάντα Πάνδωρον κτίσαι
Πόλιν μεγίστην τῶν ἐν αὐτῇ Χαλκίδα.

Archemachus Euboensis ait Curetas in Chalcide habitasse, Strabo *l.* X. p. 465. vide in *Ætolis*. Chalcide Aristoteles commoratus fuit, & illic quoque obiit, Strabo *l.* X. p. 448.

Chalcidenses, Rege Eubœæ Chalcodonte occiso, tributi immunes reddidit Amphitruo, cum a Sthenelo in exsilium pulsus Thebas pervenisset, Plutarch. *Amat. Narr.* III.

Chalcidenses & Eretrienses plerumque concordes inter se vixerunt: & orta de Lelanto concertatione, non ita tamen omnem abjecerunt consensum, ut in bello cuncta utrinque suo arbitrio agerent; sed pacti sunt de modo certaminis: ostendit hoc columna quædam in Amarynтho, quæ edicit, χρῆσθαι τηλεβόλοις, Strabo *l.* X. p. 448. In pervetusto inter Chalcidenses & Eretrienses bello, reliqui Græci quoque in partes abierunt: & hi Chalcidensibus, illi Eretriensibus auxilia tulerunt, Thucyd. *l.* 1. p. 12. Chalcidensibus Samii, Eretriensibus Milesii auxilia miserunt: Herodot. *l.* V. p. 572.

Chalcidenses cum Cleomene Spartano bellum Atheniensibus intulerunt; sed suo cum damno: vide in *Atheniens.*

Chalcidenses in pugna ad Artemisium viginti ab Atheniensibus sibi præbitas naves armarunt, Herodot. *l.* VIII. init. Item in prælio navali ad Salaminem, Herodotus *l.* VIII. pag. 543. Chalcidenses quadringenti fuerunt in exercitu Græco ad Platæas contra Persas coacto, Herodotus *l.* IX. p. 597.

Chalcidenses in oraculo virorum optimi prædicantur, nam apud ipsos Arethusa, Strabo *l.* X. p. 449.

Ιππον Θεσσαλικὸν, Λακεδαιμονίαν δὲ γυναῖκα,
Ανδρας δ' οἳ πίνουσιν ὕδωρ ἱερῆς Αρεθούσης.
Αλλ' ἔτι καὶ τῶν δ' εἰσὶν ἀμείνονες, οἵ τε μεσηγὺ
Τίρυνθος ναίουσι καὶ Αρκαδίης πολυμήλου,
Αργεῖοι λινοθώρηκες κέντρα πτολέμοιο.
Υμεῖς δ' Αἰγιέες οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι,
Οὔτε δυωδέκατοι, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

Philiscus apud Dicæarch. p. 177.

Χρηστῶν σφόδρ' ἐσθ' ἡ Χαλκὶς Ελλήνων πόλις.

vide illic Dicæarch.

Chalcidenses ob avaritiam in Comœdiis traducebantur, unde χαλκιδίζειν παροιμιακῶς τὸ γλισχρεύεσθαι, Eustath. *in Iliad.* B.

Chalcidenses urbes Olyntho vicinas, postea a Philippo deletas, condidere: & multa in Italia ac Sicilia Chalcidensium domicilia sunt: coloniasque eas deductas fuisse Aristoteles dicit, quo tempore Hippobotæ Remp. tenuerunt: hi enim summam rerum Optimatum imperio rexerunt, censu lecti, Strabo *l.* X. p. 447. Hippobotæ autem dicti fuerunt, quibus eæ opes essent, ut alendis equis pares essent. Οἱ δ' Ιπποβόται ἐκαλέοντο οἱ παχέες τῶν Χαλκιδέων, Herodot. *l.* V. p. 359. Καὶ τῶν γνωρίμων εἰσὶ διαφοραὶ, καὶ κατὰ τὸν πλοῦτον, καὶ τὰ μεγέθη τῆς οὐσίας, οἷον ἱπποτροφίας, τοῦτο γὰρ οὐ ῥᾴδιον μὴ πλουτοῦντας ποιεῖν. διόπερ ἐπὶ τῶν ἀρχαίων χρόνων ὅσαις πόλεσιν ἐν τοῖς ἵπποις ἡ δύναμις ἦν, ὀλιγαρχίαι παρὰ τούτοις ἦσαν. ἐχρῶντο δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους ἵπποις πρὸς τοὺς ἀστυγείτονας. οἷον Ερετριεῖς, καὶ Χαλκιδεῖς, καὶ Μάγνητες

οἱ ἐπὶ Μαιάνδρῳ, καὶ τῶν ἄλλων πολλοὶ περὶ τὴν Ἀσίαν, Aristotel. *de Rep. lib.* IV. *cap.* III. Chalcidenses Olynthum obtinuerunt, traditamCritobulo Toronæo, genere Chalcidensi, ab Artabazo Persa, Herodot. *lib.* VIII. p. 574.

Chalcide Populus, Phoxo Tyranno cum illustribus & claris viris sublato, statim Reip. administrationem, mediam inter Democratiam & Oligarchiam, amplexus fuit, Aristotel. *de Rep. lib.* V. *cap.* IV. Tyrannis vero Antileontis in Oligarchiam mutata fuit, Aristotel. *de Rep. lib.* V. *cap.* ult. Chalcidensibus libertatem restituit Ptolemæus dux Antigoni, Diodor. *lib.* XIX. p. 718.

Chalcidenses constanter in societate Philippi Demetrii F. permanserunt, Livius *lib.* XXVIII. Urbem quidem Claudius, auctoribus exsulibus qui ab Chalcide Regiorum insidiis pulsi fuerant, subito impetu cepit ac diripuit, sed tantum militum Romanorum non fuit, ut & Chalcis teneri, & non deseri præsidium Athenarum posset, Livius *lib.* XXXI.

Chalcis ætate Strabonis Euboicarum urbium prima fuit citra controversiam, & *μητρόπολις* appellata, Strabo *lib.* X. p. 448.

Chalcidem ac Demetriadem retineri a Romanis decretum fuit, victo Philippo, donec cura de Antiocho discessisset, Livius *lib.* XXXIII. Eas urbes Philippus Græciæ compedes appellavit, Livius *lib.* XXXII. Ἐπίκαιρος γὰρ ἡ πόλις ἐστὶ τοῖς βουλομένοις ἔχειν ὁρμητήριον διαπολεμεῖν περὶ τῶν ὅλων, Diodor. *lib.* XIX. p. 718. Chalcidenses Antiocho portas aperuerunt: qui Romanæ partis erant, sub adventum Regis ab urbe excesserunt, Livius *lib.* XXXV. fin. Sed Consuli Rom. Chalcidem venienti rursus portæ patuerunt, cum appropinquante eo, Aristoteles præfectus Regis urbe excessisset, & cæteræ urbes in Eubœa sine certamine traditæ, Livius *lib.* XXXVI.

ERETRIENSES.

ERetria urbs Eubœæ nomen accepit ab Eretrieo Phaetontis filio, Titanum uno: dictaque fuit Melaneis a Melaneo Euryti patre, Stephan. Eustath. *in Iliad.* B. Εἴρηται δὲ ἀπὸ Ἐρετριέως τοῦ Φαέθοντος, Schol. min. *Iliad.* B. Eretriam ante Trojana tempora Athenienses condiderunt; sed post bellum Trojanum eam habitatoribus frequentiorem reddidit Æclus Atheniensis, Strabo *lib.* X. p. 446. Marcian. Περ. p. 24.

Αἶκλος τ' Ἐρετρίαν Ἀθηναῖον γένει.

Athenienses in Eubæa Chalcida & Eretriam colonis occupavere, Veliej. Pat. *lib.* I. Alii Eleorum colonos e Macisto Triphyliæ deductos Eretrienses volunt. Ἐρετριέας οἱ μὲν ἀπὸ Μακίστου τῆς Τριφυλίας ἀποικισθῆναί φασιν ὑπ' Ἐρετρίως. οἱ δ' ἀπὸ τῆς Ἀθήνησι Ἐρετρίας, ἣ νῦν ἐστιν ἀγορά. Μελανηὶς δ' ἐκαλεῖτο πρότερον ἡ Ἐρετρία, καὶ Ἀροτρία, Strabo *lib.* X. p. 447. Ἀποίκους δ' ἔσχον ἀπ' Ἤλιδος, ἀφ' οὗ καὶ τῷ γράμματι τῷ Ρ πολλῷ χρησάμενοι, οὐκ ἐπὶ τέλει μόνον τῶν ῥημάτων, ἀλλὰ καὶ ἐν μέσῳ, κεκωμῳδηνται, Strabo *lib.* X. p. 448. Ἐρετριέων ῥῶ. Ἐρετριεῖς τῷ ρ κατακόρως χρῶνται, Hesych.

Eretrienses adversus Chalcidenses bellum gesserunt: vide in *Chalcidens.*

Eretrienses urbes circa Pallenen & Atho condiderunt, Strabo *lib.* X. p. 447.

Eretrivnses in Corcyra insula habitabant: vide in *Corcyræis*.

Eretrienses Milesiis quinque triremes auxilio miserunt contra Persas, quia bello Chalcidensi aliquando Milesii Eretriensibus opem tulerant, He-
A rodot. *lib.* V. p. 372. Eretriam ergo direpturum, & captos in conspectum suum Eretrienses adducturum Datin Medum cum Artapherne & exercitu misit Darius. Eretrienses, metu imminentis belli, opem Atheniensium implorarunt. Illi ea quatuor hominum millia, qui Chalcidensium Hippobotarum agrum sortito acceperant, miserunt. Sed Eretriensium non sincerum erat consilium: quamvis enim Athenienses arcesserent, tamen ancipiti vacillarunt sententia: aliis urbem censentibus deserendam, ac in Eubœæ cacumina confugiendum aliis: spe munerum, prodere patriam Persis molientibus. Quas suorum discordias ubi animadver-
B tit Æschines Nothonis F. primæ dignitatis apud Eretrienses, Atheniensibus, re tota indicata, auctor fuit, ut ad sua redirent, ne communi calamitate perirent. Ac Athenienses quidem ex illius consilio, inde in Oropum transgressi, sibi salutem pepererunt; Persæ vero eo provecti, naves ortæ Eretricæ ad fanum & Chœreas & Ægilia appulerunt: & eductis e navibus equis, ad prælium cum hoste conferendum, se instruxerunt. Adversus eos Eretrienses non prodierunt, sed quia de urbe non deferenda evicerat sententia, urbis mœnia tutari conati sunt. Ac per sex quidem dies hostem acri-
C bus præliis ab urbe repulerunt; septimo vero die Euphorbus Alcimachi F. & Philagrus Cynei F. civitatis principes urbem hosti prodiderunt. Eam ingressi Persæ, direpta prius templa mox incenderunt, in ultionem templorum, quæ Sardis conflagrarant, (urbe ab Ionibus eorumque sociis Athen. & Eretr. incensa) & homines Darii jussu in servitutem abstraxerunt, Herodot. *lib.* VI. p. 416. 418. 419. Intra triduum expugnatam Eretriam scribit Plato: Ὁ δὲ, (Δᾶτις) inquit, πλεύσας εἰς Ἐρετρίαν ἐπ' ἄνδρας, οἳ τῶν τότε Ἑλλήνων ἐν τοῖς εὐδοκιμωτάτοις ἦσαν τὰ πρὸς τὸν πόλεμον, καὶ οὐκ ὀλίγοι, τούτους ἐχειρώσατο μὲν ἐν τρισὶν ἡμέραις, *Menexen.* p. 240. B. Naves
D trecentas tantum a Persis instructas fuisse idem auctor est; sed sexcentas triremes in eam expeditionem missas fuisse scribit Herodot. *lib.* VI. p. 416. Captivi Eretrienses Susa pertracti, a Dario nullo malo affecti, sed in Cissiæ regionis stathmo, cui Anderica nomen, collocati fuerunt: illic Herodoti ætate habitarunt, pristinam linguam servantes, Herodot. *lib.* VI. p. 425. 426.

Eretrienses septem naves præbuerunt Græcis in pugna navali ad Artemisium, Herodot. *lib.* VIII. init. Totidemque ad Salaminem, Herodot. *lib.* VIII. p. 543. Eretriensium ac Styrensium sexcenti fuerunt in exercitu Græco ad Platæas contra Per-
E sas coacto, Herodot. *lib.* IX. p. 597.

Eretriæ Tyrannum Clearchum præfecerat Philippus Amyntæ F. Eum victum expulit Phocion Atheniensis, Diodor. *lib.* XVI.

Eretrienses columnam in fano Amarynthiæ Dianæ dedicarunt, cui inscriptum erat, pompam eos duxisse tribus millibus gravis armaturæ peditum, sexcentis equitibus, sexaginta curribus. Imperarunt autem Andriis, Teniis, Ceis, & aliis insulis, Strabo *lib.* X. p. 448.

Eretricorum Philosophorum schola a Menedemo Eretriæ instituta fuit, Strabo *lib.* X. pag. 448. Diogen. Laert. *lib.* II. *Menedemo*.
F Eretria Strabonis ætate post Chalcidem secundo loco fuit, Strabo *lib.* X. p. 448.

HISTIÆENSES. OREITÆ.

HIstiæa urbs Eubœæ, quæ prius appellabatur Talantia: postea Histiæa vocata fuit ab Histiæa Hyriei filia, Schol. min. *Iliad.* B. Ἑστίαια, ἡ πάλαι Ταλαντία ὀνομαζομένη, Hesych. Condita ab

A Ellope Æcli & Cothi fratre, Strabo *l.* x. pag. 445. Scribitur initium per I & E, Eustath. *in Iliad.* B.

Histiæam Perrhæbi everterunt, & Histiæenses in continentem pertraxerunt, Strabo *l.* IX. p. 437. Marcian. Περ. p. 24.

Η δ' Ἱστιαία γέγονε Περῤῥαιβῶν κτίσις.

Histiæenses vero ex Eubœa avulsi, Hestiæotidem Thessaliæ a se denominarunt, Strabo *l.* x. p. 446.

Histiæenses ab Atheniensibus suis sedibus pulsi fuerunt, duce Pericle; agrumque occuparunt Athenienses, Thucyd. *l.* I. pag. 74. Ἔνιοι δ' ὑπ' Ἀθηναίων ἀποικισθῆναί φασι τὴν Ἱστιαίαν ἀπὸ τοῦ δήμου τῶν B Ἱστιαιέων, ὡς καὶ ἀπὸ τοῦ Ἐρετριέων τὴν Ἐρέτριαν, Strabo *l.* IX. p. 445. Hinc Ἑστιαεῖς τοὺς ἐν Εὐβοίᾳ Ἑστιαίαν οἰκοῦντας ἀποίκους Atheniensium vocat Thucy. *l.* VII. pag. 531. Theopompus vero ait Pericle subigente Eubœam, Histiæenses ex pacto in Macedoniam transiisse, δισχιλίους δ' ἐξ Ἀθηναίων ἐλθόντας τὸν Ὠρεὸν οἰκῆσαι, δῆμον ὄντα πρότερον τῶν Ἱστιαιέων, Strabo *l.* x. p. 445.

Histiæenses postea Oritæ, & urbs ipsa Oreus pro Histiæa dicta fuit, Strabo *l.* x. p. 445. Κεῖται δὲ ἡ Ἱστιαία ὑπὸ ὄρει παρὰ τὸν Κάλλαντα ποταμὸν, ἐπὶ πέτρας ὑψηλῆς. διὸ καὶ Ὠρεὸς ἐκλήθη, διὰ τὸ ὀρείους φασὶν C εἶναι τοὺς προοικήσαντας. δοκεῖ δέ φασι καὶ ὁ Ὠρίων ἐνταῦθα τραφεὶς, ἀφεῖναι αὐτῇ τὸ ὄνομα, Eustath. *in Iliad.* B. Ὠρεόν. πόλις καὶ αὕτη τῆς Εὐβοίας, Ulpian. *in Demosth. de Cherson.* o. 56.

Oreitis Tyrannum Philistidem a Philippo impositum fuisse ait Demosthenes. Is Ellopenses post pugnam Leuctricam coegit Histiæam commigrare, eamque urbem augere, Strabo *l.* x. pag. 445. Hinc, Ἐλλοπιεῖς, οἱ νῦν Ὠρεῖται παρὰ Χαλκιδεῦσιν, Hesych. Athenienses vero una cum Chalcidensibus in Eubœa & Megarensibus suscepta expeditione adversus Oreum, Philistidem Tyrannum occi- D derunt, & Oreitis libertatem restituerunt, Stephanus.

Histiæam Atilius expugnavit & evertit, Paus. *Achaic.* p. 411.

CERINTHII. ELLOPENSES.

Cerinthus urbs Eubœæ maritima, Schol. min. *Iliad.* B. Vocatam aliquando Ellopiam ajunt, ab Ellope filio Tithoni, Eustath. *in Iliad.* B. Ellopiam condidit Ellops Æcli & Cothi frater, Strabo *l.* x. p. 445. Cerinthum a Cotho conditam scribit Marcian. Περ. p. 24.

E Τὴν δ' ἐναλίαν Κήρινθον ὡσαύτως Κόθον.

Canethus Abantiades Cerinthius ad expeditionem Argonauticam filium misit Canthum: hic Cerinthum non rediit, sed cum Mopso in Libya oberrans periit, Apollon. *Argon.* *l.* I. v. 77. seqq.

Ellopenses post pugnam Leuctricam Histiæam commigrarunt, Strabo *l.* x. pag. 445. vide in *Histiæens.*

Dion urbs super Cenæum Eubœæ promontorium sita, Eustath. *in Iliad.* B. Nomen accepit a Dio Pandori filio, Schol. min. *Iliad.* B. Ἀθῆναι αἱ F Διάδες κτίσμα Ἀθηναίων, Strabo *l.* x. p. 446. Ex Dio Canas Æolidis colonia deducta fuit, Strabo *l.* x. p. 446.

Canæ oppidulum Euboicum, Stephan.

Orobiense in Eubœa Oraculum fuit Selinuntii Apollinis ἀψευδέστατον, Strabo *l.* XIV. p. 445. Antrones, urbs erat Eubœæ, πληθυντικῶς λεγομένη. Sed Homerus (*Iliad.* B. v. 697.) singulari numero dixit Ἀντρῶνα, Ulpian. *in Demosth. Philip.* IV. p. 76. Sed perperam confundit Ἀντρῶνας Demosthenis, in Eubœa sitam, & Ἀντρῶνα Homeri, Thessaliæ urbem.

CARYSTII.

Carystus urbs sub Oche, montium in Eubœa maximo, sita, nomen accepit a Carysto Chironis filio, a quo etiam Chironia olim appellata fuit: vocabatur etiam Ægæa a Dynasta Ægæone, a quo & Ægæum pelagus nomen accepit, Eustath. *in Iliad.* B. ad Myrtoum pelagus sitam ait Stephanus. Condita fuit a Dryopibus: vide in *Dryopibus*. Marcian. Περ. p. 24.

Δρύοπας δὲ τὴν Κάρυστον ὠνομασμένην.

Hinc Thucydid. εἰσὶ (Καρύστιοι) δ' εἰσὶ Δρύοπες, *l.* VII. p. 531.

Carystii, cum negassent se vel obsides daturos, vel adversus urbes vicinas Athenas, & Eretriam militaturos, a classe Darii tamdiu obsessi fuerunt, donec se Persis dedere sint coacti, Herodotus *l.* VI. p. 418.

Carystii exigenti Themistocli magnam vim pecuniæ miserunt: neque tamen calamitatem effugerunt: eorum enim agrum Græci vastarunt, Herodot. *l.* VIII. p. 569. 572.

Carystii adversus Athenienses bellum gesserunt, cecidit Atheniensis Hermolycus Euthœni F. in ea pugna quæ ad Cyrnum agri Carystii commissa fuit, Herodot. *l.* IX. p. 628.

STYRENSES.

Styra urbs Eubœæ Carysto vicina, Stephan. condita a Dryopibus: vide in *Dryopib.* Styrenses ab Atheniensibus deducere videtur Thucydid. *l.* VII. p. 531. Styrenses in Eubœa, cum origine Dryopes essent, Dryopum nomen aspernati fuerunt, Pausan. *Messen.* p. 282.

Styrenses duas naves Græcia præbuerunt in pugna navali ad Artemisium, Herodot. *l.* VIII. init. totidemque ad Salaminem, Herodot. *l.* VIII. p. 543.

Styrensium ac Eretriensium sexcenti fuerunt in exercitu Græco ad Platæas coacto, Herodot. *l.* IX. p. 597.

Styra eversa fuerunt bello Maliaco a Phædro duce Atheniensium, Strabo *l.* x. p. 446.

CYNTHII.

Cynthum in Eubœa Dryopes condiderunt: vide in *Dryopib.*

Cynthii duas naves præbuerunt Græcis in pugna navali ad Salaminem, Herodotus *l.* VIII. pag. 643.

ATHENÆI.

Athenæ urbs Eubœæ, condita a Diante, teste Ephoro *l.* III. Fuerunt vero Abantis liberi Alcon, & Dias, & Arethusa: quorum Dias quidem conditam urbem sic de patriæ nomine appellavit. Has vero Athenas etiam Diadas vocari, Stephan. Urbem hanc a Cecrope conditam scribit Eusebius *Chron.* *l.* I. p. 26.

CEI.

Ceos insula, olim quatuor urbes habens, Julidem, Carthæam, Pœeessam & Corissiam; sed in Julidem Corissia, in Carthæam Pœeessa translata fuit. Julis patria fuit Simonidis Lyrici & Bacchylidis ejus consobrini: item Erasistrati Medici

A & Ariſtonis Philoſophi Peripatetici, Strabo *lib.x.*
p. 486.

Σιμωνίδης Λεωπρεπῦς, Ιυλιήτης, ὁ ἐκ Κείῳ τῇ νήσῳ πόλεως, λυρικὸς, &c. Suidas.

Vocabatur quidem inſula Hydruſa; Ceus vero e
Naupacto in eam habitatum conceſſit, & ab illo
inſulæ nomen indiderunt, Heraclid. *de Polit.* in
edit. Nicol. Cragii noſtri perperam hæc ponuntur
ſub titul. *Κώων*, ſcribo *Κείων*. Deinde Ceos ab ea
(Helene) totidem (V. M. paſſuum diſtans) quam
noſtri quidam dixere Ceam, Græci & Hydruſſam.
Avulſa Eubœæ, quingentis longa ſtadiis fuit quon-
dam: mox quatuor fere partibus, quæ ad Bœotiam
B vergebant, eodem mari devoratis, oppida habet
reliqua Julida, Cartheiam: intereidere Coreſſus,
Pœeſſa. Ex hac profectam delicatiorem fœminis
veſtem, auctor eſt Varro, Plinius *lib.* IV. *cap.* XII.
Τὴν Ιυλίδα, μέρος μικρὸν ὄσαν ἐ μεγάλης νήσε τῆς Κέω, Plutarch. *Parallel. Demoſth. & Ciceron.*

Ceis lex erat, ut qui ſexaginta annos exceſſiſ-
ſent, cicutæ ſorbitione vitam finirent, ut reliquis
victus ſufficeret. Meminit Menander:

Καλὸν τὸ Κείων νόμιμόν ἐςι Φανία,
Ο μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, ἐ ζῇ κακῶς.

C Ajuntque Ceios ab Athenienſibus obſidione ali-
quando preſſos decretum edidiſſe, quo maximos
natu civium juſſerint interfici, certo annorum nu-
mero definito: eamque ob rem Athenienſes obſi-
dionem ſolviſſe, Strabo *lib.* x. p. 486 *Οὔσης δὲ ὑγι-εινῆς τῆς νήσε, ἢ διγήρων τῶ ἀνθρώπων, μάλιστα δὲ τῶ γυναικῶν, ἐ περιμένεσι γηραιοὶ τελευτῆν, ἀλλὰ πρὶν ἀσθενῆσαι, ἢ πηρωθῆναί τι, οἱ μὲν μήκωνι, οἱ δὲ κωνείῳ ἑαυτὲς ἐξάγεσι*, Heraclides in *Ceorum Politia*: vi-
de Ælian. *Var. lib.* III. *cap.* XXXVII. in Strabone
perperam legitur *κονειάζεσθαι*, ſed procul dubio le-
gendum *κωνειάζεσθαι* ex Heraclide & Æliano.

D

SCYRII.

SCyrus inſula ab aſperitate ac duritie dicta, præ-
tenditur Magnetum (Theſſalicorum) terræ,
ſicut Peparethus, Euſtath. *in Dionyſ.* Περ. U-
na Cycladum, Schol. min. *in Iliad.* A. Scyron Pelaſ-
gi olim & Cares incoluerunt, Stephan. Dolopes
inſulam Scyron incoluerunt, Thucydid. *lib.* I. p.
65. *Σκύρος πόλις Δολωπίας*, Schol. min. *in Odyſſ.* A.
nam urbs appellatur eodem nomine, quo tota in-
ſula, Euſtath. *in Iliad.* I. *Πετρώδης ἢ λυπρὰ, ἢ διὰ τῦτο πενιχρὰ ἡ Σκύρος, ἐδὲν φέρεσα λόγε ἄξιον*,
E Suidas *in* Αρχὴ Σκυρία.

Scyrii Theſeum exſulem in Scyron adverſa tem-
peſtate delatum, cum ob generis claritatem, tum
ob rerum geſtarum magnitudinem ſplendide exce-
perunt: quæ res effecit, ut eum Lycomedes per
inſidias e medio tollendum curaret, Pauſan. *Attic.*
pag. 30. Theſeum inſidiatum fuiſſe Lycomedis &
imperio, & uxori, ideoque præcipitatum, ſcribit
Suidas *in* Αρχὴ Σκυρία, item Euſtath. *in Iliad.* I. e
Lycophrone. Ad Lycomedem Regem in Scyron
Peleus Achillem filium miſit, quia didicerat in fa-
tis eſſe Achillem ad Trojam occubiturum. Achil-
F les ergo ſub habitu virgineo a Lycomede inter fi-
lias educatus fuit. Sed dato oraculo, Trojam ſine
Achille captum non iri, Achilles ab Ulyſſe, Phœ-
nice & Neſtore ex inſula abductus fuit, cum prius
inter virgines degens ex Deidamia Lycomedis filia
filium genuiſſet Pyrrhum ſeu Neoptolemum,
Schol. min. *in Iliad.* T. *Σκύρον αἰπεῖαν Ενυῆος πτολίεθρον* ab Achille captam ſcribit Homer. *Iliad.* I. v. 664.
Inſulam hanc ante Helenæ raptum, vel poſt illum,
molientem deficere a Pelei imperio, aut nolentem
ſocietatem armorum inire, ab Achille oppugna-
tam captamque & Deidamiam Lycomedis filiam
compreſſam Neoptolemum peperiſſe ſcribit Euſtat.
in Iliad. I. Scyron non vaſtaſſe, ſed pacifice per-
curriſſe ſpoliaque abduxiſſe Achilles dicitur,
Schol. min. & Euſtath. *in Iliad.* I. Alii non inſulam,
ſed urbem Phrygiæ, olim Ciliciæ, vaſtatam ab A-
chille ajunt, Euſtath. *in Iliad.* I.

Dolopes ab Athenienſibus, direpta inſula Scy-
ro, in ſervitutem abſtracti fuerunt, Thucyd. *lib.* I.
p. 65. Voluerunt vero Athenienſes ulciſci mortem
Theſei a Lycomede in ea inſula interempti. Sed
& iis oraculum datum fuit, non ante potituros
Scyro, quam inde Athenas oſſa Theſei deportaſ-
ſent: quibus arte Cimonis Miltiadis F. inventis,
inſula in poteſtatem Athenienſium venit, Pauſan.
Attic. p. 30. & *Lacon.* p. 163. Athenienſes in Scy-
ron inſulam coloniam miſerunt, Thucyd. *lib.* I. p.
65. Pelaſgiotas primum e Thracia tranſgreſſos Scy-
rum & Sciathum coluiſſe: inde deſertas a Chalci-
denſibus habitatas fuiſſe ſcribit Marcian. Περ. p. 24.
his verbis;

—— τὴν Σκύρον δὲ ἢ
Τὴν Σκίαθον ἐκ Θράκης διαβάντες, ὡς λόγος,
Πελασγιῶται. πάλι δ' ἐρήμες γενομένας
Αὐτὰς ἁπάσας Χαλκιδεῖς συνῴκισαν.

Sophocl. *Philoctet.* v. 325.

Χ ἡ Σκῦρος ἀνδρῶν ἀλκίμων μήτηρ ἔφυ.

Peparethus inſula Magnetum (Theſſalicorum)
terræ prætenditur, Euſtath. *in Dionyſ.* Περ. habi-
tata a Staphylo & Gnoſſiis Cretenſibus. Marcian.
Περ. p. 24.

—— Κρῆτες μὲν οἱ
Μετὰ Σταφύλε διαβάντες ἐκ Γνώσσε ποτὲ
Πεπάρηθον, ἐγγὺς κειμένην τ' αὐτῆς Ιον
Νῆσον συνοικίζεσι.

Sciathus inſula a Pelaſgiotis Thraciæ: inde a
Chalcidenſibus habitata, Marcian. Περ. p. 24. Scya-
thus Plinio *lib.* IV. *cap.* XII. Scyathos Melæ *lib.* II.
cap. VII. *Σκίαθος, νῆσός ἐςι πλησίον Εὐβοίας, ἧς μέμνηται Δημοσθένης ἐν Φιλιππικοῖς*, Suidas. *Σκίαθος νῆσος Κυκλάδων*, Heſych.

Jus inſula a Gnoſſiis Cretenſibus, & Staphylo
habitata, Marcian. Περ. p. 24. Ius Homeri ſepulcro
veneranda, antea Phœnice appellata, Plin. *lib.* IV.
cap. XII. Eam ex oraculo, patriam fuiſſe matris
Homeri, ſcribit Euſtath. *in Dionyſ.* Περ.

Sicinus inſula quædam ante Eubœam, prius
Oenœe dicta, *διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν ἀμπελόφυτον*. Mu-
tati nominis meminit Xenagoras, idque contigiſſe
ait a Sicino Thoantis & Neidis Nymphæ filio,
Schol. Apollon. *Argon. lib.* I. v. 623. Sicynos Melæ
lib. IV. *cap.* VII. Sicynus, quæ antea Oenoe, Plin.
lib. IV. *cap.* XII.

LEMNII.

LEmnus Atho monti adverſa inſula, quam ali-
quando, omnibus, qui mares erant, cæſis,
tantum fœminæ tenuiſſe dicuntur, Mela *lib.* II. *c.*
VII. *Λῆμνος, νῆσος τῆ Θράκης πλησίον, ἱερὰ Ηφαίςε*, Heſych. Lemnus appellata fuit a magna, quæ
dicebatur, Dea, cui Lemnos nomen erat, cui et-
iam virgines immolabant: Thraces vero primi eam
inſulam tenuerunt, qui Sinties appellabantur &
Sapæi: duas habebat urbes, Hephæſtiam & Myri-
nam, Stephan. *Δίπολις γὰρ ἐςιν ἡ Λῆμνος, ἔχει γὰρ Ηφαιςίαν ἢ Μυρίνην*, Schol. Apollon. *Arg. lib.* I. v. 604.
Λῆμνος κραναὸν πέδον Ηφαίςοιο dicitur, Dionyſ. Περ.
v. 522. Jupiter enim Junoni ob inductum ſibi ſopo-
rem, Herculis odio, iratus, eandem vinculis con-

ſtrinxerat, Vulcanus vero eam ſolvere conatus, & in ipſo facto a Jove deprehenſus, ab eo in inſulam hanc præcipitatus claudus factus eſt, Schol. min. *in Iliad.* A. Sed vide hujus fabulæ explanationem apud Euſtath. *in Iliad.* A. Sinties autem appellati Lemnii, ἀπὸ τοῦ σίνεσθαι καὶ βλάπτειν, ὄντες πειραταί. ἢ ὅτι δοκοῦσιν αὐτοὶ πρῶτοι ἐπινενοηκέναι τὰ πρὸς πόλεμον ὅπλα, ταῦτα γὰρ ὁμολογουμένως βλάπτει, Schol. min. *in Iliad.* A. Λήμνιοι ἄγριοι, ὡς δηλοῖ παροιμία, Λημνίαν χεῖρα εἰποῦσα τὴν ἀπαραίτητον, καὶ Λήμνιον βλέπειν, ἀντὶ τοῦ δεινὸν καὶ πυρῶδες, Euſtath. *in Iliad.* A. vide Heſych. Zenob. & Diogenian. hinc Σιντηΐδα Λῆμνον vocat Apollon. *Argon. lib.* I. v. 608. vide Schol. Thoas vero Bacchi filius primus incolas in Lemnum deduxit. Marcian. Περ. p. 26.

Εἶτ' ἐμπελαγία Λῆμνος, Ἡφαίστου τροφός,
Ἣν ὁ Διονύσου πρῶτον οἰκίζει Θόας.
Μετὰ ταῦτα δ' ἔσχεν Ἀττικὴν ἀποικίαν.

Lemnum πόλιν θείοιο Θόαντος vocat Homer. *Iliad.* Ξ. v. 230. Thoantis uxor fuit Myrine, Crethei filia, a qua urbs Myrine appellata fuit, Schol. Apollon. *Argon. lib.* I. Thoantis & Neidis Nymphæ filius fuit Sicinus, a quo nomen accepit inſula Sicinus, prius Oenœa dicta, in quam ſervatus fuit Thoas, Schol. Apollon. *Argonaut. lib.* I. v. 623. Lemniæ vero mulieres Venerem contempſerunt: illa ſpreta iis fœtorem immiſit. Et viri e Thracia Lemno vicina abductas puellas pro uxoribus habuerunt. Tum Lemniæ mulieres, quod a viris ſpernerentur, patres & viros ſuos occiderunt, præter Hypſipylen, quæ ſuum patrem Thoantem ſervavit. Hypſipyle porro inſulam rexit. Cumque ea regnante in Lemnum viris vacuam appuliſſent Argonautæ, fœminis illis miſti fuerunt. Et Hypſipyle ab Jaſone compreſſa, Euneum, & Nebrophonum genuit, Apollod. *lib.* I. pag. 29. α. β. Lemnias mulieres poſtea Thoantem quoque obtruncaſſe, & Hypſipylen vendidiſſe, quæ vitæ tuendæ cauſa apud Lycurgum Nemeæ Regem deinde ſerviverit, ſcribit idem Apollod. *lib.* III. p. 102. Sed & Thracias fœminas occiderunt: & metuentes ne pueri viri facti hoc ſcelus ulciſcerentur, omnes maſculos interemerunt, Schol. Apollon. *lib.* I.

Minyæ Argonautarum poſteri Lemnum tenuerunt, Herodot. *lib.* IV. pag. 307. Pindar. *Pyth.* ode IV. epod. XI.

Κλέψεν τε Μήδειαν σὺν αὐ-
τᾷ τὰν Πηλιαοφόνον.
Ἐν τ' ὠκεανοῦ πελάγεσσι μίγεν,
Πόντῳ τ' Ἐρυθρῷ, Λημνιᾶν
Τ' ἔθνει γυναικῶν ἀνδροφόνων.

Sed Apollodorus Minyas in Lemnum deſcendiſſe ait cum Colchos proficiſcerentur: unde Schol. Pindari: ταῖς δὲ Λημνίαις, inquit, ἐμίγησαν, πρὶν εἰς τὸν πόντον ἐπιπλεῦσαι. Et mox, οὐ γὰρ ὑποστρέφοντες προσέβαλον τῇ Λήμνῳ, ἀλλ' ἀπιόντες. Conſentit his Apollon. *Argon. lib.* I. v. 608. ſeqq. quem vide. Myrtilus diſſentit *Lesbicor.* I. aitque Medeam præternavigantem, per zelotypiam in Lemnum pharmacum projeciſſe, & fœtidas factas mulieres fuiſſe. Εἶναί τε μέχρι τοῦ νῦν κατ' ἐνιαυτὸν ἡμέραν τινὰ, ἐν ᾗ διὰ τὴν δυσωδίαν ἀποστρέφονται τὰς γυναῖκας ἄνδρες τε καὶ υἱεῖς, Schol. Apollon. *Arg. lib.* I. v. 615.

Achilles, cum Lesbum & alia loca popularetur, Lemno abſtinuit, & vicinis inſulis ob cognationem cum Jaſone, ejuſque filio Euneo, qui tunc Lemnum tenebat, Strabo *lib.* I. p. 45.

Pelaſgi ex Attica ab Athenienſibus ejecti, partim alio, partim in Lemnum conceſſerunt, Herodot. *lib.* VI. p. 433. Et inde Minyas expulerunt, Herodot. *lib.* VI. p. 307. Minyæ vero Lacedæmonem conceſſerunt: vide in *Minyis* & *Lacedæm.* Ἔθνος Πελασγικὸν, τῶν καὶ Λῆμνόν ποτε καὶ Ἀθήνας Τυρσηνῶν οἰκησάντων, Thucyd. *lib.* IV. p. 325.

Lemnii Pelaſgi, ulturi injuriam ab Athenienſibus acceptam, cum naves poſſidereut quinquagenum remorum, fœminis Athenienſibus, feſtum diem Dianæ in Braurone agitantibus, manipulatim inſidiantes, permultas earum raptas & in Lemnum abductas pro concubinis habuerunt. Hæ fœminæ, quos peperere liberos, lingua moribuſque Atticis imbuerunt: iique cum Pelaſgidum liberis conſuetudinem refugerunt, & ſi quis ab horum uno cæderetur, cuncti ii auxilio adfuere, mutuamque inter ſe opem præſtitere, rati ſe dignos eſſe, qui aliis pueris imperarent: adeoque longe ſuperiores fuerunt. Eam rem Pelaſgi iniquo animo tulerunt, veritique ne adulti majora auderent, cum pueri in legitimarum uxorum liberos hæc facerent, re deliberata, liberos ex Atticis fœminis ſuſceptos, & cum iis matres, necarunt. Inde apud Græcos ex hoc, & ſuperiore mulierum facinore, ſuos cum Thoante viros necantium, inolevit, ut omnia ſcelera appellentur Λήμνια. (vide Zenob. *in* Λήμνιον κακὸν, & Λημνία χεὶρ, item Suidam) Pelaſgis poſt cædem liberorum atque fœminarum, neque tellus fructum reddidit, neque uxores, neque pecora fœtum ediderunt: itaque fame ac liberorum orbitate afflicti Delphos miſerunt, remedium præſentium malorum aliquod petituros: juſſi autem a Pythia pœnas Athenienſibus, quas illi juberent, pendere, Athenas profecti pœnas omnis injuriæ ſe luituros polliciti ſunt. Athenienſes vero, ſtratis in curia toris, quam poterant ſplendidiſſime, & menſa appoſita omnium bonorum copia refertiſſima, juſſerunt Pelaſgos ita ſibi Lemnum inſtructam tradere. Tum Pelaſgi, ſi navis, inquiunt, vento aquilone flante, eo die ipſo, vos a veſtris terris in noſtras devexerit, mandatis veſtris parebimus. Quod ab illis dictum fuit, quod ſcirent fieri non poſſe, cum Attica multo magis vergat ad auſtrum quam Lemnus, Herodot. *lib.* VI. p. 433. 434.

Lemnus a Pelaſgis tunc habitata, ab Otane Darii nomine ſubacta fuit: ac Lemnii quidem, quod fortiter pro libertate pugnaſſent, inclementius tractati fuerunt: quique eorum cladi ſupererant, præfectum a Perſis Lycaretum acceperunt, Mæandri Samii Tyranni fratrem. Is omnes in ſervitutem redegit atque ſubvertit, alios deſertores Scythicæ expeditionis inſimulans, aliis dans crimini, quod copias Darii a Scythica expeditione redeuntes afflixiſſent: atque hæc illi cauſa mortis in Lemno fuit, Herodot. *lib.* V. p. 338. 339.

Miltiades Cimonis filius Athenienſis Cherſoneſi Tyrannus, flantibus ventis Eteſiis, ex Eleunte Cherſoneſi in Lemnum nave provectus, Pelaſgos inſula cedere juſſit, revocato iis in memoriam oraculo, quod illi nunquam expletum iri cogitarant. Ac Hephæſtienſes quidem obtemperarunt; Myrinæi vero, quod Cherſoneſum Atticam eſſe non agnoſcerent, obſidione compulſi ſe dediderunt. Atque ita Athenienſes Lemno potiti fuerunt, Herodot. *lib.* VI. p. 434. 435. Χάραξ δ' ἐν δεκάτῳ χρονικῶν φησιν, ὅτι Μυριναῖοι τῶν Πελασγικῶν ὑποθέσεων οὐ φροντίσαντες, ἀπέκλεισαν τῷ Μιλτιάδῃ τὰς πύλας· κἀκεῖνος πολιορκίᾳ παρεστήσατο αὐτούς. Τῶν δὲ Ἡφαιστιέων Τύραννος ὢν, φοβηθεὶς τὴν δύναμιν, ἔφη, χαριζόμενος τοῖς Ἀθηναίοις φίλοις οὖσιν, ἐμποδὼν τὰ ὁμολογηθέντα ὑπὸ τῶν Πελασγῶν, ἀμαχεὶ παρέδωκε τὴν πόλιν, Stephan. *in* Ἡφαιστία. Hinc Lemnii τοῖς Ἀθηναίοις τῇ αὐτῇ φωνῇ καὶ νομίμοις ἔτι χρώμενοι dicuntur Thucyd. *lib.* VII. p. 531. vide & ſupra e Marciano.

Hephæſtia urbs Lemni, Stephan. Suidas, Heſych. Ἡφαιστιὰς, Euſtath. *in Iliad.* Ξ.

My-

Myrine urbs Lemni, nomen accepit a Myrine Thoantis uxore, Crethei filia, Schol. Apoll. *Arg.* *l.* I. v. 604. Μύρινα, πόλις ἐν Λήμνῳ, ἀπὸ Μυρίνης, ἢ Μυρίνου, Stephan.

THASII.

Thasus insula ad Thraciam sita, Stephan. In Ægæo mari prope Thraciam, Mela *l.* II. c. VII. Arrianus Thasum a Thaso Neptuni F. vocatam tradit: olimque Chrysam insulam esse appellatam, propter aurifodinas, quarum & Herodotus (*l.* VI. p. 396. 397.) meminit, Eustath. *in Dionys.* Περ. Aeriam quoque hanc insulam vocatam fuisse docet Stephanus ex oraculo Archilochi filio dato:

Ἄγγειλον Παρίοις Τελεσίκλεις, ὥς σε κελεύω
Νήσῳ ἐν Ἠερίῃ κτίζειν εὐδείελον ἄστυ.

Thasus Ὠγυγίη, Δημήτερος ἀκτὴ, dicitur Dionys. Περ. v. 523. propter fertilitatem insulæ: unde in proverbium abiit, Θάσος ἀγαθῶν: perinde ac si quis diceret δάσος, multitudo seu densitas bonorum: pro quo tamen alii proverbium ita potius efferunt, Δάτος ἀγαθῶν, Eustath. *in Dionys.* Περ. vide Zenob. & Suidam, & in illos Andr. Schott. Barbaros primum insulam hanc tenuisse, inde Phœnices cum Cadmo & Thaso illuc profectos, Thasum ab eo Thaso appellasse scribit Marcian. Περ. p. 27.

Ἐξ ἧς νέα πόλις ἐστὶ καὶ νῆσος Θάσος,
Ἣν Βάρβαροι τὸ πρότερον ᾤκουν, ὡς λόγος.
Ἔπειτα Φοίνικες μετὰ Κάδμου καὶ Θάσου
Ἐκ τῆς Ἀσίας διαβάντες ἔλαβον δὴ Θάσον.
Ἀπὸ τοῦ Θάσου καὶ τοὔνομ' ὡς καὶ νῦν ἔχει.

Thasus hic Phœnix fuit & Agenoris filius. Φοίνικες οἱ μετὰ Θάσου κτίσαντες τὴν νῆσον ταύτην, ἥτις νῦν ἀπὸ τοῦ Θάσου τούτου τοῦ Φοίνικος τοὔνομα ἔσχε, Herod. *l.* VI. p. 397. Eustath. *in Dionys.* Περ. Θάσιοι δὲ Φοίνικες ἀνέκαθεν ὄντες, καὶ ἐκ Τύρου καὶ Φοινίκης τῆς ἄλλης ὁμοῦ Θάσῳ τῷ Ἀγήνορος κατὰ ζήτησιν ἐκπλεύσαντες τῆς Εὐρώπης, Pausan. *Eliac. pr.* p. 339. Θάσος (sic scribe, pro Θάσσος) νῆσος πρὸς τῇ Θρᾴκῃ, ἔνθα Τηλέφη ἡ τῆς Εὐρώπης θνήσκει μήτηρ, ἀπὸ Θάσου. (sic scribe, pro Θάσσου) ἦν δὲ γενεαῖς Ἡρακλέους πέντε παλαίτερος, εἴπερ ἀπὸ Ἀγήνορος Θάσος ἦν, Stephan. sic enim restituenda videntur, quæ hic corrupta sunt. Scaliger *Animadv. in Euseb.* p. 36. b. δέκα mavult; sed Herodotus πέντε adstruit: Φοινίκων, inquit, οἱ κατ' Εὐρώπης ζήτησιν ἐκπλώσαντες, Θάσον ἔκτισαν. καὶ ταῦτα πέντε γενεῇσι ἀνδρῶν πρότερά ἐστι, ἢ τὸν Ἀμφιτρύωνος Ἡρακλέα ἐν τῇ Ἑλλάδι γενέσθαι, *l.* II. p. 120. Τηλέφαασσα Europæ mater, & Thasus Neptuni filius dicitur Apollod. *l.* III. p. 86. β. Phœnices hi in Thaso aurifodinas invenerunt, Eustath. *in Dionys.* Quia vero Tyrii erant Thasii, Tyrium Herculem coluerunt: postea cum inter Græcos censeri cœpissent, Herculi Amphitryonis F. honores etiam habuerunt, Pausan. *Eliac. pr.* p. 339. Habuit enim Thasus Herculis templum a Phœnicibus conditum, Eustath. *in Dionys.* Et Herodotus se in Thasum profectum invenisse templum Herculi a Phœnicibus illic structum scribit *l.* II. p. 120. Herculem vero Amphitryonis F. Thasum, expugnatis, qui illic erant, Thracibus, tradidisse Androgei filiis Alcæo & Sthenelo refert Apollod. *l.* II. p. 66. β.

Parii (non ex urbe Pario in Propontide, nam hi Pariani dicuntur, sed ex insula Paro) coloniam in Thasum deduxerunt, Eustath. *in Dionys.* Ἔστι δὲ ἡ νῆσος Παρίων ἀποικία, Thucyd. *l.* IV. p. 322. ὑπὸ Παρίων ἐκτίσθη Θάσος, Strab. *l.* X. p. 487. Oraculum Antiocho Pario datum apud Euseb. *Præpar. Evangel. lib.* V.

Ἀντιόχ' εἰς Θάσον ἐλθὲ, καὶ οἴκει εὐκλέα νῆσον.

Refer & huc oraculum Archilochi filio datum. Nonnulli contra ajunt, e Thaso colonias in Parium fuisse missas, Eustath. *in Dionys.*

Thasii coloniam Datum deduxerunt: vide in *Datos.*

Symmachum Tyrannum e Thaso ejecere Lacedæmonii, Plutarch. *de malign. Herodoti* p. 670.

Theagenes Thasius, Timosthenis, vel ut Thasii ajunt, Herculis, qui forma Timosthenis cum matre Theagenis concubuisset, filius, cum annos novem natus e ludo domum rediret, æneum cujusdam Dei signum in foro collocatum, ejus pulcritudine allectus, e sede sua avulsum & humeris sublatum ad suos deportavit: incitata vero ob id factum in eum multitudine, vir quidam magno natu magnæ inter cives existimationis, quo minus puer occideretur, vetuit, jussit tantum signum in pristinum locum ab eo reportari. Quod cum ille fecisset, robur ejus per Græciam totam longe lateque hominum sermone celebrari cœptum fuit. (Ejus victorias in certaminibus Olympicis & Pythicis vide suo loco) Theageni statua collocata fuit: eam, post ipsius mortem, quidam ipsius inimicus nocte flagris cecidit, non aliter quam si in eo ære ipsum viventem ulcisceretur. Cum vero hominem statua subito casu oppressisset, filii ejus de cæde statuam postularunt: estque ea, Thasiorum sententia, in mare abjecta, lege Draconis Atheniensis. At cum per aliquot deinceps annos terra nullos fructus ederet, Thasii oraculum Delphicum consulentes jussi fuerunt Exsules revocare: neque tamen exsulibus revocatis finem sterilitatis repererunt. Consulentibus denuo, seque mandatis oraculi paruisse dicentibus, respondit Pythia,

Θεαγένην δ' ἄμνηστον ἀφήκατε τὸν μέγαν ὑμέων.

Piscatores vero in altum provecti reti extractam Theagenis statuam in littus detulere: quam Thasii suo repositam loco, divinis honoribus coluerunt, Pausan. *Eliac. post.* p. 363. 364.

Thasii ab Histiæo Milesio obsessi, cum proventus magnos haberent, pecuniam, quam ex illis habebant, impenderunt in compingendas longas naves, & validiores muros urbi circumdandos. Erant enim eis proventus e continenti atque ex metallis, quando tributorum immunes erant, talenta ducenta vel trecenta, Herodotus *l.* VI. pag. 396. 397.

Thasios, nec manum ex adverso levantes, classe Darius subegit, Herodot. *l.* VI. p. 396.

Thasios, sequenti anno a vicinis insimulatos, Darius, tanquam defectionem molientes, jussit muros diruere, & naves Abdera transportare. Et paruerunt Thasii, Herodot. *l.* VI. p. 396. 397.

Thasii ab Atheniensibus defecerunt, orta inter ipsos controversia de emporiis, quæ erant in adversa Thracia, & de metallis, quæ possidebant. Thasii vero ab Atheniensibus pugna navali victi, obsessique, Lacedæmoniorum opem implorarunt: sed Lacedæmoniis primum terræmotu, deinde bello Messeniaco occupatis, Thasii tertio obsidionis anno sese dediderunt Atheniensibus, iis conditionibus, ut urbis muros demolirentur, naves traderent, imperatam pecuniam solverent, & cum continente, tum metallis cederent, Thucydid. *l.* I. p. 66.

Diotrephes Atheniensis a CCCC. penes quos Resp. Attica erat, ad Thraciam gubernandam missus, in

Thasum profectus, statum popularem sustulit. Sed post ejus discessum altero fere mense Thasii suam urbem mœnibus cingere cœperunt, quasi libertatem a Lacedæmoniis quotidie exspectantes, nec paucorum dominatu indigentes, si Atheniensium partes sequerentur. Et exsules Thasii ab Atheniensibus ejecti cum apud Lacedæmonios essent, cum suis necessariis, qui in urbe erant, egerunt, ut navibus adductis, Thasii ad defectionem impellerentur. Ita res in Thaso illis successit; sed præter vota cecidit eorum Atheniensium, qui paucorum illic dominatum constituerant, Thucyd. *l.* VIII. p. 597.

Olymp. XCIII. 4. Thasum Cariæ urbem Atheniensibus jure societatis obnoxiam, cum magno triremium numero adortus Lysander Lacedæmonius, vi expugnavit, omnemque urbem ad octingentos jugulavit, puerisque ac mulieribus sub hasta venditis, urbem solo æquavit, Diodorus *l.* XIII. p. 223.

Olymp. CV. 1. Thasii Crinidos habitatoribus frequentarunt, Diodorus *l.* XVI. p. 408.

Imbrus insula Thracia, sacra Corybantibus: Corybantes vero sunt dæmones. Colebatur etiam illic Mercurius, quem Imbranum Cares vocabant, ut Stephanus scribit: unde & Imbrus insula nomen accepit, Eustath. *in Dionys.* Περ. Ἴμβρος, *νῆσός ἐστιν Αἰολική*, Eustath. *in Iliad.* Φ.

Imbrios proverbiali figura eos appellarunt, qui judicium detrectantes tergiversationum ambagibus utebantur, Eustath. *in Iliad.* Φ. *Ἴμβριοι οἱ τὰς δίκας ὑποφεύγοντες, ἐπεί τινες εἰς δίκην καλούμενοι, ἐσκήπτοντο ἐν Ἴμβρῳ εἶναι*, Ælius Dionys.

SAMOTHRACII.

Samothrace insula Thraciæ objecta, & urbs ejusdem nominis, nomen accepit a Samiis & Thracibus, prius appellata Dardania, Stephan. *Ἔνιοι δέ φασι τὸ παλαιὸν Σάμον νῆσον καλουμένην, διὰ τοὺς ἀποικισθέντας, ἔκ τε Σάμου καὶ Θρᾴκης Σαμοθρᾴκην ὀνομασθῆναι*, Diod. *l.* v. p. 322. Samum Thraciam, conjuncte Samothraciam dictam, sic appellari ad discrimen Sami Ionicæ scribit Eustath. *in Dionys.* vide eundem *in Iliad.* N. *Ταύτην τὴν νῆσον ἔνιοι μέν φασι τὸ παλαιὸν Σάμον ὀνομασθῆναι. τῆς δὲ νῦν Σάμου κτισθείσης, διὰ τὴν ὁμωνυμίαν τῆς παρακειμένης τῇ παλαιᾷ Σάμῳ, Σαμοθρᾴκην ὀνομασθῆναι*, Diod. *l.* v. p. 321. Thraciam Samum ab altitudine sic appellatam: *σάμοι* enim alta vocari: altam vero esse hinc apparere, quod Poeta ait: (*Iliad.* N. v. 13.) *ἔνθεν γὰρ ἐφαίνετο πᾶσα μὲν Ἴδη*, &c. Ab aliis vero sic dictam quasi *Σάον*, & pleonasmo literæ *μ* *Σάμον*, a Sais gente antiqua in ea habitante, cujus meminit Archilochus, scribit Eustath. *in Dionys.* Περ. Melita quoque antea appellata fuit, Strabo *l.* x. p. 457. Dardania autem dicta fuit a Dardano, qui in diluvio illinc Trojam profectus fuit, Eustath. *in Dionys.* Tenuerunt hanc insulam homines indigenæ: *ᾤκησαν δ' αὐτὴν αὐτόχθονες ἄνθρωποι*, Diodor. *lib.* v. p. 321. Et Trojani. Marcian. Περ. p. 28.

> *Πέραν Σαμοθρᾴκη δ' ἐστὶ νῆσος Τρωϊκὴ,*
> *Ἔχουσα τὴν οἴκησιν ἀναμεμιγμένην.*
> *Πρότερον γὰρ εἶναί φασιν ἐν ταύτῃ τινὲς*
> *Τοὺς Τρῶας, Ἠλέκτρας τεκούσης Δάρδανον*
> *Τῆς λεγομένης Ἄτλαντος, Ἰασίωνά τε.*

vide Strabon. *Epitom. l.* VII. Et Pelasgi: *Τὴν Σαμοθρηΐκην οἴκεον πρότερον Πελασγοὶ οὗτοι, οἵπερ Ἀθηναίοισι σύνοικοι ἐγένοντο*, Herodot. *l.* II. p. 123. Et Samii e Samo ab Ephesiis expulsi, in hanc Thraciæ insulam, quæ prius Dardania, post ab ipsis Samothrace appellata fuit, coloniam deduxerunt, Pausan. *Achaic.* p. 403. *Ἡ Σαμοθρᾴκη τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐκαλεῖτο Δαρδανία, διὰ τὸ Δάρδανον εἶναι. ὕστερον δὲ Θρᾳκῶν κατασχόντων Θρᾳκία. Τούτων δ' ἐκλιπόντων ὕστερον, ἔτεσιν ἑπτακοσίοις, Σάμιοι κατῴκησαν αὐτὴν, ἐκπεσόντες τῆς οἰκίας, καὶ Σαμοθρᾴκην ἐκάλεσαν*, Heraclid. *de Polit.* *Σάμιοι οἱ ἐν Ἰωνίᾳ μετὰ διακοσιοστὸν καὶ ἔνατον ἔτος τῶν Τρωϊκῶν, χρησμὸν ἔλαβον παρὰ τῆς Πυθίου εἰς τὴν ἐν Τρωάδι Θρᾴκην μετοικῆσαι. ἀφ' ὧν ἡ Σαμοθρᾴκη προσηγορεύθη*, Schol. min. *in Iliad.* N. ex Apollodoro. Marcian. Περ. p. 28.

> *Τοὺς δὲ Σαμοθρᾷκας Τρῶας ὄντας τῷ γένει*
> *Δι' εὐσέβειαν ἐγκαταμεῖναι τῷ τόπῳ*
> *Ἐν σιτοδείᾳ. τῶν Σαμίων δ' αὐτοῖς ποτε*
> *Ἐπαρκεσάντων τηνικαῦτ' ἐκ τῆς Σάμου,*
> *Ἐπιδεξάμενοί τινας συνοίκους ἔσχοσαν.*

At Strabo *l.* x. p. 457. scribit *παρὰ τὴν ἀρχαίαν ἱστορίαν* eos dicere, qui ajunt post Ionicam migrationem & Tembrionis adventum, colonos e Samo venisse, & Samothraciæ Sami nomen indidisse: Samios vero parandæ gloriæ causa hoc finxisse. Certe Homerus Sami hujus meminit, *Σάμου Θρηΐκης*, *Iliad.* N. v. 12. seqq. Et Hecubam introducit dicentem suos filios in Samum & Imbrum ab Achille divenditos fuisse, *Iliad.* Ω. v. 751. seqq. nisi forte est *ἀναχρονισμὸς* in Poeta: ut in Marone *Æneid.* VI. v. 366.

> —— *portusque require Velinos.*

Κορυβάντιον ἄστυ vocatur a Dionys. Περ. v. 524. propter mysteria Corybantum, qui illic erant, quorum Lycophron meminit, Eustath. *in Dionys.*

TENEDII.

Tenedus insula una Sporadum, nomen accepit a Tenne & Amphithea seu Hemithea Cygni liberis, quasi *Τεννύεδος*: vocabatur vero Leucophrys, Stephan. *Τένεδος ἡ νῆσος τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς Λεύκοφρυς ἐκαλεῖτο. χρόνῳ δὲ ὕστερον πρὸ τῶν Τρωικῶν Τέννης διενεχθεὶς πρὸς τὸν πατέρα, συνῴκισεν αὐτὴν*, Heracl. *de Polit.* *Τέννην, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα τῇ νήσῳ*, Strab. *l.* XIII. p. 604. Erat vero Tennes Cygni, Colonæ, quæ in Troade est, Regis filius, vir virtute insignis: collectisque habitatoribus, in hanc insulam trajecit, eamque desertam, & tum Leucophryn appellatam, occupavit: & distributo per sortem agro, conditam a se urbem Tenedum de suo nomine appellavit. Et Rep. bene administrata, vivus quidem in summo honore fuit, & post mortem divinos honores consequutus est, Diodor. *l.* v. p. 348. Cygnum Neptuni filium Colonæ, id oppidum Troadis est ad insulam Leucophryn, regnasse ferunt: habuisse filiam Hemitheam, & filium Tennem ex Proclea Clytii filia, Caletoris sorore: Proclea mortua duxisse alteram uxorem Philonomen (vel Polybœan, Eustath. *in Dionys.*) Craugasi filiam: eam in privigni incidisse amorem, sed repulsam passam, Tennem ficta calumnia apud virum suum criminatam fuisse, (tibicine quodam attestante, Heraclid. *de Polit.*) quod invitam ac repugnantem ille stuprare conatus fuisset: Cygnum mendacio fidem habuisse, & juvenem cum sorore (Leucothea, Eustath. *in Dionys.*) in arcam inclusum in mare abjecisse: illos incolumes in insulam expositos, cui ante Leucophrys nomen, sed postea de Tennæ nomine appellata fuit. Sed fraude aliquando detecta, Cygnum ad filium navigasse, quo se illi purgaret, & facti, quod per credulitatem temere commisisset, veniam posceret; cum vero ad insulam appulisset, & ad saxum vel arboris truncum navem religasset, Tennem ira impulsum, bipenni retinacula abscidisse: ex eo in consuetudinem venisse, ut is qui aliquid præfracte negavit, dicatur *ὡς Τενεδίῳ πελέκει τόδε τι ἀποκόψειε*, Pausan. *Phocic.*

p. 634. vide Heraclid. *de Polit.* De hoc proverbio, item aliis, Τενέδιος ξυνήγορος, Τενέδιος αὐλητής, vide Stephan. Τενέδιος ἄνθρωπος, Zenob. Suidas, Eustath. *in Dionys.* Heraclid. *de Polit.* Cognatio quædam inter Tenedios & Teneatas esse videtur a Teno (nam & sic scribitur hoc nomen) Cygni filio, Strabo *l.* VIII. p. 380. Tennem, cum sua tutari vellet, ab Achille occisum memorant Græci, Pausan. *Phocic.* p. 634. vide Diodorum *l.* v. p. 348.

Amaurus pedibus claudus regnavit in Tenedo, Heraclid. *de Polit.*

Pisander Spartanus in Tenedum Æolum coloniam deduxit, Pindar. *Nem.* ode XI. strophe III.

—— Πεισάνδρου πάλαι
Αἷμ' ἀπὸ Σπάρτας. Αμύκλαθεν γὰρ ἔβα σὺν Ορέστᾳ,
Αἰολέων στρατιὰν χαλκεντέων δεῦρ' ἀνάγων.

Hinc Αἰολίδα νῆσον vocat Dionysius Περ. v. 536. seq. Αἰολεῖς Τενέδιοι Αἰολεῦσι τοῖς κτίσασι Βοιωτοῖς κατ' ἀνάγκην ἐμάχοντο, Thucyd. *l.* VII. p. 532. Tenedus urbem habuit Æolida, & portus duos, & Sminthii templum Apollinis, Eustath. *in Dionys.*

Tenedii Atheniensibus vectigales erant, Thucyd. *l.* VII. p. 532. Tenedii ob virium imbecillitatem Alexandrinis, qui in continente Troade fuerunt, se adjunxerunt, Pausan. *Phocic.* p. 634.

LESBII.

XAnthus Triopæ filius Pelasgis, qui ex Argolica venerant, imperans, & potitus quadam Lyciæ parte, tandem in Lesbum insulam incolis vacuam trajecit, & distributo Pelasgis suis agro, insulam ab iis Pelasgiam appellavit, Diodor. *l.* v. p. 346.

Lesbus, post septem deinde ætates, Deucalionis tempore, exorto diluvio, aquarum violentia, desolata fuit, Diodor. *l.* v. p. 346. 347.

Macareus Crinaci F. Jovis nepos, Oleni, quæ urbs tum Iados, postea Achaiæ fuit, habitans, in Lesbum profectus, conspecta insulæ pulcritudine, in ea sibi domicilium posuit. Eique se adjunxerunt Iones multi, & ex aliis populis plurimi. Filias duas habuit, Mytilenen & Methymnam, a quibus primariæ urbes insulæ nomen acceperunt. Et Methymnam quidem uxorem duxit Lesbus, Lapithæ filius, Æoli nepos, Hippotæ pronepos, qui jussu oraculi Pythici in hanc insulam commigravit, novis eo ductis colonis; & ex æquo insulæ particeps factus, nomen insulæ & incolis de se dedit. Macareus præterea in Chium, Samum, Co, & Rhodum colonos, ducibus datis suis filiis, misit, Diodor. *l.* v. p. 347. Clarissima Lesbos, a Chio LXV. M. passuum, Hemerte, & Lasia, Pelasgia, Ægira, Æthiope, Macaria appellata fuit, novem oppidis inclyta, Plin. *l.* v. c. XXXI. sed bis Pyrrham nominat. Post eversam Arisbam, Πεντάπολις Herodoto *l.* I. p. 70. & Eustath. *in Dionys.* Lesbum Achilles cepit, Homer. *Iliad.* I. v. 129.

Orestem coloniam e Lacedæmone Æolensium in Lesbum deduxisse scribit Schol. Pindari *Nem.* ode XI. strophe III. ex ipso Pindaro & Hellanico; sed Orestem in Arcadia mortuum fuisse, cum primus auctor coloniæ Æolicæ deducendæ fuisset, scribit Strabo *l.* XIII. p. 582. Penthilus vero Orestis filius in Lesbum, Æolidis continenti objectam insulam, coloniam deduxit, Pausan. *Lacon.* p. 160. Graus Archelai F. Penthili nepos, in Lesbum trajecit, & insulam occupavit, Strabo *l.* XIII. p. 582. hinc νῆσος Αἰολὶς Λέσβος dicitur Scyl. Caryand. p. 142.

A
Σχεδὸν δέ τι καὶ μητρόπολις ἡ Λέσβος ὑπάρχει τῶν Αἰολικῶν πόλεων, Strabo *l.* XIII. p. 616.

Lesbii, postquam a Persis defecerant, stante Græca classe ad Samum, in societatem & fœdus a Græcis recepti fuerunt, Herodot. *l.* IX. p. 629.

Lesbii socii fuerunt Atheniensium initio belli Peloponnesiaci, Thucyd. *l.* II. p. 105. Sed ingravescente bello, desciverunt, præter Methymnæos, ab Atheniensibus ad Lacedæmonios: & ab Atheniensibus, qui Mytilenen totius insulæ caput oppugnabant, bello petiti, Lacedæmonem Legatos de auxilio miserunt, Thucyd. *l.* III. p. 172. seqq. Et a Lacedæmoniis in fidem recepti fuerunt, Thu-
B
cyd. *l.* III. p. 181. Sed rursus omnes in Atheniensium potestatem redacti fuerunt: & nullum quidem iis tributum fuit impositum, sed agro, Methymnæorum excepto, in tria partium millia diviso, trecentæ quidem eximiæ Diis consecratæ: in reliquas vero coloni de Atheniensibus sortitione facta missi fuerunt, quibus Lesbii certam pecuniæ summam, duas minas, in singulas portiones ex pacto & convento quotannis persolventes, agrum ipsi colerent, Thucyd. *l.* III. p. 206. Lesbii iterum ab Atheniensibus ad Lacedæmonios defecerunt, Thucyd. *l.* VIII. p. 561. seqq.

C
Lesbi urbes omnes, solis Mytilenæis exceptis, cum Lacedæmoniorum partibus addictas comperisset Thrasybulus Atheniensis, coactis copiis, e suis, Mytilenæis & reliquarum urbium exsulibus, Methymnam duxit. Ibi ei Therimachus Lacedæmonius Methymnæ præfectus cum suo milite classiario, & Methymnæis & Mytilenæis exsulibus occurrit: collata manu Therimachus interemptus: cæteri fugientes, multi cæsi fuerunt. Tum a Thrasybulo partim oppida deditione capta, partim ex eorum agris, quæ se non dedebant, præda abacta, unde militi stipendium datum, Xenoph. *Hist. Græc.* *l.* IV. p. 423.

D
Lesbii pene toti Troadi jus dixerunt: & ab iis plurima illic oppida condita fuerunt, Strabo *lib.* XIII. p. 599.

In Lesbum Orphei caput post obitum loquens delatum fertur: id vero ideo fictum est, quod illic post Orpheum optimi quidam viri ac eloquentes, inter quos Arion Methymnæus, Pittacus, Alcæus Poeta, & Sappho, floruerint, Eustath. *in Dionys.* Ἰστέον καὶ ὅτι δοκεῖ οὐκ ἀγαθοὺς ἀνθρώπους ἡ Λέσβος ἐνεγκεῖν, ὅθεν καὶ Λεσβιάσαι τὸ αἰσχρῶς μολῦναι τὸ στόμα κατὰ Αἴλιον Διονύσιον, &c. Eustath. *in Iliad.* I. Lesbii fuerunt Hellanicus Historicus, & Callias Sapphus & Alcæi enarrator, Strabo *l.* XIII. p. 618.

E
Apud Lesbios certamen pulcritudinis fœminarum agebatur in Junonis fano: nomenque isti certamini erat Καλλιστεῖα, Schol. min. *in Iliad.* I.

Arisba urbs Lesbi, nomen accepit ab Arisba Macaris filia; sed Ephorus eam Meropis filiam dicit, & primam Alexandro Priami filio nupsisse, Stephan. Arisbam Methymnæi everterunt. Τὴν ἕκτην ἐν τῇ Λέσβῳ οἰκεομένην Ἀρίσβαν ἠνδραπόδισαν Μεθυμναῖοι, ἐόντας ὁμαίμους, Herodot. *l.* I. p. 70. quæ parum commode vertit Valla: sic reddenda: *Sextam in Lesbo civitatem everterunt Methymnæi, civesque in servitutem abstraxerunt, cum tamen*
F
ipsorum consanguinei essent. Arisbe terrarum motu subversa, Plinius *l.* v. c. XXXI.

Antissa urbs Lesbi, nomen accepit ab Antissa Macaris filia, Stephan. Ἄντισσα δ' ἐφεξῆς ἐστι τῷ Σιγείῳ πόλις, Strabo *l.* XIII. p. 618. Antissa insula olim fuit, ut Myrsilus ait, quod tum Lesbi nomen Issa esset, ita appellata: nunc Antissa urbs Lesbi est, Strabo *l.* I. p. 60. Lycophron Issam Lesbum vocavit: nam Issa una quinque urbium Lesbi est, Eustath. *in Dionys.* Antissam Methymna traxit in seipsam, Plinius *l.* v. c. XXXI.

Eresus urbs Lesbi, ab Ereso Macaris filio appellata, Stephan. Ερεσός dicitur Herodoto, Scylaci & Straboni. Ερεσσὸς Stephano.

Eressii fuerunt Peripatetici, Aristotelis auditores Phanias & Theophrastus, qui ita appellatus fuit ab Aristotele, ad commendandam dictionis ipsius præstantiam, & fugiendam nominis prioris asperitatem, cum Tyrtamus vocaretur, Strabo *l.* XIII. p. 618.

Pyrrha urbs Lesbi. Stephan. Scyl. Caryand. p. 142. Pyrrham & Eressam in potestatem Atheniensium redegit Paches, Thucyd. *l.* III. p. 192. Pyrrha eversa est, suburbium autem habitatur, Strabo *l.* XIII. p. 618. Pyrrha hausta est mari, Plinius *l.* V. c. XXXI.

Methymna urbs in insula Lesbo, nomen accepit a Methymna Macaris filia, Lepydni uxore, Stephan. Μέθυμνα Scylaci p. 142. & Herodoto *l.* I. p. 70. dicitur. Μήθυμνα Stephano, Straboni *l.* XIII. p. 619. & Thucyd. *l.* III. init.

Methymnæus Arion a delphino, cum se in mare abjecisset, insidias secum navigantium fugiens, exceptus fuit, Tænarumque transvectus, Corinthum venit ad Periandrum: vide Herodot. *l.* I. p. 9. 10. Epigramma hoc de eo refert Ælianus *de Animal. l.* XII. c. XLV.

> Αθανάτων πομπαῖσιν Αρίονα Κύκλονος υἱὸν
> Εκ Σικελῦ πελάγους σῶσεν ὄχημα τόδε.

Idem Arionis hymnum χαριστήριον Neptuno decantatum adfert:

> Υψιστε θεῶν πόντιε
> Χρυσοτρίαινα Ποσειδῶν
> Γαιήοχ᾽ ἐγκύμον᾽ ἅλμαν
> ——— βράγχιοι.

Methymnæi, cæteris Lesbiis ab Atheniensibus bello Peloponnesiaco ingravescente deficientibus, soli in fide manserunt, Thucyd *l.* III. p. 172. Ideoque, Lesbiis in potestatem Atheniensium redactis, & agro mulctatis, suum retinuerunt, Thucyd. *l.* III. p. 206.

Cleommis Methymnæ Princeps, honestus, bonus & prudens, Isocrat. *Epist. ad Timoth.*

Mytilene urbs Lesbi maxima, nomen accepit a Mytilene Macaris aut Pelopis filia; vel a Mytile conditore; vel a Mytone Neptuni & Mytilenes filio, unde Callimachus Lesbum vocat Μυτωνίδα: at Parthenius Lesbios Μυτωνίδας appellat, Stephan. Μυτιλήνη Stephano: Μιτυλήνη Thucydidi, Scylaci, Plutarcho & Straboni dicitur. Mytilenem totam insulam appellatam fuisse scribit Eustath. *in Iliad.* I. Libera Mytilene annis 10. potens, Plinius *lib.* V. c. XXXI.

Mytilenæi de Sigæo, sua colonia, armis contra Athenienses decertarunt; vide in *Atheniens. Pisistratus.* Pittacus Mytilenæus, de VII. Sapientibus unus, classe adversus Phrynonem Atheniensium ducem profectus, bellum varia fortuna gessit. Tandem Pittacus a Phrynone ad singulare certamen provocatus, piscatorio usus apparatu cum eo congressus, eum reti induit, tridente vero & pugione confossum interemit, Strabo *l.* XIII. p. 600 Plutarch. *de malign. Herodoti* p. 669. B. Alcæus Poeta in quadam pugna vincentibus Atheniensibus, cum fugæ se dedisset, abjectis armis, evasit quidem; sed armis ejus Athenienses potiti, ea ad Minervæ templum in Sigeo suspenderunt. Eam rem Alcæus carmine exposuit, & Mytilenæ reposuit, suam calamitatem Menalippo sodali questus, Herodot. *l.* V. p. 370. Strabo *l.* XIII. p. 600.

Mytilenes Tyrannum Darius Rex Persarum constituit Coen Mitylenæum, memor consilii ab ipso dati: vide in *Ionibus.*

Mytilenæi, postquam ab Atheniensibus ad Lacedæmonios bello Peloponnesiaco defecerant, ab Atheniensibus oppugnati, cum auxilia Lacedæmoniorum frustra exspectassent, & commeatus in urbe deficeret, cum Pachete Atheniensium duce pacti sunt, ut Athenienses pro arbitrio de Mytilenæis statuerent, utque Mytilenæi exercitum in urbem reciperent, Legatosque Athenas sui causa mitterent: interim Paches neminem vel vinciret, vel in servitutem redigeret, vel occideret. Qui vero Mytilenæorum sibi conscii erant potissimum initæ defectionis, ii sibi metuentes, ingresso in urbem exercitu, ad aras consederunt. Eos Paches illinc excitatos, quo ab injuria tuti essent, in Tenedum custodiendos transmisit, donec Athenienses de iis aliquid statuissent, Thucyd. *l.* III. p. 172. seqq. & 188. 189. Decretum vero factum fuit ab Atheniensibus, de trucidandis omnibus puberibus Mytilenæis; sed rescissum id postea fuit, unaque die citius hoc perlatum fuit ad imperatores, quam ii mandata exsequi inciperent, Strabo *l.* XIII. p. 618. vide Thucyd. *l.* III. p. 192. seqq. Præcipui defectionis auctores postea decreto Atheniensium occisi fuerunt, qui paulo plures numero erant, quam mille. Mytilenæi vero muros demoliri & naves tradere coacti sunt. Oppida etiam, quotquot in continenti in sua potestate habebant, per deditionem ab Atheniensibus capta, postea Atheniensium imperio paruerunt, Thucyd. *l.* III. p. 206. Ea oppida Trojæ nomine comprehendit Strabo *l.* XIII. p. 600. Mytilene, cum iterum Lesbii ab Atheniensibus defecissent, ab Atheniensibus recepta fuit, Thucydid. *l.* VIII. p. 561. seqq. & 570.

HECATONNESII.

ÆOlum civitas una erat ἐν τῇσι ἑκατὸν νήσοισι καλεομένῃσι, Herodot. *l.* I. p. 70. Εκατόννησοι autem vocabantur insulæ parvæ viginti circa Lesbum, ut Strabo ait, ab Hecato Apolline: in iis enim locis summopere colitur Smintheus, Cillæus, Gryneus, Stephan. Κατὰ δὲ τὸν πορθμὸν τὸν μεταξὺ τῆς Ασίας καὶ τῆς Λέσβου νησία ἐστὶ περὶ εἴκοσι, ὡς δὲ Τιμοσθένης φησὶ, τετταράκοντα. — ὥστε Εκατόννησοί εἰσιν, οἷον Απολλώνησοι. Εκατος γὰρ ὁ Απόλλων. παρὰ πᾶσαν γὰρ τὴν παραλίαν ταύτην ὁ Απόλλων ἐκτετίμηται μέχρι Τενέδου, Σμινθεὺς, ἢ Κιλλαῖος καλούμενος, ἢ Γρυνεὺς, ἤ τινα ἄλλην ἐπωνυμίαν ἔχων, Strabo *l.* XIII. p. 618.

Insulani ad CIMMERIUM BOSPORUM.

INtra Mæotidem immensa insula est, quam vocant Tauricam, in qua sunt Phænagora & Hermionassa urbes, Ionum (sic lego Ιώνων pro Παιόνων) coloniæ: quarum duces fuere Phænagoras quidam, & Hermon, a quibus denominatæ sunt urbes. Arrianus vero scribit Phænagoriam conditam a Phænagora Tio, calumnias Persarum fugiente. Porro Hermionassa uxor fuit Semandri Mytilenæi cujusdam, qui cum Æoles quosdam in colonias traduceret, & in urbe condenda obiisset, ejus uxor urbi occupatæ de se nomen dedit, Eustath. *in Dionys.* Περ. v. 549. seqq.

> Κιμμέριον δ᾽ ἄρα τοι διὰ Βόσπορον ἰθὺς ἰόντι
> Αλλη ἀπειρεσίη νῆσος πέλει, ἥ ῥά τε λίμνης
> Ενθάδε δεξιτερῇ Μαιώτιδος ἐστήρικται.
> Ης ἔπι Φαναγόρη τε καὶ εὔκτυπος Ερμώνασσα,
> Ενθα τε ναιετάουσιν Ιωνίδος ἔκγονοι αἴης.

CHII.

Neptunus in desertam insulam venit: ibi Nympha ab eo compressa cum parturiret, nix (χιών) de cælo effusa fuit: e rei eventu puer editus Chius nomen accepit, Pausan. *Achaic.* p. 404. ex Ione Tragico. Samo par claritate, cum oppido, Chios libera, quam Æthaliam Ephorus prisco nomine appellat: Metrodorus & Cleobulus Chiam a Chione Nympha: aliqui a nive, & Macrin, & Pityusam, Plin. *l.* v. c. XXXI.

Oenopion e Creta in Chion insulam cum filiis, Talo, Euanthe, Melane, Salago, & Athamante appulit. Eo regnante Cares eodem venerunt, & Abantes ex Eubœa, Pausan. *Achaic.* p. 404. ex Ione Tragico.

Amphiclus ab Hestiæa Eubœæ, oraculi Delphici monitu, Oenopioni & filiis in regnum successit. Hector Amphicli pronepos fuit; is regno inito, cum Caribus & Abantibus insulæ inquilinis bello suscepto, alios in præliis occidit, alios sub conditionibus insula excedere coegit. Compositis demum Chii rebus, in memoriam Hectori redit, oportere Chios communibus sacris cum Ionibus in Panionium censeri; ajuntque Hectorem a Concilio Ionico tripodem virtutis præmium accepisse, Pausan. *Achaic.* p. 404. Ita Chius una fuit XII. urbium Ionicarum, eadem lingua cum Erythræis utens: vide in *Ionibus*.

Chii & Milesii mutuam inter se opem tulerunt: vide in *Milesiis*.

Chii aliquando classem habuerunt, & imperium maris affectarunt, ac libertatem, Strabo *l.* XIV. p. 645. Χῖοι μόνοι μετὰ Λακεδαιμονίους, ὧν ἐγὼ ᾐσθόμην, εὐδαιμονήσαντες, ἅμα καὶ ἐσωφρόνησαν, καὶ ὅσῳ ἐπεδίδου ἡ πόλις αὐτοῖς τὸ μεῖζον, τόσῳ καὶ ἐκοσμοῦντο ἐχυρώτερον, Thucyd. *l.* VIII. p. 572. Duas naves & duo navigia quinquagenum remorum Græcis præbuerunt in pugna navali ad Artemisium: item ad Salaminem, Herodot. *l.* VIII. p. 528. 543. Centum naves præbuerunt, cum defecissent a Persis: vide in *Ionibus*.

Stratias Chiorum Tyrannus auctoritate apud Darium Persarum Regem floruit, Herodot. *l.* IV. p. 305. De Stratte Chiorum Tyranno occidendo Chii septem conspirarunt: conspiratione per unum ex ipsis detecta, cæteri sex fuga Spartam evaserunt, & inde in Æginam se contulerunt, quo tempore classis Græca illic stabat, ad sollicitandos Græcos de Ionia liberanda: quos ægre exoratos Delon usque perduxerunt: nam ulteriora omnia Græcis formidolosa erant: cum locorum ignaris, tum plena hostium omnia, & æque procul abesse Samum ac Herculis Columnas credentibus, Herodot. *l.* VIII. p. 576. 577.

Chii cum Ionia socii fuerunt Atheniensium in bello Peloponnesiaco, Thucyd. *l.* II. p. 105. Sed Chii & Erythræi ab Atheniensibus ad Lacedæmonios defecerunt, Thucyd. *l.* VIII. p. 561. 556. Chii vero aliquot præliis ab Atheniensibus victi, ultra prodire ausi non fuerunt. Ita ager eorum cultus egregie, & a bello Persico in id tempus illæsus, fuit ab Atheniensibus vastatus, Thucyd. *lib.* VIII. p. 571. 572.

Chios primos servis usos fuisse ferunt, Eustath. *in Dionys.* Περ.

Chii fuerunt Ion Tragicus, Theopompus Historicus, & Theocritus Sophista, Strabo *l.* XIV. p. 645.

SAMII.

Phœnix e Perimeda Oceani filia genuit Astypalæan & Europen. Astypalæa e Neptuno peperit Ancæum. Ancæus Lelegibus (in insula, quæ post Samus dicta fuit) imperavit, & amnis Mæandri filia Samia uxore ducta, pater fuit Perilai, Enudi, Sami, Alitherſæ, & filiæ Parthenopes. Parthenope Apollini Lycomedem peperit, Pausan. *Achaic.* p. 402. ex Asio Amphiptolemi filio Samio. Vocabatur vero hæc insula prius Parthenias, (a fluvio Parthenio) cum in ea Cares habitarent: deinde Anthemus: post Melamphylos: demum Samus, sive a quodam indigena Heroe, sive ex Ithaca & Cephallenia huc coloniam deducente, Strabo *l.* XIV. p. 637. vide & *l.* X. p. 457. & Eustath. in *Dionys.* Περ. Παρθενία δὲ ἡ Σάμος ἀπὸ Παρθενίας τῆς Σάμου γυναικὸς ὠνομάσθη, Tarrhæus apud Schol. Apollon. *Argon. l.* I. v. 187. Ἡ νῆσος αὕτη ὀνομασίαν ἔσχε τοῦ καλεῖσθαι Σάμος ἀπὸ Ἀγκαίου (legitur mendose Αἰγαίου) καὶ Σαμίας τῆς Μαιάνδρου τοῦ ποταμοῦ θυγατρός. ἢ διὰ τὸ ὑψηλὸν τῆς νήσου καὶ ἀποκρημνον. Οἱ γὰρ παλαιοὶ Ἕλληνες σάμον τὸν ὑψηλὸν ἐκάλουν τόπον, Constantin. *l.* I. *Themat.* XVI. Jamblichus scribit Ancæum Sames Cephalleniæ civem, collectis undecunque e Græcia coloniis, urbem Samon condidisse in insula, quæ prius Melamphylos, postea Samos ab ipsa urbe dicta fuit. Oraculum de deducenda colonia hoc acceperat;

> Ἀγκαῖ' εἰναλίαν νῆσον Σάμον ἀντὶ Σάμης δὲ
> Οἰκίζειν κέλομαι, Φυλλὰς δ' ὀνομάζεται αὕτη.

Samon liberam, Partheniam primum appellatam Aristoteles tradit: postea Dryusan, deinde Anthemusan: Aristocritus adjicit Melamphyllum, dein Cyparissiam: alii Parthenoarusan, Stephanen, Plin. *l.* v. c. XXXI. Ἡ δὲ νῆσος Παρθενία, ὕστερον δὲ Δρυοῦσα, (vocata fuit) Heracl. *de Politiis.* Parthenius appellatus fuit fluvius, qui prius Imbrasus, διὰ τὸ ἐκεῖ παρθένον οὖσαν τραφῆναι τὴν Ἥραν, Schol. Apoll. *d. l.*

Aristoteles auctor est Ancæum agriculturæ studiosum fuisse, & cum vineam plantaret, gravem servis incubuisse: eorum vero unum dixisse, herum fructum non percepturum; Ancæum vero, maturo jam fructu, lætum vindemiasse, jussisseque servum illum sibi vinum fundere, & admoturum ori calicem, revocasse servo, quæ dixerat, in memoriam: servum vero dixisse;

> Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.

Cumque hæc nondum eloquutus, venisse quendam, nunciantem aprum ingentis magnitudinis vineam vastare: ibi Ancæum rejecto potu, in aprum impetum fecisse, sed ictum ab eo periisse: unde proverbium ἐπὶ τῶν παρὰ προσδοκίαν τι πραττόντων, Schol. Apollon. *d. l.* vide & Heraclid. *de Polit.*

Procles Pityrei F. Epidaurius, genus ducens ab Ione Xuthi F. ejectos ex Epidauria terra a Deiphonte & Argivis Epidaurios in Samum deduxit: incolæ vero Sami, vi potius coacti, quam benevolentia adducti, in penatium suorum societatem eos receperunt, Pausan. *Achaic.* p. 403. Σάμον δὲ Τυμβρίων, εἶθ' ὕστερον Προκλῆς, Strabo *l.* XIV. p. 633. In Samum quoque commigravit Hippasus Phliasius, Phliunte a Rhegnida occupata. Ejus pronepos fuit Pythagoras ὁ λεγόμενος γενέσθαι σοφός: nam Euphron Hippasi filius, pater Mnesarchi fuit, Mnesarchus vero pater Pythagoræ, Pausan. *Corinth.* p. 108.

Leogorus Proclis F. patri in regno Samiorum successit. Ei bellum intulerunt Ephesii, duce An-

droclo: & prælio quidem victos Samios insula expulerunt, illud crimini dantes, quod cum Caribus de bello Ionibus inferendo consilia agitassent. Profugorum e Samo pars in Thraciæ insulam, quæ olim Dardania, post ab ipsis Samothrace appellata est, coloniam deduxerunt. At qui Leogorum sequuti sunt, ii ad Anæan in adversa continenti terra castello excitato, decimo post anno in Samum regressi, pulsis Ephesiis, insulam receperunt, Paus. *Achaic.* p.403.

Samii Lacedæmoniis contra Messenios naves auxilio miserunt, Herodot. *l.* III.p.204.

Samii Corcyræos pueros, quos Periander Corinthius Sardes castrandos ad Alyatten miserat, Samum delatos, Corcyram incolumes reduxerunt, Herodot. *lib.* III. p. 204.295. vide in *Corinth. Periand.*

Samii craterem a Crœso, & thoracem ab Amasi, illo Lydorum, hoc Ægypti Rege, missum Lacedæmoniis, interceperunt, Herodot. *lib.* III. p. 204.

Samum Polycrates Æacis filius, regnante Cambyse, vi occupavit, fratresque Pantagnotum & Sylosontem in tyrannidis societatem initio accepit; sed deinde Pantagnoto necato, & Sylosonte pulso, solus Samo potitus fuit. Is cum Amasi Rege Ægypti fœdus hospitii iniit, datis acceptisque mutuo muneribus. Brevique ejus res adeo creverunt, ut per Ioniam reliquamque Græciam in ore omnium essent. Quocunque enim arma circumferret, ex voto illi cesserunt omnia: habuitque classem centum navium quinquagenis remis instructarum, mille præterea sagittarios: invasitque omnes sine discrimine, jactans se majorem gratiam amico facere, si quæ abstulisset, ei redderet, quam si nihil ab initio abstulisset. Multas itaque insulas, multa in continente oppida cepit, Herodot. *l.* III.p. 200 201. Rheneam vero subactam Apollini Delio consecravit, Thucyd. *l.* I.p.11. Lesbios etiam totis viribus opem Milesiis ferentes, navali prælio superatos comprehendit, quos vinctos omnem fossam Sami mœnia ambientem fodere coegit. Polycrates tantis gaudens successibus, monitus ab Amasi, ut eam fortunæ blandientis felicitatem aliquo dolore temperaret, gemmam Smaragdum, qua literas signabat, auro inclusam, opus Theodori Samii Teleclis F. in mare abjecit, ut rei carissimæ amissæ dolore angeretur. Ea gemma non multo post in piscis, Polycrati dati, alvo, cum dissecaretur, reperta fuit. Totam rem ad Amasin in Ægyptum perscripsit Polycrates: quam secum diligentius perpendens Amasis, Polycrati jus hospitii renunciavit, ne vicem hospitis dolere cogeretur, si quid gravius accidisset Polycrati, quem omnino tandem sors tristis exceptura videbatur, Herodot. *l.* III.p. 200. 201.202. vide Strabon. *l.* XIV. p. 637. 638.

Samiorum nonnulli Polycrati suspecti fuerunt, quod novis rebus studerent: eos quadraginta navibus impositos ad Cambysen arma in Ægyptum moventem, specie auxiliorum misit Polycrates, non redituros. Illi vero cum in Carpathio mari navigarent, re deliberata, non ultra ire decreverunt. Vel, ut alii ajunt, cum in Ægyptum venissent, inde redire vetiti, fuga evaserunt, Samumque reversi, occurrentem cum classe Polycratem superarunt; sed inde cum in terram descendissent, pugna pedestri commissa victi, Lacedæmonem navigarunt. Ibi quum Principes adirent, ac multa, more supplicum, commemorarent, primo congressu responderunt Spartani, se quidem priorum, quæ illi dixissent, non meminisse, posteriora vero non intelligere. Altero congressu Samii nihil dixerunt, nisi panarium, quod attulerant, pane indigere. Quibus responsum fuit, ipsos panario supervacaneam orationem curiose addidisse. Ferendam tamen illis opem censuerunt: sive memoria auxilii contra Messenios missi, sive animo ulciscendi Samios ob interceptum Crœsi craterem & Amasis thoracem. Hujus expeditionis socios se alacres præbuerunt Corinthii ob injuriam, quam se accepisse interpretabantur, remissis Corcyræorum pueris in Corcyram, Herodot. *lib.* III. pag. 203. 204. 205.

Samum Lacedæmonii magna cum classe obsederunt, muroque succedentes, turrim mari imminentem ad suburbium conscenderunt. Sed ipso Polycrate magna cum manu opem ferente, inde dejecti fuerunt. At qui a superiori turri, quæ in tergo montis sita erat, eruperant, tum auxiliarii, tum Samiorum plurimi, cum aliquantisper Lacedæmonios sustinuissent, in fugam versi, ab hoste insequente cæsi fuerunt. Ibi Archias & Lycopas Spartani soli cum Samiis ad mœnia se recipientibus, irrumpentes, interclusa ad redeundum via, intra urbem occubuerunt. Archiæ a Samiis publice funus factum fuit, ejusque filius suo filio Samii nomen indidit, quod Archias Sami strenue pugnans cecidisset. Lacedæmonii quadraginta diebus in obsidione consumptis, cum parum res suscepta succederet, in Peloponnesum redierunt. Sunt qui tradant Polycratem magnam copiam monetæ patriæ e plumbo cusam auroque inductam Lacedæmoniis dedisse: qua accepta illi recesserint. At Samii, qui arma Polycrati intulerant, ubi se a Lacedæmoniis proditos animadverterunt, ipsi, pecuniæ inopia, in Siphnum transmiserunt, Herodot. *l.* III.p.207.208.

Samum non acquisitam Regi Persarum, Orœti Sardium præsidi, cujus provinciæ ea adjacebat, in jurgio objectum fuit a Mitrobate Dascylii præfecto. Ibi Orœti incessit cupiditas Polycratem occidendi, cujus causa male audisset. Cumque Orœtes non ignoraret quantas animo agitaret res Polycrates, quodque jam spem concepisset non tantum maris, sed etiam Ioniæ & Insularum imperii potiundi: misit ad eum Lydum quendam Myrsum Gygis filium, qui pecuniam offerret, nervum rerum gerendarum, simulatoque metu Cambysis petiit se una cum pecunia in fidem a Polycrate recipi. Polycrates, ut erat pecuniæ avidus, ad Orœtem misit ad rem inspiciendam Mæandrum Mæandrii filium popularem suum ac scribam. Huic Orœtes octo scrinia ostendit, quæ lapidibus complerat ad ipsas pene oras, sed lapidum superficiem auro induxerat. Ipse ergo Polycrates Magnesiam ad Orœtem cum oraculis, tum amicis dissuadentibus profectus est: neque filiæ preces & somnium ab incepto eum avertere potuere, quæ sibi per quietem videre visa fuit, patrem in aere sublimem a Jove lavari, a sole inungi. Polycratem vero Orœtes cruci suffixum tetra morte affecit, Herodot. *l.* III. p. 236. Cum Polycrate vixit Anacreon Poeta, *καὶ δὴ πᾶσα ἡ ποίησις πλήρης ἐστὶ τῆς περὶ αὐτοῦ μνήμης*, Strabo *l.* XIV. p.638. Polycrate regnante ferunt Pythagoram, cum gliscentem in patria videret tyrannidem, relicta Samo in Ægyptum & Babylonem *φιλομαθίας χάριν* abiisse: cumque reversus durantem tyrannidem animadverteret, in Italiam navigasse, atque ibi vitæ reliquum confecisse, Strabo *l.* XIV. p 638.

Sami procurationem a Polycrate acceperat Mæandrus Mæandrii filius. Is ubi Polycratem mortuum fuisse cognovit, primum Jovi liberatori aram statuit, eique fanum in circuitu designavit, Herodot. *l.* III.p.246.247. Et ornamenta conclavis Polycratis omnia templo Junonis dicavit, Herodot. *l.* III. p. 238. Deinde advocata civium concione,

Rempublicam illis tradere constituit : hoc ab ipsis tantum postulans honoris, ut e pecunia Polycratis sex talenta sibi acciperet, & præterea Jovis Liberatoris, cui templum struxisset, sacerdotio perpetuo cum liberis suis potiretur. At Telescarchus quidam, vir inter cives spectatus, hæc ejus postulata excipiens, non tantum indignum imperio, quippe malum ac perniciosum hominem eum esse clamavit, sed etiam ab eo rationem pecuniæ, quam intervertisset, reddendam censuit. Tum Mæandrus secum reputans, fore, ut si ipse dominatum deponeret, alius Tyrannidem occuparet : ipse dominatum retinuit, & in arcem regressus, accitos, quibus se rationem pecuniæ redditurum simulabat, cepit ac vinxit. Posthæc cum Mæandrus in morbum incidisset, ejusque frater Lycaretus decessurum e morbo putaret, eos vinctos omnes interemit, quo facilius dominatum Samii consequeretur, Herodot. *l.* III. p.246. 247.

Samum interea postulavit a Dario Syloson Polycratis frater sibi restitui, sed sine cæde ac direptione : nec difficilem in sua vota Darium habuit, quippe qui, Sylosonte suggerente, meminerat se privatum Cambysis satellitem in Memphitico foro a Sylosonte, patria extorri, aliquando donatum fuisse amiculo rutilo, quod magnopere cupierat. Otani itaque datur Syloson reducendus. Is ubi contracto exercitu Samum venit, omnia pacata deprehendit : nam & Mæandrius cum suis militibus se fide data insula cedere paratum esse ostendit. Quod cum approbasset Otanes, spectatissimi quique Persarum sellis positis e regione arcis consederunt. Ibi Charileus Mæandri frater vecordiusculus, qui ob nescio quod delictum in subterranea fossa vinctus detinebatur, petito fratris colloquio, conviciis ac maledictis fratrem eo perpulit, ut pateretur Charileum, cunctis auxiliariis armatis, in Persas securos, & nihil tale metuentes impetum facere, & eos, qui consederant, interficere. Mæandrius interim per occultum, quem foderat, cuniculum ex arce in mare ferentem e Samo excessit. Mox Persarum copiæ suis auxilio adfuerunt, qui auxiliarios istos intra arcem rursus compulerunt : Otanesque, oblitus præceptorum Darii, ut sine cæde Sylosonti Samum traderet, cladis acceptæ indignatione Persas in Samios, nullo sexus aut ætatis discrimine, sævire jussit. Ita Persæ Samum direptam ac viris desolatam Sylosonti restituerunt, Herodot. *l.* III. p.245.246.247.248. 249. Syloson imperavit acerbe : unde factum ut viri urbem desererent, & proverbio locus datus sit, ἕκητι Συλοσῶντος εὐρυχωρίη, Strabo *l.* XIV. p. 638. vide Heraclid. *de Polit.* Mæandrius Lacedæmonem navigavit, unde suadente Cleomene Anaxandridæ filio, ab Ephoris abire jussus fuit, Herodot. *l.* III. p. 249. vide in *Lacedæmon. Cleomenes.*

Sami principatu exsutus fuit ab Aristagora Æaces Sylosontis F. Herodot. *l.* VI. p. 385.

Samii duces in pugna navali contra Persas perfide egerunt : vide in *Ionibus*. Id Samiis, quibus res lautior fuit, adeo non probatum fuit, ut re post pugnam deliberata constituerint prius in coloniam abire, quam in Samum Tyrannus Æaces rediret. Itaque cum Milesiis, qui effugerant in Siciliam navigarunt, invitati eo a Zanclæis, qui Ionum urbem Pulcrum littus condere cogitabant, Herodot. *l.* VI. p. 388.

Æacem Phœnices, jubentibus Persis, tanquam de se bene meritum, Samum reduxerunt, Herodot. *l.* VI. p. 389.

Theomestor Androdamantis filius Samius Sami Tyrannidem consequutus fuit, ob rem bene gestam adversus Græcos in pugna ad Salaminem, Herodot. *l.* VIII. p. 557. Clam eo ac Persis, Samii Legati Lampon Thrasyclei F. & Athenagoras Archestratidæ F. & Hegesistratus Aristagoræ F. a Samiis missi ad Græcos venerunt, cum ad Delon Græca classis staret. Ibi Hegesistratus inter alia multa dixit, fore ut Iones, visis Græcis modo, a Persis deficerent, nec Barbari Græcos sustinerent : deinde Deos communes obtestatus, incitavit ad liberandam Græciam, & ultionem Barbari : nec difficile id fore, quod naves haberent Barbari & segnes ad cursum, & Græcis impares ad prælium. Porro ne quid doli quisquam subesse suspicaretur, se atque collegas obsidum loco in navibus Græcorum mansuros. Hæc & id genus multa dicentem Leutychides interfatus, Samie, inquit, hospes, quod tibi nomen est? & respondente, Hegesistratus : excipiens, accipio, inquit pro augurio Hegesistratum : (exercitus ductorem) Hospes Samie, effice ut navigemus, data per te & collegas fide, Samios paratos fore ad ineundam nobiscum societatem. Tum jurejurando sancita fide, reliquis Samiis domum remissis, is, cujus nomen pro augurio acceptum fuit, cum Leutychide navigare jussus fuit, Herodot. *l.* IX. p. 622. 623. Samiis ergo in pugna navali ad Mycalen arma ademerunt Persæ; sed inclinata re Samii Græcis suppetias tulerunt : vide in *Ionibus*.

Samii & Milesii de Priene bello contenderunt. (in Diodor. *l.* XII. p. 88. legitur Σάμιοι μὲν πρὸς Μιλησίους περὶ εἰρήνης ἀμφισβητήσαντες, εἰς πόλεμον κατέστησαν : mendose : lege Πριήνης pro εἰρήνης) Milesii cum Samiis impares essent, Athenas profecti Samios acccusarunt : adjuti etiam a nonnullis Samiis privatis hominibus, qui rerum novarum studio Remp. immutatam cupiebant. Athenienses classe XL navium in Samum profecti, statu populari illic constituto, & obsidibus a Samiis acceptis, L. pueris, totidemque viris, quos in Lemno deposuerunt, relicto præsidio abierunt. At Samiorum nonnulli, qui statu popularis odio in continentem fugerant, cum potentissimis quibusque civibus, & Pissuthne Hystaspis filio Sardium Prætore inita societate, coactis IↃCC. circiter auxiliariis militibus sub noctem in Samum trajecerunt: deinde iis, qui factionis popularis erant, in suam redactis potestatem, & subreptis e Lemno suis obsidibus, defecerunt ab Atheniensibus, eorumque præsidium cum præfectis Pissuthnæ tradiderunt. Mox in Miletum expeditionem pararunt. Cum autem ad insulam Tragiam LXX. ipsorum naves, XLIV. Atheniensium occurrissent, commissa pugna victi fuerunt ab Atheniensibus : qui, accepto novo auxilio ab Athenis, Chiis & Lesbiis LXV. navium, exscensu e navibus in terram facto, pugnaque pedestri victores, Samum tribus munitionibus, & a mari obsederunt. Sed dum Pericles cum LX. & Stesagoras cum V. navibus, & alii contra Phœnicum classem navigant, interim Samii erumpentes e navibus, & castra nullis munitionibus septa aggressi, naves quæ pro castris in statione manebant, profligarunt, cæterasque, quæ in aciem contra se educebantur, prælio navali superarunt : adeoque maris, finibus suis proximi, imperio per XIV. ferme dies potiti sunt. Sed redeunte Pericle, & deinde Athenis cum aliis XL. navibus Thucydide & Collegis, & ex Chio ac Lesbo aliis, advenientibus, Samii quidem navali commissa pugna, cum diutius obsidionem tolerare non possent, expugnati fuerunt nono mense : seque Atheniensibus iis conditionibus dediderunt, ut muros demolirentur, obsides darent, naves traderent, impensas belli præstarent, & pecuniam imperatam statis temporibus penderent, Thucydid. *l.* I. p. 74. 75. Τοὺς γε μὴν ἁλισκομένους αἰχμαλώτους Σαμίων ςίζειν κατὰ τοῦ προσώπου, καὶ εἶναι τὸ ςίγ-

μα γλαῦκα, καὶ τοῦτο Αττικὸν ψήφισμα, Ælian. *Var.* *l.* II. c. IX. Athenienses cum misso Pericle Prætore, & una Sophocle Poeta rebellantes Samios obsidione gravi afflixissent, postea etiam de suis CIↃ CIↃ. colonos eo miserunt, quos inter Neocles fuit Epicuri Philosophi pater, magister ludi literarii: ajuntque Epicurum Sami educatum & in Teo, sed pubertatem Athenis egisse, & æqualem habuisse Menandrum Comicum, Strabo *l.* XIV. p. 638.

Samia plebs una cum Atheniensibus, qui illic erant cum tribus navibus, adversus nobiles arma sumpsit, atque ex iis ducentos interfecit: & quadringentis exsilio mulctatis, agros illorum ac domos inter se distribuit. Athenienses postea iis, ut quibus fiderent, decreto facto, permiserunt, ut sui juris essent, suisque legibus viverent, Thucydid. *l.* VIII. p. 569. Theagenem Samium, ingeniosum quidem, sed vitæ dissolutæ, & malum, patria profugum, cum Athenis apud Euripidem degeret, & corrupta ejus uxore, adjutorem sibi nactus esset, persuasisse Atheniensibus ut in Samum bis mille milites mitterent; qui illuc delati omnes Samios expulerint, scribit Heraclides *de Politiis*.

Samii a Tyrannis exhausti, civium inopia, jus civitatis, pro V. stateribus, servis concesserunt, ut Aristoteles in *Samiorum Rep.* ait, Suidas *in* Σαμίων ὁ δῆμος.

Apud Samios primos inventæ fuerunt XXIV. literæ a Callistrato, ut Andron in *Tripode* scribit, Suidas *in* Σαμίων ὁ δῆμος.

Samus, ut vino non felix est, ita omnibus aliis rebus abundat: Ως δῆλον ἔκ τε τοῦ περιμάχητον γενέσθαι, καὶ ἐκ τοῦ τὰς ἐπαινοῦντας ἐφαρμόττειν αὐτῇ τὴν λεγομένην παροιμίαν, ὅτι φέρει καὶ ὀρνίθων γάλα, Strabo *l.* XIV. p. 637.

Samius fuit Creophylus, quem ajunt Homero aliquando hospitium præbuisse, & dono ab eo accepisse poema Οἰχαλίας ἅλωσιν. Contra Callimachus ostendit Creophylum ejus auctorem esse, sed Homero attributum ob hospitium: quidam eum Homeri magistrum fuisse tradunt: alii Aristean Proconnesium, Strabo *l.* XIV. p. 638.

SERIPHII.

Seriphus insula una Sporadum, Stephan. inter Cycladas recensetur ab Eustathio *in Dionys.*

Seriphum tenuerunt Polydectes & Dictys Magnetis e Naide Nympha filii, Æoli nepotes, Apollod. *l.* I. p. 22. 23. Hi Peristhenis & Androthoes Castore genitæ filii, Damastoris nepotes, Nauplii pronepotes, Neptuni & Amymones Danao natæ abnepotes, dicuntur Scholiastæ Apollon. *Argon. l.* IV. Danaen cum Perseo arcæ ab Acrisio patre inclusam & in mare projectam, & in insulam Seriphum delatam, reti extraxit Dictys, apertaque arca, cum didicisset, quinam essent, domum deduxit, & tanquam consanguineos suos aluit, Schol. Apollon. *d. l.* Polydectes Rex Seriphi Danaes amore ardens, cum ea potiri non posset, convocatis amicis, & cum iis Perseo jam adulto, edixit se ob Hippodamiæ Oenomai filiæ nuptias eranum collecturum, & ab aliis equos poposcit, a Perseo vero Gorgonis caput, Apollod. *lib.* II. p. 48. β. Postquam autem Perseus expedito negotio in Seriphum revertit, matrem & Dictyn Polydectæ metu ad aras confugisse deprehendit. Ibi Regem & amicos aspectu Gorgonei capitis in lapides vertit, & Dictyn Seriphi Regem constituit, Apollod. *l.* II. p. 51. α. Pindar. *Pyth.* ode XII. antistr. I.

Περσεὺς ὁπότε τρίτον ἄ-
 νυσε κασιγνητᾶν μέρος,
Εναλίᾳ Σερίφῳ
Λαοῖσί τε μοῖραν ἄγων.
Ητοι τό, τε θεσπέσιον
Φόρκοι ἀμαύρωσεν γένος,
Λυγρόν τ' ἔρανον Πολυδέκτᾳ
Θῆκε, ματρός τ' ἔμπεδον
Δουλοσύναν, τό, τ' ἀναγκαῖον λέχος,
Εὐπαράου κρᾶτα συλήσας Μεδοίσας.

Hanc fabulam explicat Strabo: Οὕτως δ' ἐστὶ πετρώδης ἡ νῆσος, ὥστε ὑπὸ τῆς Γοργόνος τοῦτο παθεῖν αὐτὴν φασὶν οἱ κωμῳδοῦντες, *l.* X. p. 487.

Seriphii ab Atheniensibus Iones fuerunt, Herodot. *l.* VIII. p. 544.

Seriphii in pugna ad Salaminem Græcis unam navem quinquaginta remorum miserunt, Herodot. *l.* VIII. p. 544.

ANDRII.

Andrus insula una Cycladum, nomen accepit ab Andro Eurymachi, vel Ananiæ ejus fratris filio: quidam eum Andrieum vocant, Ananiæ filium, Stephan.

Andrii Medorum partes in bello adversus Græcos sequuti sunt, Herodot. *l.* VIII. p. 369.

Andrii insulanorum primi pecuniam exigenti Themistocli dare renuebant, eique prætendenti, Athenienses adesse cum duobus magnis Numinibus, Suadela & Necessitate, Πειθοῖ τε καὶ Αναγκαίῃ) ideoque dandam utique pecuniam, respondebant, Athenas merito magnas esse ac opulentas, utilibus Deabus bene instructas; se vero solum inops colere, quod a duabus inutilibus Deabus, Paupertate & Impossibilitate (Πενίῃ τε καὶ Αμηχανίῃ) nunquam deferatur: iisque se obnoxios non daturos pecuniam: neque enim unquam potentiam Atheniensium sua imbecillitate validiorem futuram. Athenienses hoc responso irritati Andrum obsederunt, eo animo ut illam everterent; sed eam expugnare non potuerunt, Herodot. *l.* VII. p. 568. 569. 572.

Andrii coloniam Acanthum duxerunt: vide in *Acanthiis*.

MELII.

Melus insula una Cycladum, urbem ejusdem nominis habens: Phœnices eam primum tenuerunt, unde & Byblus appellata fuit a Byblinis Phœnicibus: item Zephyria, Steph. Melus una Sporadum, in mari Cretico, a Melo quodam appellata, ex Arriani auctoritate, dicitur Eustathio *in Dionys.* Polyanacte Rege mortuo Mnestheus Rex Atheniensium regnasse dicitur Scholiastæ Lycophronis. Mnestheum ab Ilio redeuntem in Melo obiisse scribit Euseb *Chron. Canon.* ad annum IↃCCCXXXV.

Melii Lacedæmoniorum coloni fuerunt, Thucyd. *l.* V. p. 401. Μήλιοι μὲν γένος ἐόντες ἀπὸ Λακεδαίμονος, Herodot. *l.* VIII. p. 544. Melii coloniam deduxerunt Cryassam Cariæ: vide illic.

Melii duas naves quinquagenum remorum Græcis ad Salaminem præbuere, Herodot. *libr.* VIII. pag. 544.

Melios Athenienses, quod neque imperio parere, neque societatem secum inire vellent, subigere constituerunt, Thucyd. *lib.* III. pag. 324. Ac Melii quidem initio, quod in partibus non essent, quie-

quieverunt; at cum ipſorum ager ab Athenienſibus vaſtari cœpit, bellum aperte gerere ipſi cœperunt, Thucyd. *lib.* v. pag. 401. Sed ab Athenienſibus obſeſſi, poſtquam diu ſe ſtrenue defenderant, tandem non ſine proditione quorundam civium, ſe Athenienſibus dediderunt, facta Athenienſibus poteſtate de ſe, quod liberet, ſtatuendi. Athenienſes vero quoſcunque puberes ceperunt, interfecerunt, pueriſque & fœminis in ſervitutem abſtractis, urbem ipſi incoluerunt, miſſis eo poſtea quingentis colonis, Thucyd. *lib.* v. pag. 409. 410.

Melius fuit Diagoras, impietate ſua notus, Euſtath. *in Dionyſ.*

PARII.

PArus inſula, quam & Archilochus in *Epodis* urbem vocat, primum a Cretenſibus habitata fuit, ac paucis quibuſdam Arcadibus: nomen accepiſſe dicitur a Paro, Parrhaſii, viri Arcadis, filio, ut Callimachus ſcribit, Stephan. Πάρον τὴν νῆσον ᾤκισε Πάρος, ἐξ Ἀρκαδίας λαὸν ἄγων, Heraclid. *de Polit.* In Paro Minois filii Eurymedon, Chryſes, Nephelion & Philolaus habitarunt: ii duos e ſociis Herculis interfecerunt: itaque Hercules iratus eos omnes occidit: reliquos Parios intra urbem concluſos obſedit, donec per legatos exoratus, acceptis Androgei filiis, Alcæo, & Sthenelo, ſociorum, qui necati fuerant, loco, ſolveret obſidionem, Apollod. *lib.* II. p. 65. *α*, *β*. Paros marmore nobilis, quam primo Pactiam, poſtea Minoida vocarunt, Plin. *lib.* IV. *cap.* XII.

Parii in Pharum inſulam maris Adriatici, & Parium urbem Helleſponti, & in Thaſum Thraciæ inſulam, colonias deduxerunt: vide ſuis locis.

Parii turbatas res Mileſiorum compoſuerunt: vide in *Mileſiis*.

Parii unam triremem Perſis adduxerunt ad Marathonem: ergo, eos ulciſcendi ſpecie, Miltiades in Parum expeditionem ſuſcepit; ſed re ipſa Miltiades infenſus erat Pariis, quod a Lyſagora Tiſei F. Pario apud Hydarnem Perſam accuſatus fuiſſet. Ac Miltiades quidem Parios intra Mœnia compulſos obſeſſoſque centum talenta popoſcit; illi vero nihil minus quam parere cogitabant, ſed omnem operam ad ſuam urbem defendendam conferebant, adeo ut murum veterem duplo ampliorem redderent, ne nocturnis quidem parcentes laboribus. Miltiades vero conſilii inops, conſuluiſſe fœminam captivam Pariam Timo, Deorum indigenarum antiſtitem,dicitur:ejuſque juſſu acceſſiſſe ad maceriam quandam ante urbem, qua Cereris Legiferæ templum ſepiebatur: cumque fores aperire non poſſet, ſeptum tranſiliiſſe, tranſgreſſuſque ſolarium aſcendiſſe, intus, neſcio quid, facturus: & cum ante fores eſſet, ſubeunte horrore, eadem via revertiſſe, & de maceria deſiliens, femur convulſiſſe. Ita poſt urbis ſex & viginti dierum obſidionem, agrum populatus, re infecta abiit Miltiades. Parii vero Timo ulturi Delphos miſerunt, qui ſciſcitarentur,an ſupplicio affici eam oporteret, quæ capiendæ urbis rationem hoſti detexiſſet, & Miltiadi ea ſacra aperuiſſet, quæ ad virilem ſexum efferri nefas eſſet. Sed vetuit Pythia quicquam in Timo ſtatui, quod illa rerum iſtarum auctor non fuiſset, ſed quia Miltiadi moriendum eſſet, illa malorum ducem ſe ei præbuiſſet, Herodot. *lib.* VI. pag. 431. 432. Atque ita Parii rem geſtam referunt. Ephorus vero apud Stephanum, ſcribit Miltiadem, poſt vaſtatas alias quaſdam inſulas, Parum, quæ tum opulentiſſima ac maxima Cycladum erat, diuturna obſidione cinxiſse, marique eos arcentem, terra, machinis urbem oppugnaſſe: cumque jam cadentibus muris in eo eſſent, ut de dedenda urbe paciſcerentur Parii, ſylva quædam circa Myconon ſua ſponte flammam concepit: illud Parii exiſtimantes ſibi a Dati Medo ſignum dari, a pactis diſceſſerunt, neque urbem Miltiadi dediderunt: unde in proverbium abiit, Ἀναπαριάζειν, de iis qui pacta fallunt, dici ſolitum.

Archilochum Poetam quidam nomine Corax occidit, cui Pythiam dixiſse fuerunt: ἔξιθι νηῦ, illum vero reſpondiſse, ἀλλὰ καθαρός εἰμι ἄναξ. ἐν χειρῶν γὰρ νόμῳ ἔκτεινα, Heraclid. in *Parior. Polit.* Nicol. Kragius noſter edidit ἐκ χειρῶν, vertitque, *Eminus ut lex jubet*: perperam: ἐν χειρῶν νόμῳ eſt *jure belli*: nam in prælio occiſus fuit Archilochus: vide Suidam *in* Ἀρχίλοχος & Plutarch. *de ſera Num. vind.* pag. 288. B. Ἐν χειρῶν νόμῳ ἀπολλύμενοι, Herodot. *lib.* VIII. p. 559. A. Ἐς χειρῶν νόμον ἀπικέσθαι, Herodot. *lib.* IX. pag. 605. D. *ad manus jure belli conſerendas venire.*

DELII.

DElus (inſula una Cycladum) cum olim mari tecta eſset, inſula facta eſt, quo tempore Latona, geminos in utero geſtans, illam ingreſsa fuit, Euſtath. *in Dionyſ.* ex Arriano. Hanc Ariſtoteles ita appellatam tradidit, quoniam repente apparuerit enata, Plin. *lib.* IV. *cap.* XII. vel nomen accepit, ὅτι ἐξ ἀδήλου βάσεως ἐρριζώθη, quod cum incertæ ſedis eſset, firmam radicem conſequuta ſit, Schol. min. *in Iliad.* B. & Euſtath. *in Dionyſ.* Pindar. apud Strabon. *lib.* x. pag. 485.

Ἦν γὰρ τὸ πάροιθεν φορητὰ,
Κύμασί τε, παντοδαπῶν ἀνέμων ῥιπαῖσιν.
Ἀλλ' ἁ Κοιογενὴς ὁπότ' ὠδίνεσσι θυΐοισ' ἀγχιτόκοις ἐπιβαίνειν,
Δὴ τότε τέσσαρες ὀρθαὶ πρέμνων ἀπώρουσαν χθονίων
Ἂν δ' ἐπὶ κρανὰῃ σχεδὸν πέτραι ἀδαμαντοπέδιλοι
κίονες.

Vel ob oraculum, quod illic erat, διὰ τὰς μαντείας δηλοῦσα τὰ δυσεύρετα, Stephan. vel quod ſacra eſſet Apollini, qui idem ſol eſt, δι' οὗ δῆλα γίνεται τὰ περὶ γῆν, Euſtath. *in Odyſſ.* Z. Appellata quoque fuit Cynthus a Cyntho Oceani filio, unde Ἀπόλλων Κύνθιος, Stephan. ſic Κύνθιος ὄχθος apud Homer. *Hymno in Apollin.* v. 17. & Euripid. *Iphig. Taur.* v. 1098. Item Aſterie, Schol. min. Homer. item Pelaſgia & Chlamydia, Stephan. item Ortygia, ex quorundam (quos inter Strabo *lib.* x. pag. 486.) opinione, ἐξ ὀρτύγων, Euſtath. *in Odyſſ.* Z. Sed Ortygiam diverſam a Delo faciunt, Homerus *Hymno in Apollin.* v. 16. & Orpheus *Hymno in Laton.* v. 5. Strabo vero *lib.* XIV. pag. 639. 640. in ora Epheſi maritima Ortygiam collocat, quam vocat διαπρεπὲς ἄλσος παντοδαπῆς ὕλης, κυπαρίττου δὲ πλείστης: fluereque per eam ait Cenchrium fl. ubi ferunt Latonam poſt partum ſe abluiſse: illic enim fabula commemorari partum, & nutricem Ortygiam, & adytum in quo partus editus ſit, & vicinam oleam, cui poſt partum ſe ad quieſcendum applicaverit Dea: & nemori impendere montem Solmiſsum, ubi Curetes ſteterint, armorum ſtrepitu terrentes Junonem e zelotypia inſidiantem, & efficientes ut Latona clanculum pareret. Hæc ille & plura de Ortygia Epheſina. Porro Delum quoque Scythiadem vocatam ait Nicanor: & Zacynthus a quibuſdam, ſed perperam, appellata fuit, Stephan. Æglosthenes Cynthiam, alii Ortygiam, Aſteriam, Lagiam, Chlamydiam, Cynethum, Pyrpilen, igne ibi primum reperto, (appellatam prodiderunt) Plin. *lib.* IV. *cap.* XII. Delum vero Cares olim tenuiſse videntur: cum enim belli Peloponneſiaci tempore Delum Athenienſes luſtrarent, ſublatis ex inſula defunctorum ſepulcris, ultra dimidiam eorum par-

tem Cares inventi fuerunt, cum genere armorum cogniti, quibus cum sepulti fuerant, tum ipso modo, quo tunc etiam sepeliebantur, ut scribit Thucydides *lib.* I. p. 6.

Delus lustrata fuit, oraculi jussu, a Pisistrato Atheniensium Tyranno, hoc modo, ut quatenus prospectus a templo ferebatur, ex omni loco cadavera effossa, in alium insulæ locum transferrentur, Herodot. *lib.* I. pag. 27. Pisistratus lustravit quidem Delum, at non totam; sed tantum insulæ spatium, quantum a templo prospici poterat, Thucydid. *lib.* III. p. 242.

Delii metu Persarum Græciam invadentium, Delo relicta, Tenum confugerunt. Datis vero naves Persicas ne quidem stationem habere ad Delum passus fuit, & misso caduceatore ad Delios, eos animo bono esse jussit, & in insulam redire: se enim, præterquam quod Rex abstinere ab iis & loco injuriam jussisset, sua sponte & ipsos & locum, in quo duo dii geniti essent, conservaturum: deinde cum trecentas turis libras super aram congestas adolevisset, illinc digressus fuit.

Delus statim a Datis digressu tremuit, ἢ πρῶτα ἢ ὕστατα τὰ μέχρι ἐμέο ἐ σεισθεῖσα, ait Herodotus *lib.* VI. pag. 417. De eo motu oraculum editum fuerat:

Κινήσω ἢ Δῆλον, ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν.

Visusque deus eo hominibus ventura mala portendere: nam sub Dario Hystaspis F. & Xerxe Dari F. & Artaxerxe Xerxis F. tribus iis deinceps ætatibus Græcia majoribus obnoxia fuit calamitatibus quam viginti aliis ante Darium: partim a Persis, partim ab ipsis Græciæ principibus de principatu dimicantibus afflicta, Herodot. *lib.* VI. pag. 417. De hoc quoque Deli motu oportet Thucydidem scribere *lib.* II. pag. 104. Ετι δὲ Δῆλος ἐκινήθη ὀλίγῳ πρὸ τούτων, πρότερον οὔπω σεισθεῖσα, ἀφ' οὗ Ἕλληνες μέμνηνται. Illud enim ὀλίγῳ πρὸ τούτων expono, non multis ante annis, sexaginta circiter: neque enim alias illi cum Herodoto conveniet.

Delus diu fluctuata, ut proditur, sola motum terræ non sensit ad M. Varronis ætatem. Mucianus prodidit bis concussam, Plinius *lib.* IV. *cap.* XII. vide Eustath. *in Dionys.*

Delum Athenienses ærarium Græciæ constituerunt, & ut in illius templo conventus fierent edixerunt, Thucydid. *lib.* I. p. 64.

Delus iterum ab Atheniensibus, oraculi jussu, lustrata fuit, & quidem tota hoc modo: quæcunque in Delo defunctorum monumenta erant, omnia sustulerunt, & edixerunt, ne quis in posterum in insula moreretur: tum ne qua mulier illic pareret; sed morituri & parturientes in insulam Rheneam deportarentur, quæ adeo parvo intervallo a Delo distat, ut Rheneam captam Polycrates Apollini Delio consecrarit, catena ad Delum religatam. Athenienses post lustrationem Deliacos ludos instituerunt, Thucydid. *lib.* III. p. 242. Ῥήνεια δ' ἔρημον νησίδιόν ἐστιν ἐν τέτρασι τῆς Δήλου σταδίοις, ὅπου τὰ μνήματα τοῖς Δηλίοις ἐστίν. οὐ γὰρ ἔξεστιν ἐν αὐτῇ τῇ Δήλῳ θάπτειν, οὐδὲ καίειν νεκρόν. οὐκ ἔξεστι δὲ οὐδὲ κύνα ἐν Δήλῳ τρέφειν, Strabo *lib.* X. pag. 486.

Delii ex insula Delo ab Atheniensibus submoti fuerunt, existimantibus ipsos, veteri cuidam piaculari crimini obnoxios, Deo devotos esse: simul hoc sibi restare ad solidam Deli lustrationem, Thucyd. *lib.* V. init.

Delii e Delo submoti Atramytteum in Asia situm, Pharnace dante, coloniam deduxerunt, Thucydid. *lib.* V. pag. 344. & Pausanias *Messen.* pag 268.

Delii reducti in suas sedes fuerunt ab Atheniensibus, reputantibus, & clades in præliis acceptas, & Oraculi Delphici mandatum, Thucydides *lib.* V. p. 366.

Delos olim fuit totius Græciæ emporium, solaque religione munita, contra omnes omnium injurias, incolas tuebatur, Pausan. *Lacon.* pag. 207. Fuit priscis temporibus in Delo frequens Ionum & finitimorum insulanorum conventus, cum uxoribus & liberis illuc ad spectacula coeuntium. Fiebat illic gymnicum musicumque certamen: & a civitatibus saltatorum chori eo mittebantur, Thucydid. *lib.* III. p. 242. Homer. *hym. in Apoll.*

Ἀλλὰ σὺ Δήλῳ Φοῖβε μάλιστ' ἐπιτέρπεαι ἦτορ,
Ἔνθα τοι ἑλκεχίτωνες Ἰάονες ἠγερέθονται,
Αὐτοῖς σὺν παίδεσσι, καὶ αἰδοίης ἀλόχοισιν.
Οἱ δέ σε πυγμαχίῃ τε καὶ ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ
Μνησάμενοι τέρπουσιν, ὅταν στήσωνται ἀγῶνα.

Delum illustrem, illustriorem reddidit eversa a Romanis Corinthus: eo enim mercatores transierunt, invitante eos immunitate templi, & commoditate portus: opportune enim sita est navigantibus ex Italia & Græcia in Asiam: Ἥ τε πανήγυρις ἐμπορικόν τι πρᾶγμά ἐστι, καὶ συνήθεις ἦσαν αὐτῇ, καὶ Ῥωμαῖοι τῶν ἄλλων μάλιστα. Et Corintho instaurata, Athenienses insula potiti sacra & negotiationes diligenter procurarunt, Strabo *lib.* X. p. 486.

Delum neque muris, neque armorum præsidio munitam Menophanes Mithridatis copiarum dux invasit, vel suapte insolentia, vel Regis imperio impulsus: cæsisque civibus, una cum peregrinis qui forte tum illic erant, & negotiatorum pecunia direpta, & compilatis donariis, & Deliorum uxoribus ac liberis sub corona venditis, ipsam urbem solo æquavit. Apollinis effigies in mare petulanter abjecta, æstu maris in fines Bœatarum delata, loco nomen dedit Epidelium. Menophanes ab insula in altum provectus, a negotiatoribus, qui ejus manus effugerant, ex insidiis occisus fuit, Pausan. *Lacon.* pag. 207. 208. Ἐπελθόντες οἱ τοῦ Μιθριδάτου στρατηγοί, καὶ ἀποστήσας Τύραννος αὐτήν, διελυμήναντο πάντα, καὶ παρέλαβον ἐρήμην τὴν νῆσον πάλιν οἱ Ῥωμαῖοι, ἀναχωρήσαντος εἰς τὴν οἰκείαν τοῦ βασιλέως. καὶ διετέλεσε μέχρι νῦν ἐνδεῶς πράττουσα. ἔχουσι δ' αὐτὴν Ἀθηναῖοι, Strabo *lib.* X. p. 486.

Delum, τὸ κοινὸν Ἑλλήνων ἐμπόριον, adeo desertam sua ætate fuisse, ut præsidio templi amoto, quod Athenienses miserunt, hominibus, si Delii tantum numerarentur, prorsus orbata esset, scribit Pausan. *Arcad.* p. 509.

IONIDES Inf.

IOnides insulæ post Sporades sunt, quibus Iones imperant: suntque Caunus & Samus, Eustath. *in Dionys.* Περ. v. 533. seq.

Ταῖς δ' ἔπι, νῆσοι ἔασιν Ἰωνίδες ἔνθα τε Καῦνος,
Καὶ Σάμος ἱμερόεσσα, Πελασγίδος ἕδρανον Ἥρης.
Καὶ Χίος ἠλιβάτου Πελλιναίου ὑπὸ πέζαν.

CYCLADES Inf.

CYclades insulæ primum occupant locum, ex Europa in Asiam transeunti, sic dictæ quod Delum cingant, Eustath. *in Dionys.* Περ. v. 525. seq.

Αἳ δ' Ἀσίης πρώτην εἴσω λάχον ἀμφὶς ἰοῦσαι,
Δῆλον ἐκυκλώσαντο, καὶ οὔνομα Κυκλάδες εἰσί.

Cyclades insulæ olim desertæ erant: Minos vero Jovis & Europæ F. Cretæ imperans, cum maris

A imperio potiretur terrestribus & navalibus instructus copiis, multasque e Creta colonias mitteret, etiam plerasque Cycladum, agris sortito divisis, habitabiles fecit, Diodor. *lib.* v. fin.

Post Trojæ excidium Cares opibus aucti, & maris imperium nacti, Cyclades etiam subegere: quarum alias, pulsis Cretensibus, sibi proprias fecerunt: alias communi cum pristinis Cretensibus incolis jure possederunt, Diodor. *lib.* v. fin.

Postmodum confirmata Græcorum potentia, pleræque Cycladum, barbara Carum gente ejecta, a Græcis habitatæ fuerunt, Diodor. *lib.* v. fin. Τὰς Κυκλάδας νήσους, περὶ ἃς ἐγένοντο πολλαὶ πραγματεῖαι. B καὶ τὴν Μίνω τοῦ Κρητὸς δυναστείαν, ταύτας τὸ τελευταῖον ὑπὸ Καρῶν κατεχομένας, ἐκβαλόντες (Athenienses) ἐκείνους, οὐκ ἐξιδιώσασθαι τὰς χώρας ἐτόλμησαν, ἀλλὰ τοὺς μάλιστα βίου τῶν Ελλήνων δεομένους κατῴκισαν εἰς αὐτὰς, Isocrat. *Panathenaic.* vide *Ion. Asiat.*

Cythnus insula una Cycladum, Dryopidi objecta: nomen accepit a Cythno, coloniæ eo deductæ principe, Stephan.

Cythnii in Cyprum coloniam duxerunt, Herodot. *lib.* VII. pag. 469.

Amorgus insula una Cycladum, ex qua oriundus erat Simonides jambicus, Amorginus inde dictus, C Eustath. *in Dionys.* Σιμωνίδης Κρίνεω, Αμοργῖνος, ἰαμβογράφος, Suidas. Αμοργος οἶνον φέρει πολὺν, καὶ ἔλαιον, καὶ ὀπώραν, Heraclid. *de Polit.*

Naxus insula una Cycladum, nomen accepit a Naxo Carum duce: ἀπὸ τὸ νάξαι: propter selecta quædam sacra ibi celebrari solita, Eustat. *in Dionys.* Naxus, quam Stongylen, dein Dian, mox Dionysiada a vinearum fertilitate, alii Siciliam minorem, aut Callipolin appellarunt, Plin. *lib.* IV. *cap.* XII. Nileus Codri filius (cum Ionibus quos in coloniam ducebat) ad Naxum præter voluntatem tempestate delatus fuit: D & abire volentem, venti contrarii prohibuerunt. Ibi dubio, quid facto opus esset, responderunt vates, lustrandum ac expiandum exercitum, in quo multi essent polluti ac contaminatis manibus: ipse Nileus se lustratione egere simulavit ob admissam in puerum cædem. Ejus exemplo, qui sibi sceleris alicujus conscii erant, semet prodiderunt. Eos illic reliquit. Cum cæteris vero Miletum abiit, Ælianus *Var. Hist.* lib. VIII. cap. V.

Lygdamin Tyrannum e Naxo ejecerunt Lacedæmonii, Plutarch. *de Malign. Herodoti* p. 670. Lugdamis hic videtur esse Naxius ille, E quem ultro advenientem, plurimum studii exhibuisse, copiis cum pecunia adductis, ad reducendum Athenas Pisistratum, scribit Herodot. *lib.* I. p. 27.

Naxus inter insulas felicitate præstabat, regnante Dario Hystaspis F. Ex ea quidam locupletes a plebe in exsilium missi, Miletum se contulerunt, Herodot. *lib.* v. pag. 339. Eos reducere conatus fuit Aristagoras Mileti procurator: vide in *Milesiis*. Naxii (bello Xerxis contra Græcos) tres miserunt triremes auxiliatrices Barbaris: Democritus vero unus Præfectorum triremium cæteris persuasit, ut partes Græcorum amplecterentur. Testanturque cum Herodoto, F Hellanicus cum sex, Ephorus cum quinque navibus, Naxios venisse auxilio Græcis. Equidem Naxiorum Annalium Scriptores ajunt etiam ante Megabaten cum ducentis navibus ad insulam appellentem repulisse, & Datin rursus imperatorem exercitus expulisse, cum flamma illic sævisset. Democriti vero res præclare gestas & virtutem hoc epigrammate indicavit Simonides:

> Δημόκριτος τρίτος ἦρξε μάχης, ὅτε πὰρ Σαλαμῖνα

> Ελληνες Μήδοις σύμβαλον ἐν πελάγει.
> Πεντε δὲ νῆας ἕλεν δηίων, ἕκτην δ' ὑπὸ χεῖρα
> Ρύσατο Βαρβαρικὴν Δωρίδ' ἁλισκομένην.

Plutarch. *de Malignit. Herodoti* p. 676. A. B.

Syrus insula una Cycladum, quam Homerus *Odyss.* O. v. 402 Συρίην vocat, Eustath. *in Dionys.* Insula Ionica, Stephan. ἐξ ἧς Φερεκύδης ὁ Βάβιος (Badis filius Diogen. Laert.) ἦν· νεώτερος δ' ἐστὶν ὁ Αθηναῖος ἐκείνου, Strabo *lib.* x. pag. 478. quæ pervertit Interpres: *Syrus, patria Pherecydis Atheniensis:* verte: *E Syro Pherecydes Babius fuit; recentior vero illo est Pherecydes Atheniensis.* Obiit vero Pherecydes Syrius in Samo ὑπὸ φθειρῶν καταβρωθεὶς, ὅτε καὶ ἐλθόντι Πυθαγόρᾳ τὸν δάκτυλον διὰ τῆς ὀπῆς ἔδειξε περιεψιλωμένον, Heraclid. *de Polit.* Vide de illo Diogen. Laert. Νῆσος Ακαρνανίας dicitur quoque Stephano; sed vitiose, ut puto.

Siphnus insula una Cycladum in mari Cretico, Eustath. *in Dionys.* insula circa Cretam sita, nomen accepit a Siphno Sunii filio: vocabatur ante Merope, Stephan. Siphnus, ante Meropia & Acis appellata, Plin. *lib.* IV. *cap.* XII. Fuerunt vero Siphnii ab Atheniensibus Iones, Herodot. *lib.* VIII. pag. 544.

Siphniorum insula aurifodinas habebat: de earum fructibus Apollo sibi decimam offerri jussit. Illi thesauro condito decimam obtulerunt, Pausan. *Phocic.* pag. 628. Vigebant tempore Darii res Siphniorum, eratque hæc insularum locupletissima, ut in qua auri argentique metalla essent, unde tantum conficiebatur pecuniæ, ut e decima ejus parte thesaurus locupletissimo cuique par apud Delphos reponeretur. Thesauro collocato Siphnii oraculum consuluerunt, an stabilis præsentium bonorum possessio foret: iis Pythia respondit:

> Αλλ' ὅταν ἐν Σίφνῳ πρυτανήϊα λευκὰ γένηται,
> Λευκόφρυς δ' ἀγορὴ, τότε δὴ δεῖ φράδμονος ἀνδρὸς
> Φράσσασθαι ξύλινόν τε λόχον, κήρυκά τε ἐρυθρόν.

Erat vero Siphniis Prytaneum cum foro lapide Pario excultum. Samii vero qui Polycrati bellum intulerant, ab Lacedæmoniis deserti in Siphnum navibus transmiserunt, & ad urbem cum Legatis unam e navibus miserunt, sibique decem talenta mutuo dari a Siphniis petierunt: negantibus Siphniis se daturos, Samii eorum agrum populati sunt. Siphnii ad vim propulsandam occurrentes, fusi fugatique fuerunt: multique eorum urbe exclusi interceptique, centum talentis postea redempti fuerunt. Id oraculum prædixerat, jubens ligneum agmen ac rubrum legatum cavere: vetere enim instituto naves omnes erant rubrica delibutæ, Herodotus *lib.* III. p. 208. 209. Siphnii posteaquam nimio pecuniæ retinendæ studio ab ea religione thesaurum offerendi desciverunt, eorum metalla maris alluvie prorsus abolita fuerunt, Pausan. *Phocic.* pag. 628. vide & Suidam *in* Σίφνιοι.

Siphnii in pugna ad Salaminem Græcis unam navem L. remorum præbuere, Herodotus *lib.* VIII. p. 544.

Nisyrus insula una Cycladum. Polybotes Gigantum unus Jovis ictum sustinuit.

Neptunus quoque conjecto in ipsum tridente, aberravit, sed e jactu insula exstitit Nisyrus: appellata quoque fuit Porphyris, ἀπὸ τῶν ἐν αὐτῇ πορφυρῶν, Stephan. Nisyram dictam ἀπὸ τοῦ νέω, *nato*, & σύρω, *trabo*, quod abscissa ab insula Coo Neptuni tridente, & a Polybote natando attracta fuerit, scribit Eustath. *in Dionys.* vide Strabon. *lib.* x. fin. Nisyrum a Caribus olim possessam, Thessalus Herculis filius occupavit, Diodorus, *lib.* v. pag. 329.

Nisyrios ad bellum Trojanum duxerunt Phidippus & Antiphus Thessali Heraclidæ filii, Homer. *Iliad.* B. v. 676. seqq.

Nisyrii Doriensium Epidauriorum coloni, Herodot. *lib.* VII. pag. 472. Belli Xerxis tempore erant sub imperio Artemisiæ Halicarnassensis, Herodot. *lib.* VII. p. 472.

Nisyrum Coi suæ ditionis fecerunt: peste deinceps afflicta insula, eo coloniam miserunt Rhodii, Diodorus *lib.* V. p. 326.

Calydnæ insulæ e Sporadibus sunt: earum una proprie Calydna vocatur, a qua vicinæ reliquæ idem nomen acceperunt, Eustath. *in Dionys.* vide eundem *in Iliad.* B. ubi Καλύμνας quosdam scribere ait. Calydna nomen accepit a Calydno Cæli filio, Stephan. Calydnam olim a Caribus possessam, Thessalus Herculis filius postea occupavit, Diodorus *lib.* V. pag. 326.

Calydnæos ad bellum Trojanum duxerunt Phidippus & Antiphus Thessali Heraclidæ filii, Homer. *Iliad.* B. v. 677. seqq. In Calydnam naves IV. Agamemnonis in reditu post excisum Ilium, tempestate ejectæ fuerunt; hominesque cum loci incolis permixti, illic consederunt, Diodor. *lib.* V. pag. 326.

Calydnæi Doriensium Epidauriorum coloni, Herodot. *lib.* VII. p. 472. Belli Xerxiani tempore Artemisiæ Halicarnassensis imperio continebantur, Herodot. *lib.* VII. pag. 472. Calydnam Coi suæ ditionis fecerunt, Diodorus *lib.* V. pag. 326.

Cos urbs & insula, (in Caria, Mela *lib.* II. *cap.* VII. in Cariæ ora, Plinius *lib.* V. *cap.* XXXI.) nomen accepit a Co Meropis filia: vocabatur ante Merops a Gigante Merope, Stephan. Μεροπὶς, ἡ Κῶς νῆσος, Suidas. Merops Triopæ filius, a quo Meropes Coi appellati, & insula Meropis, Stephan. Cos Meropis vocata: Cos ut Staphylus, Meropis ut Dionysius, dein Nymphæa, Plin. *lib.* V. *cap.* XXXI. Con appellatam Meropen & Meropida ἀπὸ μερόπων ἔθνους ἢ γένους οἰκησάντων αὐτὴν, vel a Merope, cujus filia Cos dederat insulæ nomen: vel ut quidam volunt tanquam ovibus abundantem, dialecto enim quadam κόον ovem vocari scribit Eustath. *in Iliad.* B. vide & Scholiast. Callimachi *Hymno in Delum*, ad verba v. 160. seqq.

Ὠγυγίην Κόων Μεροπηΐδα νῆσον,
—— Χαλκιόπης ἱερὸν μυχὸν Ἡρωΐνης.

Κῶ τῆς Μεροπίδος, Pausan. *Eliac. post.* pag. 370. quasi urbs Cos, insula Meropis dicatur. Coorum urbem olim Astypalæan dictam fuisse, ad mare sitam: orta vero seditione Coos in eam, quæ post fuit, urbem ad Scandariam transmigrasse, eamque insulæ nomine Con appellasse, scribit Strabo *lib.* XIV. pag. 657.

Eurypylus Herculis & Chalciopes filius Co imperavit: unde Con Εὐρυπύλοιο πόλιν Homerus *Iliad.* B. v. 677. vocat, Schol. min. *in Iliad.* B. Coos vero ad bellum Trojanum duxerunt Phidippus & Antiphus Thessali Heraclidæ filii, Homer. *Iliad.* B. v. 677. seqq. In eos Aristotelis exstat Epitaphium:

Φείδιππον Τροίην πέρσαντ' ἠδ' Ἄντιφον ἥρω
Γαῖα πατρὶς κώμη ἠδ' Ἔφυρα κατέχει.

Coi Dores Epidaurii erant, Herodot. *lib.* VII. pag. 472. Belli Xerxiani tempore sub imperio Artemisiæ Halicarnassensis erant, Herodot. *lib.* VII. p. 472. Coi, Persis Græciam invadentibus, maluerunt publice perire, quam Persis se dedere, relictisque quatuor castellis, quæ in insula erant, bene munitis, communis salutis & libertatis causa in montes confugerunt: tum municipia eorum ca

A pta, agri vastati, homines liberi, aut in servitutem abstracti, aut ferro cæsi, urbis publicæ, profanæque, & sacræ ædes combustæ: quæ supererant, omnia Artemisiæ Lygdamis filiæ ob discordiam paternam tradita & asportata fuerunt; sed coorta valida tempestate, naves Artemisiæ fere omnes perierunt, multaque & crebra in ejus exercitum fulmina incubuerunt, in insulam vero pauca & rara. Coi vero nunquam sua sponte in Athenienses, Lacedæmonios, cæterosque Græcos arma sumpserunt, quamvis plurimæ urbes & insulæ vicinæ, & Græci Asiæ incolæ, una cum Barbaris non coacti bellum intulissent: Cadmus enim,
B qui tunc urbi cum collega Hippolocho Asclepiadeo, quarto a Nebro, eo qui Crissæos evertit, (vide in *Crissæis*) præerat, post insulam obsidione & vastatione ab Artemisia illata liberatam, relicta domi conjuge cum liberis, in Siciliam cum multis eadem sentientibus navigavit, Gelonemque & ejus fratres a Barbarorum amicitia & fœdere contra Græcos abduxit, Thessal. Hippocrat. F. *Orat. pro Cois*.

Coorum Tyrannus Cadmus Scythis F. acceptam a patre tyrannidem bene stabilitam, nulla urgente calamitate, sed æquitatis studio, Cois in medium
C deposuit, & in Siciliam profectus, una cum Samiis, urbem Zanclam incoluit, Herodot *lib.* VII. p. 498. Cadmum suæ matris πρόγονον vocat Thessalus Hippocratis F *Orat. pro Cois*.

Coi fuerunt Hippocrates Medicus, Simus Medicus, Philetas Poeta & Criticus, Nicias qui tyrannidem in Coos invasit, Aristo, Theomnestus nobilis, qui se in Rep. Niciæ opposuit, Strabo *lib.* XIV. pag. 657. In Co mutata fuit Democratia, exorientibus in ea improbis populi ductoribus, Aristotel. *Polit.* lib. V. § V.

Casus insula circa Con, Schol. min. *in Iliad.* B. Casios ad bellum Trojanum duxerunt Phidippus &
D Antiphus Thessali Heraclidæ filii, Homer. *Iliad.* B. v. 676. seqq.

Carpathus insula Co. vicina, Stephan. Homero *Iliad.* B. v. 676. Κράπαθος dicta, Strabo *lib.* X. fin. Carpathum primi tenuerunt quidam cum Minoe militantes, quo tempore ille primus Græcorum imperium maris habuit, Diodorus *lib.* V. pag. 326. Ἦν δέ φησι (Strabo) τετράπολις ἡ Κάρπαθος, Eustath. *in Iliad.* B.

Carpathios ad bellum Trojanum duxerunt Phidippus & Antiphus Thessali Heraclidæ filii, Homer. *Iliad.* B. v. 676. seqq.

In Carpathum multis post ætatibus Ioclus De-
E meleontis F. genere Argivus oraculi jussu coloniam deduxit, Diodor. *lib.* V. p. 326.

Astypalæa insula Cycladum una, nomen accepit ab Astypalæa Ancæi matre, Stephan. Astypalæa Phœnicis filia fuit, soror Europæ, ex Perimede Oenei filia, Pausan. *Achaic.* pag. 402. Insula hæc olim appellata fuit Pyrrha, cum Cares eam tenerent: Pylæa deinde: postea Θεῶν τράπεζα, διὰ τὸ ἀνθηρὸν αὐτῆς, Stephan. Coloniam illuc deduxerunt Megarenses. Marcian. Περ. pag. 23.

Ἐν τῷ πόρῳ δὲ κειμένη τῷ Κρητικῷ
F Ἀποικός ἐστιν Ἀστυπάλαια Μεγαρέων
Νῆσος πελαγία.

Syme insula Carica, & urbs ejusdem nominis: nomen accepit a Syme Ialysi filia: appellabatur prius Metapontis: deinde Ægle, Stephan. Eustath. *in Iliad.* B. Symen primi tenuerunt, qui cum Triope, ductore Chthonio Neptuni & Symes filio, illuc profecti fuerant: ab illa Syme insula nomen accepit, Diodorus *lib.* V. pag. 325.

Symæ imperavit Nireus Charopi & Aglaias fi-

lius, qui cum Agamemnone ad Trojam militavit, & Cnidiæ quoque principatum tenuit, Diodor. *lib.* v. pag. 325. 326. Homerus *Iliad.* B. V. 671. seqq.

Νιρεὺς δ' αὖ Σύμηθεν ἄγεν τρεῖς νῆας ἐΐσας,

Νιρεὺς Αγλαΐης θ' υἱὸς, Χαρόποιό τ' ἄνακτος, &c.

Exstat in eum Aristotelis Epitaphium:

Ενθάδε τὸν κάλλιστον ἐπιχθονίων ἔχε γαῖα
Νιρέα, τὸν Χαρόπου παῖδα καὶ Αγλαΐης.

Symen Cares post belli Trojani tempora occuparunt; sed agrorum sterilitate inde discedere coacti, Uranium tenuerunt: Syme vero aliquandiu incolis vacua mansit, Diodorus *lib.* v. pag. 236.

Symen occupavit Nausus, unus Hippotæ comitum, classe Laconica & Argiva in ea loca advecta, assumptis, qui in agrorum distributione tardius venerant. Alii postea, ductore Xutho, illuc venere, qui in communionem civitatis & agri recepti, insulam æquo jure tenuerunt: ajuntque Cnidios & Rhodios hujus coloniæ participes fuisse, Diodor. *lib.* v. p. 326.

Rhodus insula illustris: appellabatur Ophiussa & Æthræa, Stephan. ῥόδον τὴν νῆσον τὸ παλαιὸν κεκρύφθαι λέγουσιν ὑπὸ τῆς θαλάσσης, ἀναφῦναι δὲ ὕστερον ξηρανθεῖσαν. Εκαλεῖτο δὲ Οφιοῦσσα, διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐνόντων ὄφεων, Heraclid. *de Polit* νῆσος πρὸ τῆς Καρίας, Schol. min. *in Iliad.* B. Ποντίαν παῖδ' Αφροδίτας, Αἐλίοιό τε νύμφαν Ρόδον ἀμφιθυμάχαν, & Ασίας εὐρυχώρου τρίπολιν νᾶσον vocat Pindarus *Olymp.* ode VII epod. I. Ajunt antiqua monumenta, cum terras Jupiter reliquique Dii partirentur, insulam hanc sub undis latuisse; cumque absentis Solis nulla tum habita fuisset ratio, & jam iterum sortes in Solis gratiam jacturus esset Jupiter, repente e mari emersisse insulam, eamque Soli cessisse: & Solem in ea Nymphæ Rhodo mixtum septem liberos genuisse: quorum unus Ialyssum, Camirum & Lindum genuit, Pindar *Olymp.* ode VII. strophe, antistr. & epod. IV Ο δ' ἀληθὴς λόγος, ὅτι κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς σύστασιν, τῆς νήσου πηλώδους οὔσης ἔτι καὶ μαλακῆς, τὸν ἥλιον ἀναξηράναντα τὴν πολλὴν ὑγρότητα, ζωογονῆσαι τὴν γῆν, καὶ γενέσθαι τοὺς κληθέντας ἀπ' αὐτοῦ Ηλιάδας ἑπτὰ τὸν ἀριθμὸν, καὶ ἄλλους ὁμοίως λαοὺς αὐτόχθονας, Diodor. *lib.* v. p. 427.

Telchines e Creta primum in Cyprum, deinde in Rhodum venisse ajunt, primosque in cudendo ferro & ære laborasse, Strabo *lib.* XIV. p. 654. Τελχῖνες ἐκπεσόντες Πελοποννήσου Ρόδον ᾤκησαν νῆσον τὴν καλουμένην Οφιοῦσσαν, Euseb. *Chron. Can.* ad an. CCLXXVI. Εκαλεῖτο δὲ ἡ Ρόδος πρότερον Οφιοῦσσα καὶ Σταδία, εἶτα Τελχινὶς ἀπὸ τῶν οἰκησάντων τὴν νῆσον, Strabo *lib.* XIV. p. 653. Τὴν δὲ νῆσον τὴν ὀνομαζομένην Ροδον πρῶτοι κατῴκησαν οἱ προσαγορευόμενοι Τελχῖνες, Diodor. *lib.* v. p. 326. Τελχῖνες ἄνθρωποι ὀνομαζόμενοι τὸ ἀνέκαθεν Κρῆτες, οἰκήσαντές τε καὶ ἐν Κύπρῳ, μεταναστάντες δὲ εἰς Ρόδον, καὶ πρῶτοι τὴν νῆσον κατασχόντες, βάσκανοί τε σφόδρα ἦσαν καὶ φθονεροὶ, Nicol. Damascen. *de mor. Gent.*

Heliadæ post Telchinas insulam occuparunt, Strabo *lib.* XIV. p. 654. Eorum nomina fuerunt, Ochimus, Cercaphus, Macar, Actis, Tenages, Triopas & Candalus: acerrimo inter eos ingenio fuit Tenages, ideoque fratrum invidia sublatus fuit: detectis insidiis, cædis auctores omnes solum verterunt: Macar in Lesbum: Candalus in Co: Actis in Ægyptum: Triopas in Cariam concessit: e reliquis ab ea culpa alienis Ochimus regnum Rhodi tenuit, ductaque uxore Hegetoria Nympha genuit Cydippen, Cercapho postea nuptam. Cercaphus Ochimi frater & gener fratri & socero successit: & successores ipse habuit filios Lindum, Ialyssum & Camirum, Diodor. *lib.* v. p. 328. 329. Ochimus quidem filiam Cydippen Ocridioni desponderat; sed Cercaphus Ochimi frater puellam amans, persuasit Præconi, (moris enim erat per Præconem deduci sponsas) ut receptam Cydippen ad se deduceret. Paruitque ille, & Cercaphus suscepta puella aufugit: Ochimo vero jam ætate provecto rediit, Plutarch. *Quæst. Gr.* XXVII. Cercaphi & Cydippæ filii urbes condiderunt sibi cognomines:

Λίνδον, Ιήλυσσόν τε καὶ ἀργινόεντα Κάμειρον.

Alii conditas eas a Tlepolemo ajunt, qui iis nomina imposuerit a filiabus quibusdam Danai, Strabo *lib.* XIV. p 654. Danaus enim ex Ægypto cum filiabus profugus in Lindum Rhodi trajecit, & ab indigenis exceptus, templum Minervæ statuit, Deæque signum consecravit. In ea vero ejus peregrinatione, tres ei filiæ obierunt in Lindo, Diodor. *lib.* v. p. 329.

Macareus & insula Lesbo magnum colonorum numerum, duce Leucippo, in Rhodum misit, iique ab incolis, quod infrequens habitatoribus esset insula, ultro, communicatis agris, suscepti fuerunt, Diodor. *lib.* v. p. 347.

Phœnicum, qui cum Cadmo sororem investigante erant, quidam ab eo relicti in Rhodo, ad curam templi Neptuno ab eo structi, Ialysiis permixti illic consederunt, Diodor. *lib.* v. p. 329.

Phorbas Lapithæ filius in Rhodum ab incolis oraculi monitu arcessitus; ut a serpentibus insulam liberaret, illic cum suis, accepto agro, consedit, Diodor. *lib.* v. p. 329.

Althæmenes, Catrei Regis Cretensium filius, accepto oraculo, fore ut ab ipso pater interficeretur, fata evitare conatus, sponte cum aliis ipsum sequutis in Rhodum concessit, & Camiri sede fixa, in honore apud incolas præcipuo fuit. Pater, cui mascula alia soboles nulla erat, desiderio filii, ut eum in Cretam reduceret, profectus, noctu in insulam descendit, ortaque inter Cretenses & Rhodios pugna, Althæmenes suis succurrens, patrem jaculo inscius confodit: & re cognita, præ dolore societatem hominum & colloquia fugiens, exspiravit, Diodor. *lib.* v. p. 330.

Græci, qui a Triopa Phorbantis filio in Rhodum deducti fuerant, in Rhodo habitabant, quando Tlepolemus illuc advenit, Diodor. *lib.* IV. p. 261.

Tlepolemus Herculis ex Astyoche Phylantis Ephyræorum Regis filia filius, occiso per imprudentiam Licymnio patris avunculo, in Rhodum exsul abiit, cum non exigua hominum manu, & illic sedem fixit, Apollodor. *lib.* II. p. 82. β. ex Homer. *Iliad.* B. V. 622. seqq. vide Eustath. & Schol. minor. illic. Rhodios cum IX. navibus ad bellum Trojanum duxit Tlepolemus, Homer. *Iliad.* B. V. 653. seqq. Butæ vero, qui ex Argis eo fugerat, regni administrationem tradidit: ipse vir bello clarus in agro Trojano obiit, Diodorus *lib.* v. p. 330. Exstat Aristotelis in eum Epitaphium:

Α'δ' Ηρακλείδην ῥηξήνορα θυμολέοντα
Τληπόλεμον κατέχει κυματόεσσα Ρόδος.

Dorienses qui Megara condiderunt, partim ibi manserunt: alii cum Althæmene coloniæ in Cretam ductæ participes fuerunt: nonnulli in Rhodum, &c. distributi fuerunt, Strabo *lib.* XIV. p. 653. Ita Doriensis Rhodus facta: hinc Δωρὶς Ρόδος Marciano Περ. p. 22. Δωριέων, Ρόδος, Herodot. *lib.* II. p. 180. Argivorum insula dicitur Pindaro *Olymp.* ode VII epod. I. Ρόδιοι, Δωριεῖς, Αργεῖοι γένος, Thucydid. *lib.* VII. p. 532. Δωριέων δέ ἐστιν ἄποικος, τῶν

ἐκ Πελοποννήσου, Ἀργείων τε καὶ Λακεδαιμονίων τῶν ἀπὸ τῆς Ἡρακλέους γενεᾶς καταγομένων. καθὼς καὶ αὐτὸς Ὅμηρος ἐν τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ (*Iliad.* B. V. 653. seqq.) περὶ αὐτῆς τάδε φησί. Τληπόλεμος δ' Ἡρακλείδης ἠύς τε μέγας τε, &c. Constant. lib. I. *Themat.* XIV. Sed fallitur in eo Constantinus, quod auctoritate Homeri putet Tlepolemum principem fuisse coloniæ ab Argivis & Lacedæmoniis deductæ; nam Tlepolemus in Rhodum concessit, multis annis ante reditum Doriensium in Peloponnesum.

Rhodii imperio maris potiti fuerunt, quarti, vel, ut aliis placet, quinti, Euseb. *Chron. Canon.* ad an. CIƆC. Ῥόδιοι οὐ μόνον ἀφ' οὗ χρόνου συνῴκησαν τὴν νῦν πόλιν, ηὐτύχουν κατὰ θάλατταν, ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς Ὀλυμπιακῆς θέσεως συχνοῖς ἔτεσιν, ἔπλεον πόῤῥω τῆς οἰκείας ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ἀνθρώπων, Strabo *lib.* XIV. p. 654. Videtur etiam Homerus testari de felicitate Rhodiorum, jam statim a primo ortu trium istarum urbium, *Iliad.* B. V. 668. seqq.

Τριχθὰ δὲ ᾤκηθεν καταφυλαδόν, ἠδ' ἐφίληθεν
Ἐκ Διός, ὅς τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι ἀνάσσει,
Καί σφιν θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε Κρονίων.

Quos versus quidam fabulæ accommodant, & auro pluisse ajunt in insulam, circa Minervæ nativitatem, e Jovis capite, Strabo *lib.* XIV. p. 654. 655. Fuitque eorum Resp. optime constituta, cum quoad reliquam administrationem, tum quoque rei nauticæ: nam & longo tempore imperium maris obtinuerunt, & latrocinia sustulerunt, & Romanis, Regibusque Romanorum & Græcorum studiosis amici fuerunt: unde & suis legibus liberi vixerunt, & multis donariis urbs ornata fuit, Strabo *lib.* XIV. p. 652. Rhodum νῆσον οὐκ ἀδύνατον, καὶ ναυβατῶν πλήθει, καὶ πεζῷ, vocat Thucyd. *lib.* VIII. p. 583.

Rhodii primores in Rhodum Lacedæmonios arcessiverunt: hique classe XCIV. navium illuc appulsi, convocatis Camiri, Lindi ac Ialyssi civibus persuaserunt, ut ab Atheniensibus deficerent, Thucyd. *lib.* VIII. p. 583. 584.

Rhodii, cum Persica Regia classis, Conone imperatore, staret ad Caunum, Cononis suasu, a Lacedæmoniis defecerunt, ac in Regis ac Atheniensium societatem transiverunt, Pausan. *Eliac. post.* p. 357.

Rhodii quidam a populo in exsilium acti Lacedæmonem venerunt, docueruntque indignum esse pati Rhodum Athenienses occupare, tantisque augeri viribus. Lacedæmonii, cum intelligerent, si summa rerum penes populum foret, Rhodum totam Atheniensium fore; sin penes opulentiores, suam: octo naves instructas, duce Ecdico, emiserunt. Cum vero Ecdicus ad Cnidum appulisset, & Rhodios summa rerum potitos terra marique cognovisset, atque adeo duplo majore classe, quam ea cui præerat, mare tenere, in Cnido se continebat. Lacedæmonii ergo Teleutiam ei successorem miserunt: is XXVII. navibus instructus in Rhodum navigavit, iisque opem tulit, qui Lacedæmoniorum partes sequebantur, Xenoph. *Hist. Græc. lib.* IV. p. 423.

Rhodii cum Chiis, Cois & Byzantinis ab Atheniensibus defecerunt: inde bellum triennio gestum, quod sociale appellatum, Diodor. *lib.* XVI. p. 412. Finem eum id habuit, ut iis Athenienses libertatem & αὐτονομίαν cogerentur restituere. Postea decreto Regis Persici Artemisia Carum Regina Rhodiis ditioribus opitulante, potentiores in populum insurrexerunt, & opulentiores in Magistratus. Populus ergo Rhodius de auxilio ad Athenienses confugit, habuitque Demosthenem suæ causæ patronum, qui pro eo dixit Orationem περὶ τῆς τῶν Ῥοδίων ἐλευθερίας, Schol. *in d. Orat. Demosth.*

Rhodus a diluviis damnum passa, Diodor. *lib.* XIX. p. 689.

Rhodiorum urbs ἰσχύουσα ναυτικαῖς δυνάμεσι καὶ πολιτευομένη κάλλιστα τῶν Ἑλλήνων, περιμάχητος τοῖς δυνάσταις καὶ βασιλεῦσιν ἦν, ἑκάστου σπεύδοντος εἰς τὴν αὐτοῦ φιλίαν προσλαμβάνεσθαι. προορωμένη δὲ πόῤῥωθεν τὸ συμφέρον, καὶ πρὸς ἅπαντας κατ' ἰδίαν συντιθεμένη τὴν φιλίαν, τῶν πρὸς ἀλλήλους τοῖς δυνάσταις πολέμων οὐ μετεῖχε. διόπερ συνέβαινεν αὐτὴν τιμᾶσθαι, μὲν ὑφ' ἑκάστου βασιλικαῖς δωρεαῖς. ἄγουσαν δὲ πολὺν χρόνον εἰρήνην, μεγάλην ἐπίδοσιν λαβεῖν πρὸς αὔξησιν. ἐπὶ τοσοῦτον γὰρ προεληλύθει δυνάμεως, ὥσθ' ὑπὲρ μὲν τῶν Ἑλλήνων ἰδίᾳ τὸν πρὸς τοὺς πειρατὰς πόλεμον ἐπαναιρεῖσθαι, καὶ καθαρὰν παρέχεσθαι τῶν κακούργων τὴν θάλατταν, Diodor. *lib.* XX. p. 809.

Rhodii animis maxime ad Ptolemæum Ægypti Regem inclinarunt, ob commoda quæ e regno illo capiebant. Itaque auxilia ab Antigono contra Ptolemæum rogati, recusarunt. Demetrius ergo Antigoni F. Rhodios acerrima obsidione pressit, sed fortissime propugnantibus obsessis, tandem iis pacem dedit, Diodor. *lib.* XX. p. 810. seqq. usque ad 825.

Rhodiorum res gestas cum Philippo Macedonum Rege, Antiocho Syriæ Rege, Eumene, Lyciis, Perseo, Ptolemæo, Romanis, vide Livium *lib.* XXXIII. seqq.

Rhodiis a Claudio Imp. redditur libertas, adempta sæpe aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi seditione deliquerant, Tacit. lib. XII. *Annal.*

Rhodii fuerunt, Panætius, Stratocles, Andronicus Peripateticus, Leonidas Stoicus, & his priores Praxiphanes, Eudemus, Hieronymus, Posidonius ex Apamea Syriæ in Rhodo Remp. gessit & docuit: quemadmodum & Apollonius Malacus & Molon Alabandenses: prior illuc venit Apollonius, tardius Molon, unde illi dictum Ὀψὲ μολών, πυρὶ τοῦ ἐλθών Pisander Heracleæ scriptor Poeta Rhodius, & Simmias Grammaticus, & Aristocles. Dionysius vero Thrax & Apollonius Argonauticorum scriptor Alexandrini erant, sed vocabantur Rhodii, Strabo *lib.* XIV. p. 655.

Camirus urbs Rhodi nomen accepit a Camiro Cercaphi Heliadæ (nam pro Πολειάδου lege Ἡλιάδου) & Cydippes filio: a Cercapho vero fœminæ Rhodiæ Κερκαφίδες appellatæ fuerunt, Stephan. Althæmenes Cretensis Camirum concessit: vide in *Rhodiis*.

Lindus urbs Rhodi nomen accepit a Lindo Cercaphi Heliadæ filio e Cydippe Ochimi filia, Stephan.

Lindius fuit Cleobulus unus e VII. Sapientibus, Strabo *lib.* XIV. p. 655. Ex Caria eum fuisse Duris auctor est: ejus genus plerique ad Herculem referunt, Diogen. Laert. *Cleobulo*.

Ialyssus urbs Rhodi, Stephan. Nomen accepit ab Ialysso Cercaphi & Cydippes filio, Strabo *lib.* XIV. p. 654.

Damagetus Rex Ialyssi uxorem duxit Aristomenis Messenii filiam, ex qua illi filius natus Dorieus, Diagoræ pater, Pausan. *Messen.* p. 261. Diagoras Damageti Rhodii filius, pater Damageti junioris & Dorieї dicitur Scholiastæ Pindari *in Olymp.* V. I. Diagoræ & filiis statuæ positæ fuerunt in Olympia. Fertur & Diagoras Mercurii filius fuisse: ajunt enim ejus matrem in agrum aliquando egressam, incumbente gravi æstu reclinasse se ad quoddam Mercurii delubrum: atque sic Mercurium cum ea congressum: eam vero Diagoram sic peperisse, qui primus ab Hercule sic natus fertur, Scholiast. Pindari *d. l.*

Dorieus Diagoræ filius, Dorieі nepos, Damageti pronepos, Rhodo a factione contraria pulsus

Thurios in Italiam commigravit; sed aliquot post annis in patriam reversus, unus omnium apertissime Lacedæmoniorum studium professus, propriis triremibus navali prælio cum Atheniensibus dimicavit. Sed cum vivus in potestatem hostium venisset, Athenas pertractus fuit. Verum Athenienses, qui vehementi ira compulsi illi omnia extrema ante comminati fuerant, simulac in concionem captivi habitu productum conspexerunt, tanti viri, cujus tam insignis gloria fuisset, miseratione adducti, conversa ad mansuetudinem sententia, incolumem & nulla re læsum dimiserunt, quamvis multas in eum odii causas justas haberent, Pausan. *Eliac. post.* p. 357. Dorieum cum XIV. navibus e Rhodo profectum, provectis adversus ipsum XX. Atheniensium navibus fugisse, & suas naves in terram subduxisse: deinde Atheniensibus propius ad eum delatis ita de navibus & in terra pugnasse, ut re infecta discederent Athenienses, scribit Xenophon *Hist. Græc.* lib. I. init. Dorieus postea peregrinans circa provincias extra Peloponnesum sitas, comprehensus a Lacedæmoniis, ac Spartam perductus, a Lacedæmoniis injuriarum damnatus, noxam capitali supplicio luit, Pausan. *Eliac. post.* p 357. ex Androtione.

Olymp. XCIII. I. Lindii, Camirenses & Ialyssii suam singuli pro se Remp. gesserunt; sed postea in unam urbem coiverunt, Strabo *lib.* XVI. p. 655. Οἱ δὲ τὴν Ῥόδον νῆσον κατοικοῦντες, καὶ Ἰάλυσον, καὶ Λίνδον, καὶ Κάμειρον, μετῳκίσθησαν εἰς μίαν πόλιν τὴν νῦν καλουμένην Ῥόδον, Diodor. *lib.* XIII. p. 196.

Achaia urbs Rhodi condita ab Heliadis, qui cædis fraternæ puri erant, Diodor. *lib.* V. p. 329.

CYPRII.

Cyprus insula magna, in sinu Pamphylio, nomen accepit a Cypro Cinyri filia; vel a flore cupri, qui illic nascitur. Astynomus ait eam Κρύπτον vocatam fuisse, διὰ τὸ κρύπτεσθαι πολλάκις ὑπὸ τῆς θαλάσσης, deinde Κύπρον: appellabatur vero etiam Cerastis, quod multa promontoria haberet, & Cerastias, & Amathusia, & Sphæcia, & Acamantis, Stephan. Ἐπήρατον ἄστυ Διωναίης Ἀφροδίτης dicitur Dionys. Περ. v. 509. propter Veneris habitationem: insula enim ea in deliciis erat Deæ, a qua Cypris dicta est: idque propter impudicitiam & rem Veneream, Eustath. *in Dionys.* Insulam veteribus divitiis, & ob hoc Veneri sacram, Florus *lib.* III. cap. XVV. vide Amm. Marcell. *lib.* XIV. Cyprum quondam IX. regnorum sedem: vocatam antea Acamantida, Philonides Cerastin; Xenagoras & Aspeliam, & Amathusiam, & Macariam; Astynomus Cryptam, & Coliniam: oppida in ea XV. Paphos, Palæpaphos, Curias, Citium, Corinæum, Salamis, Amathus, Lapethos, Soloe, Tamaseus, Epidarum, Chytri, Arsinoe, Carpasium, Golgoe; fuere & ibi Cinyria, Marium, Idalium, Plin. *lib.* V. cap. XXXI. Ἐβασιλεύετο δὲ πρότερον ὑπὸ πολλῶν καὶ διαφόρων βασιλέων, Constantin. lib. I. *Themat.* XV. Natura avellit Cyprum Syriæ, Plin. *lib.* II. cap. LXXXVIII. Sunt vero Cyprii partim a Salamine & Atheniensibus; partim ab Arcadia: partim a Cythno: partim a Phœnice: partim ab Æthiopia, Herodot. *lib.* VII. p. 469.

Cinyras Cypri Rex, Apollinis & Paphi filius: ut alii volunt, Eurymedontis & Paphiæ Nymphæ: fuit etiam Sacerdos Veneris Cypriæ, a quo fuerunt Cinyridæ in Cypro, qui Deæ sacri erant, Schol Pindari *Pytb.* ode II. antistr. I. Cinyras, ut quidam volunt, Thiantis filius fuit, Rex Cypri valde opulentus, qui Græcos euntes ad bellum Trojanum hospitio excepit, pollicitus se ad Ilium et iam missurum illis necessaria. Ajunt autem eum fidem datam fefellisse, dirisque ab Agamemnone devotum fuisse: & ipsum quidem periisse cantu cum Apolline decertantem, tanquam Musicæ artificem: διὸ καὶ Κινύρης ἐκλήθη παρωνύμως τῇ κινύρᾳ. Filias vero ipsius, quæ L. numero erant, in mare desilientes in Halcyonas mutatas fuisse. Alii ajunt eum in Papho jurejurando pollicitum fuisse Menelao, se naves L. missurum, sed unicam tantum misisse; reliquas vero e terra fictas, & terreos in illis homines misisse, atque ita elusisse jusjurandum, testacea classe Græcos excipientem; Eustath. *in Iliad.* Λ. v. 20. seqq. ubi θώρακα, ξεινήϊον εἶναι, Agamemnoni dedisse Cinyram dicit Homerus.

Cyprum Amasis Rex Ægypti primus mortalium cepit, & vectigalem reddidit, Herodot. *lib.* II. fin. Πρότερον μὲν οὖν κατὰ πόλεις ἐτυραννοῦντο οἱ Κύπριοι, Strabo *lib.* XIV. p. 684.

Cyprios subegit Cyrus, Xenophon *Cyropæd. proœmio.*

Cyprii se Cambysi dediderunt, & adversus Ægyptios militarunt, Herodot. *lib.* III. p. 191.

Cyprii a Medis defecerunt: cum enim Onesilus Gorgi Salaminiorum Regis frater natu minor, sæpius ad rebellandum fratrem sollicitasset, inprimis postquam Iones a Dario defecisse audierat, neque tamen apud eum quicquam profecisset, observato tempore, dum Gorgus Salamine egressus fuit, eum una cum suæ factionis hominibus urbe exclusit. Gorgus Salamine exclusus ad Medos transfugit: Onesilus vero ea potitus, Cypriis omnibus, ut deficerent, persuasit, exceptis Amathusiis, quos rebellare recusantes obsidione cinxit. Sed dum hoc agit, interea nuncius affertur, Artybium Persam cum magnis copiis in Cyprum tendere. Onesilus Legatis in Ioniam missis Ionas ad opem ferendam advocavit. Nec illi cunctati, cum magna classe in Cyprum se contulerunt; Persæ vero navibus e Cilicia trajecerunt in Cyprum, ac terrestri itinere Salaminem contenderunt, Phœnicibus classe circumeuntibus promontorium, quod Claves Cypri vocant. Terra marique pugnatum fuit. Et prælio quidem navali Phœnices ab Ionibus superati fuerunt, virtute inprimis Samiorum. At terrestri pugna Artybius equo, qui in hostem se erigere, & pedibus simul atque ore in eum, in quem ferebatur, conficere dedicerat, insidens in Onesilum invectus fuit: at Onesilus ipse ferit Artybium, satelles vero ejus, sicut inter ipsos convenerat, pedes erigentis se equi in clypeum Onesili, falce abscidit. Eo ictu Artybius cum equo corruit. Cæteris vero pugnantibus, Stesenor Curii Tyrannus, socios Curienses prodidit. Quorum exemplum Salaminii quoque, qui curribus vehebantur, sequuti fuerunt. Ita Persarum fuit victoria. Cypriorum cum alii multi occubuerunt, tum vero Onesilus Chersis F. rebellionis auctor, & Rex Soliorum Aristocyprus Philocypri filius. Onesili caput ab Amathusiis, quod ipsos obsedisset, recisum ac in oppidum relatum, & supra porta suspensum fuit. Salaminii vero Gorgo Regi pristino urbem restituerunt. Reliquas urbes Persæ obsederunt: earum diutissime obsidionem tulere Solii; sed quinto tamen obsidionis mense a Persis, muro circum suffosso, expugnati fuerunt. Ita Cyprii, cum annum liberi fuissent, denuo subacti sunt, Herodot. *lib.* V. p. 374. 375. 376. 377. 378.

Cyprii Xerxi Græciam invadenti naves CL. præbuerunt: eorum Reges mitris redimiti erant, reliqui tunicas gestabant: cætera ut Græci. Herodot. *lib.* VII. p. 466.

Cypri multas urbes, ductu & auspiciis Pausaniæ, subegerunt Græci, Thucyd. *lib.* I. p. 63.

Cypro bellum intulerunt Athenienses, duce Ci-

mone, classe CC. navium, partim propriarum, partim sociarum; sed missis earum LXVI. in Ægyptum, reliquis Cittium obsedere. Sed Cimone illic defuncto, & fame urgente, obsidionem reliquerunt, Thucydid. *lib.* I. p. 72. 73.

Cyprum pene totam suo adjecit imperio Euagoras Salaminius, sed rursus illa excidit, urbibus præter Salaminem a Persis cedere coactus: vide in *Salamin.* Erant vero in ea insula IX. magni nominis civitates: singulæ suum Regem habebant, qui Remp. administraret, Regi tamen Persarum subjectus. Ii omnes, facta conspiratione, ab Artaxerxe desciverunt. Sed Idrieo Carum Principe triremes & mercenarios, ductu Phocionis Atheniensis & Euagoræ Salaminii, mittente, Reges illi se Persis submiserunt, Diodor. *lib.* XVI. pag. 440. 441. 444.

Cyprum Ptolemæi Reges Ægypti suæ potestatis fecerunt, Strabo *lib* XIV. p. 684. vide Diodor. *lib.* XIX. p. 719. *Κατελύθη δὲ ἡ αὐτῆς βασιλεία ὑπὸ τῶν Μακεδόνων, τουτέστι τῶν Πτολεμαίων*, Constantin. *lib.* I. *Themat.* XV.

Cyprum Romani per M. Catonem occuparunt, dejecto Ptolemæo ultimo: & provinciam Prætoriam fecerunt, Strabo *lib.* XIV. p. 684. 685. Sine bello receptam Cyprum fuisse scribit Florus *lib.* III. cap. IX. Cypro devicta, nullis assignanda gloria est: quippe Senatusconsulto, ministerio Catonis, Regis morte, quam illi conscientia acciverat, facta provincia est, Vellej. *lib.* II. vide Amm. Marcell. *lib.* XIV. *Κρατησάντων δὲ Ῥωμαίων ἐπαρχία γέγονε, καὶ διῃρέθη, ὡς προλέλεκται εἰς πόλεις ιγ'.* Constant. *lib.* *Themat.* XV. Postea in Saracenorum venit potestatem, idem.

Marium urbs Cypri Græca, Scyl. Caryand. pag. 146. Marium urbs Cypri, postea mutato nomine appellata Arsinoe, nomen accepit a Marieo, Stephan.

Paphus urbs Cypri, in quam coloniam deduxit Agapenor Rex Arcadum, everso Ilio: vide in *Arcad. Agapenor.*

Paphiorum Regum familia tragicis oppressa calamitatibus interiit: Nicocle cum fratribus interempto, Diodor. *lib.* XX p. 761.

Amathus urbs Cypri antiquissima, in qua Adonis Osiris celebatur, quem, cum Ægyptius esset, Cyprii & Phœnices sibi vendicarunt, nomen accepit ab Amathe, Herculis filio, vel ab Amathusa Cinyri matre, Stephan. *Ἀμαθοῦς αὐτόχθονές εἰσιν*, Scyl. Caryand. p. 146.

Golgi, urbs Cypri, nomen accepit a Golgo, qui dux fuit coloniæ Sicyoniæ, Stephan. Golgæ Plinio *lib.* V cap. XXXI.

Curium urbs Cypri, nomen accepit a Cureo Cinyri filio, Stephan. Curienses Argivorum coloni esse dicuntur, Herodot. *lib.* V. p. 377 *Κούριον Ἀργείων κτίσμα*, Strabo *lib* XIV. p. 683. Stesenor Curii Tyrannus: vide in *Cypriis.*

Soli urbs Cypri, Scyl Caryand. p. 146. Condita a Phalero & Acamante Atheniensibus: incolæ vero Solii appellantur, Strabo *lib.* XIV. p. 683. vide in *Solis Ciliciæ.* Meminit Solorum Cypri Solon in *Elegiis* ad Cypranorem Regem scriptis: hic enim Rex consilio Solonis urbem condidit, itaque appellavit in gratiam Solonis, ut dati consilii gratiam illi rependeret: dicit vero Solon ita:

Νῦν δὲ σὺ μὲν Σολίοισι πολὺν χρόνον ἐνθάδ' ἀνάσσων,
Τήνδε πόλιν ναίοις καὶ γένος ὑμέτερον.
Αὐτὰρ ἐμὲ ξὺν νηὶ θοῇ κλεινῆς ἀπὸ νήσου
Ἀσκηθῆ πέμποι Κύπρις ἰοστέφανος.
Οἰκισμῷ δ' ἐπὶ τῷδε χάριν καὶ κῦδος ὀπάζοι
Ἐσθλὸν, καὶ νόστον πατρίδ' ἐς ἡμετέρην.

Arati Vitæ auctor.

Philocyprum Soliorum Regem Solon Atheniensis, in Cyprum profectus, inter Tyrannos maxime versibus celebravit, Herodot. *lib.* V. p. 377.

Aristocyprus Philocypri filius: vide in *Cypriis.*

SALAMINII.

Salamis urbs Cypri Græca, Scyl. Caryand. p. 146. Post finem belli Trojani, Teucer morte Ajacis fratris invisus patri Telamoni, quum non reciperetur in regnum, (Salaminem insulam) Cyprum concessit, atque ibi urbem nomine antiquæ patriæ Salaminam condidit, Justin. *Histor.* lib. XLIV. Teucer non receptus a patre Telamone ob segnitiem non vindicatæ fratris injuriæ, Cyprum appulsus, cognominem patriæ Salamina constituit, Vellej. *lib.* I. *Τεῦκρος ἐπειδὴ Τροίαν συνεξεῖλεν, ἀφικόμενος εἰς Κύπρον, Σαλαμῖνά τε κατῴκισεν, ὁμώνυμον ποιήσας τῆς πρότερον αὐτῷ πατρίδος οὔσης, καὶ τὸ γένος τὸ νῦν βασιλεῦον κατέλιπε*, Isocrat. *Euagora.* *Τεῦκρος Σαλαμῖνα κτίσας τὴν ἐν Κύπρῳ, ἐκβληθεὶς, ὥς φασιν, ὑπὸ τοῦ πατρὸς Τελαμῶνος*, Strabo *lib.* XIV. p. 682. *Κύπρῳ, ἔνθα Τεῦκρος ἀπάρχει ὁ Τελαμωνιάδας*, Pindar. *Nem.* ode IV. epod. II. *Ὁ γὰρ Τεῦκρος ἐλθὼν μετὰ τὴν ἅλωσιν Ἰλίου ἐν Σαλαμῖνι, καὶ ὑπονοηθεὶς ὑπὸ τοῦ Τελαμῶνος, ὡς αἴτιος γεγονὼς τοῦ φόνου τῷ Αἴαντι, φυγὼν ᾤκησε τὴν Κύπρον, καὶ ἔσχεν αὐτῆς τὴν ἀρχὴν*, Schol. Pind. vide Euripid. *Helen.* v. 87. seqq. Horat. *lib.* I. ode VII.

—— Teucer Salamina, patremque
Quum fugeret: ——
Sic tristes affatus amicos:
Quo nos cunque feret melior fortuna parente,
Ibimus, o socii comitesque.
Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro:
Certus enim promisit Apollo,
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.

Aristotelis in Teucrum exstat Epitaphium:

Τῶν δυσμόρων ταμίην Τελαμώνιον ἤδε
Τεῦκρον ἀποφθίμενον γῆ Σαλαμὶς κατέχει.

Salamine sic condita, initio quidem a Teucro oriundi regnum tenuerunt; postea vero exsul quidam Phœnix a Rege tunc imperante in fidem receptus, & provinciis maximis præfectus, gratiam non retulit; sed malitia & ambitione stimulante, Regem bene meritum expulit, ipseque regnum occupavit: diffidens vero rebus suis, & securitatem iis parans, & urbem barbaram effecit, & totam insulam Regi magno (Persarum) subjecit, Isocrat. *Euagora.*

Euelthon Rex Salaminis Delphis dedicavit thuribulum spectaculo dignum, quod in Corinthiorum thesauro repositum fuit, Herodot. *lib.* IV. pag. 314. Idem Pheretimam Arcesilai Cyrenæi matrem hospitio accepit: vide in *Cyrenæis.*

Siromus Euelthontis filius, Herodotus *lib.* V. pag. 374.

Cherfis Siromi filius, Herodot. *lib.* V. p. 374.

Gorgus Cherfis F. Rex Salaminis, fratrem habuit Onesilum: a quo frustra sollicitatus ad deficiendum a Persis, urbe exclusus fuit; sed confugiens ad Persas regnum postea recepit: vide in *Cypriis.*

Olymp. XCVII. 2. Euagoras Salaminius, *ὃς ἦν μὲν δὴ γενέστατος, τὰν γὰρ κτισάντων τὴν πόλιν ἦν ἀπόγονος*, (e Teucro Telamonis filio, Æaci nepote oriundus, Isocrat *Euagora*) seditione quadam in exilium pulsus fuit, Diodor. *lib.* XIV. pag. 31. Unus enim Principum per insidias sublato Tyranno, Euagoram etiam comprehendere conatus fuit: ratus se imperio nequaquam potiturum, nisi & hunc de-

mo-

medio sustulisset. Euagoras vero Solos Ciliciæ profugit, eoque animo elatus fuit, ut ante privatus existens, nunc exsul, imperandum sibi putarit. Itaque L. hominibus adscitis, rem aggressus est, Isocrat. *Euagora*. Salaminem enim paulo post rediit, & principe urbis Abdemone Tyrio, amico Regis Persici, ejecto urbe potitus, primum quidem Salaminem, magnitudine & potentia inter urbes Cypri primam, Regia potestate tenuit: brevique magnarum divitiarum copiis auctus, comparato exercitu, universam insulam sibi vindicare aggressus est. Urbium igitur quasdam vi subegit, alias suadendo sibi adjunxit: reliquas vero brevi suo imperio adjecit. Sed Amathusii, Solii & Citienses contra bello nitentes, ad Artaxerxem de auxiliis Legatos miserunt, Diodor. *lib.* XIV. p. 310 seq. Ὁ δὲ πατὴρ Εὐαγόρας, ἀπολεσάντων ἑτέρων τὴν ἀρχὴν, πάλιν ἀνέλαβεν, ὑποστὰς τοὺς μεγίστους κινδύνους. καὶ τοσοῦτον μετέστησεν, ὥστε μηκέτι Φοίνικας Σαλαμινίων τυραννεῖν, ἀλλ' ὧνπερ ἦν τὴν ἀρχὴν, τούτους καὶ νῦν ἔχειν τὴν βασιλείαν, Isocrat. *Nicocle*. Os Euagoras) ἑαυτὸν μὲν ἐξ ἰδιώτου τύραννον κατέστησε. τὸ δὲ γένος ἀπεληλαμένον, ἅπαν τῆς πολιτείας, εἰς τὰς προσηκούσας τιμὰς πάλιν ἐπανήγαγε. τοὺς δὲ πολίτας ἐκ βαρβάρων μὲν Ἕλληνας ἐποίησεν, &c. Isocrat. *Euagora*.

Olymp. XCVIII. 3. Artaxerxes expeditionem in Euagoram suscepit: Euagoras vero interim Acorin Ægyptiorum Regem Persarum hostem, societatis fœdere sibi adjunxit, & ab eo validis copiis instructus fuit. Ab Hecatomno etiam Cariæ Principe clam cum ipso faciente, pecuniam in peregrini militis stipendia accepit: alios præterea Persis infensos partim secreto, partim manifesto, ad belli societatem pertraxit. Et plerasque tum Cypri urbes in potestate habuit. Ad quas Tyrus in Phœnicia, & aliæ quædam accesserant. Triremes vero habuit XC. Tyrias XX. Cyprias LXX. Militum propriorum sex millia: auxiliariorum vero longe plures: numerosam porro peregrinorum manum stipendio conduxerat, pecunia affatim suppetente: quin & Arabum Rex, aliique Regi Persarum suspecti magnam vim militum illi miserant. His copiis ille instructus, magno ad bellum animo se contulit. Et pedestri quidem agmine partem terrestris hostium exercitus aggressus, superior fuit; sed prælio navali victus, & urbe Salamine a Persis obsessa, cum tamen armis contra nitendum censeret, relicto ad defensionem urbis filio Pythagora (Protagora legendum videtur ex Isocrat. *Euagora*: ibi enim: τοῦτον εἶχε Πρωταγόρου τὸν υἱὸν τὸν ἑαυτοῦ συναγωνιστήν) eique rerum summa in Cypro commissa, cum X. triremibus, clam hoste, noctu e Salamine solvit, & in Ægyptum devectus, Regi auctor fuit, ut totis viribus in bellum cum Persis secum incumberet, Diodor. *lib.* XV. p. 328. seqq. Olymp. XCVIII. 4. Reversus autem ex Ægypto Euagoras, Salaminem a Persis gravi obsidione pressam reperit. Tandem Orontes, exercitus Persici in Cypro imperator, pacem Euagoræ iis conditionibus dedit, ut certum annuum tributum Regi Persico solveret, omnibusque Cypriis urbibus cederet, ac unius Salaminis imperio contentus, ut Rex Regis imperio auscultaret, Diodor. *lib.* XV. p. 333. seq. vide Isocrat. *Euagor.* Olymp. CI. 3. Euagoras per insidias a Nicocle (Eunucho) occisus fuit, Diodor. *lib.* XV. p. 363. Ἐπίθεσις γέγονεν ἡ τοῦ Εὐνούχου Εὐαγόρᾳ τῷ Κυπρίῳ. διὰ γὰρ τὸ τὴν γυναῖκα παρελέσθαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ, ἀπέκτεινεν ὡς ὑβρισμένος, Aristotel. *lib.* V. *Politic.* §. 10. Euagoram consenuisse morborum expertem, relictisque bonis & multis liberis obiisse: καὶ τὸ μέγιστον, ὅτι τῶν ἐξ αὐτοῦ γενομένων, οὐδένα κατέλιπεν ἰδιωτικοῖς ὀνόμασι προσαγορευόμενον· ἀλλὰ τὸν μὲν βασιλέα καλούμενον, τοὺς δ' ἄνακτας, τὰς δ' ἀνάσσας, scribit Isocrat. *Euagora*.

Nicocles, occiso Euagora, imperium Salaminis arripuit, Diodor. *lib.* XV. p. 363. Nicocles Euagoræ filius Rex Salaminis, Isocrat. *Euag.* & *Nicocle*. Νικοκλέους τοῦ Κυπρίων βασιλέως, ὃς ἦν υἱὸς Εὐαγόρου, Plutarcho *Isocrat.* Νικοκλέους τοῦ τῶν Σαλαμινίων βασιλέως, Isocrat. *de Permutat.*

Olymp CVII. 2. Euagoras in insula Cypro imperavit, Diodor. *lib.* XVI. p. 441. Sed a Protagora expulsus fuit.

Olymp CVII. 3 Protagoras Rex Salaminis defecit a Persarum Rege Artaxerxe, cum reliquis Cypri Regibus, Diodor. *lib.* XVI. p. 44. Salamine vero a Phocione Atheniensi & Euagora obsessa, cum reliquæ urbes se Persis submitterent, hic solus obsidionem sustinuit. Euagoras vero paternum sibi regnum asserebat, Regisque Persici auxilio sui restitutionem in integrum moliebatur. Sed criminibus apud Artaxerxem delatus, cum Rex Protagoram adjuvaret, abjecta spe restitutionis, de objectis criminibus se purgavit, aliamque ista majorem in Asia provinciam consequutus est. Ea male administrata, in Cyprum denuo profugit, ibique comprehensus, capitale supplicium adiit. Protagoras vero Persis sponte se subjiciens, Salamini in posterum secure imperavit, Diodor. *lib.* XVI. p. 444.

CRETENSES.

Creta insula maxima, Stephan. Marcian. Περ. pag. 22.

> Κρήτη δὲ νῆσος τῆς Πελοποννήσου πέραν
> Κεῖται μεγάλη τὸ μέγεθος, εὐδαίμων τ' ἄγαν.

Eam Archilochus vocat Κορήτην per pleonasmum: alii ajunt dici ἀπὸ τῆς Κόρης Κορήτην, & per syncopen Κρήτην: alii volunt Cretam appellatam a Crete Jovis & Idææ Nymphæ filio: alii a Creta una Hesperidum: alii a quodam Gigante Crete, Steph. Cretam a Curetibus sive Saliis, qui in ea habitarunt, dictam quasi Curetam, & per syncopen Cretam, e Veterum sententia: a Crete quodam Jovis filio, ex aliorum opinione: Cretem vero, a quo nomen acceperit, eum fuisse, qui Jovem in Dicteo, cum a Saturno quæreretur ad necem, occultavit, ex Arriano scribit Eustath. *in Dionys.* Περ. Curetas in Creta quidam eosdem esse volunt cum Corybantibus, Cabiris, Idæis Dactylis, Telchinibus: alii cognatos inter se, & exilibus distinctos differentiis, Strabo *lib* X. pag. 446. Cres Rex Eteocretum fuit, plurimarum rerum, quæ ad vitam mortalium conferunt, inventor, Diodor. *lib.* V. p. 333. Marcian. Περ p. 23.

> —— Ἔφορος — εἶναί φησί τε
> Ἐπώνυμον τὴν νῆσον ἀπὸ Κρητός τινος,
> Τοῦ δὴ γενομένου βασιλέως αὐτόχθονος.

Creta quoque Telchinia, & Cretenses Telchines appellati fuerunt, Stephan. Primi, qui quidem memoriæ traditi sint, in Creta circa Idam montem habitarunt, Idæi Dactyli appellati: post Idæos Dactylos sequuti sunt Curetes IX quos quidam terra genitos volunt, alii progeniem esse Dactylorum Idæorum: tradunt quoque Cretenses Curetum tempore Titanas Gnossi habitasse, Diodor. *lib.* V. p. 333. seqq. Cretam universam Barbaros primum tenuisse, scribit Herodot. *lib.* I. pag. 79. Primi in hac insula habitasse Eteocretes appellati, & αὐτόχθονες crediti: post illos, multarum ætatum decursu, Pelasgi: tertium genus Doriensium in insulam advenisse, duce Tectamo, quorum maxima pars ex locis Olympo monti vicinis, pars quædam ex Achæis, qui in Laconia sunt, fuerit: quartum ge-

nus, mixti Barbari in Cretam appulisse, dicuntur a Diodoro *lib.* v. p. 346. Staphylus scribit adversas Orienti partes in Creta a Doriensibus, occiduas a Cydonibus, austrinam plagam ab Eteocretibus, campestria a reliquis, quia plus habebant virium, habitata fuisse, Homer. *Odyss.* Τ. v. 175. seqq.

> Ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα μεμιγμένη. ἐν μὲν Ἀχαιοὶ,
> Ἐν δ' Ἐτεόκρητες μεγαλήτορες, ἐν δὲ Κύδωνες,
> Δωριέες τε τριχάϊκες, δῖοί τε Πελασγοί.

Probabile vero est Eteocretas & Cydones αὐτόχθονας fuisse, reliquos advenas, quos Andron ex ea Thessaliæ parte, quæ nunc Hestiæotis, Doris vero prius dicebatur, advenisse scribit, Strabo *lib.* x. p. 475. Καὶ γὰρ Κρήτης ἔποικοι γεγόνασιν οἱ Πελασγοί, Strabo *lib.* v. p. 221. Marcian. Περ. p. 22.

> ——— καὶ πλείστοις σχεδὸν
> Ὄχλοις ἀπ' ἀρχῆς καὶ πόλεσιν οἰκουμένη.
> Ἀρχαιοτάτους μὲν ἔχει δὲ τοὺς οἰκήτορας,
> Τοὺς δὴ παρ' αὐτοῖς Ἐτεόκρητας λεγομένους.

Tectamus Dori filius, Hellenis nepos in Cretam navibus trajecit cum Æolensibus & Pelasgis, insulæque imperio potitus fuit: & ducta uxore Crethei filia genuit Asterium, Diodor. *lib.* iv. p. 262. Asterion Eusebio, Asterus Lycophroni dicitur.

Asterio Tectami filio regnante proditum est abductam e Phœnicia a Jove super tauro Europam, eamque Jovis statu Minoem, Rhadamanthum & Sarpedonem peperisse: quos cum prole careret Asterius, adoptatos Regni successores reliquerit, ducta etiam uxore Europa, Diodor. *lib.* iv. p. 262. 263. A Jove in taurum verso abductam Europam scribunt Nonnus *Dionys. lib.* i. v. 46. seqq. & *lib.* iii. v. 305. seqq. Moschus *Idyll.* ii. v. 74. seqq. Apollodorus *lib.* iii. init. & alii. Cretenses Mercatores Europam Agenoris filiam rapuisse: navis vero insigne fuisse taurum, scribit Euseb. *Chron. Can.* ad an. IↃCXCIV. Virum Gnosium, nomine Taurum, bellum intulisse Tyriæ regioni: tandem e Tyro rapuisse cum alias virgines, tum Regis filiam Europam, indeque ortam fabulam, scribit Palæphat. περὶ Ἀπίστων. Ἑλλήνων τινάς φασι τῆς Φοινίκης ἐς Τύρον προσχόντας, ἁρπάσαι τοῦ βασιλῆος τὴν θυγατέρα Εὐρώπην. εἴησαν δ' ἂν οὗτοι Κρῆτες. ταῦτα δὴ ἴσα σφι πρὸς ἴσα γενέσθαι, Herodot. *lib.* i. p. 2. Scilicet Græci ulcisci voluerunt injuriam raptæ a Phœnicibus Ius: vide Herodot. *d. l.* Lycophron v. 1296. seqq.

> Αὖθις γὰρ ὕβριν τὴν βοώπιν ἁρπαγῆς
> Κουρῆτες ἀντίποινον Ἰδαῖοι κάπροι
> Ζητοῦντες αἰχμάλωτον ἤμπρευσαν πόριν
> Ἐν ταυρομόρφῳ τράμπιδος τυπώματι
> Σαραπτίαν Δικναῖον εἰς ἀνάκτορον
> Ἐάμαρτα Κρήτης Ἀστέρῳ στρατηλάτῃ.
> Οὐδ' οἵγ' ἀπηρκέσθησαν ἀντ' ἴσων ἴσα
> Λαβόντες, ἀλλὰ, &c.

Curetes, qui Europam rapuere, cum Teucro ejusque patre Scamandro Draucio in Bebryciam missi fuerunt ad bellum cum Sminthis gerendum: equibus Dardanus natus, qui ducta uxore Arisba nobili Cressa puella, stirpis Regiæ Trojanæ auctor fuit, Lycophron v. 1303.

Minos & Sarpedon (Asterii & Europæ filii, Euseb. Chron. *lib.* i. pag. 26. Jovis Asterii, Tzetz *Chil.* i. *Hist.* xix. quem vide) de imperio contenderunt; sed Minos Sarpedonem victum, ejusque factionis socios ex insula expulit, Herodot. *lib.* i. p. 79. Sarpedon in Lyciam concessit, Herodot. *lib.* i. pag. 79. Apollod. *lib.* iii. pag. 87. β. Miletus quoque Minoen fugiens, Miletum abiit, quæ tum Anactoria dicebatur, Pausan. *Achaic.* pag. 399. Apollod. *lib.* iii. pag. 87. β. Rhadamanthus Cretensibus leges dedit, Diodorus *l.* iv. p. 263. cumque insulanis leges tulisset, in Bœotiam concessit, Apollod. *l.* iii. p. 87. β. Rhadamanthus πρῶτος τὴν νῆσον ἐξημερῶσαι δοκεῖ νομίμοις καὶ συνοικισμοῖς πόλεων καὶ πολιτείᾳ, σκηψάμενος παρὰ Διὸς φέρειν ἕκαστα τῶν τιθεμένων δογμάτων εἰς μέσον, Ephorus apud Strabon. *l.* x. p. 476. Hic tamen Rhadamanthus, cujus filius fuerit, non dicit Ephorus; sed antiquum vocat, virum justissimum, fratri, Minois ejus qui Cretensibus leges tulit, cognominem: vide de Rhadamantho Pindarum *Pyth.* ode ii. strophe iv. & Scholiast. illic.

Lycastus Minois filius ex Itone Lycti filia, Diodorus *l.* iv. p. 263.

Minos filius Lycasti ex Ide Corybantis filia: eum Jovis filium nonnulli fuisse ferunt, Diodor. *l.* iv. p. 263. Minos (hic secundus) leges Cretensibus tulit, de quibus ipsum Jovem consuluisse ferunt, Pausan. *Lacon.* p. 161. Ὡς δὲ εἴρηκεν Ἔφορος, ζηλωτὴς ὁ Μίνως ἀρχαίου τινὸς Ῥαδαμάνθυος δικαιοτάτου ἀνδρὸς, ὁμωνύμου τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ —— τοῦτον δὲ μιμούμενος καὶ ὁ Μίνως διὰ ἐννέα ἐτῶν, ὡς ἔοικεν, ἀναβαίνων ἐπὶ τὸ τοῦ Διὸς ἄντρον, καὶ διατρίβων ἐνθάδε, ἀπῄει συντεταγμένα ἔχων παραγγέλματά τινα, ἃ ἔφασκεν εἶναι τοῦ Διὸς προστάγματα, Strabo *l.* x. p. 476. Ἐπεὶ δὲ ἐννέα ἐτῶν ἀναβαίνων ἐπὶ τὸ τοῦ Διὸς ἄντρον, ὁμιλεῖν ἐνομίζετο τῷ Διΐ, Porphyr. *de abstinent.* Μινώ ταῦτόν εἰς τὸ Ἰδαῖον διὰ ἐνναετηρίας συντιθέναι νόμους, καὶ φέροντα διαβεβαιοῦσθαι, ὡς ὑπὸ τοῦ Διὸς εἶεν δεδομένοι, Porphyr. *d. l.* Προσεποιεῖτο δὲ Μίνως παρὰ Διὸς αὐτὰ μεμαθηκέναι, δι' ἐννέα ἐτῶν εἰς τι ὄρος φοιτῶν, ἐν ᾧ Διὸς ἄντρον ἐλέγετο, κἀκεῖθεν ἀεί τινας νόμους φέρων τοῖς Κρησί. Μέμνηται δὲ τούτου καὶ Ὅμηρος ἐν οἷς λέγει (*Odyss.* Τ. v. 178. seqq.)

> Τῇσι δ' ἐνὶ Κνωσσὸς μεγάλη πόλις, ἔνθα τε Μίνως
> Ἐννέωρος βασίλευε, Διὸς μεγάλου ὀαριστής.

Nicol. Damascen. *Univers. Histor.* Hæc vero Homeri vox Ἐννέωρος errori ansam præbuit Grammaticis eam perperam explicantibus δι' ἐννέα ἐτῶν, *per novem annos*, δι' ἐνναετηρίας, quasi novem annorum spatio antrum subierit Minos: quo in errore & Ephorum, & Porphyrium, & Auctorem Scholi min. *in Odyss.* Τ. & Etymologum, *in* Ἐννέωροι, & Strabonem auctoritate Platonis fretum *l.* xvi. pag. 762. esse videmus; cum tamen Plato in *Minoe* recte explicet, δι' ἐνάτου ἔτους, *nono quoque anno*; hoc enim est, quod alii tradunt Minoen nono quoque anno solitum leges emendare & ἐπανορθοῦν. Ἐνναετηρίδι est apud Eusebium *Chron. Can.* ad annum IↃCCLXV. Τὴν Κρητικὴν πολιτείαν λέγεται πρῶτος καταστῆσαι Μίνως, πρακτικός τε ἅμα καὶ νομοθέτης σπουδαῖος γενόμενος. ἐποιεῖτο δὲ δι' ἐνάτου ἔτους τὴν ἐπανόρθωσιν τῶν νόμων, Heraclid. *de Polit.* Minos Cretensium Rex nono quoque anno in quoddam præaltum & vetusta religione consecratum specus secedere solebat: & in eo moratus, tanquam a Jove, quo se ortum ferebat, traditas sibi leges prærogabat, Valer. Max. *l.* i. *c.* ii. ext. i. Antiqui Minoen dicunt Tyrannum fuisse, & violentum, & tributorum exactorem, tragice decantantes Minotaurum, Labyrinthum, eaque quæ Theseo & Dædalo evenerunt, Strabo *l.* x. p. 476. Minos primus fertur maris imperium obtinuisse, Strabo *l.* x. p. 476. Οὗτος πρῶτος Ἑλλήνων ναυτικὴν δύναμιν ἀξιόλογον συστησάμενος, ἐθαλασσοκράτησε, Diodorus *l.* iv. pag. 263. Euseb. *Chron. can.* ad an. IↃCCLXV. Θαλασσοκρατήσας δὲ πρῶτος πασῶν τῶν νήσων σχεδὸν ἀπῆρξεν, Apollod. *l.* iii. pag. 88. α. Κρῆτες πρῶτοι Ἑλλήνων νόμους ἔσχον Μίνωος θεμένου, ὃς καὶ πρῶτος ἐθαλαττοκράτησε, Nicol. Damascen. *Univers. Histor.* Videtur hæc insula, & ad imperium Græciæ natura facta, & pulcre admodum sita: —— διὰ

καὶ τῆς θαλάσσης ἀρχὴν κατέσχεν ὁ Μίνως, καὶ τὰς νήσους, τὰς μὲν ἐχειρώσατο, τὰς δ᾽ ᾤκισεν, Aristotel. *Polit. lib.* II. *cap* X. Marcian. Περ. p. 22.

> Πρώτους δὲ Κρῆτάς φασι τῆς Ἑλληνικῆς
> Ἄρξαι, θαλαττίας δὲ νησιώτιδας
> Πόλεις κατασχεῖν.

Et πρῶτος δοκεῖ εὑρηκέναι τὴν ἐπακτρίδα Μίνως, Etym. magn. *in* Ἐπακτροκέλης, id est, πλοῖον βραχὺ λῃστρικόν. Minos e Creta multas colonias huc & illuc misit, & Cycladum plerasque, agris sortito divisis, habitabiles fecit, & non parvam littoralis Asiæ partem suo imperio adjecit, Diodorus *lib.* V. fin. Cum autem late mari toti, quod Græciam alluit, imperaret, nihilo majorem Neptuno, quam cæteris Diis, honorem habuit: itaque Neptuni ira taurus immissus, Cretensium agrum vastavit. Is postea a Creta in Peloponnesum trajecit, ac inde in Argivorum campos actus, per Corinthiacum Isthmum in Marathoniam Atticæ regionem fugit: ibi inter alios multos, quos casus obtulerat, Minois etiam filium Androgeum interemit, Pausan. *Attic.* p. 50. Minos audita filii morte, quo tempore in Paro Gratiis sacra faciebat, projecta e capite corona & tibia, perrexit, & sacrificium nihilominus absolvit, Apollod. *lib.* III. p. 136. *a.* Ὁ δὲ Μίνως καὶ τὸν αὐλὸν ἀφεῖλαι τῆς θυσίας, καὶ τὸν στέφανον ὑπὸ λύπης, Plutarch. *Sanit. præc.* Minos fraude Atheniensium interemptum filium ratus, bellum Atheniensibus intulit: vide in *Atheniens. Ægeus.* Minos Megarensibus bellum intulit: vide in *Megarens. Nisus.* Ad Minoen in Cretam confugerat Dædalus Atheniensis, e Regia stirpe ejus gentis, qui Metionidæ appellantur, oriundus, (Eupalami & Alcippæ filius, Tzetz. *Chiliad.* I. *Hist.* XIX.) cum occiso sororis filio, quam patriis legibus meruisset, pœnam probe nosset: ibi & Regi ipsi, & ejus filiabus, miri operis signa fecit; sed postea a Minoe capitalis fraudis damnatus, & e vinculis cum filio Icaro elapsus, Inycum, quæ Siciliæ urbs fuit, ad Regem Cocalum evasit: cumque Cocalus poscenti Minoi Dædalum profugum dedere recusasset, ei Minos bellum fecit, Pausan. *Achaic.* p. 403. Cumque in Siciliam venisset, illic violenta morte occubuit in urbe Camico, quæ postea Acragantinorum fuit, Herodot. *lib.* VII. p. 501. vide Diod. *lib.* IV. p. 278. seq. Minoen a Cocali filiabus interemptum, decocto calido perfusum, & mox refrigeratum, scribit Tzetzes *Chil.* I. *Hist.* XIX. de Dædali operibus & Minotauro vide eundem *ibidem*, & Palæphatum περὶ Ἀπίστων in *Pasiphae.* Acacallidem uterum ferentem e Numine, Minos in Libyam traduxit, ubi ea Apollini peperit Amphithemin, & Garamantem. Amphithemis vero e Tritonide Nympha Nasamonem genuit & Caphaurum, qui Canthum Argonautam occidit, Apollon. *Argon. lib.* IV. v. 1491. seq.

Deucalion Minois & Pasiphaes filius, Eustathius *in Iliad.* B. Molus quoque Minois filius dicitur Diodorus *lib.* V. pag. 344. Sed Molus & Idomeneus Deucalionis filii Homer. *Odyss.* T. v. 181.

Cretenses omnes, præter Polichnitanos & Præsios, interjecto post mortem Minois tempore, divino impulsu cum magna classe in Siciliam trajecerunt, & quinquennio obsessum Camicum, cum ad extremum expugnare non possent, fame pene enecti, relicta obsidione abierunt: & dum circa Japygiam cursum tenuerunt, vi ventorum in terram ejecti, laceratis navibus, cum nulla in Cretam redeundi spes appareret, illic considentes urbem Hyriam condidere, & mutato nomine Japyges Messapii dicti fuerunt, Herodot. *lib.* VII. p. 501.

In Cretam incolis vacuam Præsii memorant, cum alios homines, tum præcipue Græcos immigrasse, Herodot. *lib.* VII. p. 502.

Molus & Idomeneus Deucalionis filii, Eustath. *in Iliad.* B. Moli filius Meriones, Eustath. *in Iliad.* B. & Diodor. *lib.* V. pag. 344. Idomeneus, & Meriones cum LXXX. navibus cum Agamemnone ad Trojam profecti fuerunt, Diodorus *lib.* V. pag. 344. ex Homer. *Iliad.* B. v. 645. seqq. Restituti autem patriæ, in ea obiverunt, mortuisque & sepultis monumentum cum hac inscriptione positum: ΚΝΩΣΣΙΟΥ ΙΔΟΜΕΝΗΟΣ ΟΡΑ ΤΑΦΟΝ. ΑΥΤΑΡ ΕΓΩ ΤΟΙ ΠΛΗΣΙΟΝ ΙΔΡΥΜΑΙ ΜΗΡΙΟΝΗΣ Ο ΜΟΛΟΥ, Diodor. *lib.* V. p. 344. Aristotelis in eos exstat Epitaphium:

> Κνωσίου Ἰδομενῆος ὁρᾷς τάφον. αὐτὰρ ἐγὼ τοῦ
> Πλησίον ἵδρυμαι Μηριόνης ὁ Μόλου.

Cretenses, cum tertia a morte Minois ætate bellum Trojanum incidisset, in eo strenuam operam Menelao locarunt; sed a bello reversi, una cum pecoribus fame ac peste absumpti fuerunt, & Creta habitatoribus vacua iterum facta, Herodot. *lib.* VII. pag. 502.

Cretenses tertii Cretam occuparunt, Herodotus *lib.* VII. pag. 502. Post excidium Trojæ Talthybius a Mycenis coloniam duxit in Cretam, Schol. min. *in Odyss.* T. v. 175. ad verba, ἐν μὲν Ἀχαιοί.

Tyrrhenos ajunt, qui Atheniensium filias & uxores rapuerant e Braurone, quo tempore Lemnum & Imbrum tenebant, inde pulsos in Laconicam concessisse, ibique e feminis indigenis liberos procreasse. Propter suspiciones vero & calumnias rursus coactos Laconicam cum uxoribus & liberis relinquere, in Cretam abiisse, Polin ducem sequutos, Plutarch. *Quæst. Græc.* XXI.

Althemenes Cissi filius, Temeni ejus, qui Argos habitatoribus frequentavit, nepos, coloniam (Doriensium, Strabo *lib.* X. pag. 477.) in Cretam deduxit, Strabo *lib.* X. pag. 481. ubi tamen corrupte legitur Κίσσου παῖδα, τοῦ τὸ Ἄργος κτίσαντος: lege παῖδα Κίσσου, τοῦ Τημένου Ἄργος κτίσαντος. Habitant vero in Creta Græci, partim Lacedæmoniorum, partim Argivorum, partim Atheniensium coloni, partim e reliqua Græcia, quoscunque illuc ire casus tulit: sunt etiam quidam incolarum αὐτόχθονες, Scyl. Caryand. p. 125. Dicæarch. p. 180.

> —— ἐν δὲ ταύτῃ τρία γένη
> Ἀποικίας ἔσχηκεν Ἑλλήνων. τὸ μὲν
> Λακεδαιμονίων. ἔπειτεν Ἀργείων. τό, τε
> Ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων, ἔχει δὲ βάρβαρα
> Αὐτόχθονα γένη.

Cretenses seditionibus laborabant: ad eas sedandas Lacedæmonii, regnante Alcamene Telecli F. miserunt in Cretam Charmidam Ethyis F. Is Cretensibus auctor fuit, ut oppida, quæ a mari remotiora essent, & alias parum firma, relinquerent; quæ vero navibus appellendis essent opportuna, in iis excolendis Cretenses juvit, Pausan. *Lacon.* p. 162.

Cretenses sagittarii, e Lycto & aliis Cretæ urbibus evocati a Lacedæmoniis, in agrum Messeniorum excursiones fecerunt, Pausanias *Messen.* pag. 252.

Cretenses a reliquis Græcis de auxiliis adversus Xerxem sollicitati, Oraculum Delphicum consuluerunt: ab illo iis exprobratum fuit, quod Minois mortem in Sicilia non vindicassent: quo accepto responso, nulla auxilia Græcis misere, Herdot. *lib.* VII. pag. 500. 501.

Creta Mithridati favisse videbatur: hoc placuit armis vindicare. Primus invasit insulam M. Anto-

nius, sed infeliciter, Flor. *lib.* III. *cap.* VIII. A Q. Metello Creta insula in Populi Rom. potestatem redacta est, quæ ducibus Panare & Lasthene XXIV. millibus juvenum coactis, velocitate pernicibus, armorum laborumque patientissimis, sagittarum usu celeberrimis, per triennium Romanos exercitus fatigaverat, Vellej. *lib.* II. nec quicquam amplius tamen de tam famosa victoria, quam cognomen Creticum reportavit Metellus, Florus *lib.* III. *cap.* VII.

Cretam in confesso est priscis temporibus optimis legibus fuisse compositam, ideoque ad sui imitationem pertraxisse præstantissimos Græcorum, & imprimis Lacedæmonios, quod & Plato in *Legibus* docet, & Ephorus in *Europæ Politia*. (vide & Aristotel. *Polit. lib.* II. *cap.* X.) Sed postea in deterius abiit: post Tyrannos enim, qui maxime infestum habuerunt Græcum mare, Cretenses in latrocinia successerunt. Eos Cilices deinde oppresserunt. Omnes vero Romani evertere, debellata Creta, una cum piraticis Cilicum castellis, Strabo *lib.* X. p. 477.

Creta urbes habet complures: maximas autem & nobilissimas tres, Cnossum, Gortynam, Cydoniam, Strabo *lib.* X. pag. 476. Homerus Cretam vocat nunc Ἑκατόμπολιν, *Iliad.* B. v. 649. nunc ἐννενηκοντάπολιν, *Odyss.* T. v. 174. unde Ephorus ait X. urbes post bellum Trojanum conditas fuisse a Doriensibus, qui eo Althæmenem sequuti sunt. Alii ab Idomenei hostibus X. urbes deletas perhibent. Sed Homerus non post bellum Trojanum ἑκατόμπολιν fuisse Cretam dicit, sed suo tempore: nam ἐκ τοῦ ἰδίου προσώπου legitur, Strabo *lib.* X. pag. 477. Urbes X. a Leuco, deficiente ab Idomeneo, eique rebellante, eversas fuisse scribit Eustath. *in Iliad.* B. Ab ipso Idomeneo eversas, cum ab expeditione Trojana rediret, & insula prohiberetur a Leuco, quem, adoptatum, Regni custodem reliquerat, scribit Eustath. & Schol. min. *in Odyss.* T. De Leuco vide Lycophron. v. 1215. seqq. Alii indefinite ἑκατόμπολιν vocatam intelligunt, & simpliciter πολύπολιν, Eustath. *in Odyss.* T. Ρητέον ἂν ἤτοι ἑκατόν φησιν, οὐ τῷ ἀριθμῷ, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ πολλάς. ἢ καὶ ἀληθέστερον ὡς ἔχει ὅ, τι ἐξ ἱστορίας λέγεται. Λεῦκος γὰρ ὁ Κρητῶν ἐπικρατήσας, τὰς δέκα πόλεις ἐπόρθησεν εἰς φόβον τῶν ἄλλων, καὶ εὐλόγως ἐν τῇ Οδυσσείᾳ ἐνενήκοντα εἶπεν αὐτὴν ἔχειν, Schol. min. *in Iliad.* B. μετὰ δὲ τὰ Τρωϊκὰ αἱ δέκα πόλεις προσεκτίσθησαν, Schol. min. *in Odyss.* T.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, Callimach. *Hymno in Jov.* 8. ἐπεὶ πέλον ἠπεροπῆες, Nonn. *Dionys. lib.* VIII. v. 118.

Gnossos urbs Cretæ, a Minoe condita, Strabo *lib.* X. pag. 476 Gnossum Homerus præcipue celebrat μεγάλην πόλιν vocans & βασίλειον τοῦ Μίνω, *Odyss.* T. v. 178. 179. sicut & posteriores diu sane primas tulit: postea depressa, & multis privilegiis spoliata fuit, dignitate in Gortynam & Lyctum translata: recuperavit tamen deinde veterem metropolis speciem, Strabo *lib.* X. pag. 476. Gnossii cum Gortyniis consentientes, reliquas urbes sibi subjecerunt: discordantes totam insulam dissentionibus exagitarunt: προσθήκη δ' ἦν ἡ Κυδωνία μεγίστη, ὁποτέροις προσγένοιτο, Strabo *lib.* X. p. 478. Γνώσιοι συμφρονήσαντες Γορτυνίοις πᾶσαν ἐποιήσαντο τὴν Κρήτην ὑπ' αὐτοῖς, πλὴν τῆς Λυττίων πόλεως, Polybius *lib* IV. p 319.

Gnossus habet coloniam Romanorum, Strabo *lib.* X. pag 477.

Gortyna urbs Cretæ, dicta ab Heroe Gortye: vocabatur etiam Larissa, deinde Cremnia, & tandem Γόρτυς, Stephan. Τόγε μάλιστ' ἐδόκησεν πανῶν ἐνθάδε (in Creta) γένος τὸ Γορτυνικόν. ἐκ Γορτυνῆς τυγχάνει ἀπῳκισμένον ταύτης τῆς Πελοποννησιακῆς, Plato *de LL. lib.* VI. pag. 708.

Lyctus urbs Cretæ, nomen accepit a Lycto Lycaonis filio, ut placet Stephano: alios vero ait eam λύττον vocare, tanquam in edito loco sitam: τὸ γὰρ ἄνω καὶ ὑψηλὸν, λύττον φασὶ, Eustath. *in Iliad.* B.

Lyctii Lacedæmoniorum coloni, Aristotel. *Polit. lib.* II. *cap.* X. Λύττος ἡ Λακεδαιμονίων μὲν ἄποικος οὖσα καὶ συγγενὴς, ἀρχαιοτάτη δὲ τῶν κατὰ Κρήτην πόλεων, ἄνδρας δ' ὁμολογουμένως ἀρίστους αἰεὶ τρέφουσα Κρηταιέων, Polyb. *lib.* IV. p. 320.

Lytii, cum Cnossii & Gortynii totam insulam subegissent præter solam Lyttum, in hostilem agrum omnes copias suas eduxerunt. Sed Cnossii, ea expeditione cognita, Lyttum præsidio vacuum occuparunt, liberisque & conjugibus Lyttiorum Cnossum missis, incenderunt urbem & plane everterunt. Lytti ab expeditione reversi, calamitate illa visa in Lampæorum urbem se contulerunt, & ab iis singulari humanitate suscepti fuerunt, Polyb. *lib.* IV. p. 319. 320.

Miletus urbs Cretæ, Asiatica Mileto vetustior, cui & nomen dedit, Eustath. *in Iliad.* B.

Lycastus urbs Cretæ, nomen accepit a Lycasto indigena. Stephan. vel a Minois filio, Eustath. *in Iliad.* B.

Phæstus (Φαιστὸς ad discrimen nominis proprii Φαῖστος) urbs Cretæ, nomen accepit a conditore Phæsto, Rhopali filio, Herculis nepote, Eustath. *in Iliad.* B. ex Stephano.

Phytion πόλισμα in Creta, Eustath. *in Iliad.* B. πόλις Κρήτης, Stephan.

Cydonia urbs Cretæ, Strabo *lib.* X. pag. 476. Nomen accepit a Cydone Mercurii filio ex Acacallide Cretica, Schol. Apollon. *Argon. lib.* VI. v. 1491. seqq. Prius Apollonia appellata fuit, Stephan.

CYTHERII.

CYthera insula, urbem cognominem habens, ad Cretam sita, nomen accepit a Cythero Phœnicis filio: vocabatur vero Porphyrusa ob pulcritudinem παρὰ τῶν πορφυρῶν, ut ait Aristoteles, Stephan. διὰ τὸ κάλλος τῶν ἐν αὐτῇ πορφυρῶν, Eustath. *in Iliad.* X. Hesiodus ait Cytherein vocari Venerem, quia appropinquavit Cytheris, Eustath. *in Dionys.* In Myrtoo Cythera contra Maleam emissa, Mela *lib.* II. *cap.* VII. Τὰ δὲ Κύθηρα νῆσός ἐστιν, ἐπίκειται δὲ τῇ Λακωνικῇ κατὰ Μαλέαν. Λακεδαιμόνιοι δ' εἰσὶ τῶν περιοίκων, Thucyd. *lib.* IV. p. 286. Eam Argivorum ditionis fuisse scribit Herodotus *lib.* I. pag. 37. Sed Cytherii Dorienses, Lacedæmoniorum coloni dicuntur Thucydidi *lib.* VII. pag. 537. magistratusque & præsidium e Sparta quotannis in hanc insulam mittebatur. Κυθηροδίκης ἀρχή ἐκ τῆς Σπάρτης διέβαινεν αὐτόσε κατ' ἔτος, ὁπλιτῶν τε φρουρὰν διέπεμπον ἀεὶ, καὶ πολλὴν ἐπιμέλειαν ἐποιοῦντο. ἦν γὰρ αὐτοῖς τῶν τε ἀπ' Αἰγύπτου καὶ Λιβύης ὁλκάδων προσβολὴ, καὶ λῃσταὶ ἅμα τὴν Λακωνικὴν ἧσσον ἐλύπουν ἐκ θαλάσσης, ᾗπερ μόνον οἷόν τ' ἦν, Thucydid. *lib.* IV. p. 286. Chilon Lacedæmonius ajebat utilius esse Lacedæmoniis, si hæc insula aquis obrueretur, quam si supra aquas exstaret: metuens ne qua classis hostilis illa potita, Lacedæmoniis infesta foret, Demaratus apud Herodot. *lib.* VII. pag. 525. Insula fertilis est, mellis & vini ferax, Heraclid. *de Polit.*

Cytheriorum insulam Athenienses, duce Tolmide, ceperunt, Pausan. *Attic.* p. 49. Cytheriorum iusulam Athenienses, duce Nicia, commisso prælio victores, in suam redegerunt potestatem: Cytheriosque e suis sedibus in alias transtulerunt, cum quod Lacedæmonii essent, tum etiam quod ea

insula adeo vicina agro Laconico esset, Thucyd. *lib.*IV. p.286.287.

Cytherii φιλάργυροί εἰσι καὶ φιλόπονοι, Heraclid. *de Polit.*

Cytherius erat Philoxenus Dithyrambicorum scriptor, dilectus a Dionysio Syracusanorum Tyranno, Tzetzes *Chiliad.* X. *Histor.* CCCLVIII.

Calauria insula Trœzenio littori proxima, inter ignobiles, alias letho Demosthenis nobilis, Mela *lib.*II. *cap.* VII. Καλαύρειά τε τρηχεῖα, *Dionys.* Περ. v. 499. Ajunt Calauriæ insulæ ambitum ad XXX. stadia patere, freto IV. stadiorum distantem ab Epiro. Ajunt in Calauria insula templum esse Neptuni asylum: ideoque Demostheni quoque illuc confugienti Archiam ab Antipatro missum, non vim intulisse, sed ut ultro discederet suasisse: sed illum non paruisse, sed ipsum sibi manus intulisse. Ajunt porro Neptunum Calauriam cum Latona permutasse, accepta Delo. Unde proverbium de permutantibus æqualia;

Ισόν τοι Δῆλόν τε Καλαυρίαν τε νέμεσθαι,
Πυθῶ τ' ἠγαθέην, καὶ Ταίναρον ἠνεμόεντα.

Eustath. *in Dionys.* e Strabon. *lib.*VIII. Calauriam Irenen olim appellabant a fœmina Irene, quam Neptuno & Melanthea Alphei filia natam fabulantur. Postea Anthe & Hypere illic habitantibus, Anthedoniam & Hyperean vocabant eam insulam. Oraculum vero tale erat, teste Aristotele:

Πῖν' οἶνον τρυγίαν, ἐπεὶ οὐκ Ανθηδόνα ναίεις,
Οὐδ' ἱερὰν Ὑπέραν, ὅτι κἂν τρύγα οἶνον ἔπινες.

Plutarchus *Quæst. Græc.* XIX.

THERÆI.

THera insula inter Sporadas refertur ab Eustath. *in Dionys.* Περ. & Dicæarcho p. 181. & Melæ *lib.*II. *cap.* VII. & Plinio *lib.* IV. *cap.* XII. Sed inter Cretam & Cyrenen sitam ait Strabo *lib.*VIII. p.347. In hanc insulam, quæ tum Calliste appellabatur Cadmus Agenoris filius, cum Europam quæreret, pervenit; & sive regionis amore captus, sive alia aliqua ratione motus, reliquit illic cum alios quosdam Phœnices, tum Membliarem Phœcilis filium, cognatum suum, Herodot. *lib.*IV. p.308. Callimach. apud Strabon. *lib.*ult.

Καλλίστη τοπρόσθε, τὸ δ' ὕστερον οὔνομα Θήρα,
Μήτηρ εὔιππου πατρίδος ἡμετέρης.

Theras Autesionis filius Lacedæmone relicta, post octo hominum ætates ab occupata a Phœnicibus insula Calliste, Lacedæmonios & Minyas e Lemno a Pelasgis pulsos, in Callisten deduxit, mutatoque ejus nomine de se Theram appellavit: & ei quidem Theræi tanquam coloniæ conditori quotannis parentant, Paus. *Lacon.* p.160.189. *Achaic.* p. 398. Herodot. *lib.*IV. p.308.309. Εκτισαν τὴν πόλιν τὴν μητρόπολιν, ὁμώνυμον δ' ἀπέδειξαν τῇ πόλει καὶ τὴν νῆσον, Strabo *lib.*VIII. p. 347. vide in *Lacedæmon.* & *Minyis*. Θήρα ἄποικος Λακεδαιμονίων, Strabo *lib.*X. p. 484. μεγάλαν πολίων ματρόπολιν vocat Pindar. *Pyth.* ode IV. epod. I. Theras a Callimacho *Hymno in Apollin.* v.74. vocatur ἕκτον γένος Οἰδιπόδαο, recte: hæc enim series: Oedipus, Polynices, Thersander, Tisamenus, Autesion, Theras, Samus: huic duo erant filii, Telemachus & Clytius: & Clytius quidem in Thera insula mansit, Temachus vero consedit in regione, unde collectis copiis in Siciliam concessit, & solum occupavit: cujus filius fuit Chalciopeus: e quo genitus Ænesidamus, pater Theronis, Schol. Pindar. *Olymp.* ode II. p. 22.

A Grinus Æsanii filius a Thera oriundus, Rex insulæ Theræ, Delphos profectus, una cum aliis civibus, tum vero Batto Polymnesti filio, genere Euthymide ex Minyis, cum oraculum consuleret de aliis rebus, urbem in Libya condere a Pythia jussus fuit. Is vero ætatem graviorem excusans, juniori alicui istam provinciam dari petiit, simulque Battum ostendit. Neglectum id oraculum fuit, in primis quod ubi Libya esset, ignorarent. Septimo post hæc anno, cum in Thera non pluisset, & arbores omnes præter unam exaruissent, consulentibus Theræis Pythia objecit illam in Libyam coloniæ deductionem. Illi quoniam nullum
B mali remedium erat, miserunt in Cretam nuncios percontaturos, si quis indigenarum aut advenarum illinc in Libyam navigasset. Illi Corobium quendam, qui se vi ventorum in Libyam aliquando abreptum dicebat, mercede data in Theram deduxerunt. Eoque duce Theræorum non multi ad explorandum in Libyam profecti sunt: quo illic relicto, ipsi in Theram reversi popularibus suis renunciarunt, quid deprehendissent. Placuit ergo Theræis, ut e singulis oppidis, quæ VII. erant, sortito mitterentur coloni, duce pariter ac Rege Batto. Ita duæ biremes in Platæam Libyæ iverunt.
C Hæc ita Theræos memorare scribit Herodotus *lib.* IV. pag 309. 310. 311. Sed Cyrenæi aliter referunt: Etearchum Oaxi in Creta Regem, mortua uxore, filiæ Phronimæ novercam induxisse: eam inter alia novercæ facinora Phronimæ crimen impudicitiæ impegisse: Etearchum fidem uxori habuisse, & Theræo negotiatori Themisoni, data jurejurando fide, filiam tradidisse in mare demergendam: Themisonem in mare provectum puellam funibus revinctam, ut jurisiurandi religione defungeretur, in mare demisisse, sed mox retraxisse, & cum ea in Theram pervenisse: Phronimam porro in concubinatum a Polymnesto, viro inter Theræos
D spectato, acceptam peperisse ei filium, cui vocis sonus exilis ac balbutiens fuerit: eum, ubi adolevisset, Delphos ob linguæ vitium adiisse, & a Pythia hoc responsum tulisse:

Βάττ' ἐπὶ φωνὴν ἦλθες· ἄναξ δέ σε Φοῖβος Απόλλων
Ες Λιβύην πέμπει μηλοτρόφον οἰκιστῆρα.

perinde ac si lingua Græca oraculum reddens dixisset, Ω βασιλεῦ, ἐπὶ φωνὴν ἦλθες: nam Battum Libyes Regem appellant: adeo ut Batti nomen acceperit, non ob balbutientem linguam, quod volunt Theræi & Cyrenæi; sed ob regium honorem, quem in Libya postea consequutus fuit, & quod ita compellatus fuerat a Pythia lingua Libyca,
E quoniam eum futurum Regem Libyæ noverat. Battum ergo, cum aliud responsum a Pythia impetrare non posset, in Theram rediisse. Cum autem ab eo tempore, & in ipsum, & in cæteros Theræos, ex ira numinis calamitates incumberent, iterum Delphicum Oraculum consuluisse: ab eo monitos Theræos, res se melius habituras, si cum Batto Cyrenen in Libya conderent, Battum cum duabus biremibus illuc misisse: eos navigatione in Libyam peracta, in Theram rediisse; sed terra prohibitos a Theræis, revectos, in insula Libyæ adjacenti, cui nomen est Platæa, ad habitandum consederunt, Herodot. *l.*IV.p.311.312. Οὗτος (Battus)
F ἦλθεν ὡς Δελφοὺς περὶ τῆς φωνῆς πευσόμενος. ἦν γὰρ ἰσχνόφωνος. τοῦ δὲ Θεοῦ κελεύοντος κτίζειν Λιβύην, τὸ μὲν πρῶτον ὁρμίσας ἠδυνάτησε, Heraclid. *de Polit.* Battum oraculo parentem, in Libyam venisse: abundare vero regionem illam leonibus: & Battum in leonem subito incidisse, metuque cogente exclamasse, unde rupta vena, quæ vocem ejus præpediebat, vocalem evasisse, ac Cyrenen condidisse, scribit Schol. Callim. *Hym.*II. Oraculum Batto datum hoc fuisse fertur apud Schol. Pind. *Pyth.* ode IV.

Βάττε πρόσθε κακὸν, τὸ δὲ δεύτερον ἐσθλὸν ἐρδέμεν,
Ἔρχεο λιπὼν ἀλίαν χώραν. ἠπειρος ἀμείνων
Ἠέρος. πρότερον δόλον ἔμβαλε πέθει πείθων.
Στέψαν γὰρ οὐ στίας μίσει πολλῶν ἀθεμίστων.
Οἷά τ' αἰνὰ ῥέξοι, τοῖοι τέλος αὐτὸν ἱκάνει.

Pindar. *Pyth.* ode IV. antiſtr. III.

Ω μάκαρ υἱὲ Πολυ-
 μνάστε, σὲ δ' ἐν τούτῳ λόγῳ
Χρησμὸς ὤρθωσε Μελίσσας
Δελφίδος αὐτομάτῳ κελάδῳ
Ἅ σε χαίρειν ἐς τρὶς αὐ-
 δάσαισα, πεπρωμένον
Βασιλέ' ἄμφανε Κυράνας,
Δυσθρόου φωνᾶς ἀνακρινόμενον,
Ποινὰ τίς ἔσται πρὸς Θεῶν;

Fuit vero nomen Batto proprium Ariſtoteles. Βάττος, ὃς ἐκαλεῖτο πρότερον Ἀριστοτέλης, Heraclid. *de Polit.* Callimach. *Hymno in Apollin.* v. 75. ſeq.

—— ἐκ δέ σε Θήρης
Οὖλος Ἀριστοτέλης Ἀσβύστιδι πάρθετο γαίῃ.

Pindar. *Pyth.* ode v. epod. III.

Τοὺς Ἀριστοτέλης ἄγαγε ναυσὶ θοαῖς
Ἁλὸς βαθεῖαν κέλευθον ἀνοίγων.

Battus vero & Regem, & balbutientem ſignificat. Βάττος, βασιλεύς, Τύραννος. Λίβυες· τραυλόφωνος, ἰσχνόφωνος, Heſychius. Cur Oraculum adierit Battus, non convenit inter ſcriptores: alii enim ob vocis vitium eum veniſſe ajunt, & huc referunt oraculum Βάττ' ἐπὶ φωνήν: alii ajunt ob ſeditionem quæ in Rep. inciderat. Menecles vero ait de ſeditione cauſam videri veriſimiliorem, illam de lingua fabuloſiorem, Schol. Pindar. *Pyth.* ode IV. Battum Ariſtæum, ejus patrem Cirnum, Theraminis inſulæ Regem vocat Juſtinus *Hiſtor.* l. XIII. Theræi cum biennio in Platæa habitaſſent, neque tamen meliore loco res ipſorum eſſent, uno ſuorum illic relicto, cæteri Delphos ad Oraculum conſulendum navigarunt, a quo hoc reſponſum datum:

Αἰ τὺ ἐμεῦ Λιβύην μηλοτρόφον οἶδας ἄμεινον
Μὴ ἐλθὼν, ἐλθόντος ἄγαν ἄγαμαι σοφίην σεῦ.

Quæ cum audiviſſent, qui cum Batto erant, redierunt, neque eos Deus alio migrare ſivit, priuſquam in Libyam conceſſiſſent. Regreſſi ad inſulam, & recepto, quem illic reliquerant, Theræo, locum in Libya occuparunt, e regione inſulæ, cui nomen erat Aziriſtus, amœniſſimis collibus utrinque concluſum, & utrinque flumine præterlabente. Eum locum cum ſex annis incoluiſſent, ſeptimo, Libyum admonitu, in meliorem tranſituri, deſeruerunt. Et Libyum ductu, verſus veſperum in ſpecioſiſſimum locum, cui nomen erat Iraſa, commigrarunt, Herodot. *l.* IV. p. 312. 313. Pindar. *Pyth.* ode IV. ſtrophe I.

—— ἱέρεια
Χρῆσεν οἰκιστῆρα Βάττον
Καρποφόρου Λιβύας, ἱερὰν
Νᾶσον ὡς ἤδη λιπὼν
Κτίσσειεν εὐάρματον
Πόλιν ἐν ἀργινόεντι μαστῷ.

Theræos, cum veniſſent in Africam, pulſis accolis, montem Cyran, & propter amœnitatem loci, & propter fontis ubertatem occupaſſe: ibique Battum ducem eorum, linguæ nodis ſolutis, loqui primum cœpiſſe: & eam rem animos eorum, ex promiſſis Dei jam parte percepta, in reliquam ſpem condendæ urbis accendiſſe: poſitiſque igitur caſtris, opinione veteris fabulæ accepta de Cyrene,

A ejus virginis nomine e reſponſis agnito, Battum urbem Cyrenen condidiſſe, ſcribit Juſtinus *Hiſtor.* lib. XIII. vide in *Cyrenæis Libyæ.*

PLATÆA.

Platæa inſula Libyæ objecta, Stephan. In ea Theræi coloniam deduxerunt: vide in *Theræis.*

IOLAENSES in SARDINIA

Græci quidam in Sardiniam, quam tum Libyes
B aliis Barbaris permiſti incolebant, venerunt ductum & auſpicia ſequuti Ariſtæi Apollinis & Cyrenes Nymphæ filii, qui ob Actæonis caſum acri confectus dolore, ac Bœotiæ jam totique Græciæ infenſus, illuc migravit. Sed hi nullam urbem condiderunt, quod numero & viribus minores eſſent, quam ad civitatem conſtituendam ſufficerent, Pauſan. *Phocic.* p. 638. 639. Ariſtæo in Sardinia habitanti duo filii nati ſunt, Charmus & Calæcarpus, Diodor. *l.* IV. p 281.

Græci alii e Theſpienſibus & Attica, duce Iolao in Sardiniam profecti, Olbiam condiderunt, ſeorſim vero Athenienſes Ogryllam, ſervato Attici cu-
C juſdam oppiduli nomine; vel quod coloniæ ſocius ac dux fuerit Gryllus, Pauſan. *Phocic.* p. 639. Liberos ſuos e Theſpii filiabus natos Herculem juſſu oraculi in Sardiniam, cumque iis magnas Græcorum Barbarorumque copias, miſiſſe in coloniam: eique præfuiſſe Iolaum Herculis fratris filium, qui in inſula x. memorabiles urbes condiderit, & ſorte diviſa terra, populos de ſuo nomine appellarit Iolaeos, ſcribit Diodor. *l.* v. p. 296. Λέγεται γὰρ Ἰόλαος ἄγων τινὰς τῶν παίδων τοῦ Ἡρακλέους ἐλθεῖν δεῦρο, καὶ συνοικῆσαι τοῖς τὴν νῆσον ἔχουσι Βαρβάροις, Strabo *l.* v. p. 225. Vicos quoſdam in Sardinia, qui Iolaei vo-
D carentur, & ab incolis honores habitos Iolao, fuiſſe, ſcribit Pauſan. *Phocic.* p. 639. Πορθεῖται Sardinia συνεχῶς ὑπὸ τῶν ὀρείων, οἳ καλοῦνται Διαγήσβρεις, Ἰολαεῖς πρότερον ὀνομαζόμενοι, Strabo *l.* v. p. 225. Sardiniam a Sardone Herculis filio appellatam, cum ante Ichnuſa vocaretur, quod hominis veſtigio (ἴχνει) ſimilis ſit: & quondam ab Iberis etiam inhabitatam: deinde ab Heraclidis, cum Hercules illuc in coloniam miſiſſet Theſtiadas, & ex Cadmeis & Locris quoſdam: poſtremo a Carthaginenſibus occupatam fuiſſe, ſcribit Euſtath. *in Dionyſ.* Ἐκαλεῖτο δὲ Ἰχνοῦσα, διότι ἐοικυῖα ἦν ἀνθρώπου ἴχνει, Stephan. Ὄνομα δὲ τῇ Σαρδοῖ τὸ ἀρχαῖον, ὅτι μὲν ὑπὸ
E τῶν ἐπιχωρίων ἐγένετο, οὐκ οἶδα. Ἑλλήνων δὲ οἱ κατ' ἐμπορίαν ἐσπλέοντες Ἰχνοῦσαν ἐκάλεσαν, ὅτι τὸ σχῆμα [illegible] κατ' ἴχνος μάλιστά ἐστιν ἀνθρώπου, Pauſan. *Phocic.* p. 638.

Græci, qui in Sardinia erant, a Libybus, magna claſſe illuc profectis, omnes ad internecionem exciſi, vel certe quam pauciſſimi relicti fuere, Pauſan. *Phocic.* p. 639. Ὕστερον δὲ Φοίνικες κατεκράτησαν, οἱ ἐκ Καρχηδόνος, Strabo *l.* IV. p. 225, Iolaeos ad montana confugiſſe, & habitaculis ſub terra ſtructis multos pecorum greges aluiſſe, nec a Carthaginenſibus ſubactos fuiſſe: poſtremo a Romanis ſæpius armis laceſſitos, locorum aſperitate invictos
F manſiſſe: & Theſpiadas, cum per multas ætates inſulæ præfuiſſent, tandem inde expulſos in Italiam, circa Cumam habitaſſe: reliquos qui in inſula manſerunt, ad barbariem redactos, & indigenarum optimos Reip. præficientes libertatem ſervaſſe ad ſuam uſque ætatem ſcribit Diodorus *l.* v. p. 296. 297.

Agryle urbs in Sardinia, Athenienſium Colonia, Stephan.

ALALIA in CORSICA.

Alalia urbs insulæ Cyrni, condita a Phocæensibus, Stephan. apud quem tamen perperam legitur Φωκέων pro Φωκαέων: vide in *Phocæens.* ex Herodoto *lib.* I. p. 74. seq. Ἡ δὲ Κύρνος ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων καλεῖται Κόρσικα, Strabo *lib.* v. p. 224. Diodor. *lib.* v. p. 295. Dionys. Περ. v. 458. seq.

> —— ἀπείρητος εἰν ἁλὶ Κύρνος,
> Ἣν ῥά τε Κορσίδα φῶτες ἐπιχθόνιοι καλέουσι.

Male ergo Schol. Callimachi: Κύρνος, ἡ νῦν Τύρος καλουμένη, in *Hymno in Delum* v. 19. Κάλαριν (in Corsica) Φωκαεῖς (sic lego pro Φωκεῖς) ἔκτισαν, Diodor. *lib.* v. p. 295. Hanc ego Alalian Herodoti & Stephani esse puto: pro Κάλαριν Ph. Cluverius Αλαρίαν: sic enim post appellatam hanc urbem, & demum Αλερίαν scribit. Caralæ urbis, est apud Florum *lib.* II. *cap.* I. & Οὐαλερίαν apud Zonaram Tom II. Sed Straboni *lib.* v. p. 224. Κάραλις.

Phocæenses cum aliquandiu in Corsica habitassent, a Tyrrhenis inde ejecti fuerunt, Diodor. *lib.* v. p. 295. vide in *Phocæensib.* & *Eleatis*, ex Herodoto. Ut antiquiora, quæ vetustas obduxit, transeam, Phocide relicta Graii, qui nunc Massiliam colunt, prius in hac insula consederunt: ex qua quid eos fugaverit, incertum est: utrum cæli gravitas; an præpotentis Italiæ conspectus; an natura impetuosi maris, Seneca *Cons. ad Helv. cap.* VIII. Colonia deducta Aleriam a Dictatore Sylla, Plin. *lib.* III. *cap.* VI. Capta autem fuit urbs a L Scipione, Zonaras Tom. II.

Nicæa urbs Corsicæ, condita a Tyrrhenis, Diodor. *lib.* v. p. 295.

ÆOLI INSULÆ. LIPARÆI.

Æoli insulæ αἱ τῶν Λιπαραίων νῆσοι dictæ, Strabo *lib.* VI. p. 256. Eustath. *in Dionys.* Septem Æoliæ appellatæ: eædem Lipareorum, & Hephestiades a Græcis, a nostris Vulcaniæ, Plin. *lib.* III. *cap.* VIII. Nomen acceperunt ab Æolo Neptuni & Arnes filio, qui has maris Tyrrheni insulas occupavit, Diodor. *lib.* IV. p. 270. vide in *Bœotiis*. Sunt vero insulæ Æoliæ septem numero, Strongyle, Euonymos, Didyme, Phœnicusa, Hiera, Vulcania, Lipara, in qua est urbs ejusdem nominis, Diodor. *lib.* v. pag. 291. Æolis vel potius Æolia, Strongyle, Didyme, Hiera, Lipara, Ericodes, Phœnicodes: vocatur & una harum secundum quosdam Hicesion, Eustath. *in Odyss.* K. Strongyle, Didyme, Hiera, Hicesia, Lipara, Ericodes, Phœnicodes, Schol. min. *in Odyss.* K. Αἰολίην ἐς νῆσον ad Æolum Hippotadam venisse dicitur Ulysses *Odyss.* K. v. I. seq. ubi Eustathius recte quidem dicit Æolos tres fuisse, sed in eo fallitur, quod hunc Hippotæ filium fuisse putat, cum Hippotæ pronepos e filio Æolo & nepte Arne fuerit: in eodem errore & Auctor Schol. min. est illic. Sed & sui immemor Diodor. *lib.* v. p. 291. Æolum Liparæ Regem Hippotæ filium vocat; nisi forte non υἱὸν, sed ἀπόγονον apud illum intelligere oporteat. Æoliæ (appellatæ) quod Æolus Iliacis temporibus ibi regnabat, Plinius *lib.* III. *c.* VIII. In Strongyle Æolum habitasse ferunt, Eustath. *in Dionys.* Περ. In Strongyle regnavit Æolus, Plinius *lib.* III. *cap.* IX.

Lipara insularum septem Æoli maxima, nomen accepit a Liparo Ausonis filio: Meligunis ante vocabatur, Stephan. Ajunt vero Æoli insulas olim incolis vacuas fuisse, sed postea Liparum Ausonis Regis filium, orta inter fratres seditione, navibus

A

longis & milite potitum, in eam insulam, quæ ab ipso Lipara appellata fuit, aufugisse, & condita urbe, de suo nomine appellata, cæterarum insularum agrum quoque coluisse. Postea cum senuisset, Æolo Cyanen filiam uxorem dedit, ipseque demum in Italiam rediit: Æolus vero, cum ut advenæ æquo cum indigenis jure viverent, effecisset, insulæ imperium consequutus fuit. Ad hunc Æolum Ulyssem venisse fabulis proditum est, fuisseque justum ac pium, & in hospites perhumanum. Eundem fabulantur esse ταμίαν τῶν ἀνέμων, quod velorum usum navigantes docuerit, & tempestates e certis signis prædixerit. Nati illi sex liberi fuerunt,

B

quorum Astyochus Liparæ imperium tenuit: Jocastes maritimam Italiæ oram ad Rhegium usque suæ ditionis fecit: Pheræmon & Androcles Siciliæ partes a freto Lilybæum usque obtinuerunt: Xuthus Leontinorum terram, Xuthiam ab ipso dictam, possedit: Agathyrnus regionem, quæ ab ipso Agathyrnis dicta, consequutus, oppidum sui nominis Agathyrnum condidit, Diodor. *lib.* v. p. 291. Homer. *Odyss.* K. v. 5. seqq. de Æolo:

> Τοῦ καὶ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροις γεγάασιν,
> Ἓξ μὲν θυγατέρες, ἓξ δ' υἱέες ἡβώοντες,
> Ἔνθ' ὅγε θυγατέρας πόρεν υἱάσιν εἶναι ἀκοίτας.

C

vide Schol. minor. illic. Liparum Regem successisse Æolo, scribit Plinius *lib.* III. *cap.* IX.

Cum in Sicilia pluribus sæculis Æoli progenies regnasset, tandem defecit: cumque insulæ semper & magis cultoribus vacuæ redderentur, Cnidii quidam & Rhodii, moleste ferentes Regum Asiaticorum graviora imperia, constituerunt coloniam mittere: ideoque præfecto sibi duce Pentathlo Cnidio, qui genus suum ad Hippotem Hercule ortum referebat, circa Olympiada quinquagesimam, qua vicit Lacedæmonius Epitelides, in Siciliam navi-

D

garunt, fœdereque cum Selinuntiis, qui bellum gerebant adversus Ægestanos, icto, prælioque commisso, eorum multi, cum ipso duce Pentathlo, cæsi fuerunt; superstites e familiaribus Pentathli duces crearunt, Gorgum, Thestorem, & Epithersiden, ac per Tyrrhenum mare cursum instituerunt, advectique ad insulam Liparam, & illic amice accepti, suasu incolarum illic consederunt, cum ex Æoliis circiter quingenti tum illic etiamnum reliqui essent, Diodor. *lib.* v. p. 292. Cnidios primum urbem ad Pachynum Siciliæ promontorium condidisse, sed ab Elymis & Phœnicibus inde bello pulsos, insulas Æoli occupasse: ac in Li-

E

para quidem urbe condita, domicilia sua statuisse, Hieran vero, & Strongylen, & Didymas ad arationes reservasse: adeoque Liparæos Cnidiorum colonos, Pentathlo duce, homine Cnidio, eo deductos esse scribit Pausan. *Phocic.* p. 628. 629. Liparæos Cnidiorum colonos Æoli insulas tenuisse ipsosque in una earum non magna habitantes, Didymen, Strongylen & Hieran arando coluisse, quoque scribit Thucydides *lib.* III. p. 232. Μεγίστη δὲ ἡ Λιπάρα, Κνιδίων ἄποικος, ἐγγυτάτη τῆς Σικελίας κειμένη, μετάγε τὴν Θέρμισσαν. ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Μελιγουνίς, &c. Marcian. Περ. p. 11.

F

> Ἐν τῷ πόρῳ κεῖνται δὲ Τυῤῥηνικῷ
> Νησίδες ἑπτὰ τῆς Σικελίας οὐ πρόσω,
> Ἃς δὴ προσαγορεύουσι νήσους Αἰόλου.
> Μία δ' ἐστὶν αὐτῶν Δωρικὴν ἀποικίαν
> Ἔχουσα, Λιπάρα δ' ὄνομα, συγγενὴς Κνίδου.

Liparæi & classem habuerunt, & longo tempore Tyrrhenorum incursionibus restiterunt, & reliquis Æoli insulis imperarunt, & manubiis Delphicum templum Apollinis sæpe exor-

narunt, Strabo *lib.* VI. p.275. Diodor. *lib.*V. p. 292. Pausan. *Phocic.* p. 628.

Liparæi Syracusanorum socii fuerunt: ideoque ab Atheniensibus & Rheginis, qui in Sicilia erant, bello lacessiti fuerunt, & vastato agro, ad deditionem tamen compelli non potuerunt, Thucyd. *lib.* III p.233.

Liparensium piratæ Legatos Romanos crateram auream donum Apollini Delphos ferentes haut procul freto Siculo exceptos devexerunt Liparas. Mos erat civitatis, velut publico latrocinio partam prædam dividere: forte eo anno in summo magistratu erat Timasitheus quidam, Romanis vir similior quam suis, qui Legatorum nomen, donumque, & Deum, cui mitteretur, & doni causam veritus ipse, multitudinem quoque, quæ semper ferme regenti est similis, religionis justæ implevit: adductosque in publicum hospitium Legatos, cum præsidio etiam navium Delphos persequutus, Romam inde sospites restituit: hospitium cum eo Senatusconsulto est factum, donaque publice data, Livius *lib.*V.

SICULI.

Sicilia, ut ferunt, aliquando continens, & agro Brutio annexa, post freto maris Siculi abscissa est: ipsa ingens & tribus promontoriis in diversa procurrens, Græcæ literæ imaginem, quæ Delta dicitur, efficit, Mela *lib.* II. *cap.* VII. Ante omnes claritate Sicilia, Sicania Thucydidi dicta, Trinacria pluribus, aut Triquetra a triangula specie, —quondam Brutio agro cohærens, mox interfuso mari avulsa XII.M. in longitudinem freto, in latitudine autem MD. pass. juxta columnam Rhegiam, Plinius III.*cap.*VIII. Dionys.Πɛρ. vers.467. seq.

Τɛιναxὶη δ' ἐπὶ τῇσιν, ὑπὲρ πέδον Αὐσονίων
Εxτέταται, πλευρῇσιν ἐπὶ τρισὶν ἐστηxυῖα.

Quam Homerus (*Odyss.* Λ. v. 106. & alibi) vocat Θρινακίην, Dionysius Τρινακίην appellat: diciturque quasi Τριακρίας, tria promontoria habens: ideo Lycophron hanc insulam Τρίδειρον (*Alex.* v. 966.) vocat, Pindarus Τριγλώχινα. Strabo vero ait Θρινακίην dictam fuisse διὰ τὸ εὐφωνότερον, Eustath. *in Dionys.* Ἐστι δὲ ἡ Σιxελία τρίγωνος τῷ σχήματι. καὶ διὰ τοῦτο Τρινακία τὸ πρότερον, Τρινακὶς δ' ὕστερον προσηγορεύθη, μετονομασθεῖσα εὐφωνότερον, τὸ δὲ σχῆμα διορίζουσι τρεῖς ἄκραι, Strabo *l.* VI. p. 265. Sed lege Τρινακρία τὸ πρότερον, Τρινακία δ' ὕστερον. Atque hinc emenda in Eustathio, quod e Strabone adfert. Ἡ δὲ Σιxελία ἐκαλεῖτο Τρινακρία τὸ πρότερον, διὰ τὸ τρεῖς ἄκρας ἔχειν, Schol. Apollon. *l.* IV. Ἡ γὰρ νῆσος τὸ παλαιὸν ἀπὸ μὲν τοῦ σχήματος Τρινακρία κληθεῖσα, ἀπὸ δὲ τῶν κατοικησάντων αὐτὴν Σικανῶν Σικανία προσαγορευθεῖσα. τελευταῖον δ' ἀπὸ τῶν Σικελῶν τῶν ἐκ τῆς Ἰταλίας πανδημεὶ περαιωθέντων ὠνόμασται Σικελία, Diodor. *l.* V. p. 286. Θρινακίη τῇ Σικελίᾳ, ἐπεὶ τρία ἔχει ἀκρωτήρια, Schol. min. *in Odyss.* Λ. Male eadem Scholia exponunt. Θρινακίην, νῆσον ἐν Ὠκεανῷ ἱερὰν Νείλου, *in Odyss.* M. Trinacriam etiam a figura, sed Siciliam a quodam Rege denominatam scribit Marcianus p. II.

Ἑξῆς Σικελία νῆσος εὐτυχεστάτη,
Ἣν τὸ πρότερον μὲν ἑτερόγλωσσα Βάρβαρα
Λέγουσι πλήθη καταvέμεσθαι Ἰβηρικά,
Διὰ τὴν γε τρίπλευρον δὲ τῆς χώρας φύσιν
Ὑπὸ τῶν Ἰβήρων Τρινακρίαν καλουμένην,
Χρόνῳ Σικελίαν προσαγορευθῆναι πάλιν,
Σικελοῦ δυναστεύοντος.

Alii volunt Trinaciam dici, eo quod θρίδαxι, *lactucæ*, similis sit: quod quidem contrarium est Veterum opinioni: non enim videtur ejus figuræ Sicilia esse; Sibylla a Trinaco bubulco eam nomen accepisse ait, Eustath. *in Dionys.* Siciliam Jupiter Proserpinæ dedit, Pindar. *Nem.* ode I. antistr. I. nuptiis Plutonis, donum nuptiale: diciturque tota Sicilia Proserpinæ & Cereris ab initio fuisse, Jovis decreto, Schol. Pindari. Siciliam primum tenuerunt Barbari Iberi, Marcian. p. II. Ὠκίσθη δ' ἡ Σικελία ὧδε ἀρχαῖον, καὶ τοσάδε ἔθνη ἔσχε τὰ ξύμπαντα. παλαιότατοι μὲν λέγονται ἐν μέρει τινὶ τῆς χώρας Κύκλωπες καὶ Λαιστρυγόνες οἰκῆσαι. —— Σικανοὶ δὲ μετ' αὐτοὺς πρῶτοι φαίνονται ἐνοικισάμενοι, Thucydid. *l.* VI. p. 412. Æoli filii in Sicilia sedes habuerunt: vide in *Æoli Insul.* Quando vero Græci primum illuc colonias deduxerint: vide in *Naxiis*, &c Inde Magna Græcia cum Italiæ parte appellata. Καὶ δὴ ἐπὶ τοσοῦτον ηὔξησαν, ὥστε τὴν μεγάλην Ἑλλάδα ταύτην ἔλεγον καὶ τὴν Σικελίαν, Strabo *l.* VI. init. Euripid. *Cyclop.* vers. 296. seq.

—— γῆς γὰρ Ἑλλάδος μυχοὺς
Οἰκεῖς, ὑπ' Αἴτνῃ τῇ πυριστάκτῳ πέτρᾳ.

Issa insula est urbem cognominem habens, circa Dalmatiam & Illyridem, Stephan. In Adria, Mela *l.* II. *c.* VII. Ad Hyllicam Chersonesum, Syracusanorum colonia, Marcian. p. 17.

Νῆσος κατ' αὐτοὺς (Ὑλλεῖς) δ' ἐστὶν Ἴσσα λεγομένη.
Συρακουσίων ἔχουσα τὴν ἀποικίαν.

Nigra Corcyra insula in Adria, Mela *l.* II. *c.* VII. Cnidiorum colonia, Marcian. p. 18.

—— ἥ τε λεγομένη
Μέλαινα Κέρκυρ', ἣν Κνίδιοι κατῴκισαν.

Insula & urbs Κνιδίων xτίσμα dicitur Straboni *l.* VII p. 315.

Diomedea insula (in Adria, Mela *l.* II. *c.* VII.) nomen a Diomede accepit, quem quidam illic mortuum fuisse ajunt, Strabo *l.*VI.p. 284. Marcian. p.18.

Προσεχὴς δὲ νῆσός ἐστιν, ἥν φασί τινες
Ἐλθόντα Διομήδην ὑπολιπεῖν τὸν βίον,
Ὅθεν ἐστὶ Διομήδεια ταύτῃ τοὔνομα.

In insula Diomedea ajunt ardeas sponte in sinus hominum involare: in quas aves fabulantur Diomedis socios ibi transmutatos fuisse, Stephan. Imperii Diomedis circa hoc mare testes sunt insulæ Diomedeæ, & quæ referuntur de Dauniis & Argis Hippiis, Strabo *l.* V. p. 215.

Pharus insula maris Adriatici, Pariorum colonia, Stephan. Marcian. p. 18.

Φάρος δὲ τούτων οὐκ ἄπωθεν κειμένη
Νῆσος, Παρίων κτίσις ἐστί.

Scylaci Φάρος νῆσος Ἑλληνὶς dicitur p.116. Φάρος, ἡ πρότερον Πάρος, Παρίων κτίσμα, Strabo *l.*VII. p.315.

Pharius erat Demetrius, Strabo *l.* VII. p. 315.

NAXII.

Chalcidenses ex Eubœa, Græcorum primi, in Siciliam ducta colonia, duce Theocle Naxum condiderunt, & Apollinis ἀρχηγέτου aram exstruxerunt: ad quam sacra faciunt, quicunque ex Sicilia ad consulendum oraculum proficiscuntur, Thucyd. *l.* VI. p. 412. Ob hæc sacrificia videri potest urbs dicta παρὰ τὸ νάξαι, τὸ θύσαι: quod ἔτυμον inter alia Naxo Cycladicæ tribuit Stephanus. Ephorus ait has urbes, Naxum & Megara, primas Græcas conditas fuisse in Sicilia, ætate decima (δεκάτῃ γενεᾷ: nam sic legi pro τῇ γενεᾷ oportere manifestum est) post Troica tempora. Theoclem vero Atheniensem, vento in Siciliam delatum, observasse & incolarum inertiam, & telluris bonitatem:

tem: regressum vero, cum Atheniensibus persuadere non posset, assumptis plurimis in Eubœa Chalcidensibus, & quibusdam Ionibus, item Doriensibus, qui plerique Megarenses erant, navigasse: & Chalcidenses quidem Naxum condidisse, Dorienses vero Megara, quæ urbs prius Hybla vocabatur, Strabo *l.* VI. p. 267. Marcian. p. 11. 12.

—— εἶθ' Ἑλληνικὰς
Ἔσχε πόλεις, ὥς φασιν, ἀπὸ τῶν Τρωϊκῶν
Δεκάτῃ γενεᾷ μετὰ ταῦτα, Θεοκλέους στόλον
Παρὰ Χαλκιδέων λαβόντος. ἦν δ' ἕτος γένει
Ἐκ τῶν Ἀθηνῶν. καὶ συνῆλθον, ὡς λόγος,
Ἴωνες, εἶτα Δωριεῖς οἰκήτορες.
Στάσεως δ' ἐν αὐτοῖς γενομένης, οἱ Χαλκιδεῖς
Κτίζουσι Νάξον. οἱ Μεγαρεῖς δὲ τὴν Ὕβλαν.

Naxii Cycladici hujus coloniæ participes fuerunt; Θεοκλῆς ἐκ Χαλκίδος μετὰ Χαλκιδέων καὶ Ναξίων ἐν Σικελίᾳ πόλεις ἔκτισε, Hellanic.

Naxii in Leontinos & Catanam colonias deduxerunt: vide suis locis.

Naxios Hippocrates Gelæ Tyrannus subegit, Herodot. *l.* VII. p. 494.

Olymp. LXXVI. Naxios urbe ejecit, eique novos incolas e Peloponneso imposuit Hiero: vide in *Catanens.*

Naxii a Messanensibus, totis viribus, terra marique, oppugnati, primo die intra mœnia conclusi fuerunt; sed ubi Leontinos, cæterosque Græcos socios ad opem ferendum adventare cognoverunt, sumptis animis, se mutuo cohortati, facta ex urbe eruptione subita, Messanenses fusos fugatosque, plusquam M. interfectis, ad sua se recipere coegerunt, Thucyd. *lib.* IV. p. 269.

Naxum evertit Dionysius, Diodor. *l.* XVI p. 411. Procles enim Naxiorum ductor, magnitudine promissorum adductus, patriam Dionysio prodidit: qui præmiis proditori exsolutis, & cognatis insuper concessis, reliquam civium multitudinem servituti addixit: eorumque fortunas militibus diripiendas tradidit, murosque & ædificia destruxit: & Naxiorum agrum Siculis finitimis donavit, Diodor. *l.* XIV. p. 246. Naxi, quam in Sicilia condidere quondam Chalcidenses Euripi accolæ, ne ipsa quidem ruinarum fragmenta exstitisse sua ætate scribit Pauf. *Eliac. post.* p. 367. 368. Αἱ δὲ μεταξὺ Κατάνης καὶ Συρακουσῶν ἐκλελοίπασι Νάξος καὶ Μέγαρα, Strabo *l.* VI. p. 267.

LEONTINI.

Naxii Chalcidenses, duce Theocle, anno quinto post Syracusas conditas, in Leontinos, ejectis bello Siculis, coloniam deduxerunt, Thucyd. *l.* VI. p. 413. Ἡ Λεοντίνη, Ναξίων οὖσα καὶ αὐτὴ τῶν αὐτόθι, Strabo *l.* VI. p. 273. Marcian. p. 12.

Μετὰ ταῦτα δ' ἀπὸ Νάξου Λεοντῖνοι.

Leontinos Hippocrates Gelæ Tyrannus bello subegit, Herodot. *l.* VII. p. 494.

Leontini bellum contra Syracusanos gesserunt, sociosque habuerunt Chalcidensium civitatum populos, & Camarinæos: & ex Italia Rheginos sui studiosos, propter cognationem. Leontini vero cum sociis, cum propter antiquam societatem, tum quod Iones essent, Legatis Athenas missis, Atheniensibus persuaserunt, ut naves ad se mitterent, Thucyd. *l.* III. p 231. 232. Diodor. *l.* XII. p. 106. seq.

Leontini, pace inter Siculos, suasu inprimis Hermocratis Hermonis F. Syracusani, restituta, multos ad jus civitatis vocatos admiserunt, & plebs agrum viritim distribuere constituit. Quod ubi potentiores animadverterunt, Syracusanorum, quos adduxerant, ope plebem urbe expulerunt. Illa, quo quemque fors tulit, se recepit. Sed potentiores, inito cum Syracusanis fœdere, urbe relicta

A eversaque, Syracusas profecti, civitate donati fuerunt. At postea eorum nonnulli, quod præsens rerum status displiceret, relictis Syracusis, Phoceas & Bricinnias, arcem in agro Leontino munitam occuparunt: iisque se permulti ex exsulante plebe se conjunxerunt: indeque bellum geri cœptum, Thucyd. *l.* IV. p. 345.

Olymp. XCIV. 2. Leontinos Dionysius Syracusanorum Tyrannus adortus, cum omnibus copiis urbem circumsedit: & per Legatos ab oppidanis postulavit, ut deditionem facerent, & Syracusanorum civitati se adgregarent. Leontini vero, cum nulla B spes auxilii superesset, considerato Naxiorum & Catanensium casu, terrore perculsi metuebant, ne simili clade etiam ipsi obruerentur: tempori itaque cedendum rati, oblatam denique conditionem subiere, patriaque relicta, Syracusas commigrarunt, Diodor. *l.* XIV. p. 245. 246. Dionysius porro summo opere studioque Leontinorum arces firmavit, frugesque ex circumjacentibus agris illuc congessit, Diodor. *l.* XIV. p. 281. Et mercenariis, quos decies mille circiter habebat, Leontinorum urbem & agrum in stipendium dedit, qui propter regionis amœnitatem conditionem acceperunt, & sortito in Leontinis sedes occuparunt, Diodor. *l.* XIV. p. 296.

C Icetas Leontinorum Tyrannus: ad hunc optimi & clarissimi civium Syracusanorum (tyrannidem Dionysii fugientes) confugerunt, seque ei crediderunt, & ducem eum delegerunt, nihil quidem Dionysio meliorem; sed cum refugium aliud non haberent, Syracusano, & cui ad bellum contra Dionysium satis virium esset, se commiserunt. Interim Carthaginensibus magna classe in Siciliam advectis, ad subigendam insulam, perterriti insulares statuerunt mittere Legatos in Græciam, & Corinthiorum implorare auxilium. At Icetas, ut qui eo bello non libertatem Syracusanis, sed tyrannidem sibi quæreret, occulta cum Carthaginensibus sta- D tim agitare consilia cœpit; palam Syracusanorum institutum laudare, eosque in mittendis Legatis juvare. Sed parato jam ad navigandum Timoleonte, (duce constituto a Corinthiis in auxilium Siciliæ) militesque cogente, literæ Corinthiis ab Iceta allatæ sunt, mutatum ejus animum & proditionem indicantes. Ut primum enim profecti fuerant Corinthum Syracusanorum Legati, aperte se cum Carthaginensibus conjunxerat, cumque iis hoc agebat, ut ejecto Syracusis Dionysio, ipse tyrannidem teneret; veritus autem ne maturius venientibus a Corintho copiis & imperatore, irrita ejus consilia redderentur, scripsit ad Co- E rinthios, nihil esse ipsis opus sumptibus ac labore, neque esse cur in Siciliam veniant, ibique bellum gerant: præsertim cum, id ne faciant, ipsis Carthaginenses interdicant, classemque eorum multis navibus operiantur: eos a se, ipsis cunctantibus, necessitate eo compulso socios ad debellandum tyrannum assumptos. Interim prælio Dionysium vicit, ac plerisque Syracusarum partibus occupatis, eum in arcem, eumque locum, qui Insula dicitur, compulsum obsedit, & munitionibus arcem cinxit: & Carthaginensibus consuluit, curarent, ne Timoleon in Siciliam egredi pos- F set; sed, eo repulso, ipsis inter se per otium insulam dividere liceret. Timoleonti vero duos milites Barbaros Adranum submisit, qui eum dolo necarent. Sed conatu suo frustratus, cum videret multos Timoleonti accedere, Magonem ducem cum tota classe Carthaginensi Syracusas arcessivit. Tandem a Timoleonte (post captas Syracusas, exercitum ad alias urbes circumducente) eo adactus fuit, ut a Carthaginensibus descisceret, sponderetque se arces demoliturum, & in Leontinis privatam vitam acturum. Sed Timoleontis felicitati invidens,

vel eum Tyrannis implacabilem metuens, societatem cum Carthaginensibus junxit, & cum Timoleon Calauriam exercitum duxisset, in agrum Syracusanum irrupit, magnaque præda parta, cum multa regioni damna intulisset, & superbe plurima fecisset, contempto Timoleonte, qui paucos secum milites habebat, juxta Calauriam suos abduxit. Sed commisso prælio victus, exercitu fuso, mille suorum amisit: & paulo post a Timoleonte, ducto exercitu in agrum Leontinum, vivus captus fuit una cum filio Eupolemo & æquitatus Præfecto Euthymo: statimq; ipse & filius ut Tyranni & proditores necati sunt: nec veniam consequutus fuit Euthymus vir bello strenuus & audax, quod convitium ab eo Corinthiis factum deferebatur: Corinthiis enim in Siciliam expeditionem facientibus pro concione ad Leontinos dixisse ferebatur, nihil formidabile evenisse si

Κορινθίαι γυναῖκες ἐξῆλθον δόμων.

Plutarchus *Timoleonte*.

Leontinos Syracusas transtulit Timoleon, Diodor. *l.* XVI. p. 473.

Leontinorum urbem primo impetu expugnavit Marcellus: Leontinorum vero militumque aliorum nemo post captam urbem violatus fuit: suaque omnia eis, nisi quæ primus tumultus captæ urbis absumpserat, restituta fuerunt, Livius *l.* XXIV.

Leontini semper participes fuerunt rerum Syracusanis adversarum, lætarum non item, Strabo *l.* VI. p. 273.

Leontinorum urbem olim a Syracusanis deletam, sua ætate restitutam fuisse scribit Pausan. *Eliac. post.* p. 376.

Leontino agro imperavit Xuthus Æoli filius, qui ab eo ad hæc usque tempora Xuthius dicitur, Diodor. *l.* v. p 291. Xuthia, urbs Siciliæ, Stephan. e Philisto III. *Sicul.*

CATANÆI.

NAxii Chalcidenses anno quinto post Syracusas conditas, Catanam in Sicilia, duce coloniæ Euarcho, condiderunt, Thucyd. *l.* VI. p. 413. *Κατάνη δ' ἐστὶ Ναξίων τῶν αὐτῶν κτίσμα*, Strabo *l.* VI. p. 268. Urbem hanc nomen accepisse, vel quod ad Amenanum (*Ἀμενανὸν* enim leg. pro *Ἀμελιανὸν*) fl. Theoclis Chalcidensis *ναῦς κατέβη* (*ναυῶ* autem Dorienses pronunciant absque *υ νᾶν*) vel quod condita fuit, *τῆς Αἴτνης καταπεσθείσης τὰ ἄνω καὶ κάτω*, scribit Stephanus.

Catanæorum Remp. Charondas correxit ac constituit, Ælian. *Var. l.* III. c. XVII.

Olymp. LXXVI. Hiero Naxiis & Catanensibus e patria ejectis, novos iis urbibus incolas imposuit, ad v. millia hominum e Peloponneso collectos, totidem Syracusanis adjectis: Catanamque, mutato nomine, Ætnam appellavit: cui agrum non modo Catanensem, sed magnos etiam in vicinia tractus sorte divisit, & civium ad x. millia numerum explevit. Quod idcirco ab ipso studiose factum, tum ut ad necessitates subito ingruentes præsidia quam paratissima haberet, tum ut a tanta civitate, quæ x. millia incolarum contineret, heroicos post fata consequeretur honores. Naxios vero & Catanenses patria exsutos, in civitatem Leontinorum transcripsit, eamque deinceps communi cum priscis incolis jure habitare jussit, Diodor. *l.* XI. p. 37. *Ἀπέβαλε τοὺς οἰκήτορας τοὺς ἐξ ἀρχῆς ἡ Κατάνη, κατοικίσαντος ἑτέρους Ἱέρωνος, τοῦ Συρακουσίων τυράννου, καὶ προσαγορεύσαντος αὐτὴν Αἴτνην ἀντὶ Κατάνης. Ταύτης δὲ καὶ Πίνδαρος κτίστορα λέγει αὐτὸν, ὅταν φῇ*

Σύνθεων Ἱέρων ὁμώνυμε πάτερ
Κτίστορ Αἴτνης.——

Strabo *l.* VI. p. 268. *Ὁ δὲ Ἱέρων ἄνωθεν Συρακούσιός ἐστι. Τὴν δὲ Κατάνην ἀνακτίσας, ὁμωνύμως τῷ παρακειμένῳ ὄρει Αἴτναν προσηγόρευσε, καὶ Αἰτναῖον ἑαυτὸν καὶ τοὺς ἀγῶνας νικῶν, ἀνεκήρυξε*, Schol. Pindar. *Pyth.* ode I. init

Olymp. LXXIX. 4. Sed Ducetius Siculorum dux incolis Catanæ ob ereptum Siculis agrum infensus, arma in eos movit. Catanæi vero, opposita acie, multis victi præliis, urbe exciderunt, & prisci Catanæ cives post longum intervallum patrias sedes receperunt, Diodor. *l.* I. p. 57. *Κατὰ δὲ τὴν τελευτὴν τοῦ Ἱέρωνος κατελθόντες οἱ Καταναῖοι, τούς τε ἐνοίκους ἐξέβαλον, καὶ τὸν τάφον ἀνέσκαψαν τοῦ τυράννου*, Strabo *l.* VI. p. 268.

Catanæi Athenienses in urbem recipere noluerunt, quod eorum quidam Syracusanis studerent: duces tamen Atheniensium, convocata concione, in urbem admissos dicere jusserunt, si quid vellent. Ibi dum in Alcibiadem verba facientem Catanæi animos oculosque convertunt, Athenienses milites quandam portulam male obstructam, diruta ædificii materia, clam aperuerunt, ingressique in urbem, in foro manserunt. Catanæi vero, qui Syracusanis favebant, cum exercitum in urbe esse animadvertissent, terrore perculsi confestim clam profugerunt, quorum non magnus erat numerus. Cæteri decreto facto cum Atheniensibus societatem inierunt, Thucyd. *l.* VI. p. 447.

Olymp. XCIV. 2. Catana capta, Dionysius Syracusanorum Tyrannus, Catanæos captivos sub hasta in Syracusanorum urbe vendidit: urbem vero Campanis inhabitandam dedit, Diodorus *lib.* XIV. p. 246.

Catanam incolentibus Campanis persuasit Dionysius (septimo anno post) ut in urbem, quæ Ætna nunc vocatur, commigrarent, quod propugnaculum valde firmum esset, Diodor. *l.* XIV. p. 282.

Mamercus Catanæ Tyrannus, vir bellicosus & magna vi pecuniæ instructus, societatem cum Timoleonte coivit. Sed postea sive Timoleontis felicitati invidens, sive eum Tyrannis implacabilem metuens, societatem cum Carthaginensibus junxit. Timoleon vero Catanam contra eum exercitum adduxit, eumque ad amnem Abolum congressum prælio fudit, ac ultro duo millia hostium delevit, quorum haut exigua pars Pœni erant, a Giscone auxilio missi Mamerco. Mamercus spe lapsus in Italiam navigavit, ut Lucanos adversus Timoleontem & Syracusanos adduceret. Sed qui cum eo vehebantur, retro actis triremibus, repetitaque Sicilia Catanam Timoleonti tradiderunt: quo facto coactus ipse quoque ad Hipponem Messenes Tyrannum confugit. Supervenienti Timoleonti Mamercus se ea conditione tradidit, ut causam dicere apud Syracusanos, ipso non accusante, sibi liceret. Ut venit Syracusas, progressus ad populum, orationem jam pridem a se compositam pronunciare cœpit: exceptus autem tumultibus, & implacabilem sibi populi iram videns, projecta toga per medium theatrum cucurrit, caputque subsellio cuidam illisit, ut mortem sibi eo pacto inferret: non tamen eum vitæ finem consequutus fuit, sed vivus adhuc abductus, & eo, quo latrones solent, supplicio affectus obiit, Plutarch. *Timoleonte.* Mamercus hic carminibus tragœdiisque componendis se jactabat, victisque stipendiariis militibus Timoleontis, clypeos Diis consecratos his contumeliosis versibus inscripsit:

Τὰς δ' ὀστρειογραφεῖς καὶ χρυσελεφαντηλέκτρους
Ἀσπίδας ἀσπιδίοις εἵλομεν εὐτελέσι.

Catinam, oppidum locuples, honestum, copiosum vocat Cicer. IV. *Verrin.*

Catanam Augustus Imp. instauravit, Strabo *lib.* VI. p. 272. *οἰκεῖται ἱκανῶς Μεσσήνη, μᾶλλον δ' ἡ Κατάνη. καὶ γὰρ οἰκήτορας δέδεκται Ῥωμαίους*, idem.

Catanæi *Εὐσεβεῖς* dicti, qui cum ignis ex Ætna in Catanam devolveretur, auri argentique cura ne-

gleƈta, fugientes, hic matrem, ille patrem, periculo ſubduxerunt, Pauſan. *Phocic.* p.663. *Καὶ τὰ περὶ τοὺς Εὐσεβεῖς ἐκεῖ τεθρύλληται, τὸν Ἀμφίνομον δὲ τὸν Ἀναπίαν, οἱ τοὺς γονέας ἐπὶ τῶν ὤμων ἀράμενοι διέσωσαν, ἐπιφερομένου τοῦ κακοῦ*, Strabo *l.* VI. p. 268. vide Valer. Max. *l.* v. c. IV. & Cornel. Severin. in *Ætna.*

ZANCLÆI. MESSENII. MAMERTINI.

ZAncle a latronibus, qui ex urbe Chalcidica in agro Opico ſita Cumis, venerant, condita fuit. Poſtmodum e Chalcide & reliqua Eubœa multitudo eo profeƈta, regionem in varias portiones diviſam communiter poſſederunt, ducibus coloniæ Periere Chalcidenſi & Cratæmene Cumano, Thucyd. *l.* VI. p. 413. *Ζάγκλην δὲ τὸ μὲν ἐξαρχῆς κατέλαβον λῃσταί, καὶ ἐν ἐρήμῳ τῇ γῇ τειχίσαντες ὅσον περὶ τὸν λιμένα ὁρμητηρίῳ πρὸς τὰς καταδρομὰς καὶ ἐς τοὺς ἐπίκλους ἐχρῶντο. ἡγεμόνες δὲ ἦσαν αὐτῶν Κραταιμένης Σάμιος καὶ Περιήρης ἐκ Χαλκίδος. Περιήρει δὲ ὕστερον καὶ Κραταιμένει καὶ ἄλλους ἐπαγαγέσθαι τῶν Ἑλλήνων ἔδοξεν οἰκήτορας*, Pauſan. *Meſſen.* p. 260. *Ζάγκλη, Ναξίων οὖσα πρότερον κτίσμα τῶν πρὸς Κατάνῃ* dicitur Strab. *l.* VI. p. 268. Sic Marcian. p. 12.

> *Μετὰ ταῦτα δ' ἀπὸ Νάξου Λεοντῖνοι τε καὶ*
> *Ἡ τὴν θέσιν τ' ἔχουσα Ῥηγίου πέραν,*
> *Ἐπὶ τοῦ δὲ πορθμοῦ κειμένη τοῦ Σικελικοῦ,*
> *Ζάγκλη, Κατάνη, Καλλίπολις ἔχον ἀποικίαν.*

Zancle vocata fuit, quod locus ille ſpeciem falcis haberet, quam Siculi *Ζάγκλον* vocant. *δρεπανοειδὲς τὸ χωρίον τὴν ἰδέαν ἐστί, τὸ δὲ δρέπανον οἱ Σικελοὶ ζάγκλον καλοῦσι*, Thucyd. *l.* VI. p. 414. *Ζάγκλη πρότερον καλουμένη, διὰ τὴν σκολιότητα τῶν τόπων· ζάγκλον γὰρ ἐκαλεῖτο τὸ σκολιόν*, Strabo *l.* VI. p. 268. Quidam a Zanclo Gigante Zanclem diƈtam volunt, vel a fonte Zancle: alii vero, quod illic falcem occultaſſet Saturnus, qua patris genitalia præciderat, Nicander *Siciliæ* x.

> *Καί τοι καὶ Ζάγκλης ἐδάη δρεπανηΐδος ἄστυ.*

Stephan. *Ζάγκλον, τὸ δρέπανον. ὡς φησι Καλλίμαχος. Κέκρυπται γυιὴ ζάγκλον ὑποχθονίη*, &c. Etymol. magn. *Ζάγκλῳ τῷ τότε βασιλεύοντι τῆς τότε μὲν ἀπ' αὐτοῦ Ζάγκλης, νῦν δὲ Μεσσήνης ὀνομαζομένης*, Diodor. *l.* IV. p. 284.

Zanclæi Himeram & Mylas condiderunt: vide ſuis locis: ſed & *τῶν ἐν Ὕβλῃ Ζαγκλαίων* meminit Strabo *l.* VI. p. 268.

Zanclæi, miſſis in Joniam nunciis, Jonas ſollicitarunt ad deducendam in Calem Acten coloniam. Soli vero Samii & exſules Mileſii ſe in eam contribuerunt. Cumque in Siciliam tenderent, jamque ad Locros Epizephyrios appuliſſent, Anaxilai Rhegini Tyranni, Zanclæorum hoſtis, ſuaſu, Zanclam viris vacuam occuparunt: etenim Zanclæi eodem tempore, cum Rege ſuo Scythe urbem Siculorum obſidentes aberant. Zanclæi vero captæ urbi ſuppetias laturi, Hippocratis Gelæ Tyranni auxilia advocarunt: hunc enim ſocium habuerunt. Sed is, poſtquam cum exercitu advenit, Scythæ tanquam urbis deſertori, ejuſque fratri Pythogeni vincula injecit, eoſque in oppidum Inycum relegavit: cæteros Zanclæos Samiis, ex compoſito, dato acceptoque jurejurando prodidit, mercedem paƈtus, dimidium totius ſupelleƈtilis & mancipiorum quæ in urbe, omniaque quæ in agris eſſent: quanquam pleroſque Zanclæorum ipſe ceu mancipia in vinculis habebat: e quibus trecentos primores Samiis occidendos tradidit; quibus tamen illi vitam ſervarunt. Cæterum Scythes ex Inyco profugit Himeram, inde ad Darium Regem Perſarum ſe contulit, ac apud Perſas ſenex ac prædives e vita exceſſit, Herodotus *lib.* VI. pag. 388. 389. Cadmus Scythæ filius Coorum Tyrannus, depoſita Tyrannide, Zanclam cum Samiis, in Siciliam profeƈtus, incoluit, Herodot. *l.* VII. p. 498. *Ὕστερον δὲ αὐτοὶ (Ζαγκλαῖοι) μὲν ὑπὸ Σαμίων καὶ ἄλλων Ἰώνων ἐκπίπτουσιν, οἳ Μήδους φεύγοντες προσέβαλον Σικελίᾳ*, Thucyd. *l.* VI. p. 414.

Anaxilaus Rhegii Tyrannus Meſſenios patria pulſos in Siciliam traduxit adverſus Zanclæos, cum quibus illi bellum erat. Et Zanclæos quidem Anaxilaus navali, Meſſenii terreſtri prælio fuderunt. Cumque poſtea Zanclæi terra marique a Meſſeniis & Rheginis obſiderentur, magna jam murorum parte dejeƈta, ad aras Deorum ac ſedes confugerunt. Imperavit Anaxilaus, ut ſupplices trucidarentur, reliqui cum uxoribus ac liberis ſub corona vænirent. Sed Meſſenii (non ſane Gorgus Ariſtomenis F. & Manticlus, quod vult Pauſanias: tum enim illi eſſe non poterant, qui Ira capta Olymp. XXVIII. duces Meſſeniorum conſtituti dicuntur ab eodem Pauſania) Anaxilaum rogarunt, ne quæ per ſummum nefas a cognatis paſſi eſſent, ipſi adverſus Græcos cogerentur committere. Ab aris igitur excitatis impunitas fuit: fideque ultro citroque data & accepta, domicilium & imperium viƈtis communicatum; mutato tamen nomine Zanclen Meſſenen appellari placuit, Pauſ. *Meſſen.* p. 260. 261. Zanclæos ab Anaxilao oppugnatos, Samios fuiſſe oportet, novos Zancles incolas; quos, orto inter ſe & ipſos forte diſſidio, una cum quærentibus novas ſedes Meſſeniis, bello adortus fuerit Anaxilaus. *Τοὺς δὲ Σαμίους Ἀναξίλας Ῥηγίνων τύραννος οὐ πολλῷ ὕστερον ἐκβαλών, καὶ τὴν πόλιν αὐτοῖς συμμίκτων ἀνθρώπων οἰκίσας, Μεσσήνην ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ τὸ ἀρχαῖον πατρίδος ἀντωνόμασε*, Thucyd. *l.* VI. p. 414. *Ζάγκλην τὴν ἐς Μεσσήνην μεταβαλοῦσαν τὸ οὔνομα*, Herodot. *l.* VII. p. 498. *κτίσμα δ' ἐστὶ Μεσσηνίων τῶν ἐν Πελοποννήσῳ, παρ' ὧν τοὔνομα μετήλλαξε*, Strabo *l.* VI. p. 268. Atqui legenti Epiſtolas Phalaridis (cujus ætas incidit in Olympiadem L. circiter: vixit enim cum Steſichoro, Pythagora & Abaride, ut ex ipſius *Epiſtolis* patet) manifeſtum eſt, nomen Meſſeniorum ante Anaxilai ætatem in Sicilia exſtitiſſe. Meſſeniis enim *epiſt.* XXI. & XXCIV. inſcriptæ ſunt, & Polycletus Meſſenius Medicus morbum Phalaridis curavit, ut ſcribit ipſe *epiſt* I. & XXI. Zanclæos vero Tauromenitis belli ſocios fuiſſe, ſimulque a ſe viƈtos ſcribit *epiſt.* XXCV. adeo ut haut abſurde aliquis opinari poſſit, ætate Phalaridis Meſſenen urbem in Sicilia fuiſſe, cujus incolæ una cum Anaxilao & aliis Meſſeniis recens e Peloponneſo profeƈtis Zanclen occuparint, & e duabus urbibus unam fecerint: mortuus autem fuit Anaxilaus Olympiade LXXVI. cum imperaſſet annos XIIX. ut ſcribit Diodor. *l.* XI. p. 37. Meſſenen Iones e Samo condidiſſe dicuntur a Marciano p. 12. Id ſi de nomine Meſſenes intelligit, fallitur. Meſſenen urbem Siciliæ & regionem uno *σίγμα* ſcribi monet Stephan. *Ἔστι δὲ*, inquit, *καὶ ἄλλη Μεσήνη τῆς Σικελίας, καὶ χώρα Μεσήνη δι' ἑνὸς σίγμα, ὑπὸ τῶν δύο ποταμῶν αὐτοῦ μεσαζομένη, ὡς Ἀσίνιος Κουάδρατός φησιν.*

Cleophron Anaxilai F. patre vivente Meſſenes Tyrannus fuit, & cum patre Locris Epizephyriis bellum minatus fuit; ſed miſſis ad eos Legatis Hieron, bello adverſus Locros abſtinere juſſit, Schol. Pindar. *Pyth.* ode II. epod. I.

Micythus defunƈto Anaxilao Tyrannus conſtitutus fuit, ea conditione, ut defunƈti liberis, tum nondum adultis, (videtur ergo Cleophron ante patrem obiiſſe) tyrannidem reſtitueret, Diodor. *lib.* XI. p. 37. Micythus Buxentum (*Πυξοῦντα* enim legendum e Strabone, pro *Τιξοῦντα*) in Italia condidit, Diodorus *l.* XI. pag. 45. Micythus Anaxilai filiis, Hieronis inſtinƈtu rationes geſtæ tutelæ poſtulantibus, ita ſatisfecit, ut omnes in admiratio-

nem suæ fidei ac justitiæ raperet: petentibus iisdem, ut Remp. porro administraret, non paruit, sed relicto Rhegio, Tegeam Arcadiæ concessit, Diodor. *l.* XI. p. 50.

Anaxilai filii Rhegii & Zanclæ tyrannide exciderunt, eæque civitates se in libertatem asseruerunt, Diodor. *l.* XI. p. 58.

Messenii ab Atheniensibus, eorumque sociis, se dedere, ac obsides dare, aliaque fidei pignora præbere coacti fuerunt, Thucyd. *l.* III. p. 234. Postea vero, arcessitis in urbem Syracusanis, defecerunt ab Atheniensibus, Thucyd. *l.* IV. init. Inde suscepto adversus Naxios bello, primum victores, mox magna clade devicti fuerunt. Tum Leontini, sociique & Athenienses Messenen, ut bello attritam, oppugnatum iverunt. Sed Messenii, & ex Locris aliquot cum Demotele, qui post cladem acceptam, urbis præsidio relicti fuerant, facta eruptione, exercitus Leontinorum magnam partem fuderunt, & multos interfecerunt. Leontinis vero Athenienses e navibus egressi opem tulerunt, & Messenios in fugam versos intra urbis muros compulerunt, Thucyd. *l.* IV. p. 269. Fuerat autem Messene aliquando in Locrorum potestate: nam Messeniis seditione laborantibus, una eorum factio Locros acciverat; sed postea rursus inde expulsi fuerunt, Thucyd. *l.* V. p. 346.

Messenes mœnia diruit Himilco Carthaginensis, Diodor. *l.* XIV. p. 280. seq.

In Messenen Dionysius Syracusanus mille Locrenses, quater mille Medimnæos, sexcentos Messeniorum Peloponnesiacorum, ac e Zacyntho Naupactoque exsulum transtulit. Sed ubi comperit Lacedæmonios succensere, quod Messenii ab ipsis exterminati urbem præclaram incolendam accepissent, e Messene translatis alias sedes dedit, Diodor. *l.* XIV. p. 296.

Messenes Tyrannus Hippo: ad hunc Mamercus Catanæ Tyrannus confugit. Sed superveniente Timoleonte, & urbem terra marique oppugnante, Hippo navi aufugere conatus, comprehensus fuit. Hunc cives, pueris e schola ad Tyranni supplicium, tanquam spectaculum pulcerrimum in theatrum adductis, excruciatum necarunt, Plutarch. *Timoleonte*.

Messenen Campani, sub Agathocle merentes, cum jam dudum ejus urbis pulcritudini ac reliquæ felicitati oculos adjecissent, ubi primum occasio est oblata, per fidem circumvenire sunt adorti: subdole namque, amicorum specie, ingressi, urbeque potiti, cives partim expulerunt, partim jugularunt. His vero patratis, uxores quidem & liberos infelicium, prout cuique ipso sceleris admissi tempore sors cecidisset, retinuerunt, opes vero ac mox agrum ipsum viritim inter se divisum occuparunt: atque ita celeriter ac nullo negotio opima regione ac urbe potiti sunt, Polyb. *l.* I. Diodor. *Eclog. l.* XXI. §. XIII. Mamertinos vero se appellarunt, quando Messenen occuparunt, Polyb. *l.* I. Ἐπῴκισαν δ' ὕστερον τὴν Μεσσήνην Μαμερτῖνοι, Καμπανῶν τι φῦλον· οἱ τοσοῦτον ἐπεκράτησαν παρὰ τοῖς Μεσσηνίοις, ὥς' ἐπ' ἐκείνοις ὑπῆρξεν ἡ πόλις. καλοῦσι δὲ Μαμερτίνους μᾶλλον ἅπαντες αὐτοὺς ἢ Μεσσηνίους, Strabo *l.* VI. p. 268. Mamertini autem appellati sunt, hac de causa. Quum toto Samnio gravis incidisset pestilentia, Sthennius Mettius, ejus gentis princeps, convocata civium suorum concione, exposuit se vidisse in quiete præcipientem Apollinem, ut si vellent eo malo liberari, ver sacrum voverent: id est, quæcunque vere proximo nata essent, immolaturos sibi. Quo facto levatis, post annum vigesimum deinde ejusdem generis incessit pestilentia. Rursum itaque consultus Apollo respondit: Non esse persolutum ab iis votum, quod homines immolati non essent: quos si expu-

A lissent, certe fore, ut ea clade liberarentur. Itaque ii jussi patria decedere, quum in parte ea Siciliæ consedissent, quæ nunc Tauromenitana dicitur, forte laborantibus bello novo Messanensibus, auxilio venerunt ultro, eosque ab eo liberarunt. Provinciales id ob meritum eorum ut gratiam referrent, & in suum corpus communionemque agrorum invitarunt eos, & nomen acceperunt unum, ut dicerentur Mamertini: quod conjectis in sortem XII. Deorum nominibus Mamers forte exierat, qui lingua Oscorum Mars significatur: cujus historiæ auctor est Alsius libro primo *Belli Carthaginensis*, Fest. Pompej. Ἐκάλεσαν δὲ ταύτην Μαμερτίνην ἀπὸ
B τοῦ Ἄρεως, διὰ τὸ τοῦτον κατὰ τὴν ἐκείνων διάλεκτον Μάμερτον καλεῖσθαι, Diodor. *l.* XXI. *Eclog.* XIII.

Messene usi sunt Romani pro receptaculo in bello Siciliensi contra Carthaginenses, Strabo *l.* VI. p. 268.

CALLIPOLITANI.

Callipolis urbs Siciliæ, Stephanus. A Naxiis condita, Marcian. p. 12. Strabo *l.* VI. p. 272.

Callipolitanos bello subegit Hippocrates Gelæ Tyrannus, Herodot. *l.* VII. p. 494.

Callipolin sua ætate desertam fuisse scribit Strab.
C *l.* VI. p. 272.

EUBOENSES.

Eubœam urbem in Sicilia condiderunt Chalcidenses in Sicilia; sed a Gelone, civibus ejectis, ea urbs facta fuit castellum Syracusanorum, Strabo *l.* X. p. 449. Chalcidenses ii Leontini fuerunt. Εὔβοιαν δὲ οἱ Λεοντῖνοι ἔκτισαν, Strabo *lib.* VI. p. 272. Marcian. p. 12.

Πάλιν δ' ἀπὸ τούτων δύο πόλεις Εὔβοια καὶ
Μύλαι κατῳκίσθησαν ἐπικαλούμεναι.

præcedunt vero Λεοντῖνοι, Ζάγκλη, Κατάνη, Καλλί-
D πολις: ut incertum sit quas, an omnes intelligat per ἀπὸ τούτων.

Euboensem plebem Syracusas traductam vendidit Gelo Syracusanorum Tyrannus, e Sicilia deportandam, Herodot. *l.* VII. p. 494.

Eubœam sua ætate desertam fuisse scribit Strabo *l.* VI. p. 272.

HIMERÆI.

Olymp. XXXII. 4. Himera Zancles colonia est, ab Euclide, Simo ac Sacone deducta: in quam plurimi quidem venere Chalcidenses; sed habitarunt tamen etiam cum ipsis Syracusani exsules, a
E contraria factione victi, Myletidæ appellati: & lingua quidem Himeræorum medium quoddam genus erat e Chalcidica & Dorica mixtum, sed jura Chalcidica invaluerunt, Thucyd. *l.* VI. p. 414. Chalcidenses isti e Mylis erant Zanclæi. Τὴν Ἱμέραν μὲν οἱ ἐν Μύλαις ἔκτισαν Ζαγκλαῖοι, Strabo *l.* VI. p. 272.

Himeræorum Tyrannidem Phalaridi ademit Stesichorus, Phalar. *epist.* XCIV.

Terillus Crinippi filius Himeræ Tyrannus a Therone Ænesidemi F. Acragantis Tyranno, Himera pulsus, Phœnicum, & Libyum, & Elisycorum, & Sardonum & Cyrniorum trecenta millia, duce Amilcare, Hannonis F. Rege Carthaginensium ad-
F duxit: deditque Anaxilaus Rhegii Tyrannus, qui filiam Terilli Cydippam in matrimonio habebat, Amilcari suos filios obsides, ut in Siciliam veniret, & Terillo opem ferret, Herodot. *l.* VII. p. 499. Himeram obsedit Amilcar, & Himeræos manum conferere ausos in urbem repulit, iisque magnum terrorem incussit; sed, virtute Gelonis Syracusani, Pœni superati fuerunt, Diodor. *l.* XI. p. 17. seq.

Thrasydæum Theronis F. suæ urbis principem, insolenter & aspere imperantem, Himeræi, missis

Legatis ad Hieronem Syracusanum accusarunt, eique urbem se tradituros, & præbituros contra Theronem auxilia polliciti sunt. Sed Hieron Theroni, quæ contra ipsum molirentur Himeræi, indicavit. Ita Theron inimicos suos, qui multi erant, comprehensos occidit, Diodor. *l.* XI. p. 37.

Himeram, cum post cædem a se factam, a paucis civibus habitari cerneret Theron, Dores in ea collocavit, & quicunque vellent, civium numero adscripsit: atque hi per annos LVIII. præclare inter se Remp. administrarunt, Diodor. *l.* XI. p. 38.

Olymp. XCII. 4. Himeram a Carthaginensibus subactam & excisam habitatoribus vacuam ad suam ætatem permansisse scribit Diodor. *l.* XI. p. 38. Οὐ γὰρ Ἱμέραν ἔτι συνοικουμένην ἴσμεν, Strabo *l.* VI. p. 272. Ὁ δ' Ἀννίβας τὰ μὲν ἱερὰ συλήσας, καὶ τοὺς καταφυγόντας ἱκέτας ἀποσπάσας ἐνέπρησε, καὶ τὴν πόλιν εἰς ἔδαφον κατέσκαψεν, οἰκισθεῖσαν ἔτη διακόσια τεσσαράκοντα, Diodor. *l.* XIII. Oppidum Himeram Carthaginenses quondam ceperant: quod fuerat in primis Siciliæ clarum & ornatum. Scipio, bello confecto, Siculis omnibus, Carthagine capta, quæ potuit, restituenda curavit. Himera deleta, quos cives belli calamitas reliquos fecerat, ii se Thermis collocarant, in ejusdem agri finibus, neque longe ab oppido antiquo: hi se patrum fortunam ac dignitatem recuperare arbitrabantur, cum illa majorum ornamenta in eorum oppido collocabantur, &c. Cicero II. *Verrin.* Thermarum urbem a Carthaginensibus, biennio post eversam Himeram, conditam fuisse scribit Diodor. *l.* XIII. & Thermarum incolas Himeræos vocat *l.* XIV. Cum autem Pindar. *Olymp.* ode XII. epod. θερμὰ νυμφᾶν λουτρὰ dicit, ipsam urbem Himeram intelligit, quia ejus ætate adhuc ea exstabat, nam ait, Ἱμέρα εὐρυσθενεῖ πόλει, *Olymp.* ode XII. init. adeoque necdum condita erat urbs Thermarum.

MYLAITÆ.

Mylæ, urbs Siciliæ, Stephan. Græca, Scylax p. 112. Chalcidensis, Marcian. p. 12. In ea Zanclæi habitabant, Strabo *l.* VI. p. 272. Cluverius etiam Marcianum auctorem laudat, a Zanclæis Mylas fuisse conditas; sed Marcianus hoc nusquam dicit: vide in *Euboensibus.* Strabo tamen Zanclæorum in Mylis meminit: vide in *Himeræis.* Μύλας τὰς Μεσσηνίων vocat Thucyd. *lib.* III. & τὰς Μεσσηνίας Theophrast. *Hist. plant. l.* VIII. c. III.

Olymp. LXXXVIII. Mylæ per vim expugnatæ fuerunt ab Atheniensibus & Rheginis, Diodor. *l.* XII.

Olymp. XCVI. 3. Mylas Naxiorum & Catanensium reliquiis incolendas Rhegini tradiderunt: & Helorin imperatorem cum instructo exercitu ad Messenen obsidendam miserunt; sed Messenii cum mercenariis Dionysii conglobati occurrerunt, & inito conflictu victores, hostium multis cæsis, e vestigio, Mylas aggressi, urbem ceperunt; Naxiosque in ea collocatos, data fide incolumes dimiserunt, Diodor. *l.* XIV.

TAUROMENITÆ.

Tauromenium urbs Siciliæ, Stephan. Græca, Scylax p. 112. Chalcidensis, Marcian. p. 12. condita a Zanclæis Hyblæ incolis, Strabo *l.* VI. p. 268. Collem, qui Taurus vocatur, occupasse Siculos, magno quidem numero, sed absque certo duce: atque pridem Naxiorum terram a Dionysio accepisse: postea vero Himilconis Pœni adductos promissis, collem eum insedisse: &, quod, natura munitus esset, non modo tunc, (Olymp. XCVI.) sed etiam post bellum muro circumdatum incoluisse, urbemque a mansione in Tauro (διὰ τὸ μεῖναι τοὺς ἐπὶ τὸν Ταῦρον ἀθροισθέντας) Tauromenium nuncupasse, scribit Diodor. *l.* XIV. p. 282. Andromachum Tauromeniten, Timæi Historici patrem, virum opibus & animi splendore excellentem, quod exsulum Naxi a Dionysio excisæ reliquum erat, hinc inde congregasse, collemque, qui Tauri nomine Naxo imminebat, habitandum cepisse, Olymp. CIII. 3. & quia ad eum diu substiterat, ἀπὸ τῆς ἐπὶ τοῦ Ταύρου μονῆς, nuncupasse Tauromenium: cumque subita incrementa urbs caperet, incolas ingentes opes, & urbem dignitatem amplissimam sibi comparasse scribit idem *l.* XVI. p. 411. Sed Tauromenium, stante Naxo, in Sicilia exstitisse manifestum est e Phalaridis *ep.* XV. XXXI. XXXXIII. LXXXV. Naxum enim evertit Dionysius, cujus ætatem antecedit Phalaris Olymp XL. circiter. Narrationem Diodori de Andromacho potiorem vocat Cluverius; eamque a Plutarcho in *Vita Timoleontis* referri ait. Sed Plutarchi verba Andromachum urbis conditorem minime vocant, sed tantum τὴν πόλιν ἔχοντα καὶ δυναστεύοντα. Itaque ut facile largior ab Andromacho exsules Naxios in civitatem receptos fuisse, ita urbem ab eo, vel, post deletam Naxum, demum conditam nego. Taurominium oppidum ab amne Taurominio denominatum scribit Vibius Sequester in *Catalog. amnium.*

Tauromenitas vicit Phalaris; sed captivorum redemptionis pretia, quæ acceperat, iis in gratiam Stesichori reddidit, Phalar. *epist.* XV. XXXI. XXXXIII. LXXXV.

Andromachus Corinthiorum classem Tauromenium appulsam, & jam pridem a se arcessitam, suscepit. Fuit is urbis princeps, Timæi Historici pater, omnium Siciliæ principum, qui tum erant, præstantissimus: qui & suis civibus juste & ex legibus præerat, & manifestum semper contra Tyrannos odium gesserat: quamobrem tum quoque Timoleonti urbem suam receptaculum exhibuit, civibusque persuasit, ut Corinthiis in liberanda a Tyrannis Sicilia auxilium ferrent. Carthaginenses vero Legatum cum triremi Tauromenium miserunt, qui multa superbe cum Andromacho collocutus, minatusque, ut est mos Barbarorum, gravia, nisi confestim Corinthios expelleret, tandem manum supinam ei ostendit, eamque rursus demittens, urbem priori manus formæ similem, posterioris modo se prostraturum jactavit. Ad quod subridens Andromachus, nihil aliud respondit, quam quod, manu itidem modo supinata, modo in pronum declinata, jussit abire hominem, nisi ad eundem modum cum sua navi agi vellet, Plutarch. *Timoleonte.*

Tyndarion Tauromeniæ Tyrannus propenso in Pyrrhum animo erat, ejus copias in urbem recipere paratus, Diodor. *Eclog. l.* XXII. c. VIII.

Tauromenitas patria expulit Cæsar, urbemque Romana colonia occupavit, Diodor. *l.* XVI. p. 411. Οἰκεῖται ἧττον τὸ Ταυρομένιον, Strabo *l.* VI. p. 268.

Colonia Taurominium, quæ antea Naxos, Plinius *l.* III. c. VIII. Peloritana ora habitatur colonia Tauromenia, quam Prisci Naxum vocabant, Solinus c. XI. Sed jam supra ostendimus, Naxo stante, Tauromenium exstitisse.

SYRACUSANI.

Syracusæ urbs Siciliæ maxima, ut auctor est Hecatæus in *Europa*, Stephan. Principem urbium Syracusas, Solin. c. XI. Condidit hanc urbem Archias ex Heraclidis unus Corintho profectus, anno post Naxum conditam proximo, Siculis ex insula (Ortygia) pulsis, Thucyd. *l.* VI. p. 412. Archiæ, cum Syracusas coloniam deducere juberetur, hoc oraculum datum fuit:

Ὀρτυγίη τις κεῖται ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ
Θρινακίης καθύπερθεν, ἵν' Ἀλφειοῦ στόμα βλύζει,
Μισγόμενον πηγαῖς Εὐειπείης Ἀρεθούσης.

Pausan. *Eliac. pr.* p. 298. Condidit vero Archias

Syracuſas, Corintho profectus, ſub idem tempus, quo conditæ fuerunt Naxus & Megara. Simul vero Miſcellum & Archiam ajunt Delphos veniſſe oraculum conſulentes, & a Deo interrogatos, divitias mallent, an ſanitatem: Archiam opes ſibi optaſſe, ſanitatem Miſcellum: Deumque illi, ut Syracuſas, huic ut Crotonem conderet, mandaſſe: atque ita Crotonienſibus eveniſſe, uti tam ſalubrem, ut diximus, incolerent urbem; Syracuſanos vero eo opulentiæ progreſſos, ut de iis etiam vulgatum ſit proverbium in nimis ſumptuoſos, ὡς οὐκ ἂν ἐκγένοιτο αὐτοῖς ἡ Συρακουσίων δεκάτη. Ceterum Archiam, cum in Siciliam navigaret, & ad Zephyrium appu-
B
liſſet, in Dorienſium quoſdam incidiſſe, qui e Sicilia digreſſi ab iis qui Megara condiderant, eo venerant: eos illum ſibi adjunxiſſe, indeque profectum, communi cum eis opera, Syracuſas condidiſſe, Strabo *l.* VI. p 269. 270. Συρακοῦσαι—κτίσμα Ἀρχίου Κορινθίου, Χοίνικος τῆς ἐν Νάξῳ ὁμόχρονον, Stephan. ita enim legendum puto, vel ὁμόχρονος, ut ad πόλις referatur. Marcian. p. 12.

Τὸ δ' ἐπὶ Ζέφυρον τῆς Ἰταλίας οἱ Δωριεῖς
Κατέσχον. Ἀρχίας δὲ τούτους προσλαβὼν
Ὁ Κορίνθιος, μετὰ Δωριέων κατῴκισεν
Ἀπὸ τῆς ὁμόρου λίμνης λαβούσας τοὔνομα
Τὰς νῦν Συρακούσας περὶ αὐτῆς καλουμένας.

C
Hinc Δωριέας Συρακουσίους vocat Thucyd. *l.* VII. p. 531. & Syracuſas πολυκλήρων Ἐφυραίων μέγα ἄστυ vocat Theocritus *Idyll.* XVI. v.83. ſeq. quia Archias Corinthius ſeu Ephyræus fuit, Theocrit. *Idyll.* XXVIII. v. 17. ſeq.

Καὶ γάρ σοι πάτρις, ἄν ὦ 'ξ Ἐφύρας κτίσσε ποτ' Ἀρχίας
Νάσω Τρινακρίας μυελὸν, ἀνδρῶν δοκίμων πόλιν.

Pindarus *Pyth.* ode II. init. Μεγαλοπόλιας vocavit Syracuſas, quandoquidem Archias everſis quatuor urbibus, unam ex iis fecit: ſuntque hæ, Achradina, Neapolis, Epipolæ, & Tyche, Schol. Pindar. Ea
D
tanta eſt urbs, ut ex quatuor urbibus maximis conſtare dicatur: quarum una eſt ea, quam dixi. Inſula. — Altera autem eſt urbs Syracuſis, cui nomen Achradina eſt. — Tertia eſt urbs, quæ quod in ea parte Fortunæ fanum antiquum fuit, Tyche nominata eſt.— Quarta autem eſt urbs, quæ, quia poſtrema ædificata eſt, Neapolis nominatur, Cicer. IV. *Verrin* Quadruplices Syracuſas vocat Auſonius *de Urbib.* Muros & quatuor arces, Silius *l.* XIV. At πεντάπολις τὸ παλαιὸν fuiſſe dicitur Straboni *l.* VI. Plutarcho Achradina, Tycha & Neapolis in *Marcello:* Inſula & Epipolæ, in *Timoleonte*, nominantur. Dio-
E
doro Achradina, Inſula & Tycha *l.* XI Neapolis & Achradina *l.* XVI. Epipolæ *l.* XIV. memorantur Quinque etiam, partim *l.* XXIV. partim *l.* XXV. nominat Livius. Ἐπιπολῶν quoque meminit Thucyd. *l.* VI. Sed partem Epipolas ædificiis vacuam fuiſſe colligit Cluverius, vel ſaltem minus frequentem. Syracuſas a fluvio nomen accepiſſe ait Duris, Stephan. imo vero a ſtagno, non a fluvio: λίμνη, ἥτις καλεῖται Συρακώ, Stephan. Tyraca, Syracuſis, Vibius Sequeſter *Catalogo paludum:* vide Marciani ſuperius adducta verba. Archias per dolum occiſus fuit a Telepho, quem in deliciis habuerat, quique navis præfectus cum ipſo in Siciliam navigarat: reliquit vero Archias duas filias, Ortygiam & Syracuſam,
F
Plutarch. *Amator. narrat.* II.

Syracuſani victi prælio ab Hippocrate Gelæ Tyranno, a Corinthiis ac Corcyræis liberati fuerunt, quo minus ab Hippocrate ſubigerentur: ea tamen conditione, ut Syracuſani Camarinam, quæ ſua quondam fuiſſet, Hippocrati traderent, Herodot. *l.* VII. p. 494.

Syracuſani quidam, Gamori dicti, a plebe ſuiſque ſervis, qui Cyllyrii vocabantur, pulſi urbe, ad Gelonem Gelæ Tyrannum confugerunt. Ei Syra-
A
cuſas venienti, ad reducendos exſules, plebs Syracuſana & urbem & ſeipſam dedidit, Herodot. *l.* VII. p. 494. 495.

Gelon Syracuſis potitus, Gelam, quam minoris faciebat, fratri ſuo Hieroni permiſit. Syracuſas vero ipſe robore ac viribus auxit, & Syracuſæ omnia fuerunt: nam & everſa Camarina, Camarinæos omnes Syracuſas translatos civitate donavit: & ultra dimidiam Geloorum partem eodem traduxit: & Megarenſium in Sicilia, quum obſeſſi ad ſe dedendos veniſſent, locupletiſſimos quoſque, qui ipſi bellum intulerant, jamque mortem metuebant, etiam Syracuſanos cives fecit; ſed Megarenſem plebem,
B
quæ a bello abſtinuerat, quæque nihil gravius metuebat, Syracuſas abductam vendidit, e Sicilia deportandam. Eodem modo Euboenſium in Sicilia proceres a plebe diſtinxit, plebis contubernium rem moleſtiſſimam eſſe ratus, Herodot. *l.* VII. p.495.

Gelon, cum Xerxes Græciam invaderet, a Græcis per Legatos ſollicitatus ad opem Græciæ ferendam, pollicitus fuit ſe præbiturum ducentas triremes, & viginti millia armatorum, & bis mille equites, totidemque ſagittarios, & totidem funditores, & totidem levis armaturæ hippodromos: & ſuppeditaturum, donec eſſet debellatum, omnibus Græcorum
C
copiis, frumentum; ſed ea lege, ut ipſe Græcorum adverſus Barbaros conſtitueretur imperator, aliter neque ſe venturum, neque alios miſſurum. Quæ ubi Syagrus princeps legationis Lacedæmoniæ audivit, Quam vero, inquit, ejularet Pelopides Agamemnon, ſi intelligeret Spartiatas imperio Geloni atque Syracuſanis ceſſiſſe: juſſitque, omiſſa ejus rei mentione, eum, ſi Græciæ opem ferre cogitaret, Lacedæmoniorum imperio ſe ſubmittere; ſin minus, deſiſtere a ferenda ope. At Gelon ad minimum imperium dividendum cenſuit, quod præ Græcis numero navium & copiarum polleret, ut ſi Lacedæmonii terreſtribus copiis, ipſe navalibus: ſin illi navalibus,
D
ipſe terreſtribus imperaret. Quod ejus poſtulatum Athenienſes excipientes, negarunt ſe a Græcia imperatorum, ſed exercitus, indiga miſſos fuiſſe: ideoque etiamſi Lacon permitteret, ſe non paſſuros ipſum claſſi præeſſe, cujus imperio Athenienſes nemini, niſi Lacedæmoniis ſolis, eſſent ceſſuri. Gelon vero, Hoſpes Athenienſis, inquit, vos, qui imperent, habere videmini, at quibus imperetur, non item: eoque dicto eos, nihil concedentes, ſed totum obtinere volentes conteſtim diſcedere juſſit, Græciſque renunciare, ὅτι ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ ἔαρ αὐτῇ ἐξαραίρηται: *(ver ex anno illi exemptum eſſe)* cujus ſenſus is erat: ſicut ver reliquis anni partibus præſtat, ita ipſius ex-
E
ercitum Græco præcellere, atque ideo Græciæ, quæ ipſius ſocietate privaretur, idem contingere, ac ſi ei ex anno ver exemptum fuiſſet. Illi ita abierunt. Gelon vero Græcis timens, ut pares Barbaro eſſent, & nihilominus indignum atque intolerandum ſibi ratus, ſi Siciliæ Tyrannus in Peloponneſum profectus ſe imperio Lacedæmoniorum ſubjiceret, Cadmum Coorum olim Tyrannum, cujus ipſe perſpectam in aliis rebus habebat juſtitiam, Delphos miſit, cum tribus navibus quinquagenum remorum, & multa pecunia, obſervaturum, quo belli eventus caderet, ut ſi vinceret Barbarus, ei cum pecunia ter-
F
ras, quæ Geloni parerent, traderet; ſin victoria Græcorum foret, pecuniam reportaret. Cadmus hic poſt victoriam navalem Græcorum, cum Xerxes exercitum abduxiſſet, cum omni pecunia in Siciliam rediit, Herodot. *l.* VII. p. 495. 496. 497. 498. 499. Συνέβη Συρακουσίοις τυραννουμένοις τε δεσπόζειν τῶν ἄλλων, καὶ ἐλευθερωθεῖσιν ἐλευθεροῦν τοὺς ὑπὸ τῶν βαρβάρων καταδυναστευομένους, Strabo *l.* VI. p. 270.

Gelon una cum Therone Agrigentino Tyranno, Amilcarem Carthaginenſium ducem, eodem die ſuperaſſe fertur, quo Græci ad Salaminem Perſas vi-

cerunt, Herodot. *l.* VII. p.499. Eodem die Gelonem vicisse Pœnos, & Leonidem ad Thermopylas occubuisse scribit Diodor. Sic. *l.* XI. p.19. Γέλων δὲ καὶ προπολεμήσας ἄριστα καὶ κρατήσας μάχῃ μεγάλῃ Καρχηδονίων, οὐ πρότερον εἰρήνην ἐποιήσατο πρὸς αὐτοὺς δεομένους, ἢ καὶ τοῦτο ταῖς συνθήκαις περιλαβεῖν, ὅτι παύσονται τὰ τέκνα τῷ Κρόνῳ καταθύοντες, Plutarch. *de sera Num. Vind.* p. 283. Τοῦτο δὲ εἴρηκε Pindar. *Pyth.* II. init. διὰ τὸ νεωστὶ Καρχηδονίους, καὶ Λίβυας, καὶ Τυρσηνοὺς ὑπὸ τῶν περὶ Γέλωνα καὶ Ἱέρωνα, μὴ μόνον τῇ νήσῳ ἐπιπλεύσαντας καθῃρῆσθαι, ἀλλὰ καὶ ὑπ' αὐτοῖς τὴν Καρχηδόνα γενέσθαι, ὥστε καὶ ὑπακούειν. τὸ γοῦν ἀνθρωποθυτεῖν φησιν ὁ Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ Τυρσηνῶν παύσασθαι αὐτοὺς, Γέλωνος προστάξαντος. ὅτι δὲ καὶ ἐκέλευσεν αὐτοὺς, χρήματα εἰσφέρειν, Τίμαιος διὰ τῆς Τεσσαρεσκαιδεκάτης ἀναγέγραφε, Schol. Pind. *d.l.* ubi a Pindaro ἀνδρῶν ἵππων τε σιδαροχαρμᾶν δαιμόνιαι τροφοὶ vocantur Syracusæ. Gelon Megarenses Hyblæos agro & urbe expulit, Thuc. *l.* VI. p.413. de Gelone vide Diod. *l.* XI. p. 17. seqq. regnavit annos octo, Arist. *de Rep. l.* V. §. 12.

Hieron Gelonis frater principatum Syracusanum adeptus est post Gelonem. Circa Olympiadem LXXVII. Schol. Pindar. *Pyth.* I. & VII. Sed in I. perperam legitur ὀγδοηκοστῇ πέμπτῃ.

Hieron Cumanis adversus Tyrrhenos auxilia misit, a quibus res bene adversus hostem gesta fuit, Diodor. *l.* XI. p. 39. Hieron adversus Thrasydæum bellum gessit: vide in *Agrigentinis.* Hieron. cum XI annos imperasset, Catanæ mortuus fuit, Diodor. *l.* XI. p. 50. Decem annos eum regnasse scribit Aristotel. *de Rep. l.* V. §. 12.

Thrasybulus Hieronis frater fratri successit. Sed cum violenter & tyrannice imperaret, insurgentibus in ipsum Syracusanis, tyrannide excidit, exsulque apud Locros reliquum vitæ tempus privatus transegit, Diod. *l.* XI. p.51.52. undecimo mense exactum eum fuisse scribit Aristot. *de Rep. l.* V. §. 12.

Syracusani pulso Thrasybulo democratiam apud se, & in reliquis urbibus, quas tyrannicis præsidiis ejectis occuparant, instituerunt, Diodor. *l.* XI. p.52.

Syracusani, inquilinos suæ urbis a Gelone civitate donatos, deficientes a se, quod ab honoribus publicis excluderentur, & Achradinam urbis partem ac insulam tenentes, & multis velitationibus victores, tandem in aciem eductis utrinque copiis, vicerunt, Diodor. *l.* XI. p. 55. 56. 57.

Syracusani, postquam Tyndarides & post eum alii Tyrannidem invadere moliti fuerant, petalismum instituerunt, quo illius, qui inter cives maxime opibus valeret, nomen πετάλῳ seu *folio* olivæ inscriberetur, & recensis foliis, is cujus nomen pluribus inscriptum esset, quinquennium urbe cederet. Cumque hac ratione principes viri exsularent, reliqui gratia & auctoritate pollentes ac Reip. utiles a negotiis publicis abstinuere, & metu legis privati vixerunt. Sed cum rei familiari tantum studerent, in luxum prolapsi fuerunt: interea pessimus quisque Remp. tractavit, & vulgus ad res novandas ac turbandas concitavit. Ita gliscentibus denuo seditionibus, & turbata civitate, illud petalismi decretum, accuratius perpensum, abolitum fuit, Diodor. *lib.* XI. p. 65. 66.

Syracusani Phayllum ducem delectum in Tyrrheniam miserunt, adversus Tyrrhenos mare latrociniis infestum reddentes. Is Æthaliam insf. classe advectus, depopulatus fuit; sed accepta ab Hetruscis pecunia, nulla re memorabili gesta, Syracusas rediit: quem Syracusani proditionis damnatum, exsilio mulctarunt: & Apellem classi præfectum cum LXX. triremibus emiserunt. Is maritima Tyrrheniæ populatus, & Corsicæ, tunc Hetruscis parentis, plerisque locis vastatis ac direptis, & Æthalia subacta, Syracusas cum captivorum & opum multitudine rediit, Diodor. *l.* XI. p. 67.

Syracusas male tractavit Pompejus, Strabo *l.* VI. p. 270.

Syracusas Augustus Imp. instauravit, Strabo *lib.* VI. p. 272.

Syracusani bellum contra Leontinos gesserunt, sociosque habuerunt, præter Camarinæos, cæterarum Doriensium civitatum populos, qui initio belli Peloponnesiaci in Lacedæmoniorum societatem quidem concesserant, neque tamen socia arma junxerant, Thucyd. *l.* III. p.231. Insulæ quoque Æoli Syracusanorum sociæ fuerunt, Thucyd. *l.* III. p.233.

Syracusani, Athenienses Siculosq; eorum socios ab obsidione Nessæ, cujus arcem tenebant Syracusani, frustra suscepta se recipientes, invaserunt, impetuque in eos facto, parte exercitus in fugam versa, non paucos occiderunt, Thucyd. *l.* III. p. 241.

Syracusani, Locris adjunctis, Messanam Siciliæ occuparunt, Thucyd. *l.* IV. init.

Syracusani cum Atheniensibus navali pugna congressi victi fuerunt, Thucyd. *l.* IV. p. 268.

Syracusani, ab Atheniensibus, Argivis ac Mantinensibus ad Syracusas commissa pugna, victi fuerunt; eorum tamen equitatus vinci non potuit. Syracusani οὐ δὴ προθυμίᾳ ἐλλιπεῖς ἦσαν, οὐδὲ τόλμῃ, οὔτ' ἐν ταύτῃ τῇ μάχῃ, οὔτ' ἐν ταῖς ἄλλαις, ἀλλὰ τῇ μὲν ἀνδρείᾳ οὐχ ἥσσους, ἐς ὅσον ἡ ἐπιστήμη ἀντέχοι, Thucyd. *l.* VI. p. 459. 460.

Syracusani suasu Gylippi Lacedæmonii & Hermocratis Syracusani, classem octoginta navium pararunt, ut prælio navali cum Atheniensibus decernerent: congressique cum iis, partim vicerunt, sed ad extremum profligati fuerunt omnes, undecim navibus submersis, & majore hominum parte occisa, cum ex tribus navibus viri in potestatem hostis venissent, Thucyd. *l.* VII. p. 502. 503. 504.

Syracusani victi ab Atheniensibus aliquoties, tandem integram de iis victoriam consequuti fuerunt, Thucyd. *l.* VI. p. 482. seqq. & *l.* VII. p. 503. 527. 528. 542. 544. 551. 555.

ACRÆI.

Acræ urbs Siciliæ a Syracusanis condita, septuagesimo anno post conditas Syracusas, Thucyd. *l.* VI. p. 414. Ακρα—ὅτι ἐστὶ Συρακουσίων κτίσμα, Stephan.

CASMENÆI.

Casmenæ urbs Siciliæ a Syracusanis condita, vigesimo anno post conditas Acras, Thucyd. *l.* VI. p. 414. Κασμένη dicitur Stephano, ex Herodot. *l.* VII. p. 495. sed Κάσμεναι Thucydidi.

CAMARINÆI.

Camarina colonia Syracusanorum, Strabo *l.* VI. p. 272. condita primum a Syracusanis, anno post conditas Syracusas, centesimo & trigesimo quinto, ducibus Dascone & Meneclo, Thucyd. *l.* VI. p. 415. Κτίζεται μὲν γὰρ ἡ Καμαρίνα τεσσαρακοστῇ πέμπτῃ Ολυμπιάδι, Schol. Pindar. *Olymp.* ode V. init. Marcian. p. 12.

Συρακόσιοι δὲ τὴν Καμαρίναν λεγομένην (ἔκτισαν.)

Nomen accepit a fluvio, Duris apud Stephanum. Imo vero a stagno. Ἀρίσταρχος δὲ ἀκούει Ὠκεανοῦ θυγατέρα, Καμαρίναν τὴν λίμνην, ἀφ' ἧς καὶ τὴν πόλιν ὀνομάσθαι. ἄλλως. Καμαρίνα ἡ πόλις τοῦ Ψαύμιδος καλεῖται, καὶ λίμνη πλησίον αὐτῆς κειμένη. οἱ μὲν οὖν φασιν, ὅτι τῇ πόλει τὸ ὄνομα ἐτέθη ἀπό τινος οὔσης νύμφης, Scholiast. Pindar. *Olymp.* ode V. init. Καμαρίνα πόλις Σικελίας καὶ λίμνη· ἀφ' ἧς ἡ Παροιμία:

Μὴ κίνει Καμαρίναν· ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.

Steph. vide de hoc proverbio Suid. & Zenob. & *Anthol. Epigr. l.* IV. Hyperian Phæacum sedem memoratam Hom. *Odyss.* Z. v.4. quidam intelligunt Camarinam in Sicilia, Eustath. & Sch. min. *in Odyss.*

Camarinæos ad bellum contra Phalaridem incitarunt, sed frustra, Leontides, Phalar. *epist.* LXXV. Cleobulus, *epist.* CI. Nicarchus, *epist.* CXIV.

Camarinæi a Syracusanis defecerunt: ideoque suis sedibus bello a Syracusanis pulsi fuerunt, Thucyd. *l.* VI. p. 414. Ἐπικρατησάντων δὲ τῶν Συρακουσίων, προσθεῖται τῇ νζ. Ὀλυμπιάδι, Schol. Pindar. *Olymp.* ode v. Ἐν τῇ τεσσαρακοστῇ πέμπτῃ Ὀλυμπιάδι καταρχῆς ἱδρυθεῖσα, ἐν τῇ πεντηκοστῇ ἑβδόμῃ ὑπὸ Συρακουσίων ἐπικρατησάντων τοὺς αὐτὴν ἔχοντας, κατέσκαπτο, Schol. recent. Pindar. Marcian. p. 12. seq. A

Αὐτοὶ (Syracusii) δ' ταύτην ἦραν ἐκ βάθρων πάλιν, Πρὸς ἓξ πρὸς πεντηκοστῇ ὀλυμπιάδι.

Camarinæum agrum pretium redemptionis captivorum Syracusanorum accepit Hippocrates Gelæ Tyrannus, & Camarinam coloniam novam deduxit, Thucyd. *l.* VI. p. 414. Ἱπποκράτης δὲ πολεμῶν Συρακουσίοις, καὶ πολλοὺς αἰχμαλώτους λαβών, ὑπὲρ τῶν λύτρων ἔλαβε τὴν Καμάριναν, δ' συνῴκισεν αὐτήν, Schol. Pindar. *Olymp.* ode v. B

Camarinam evertit Gelon Syracusanorum Tyrannus, & Camarinæos Syracusas transtulit, ac civitate donavit, Herodot. *l.* VII. p.495. Φίλιστος δέ φησιν ἐν τῇ ζ', ὅτι Γέλων Καμάριναν κατέστρεψεν, Schol. Pindar. *Olymp.* ode v. Sed iterum a Gelone incolis frequentata fuit circa Olympiad. LXXII. (nam οβ'. lego pro μβ'.) ut auctor est Timæus, Schol. Pindar. *Pyth.* ode v. Καὶ αὖθις ὑπὸ Γέλωνος ἀνάστατος γενομένη, τὸ ζ' τρίτον κατῳκίσθη ὑπὸ Γέλωνος, Thucyd. *l.* VI. p.414. Urbem λαοτρόφον & νέοικον ἕδραν vocat Pind. *Olymp.* ode v. strophe I. Archonte Athenis Euippo, Camarinam in Sicilia Geloi occuparunt, & de novo inter se agros distribuerunt, Diodor. *l.* XI. Εἶτα ἐν τῇ ὀγδοηκοστῇ δευτέρᾳ (πέ. Schol. antiq.) Ὀλυμπιάδι, μεταξὺ τριῶν, καθ' ὃν Ψαῦμις ἐνίκησεν, ἀνεκτίσθη, Schol. recent. Pindar. *Olymp.* ode v. C

HYBLÆI MEGARENSES.

LAmis Megaris colonia in Siciliam ducta, super Pantacium fl. Trotilum condidit: sed illinc digressus, cum apud Leontinos aliquandiu una cum Chalcidensibus Remp. administrasset, ab ipsis ejectus fuit. Inde Thapsum condidit. Sed mortuo eo, cæteri Thapso expulsi, Hyblone, Rege Siculo, terram tradente ac ducente, Megara Hyblæa condiderunt, Thucyd. *l.* VI. p.413. Hyblas duas in Sicilia fuisse scribit Pausan *Eliac. post.* Tres vero Stephanus. Et sunt quidem corrupta quæ leguntur in Stephano: quæ mea opinione non infeliciter restituit Cluverius *Sicil. l.* I c. XI. licet ipse revocet eam emendationem *l.* II. c. VIII. Mihi hoc videtur velle Stephanus: Hyblam ab Hyblo Rege nomen accepisse, & quia multæ Sicularum urbium Hyblæ vocarentur, unam magnam Megara appellatam fuisse, & incolas Megarenses: alteram parvam, & incolas Geleatas, (Galeotas al.) tertiam minorem Heran. Τοὺς δὲ Δωριεῖς (κτίσαι) Μέγαρα, τὴν Ὕβλαν πρότερον καλουμένην, Strabo *l.* VI. p. 267. Marcian. p. 12. D E

Κτίζουσι —— οἱ Μεγαρεῖς δὲ τὴν Ὕβλαν.

Hybla vel Hyble oppidum est Siciliæ, quod nunc Megara dicitur, Servius *in Virgil. Eclogam* I.

Megarenses Hyblæi Selinuntem condiderunt, vide in *Selinunt.*

Megarenses Hyblæi a Gelone Rege Syracusanorum, cum Megara ducentos & quadraginta quinque annos tenuissent, urbe & agro expulsi fuerunt, Thucyd. *l.* VI. p. 413. agrumque Syracusani occuparunt, Thucyd. *l.* VI. p. 480. Urbs vero non amplius exsistit, Strabo *l.* VI. p. 267. F

Ἔστι (Μέγαρα) ἐν Σικελίᾳ, ἡ πρότερον Ὕβλη, ἀπὸ Ὕβλωνος βασιλέως, Stephan. in Μέγαρα.

SELINUNTII.

SElinuntem Megarenses Hyblæi, misso Pammilo, anno centesimo post Megara Hyblæa condita, condiderunt, Thucyd. *l.* VI. p.413. Σελινοῦντα δ' ἔκτισαν οἱ αὐτόθι Μεγαρεῖς, Strabo *l.* VI. Marcian. p.12.

Μεγαρεῖς Σελινοῦντ' —— ἔκτισαν.

Nomen a fluvio accepisse ait Duris, Stephan. Incolæ Megarenses Selinuntii dicuntur Thucyd. *l.* VII. & Hyblæi Megarenses Strab. *l.* VIII. p. 387.

Pythagoram Selinuntiorum Monarcham e medio sustulit Euryleon Spartanus, (qui unus e Doriei comitibus superstes fuit e pugna adversus Phœnices & Ægestanos commissa) & Selinuntios juvit in recuperanda libertate. Sed ipse invasit tyrannidem, quam brevi tempore obtinuit: nam Selinuntii impetu facto, eum, confugientem ad Jovis Ἀγοραίου aram, occiderunt, Herodot. *l.* V. p. 346. 347.

Olymp. LXXV. Selinuntii Amilcaris Hannonis F. partes sequebantur bello Carthaginensi, Diodorus *l.* XI. p. 17. Solique ex omnibus Siciliæ populis Carthaginensibus auxilia tulerunt contra Gelonem, Diodor. *l.* XIII. p. 180.

Selinuntii ab Egestæis finitimis bello, propter res quasdam ad nuptias spectantes, & agrum controversum lacessiti, Syracusanorum auxilia arcessiverunt: iisque sociis Egestæos terra marique bello infestarunt, Thucyd. *l.* VI. p.415 Ægestæi vero, missis Carthaginem Legatis, inde auxilia petiere, Diodor. *l.* XIII. p. 169.

Olymp. XCII. Selinuntem Annibal Carthaginensium dux obsedit, expugnavit & diripuit: αὕτη μὲν ἡ πόλις ἀπὸ τῆς κτίσεως οἰκηθεῖσα χρόνον ἐτῶν διακοσίων τεσσαράκοντα (τριάκοντα legendum putat Cluverius) δύο, ἑάλω: Selinuntiorum vero bis mille sexcenti salvi ad Agrigentinos evaserunt: quibus Annibal in Empedionis gratiam permisit urbem habitare ac agrum colere, ea conditione, ut Carthaginensibus tributa penderent: mœnia vero urbis diruit, Diodor. *l.* XIII. p. 179. seqq.

Selinuntem Hermocrates occupavit, & parte urbis communita, Selinuntios excidio superstites, undique convocavit, Diodor. *l.* XIII. p. 187.

Selinuntem subegit Dionysius, Diod. *l.* XV. p.384.

Selinuntem Hanno Hannibalis F. terrestri exercitu circumsedit, Diodor. *l.* XXIII. *Eclog.* II. Selinuntii a Carthaginensibus suis sedibus pulsi fuerunt, Pausan. *Eliac. post.* p. 379. Ἄλλος δὲ Σελινοῦς ποταμός ἐστιν, ὁ παρὰ τοῖς Ὑβλαίοις Μεγαρεῦσιν, οὓς ἀνέστησαν οἱ Καρχηδόνιοι, Strabo *l.* VIII. p.387. Urbis vero a se eversæ cives Lilybæum transtulerunt Carthaginenses, Diodor. *l.* XXIV. *Eclog.* I. Selinuntem sua ætate desertam fuisse scribit Strabo *lib.* VI. p. 272.

Selinuntiorum colonia fuit Minoa, Herodotus *l.* V. p. 347.

GELOI.

GElam Antiphemus e Rhodo, & Entimus e Creta, deductis colonis, communi opera condiderunt, anno quadragesimo quinto, post Syracusas habitari cœptas: atque huic quidem urbi a Gela fl. nomen inditum fuit: locus vero, ubi nunc sita urbs est, quique primus muro cinctus fuit, Lindii vocabatur: jura autem Dorica ipsis constituta fuerunt, Thucyd. *l.* VI. p 413. Antiphemum Rhodium & Entimum Cretensem, Gelam coloniam ducentes, e Peloponneso, Rhodo & Creta colonos collegisse ait Artemon Pergamen. apud Schol. Pindar. *Olymp.* ode II. ant. I. Κτιζομένης Γέλης ὑπὸ Λινδίων τε τῶν ἐκ Ῥόδου, καὶ Ἀντιφήμου, Herodot. *l.* VII. p 493. Ἀντιφήμου τὴν Γέλαν οἰκίσαντος, Athen. *l.* VIII. Κρησὶ τὴν Γέλαν Ῥοδίοις ξυγκτίσασι, Thucyd. *l.* VII. p. 533. Nomen a fluvio accepisse ait Duris, Stephan. Γέλα πόλις Σικελίας. καλεῖται δ' ἀπὸ ποταμοῦ Γέλα. ὁ δὲ ποταμὸς, ὅτι πολλὴν πάχνην γεννᾷ. ταύτην γὰρ τῇ Ὀπικῶν φωνῇ καὶ Σικελῶν γέλαν λέγεσθαι, Stephan. Γέλα πόλις Σικελίας. καλεῖται δ' ἀπὸ ποταμοῦ Γέλα, ᾧ παράκειται ἡ πόλις. ὁ δὲ ποταμὸς ὀνομάζεται οὕτως, ὅτι πολλὴν πάχνην γεννᾷ.

ταύτλω γὸ τῇ Ὀπικῶν φωνῇ καὶ Σικελῶν γέλαν λέγεϑαι, Suidas. Γέλα, πόλις Σικελίας· ἀπὸ Γέλα τ̃ ποταμῦ, ᾧ παράκει) ἡ πόλις, Etymolog. Magn. Γέλα ποταμῷ ἐπικείμενον ἄςυ dicitur Callimacho apud Schol.Pind.*Olymp.*ode II. p. 19. Γέλας ὁμώνυμος τῇ ἐκεῖ πόλει ῥέει, Schol.recent.Pindar. *Olymp.* ode II. Γέλαν ὁμώνυμον εἶναι Γέλα τῷ ποταμῷ ait Artemon Pergamen.apud Schol.ant. Pindar. *Olymp.*ode II. Philistus *l.* I. *Urbium*, & Hellanicus a Gelone Ætnæ & Hymari filio dictam volunt: Aristænetus vero *l.* I. de Phaselide, tradit Lacium & Antiphemum fratres, Delphos ad consulendum oraculum venisse, Pythiam vero, haut equidem de illis loquentem, jussisse Lacium ad solis ortum navigare: Antiphemo vero ridente, (γελάσαντος) Pythiam rursus dixisse, A solis occasu, & quam urbem incoleret, Stephan. Sed postrema hæc corrupta sunt, quæ ex Etymol. magn. restitui possunt, ubi legitur: Ἢ ὅτι Ἀντίφημος, ἢ Δεινομένης ὁ Ῥόδιος, κατὰ χρόνον εἰς Δελφοὺς παραγενόμενος ἤκουσεν, ὡς δέοι αὐτὸν πρὸς δυσμὰς ἀπιόντα πόλιν κτίζειν. ἐπὶ δὲ τῇ προσδοκήτῳ ἀκοῇ ἐγέλασε. καὶ ἀπὸ τ̃ συμβάντος ὠνόμασε τ̃ πόλιν ἢ τ̃ παρακείμενον ποταμόν. Itaque παρὰ τὸ γελᾶν his dicta fuerit urbs: hinc Aristoph. *Acharnens.* p.399.E. κἂν Γέλα κἂν Καταγέλα: ubi Schol. Γέλα πόλις Σικελίας. ἐπείπε δὲ τὸ Καταγέλα, ἀπὸ τ̃ καταγελᾶν αὐτῶν ςρατηγὸς. Antiphemus Gelæ conditor, Doriensibus in Siciliam commigrantibus, Omphace Sicanorum oppido direpto, simulacrum a Dædalo fabricatum Gelam deportavit, Pauſ. *Arcad.* p. 529.

Geloi Acragantem condiderunt: vide suo loco. Hippostratus auctor est Geloos Agrigentinorum majores difficulter & abjecte vitam tolerasse, & mercede conductos urbis custodiæ adhibitos fuisse, Schol. Pindar. *Olymp.*ode II. ant. I.

Geloi quidam urbe per seditionem pulsi, Mactorium, urbem supra Gelam positam, profugerunt: eos Telines quidam, cujus majores erant ex insula Telo ad Triopium sita, non armis, sed Deorum inferorum sacris fretus reduxit. Inde apud Geloos ejus posteri continua successione antistites sacrorum Diis inferis fuerunt, Herodot. *l.*VII. p. 493.494.

Cleander Patareus, cum VII. annos Gelæ tyrannidem tenuisset, a Sabyllo viro Geloo interfectus fuit, Herodot. *l.* VII. p.494.

Hippocrates Cleandri frater imperium, fratre mortuo, suscepit. Is Callipolitanos, Naxios, Zanclæos & Leontinos bello subegit. Syracusanos etiam prælio ad Elorum fl.superatos, sibi Camarinam tradere coegit. In his bellis Gelon magna virtutis documenta edidit, & virtutis ergo totius equitatus præfectus constitutus fuit. Hippocrates cum VII. annos Remp.administrasset, illato Siculis bello, ante urbem Hyblam periit, Herodot.*l.* VII. p.494

Gelon Dinomenis filius, a Teline vate oriundus, per speciem tuendi liberos Hippocratis Euclidem & Cleandrum, quod cives illis amplius parere recusarent, re ipsa imperium invasit, victis Gelois, & liberis Hippocratis a Principatu exclusis. Inde & Syracusis potitus fuit, Herodot.*l.*VII.p.494.495. vide in *Syracusanis.*

Hieroni fratri Gelam, quam minoris faciebat, reliquit Gelon Syracusis potitus, Herodot. *l.*VII.p. 495. Hiero post mortem fratris quoque Syracusanum imperium consequutus fuit, Schol. Pindari *Pyth.* ode I.

Gelam urbem magnam, post Atticum bellum a Carthaginensibus eversam, frequentare cœperunt coloni cum Megillo & Pheristo ab Elea, collectis vetustis civibus: quibus Timoleon non modo securitatem & quietem post tantum bellum præstitit, sed & in aliis omnibus rebus constituendis ita operam suam navavit, ut eum perinde atque civitatis suæ conditorem diligerent, Plutarch.*Timoleonte*

Gelam occupavit Agathocles, Geloorumque, quos proditionis & defectionis ad Carthaginenses postulavit, supra IV. millia trucidavit, eorumque bona rapuit. Cæteros minis coegit argentum omne & aurum, signatum atque rude sibi tradere, Diodor. *l.* XIX. p. 740. seq.

Gelam sua ætate desertam fuisse scribit Strabo *l.* VI. p. 272.

AGRIGENTINI.

Agrigentum Geloi, anno centesimo octavo ab urbe Gela condita, condiderunt: & urbem quidem ab Acragante fluvio denominarunt: coloniæ duces constituerunt Aristonoum & Pystilum, suaque jura colonis dederunt, Thucyd.*l.*VI.p. 413. Ἀκράγας, Ἰώνων ὅσα, Strabo *l.*VI.p. 270. Sed fallitur, nam Geloi Dorienses erant. Artemon Pergamenus ait τὰς Ἀκραγαντίνας Γελώων εἶναι ἀποίκους, Schol. Pindar. *Olymp.* ode II. Marcian. p.12.

—— οἱ Γελῶοι δ' ἔκτισαν
Ἀκράγαντα.

Nomen a fluvio accepisse ait Duris, Steph. Aristarchus ait urbem a Pindaro *Olymp.* ode II. antistr. I. cognominari οἴκημα ποταμῦ, διὰ τὸ ὁμώνυμον εἶναι τῷ ποταμῷ Ἀκράγαντι. τ̃ γὸ ὀνομασίαν ἡ πόλις ἀπὸ τ̃ ποταμῦ ἔχε, Scholiast.Pind.*Olymp.*ode II. Ἀκραγαντῖνοι δὲ τ̃ ἐπώνυμον τ̃ πόλεως ποταμὸν παιδὶ ὡραίῳ εἰκάσαντες θύυσιν, Ælian.*Var.* *l.*II. c. XXXIII. Ἀκράγας δὲ πόλις καὶ ποταμὸς Σικελίας, Schol.Pind.*Olymp.*ode II. Ἀκράγας πόλις Σικελίας, ἀπὸ ποταμῦ παραῤῥέοντος. οἱ δ' ἀπὸ Ἀκράγαντος, τ̃ Διὸς καὶ Ἀςερόπης, τ̃ Ὠκεανῦ, Steph. Et urbem & fluvium appellari a regione Ἀκράγη ex Polybio scribit etiam Steph. Quidam ajunt majores Theronis (qui urbis Tyrannus fuit circa Olympiad. LXXV.) non Gelam primum, sed recta e Rhodo Agrigentum concessisse, ut & Pindarus dicit: Ἂν δὲ Ῥόδον κατῴκισθεν. Ἔνθ' ἀφορμαθέντες ὑψηλὰν πόλιν ἀμφινέμον). πλεῖςα μὲν δῶρ' ἀθανάτοις ἀνέχοντες. ἕπετο δ' ἀενάυ πλέτυ νέφος. Erant vero Rhodii origine, sed orta seditione civili fugientes in Siciliam commigrarunt, & illic cum quibusdam Barbaris conflato bello, urbem condiderunt, Scholiast. Pindar. *Olymp.* ode II. Τῦ γὸ Ἀκράγαντος ἀπὸ Ῥοδίων ἀπῳκισμένυ, εἰκότως ὁ Θεὸς ἔτος (Ζεὺς Ἀταβύριος) τ̃ αὐτλὼ ἔχει προσηγορίαν, ἣν καὶ παρὰ τοῖς Ῥοδίοις, Polyb. *l.* IX. Μέγα ἄςυ καὶ ξανθῦ Ἀκράγαντος dicitur hæc urbs Empedocli apud Diog.Laert.*Empedocle.* Μέγαν δὲ τ̃ Ἀκράγαντα εἶπεν φασιν, ἐπεὶ μυριάδες αὐτὸν κατῴκουν ὀγδοήκοντα. ὅθεν τ̃ Ἐμπεδοκλέα εἰπεῖν, τρυφῶντων αὐτῶν. Ἀκραγαντῖνοι τρυφῶσι μὲν, ὡς αὔριον ἀποθανύμενοι, οἰκίας δὲ κατασκευάζον), ὡς πάντα τ̃ χρόνον βιωσόμενοι, Diogen. Laert. vide Diodorum *l.* XIII. p.202. 203.204 205.

Phalari Laodamantis F. genere Astypalæensis, patria exsul, Phalaris *epist.* IV. juvenis rerum vicissitudine patria excidit, amissaque maxima suarum opum parte, barbaris moribus enutritus, omnibus terris profugus, injuriis affectus & non solum inimicorum, sed & eorum quibus benefecerat, insidias expertus fuit, *epist.* XLIX. Amisso per Stesichorum Himeræorum principatu, Agrigentinorum consequutus fuit, *epist.* XCIV. neque tamen, licet tyrannus esset, patriæ restitui potuit, qua per administrationis Reip. imprudentiam exciderat, *epist.* XCV. Astypalæenses tamen publice testati sunt, ipsum injuste patria pulsum fuisse, eosque condemnarunt, qui exsilii causa fuerant, *epist.* CXIX. Stesichorum undique ipsi bellum concientem, & cum Conone & Dropida transeuntem a Pachyno in Peloponnesum, ad Corinthios missum ab Himeræis, interceptum supplicio afficere cogitavit, *epist.* XCII. CVIII. Sed captivo ignovit ob excellentiam artis poeticæ, *epist.* LXIII. nec accusationibus ejus fidem habuit, *ep.*XXII.CXLVII. eumque etiam mortuum in honore

habuit *epist.* XXXI. Leontinis bellum intulit, *epist.* V. eosque vicit, *epist.* XXXII. missamque a filio Paurola coronam gestans, patriis Diis victoriæ sacra, belli contra Leontinos gesti, fecit, *epist.* XL. & Leontinis servitutis auctor fuit, quod ipsius triremem demersissent, *epist.* XLVI. Tauromenitas quoque & Zanclæos Leontinorum belli socios vicit: acceptisque, pro dimittendis captis, centum talentis, captivos dimisit, *epist.* XCV. Tauromenitis vero licet clementia indignis, quod nulla re ab ipso læsi, injusta ipsi arma intulissent, tamen in gratiam Stesichori pretium redemptionis captivorum remisit, *ep.* XXXI. XV. Melitæensibus libertatis auctor fuit, quod demersam ipsius a Leontinis triremem servare voluissent: neque ab ullo vel beneficiis, vel maleficiis se vinci passus fuit, *epist.* XLVI. Ennæensibus quoque, licet ingratis, libertatem dedit, *epist.* CXLVIII. Catanæorum, qui XXX. homines impie combusserunt, IO. gravis armaturæ milites occidit, iisdemque, qui VII. talenta diripuissent, plerosque reditus ademit, *epist.* CIV. Eorum tamen captivos dimisit, non quidem immemor in eos inimicitiarum, sed quod non magnæ iis curæ fuisset, si interempti fuissent, *ep.* XXX. Megarensibus captas triremes, cum manifestum esset eas in ipsum navigare, remisit: eosque jam ante ter in summa annonæ caritate sublevarat, *ep.* LII. Bellorum peritus, & neque injustis in rebus, neque supra vires, animosus, *epist.* XCI. continue in bella opes consumpsit, *epist.* LXXXIII. Divitias accumulavit, quascunque Deus præbuit, in fortunæ vicissitudines, nec terræ sinubus abdidit, sed in amicos erogavit, quicunque dona accipere non recusarent, *epist.* XII. nec gratiam dare, sed potius accipere se existimavit, quando viris bonis quicquam dedit, *ep.* XVII. Nunquam fidem datam fefellit, *epist.* XLI. XLII. Quæ injuste egit, ea præter voluntatem egit, & necessitate coactus, *epist.* I. III. XXIII. CXXXIX. Perilaum Atheniensium fictorem ad se venientem lætus suscepit, dignisque donis, tum ob artem, tum quod Atheniensis esset, honoravit. Cum autem Perilaus taurum, magnitudine naturam superantem, a se intra longum tempus confectum Agrigento intulisset, Phalaris opus, tanquam principe dignum spectaculum excepit; at cum latus aperuisset, & omni crudelitate plena mors, ac morte omni infelicius exitium appareret, Perilaum quidem ob artem laudavit, sed factum vindicavit supplicio: censuitque ipsum, quod neminem magis maleficum ipso auctore reperiret, propriæ machinationis ante alios experimentum daturum: itaque conjecto ipso in taurum, ignem, ut ipse docuerat, succendit: ipse vero acerbæ scientiæ vera experimenta dedit: neque enim visus fuit is qui supplicio afficiebatur, neque gemitus exauditi, vel ejulationes: nam editas intus ejulationes, æs ad audientes boatus specie referebat, *ep.* CXXII. Id supplicium Phalaridi laudi fuit, sed quod alios post Perilaum eodem supplicii genere afficeret, eam laudem ipse detrivit, *ep.* LXVI. XXXVIII. CXXXVI. Insidias expertus fuit Callæschri, *ep.* LXXI. Eubuli & Ariphanti, *ep.* LXXIII. Himeræorum, *ep.* LXXIII. Nicophemi, *ep* XCVI. Deo vero credidit, se a nemine eorum, qui injuste agerent, superatum iri: ab eo enim firmam fidem habuit, eum omnes insidiatores sibi subjecturum, *epist.* XCI. Insidiantibus bis & ter ignovit, *ep.* CVI. ac Eubuli quidem & Ariphanti uxoribus captis a Peristhene & ad se missis ad supplicium, vitam servavit, generosæ earum mentis contemplatione: rogatæ enim ab ipso, consciæ insidiarum suis viris fuissent, non solum id affirmabant, sed & simul impetum cepisse ad necandum tyrannum: ipso autem quærente, qua ipsius injuria motæ id agitassent, responderunt, nulla quidem privata, sed publica incitatas fuisse: publicam enim injuriam existimare se esse, liberas urbes in servitutem redigere: quærente ipso porro, qua re dignas illo odio pœnas ipsi persolverent, morte ajebant. Itaque vivere, non mortuos esse eos judicans, qui tanta cum virtute & animi magnitudine obiissent, iis pepercit, jussitque Peristhenem, arcessitis earum necessariis, quæcunque cum iis, quando capiebantur, ceperat, iis restituere, ne ulla in re se injuria affectas quererentur, *ep.* LXXII. Mortem contempsit, *epist.* XXVIII. XXXVII. CIII. CXLIV. Pythagoram ad se arcessivit, *epist.* XXIII. Sed sæpius vocatus frustra, tandem venit, & suaviter diu cum eo vixit, *ep.* LXXIV. Abaridem quoque arcessivit, *epist.* LVI. Is vero aspera epistola se venturum negavit, *ep.* LVII. Bonos quoque Poetas familiariter excepit, non quosvis, *epist.* LXIII. Lysini carminibus & tragœdiis exagitatus, *epist.* XCVII. ab Epicharmo laudatus, eum virum unum talem, totius Siciliæ mensuram habuit, *epist.* XCVIII. Stesichorum vero per Jovem sodalitii præsidem & communem focum obtestatus est, ne ipsius, sive tanquam boni, sive tamquam mali, meminisse vellet, *ep* LXXIX. Principatum autem maxime eo fine desiderarat, ut posset in amicos munificus esse; sed postquam eo ex voto a Diis potitus fuit, non habuit erga quos munificentiam exhiberet; sed, quod ipsi malorum omnium solatium erat, eo ab amicis privatus fuit, non permittentibus ulli benefacere ex iis, quorum copia supererat: imo eo adactus fuit, ut in adulatores & scurras, in quos nollet, dona conferret, *ep* CXLI. & quando omnibus felix videbatur esse, eo se maxime dolere sibi conscius fuit, *ep.* CXLVI. felixque fuit, si id est felicem esse, tyrannum vitam tyrannicam exsecrari, *ep.* XLIX. pœnituitque eum suscepti imperii, qui nolens & necessitate coactus eam vitam elegisset: ideoque filium Paurolam ab ea dehortatus est, *ep.* LXVII. Demoteli tamen suadenti tyrannidem deponere non obtemperavit, quod cum majore periculo conjunctum sit principatum deponere, quam possidere, *ep.* XXXVIII. Nec Epicharmo, *ep.* LXI. Mores vero mutavit, ut cum priore tempore audacius, quam tyranno conveniebat, se conspiciendum præbuisset, postea ne suis maxime necessariis conspiceretur: omnes vero homines, minus quam par fuit, fugit, quod neque apud alios, neque apud amicos firmam fidem inveniret, *ep.* XXXIV. Uxorem habuit Erythiam, quæ viro exsulante, vidua mansit, licet plurimis eam ambientibus, *epist.* XVIII. pharmaco autem a Pythone ea corrupta fuit, cum virum exsulem sequi vellet, & Pythoni nubere recusaret, *ep.* LI. Habuit ex Erythia filium Paurolam, qui, quod pater sæpe conquestus fuit, eruditionem neglexit, *ep.* XX. corpus quidem armis, & venationibus & reliquis laboribus exercuit, animum vero inexercitatum reliquit Græcarum disciplinarum studiis, quem oportebat primum & solum ad hæc talia simul exerceri, *epist.* LXVII. Tzetz. *Chil.* VI. *Histor.* XXXI.

Τίς ἂν τὰ τοῦ Φαλάριδος πάντα λεπτῶς ἐξείποι;

Nihilominus crudelitas Phalaridis omnium scriptorum monumentis & in omnibus scenis decantata est, in primis ob æneum istum taurum. *Φάλαρις Ἀκραγαντίνων Τύραννος ἀπότομος τοὺς παριόντας ξένους ἐστρέβλου καὶ ἐκόλαζε. Πέριλλος δὲ τῇ τέχνῃ χαλκουργὸς, δάμαλιν κατασκευάσας χαλκῆν, ἔδωκε τῷ βασιλεῖ, ὡς ἂν τοὺς ξένους κατακαίῃ ζῶντας ἐν αὐτῇ. ὁ δὲ μόνον τότε δίκαιος γενόμενος, αὐτὸν ἐνέβαλεν. ἐδόκει δὲ μυκηθμὸν ἀναδιδόναι ἡ δάμαλις*, Plutar. *Parallel.* XXXIX. *Ἀκραγαντίνων Φάλαρις ἐτυράννησε, παρανομίᾳ πάντας ὑπερβάλλων. οὐ γὰρ μόνον ἐφόνευε πολλοὺς, ἀλλὰ καὶ τιμωρίαις παρανόμοις ἐχρήσατο. καὶ τοὺς μὲν εἰς λέβητας ζέοντας, τοὺς δὲ εἰς τοὺς κρατῆρας τοῦ πυρὸς ἀπέστελλε, τοὺς δὲ καὶ εἰς χαλκοῦν ταῦρον ἐμβαλὼν κατέκαιεν*, Heraclid. *de Polit.* Callimachus apud Schol. Pindar. *Pyth.* ode I.

Πρῶτος ἐπεὶ τὸν ταῦρον ἐκαίνισεν, ὃς τὸν ὄλεθρον

Εὗρε τὸν ἐν χαλκῷ καὶ πυρὶ γινόμενον.

Pindar. *Pyth.* ode I. fin.

> Τὸν δὲ ταύρῳ χαλκέῳ καυ-
> τῆρα, νηλέα νόον
> Ἐχθρὰ Φάλαριν κατέχει παντᾶ φάτις.
> Οὐδέ μιν φόρμιγγες ὑπω-
> ρόφιαι κοινωνίαν
> Μαλθακὰν παίδων ὀάροισι δέκονται.

Phalaris cum aliquando accipitrem videret columbas plurimas insequentem,ecce,ajebat præsentibus, quid faciat ignobilis metus: si una omnium accipitri se objecisset, impetum insequentis extemplo cohibuisset.Ibi senex quidam,qui forte aderat,his verbis auditis, Phalarin arrepto lapide petiit; cujus exemplum sequuti reliqui, mortem illi intulerunt. Alii ajunt comprehensum & vinctum, & plumbea veste circumdatum fuisse, donec exspiraret, Tzetz. *Chiliad.* VI. *Hist.* XXXI. Ὅνπερ ὁ δῆμος ἐτιμωρήσατο. ἐνέπρησε δὲ καὶ τὴν μητέρα, καὶ τοὺς φίλους, Heracl. *de Polit.* Phalaridis taurum Agrigentini submerserunt, ut ait Timæus: qui vero in urbe ostendebatur, non fuisse Phalaridis, ut vulgo ferebatur, sed imaginem Gelæ (Γέλας enim lego pro Γέλωνος) fluvii. Schol. Pindar.*Pyth.* ode I. Agrigentini tyrannide Phalaridis liberati,decretum fecerunt, ne quis vestem glauci coloris gestaret: nam ministri Tyranni glauci coloris ventralibus usi fuerant, Plut. *polit.præc.* p.400.

Alcmanes post Phalaridem suscepit Remp. administrandam, Heraclid. *de Polit.*

Alcander Alcmani successit vir mitis ingenii: & Agrigentinis ita creverunt opes,ut vestem purpura undique prætextam gestarent, Heraclid. *de Polit.*

Theron Agrigentinus Ænesidami (is, ut puto, est, cujus meminit Herodot. *l.*VII. p. 494. & Hippocratis Geloi satellitem vocat) filius, ab Oedipode oriundus, hac serie: Lajus, Oedipus, Polynices, Thersander, Tisamenus, Autesion,(qui ad Dorienses concessit) Theras, (qui in Theram ins.coloniam deduxit) Samus, Telemachus, qui in Siciliam concessit, Chalciopeus, Ænesidamus, Theron, Schol. Pind.*Olymp.*ode II.p.16.& 22.Pind. ipse *ibid.* str.III.

> Ὅθεν, a Thersandro, σπέρματος ἔχοντι ῥίζαν

Theronis majores. Menecrates ait Theronis majores origine Thebanos fuisse a Cadmo: Cadmi enim nepotem, Polydori filium Æmonem, tribuli in venatione occiso, Athenas discessisse: posteros vero ejus relictis Athenis,cum Argivis Rhodum incoluisse, & postea Agrigentum venisse, & ad Theronem usque XVII. generationes numerari, Schol.Pind. *Olym.*ode II.p.18. Theron Agrigentinorum Rex cum Gelone Hieronis fratre affinitatem contraxit, data ei uxore filia sua Demarete, a qua nomen accepit Δημαρέτειον νόμισμα in Sicilia,Schol. Pindar.*Olymp.* ode II.p.19.Theron Agrigentinorum Tyrannus Terillum Himeræ Tyrannum Himera expulit,& Pœnos in Siciliam a Terillo adductos, ipse & Gelo Syracusanus superarunt, Herod.*l.*VII.p.499.Theronis filiam, post mortem Gelonis, duxit Polyzelus Gelonis frater, inclytus & illustris per Siciliam, ad invidiam usque fratris Hieronis: Theron vero filiæ & generi causa succensens, bellum intulit Hieroni ad fl. Siciliæ Gellam; neque tamen in damnum processit illud: ajunt enim Simonidem Lyricum inimicitias inter Reges dissolvisse,ut postea in pace inter se viverent, Schol. Pindar. *Olymp.* ode II. p. 19. Agrigentini Barbaris in urbe Motye victis, ex eorum manubiis in Olympia æneas puerorum statuas posuerunt,dextras tendentium,& vota se Jovi nuncupare significantium, Pausan. *Eliac. pr.* p. 337. Theron cum XVI.annos singulari cum æquitate imperasset, mortuus fuit, Diodor. *l.* XI. p.39. 40.

A Thrasydæus Theronis F. patri successit. Is etiam vivo patre violentum se ac sanguinarium exhibuerat: eoque functo injuste ac tyrannice imperavit: & conductis mercenariis multis, delectuque Agrigentinorum & Himeræorum habito, & supra bis mille equitum ac peditum exercitu coacto, bellum in Syracusanos molitus fuit. Sed Hiero non contemnendo exercitu instructus Agrigentum oppugnavit:commissoque prælio victor, supra IV.millia occidit,suorum duobus millibus amissis. Thrasydæus victus excidit. cumque ad Megarenses Misæos confugisset, illic capitis damnatus periit, Diod. *l.*XI.p. 40. Pindari amicum Thrasydæum fuisse scribit Scholiast. Pindari *Pyth.* ode II. epod. III.

B Agrigentini, mortuo Thrasydæo, Democratiam instituerunt, & missa ad Hieronem legatione, pacem impetrarunt, Diodor. *l.*XI.p.40.

Olymp.XCI. Exænetum Olympicis victorem,magnifico invectum curru in urbem, bigæ CCC. albis equis omnes Agrigentinæ festiva pompa comitatæ sunt. Ditissimus omnium inter Agrigentinos erat eo tempore Gellias: is compluribus domi suæ diversoriis ad excipiendos hospites exstructis,ad portas janitores constituit: quibus imperatum erat, ut quoscunque viderent advenas, ad hospitium invi-

C tarent. Exemplum hoc etiam alii imitati fuerunt, quibus prisco more humaniter ac benigne cum hominibus versari studium erat. Idcirco Empedocles de iis dicit:

> Ξείνων αἰδοῖοι λιμένες κακότητος ἄπειροι.

Contigit aliquando, ut IO. equites a Gela illuc hyberna tempestate, ut Timæus *l.* XV. memorat, diverterent: hos omnes liberaliter ille suscepit, & confestim singulis chlamydes tunicasque ex arcis depromptas distribuit. Nec vero Gelliæ tantum, sed multis quoque aliis Agrigentinis tanta opum magnificentia contigit. Antisthenes sane,cui Rhodo cognomentum, cum nuptias filiæ perageret,

D cives in suos quosque vicis, liberali convivio excepit, & plusquam IϽCCC. paria sponsam comitabantur, &c. Diodor. *l.*XIII. p.204.

Olymp. XCIII. 4. Agrigentum post VII. mensium obsidionem cepit Himilcar Carthaginensis, paulo ante brumam: non tamen statim eam evertit, ut milites in ædibus hybernare possent. Postea ineunte vere eam funditus evertit: templis autem quæ non prorsus igni vastata erant, sculpturas & exquisitiorem ornatum detraxit: tantum vero ex præda emolumenti contraxit Himilcar, templis atque domibus accurata inquisitione dispoliatis,quantum facile æstimari potest urbem a ducentis hominum

E millibus habitatam, & nunquam a primordiis suis direptam, & omnium prope Græcarum civitatum tunc opulentissimam, possedisse. Agrigentini, qui urbe capta profugerunt, primum Gelam pervenerunt: postea Leontinorum urbem beneficio Syracusanorum habitandam acceperunt, Diodor.*l.*XIII. p. 206. seqq.

Agrigentinos sibi junxit Dion adversus Dionysium juniorem, Diodor.*l.*XVI.p.414.Ii erant ducenti equites Agrigentinorum eorum, qui tum apud Ecnomum habitabant, Plutarch. *Dione.*

Agrigentum urbem magnam post Atticum bel-

F lum a Carthaginensibus eversam frequentare cœperunt coloni cum Gorgo ex insula Ceo profecti, collectis ejus pristinis civibus: quibus Timoleon non modo securitatem & quietem post tantum bellum præstitit, sed & in aliis rebus omnibus constituendis ita operam suam navavit, ut eum perinde atque civitatis suæ conditorem diligerent, Plutar. *Timoleonte.* Fallitur Cluverius qui e Diodor. *libr.* XVI. p. 414. Dionis tempore jam iterum celebrem incolisque frequentem urbem fuisse putat.

Agrigentini, adscitis in societatem Gelois &

Messeniis Syracusanos Agathoclis tyrannide liberare conati sunt, Diodor. *l.* XIX. p. 711. & quinque post annis, etiam principatum insulæ affectarunt, concitatis in Agathoclem reliquis omnibus civitatibus; Diodor. *l.* XX. p. 791.

Agrigenti Tyrannus Phintias, urbis Phintiadis conditor, Diodor. *l.* XXII. *Eclog.* II.

Agrigentum bello Punico primo, post naufragium Romanum, Carthalo Carthaginensis cepit & incendit, destruxitque mœnia, Diodor. *Eclog.* *l.* XXIII. §. XII.

Agrigentum Himilco Carthaginensis bello secundo Punico recepit, Livius *l.* XXIV. Et captis Syracusis a Romanis, Agrigentum, quod belli reliquum erat, tenebatur a Carthaginensium valido præsidio: sed, prodente Mutina Numidarum præfecto, a Lævino Cos. receptum fuit: is, qui capita rerum Agrigenti erant, virgis cæsos securi percussit: cæteros, prædamque vendidit, omnem pecuniam Romam misit, Livius *l.* XXVI.

Agrigentinis (jussu P. Scipionis post Carthaginem a se bello Punico tertio captam) quæ quondam fuerant sublata, sunt reddita: in quibus etiam ille nobilis taurus, quem crudelissimus omnium Tyrannorum Phalaris habuisse dicitur, quo vivos, supplicii causa, demittere homines, & subjicere flammam solebat: quem taurum Scipio cum redderet Agrigentinis, dixisse dicitur: Æquum esse illos cogitare, utrum esset Siculis utilius, suis ne servire, an Pop. Rom. obtemperare: cum idem monumentum & domesticæ crudelitatis, & nostræ mansuetudinis haberent, Cicero IV. *Verrin.*

Agrigenti cives Romani, viri fortes, ac strenui & honesti permulti, conjunctissimo animo cum ipsis Agrigentinis vivebant ac negotiabantur, Cicero IV. *Verrin.*

Agrigentum sua ætate exstitisse scribit Strabo *l.* VI. p. 270. Agrigentum inter Siciliæ ἐπισήμους πόλεις memoratur Constantino in *Themat. oriental. imper. l.* II. themat. *Siciliæ.*

ÆGESTÆI. EGESTÆI. SEGESTANI.

Egesta urbs Siciliæ nomen accepit ab Egesto Trojano, Steph. Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, quod ab Ænea fugiente a Troja, atque in hæc loca veniente conditum esse demonstrant. Itaque Segestani non solum perpetua societate atque amicitia, verum etiam cognatione se cum Populo Rom. conjunctos esse arbitrantur, Cicero IV. *Verrin.* Segesta quæ nunc appellatur, oppidum in Sicilia est, quod videtur Æneas condidisse, præposito ibi Egesto, qui eam Egestam nominavit; sed præposita est ei S. litera, ne obscœno nomine appellaretur, Fest. Pompej. Lycophr. *Alexandr.* v. 961. seqq.

Ὧν (Phænodamantis filiarum) δὴ μίαν Κριμισσὸς ἰνδαλθεὶς κυνὶ
Ἐζεύξε λέκτροις ποταμός. ἡ δὲ δαίμονι
Τῷ θηρομίκτῳ σκύλακα γενναῖον τεκνοῖ
Τρισσῶν συνοικιστῆρα καὶ κτίστην τόπων,
Ὃς δὴ ποδηγῶν πτόρθον Ἀγχίσου νόθον
Ἄξει τρίδειρον νῆσον εἰς Λακινίαν
Τῶν Δαρδανείων ἐκ τόπων ναυσθλούμενον,
Αἴγεστα τλήμον. ——

vide illic Tzetzen, & Dionys. Halicarn. *l.* I. & Servium *in Æneid. l.* I. conditor hic Virgilio Acestes dicitur: Αἴγεστος Dionysio Halicarnass. Simul vero Græci, qui cum Philoctete erant, & Phocensium nonnulli hanc urbem condiderunt. Παρ' αὐτοῦ (Φιλοκτήτου) δέ τινες σταλέντες εἰς Σικελίαν περὶ Ἔρυκα μετὰ Αἰγέστου τοῦ Τρωὸς Αἴγεσταν τειχίσαι, Strabo *l.* VI. p. 254. Τὴν δ' Αἴγεσταν κτισθῆναί φασιν ὑπὸ τῶν μετὰ Φιλοκτήτου διαβάντων εἰς τὴν Κροτωνιᾶτιν, παρ' αὐτοῦ σταλέντων εἰς τὴν Σικελίαν μετὰ Αἰγέστου τοῦ Τρωὸς, Strabo *l.* VI. p. 272. Ἰλίου δ' ἁλισκομένου, τῶν Τρώων τινὲς διαφυγόντες Ἀχαιοὺς, πλοίοις ἀφικνοῦνται πρὸς τὴν Σικελίαν. καὶ ὅμοροι τοῖς Σικανοῖς οἰκήσαντες, ξύμπαντες μὲν Ἔλυμοι ἐκλήθησαν. πόλεις δ' αὐτῶν Ἔρυξ καὶ Ἔγεστα. προσξυνῴκησαν δὲ αὐτοῖς καὶ Φωκέων τινὲς, τῶν ἀπὸ Τροίας τότε χειμῶνι ἐς Λιβύην πρῶτον, ἔπειτα ἐς Σικελίαν ἀπ' αὐτῆς κατενεχθέντες, Thucyd. *l.* VI.

Hoc quondam oppidum, cum illa civitas cum Pœnis suo nomine ac sua sponte bellaret, a Carthaginensibus vi captum atque deletum est: omniaque quæ ornamento urbi esse possent, Carthaginem sunt ex illo loco deportata: fuit apud Segestanos ex ære simulacrum Dianæ: hoc translatum Carthaginem. Illo tempore (quo P. Scipio, bello Punico tertio, capta Carthagine, jussit omnia Siculis ablata restitui) Segestanis maxima cum cura hæc ipsa Diana redditur: reportatur Segestam, Cicer. IV. *Verrin.*

Olymp. CXVIII. 2. Agathocles Syracusanorum Tyrannus omnes Ægestæ incolas excidit, nec urbis quidem nomen reliquit, sed mutato nomine Dicæopolin appellavit, & transfugis habitandam dedit, Diodor. *l.* XX. p. 802. seq.

ÆTNÆI.

Hieron Syracusanus Tyrannus Catanæ nomen in Ætnæ mutavit, deductis eo aliis incolis; sed novi inquilini sub mortem Hieronis a Catanæis sua repetentibus expulsi, Inessam, quæ est in Ætnæ montanis, inhabitandam occuparunt: locumque Ætnam vocarunt, distantem a Catana stadiis LXXX. & Hieronem ejus conditorem pronunciarunt, Strab. *l.* VI. p. 268. Ἱέρων δὲ τούς τε Ναξίους καὶ τοὺς Καταναίους ἐκ τῶν πόλεων ἀναστήσας, ἰδίους οἰκήτορας ἀπέστειλεν, ἐκ μὲν Πελοποννήσου πεντακισχιλίους ἀθροίσας, ἐκ δὲ Συρακουσῶν ἄλλους τοσούτους προσθείς. καὶ τὴν μὲν Κατάνην μετωνόμασεν Αἴτνην. τὴν τε χώραν οὐ μόνον τὴν Καταναίαν, ἀλλὰ καὶ πολλὴν τῆς ὁμόρου προσθεὶς κατεκληρούχησε, μυρίους πληρώσας οἰκήτορας, Diodor. *l.* XI. p. 37. Δουκέτιος, ὁ τῶν Σικελῶν ἡγεμὼν, χαλεπῶς ἔχων τοῖς τὴν Κατάνην οἰκοῦσι, διὰ τὴν ἀφαίρεσιν τῆς Σικελῶν χώρας, ἐστράτευσεν ἐπ' αὐτούς. ἀντιταχθέντων δὲ τῶν ἐν τῇ Κατάνῃ, καὶ λιφθέντων πλείοσι μάχαις, οὗτοι μὲν ἐξέπεσον ἐκ τῆς Κατάνης, καὶ τὴν νῦν οὖσαν Αἴτνην ἐκτήσαντο, πρὸ τούτου καλουμένην Ἴνησσαν. (sic lege pro Ἐνσίαν) οἱ δ' ἐξ ἀρχῆς ἐκ τῆς Κατάνης ὄντες ἐκομίσαντο πολλῷ χρόνῳ τὴν πατρίδα, Diodor. *l.* XI. p. 57. Αἴτνη, πόλις Σικελίας, ἀπὸ Κατάνης Ἱέρωνος κτίσμα. ἐκαλεῖτο δὲ πρὶν Ἴνησσον, Stephan. Inessæorum meminit Thucydid. *l.* VI. Νῆσσαν τὸ Σικελικὸν πόλισμα, Thucydid. *l.* VI. lege Ἴνησσαν.

Campanis, qui Catanam incolebant, Dionysius Syracusanorum Tyrannus persuasit, ut in oppidum, quod Ætna nunc vocatur, commigrarent, quod munimentum id esset validissimum, Diod. *l.* XIV. p. 282.

MINOI. HERACLEOTÆ. HERACLEENSES.

Minoa urbs Siciliæ, Steph. Selinusiorum colonia, Herod. *l.* V. p. 342. Minoam Siciliæ primum Macaran appellabant: deinde Minos, cum audisset Dædalum illuc magna classe accessisse, Lycum fl. ascendens, urbe hac potitus est, superatisque Barbaris nomen illi suum imposuit, & Creticas illi leges dedit, Heraclid. *l. de Polit.* Μίνως δὲ, ὁ τῶν Κρητῶν βασιλεὺς θαλαττοκρατῶν κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους, καὶ πυθόμενος τὴν Δαιδάλου φυγὴν εἰς τὴν Σικελίαν, ἔγνω στρατεύειν ἐπ' αὐτήν. παρασκευασάμενος δὲ δύναμιν ναυτικὴν ἀξιόλογον, ἐξέπλευσεν ἐκ τῆς Κρήτης, καὶ κατῆρε τῆς Ἀκραγαντίνης εἰς τὴν ἀπ' ἐκείνου Μινῴαν καλουμένην, Diodor. *l.* IV. p. 279. Τῆς Ἀκραγαντί-

νης τῆ ὀνομαζομένην Μινώαν. αὕτη δὲ τὸ μὲν παλαιὸν ὑπὸ Μίνωος ἐκτίσθη, τῶ βασιλέως Κρητῶν, καθ' ὃν καιρὸν, ζητῶν Δαίδαλον, ἐπεξενώθη Κωκάλῳ, τῷ βασιλεῖ τῶ Σικανῶν, Diodor. *l.* XVI. p. 414. Cretenses a Minoe in Siciliam traductos, post mortem Minois desperato in patriam reditu, incensis a Sicanis, Cocali subditis, navibus, demum condidisse, & de Rege suo Minoam denominasse scribit idem Diodor. *l.* IV. p. 279. Meriones & Cretenses post excisum Ilium ejecti, a Minoensibus, quod gentiles essent, in civitatis communionem recepti fuerunt, Diodor. *l.* IV. p. 279. Heraclea postea appellata fuit. *Ἡράκλεια πόλις Σικελίας*, Steph. *Ἀκραγαντίνων ἐμπόριον* Ἡράκλεια, Ptolemæus. Ἡράκλεια, *πόλις περὶ Σικελίαν, ἡ λεγομένη Μινώα*, Suidas. Ἡράκλειαν *τὴν Μινώαν*, Polyb. *l.* I. Heracleam, quam vocant Minoam, Livius *l.* XXIV. Heracleam a Dorieo Anaxandridæ Regis Spartani filio, in Siciliam profecto, conditam fuisse scribit Diodorus *l.* IV. p. 231. Dorieum patria relicta, petitam a Spartanis plebem in coloniam abducentem, primum in Libyam devectum, sed illinc tertio anno post ejectum in Peloponnesum abiisse: illicque ab Antichare Eleonio consilium accepisse, ex Laii oraculis, Heracleam in Sicilia ut conderet, affirmante terram Erycis Heraclidarum esse ab ipso Hercule acquisitam: cumque consulto Delphico Oraculo, una cum aliis Lacedæmoniis deducendæ coloniæ sociis, Thessalo, Paræbate, Celee & Euryleonte, in Siciliam classe pervenisset, superatum a Phœnicibus atque Ægestanis in prælio occubuisse, uno huic cladi superstite Euryleonte, qui collectis exercitus reliquiis, Minoam occuparit, scribit Herodot. *l.* V. p. 341. seqq.

Heraclea subitis incrementis aucta, invidiam Carthaginensibus, simulque metum injecit, ne quando, supra Carthaginem viribus evecta, Carthaginenses imperio spoliaret; itaque magnis eam aggressi copiis, vi captam funditus diruerunt, Diodor. *l.* IV. p. 221.

Olymp. CV. Minoa erat Carthaginensium ditionis, Diodor. *l.* XVI. p. 414. *Μινώαν, πολισμάτιον ἐν τῇ Σικελίᾳ τῆς Καρχηδονίων ἐπικρατείας*, Plutar. *Dione.*

Olymp. CXVIII. Heracleotas, qui urbem in libertatem vindicaverant, Agathocles Syracusanorum Tyrannus iterum subire jugum coegit, Diod. *l.* XX. p. 791.

An. U. C. DCXXI. Heracleam colonos P. Rupilius deduxit, legesque similes de cooptando Senatu ac de numero veterum ac novorum dedit, Cicero II. *Verrin.*

TYNDARITÆ.

MEssenii Peloponnesiaci Messenen Siciliæ traducti fuere a Dionysio Syracusano; sed ubi is comperit Lacedæmonios succensere, quod a se exterminati præclaram urbem incolendam accepissent, Messene rursus translatis alium Abacenæ regionis locum ad mare attribuit. Ac urbem quidem Messenii Tyndaridem appellarunt: dumque amice inter se Remp. administrant, & multos in civitatem adscribunt, brevi numerus civium ultra V. millia excrevit. Post sæpius in Siculas terras expeditionibus susceptis, Smenteum & Morgantium occuparunt, & cum Agyri Agyrenæorum Tyranno, & Damone principe Centoripinorum, & Erbitæis ac Assorinis fœdera sanxerunt: Cephalœdium præterea, & Soluntem & Ennam per proditionem sibi adjunxerunt. Et cum Erbissenis pacem inierunt, Diodor. *l.* XIV. p. 297.

AD PONTUM EUXINUM.

PHanagorus & Hermonassa, insulæ in dextro latere Ponti sunt, studio constructæ Græcorum, Ammian. Marcellin. *l.* XXII. p. 480. b.

FINIS.

INDEX
POPULORUM,
QUI IN HOC
OPERE RECENSENTUR.

A.

B.

C.

D.

E.

FINIS.



LAZARI BAYFII
DE
RE NAVALI
LIBER:
SEU
ANNOTATIONES
in L. 2.
DE CAPTIVIS, ET POSTLIMINIO REVERSIS.
AD FRANCISCUM VALESIUM
GALLIARUM REGEM.

REGI FELICISSIMO,

FRANCISCO VALESIO
LAZARUS BAYFIUS
VICTORIAM.



Arco Varroni aſſeveranti diſciplinas omnes, Rex regum Chriſtianiſſime, in Græcia intra mille annorum tempora & inventas & perfectas, facile credat is qui ad hujuſce noſtri ſæculi felicitatem, qua mirabiliter ſub te principe fruimur, animum convertere non gravabitur. Te enim & authore & adjutore, his paucis, quibus Galliarum clavum tenes, annis plus promoviſſe literarum linguarumque ſtudia videbit, quam quantum ſub aliis omnibus, ab adventu Francorum in Gallias, noſtris principibus. Sunt de Regibus noſtris, qui Judæorum gentem ſuperſtitioni deditam e Gallia exterminaverint: tua majeſtas, excluſa Judæorum ſuperſtitione, Judæorum linguam Lutetiæ Pariſiorum ſic vigere voluit, ut habeat non paucos, qui literarum Hebraicarum cognitione cum ipſis Judæorum Rabinis poſſint decertare. Græcos autem eos in tua Gallia aluiſti, qui valeant revocata Maſſilienſium memoria cum ipſis αὐτόχθοσι non ſolum de diſciplinarum elegantia, ſed etiam de ipſo Atticiſmo ὑπεραττικῶς contendere. Jam vero eam militaris diſciplinæ curam ſuſcepiſti, ut nemo vel Chriſtianorum vel barbarorum principum paratiores habeat equeſtres exercitus, qui cum majorum artibus, tum vero tuis inſtitutis edocti, mira alacritate ſunt ad dimicandum. Quid dicam de robore militum legionariorum? quos tu nuper ad Romanorum exemplum, in tota Gallia deſcribendos deligendoſque ſummo ſtudio non modo curaſti, ſed quorum etiam delectum oculis tuis luſtraſti: ut Gallia tua non ſolum equitatu, quo ſemper floruit, ſed etiam peditatu jam ſuos fines ſine ullo externo milite tueri poſſit. Nec rei navalis cura omiſſa. Teſtis eſt præclara illa Franciſcis ad Gratiarum portum tuo juſſu (contracta ad effectum ejus operis multitudine fabrorum navalium) ædificata. Quæ non modo τριάρμενος, ut Antigonis illa ab Antiquis celebrata: ſed ἑπτάρμενος jure dici debeat, & ἀνώλεθρος: quippe quæ in medio Oceano arcis inſtar inter reliquas naves eſſe poſſit: nihilque præter ignem, Syrtes, & brevia timeat, omnibus ipſa ex æquo formidoloſiſſima adverſariis. Teſtes ſunt & phaſeli illi, (vulgus *galeonas* vocat) quos nova ratione in ora maritima Britanniæ minoris (quæ Venetia a Cæſare dicitur) ædificandos curaſti: qui non ſolum in concluſo mari navigare poſſint, ſed in vaſtiſſimo atque apertiſſimo Oceano tempeſtatibus imperent: uſque adeo apti ſunt (ut Catulli dictum uſurpem) ſive palmulis opus ſit volare, ſive linteo. Jam vero triremes Maſſiliæ plures unus tu majorum tuorum navalibus adjeciſti, quam eorum (pace beatiſſimorum dixerim) quiſquam unquam optaverit. Principes enim me-

diterranei neſcio quo pacto rem nauticam (quod ad mare internum attinet) neglexerant, ad Oceanumque Britanniæ animum ſolum intenderant. Quocirca nos qui nullo noſtro merito, ſed aliquo literarum nomine commendati, a tua vere regia liberalitate & ſacerdotio aucti, & magiſtratu ornati ſumus, ne ingrati jure habeamur: quæ Venetiis quum eſſem, a loci celebritate admonitus, e Græcorum Latinorumque monimentis navigia collegi, tuæ majeſtati mihi omnibuſque ſacroſanctæ, dicare conſtitui, Rex regum potentiſſime. Putavi etiam non ſolum negotii, ſed etiam otii, quo illic plurimo mihi per tuam indulgentiam frui licuit, reddendam tibi rationem. Et ſane quod mihi a negotiis publicis ſuperfuit temporis, id omne in evolvendis utriuſque linguæ authoribus conſumpſi. Quod ipſum ita eſſe facile judicet, qui hæc noſtra legere non gravabitur. Illud unum, quod illis legendis non ſine admiratione animadverti, in præſentia tuæ dignitati conſiderandum proponam: miram fuiſſe Antiquorum in navibus ædificandis, inſtruendis, armandis celeritatem. Primo Punico bello claſſem Duellii imperatoris, ab arbore excisa LV. die navigaſſe: ducentas & viginti naves effectas diebus XLV. contra Hieronem Regem. Secundo Punico bello Scipionis naves, eo inſtante operi, die XLV. quam ex ſylvis detracta materia fuerat, inſtructas armataſque in aquam deductas. Quid ſi ex Polybio addidero Romanos contra Carthaginienſes ſeptingentas quinqueremes amiſiſſe: Carthaginenſes eodem bello ad quingentas? quis id credat? Nec mirum ſi hæc fidem non habebunt apud homines noſtros, qui & Venetorum quinqueremem unam admirantur, & tuam totidem ordinum, quæ illam ſymmetria ſuperabit, gratulabundi expectant. Verum de tuæ majeſtatis fide, qui omnem antiquitatem memoria tenes, non magis laboro, quam de impetranda a clementiſſimo principe venia ſum ſollicitus, ſi nos in tot reficiendis inſtaurandiſque navibus alicubi lapſi fuerimus: qui etiam tuæ majeſtatis potius, quam Dioſcurorum, turbulentiſſima fortunæ tempeſtate in alto jactati, fidem & auxilium implorare debeamus. Vincat tua majeſtas ac valeat. Lutetiæ Pariſiorum, VIII. Kal. Septemb. M. D. XXXVI.

CAROLUS STEPHANUS

LECTORIS.

Quas inſpicies inter legendum, in hoc opuſculo paſſim depictas navium figuras, Lector, eas ſcito cum ex antiquiſſimis monimentis, tum maxime ex vetuſtioribus illis marmoribus, quæ etiam hodie Romæ conſpiciuntur, deſumptas fuiſſe. Quæ quod & erant antiquiſſimæ, & morem Veterum promptius atque apertius (iis præſertim qui ſunt antiquitatis ſtudioſi) revocare videbantur, ſuis locis, ut vides, inſertæ ſunt. Nolim autem te tantam iis fidem adhibere, ut ad unguem effictas fuiſſe credas, etiam in ipſis marmoribus. Id enim non ignoramus, marmora quantumvis antiqua nonnihil interdum habere, quod artificis libidini potius quam veritati reſpondeat. Unde plurimum deceptos credimus eos qui certitudinis aliquid in marmorum antiquorum ſtatuis hactenus poſuerunt: cujuſmodi quiddam in triremi videre poteris, quæ certe, Bayſii judicio, triremibus Antiquorum non reſpondet. Qui enim fieri poſſet, ut ea ratione τετταρακοντήρης, *quæ quadraginta ordinum navis dici poteſt, in mari navigari poſſet? Tibi itaque tantum hoc referre poſſumus, Lector, eam propemodum quam vides navium formam, ex antiquiſſimis marmoribus ad expreſſam effigiem translatam: judicium autem, quando incertiſſimum viſum eſt, doctis relictum fuiſſe: nobis in hoc negotio haud parum ſatisfeciſſe demum exiſtimati, ſi tibi tuiſque ſtudiis noſtram hanc mediocrem diligentiam placuiſſe & juviſſe cognoverimus.*

LAZARI BAYFII
DE
RE NAVALI
LIBER:
SEU
ANNOTATIONES
in L. 2.
DE CAPTIVIS, ET POSTLIMINIO REVERSIS.

L. 2. Marcellus.

NAVIBUS LONGIS ATQUE ONERARIIS PROPTER BELLI USUM POSTLIMINIUM EST, NON PISCATORIIS, AUT SI QUAS ACTUARIAS VOLUPTATIS CAUSA PARAVERUNT.




Ntequam ad hujus Legis interpretationem aggredior, Lectorem præmonitum volo, ut existimet me in studiosorum gratiam id oneris suscepisse. Qui (si modo assecutus sum quod volebam) hisce meis vigiliis non mediocriter juvari poterunt, modo ne graventur ista nostra in manus sumere, & tanta animi vel æquitate vel alacritate percurrere, quanta nos ea diligentia, quantoque tum studio tum sudore conscripsimus. Evolvendi nobis fuerunt omnes qui extant utriusque linguæ authores, ut inde sumeremus ea quæ ad navalis nostri & armamentarii ornamentum facere viderentur: in quibus sane colligendis & undique conquirendis non parum molestiæ nobis fuit: in habendo autem delectu judicium adhibui quale quantumque potui, conferendis collidendisque inter se Græcorum & Latinorum locis, ut (siqua fieri posset) aliquam ex his scintillam veri excuterem. Quod quidem, ut videre est in toto opere, conati sumus: & tamen fatemur, in tanto rerum antiquarum naufragio, multa necessario nos latuisse: quæ neque colligere, neque animadvertere, nedum reficere potuimus: usque adeo jacent illa undis obruta, & in profundo demersa, & ἐν βάθει Ponti sepulta. Quæ siquis in lucem revocare poterit, ei me plurimum debere præ me feram: eumque rei & navalis & nauticæ peritissimum confitebor. Tibi in præsenti quæ potuimus e naufragii reliquiis colligere, lector, afferimus. Quæ si tibi probantur, sumus aliquid: sin minus: sed nolo in initio operis male ominari. Ipsi certe in hoc otio nihil potius habuimus, quo ad traducendum hoc tempus uteremur. In hoc tractatu non ineptum fuerit eum ordinem sequi, qui nobis præscriptus est a Marcello Jureconsulto. Quare de longis navibus primo dicemus: mox de onerariis: deinde piscatoriis: postremo de actuariis: quibus auctarii nomine ipse adjiciam reliqua, quæ non aliena ab instituto opere & suscepto videbuntur.

NAVIBUS LONGIS.

PHilostephanus apud Plinium in VII. *Natur. Historiæ*, author est Jasonem primum navigasse longa nave: nec id alienum videtur ab eo quod scriptum est a Diodoro Siculo, quinto Βιβλιοθήκης: Καὶ πρῶτον μὲν περὶ τὸ Πήλιον ναυπηγήσασθαι τὸ σκάφος, πολὺ μεγέθει καὶ τῇ λοιπῇ κατασκευῇ τὴν τότε συνήθειαν ὑπερβάλλον, διὰ τὸ σχεδίαις πλεῖν τοὺς τότε ἀνθρώπους καὶ μικροῖς παντελῶς ἀκατίοις. Id est, *Et primum quidem ædificatam circa Pelium navem, & magnitudine & reliquo apparatu consuetum eo tempore modum excedentem: quo illius ætatis homines ratibus fere & parvis acatiis vehi mos esset.* Et paulo post subdit: Τὴν δὲ ναῦν Ἀργὼ προσαγορευθῆναι κατὰ μέν τινας τῶν μυθογράφων, ἀπὸ τοῦ τὸ σκάφος ἀρχιτεκτονήσαντος Ἄργου, καὶ συμπλεύσαντος ἕνεκα τοῦ θεραπεύειν ἀεὶ τὰ πονοῦντα μέρη τῆς νεώς· ὡς δ' ἔνιοι λέγουσιν, ἀπὸ τῆς περὶ τὸ τάχος ὑπερβολῆς, ὡς ἂν τῶν ἀρχαίων ἀργὸν τὸ ταχὺ προσαγορευόντων. Id est, *Vocatam autem Argo navem, ut nonnulli fabularum scriptores asserunt, ab Argi cujusdam nomine, qui quidem eam extruxerat, simulque navigarat, quo si quæ navis partes laborarent, eas ipse reficeret ac curaret. Sunt & alii qui existiment, id navi nominis ob eximiam illius celeritatem inditum: ἀργὸν quippe ajunt celerem Veteres appellavisse.* Tullius in primo *Tusculanarum*, eam dicit nominatam Argo, quia Argivi in ea delecti viri vecti petebant pellem inauratam arietis. Illius autem navigationis mentio est apud Herodotum in Κλειώ, his verbis: Μετὰ δὲ ταῦτα Ἕλληνας αἰτίους τῆς δευτέρης ἀδικίης γενέσθαι. καταπλώσαντας γὰρ μακρῇ νηῒ ἐς Αἶάν τε τὴν Κολχίδα καὶ ἐπὶ Φᾶσιν ποταμόν, ἐνθεῦτεν διαπρηξαμένους καὶ τἆλλα τῶν εἵνεκεν ἀπίκατο, ἁρπάσαι τοῦ βασιλῆος θυγατέρα Μηδείην. Id est, *Post hæc autem Græcos alterius injuriæ authores fuisse. Navigantes siquidem ad Colchorum regionem & fluvium quem Phasim vocant, quum obtinuissent ea quorum gratia in loca illa venerant, regis præterea filiam nomine Medeam rapuisse.* Et vocabatur Argo a fabro navali qui eam ædificavit, si Apollonio credimus in I. Ἀργοναυτικῶν:

Νῆα δ' ἐπικρατέως Ἄργου ὑποθημοσύνῃσι
Ἔζωσαν πάμπρωτον ἐϋστρεφεῖ ἔνδοθεν ὅπλῳ.


TAB I
Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 3.
Fig. 4.

Sic ex tempore vertimus juniorum gratia, ut possit intelligi:


In primis navem divinis artibus Argi
Extructam, intus compingunt habili armamento.

Etiamsi Pherecydes dicat eam nomen sumpsisse ab Argo, filio Phryxi: Ταύτην δέ φασι πρώτην ναῦν γενέσθαι μακράν. ἄλλοι δὲ λέγουσι Δαναὸν διωκόμενον ὑπὸ Αἰγύπτου, πρῶτον κατασκευάσαι, ὅθεν Δαναῒς ἐκλήθη. Id est, *Hanc autem ajunt primam fuisse longam navem: alii Danaum dicunt ab Ægypto pulsum, primum ejus generis navem parasse, unde & Danais vocata fuit.* Hæc ideo adjecimus ex *Commentariis in Apollonium*, ut scias nullam de Danao factam mentionem apud Plinium, quum ex multis authoribus diversos referat longæ navis inventores, quum ait, Hegesias Paralum, Ctesias Samyram, Saphanus Semiramin, Archimachus Ægeonem. Navium longarum multa mentio apud Tullium, Cæsarem, & reliquos receptos authores, quibus legendis facile agnoscitur discrimen inter longas & onerarias. Tullii *Epistolarum familiarium* libro duodecimo, Lentulus S. P. Q. R. Quam suspicionem consecutæ res aliquot sunt, maxime quod subito ex Lycia Sex. Marius & C. Titius legati Dolabellæ a classe discesserunt, navique longa profugerunt, onerariis relictis: in quibus colligendis non minimum temporis laborisque consumpserant. Cæsar in quarto *Commentariorum*: Quibus adductis eos in fidem recepit, navibus circiter LXXX. onerariis coactis contractisque: quot satis esse ad duas legiones transportandas existimabat: quicquid præterea navium longarum habebat, quæstori, legatis, præfectisque distribuit. Idem in tertio: Quibus de rebus Cæsar a Crasso certior factus, quod ille aberat longius, naves interim longas ædificari in flumine Ligeri quod influit in Oceanum, remiges ex provincia institui, nautas gubernatoresque comparari jubet. Idem in quarto: Ad hæc cognoscenda prius quam periculum faceret, idoneum esse arbitratus, C. Volusenum cum navi longa præmittit. Idem in eodem: Quod ubi Cæsar animadvertit, naves longas, quarum & species barbaris erat inusitatior, & motus ad usum expeditior, paululum removeri ab onerariis navibus & remis incitari, & ad latus apertum hostium constitui, atq; inde fundis, tormentis, sagittis hostes propelli ac submoveri jussit: quæ res magno usui nostris fuit. Nam & navium figura, & remorum motu, & inusitato genere tormentorum permoti barbari constiterunt, ac paulum modo pedem retulerunt. Livius in septimo tertiæ *Decadis*: Inde Tarentum profectus, in ipsis faucibus portus posuit castra; naves, quas Livius juvandis commeatibus habuerat, partim machinationibus onerat, apparatuque mœnium oppugnandorum: partim tormentis & saxis, omnique missilium telorum genere instruit, onerarias quoque, non eas solum quæ remis agerentur. Quorum verbis planum fit longas incitari remis, onerarias vero nequaquam. Græci naves longas μακρὰ πλοῖα vocant. Polybius in sexto: Τῶν δὲ βοηθησάντων, ἐκυρίευσε δύο μακρῶν πλοίων αὐτάνδρων. Id est, *Quum autem hi auxilium tulissent, duabus ipse longis navibus cum ipsis hominibus potitus est.* Appian. *de Bello Civili*: Ὁ δὲ καὶ τάδε προσλαβὼν ἀνήγετο χειμῶνος ἐπὶ ὁλκάδων· αἱ γὰρ ἦσαν αὐτῷ νῆες ὀλίγαι μακραὶ Σαρδὼ καὶ Σικελίαν ἐφρούρουν. Id est, *Hic autem quum & hæc in suam potestatem recepisset, per hyemem onerariis inde recessit: paucæ enim, quas habebat, longæ naves Sardiniæ & Siciliæ præsidio erant.* Herodotus in *loco* supra *citato* utitur μακρῇ νηΐ, id est, *longa nave*, ad differentiam στρογγύλων, quibus utitur idem Herodotus in eadem, in hæc verba: Οἱ δὲ Φωκαιέες οὗτοι ναυτιλίῃσι μακρῇσι πρῶτοι Ἑλλήνων ἐχρήσαντο, καὶ τόν τε Ἀδρίην καὶ τὴν Τυρσηνίην καὶ τὴν Ἰβηρίην, καὶ τὸν Ταρτησσὸν οὗτοί εἰσιν οἱ καταδέξαντες. ἐναυτίλλοντο δὲ οὐ στρογ-

A γύλῃσι νηυσὶν ἀλλὰ πεντηκοντέροισι. Id est, *Græcorum primi Phocæenses longis navigationibus usi sunt, Adriaticum Tyrrhenumque mare, Hiberiam atque Tartessum occuparunt: navigabant autem non onerariis navibus, sed actuariis quæ quinquaginta remis agerentur.* Thucyd. in primo: Φαίνεται δὲ καὶ ταῦτα πολλαῖς γενεαῖς ὕστερα γενόμενα τῶν Τρωϊκῶν, τριήρεσι μὲν ὀλίγαις χρώμενα, πεντηκοντόροις δ᾽ ἔτι, καὶ πλοίοις μακροῖς ἐξηρτυμένα, ὥσπερ ἐκεῖνα. Id est, *Videntur autem hæc multis post Trojanorum res sæculis facta fuisse, & paucis quidem utebantur triremibus, actuariis autem quæ quinquaginta remis agerentur, & longis præterea navibus instructi*
B *erant non secus ac illi.*


Minores plerumque viginti, triginta aut quinquaginta remis agebantur, & a Græcis dicebantur εἰκόσορος, τριακόντορος & πεντηκόντορος, cujusmodi sunt eæ quas Veneti *barcas* longas vocant. Εἰκόσορος, quæ viginti remis agebatur, apud Antiquos talis fuit, ut hic in TAB. I. *fig.* I. Diodorus in secundo de successoribus Alexandri: Ἀγαθοκλῆς δὲ δύο τριακοντόρους μετὰ τὴν μάχην νεναυπηγημένος, τὴν ἑτέραν ἀπέστειλεν εἰς Συρακούσας, ἐρέτας ἐμβιβάσας τοὺς κρατίστους. Id est, *Agathocles autem post prælii finem, duas naves quæ triginta agerentur remis, ædificandas curavit: quarum alteram Syracusas misit, valentissimis ei impositis remigibus.* Herodotus ἐν Μελ-
C πομένῃ: Τρισὶ τριακοντόροισι ἐς τοὺς Μεμβλιάρεω ἀπογόνους ἔπλωσε. Id est, *Tribus* XXX. *remorum actuariis, ad Membleari liberos & successores delatus est.* Plutarchus in *Theseo*: Τὸ δὲ πλοῖον ἐν ᾧ μετὰ τῶν ἠϊθέων ἔπλευσε, καὶ πάλιν ἐσώθη, τὸ τριακόντορον, ἄχρι τῶν Δημητρίου τοῦ Φαληρέως χρόνων διεφύλαττον Ἀθηναῖοι. τὰ μὲν παλαιὰ τῶν ξύλων ὑφαιροῦντες, ἄλλα δ᾽ ἐμβάλλοντες ἰσχυρά, καὶ συμπηγνύντες οὕτως, ὥστε καὶ τοῖς φιλοσόφοις εἰς τὸν αὐξόμενον λόγον ἀμφιδοξούμενον παράδειγμα τὸ πλοῖον εἶναι. τῶν μὲν ὡς τὸ αὐτό, τῶν δὲ ὡς οὐ τὸ αὐτὸ διαμένει, λεγόντων. Id est, *Navem autem*
D *illam in qua cum juvenibus navigarat, & iterum inde redierat, quæ quidem triginta remis agebatur, ad Demetrii usque Phalerei tempora conservarunt Athenienses: veteres quidem amoventes tabulas, in earum autem locum sufficientes alias validas, atque ita compingentes, ut in eorum quæ augentur, philosophorum disputatione illa dubia, exemplum hujus navis propositum fuerit. Asserebant enim alii eandem, alii contendebant contra non eandem permanere navem.* Quæ verba Plutarchi ideo protuli, ut sciri posset nostros Jureconsultos secutos fuisse sententiam eorum, qui censuerunt eandem rem permanere: quorum decretum positum est ab Alfeno in tra-
E ctatu *De judiciis. l. Proponebatur*, his verbis: *Itemque si navis adeo sæpe refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret, quæ non nova fuisset, nihilominus eandem navem existimari.* Paulus etiam in *l. Inter stipulantem. §. Sacram. ff. De verborum oblig.* illius navis meminit. Πεντηκοντόρου meminerunt Herodotus & Thucydides in *locis* supra *citatis*, & idem Herodotus in *Melpomene*: Οὕτω δὴ στέλλουσι δύο πεντηκοντόρους ἐς τὴν Πλατέαν. Id est, *Sic quidem duas quinquaginta remorum actuarias in Platæam miserunt.* Diodorus in secundo de successor. Alex. Περὶ δὲ τῶν ἐν Σικελίᾳ πραγμάτων ἀγωνιῶν,
F ἄφρακτα καὶ πεντηκοντόρους ναυπηγησάμενος, ἐνεβίβασε στρατιώτας δισχιλίους. Id est, *Quum autem ille de rebus Siculis anxius esset, aphractis & quinquaginta remorum actuariis ædificatis, duo millia militum in illas imposuit.* Polybius in I. Παρεσκεύαζον δὲ καὶ τὰ περίλοιπα τῶν πλοίων, τριήρεις καὶ πεντηκοντόρους, καὶ τὰ μέγιστα τῶν ἀκατίων. Id est, *Parabant autem quæ reliqua erant navigia, triremes, quinquaginta remorum actuarias, & maxima acatia.* Et id genus navigiorum communi vocabulo μονήρη dicitur ab authore nescio quo, fortasse Po-


lybio, prolato a Suida in vocabulo *δίκροτα*. Quæ ita habent, *πλοῖα μονήρη δέ, ἔστιν ἃ καὶ δίκροτα κατεσκευάσαντο*: quo loco *μονήρη* dicit ea quæ pluribus quidem remis agerentur, ſed unico tantum per tranſtra & ſedilia remo, & non binis aut ternis, aut etiam pluribus incitarentur: quæ fortaſſe *κέλητες* etiam dicta ſunt, translatione ſumpta ab equis celetibus, de quibus in actuariis dicemus. Xenophon autem in ſecundo Ἑλληνικῶν, *δικρότους* & *μονοκρότους* naves dixit eas, quæ quum triremes (opinor) eſſent, propter tamen abſentiam remigum, & ſociorum navalium, duobus tantum vel unico per tranſtra remige incitarentur: quum tamen poſſent ternis agi, ſi adfuiſſent remiges. Verba Xenophontis ſic habent: *Ἐσήμανεν ἐς τὰς ναῦς βοηθεῖν κατὰ κράτος. διεσκεδασμένων δὲ τῶν ἀνθρώπων ὄντων, αἱ μὲν τῶν νεῶν δίκροτοι ἦσαν, αἱ δὲ μονόκροτοι, αἱ δὲ παντελῶς κεναί.* Id eſt, *Signo dato juſſit totis viribus concurrerent ad auxilium navibus ferendum. Quum autem ſocii navales in diverſas partes, ad ſua quiſque negotia, diſceſſiſſent, navium nonnullæ duobus tantum ordinibus agebantur, aliæ vero unico tantum ordine, quædam autem prorſus vacuæ remigibus erant.* Strabo vero in ſeptimo *μονόκροτον* dixit pro navibus quæ unico tantum remorum ordine agerentur: quo loco mendum ineſt in vulgatis codicibus. Legitur enim *μονήκρατον*, ubi legendum exiſtimamus *μονοκρότου*. Verba Strabonis hæc ſunt: *Καὶ νεώρια ἐν οἷς ἀνέθηκε Καῖσαρ τὴν δεκαναΐαν ἀκροθίνιον, ἀπὸ μονοκρότου μέχρι δεκήρους.* Id eſt, *Sunt & navalia in quibus Cæſar undeviginti naves, decimarum nomine dedicavit, ab uno remorum ordine uſque deciremes.* Talis fuit biremis apud Antiquos, ut in TAB. I. *fig.* 2. Alia ratio biremium, quæ fortaſſe antiquior, TAB. I. *fig.* 3. & TAB. I. *fig.* 4. Fiebant & biremes hoc pacto, TAB. II. *fig.* 1. & TAB. II. *fig.* 2. Rurſum alia biremium forma, ſed prioribus fere reſpondens, TAB. II. *fig.* 3. Etiam hac forma pictam biremem vidimus, ut hic TAB. II. *fig.* 4. Illæ porro quæ binis remis agebantur, a Romanis dictæ ſunt biremes: a Græcis *δίκροτα* potius quam *διήρεις* uſurpatum video, etiamſi apud Suidam *διήρες πλοῖον* legatur: quod tamen ipſum non memini me legiſſe apud probatum authorem. Polybius in ſexto videtur noluiſſe uti eo vocabulo, ſed potius *δικρότοις*, ut palam fiet ex ipſius verbis quæ ita habent: *Ἐν αἷς ἦν καὶ πλοῖα τετταράκοντα, τούτων κατάφρακτα μὲν εἴκοσι, διαφέροντα τῇ κατασκευῇ, τὰ δὲ λοιπά, τριήρεις καὶ δίκροτα καὶ κέλητες.* Id eſt, *Inter quas erant naves quadraginta, quarum* XX. *conſtratæ, omni nautico apparatu egregie inſtructæ, reliquæ, triremes, biremes, & actuariæ erant.* Vides ut quum potuiſſet ſcribere *διήρεις*, ut dixit *τριήρεις*, maluit dicere *δίκροτα*: credo quod ſic uſurpatum videbat a probatiſſimis authoribus linguæ Græcæ quos ſequebatur. Appianus quoque Alexandrinus in *Mithridatico*, his verbis: *Καὶ νῆες κατάφρακτοι τριακόσιαι, δίκροτα δὲ ἑκατόν, καὶ ἡ ἄλλη παρασκευὴ τούτων.* Id eſt, *Tercentum conſtractæ naves, dicrota centum, cum reliquis harum armamentis.* Idem in eodem: *Ὁλκάδος δὲ βασιλικῆς ἱστίῳ παραπλεούσης, Ῥοδία δίκροτος ἐπ' αὐτὴν ἀνήχθη.* Id eſt, *Quum autem regis oneraria navis velis præteriret, biremis Rhodia in eam impetum fecit.* Quin & Tullius epiſtolarum *ad Atticum* XVI. eo vocabulo uſus ad amicum eſt, dum ait: Nam & ipſe Domitius bona plane habet dicrota: ſuntque navigia præterea luculenta Sexti Buciali, cæterorumque. Nam Caſſii claſſem, quæ plane bella eſt, non numero. Idem Tullius in quinto *ad Atticum*, *ἄφρακτα* Rhodiorum & dicrotum Mitylenæorum & aliud cataſcopium. Quare fit ut exiſtimem apud A. Hirtium (aut ſiquis eſt alius qui quartum *de Bello Civili* librum conſcripſit) *dicrota* octo, non *dicrotas*, legendum, ut habetur in vulgatis: Capit ex eo prælio pentiremem unam, triremes duas, dicrota octo, complures remiges Octavianos. Cæſar ipſe in III. *de Bello Civili* biremes dixit, his verbis: Quatuor biremes ſubjectis ſcutulis, impulſas vectibus in interiorem partem tranſduxit. Livius *Decad.* tertiæ *libro* quarto, Legati ab Orico ad M. Valerium prætorem venerunt præſidentem claſſi, Brunduſio Calabriæque circa littoribus nuntiantes Philippum primum Apolloniam tentaſſe levibus biremibus CXX. flumine adverſo ſubvectum, deinde ut ea res tardiore ſpe fuerit, ad Oricum clam nocte exercitum admoviſſe. Tullius *in Verrem* actione ſeptima: Reprimebat enim tibi & imperandi vim, & rogandi conatum præclara illa non populo Rom. reddita biremis: ſed prætori donata cybea. Tranquillus in *Julio Cæſare*: Navali prælio in modum cochleæ defoſſo lacu biremes, ac triremes, quadriremeſque Tyriæ Ægyptiæque claſſis magno pugnatorum metu conflixerunt. Biremes autem leves dictæ a Livio in loco ſupra ſcripto, a Romanis dicebantur Liburnicæ, ſi Appiano credimus in *Illyrico*: *Ἐγένοντο Λιβυρνοὶ γένος ἕτερον Ἰλλυριῶν, οἳ τὸν Ἰόνιον καὶ τὰς νήσους ἐλῄστευον ναυσὶν ὠκείαις τε καὶ κούφαις· ὅθεν ἔτι νῦν Ῥωμαῖοι τὰ κοῦφα καὶ ὀξέα δίκροτα, Λιβυρνίδας προσαγορεύουσιν.* Id eſt, *Fuerunt Liburni alterum Illyriorum genus, qui Ionium mare, & quæ in eo ſunt, inſulas prædabantur celeribus & levibus navigiis: unde etiam nunc leves & celeres biremes Romanis Liburnicæ vocantur.* Fiebant autem ab Antiquis Liburnicæ, ſive biremes celeres fere hoc pacto, ut in TAB. III *fig.* 1. Lucianus in *Dialogo* qui Ἔρωτες inſcribitur: *Ἐπ' Ἰταλίαν μοι πλεῖν διανοουμένῳ, ταχυναυτοῦν σκάφος ηὐτρέπιστο τούτων τῶν δικρότων, οἷς μάλιστα χρῆσθαι Λιβυρνοὶ δοκοῦσιν, ἔθνος Ἰονίῳ κόλπῳ παρῳκισμένον.* Id eſt, *Cogitanti mihi in Italiam nave proficiſci, apparata eſt navis quædam levis & expedita ex earum biremium genere, quibus maxime uti videntur Liburni, natio quæ ſinum Ionium accolit.* Tranquillus in *Auguſto*: Tempeſtate in trajectu bis conflictatus, primo inter promontoria Peloponneſi & Ætoliæ, rurſus circa montes Ceraunios, utrobique parte Liburnicarum demerſa, ſimulque ejus in qua vehebatur fuſis armamentis & gubernaculo diffracto. Quo loco Tranquillus Liburnicas pro levibus biremibus dixiſſe videtur. Plutarchus in *Catone* videtur Liburnica annumerare inter eas naves, quæ non erant aptæ ad belli conflictum, ſed ad præcurrendum potius & ſpeculandum, his verbis: *Ὥρμησε μὲν γὰρ ἐγχειρίσαι τῷ Κάτωνι τὴν τῶν νεῶν ἡγεμονίαν. ἦσαν δὲ πεντακοσίων μὲν οὐκ ἐλάττους αἱ μάχιμοι, Λιβυρνικὰ δὲ καὶ κατασκοπικὰ καὶ ἄφρακτα παμπληθῆ.* Id eſt, *Voluit enim Catoni totius claſſis imperium deferre: erant autem ad belli uſum idoneæ non pauciores quingentis: Liburnicæ vero, ſpeculatoriæ & apertæ complures.* Tamen ex eodem Plutarcho in *Antonio* videre eſt, Liburnicas etiam habuiſſe *καταστρώματα*, dum ait: *Ἐν τούτῳ δὲ Λιβυρνίδες ὤφθησαν διώκουσαι παρὰ Καίσαρος. ὁ δὲ ἀντίπρωρον ἐπιστρέφειν τὴν ναῦν κελεύσας, τὰς μὲν ἄλλας ἀνέστειλεν· Εὐρυκλῆς δ' ὁ Λάκων ἐνέκειτο σοβαρός, λόγχην τινὰ κραδαίνων ἀπὸ τοῦ καταστρώματος ὡς ἀφήσων εἰς αὐτόν.* Id eſt, *Interea Liburnicæ apparuerunt quæ a Cæſare miſſæ perſequebantur* Antonium. *Ille autem obverti navem jubens, reliquarum quidem impetum repreſſit: at Eurycles Lacedæmonius acer & infeſtus inſtabat, in cataſtromate haſtam vibrans tanquam in eum jaculaturus.* Quum enim dicit *κραδαίνων ἀπὸ τοῦ καταστρώματος*, palam eſt eam Liburnicam, in qua erat Eurycles, habuiſſe *καταστρώματα*, & ſic ad belli uſum maxime aptam fuiſſe: & ſane Cæſar Auguſtus: *Οὐ πρὸς ὕψος οὐδὲ ὄγκον ἐπιδεικτικῶς πεπηγυίαις ναυσίν, εὐστρόφοις δὲ καὶ ταχείαις καὶ πεπληρωμέναις ἀκριβῶς*


TAB. XI
Fig. 3
Fig. 4
Fig. 1
Fig. 2

TAB. III







ἐξηρτυμένος, ἐν Τάραντι καὶ Βρεντεσίῳ συνέχων τὸ ναυτικὸν, ἔπεμπε πρὸς Αντώνιον, ἀξιῶν μὴ διατρίβειν τὸν χρόνον. Id eſt, *Inſtructus autem Cæſar non navibus illis altis & amplis, quæ oſtentationis gratia parantur: ſed agilibus celeribuſque, & iis viris probe oppletis, Tarenti & Brunduſii claſſem continebat. Miſit autem ad Antonium nuntium, penes ut ne amplius tempus otioſi tererent:* ut inquit Plutarchus in *Antonio*. Liburnicam imitatur nautilos piſcis, authore Plinio *l.* IX. c. XXIX. dum ait: Inter præcipua autem miracula eſt qui vocatur nautilos, ab aliis pompilos. Supinus in ſumma æquorum pervenit, ita ſe paulatim ſubrigens, ut emiſſa omni per fiſtulam aqua, velut exoneratus ſentina, facile naviget: poſtea duo prima brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit, qua velificante in auras, cæteris ſubremigans brachiis, media cauda ut gubernaculo ſe regit: ita vadit alto, Liburnicarum gaudens imagine: ſiquid pavoris intervenit, hauſta ſe mergens aqua. Quæ Liburnicæ nomen a patria ſortitæ ſunt: quoniam naves dicimus Ægyptias, Aſiaticas, Syriacas, Rhodias, Liburnicas atque Achaicas, & ejuſmodi: ut Cæſar in tertio *de Bellis Civilibus:* Præerat Ægyptiis navibus Pompejus filius, Aſiaticis Decius Lælius & C. Triarius, Syriacis C. Caſſius, Rhodiis C. Marcellus cum C. Pomponio: Liburnicæ atque Achaicæ claſſi Scribonius Libo & Marcus Octavius: toti tamen officio maritimo M. Bibulus præpoſitus cuncta adminiſtrabat, ad hunc ſumma imperii reſpiciebat. Idem Cæſar *ibidem:* Et navibus longis Rhodiis decem, & Aſiaticis paucis Alexandriam pervenit. Tullius *de Divinatione:* Poſtremo a Rhodia claſſe deſerti. Tranquillus etiam in *loco* ſupra *citato*. Livius *Decadis* quartæ *libro* ſeptimo: Rhodii celebratis exequiis, adverſus claſſem, quam fama erat ex Syria venire XIII. ſuis navibus & una Coa quinqueremi ad terram Gnidiorum, ut ibi in ſtatione eſſent, profecti ſunt. Punicæ etiam naves a Livio dictæ *Decadis* quartæ *libro* ſeptimo: Jam omnes in conſpectu erant, duæ Punicæ naves antecedebant Romanam claſſem. Idem in *eodem:* Ad inferendum hoſtibus terrorem, C. Livius cum duabus quinqueremibus Romanis & quatuor quadriremibus Rhodiis, & duabus apertis Smyrnæis in Lyciam eſt miſſus. Idem: Et erant naves Rhodiæ longæ omnium celerrimæ tota claſſe. Navis Sidoniæ mentio eſt apud Herodotum ἐν Πολυμνίᾳ: Ενθαῦτα ὁ Ξέρξης μετεκβὰς ἐκ τοῦ ἅρματος ἐς νέα Σιδωνίην, ἵζετο ὑπὸ σκηνῇ χρυσέῃ. Id eſt, *Hic Xerxes relicto curru Sidoniam navem conſcendens, ſub aureo tentorio ſedit.* Et in *eadem:* Ως δὲ ἐπεθύμησε, καὶ ἐποίεε ταῦτα, ἐσβὰς ἐς Σιδωνίην νέα, ἐς τὴν περ ἐσέβαινε αἰεὶ ὅκως τι ἐθέλοι τοιοῦτο ποιῆσαι. Id eſt, *Ut autem horum eum deſiderium cepit, & hæc faciebat, Sidoniam navem conſcendens, quam ſemper quum quid hujuſmodi efficere vellet, conſcendere conſueverat.* Euripides in *Helena*, Sidoniam poſuit pro actuario quinquaginta remorum, dum ait:

Χώρει σὺ, καὶ ναῦν τοῖς δὲ πεντηκόντορον
Σιδωνίαν δὸς, κἀρετμῶν ἐπιστάτας.

Livius *libro* ſupra proxime *citato:* Rhodia una capta memorabili caſu: nam quum roſtro percuſſiſſet Sidoniam navem anchora ictu ipſo excuſſa e nave ſua, unco dente, velut manu ferrea injecta, alligavit alterius proram: inde tumultu injecto quum divellere ſe ab hoſte cupientes inhiberent Rhodii, tractum anchorale & implicitum remis latus alterum deterſit: debilitatam ea ipſa quæ icta cohæſerat, navim cepit. Triremis formam habes TAB. III. *fig.* 2.

Triremis a Græcis τριήρης dicitur. Herodotus
A ἐν Τερψιχόρῃ, Παρεσκευάσατο μὲν διηκοσίας τριήρεας, πολλὸν δὲ κάρτα ὅμιλον Περσέων τε καὶ τῶν ἄλλων συμμάχων. Id eſt, *Apparavit autem ducentas triremes, & magnam una Perſarum aliorumque auxiliariorum copiam.* Idem ἐν Πολυμνίᾳ: Τῶν δὲ τριήρεων ἀριθμὸς μὲν ἐγένετο ἑπτὰ καὶ διηκόσιαι καὶ χίλιαι. Id eſt, *Erant autem mille ducentæ ſeptem numero triremes.* Et haud ita multo poſt: Τριηκόντοροι δὲ καὶ πεντηκόντοροι, καὶ κέρκουροι, καὶ ἱππαγωγὰ πλοῖα μικρὰ συνελθόντα ἐς τὸν ἀριθμὸν, ἐφάνη τρισχίλια. Id eſt, *Triginta autem & quinquaginta remorum naves, cercuri, & hippagines, & parva præterea navigia, in unum omnia coacta numerum, ter mille eſſe viſæ*
B *ſunt.* Demoſthenes in prima *contra Philippum:* Καὶ ἱππαγωγοὺς τούτοις εἶεν. τί πρὸς τούτοις ἔτι; ταχείας τριήρεις δέκα. δεῖ γὰρ, ἔχοντος ἐκείνου ναυτικὸν, καὶ ταχειῶν τριηρῶν ἡμῖν, ὅπως ἀσφαλῶς ἡ δύναμις πλέῃ. *Atque his hippagoga navigia: quid præterea? decem celeres triremes. Nam quum claſſem ipſe habeat, celeres triremes nobis eſſe oportet, quo exercitus noſter tuto navigare poſſit.* Tullius actione tertia *in Verrem*, mille fuiſſe naves Perſarum, author eſt, ut parum ab Herodoti numero abeſſe videatur, his verbis: Ut ne Perſæ quidem, quum bellum toti Græciæ, diis hominibuſque indixiſſent, & mille
C numero navium claſſem ad Delum appuliſſent, quicquam conarentur aut violare, aut attingere. Plutarchus in *Themiſtocle* citat Αἰσχύλον ἐν Πέρσαις: Ξέρξῃ δὲ, καὶ γὰρ οἶδα, χιλιὰς μὲν ἦν νεῶν τὸ πλῆθος. Id eſt, *Xerxi autem (probe enim novi) mille numero naves erant.* Triremem invenit primus Aminocles Corinthius, authore Plinio ex Thucydide in primo, qui tamen aliter dicere videtur, dum ait: Φαίνεται δὲ καὶ Σαμίοις Αμεινοκλῆς Κορίνθιος ναυπηγὸς ναῦς ποιήσας τέτταρας. *Videtur autem & Samiis Aminocles Corinthius naupegus naves quatuor ædificaſſe.* Videtur tamen aſſeverare triremes primum ædificatas Corinthi, dum ait:
D Καὶ τριήρεις ἐν Κορίνθῳ πρῶτον τῆς Ελλάδος ἐνναυπηγηθῆναι. Id eſt, *Et triremes primum apud Corinthum in Græcia ædificatas fuiſſe.* Quibus verbis facile colligere eſt, apud Plinium legendum *Aminoclem*, non *Amoclem*, ut vulgo ſcriptum video.


Quadriremem inſtituere Carthaginenſes, authore Ariſtotele ex Plinio, quæ τετρήρης a Græcis dicitur. Polybius in primo: Κατὰ δὲ τινα τόπον ἔχοντα βράχεα, συνέστη χῶμα μετὰ πολλῆς ταλαιπωρίας. ἐφ᾽ ᾧ τετρήρης ἐκτρέχουσα νυκτὸς ἐκάθισε, καὶ τοῖς πολεμίοις ὑποχείριος ἐγένετο, διαφέρουσα τῇ κατασκευῇ τῆς ναυπηγίας. Id eſt, *Quodam autem loco, in quo erant brevia, reſedit agger, idque multo militum la-*
E *bore: in quem quadriremis nocte excurrens impegit, quam ſtatim adverſarii nacti ſunt excellentem, & probe ædificatam.* Vide, ſi otium eſt, Sipontinum: & quantum in vertendo Polybio ſibi permiſerit, facile agnoſces. Diodorus Βιβλιοθήκης undeviceſimo: Τούτων ἦσαν τετρήρεις μὲν ἐννενήκοντα, πεντήρεις δὲ δέκα, ἐννήρεις δὲ τρεῖς, δεκήρεις δὲ δέκα, ἄφρακτοι δὲ τριάκοντα. Id eſt, *Harum erant quadriremes quidem nonaginta, quinqueremes decem, novem ordinum tres, decem ordinum decem, apertæ autem triginta.* Tullius ſeptima *in Verrem:* Princeps Cleomenes in quadriremi Centuripina malum erigi, ve-
F la fieri, præcidi anchoras imperavit: & ſimul ut ſe cæteri ſequerentur, ſignum dari juſſit: hæc Centuripina navis erat incredibili celeritate velis: nam ſcire iſto prætore nemo poterat quid quæque navis remis facere poſſet. Et paulo poſt: Erat enim ſola illa navis conſtrata, & ita magna ut propugnaculo cæteris poſſet eſſe: quæ, ſi in prædonum pugna verſaretur, urbis inſtar habere inter illos piraticos myoparones videretur. Tectæ ſive conſtratæ navis forma, qualis apud Antiquos fuit, TAB. III. *fig.* 3.

Quod autem Tullius constratam dixit, aliquando hæsitavi num eadem esset quæ & tecta dicitur a Cæsare. Quas tectas longas invenere Thasii. Nam antea ex prora tantum & puppi pugnabatur. Author Plinius in septimo. Cæsar in secundo *de Bello Civili*: Appulsaque ad proximum littus trireme constrata, & in littore relicta, pedibus Adrumetum profugerat. Idem in tertio: Atque omnes naves incendit XXXV. in quibus erant XX. constratæ. Idem Cæsar alibi tectas vocat in primo *de Bello Civili*, Massilienses usi L. Domitii consilio, naves longas expediunt numero XVII. quarum erant XI. tectæ. Idem in tertio: Illæ triremes omnes & quinqueremes aptæ, instructæque omnibus rebus ad navigandum, præter has XXII. erant, quæ præsidii causa Alexandriæ esse consueverant, constratæ omnes, quas si occupassent classe Cæsaris erepta, portum ac mare totum in sua potestate haberent, commeatu auxiliisque Cæsarem prohiberent. Aulus certe Hirtius omnem tollere dubitationem videtur, dum ait: Magnoque impetu quatuor ad eam constratæ naves & complures apertæ contenderunt, cui coactus est Cæsar ferre subsidium. Vides ut constratas & apertas ponat, tanquam diversas: quod perinde est atque si dixisset, alias tectas fuisse, alias apertas. Tullius actione septima *in Verrem*: Poterone in eos esse vehemens, qui naves inanes non modo habuerunt, sed etiam apertas: in eum dissolutus, qui solus habuerit constratam navem, & minus exinanitam? Loquitur enim de quadriremi Centuripina. Aulus Hirtius in quarto de *Bello Civili*: Itaque paucis diebus contra omnium opinionem quadriremes XXII. quinqueremes quinque confecerunt, ad has, minores apertasque complures adjecerunt. Idem in eodem, haud ita multo infra illum locum: Ex his quinqueremes quinque erant, & quadriremes decem: reliquæ infra hanc magnitudinem, & pleræque apertæ. Livius *Decadis* quartæ *libro* sexto: Biduum in apparatu morati, tertio die centum navibus, quarum septuaginta tectæ erant, cæteræ apertæ, minores omnes fere erant, profecti, Phocæam petierunt. Nec tamen video Marcum Tullium tectas appellasse, quantum mea memoria est, sed fere semper constratas: tegebantur enim aliquando & minores. Cæsar in tertio *Bell. Civil.* Similiter Vatinius, qui Brundusio præerat, tectis instructisque scaphis elicuit naves Lælianas, atque ex his longius productam unam quinqueremem, & minores duas in angustiis portus cepit: itemque per equites dispositos aqua prohibere classiarios instituit. Idem in secundo: Massilienses post superius incommodum, veteres ad eundem modum ex navalibus productas naves refecerant, summaque industria armaverant: remigum gubernatorumque magna copia suppetebat: piscatoriasque adjecerant atque contexuerant, ut essent ab ictu telorum remiges tuti: has sagittariis tormentisque compleverant. Idem in tertio: Scaphas navium magnarum circiter sexaginta, cratibus pluteisque contexit, eoque milites delectos imposuit. Has autem Græci καταφράκτους vocant, etiamsi Sipontinus apud Polybium haud scio quam recte pro καταφράκτῳ *quinqueremem* nobis reddiderit, eo fortasse quod magis idoneæ essent quæ consternerentur. Eo enim tempore quo primum Pop. Rom. statuit e rep. esse, cum Carthaginensibus de Siciliæ atque adeo maris interni imperio navalibus copiis dimicare, centum viginti navium classem ædificandam curarunt: in qua centum fuere quinqueremes, & viginti triremes. Nam antea quidem eo ipso tempore quo Messanam copias traducere cœperunt: Οὐχ οἷον (inquit Polybius) κατάφρακτος αὐτοῖς ὑπῆρχε ναῦς, ἀλλ' οὐδὲ καθόλου μακρὸν πλοῖον, οὐδὲ λέμβος οὐδὲ εἷς. Hoc est, *Non solum nullam navem te-*

A *ctam constratamve habebant: sed nec prorsus ulla navis longa, aut lembus ullus ipsis præsto fuit.* Quare a Tarentinis & Locrensibus, ἔτι δὲ Ἐλεατῶν καὶ Νεαπολιτῶν συγχρησάμενοι πεντηκοντόρους καὶ τριήρεις, ἐπὶ τούτων παραβόλως διεκόμισαν τοὺς ἄνδρας. ἐν ᾧ δὴ καιρῷ τῶν Καρχηδονίων κατὰ τὸν πορθμὸν ἐπαναχθέντων αὐτοῖς, καὶ μιᾶς νεὼς καταφράκτου διὰ τὴν προθυμίαν προπεσούσης, ὥστε ἐποκείλασαν γενέσθαι τοῖς Ῥωμαίοις ὑποχείριον, ταύτῃ παραδείγματι χρώμενοι, τότε πρὸς ταύτην ἐποιοῦντο τὴν τοῦ παντὸς στόλου ναυπηγίαν. Id est, *Præterea autem ab Eleatis & Neapolitanis triremes, & quinquaginta remorum actuarias quum commodato accepissent, in his summa cum audacia*
B *milites transvexerunt: quo quidem tempore quum forte Carthaginenses circa fretum in Romanos irruerent, & navis quædam constrata, propter promptitudinem reliquas omnes præcurreret, casu impacta impeditaque, in Romanorum ditionem venit. Ea itaque, ut exemplo, usi, ad illius similitudinem classem suam universam ædificarunt.* Constratæ vero naves dicebantur eo quod haberent καταστρώματα, & ad id erant maxime aptæ quadriremes. Polybius in secundo: Ἐπλήρωσαν κοινῇ τὰς τῶν Ἀχαιῶν δέκα ναῦς καταφράκτους. Id est, *Impleverunt in commune decem Achæorum naves constratas*, & quæ
C haberent καταστρώματα. Subdit enim: Τότε ἐπιπηδῶντες ἐπὶ τὰ καταστρώματα τῶν Ἀχαϊκῶν νεῶν, κατεκράτουν, διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐπιβατῶν. καὶ τέτταρας μὲν πλοίων ἐκυρίευσαν τετρήρων αὐτάνδρων. τὴν δὲ πεντήρη σὺν αὐτοῖς τοῖς ἀνδράσιν ἐβύθισαν. Id est, *Tunc in Achaicarum navium catastromata insilientes, superiores evaserunt, propter propugnantium multitudinem. Atque hoc pacto quatuor quidem quadriremes in suam potestatem receperunt: quinqueremem autem unam cum ipsis hominibus demerserunt atque depresserunt.* Loquitur enim de eisdem Achæorum navibus.

Triremibus si binos ordines addideris, quinque-
D remem facies: si plures, majorem. Nam quinqueremis figuram antiquam nullam adhuc vidimus, præterquam in numismate quodam: sed dubitamus an illud, quemadmodum permulta alia, mentiatur antiquitatem.

Quinqueremem instituit Nesichthon, si Plinio credimus, quæ πεντήρης a Græcis dicitur. Herodotus in Ἐρατῷ: Καὶ δὴ ἦν δὴ τοῖσι Ἀθηναίοισι πεντήρης ἐπὶ Σουνίῳ. λοχήσαντες ὦν τὴν θεωρίδα νέα εἷλον πλήρεα ἀνδρῶν τῶν πρώτων Ἀθηναίων. Id est, *Erat enim Atheniensibus quinqueremis in Sunio. Illi itaque positis insidiis theorida navem occuparunt, Atheniensium primoribus refertam.* Appianus in *Mi-*
E *thridatico*: Ὥστε καὶ τριήρη αὐτοῖς ἀνδράσιν ἀναδησάμενοι, καὶ ἀκροστόλια πολλὰ καὶ σκῦλα ἐς τὸν λιμένα φέροντες ἐπανελθεῖν. πεντήρους δὲ σφῶν εἰλημμένης ὑπὸ τῶν πολεμίων, ἀγνοοῦντες οἱ Ῥόδιοι ἐπὶ ζήτησιν αὐτῆς ἓξ ταῖς μάλιστα ταχυναυτούσαις ἀνέπλεον. Id est, *Itaque trireme cum ipsis hominibus, navibus suis alligata, multis navium rostris nec paucis spoliis onusti ad portum rediere. Quum autem ipsorum quinqueremis ab hostibus capta esset, ejus ignari Rhodii ad conquirendam eam sex maxime celeribus navibus regressi sunt.* Mirum est quod Aulus Hirtius, sive Oppius in *Bello Alexandrino* quinqueremem pen-
F tiremem vocet, vocabulo semi-Græco semique Latino, dum ait: Capit ex eo prælio pentiremem unam, triremes duas, dicrota octo, compluresque remiges Octavianos. Sic enim legendum censeo, non *dycrotas*. Idem in *Aphricano Bello*: Naves onerarias, quæ longius a portu in salo stabant, incendit: & pentiremes duas vacuas a defensoribus, nullo repugnante, cepit. Marcus Tullius ubique quinqueremes dicit, & optimi quique authores. Pontem constratum paludemque dixit idem Hirtius lib. *Derelictorum de Bello Galli-*


TAB. IV.
Fig. 4
Fig. 1
Fig. 2
Fig. 3

Gallico: Turres crebras excitari in altitudinem trium tabulatorum, pontibus trajectis constratisque conjungi, quorum frontes viminea loricula munirentur, ut hostis a duplici propugnatorum ordine depelleretur. Idem in *eodem*: Pontibus palude constrata, legiones traducit. Et in *eodem*: Nisi flumen Ligerim, quod erat ponte propter magnitudinem constratum, copias traduxisset. Tullius libro primo *de Oratore*: Illa vero deridenda arrogantia est, in minoribus navigiis rudem esse se confiteri, quinqueremes aut etiam majores gubernare didicisse. Ipse (quantum assequi possum conjectura) existimo quadraginta fuisse sedilia in tabulato alterius lateris quinqueremis, quæ quadringentis remigibus agebatur: ut ex verbis Plinii colligere est *libro* trigesimo secundo, ubi de echeneide, dum ait: Fertur Actiaco Marte tenuisse prætoriam navim Antonii properantis circuire, & exhortari suos, donec transiret in aliam. Ideoque Cæsariana classis impetu majore protinus venit. Tenuit & nostra memoria Caii principis ab Astura Antium remigantis, ut res est etiam auspicalis, pisciculus. Siquidem novissime tum in urbem reversus ille imperator, suorum telis confossus est, Nec longa fuit illius moræ admiratio: statim causa intellecta cùm e tota classe quinqueremis sola non proficeret: & exilientibus protinus qui id quærerent, circa navim invenere adhærentem gubernaculo: ostenderuntque Cajo, indignanti hoc fuisse quod se revocaret, quadringentorumque remigum obsequio contra se intercederet. Quibus sane verbis palam fit illam quinqueremem actam a remigibus quadringentis, ut in altero latere ducenti fuerint: qui si distribuantur in quinos ordines, necesse est quadraginta sedilia fuisse in altero tabulati latere. Hæc idcirco adjeci, ut Veneti videant an illa eorum quinqueremis, quæ XXVIII. tantum opinor transtris constat, ædificata sit ad antiquarum quinqueremium rationem. De echeneide non adjiciam quæ Plutarchus in *Symposiacis* tractat, etiamsi minime videantur aliena: sed ad illum authorem gravissimum, lectorem rejicimus. Quod autem Tullius, aut etiam majores, dixit, de sex septemque ordinum nave intellexisse videtur: quas Livius Græco vocabulo hexeres hepteresque vocat, quartæ *Decadis libro* septimo: Regia classis septem & triginta majoris formæ navium erat, in quibus tres hepteres & quatuor hexeres habebant: præter has decem triremes erant: & ii adesse hostes ex specula quadam cognovere. Idem in *eodem*: Maxime exterruit hepteres regia a multo minore Rhodia nave uno ictu demersa. Idem in *eodem*: Hostium classis trium & nonaginta navium fuit, maximæ formæ naves, tres hexeres habebant, duas hepteres. Robore navium & virtute militum Romani longe Regios præstabant: Regiæ naves agilitate & arte gubernatorum, & scientia remigum. Appianus Alexandrinus de *Bellis Civilibus* libro quarto: Ενδὰς ὁ Πομπήϊος ἐς τὴν Αἰνάριαν διέπλει ναυσὶ πολλαῖς ἀρίσταις, ἐξήρους λαμπρᾶς ἐπιβεβηκώς. Id est, *Cedens Pompejus in Enariam concessit navibus multis, iisque præstantissimis, navi ipse hexere splendidissima vectus*. Τὰς μὲν οὖν ἑξήρεις δύο οὔσας, ἐφ᾽ ὧν ἔπλεον οἱ στρατηγοὶ Μάρκιος Ἀττίλιος καὶ Λεύκιος Μάλιος, πρώτας ἐν μετώπῳ παραλλήλους ἔταξαν. Id est, *Duas igitur hexeres, quibus Marcus Atilius & Lucius Manlius duces vehebantur, primas in fronte, æqualiter invicem distantes constituerunt*. Lucanus in tertio ubi de Bruti prætoria nave loquitur, hexerem descripsisse videtur:

Celsior at cunctis Bruti prætoria puppis
Verberibus senis agitur, molemque profundo
Invehit, & summis longe petit æquora remis.

Hepteres, quæ septem ordinum navis erat cum Latina partium ejus nomenclatura, TAB IV. *fig.* 1.

A Corbis, unde Corbita.
B Cornua antennarum extremæ partes.
C Antennæ.
D Malus, ἱστός.
E Carchesium, summa pars mali.
F Trachelus, media.
G Pterna, inferior.
H Opiferi funes.
I Calos.
K Rudentes, quamquam a Plauto accipiatur rudens pro eo fune, quo navis ad terram religari solet: Oram Latini, Græci prymnesia vocant.
L Parasemon.
M Puppis.
N Turres.
O Prora.
P Oculus.
Q Rostrum.
R Rostrum tridens.
S Epotides.
T Catastromata.
V Remi.
X Carina, alveus.
Y Cumba, Dryochos.
Z Clavus.
& Gubernacula.

Hepterem Polybius ἑπτήρη vocat in primo, ἔχων ἑπτήρη τὴν γενομένην Πύρρου τοῦ βασιλέως. Id est, *Habens hepterem, quæ Pyrrhi regis quondam fuerat*. Quo loco *septiremem* vertit Sipontinus, nec Livium sequi curavit. Diodorus Siculus *libro* vicesimo: Τούτων δ᾽ ἦσαν αἱ μέγισται μὲν, ἑπτήρεις· αἱ πλεῖσται δὲ, πεντήρεις. Id est, *Ex his maximæ quidem, hepteres erant; plurimæ autem, quinqueremes*. Οκτήρεις vero fuisse liquet ex Athenæo, ἐννήρεις plane & δεκήρεις constat fuisse ex Diodoro Siculo, in *loco* supra *citato*. Fuerunt ἑνδεκήρεις, & τρισκαιδεκήρεις, & τριακοντήρεις, & εἰκοσήρεις, ut palam fit ex Athenæo *lib.* v. his verbis: Πολλῶν δὲ ὁ Φιλάδελφος βασιλέων πλούτῳ διέφερε, καὶ περὶ πάντα ἐσπουδάκει τὰ κατασκευάσματα. φιλοτίμως, ὥστε καὶ πλοίων πλήθει πάντας ὑπερέβαλλε. τὰ γοῦν μέγιστα ἦν τῶν πλοίων παρ᾽ αὐτῷ, τριακοντήρεις δύο, εἰκοσήρης μία, τέσσαρες δὲ τρισκαιδεκήρεις, δωδεκήρεις δύο, ἑνδεκήρεις δεκατέσσαρες, ἐννήρεις τριάκοντα, ἑπτήρεις τριάκοντα ἑπτὰ, ἑξήρεις πέντε, πεντήρεις ἑπτακαίδεκα. τὰ δὲ ἀπὸ τετρήρους μέχρι τριηρημιολίας, διπλάσια τούτων. τὰ δὲ εἰς τὰς νήσους πεμπόμενα, καὶ τὰς ἄλλας πόλεις ὧν ἦρχε, καὶ τὴν Λιβύην, πλείονα ἦν τῶν τετρακισχιλίων. Id est, *Philadelphus autem multos reges opibus superavit, eratque apparatuum omnium ambitiose studiosus. Navium itaque copia & numero omnes superabat. Quæ vero maxima habebat apud se navigia, hæc erant: triginta ordinum, duæ: viginti, una: tredecim ordinum, quatuor: duodecim, duæ: undecim ordinum, quatuordecim: novem ordinum, triginta: hepteres, triginta septem: hexeres, quinque: quinqueremes, decem & septem. Earum autem navium, quæ a quadrireme ad triremiolias usque descendebant, duplus erat ad has numerus. Quæ autem ad insulas deductæ fuerant, & in urbes quibus imperitabat ipse, & Libyam, plures erant quater millenis*. Alexander Magnus, authore Plinio, instituit naves ad duodecim ordines. Philostephanus Ptolemæum Soterem instituisse vult ad quindecim. Plutarchus tamen πεντεκαιδεκήρη adscribit Demetrio, dum ait: Οὐδεὶς γὰρ οἶδεν ἀνθρώπων οὔτε πεντεκαιδεκήρη ναῦν πρότερον, οὔτε ἑκκαιδεκήρη· ἀλλ᾽ ὕστερον τετταρακοντήρη Πτολεμαῖος ὁ Φιλοπάτωρ ἐναυπηγήσατο, μῆκος διακοσίων ὀγδοήκοντα πηχῶν, ὕψος δὲ ἕως ἀκροστολίου, πεντήκοντα, δυοῖν δεόντων· ναύταις δὲ, χωρὶς ἐρετῶν, ἐξηρτυμένην τετρακοσίοις, ἐρέταις δὲ τετρακισχιλίοις· χωρὶς δὲ τούτων, ὁπλίτας δεχομένην ἐπί τε τῶν παρόδων καὶ τοῦ καταστρώματος, ὀλίγον τρισχιλίων ἀποδέοντας. ἀλλὰ θέαν μόνην ἐκείνη παρέσχεν, καὶ μικρὸν ὅσον διαφέρουσα τῶν μονίμων οἰκοδομημάτων. Id est, *Antea enim neque*

quindecim ordinum navem neque sexdecim quisquam hominum noverat: postea tamen quadraginta ordinum ædificandam curavit Ptolemæus Philopator, in longitudinem quidem productam ad cubitos ducentos octoginta: altitudine autem ad summitatem usque navis, duodequinquaginta cubitorum. Instructa autem erat quadringentis nautis, extra remiges, qui quater mille numero erant. Capiebat præter hos navis in aditibus una & catastromate, armatos milites paulo minus ter millenis. Verum solam hæc navis sui spectationem exhibuit, ab immobilibus ædificiis parum admodum differens. Athenæus in quinto Δειπνοσοφιστῶν ex Καλλιξένου eadem fere cum Plutarcho referre videtur, sed tamen apertius & diffusius, his verbis: Τὴν τετταρακοντήρη ναῦν κατεσκεύασεν ὁ Φιλοπάτωρ, τὸ μῆκος ἔχουσαν διακοσίων ὀγδοήκοντα πηχῶν, ὀκτὼ δὲ καὶ τριάκοντα ἀπὸ παρόδου ἐπὶ πάροδον. ὕψος δὲ ἕως ἀκροστολίου, τετταράκοντα ὀκτὼ πηχῶν· ἀπὸ δὲ τῶν πρυμνητικῶν ἀφλάστων ἐπὶ τὸ τῇ θαλάσσῃ μέρος αὐτῆς, τρεῖς πρὸς τοῖς πεντήκοντα πήχεις. πηδάλια δ' εἶχε τέτταρα τριακοντα πήχη, κώπας δὲ θρανιτικὰς ὀκτὼ καὶ τριάκοντα πηχῶν τὰς μεγίστας· αἳ διὰ τὸ μόλυβδον ἔχειν ἐν τοῖς ἐγχειριδίοις, καὶ γεγονέναι λίαν εἴσω βαρεῖαι κατὰ τὴν ζύγωσιν, εὐήρεις ὑπῆρχον ἐπὶ τῆς χρείας. δίπρωρος δὲ ἐγεγόνει καὶ δίπρυμνος, καὶ ἔμβολα εἶχεν ἑπτά· τούτων ἓν μὲν ἡγούμενον, τὰ δ' ὑποστέλλοντα, τινὰ δὲ κατὰ τὰς ἐπωτίδας. ὑποζώματα δ' ἐλάμβανε δώδεκα, ἑξακοσίων δ' ἦν ἕκαστον πηχῶν. εὔρυθμος δ' ἦν καθ' ὑπερβολήν. θαυμαστὸς δ' ἦν καὶ ὁ ἄλλος κόσμος τῆς νεώς. ζῶα μὲν γὰρ εἶχεν οὐκ ἐλάττω δώδεκα πηχῶν κατὰ πρύμναν τε καὶ πρώραν· καὶ πᾶς τόπος αὐτῆς κηρογραφίᾳ καταπεποίκιλτο. τὸ δὲ ἐγκώπιον ἅπαν μέχρι τῆς τρόπεως, κισσίνην φυλλάδα. καὶ θύρσους εἶχε πέριξ. πολὺς δ' ἦν καὶ ὁ τῶν ὅπλων κόσμος, ἀνεπλήρου δὲ τὰ προσδεόμενα τῆς νεὼς μέρη. γενομένης δὲ ἀναπείρας, ἐδέξατο ἐρέτας πλείους τῶν τετρακισχιλίων· εἰς δὲ τὰς ὑπηρεσίας, τετρακοσίους· εἰς δὲ τὸ κατάστρωμα, ἐπιβάτας τρισχιλίους ἀποδέοντας ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα. καὶ χωρὶς ὑπὸ τὰ ζύγια πλῆθος ἀνθρώπων ἕτερον, ἐπισιτισμοῦ τε οὐκ ὀλίγον. καθειλκύσθη δὲ τὴν μὲν ἀρχὴν ἀπὸ Ἐσχαρίου τινός, ὅ φασι παγῆναι πεντήκοντα πλοίων πεντηρικῶν ξυλείᾳ· ὑπὸ δὲ ὄχλου μετὰ βοῆς καὶ σαλπίγγων κατήγετο. ὕστερον δὲ τῶν ἀπὸ Φοινίκης τις ἐπενόησε τὴν καθολκήν, τάφρον ὑποστησάμενος ἴσην τῇ νηῒ κατὰ μῆκος, ἣν πλησίον τοῦ λιμένος ὤρυξε. ταύτῃ δὲ τοὺς θεμελίους κατῳκοδόμησε λίθῳ στερεῷ πρὸς πέντε πήχεις τὸ βάθος· καὶ διὰ τούτων φάλαγγας ἐπικαρσίας κατὰ πλάτος τῆς τάφρου διώσας συνεχεῖς, τετράπηχυν εἰς βάθος τόπον ἀπολιπούσας. καὶ ποιήσας εἴσρουν ἀπὸ τῆς θαλάσσης, ἀνέπλησεν αὐτῆς πάντα τὸν ὀρυχθέντα τόπον· εἰς ὃν ῥᾳδίως ἀπὸ τῶν τυχόντων ἀνδρῶν εἰσήγαγε τὴν ναῦν, καὶ τὸ ἀνοιχθὲν κατ' ἀρχὰς ἐμφράξας, μετεξήντλησε πάλιν τὴν θάλασσαν ὀργάνοις. τούτου δὲ γενομένου ἑδρασθῆναι τὸ πλοῖον ἀσφαλῶς ἐπὶ τῶν προειρημένων φαλάγγων. Id est, *Quadraginta ordinum navem construxit Philopator, quæ in longitudinem haberet ducentos octoginta cubitos: octo autem & triginta in latitudinem ab aditu in aditum: in altitudinem autem, usque ad summitatem & oram navis, quod ἀκροστόλιον dicunt* XLVIII. *cubitos habebat: a summitate autem extrema puppis ad eam partem quæ mari alluitur, tres &* L. *cubitos: gubernacula autem habebat quatuor, singula in longitudinem triginta cubitorum: remos vero longiores, quos* θρανιτικὰς *vocant,* XXXVIII. *cubitorum: qui propterea quod plumbum haberent in capulis, & quod ad interiorem partem graviores essent libramento, usui habiles ad remigandum erant. Fuit præterea duplici prora duplicique puppe, rostraque septem habebat: quorum unum quidem extabat: quædam autem contractiora erant minoraque: nonnulla vero ad epotidas erant collocata. Zonas autem perpetuas habuit* XII. *quarum quæque sexcentorum erat cubitorum. Erat autem mira & egregia symmetria: admirabilis præterea & alius navis ornatus: ad cujus proram & puppim erant expressa animalia non minora duodecim cubitorum, & in omni parte multiplici ceræ pictura variegabatur. Tota vero ab ea parte qua remi collocati erant, usque ad carinam ipsam, in ambitu thyrsos habebat, cum perpetuis hederæ foliis. Multus autem erat & armamentorum ornatus, quibus instruebantur partes ut quæque eis indigebant. Quum autem experimenti causa deduceretur, suscepit remiges plures quatuor millium, ad reliqua autem ministeria quadringentos. In catastromate vero & aditibus habuit propugnatores bis mille octingentos quinquaginta, præter magnam multitudinem hominum quæ ad juga erat, magnam præterea vim continebat rei frumentariæ: deducta autem fuit initio ab Eschario quodam, qui eam navem compegisse dicitur materia quinquaginta navium quinqueremium. Deducebatur autem a turba cum magno clamore & turbarum sonitu. Postea vero quidam a Phœnicia excogitavit deductionem, ducta fossa æquali navi longitudine, quam ad portum fodiendam curavit. Huic fossæ fundamenta injecit e solido lapide in altitudinem quinque cubitorum, per quæ transversales trabes in latitudinem fossæ trajiciens inter se cohærentes, relicto loco quatuor cubitorum vacuo: factoque incili aqua marina, totum locum defossum complevit: in quem facile opera viliorum hominum induxit navem, obturans eam partem quam ab initio aperuerat: rursusque aquam marinam extraxit machinis: quo facto consedisse navem tuto in prædictis trabibus.*

Ante vero quam a navium longarum commemoratione discedo, non omittam me conjectura assecutum, quinqueremes fuisse altiores, quam ut e quadrireme armati milites in eas transilire possent. Quod si lector in animum induxerit mecum attendere ad verba Livii, facile, ut opinor, in eandem sententiam discedet: ea sunt *Decadis* tertiæ *libro* decimo: Classis Punica ad Uticam stationem habebat: ex ea tres quadriremes, seu clam misso a Carthagine nuntio uti fieret, seu Asdrubale qui classi præerat, sive publica fraude, auso facinus, quinqueremem Romanam superantem promontorium ex alto repente aggressæ sunt: sed neque rostro ferire celeritate subterlabentem poterant, neque transilire armati ex humilioribus in altiorem navem: & defendebatur egregie quoad tela suppeditarunt. Quod ex verbis ipsis apertius mihi videtur, quam ut aliter explanandum sit. Quod autem de ἐννήρει supra dictum est, adverte lector: quum enim unico ν scribitur, navem instructam & paratam in aqua significat, ut videbis apud Plutarchum in *Antonio*, in hæc verba: Ἀντώνιος δὲ, ἅμα ἡμέρᾳ τῶν πολεμίων ἐπιπλεόντων, φοβηθεὶς μὴ τῶν ἐπιβατῶν ἐρήμους ἕλωσι τὰς ναῦς, τοὺς μὲν ἐρέτας ὁπλίσας, ἐπὶ τῶν καταστρωμάτων παρέταξεν ὄψεως ἕνεκα· τοὺς δὲ ταρσοὺς τῶν νεῶν ἐγείρας καὶ πτερώσας ἑκατέρωθεν, ἐν τῷ στόματι περὶ τὸ Ἄκτιον ἀντιπρώρους συνεῖχε, ὡς ἐνήρεις καὶ παρεσκευασμένας ἀμύνεσθαι. Id est, *Antonius autem, quum prima luce adnavigarent hostes, veritus ne propugnatoribus destitutas naves caperent, remiges armari jussit, eosque in catastromate in speciem disposuit ut viderentur; remos autem qua parte lati sunt, erigi jubens & arrigi utrinque; ad Actii fauces obversas continebat naves, tanquam instructas & paratas ad decertandum.* Quo loco ἐνήρεις ipse interpretatur, quum καὶ παρεσκευασμένας subdit: quod Suidas non videtur intellexisse. Idem in *Bruto*, μὴ ναῦν ἐνήρη, μὴ στρατιώτην ἕνα, μὴ πόλιν ἔχοντες. Id est, *Non instructam navem, non militem ullum, non civitatem denique habentes.* Et in

Sylla: Μιθριδάτης μὲν ἔχων ναῦς αὐτόθι διακοσίας ἐνήρεις. Id est, *Mithridates quidem illic naves habens remigio instructas ducentas*. Herodotus ἐν Οὐρανίᾳ, κρατῆρες dixit, καὶ εἶχε πλοῖον κρατῆρες ἑτοῖμον, εἰ παλήσειε ὁ ναυτικὸς στόλος. Id est, *Et habebat navem instructam & paratam, si forte maritimus exercitus moveretur*. Euripides in *Iphigenia in Tauris*:

Κἀνταῦθ' ὁρῶμεν Ἑλλάδος νεὼς σκάφος,
Ταρσῷ κρατῆρει πίτυλον ἐπτερωμένον,
Ναύτας τε πεντήκοντ' ἐπὶ σκαλμῶν, πλάτας
Ἔχοντας.

Polybius in primo aliter locutus est, ut videbis: Αἱ γὰρ νῆες τοῦ στόματος ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν ἐφ' ὅσον ἦν δυνατὸν ἔγγιστα τοῖς τενάγεσι προσάγειν, ἐπεῖχον ἐπτερωκῦαι πρὸς τὴν ἐμβολὴν καὶ σύλληψιν τῆς ἐκπλεῖν μελλούσης νεώς. Id est, *Naves autem quæ in faucibus erant utrinque quam proxime ad paludes accedi poterat, expectabant remigio instructæ ad irruendum in navem eam quæ exitura erat, atque ad eam capiendam paratæ*. Latini aptas instructasque remigio vocant. Livius *Decadis* tertiæ *libro* primo: Classis præterea data ad tuendam maritimam oram: quia qua parte belle vicerant, ea tum quoque rem gesturos Romanos credi poterat: quinquaginta quinqueremes, quadriremes duæ, triremes quinque, sed aptæ instructæque remigio triginta & duæ quinqueremes erant, & triremes quinque: τριηρημιολίας videmus factam mentionem ab Athenæo in quinto, & medius fidius sæpenumero dubitavi quodnam id esset navigii genus. Nec idem esse queat cum iis quas Polybius ἡμιόλους ναῦς vocat, Appianus vero ἡμιολίας: etiamsi idem Polybius *lib.* XIV. τριηρημιολίας vocat eas (opinor) quæ non tot remis agerentur, quot justæ triremes: ait enim Μετὰ δὲ τούτων ἐννέα τριηρημιολίαι καὶ τριήρεις τρεῖς ὑπῆρχον. Id est, *Cum his autem novem trieremioliæ & triremes tres erant*. Appianus certe in *Proœmio* eas videtur ponere infra magnitudinem justarum triremium, dum ait, τριήρεις δὲ ἀπὸ ἡμιολίας μέχρι πεντήρους πεντακόσιαι καὶ χίλιαι. Id est, *Triremes autem ab hemiolia usque ad quinqueremem, mille quingentæ*. Ut ἡμιόλιαι essent biremes quidem, sed quæ a puppi ad malum usque binis remis, a malo ad proram unico tantum agerentur: ut hodie quoque videre est in nonnullis earum, quas *fustas* Veneti vocant. Tu lector, siquid nosti rectius istis, candidus imperti: mea enim est conjectura. Tibi possum proferre scripta authorum, qui hujusce rei mentionem fecere: quibus legendis, poteris fortasse meliora afferre, certiusque judicium hac de re facere: sed Appianum videamus: Ναυσὶ δ' ἐφέροντο, πεντήκοντα μὲν πεντήρεσι, ἑκατὸν δὲ ἡμιολίαις· ἀφράκτοις δὲ, καὶ κερκούροις, καὶ στρογγύλοις πολλοῖς. Id est, *Ferebantur autem navibus, quinqueremibus quidem quinquaginta, hemioliis centum: apertis vero, cercuris, & onorariis compluribus*. Diodorus Siculus *libro* decimonono: Αὐτὸς δ' ἀναλαβὼν ναῦς ἡμιολίας, νυκτὸς κατέπλευσε πλησίον τῆς πόλεως. Id est, *Ipse autem hemioliis navibus sumptis, secundum urbem de nocte delatus est*. Polibius in quinto: Καταρτίσας δώδεκα μὲν καταφράκτους ναῦς, ὀκτὼ δὲ ἀφράκτους, τριάκοντα δ' ἡμιόλους, ἔπλει δι' Εὐρίπου. Id est, *Duodecim itaque constratis navibus instructis, octo apertis, triginta autem hemioliis, per Euripum navigabat*. Quibus locis ἡμιόλους & ἡμιολίας pro eodem fere poni existimo. Sed hoc loco subjiciam quod in *Fragmentis* Polybii ex *libro* decimosexto scriptum legimus. Cujus quidem nobis copiam fecit Victor Faustus, dum Venetiis a Rege Christianissimo legatus commorarer. Ea sunt hæc quibus describit pugnam

A navalem ad Chium factam inter Philippum & Attalum, ut in contextu videbis: Ὁ δὲ Φίλιππος, τῶν μὲν κατὰ τὴν πολιορκίαν ἀντιπιπτόντων αὐτῷ, τῶν δὲ πολεμίων ἐφορμούντων πλείοσι καταφράκτοις ναυσὶν, ἠπορεῖτο, καὶ δυσχερῶς διέκειτο περὶ τοῦ μέλλοντος. οὐκ ἐπιδεχομένων δὲ τῶν παρόντων αἵρεσιν, ἀνήχθη παρὰ τὴν τῶν πολεμίων προσδοκίαν. ἔτι γὰρ αὐτὸν ἤλπιζον οἱ περὶ τὸν Ἄτταλον προσκαρτερήσειν τῇ τῶν μετάλλων κατασκευῇ. μάλιστα δ' ἐσπούδαζε ποιήσασθαι τὸν ἀνάπλουν αἰφνίδιον, πεπεισμένος καταταχήσειν, καὶ τὸ λοιπὸν ἀσφαλῶς ἤδη κομισθήσεσθαι παρὰ τὴν γῆν εἰς τὴν Σάμον. διεψεύσθη δὲ παρὰ πολὺ τοῖς λογισμοῖς. οἱ γὰρ περὶ τὸν Ἄτταλον καὶ Θεοφιλίσκον, ἅμα
B τῷ συνιδεῖν αὐτὸν ἀναγόμενον, εἴχοντο τῶν προκειμένων εὐθέως. συνέβη δὲ τὸν ἀνάπλουν αὐτῶν γενέσθαι διαλελυμένον, ἅτε πεπεισμένων τὸν Φίλιππον, καθάπερ εἶπον, ἔτι μένειν ἐπὶ τῶν ὑποκειμένων. οὐ μὴν ἀλλὰ χρησάμενοι ταῖς εἰρεσίαις, ἐνεργῶς προσέβαλον, Ἄτταλος μὲν τῷ δεξιῷ καὶ καθηγουμένῳ τῶν πολεμίων, Θεοφιλίσκος δὲ τοῖς εὐωνύμοις. Φίλιππος δὲ περικαταλαμβανόμενος τοῖς καιροῖς, δοὺς τὸ σύνθημα τοῖς ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ, καὶ παραγγείλας ἀντιπρώρους ποιεῖν τὰς ναῦς, καὶ συμπλέκεσθαι τοῖς πολεμίοις ἐρρωμένως, αὐτὸς ὑπὸ τὰς νησίδας ἀναχωρήσας μετὰ τῶν λέμβων τὰς μεταξὺ τοῦ πόρου κειμένας, ἀπεκαραδόκει τὸν κίνδυνον.
C ἦν δὲ τῶν μὲν τοῦ Φιλίππου νεῶν τὸ πλῆθος τὸ συγκαταστὰν εἰς τὸν ἀγῶνα, κατάφρακτοι τρεῖς καὶ πεντήκοντα, σὺν δὲ τούτοις ἄφρακτοι· λέμβοι δὲ σὺν ταῖς πρίστεσιν ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα. τὰς γὰρ ἐν τῇ Σάμῳ ναῦς οὐκ ἠδυνήθη καταρτίσαι πάσας. τὰ δὲ τῶν πολεμίων σκάφη, κατάφρακτα μὲν ἦν ἑξήκοντα καὶ πέντε σὺν τοῖς τῶν Βυζαντίων. μετὰ δὲ τούτων ἐννέα τριηρημιολίαι καὶ τριήρεις τρεῖς ὑπῆρχον. λαβούσης δὲ τὴν καταρχὴν τῆς ναυμαχίας ἐκ τῆς Ἀττάλου νεώς, εὐθέως πάντες οἱ σύνεγγυς ἀπαραγγέλτως συνέβαλλον ἀλλήλοις. Ἄτταλος μὲν οὖν συμπεσὼν ὀκτήρει, καὶ προεμβαλὼν ταύτῃ καιρίαν καὶ ὕφαλον πληγὴν, ἐπὶ πολὺ τῶν ἐπὶ τοῦ καταστρώματος ἀγωνισαμένων, τέλος ἐβύθισε τὴν
D ναῦν. ἡ δὲ τοῦ Φιλίππου δεκήρης, ναυαρχὶς οὖσα, παραλόγως ἐγένετο τοῖς ἐχθροῖς ὑποχείριος. ὑποπεσούσης γὰρ αὐτῇ τριηρημιολίας, ταύτῃ δοῦσα πληγὴν βιαίαν κατὰ μέσον τὸ κύτος ὑπὸ τὸν θρανίτην σκαλμὸν, ἐδέθη, τοῦ κυβερνήτου τὴν ὁρμὴν τῆς νεὼς οὐκέτι δυνηθέντος ἀναλαβεῖν· διὸ καὶ προσκρεμαμένου τοῦ πλοίου αὐτῆς, ἐδυσχρηστεῖτο, καὶ δυσκίνητος ἦν πρὸς πᾶν. ἐν ᾧ καιρῷ δύο πεντήρεις προσπεσοῦσαι καὶ τρώσαντες τὴν ναῦν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν, καὶ τὸ σκάφος καὶ τοὺς ἐπιβάτας τοὺς ἐν αὐτῷ διέφθειραν, ἐν οἷς ἦν καὶ Δημοκράτης ὁ τοῦ Φιλίππου ναύαρχος. κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν Διονυσόδωρος καὶ Δεινοκράτης ὄντες ἀδελφοὶ καὶ
E ναυαρχοῦντες παρ' Ἀττάλῳ, συμπεσόντες, ὁ μὲν ἑπτήρει τῶν πολεμίων, ὁ δ' ὀκτήρει, παραβόλως ἐχρήσαντο τῇ ναυμαχίᾳ· Δεινοκράτης μὲν πρὸς ὀκτήρη συμπεσὼν, αὐτὸς μὲν ἔξαλον ἔλαβε τὴν πληγὴν, ἀναστείρου τῆς νεὼς οὔσης, τὴν δὲ τῶν πολεμίων τρώσας ναῦν ὑπὸ τὰ βίσχα*, τὸ μὲν πρῶτον οὐκ ἐδύνατο χωρισθῆναι, καίπερ πολλάκις ἐπιβαλόμενος πρύμναν κρούειν. διὸ καὶ τῶν Μακεδόνων εὐψύχως ἀγωνιζομένων, εἰς τὸν ἔσχατον παρεγένετο κίνδυνον. Ἀττάλου δὲ ἐπιβοηθήσαντος αὐτῷ, καὶ διὰ τῆς εἰς τὴν πολεμίαν ναῦν ἐμβολῆς λύσαντος τὴν συμπλοκὴν τῶν σκαφῶν, ὁ μὲν Δεινοκράτης ἀπελύθη παραδόξως, οἱ δὲ τῆς πολεμίας νεὼς
F ἐπιβάται πάντες εὐψύχως διαγωνισάμενοι διεφθάρησαν. τὸ δὲ σκάφος ἔρημον ἀπολειφθὲν ὑποχείριον ἐγένετο τοῖς περὶ τὸν Ἄτταλον. ὁ δὲ Διονυσόδωρος μετὰ βίας ἐπιφερόμενος εἰς ἐμβολὴν, αὐτὸς μὲν ἥμαρτε τοῦ τρῶσαι, παραπεσὼν δὲ τοῖς πολεμίοις, ἀπέβαλε τὸν δεξιὸν ταρσὸν τῆς νεὼς, ὁμοῦ συρραγέντων καὶ τῶν πυργούχων. οὗ γενομένου περιέστησαν αὐτὸν πανταχόθεν οἱ πολέμιοι. κραυγῆς δὴ καὶ θορύβου γενομένου, τὸ μὲν λοιπὸν πλῆθος τῶν ἐπιβατῶν ἅμα τῷ σκάφει διεφθάρη, τρίτος δ' αὐτὸς ὁ Διονυσόδωρος ἀπενήξατο πρὸς τὴν ἐπιβοηθοῦσαν αὐτῷ τριηρημιολίαν. τῶν δὲ λοιπῶν νεῶν τὸ πλῆθος ὁ κίνδυνος ἐφάμιλλος ἦν. καθάπερ γὰρ

A ἐπλεόναζον οἱ παρὰ τοῦ Φιλίππου λέμβοι, καὶ τοσοῦτον ἀνέφερον οἱ περὶ τὸν Ἄτταλον τῷ τῶν καταφράκτων νεῶν πλήθει. καὶ τὰ μὲν περὶ τὸ δεξιὸν κέρας τοῦ Φιλίππου, τοιαύτην εἶχε τὴν διάθεσιν, ὥστ᾽ ἀκμὴν ἄκριτα μένειν τὰ ὅλα, πολὺ δὲ τὰς περὶ τὸν Ἄτταλον ἐπικυδεστέρας ἔχειν τὰς ἐλπίδας. οἱ δὲ Ῥόδιοι κατὰ μὲν τὰς ἀρχὰς εὐθέως ἐκ τῆς ἀναγωγῆς ἀπεσπάσθησαν τῶν πολεμίων, καθάπερ ἀρτίως εἶπα, τῷ δὲ ταχυναυτεῖν παρὰ πολὺ διαφέροντες τῶν ἐναντίων, συνῆψαν τοῖς ἐπὶ τῆς οὐραγίας Μακεδόσι, καὶ τὸ μὲν πρῶτον ὑποχωροῦσι τοῖς σκάφεσι κατὰ πρύμναν ἐπιφερόμενοι, τοὺς ταρσοὺς παρέλυον. ὡς δὲ οἱ μὲν παρὰ τοῦ Φιλίππου συνεπιστρέφειν ἤρξαντο, παραβοηθοῦντες τοῖς κινδυνεύουσι, τῶν δὲ Ῥοδίων οἱ

B καθυστεροῦντες ἐκ τῆς ἀναγωγῆς συνῆψαν τοῖς περὶ τὸν Θεοφιλίσκον, τότε κατὰ πρόσωπον ἀντιπρώρους τάξαντες τὰς ναῦς, ἀμφότεροι συνέβαλον εὐψύχως, ὁμοῦ ταῖς σάλπιγξι καὶ τῇ κραυγῇ παρακαλοῦντες ἀλλήλους. εἰ μὲν οὖν μὴ μεταξὺ τῶν καταφράκτων νεῶν ἔταξαν οἱ Μακεδόνες τοὺς λέμβους, ῥᾳδίαν ἂν καὶ σύντομον ἔλαβε κρίσιν ἡ ναυμαχία· νῦν δὲ ταῦτ᾽ ἐμπόδια πρὸς τὴν χρείαν τοῖς Ῥοδίοις ἐγίνετο κατὰ πολλοὺς τρόπους. μετὰ γὰρ τὸ κινηθῆναι τὴν ἐξ ἀρχῆς τάξιν ἐκ τῆς πρώτης συμβολῆς, πάντες ἦσαν ἀναμὶξ ἀλλήλοις· ὅθεν οὔτε διεκπλεῖν εὐχερῶς, οὔτε στρέφειν ἐδύναντο τὰς ναῦς, οὔτε καθόλου χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις προτερήμασιν,

C ἐμπιπτόντων αὐτοῖς τῶν λέμβων· ποτὲ μὲν εἰς τοὺς ταρσούς, ὥστε δυσχρηστεῖν ταῖς εἰρεσίαις· ποτὲ δὲ πάλιν εἰς τὰς πρῴρας· ἔστι δ᾽ ὅτε κατὰ πρύμναν, ὥστε παραποδίζεσθαι καὶ τὴν τῶν κυβερνητῶν καὶ τὴν τῶν ἐρετῶν χρείαν. κατὰ δὲ τὰς ἀντιπρώρους συμπτώσεις ἐποίουν τι τεχνικόν. αὐτοὶ μὲν γὰρ ἔμπρωρα τὰ σκάφη ποιοῦντες, ἐξάλους ἐλάμβανον τὰς πληγάς· τοῖς δὲ πολεμίοις ὕφαλα τὰ τραύματα διδόντες, ἀβοηθήτους ἐσκεύαζον τὰς πληγάς. σπανίως δ᾽ εἰς τοῦτο συγκατέβαινον· καθόλου γὰρ ἐξέκλινον τὰς συμπλοκάς, διὰ τὸ γενναίως ἀμύνεσθαι τοὺς Μακεδόνας ἀπὸ τῶν καταστρωμάτων ἐν ταῖς συστάδην γιγνομέναις μάχαις· τὸ δὲ πολὺ κατὰ μὲν τοὺς διέκπλους, παρασύροντες τῶν πολεμίων νεῶν τοὺς ταρσούς

D ἠχρείουν, μετὰ δὲ ταῦτα πάλιν ἐκπεριπλέοντες, καὶ τοῖς μὲν κατὰ πρύμναν ἐμβάλλοντες, τοῖς δὲ πλαγίοις καὶ στρεφομένοις ἀκμὴν προσπίπτοντες, οὓς μὲν ἐτίτρωσκον, οἷς δὲ παρέλυον ἀεί τι τῶν πρὸς τὴν χρείαν ἀναγκαίων. καὶ δὴ τῷ τοιούτῳ τρόπῳ μαχόμενοι, παμπληθεῖς τῶν πολεμίων ναῦς διέφθειραν. ἐπιφανέστατα δὲ ἐκινδύνευσαν τρεῖς πεντήρεις τῶν Ῥοδίων, ἥ τε ναυαρχὶς ἐφ᾽ ἧς ἔπλει Θεοφιλίσκος. μετὰ δὲ ταύτην, ἧς ἐτριηράρχει Φιλόστρατος· τρίτη δέ, ἣν ἐκυβέρνα μὲν Αὐτόλυκος, ἐπέπλει δὲ Νικόστρατος. ταύτης γὰρ ἐμβαλούσης εἰς πολεμίαν ναῦν, καὶ καταλιπούσης ἐν τῷ σκάφει τὸ ἔμβολον, συνέβη τὴν μὲν πληγεῖσαν, αὔτανδρον καταδῦναι. τοὺς δὲ περὶ τὸν Αὐτόλυκον, εἰσρεούσης

E εἰς τὴν ναῦν τῆς θαλάττης διὰ τῆς πρῴρας, κυκλωθέντας ὑπὸ τῶν πολεμίων, τὰς μὲν ἀρχὰς ἀγωνίζεσθαι γενναίως, τέλος δὲ τὸν μὲν Αὐτόλυκον ἐκπεσεῖν τρωθέντα μετὰ τῶν ὅπλων εἰς τὴν θάλατταν, τοὺς δὲ λοιποὺς ἐπιβάτας ἀποθανεῖν μαχομένους γενναίως. ἐν ᾧ καιρῷ Θεοφιλίσκος βοηθήσας μετὰ τριῶν πεντήρων, τὴν μὲν ναῦν οὐκ ἠδυνήθη σῶσαι, διὰ τὸ πλήρη θαλάττης εἶναι. δύο δὲ ναῦς πολεμίας τρώσας, τοὺς ἐπιβάτας ἐξέβαλε. ταχὺ δὲ περιχυθέντων αὐτῷ λέμβων πλειόνων, καὶ καταφράκτων νεῶν, τοὺς μὲν πλείστους ἀπέβαλε τῶν ἐπιβατῶν ἐπιφανῶς ἀγωνισαμένους· αὐτὸς δὲ τρία τραύματα λα-

F βών, καὶ παραβόλως τῇ τόλμῃ κινδυνεύσας, μόλις ἐξέσωσε τὴν ἰδίαν ναῦν, ἐπιβοηθήσαντος αὐτῷ Φιλοστράτου, καὶ συναναδεξαμένου τὸν ἐνεστῶτα κίνδυνον εὐψύχως. συνάψας δὲ τοῖς αὐτοῦ σκάφεσι πάλιν ἐξ ἄλλης ὁρμῆς, συνεπλέκετο τοῖς πολεμίοις, τῇ μὲν σωματικῇ δυνάμει παραλυόμενος ὑπὸ τῶν τραυμάτων, τῇ δὲ τῆς ψυχῆς γενναιότητι λαμπρότερος ὢν καὶ παραστατικώτερος ἢ πρόσθεν. συνέβη δὲ δύο γενέσθαι ναυμαχίας πολὺ διεστώσας ἀλλήλων· τὸ μὲν γὰρ δεξιὸν κέρας τοῦ Φιλίππου κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς πρόθεσιν, ἀεὶ τῆς γῆς ὀρεγόμενον, οὐ μακρὰν ἀπεῖχε τῆς Ἀσίας· τὸ δ᾽ εὐώνυμον, διὰ τὸ παραβοηθῆσαι τοῖς ἐπὶ τῆς οὐρα-

A γίας ἐξ ὑποστροφῆς, οὐ πολὺ τῆς Χίου ἀπέχον, συνεναυμάχει τοῖς Ῥοδίοις. ἀμὴν ἀλλὰ παρὰ πολὺ τοῦ δεξιοῦ κέρατος καταπροτεροῦντων τῶν περὶ τὸν Ἄτταλον, καὶ συνεγγιζόντων ἤδη πρὸς τὰς νησίδας, ὑφ᾽ αἷς ὁ Φίλιππος ὥρμει καραδοκῶν τὸ συμβησόμενον, συνιδὼν Ἄτταλος μίαν πεντήρη τῶν ἰδίων ἐκτὸς τοῦ κινδύνου τετρωμένην καὶ βαπτιζομένην ὑπὸ νεὼς πολεμίας, ὥρμησε παραβοηθήσων ταύτῃ μετὰ δύο τετρήρων. τοῦ δὲ πολεμίου σκάφους ἐγκλίναντος, καὶ ποιουμένου τὴν ἀποχώρησιν ὡς πρὸς τὴν γῆν, ἐπέκειτο φιλοτιμότερον, ἐγκρατὴς γενέσθαι σπουδάζων τῆς νεώς. ὁ δὲ Φίλιππος συνθεασάμενος ἀπεσπασμένον πολὺ τὸν Ἄτταλον ἀπὸ τῶν ἰδίων, παραλαβὼν τέτταρας πεντήρεις καὶ τρεῖς ἡμιο-

B λίας, ἔτι δὲ τῶν λέμβων τοὺς ἐγγὺς ὄντας, ὥρμησε, καὶ διακλείσας τὸν Ἄτταλον ἀπὸ τῶν οἰκείων νεῶν, ἠνάγκασε μετὰ μεγάλης ἀγωνίας εἰς τὴν γῆν ἐκβαλεῖν τὰ σκάφη. τούτου δὲ συμβάντος, αὐτὸς μὲν ὁ βασιλεὺς μετὰ τῶν πληρωμάτων εἰς τὰς Ἐρυθρὰς ἀπεχώρησε· τῶν δὲ πλοίων καὶ τῆς βασιλικῆς παρασκευῆς ἐγκρατὴς ὁ Φίλιππος ἐγένετο. καὶ γὰρ ἐποίησάν τι τεχνικὸν ἐν τούτοις τοῖς καιροῖς οἱ περὶ τὸν Ἄτταλον. τὰ γὰρ ἐπιφανέστατα τῆς βασιλικῆς παρασκευῆς ἐπὶ τὸ κατάστρωμα τῆς νεὼς ἐξέβαλον. ὅθεν οἱ πρῶτοι τῶν Μακεδόνων συνάψαντες, ἐν τοῖς λέμβοις συνθεασάμενοι ποτηρίων πλῆθος, καὶ πορφυρῶν ἱματίων, καὶ τῶν τούτοις παρεπομένων σκευῶν, ἀφέ-

C μενοι τοῦ διώκειν, ἀπένευσαν ἐπὶ τὴν τούτων ἁρπαγήν. διὸ συνέβη τὸν Ἄτταλον ἀσφαλῆ ποιήσασθαι τὴν ἀποχώρησιν εἰς τὰς Ἐρυθράς. Φίλιππος δὲ τοῖς μὲν ὅλοις ἐλαττώμενος παραπολὺ τῇ ναυμαχίᾳ, τῇ δὲ περιπετείᾳ τῇ κατὰ τὸν Ἄτταλον ἐπαρθεὶς ἐπανέπλει, καὶ πολὺς ἦν συναθροίζων τὰς σφετέρας ναῦς, καὶ παρακαλῶν τοὺς ἄνδρας εὐθαρσεῖς εἶναι, διότι νικῶσι τῇ ναυμαχίᾳ. καὶ γὰρ ὑπέδραμέ τις ἔννοια καὶ πιθανότης τοῖς ἀνθρώποις, ὡς ἀπολωλότος τοῦ Ἀττάλου, διὰ τὸ κατάγειν τοὺς περὶ τὸν Φίλιππον ἀναδεδεμένους τὴν βασιλικὴν ναῦν. ὁ δὲ Διονυσόδωρος ὑπονοήσας τὸ παρὰ τὸν αὐτοῦ βασιλέα γεγονός, ἤθροιζε τὰς οἰκείας ναῦς ἐξαίρων σύνθημα. ταχὺ δὲ συλλεχθεισῶν πρὸς αὐ-

D τόν, ἀπέπλει μετ᾽ ἀσφαλείας εἰς τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν ὅρμους. κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν οἱ πρὸς τοὺς Ῥοδίους ἀγωνιζόμενοι τῶν Μακεδόνων, πάλαι κακῶς πάσχοντες, ἐξέλυον αὑτοὺς ἐκ τοῦ κινδύνου, μετὰ προφάσεως κατὰ μέρη ποιούμενοι τὴν ἀποχώρησιν, ὡς τῶν οἰκείων σπεύδοντες ἐπικουρῆσαι ναυσίν. οἱ δὲ Ῥόδιοι τὰς μὲν ἀναδησάμενοι τῶν νεῶν, τὰς δὲ προδιαφθείραντες ταῖς ἐμβολαῖς, ἀπέπλευσαν εἰς τὴν Χίον. ἐφθάρησαν δὲ τοῦ μὲν Φιλίππου νῆες, ἐν μὲν τῇ πρὸς Ἄτταλον ναυμαχίᾳ δεκήρης, ἐννήρης, ἑπτήρης, ἑξήρης· τῶν δὲ λοιπῶν κατάφρακτοι μὲν δέκα, καὶ τριημιολίαι τρεῖς, λέμβοι δὲ πέντε καὶ εἴκοσι, καὶ τὰ τούτων πληρώματα. ἐν δὲ τῇ πρὸς Ῥοδίους διεφθάρησαν κατάφρακτοι μὲν δέκα, λέμβοι δὲ περὶ τετταράκον-

E τα τὸν ἀριθμόν· ἥλωσαν δὲ δύο τετρήρεις, καὶ λέμβοι σὺν τοῖς πληρώμασιν, ἑπτά. τῶν δὲ παρ᾽ Ἀττάλου κατέδυσαν τριημιολία μία, καὶ δύο πεντήρεις, καὶ τὸ τοῦ βασιλέως σκάφος. τῶν δὲ Ῥοδίων διεφθάρησαν μὲν δύο πεντήρεις καὶ τριήρεις, ἥλω δ᾽ οὐδέν. ἄνδρες δὲ τῶν μὲν Ῥοδίων ἀπέθανον εἰς ἑξήκοντα, τῶν δὲ παρὰ Ἀττάλου ὡς ἑβδομήκοντα, τῶν δὲ τοῦ Φιλίππου, Μακεδόνες μὲν εἰς τρισχιλίους, τῶν δὲ πληρωμάτων εἰς ἑξακισχιλίους. ἑάλωσαν δὲ ζωγρίᾳ, τῶν μὲν συμμάχων καὶ Μακεδόνων εἰς δισχιλίους, τῶν δ᾽ Αἰγυπτίων εἰς ἑπτακοσίους. καὶ τὸ μὲν τέλος τῆς περὶ Χίον ναυμαχίας τοιοῦτον συνέβη γενέσθαι. τῆς δὲ νίκης ὁ

F Φίλιππος ἀντεποιεῖτο κατὰ δύο προφάσεις, κατὰ μίαν μέν, ὅτι τὸν Ἄτταλον εἰς τὴν γῆν ἐκβαλὼν, ἐγκρατὴς τῆς νεὼς ἐγεγόνει. καθ᾽ ἑτέραν δέ, ὅτι καθορμισθεὶς ἐπὶ τὸ καλούμενον Ἀργεννον, ἐδόκει πεποιῆσθαι τὸν ὅρμον ἐπὶ τῶν ναυαγίων. ἀκόλουθα δὲ τούτοις ἔπραττε καὶ κατὰ τὴν ἑξῆς ἡμέραν, συνάγων τὰ ναυάγια, καὶ τῶν νεκρῶν ποιούμενος ἀναίρεσιν τῶν ἐπιγινωσκομένων, χάριν τοῦ συναύξειν τὴν προειρημένην φαντασίαν. ὅτι γὰρ οὐδ᾽ αὐτὸς ἐπέπειστο νικᾶν, ἐξήλεγξαν αὐτὸν οἵ τε Ῥόδιοι καὶ Διονυσόδωρος μετ᾽ ὀλίγον. κατὰ γὰρ τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν ἔτι περὶ ταῦτα γενομένου τοῦ βασιλέως, διαπεμψάμενοι πρὸς ἀλλήλους, ἐπέπλευσαν αὐτῷ, καὶ στήσαντες ἐν μετώπῳ τὰς

ναῦς, οὐδενὸς ἐπ' αὐτοὺς ἀνταναγομένου, πάλιν ἀπέπλευσαν εἰς τὴν Χίον. ὁ δὲ Φίλιππος οὐδέποτε τοσούτους ἄνδρας ἀπολωλεκὼς οὔτε κατὰ θάλατταν ἐν ἑνὶ καιρῷ, βαρέως μὲν ἔφερε τὸ γεγονός, καὶ τὸ πολὺ τῆς ὁρμῆς αὐτοῦ παρῃτεῖτο. πρὸς μέντοι γε τοὺς ἐκτὸς ἐπειρᾶτο κατὰ πάντα τρόπον ἐπικρύπτεσθαι τὴν αὐτοῦ διάληψιν, καίπερ οὐκ ἐώντων αὐτῶν τῶν πραγμάτων. χωρὶς γὰρ τῶν ἄλλων, καὶ τὰ μετὰ τὴν μάχην συμβαίνοντα πάντας ἐξέπληττε τοὺς θεωμένους. γενομένης γὰρ τοσαύτης φθορᾶς ἀνθρώπων, παρ' αὐτὸν μὲν τὸν καιρὸν πᾶς ὁ πόρος ἐπληρώθη νεκρῶν, αἵματος, ὅπλων, ναυαγίων. ταῖς δ' ἑξῆς ἡμέραις τοὺς αἰγιαλοὺς ἦν ἰδεῖν φύρδην σεσωρευμένους ἀναμὶξ πάντων τῶν προειρημένων, ἐξ ὧν οὐ μόνον αὐτός, ἀλλὰ καὶ πάντες οἱ Μακεδόνες εἰς διατροπὴν ἐνέπιπτον οὐ τὴν τυχοῦσαν. Θεοφιλίσκος δὲ μίαν ἡμέραν ἐπιβιώσας, καὶ τῇ πατρίδι γράψας ὑπὲρ τῆς κατὰ τὴν ναυμαχίαν, καὶ Κλεωναῖον ἡγεμόνα συστήσας ἀνθ' ἑαυτοῦ ταῖς δυνάμεσι, μετήλλαξε τὸν βίον ἐκ τῶν τραυμάτων. ἀνὴρ καὶ κατὰ τὸν κίνδυνον ἀγαθὸς γενόμενος, καὶ κατὰ τὴν προαίρεσιν μνήμης ἄξιος. μὴ γὰρ ἐκείνου τολμήσαντος προσεπιβαλεῖν τῷ Φιλίππῳ τὰς χεῖρας, πάντες ἂν καταπροεῖντο τοὺς καιρούς, δεδιότες τὴν τοῦ Φιλίππου τόλμαν. νῦν δ' ἐκεῖνος ἀρχὴν πολέμου ποιήσας, ἠνάγκασε μὲν τὴν αὐτοῦ πατρίδα συνεξαναστῆναι τοῖς καιροῖς, ἠνάγκασε δὲ τὸν Ἄτταλον μὴ μέλλειν, καὶ παρασκευάζεσθαι τὰ πρὸς τὸν πόλεμον, ἀλλὰ πολεμεῖν ἐρρωμένως, καὶ κινδυνεύειν. τοιγαροῦν εἰκότως αὐτὸν οἱ Ῥόδιοι καὶ μεταλλάξαντα τοιαύταις ἐτίμησαν τιμαῖς, δι' ὧν οὐ μόνον τοὺς ζῶντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐπιγενομένους ἐξεκαλέσαντο πρὸς τοὺς ὑπὲρ τῆς πατρίδος καιρούς. Id est, *Philippus autem quum in obsidione multa sibi adversari videret, hostes etiam cum multis constratis navibus haud procul in statione essent, animi pendebat, nec satis prospiciebat quid sibi potissimum in posterum faciendum foret. Quumque præsentia utrum vellet eligendi facultatem adimerent, tandem naves solvit præter hostium expectationem. Attalus enim & qui cum eo erant, sperabant eum perlaturum obsidionem, ob apparatum metallicorum. Curavit autem maxime subita profectione uti, propterea quod sibi persuasisset se locum occupaturum, & in posterum jam tuto pervehi secundum littus ad Samum usque posse. Opinio autem eum fefellit, quam præceperat. Attalus enim & Theophiliscus, ubi conspexerunt eum solvisse, statim in rem præsentem incubuerunt: fuit autem eorum profectio nullo ordine disposita, propterea quod confiderent (ut diximus) Philippum adhuc permanere in proposito: verumtamen usi summa remigum alacritate, impetum fecerunt: Attalus ipse in dextram partem hostium quæ ipsa præibat, Theophiliscus vero in sinistram. At Philippus videns se rei occasione impeditum & repente oppressum, dato pugnæ signo his qui dextra parte erant, pronuncians que ut adversas naves opponerent, & cum hostibus acerrime congrederentur, ipse cum levibus navigiis in parvas insulas se recepit, quæ in medio cursu erant: ibique navalis prælii eventum expectabat. Erat autem numerus navium earum quæ cum Philippo erant, prælio aptarum, constratarum ad tres & quinquaginta, & cum his minora apertaque navigia: lembi vero cum pistribus centum quinquaginta: eas enim naves quæ Sami erant, non potuit omnes instruere. Hostium autem naves erunt, constratæ quidem sexagintaquinque cum Byzantinis: cum his præterea novem triremioliæ, triremesque tres adstiterant: factoq; pugnæ navalis initio ab Attali nave, continuo omnes quæ propius aderant, nulla egentes cohortatione inter se concurrerunt. Attalus quidem impetum faciens in octerem, inferensque ei vulnus grave, quaque aquam reciperet: quumque diutius hi qui in catastromate erant, propugnarent, tandem navem ipsam depressit. At Philippi deceres quæ princeps erat, in hostium potestatem redacta est, idque casu inopinato. Nam quum in ipsam concurret triremio-*

A *lia, hanc ictu gravi, ad medium ventrem, post eam partem qua thranites scalmus collocari solet, sauciavit: eique continebatur, gubernatore non amplius valente retinere navis impetum. Quare quum navis ei adhæresceret, valde impedita erat: nec ullo pacto regi flectique poterat. Quo tempore duæ quinqueremes impetu facto duabus ex partibus, eam convulnerarunt, navemque ipsam cum propugnatoribus depresserunt, & in iis Democratem, qui Philippi nauarchus erat. Per id etiam tempus Dionysodorus & Dinocrates, qui fratres & sub Attalo nauarchi erant, impetum facientes, hic quidem in hepterem hostium, alter vero in octerem: casu decertandi* B *admirabili usi sunt: Dinocrates quidem in octerem concursu facto, ipse vulnus accepit paulo supra aquam, quum navis ipsa sine stira esset: convulnerata autem ab se nave hostium ad eam partem, qua mari demergitur, initio quidem non potuit ab ea se expedire, etiamsi non semel conatus sit inhibere. Quare quum Macedones fortissime sese defenderent, extremum fere periculum adiit. Attalo autem illi ferente auxilium, facto in hostilem navem impetu, solventeque naves quæ inter se adhæserant, Dinocrates quidem sic insperato liberatus est: omnes autem hostilis navis propugnatores fortissime dimicantes concisi sunt. Navis autem ipsa a propugnatoribus nuda re-*C *licta, in Attali potestatem redacta est. At Dionysodorus quum magna vi incitaretur ad confligendum, ipse quidem vulnus inferre non potuit: prætervectus autem per medios hostes, dextrum navis suæ remigium amisit, simul confractis lignis quæ turres sustinere solent. Actis his rebus, circumsteterunt eum undiquaque hostes: & clamore facto, excitatoque tumultu, reliqua quidem turba propugnatorum simul cum nave periit: ipse autem Dionysodorus cum duobus comitibus, ad triremioliam, quæ in auxilium veniebat, adnatavit. Periculum autem reliquarum navium* D *utrinque par erat: ut enim numero superabant Philippi lembi, sic Attalus multitudine navium constratarum præstabat. Et sic gerebantur ea quæ ad dextrum Philippi cornu erant, ut neutram in partem inclinata esset victoria: Attalus tamen niteretur meliore in posterum spe. Rhodii autem initio profectionis sese ab hostibus segregarunt, & ut modo dicebam, celeritate navium quum multo præstantiores essent inimicis, conflixerunt cum Macedonibus qui in extrema acie erant, primumque navibus in fugam conversis, a tergo & puppi impetu facto, remos earum deterserunt. Ut autem qui cum Philippo e-*E *rant, cœperunt illuc consistere, auxilium ferentes periclitantibus: Rhodiorum vero qui postremi erant, convenerunt cum Theophilisco: tunc dispositis in aciem utrinque adversis navibus conflixerunt summa alacritate, sese invicem clamore tubisque cohortantes. Quod si Macedones inter constratas naves lembos minime collocassent, navalis prælii certamen celerem facilemque exitum habuisset. Sed ii lembi omnem usum Rhodiis navibus ademerunt, idque multis modis: ubi enim primum utrorumque conflictu ordines commoti sunt, omnes inter se commixti erant: unde neque facile enavigare, neque naves flectere pote-* F *rant, neque omnino uti iis rebus quibus superiores erant: incidentibus in eas lembis, alias quidem ad remigium, ut non facile juvari possent opera remigum: alias autem in proras: interdum etiam ad puppim, ut gubernatorum remigumque ministerium impediretur. In oppositis vero conflictibus nonnihil ex arte commenti sunt: ipsi enim inclinatis navibus in proram, extra aquam vulnera accipiebant: hostium vero naves intra aquam perforabant, quibus nulla arte mederi quis posset: raro autem id eveniebat: magnam enim partem concursum vitabant: propterea quod Macedones fortiter propugnarent e catastromate in præliis quæ cominus fierent. Sæpius tamen præternavigando de-*

tergentes hostium remos, inhabiles reddebant, moxque circumcurrentes, in eosque qui ad puppim erant impetu facto, obliquis autem & flectentibus irruentes, alios quidem convulnerabant, aliis autem armamenta auferebant: & jam tali ratione decertantes, magnum numerum hostilium navium depresserant. Celeberrimæ autem in periculo versatæ sunt tres quinqueremes Rhodiorum: prætoria ipsa qua vehebatur Theophiliscus: post hanc autem ea cui præerat Philostratus: tertia vero quam regebat Autolycus, ea autem vehebatur Nicostratus: hac enim impetum faciente in hostilem navem, relictoque in nave hostium suæ navis rostro, evenit ut navis percussa cum ipsis hominibus deprimeretur: eos autem qui cum Autolyco erant, quum per proram aqua subintraret, circunventos ab hostibus, initio quidem generose decertare: tandem vero ipsum Autolycum saucium cum armis decidere in mare: reliquos autem propugnatores animose pugnando occumbere. Quo quidem tempore Theophiliscus auxilio adveniens cum tribus quinqueremibus, navem ipsam servare non potuit: eo quod aqua jam oppleta esset: convulneratis autem duabus hostium navibus, quarum propugnatores præcipites dedit: statim circumfusis in eum lembis pluribus, constratisque navibus, magnam partem propugnatorum amisit egregie decertantium. Ipse vero acceptis tribus vulneribus, quod audacius in periculum rueret, vix propriam navem servare potuit, ferente illi auxilium Philostrato, suscipienteque in se præsens periculum summa animi alacritate. Ubi vero se cum suis navibus conjunxit, iterum recenti impetu cum hostibus conflixit: viribus quidem corporis defectus, propter vulnera: animi autem robore clarior constantiorque quam antea visus est. Contigit autem duo fuisse navalia prælia multum inter se distantia. Siquidem dextrum Philippi cornu, ut initio decreverat, semper littus appetens legensque, nusquam discessit longe ab Asia: sinistrum vero, quod auxilium tulisset his qui in extrema acie erant, decertabat cum Rhodiis, quum non multum abesset a Chio. Veruntamen quum Attalus ipse cum suis dextrum Philippi cornu superasse præclare videretur, ipseque Attalus jam appropinquaret insulis, ad quas Philippus stationem obtinebat expectans rei eventum, conspicatus Attalus quinqueremem suorum unam extra periculum vulneratam demergi ab hostili nave, festinavit auxilium laturus illuc proficisci cum duabus quadriremibus. Hostili autem nave declinante, seque tanquam ad terram recipiente, promptius instabat, cupiens navem in suam potestatem redigere. Quod ubi Philippus conspexit, audaciusque pergere longe a suis Attalum vidit, sumptis secum quatuor quinqueremibus, tribusque hemioliis, lembisque præterea qui propius erant, properavit, sperans, quod evenit, intercipi posse: eumque compulit cum magna animi anxietate ad proximum littus naves ejicere: ibique navi relicta, rex ipse cum sociis navalibus, pedibus Erythras profugit: Philippus autem navigiorum compos factus est, supellectilique regiæ. Siquidem ii qui cum Attalo erant, in tali periculo quiddam ex arte militari commenti sunt: lautissima enim quæque ex supellectile regia in catastromate & foris navis exposuerunt: unde primi Macedonum ubi ad lembos appulerunt, conspecta in lembis poculorum multitudine, vesteque purpurea, instrumentisque quæ ejus causa parari solent, misso persequendi studio, in horum prædam conversi sunt: quare factum est ut Attalus in Erythrarum portum tuto sese reciperet. At Philippus quum in universum toto navali prælio inferior fuisset, tamen elatus casu Attali, regressus est, magnoque studio suis conquisitis, navibusque in unum collectis, cohortabatur suos ut bono animo essent, quandoquidem vicissent navali prælio: etenim subierat cogitatio, & ea opinio homines invaserat, tanquam Attalus ipse in fuga occubuisset, propterea quod reverteretur Philippus cum suis, capta religataque regia nave. At Dionysodorus conjectans id quod regi suo acciderat, sublato signo suas naves convocavit: quibus statim ad se collectis, tuto se recepit in portus Asiaticos. Sub idem tempus Macedones qui adversus Rhodios decertabant, jamdiu male mulctati se a periculo liberarunt: singulæ enim naves sese recipiebant per causam subveniendi suis laborantibus. Rhodii vero quum navium partem religassent, partem autem rostris perforassent, se in Chiorum portum receperunt. Interiere autem Philippi quidem in prælio navali, quod cum Attalo gestum est, deceres, enneres, hepteres, hexeres: reliquarum autem constratæ decem, tresque triremioliæ: lembi vero vigintiquinque cum sociis navalibus: in prælio autem adversus Rhodios gesto depressæ sunt constratæ decem: lembi ad quadraginta. Captæ sunt autem duæ quadriremes, septemque lembi cum sociis navalibus. Earum vero quæ cum Attalo erant, depresserunt unam triremioliam, duasque quinqueremes, & regium navigium: Rhodiorum autem interiere duæ quinqueremes & triremes: nihil vero captum fuit: homines autem occubuere, Rhodiorum quidem ad sexaginta: at eorum qui sub Attalo, circiter septuaginta: qui sub Philippo autem Macedonum, ad tria millia: sociorum præterea navalium, ad sex millia: vivi capti sunt Macedonum & sociorum ad duo millia: Ægyptiorum autem, ad septingentos. Talis quidem exitus navalis prælii ad Chium fuit. Philippus autem victoriam sibi vendicabat duabus potissimum de causis: prima, quod Attalum in terram ejicere coegisset, & navis regia in suam venisset potestatem: altera, quod stationem in loco, qui Argennon vocatur, habuisset inter hostium naufragia. Postridie quoque se gessit ut victor, collectis reliquiis naufragii, sublatisque & receptis cadaveribus eorum qui agnosci poterant, ut eam opinionem maxime confirmaret. Rhodii namque & Dionysodorus haud ita multo post ab eodem expresserunt, ut nec ipse quidem se victorem existimarent. Postridie enim rege adhuc circa hæc occupato, certiores invicem facti, vela duxerunt in ipsum: collocatisque in fronte navibus, nemine contra eos prodire auso, retro abiere ad Chium. At Philippus, qui nunquam antea eodem tempore ne in mari quidem, tot talesque viros amisisset, casum quidem graviter ferebat, animumque jam propemodum desponderat: ad exteros tamen occultare sensa mentis omni studio conabatur, etiamsi res ipsæ non satis id ferre patique viderentur. Nam præter alia multa, ea ipsa quæ in prælio acciderant, omnes qui aderant, in timorem conjecerant. Facta enim tanta hominum strage, eo ipso tempore totus locus, in quo dimicatum est, oppletus est cadaveribus, sanguine, armis, naufragiis, & armamentis. Diebus autem qui proxime secuti sunt, videre erat littora referta omnibus iis rebus quas retulimus, confuse acervatimque congestis. Ob quæ factum est ut non solum ipse, sed & omnes Macedones in gravem animi defectionem inciderint. Theophiliscus autem quum unum diem supervixisset, patriæque scripsisset de casu navalis prælii, suffecto Clæonæo in sui locum & exercitui præfecto, vitam cum morte commutavit, ob vulnera quæ acceperat: vir qui in ipso periculo se egregium præstitit, & consilii providentia dignus fuit cujus memoria celebretur. Nisi enim ille antevertisset impetum facere in Philippum, omnes quidem alii occasionem rei bene gerendæ omisissent, perterriti Philippi audacia. Sed ille facto prælii initio, cives coegit temporis occasionem sequi: coegit & Attalum bellum non ducere, tempusque minime terere in apparatu rerum ad bellum pertinentium: sed acerrime decertare, periculumque præsens subire. Quocirca merito ipsum Rhodii fato functum, talibus honoribus prosecuti sunt, quibus non so-

lum vivos & præsentes, sed etiam posteros provocarent ad fortiter subeunda pro patria pericula. Hactenus Polybius, cujus verbis facile quis videat genera fere omnia navium, quæ ad belli usum comparabantur. Quibus etiam solebant imponere turres ad libram, quæ ob id dictæ turritæ a Virgilio: idque non solum ad proram, sed etiam ad puppim. Appianus *de Bellis Civilibus*: Καὶ πύργους ἐπὶ τῶν νεῶν εἶχον κατά τε πρῶραν καὶ κατὰ πρύμναν. Id est, *Et turres in navibus habebant & ad proram & ad puppim.* Plinius *libro* trigesimo secundo, ubi de echeneide: Sed armatæ classes imponunt sibi turrium propugnacula: ut in mari quoque pugnetur velut e muris. Cæsar libro tertio *de Bello Civili*: Atque alteram navem, quæ erat ad custodiam ab Acilio posita, pluribus aggressus navibus, in quibus ad libram fecerat turres. Virgilius in octavo:

Una omnes ruere, ac totum spumare reductis
Convulsum remis, rostrisque stridentibus, æquor.
Alta petunt: pelago credas innare revulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:
Tanta mole viri turritis puppibus instant.

Turres autem habuisse Antonianos in pugna illa navali, quæ ad Actium facta est cum Cæsarianis, liquet ex Dione: cujus verba, quoniam nondum omnibus edita sunt, ipse adscribam. Fusius enim quam quivis alius eorum qui extant authorum, ea de re scripsisse videtur: ut ipse Virgilius nihil poetarum more aut ὑπερβολικῶς de illa pugna finxisse videatur: ejus autem verba sunt hæc: Ἀγχωμάλου δὲ ἐπὶ πολὺ τῆς ναυμαχίας οὔσης, καὶ μηδετέρων ὑπερέχειν πῃ δυναμένων, τέλος τοιόνδε τι ἐγένετο. ἡ Κλεοπάτρα κατόπιν τῶν μαχομένων ἀποσαλεύουσα, οὐκ ἤνεγκε τὴν πολλὴν καὶ ἄκριτον τοῦ ἀδήλου μέλλησιν. ἀλλ' ἀποκναισθεῖσα ἀπό τε τοῦ γυναικείου καὶ ἀπὸ τοῦ Αἰγυπτίου, τῇ τε ἐπὶ πολὺ μετεώρῳ ἀγωνίᾳ, καὶ τῇ ἀεὶ ἐφ' ἑκάτερα περιδεεῖ προσδοκίᾳ, αὐτή τε ἐς φυγὴν ἐξαπιναίως ὥρμησε, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ὑπηκόοις σημεῖον ἦρε. καὶ οὕτω τά τε ἱστία αὐτῶν εὐθὺς ἀραμένων, καὶ ἐς τὸ πέλαγος ἀφέντων, ἀνέμου τινὸς κατὰ τύχην φοβεροῦ συμβάντος, νομίσας ὁ Ἀντώνιος οὐχ ὑπὸ τῆς Κλεοπάτρας αὐτοὺς ἐκ παραγγέλσεως, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ δέους, ὡς καὶ νενικημένους, φεύγειν, ἐφέπετο σφίσιν. γενομένου δὲ τούτου καὶ οἱ λοιποὶ στρατιῶται καὶ ἠθύμησαν καὶ ἐταράχθησαν, καί πως ἀποδρᾶναι καὶ αὐτοὶ τρόπον τινὰ ἐθελήσαντες, οἱ μὲν τὰ ἱστία ἤγειρον, οἱ δὲ τούς τε πύργους καὶ τὰ ἔπιπλα ἐς τὴν θάλασσαν ἐρρίπτουν, ὅπως κουφίσαντες διαφύγωσι. καὶ αὐτοῖς περὶ ταῦτα ἔχουσιν οἱ ἐναντίοι προσπεσόντες (τοὺς γὰρ φεύγοντας, καὶ αὐτοὶ ἄνευ ἱστίων ὄντες, καὶ πρὸς τὴν ναυμαχίαν μόνην παρεσκευασμένοι, οὐκ ἐπεδίωξαν) πολλοί τε ἑκάστῃ νηὶ καὶ ἕκαθεν καὶ ἐν χρῷ ἐμαχέσαντο. ὥστε καὶ ποικιλώτατον καὶ ὀξύτατον ἐπ' ἀμφοτέρων ὁμοίως τὸν ἀγῶνα γενέσθαι. οἱ μὲν γὰρ τά τε κάτω τῶν νεῶν πάντα πέριξ ἐκακούργουν, καὶ τὰς κώπας συνέθραυον, τά τε πηδάλια ἀπήραττον· καὶ ἐπαναβαίνοντες ἐπὶ τὰ καταστρώματα, τοὺς μὲν κατέσπων ἀντιλαμβανόμενοι, τοὺς δὲ ἐώθουν, τοῖς δὲ ἐμάχοντο, ἅτε καὶ ἰσοπληθεῖς αὐτοῖς ἤδη ὄντες. οἱ δὲ τοῖς τε κοντοῖς σφᾶς διωθοῦντο, καὶ ταῖς ἀξίναις ἔκοπτον, πέτρας τε καὶ ἄλλους τινὰς ὄγκους ἐπ' αὐτὸ τοῦτο παρεσκευασμένους ἐπικατέβαλλον· καὶ τούς τε ἀναβαίνοντας ἀπεκρούοντο, καὶ τοῖς εἰς χεῖρας ἰοῦσι συνεφέροντο. εἴκασεν ἄν τις ἰδὼν τὰ γιγνόμενα, ὡς μικρὰ μεγάλοις ὁμοιῶσαι, τείχεσί τισιν, ἢ καὶ νήσοις πολλαῖς καὶ πυκναῖς ἐν θαλάσσῃ πολιορκουμέναις. οὕτως οἱ μὲν ἐπιβῆναί τε σκαφῶν, ὥσπερ ἐπ' ἠπείρου καὶ ἐρύματός τινος, ἐπειρῶντο, καὶ πάντα τὰ ἐς τοῦτο φέροντα σπουδῇ προσῆγον. οἱ δὲ ἀπεωθοῦντο αὐτούς, ὅ, τί ποτε ἐν τῷ τοιούτῳ φιλεῖ δρᾶσθαι, μηχανώμενοι. ἀντιπάλως δὲ αὐτῶν μαχομένων, ὁ Καῖσαρ ἀπορήσας ὅ, τι πράξῃ, πῦρ ἐκ τοῦ στρατοπέδου μετεπέμψατο. πρότερον μὲν γὰρ οὐκ ἠθέλησεν αὐτῷ, ὅπως τὰ χρήματα περιποιήσηται, χρήσασθαι. τότε δὲ ἰδὼν ὅτι ἀδύνατόν οἱ εἴη ἄλλως προσκρατῆσαι, ἐπ' ἐκεῖνο, ὡς καὶ μόνον σφίσιν ἐπικουρῆσον, κατέφυγε. κἀνταῦθα ἄλλο αὖ εἶδος μάχης συνηνέχθη. οἱ μὲν γὰρ πολλαχῇ ἅμα προσπλέοντές τισι, βέλη τε πυρφόρα ἐπ' αὐτοὺς ἐξετόξευον, καὶ λαμπάδας ἐκ χειρὸς ἐπηκόντιζον, καί τινας καὶ χυτρίδας ἀνθράκων καὶ πίττης πλήρεις πόρρωθεν μηχαναῖς ἐπερρίπτουν. οἱ δὲ ταῦτά τε ὡς ἕκαστα διεκρούοντο, καὶ ἐπειδή τινα αὐτῶν διεκπίπτοντα τῶν ξύλων ἥπτετο, καὶ φλόγα αὐτίκα πολλήν, ἅτε ἐν νηί, ἤγειρε. τὸ μὲν πρῶτον τῷ ποτίμῳ ὕδατι, ὃ ἐπεφέροντο, ἐχρῶντο, καί τινα κατέσβεσαν. ἐπεὶ δὲ ἐκεῖνο καταναλώθη, ἤντλουν τὸ θαλάττιον. καὶ εἰ μὲν πολλῷ τε καὶ ἀθρόῳ αὐτῷ ἐχρῶντο, ἐπεῖχόν πως τῇ βίᾳ τὸ πῦρ. ἀδύνατοι δὲ πανταχῇ τοῦτο ποιεῖν ὄντες, (οὔτε γὰρ πολλὰ ἢ καὶ μεγάλα τὰ ἀντλητήρια εἶχον, καὶ ἡμίσεα αὐτά, ἅτε ταραττόμενοι, ἀνέφερον) οὐχ ὅσον οὐκ ὠφέλουν τι, ἀλλὰ καὶ προσπαρώξυνον αὐτό. ἡ γὰρ ἅλμη ἡ θαλαττία ἂν κατ' ὀλίγον ἐπιχέηται φλογί, ἰσχυρῶς αὐτὴν ἐκκαίει. ὡς οὖν καὶ ἐν τούτῳ ἥττους ἐγίγνοντο, τά τε ἱμάτια αὐτῶν τὰ παχέα καὶ τοὺς νεκροὺς ἐπέβαλλον· καὶ χρόνον μέν τινα ἐκολούθη τε ὑπ' αὐτῶν τὸ πῦρ, καὶ ἔδοξέ πῃ λωφᾶν· ἔπειτα δὲ ἄλλως τε καὶ τοῦ ἀνέμου σφοδρῶς ἐπισπέρξαντος, ἐπὶ πλεῖον ἐξέλαμπεν, ἅτε καὶ ὑπ' αὐτῶν ἐκείνων αὐξανόμενον. καὶ μέχρι μὲν μέρος τι νεὼς ἐκαίετο, προσίσταντό τέ τινες αὐτῷ, καὶ ἐς αὐτὸ ἐσεπήδων, καὶ τὰ μὲν ἐπέκοπτον, τὰ δὲ διεφόρουν, καὶ αὐτὰ οἱ μέν τοι ἐς τὴν θάλασσαν, οἱ δὲ καὶ ἐπὶ τοὺς ἐναντίους ἐρρίπτουν, εἴπως καὶ ἐκείνους τι λυμήναιντο· καὶ ἕτεροι πρὸς τὸ ἀεὶ ὑγιὲς αὐτῆς μεθιστάμενοι, ταῖς τε χερσὶ ταῖς σιδηραῖς καὶ τοῖς δόρασι τοῖς μακροῖς τότε δὴ καὶ τὰ μάλιστα ἐχρῶντο, ὅπως τινὰ ἀντίπαλον ναῦν προσαρτήσαντες σφίσι, μάλιστα μὲν προσεκβῶσιν ἐς αὐτήν, εἰ δὲ μή, καὶ ἐκείνην καταφλέξωσιν. ὡς δ' οὔτινες ἐπέλαζον σφίσιν, αὐτὸ τοῦτο φυλασσόμενοι, καὶ τὸ πῦρ τούς τε τοίχους πέριξ ἐπενέμετο, καὶ ἐς τὸ ἔδαφος κατῄει, ἐνταῦθα τὰ δεινότατα αὐτοῖς ἐπεγένετο. οἱ μὲν γὰρ ὑπὸ τοῦ καπνοῦ, καὶ μάλιστα οἱ ναῦται, πρὶν καὶ πλησιάσαι σφίσι τὴν φλόγα, ἐφθείροντο· οἱ δὲ καὶ ἐν αὐτῇ μέσῃ, ὥσπερ ἐν καμίνῳ, ὠπτῶντο. ἄλλοι πρίν τι τοιοῦτον παθεῖν, ἢ καὶ ἡμίκαυτοι, οἱ μὲν ἀπορρίπτοντες τὰ ὅπλα, ἐτιτρώσκοντο ὑπὸ τῶν πόρρωθεν βαλλόντων. οἱ δέ, ἐς τὴν θάλασσαν ἐκπηδῶντες, ἀπεπνίγοντο· ἢ καὶ παιόμενοι ὑπὸ τῶν ἐναντίων ἐβαπτίζοντο· ἢ καὶ ὑπὸ θηρίων ἐσπαράττοντο. μόνοι τε ἀνεκτῶς, ὡς ἐν τοιούτοις παθήμασιν, ἀπήλλαξαν ὅσοι πρίν τινι αὐτῶν συνενεχθῆναι, οἱ μὲν ἀλλήλους, οἱ δὲ καὶ αὑτοὺς ἀπέκτειναν, οὔτε κολαστήριόν τι ὑπέμειναν. καὶ νεκροί, ὥσπερ ἐν πυρᾷ, ταῖς ναυσὶ συγκατεκαύθησαν. ὁρῶντες δὲ ταῦτα οἱ Καισάρειοι, πρότερον μὲν ὡς ἔτι ἀμύνεσθαί τινες αὐτῶν ἐδύναντο, οὐ προσέμισγον σφίσιν. ἐπεὶ δὲ τὰ σκάφη τὸ πῦρ συνῄρει, καὶ οἱ ἄνθρωποι οὐδὲ ἑαυτοῖς βοηθῆσαι ἔτι, μὴ ὅτι πολέμιόν τινα λυπῆσαί τι ἐδύναντο, σπουδῇ τε προσέπλεον αὐτοῖς, εἴπως τὰ χρήματα περιποιήσαιντο, καὶ κατασβεννύναι τὸ πῦρ, ὃ αὐτοὶ παρεσκεύασαν, ἐπειρῶντο. κἀκ τούτου συχνοὶ καὶ ἐκείνων καὶ ὑπὸ τῆς φλογὸς καὶ ὑπὸ τῶν ἀρμάτων, αὐταῖς τελέως ναυσὶ συναπώλοντο. Id est, *Quum igitur diutius navali certamine pari Marte decertarent, neutrique superiores adhuc esse possent, hujusce modi prælii exitus subsecutus est. Cleopatra quæ a tergo pugnantium procul in salo erat, longiorem non tulit & incertum rerum eventum: sed cum muliebri natura usa, tum etiam ingenio Ægyptiaco prædita, permotaque diuturna suspensi animi anxietate, perpetua etiam in alterutram partem formidolosa expectatione, ipsa sese ex improviso in fugam conjecit, cæteris qui sub se erant, signo fugæ sublato. Itaque ipsi vela statim in altum dederunt, casu oborto eo tempore sævo vento. Ratus autem Antonius eos timore perterritos, eo quod victi essent fugere, minime vero id Cleopatram pronuntiasse, eos subsequebatur. Quo facto & reliqui milites summa cum trepidatione animos desponderunt: & alioqui cupientes illinc, siqua possent, effugere, eorum partim vela pandere, partim turres ipsas cum armamentis in mare projicere cœperunt, quo levatis navibus facile effugere liceret: in quos ad hæc intentos adversarii impetu facto (neque enim fugientes persecuti sunt, propterea quod ipsi sine velis essent, utpote tantum instructi ad navalem*

pugnam quæ stataria esset) multi singulis navibus se objiciebant, eminus cominusque decertantes: ut anceps dubiumque utrisque ex æquo certamen fuerit: isti enim inferiorem navium partem convulnerabant, remosque defringebant, gubernacula quoque ipsa lacerabant: conscendentesque foros, alios quidem hostium abstrahebant, alios deturbabant: cum aliis & manus conserebant, jam pares numero cum illis facti. Illi vero contis eos præcipites ejiciebant, securibusque concidebant: petras quoque & alia quædam graviora pondera in hunc usum parata, e superiore loco dejiciebant, subeuntesque deturbabant, manusque conserebant cum iis qui jam ad summum navis evaserant. Qui rebus talibus gerendis interfuisset, haud absimilia esse duxisset ea (ut parva magnis componamus) muris quibusdam, aut etiam insulis multis & frequentibus, quæ in mari oppugnarentur: usque adeo isti quidem naves transcendere conabantur, ceu arcem quandam quæ in continenti esset: omniaque quæ ad oppugnandos muros facere videntur, admovebant: illi autem quacunque poterant ratione, & ut in talibus fieri solet, eos propellebant. Quum itaque diutius pari marte dimicarent, Cæsar dubius quid sibi agendum foret, jussit e castris sibi ignem comportari. Neque enim antea eo uti voluerat, sibi suisque prædam servare cupiens. Tunc autem prospiciens aliter victoriam se consequi non posse, ad illud tanquam extremum auxilium descendit. Ibi vero genus aliud pugnæ videre erat. Isti enim simul undecunque adnavigantes, in adversarios tela ignita conjiciebant, facesque ardentes emittebant: complures ollas etiam carbone piceque refertas eminus machinis jaculabantur. Illi autem, ut singula quæque poterant, detrudebant: at ubi ea tela in materiam & ligna inciderant, flammamque multam, utpote in navi, excitaverant, primum quidem ad ea extinguenda aqua dulci, quam potus gratia comportabant, utebantur, nonnullaque ea ratione extinxerunt: ubi vero illa consumpta est, hauriebant aquam marinam: & qua ea multa & abundanti usi sunt, ignem aquæ vi cohibuerunt. Quum autem non possent ubique id præstare: neque enim multa, neque ea ipsa ingentia habebant instrumenta ad aquam hauriendam: vasaque adeo ipsa propter trepidationem semiplena hauriebant: quare non solum nihil proficiebant, sed ignes præterea irritabant. Aqua enim salsa maris, si sensim in flammam infundatur, vehementer ipsam excitat. Postquam igitur & hac in re inferiores se vident, vestem multam quæ crassior habebatur, ipsaque adeo suorum cadavera in ignem injiciebant: & eo modo per aliquod tempus ab his ignis probibitus est, visusque remitti: postea vero ingruente sævissimo vento, in majus resplenduit, tanquam ab iis ipsis excitatus. Et interea dum pars aliqua navis conflagrabat, nonnulli eorum propius ad ignem accedentes, in ipsum insiliebant: armamentaque ipsa & navis instrumenta alii conscindebant, alii deferebant, ut conjicerent partim in mare, partim in ipsos hostes, siquo pacto illis nocere possent. Nonnulli autem secedentes ad eam navis partem quæ vacua ab incendio erat, manus ferreas hastasque longas, si quando alias, expediebant: ut adversariorum navem aliquam arripere, ad seque alligare & copulare possent, & in eam sese dejicere: quod si id negaretur, illam saltem simul incenderent. Ubi vero vident nullos ad se appropinquare (id enim summa ratione cavebant) ignem autem jam utraque latera devorasse, in fundumque navis pervasisse: hic exempla gravissima ab ipsis edita sunt. Aliqui enim eorum, præcipueque nautæ, ab ipso fumo, prius quam flamma circunvenirentur, suffocabantur: alii in ipsa media flamma, ceu in fornace, comburebantur: alii autem prius quam id paterentur, semiustulati, abjectis armis sauciabantur ab eminus ferientibus: alii in mare sese præcipitantes, submergebantur: alii ab ipsis hostibus oppressi demergebantur: vel etiam ab ipsis belluis marinis dilaniabantur. Soli tolerabili casu (ut in tali fato) occubuere, quibus datum est ut ante quam tale quidpiam paterentur, sese mutuis vulneribus confoderent, aut sibi ipsi mortem animo præsenti, nullum alium perpessi cruciatum, adferrent: quorum cadavera in ipsis ardentibus navibus, tanquam in rogo, combusta sunt. Quæ quum viderent Cæsariani, antea quidem, quandiu aliqui eorum se defendere potuerunt, propius accedere verebantur: ubi vero ignis jam fere naves ipsas consumpserat, ipsique Antoniani neque sibi præsidio esse, nedum quicquam molestiæ adversariis inferre poterant: tunc magno studio summaque alacritate ad eos adnavigabant: si quo pacto prædam servare, ipsumque ignem extinguere, quem ipsi intulerant, possent: unde & multi eorum ab ipsa flamma circumventi, ipsisque ardentibus tabulis & armamentis, cum suis navibus prorsus interiere. Hæc in gratiam eorum, qui non satis Græca intelligunt, vertimus fere ad verbum. Quare non est cur doctiores de hac nostra subita dictione vel conquerantur, vel judicium faciant. Nam præterquam quod Dionis dictio nunquam mihi placuit, mihi ipse nunquam magis displicui, quam in hoc loco vertendo. Dionis scripta quæ extant Venetiis, legi per otium: qui mihi visus est multam historiæ, nullam œconomiæ rationem habuisse. Sed illud viderint eruditiores. Lectori satis sit Virgilium non loqui ὑπερβολὰς, dum ait,

—— credas innare revulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.

Hic enim noster ait: Εἴκασεν ἄν τις ἰδὼν τὰ γιγνόμενα, τείχεσί τισιν, ἢ καὶ νήσοις πολλαῖς καὶ πυκναῖς, ἐν θαλάσσῃ πολιορκουμέναις. Hæc ideo adjeci, ut lectori negligenti inculcarem ea, quæ non possunt a vigilante & studioso non animadverti. Addebant & rostra non solum majoribus sed & minoribus actuariis. Aulus Hirtius *de Bello Alexandrino*. Navibus actuariis, quarum numerus erat satis magnus, magnitudine quanquam non satis justa ad præliandum, rostra imposuit. Has adjunctas navibus longis, & numero classis aucto, & cætera. Inde rostratæ dictæ naves: quæ quia ex ære fiebant, æratæ etiam dicebantur. Cæsar in secundo *de Bello Civili*: Interim L. Nasidius a C. Pompejo cum classe navium sexdecim, in quibus paucæ erant æratæ, L. Domitio Massiliensibusque subsidio missus. Virgilius in nono, ubi de navibus Trojanorum versis in deas & nymphas maris,

—— hinc virgineæ (mirabile monstrum)
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur:
Quot prius æratæ steterant ad littora puppes.

Livius quartæ *Decadis libro* sexto rostratas vocat, his verbis: Una & LXXX. rostratis navibus, multis præterea minoribus, quæ aut apertæ rostratæ, aut sine rostris speculatoriæ erant, Delum trajecit. Quibus verbis constat rostratas fuisse etiam quæ tectæ non erant. Appianus in *Mithridatico* χαλκεμβόλους vocat, νῆες ἑάλωσαν χαλκέμβολοι ὀκτακόσιαι. Plutarch. in *Antonio*: Ἐπεὶ δὲ ὡμολόγητο Καίσαρα μὲν Ἀντωνίῳ δοῦναι δύο τάγματα πρὸς τὸν Παρθικὸν πόλεμον, Ἀντώνιον δὲ Καίσαρι χαλκεμβόλους ἑκατόν. Diodorus *libro* XX. χαλκώματα vocare videtur rostra ex ære, his verbis, καὶ τὰ ληφθέντα χαλκώματα τῶν Ἀγαθοκλέους νεῶν ἀπέστειλαν αὐτῷ. Et paulo post subdit, τοῖς δ᾽ ἀπιστοῦσιν ἀπόδειξιν παρέχεσθαι τὴν τῶν ἐμβόλων κομιδήν. Ἐμβόλους enim rostra fuisse constat ex Plutarcho in plerisque locis: & ex Appiano, ubi de capite Marii junioris: Καὶ αὐτὴν ὁ Σύλλας ἐν ἀγορᾷ πρὸ τῶν ἐμβόλων θέμενος, ἐπιγελάσαι λέγεται τῇ νεότητι τοῦ ὑπάτου, καὶ εἰπεῖν, ἐρέτην δεῖν πρῶτον γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν. *Et ipsum caput Sylla in foro pro rostris poni jussit, juventutique consulis illusisse fertur, dixisseque, prius remigem esse oportere, quam ad tractanda gubernacula accedere.*

Quod

Quod dictum sumptum videtur ex Aristophane in *Equitibus*. Quin & Plutarchus in *Antonio* χαλκώματα pro rostris ex ære posuit, dum ait, τῶν δὲ Καίσαρος οὐ μόνον ἀντιπρώρων συμφέρεσθαι πρὸς χαλκώματα στερεὰ καὶ τραχέα φυλασσομένων. Id est, *Navibus autem Cæsaris caventibus, ne obversæ cum rostris firmis & æratis Antonii concurrerent.* Plutarchus in *Pompejo*, ἐννενήκοντα δὲ χαλκεμβόλους παρέλαβε. Idem in *Sylla*, καὶ δύναι ναῦς ἑβδομήκοντα χαλκήρεις. Tullius in secundo *de Inventione* rostratam vocat: Lex est apud Rhodios, ut siqua rostrata in portu navis deprehensa sit, publicetur. A rostris autem Antiatium templum Romæ Rostra appellatum. Livius *libro* octavo primæ *Decados*: Naves Antiatium partim in navalia Romæ subductæ, partim incensæ: e rostrisque earum suggestum in foro extructum adornari placuit: Rostraque id templum appellatum. Quin & Tullius rostra usurpasse videtur pro concione quæ pro rostris ad populum haberetur, in primo *de Oratore*: Age vero ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque mediteris. Subdit enim: Alterum, quod remoto foro, concione, judiciis, senatu, statuisti oratorem in omni genere sermonis. Neque longe post subdit: Nam siquis statuet hunc esse oratorem, qui tantummodo in jure aut in judiciis possit, aut apud populum, aut in senatu copiose loqui. Quo loco *in jure* dixit, id est, in foro: *in judiciis*, pro ad subsellia; *apud populum*, pro concione & rostris: *in senatu*, pro curia, ut attentus lector facile sua sponte percipiat.

Prætoriam vero navem Græci ναυαρχίδα vocant: nostri vulgo *Capitaneam*. Diodorus *libro* XX. Καὶ πρῶτος ὥρμησεν ἐπὶ τὴν ναυαρχίδα. Idem author aliquando στρατηγίδα vocat eodem *libro*: Ἔπειτα παραγγείλας τοῖς κυβερνήταις ἀκολουθεῖν τῇ στρατηγίδι νηΐ, προσέχοντας τῷ λαμπτῆρι, προσέπλευσεν ἐπὶ τὸ στόμα τοῦ Νείλου.

Erant & prædatoriæ, quæ merito inter longas scribendæ fuerint. Livius *Decadis* tertiæ *libro* nono: Nam post M. Attilium Regulum & L. Manlium Consules, annis prope quinquaginta nullum Romanum exercitum viderant, præter prædatorias classes: quibus descensiones in agros maritimos factæ erant. Quæ & piraticæ naves dicuntur ab eodem *Decadis* quartæ *libro* quarto: Sed si diis placet, affinitatem etiam per Philoclem præfectum ejus pepigisti, & bellum adversum nos gerens, mare circa Maleam infestum navibus piraticis fecisti. Idem Livius quartæ *Decadis libro* septimo, piraticas celoces vocat, dum ait: Apparuit inde piraticas celoces & lembos esse. Idem *Decadis* tertiæ *libro* primo: Naves CCXX. quinqueremes celoces XX. deductæ. Et paulo post: Naves longæ CL. celoces XII. Quibus verbis videtur ponere celoces inter eas quæ non erant longæ. Græci naves prædatorias & piraticas πειρατικὰς vocant. Plutarchus in *Pompejo*, Πειρατικαὶ δὲ νῆες ὀκτακόσιαι. & λῃστρικὰ πλοῖα vocat, cujusmodi erat μυοπάρων. Appianus in *Mithridate*, ubi de piratis: Καὶ εἰς ἀπορίαν ἐκπεσόντες ἀθρόως, ἀντὶ τῆς γῆς ἐκαρποῦντο τὴν θάλασσαν, μυοπάρωσι πρῶτον καὶ ἡμιολίαις, εἶτα δικρότοις καὶ τριήρεσι κατὰ μέρη περιπλέοντες. Id est, *Summaque pressi inopia, sibi e mari quæstum faciebant, myoparonibus primum & hemioliis, deinde biremibus triremibusque circumnavigantes.* Quibus verbis conjicio ἡμιολίας fuisse infra magnitudinem biremium: ut τριηρημιολίαι sint quas supra diximus: ἡμιολίαι vero quæ a puppi ad malum binis remis, a malo ad proram, unico tantum per transtra remo agerentur.

Vides me sudare lector optime, quo tibi aliA quid verisimile in re tam obscura afferre possim. Itaque dubitans, circunspectans & hæsitans, multa adversa reverens, tanquam in mari immenso nostra vehitur oratio. Thucydides in quarto τριακόντορον & κέλητα ponit inter prædatoria, dum ait: Ἀλλὰ καὶ ταῦτα ἐκ λῃστρικῆς Μεσσηνίων τριακοντόρου καὶ κέλητος ἔλαβον: *Et hæc ex prædatorio Messeniorum actuario, & celoce sumpserunt.* Plutarchus in *Sylla*, λῃστήριον νομαδικὸν posuit, pro prædonibus Numidicis, quas Tacitus in quarto, Latine Prædatorias manus vocat. Tullius Piraticum myoparonem dixit, actione quinta *in Verrem*: An quod ager Syracusanus prædonum incendiis B te Prætore vastatus est? an quod forum Syracusanum navarchorum sanguine redundavit? an quod in portu Syracusano piraticus myoparo navigavit? Idem actione septima *in eundem*: Navem quandam piratarum præda refertam non ceperunt: sed adduxerunt onere suo plane captam atque depressam. Erat ea navis plena juventutis formosissimæ, argenti facti atque signati, multa cum stragula veste. Ac paulo post: Interea Syracusani homines periti & humani, qui non modo quæ perspicua essent videre, verumetiam occulta suspicari possent, habebant rationem omnes quotidie piratarum qui C securi ferirentur: quam multos esse oporteret, ex ipso navigio quod erat factum sex remorum numero, conjiciebant. Et non multo post de eodem navigio: Hæc igitur est gesta res: hæc victoria præclara, myoparone piratico capto: dux liberatus: symphoniaci Romam missi: formosi homines & adolescentes & artifices domum abducti. Quibus sane verbis, nisi fallor, planum fit illum myoparonem habuisse sex remorum ordines: quare non ab re inter longas naves adscribi debeat. Idem Tullius septima *in Verrem*, parvorum myoparonum meminit his verbis: Hic te prætore, Heracleo archipirata cum quatuor myoparonibus D parvis ad arbitrium suum navigavit. Proh dii immortales, piraticus myoparo, quum imperium populi Romani, naves ac fasces essent Syracusis, usque ad forum & ad omnes urbis crepidines accessit. Erant enim & parvi myoparones, quorum ministerio præfecti triremium & majorum uterentur, ut colligo ex Aulo Hirtio *de Bello Alexandrino*: Ipse Octavius se in scapham confert, in quam plures quum confugerent, depressa scapha, vulneratus tamen adnatat ad suum myoparonem: quo receptus, quum prælium nox diremisset, tempestate magna velis profugit. Plutarchus in *Lucullo*: Ἐξέπλευσε δὲ τρισὶν Ἑλληνικαῖς μυοπάρωσι, καὶ δικρότοις ἴσαις Ῥοδιακαῖς πρὸς μέγα πέλαγος. E *Mari profugit cum tribus myoparonibus Græcis, totidemque biremibus Rhodiis in altum.* Myoparo autem ille egregius de classe Milesiorum, quem præsidii causa secum Verres abduxit Myndum, ibique vendidit, non erat inter parvos, quorum supra ab eodem mentio facta est. Erat enim militibus remigibusque ornatus atque armatus: sed satius fuerit Tullii verba subjicere: ea sunt actione tertia *in Verrem*: Milesios navem poposcit, quæ eum præsidii causa Myndum prosequeretur. Illi statim myoparonem egregium de sua classe F ornatum atque armatum dederunt: hoc præsidio Myndum profectus est. Mox subdit: Illud quoque quod neque taceri ullo modo potest, neque dici pro dignitate, cognoscite: milites remigesque Miletum Myndo pedibus reverti jubet: ipse myoparonem pulcherrimum de decem Milesiorum navibus electum L. Magio & L. Rabio, qui Myndi habitabant, vendidit. Plutarchus in *Antonio* myoparonas vocare videtur quos phaselos dixit Appianus, ubi ejusdem rei cum Plutarcho meminit. Verba Plutarchi sic ha-

bent: Οκταουΐα τῶν ὡμολογημένων χωρὶς, ᾐτήσατο τῷ μὲν ἀδελφῷ παρὰ τοῦ ἀνδρὸς εἴκοσι μυοπάρωνας. τῷ δ' ἀνδρὶ παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ στρατιώτας χιλίους. Id est, *Octavia, præter ea quæ pacta fuerant, a marito impetravit ut fratri viginti myoparonas concederet: a fratre autem, ut marito mille pedites Romanos.* Appianus autem sic ait: Εδωρήσατο δὲ καὶ Οκταουΐα τὸν ἀδελφὸν, αἰτήσασα παρ' Αντωνίου, δέκα φασήλοις τριηρητικοῖς ἐπιμίκτοις ἔκ τε φορτίδων νεῶν καὶ μακρῶν· καὶ Οκταουΐαν ὁ Καῖσαρ χιλίοις λογάσι σωματοφυλάξιν, οὓς ἐπιλέξαιτο Αντώνιος. *Munerata est & Octavia fratrem decem phaselis mixtis ex forma onerariarum longarumque navium. Octaviam quoque Cæsar mille delectis ab Antonio militibus, quibus spiculatoribus corporisque custodibus uteretur ipse.* Quibus sane Appiani verbis (nisi alium authorem, quam Plutarchus, sequutus est) conjiciat lector myoparones fuisse phaselos: quorum forma mixta erat ex nave oneraria & longa triremi: ut hac nostra memoria faciendos locavit Franciscus Rex Regum, ad oceanum Britanniæ minoris, quos *galeones* vocant. Phaselum autem, ea ratione qua descriptus est ab Appiano & Plutarcho myoparo dictus, lepido versu consecravit Castori & Polluci Catullus: quibus sane versiculis aperte docet eum fuisse maxime appositum, seu quis remis uti velit, seu velis, dum ait, *Sive palmulis opus foret volare, sive linteo.* Virgilius in quarto *Georgicon:*

Et circum pictis vehitur sua rura phaselis.

Sed minime ἀπροσδιόνυσον fuerit, carmen ipsum subtexere Catulli:

Phaselus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse navium celerrimus:
Neque ullius natantis trabis impetum
Nequisse præterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo.

Strabo XV. Ο δ' οὐκ ἔλαττον ὀγδοήκοντα ἐναυπηγήσατο δίκροτα, καὶ τριήρεις, καὶ φασήλους. *Ipse autem ædificanda curavit, non minus quam octuaginta biremes, triremes, & phaselos.*

Multa candide lector quæsivi, ut veram vel saltem verisimilem myoparonis etymologiam investigare possem, sed nihil admodum mihi arrisit: nisi si fidem habere non gravabere enarratori Aristophanis in Εἰρήνῃ, dum ait in enarrando vocabulo ναξιουργὴς κάνθαρος: Πλοῖα οὕτω λεγόμενα, ἐν Νάξῳ γινόμενα τῇ νήσῳ, καὶ κνιδουργεῖς δὲ ἄλλαι ναῦς ἀπὸ Κνίδου, καὶ κέρκουρον ἀπὸ Κερκύρας, καὶ τὸν πάρωνα ἀπὸ Πάρου. *Naxiurges erant navigia sic dicta, quæ fierent in Naxo insula, & etiam cnidurges a Cnido, & cercurum a Corcyra, paronem quoque a Paro.* Quod si verum est, ausim & ego conjicere myoparonem esse navigii genus compositum ab utraque forma earum navium, quæ fieri solebant in Myunte & Paro insula, ut ex utriusque forma compositum effictumque vocabulum videatur. Sed ex alia parte movet Plinius, qui scriptum reliquit, cercurum in Cypro inventum, ut non magna fides habenda sit Aristophanis Enarratori: quare fit ut Delio opus sit. Quando vero ad belli usum sunt etiam necessariæ eæ naves, quas hippagines dicunt, hippagogas vocat Livius, a transportandis equis: non erit ingratum, opinor, lectori, si pauca de illis dixero ex probatissimis authoribus. Livius igitur quintæ *Decadis libro* quarto, quodnam id sit navigii genus apertius declarat, quam ut nostræ interpretationis egeat, dum ait: Forte postero die quam Sybota classis tenuit quinque & triginta naves, quas hippagogas vocant, ab Elea profectæ cum equitibus Gallis equisque, Phanas promontorium Chiorum petebat. Demosthenes in prima *contra Philippum:* Πρὸς δὲ τούτοις, τοῖς ἡμίσεσι τῶν ἱππέων ἱππαγωγοὺς, τριήρεις, καὶ πλοῖα ἱκανὰ εὐτρεπίσαι κελεύω. *Insuper & equitum parti censeo comparare hippagines, triremes, aliaque idonea ad transportandos eos navigia.* Quas tamen Polybius ἱππηγοὺς vocat in primo: Επιδόντες τοῖς [illegible] τὰς ἱππηγοὺς, [illegible] ἐξ αὐτῶν [illegible]. *Polybius: [illegible] hippagines, dantes ex iis lora & funes tractorios navibus quæ in tertia classe erant.* Et paulo post: Τῶν μὲν ῥυμουλκούντων τὰς ἱππηγοὺς ναῦς. Diodorus *libro* vicesimo: Επακολουθεῖν δὲ τὰς στρατιωτικὰς καὶ τὰς ἱππηγοὺς ῥυμουλκουμένας ὑπὸ τῶν [illegible], ἐπὶ πᾶσι δὲ τὰ τῶν πειρατῶν πορεῖα, [illegible] ἀγοραίων. *Subsequi autem militares & hippagines remulco tractas ab iis quæ remigia uterentur: postremo etiam & prædonum pontones, & annotinas mercatorumque.* Quibus & Polybii verbis & Diodori, apud Demosthenem in *loco* supra *citato* ἐξεσολβῶ collocandam inter ἱππαγωγοὺς & τριήρεις existimo: ut legendum sit, ἱππαγωγοὺς, τριήρεις, καὶ πλοῖα ἱκανά: non ut ἱππαγωγοὶ essent τριήρεις, ut quidam non indoctus existimabat, & auditoribus suis enarrabat: quem hoc loco nomine appellare supersedendum duxi: ἱππαγωγοὶ enim & hippegi remulco trahebantur, ut vides ex utroque authore. Remulco autem trahere, Latinum est, & a Livio & Cæsare usurpatum. Livius quartæ *Decadis libro* septimo: Contemplatus Eudemus hostes claudas mutilatasque naves apertis navibus remulco trahentes XX. paulo amplius integras, abscedentes e turri prætoriæ navis, silentio facto, exsurgite, inquit. Cæsar in secundo *de Bello Civili:* Hunc sequutus M. Ruffus Quæstor navibus XII. quas præsidio onerariis navibus Curio ex Sicilia eduxerat, postquam relictam in littore navem conspexit, hanc remulco abstraxit: ipse ad Curionem cum classe rediit. Idem in tertio: Ad Oricum venit, summersamque navim remulco multisque contendens funibus abduxit. Quidam indocti remulcum pro navigio acceperunt, & in eo, ut in multis, falsi sunt. Remulco trahere enim Latini dixerunt duobus vocabulis, quod feliciores Græci unico verbo ῥυμουλκεῖν dixerunt, quasi ῥύμασι id est, *loris* funibusque, ἕλκειν naves ipsas. Πορεῖα autem dicuntur a Diodoro naves quibus utebantur ad transportandos milites: & ea re στρατιωτικὰ πορεῖα dicuntur ab eodem, *libro* vicesimo, his verbis: Εἶχε δὲ τὰς πάσας ναῦς μακρὰς ρ' καὶ μ'. τούτων δ' ἦν ἡ μεγίστη, πεντήρης· ἡ δὲ ἐλαχίστη, τετρήρης. στρατιωτικὰ δὲ πορεῖα ταύταις ἐπηκολούθει πλείω τῶν σ', ἄγοντα πεζοὺς οὐκ ἐλάττους τῶν μυρίων. *Habuit autem naves longas numero centum quadraginta: quarum major erat quinqueremis, minor autem quadriremis. Militares præterea pontones subsequebantur plus quam ducenti: qui peditum ferebant circiter decem millia.* Idem in *eodem:* Τῶν μὲν πορείων ἦλω πλείω τῶν ρ', ἐν οἷς ἦσαν σχεδὸν στρατιῶται ὀκτακισχίλιοι. Id est, *Pontones cepit plus quam centenos, in quibus erant peditum circiter octo millia.* Idem in *eodem:* Εφ' ἡμέρας τινὰς τὰς ταχυναυτούσας ναῦς ἐρυμουλκεῖν στρατιωτικὰ πορεῖα. Id est, *Per aliquot dies celeribus navibus remulco trahebant militares pontones.* Idem in *eodem:* Οὐκ ἔχων δ' ἱκανὰ πορεῖα πρὸς τὸ τῶν στρατιωτῶν [illegible], τριχῇ διεμέρισε τὴν δύναμιν. Id est, *Quum non satis haberet pontonum ad transportandos milites, trifariam divisit exercitum.* Plato in tertio *de Legibus* πόρεια posuit etiam pro curru: Πόρεια δὲ ὥστε ἐπ' ἀλλήλους τότε πορεύεσθαι κατὰ γῆν, ἢ κατὰ θάλασσαν, συν τῶν τέχναις, ὡς ἔπος εἰπεῖν, πάντα σχεδὸν ἀπολώλει. *Vehicula ita ut tunc inter se commeare possent sive terra sive mari, omnia, ut ita dicam, cum artibus ipsis perierant.* Mar. quoque Tullius navem Cybeam Verris vehiculum vocat, his verbis: Illi tibi & locum furtis & furtorum vehiculum comparaverunt: de Mamertinis loquitur. Ejusmodi poria Cæsar pontones appellare videtur in tertio *de Bello Civili:* Plerasque naves in Italiam

remittit ad reliquos milites equitesque transportandos: pontones, quod est genus navium Gallicarum, Lyssi reliquit: hoc consilio, ut si forte Pompejus vacuam existimans Italiam, eo trajecisset exercitum (quæ opinio erat edita in vulgus) aliquam Cæsar ad insequendum facultatem haberet. Nec verisimile est eos pontones, quorum meminit Cæsar, fuisse id genus navigii ratiarii, quo passim utimur ad trajicienda flumina, quas vulgo *charieras* dicunt. Etiamsi Paulus Jurisconsultus in tractatu *Servitutum rusticarum*, pro eo genere accepisse videatur, his verbis: Flumine interveniente via constitui potest: si aut vado transiri potest, aut pontem habet: diversum, si pontonibus trajiciatur. Quo loco pontones videtur pro πορθμείοις dixisse aliter atque Cæsar: qui usus videtur veluti Gallico quodam vocabulo, vel Massiliensi potius. Quod πορθμεῖον innuere videtur Tullius *de Aruspicum responsis*, dum ait: Quæ navis unquam in flumine tam vulgata omnibus, quam istius ætas fuit? Diodorus tamen Siculus πορθμεῖον cum πορείῳ confundere videtur, nisi sit librariorum mendum: Ὁ δὲ λυθεὶς, καὶ μετ' ὀλίγων ἐμβὰς ἐς τὸ πορθμεῖον, ἔλαθεν ἐκπλεύσας κατὰ τὴν δύσιν τῆς πλειάδος. Id est, *Ipse autem solutus, & cum paucis conscensa nave, clam profugit sub occasum Vergiliarum.* Strabo decimoseptimo, Ὡς τε καὶ ὀστράκινα ἐνίοις εἶναι πορθμεῖα, *Ut & nonnullis testacea sint navigia ad transfretandum.* Πορθμὸς enim fretum: ut πορθμεῖα, sint navigia ad transfretandum apta: πορθμὸς, θάλασσα ἑκατέρωθεν ἤπειρον ἔχουσα. Rhodii præsidiarias naves φυλακίδας vocabant, authore Diodoro *libro* vicesimo: Δημόφιλος μὲν ἔχων ναῦς τὰς καλουμένας παρὰ Ῥοδίοις φυλακίδας. Idem in *eodem*: Αἱ δὲ φυλακίδες τῶν Καρχηδονίων αἰσθόμεναι, κατὰ σπουδὴν ἐπεδίωκον. Id est, *Præsidiariæ Carthaginensium, ubi id resciverunt, confestim persecutæ sunt.*

Sed prius quam a longis navibus ad onerarias proficiscar, non tacebo quid de celeritate quinqueremis ad triremem, dubitare videam viros doctissimos, qui quinqueremem tardiorem fuisse triremi opinati sunt, ex Livii verbis tertiæ *Decadis lib.* octavo: ea sunt hæc: Adherbal conjuratis in quinqueremem impositis, præmissaque ea, quia tardior quam triremis erat, ipse cum octo triremibus modico intervallo sequitur. Tardior enim erat propter pondus. Subdit enim: Quinqueremis Romana seu pondere tenacior, seu pluribus remorum ordinibus scindentibus vortices, quum facilius regeretur, duas triremes suppressit. Sed Julius Cæsar in secundo *de Bello Civili*, omnem dubitationem tollere videtur, his verbis: Conspicatæque naves triremes duæ navem Decii Bruti (quæ erat hexeres, ex Lucano supra citato) quæ ex signo facile cognosci poterat, duabus ex partibus sese in eam incitaverant. Sed tantum re provisa, Brutus celeritate navis enisus est, ut parvo momento antecederet. Vides illam hexerem celeritate antevertisse illa triremes: quod & similiter de quinqueremi facile credere est. Sed non omittemus pistrim: cujus mentionem factam videmus a Polybio Livius etiam meminit quintæ *Decadis* quarto volumine, his verbis: Perseus post reditum ab Eumene, Erepontis spe dejectus, Antenorem & Callipum præfectos classis cum XL. lembis (adjectæ ad hunc numerum quinque pistres erant) Tenedum mittit. Pistris autem terno remorum ordine agebatur. Virgilius in quinto pistrim pro cognomento indito triremi posuisse videtur:

Velocem Mnestheus agit acri remige pistrim.

Subdit enim:

Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi:
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,
Urbis opus: triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt: terno consurgunt ordine remi.

Neque enim fuisset æqua & par contentio, si pistris illa paucioribus aut pluribus remis acta fuisset quam Chimæra, cui Gyas præerat. Polybius πρίστιν vocat, ρ litera transposita, *l.* XVIII. Ἐπελθόντος δὲ τοῦ τεταγμένου καιροῦ, παρῆν ὁ μὲν Φίλιππος ἐκ Δημητριάδος ἀναχθεὶς εἰς τὸν Μαλιέα κόλπον, πέντε λέμβους ἔχων καὶ μίαν πρίστιν, ἐφ' ἧς αὐτὸς ἐπέπλει. Id est, *Cedente die præstituta, aderat Philippus profectus a Demetriade in sinum Maleam, habens quinque lembos & unicam pristim, qua vehebatur.* Solebant autem cognomenta indere navibus, & etiam ad proram adfingere. Lucianus in *Dialogo*, quod Πλοῖον inscribitur: Καταντικρὺ δὲ ἀνάλογον ἡ πρῴρα ὑπερβέβηκεν, ἐς τὸ πρόσω ἀπομηκυνομένη, τὴν ἐπώνυμον τῆς νεὼς θεὸν ἔχουσα τὴν Ἶσιν ἑκατέρωθεν. Id est, *E regione autem proportione prora extructa erat, in longum producta, habens utrinque Isin deam, quæ cognomentum navi dederat.* De quarum παρασήμῳ infra dicemus copiosius. Aliæ etiam dictæ Seleucides triremes a Seleuco. Plutarchus in *Pompejo*: Ὡς δ' οὖν ἐνίκα φεύγειν εἰς τὴν Αἴγυπτον, ἀναχθεὶς ἀπὸ Κύπρου Σελευκίδι τριήρει μετὰ τῆς γυναικός· τῶν δ' ἄλλων οἱ μὲν ἐν μακραῖς ὁμοίως ναυσὶν, οἱ δὲ ἐν ὁλκάσιν ἅμα συμπαρέπλεον. *Ut igitur decretum est, fugiendum in Ægyptum esse, profectus a Cypro vectusque Seleucide triremi cum uxore est; aliorum vero nonnulli secuti sunt, delati similiter longis navibus, alii autem in onerariis.* Appianus de eadem Pompeii fuga loquens, his verbis utitur: Ὅθεν τὴν Κορνηλίαν γυναῖκα ἀναλαβὼν, καὶ τριηρῶν τεττάρων ἐπιβὰς, αἳ αὐτῷ παρά τε Ῥοδίων καὶ Τυρίων ἀφίκοντο. *Unde sumpta secum Cornelia uxore, nactus quatuor triremes, quæ ad officium illi ab Rhodiis & Tyriis præsto fuerant, profugit.* Νικομηδὶς a loco cognomentum sumpsit, authore Aniano apud Suidam, εὖρος δὲ καὶ βάθος καθ' ὁλκάδα, ὅσον μεγίστη Νικομηδὶς ἢ Αἰγυπτία: quibus verbis conjicio Νικομηδίδα fuisse inter onerarias: de quibus videtur venisse dicendi tempus. Sic & Ἑρμονὶς apud Thucydidem a loco juxta Lacedæmona.

Ait Marcellus,

ATQUE ONERARIIS.

De longis abunde diximus: de onerariis paucis differendum: quæ onerariæ dictæ, quod essent oneri ferendo idoneæ: & ea ratione φορτηγοὶ dicuntur a Græcis. Polybius in primo: Ἔχων ἑκατὸν εἴκοσι σκάφη, καὶ τὴν ἀγορὰν σχεδὸν ἐν ὀκτακοσίαις ναυσὶ φορτηγοῖς. Livius *Decad.* tertiæ *lib.* septimo: Naves quas Livius tutandis commeatibus habuerat, partim machinationibus onerat, apparatuque mœnium oppugnandorum: partim tormentis & saxis, omnique telorum missilium genere instruit: onerarias quoque, non eas solum quæ remis agerentur. Quibus verbis declaratur onerarias non solere remis agi. Tullius actione quarta *in Verrem*: Ejus autem legationis principem nobilissimum C. Hejum juratum dicere audistis, isti navem onerariam maximam Messanæ esse publice coactis operis ædificatam. Eam Cybeam vocat in sexta *in Verrem*: Tametsi rogatus de Cybea, tenetis memoria quid responderit: ædificatam publicis operis publice coactis, eiq; ædificandæ publice Mamertinum Senatorem præfuisse. Et paulo post subdit: Negent isti onerariam navem maximam ædificatam esse Messanæ: negent ei navi faciundæ Senatorem Mamertinum publice præfuisse. Appianus ὁλκάδας vocat in quinto *de Bell. Civilib.* Ἧρει καὶ δύο καὶ τρεῖς ναῦς τῶν φυλακίδων, καὶ τὰς ὁλκάδας αἳ τὸν σῖτον ἔφερον, ὁρμούσας, ἢ παραπλεούσας κατέδυε, ἢ ἀνεδύετο, ἢ ἐνεπίμπρη. Id est, *Cepit binas ternasque*

præsidiariarum, onerariarumque eas quæ frumentum portabant, & in statione erant: eas autem quæ præter navigabant, vel depressit, vel religavit, vel concremavit. Idem in *eodem*: Πολὺ δὲ ὁλκάδων καὶ σκευοφόρων ἄλλο πλῆθος. Quo loco σκευοφόρους pro onerariis posuisse videtur, quas Cæsar *graves* dixit: Διεφθάροντο δ' αὐτῷ νῆες βαρεῖαι μὲν ἕξ, κουφότεραι δὲ ἓξ καὶ εἴκοσι, λιβυρνίδες δ' ἔτι πλείους. *Interiere autem illius naves graves sex, leviora vero navigia viginti sex, multoque plures liburnicæ.* Onerariæ autem ad frumentum vehendum aptæ, frumentariæ dicuntur, a Græcis σιτηγοί. Cæsar in tertio *de Bello Civili*: Nocturno itinere non intermisso, comitatu equitum triginta ad mare pervenit: navemque frumentariam conscendit. Appianus de eadem Pompeii fuga, navis frumentariæ nullum verbum facit: Ὁ δὲ Πομπήϊος ἐκ Λαρίσσης ὁμοίῳ δρόμῳ μέχρι θαλάσσης ἐπειχθεὶς, σκάφους ἐπέβη μικροῦ, καὶ νεὼς παραπλεούσης ἐπιτυχὼν, εἰς Μιτυλήνην διέπλευσε. Id est, *Pompejus autem simili festinatione a Larissa ad mare properans, parvulum navigium conscendit: nactusque navem prætereuntem, ea Mitylenem usque delatus est.* Plutarch. in *Pompejo* φορτηγὸν vocat: Καὶ περὶ τὸν ὄρθρον ἐπιβὰς ποταμίου πλοίου, καὶ τῶν ἑπομένων τοὺς ἐλευθέρους ἀναλαβών. τοὺς δὲ θεράποντας ἀπιέναι πρὸς Καίσαρα κελεύσας, καὶ μὴ δεδιέναι, παρὰ δὲ τὴν ... κομιζόμενος εἶδεν εὐμεγέθη φορτηγὸν ἀνάγεσθαι μέλλουσαν. Id est, *Summo mane conscenso navigio fluviatili, impositisque in alterum comitibus liberis: servis autem ad Cæsarem se recipere securisque esse jussis, præter litus delatus conspexit bene magnam onerariam, quæ ad solvendum parata erat.* Quam Cæsar in supra scriptis navem frumentariam vocat. Quin & Diodorus Siculus, ubi de Agathocle, in xx. naves easdem modo φορτηγοὺς, modo σιτηγοὺς dicit: Ἔπειτα δὲ σιτηγῶν πλοίων τῇ πόλει προσθεόντων, οἱ μὲν Καρχηδόνιοι παντὶ τῷ στόλῳ πρὸς ταύτας ἀνήχθησαν. ὁ δ' Ἀγαθοκλῆς ἀπελπίζων ἤδη τὴν ἐπιβολὴν, ὡς εἶδε τὸ στόμα τοῦ λιμένος ἔρημον τῶν ἐφορμούντων, ἐξέπλευσεν ὀξείαις ταῖς εἰρεσίαις χρώμενος. ἔπειτα οἱ μὲν Καρχηδόνιοι πλησίον ἤδη τῶν φορτηγῶν ὄντες. Vides ut φορτηγοὺς dixit, quas supra σιτηγοὺς, id est, *frumentarias*, vocaverat. Thucyd. in sexto ὁλκάδας vocat: (hodieque in Flandria nomen retinent, & *des bolkes* vocant) ἐν ὁλκάσι πυροὺς καὶ πεφρυγμένας κριθὰς ἄγειν. Idem in *eodem* σιταγωγοὺς ὁλκάδας vocat, quas σιτηγοὺς & φορτηγοὺς ex Diodoro diximus: Τῶν μὲν οὖν συμμάχων τοῖς πλείστοις, καὶ ταῖς σιταγωγοῖς ὁλκάσι, καὶ τοῖς πλοίοις, καὶ ὅση ἄλλη παρασκευὴ ξυνείπετο. Id est, *Sociorum plurimis, frumentariisque navibus, reliquisque navigiis, cunctisque qui in usum classis sequebantur, edictum fuerat, ut*, &c. Et in *eodem*, ὁλκάδες μὲν τριάκοντα σιταγωγοὶ, καὶ τοὺς σιτοποιοὺς ἔχουσαι. Xenophon in quinto Ἑλληνικῶν: Τὰ γὰρ σιταγωγὰ αὐτοῖς πλοῖα ἐπὶ μὲν τὸν Γεραιστὸν ἀφίκετο. Thucyd. in *eodem* φορτηγικὸν πλοῖον vocat, quam nos *onerariam* Latine dicimus: ubi de fuga Alcibiadis: Καὶ Ἀλκιβιάδης μετὰ τῶν ξυμφυγάδων περαιωθεὶς, τότ' εὐθὺς ἐπὶ πλοίου φορτηγικοῦ ἐκ τῆς Θουρίας ἐς Κυλλήνην τῆς Ἠλείας πρῶτον, ἔπειτα ὕστερον ἐς τὴν Λακεδαίμονα, αὐτῶν τῶν Λακεδαιμονίων μεταπεμψάντων, ὑπόσπονδος ἐλθών. *Et Alcibiades cum fugæ comitibus confestim e Thuriorum portu transportatus, nave oneraria primum in Cyllenen Eleorum: deinde sumpta fide publica, vocantibusque ipsis Lacedæmoniis, Lacedæmona profectus.* Idem in sexto ὁπλιταγωγοὺς vocat naves paratas ad vehendos milites armatos, αὐτῶν δ' Ἀθηναίων ἔσεσθαι ὁπλιταγωγοὺς ὅσαι ἂν δοκῶσι. Quas, nisi fallor, in octavo στρατιώτιδας vocat: Στρομβιχίδης δ' ἐκ τῆς Χίου πυθόμενος, κατὰ τάχος βοηθήσας ναυσὶν Ἀθηναίων τέσσαρσι καὶ εἴκοσιν, ὧν καὶ στρατιώτιδες ἦσαν ὁπλίτας ἄγουσαι: quasi ὁπλιταγωγοί. Et in *eodem*: Ἀφίκοντο δὲ οἱ Ἀργεῖοι μετὰ τῶν παράλων, οἳ τότε ἐτάχθησαν ἐν τῇ στρατιώτιδι νηῒ ὑπὸ τῶν τετρακοσίων περιπλεῖν Εὔβοιαν. *Venerunt & Argivi cum propugnatoribus qui in nave paralo dicta esse solebant: qui jussi erant a triginta tyrannis, per id tempus in nave militari Eubœam ipsam circumnavigando obire ac tueri.*

Erant & Corbita & Cybea inter onerarias: quarum utrarumque mentio apud Tullium: Corbitæ quidem lib. XVI. *ad Atticum*: Corbitane Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum, ac inde Corcyram: etsi oneraria, statimne freto, an Syracusis. Cybeæ, *in Verrem* actione septima: Navem vero Cybeam maximam triremis instar, pulcherrimam atque ornatissimam, palam ædificatam sumptu publico. Et subdit paulo post: Celeberrimo loco ædificari tibi onerariam navem in ea provincia, quam tu cum imperio obtinebas. Hactenus Tullius. Nam & navem in eadem provincia in qua quis administrat, ædificare prohibetur, *l. Aufertur. ff. De jure fisci.* Senatores etiam naves habere prohibentur, *l. Julia repetundarum, ff. de vacat. & excusat. munerum.* Iis qui naves marinas fabricarint, a Q quoque Claudio lex lata, ne quis Senator, quive Senatoris pater fuisset, maritimam navem, quæ plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Dicta est & navis vinaria ab Ulpiano, *in l. Vulgaris. ff. De furtis*: Quid deinde si de nave vinaria, ut sunt multæ in quas vinum infunditur, quid dicemus de eo qui vinum hausit? an totius oneris fur sit? & magis est ut & hic non totius dicamus. Nos Venetiis naves aquarias vidimus, quibus aquam portant, ut vendant cisternas non habentibus: quas *Burchi de aqua* vocant. Vidi & lignarias, quas Ulpianus naves ξυληγὰς vocat, *l. ligni. §. lignorum. ff. de legatis tertio*: arenarias, lutarias, farinarias, quas *Burchi da legno, da sabion, da fango, da farina*, appellitant. Sunt & apud eos rates carbonariæ: quas *Zattare da carbon* vocant. Sunt alia multa Venetiis navigiorum genera, quæ siquis velit Latine enuntiare, verborum ut opifex sit, necesse est. Palearum quoque navis dicitur a Marco Tullio, qua vehitur venditurve palea: ea sunt in primo *de Finibus*: Ut enim (inquit) gubernator æque peccat, si palearum navem & si auri, &c. Veneti *Burchio da pallia* dicunt.

Gaulus a Græcis γαυλὸς dictus, cujus mentio apud Gellium, videtur ab Herodoto poni pro nave oneraria, quum ait in Θαλείᾳ: Αὐτίκα μὲν τριήρεας δύο ἐπλήρωσαν, ἅμα δὲ αὐτοῖσι καὶ γαυλὸν μέγαν παντοίων ἀγαθῶν. Id est, *Confestim quidem duas triremes, simulque cum ipsis ingentem gaulum impleverunt varia multiplicique præda.* Idem Herodotus paulo post: Καὶ τὸν γαυλὸν τὸν ἅμα ἄγοντο ἀπαιρεθέντες, ἐπέπλεον ὀπίσω ἐς τὴν Ἀσίαν. Id est, *Ablatoque gaulo, quem simul duxerant, reversi sunt in Asiam.* Plutarch. περὶ εὐθυμίας: Ὥσπερ οἱ δειλοὶ καὶ ναυτιῶντες ἐν τῷ πλεῖν, εἶτα ῥᾷον οἰόμενοι διάξειν, ἐὰν εἰς γαυλὸν ἐξ ἀκάτου, καὶ πάλιν ἐὰν εἰς τριήρη μεταβῶσιν, οὐδὲν περαίνουσι, τὴν χολὴν καὶ τὴν δειλίαν συμμεταφέροντες ἑαυτοῖς. Id est, *Quemadmodum timidi, & qui nauseæ navigando obnoxii sunt, existimantes se meliuscule habituros, si ex acatio in gaulum, rursumque si in triremem commigrarint: nihil tamen proficiunt, bilem timiditatemque secum circumferentes.* Ad quod allusisse videtur Horatius in *Epistolis*:

—— ego utrum
Nave ferar magna an parva, ferar unus & idem.

Et *Epistolarum* primo:

—— conducto navigio æque
Nauseat ac locuples, quem ducit priva triremis.

Tull. lib. XII. *ad Attic.* Nam cætera quidem ἀνεκτότερα erant Asturæ: nec hæc quæ refricant, hic

me magis angunt: etsi tamen ubicunque sum, illa sunt mecum. Gaulus accipitur & pro vase quo pastores utuntur ad lac excipiendum.

Ait Jureconsultus,

NON PISCATORIIS.

Piscatoriæ naves, quæ priscum capiendorum causa paratæ sunt: quas navicellas vocat Martianus in tractatu *De fundo instructo*, *l. Item pictoris*. Livius piscatorias dixit tertiæ *Decadis libro* tertio, his verbis: Ni mare propinquum, & haud procul littore naves piscatoriæ pleræque conspectæ peritis nandi dedissent effugium. Cymba fuisse videtur inter piscatorias, ex M. Tullio in tertio *Officiorum*: Quum Cannius, Quæso (inquit) Pythi, tantumne piscium? tantumne cymbarum? Et ille, Quid mirum? hoc loco est, Syracusis quicquid est piscium, &c. Lenunculos etiam piscatorios vocat Ammianus Marcellinus *l.* XIV. Nam sole orto magnitudine angusti gurgitis & profundi a transitu arcebantur; & dum piscatorios quærunt lenunculos, vel innare metere contextis ratibus. Idem in XVI. Avido flatu ventorum lenunculo se commisisse piscantis. Et ne quis existimet vocabulum illud fortasse barbarum, propterea quod ætate Ammiani lingua Latina non parum degeneraverat a puritate Tulliana: sciat Julium Cæsarem eo vocabulo usum in secundo *Belli Civilis*, dum inquit; Horum fuga, navium onerariarum magistros incitabat; pauci lenunculi ad officium imperiumque conveniebant. Quo certe loco Cæsar lenunculos posuisse videtur non pro nave piscatoria, sed pro scaphis navium. M. enim Ruffus quæstor relictus a Curione, magistris navium imperat, ut primo vespere omnes scaphas ad litus appulsas haberent. Quod si lenunculi legendum in Cæsare, ausim & affirmare apud Gellium *l.* X. *c.* XXV. quo loco *remiculi* legitur, mendum inesse, legendumque *lenunculi*: fuit enim facilis lapsus. Verba Gellii sic habent: Navium autem, quas reminisci tunc potuimus, appellationes hæ sunt, Gauli, corbitæ, caudicæ, longæ, hippagines, cercuri, celoces, vel ut Græci dicunt, κέλητες, lembus ὠκεῖαι, remieculi, (legendum *lenunculi*) actuariæ, quas Græci ἀφράκτους vocant vel ἐπακτρίδας, prosumiæ, vel geseoretæ, vel orioles, cattæ, scaphæ, pontones, nuctuciæ, mediæ, phaseli, parones, myoparones, lintres, caupulica, mareplacidæ, cidari, ratiariæ, catascopium. Xenophon ἀναβάσεως *l.* VII. Ὁ δὲ Ἀναξίβιος καταδραμὼν ἐπὶ τὴν θάλατταν, ἐν ἁλιευτικῷ πλοίῳ περιέπλει εἰς τὴν ἀκρόπολιν. Et Ἑλληνικῶν quinto: Πολλὰ καὶ ἁλιευτικὰ πλοῖα εἷλε, καὶ πορθμεῖα ἀνθρώπων μεστά, καταπλέοντα ἀπὸ τῶν νήσων. Justinus *l.* II. scapham inter piscatoria ponit: de qua scapha alio loco dicemus: Ubi quum solutum pontem hybernis tempestatibus offendisset, piscatoria scapha trajecit trepidus. Vides ut scapham piscatoriam vocet: Græci, ἁλιευτικὸν πλοῖον.

Ait Jureconsultus,

AUT SI QUAS ACTUARIAS, VOLUPTATIS CAUSA PARAVERUNT.

Tullius in oratione *pro Cælio* de actuariis voluptatis causa, intellexisse videtur, quum ait: Accusatores quidem, libidines, amores, adulteria, Baiis acta convivia, comessationes, cantus, navigia jactant. Nec debent actuaria illa, quæ voluptatis tantum causa parata sunt, postliminii jure uti: quum ad nullum belli usum sint parata. Sed


A alia actuaria, quæ majoribus navibus inserviunt, & ob id a Græcis ὑπηρετικὰ dicuntur, non dispicio quare non, quemadmodum & aliæ naves, jure postliminii redeant. Actuaria autem dicta sunt, quod remis agerentur. Livius tertiæ *Decadis l.* X. Quingentas fuisse omnis generis, quæ remis agerentur, quidam tradunt. Cæsar *Commentariorum* quinto: Has omnes actuarias imperat fieri: quam ad rem humilitas multum adjuvat. Neque tamen numerandæ sunt inter longas. Subdit enim paulo post: eo cum venisset, circuitis omnibus hybernis singulari militum studio, in summa rerum inopia circiter sexcentas ejus generis, cujus supra demonstravimus, naves, & longas duodeviginti invenit instructas. B Eas enim in *eodem libro* Cæsar vectoria graviaque navigia vocat, etiamsi remis agerentur: Qua in re admodum fuit militum virtus laudanda: qui vectoriis gravibusque navigiis, non intermisso remigandi labore, longarum navium cursum adæquaverunt. Quæ autem vectoria Cæsar dixit, Ulpianus in tractatu *De exercitoria* ἐπιβάδας appellat, his verbis: Quædam enim naves onerariæ, quædam, ut ipsi dicunt, ἐπιβάδες sunt: & plerosque mandare scio, ut vectores recipiant, & sic ut certa regione & certo mari negotientur. Ut ecce C sunt naves quæ Brundusium a Cassopa vel a Dyrrhachio vectores trajiciunt, ad onera inhabiles. Item quædam capaces fluminum, ad mare non sufficientes, ἐπιβάδες dictæ, ut opinor, quasi ἐπιβατίδες, ad ἐπιβάτας solum, id est, *vectores*, trajiciendos. Et fortasse legendum apud Jureconsultum ἐπιβατίδες: sed lectoris erit judicium. Inde ἐπιβατικὴν facere apud Cælium ad Ciceronem. Q. Pompejum Baulis epibaticam facere: quo loco sic legendum existimo, non *schœnobaticam*, nec ἐμβατευτικὴν, ut quidam non indocti putavere. Est autem Cassopa oppidum Corcyræ, ex Plinio *l.* IV. *c.* XII. Tullius in epistola *ad Tyronem*: Corcyræ D fuimus usque ad XVI. Cal. Decemb. tempestatibus retenti ad XII. Cal. Decemb. in portum Corcyræorum ad Cassopam stadia CXX. processimus. Quo loco non *Cassodem*, ut in vulgatis, sed *Cassopam* lego. Actuariorum autem nonnulla triginta remis agebantur. Livius IV. *Decadis l.* VIII. Tradito & naves armamentaque earum: neve plures quam decem naves actuarias, nulla quarum plus quam triginta remis agatur, habeto. Appianus καταφράκτους vocat eas, quas actuarias Livius dixit, his verbis: Ναῦς δὲ καταφράκτους δώδεκα ἔχειν μόνας, αἷς ἐς τοὺς ὑπηκόους πολέμου κατείργειν. πολεμουμένοις δὲ καὶ πλείοσι χρῆσθαι. E *Naves tectas duodecim habere solas, quibus subditos ad obsequium bello inferendo cogere possint: lacessitos autem & pluribus uti licere.* Quo loco legendum fortasse ἀφράκτους, & δέκα, non δώδεκα. Appianus enim sequutus est Polybium, quem in plerisque locis Livius visus est vertisse ad verbum. Neque tamen existimes ἄφρακτα accipi pro actuariis. Tullius enim *l.* X *Epistolarum ad Atticum*, discrimen ponere videtur, dum inquit: Recordor enim æstate cum illo Rhodiorum ἀφράκτῳ navigans, quam fuerim sollicitus: quid duro tempore anni actuaria fore censes? Aphracta enim Tullius inter longas naves posuisse videtur *l.* V. *ad* F *Atticum*: Nos Rhodiorum ἀφράκτοις, cæterisque longis navibus tranquillitates aucupaturi eramus. Actuariolum etiam dicimus, quod decem remis agebatur. Tullius XVI. *ad At.* Hæc ego conscendens e Pompejano tribui actuariolis decem scalmis. Actuarium navigium puto a Græcis dictum κωπῆρες, & maxime a Thucydide & Plutarcho. Thucyd. in IV. Λακεδαιμονίοις καὶ τοῖς ξυμμάχοις πλεῖν μὴ μακρᾷ νηΐ, ἄλλῳ δὲ κωπήρει πλοίῳ, ἐς πεντακόσια τάλαντα ἄγοντι μέτρα. Id est, *Lacedæmonios sociosque Lacedæmoniorum navigare non longa navi, sed alio*

actuario navigio, capaci pondo talentorum quinque millium. Si Laurentius Valla aliter vertit, falsus est, ut in plerisque aliis. Plutarchus in *Antonio*: Αντώνιος μὲν ἐπεφοίτα πανταχόσε κωπήρει, τὰς στρατιώτας παρακαλῶν. Id est, *Antonius quidem actuario itabat quoquoversus, milites cohortans.* Plutarchus in *Alexandro* πορθμεῖα κωπήρη dixit, quæ remis incitarentur: quasi dicas pontones actuarios. Strabo in XI. ἀκάτια posuit pro prædatoriis navigiis, his verbis: Ζῶσι δὲ ἀπὸ τῶν κατὰ θάλασσαν λῃστηρίων, ἀκάτια ἔχοντες λεπτὰ, στενὰ καὶ κοῦφα, ὅσον ἀνθρώπους πέντε καὶ εἴκοσι δεχόμενα. σπανίως δὲ τριάκοντα δέξασθαι τὰς πάντας δυνάμενα. Id est, *A latrociniis, quæ in mari factitant, vitam tolerant, acatia habentes levia, angusta & velocia, quæ vix vectores vigintiquinque recipiant: rarum autem est, ea posse in totum triginta capere.* Ipse Laurentius ἀκάτιον *actuarium* vertit, haud scio quam recte. Plinius enim *l.* IX. c. XXX. usus est vocabulo Græco, quum Latine reddere non posset: ejus verba adscribam: Navigeram similitudinem & aliam in Propontide visam sibi prodidit Mutianus: concham esse acatii modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata: in hac condi nauphum animal sepiæ simile, ludendi societate sola duobus hoc fieri generibus: tranquillo enim vectorem demissis palmulis ferire ut remis: si vero flatus invitent, easdem in usum gubernaculi porrigi, pandique concharum sinus auræ hujus voluntatem esse, ut ferat: illius, ut regat. Quod si Plinius putasset acatium posse dici Latine actuarium, non credo Græco vocabulo usus fuisset Mutianus, quem auctorem sequitur, & refert Rom. hominem & ter consulem. Aulus Hirtius *de Bello Alexandrino* dixit navigium, quod ἀκάτιον Plutarchus in *Cæsare*: Τρίτον δὲ περὶ τῇ Φάρῳ μάχης συνεστώσης, κατεπήδησε μὲν ἀπὸ τοῦ χώματος εἰς ἀκάτιον, καὶ παρεβοήθει τοῖς ἀγωνιζομένοις. ἐπιπλεόντων δὲ πανταχόθεν αὐτῷ τῶν Αἰγυπτίων, ῥίψας αὑτὸν εἰς θάλασσαν, ἀπενήξατο μόλις καὶ χαλεπῶς. *Tertio autem prælio ad Pharum inito ab aggere in acatium desiliit, & decertantibus auxilium tulit: concurrentibus vero in se undique Ægyptiis, se in mare dejecit, vixque ad suos enatavit.* Hirtius autem sic: Cæsar quoad potuit, cohortando suos ad pontem & munitiones contendere, eodem in periculo versatus est. Postquam universos cedere animadvertit, in suum navigium se recepit: quo multitudo hominum insequuta quum irrumperet, neque administrandi neque repellendi a terra facultas daretur: fore quod accidit suspicatus, sese ex navigio ejicit, atque ad eas quæ constiterant longius naves adnatavit. Tranquillus scapham vocat, his verbis: Eruptione hostium subita compulsus in scapham, pluribus eodem præcipitantibus, quum desiluisset in mare, nando per ducentos passus evasit ad proximam navem. Fuerunt tamen & maxima acatia, ut ex Polybio in primo collegisse memini: Παρεσκεύαζον δὲ καὶ τὰ περιλειπόμενα τῶν πλοίων, τριήρεις καὶ πεντηκοντόρους καὶ τὰ μέγιστα τῶν ἀκατίων. *Reliqua præterea navigia expediebant, triremes & actuarias naves & maxima acatia.* Ακατος etiam dicitur a Thucydide & Luciano *De veris narrationibus*, qui agebatur velis potius quam remis: Καὶ τὴν ναῦν, ἄκατος δὲ ἦν, ὡς πρὸς μέγαν καὶ μέγαν καὶ βίαιον πλοῦν, ἐκρατυνάμην. *Et navem, quæ acatus erat, ut ad longam sævamque navigationem ferendam esset idonea, armandam instruendamque curavi.* Et paulo post subdit: Καὶ οὐκ ἔτι οὐδὲ στεῖλαι τὴν ὀθόνην δυνατὸν ἦν. ἐπιτρέψαντες οὖν τῷ πνεύματι. *Neque amplius contrahere vela in potestate nostra erat: quæ quidem vento permisimus.* Thucyd. in septimo: Εκλειον οὖν τόν τε λιμένα εὐθὺς τὸν μέγαν, ἔχοντα τὸ στόμα ὀκτὼ σταδίων, μάλιστα τριήρεσι πλαγίαις καὶ πλοίοις καὶ ἀκάτοις ἐπ' ἀγκυρῶν ὁρμίζοντες. *Clauserunt igitur statim portum majorem, cujus fauces octo stadiorum intervallo patebant: idque effecerunt, obliquis triremibus navigiisque & acatiis in ore ejus collocatis, anchorisque firmatis.* Idem Thucydides ἀκάτιον ἀμφήρικον dixit, ἐν ᾧ ἕκαστος τῶν ἐλαυνόντων δικωπίας ἔρεττε, his verbis: Οὗτοι τοιόνδε ἐποίησαν. ἀκάτιον ἀμφήρικον, ὡς λῃσταὶ, ἐκ πολλοῦ τεθεραπευκότες τὴν ἄνοιξιν τῶν πυλῶν, εἰώθεσαν ἐπὶ ἁμάξῃ, πείθοντες τὸν ἄρχοντα, διὰ τῆς τάφρου κατακομίζειν τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν θάλασσαν. *Illi tale quiddam fecerunt: acatium ambireme, ceu prædones, multo antea aucupantes facultatem aperiendarum portarum, imposuerunt currui, quo nocte intempesta (permissu magistratus) per fossam transportarent ad mare.* Distuli in hunc locum dicere de lembis, quos Virgilius in primo *Georgicon* ponit inter fluvialia, his versibus;

Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amne.

Livius lembos videtur habere inter actuaria, *Decadis* quartæ *l.* quarto: Naves, quas civitatibus maritimis ademisset, redderet: neve ipse navem ullam, præter duos lembos, qui non plus quam sedecim remis agerentur, haberet. Idem Livius *Decadis* tertiæ *l.* primo, vocat actuarias naves eas quæ a Polybio lembi dicuntur, dum ait: Ab actuariis aliquot navibus ad alteram ripam pertrahitur. Polybius autem, οἷς ἔμελλον οἱ λέμβοι ῥυμουλκοῦντες οὐκ ἐάσειν, &c. Sed ea videbimus in rate, ubi agetur de transportandis ab Annibale elephantis. Erant & majores lembi ad belli usum non inutiles. Itaque classem lemborum legimus non semel apud Livium, & maxime *Decadis* quintæ *lib.* quinto: Antenor, qui cum classe lemborum ad Phanas stabat, Cassandriam inde trajecit. Idem Livius *Decadis* quartæ *l.* II. Peninsula est Peloponnesus angustiis Isthmi faucibus continenti adhærens, nulli aptior atque opportunior quam navali bello. Si centum tectæ naves, & quinquaginta leviores apertæ, & centum triginta Issiaci lembi maritimam oram vastare, & expositas prope in ipsis litoribus urbes cœperint oppugnare. Diodorus *l.* XX. Αθροίσας τὰς ἀδροτάτους τῶν λέμβων, καὶ τούτους καταφράξας σανίσι, καὶ θυρίδας κλειστὰς κατασκευάσας, ἐνέθετο μὲν τῶν τρισπιθάμων ὀξυβελῶν τὰς πορρωτάτω βάλλοντας. καὶ τοὺς τούτοις κατὰ τρόπον χρῆσθαι δυναμένους. Id est, *Congregatis iis lembis qui maxime expediti videbantur, iisque cratibus & pluteis contectis, additis quoque fenestris quæ clauderentur, imposuit machinas quæ tela quam longissime emittere valerent: eosque homines qui illis machinationibus exacte uti possent.* Quibus etiam veluti præcursoribus, vel, ut Cæsaris verbo utar, *antecessoribus* utebatur. Polybius in primo: Ομοίως δὲ καὶ τοῖς ἐκ τῶν Συρακουσῶν προαπεσταλμένοις ταμίαις ἀνήγγειλαν οἱ προπλεῖν εἰθισμένοι λέμβοι τὸν ἐπίπλουν τῶν ὑπεναντίων. Id est, *Similiter & quæstoribus qui a Syracusanis præmissi erant, enuntiarunt lembi qui solebant antecedere, adversariorum incursum & adventum.* Thucyd. in sexto πρόπλους ναῦς vocat eas quæ præmissæ fuerant: Καὶ τὰς προπλοὺς ναῦς ἐκ τῆς Εγέστης ἅμα προσέμενον, βουλόμενοι εἰδέναι περὶ τῶν χρημάτων εἰ ἔστιν. *Et naves exploratorias ex Egesta simul expectabant, cupientes de nummis fieri certiores, an curati essent necne.* Et paulo post: Αἱ δ' ἐκ τῆς Εγέστης τρεῖς νῆες πρόπλοι παραγίγνονται τοῖς Αθηναίοις ἐς τὸ Ῥήγιον ἀγγέλλουσαι, ὅτι τἆλλα μὲν οὐκ ἔστι χρήματα ἃ ὑπέσχοντο. Id est, *Egesta tres naves, quæ explorandi causa præmissæ erant, præsto fuere Atheniensibus ad Rhegium: nuntiaruntque nullam curatam pecuniam quam polliciti fuerant.*




TAB. V.
Fig. 3.
A
B
C
D
E
Fig. 1
Fig. 2.

Xenophon in v. Ἑλληνικῶν, πρωτόπλους vocat quæ in prima acie erant, his verbis: Παραγγείλας δὲ τοῖς πρωτόπλοις τῶν μεθ' αὐτοῦ μὴ ἐμβάλλειν τοῖς ὑστάτοις, ἐδίωκε τὰς προεχούσας. ἐπεὶ δὲ ταύτας ἔλαβεν, ἰδόντες οἱ ὕστεροι ἁλισκομένους σφῶν αὐτῶν τοὺς πρόπλους, ὑπ' ἀθυμίας καὶ τῶν βραδυτέρων ἡλίσκοντο. Plutarchus in *Catone* κατασκοπικὰ vocat: Ἦσαν δὲ πεντακοσίων μὲν οὐκ ἐλάττους αἱ μάχιμοι, λιβυρνικὰ δὲ καὶ κατασκοπικὰ καὶ ἄφρακτα παμπληθῆ. Id est, *Erant non minus quam quingentæ aptæ ad præliandum, liburnicæ autem & exploratoriæ apertæque ingenti numero*. Quibus Thucydidis verbis exploratoria potius quam speculatoria navigia significantur, quæ a Græcis & in his Plutarcho κατασκοπικὰ dicuntur, & aliquot Latinis. Aulus Hirtius in quinto: Literisque celeriter in Siciliam ad Atticum & Rabirium Posthumium conscriptis, & per catascopum missis, ut sine mora, aut ulla excusatione hyemis ventorumque, exercitus sibi quam celerrime transportarentur. Tullius in quinto *ad Atticum* catascopium dixit in *loco* supra *citato*: Aphracta Rhodiorum, & dicrotum Mitylenæorum, & aliud catascopium. Livius *Decadis* tertiæ *l*, 11. speculatorias dixit: Inde duæ Massiliensium speculatoriæ præmissæ retulerunt classem Punicam stare in ostio fluminis. Polybius in tertio, προαπέστειλα κατασκεψομένας δύο ναῦς ταχυπλούσας Μασσαλιωτικάς. Cæsar etiam in quarto speculatoria navigia protulit: Quod quum animadvertisset Cæsar, scaphas longarum navium, item speculatoria navigia militibus compleri jussit: & quos laborantes conspexerat, iis subsidia summittebat. Κέλης, ut mihi quidem videtur, ponendus est inter actuaria, dictus per metaphoram equi celetis, quod unico tantum per transtra remo agatur. Κέλης enim equus dicitur qui ab uno sessore agitatur & regitur. Palæphatus Περὶ κενταύρων: Νεανίσκοι δέ τινες ἐκ τῆς ὑπωρείας ἐκ κώμης τινὸς καλουμένης Νεφέλης, ἐπινοοῦσιν ἵππους κέλητας διδάξαι. πρότερον γὰρ οὐκ ἠπίσταντο ἐφ' ἵππων ὀχεῖσθαι, ἀλλὰ μόνον ἅρμασιν ἐχρῶντο. Id est. *Juvenes quidam e radice montis profecti a vico quodam vocato Nebula, excogitant equos celetas condocefacere, in iisque sedere. Nam ante id tempus nesciebant in equis sedere, solum curribus utebantur.* Quibus verbis planum fit, quid sit κέλης equus, ex quo κέλης dictus, quod uno remo, & non binis aut ternis per sedilia ageretur: quum tamen plures remiges haberet. Polybius in quinto: Ἔλαβε δὲ καὶ κέλητα περὶ τὸ Ῥίον Αἰτωλικὸν ὁμοῦ τῷ πληρώματι. Id est, *Cepit & celocem secundum Rhium Ætolicum simul cum sociis navalibus*. Dicitur & κελήτιον. Thucyd. in primo: Ἔδοξεν οὖν αὐτοῖς, ἄνδρας ἐς κελήτιον ἐμβιβάσαντας, ἄνευ κηρυκείου προπέμψαι τοῖς Ἀθηναίοις. *Visum itaque est, aliquot hominibus in parvulum celocem impositis, sine caduceo præmittere ad Athenienses*. Idem alio loco: Θηραμένης μὲν παραδοὺς Ἀστυόχῳ τὰς ναῦς, ἀποπλέων ἐν κέλητι ἀφανίζεται. Id est, *Theramenes quidem traditis Astyocho navibus, delatus in celoce extinguitur*. Quo loco *celocem* vertit Valla fortasse non inepte: Gellius enim in x. his verbis usus est: Celoces, vel, ut Græci dicunt, celetes. Xenophon in primo Ἑλληνικῶν: Τῷ δὲ Ἐτεονίκῳ ὑπηρετικὸς κέλης πάντα ἐξήγγειλε τὰ περὶ τῆς ναυμαχίας. Id est, *Eteonico autem omnia quæ in prælio contigerant, per exploratorium celocem nunciata sunt*. Idem in quarto, de Brasida, αὐτὸς δὲ ἐν κελητίῳ ἄπωθεν ἐφεπόμενος, sic verterem, *Ipse autem parvulo celoce eminus subsequens*. Valla vertit *actuarium*, & non *celocem*, ut sibi non satis constare videatur. Appianus in secundo *de Bello Civili*: Ἔπεμπε τρεῖς θεράποντας ἐπὶ τὸν ποταμὸν ἀπὸ δυόδεκα σταδίων ὄντα, οἱ κελήτιον ὀξὺ, καὶ κυβερνήτην τὸν ἄριστον, ὡς τινι πεμπομένῳ πρὸς Καίσαρος, ἔμελλον ἑτοιμάσειν. Id est, *Misit tres servos ad flu-*

A *vium qui aberat duodecim stadiorum intervallo, qui instruendum curarent celocem celerem cum optimo rectore, ad usum ejus qui veluti a Cæsare mitteretur*. Plutarchus in *Cæsare* πλοῖον δωδεκάσκαλμον vocat: Ἀπορούμενος δὲ καὶ περιπαθῶν δεινὸν ἐβουλεύσατο βούλευμα, κρύφα πάντων ἐς πλοῖον ἐμβὰς τὸ μέγεθος δωδεκάσκαλμον, ἀναχθῆναι πρὸς τὸ Βρεντέσιον. Id est, *In anxietate constitutus rerumque difficultate, rem arduam excogitavit, clam omnibus conscenso duodecim scalmorum navigio, illinc seducere Brundusium*. Dicitur & ἐπακτροκέλης ab Aristotele in primo Περὶ ἑρμηνείας, quod est navigium prædatorium, si Suidæ credimus. Xenophon in primo Ἑλληνικῶν,
B ἐπακτρίδα posuit: Ἐνταῦθα δὲ καὶ Ἀλκιβιάδης ἧκεν ἐκ τῶν Κλαζομενῶν σὺν πέντε τριήρεσι καὶ ἐπακτρίδι. Quicunque ille fuit qui librum illum conscripsit, quod Etymologicum magnum inscribitur, is exponens verbum κελητίζειν, existimavit, haud scio quam recte, ἐπακτροκέλητα esse εἶδος πλοίου λῃστρικοῦ, ὅ ἐστι γαλία. A celete celetizontes pueri dicti a Plinio *libro* trigesimo quarto, *capite* octavo. Idem celetizontas pueros fecit, id est, sedentes in equis & eos agitantes. Ponendi sunt & cercuri inter actuaria. Livius *Decadis* quartæ *lib*. tertio: Ipse cum classe centum tectarum navium, ad hæc levioribus navi-
C giis, cercurisque ac lembis ducentis proficiscitur. Appianus in *Mithridate*, Κερκούρους τέ τινας ἐς τοῦτο συνέπεμψεν αὐτῷ. Strabo etiam meminit. Est & ἁλιὰς inter leviora minoraque navigia. Plutarchus in *Pompejo*: Ὡς οὖν εἶδον οὐ βασιλικὴν, οὐδὲ λαμπρὰν, οὐδὲ τῆς Θεοφάνους ἐλπίσιν ὁμοίαν ὑποδοχὴν, ἀλλ' ἐπὶ μιᾶς ἁλιάδος προσπλέοντας ὀλίγους ἀνθρώπους. *Ubi igitur vident minime regium, minimeque splendidum, neque Theophanis spei congruentem receptum: sed in unico navigiolo navigantes paucos viros*. Quum non satis scirem quod genus navigii esset ἁλιὰς, adii Appianum, qui in eodem *Historiæ* loco sic ait: Κυρωθείσης δὲ τῆς γνώμης, σκάφος εὐτε-
D λὲς ἐπ' αὐτὸν ἐπέμπετο, ὡς τῆς θαλάσσης οὔσης ἀλιτενοῦς, καὶ μεγάλαις ναυσὶν οὐκ εὐχεροῦς. Id est, *Approbata ab omnibus sententia miserunt ad eum vile navigium, propterea quod mare illic diceretur vadosum, minimeque capax magnarum navium*. Cæsar etiam in tertio *de Bello Civili*, naviculam parvam vocat, quam ἁλιάδα dixit Plutarchus: Ab his liberaliter ipse appellatus, & quadam notitia Septimii productus, quod bello prædonum apud eum, ordinem duxerat, naviculam parvam conscendit cum paucis: & ibi ab Achilla & Septimio interficitur. Plutarchus *Timoleonte*, oneri aptam & frumentariam fecit, propterea quod necessitas urgeret, dum ait,
E σῖτον ἐκ Κατάνης μικραῖς ἁλιάσι καὶ λεπτοῖς ἀκατίοις ὑποστέλλων. Idem Plutarchus in eo libro qui Ἀποφθέγματα inscribitur, quid sit ἁλιὰς, apertius declarare videtur, quam ut dubitare debeamus: ubi de eadem fuga Pompeii tractat: Μετὰ δὲ τὴν ἐν Φαρσάλῳ μάχην φεύγων εἰς Αἴγυπτον, ὡς ἔμελλε μεταβαίνειν ἐκ τῆς τριήρους εἰς ἁλιευτικὸν πλοῖον, ἀποστείλαντος τοῦ βασιλέως. Vides ut quam supra dixerat ἁλιάδα, nunc vocet ἁλιευτικὸν πλοῖον, id est, *navem piscatoriam*: ut nemo vel mediocris judicii dubitare queat, quin ἁλιὰς sit ἁλιευτικὸν πλοῖον. Sic eruenda veritas rerum obscurarum, conquirendis conferendisque inter se authorum locis. Fluviatilium
F navium formas in antiquis monimentis tales vidimus, quales in TAB. IV. *fig*. 2. & TAB. IV. *fig*. 3. Scapha antiqua ad vinum circumferendum, TAB. IV. *fig*. 4. Scapha fluviatilis ad merces convehendas, TAB. V. *fig*. 1. Pontem navibus fluviatilibus constratum hac forma vidimus Romæ in columna Trajani, TAB. V. *fig*. 2. Nunc de fluviatilibus dicendum, quæ sic dicuntur a Livio primæ *Decadis libro* decimo: Ibi captivis proximo vico in custodiam datis, pars fluviatiles naves ad superanda va-

da stagnorum apte planis alveis fabricatas, pars captiva navigia armatis complent. Polybius in tertio *ποτάμια πλοῖα* vocat, his verbis: *Καταλύσας δὲ ἐν τῇ δευτέρᾳ, καὶ γεφυρώσας τοῖς ποταμίοις πλοίοις τὴν διάβασιν, Ἀσδρούβᾳ μὲν ἐπέταξε διακομίζειν τὸ πλῆθος, αὐτὸς δὲ διαβὰς εὐθέως, ἐχρημάτιζε τοῖς παραγεγονόσι πρεσβευταῖς ἀπὸ τῶν σύνεγγυς τόπων.* Id est, *Quum secundo die constitisset, flumenque ponte fluviatilibus lembis imposito junxisset, Asdrubali negotium dedit exercitum trajiciendi: ipse autem trajecto statim flumine, responsa dabat legatis qui aderant a locis propinquis.* Diodorus *l.* vigesimo: *Καὶ πολλῶν μὲν σκαφῶν ποταμίων αὐτοῖς παρεσκευασμένων, πάντων δὲ τούτων ἐχόντων βέλη παντοῖα, καὶ τοὺς χρησομένους αὐτοῖς ἄνδρας, οἱ περὶ τὸν Ἀντίγονον οὐ μετρίως ἠπορεῦντο.* Id est, *Multis illi conquisitis fluviatilibus navigiis: iis autem omnibus habentibus multiplicia telorum genera, virosque qui iis ex arte uti scirent, Antigonus cum suis leviter premebatur.* Idem in *eodem* de Semiramide: *Διεσκευάσατο κατασκευάζειν ποτάμια πλοῖα διαιρετὰ διὰ τὴν μετακόμισιν, διακεκομμένα καὶ πάλιν ἁρμοζόμενα.* Id est, *Curavit construenda navigia fluviatilia, quæ facile solverentur, ut expedite magis transportari possent, dissoluta: iterumque ubi usus esset, compacta.* Strabo ejusmodi naves *πάκτωνας* vocat *lib.* decimoseptimo: *Διέβημεν δὲ εἰς τὴν νῆσον ἐπὶ πάκτωνος. ὁ δὲ πάκτων διὰ σκυταλίδων πεπηγός ἐστι σκάφιον, ὥς τε ἐοικέναι διπλοκίνῳ.* Quod idem author *πορθμεῖον* vocat. Inter fluviatiles sunt lintres quæ remis agebantur, ut palam fit ex Cæsare in septimo *Commentariorum*: Conquirit etiam lintres: has magno sonitu remorum incitatas in eandem partem mittit. Livius *Decadis* tertiæ *lib.* primo: Itaque ingens coacta vis navium est, lintriumque temere ad vicinalem usum paratarum. Tullius *pro Milone*: Repente lintribus in eam insulam materiam, calcem, cementa, atque arma convexit. Extat jocus apud Tullium *de Claris Oratoribus*: Quem C. Julius in perpetuum notavit, quum ex eo in utranque partem toto corpore vacillante quæsivit, quis loqueretur e lintre. Fiebant quoque naves vitiles e corio in Britannico oceano, Plinii tempore, ut testatur in septimo: Etiam nunc in Britannico oceano vitiles corio circumsutæ fiunt, in Nilo ex papyro, & scirpo, & arundine. Herodotus quoque in *Κλειοῖ*, ejusmodi naves fluviatiles admiratur: *Τὰ πλοῖα αὐτοῖσί ἐστι, τὰ κατὰ τὸν ποταμὸν πορευόμενα ἐς τὴν Βαβυλῶνα, ἐόντα κυκλοτερέα, πάντα σκύτινα. ἐπεὰν γὰρ ἐν τοῖσι Ἀρμενίοισι κατύπερθε Ἀσσυρίων οἰκημένοισι νομέας ἰτέης ταμόμενοι, ποιήσωνται, περιτείνουσι τούτοισι διφθέρας στεγαστρίδας ἔξωθεν, ἐδάφεος τρόπον, οὔτε πρύμνην ἀποκρίνοντες, οὔτε πρῴρην συνάγοντες, ἀλλ' ἀσπίδος τρόπον κυκλοτερέα ποιήσαντες, καὶ καλάμης πλήσαντες πᾶν τὸ πλοῖον τοῦτο, ἀπιεῖσι κατὰ τὸν ποταμὸν φέρεσθαι, φορτίων πλήσαντες. μάλιστα δὲ βίκους φοινικηΐους κατάγουσι οἴνου πλέους. ἰθύνεται δὲ ὑπό τε δύο πλήκτρων καὶ δύο ἀνδρῶν ὀρθῶν ἑστεώτων. καὶ ὁ μὲν ἔσω ἕλκει τὸ πλῆκτρον, ὁ δὲ ἔξω ὠθέει. ποιέεται δὲ καὶ κάρτα μεγάλα ταῦτα τὰ πλοῖα, καὶ ἐλάσσω. τὰ δὲ μέγιστα αὐτέων, καὶ πεντακισχιλίων ταλάντων γόμον ἔχει. ἐν ἑκάστῳ δὲ πλοίῳ ὄνος ζωὸς ἔνεστι, ἐν δὲ τοῖσι μέζοσι πλεῦνες.* Id est, *Navigia illis sunt, quæ secundo flumine deferuntur Babylonem versus, omnia circulari forma, eaque ex aluta. Ubi enim Armenii qui supra Assyrios habitant, ligna circularia e salice coaptarunt, obtendunt extrorsus tegumenta e pellibus, quibus soli utuntur carinæque loco, nulla neque puppis neque proræ forma discreta: verum scuti instar, in orbem composita stipula referciunt, illudque navigium flumini permittunt, mercibus onustum: præcipue autem bicos e palmarum foliis comportant vino refertos. Reguntur autem a gubernaculis duobus, cum totidem hominibus qui stant: quorum alter trahit, alter extrinsecus propellit. Fiunt autem & hæc navigia valde magna, nonnulla & minora: eorum autem maxima ferunt onus talentorum quinque millium. Inest & in unoquoque navigio asinus vivus, in majoribus etiam plures.* Νομέας autem vocat ξύλα περιφερῆ, id est, *rotunda*: quæ *costæ* dici possunt. Diodorus Siculus *lib.* decimonono, ubi de adnavigantibus ad Asphaltum in quodam lacu, miram rationem non navium sed fascium, quæ tamen usum navium præstent, refert, his verbis: *Παρασκευασάμενοι γὰρ δεσμὰς καλάμων εὐμεγέθεις, ἐμβάλλουσιν εἰς τὴν λίμνην. ἐπὶ δὲ τούτων ἐπικάθηνται οὐ πλείω τριῶν. δύο μὲν ἔχοντες προσδεδεμένας πλάτας, κωπηλατοῦσιν, εἷς δὲ φορῶν τόξα, τοὺς προσπλέοντας ἐκ τοῦ πέραν ἢ βιάζεσθαι τολμῶντας ἀμύνεται. ὅταν δὲ πλησίον γένωνται τῆς Ἀσφάλτου, πελέκεις ἔχοντες ἐπιπηδῶσι, καὶ καθάπερ μαλακῆς πέτρας ἀποκόπτοντες, γεμίζουσι τὴν δεσμήν, εἶτα ἀποπλέουσιν εἰς τοὐπίσω. ἂν δέ τις αὐτῶν ἀποπέσῃ, τῆς δεσμῆς διαλυθείσης, μὴ δυνάμενος νεῖν, οὐ καταδύεται καθάπερ ἐν τοῖς ἄλλοις ὕδασιν. ἀλλ' ἐπινήχεται τοῖς ἐπισταμένοις ὁμοίως. φύσει γὰρ τοῦτο τὸ ὑγρὸν παραδέχεται βάρος, ᾧ συμβαίνει μετέχειν αὐξήσεως ἢ πνοῆς, ἔξω τῶν στερεῶν.* Id est, *Calamorum fasces admodum ingentes inter se conjungunt immittuntque in paludem, in quibus insident non plures tribus hominibus: quorum duo habent adalligatos remos latos, iisque remigant: alius vero ferens arcus, adnavigantium ex adverso vel vim inferre conantium impetum propulsat. Ubi vero propius ad Asphaltum accessere, arreptis securibus operi intendunt: & tanquam e molli petra excidentes, implent ratem colligatam e fascibus; deinde retro revertuntur. Quod siquis eorum dissoluta rate in aquam incidat natandi nescius, non pessum it, ut in aliis aquis fieri solet: sed perinde atque periti natandi, supernatat: natura enim illud humidum, pondus sustinet omne, cui contigit participem esse incrementi, vel spiritus, extra quam si de solidorum genere fuerit.* Nec istorum ratis absimilis est proverbiali illi, quem *ῥίπα* Græci vocant. Lucianus, *ἐπὶ ῥιπὸς, ὥς ἡ παροιμία φησὶ, τὸν Αἰγαῖον ἢ τὸν Ἰόνιον διαπλεῦσαι θέλοντα.* Aristophanes *ἐν Εἰρήνῃ*, de Sophocle, *κέρδους ἕκατι κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοι*: quo loco Interpres *ῥίπα* dixit esse *ἱμαντῶδες φυτόν*. Strabo in decimoquinto *σχεδίας καλαμίνας* dixit, ubi de *Ἀσφάλτῳ* mentionem facit. Fuerunt & monoxylæ lintres, ut apud Plinium in sexto: Regio autem ex qua piper monoxylis lintribus Baracem convehitur, vocatur. Quas designare videtur Livius *Decadis* tertiæ *lib.* primo: Novasque alias primum Galli inchoantes cavabant ex singulis arboribus: deinde & ipsi milites simul copia materiæ, simul facilitate operis inducti, alveos informes, nihil dummodo innare aquæ & capere onera possent, curantes, raptim faciebant. Alveum autem pro carina videtur sumpsisse Livius *Decadis* tertiæ *lib.* tertio, dum ait: Ibique adeo non armamenta modo, sed etiam alvei navium quassati erant. Subductæ naves dum reficiuntur, aliquantum temporis contriverunt. Salustius in *Bello Jugurthino*: Hique alveos navium inversos pro tuguriis habuere. Alveum etiam pro vase ligneo posuit idem Livius in primo: Tenet fama, quum fluitantem alveum quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset, lupam sitientem ex montibus qui circa sunt, ad puerilem vagitum cursum flexisse. Quem alveum Plutarchus in *Romulo* *σκάφην* vocat: *Ἐνθέμενος οὖν εἰς σκάφην τὰ βρέφη, κατέβη μὲν ἐπὶ τὸν ποταμὸν ὡς ῥίψων.* *Impositis in alveum pueris, descendit ad fluvium ut projecturus.* Scapha enim non solum naviculam significat, sed etiam vas concavum, quod etiam nunc nomen retinet apud Venetos. Plutarch. in *Demetrio* *ἐφόλκιον* appellat: *Καὶ κατὰ ναῦν ἀτρέμας ἔχειν πάντας κελεύσας, αὐτὸς ἐμβὰς*

ἐμβὰς εἰς τὸ ἐφόλκιον, ἐξῆλθε μόνος. *Jussisque in navi omnibus conquiescere, ipse conscendens in scapham, exiit solus*. Plane scapha est tanquam in instrumento navis, & siquis navem cum instrumento emerit, præstari ei debet scapha, secundum Labeonem in tractatu *De fundo instructo*: etiamsi Paulus id notet, dicatque scapham mediocritate non genere a nave differre. Erat longarum navium, ut constat ex quarto *Commentariorum* Cæsaris, his verbis: Quod quum animadvertisset Cæsar, scaphas longarum navium, item speculatoria navigia militibus compleri jussit: quæ verba supra citavimus. Livius *Decadis* tertiæ *libro* quinto: Inde acceptus scapha in arcem confugit. Et in *eodem*: Exceptis in præparatas scaphas nautis. Veneti *schipho* & *copano* vocant, navium onerariarum, *il batello*. Strabo in primo vocat δίκωπα σκαφίδια, scaphas parvas, quæ agerentur tantum duobus remis: ubi de piscatione γαλεωτῶν ait: Σκοπὸς γὰρ ἐφέστηκε κοινὸς τοῖς ὑφορμοῦσιν ἐν δικώποις σκαφιδίοις πολλοῖς· δύο καθ' ἕκαστον σκαφίδιον, καὶ ὁ μὲν ἐλαύνει, ὁ δ' ἐπὶ τῆς πρώρας ἕστηκε δόρυ ἔχων, Lucianus δικωπίαν vocat, dum ait, Ἐγὼ πρεσβύτης ὢν τὴν δικωπίαν ἕλκων, ἐρέττω μόνος. Tullius secundo *de Inventione*: Postea aliquanto ipsos quoque tempestas vehementius jactare cœpit, usque adeo ut dominus navis, quum idem gubernator esset, in scapham confugeret: σκάφος autem in neutro accipitur pro communi navium cujuscunque generis vocabulo, ut vidimus in plerisque locis supra citatis: inde σκάφη πεντηρικὰ apud Diodorum in xx. pro navibus quadriremibus: Συνέβη πολλὰ τῶν πεντηρικῶν σκαφῶν ὑπὸ τοῦ χειμῶνος κατενεχθῆναι παραβόλως ἐπὶ πόλιν οὖσαν δυσπροσόρμιστον καὶ τεναγώδη. Idem in *eodem*: Διεφθάρη δὲ ἐν τούτῳ τῷ σάλῳ τρία σκάφη τῶν πεντηρικῶν, ἐξ ὧν ἔνιοι τῶν ἀνδρῶν διεσώζοντο. Dicitur & σκαφίδιον, quo vocabulo non semel utitur Lucianus in *Dialogo* qui inscribitur Χάρων, μηδὲ διαψύξαι τὸ σκαφίδιον. Cymbam Latini, & in iis Juvenalis:

Atque una transire vadum tot millia cymba
Nec pueri credunt.

Sumitur & σκάφος pro concavitate & ventre navis, ἀπὸ τοῦ σκάπτειν. Inde scaphium, pro vase, ut diximus in tractatu *De Vasculis*, & etiam pro ligone eo quo exercebantur athletæ. Inde apud Juvenalem:

Et ride, scaphium positis quum sumitur armis.

Οἱ γὰρ γυμνασταὶ τούτοις ἐχρῶντο ὑπὲρ γυμνασίας, τῇ σκαπάνῃ σκάπτοντες, καὶ τὰ ἄνω μέρη ἀναῤῥωννύντες. Id scriptum inveni in *Scholiis Græcis in quartam eclogam Theocriti*, si tibi probabitur ejus authoritas. Cujus scaphii meminit Plutarchus in *Arato*: Ἐπιφαίνεται δ' ἀμέλει καὶ τῆς εἰκόσιν ἀθλητική τις ἰδέα, καὶ τὸ συνετὸν τοῦ προσώπου καὶ βασιλικὸν οὐ παντάπασιν ἀρνεῖται τὴν ἀδηφαγίαν καὶ τὸ σκαφεῖον. Id est, *Extat enim & imaginibus illius species quædam athletica, regiaque illa & cogitabunda vultus forma non omnino negare videtur victum pugilicum, aut etiam scaphium*. Idem Plutarchus Περὶ δυσωπίας: Ὡς γὰρ ὁ γεωργὸς ἄγριον μὲν ἐκκόπτων βλάστημα καὶ ἀγεννές, αὐτόθεν ἀφειδῶς ἐμβαλὼν τὸ σκαφεῖον, ἀνέτρεψε τὴν ῥίζαν, *Quemadmodum enim agricola fruticem agrestem exscindere cupiens, intrepide demisso ligone radices ipsas evertit*, Idem, Εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτ. Οὐδὲ γὰρ τὰ σώματα παντελῶς ἀκίνητα καὶ ἀγύμναστα περιορῶμεν, ὅτι μὴ δυνάμεθα σκαφείοις μηδὲ ἁλτῆρσι χρῆσθαι. Id est, *Neque enim corpora prorsus immota inexercitaque sinimus: propterea quod non valeamus ligone uti neque halteribus*. Ratem, quam Græco vocabulo schediam vocat, ponit Ulpianus inter naves in tractatu *De exercitoria*, dum inquit. Navem accipere debemus sive marinam, sive in aliquo stagno naviget, sive schedia sit. Et verisimile est id genus navium primum fuisse, ut legimus apud Diodorum in *loco* supra *prolato*, ubi de Argo nave mentio facta est. Virgilius in secundo *Georg.*

—— & pandas ratibus posuere carinas.

Plinius in septimo: Ante ratibus navigabatur, inventis in mari rubro inter insulas a rege Erythra. Tullius nono *ad Atticum*: Legebam tuas literas, quum mihi affertur a Lepta, circunvallatum esse Pompejum, ratibus etiam exitus portus teneri. Quod ipsum convenit cum eo quod scriptum ab eo ipso Cæsare in primo *de Bello Civili*: Quorum operum hæc erat ratio, qua fauces erant angustissimæ portus, molem atque aggerem ab utraque parte litoris jaciebat: quod his locis mare erat vadosum: longius progressus, quum aggere altiore aqua contineri non posset: rates duplices quoquoversus pedum triginta e regione molis collocabat: has quaternis anchoris ex quatuor angulis destinebat, ne fluctibus moverentur. Vitruvius in secundo, ubi de larice: Sed quum portatur, aut in navibus, aut supra abiegnas rates collocatur. Plinius *libro* tertio, *capite* quinto, dicit Tiberim navigari trabibus verius, quam ratibus, his verbis: Sed Tiberis propter aspera & confragosa, ne sic quidem præterquam trabibus verius quam ratibus longe meabilis fertur. Græci, ut dixi, σχεδίας vocant. Polybius in tertio, ubi de Annibale, qui dum Rhodanum transportandos curat elephantos, ratibus usus est: Ἐγένετο δὲ ἡ διακομιδὴ τῶν θηρίων τοιαύτη τις. πήξαντες σχεδίας κατὰ δύο καὶ πλείους ἀραρότως, τούτων δύο πρὸς ἀλλήλας ζεύξαντες βιαίως, ἤρεισαν ἀμφοτέρας εἰς τὴν γῆν κατὰ τὴν ἔμβασιν τοῦ ποταμοῦ, πλάτος ἐχούσας τὸ συναμφότερον ὡς πεντήκοντα πόδας. ταύταις δὲ συζευγνύντες ἄλλας ἐκ τῶν ἐκτὸς προσήρμοζον, προτείνοντες τὴν κατασκευὴν τοῦ ζεύγματος εἰς τὸν πόρον. τὴν δ' ἀπὸ τοῦ ῥεύματος πλευρὰν ἠσφαλίζοντο τοῖς ἐκ τῆς γῆς ἐπιγυίοις, εἰς τὰ περὶ τὸ χεῖλος πεφυκότα τῶν δένδρων ἐνάπτοντες, πρὸς τὸ συμμένειν καὶ μὴ παρωθεῖσθαι τὸ ὅλον ἔργον κατὰ τοῦ ποταμοῦ. ποιήσαντες δὲ πρὸς δύο πλέθρα τῷ μήκει τὸ πᾶν ζεῦγμα τῆς προβολῆς, μετὰ ταῦτα δύο πεπηγυίας σχεδίας διαφερόντως τὰς μεγίστας προσέβαλον ταῖς ἐσχάταις, πρὸς αὐτὰς μὲν βιαίως δεδεμένας, πρὸς δὲ τὰς ἄλλας οὕτως ὥστ' εὐδιακόπους αὐτῶν εἶναι τοὺς δεσμούς. ῥύματα δὲ καὶ πλείω ταύταις ἐνῆψαν, οἷς ἔμελλον οἱ λέμβοι ῥυμουλκοῦντες οὐκ ἐάσειν φέρεσθαι κατὰ τοῦ ποταμοῦ, βίᾳ δὲ πρὸς τὸν ῥοῦν κατέχοντες, παρακομιεῖν καὶ περαιώσειν ἐπὶ τούτων τὰ θηρία. μετὰ δὲ ταῦτα χοῦν ἔφερον ἐπιπάσαντες πολύν, ἕως ἐπιβάλλοντες ἐξωμοίωσαν, ὁμαλὴν καὶ σύγχρουν ποιοῦντες τῇ διὰ τῆς χέρσου φερούσῃ πρὸς τὴν διάβασιν ὁδῷ. τῶν δὲ θηρίων εἰθισμένων τοῖς Ἰνδοῖς μέχρι μὲν πρὸς τὸ ὑγρὸν ἀεὶ πειθαρχεῖν, εἰς δὲ τὸ ὕδωρ ἐμβαίνειν οὐδαμῶς ἔτι τολμώντων, ἦγον διὰ τοῦ χώματος δύο προθέμενοι θηλείας, πειθαρχούντων αὐτοῖς τῶν θηρίων. ἐπεὶ δὲ ἐπὶ τὰς τελευταίας ἐπέστησαν σχεδίας, διακόψαντες τοὺς δεσμούς, οἳ προσηρτῶντο πρὸς τὰς ἄλλας, καὶ τοῖς λέμβοις ἐπισπασάμενοι τὰ ῥύματα, ταχέως ἀπέσπασαν ἀπὸ τοῦ χώματος τά τε θηρία καὶ τὰς ὑπ' αὐτοῖς σχεδίας. οὗ γενομένου διαταραχθέντα τὰ ζῶα, κατὰ μὲν τὰς ἀρχὰς ἐστρέφετο καὶ κατὰ πάντα τόπον ὥρμα, περιεχόμενα δὲ πανταχόθεν ὑπὸ τοῦ ῥεύματος, ἀποδειλιῶντα μένειν ἠναγκάζετο κατὰ χώραν. τοιούτῳ δὴ τρόπῳ προσαρμοζομένων ἀεὶ σχεδιῶν δυοῖν, τὰ πλεῖστα τῶν θηρίων ἐπὶ τούτων διεκομίσθη, τινὰ δὲ κατὰ μέσον τὸν πόρον, ἀπέρριψεν εἰς τὸν ποταμὸν αὐτὰ διὰ τὸν φόβον. ὧν τοὺς μὲν Ἰνδοὺς ἀπολέσθαι συνέβη πάντας, τοὺς δ' ἐλέφαντας διασωθῆναι. διὰ γὰρ τὴν δύναμιν καὶ τὸ μέγεθος τῶν προβοσκίδων ἐξαίροντες ταύτας ὑπὲρ τὸ ὑγρὸν, καὶ διαπνέοντες, ἅμα δ' ἐκφυσῶντες πᾶν τὸ παρεμπῖπτον, ἀντέχοντο πολὺ καθ' ὕδατος ὀρθὴν ποιούμενοι τὴν πορείαν. Hic lector sciat nobis per forenses disceptationes non licuisse supra scripta Polybii Latina facere.

A

Quare quum urgeremur a typographis, illis in solutum Sipontini verba dedimus, quæ sequuntur: *Eorum trajiciendorum consilium hujusmodi fuit: Compluribus paratis ratibus, duas invicem copulatas, a terra in amnem porrigunt, latas pedes quinquaginta. His alias duas a parte ripæ adjiciunt, quas, ne secunda aqua deferrentur, compluribus retinaculis validis ad arbores parte ripæ superiori eminentes alligant: erat earum longitudo ad ducentos pedes. Post hæc, alias duas rates, quæ reliquis longe majores erant, extremis illis leviter adnectunt, quo haud difficulter solvi possint. Ab his pendebant funes aliqui, quibus ab actuariis navibus, postquam dissolutæ a cæteris ratibus essent, trahi in ulteriorem ripam valerent. Postremo eas omnes humo tegunt, ut belluæ per eas sine pavore, veluti per solum, progrederentur. Hoc apparatu facto, elephanti qui Indis ubique, præterquam in undis, parere consueverant, per stabilem ratem, tanquam per viam, prægredientibus duabus fœminis aguntur. Qui ubi in extremas rates applicatas transgressi sunt, extemplo resolutis, quibus leviter annexæ erant, vinculis, ab actuariis navibus pertrahuntur, nihil sane trepidantes, donec continenti agebantur. Ubi vero soluta a cæteris rate in altum se vehi cernebant, undique formidine capti cedentibus ab aqua extremis, aliquantum turbationis edebant. Quietem tamen ipse timor faciebat, omni ex parte aquam circunspicientibus feris. Ita primis expositis, alii deinde repetiti trajectique sunt. Quidam timore sævientes in flumen deciderunt: qui tamen peremptis rectoribus, incolumes evasere. Siquidem & pondere ipso stabiles, & magnitudine prominentium extra aquam narium, quibus emittere, siquid ebiberant, ac respirare poterant, pedetentim vadis progressi, ad ulteriorem ripam recti pervenerunt.* Diodor. *lib.* 19. Ἐνταῦθα δὲ κατασκευάσας σχεδίας, ἐπὶ τούτων τοὺς ἐλέφαντας διεβίβασεν εἰς Ἐπίδαυρον. Et in *eodem*: Παρασκευασάμενος δὲ πλοῖα καὶ σχεδίας ἐκ τε τῆς Εὐβοίας καὶ Λοκρίδος, ἐπεραίωσε τὴν δύναμιν. Id est, *Ibi compositis ratibus in iis elephantos trajecit in Epidaurum.* Et in *eodem*: *Comparatis navigiis ratibusque ex Eubœa & Locride transmisit exercitum.* Thucyd. in sexto: Σικελοὶ δ᾽ ἐξ Ἰταλίας, ἐνταῦθα γὰρ ᾤκουν, διέβησαν ἐς Σικελίαν φεύγοντες Ὀπικοὺς, ὡς μὲν εἰκὸς, καὶ λέγεται, ἐπὶ σχεδιῶν, τηρήσαντες τὸν πορθμὸν κατιόντος τοῦ ἀνέμου. Id est, *Siculi ex Italia (ibi enim habitabant) trajecerunt in Siciliam fugientes Opicos, ut fertur, & verisimile est, ratibus usi fretum trajicientes observata tempestate*,

Erant & alia navium genera, quæ κοντωτὰ dicuntur ab Appiano & Diodoro, quod contis propellerentur. Diodor. *lib.* XIX. ubi de successoribus Alexandri & de Eumene: Συνάγοντος οὖν αὐτοῦ πλοῖα πανταχόθεν πρὸς τὴν διάβασιν, οἱ περὶ Σέλευκον καὶ Πίθωνα κατέπλευσαν δυσὶ μὲν τριήρεσι, κοντωτοῖς δὲ πλείοσιν. ἔτι γὰρ τὰ σκάφη ταῦτα περιῆν ἐκ τῶν ὑπ᾽ Ἀλεξάνδρου ναυπηγηθέντων περὶ Βαβυλῶνα. Id est, *Collectis ibi navibus ex omni parte ad trajectum, Seleucus & Pithon cum suis adveniunt cum duabus triremibus, pluribusque navigiis quæ contis propellebantur. Illa enim navigia adhuc supererant ex iis quæ Alexandri jussu ædificata fuerant Babylone.* Et non longe post subdit: Τῇ δ᾽ ὑστεραίᾳ παρασκευασάμενοι τὰ κοντωτὰ πλοῖα περὶ τριακοσίων ἀριθμὸν ὄντα, διεβίβασαν τὸ κράτιστον τῆς δυνάμεως, οὐδενὸς παρενοχλοῦντος κατὰ τὴν ἔκβασιν. Id est, *Postridie comparatis circiter trecentis navigiis, quæ contis utebantur, robur exercitus trajecerunt, nemine trajectum impediente.* Navigium pro navigatione, & eo quem Græci πλοῦν dicunt, accepisse videtur Jureconsul. in *l. Qui Romæ. §. Callimachus, in tractatu De verborum obligatione*, his verbis: Idque creditum esse in omnes navigii dies ducentos sub pignoribus & hypothecis, mercibus a Beryto comparatis. Et paulo post: Ipse in Syriam per navigium proficiscatur. Aulus Hirtius vel Opius in quinto *de Bello Civili*: Ita vento certo celerique navigio vectus. Marcus vero Tullius ubique, quanta mea memoria est, pro eo quod Græci πλοῖον vocant. Nec si parvi navigii & magni eadem est in gubernando scientia, primo *de Oratore*. Idem *ad Atticum* XV. Prorsus dissolutum offendi navigium, vel potius dissipatum. In *eodem*: Brutus navigia colligebat: erat animus in cursu. Idem *in Verrem*: Non ego a Vibone Veliam parvulo navigio inter fugitivorum ac prædonum ac tua tela venissem. Dicitur & navigiolum. Lentulus in *Epistolis familiaribus* Tullii, *lib.* XII. Ut etiam a Rhodiis, urbe, portu, statione quæ extra urbem est, commeatu, aqua denique prohiberentur nostri milites: nos vix ipsi singulis cum navigiolis reciperemus. Quod Strabo XVII. πλοιάριον dixit: Πᾶσα γὰρ ἡμέρα καὶ πᾶσα νὺξ πληθύει τῶν ἐν τοῖς πλοιαρίοις καταυλουμένων καὶ κατορχουμένων ἀναίδην μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀκολασίας καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν. Id est, *Omnes dies totasque noctes videre est illic homines in navigiolis cum tibiis salientes impudenter, cum summa lascivia cum virorum tum etiam muliercularum.* Xenophon in quarto Ἑλληνικῶν: Αἰσθόμενοι δὲ οἱ ἀπὸ τοῦ Λεχαίου, ἐσβάντες ἐς πλοιάρια παρέπλεον, ἕως ἐγένοντο κατὰ τὴν γήλοφον. Tullius primo *de Oratore* naviculam duorum scalmorum vocat, quod navigiolum dixit Lentulus: Veneti *gondulam* dicunt: Citius hercle is qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino ponto Argonautarum navem gubernarit. Idem decimoquarto *ad Atticum*, Deinde ad epulas Vestorii navicula. Idem *pro Flacco*, Ut siqua uspiam navicula prædonum apparuisset, accusandus videretur. Idem *ad Papyrium Pætum*: Hoc amplius naviculárum habere aliquid in ora maritima: contra equitem Parthum negant ullam armaturam meliorem inveniri posse. Idem *ad Quirites post reditum*: Quum in paludibus demersus concursu ac misericordia Minturnensium corpus ac vitam suam conservasset: quum parva navicula trajectus in Aphricam, quibus regna ipse dederat, ad eos supplex inopsque venisset. Idem *pro Plancio* navigium vocat, ubi de eodem Mario: Quod navigium dederunt, quod eum linquentem terram, quam servaverat, lachrymis votisque omnibus prosecuti sunt. Et *pro Sextio*: Inde navigio perparvo quum omneis portus terrasque fugeret. Plutarchus in *Mario* ναῦν vocat, καὶ Βηλαίου τινὸς ναῦν τῷ Μαρίῳ παρασχόντος. Id est, *Belæo quodam navem Mario ministrante.*

Non alienum fuerit & de partibus navium pauca dicere. Tull. *lib.* III. *de Oratore*, aliquot partes navis posuisse videtur, his verbis: Linquamus naturam, artesque videamus. Quid tam in navigio necessarium quam latera, quam carina, quam prora, quam puppis, quam antennæ, quam vela, quam mali, quam reliqua? Sunt & aliæ partes, quarum nonnullæ proprium nomen non habent, eodem authore in tertio: ut pes in navi. Ipse delicatum adolescentem imitatus, a scalmo sumam exordium, qui Græce σκαλμὸς dicitur, circa quem alligantur remi: & ὑποσκαλμὸς, σκαλμοῦ βάσις. Inde duorum scalmorum navigia a Cicerone dicta, ut supra diximus. Plutarchus in *Æmilio*: Τὰς δὲ ναῦς ἁπάσας ἀφείλετο, καὶ πλοῖον οὐδὲν αὐτοῖς τρισκάλμου μεῖζον ἀπέλιπε. Id est, *Omnes naves abstulit, nullumque illis navigium trium scalmorum majus reliquit.* Tullius in tertio *Officiorum*, scalmum pro cymba, id est, partem pro toto, negantibus verbis posuit: Venit ipse mature: scalmum nullum videt. Atque haud scio an aientibus verbis poni possit: qua ratione usurpatum video ab homine doctissimo hac nostra ætate: qui vir

tamen non est mediterraneus, sed insulanus. Tullius *de Claris Oratoribus*: At vero & contra Crassus ab adolescente delicato, qui quum in litore ambulans scalmum reperisset, ob eamque rem ædificare navem concupivisset, exorsus est. Veneti *furculam* vocant. A scalmo dictum est interscalmium Mar. Vitruvio, *de Architectura* primo: Et primum in ædibus sacris, ut e columnarum crassitudinibus, aut e triglypho, aut embatere balistæ foramine, quod Græci περίτρητον vocitant, navibus interscalmio, quod διπηχαϊκὴ dicitur, item cæterorum operum e membris invenitur symmetriarum ratiocinatio. Interscalmium dixit ut intercolumnium.

Latera Græci πλευρὰς vocant: dicunt etiam τοῖχον εὐώνυμον καὶ δεξιὸν, dextrum sinistrumve latus: ut apud Julium Pollucem legimus. Lucianus in *Jove Tragœdo*: Η πρώρας ἐπιμελητὴς ἀποδέδεικται, ἢ τοίχου ἄρχων, ἢ πάντως πρὸ τῶν ἄλλων. Id est, *Vel proræ rector declarari debeat, vel lateris alterius præfectus, vel prorsus ante alios præficiatur*. Et alibi, νῦν γὰρ ἤδη τοίχου ἄρχου τοῦ δεξιοῦ.

Carina apud Venetos nomen retinet, *la carena*: Græce τρόπις dicitur. Lucianus in *Micyllo*, εἴ σοι ἡ τῆς Αργοῦς τρόπις ἐλάλησεν. Et alibi non semel. Audivi de viro docto quum diceret carinam proprie esse id quod vulgo Venetiis dicitur *la columba*: sed eam columbam puto esse quod δρύοχον a Polybio dicitur. Latinum nomen (quod sciam) non habet. Verba Polybii sunt in primo: Αὖτις ἔγνωσαν ἐκ δρυόχων εἴκοσι καὶ διακόσια ναυπηγεῖσθαι σκάφη. Id est, *Rursus decreverunt a fundamentis ducentas & viginti ædificare naves*. Quod enim est fundamentum in domo, id est δρύοχον in navi: sic dictum, opinor, quod omnem δρῦν, id est, materiam navis, contineat. Plin. *l.* XIII. *c.* IX. costam posuit, opinor, in nave pro eo quod *Courbes* dicimus: ubi de spina agit in hæc verba: Nec minus spina celebratur in eadem gente duntaxat nigra, quoniam incorrupta etiam in aquis durat, ob id utilissima navium costis. Alveum pro carina Salustius posuit in *Jugurthino*: Hique alveos navium inversos pro tuguriis habuere. Pomponius Jureconsult *l. Quod in rerum, De legatis primo*: Et si navem legavero, & specialiter eam adscripsero, eamque per partes totam refecero, carina eadem manente, nihilominus recte a legatario vindicabitur.

Sentina. Tullius *de Senectute*: Quum alii malos scandant: alii per foros cursent: alii sentinam exhauriant: ille clavum tenens sedeat in puppi. Quod Tullius dixit, sentinam exhauriant, Lucianus in *Dialogo* qui Κατάπλους inscribitur, ὅ, τε γὰρ αὔτλος ἐκκέχυται, dixit. Nec tamen inepte vertit is qui dixit, ἕτεροι δέ τινες ἀνιμῶνται τὸν αὔτλον. Sed satius fuerit ipsa verba scribere: ut iis legendis, si probatur author, cognoscamus καταστρώματα ea esse, quos foros Latini dicunt: Επειδὰν τῶν μὲν ἄλλων οἱ μὲν τοὺς ἱστοὺς ἀναρριχῶνται, οἱ δὲ διὰ τῶν καταστρωμάτων τρέχωσι. Quod Tullius dixit, *Per foros cursent*, Græcus protulit, διὰ τῶν καταστρωμάτων: quod haud scio an verum sit. Tullius enim eo loco non de longa, sed de oneraria potius loqui videtur. Aulus Gellius libro XVI. *Noctium Attic.* cap. XIX. qui utriusque vocabuli vim ignorare non potuit, dum refert Arionis fidicinis fabulam ex Herodoto, forum reddidit pro ἑδωλίοισι dictis ab Herodoto, ut eo authore ἑδώλια fori dici debeant. Nec fortasse ingratum erit lectori, utriusque verba hic consideranda proponere: Græca priora, quoniam antiquiora. Verba igitur Herodoti sic habent: Τοῦτον τὸν Αρίονα λέγουσι τὸν πολλὸν τοῦ χρόνου διατρίβοντα παρὰ Περιάνδρῳ, ἐπιθυμῆσαι πλῶσαι ἐς Ιταλίην τε καὶ Σικελίην. ἐργασάμενον δὲ χρήματα μεγάλα, θελῆσαι ὀπίσω ἐς Κόρινθον ἀπικέσθαι. ὁρμᾶσθαι μέν νυν ἐκ Τάραντος, πιστεύοντα δὲ οὐδαμοῖσι μᾶλλον ἢ Κορινθίοισι, μισθώσασθαι πλοῖον ἀνδρῶν Κορινθίων. τοὺς δὲ, ἐν τῷ πελάγει ἐπιβουλεύειν, τὸν Αρίονα ἐκβαλόντας, ἔχειν τὰ χρήματα. τὸν δὲ συνέντα τοῦτο, λίσσεσθαι, χρήματα μὲν προϊέντα σφι, ψυχὴν δὲ παραιτεόμενον. οὔκων δὴ πείθειν αὐτὸν τούτοισι, ἀλλὰ κελεύειν τοὺς πορθμέας ἢ αὐτὸν διαχρᾶσθαί μιν, ὡς ἂν ταφῆς ἐν γῇ τύχῃ, ἢ ἐκπηδᾶν ἐς τὴν θάλασσαν τὴν ταχίστην. ἀπειληθέντα δὲ τὸν Αρίονα ἐς ἀπορίην, παραιτήσασθαι, ἐπειδή σφι οὕτω δοκέοι, περιϊδεῖν αὐτὸν ἐν τῇ σκευῇ πάσῃ στάντα ἐν τοῖσι ἑδωλίοισι ἀεῖσαι. ἀείσας δὲ ὑπεδέκετο ἑωυτὸν κατεργάσασθαι. καὶ (τοῖσι γὰρ ἐσελθεῖν ἡδονὴν εἰ μέλλοιεν ἀκούσεσθαι τοῦ ἀρίστου ἀνθρώπων ἀοιδοῦ) ἀναχωρῆσαι ἐκ τῆς πρύμνης ἐς μέσην νέα. τὸν δὲ, ἐνδύντα τε πᾶσαν τὴν σκευὴν, καὶ λαβόντα τὴν κιθάρην, στάντα ἐν τοῖσι ἑδωλίοισι, διεξελθεῖν νόμον τὸν ὄρθιον. τελευτῶντος δὲ τοῦ νόμου, ῥῖψαί μιν ἐς τὴν θάλασσαν ἑωυτὸν, ὡς εἶχε, σὺν τῇ σκευῇ πάσῃ, καὶ τοὺς μὲν ἀποπλέειν ἐς τὴν Κόρινθον, τὸν δὲ, δελφῖνα λέγουσιν ὑπολαβόντα ἐξενεῖκαι ἐς Ταίναρον. Reliqua non addam, ne longior videar, quum fabula ipsa sit omnibus nota. Gellium audiamus, cujus verba hæc sunt: Eum Arionem rex Corinthi Periander amicum amatumque habuit artis gratia. Is inde a rege proficiscitur, terras inclytas, Siciliam atque Italiam visere. Ubi eo venit, aures omnium mentesque in utriusque terræ urbibus demulsit: in quæstibus istic & voluptatibus amoribusque hominum fuit. Is tum postea grandi pecunia & re bona multa copiosus Corinthum instituit redire. Navem igitur & nautas, ut notiores amicioresque sibi, Corinthios delegit. Sed eo Corinthios homine accepto, navique in altum provecta, prædæ pecuniæque cupidos, cepisse consilium de necando Arione. Tum illum ibi pernicie intellecta, pecuniam cæteraque sua ut haberent dedisse, vitam modo sibi ut parcerent oravisse. Nautas precum ejus harum commiseritum esse illatenus, ut ei necem afferre per vim suis manibus temperarent: sed imperavisse, ut jam statim coram desiliret præceps in mare. Homo, inquit, ibi territus, spe omni vitæ perdita, id unum postea oravit, ut prius quam mortem oppeteret, induere permitterent sua sibi indumenta, & fides capere, & canere carmen casus illius sui consolabile. Feros & immanes navitas prolubium tum audiendi subit: quod oraverat, impetrat. Atque ibi mox de more cinctus, amictu ornatus, stansque in summæ puppis foro, carmen quod orthium dicitur, voce sublatissima cantavit. Ad postrema cantus, cum fidibus ornatuque omni, sicut stabat canebatque, ejecit sese procul in profundum. Nautæ haudquaquam dubitantes quin periisset, cursum quem facere cœperant, tenuerunt. Sed novum, &c. Vides optime lector, ut Gellius, etiamsi ad verbum minime curaverit vertere Herodoti verba, tamen quod Græcus dixit, Ενδύντα τε πᾶσαν τὴν σκευὴν καὶ στάντα ἐν τοῖσι ἑδωλίοισι, διεξελθεῖν νόμον τὸν ὄρθιον, Gellius sic retulit, *Amictu ornatus, stansque in summæ puppis foro, carmen quod orthium dicitur, voce sublatissima cantavit*. Quare ἑδώλια, si Gellio credimus, sunt fori a Cicerone dicti & aliquot Latinis. Plutarchus in *Symposio* eandem Arionis fabulam retexens, aliis verbis usus est: ait enim, καταστὰς παρὰ τὸν τοῖχον ἐν πρύμνῃ. Id est, *stans in puppi ad alterum navis latus*. Simul & illud non omiserim, Plutarchum genus illud cantionis, qui ὄρθιος dicitur ab Herodoto, νόμον τὸν Πυθικὸν vocasse, quasi declarantem qui sit ὄρθιος: vel fortasse alios authores secutus est. Fori a ferendo mihi videntur dici, tabulata quibus feruntur nautæ per navim.

Prora & puppis vulgo nomen paucis immutatis retinent: πρύμναν Græci dicunt, quæ puppis a nostris dicitur. Tullius nono *Epistolarum familiar.*

Sedebamus enim in puppi, clavumque tenebamus. Thucyd. *lib.* I. καὶ ἐθαύμαζον τοὺς Κορινθίους πρύμναν κρουομένους. Idem in tertio, οἱ δὲ ὑπεχώρουν ἤδη πρύμναν κρουόμενοι. Memini me legisse in *Commentariis in ipsum Thucydidem*, Πρύμναν κρούεσθαί ἐστι κατ' ὀλίγον ἀναχωρεῖν μὴ στρέψαντα τὸ πλοῖον. ὁ γὰρ οὕτως ἀναχωρῶν, ἐπὶ τὴν πρύμναν κωπηλατεῖ. Appianus *de Bellis Civilibus*: Ἐν δὲ ὑπενόουν, ὡς ἐν ἀδοκήτῳ, τῶν ναῦν κρούοντες ἐπὶ πρύμναν ἀντισπαῦ. τὸ δ' αὐτὸ ποιούντων καὶ τῶν πολεμίων, ἴση μὲν ἦν ἡ βία τῶν ἀνδρῶν, οὐδὲ ἅρπαξ ἐποίει τὸ ἴδιον. Latini *inhibere* dicunt quod Græci πρύμναν κρούεσθαι. Veneti vulgari vocabulo *ziare* dicunt. Tullius in primo *de Oratore*: Ut concitato navigio quum remiges inhibuerint, retinet tamen ipsa navis motum, & cursum suum, intermisso impetu pulsuque remorum. Idem XIII. *ad Atticum*: Nunc ad rem ut redeam, Inhibere illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum: quanquam id quidem sciebam: sed arbitrabar sustineri remos, quum inhibere essent remiges jussi. Id non esse ejusmodi, didici heri, quum ad villam nostram navis appelleretur: non enim sustinent, sed alio modo remigant: id ab ἐποχῆς remotissimum est. Quare facies ut ita sit in libro quemadmodum fuit. Et postea subdit: Inhibitio autem remigum motum habet, & vehementiorem quidem remigationis navem convertentis ad puppim. Livius in sexto tertiæ *Decadis*: Itaque ex utraque parte signo dato quum rostris concurrissent: neque retro navem inhiberent, nec dirimi ab se hostem paterentur, quam quis indeptus navem erat, ferrea injecta manu, ita conserebant ex propinquo pugnam, ut non missilibus tantum, sed gladiis etiam prope collato pede præliarentur. Idem septimo quartæ *Decadis*: Inde tumultu injecto, quum divellere se ab hoste cupientes inhiberent Rhodii, fracta anchora & implicita remis latus alterum detersit: debilitata ea ipsa quæ icta cohæserat, navim cepit. Diodorus in XX. Αἱ μὲν παρέσυρον ἀλλήλων τοὺς ταρσοὺς, ὥς τε πρὸς φυγὴν καὶ διωγμὸν ἀχρήστους γίνεσθαι. αἱ δὲ κατὰ πρῶραν τοῖς ἐμβόλοις συρράπτουσαι, πρύμναν ἀνεκρούοντο, πρὸς ἄλλην ἐμβολήν. καὶ κατετραυμάτιζον ἀλλήλους οἱ ταύταις ἐφεστῶτες, ἅτε τοῦ σκοποῦ σύνεγγυς ἑκάστοις κειμένου. Id est, *Aliæ inter se remos deterserunt, ut ad fugam, & ad hostes persequendos inhabiles fierent. Aliæ autem obversis inter se proris, concursu rostris facto inhibebant, ut iterum impetum repetere possent: quique in illis stabant milites, sese mutuis vulneribus conficiebant.* Nocturno tempore ad puppim apponebant λαμπτῆρα (quem vulgo *phano* vocant) navi quæ præibat, ut reliquæ ad lumen cursum dirigerent, prætoriamque sequerentur: quod ex Xenophonte planum fit in quinto Ἑλληνικῶν, dum ait: Νυκτὸς δ' ἐπιγενομένης φῶς ἔχων, ὥσπερ νομίζεται, ἀφηγεῖτο, ὅπως μὴ πλανῶνται αἱ ἑπόμεναι. ὁ δὲ Γοργώπας ἐμβιβάσας εὐθὺς ἐπηκολούθει κατὰ τὸν λαμπτῆρα ὑπολιπόμενος, ὅπως μὴ φανερὸς εἴη. Qui hominibus ad proram imperat, ipsamque regit, dicitur πρωράτης a Julio Polluce, πρωρεὺς a Xenophonte Ἀναβάσεως quinto: Οὐχ ὁρᾶτε, ἔφη, ὅτι καὶ νεύματος μόνου ἕνεκα, χαλεπαίνει μὲν πρωρεὺς τοῖς ἐν πρώρᾳ, χαλεπαίνει δὲ κυβερνήτης τοῖς ἐν πρύμνῃ. *Num videtis*, ait, *ipsum proræ rectorem hominibus qui in prora sunt, vel ob solum nutum succensere, gubernatorem etiam iis qui sunt in puppi?* Qui sociis navalibus imperat, κελευστὴς dicitur ab eodem Polluce: τοίχαρχος, qui lateri: ἐσχαρεὺς, qui foco. Quum igitur πρωράτης dicatur qui proram regit: fortasse apud Plutarchum in *Vita Cleomenis* locus, ut opinor, corruptus, nec ab hominibus nostræ ætatis (quod sciam) satis intellectus, emaculandus est. Quoniam facete dictum gratiam amisit, dum non intelligitur: etiamsi ab oratore

A arguto Demade prolatum sit. Jubente enim quondam populo Atheniensi, ut triremes e navalibus producerentur, & sociis navalibus defensoribusque complerentur: quum pecuniæ in publico essent nullæ: Panis confectio (inquit Demades) viri Athenienses, est prior ipsa prora. Hoc est, etiamsi prora sit anterior & prior navis pars: est tamen aliquid prius, nauticum scilicet panem conficere, stipendiumque militibus & remigibus præbere: φυράσαι enim & φυρᾶν, est ζυμοῦν καὶ ἀναμάσσειν, τὰ ἄλευρα, ex quo φύραμα deducitur, id est, *fermentum*: est enim φυράσαι, *massam farinæ subigere & miscere*, unde panis conficiatur, qui ἄρτος ναυτικός, id est, *panis nauticus* dicitur. Lucianus, καὶ ἄρτους ὀκτὼ ναυτικούς. Plin. *lib.* XXII. *c.* XXV. Vetus aut nauticus panis tusus atque iterum coctus sistit alvum. Sed præstiterit in lectorum gratiam verba Plutarchi adscribere in *Agidis & Cleomenis Vita*: Καὶ Δημάδης τὰς τριήρεις μὲν καθέλκειν καὶ πληροῦν ποτε τῶν Ἀθηναίων κελευόντων, χρήματα δὲ οὐκ ἐχόντων, πρότερόν ἐστιν, ἔφη, τοῦ πρώρα τὸ φυράσαι. Locus corruptus: & legendum existimo, τῆς πρώρας, non τοῦ πρῶρα: ut sic legendum sit, πρότερόν ἐστιν, ἔφη, τῆς πρώρας τὸ φυράσαι. Is qui Plutarchum vertit, quum elegantiam minime assequeretur, frigide nimis vertisse videtur: eum adeas, & oderis hominis inscitiam, qui
C tam belle dictum, tam frigide reddiderit: sed ad alia properabat. Vir quidam mihi peramicus, quum illi hæc nostra communicarem, censuit legendum in Plutarc. πρότερον δεῖ, ἔφη, τὸ τοῦ πρωράτου φυράσαι. Id est, *Prius panis conficiendus proretæ est*: sed priora mihi magis placent, fortasse quia nostra: tu lector judicabis.

Sunt & acrostolia extremæ navis partes, quæ facile evellebantur, quum collibitum fuerat: ut constat ex Diod. Siculo in XX. Οἱ Ῥόδιοι ταχέως τὰ μὲν ἀκροστόλια περιέσπασαν, ὕλην δὲ ξηρὰν καὶ δᾷδας τῶν ναυσὶν ἐνέντες ἐνέπρησαν. Id est, *Rhodii celeriter acrostolia detraxerunt, injectisque malleolis & teda*
D *in naves, eas ipsas concremarunt*. Appian. in *Mithridate*: Ὡς τε καὶ τριήρη αὐτοῖς ἀνδράσιν ἀναδησάμενοι, καὶ ἀκροστόλια πολλὰ καὶ σκῦλα ἐς τὸν λιμένα φέροντες ἐπανελθεῖν. Id est, *Ut trireme cum ipsis hominibus religata in portum se receperint, multis onusti spoliis, ipsisque navium acrostoliis*: quæ Latini rostra, ut opinor, vocant, & siqua similia. Diodorus *lib.* XVIII. ubi de successoribus Alexandri: Μετὰ δὲ ταῦτα Νικάνορος καταπλεύσαντος εἰς τὸν Πειραιᾶ, κεκοσμημένῳ στόλῳ τοῖς ἀπὸ τῆς νίκης ἀκροστολίοις. Idem in vigesimo: αὐτὸς δὲ τὰς ἰδίας ναῦς κοσμήσας τοῖς ἀκροστολίοις, καὶ ἁλούσας ἐφελκόμενος, τὸν πλοῦν ἐποιεῖτο.
E Quæ ideo adscribenda curavi, ut lector scire posset, in more positum apud Antiquos ornari naves victrices captivarum acrostoliis. Xenophon in sexto Ἑλληνικῶν: Τὰς μὲν τριήρεις ἀκρωτηριασάμενος, ἕλκων κατηγάγετο εἰς τὸν Κερκυραίων λιμένα. ἀκρωτηριασάμενος dixit, id est, *detractis acrostoliis*.

Antennæ etiam nomen vulgo retinent: Græci κεραίαν vocant. Aulus Hirtius in quarto: Hostis repente adversam ad se venientem navem antennis ad medium malum dimissis, instructam propugnatoribus animadvertit. Quod ubi conspexit, celeriter vela subduci dimittique antennas jubet, &
F milites armari: & vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, quæ primæ naves subsequebantur, idem ut facerent, significabat. Latini antennarum extremas partes Cornua vocant, propterea quod, opinor, Græci κεραίαν dixerint. Quod vel ex Virgilio in tertio conjicere licet, dum ait:

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

Lucianus in *Dialogo* qui inscribitur Πλοῖον: Εἶτα ἐπὶ τῆς κεραίας ἄνω ἀσφαλῶς διαθέοντα, τῶν κεροιάκων ἐπειλημμένον.

Malus navis a Græcis ἱστὸς dicitur, cujus partes

diversis appellationibus distinctæ a Macrobio in quinto *Saturnalium*, in hæc verba: Asclepiades autem vir inter Græcos apprime doctus ac diligens, carchesia a navali re dicta existimat. Ait enim, navalis mali partem inferiorem, pternam vocari: at circa mediam ferme partem, τράχηλον dici: summam vero partem, carchesium nominari: & inde diffundi in utrunque veli latus ea quæ cornua vocantur. Quis autem fuerit ille Asclepiades, scies ex Athenæo *l.* XI. Δειπνοσοφιστῶν, & simul ex ipsius verbis apertius intelliges quæ a Macrobio scripta sunt. Quare ea subjicere non gravabor: Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανὸς κεκλῆσθαί φησιν ἀπό τινος τῶν ἐν τῇ νηῒ κατασκευασμάτων. τοῦ γὰρ ἱστοῦ τὸ μὲν κατωτάτω, πτέρνα καλεῖται, ἣ ἐμπίπτει εἰς τὸν ληνόν· τὸ δ' οἷον εἰς μέσον, τράχηλος· τὸ δὲ πρὸς τῷ τέλει, καρχήσιον, ἔχει δὲ τοῦτο κεραίας ἄνω, συννευούσας ἐφ' ἑκάτερα τὰ μέρη. Julius Pollux aliis verbis fere eadem: Καὶ τὸ μὲν ὑποδεχόμενον τὸν ἱστὸν, ληνός· τὸ δὲ ἐναρμοζόμενον αὐτῷ, πτέρνα· τὸ δὲ τελευταῖον τὸ πρὸς τῇ κεραίᾳ, ἠλακάτη, καὶ θωράκιον, καὶ καρχήσιον. Ut non apud Macrobium sit legendum *veli*, sed *mali*: nec *patera*, sed *pterna*: quæ quum sciolus quispiam non caperet, videretque de vasculis tractari, *pateram* pro *pterna* nobis apposuit: usque adeo maculæ nostrorum Latinorum non possunt sine collatione Græcorum elui. Pollux ipse ἠλακάτην & θωράκιον confundere videtur: quæ dilucidius videbis apud Athenæum in *loco* supra *citato*. Nunc ad nostros Jureconsultos redeamus. Malum, navis esse partem Labeo ait, quem Græci ἱστὸν vocant.

Artemonem autem non esse partem navis Jabolenus in *tractatu De verb. signif.* prodidit. Est autem artemon, velum majus navis. ut in *Actis Apostolorum* cap. XXVII. καὶ ἐπάραντες τὸν ἀρτέμονα τῇ πνεούσῃ, κατεῖχον εἰς τὸν αἰγιαλὸν, *Sublato artemone ad auræ flatum, se ad litus recepere*, vel *litus legebant*. Quem locum vir doctus pro *antenna* interpretatus est, haud scio quam recte. Etenim etiam nunc nomen Venetiis vulgo retinet, & *artimon* vocant. Julius Pollux ἀκάτιον vocat velum majus. Plutarchus πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν: Πότερον οὖν τῶν νέων, ὥσπερ τῶν Ἰθακησίων, κηρῷ τινι τὰ ὦτα ἀτέγκτῳ καταπλάσσοντες, ἀναγκάζωμεν αὐτοὺς τὸ Ἐπικούρειον ἀκάτιον ἀραμένους, ποιητικὴν φεύγειν καὶ παρεξελαύνειν; Idem, ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως, κατ' Ἐπίκουρον: Ταύτας μέντοι τὰς τηλικαύτας καὶ τοσαύτας ἡδονὰς, ὥσπερ ἀεννάους, ἐκτρέποντες οὗτοι καὶ ἀποστρέφοντες, οὐκ ἐῶσι γεύεσθαι τοὺς πλησιάσαντας αὐτοῖς, ἀλλὰ τοὺς μὲν ἐπαραμένους τὰ ἀκάτια φεύγειν ἀπ' αὐτῶν κελεύουσιν. Id est, *Jubent illinc effugere passis majoribus velis*. Tullius alio loco Latine dixit, *velis, ut ita dicam, remisque fugienda*: quod Græci dixere, ἐπαραμένους τὰ ἀκάτια φεύγειν. Sic Latina cum Græcis conjungenda: quod hoc toto Opere conati sumus; quid autem assecuti fuerimus, lector viderit. Lucianus in *Jove Tragœdo*: Οὐκοῦν ἔφερεν ὑμᾶς τότε ὁ ἄνεμος. ἐμπίπτων τῇ ὀθόνῃ, καὶ ἐμπιπλὰς τὰ ἀκάτια μᾶλλον ἢ οἱ ἐρέττοντες, ἐκυβέρνα δ' εἷς τις ἐφεστὼς καὶ ἔσωζε τὴν ναῦν. Et alibi, πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν: Δεήσει γὰρ τότε ποιητικοῦ τινὸς ἀνέμου ἐπουριάσαντος τὰ ἀκάτια. Quibus verbis acatia pro majore velo accipiendum putamus, etiamsi viri aliquot alioqui docti aliter interpretati sint. Xenophon in sexto Ἑλληνικῶν discrimen facere videtur inter μεγάλα ἱστία & acatia, quum inquit de Iphicrate, opinor: Εὐθὺς μὲν γὰρ τὰ μεγάλα ἱστία αὐτοῦ κατέλιπεν, ὡς ἐπὶ ναυμαχίαν πλέων, καὶ τοῖς ἀκατίοις δὲ, καὶ εἰ ἔφορον πνεῦμα εἴη, ὀλίγα ἐχρῆτο· τῇ δὲ κώπῃ τὸν πλοῦν ποιούμενος, &c. Ex quo tamen loco conjicere est eadem fuisse, si quis animi judicium intenderit.

Velis usus primus mortalium Æolus dicitur: & propterea deus ventorum est habitus. Diod. *l.* V. Πρὸς δὲ τούτοις τὴν τῶν ἱστίων χρείαν τοῖς ναυτικοῖς εἰσηγήσασθαι καὶ διδάξαι. Id est, *Insuper & velorum usum nauti introduxisse, rationemque utendi docuisse*. Græci velum ὀθόνην dicunt, & ἱστίον, ut patet de ὀθόνῃ ex *loco* Luciani supra *prolato*. Appian. Φυλάττοντες ἄνεμον ἐκ πόντου πολὺν, πεπετασμένοις τοῖς ἱστίοις διεθέοντο, ἀδυνάτων οὐσῶν ἔτι τῶν τριηρῶν ὁλκάδας φερομένας ἱστίῳ καὶ πνεύματι διώκειν. Quibus verbis clarius est, quam ut enarrari debeat, ἱστίον pro velo a Græcis accipi.

Minus autem velum, dolo, Græce δόλων dicitur. Livius IV. *Decadis lib.* VI. Jam ferme triginta in fronte erant, quibus ut æquaret lævum cornu, dolonibus erectis altum petere intendit. Idem in *eodem*: Quod ubi vidit Romanus, vela contrahit, malosque inclinat, & simul armamenta componens opperitur insequentes naves. Jam ferme, &c. Et paulo post: Sublatis dolonibus effuse effugere contendit. Diodorus *lib.* XV. Ἡ γὰρ ναῦς φορᾶς πνεύματος ἐπιλαβομένη, τοῦ δόλωνος ἀρθέντος ἐξέφυγε τὸν κίνδυνον. Plutarchus in *Tiberio*: Ὥστε κἀκεῖνον οὐδενὸς ἀγνοοῦντος ὑποζώννυσθαι ξιφίδιον ληστρικὸν, ὃ δόλωνα καλοῦσι. Quibus Plutarchi verbis, dolonem accipere debes pro teli genere, non pro velo: ut ponitur a Jureconsulto in *l. Si ex plagis. §. Tabernarius*, in *tractatu Ad legem Aquiliam*.

Velum quod a tergo est, ἐπίδρομος vocatur a Julio Polluce. Navis ab eodem Polluce Antigoni τριάρμενος dicitur, quæ tria vela haberet trinosque malos: quo verbo utitur & Lucianus, in *Dialogo* qui Πλοῖον vel Εὐχαὶ inscribitur: Ὃς γὰρ ἔτι ἑνὸς πλοίου τούτου δεσπότης ὢν, παρήκεις βοῶντων, εἰ πέντε κτήσαιο πρὸς τούτῳ τριάρμενα πάντα καὶ ἀνώλεθρα, οὐδὲ ὄψει δηλαδὴ τοὺς φίλους. Quum non satis scirem quid τριάρμενα significaret, consului *Commentarios* Græcorum: in quibus inveni quæ subscribam: ut, inde lector conjecturam facere possit: ea sunt hujusmodi, ἄρμενα ἰδιωτικώτερον, ὅμως δὲ οὐκ ἀλόγως τὰ ἱστία καλεῖν. Inde τριάρμενα dicta putavi, quæ tria vela haberent. Idem Pollux dicit, Si erat constrata tectaque navis, inædificabantur πυργοῦχοι, id est, tigna continentia turrim. Super quæ duæ turriculæ, dextra & sinistra: quarum medium erat κατάστρωμα: in quibus erant homines armati, quos propugnatores vocat Tullius septima *in Verrem*. Præclara classis in speciem, sed inops & infirma propter dimissionem propugnatorum & remigum. Polybius in *lib.* I. Ἐπ' αὐτὸ τὸ στόμα τοῦ λιμένος ἐποιεῖτο τὸν πλοῦν, ἔχων καθωπλισμένους καὶ πρὸς μάχην ἑτοίμους τοὺς ἄνδρας ἐπὶ τῶν καταστρωμάτων. Id est, *In ipsis faucibus portus adnavigabat, habens armatos propugnatores, paratosque ad pugnam viros, qui in catastromatis & foris erant*. Quibus verbis planum fit milites armatos in prælio navali solere certare & propugnare e catastromatis: in locum quorum hodie utuntur *des balestrieres*, sic enim vocant Veneti: non quod hæ sint ea quæ καταστρώματα dicuntur, sed eorum usum præstant. Et fortasse non inepte dixerimus catastromata, ea quæ vulgo dicuntur *Garides*.

Vela dare dicimus, & vela ducere, & vela facere, & vela pandere. Tullius II. *de Oratore*: Si se dant, & (ut ante dixi) sua sponte quo impellimus inclinant atque propendent: accipio quod datur, & ad id unde flatus aliquis ostenditur, vela do. Inde apud Virgilium,

Vela dabant læti.

Aulus Hirtius: Imprudentes vela in altum dederunt; ac diu multumque jactati, tandem multis post diebus siti inopiaque confecti, ad Cæsarem pervenerunt. Livius in quinto tertiæ *Decadis* Cum trigintaquinque navibus ex portu Syracusano profectus libero mari, vela in altum dedit. Cæsar in secundo *de Bello Civili*: Interim adventu longarum navium, Curio pronuntiari onerariis navibus jubet, quæ stabant ad Uticam numero circiter C. se in hostium habiturum loco, qui non

e vestigio ad castra Cornelia vela duxisset. Virgilius in quinto, Vela facit tamen, & plenis subit ostia velis. Tullius *Tusculanarum* quarto: Utrum igitur mavis, statimne nos vela facere; an quasi e portu egredientes, paululum remigare? Et paulo post: Quærebam igitur utrum panderem vela orationis statim, an eam ante paululum Dialecticorum remis propellerem. Livius in quinto tertiæ *Decadis*: Cujus in prima classis petere altum visa est. Idem in sexto tertiæ *Decadis*: Aliæ in alto mersæ: aliæ ad incertos ventos hinc atque illinc obliqua transferentes vela, in altum evectæ sunt. Tullius in primo *Tusculanarum:* Quo utinam velis passis provehi liceat: si enim reflantibus ventis rejiciemur: tamen eodem paulo tardius referamur necesse est. Idem in tertio: Velis (ut ita dicam) remisque fugienda. Et inde velivolantes naves dictæ apud Marcum Tullium: Et fera velivolantibus navibus complevit manus litora. Est autem in velo ea pars quæ acutior & inferior ad navis latus religatur, modoque contrahitur, modo relaxatur: Pes a Latinis, a Græcis πὺς: λέγεται δὲ ὕτω τὸ σχοινίον τὸ κάτωθεν τῦ ἱςίυ, authore Interprete Euripidis in *Oreste*. Lucianus in *Dialogo* qui inscribitur Ἐπισκοποῦντες: Τότε ὑμεῖς ὑπ᾽ ἀγνοίας κελεύετε τὴν ὀθόνην ςεῖλαι, ἢ ἐνδῦναι ὀλίγον τῦ ποδός. Id est, *Tunc vos præ ignoratione jubetis vela contrahere, vel parum de pede relaxare*. Plutarchus περὶ πολυφιλίας: Οὐ γὰρ Εὐριπίδῃ πειςέον λέγοντι, χρὴ γὰρ μετρίαν ἐς ἀλλήλυς φίλιαν θνατὺς ἀντείνασθαι, καὶ μὴ πρὸς ἄκρον μυελὸν ψυχῆς· εὔλυτα δ᾽ εἶναι θέλγητρα φρενῶν, ἀπό τ᾽ ὤσασθαι καὶ ξυντεῖναι, καθάπερ πόδα νεώς, ἐπιδιδόντα καὶ προσάγοντα τὴν χρείαις τὴν φιλίαν. *Neque enim Euripides audiendus dicens, nos mortales oportere mediocri amicitia esse contentos, nec sinere eam penetrare ad animi medullam, intimosque mentis recessus: putareque eam, veluti mentis oblectamentum, facile dilui debere, abducereque & remittere quum velis, ceu pedem navis, aptando intendendoque amicitiam pro usus ratione*. Idem Euripides in *Oreste* pedis meminit, ejusdemque fere sententiæ, dum ait:

Καὶ ναῦς γὰρ ἐνταθεῖσα πρὸς βίαν ποδὶ,
Ἔβαψεν, ἔστη δ᾽ αὖθις, ἢν χαλᾷ πόδα.

Ad quod allusisse videtur Tullius *De amicitia*, quum ait: Partim fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus: satis superque esse sibi suarum cuique rerum curam: alienis nimis implicari, nimis molestum esse: commodissimum esse quam laxissimas habenas habere amicitiæ, quas vel abducas quum velis, vel remittas. Lucianus *De veris narrationibus* ποδεῶνας vocat, καὶ τῇ χερσὶ τὺς ποδεῶνας κατέχοντες. Reliqua adderem: sed sunt fœda magis quam ridicula: quod tamen de quadratis velis intelligas: nam superiora de velo triangulari forma.

Transtra in navi, sunt sedilia in quibus erant remiges: quod vel authore Virgilio probari potest, dum ait:

Considunt transtris, intentaque brachia remis
Intenti expectant signum: exultantiaque haurit
Corda pavor pulsans.

Veneti *banchos* vocant. Nec alienum fuerit de remis pauca subjicere. Remos Copæ invenerunt, Plinio authore: inde a Græcis κῶπαι dicti. Lucianus, προσελάσαντες ὖν ταῖς κώπαις. Id est, *remis accedentes*. Inde κωπηλατῶν quidam Latini *remigare* dicunt. Idem Lucianus *De veris narrationibus*: ἐφεξῆς ἐκωπηλάτυν κυπαρίσσοις αὐτοκλάδοις μεγάλαις καὶ αὐτοκόμοις, ὥσπερ ἐρετμοῖς. Remus enim ἐρετμὸς a Græcis dicitur. Idem Lucianus, μέμψῃ δὲ ὐδὲν, ἢν εὕρῃς καὶ καρτερόν μοι ἐρετμὸν δῷς μόνον, *nihil te pœnitebit, si modo mihi probum fortemque remum præbueris*. Ab eodem Luciano molæ quasi manubrium κώπη dicitur, propterea quod tanquam remus agitatur in gyrum. Inde idem in *Asino*, ὑποζευγνύυσί με τῇ κώπῃ τῆς μύλης. Remorum autem ordinem extremum & veluti remigium, ταρσὺς Græci vocant. Quod enim Latini remos detergere vel defringere dicunt, Græci ταρσὺς θραύειν: & in iis Polybius in primo: Ἀλλὰ καὶ τὺς ταρσὺς ἔθραυον αἱ νῆες ἀλλήλαις συγκρύυσαι. *Sed mutuo concursu naves inter se remos defringebant*. Appianus *de Bellis Civilibus*: Καὶ συνέτριψαν ἡ μὲν τὸ ἔμβολον τῆς Μηνοδώρυ νεώς· ἡ δὲ τὸν ταρσὸν τῆς Μενεκράτυς. Id est, *Confregit illa quidem rostrum navis Menodori: altera autem remos Menecratis detersit*. Partem remi latiorem Græci πλάτην vocant: est enim ταρσὸς id quod diximus, ut vides. Cæs. de *Bello Civili lib.* I. Aut remos transcurrentes detergere, si possent, contendebant. Livius in octavo tertiæ *Decadis*: Alterius remos detersit, cæterasque quas indepta esset, mulctasset, &c. Idem sexto quartæ: Et ut in numero impari, duæ regiæ unam circunsistunt: & primum ab utroque latere remos defringunt, deinde transcendunt armati. Idem in septimo quartæ: Sed momento temporis, & navium virtus, & usus rei maritimæ terrorem omnem Rhodiis dempsit. Nam & in altum celeriter evectæ naves, locum post se quoque venienti ad terram dedere: & siqua concurrerat rostro cum hostium navi, aut proram lacerabat, aut remos detergebat, aut libero inter ordines discursu prætervecta, in puppim impetum dabat. Diodorus in *loco* supra *citato*, παρασύρειν ταρσὺς dixit, ut vidimus. Remiges ipsi ἐρέται & αὐτερέται dicuntur. Thucyd. in primo, ἐρέτας μισθῷ πείθοντες. Et in tertio, οἱ δ᾽ αὐτερέται πλεύσαντες τῶν νεῶν ἀφικνῦνται. Quo loco αὐτερέται sunt *remiges* quidem, qui tamen, quum opus erat, decertabant & propugnabant, ut utrumque ministerium præstarent. Quapropter eosdem, & μαχίμυς vocat in primo idem Thucydides, αὐτερέται δ᾽ ὅτι ἦσαν καὶ μάχιμοι πάντες: & paulo post eosdem παρασκώπυς vocat: περίνεως autem appellat otiosos ac liberos vectores a remigandi labore, quum ait: περίνεως δὲ ὐκ εἰκὸς πολλὺς ξυμπλεῖν, ἔξω τῶν βασιλέων καὶ τῶν μάλιστα ἐν τέλει. Remiges ipsos Livius socios navales vocat: Græci πληρώματα: Veneti *la ciurma*. Diodorus in XX. Αἱ δ᾽ ἄλλαι, ἐκβιασαμένων τῶν πληρωμάτων, διεσώθησαν πρὸς τὴν Ἀντιγόνυ ςρατοπεδείαν. Id est, *Aliæ autem, contendentibus summa alacritate ipsis sociis navalibus, se ad exercitum Antigoni receperunt*. Livius *libro* primo tertiæ *Decadis*: Nam ut sociis navalibus affatim instructam classem; ita inopem milite habebat. Vide ut alios ponat pro sociis navalibus, alios pro milite, & propugnatoribus. Idem in sexto tertiæ *Decadis*: Scripto deinde exercitu, de remigum supplemento agi cœptum: in quam rem, quum neque hominum satis, nec ex qua pararentur stipendiumque acciperent, pecuniæ quicquam ea tempestate in publico esset: dixerunt consules, ut privati ex censu ordinibusque sicut antea, remiges darent cum stipendio cibariisque dierum triginta. Et paulo post subdit: Nam unde, quum pecunia in ærario non esset, paraturos navales socios? Quibus verbis constat Livium vocare navales socios, quos superioribus verbis remiges dixerat. Idem Livius in decimo quartæ *Decadis*: Nec rei navalis cura omissa, Duumviros in eam consules creare jussi: per quos naves XX. deductæ navalibus sociis civium Romanorum, qui servitutem servissent, complerentur: ingenui tantum ut his præessent. Et sane quum verbo complerentur utatur Livius, satis indicat navales socios eos esse, quos Græci πληρώματα dicunt: & ita vertimus in plerisque locis supra citatis. Quibus addere

A

visum est quod scriptum est a Xenophonte in quinto Ἑλληνικῶν, prima statim pagina: Καὶ ἀπὸ τῶν πληρωμάτων τῶν ἐκ τῶν νεῶν ἐκήρυξε βοηθεῖν ὅσοι ἐλεύθεροι εἶεν. ὥστ' ἐβοήθουν καὶ τούτων πολλοὶ, ὅ, τι ἐδύνατο ἕκαστος, ὅπλον ἔχων. Supra autem mentionem fecit ἐπιβατῶν, ut non possint esse iidem cum πληρώμασιν. Hic nostram sententiam evertere videtur Lucianus: qui *De veris narrationibus* aliter videtur id vocabulum usurpasse: ait enim, προσβαλόντες οὖν ἡμῖν, ἀπὸ δύο πληρωμάτων ἐμάχοντο. Quo loco πληρωμάτων non potest intelligi pro sociis navalibus, sed potius pro ipsis navigiis instructis & armatis: ut vertendum sit, *Impetu in nos dato, binis nos navigiis armatis circumsistunt*. Subdit enim ipse Lucianus haud ita multo post: Καὶ

B

δῆλοι ἦσαν κρατήσαντες οἱ καρυοναῦται, ἅτε καὶ πλείους· πέντε γὰρ εἶχον πληρώματα. Id est, *Quinque navigia instructa armataque habebant*: quum illos duo tantum habuisse dicat. Verum non absimile vero est, Lucianum eo vocabulo abusum, dum certos authores, quos non habemus, sibi imitandos proposuit. Ausim enim omni asseveratione affirmare, eam loquendi formulam, qua in illo vocabulo Lucianus usus est, non extare in ullo eorum, qui vulgati sunt, authorum. Hoc fortasse quibusdam nimis confidenter dictum videbitur. Sed siquis scripta Luciani ad normam Platonis & Demosthenis velit expendere, inveniat fortasse Lucianum

C

multa sibi permisisse: ut nihil causæ sit, quamobrem de nostris hominibus conqueri debeamus, si illorum heroum elegantiam hactenus assequi nequiverint. Viri ætatis nostræ doctissimi non satis intellexerunt, ut mihi persuadeo, quid πληρώματα vellet, & in eo hallucinati sunt: qui si aciem mentis & ingenii in eo intendere voluissent, & non ad alia festinassent: facile, opinor, quæ diximus, ipsi sua sponte animadvertissent. Sed nos quoque in multis, ne dicam in omnibus, cæcutire solemus. Ecce tibi περὶ ἐπωτίδος quid dicam,

D

non satis dispicio: conjicio tamen esse proræ partem eam, quæ utrinque stat ad latus rostri: nec video Latinum nomen habere, quod Græco respondeat. Appianus *de Bellis Civilibus*: Μετὰ δὲ αἱ νῆες αὐταὶ συνερρήγνυντο ἀλλήλαις, αἱ μὲν ἐς τὰ πλάγια, αἱ δὲ κατ' ἐπωτίδας, αἱ δ' ἐπ' ἐμβολάς. Id est, *Postea & naves ipsæ concurrerunt inter se, aliæ ad obliqua, aliæ ad epotidas, aliæ vero ad rostra impetu facto*. Idem in *eodem*: Καὶ αὐτῷ κατὰ τὴν ἐπωτίδα ἐμπεσὼν, κατέσεισε τὴν ναῦν. Id est, *Impetuque in illum facto ad epotida, navem ipsam conquassavit*.

De anchora nihil dicam: est enim omnibus nota: Græci ἄγκυραν vocant. Ab anchora anchoralia

E

dicta, funes quibus religata est anchora. Livius *Decadis* tertiæ *libro* secundo: Vixdum omnes conscenderant, quum alii resolvunt oras, aut anchoram vellunt: alii, ut ne quid teneat, anchoralia incidunt. Inde oram solventibus, dictum a Quintiliano, vulgatius quam ut repeti debeat. Illud solum adjiciam ex Luciano, τὰ ἀπόγεια λύσασθαι dici, quod Latini *oram solvere*: verba Luciani sunt in *Dialogo* qui Ἑρμότιμος inscribitur: Οὐδὲ γὰρ ἀναστρέψαι ἔτι καὶ ἀνασωθῆναι ὀπίσω ῥᾴδιον, ἢν ἅπαξ ἐπιδῷ τῇ πλεύσῃ τις αὐτὸν, τὰ ἀπόγεια λυσάμενος. Id est, *Ubi semel oram solverit*. Quum autem

F

anchoræ jactæ erant procul a portu, naves dicebantur in salo esse: Græci dicunt ἀποσαλεύειν, ut est apud Diodorum in vigesimo: Διόπερ ἠναγκάζοντο τὰς ἀγκύρας ἀφέντες, ὡς ἂν ἐν δυσὶ σταδίοις ἀπὸ τῆς γῆς ἀποσαλεύειν, ἅμα πολλοῖς περιεχόμενοι δεινοῖς. τοῦ μὲν γὰρ κλύδωνος ῥηγνυμένου τραχύτερον, ἐκινδύνευον αὔτανδρα τὰ σκάφη συγκλυσθῆναι. Thucydides, καὶ ἀποσαλεύσας ἡμέραν καὶ νύκτα ὑπὲρ τοῦ στρατοπέδου, ὕστερον ἀφικνεῖται ἐς Ἔφεσον. Quod ἀποσαλεύειν dixit Diodorus: Aulus Hirtius in quinto, *in salo & in anchoris commorari*, protulit, in hæc verba: Atque in salo & in anchoris ea nocte commoratus, prima luce Adrumetum accedit. Idem in sexto: Item com complures nando ad naves, quæ in salo fuerunt, se recipiunt. Cæsar in tertio *Bellorum Civilium*, salum pro jactatione accipere videtur: Tirones enim multitudine navium perterriti, & salo nauseaque confecti. Et paulo post: At veteranæ legionis milites item conflictati & tempestatis & sentinæ vitiis, non ex pristina virtute remittendum aliquid putaverunt. Quod supra, in salo, dixit, posterioribus verbis enarrat, dum ait, & tempestatis & sentinæ vitiis: ut mediocriter eruditus facile colliget. Polybius in primo σάλους pro eo quod vulgo *spiagia* Itali dicunt, posuisse videtur, id est locum minime portuosum: sed in quo naves in salo esse & commorari queant: Καθώρμισαν πρός τι πολισμάτιον τῶν ὑπ' αὐτοὺς ταττομένων, ἀλίμενον μὲν, σάλους δὲ ἔχον καὶ προβολὰς περικλειούσας ἐκ τῆς γῆς εὐφυεῖς. οὗ ποιησάμενοι τὴν ἀπόβασιν, &c. *Applicuerunt ad oppidulum quoddam, quod sub ditione eorum erat, importuosum quidem, sed quod haberet promontoria, quæ aliqua ex parte prominentia eas stationes continerent & complecterentur: quo descensione facta*, &c. Vide qualiter verterit Sipontinus, & fortasse non contemnes. Erat & navis παράσημον, cujus meminit Plutarchus in *Symposio*: quod quid sit, colligimus ipsi ex Luciano in *Dialogo*, quod Πλοῖον ἢ Εὐχαὶ inscribitur, & supra citavimus, dum ait: Ὡς δὲ ἡ πρύμνα μὲν ἐπανέστηκεν ἠρέμα καμπύλη, χρυσοῦν χηνίσκον ἐπικειμένη, κατ' ἀντικρὺ δὲ ἀνάλογον ἡ πρῷρα ὑπερβέβηκεν, ἐς τὸ πρόσω ἀπομηκυνομένη, τὴν ἐπώνυμον τῆς νεὼς θεὸν ἔχουσα τὴν Ἶσιν ἑκατέρωθεν. Id est, *Ut vero ipsa puppis sensim assurgit inflexa, aureo anserculo ornata: e regione autem proportione prora prominet in longum producta, habensque utrinque signum Isidis deæ, quæ cognomentum navi indidit*. Quo loco existimo Isim deam esse παράσημον navis, id est, insigne illud proræ impositum: a quo navis ipsa cognomentum sortita est. Quod & ipsum conjicere est ex Plutarcho in *Symposio*, his verbis: Οὐ μὴν ἀλλ' ἑαυτὸν ὁ Γοργίας ἔφη πυθόμενος τοῦ τε ναυκλήρου τοὔνομα καὶ τοῦ κυβερνήτου, καὶ τῆς νεὼς τὸ παράσημον, ἐκπέμψαι πλοῖα, καὶ στρατιώτας τὰς καταίρσεις παραφυλάξοντας. Inde fortasse aliquæ naves dicebantur κριοὶ, id est, *arietes*, καὶ τράγοι, id est, *hirci*: quod id genus animalium haberent tanquam παράσημον. Nec absimile vero est centaurum, pistrimque, & cuncta id genus ea oratione dicta prolataque a Virgilio in quinto, in versiculis supra relatis. Tacitus in quinto παράσημον insigne vocat, dum ait: Nec quisquam ariete sacrificaverit, credito vexisse Phryxum, sive id animal, sive navis insigne fuit. Quod autem nos anserculum vertimus, intellige formam anserculi effictam ad puppis ornamentum, ut vidimus in antiquis navibus depictis: quas adscribendas curavimus in lectorum gratiam. Lucianus *De veris narrationibus*, Ὁ τε γὰρ ἐν τῇ πρύμνῃ χηνίσκος ἄφνω ἐπτερύξατο, καὶ ἀνεβόησε. Id est, *Anserculus enim qui ad puppim erat, repente alas premere cœpit, & clangorem fundere*. Πτερύσσεσθαι est τὰ πτέρυξι τὸν ἀέρα πλήττειν. Lilius Gregorius Gyraldus aliter vertit: docti viderint quam recte: cujus verba hæc sunt, *Cheniscus enim qui ad puppim erat, subito pennatus apparuit & exclamavit*. Χηνίσκος, sive *anserculus* hac in nave, ex antiquo marmore desumpta, fiebat fere hoc pacto, TAB. V. *fig*. 3.

A Χηνίσκος, Anserculus.	D Fori, Hedolia.
B Anchoralia.	E Πηδάλιον, Gubernaculum, Temo.
C Anchora.	

De manibus ferreis corvisque & harpagine nihil in præsentia dicere necesse: ea enim potius

quis numeravit in machinationibus ad præliandum, quam in navis inſtrumento. Quod ſiquis de iis etiam audire cupiat, eum rejiciam ad Appianum Alexandrinum, qui in quinto *Bellorum Civilium* ſic ait: Καὶ κόρακας ἢ χεῖρας σιδηρᾶς εὐκολώτερον ἐπερρίπτων. Quo vero tempore a Romanis κόραξ inventus fuerit, videbis apud Polybium in primo. Αρπαγα etiam ab Agrippa excogitatum refert Appianus in *eodem libro*. Cæſar etiam in primo *de Bello Civili*, manus ferreæ meminit, dum ait: Atque injecta manu ferrea, & retenta utraque nave, diverſi pugnabant, atque in hoſtium naves tranſcendebant. Hactenus Cæſar: qui etiam in primo *de Bello Civili*, harpagonum meminit, dum ait: Ii manus ferreas atque harpagones paraverant. Ut ipſe Agrippa id machinationis genus excogitaſſe non videatur: quod ſi Plinio credimus, Anacharſis harpagonas invenit.


In Ponto fiebant naves quas cameras vocabant, propterea quod in modum tecti clauderentur: auctor Corn. Tacitus *lib.* XIX. dum inquit: Quin & Barbari contemptius vagabantur, fabricatis repente navibus quas cameras vocant, arctis lateribus latam alvum ſine vinculo æris aut ferri connexam, & tumido mari prout fluctus attollitur, ſumma navium tabulis augent, donec in modum tecti clauduntur. Sic inter undas volvuntur, pari utrinque prora & mutabili remigio, quod hinc vel illinc appellere indiſcretum & innoxium eſt. Navis captivæ formam habes TAB. VI. *fig.* I.


Naves ipſæ ab hoſtibus captæ, captivæ dicebantur: ut legimus in ſecundo *Bellorum Civilium* apud Cæſarem: Nam ad eas quæ factæ fuerant Arelatæ per Cæſarem, captivæ Maſſilienſium acceſſerant ſex. Aulus Hirtius in quarto: Ut vel claſſe dimicare poſſet, adjunctis captivis navibus ſociorum. Livius in tertio tertiæ *Decadis*: Dum hæc Romani parant aguntque, ad Philippum captiva navis, una ex iis quæ Romam miſſæ erant, excuſſa fugit. Græci αἰχμαλώτας dicunt, ut vidimus apud Xenophontem in ſecundo Ἑλληνικῶν: Απάγων πάντα τῶν αἰχμαλώτων τῶν ἀκρωτήρια, καὶ τὰς ἐκ τοῦ πειραιῶς τριήρεις, πλὴν δώδεκα. Quo loco ἀκρωτήρια poſuit ea quæ ἀκροστόλια ſupra diximus. Et quum naves captivæ dicantur, merito poſtliminium habent. Tullius in *Topicis*: Poſtliminio redeunt hæc: homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa quæ fræna recipere ſolet. Ut non ab re a Jureconſulto de poſtliminio navium hic tractetur. Claſſem Veneti armatam vocant, Græci τὸ ναυτικόν. Xenophon in ſexto Ἑλληνικῶν vocat στράτευμα ναυτικὸν, his verbis: Καὶ ὁ μὲν δὴ Μνάσιππος, ἐπεὶ συνελέγη αὐτῷ τὸ στράτευμα τὸ ναυτικὸν, ἔπλευσεν εἰς τὴν Κέρκυραν. Appianus in quinto *de Bellis Civilibus*: Επενόει δὲ ἐπὶ θάλασσαν ἐλθὼν ἐμπρῆσαι τὸ Τιτίου ναυτικόν. Id eſt, *Claſſem Titii*. Thucydides in ſecundo, τὸ πρὶν ναυτικὸν παρείχοντο Κορίνθιοι: alibi vocat νηΐτην στρατὸν, quaſi dicas *navalem exercitum*. In ſecundo, ἢν μὴ οἱ πολέμιοι νηΐτῃ στρατῷ ἐπιπλέωσι τῇ πόλει. Et in IV. ὥς τε οὐκ εἰκὸς νηΐτην γε αὐτοῦ τῷ ἐν Νισαίᾳ στρατῷ ἴσον πλῆθος ἐφ' ὑμᾶς ἀποστεῖλαι. Alibi στόλος ab eodem dicitur in ſexto: Ολίγοι γὰρ δὴ στόλοι μεγάλοι ἢ Ἑλλήνων ἢ βαρβάρων πολὺ ἀπὸ τῆς ἑαυτῶν ἀπάραντες κατώρθωσαν. Appian. Ενθα αὐτῷ νεῶν στόλος ἦν, καὶ παρῆλθεν ἐς τὰ νεώρια λαθὼν, ὥς τις ἰδιώτης, φορείῳ κομιζόμενος. Id eſt, *Ubi claſſis illius erat, & in navalia penetravit lectica delatus, tanquam privatus quiſpiam.* Idem *de Bellis Civilibus*: Ηοῦς δ' ἀρχομένης οἱ μὲν τῶν κόλπων ἐν χώρᾳ παρὰ τὴν γῆν αὐτὴν μηνοειδεῖ στόλῳ παρέπλεον. Id eſt, *claſſe lunari forma diſpoſita*. Idem Thucydides in ſeptimo, στρατιὰν ναυτικὴν vocat, στρατιὰν δ' ἄλλην ἐψηφίσαντο πέμπειν καὶ ναυτικὴν καὶ πεζικήν. Επίνειον autem ἐστὶ πόλισμα παραθαλάσσιον, ἔνθα τὰ νεώρια τῆς πόλεως erant: ut Pi-


A ræeus Athenienſium, Niſæa Megarenſium, Cyllene Eleorum: ut apud Thucydid. in primo, καὶ Κυλλήνην τὸ Ηλείων ἐπίνειον ἐνέπρησαν. Nec auſim affirmare id Latinum nomen habere. Navalia enim ſunt ea quæ a Græcis νεώρια dicuntur. Tull. *lib.* II. *Officiorum*, Muri, navalia, portus, aquarum ductus. Thucyd. in tertio: Νεώριά τε παρεσκευάζοντο καὶ ἤρξαντο κατὰ Θερμοπύλας κατ' αὐτὸ τὸ στενὸν, ὅπως εὐφύλακτα αὐτοῖς εἴη. Xenoph. in IV. Ἑλληνικῶν: Ως τε μακαρίζεσθαι αὐτῶν τὴν μητέρα, ὅτι τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, ὧν ἔτεκεν ὁ μὲν κατὰ γῆν τὰ τείχη τῶν πολεμίων, ὁ δὲ κατὰ θάλατταν τὰς ναῦς καὶ τὰ νεώρια ᾕρηκε. Veneti habent ſuum navale, quod *arſenale* vocant, totius orbis
B pulcherrimum, in quo νεωσοῖκοι ſunt circiter ſexaginta, id eſt, navium tecta: in quibus triremes reliquæque naves longæ ædificantur a fabris navalibus: quibus ibi perpetuo ſtipendia de publico procedunt: (ſunt autem νεωσοῖκοι capaces ſinguli triremis unius, uniuſque biremis, & fabrorum navalium, qui eas commode vel ἐκ δρυόχων ædificent, vel conquaſſatas reficiant) in quo eſt & privatum tectum thalamegi, totius ſenatus Venetorum capacis, opus ſane quod cum antiquis regum Ægypti navibus thalamegiſque poſſit contendere: *Bucentaurum* appellant: de quibus thalamegis potui multa adjicere: ſed non eſt viſum operæpretium: feſti-
C namus enim ad ea quæ διδασκαλικὰ videntur. Νεωσοίκου meminit Thucyd. in VII. ὅτε ναῦς ἐν τοῖς νεωσοίκοις ἄλλας ὁμοίας ταῖσδε ὑπελίπετε. Lucian. in *Dial.* qui inſcribitur Ανάχαρσις: Πόλιν γὰρ ἡμεῖς οὐ τὰ οἰκοδομήματα ἡγούμεθα εἶναι, οἷον τείχη καὶ ἱερὰ καὶ νεωσοίκους. Strabo *lib.* XIV. τριηρικὸν vocat navale ad triremes recipiendas, ὧν τὸ ἕτερον κλειστὸν τριηρικὸν καὶ ναύσταθμον ναυσὶν εἴκοσι. Quibus verbis intelligas ναύσταθμον eſſe majorum navium capacem: τριηρικὸν autem longarum. Naves a patria cognomentum ſortiuntur: ut Μεγαρίδες, Αμπρακιωτίδες, Ερμιονίδες, Χίαι, Λευκάδιαι, Λακωνικαὶ, Ιταλιωτί-
D δες, Σικελικαὶ, Συρακούσιαι, Φοίνισσαι, Μιλήσιαι, Αναιῖτις, Θούριαι: quorum omnium exempla extant apud Thucydidem in diverſis locis. Sic & Σάμαινα dicta, quod primum in Samo inſula juſſu Polycratis regis ædificata ſit: quæ cujus formæ fuerit, diſcas ex Plutarcho in *Vita Periclis*: Η δὲ Σάμαινα ναῦς ἐστιν ὑπόπρωρος μὲν τὸ σίμωμα, κοιλοτέρα δὲ καὶ γαστροειδὴς, ὥς τε καὶ ποντοπορεῖν καὶ ταχυναυτεῖν. οὕτω δὲ ὠνομάσθη διὰ τὸ πρῶτον ἐν Σάμῳ φανῆναι, Πολυκράτους τυράννου κατασκευάσαντος. Athenæus *lib.* duodecimo paucis eadem retuliſſe videtur: ait enim, πρῶτος δὲ ὁ Πολυκράτης καὶ ναῦς πήξας, ἀπὸ τῆς πατρίδος Ταμίας ἐκάλεσε. Quo loco non Σαμίας, ſed ex
E Plutarcho potius Σαμαίνας, legendum exiſtimo. Tu lector judicabis, vigiliaſque noſtras boni conſules, aut ipſe meliora proferes. Et phaſeli fortaſſe a Phaſelide loco. A miniſterio & officio quod præſtant, dicuntur προφυλακίδες, στρατιώτιδες, λεπτὰ πλοῖα, ὑπηρετικὰ, φρουρίδες, φρουροῦσαι, ἀργυρολόγοι, πρόπλοι. Aliæ a curſu ipſo, vel ſtatione, μετέωροι, πλώϊμοι, ἐφορμοῦσαι, ἐξαίρετοι, οὐδὲν στέγουσαι, ταχεῖαι, κοῦφαι, πελάγιαι, αἱ ἄριστα πλέουσαι, ἀντίπρωροι. ναῦν etiam μυριοφόρον dixit Thucydides in ſeptimo. Strabo *lib.* XVII. βάθος δὲ ὅσον ἀρκεῖ μυριοφόρῳ νηΐ. Dicitur & navis δελφινοφόρος, & apud Thucydidem δελφινοφόροι ὁλκάδες.
F Dicimus etiam αὐτάνδρους ναῦς, καὶ αὐτοφόρτους ὁλκάδας. Id eſt, quæ cum ipſis hominibus, & cum onere ſuo captæ vel depreſſæ ſunt. Diodorus *libro* decimonono, τῶν δὲ νεῶν πλείους αὐτάνδρους εἷλε. Cæſar in primo *de Bello Civili* nos docuit quomodo id Latine dicebatur, in hæc verba: *Itaque dum locus cominus pugnandi daretur, æquo animo ſingulas binis navibus objiciebant, atque injecta manu ferrea & retenta utraque nave diverſi pugnabant, atque in hoſtium naves tranſcendebant: &*

magno

TAB. VI.







magno numero Albicorum & pastorum interfecto, partem navium deprimunt: nonnullas cum hominibus capiunt: reliquas in portum compellunt. Idem in tertio aliter protulit: dum ait: *Ex his quadriremem cum remigibus defensoribusque suis ceperunt.* Id est, αὔτανδρον, vel σὺν τῷ πληρώματι. Diodorus in decimo octavo dixit Græce eadem fere ratione qua Cæsar: Ἐνίκα ὁ Κλεῖτος, καὶ κατέδυσε μὲν τῶν ἐναντίων ναῦς ἑπτακαίδεκα, εἷλε δὲ σὺν αὐτοῖς ἀνδράσιν οὐκ ἐλάττους τῶν τετταράκοντα. Id est, *Vicit Clitus, & hostium naves decem & septem depressit, circiter autem quadraginta cum ipsis hominibus cepit.* Idem Diodorus non longe post verba supra scripta, αὐτάνδρων usurpat: Οὗτοι μὲν ἐπιπεσόντες ἄφνω τοῖς πολεμίοις τεθορυβημένοις, εὐθὺς κατὰ τὸν πρῶτον ἐπίπλουν ἐξέψαντο· καὶ τὰς μὲν τοῖς ἐμβόλοις τύπτοντες ἀνέρριπτον, ὧν δὲ τοὺς ταρσοὺς παρέσυρον, ὧν δὲ αὐτάνδρων παραδιδομένων ἀκινδύνως ἐκυρίευον, τέλος δὲ, πλὴν μιᾶς τῆς ναυαρχίδος, τῶν λοιπῶν πασῶν αὐτάνδρων ἐκυρίευσαν. Et paulo post: Καὶ καταναυμαχήσας αὐτάνδρων τῶν σκαφῶν ἐκυρίευσε. Idem in vigesimo: Τῶν δὲ μακρῶν αὔτανδροι μὲν ἐλήφθησαν μ΄. διεφθάρησαν δὲ περὶ π΄. ἃς πλήρεις οὔσας θαλάττης κατήγαγον οἱ κρατήσαντες εἰς τὴν πρὸς τῇ πόλει στρατοπεδείαν. αὔτανδροι, id est, *naves cum hominibus*, ut dixit Cæsar: ἁμάξας αὐτάνδρους dixit Lucianus in Τόξαρι: Καὶ τὰς ἁμάξας κατελαμβάνοντο αὐτάνδρους τὰς πλείστας ἁλισκομένας, id est, *carrucas cum hominibus captas*. Xenophon in primo παιδείας dissolute dixit, πολλοὺς γὰρ αὐτοῖς τοῖς ἵπποις κατακρημνισθῆναι. Et in III. ἐστεφανωμένους καὶ σπονδὰς ποιησαμένους ἥκειν εἰς τὰς τάξεις αὐτοῖς στεφάνοις, id est, *cum corollis*, ut σὺν subaudiatur; id est, *cum ipsis corollis*. Plutarchus αὐτοφόρτους ὁλκάδας dixit, id est, *onerarias cum mercibus impositis & cum earum onere*. Ejus verba sunt in *Æmilii Vita*: Εἴκοσι μὲν αὐτοφόρτους ὁλκάδας ἐχειρώσατο. Idem περὶ εὐθυμίας, de Zenone his verbis: Ζήνωνι τῷ Κιτιεῖ μία ναῦς περιῆν φορτηγός· πυθόμενος δὲ ταύτην αὐτόφορτον ἀπολωλέναι συγκλυσθεῖσαν, Εὖγε, εἶπεν, ὦ τύχη ποιεῖς, εἰς τὸν τρίβωνα καὶ τὴν στοὰν συνελαύνουσα ἡμᾶς. Id est, *Zenoni Citieo unica navis oneraria reliqua erat, quam quum audisset interiisse demersam cum ipso onere & mercibus, Recte, dixit, atque ordine o fortuna facis, quæ nos ad pallium & porticum Stoicorum contrudis.* Quod autem Cæsar verbo *depressit* usus est, Græci κατέδυσε dixerunt, ut vidimus. Inde a Marco Tullio depressa classis dicta in secundo *de Divinatione*: *Si enim fatum fuit, classes populi Romani bello Punico primo, alteram naufragio, alteram a Pœnis depressam interire.* Idem pro *Archia Poeta*: *Nostra semper feretur & prædicabitur Lucio Lucullo dimicante cum interfectis ducibus depressa hostium classis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis. Nostra sunt trophæa, nostra monimenta, nostri triumphi.* Descendere ad naves dixit Tullius: quum tamen conscendere navem dicamus eodem authore. Idem lib quarto *Academicarum Quæstionum* ad calcem: *Nos ad naviculas nostras descendimus. Non quod dicendum sit descendere in navem, sed ad litus & locum in quo stabant naviculæ, ut conscenderent: quin conscendere navem dicimus. Quid enim conscendens navem sapiens, num comprehensum animo habet atque præceptum, se ex sententia navigaturum? Qui potest? Sed si jam ex hoc loco proficiscatur Puteolos stadia triginta, probo navigio, bono gubernatore, ac tranquillitate: probabile videatur se illuc venturum esse salvum.* Idem in primo *de Divinatione*: *Unum de Simonide, qui quum ignotum quendam projectum mortuum vidisset, eumque humavisset, haberetque in animo navem conscendere: moneri visus est ne id faceret, ab eo quem sepultura affecerat.* Quin & conscendere simpliciter dicimus: *Tu velim quamprimum conscendas, ad meque venias*: apud Tullium *ad Q. fratrem*. Conscendere Græci ἐπιβῆναι dicunt. Plutarchus περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων: Οὗτος ἔφη ποτὲ πλέων εἰς Ἰταλίαν ἐπιβῆναι νεὼς ἐμπορικὰ χρήματα καὶ συχνοὺς ἐπιβάτας ἀγούσης.

Sed hæc Grammaticorum sunt: neque satis digna in quibus diutius immoremur. Illa profecto obscuriora, quæ fortasse vigilans lector a nobis desiderabit: qui sint θρανῖται: qui ζυγῖται: qui θαλάμακες apud Aristophanem in *Ranis*, dum ait, καὶ ἀποπαρδεῖν ἐς τὸ στόμα τῷ θαλάμακι: qui ab Appiano θαλαμίαι appellantur, ab aliis θαλαμῖται. Quod si Græcorum commentarios sequi voluerimus: id tamen non erit expeditum: ita enim declarant, ut multo obscuriora ea ipsa reddere videantur: &, quod magis mirabere, pugnantia nobis in iis explicandis proponunt. Enarrator enim Aristophanis in *loco* supra *citato* ait fuisse tres ordines remigum: ut qui in inferiore parte navis essent, θαλαμῖται dicerentur: qui in medio, ζυγῖται: qui in superiore parte, θρανῖται appellarentur. Qui θρανῖται, quoniam remos longiores trahebant, gravioreque labore vexabantur, eo a τριηράρχαις, præter stipendium, publicum donativum consequebantur. Quod ex sexto Thucydidis probari potest, dum ait: Τῶν τριηράρχων ἐπιφορὰς πρὸς τῷ ἐκ δημοσίου μισθῷ διδόντων τοῖς θρανίταις τῶν ναυτῶν. Stipendium autem publicum erat drachma in dies singulos: quæ æstimatur quatuor solidis nostris turonensibus. Voluntariis enim remigibus, ut hodieque Veneti, non compeditis utebantur. Lucianus tamen περὶ τοῦ ἠλέκτρου, remigis mercedem ad duos obolos, id est, drachmæ tertiam, statuisse videtur, dum ait, οἴει ἡμᾶς δυοῖν ὀβολοῖν ἕνεκα ἐρέττειν ἂν, ἢ ἕλκειν τὰ πλοῖα πρὸς ἐναντίον τὸ ὕδωρ; Xenophon in I. Ἑλληνικῶν, τριώβολον posuit his verbis: Εἶπεν, ὅτι εἰ πρὸς τὸν μισθὸν ἑκάστῳ ναύτῃ ὀβολὸν προσθείης, ἐκ δὲ τούτου τέτταρες ὀβολοὶ ἦν ὁ μισθὸς, πρότερον τριώβολον. Sed locus Luciani intelligendus de iis qui Pado flumine lintres & alias fluviatiles naviculas atque etiam piscatorias ducebant quæstus causa, non de remigibus triremium aut etiam majorum. Sed ut ad propositum revertamur: si rationem habere voluerimus ejus formæ navis, quam supra, ubi triremis mentio facta est, depingendam curavimus, eamque sequi, dicemus in illa inferiorem ordinem, & qui aquæ vicinior, esse thalamitarum, medium zygitarum, superiorem thranitarum. Sed si hoc verum esset, deessent nomina in quadriremibus & majoribus navibus. Qui enim erunt zygitæ in quadraginta ordinum nave Ptolemæi regis? Qui thalamitæ? Præterea qui fieri potest; ut vel decem tabulatorum, ne dicam quadraginta, navis in mari naviget, & tabulata ipsa supra aquam extent, & non pluribus partibus aqua demergantur? Pausanias in *Atticis* miraculi loco refert, navigium Deli fuisse, quod a catastromate ad aquam novem remiges haberet: nullumque ad suam ætatem illud magnitudine superasse: verum præstiterit ipsius Pausaniæ verba adscribere: quæ, ut ingenue fatear, non satis nobis intelliguntur: sed sic habent, nisi si corruptus sit codex, τὸ δὲ ἐν Δήλῳ πλοῖον οὐδένα πω νικήσαντα οἶδα, καθῆκον εἰς ἐννέα ἐρέτας ἀπὸ τῶν καταστρωμάτων. Undeciremem tamen Demetrii legerat, opinor, Pausanias. Quare ordines remorum non possunt sic intelligi, ut diximus ex Enarratore Aristophanis, quum ea ratione multa navigia ordine remorum illud, quod in Delo erat, multis partibus superarint. Fuere enim (ut supra docuimus, quod nec Pausanias ignorare potuit) X. XI. XII. XV. XL. remorum ordines. Excogitanda ergo nobis alia ratio, quam ab ipso Enarratore Aristophanis hauriemus: nec tamen fuisse eundem

existimandum est, quum secum ex diametro pugnet. Subdit enim quod magis sit nobis verisimile: θρανίτης οὖν ὁ πρὸς τὴν πρύμναν, ζυγίτης ὁ μέσος, θαλαμίτης ὁ πρὸς πρῶραν. Id est, *Thranites igitur est is qui ad puppim remigat, zygites qui in media navi, thalamites qui ad proram.* Ut navis ipsa per longitudinem in tres partes dividenda sit: & qui remiges sunt in prima parte ad proram, vocentur thalamitæ: qui in medio supra arborem, zygitæ: qui in tertia ad puppim, thranitæ dicantur: itaque fiet, ut etiam in τετταρακοντήρει, & infra vel supra eam magnitudinem navis, triplex remigum ordo per longitudinem inveniatur. Et sic intelligemus quod scriptum est ab Appiano in libro postremo *Bellorum Civilium:* Καὶ τῶν ἐρετῶν οἱ μὲν θαλαμίαι πάντες ἀπελήφθησαν, οἱ δὲ ἕτεροι τὸ κατάστρωμα ἀναῤῥήξαντες ἐξενήχοντο. Id est, *Ex remigibus thalamitæ ad unum omnes excepti sunt: alii vero direptis fororum tabulis adjuti, ad suos enatarunt.* Quo loco θαλάμιοι fortasse legendum. Julius enim Pollux eo vocabulo utitur, his verbis: Καλοῖτο δ' αὖ καὶ θάλαμος, οὗ οἱ θαλάμιοι ἐρέττουσι. τὰ δὲ μέσα τῆς νεώς, ζυγὰ, οὗ οἱ ζύγιοι καθηνται. τὸ δὲ περὶ τὸ κατάστρωμα, θρανὸς, οὗ οἱ θρανῖται. Ut ea ratione, quam supra diximus, navis per longitudinem in tres partes dividatur. Movet iterum quæstionem quod ex Polybio supra retulimus, δοῦσα πληγὴν βιαίαν κατὰ μέσον τὸ κύτος, ὑπὸ τὸν θρανίτην σκαλμον: ut thranites in medio collocatus videatur: & ita ipsi in vertendo intellexisse videmur, & fortasse ὑπὸ τὸν, &c. vertendum fuit, *infra thraniticum scalmum*, non autem sic ut vertimus: alioqui pugnant ista cum iis quæ ex Julio Polluce diximus. Zygitæ enim in media nave sunt, non thranitæ. Sic sub ea, id est, post ea, Latini dixere. Nec tamen verebor ingenue fateri, mihi adhuc non liquere, an hæc nostra conjectura vera sit: ut mihi in magnis opinionum naufragiis versari videar, e quibus per me ipse emergere nequeo: illum solum animi candorem præstare possum & debeo, ut lectori ignorationem meam fateri non erubescam: ne aliqua nostri persuasione adductus, in eundem errorem trahatur. Quare illud ἐπιχάρμειον lector teneat, *Nervos atque artus sapientiæ esse non temere credere.* Adhibendi sunt authores utriusque linguæ, iique qui receptæ authoritatis sunt, in consilium: videndum etiam atque etiam num librarii aliquid de suo addiderint: cavendum ne mendum pro vera lectione nobis imponat: ut apud Plutarchum existimo in libello qui inscribitur, πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος ἐπ' ἀρετῇ: Καθάπερ φασὶ Σέξτιόν τε τὸν Ρωμαῖον ἀφεικότα τὰς ἐν τῇ πόλει τιμὰς καὶ ἀρχὰς διὰ φιλοσοφίαν, ἐν δὲ τῷ φιλοσοφεῖν αὖ πάλιν δυσπαθοῦντα, καὶ χρώμενον τῷ λόγῳ χαλεπῶς τὸ πρῶτον, ὀλίγου δεῆσαι καταβαλεῖν ἑαυτὸν ἐκ τινὸς διήρους. Id est, *Quemadmodum ajunt Sextium Romanum, spretis quibus in urbe fungebatur honoribus & magistratibus, propter philosophiæ cupiditatem, inter philosophandum rursus ægre ferentem, propterea quod initio ad percipiendum philosophorum sermonem tardior esset, parum abfuisse quin se e biremi quadam dejiceret.* Græca habent ἐκ τινὸς διήρους, quum tamen supra diximus nos non legisse illud vocabulum apud probatum autorem, quum studiose omnes qui extant evolverimus. Quare aliquando existimavi apud Plutarchum eo loco legendum ἐκ τινὸς γεφύρας, vel διήρους intelligendum pro domo quæ esset duorum tabulatorum, quæ a Græcis aliquando δίστεγος dicitur. Sed quum videatur a Polluce διήρης dicta, fit ut subsistam, lectorisque judicio relinquam: qui (scio) nobis dabit veniam, quod ea omnia navium genera, quæ a Gellio recensentur, (qui nuda earum nomenclatura contentus fuit) explicare non potuerimus. Locus enim ille apud Gellium est corruptissimus, nec ipsi divinare debuimus. Ecce tibi quum de caudicarum navium vocabulo, cujus mentio in Gellio est, hæsitarem: casu incidi in locum Senecæ in libello *de Brevitate vitæ*, qui eam mihi molestiam absterst, his verbis: *Quis Romanis primus persuasit navem conscendere? Claudius is fuit Caudex, ob hoc ipsum appellatus, quia plurium tabularum contextus, caudex apud Antiquos vocabatur. Unde tabulæ codices dicuntur, & naves nunc quoque quæ ex antiqua consuetudine subvehunt, caudicæ vocantur.* Hactenus Seneca. In vulgatis codicibus locus Senecæ corruptus est: & *caudes* utrobique pro *caudex* legitur, & *candicæ* non *caudicæ*. Sed tu ad modum supra scriptum, Senecæ locum emendabis: loquitur enim de Q. Appio Claudio Caudex cognomento: qui cum Q. Fulvio Flacco consul fuit. Quod si alia tempus & lectio frequens nobis aperuerit, lectori non invidebimus: in præsentia quæ potuimus, ipsi benigne proferimus. Tu lector, boni consule, ac nos ama.

Hæc Lazarus Bayfius in studiosorum gratiam colligebat.

Partium navis (TAB. VI. *fig.* 2.) εἰκοσόρου, quæ TAB. I. *fig.* I. præcessit, nomenclatura Latina & Græca.

A Gubernator, κυβερνήτης.
B Remiges, Nautæ, ἐρέται.
C πρωρεὺς καὶ πρωράτης, Latinis Proreta, qui proram regit. Jureconf. in lege, *Cotem.§.Dominus.ff. De publicanis.*
D Acroteria.
E Thronus.

Partium navis (TAB. VI. *fig.* 3.) Liburnicæ, quæ TAB. III. *fig.* I. præcessit, nomenclatura Latina & Græca.

A θρανὸς, inde θρανῖται.
B ζυγὸς, inde ζυγῖται.
C θαλαμος, inde θαλαμῖται, καὶ θαλάμιοι, καὶ θαλάμακες ab Aristophane.
D Vexillum.

F I N I S.

STEPHANI DOLETI
DE
RE NAVALI
LIBER
AD LAZARUM BAYFIUM.

STEPHANUS DOLETUS
LAZARO BAYFIO
S A L.


Olet mihi, & vehementer quidem dolet, te, cujus & studiosissimus & observantissimus hactenus semper fui, sic in me nulla causa derepente commotum, ut, qui contra existimationem meam veniret, parare (dicam vel hortari, vel impellere?) inimice volueris. Dolet itidem vehementer mihi, eum te emissarium in me delegisse, (tu vero tuo me nomine aperte oppugnasses) de quo & optime sentiebam, & honorifice ubique prædicabam. Sed tamen credere quicquam de te temere certe nolim: ac mihi potius velim persuasum, suapte illum sponte in me invehendi causam, occasionemque quæsisse: nec te vel hortatore, vel impulsore ad tam aspera maledicta usum. Major mea est de tua tum prudentia, tum moderatione, æquitatesque opinio, quam ut in aliquam mali animi, malæve mentis suspitionem mihi venias. Itaque te omni prorsus vel odii, vel malevolentiæ in me suspitione libero, & factæ mihi injuriæ judicem (quod tamen tui sit arbitratus) sumo, atque constituo. Judex igitur mihi sedeas: ad rei narrationem aggredior, ut re audita liquidius certiusque sententiam secundum me feras: vel ab adversario nostro stes. Audien' tu? Ita res, ut a me sine artis oratoriæ, aut exquisitioris verborum splendoris ostentatione, mox dicetur, plane habet. Anno a Virgine gravida, vel (ne qua calumniæ ansa calumniatori detur) a Christo in crucem sublato M. D. XXXVI. ad Kalen. Novembres, cum Lugduni commorarer, & secundi meorum *Linguæ Latinæ Commentariorum* Tomi editioni totus operam darem, allatus est ad me a Christophoro Richerio viro eruditissimo, & humanitatis officiique plenissimo, tuus *de Re Navali* Liber. Tum forte noster *de Rei Navalis dictionibus* locus excudebatur. Id quod me acrius movit, ut librum tuum diligentius & attentius perlegerem. Perlegi: neque quicquam perlegenti occurrit, (verbo utar attentionis significatioris) nihil quicquam perlegens annotavi, in quo & tu, & ego idem aut tractaremus, aut explicaremus, præter navium genera & appellationes. Erga Richerium ut me gratum præberem, (ingrato enim animo nihil pejus odi) tertium & quartum ex ternione quodam folium mutui officii causa ei perlibenter quidem dedi: quæ ad te primo quoque nuntio se missurum non rogatus affirmavit. Nil causæ, cur id non faceret, dixi. Reddita sunt tibi ea, scio, non ita admodum post folia. Hic, hic locus est, in quo te fingere possim, primum stomachantem, quod eadem tecum de Re Navali & ausus sim, & susceperim. Deinde emissarium, qui indigne me charta dentata lacessivit, a te accersi jussum (quemadmodum ad nutus tuos forte factus est) ac mandatis oneratum, ut DOLETUM, juvenem audaciæ nimiæ, (spei & expectationis maximæ dicere apud te judicem non audeo, quem mihi & æquum & benevolum cupio) quibus possit, maculis deformet, ejusque nascentem existimationem imminuat. Hic, hic, inquam, locus

est, ubi ea de te probabiliter narrare haud dubie possem : sed vetor præjudicata illa, quam antea de tua integritate & moderatione habere me dixi, opinione. Quamobrem, quod suspicor, quodque pro certo habere placet, tantum enunciabo. Ille te non tam potens, quam impudens emissarius die quodam invisit : in bibliotheca tua assidens, tecumque confabulans, (hominem tam nihili honore nimio dignor, quem tecum confabulantem facio) folia nostra suffuratur, aufert, jam tum de nobis male invidioseque cogitat. Quid postea? Tuum *de Re Navali* librum in Epitomen tuo vel jussu, vel assensu, contrahit : malevolentia in me ardens (quid aliter nefarios nebulonis conatus interpreter, nulla injuria irritati?) ea in foliis nostris notat, quæ maledicendi locum illi relinquere visa sunt. Animum huc adverte, mi Baysi. Fac, si voles, recte ab eo animadversa, quæ in me tam iracunde profert. Hoccine tamen humanum factum, aut honestum? hoccine viro bono & literato dignum, quæ ab officioso officiose ad te missa erant, nondum edito meo in lucem opere (in cujus editionem adhuc incumbo) tam insolenter, tamque inconsulte reprehendere? Hicne magis insecter emissarii tui (depositæ de te suspitionis oblitus eram : compendiarium dicere volebam) scelus, quam stultitiam rideam? Sed scelerati scelus insectari non libet. Stultum vero & imprudentem non existimem, qui inconsiderata & temeraria mente præceps, id non vidit, posse me, cum meum mihi opus adhuc in manibus sit, nequedum exiit, quæ reprehendit, mutare, & ex ejus animadversione castigare? Sic mendacis & falsi animadversoris famam subiret : mihi sua præpropera petitione nullum vulnus inferret. At, quæ in nos tela jacit, viriliter repellere certum est : non istiusmodi declinatione ictus hostis muliebriter eludere. Ecquid autem mihi maxime crimini dat? ecquid vitio vertit? Ea illius verbis expressa jam audito. Nostram deinde defensionem perpendito. Ad extremum, ex æquo & bono arbitrator.

CRIMINATIO.

Non possum hoc loco satis admirari ejus ingenium, qui, cum dissimulare conatur, se a Baysio nihil ex re Navali desumpsisse, omnia tamen desumit : ac dum in suis *Commentariis Linguæ Latinæ*, bonis Lectoribus aut fucum facere, aut tenebras offundere conatur, ne suum furtum omnibus palam fiat, in id erroris incidit, ut vocabula quædam immutet, ac pervertat : neque vocabula ipsa solum, sed etiam autorum nomina, ac sententias ementiatur : cujus criminis operæprecium duximus juvenculos nostros admonere, ne minus cauti in id temere incidere possint. Si quando igitur in *Commentariis Linguæ Latinæ* legerint naves *embatas* pro vectoriis, quas ille *scansiles* appellat, corruptum id sciant pro *epibatis*, nisi cum depravata Jureconsulti lectione *emphatas* dicere voluit. Præterea, quæ verba attribuit Plinio *libro* decimo nono, ea ipsa sunt, quæ prius adduximus ex Baysio, desumpta ab Ulpiano, *Titulo de exercitatoria actione* : *Quædam enim naves onerariæ : quædam* (ut ipsi dicunt) *epibades sunt*, &c. Atqui Plinius *libro* decimo nono hortorum curam & ornatum recenset, & a navium tractatione longissime abest. Vide, quæso, Lector, quam hoc sit diligenter Latinam dignitatem tractare.

IN CRIMINATOREM
DEFENSIO.

Hoc unum ipsum est, quod mihi stomachum fecit. Hoc unum est, quod me ad librum *de re Navali* separatim emittendum impulit. Scilicet: ego ex te omnia desumpsi, quæ de re Navali scribo? Brevis est, qua ad hujus criminis dissolutionem uti volo, defensio. Tuum de re Navali librum cum nostro conferat diligenter Lector. Quid verbis opus est? Facile continuo vel furtum nostrum deprehendet: vel falsam & sceleratam emissarii tui (depositæ de te suspitionis iterum oblitus sum: compendiarius mihi in labris erat) criminationem cognoscet. Quid tu de re Navali scribis? Quid explicas? Tantum navium genera. Intelligo pueris gratas & admirabiles: paulo doctioribus non necessarias repræsentatas a te (confictas dicere nolui) nescio quas biremium, triremium, navium tectarum, sive constratarum, navium fluviatilium, scapharum antiquarum ad vinum circunferendum, scapharum fluviatilium ad merces convehendas, pontium navibus fluviatilibus constratorum formas: ostentationis nomine, præterque rem ambitiosius versos quamplurimos ex Græcis scriptoribus locos: qui si detrahantur, pauca de re Navali scripseris. Quid ego? Sane (ut meus ordo & in dictionibus rei Militaris, & in rei Rusticæ vocibus est) re Navali tractanda, quædam velut fundamenta jacio: a minimis incipio, & sensim ad graviora provehor. In quibus qui fieri potest, ut, cum navium appellationes, & parteis consector, multa tecum iisdem pene verbis, vel iisdem prorsus verbis non enucleem? Atque qui *Commentarios* & *Dictionaria* scribunt, vel aliquid interpretantur, sic factos esse non ignoras, ut nihil fere ex se promant: omnia ab aliis mutuari necesse habeant. Quod si id furtum a te, ut a tuo Compendiario, appelletur, furti in tuis omnibus libris accusaberis: furti accusabitur Galliæ nostræ lumen Guliel. Budæus: furti accusabitur Germaniæ sempiternum decus Erasmus Roterodamus: furti accusabitur Angelus Politianus: furti accusabitur Cælius Rhodiginus: furti accusabitur Volaterranus; furti accusabitur Sypontinus: denique furti accusabuntur omnes, quotquot *Commentarios* confecerunt, vel interpretationes reliquerunt. In istiusmodi lucubrationibus ordinem novum inducere, multa vel ingeniosius, vel fusius, vel enucleatius interpretari, & tractare certe licet: ab iis omnino abstinere, quæ ab aliis vel æqualibus, vel antiquis scriptoribus tractata sunt, nemini cuiquam integrum est. Et me omnia a te desumere clamat tuus Emissarius (vah! pro Compendiario Emissarius mihi nec opinanti excidit) si rem Navalem, ut tu, tractans, quædam, ut tu, declarem? Vociferarer hic: o ridiculum caput, o belua, o bestia, o pecus. Sed ea orationis fulmina, ea orationis tonitrua non fert epistolæ humilitas. Ad reliqua, quæ mihi objicit, gradum facio. Quid? fucum, inquit ille, Lectoribus facere: tenebras offundere Lectoribus conor: vocabula quædam perverto: autorum nomina ac sententias ementior. Respondeat hic invidia disruptus nebulo. Fucum Lectoribus & juvenculis, in quos tanto se amore flagrare jactat, facere est, omni ambitione, cupiditateque & honorum (ad quos vel amplissimos jampridem evocari potuimus) contentione abjecta, valetudinis ratione posthabita, dies noctesque literis involvi, ut mihi rudem juventutem munere aliquo devinciam, & meis laboribus ad eloquentiæ studium incitem, juvemque, qua possim, facultate? Tenebras

lectoribus offundere est, singulari & orationis & interpretationis facilitate (quam mihi laudem vel in oratione, vel in carmine scribendo omnes uno ore tribuunt) dictiones elucidare? rem ipsam ob oculos ponere? Vocabula pervertere, autorum nomina ac sententias ementiri est, virorum doctorum opinionem, autoritatemque suscipere? At quorum opinionem, autoritatemque suscepimus? Quod ad embatas naves attinet, quas pro vectoriis accipi tradidimus, Budæi opinionem secuti sumus. Quod Plinio falso, ut iste ait, attribuimus, sciat vel a se, vel ab alio in *Thesauro Linguæ Latinæ* antea Plinio attributum. Jam exclamet nebulo. Vide, Lector, quam hoc sit diligenter Latinam dignitatem tractare. Quasi vero grammaticis institutionibus (grammaticas institutiones voco, dictionum interpretationes) constet Linguæ Latinæ, vel alius cujuslibet dignitas. Constat non grammaticis institutionibus, sed ornate, varie, copiose, apte, numerose, exacte scripta aut oratione, aut epistola, aut carmine. Ad quæ quoniam tuus sciolus ardelio non adspiravit, Latinam dignitatem in grammaticis tricis positam arbitratur. At in hominem tam nullius existimationis invehi me pudet. Reliquas diluam criminationes.

C R I M I N A T I O.

Animadvertant diligenter nostri adolescentuli, ne in id vitium cum quodam incidant, ut falso existiment, remulcum esse parvam scapham, qua grandiores naves pertrahantur. Et siquando in *Commentariis Linguæ Latinæ* deprehenderint remulcum pro navi descriptum, sciant eum, qui rem Navalem ex Baysio traduxit, minus intellexisse Græcas * autoritates, quæ tum ex Polybio, tum etiam ex Diodoro Siculo in contrarium sensum adductæ sunt: nempe quæ probent remulco trahere naves, esse, magnis nisibus conari, ut vel depressa, vel submersa, vel clauda, vel mutila navis in tutum reducatur.

D E F E N S I O.

Tu in tuo *de Re Navali* libro, *remulco trahere*, bene Latinum esse, & a Livio & Cæsare usurpatum annotasti: sed tamen, quid sit remulcus, silentio præteris. Tuo isti Compendiario, *remulco trahere*, significare videtur, magnis nisibus conari, ut navis in tutum reducatur. Id ne remulci significationem tradere est? Nos eam tradidimus, ut remulcum parvam navem, sive scapham esse velimus, qua grandior navis trahitur. Eam significationem ex Festi verbis primum collegi: tum meam sententiam confirmavit sequens Plauti exemplum, in *Bacchid.* Actu II. Sc. III. ubi Nicobolus senex & Chrysalus servus colloquuntur:

Interea e portu nostra navis solvitur.
Ubi portu eximus, homines remulco sequi?
Neque aves, neque venti citius.

Hæc Plauti verba nostram ne remulci interpretationem improbant? pro scapha poni non demonstrant? Nunc jactitet tuus blatero, *remulco trahere*, esse, magnis nisibus conari. Qua interpretatione quid, quæso, jejunius? quid magis ridiculum? Dicat blatero. Si in alto accidat, ut navis vel clauda, vel mutila sit, quomodo magnis illis nisibus trahetur?

ubi innitentur, qui trahent ? ubi remis incumbent ? ubi pedem firmabunt ? In aqua, non in ſcapha? Stoliditatem tui blateronis non perſpicis ? Plauti locum perpende :

> *Ubi* (inquit) *portu eximus, homines remulco ſequi :*
> *Neque aves, neque venti citius.*

Id eſt, neque aves citius volant', neque venti rapidius flant, quam nos ſequebantur remulco homines. Remulcum ſcapham eſſe nunc dubitas? Dubitare non arbitror. Quare in re tam certa longiorem orationem non affectabo. Addam hoc tantum, a tuo blaterone Robertum Stephanum debuiſſe antea reprehendi, qui antea in ſuo *Dictionario* remulcum pro parva nave, vel ſcapha poſuerat. Addam hoc etiam obiter, in blateronis tui criminatione non ferendam videri mihi barbariem, cum autoritates pro exemplis, vel locis appellat. Sed quis miretur barbarum barbare loqui ?

CRIMINATIO.

Miror, quod vir quidam doctus in ſuis *Linguæ Latinæ Commentariis* locum Hirtii Julio Cæſari adſcripſit, quarto *Belli Civilis :* cum alioqui certiſſimum ſit, apud Cæſarem nuſquam reperiri poſſe. Neque vero quiſquam exiſtimet velim, tale quidpiam Latinæ Linguæ inter cæteros optimum autorem confinxiſſe. Fortaſſis non optime tranſcripſerat ex Bayſio locum Hirtii : qui certe ſic habet ad verbum, in *Bello Alexandrino*, quemadmodum ille vir bonus Cæſari aſcribebat : *Capit* (inquit Hirtius) *ex eo prælio pentiremem unam, triremes duas, dicrota octo, compluresque remiges Octavianos.* Diſcant hujus exemplo, quicunque alienas vigilias ſibi attribuere volent, ſaltem tam accurate ſuffurari, ut furtum * ſuum adeo manifeſte deprehendi non poſſit.

DEFENSIO.

Quam mihi mirum multo magis accidat, vix credas, nebulonem tuum tanta ſtoliditate, & ingenii ſtupiditate eſſe, ut me ignorantia, non de induſtria locos Hirtii pro Cæſarianis citaſſe putet. Non ego univerſos Cæſaris *Commentarios* legi? Non, quæ Hirtio, vel Oppio aſcribuntur, novi ? Ita citare placitum eſt. Graviſſimum, tui nebulonis ſententia, flagitium. Perinde ac ſi *Commentarii* Cæſaris non dicerentur, ſed Hirtii, aut Oppii. Verum in tam frigida criminatione vehementius incaleſcere, aut acerbius indignari, viro gravi non dignum eſt. Quid præterea mihi objicit blatero? Alienas vigilias, hoc eſt, tuas mihi me attribuiſſe : non ſatis occulte ſuffuratum fuiſſe. Nihil a te nos ſuffuratos, nihil a te nos traduxiſſe, antea probavimus. Nulla hic furti negatione opus eſt. Sed quid nebuloni argumentum dedit, furtum hic a me factum exclamandi ? Nimirum quod idem, quod tu, Cæſaris exemplum citavi. Num juſta ac legitima furti facti reprehenſio eſt? Itaque Ciceronis exempla, quæ in meis *Linguæ Latinæ Commentariis* protulero, proferre poſt me cavete poſteri. Obtrectatoris mei exemplo, furti vos accuſabo : plagii vobis dicam impingi curabo. Non communia ſunt, obtrectatoris mei judicio, autorum exempla. In iis, mei obtrectatoris arbitratu, ſacra eſſe debet prioris uſurpantis autoritas. Quæ ſemel ab aliquo citata ſunt, (pingui nunc Minerva loquor) ab alio poſtea citari, obtrectatoris mei opinione, furtum eſt. Quid hic impedit, quin illud Horatii huic loco immiſceam?

Spe-

D E F E N S I O.

Spectatum admiſſi riſum tenuatis amici?

Riſu enim dignus eſt tuus nebulo, non ſtomacho, aut indignatione. Riſu iterum dignus eſt, & barbariei nota, qui tam barbare ad extremum ſuperioris criminationis loquitur. *Diſcant* (inquit) *hujus exemplo, qicunque alienas vigilias ſibi attribuere volent, ſaltem tam occulte ſuffurari, ut furtum ſuum adeo manifeſte deprehendi non poſſit*. Non barbare reciproco utitur? *Eorum* dicendum erat. Tam fœde in reciproci uſu lapſus eſt ad extremum etiam Epiſtolæ, quam tuo in Epitomen contracto *de re Vaſcularia* libro præmiſit: ubi ſic ſcribit: *Præterea ſcimus non modicam jacturam docti alicujus nomen facere, ſiquando ſcriptum ſuum temere a quoquam invertatur, atque immutetur*. Non habere hic item reciproco utitur? *Ejus* dicendum erat.

C R I M I N A T I O.

Atqui ut ad Lenunculum redeam: mirum hoc mihi maxime videtur in viro docto, cui cum nulla autoritas Antiquorum ſuffragetur, auſus eſt tamen in ſuis *Commentariis Linguæ Latinæ* remeculum proferre, tanquam navigii genus, quo Lemnii uti ſolebant. Certe id nemo crediderit a Bayſio deſumptum eſſe, ſed fortaſſis temere prolatum, ut permulta alia.

D E F E N S I O.

Nihil adhuc temere a me prolatum probavit obtrectator. Quare proxima vox maledicti ſit, & procacitatis, non veritatis. De Remeculo mecum facit Auli Gellii autoritas *lib.* IX. *cap.* XXV. Neque eſt, quod locum Gellii corruptum calumnietur. Ad hæc, ſi in hoc me notet, & Sypontinum, & Robertum Stephanum notet neceſſe eſt: qui idem in ſuis *Dictionariis* ante me tradiderunt.

C R I M I N A T I O.

Quod autem quidam in ſuis Commentariis Vergilii locum adducit in proræ exemplum:

Quot prius æratæ ſteterant in littore proræ.

Certe corruptum eſt: ſcriptum enim reperies puppes etiam pro navibus, ut pars pro toto ſumatur.

D E F E N S I O.

Quod ex Vergilio citavimus in exemplis proræ, certe non corruptum eſt: & ita habet tum Aldi, tum Colinæi, tum Roberti Stephani, tum Gryphii exemplar. Porro ſi exemplarium tam caſtigatorum autoritatem non ſequatur obtrectator, rationis aliquid afferat, quare potius, ut vult, quam, ut citavimus, & omnia exemplaria habent, legendum ſit. Afferet, puppes reperiri pro navibus, ut pars pro toto ſumatur. Non etiam proræ pro navibus capi poſſunt, ut pars pro toto ſumatur? Non prora navis pars eſt?

Hæ ſunt, mi Bayſi, tui Compendiarii in me criminationes, quas pene invitus refutavi. Ita enim me jamdiu comparavi, illudque cepi conſilium, ut iſtiuſmodi nebulonum petulantiam, muliebremque loquacitatem citius

risurus sim, quam vel tantilli facturus, vel ulla omnino oratione refutaturus. Equidem probe scio, quam minima, vel nulla potius sit aut laus, aut ingenii commendatio, in hoc pugnaci scribendi genere versari. Satis etiam, superque novi istarum hominum quisquiliarum mores: qui eruditorum & insigniter eloquentium Apologiis illustrari se & student, & sperant. Hac via atque ratione quantam temporis jacturam, quam nullum gloriæ quæstum fecerit Erasmus, dum omnibus lacessentibus responderet, non dubium habeo. Quam illius Apologiæ jam frigeant: quam parum in doctorum manibus sint, video. Quare alieno damno cautior mature factus, obtrectatoribus & dicaculis istis ludimagistris, (quos qui melius in omnem posteritatem infames reddam, quam meo uno aliquo jambico epigrammate?) quamlibet velint, obloquendi, obtrectandique licentiam libenter permitto: neque labro, ut me postea adversus tam leves morsus defendam. Procacitatis amatores facile silentio frangam. Silentio facile eludam, (nisi gravi admodum injuria lacessitus) quos mutuæ garrulitatis expectatio ad garriendum commovet. Facile taciturnitate repellam, quos ad lacessendum ostensa concertationis spes adducit. Quid enim studia mea, gravioribus rebus dicata, tam levibus scriptionibus conteram? Quid tam jejunis argumentis vacem? Quam ex tam ignobilibus, tam abjectis concertatoribus laudem victoriæ quæram? At in tam agrestem & insulsum nebulonem hæc nimia sint. In te vero qua voluntate sim, si forte scire aves, ea mehercule sum, qua erga virum probissimum, (ut adhuc mea fert opinio) modestissimum, doctissimumque esse omneis decet. Te (si ita vis) amo, te colo, te observo. Ingenium tuum, doctrinam tuam amplector, atque suspicio. Tu fac, ut amori nostro respondeas, & crescenti adolescentis existimationi ne te inimicum ridiculepræbeas. Vale. Lugduni Calend. Maiis M. D. XXXVII.

LECTORI SAL.



OSTRUM in re Navali describendæ ordinem nescis? Quæ actutum subjiciam, legito. Continuo, qui mihi & in re Bellica, (a qua Secundi Commentariorum *meorum Tomi initium duxi) & in* re Rustica, *& in* Re Navali *ordo perpetuus est, nullo labore disces. Minima, & quibus velut quædam rei fundamenta jaciuntur, primum a nobis tractantur. Deinde gradatim ad graviora, id est, ad rem magis facientia, provehimur. Idipsum serie infra posita facilius perspicies.*

REI NAVALIS VOCUM SERIES.

Id tu etiam scito, nullam esse in sequentibus vocem, cujus & significatio sive propria, sive translata, & usus, & locutiones a nobis non demonstrentur, & suis exemplis vel ex Cicerone, vel ex Cæsare, vel ex Livio collectis illustrentur. Perge, & attente benevoleque lege. Præter benevolentiam & æquum judicium nihil a te postulamus.

VOCUM SERIES.

Aqua
Palus
Scaturigo
Gutta
Fons
Puteus
Stagnum
Lacus
Rivus
Vadum
Amnis
Fluvius
Flumen
Alveus
Gurges
Vortex
Vorago
Oriri
Manare
Stillare
Fluere
Fluitare
Effluere
Profluere
Influere
Confluere
Præterfluere
Illabi
Præterlabi
Alluere
Oftium
Pons
Mare
Pontus
Pelagus
Fretum
Salum
Navis, vel claffis
Navium genera
Navis partes
Navis inftrumenta
Navi locutiones convenientes
Nauta
Navarchus
Tempeftas
Ventus
Flatus
Æftus
Fluctus
Unda
Imponere
Invehere, & fimilis fignificationis verba.
Confcendere
Solvere
Navigare
Vehere
Subvehere
Tranfvehere
Prætervehere
Transferre
Tranfportare
Tranfducere, vel traducere
Tranfmittere
Trajicere
Tranare
Tranfnatare
Tranfire
Curfus
Appellere
Applicare
Litus
Ripa
Ora
Portus
Sinus
Anchora
Anchoralia
Exponere.

DOLETI

IN QUOSDAM INEPTE DE DOCTORUM SCRIPTIS JUDICANTES

JAMBICUM CARMEN.

FECES hominum, venti, nebulæ, atque quifquiliæ,
Algæque, floccique, & male olentia ftercora,
Inania pondera terræ, onagri, beluæ,
Umbræ vacuæ fenfu, cucurbitæ, gravi
Somno papavera plena, mortis imagines,
Quid litteratorum labores judiciis
Cenfetis abfurdis? Decet id vos fcilicet
Molles voluptatis columbellos: decet id
Umbras vacuas fenfu, cucurbitas, gravi
Somno papavera plena, mortis imagines?
Quin vos voluptati validis incumbite
Remis: cutem, ventrem, gulam, penem potius
Curate, (rem vobis propriam) litteras,
Nec litteratorum labores tangite.

STEPHANI DOLETI
DE
RE NAVALI
LIBER,
EX SECUNDO LINGUÆ LATINÆ COMMENTARIORUM TOMO EXCERPTUS.

NAUTICÆ REI
VOCABULA.

Ita in[illegible] locus de Re Navali in secundo Tomo Commentariorum Linguæ Latinæ.



ELLICA voces supra absolvimus: nunc nauticas assumemus. In quibus explicandis eo ordine utemur, ut a minimis exordium ducamus: scilicet, Aqua, Scaturigine, Fonte, Stagno, Lacu, Fluvio, Flumine: deinde ad majora progrediamur, nempe Mare, & rem totam nauticam. Navicularia enim & in fluvio, & in mari exercetur: & aquam velut pro fundamento habet. Quare ita a minimis ordiri, non absurdum videbitur, sicque res pedetentim crescet, atque exurget, explicatiorque eo ordine erit.

AQUA.

TAM vulgaris est hujus nominis significatio, ut nulla vel accuratiori, vel longiori interpretatione indigeat: quanquam Grammatici (ut somniorum & deliramentorum pleni sunt) multa de hujus nominis origine garriant. Alii ex *a*, & *qua*, compositum, quasi a qua vivamus. Alii ab *æquo*, ablato e, sicut harenam ab hærendo. Sed tu meo consilio & has & alias similes Grammaticorum ineptias riseris, & autorum antiquorum exemplis in dignoscendis vocum significationibus totus ipse nitere. Est igitur aqua humor, & elementum, quo quotidie ad necessaria utimur. Cicero *pro Rosc. Comœdo*: *Non ne ut ignis in aquam conjectus continuo restinguitur & refrigeratur: sic refervens falsum crimen in purissimam & castissimam vitam collatum statim concidit & extinguitur?* Idem *pro Planc. Cum Puteolos forte venissem, me unum feci ex iis, qui ad aquas venissent.* Idem *de Orat.* I. *Quæ mihi videtur non tam ipsa aquula, quæ describitur, quam Platonis oratione crevisse.* Idem *de Orat.* II. *Ubi non seclusa aquula teneatur, sed unde universum flumen erumpat.* Cæs. *de Bel. Gal.* lib. IV. *Quibus disclusis, atque in contrariam partem remotis, tanta erat operis firmitudo, atque ea rerum natura, ut quo major vis aquæ se incitavisset, hoc arctius illigata tenerentur.* Idem *de Bel. Gal.* l. V. *Ea celeritate atque impetu milites ierunt, cum capite solo ex aqua extarent, ut hostes impetum legionum atque equitum sustinere non possent.* Idem *de Bello Alexand.* l. IV. *Puteis fontibusque aquam dul-*

Grammaticorum somnia, & deliramenta.

A *cem posse reperiri affirmabat: omnia enim littora naturaliter aquæ dulcis venas habere.* Ibidem: *Quo suscepto negocio, atque omnium animis ad laborem incitatis magna una nocte vis aquæ dulcis inventa est.*

AQUAM COLLIGERE. Cic. *ad Quint. frat. In Arcano ad* IV. *Iduum Septemb. fui: ibi Mensidium cum Philoxeno, aquamque, quam ii ducebant non longe a villa, belle sane fluentem vidi, præsertim maxima siccitate: uberioremque aliquanto sese collecturos esse dicebant.*

Aquam colligere.

AQUAM DUCERE, vel DEDUCERE. Cicero
B *ad Quint. frat. Quem ego Romæ aggrediar, & arbitror, commovebo, & simul inde Taurum, quem tibi audio promisisse, qui nunc Romæ erat, de aqua per fundum ejus ducenda rogabo.* Idem *de Divin.* II. *Ita aqua Albana deducta ad utilitatem agri suburbani, non ad arcem urbemque retinendam.*

Aquam ducere, vel deducere.

AQUÆDUCTUS. Cic. *ad Attic.* XIII. *De aquæ ductu probe fecisti.* Idem *Offic.* II. *Ad de ductus aquarum, derivationes fluminum,* &c. Idem *de Leg. Ductus vel aquarum, quos isti tubos & euripos vocant, quis non irriserit?*

Aquæductus.

C MIHI AQUA HÆRET. Ex aqua ducitur proverbialis loquendi modus; scilicet, mihi aqua hæret. Et significat difficultatem in re facili contra morem adhiberi. Cum enim aqua fluere & labi soleat, hærere contra suam naturam per proverbium dicitur: id est, rem difficilem fieri, quæ facilis potius esset. Cic. *ad Quint. frat. In hac causa mihi aqua hæret.* Idem *ad Attic. Mihi aqua hæret.* Idem *Offic.* III. *Dicit ille quidem multa multis locis: sed aqua hæret, ut ajunt.*

Mihi aqua hæret.

D AQUA INTERCUS. Aqua intercus est, quam hydropisin vocamus. Cicero *Offic.* III. *Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem, pepigeritque,* &c. Plinius hunc morbum aquæ subter cutem fusæ nominat.

Aqua intercus.

AQUARE. Aquare est aquæ facultate juvare, vel uti: vel aquam haurire: vel ad hauriendam ire. Cæsar *de Bello Gal.* l. VIII. *Ex ea turri cum tela tormentis jacerentur ad fontis aditus, nec sine periculo possent aquari oppidani, non tantum pecora, atque jumenta, sed etiam magna hominum multitudo siti consumebatur.* Idem *de Bello Alex.* lib. IV.
E *Cum ad eum locum accessisset, qui appellatur Cherronesus, aquandique causa remiges in terram exposuisset, nonnulli ex eo numero, cum longius a navibus prædatum processissent, ab equitibus hostium sunt excepti.* Quint. Curt. *Cum miles aquatum profectus esset.*

Aquare.

Verg. *Georg.* lib. IV.

—— sub mœnibus urbis aquantur.

Adaquare. ADAQUARE. Adaquare est aqua reficere; ut adaquare equos, adaquare jumenta. Cæs. *de Bel. Civ.* lib. I. *Media circiter nocte iis, qui adaquandi causa longius a castris processerant, ab equitibus correptis, fit ab his certior Cæsar, duces adversariorum silentio copias castris educere.* Sueton. in *Caligula: Ita decrevit, ut ad locum, ubi adaquare solebat jumentum, duceretur capite involuto.*

Aquatio. AQUATIO. Cicero *Offic.* III. *Tum Caninius, quæso, inquit, quid est o Pithy? tantumne piscium? tantumne cymbarum? Et ille. Quid mirum, inquit, hoc loco est, Syracusis quicquid est piscium: hic aquatio: hac villa isti carere non possunt.*

Aquarius. AQUARIUS. Aquarius est ad aquam pertinens; ut, cos aquaria; sulcus aquarius; & aquarii homines: aquaria provincia. Cic. *in Vatinium: Cum tibi aquaria provincia sorte obtigisset.* Cælius Cicer. *Familiarium* XIII. *Nisi ego cum tabernariis & aquariis pugnarem, veternus civitatem occupasset.* Plin. *Quippe cum in exacuendo oleares cotes & aquariæ differant, oleo delicatior ei fiat acies.* Columella: *Crebrosque sulcos aquarios, quos & nonnulli elices vocant.*

Aquarius pro signo cœli. PRÆTER HÆC PONITUR AQUARIUS PRO SIGNO CEOLI. Cicero *in Arat. Et gelidum rivum fundens Aquarius.* Idem *de Divinatione* II. *Capiti autem Equi proxima est Aquarii dextra: totusque deinceps Aquarius.*

Aquilex. AQUILEX. Aquilex dicitur, qui venas aquæ & fontium inquirit, & repertam aquam per tubos ducit. Plinius: *Sylvestris ubi nascitur, subesse aquas credunt, & hoc habent signum aquileges.* Plinius in *Epist. In primis necessarium est mitti a te vel aquilegem, vel architectum.*

Aquilegium. AQUILEGIUM. Aquilegium locus est, ubi colligitur aqua. Plaut.

Si pluet, aquilegio me juvabo.

Aquatilis. AQUATILIS. Aquatilis est aquarum incola; ut bestiæ, vel aves aquatiles. Cic. *de Natura Deor.* I. *Bestiarum terrenæ sunt aliæ: partim aquatiles: aliæ quasi ancipites, in utraque sede viventes.* Idem *de Natura Deor.* II. *Etiam admiratio nonnulla in bestiis aquatilibus his, quæ gignuntur in terra.* Ibidem: *Vescimur bestiis & terrenis, & aquatilibus, & volatilibus.*

Aquaticus. AQUATICUS. Plinius: *Terrestres & aquatici pisces.*

Aqualicus. AQUALICUS. Aqualicus est pars alvi, in quam sordes defluunt. Apitius: *Reple aqualicum, si quod laxamentum habet, ne dissiliat in coctura.*

Aqualiculus. AQUALICULUS. Aqualiculus diminutivum est ab aqualico. Persius:

—— nugaris, cum tibi Calve
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.

PALUS.

PALUS dicitur locus, ubi paululum aquæ est in altitudine, & palam latius diffusæ, inquit Varro: quæ etiam quandoque siccatur. Cicero *contra Rul. Mithridates Meote, & illis paludibus defenditur.* Idem in *Philipp. Ille paludes siccare voluit.* Cæsar *de Bello Gal.* lib. VI. *Palus difficilis atque impedita.* Vergil. *Georg.* IV.

Cocyti, tardaque palus inamabilis unda.

PALUSTRI. Columella *lib.* I. *cap.* V. *Deterrima aqua palustris, quæ pigro lapsu repit: pestilens, quæ in palude semper consistit.* Palustris.

SCATURIGO, vel SCATEBRA.

SCATURIGO, vel SCATEBRA, est ebullitio aquæ surgentis; ut videre est in fontibus. Columella *libro* IV. *Præstat non conserere, quam in summa terra suspendere: nisi tamen scaturigo palustris obvia sit.* Plinius: *Qua datur accessus homini, scatebrisque decursus.* Vergilius *Georgic.* I.

——scatebrisque arentia temperat arva. Scatere vel Scaturire.

SCATERE, vel SCATURIRE. Utrunque hoc verbum fontium est; & significat exilire, vel ebullire. Transfertur vero nonnunquam ad multa: & tunc ablativum regit, nisi absolute ponatur. Cicero *Tusculan.* I. *Fontes scatere: herbis prata convestirier.* Cælius Cicer. *Famil.* VIII. *Ut nunc est, hoc scaturit.*

GUTTA.

GUTTA est minima pars aquæ: vel alterius materiæ liquidæ. Cicero *de Orat.* III. *Numerus in continuatione nullus est: distinctio, & æqualium, & sæpe variorum intervallorum percussio numerum conficit: quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguitur, notare possumus: in amni præcipitante non possumus.* Idem *Tuscul.* II. *Ex quo liquatæ solis ardore excidunt guttæ.* Idem *de Natura Deor. Guttæ imbrium quasi cruentæ.* Plautus in *Casin.*

Dii me, & te infelicitent, si ego in os meum vini guttam indidi.

Plinius *l.* XXXI. *c.* II. *Distillantes quoque guttæ in lapides durescunt in antris Corycii.*

FONS.

FONS est aqua de terra ebulliens & manans. Cicero *in Verrem* Actione VI. *Syracusis est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium.* Cæsar *de Bello Gal.* lib. VIII *Eodem tempore tectos cuniculos agunt ad caput fontis.* Ibidem: Ad postremum cuniculis venæ fontis intercisæ sunt, atque aversæ: quo facto repente fons perennis exhaustus tantam attulit oppidanis salutis desperationem, ut id non hominum consilio, sed deorum voluntate factum putarent.

FONS CUM TRANSLATIONE POSITUS. Cicero *ad Brutum:* Non dubitavi in Senatu consiliorum fontes aperire. Idem *pro Murena:* Noli tam esse injustus, ut, cum tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros etiam amicis putes clausos esse oportere. Idem *de Oratore* I. Urgerent præterea philosophorum greges, jam ab illo fonte Socrate. *Ibidem:* Qui omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret. *Ibid.* Equidem fontes, unde hauriretis, atque etiam itinera ipsa putavi esse demonstranda. Idem *de Orat.* II. Tardi ingenii est rivulos consectari, fontes rerum non videre. *Ibidem:* Si quis legum fontes & capita viderit. Idem in *Tusculan.* Multo studiosius philosophiæ fontes ape- Cum translatione.

riemus. Idem in *Academic.* Ut ea a fontibus potius hauriant, quam rivulos consectentur. Idem *de Natura Deor.* Hæc omnia ex eodem fonte fluxerunt.

Fontes sitire. A FONTE ducitur proverbialis ironia: scilicet, *Fontes ipsi sitiunt:* in eos versa, qui petunt ab aliis, quod ipsis affatim abundet domi. Cicero *ad Quint. frat.* Tibi, quod rogas, (quoniam ipsi fontes jam sitiunt) si quid habebo spatii, scribam. Significat fratrem magis abundare versibus, quos tamen a se petat, perinde quasi carminum indigens.

PUTEUS.

PUTEUM vocant, qui perpetuas habet aquas. Cicero *de Provinciis Consular.* Constat nobilissimas virgines se in puteos abjecisse, & morte voluntaria nefariam turpitudinem depulisse. Idem *de Natura Deor.* I. Lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus, atque etiam ex puteis jugibus aquam calidam trahi. Idem *de Divinatione* II. Cum aquam vidisset ex puteo haustam, terræ motum dixit futurum. Vergilius *Georgicorum* III.

Ad puteos, aut alta greges ad stagna jubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam.

Puteanus. PUTEANUS. Puteanum appellatur, quod ex puteo est. Unde aquam puteanam dicimus. Plinius *lib.* XVI. Deinde, quantum expressere, adjiciunt vinaceis aquæ puteanæ, ut & secundarium passum faciant.

Putealis. PUTEALIS. Putealis eadem significatione est, qua puteanus. Ovid.

Ut quo dux Pœnus mersit putealibus undis.

Putearius. PUTEARIUS. Putearius dicitur, qui puteos fodit. Plinius: Depressis puteis sulphuraria, vel aluminosa occurrentia putearios necant.

STAGNUM.

STAGNUM. A stando dici volunt: & ponitur pro aqua stante. Cicero *de Divinat.* Absurdoque sono fontes & stagna cietis. Stagnum pro parte maris profundissima posuit Verg. lib. *Æneid.* I. quod ea minime moveatur, semperque stet, id est, quiescat:

Emissamque (inquit) *hyemem sensit Neptunus, & imis*
Stagna refusa vadis.

Stagnare. STAGNARE. Stagnare aquam dicimus, cum non effluit, neque sorbetur. Verg. *Georg.* IV.

Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum.

Præter hanc significationem stagnare terram dicimus, quæ non absorbet, sed continet aquam. Plin. Agris humidis atque stagnantibus.

LACUS.

LACUS. Locus est profundus cum aquis perpetuis ibidem natis, qui efficit rivos & flumina. Cicero *in Verr.* Act. VI. Circa Ennam lacus sunt, lucique plurimi, & lectissimi flores omni tempore anni. Idem *in Verr.* Act. VII. Deæ, quæ illos Ennenses lacus, lucosque colitis. Idem *de Divinat.* Cum lacus Albinus præter modum crevisset. Vergil. *Æneid.* II.

Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
Delitui.

Lacus, qui torculari supponuntur. PRÆTER HANC SIGNIFICATIONEM sunt lacus, qui torculari supponuntur ad excipiendum mustum: & labra lignea, quibus vindemiæ apud nos importantur; quibusque ad balneum utimur. Cicero in *Bruto* ita translate usus est: Num igitur, qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? minime: sed quandam sequatur ætatem: sic ego istis censuerim & novam istam quasi de musto ac lacu fervidam orationem fugiendam: nec illam præclaram Thucydidis nimis veterem notam persequendam. Columella: Ante quam prælo vinacea subjiciantur, de lacu quam recentissimum addito mustum in amphoram novam, eamque oblinito, & impicato diligenter. Plinius in *Epist.* Ipse vindemias colligo: si tamen colligere est nonnunquam decerpere uvam, torcular invisere, gustare de lacu mustum.

Lacus in ædificiis. LACUS ETIAM IN ÆDIFICIIS dicitur plana trabs, vel tabulatum, quo tectorum ac camerarum superiora ornantur. Lucil.

—— resultantque ædesque, lacusque.

Lacuna. LACUNA. Lacuna, autore Ser. fossa dicitur, in qua collecta aqua stare consuevit. Verg. *Georgic.* I.

Præsertim incertis si mensibus amnis abundans
Exit, & obducto late tenet omnia limo:
Unde cavæ tepido sudant humore lacunæ.

LACUNA ETIAM dicitur fossa ad siccandos agros parata. Vergil. *Georg.* III.

Et totæ solidam in glaciem vertere lacunæ.

Translate posita. HOC NOMINE TRANSLATE sic utitur Cicero *in Verr.* Act. IV. Itaque Censores fecerunt idem, quod in nostra Repub. solent ii, qui per largitionem magistratus adepti sunt: dederunt operam, ut ita potestatem gererent, ut illam lacunam rei familiaris explerent. Idem *ad Attic.* XII. Vide, ne qua lacuna sit in auro. Lacunam nonnulli hic interpretantur pro fraude.

Lacunar. LACUNAR. Lacunar diminutivum est a lacu, quando accipitur pro trabe. Sueton. in *Nerone*: Lacunaria, quæ noctu super dormientem laxata machina deciderent, paravit. Hoc etiam laquear, & laquearium a Latinis dicitur. Verg. Laquear, vel laquearium.

—— dependent lychni laquearibus aureis.

Potius tamen lacunar est interstitium tignorum a similitudine lacuum. Horat.

Mea renidet in domo lacunar.

Cic. *Tusc.* V. In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari seta equina appensum demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus.

RIVUS.

RIVUS est locus depressus per longitudinem aquæ currentis. Cicero *de Fato*: Quid autem magnum, & naufragum illum sine nomine in rivo esse lapsum?

Translate positus. TRANSLATE PERSÆPE PONITUR. Cicer. *pro Cæl.* Si mihi ad hæc acute arguteque responderit, tum quæram denique, ex quo iste fonte Senator emanet. Nam si ipse orietur & nascetur ex sese, fortasse, ut soleo, commovebor: sin autem, ut ri-

vulus, accersitus & ductus ab ipso capite accusationis vestræ, lætabor, cum tanta gratia, tantisque opibus accusatio vestra nitatur. Idem *de Orat.* II. Tardi ingenii est, rivulos consectari, fontes rerum non videre. Idem in *Topic.* Partium distributio sæpe est infinitior, tanquam rivorum a fonte deductio.

Rivalis. RIVALIS. Rivales a rivo dicuntur: & sunt proprie, qui per eundem rivum aquam ducunt: inter quos sæpe contentio est de aqua usu. Translate vero dicuntur, qui eandem amant. Quam translationem nonnulli sumptam volunt a bestiis, quæ sitientes, cum ex eodem rivulo haustum petunt, prælium contra se invicem concitant. Vel a re rustica. Nam rivales proprie etiam dicuntur ii, quorum agros rivus aliquis determinat: qui incertitudine, & mutatione crebra cursus, lites sæpe inter eos suscitat. Hæc sit translationis ratio: sequuntur modo exempla. Terent in *Eunucho*:

Rivales unde dicti?

Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem video, rivalis servum.

Plautus in *Sticho*:

Eadem est amica ambobus: rivales sumus.

Ex ea rivalis translatione proverbialis est loquendi modus: scilicet, *Sine rivali diligere*, vel *amare*. Sine rivali autem diligere dicuntur, qui stulte mirantur, quod nemo alius concupiscat. Veluti Simia catulos suos & miratur, & amplectitur: & indocti poetæ suas nugas soli diligunt. Sumpta est allegoria ab amantibus, quibus est amica deformis, & quam alius nemo velit. Cicero *ad Attic.* l. VI. Hujus nebulonis oratione, si Brutus moveri potest, licebit eum solus ames, me æmulum non habebis. Idem lib. *ad Quint. frat.* III. O dii, quam ineptus, quam se ipse amans sine rivali. Horat. in *Arte Poetica*:

Sine rivali diligere.

Nullum ultra verbum, aut operam sumebat inanem,
Quin sine rivali, teque, & tua solus amares.

Rivalitas. RIVALITAS. Rivalitas dicitur æmulatio inter rivales. Cicero *Tusculanar.* IV. Obtrectare alteri, aut illa vitiosa æmulatione, quæ rivalitati similis est, æmulari, quid habet utilitatis?

Derivare. DERIVARE. Derivare verbum est a rivo ductum: quod proprie significat aquam e rivo aliquo ducere. Dicimus tamen etiam flumen derivare, pro deflectere, vel avertere. De quo loquendi modo suo loco ponentur exempla. Columella *libro* I. Crebro sulcos aquarios, quos nonnulli elices vocant, faciamus, & omnem humorem in cloacas, atque inde extra segetes derivemus. Plautus in *Trucul.*

Hoc assimile est, quasi de fluvio qui aquam derivat sibi.

Translate ductum. AD MULTA TRANSFERTUR HOC VERBUM: ut, derivare culpam, derivare crimen, derivare cogitatione, & similia. Cicero *ad Atticum*: Id poterat inficiari, poterat in alios derivare. Idem *in Verrem*: Lucius Domitius alio responsionem suam derivavit. Idem in *Philipp.* Cogeris partem aliquam in Asiam derivare curæ, & cogitationis tuæ. Idem *ad Herennium*: Cogitandum est, ne tota causa immutata in aliam causam derivetur. Idem in *Tusc.* Justitia nihil in suam domum inde derivat. Terent. in *Phorm.*

—— instructa sunt mihi corde consilia omnia.

G. *Quid ages?* PH. *Quid vis, nisi ut maneat Phanium, atque ex crimine hoc Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram derivem seni?*

DERIVATIO Cic *Offic.* II. Adde ductus aquarum, derivationes fluminum. Derivatio.

VADUM.

VADUM pro fundo fluminis, lacus, maris, & cujuscunque aquæ Latini ponunt, per quod via datur. Ponitur etiam pro loco, qui propter brevitatem aquæ pedibus transiri potest. Cicero *pro Cælio*: Emersi jam e vadis, & scopulos prætervecta est oratio mea. Idem *pro Quintio*: Ad vada Volaterrana, quæ nominantur. Cæsar *de Bel. Civili* lib. I. Quibus rebus perterritis animis adversariorum, Cæsar, ne semper magno circuitu per pontem equitatus esset mittendus, nactus idoneum locum, fossas pedum triginta in latitudinem complures facere instituit, quibus partem aliquam Sicoris averteret, vadumque in eo flumine efficeret. *Ibidem*: Eodem fere tempore pons in Ibero prope effectus nunciabatur, & in Sicori vadum reperiebatur. *Ibidem*: Vadum fluminis tentare.

A VADO metaphora proverbialis est: In vado esse: pro eo, quod est in tuto, citraque discrimen: sumpta a natantibus, aut navigantibus. Terentius in *And.* In vado esse.

Omnis res est jam in vado.

Plaut. in *Aul.*

Hæc propemodum jam esse in vado salutis res videtur.

Vadum autem est, ut diximus, aquæ fundus: in quo quisquis constiterit, is jam effugit periculum, ne mergatur.

AMNIS.

AMNIS est fluvius, quem Grammatici nonnulli dici volunt ab *am*, quod est circum, & *natare*, fluere, quoniam flexuoso meatu labitur. Vel ab ambio: omnia enim flumina circumeunt, ideoque cornuta pinguntur. Hæc Grammatici. Nos exempla proferimus.

Cicero in *Orat.* Alter sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit: alter incitatior fertur.

Idem *de Nat. Deor.* II. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium.

Idem *de Divin.* I. Quosdam exaruisse amnes, aut in alium cursum contortos & deflexos vidimus.

FLUVIUS.

FLUVIUS est amnis, vel flumen: dictus quod semper fluat.

Cic. *de Nat. Deor.* II. Atque etiam cum ad fluvium Sagram Crotoniatas Locri maximo prælio devicissent, eo ipso die auditam esse eam pugnam ludis Olympiæ memoriæ proditum est.

Plautus in *Curcul.*

Quisnam hic fluvius est, quem non recipiat mare?

FLUVIALIS, vel FLUVIATILIS.

FLUVIALE dicitur, quod ex fluvio est: ut,

ut, aqua fluvialis. Fluviatile appellatur, A quod in fluvio vivit: ut piſcis fluviatilis. Appellatur etiam fluviatile, quod eſt in fluviis, ut fluviatilis arena.

Cicero *de Nat. Deor.* II. Eſt etiam admiratio nonnulla in beſtiis aquatilibus his, quæ gignuntur in terra, veluti crocodili, fluviatileſque teſtudines: quædamque ſerpentes ortæ extra aquam, ſimulac primum niti poſſunt, aquam perſequuntur.

Plinius: Arenæ tria ſunt genera: foſſitia, cui quarta pars calcis addi debet: fluviatilis, ac marina. B

FLUMEN.

FLUMEN eſt fluvius, vel amnis profluens.

Cicero *de Aruſp. Reſpon.* Navis in flumine publico vulgata omnibus.

Idem *de Inventione*: Ut, qui trans flumen eſſent, videre poſſent.

Cæſar *de Bellico Gallico* libro I. Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum eſt, initium capit a flumine Rhodano, contineturque Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum: attingit etiam a Sequanis, & Helvetiis flumen Rhenum. C

Ibidem: Undique loci natura tuti Helvetii continentur: una ex parte flumine Rheno latiſſimo, atque altiſſimo, qui agrum Helvetium a Germanis dividit.

Idem *de Bello Gallico* lib. II. Fluminis erat altitudo circiter pedum trium.

Idem *de Bello Gallico* lib. IV. Itaque etſi ſumma difficultas faciundi pontis proponebatur, propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemque fluminis: tamen id ſibi contendendum, aut aliter non traducendum exercitum exiſtimabat. D

Idem *de Bello Gal.* lib. VII. Diſpoſito equitatu, qui vim fluminis refringeret, atque hoſtibus primo aſpectu perturbatis, incolumem exercitum traduxit.

FLUMINIS NATURA: SECUNDUM FLUMEN: ADVERSUM FLUMEN.

FLUMINIS natura quid ſit: quid item, ſecundum flumen: quid quoque, flumen adverſum, primo Tomo ita multis verbis oſtendimus, ut hic quicquam addere, plane ridiculum ſit: niſi forte labori tuo conſuli velis (ne ſcilicet tibi ad primum Tomum recurrendum ſit, ut perſæpe recurrendum eſt) & nova quædam exempla adjici. Itaque annotavimus flumen ſecundum dici, quod in proclivius fluat. Unde ſecundo flumine navigare: id eſt, ſecundum fluminis fluxum. Et adverſo flumine: id eſt, contra fluminis fluxum, vel contra fluminis vim & impetum. Sic fluminis natura dicetur, fluminis fluxus in propenſum & proclive raptus, videlicet ad occidentem. De his ſingulis ſequuntur exempla. E

FLUMINIS NATURA.

Cæſar *de Bello Gallico* lib. IV. Hæc cum machinationibus immiſſa in flumine defixerat, fiſtucíſque adegerat, non ſublicæ modo directa ad perpendiculum, ſed prona, ac faſtigiata, ut ſecundum naturam fluminis procumberent.

SECUNDUM FLUMEN.

Cæſar *de Bello Gall.* lib. VII. Exercitum traducit, & ſecundo flumine Lutetiam iter facere cœpit.

Ibidem: Itaque ſub veſperum concilio convocato cohortatus, ut ea, quæ imperaſſet, diligenter induſtrieque adminiſtrarent, naves, quas a Meloduno deduxerat, ſingulas equitibus Romanis attribuit, & prima confecta vigilia, quatuor millia paſſuum ſecundo flumine progredi ſilentio, ibique ſe expectari jubet.

ADVERSUM FLUMEN.

Cæſar *de Bello Gallico* lib. VII. Quinque cohortes, quas minime firmas ad dimicandum eſſe exiſtimabat, caſtris præſidio relinquit: quin ejuſdem legionis reliquas de media nocte cum omnibus impedimentis adverſo flumine, magno tumultu proficiſci imperat.

Ibidem: Uno fere tempore ſub lucem hoſtibus nunciatur in caſtris Romanorum præter conſuetudinem tumultuari, & magnum ire agmen adverſo flumine, ſonitumque remorum in eadem parte exaudiri, & paulo infra milites navibus tranſportari.

Idem *de Bello Civ.* lib. III. Cæſari circuitu majori iter erat longius, adverſo flumine, ut vado tranſire poſſet.

Flumen derivare.

Cæſar *de Bello Gallico* lib. VII. Sic imis radicibus montis ferebatur, ut nullam in partem depreſſis foſſis derivari poſſet. Scilicet flumen.

Idem *de Bello Alexand.* lib. IV. Pars quædam fluminis Nili derivata inter ſe duobus itineribus, paulatim medium inter ſe ſpatium relinquens, diverſiſſimo ad littus intervallo a mari conjungitur.

Flumen avertere.

Cæſar *de Bello Gall.* lib. VIII. Flumen infimam vallem dividebat, quæ pene totum montem cingebat, in quo poſitum erat præruptum undique oppidum Uxellodunum: hoc avertere loci natura prohibebat.

Idem *de Bello Civili* lib. I. Quibus rebus perterritis animis adverſariorum, Cæſar, ne ſemper magno circuitu per pontem equitatus eſſet mittendus, nactus idoneum locum, foſſas pedum triginta in latitudinem complures facere inſtituit, quibus partem aliquam Sicoris averteret.

Flumen tranſlate poſitum, pro ubertate.

FLUMEN nonnunquam tranſlate a Latinis ponitur pro magnitudine, amplitudine, divite copia, ubertate, vel exuberantia. F

Cicero *pro Marcel.* Nullius tantum eſt flumen ingenii, nulla dicendi, aut ſcribendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam exornare, ſed enarrare C. Cæſar res tuas geſtas poſſit.

Idem *de Orat.* II. Videtiſne, quantum munus ſit oratoris hiſtoria? haud ſcio, an flumine orationis, & varietate maximum.

Ibi-

Ibidem: Tantum eſt flumen graviſſimorum optimorumque verborum: tam integræ ſententiæ, tam veræ, tam novæ, tam ſine pigmentis, fucoque puerili, ut mihi non ſolum tu incendere judicem, ſed ipſe ardere videaris.

ALVEUS, GURGES, VORTEX, VORAGO.

QUONIAM hæc nomina ſæpe in fluvium & flumen cadunt, ea hic declarare viſum eſt. ALVEUS. Alveus hoc loco fluminis eſt fundus, vel foſſa, per quam labitur flumen. Plin. in *Epiſt.* Tiberis alveum exceſſit, & demiſſioribus ripis alte ſuperfunditur, &c. Verg. *Æneid.* VII.

Alveus.

Aſſuetæ ripis volucres, & fluminis alveo.

PRÆTER HANC ſignificationem ad multa alia quadrat. Aliquando enim pro navi ponitur, ſive pro ipſius navigii receptaculo. Titus Livius: Alveos informes raptim faciebant: id eſt, naviculas. Propert.

Alveus pro navi, vel navis receptaculo.

Aut quidnam facta gaudes Neptune carina?

Alveus pro vaſe.

Portabat ſanctos alveus ille viros.

DICITUR ET ALVEUS vas amplum, quo in balneis utebantur. Cic. *pro Cæl.* Ex quibus requiram, quonam modo latuerunt: alveuſne ille, an equus Trojanus fuerit.

Alveus pro loco, ubi apes mellificant.

DICITUR QUOQUE ALVEUS, locus ubi apes mellificant. appellatus alveus, ut Varro exiſtimat, a mellis alimonia. Plinius: Alveos ex cornu ſpectatos eſſe: id eſt, apum alvearia. In hac enim ſignificatione dicitur alvearium. ALVEOLUS. Alveolus ab alveo, diminutivum eſt. Et ponitur pro vaſculo cavo: ut pro loco, in quo pullos pariunt columbi. Colum. *lib.* IV. Ova in alveolum ligneum conferat. PONITUR PRÆTEREA, pro tabula luſoria, quæ alio nomine dicitur latruncularia & aleatoria, ab aleis & latrunculis; id eſt, calculis, & vulgo *ſcacchis:* quibus hinc biſſeno puncto, illinc quadris diſcoloribus utimur ad ludum. Quem ludum mira ingenii dexteritate, & ſingulari carminis felicitate gravitateque deſcripſit Hieronymus Vida Cremonenſis, poeta poetarum noſtræ ætatis longe præſtantiſſimus. De alveolo luſorio exemplum eſt apud Ciceronem *de Finib.* V. Quinetiam inertiſſimos homines, neſcio qua ſingulari nequitia præditos, videmus tamen & animo & corpore moveri ſemper: & cum re nulla impediantur neceſſaria, aut alveolum poſcere: aut quærere quempiam ludum: aut ſermonem aliquem requirere: cumque non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos & ſemicirculos conſectari.

Alveolus. — Alveolus pro tabula luſoria. — Hieronymus Vida.

Gurges.

GURGES. Gurges locus eſt in flumine profundus, in quo aqua vertitur: vel dicitur omnis aquarum congeries. Ponitur quoque a poetis pro ipſo mari aliquando. Cic. *de Aruſp. Reſpon.* Quæ unquam Charybdis tantos haurire gurgites poſſet, quantas iſte Byzantiorum prædas exorbuit? Idem *in Piſonem:* Si mihi nunquam amicus C. Cæſar fuiſſet, ſed ſemper iratus: ſi aſpernaretur amicitiam meam, ſeſeque mihi implacabilem inexpiabilemque præberet: tamen ei, cum tantas res geſſiſſet, gereretque quotidie, non amicus eſſe non poſſem: cujus ego imperio non Alpium vallum contra aſcenſum, transgreſſionemque Gallorum, non Rheni foſſam gurgitibus illis redundantem, Germanorum immaniſſimis gentibus objicio, & oppono. Idem *de Natura Deorum:* Rapido cum gurgite flumen. Idem *De divinat.* Fugiens e gurgite ponti. Ver. *Æneid.* I.

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

Tranſlate poſitus.

TRANSLATA AD MULTA CONVERTITUR. Cic. *in Verrem* Act. V. Is erat Apronius ille, qui, ut ipſe non ſolum vita, ſed etiam corpore, atque ore ſignificat, immenſa aliqua vorago eſt, aut gurges vitiorum, turpitudinumque omnium. Idem *pro Domo ſua:* Ille gurges helluatus eſt ſimul tecum Reipub. ſanguinem. Idem *in Piſonem:* Ille gurges, atque helluo natus abdomini ſuo, non laudi, atque gloriæ. Idem *pro Seſtio:* Gurges, vorago patrimonii. Idem *Philipp.* XI. Habet ſecum Lucium fratrem: quem gurgitem? quam voraginem?

Ingurgitare.

INGURGITARE. Ingurgitare a gurgite eſt. De quo verbo, quoniam ſatis copioſe primo Tomo ſcripſimus, nihil hic repetemus.

Vorago.

VORAGO. Vorago eſt gurges. Cic. *de Divinat.* I. Facta conjectura etiam Dionyſio eſt paulo ante, quam regnare cœpit: qui, cum per agrum Leontinum iter faciens, equum ipſe dimiſiſſet in flumen, ſubmerſus equus voraginibus non extitit: quem cum maxima contentione non potuiſſet extrahere, diſceſſit.

Tranſlatus gurgitis uſus.

TRANSLATE AD multa convertitur, ut gurges: atque adeo nonnulla in tranſlatis gurgitis exemplis tranſlata voraginis exempla invenies: tanta eſt inter has voces affinitas. Cic. *in Piſonem:* Vos geminæ voragines ſcopulique Reipub. Idem *in Salluſtium:* Ejus partis erat exemplar Salluſtius: quo tanquam in unam voraginem cœtus omnium vitiorum exceſſerat. Idem *de Oratore* III. Deinde videndum eſt, ne longe ſimile ſit ductum: Syrtim patrimonii, ſcopulum libentius dixerim: Charybdim bonorum, voraginem potius.

Vortex.

VORTEX. Vorticem Quintilianus. *l.* VIII. docet eſſe contortam in ſe aquam. Vergil.

Ingens a vortice pontus.

ORIRI.

UT proximæ dictiones fluviis fluminibuſque conveniunt: ſic quoque proprium eſt fluviorum fluminumque hoc verbum. Dicitur enim fluvius flumenque oriri illic, unde primum fluit.

Cæſar *de Bello Gall.* lib IV. Rhenus oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt: & longo ſpatio per fines Nantuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Triboторum, Trevirorum citatus fertur.

MANARE.

MANARE ad aquam, & ad mores refertur: poniturque pro fluere, vel defluere. Sic, manat fons, fluvius, vel flumen, unde fons, fluvius, & flumen ortum eſt.

TRANSLATE ponitur pro defluere, vel deſcendere. Et tunc dicitur manare, quod non ſatis ſolidum per minutiſſimas partes ſtillat. Res, quæ manat, quandoque in nominativo ponitur: quandoque in accuſativo: quandoque in ablativo.

IN NOMINATIVO. Cicero *in Catilinam:*

Latius opinione disseminatum est hoc malum: manavit non solum per Italiam, sed etiam transcendit Alpes. *Ibidem*: Quæ resecanda erunt, non patiar ad civitatis perniciem manare: id est, ut manent. Idem *pro Cluen.* Manarat sermo in concilio. Idem *pro Planc.* Aliquid sine capite manare, & ejus autorem non extare. Idem *de Oratore*: Ab Aristippo Cyrenaica philosophia manavit. *Ibidem*: A capite, quod velimus, arcescere, &, unde omnia manant, videre. Idem in *Offic.* Omnis honestas manat a partibus quatuor. *Ibidem*: Ex quibus honestas, officiumque manaret. *Ibidem*: Contagiones malorum, quæ a Lacedæmoniis profecta, manarunt latius. Idem in *Tusc.* Idque eorum nomen usque ad Pythagoræ manavit ætatem. *Ibidem*: Manare & fundi per omnes partes. Idem *de Natura Deor.* Multa a luna manant & fluunt, quibus animantes alantur, & augescant, & pubescant. *Ibidem*: Quæ matura fluunt, atque manant.

CUM ACCUSATIVO. Plin. *lib.* XIV. Arborum succo manantium picem, resinamque, aliæ ortæ in Oriente, aliæ in Europa feruntur.

CUM ABLATIVO. Cicero *de Divinat.* I. Quid? Lacedæmoniis paulo ante Leuctricam calamitatem quæ significatio facta est, cum in Herculis fano arma sonuerunt, Herculisque simulacrum multo sudore manavit? Titus Liv. ab Urbe Cond. I. Cultrum ex vulnere Lucretiæ extractum manantem cruore præ se tenens.

Emanare. EMANARE. Emanandi significatio satis primo Tomo ostensa est. Eam igitur hic non repetam.

Dimanare. DIMANARE. Dimanare est profluere: quo verbo ita translate usus est Cicero in *Oratione pro Cælio*: Meus hic forensis labor, vitæque ratio dimanavit ad existimationem hominum paulo latius commendatione, ac judicio meorum.

Permanare. PERMANARE. Propria permanandi significatio vulgaris est. Cicero *pro Cluentio*: Jam vero illud quam non probabile? quam inusitatum judices? quam novum? in pane datum venenum, facilius ne potuit, quam in poculo? latius potuit abditum aliqua in parte panis, quam si totum colliquefactum in potione esset? celerius potuit concretum, quam epotum, in venas, atque in omnes partes corporis permanare?

Translate positum. TRANSLATUM vero usum maxime elegantem habet, & ponitur pro pervenire: Aliquando etiam pro evulgari. Cicer. *pro Rosc. Amer.* Sic se res habet judices: magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis: ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum usque eo permanat ad animum, ut summus furor, atque amentia consequatur. Idem *pro Domo sua*: Effluunt multa ex vestra disciplina, quæ ad nostras aures sæpe permanant. Idem *pro Cornel. Bal.* Ut aliqui sermones invidorum etiam ad vestras aures permanarent, & in judicio ipso redundarent. Idem *de Orat.* II. Principia, & cæteræ partes orationis, de quibus paulo post pauca dicemus, habere hanc vim magnopere debent, ut ad eorum mentes, apud quos agitur, movendas permanare possint. Idem in *Tuscul.* Conclusiunculæ ad sensus non permanantes. Idem *de Finibus*: Natura omnis appetendarum rerum ita late patet, ut a principiis permanet ad fines. Idem *de Natura Deor.* I. Non est, quod ab his ad hominum vitam permanare possit.

STILLARE.

SLILLARE est guttatim fluere: vel guttatim emittere. Cicero *Philipp.* II. Ille, qui stillantem præ se pugionem tulit, is a te honoris causa nominatur? Martialis:

Vivebant laceris membri stillantibus artus.

Plinius: Frutex est resina stillans.

Distillare. DISTILLARE. Distillare est in unum fluere. Virgilius *Georgicor.* III.

— lentum distillat ab inguine virus.

Stilla. STILLA. Stilla (inquit Festus) diminutivum est a stiria: accipiturque pro gutta sive aquæ, sive rei cujuslibet fluentis, aut liquide cadentis: ut stilla olei, stilla muriæ. Cicero *de Finibus* lib. III. Ut obscuratur & offunditur luce solis, lumen lucernæ: & ut interit magnitudine maris Ægæi, stilla muriæ: & ut in divitiis Crœsi, teruntii accessio: sic, cum sit is bonorum finis, quem Stoici dicunt, omnis ista rerum in corpore harum æstimatio splendore virtutis, & magnitudine obscuretur, & obruatur, atque intereat necesse est. Vitruvio *lib.* II. Per id stillæ decidunt in impluvium. Martialis:

Atque olei stillam donaret Opellicus unctor.

Stillicidium. STILLICIDIUM. Stillicidium est, per quod stillæ cadunt. Cic. *de Orat.* I. Parietum, luminum, & stillicidiorum jura. Idem in *Orat.* Quam indecorum est, de stillicidiis cum apud unum judicem dicas, amplissimis verbis, & locis uti communibus? de majestate Populi Romani summisse, & subtiliter? Idem in *Topic.* Esse ea dico, quæ cerni, tangive possunt: ut fundum, ædes, parietem, stillicidium.

FLUERE.

FLUERE est manare, vel labi. Quod ponitur vel proprie, vel translate.

PROPRIE POSITUM.

Cicero *de Inventione* II. Tum subito magnis commotus tempestatibus fluvius. Eurotas is, qui propter Lacedæmonem fluit, ita magnus & vehemens factus est, ut eo traduci victimæ nullo modo possent.

Idem *de Divinatione* I. Flumina in contrarias partes fluxerunt.

Ibidem: Quid quod fluvius atratus sanguine fluxit.

Cæsar *de Bello Gall.* lib. I. Alterum iter erat per provinciam nostram multo facilius atque expeditius, propterea quod inter fines Helvetiorum & Allobrogum Rhodanus fluit, isque nonnullis locis vado transitur.

Idem *de Bello Civili* lib. III. Biduo moratus est ad flumen, quod inter eum & Domitii castra fluebat.

TRANSLATE POSITUM.

CUM translate ponitur hoc verbum, variis significationibus usurpatur. Modo enim pro emanare modo pro latius atque uberius crescere: modo pro dilabi, excidere, atque interire; modo pro colliquescere sumitur. Quam significationum varietatem facile per te in exemplis sequentibus deprehendes.

Cicero *ad Atticum* IX. Videamus, illius consilia quorsum fluant.

Idem *pro Murena*: Excident gladii, fluent arma de manibus.

Idem *pro Marcello*: Omnia, quæ delapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt.

Idem *in Pison.* Erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, & fluentes, pulsatæque buccæ, dignæ Capua. Pulsatas buccas habet & Aldinum, & Badianum exemplar: utrunque in eo loco stellula deformatum, velut Ciceronis locum vitiosum, mendosumque indicans. Sed vitiosum nullo modo video, nisi ob pulsatas buccas addita sit stellula: quam sustulit Andreas Navagerius vir doctissimus, & multi in Ciceronis lectione judicii, reposuitque cerusatas buccas, pro pulsatis. Quæ lectio verior & certior doctis videri potest.

Locus Cicer. restitutus.

Andreas Navagerius.

Idem *de Orat.* Gallus pictus ejecta lingua, buccis fluentibus.

Ibidem: Ne fluat, ne vagetur oratio.

Idem in *Bruto*: A Cotta & Sulpitio hæc omnis fluxit oratio.

Ibidem: Oratio ita libere fluebat, ut nusquam adhæresceret.

Idem in *Orat.* Tracta quædam & fluens oratio.

Ibidem: Cætera fluere, labi, nec diutius esse uno & eodem statu.

Idem *Off.* I. Atque etiam in rebus prosperis, & ad voluntatem nostram fluentibus superbiam magnopere, fastidium, arrogantiamque fugiamus.

Idem *de Senect.* Ex Nestoris lingua melle dulcior fluebat oratio.

Idem in *Tusc.* Pythagoræ autem disciplina, cum longe lateque flueret, permanasse mihi videtur in hanc civitatem.

Ibidem: Cum voluptate liquescimus, fluimusque mollitia.

Idem *de Finib.* Ab isto capite fluere necesse est omnem rationem bonorum & malorum.

Ibidem: Fluit igitur voluptas corporis: id est, labitur, & præterit.

Idem *de Nat. Deor.* Multum sermonem de libris nostris fluxisse video.

Ibidem: Hæc omnia ex eodem fonte fluxerunt.

Ibidem: Ne illud quidem est, hæc unde fluxerunt. Vergilius *Æneid.* II.

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaum.

FLUXIO.

Cicero *de Divinat.* I. Horum sunt auguria non divini impetus, sed rationis humanæ. Nam & natura futura præsentiunt: ut aquarum fluxiones, ut deflagrationem futuram aliquando cœli atque terrarum.

FLUXUS.

Fluxi diversa significatio.

FLUXUS aliquando pro largo, & minime astricto ponitur. Lucanus:

Illis & laxas vestes & fluxa virorum
Velamenta vides.

Aliquando fluxi dicuntur libidinosi, molles, & effœminati. Sueton. in *Tib.* Drusus animi fluxioris, remissiorisque vitæ erat.

SÆPIUS vero fluxa dicimus, momentanea, instabilia, & cito peritura.

Cicero *ad Brut.* Bellum ad Mutinam gerebatur, nihil ut in Cæsare reprehenderes: nonnulla in Hircio hujus belli fortuna, ut in secundis fluxa, ut in adversis bona.

Sallust. *in Catil.* Divitiarum & formæ gloria fluxa & fragilis habetur.

Plautus in *Capt.*

Fac fidelis sis fideli: cave fidem fluxam geras.

Vergilius:

Nos tibi nec fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur.

FLUITARE.

FLUITARE frequentativum est a fluo, Et significat sæpe, vel continue fluere, aut supernatare.

Cicero *pro Sestio*: Cum in hanc Reipub. navem ereptis senatui gubernaculis fluitantem in alto tempestatibus seditionum, ac discordiarum armatæ tot classes incursuræ viderentur, &c.

Titus Livius ab Urbe Cond. *lib.* I. Tenet fama, cum fluitantem alveum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset, lupam sitientem ex montibus, qui circa sunt, ad puerilem vagitum cursum flexisse.

Plinius: Omnes pisces, cum sunt extincti, fluitant, exceptis anguillis.

DEFLUERE.

DEFLUERE aqua dicitur, quæ in imum fluit. Cicero in *Top.* Quæ extrinsecus assumuntur, ea maxime ex autoritate ducuntur. Itaque Græci tales argumentationes ἀτέχνους vocant, id est, *artis expertes*: ut si ita respondeas. Quoniam P. Scævola id solum esse ambitus ædium dixerit, quantum parietis communis tegendi causa tectum projiceretur, ex quo in tectum ejus, ædes qui protexisset, aqua deflueret, id tibi jus videri. Horat. in *Epist.*

Rusticus expectat, dum defluat amnis: at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis ævum.

EXTRA PROPRIAM SIGNIFICATIONEM ad multa eleganter detorquetur, ut sequentia exempla demonstrabunt.

TRANSLATE POSITUM.

TRANSLATA defluendi significatio hujusmodi est, ut vel transitionem & accessionem habeat: vel amissionis speciem.

Cicero *Famil.* IX. Ubi salutatio defluxit, literis me involvo, aut scribo, aut lego.

Idem *pro Sestio*: Ex octo Tribunis Pleb. quos habueram, unus me absente defluxit.

Idem in *Orat.* Hoc totum e sophistarum fontibus defluxit in forum.

Idem *de Amicit.* Neque enim verendum est, ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat.

Ibid. Defluxit oratio ad leves amicitias.

Idem in *Tusculan.* A quibus mansuefacti & exculti ad elegantiora defluximus.

Ibidem: Jam ipsæ defluebant coronæ.

Sallustius in *Jugurth.* Sin captus pravis cupidinibus, ad inertiam & voluptates corporis pessundatus est, pernitiosa libidine paulisper usus, ubi per socordiam vires, tempus, ætas, ingenium defluxere, naturæ infirmitas accusatur: quam quique culpam autores ad negocia transferunt.

A

DEFLUUS, A, UM: vel DEFLUVIUM.

NOMINA ista sunt, quæ vix apud Ciceronem, aut alium quemvis absoluti linguæ Latinæ seculi autorem reperias. Attamen quoniam his utitur Plinius, non omnino rejicienda putavi. Etenim in eam inepti fastidii morositatisque opinionem venire nolim, ob quam novitios quosdam, & juvenes magis, id est, rudes, quam judicio confirmato exactoque laudabiles, rideri tum ab Erasmo Roterodamo, tum ab aliis plerisque video: nimirum qui dictiones omnes repudient, quæ apud Ciceronem non inveniantur. Ab hac opinione longe multumque alienus, & linguæ Latinæ divitiarum amans, ea probare non vereor, quæ neque barbara sunt, neque duriuscula: tametsi non iis usus sit Cicero, nempe iis non indigens, neque, in quod ea caderent, scribens. Hac vocum ubertate quam opus sit, noverunt, qui historiæ scribendæ student, & in rerum narratione versantur. Neque vero in hoc posita est styli vel elegantia, vel lenitas, vel sublimitas, ut te tam morosum in vocibus recipiendis præbeas. Alia sane via styli Ciceroniani laus gloriaque quærenda est, quam quoniam noverunt pauci, in eo, quod levissimum est, discruciantur multi. At jam ad exempla venio. Plin. *lib.* XX. Hippocrates mulierum capillos defluos fricari raphanis jubet. Idem: Defluvia comarum facere dicitur.

In quosdam stulte morosos in vocibus recipiendis.

B

EFFLUERE.

OMNES effluendi significationes tam distincto ordine primo Tomo ob oculos posuimus, ut nihil hic desiderandum sit, quod ad istius verbi tradendum usum modo ullo pertineat. Tu igitur ad primum *Commentariorum* Tomum accedito.

PROFLUERE.

PROFLUERE de aqua dicitur. Et est deorsum, sive a longe fluere, vel dimanare.

Cicero *de Divinatione* I. Si lacus emissus lapsu & cursu suo ad mare profluxisset, perniciosum Populo Romano fore.

Cæsar *de Bello Gall.* lib. IV. Mosa profluit ex monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum.

Idem *de Bello Civ.* lib. I. Accidit repentinum incommodum biduo, quo hæc gesta sunt: tanta enim tempestas cooritur, ut nunquam illis locis majores aquas fuisse constaret: tum autem ex omnibus montibus nix profluit, &c.

TRANSLATE POSITUM.

Cicero *pro Cæl.* Ego ab his fontibus profluxi ad hominum famam.

Idem *ad Herren.* IV. Cujus ore sermo melle dulcior profluebat.

PROFLUENS.

HANC vocem ideo a sui verbi exemplis separavimus, quod nonnihil varietatis habet. Ponitur enim cum substantivo, vel sine substantivo.

CUM SUBSTANTIVO.

Cicero *ad Q. frat.* Aquam profluentem, & eam uberem vidi multis locis.

Idem *Offic.* I. Ex quo sunt illa communia: non prohibere aquam profluentem: pati ab igne ignem capere.

Titus Livius ab Urbe Cond. *lib.* I. Pueros in profluentem aquam mitti jubet.

SINE SUBSTANTIVO.

Cicero *ad Herren.* I. Qui parentem necasse judicatus erit, is obvolutus & obligatus corio dejiciatur in profluentem.

Idem *de Invent.* libro II. Deinde est in carcerem deductus, ut ibi tantisper esset, dum culeus, in quem conjectus in profluentem, deferretur, compararetur.

TRANSLATE POSITUM.

C

Cicero *de Orat.* II. Genus sermonis affert non liquidum, non fusum, ac profluens, sed exile, aridum, concisum, ac minutum.

Idem *de Orat.* III. Si rudis & indocta putanda est illa sine intervallis loquacitas perennis & profluens, quid est aliud causæ, cur repudietur, nisi quod hominum aures vocem natura modulantur ipsa?

Idem in *Bruto*: Orator vivis ejus æqualibus proximus optimis numerabatur propter verborum bonitatem, & expeditam ac profluentem quodammodo celeritatem.

D

PROFLUENTIA, vel PROFLUVIUM.

Cicero in *Part.* Lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, & illam disputandi prudentiam concertatio captatioque verborum, & hanc oratoriam vim inanis quædam profluentia loquendi imitatur.

Plin. *lib.* XXVI. Sanguinis profluvium sistit herbæ Pæoniæ semen rubrum.

PROFLUENTER.

E

Cicero *Tuscul.* V. Sequitur, ut nihil pœniteat: ut nihil desit, nihil obstet: ergo omnia profluenter, absolute, prospere.

INFLUERE.

INFLUERE est illabi, vel introfluere: quod non solum de aqua dicitur, sed etiam de omni re liquida.

Cicero *Tuscul.* I. Apud Hypanim fluvium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quæ unum diem vivant.

F

Idem *de Divinatione* I. Multa oppida corruerunt: multis locis labes facta est: terræque desederunt: fluminaque in contrarias partes fluxerunt: atque amnes mare influxerunt. Hoc Ciceronis loco pro neutrali activum est influere.

Idem *de Natura Deor.* II. Quæ spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primum ab illo spiritu: deinde coagitatione pulmonum: ex eaque pars redditur respirando: pars concipitur cordis parte quadam, quam ventriculum cordis appellant:

cui similis alter adjunctus est, in quem sanguis a jecore per venam illam cavam influit.

Cæsar *de Bello Gallico* lib. I. A lacu Lemano, qui in flumen Rodanum influit ad montem Juram.

Ibidem: Flumen est Arar, quod per fines Heduorum & Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate ita ut, oculis, in utram partem fluat, judicari non possit.

Idem *de Bello Gallico* IV. Tenchtheri magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt, non longe a mari, quo Rhenus influit.

Ibidem: Non longe ab eo milibus passuum LXXX. in Oceanum influit.

Ibidem: Multis capitibus in Oceanum influit.

TRANSLATE POSITUM.

Cicero *de Provinc. Consul.* Cujus divina atque eximia virtus magnis Populi Romani luctibus funeribusque subvenit: influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit.

Idem *de Orat.* II. Ex illa lenitate ad hanc vim influat aliquid oportet.

Idem *Offic.* II. Ut in universorum animos tanquam influere possimus.

Idem *de Amicit.* Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in aures concionis.

Idem *de Legib.* II. Assentior Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos.

CONFLUERE.

CONFLUERE proprie de rivis, vel fluminibus dicitur, cum in unum locum illabuntur: Ut, Rhodanus confluit in Ararim: unde proprio quasi epitheto confluens Rhodanus appellatur. Locus ille est, in quo cum Arare Rhodanus immiscetur, proxime urbem Lugdunum ad ædem divi Laurentii: ubi nos aliquando, cum hos *Commentarios* Lugduni excudi curaremus, animi gratia natavimus. Literas enim, & natare scimus, si alius quisquam.

Confluens Rhodanus.

Cicero *de Legib.* II. Hoc rostro finditur Fibrenus: & divisus æqualiter in duas partes latera hæc alluit, rapideque dilapsus cito in unum confluit.

Lepidus Cicero. *Famil.* X. Cum audissem Antonium cum suis copiis præmisso L. Antonio cum parte equitatus in provinciam meam venire, cum exercitu meo a confluente Rhodano castra movi, ac contra eos venire institui.

TRANSLATE POSITUM.

QUANQUAM, ut ostendimus, proprie de rivis & fluminibus dicitur hoc verbum, ad alia tamen aliquando transfertur: & ponitur pro concurrere, vel convenire.

Cicero *in Verr.* Act. VI. Portus habet prope in ædificatione aspectuque urbis inclusos: qui, cum diversos inter se aditus habeant, in exitu conjunguntur & confluunt.

Idem *pro Planc.* Clausæ pleræque ad nos confluunt.

Idem *in Sallust.* Nisi forte in ea te castra

A conjecisti, quo omnis sentina Reip. confluxerat.

Idem *de Invent.* Hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honor, dignitas confluit.

Idem in *Bruto*: Confluxerunt & Athenas, & in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis.

Idem *Tuscul.* I. Quod accidet etiam nostris, si ad hæc studia plures confluxerint.

PRÆTERFLUERE.

B PRÆTERFLUIT Tholosam Garumna: præterfluit item Lutetiam Sequana. Sed ad alia nonnunquam transfertur.

Cicero *Tusc* V. Quocirca gaudet corpus, dum præsentem sentit voluptatem: & animus præsentem percipit pariter cum corpore, & prospicit venientem, nec præteritam præterfluere sinit.

ILLABI.

ILLABI est influere: quod sæpius tran-
C slate positum reperias, quam proprie Nos igitur de translatione exempla afferemus. Tu alia scriptores legendo, annotato.

Cicero *de Finib.* I. Si ea sola voluptas esset, quæ quasi titillaret sensus, ut ita dicam, & ad eos cum suavitate afflueret & illaberetur, nec manus esse contenta posset illa vacuitate doloris sine jucundo motu voluptatis.

Idem *de Natura Deor.* II. In stomachum primo illabuntur ea, quæ accepta sunt ore.

Idem *de Legib.* II. Graviter olim ista vindicabat vetus illa Græcia, longe providens,
D quam sensim pernicies illapsa civium animos malis studiis malisque doctrinis repente totas civitates everteret.

PRÆTERLABI.

PRÆTERLABI, ut illabi, ad rem fluvialem referri potest: ut, Liger Aureliam præterlabitur: vel, Rhodanus Lugdunum præterlabitur. Transfertur vero nonnunquam, ut illabi.

Cic. *de Orat.* II. Definitio primum re-
E prehenso verbo uno, aut addito, aut dempto sæpe extorquetur e manibus: deinde genere ipso doctrinam redolet, exercitationemque pene puerilem: tum & in sensum, & in mentem judicis intrare non potest. Ante enim præterlabitur, quam percepta est.

ALLUERE.

ALLUERE est juxta fluere. Cic. *in Verr.* Act. VII. Non alluuntur a mari mœnia extrema, sed influit in urbis sinum portus. Idem *pro Flacco*: Quæ civitas tam procul
F a Græcorum omnium regionibus, disciplinis, linguaque divisa, cum in ultimis terris cincta Gallorum gentibus barbariæ fluctibus alluatur, sic optimatum consilio gubernatur, ut omnes ejus instituta laudare facilius possint, quam æmulari. Idem in *Oratore*: Ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur. Idem *de Legib.* II. Fluvius divisus latera insulæ alluit. Cæsar *de Bel. Civil.* lib. II. Massilia fere ex tribus oppidi partibus mari alluitur. Q. Curt. Montem

leniter alluit præteriens amnis.

Alluvio. ALLUVIO. Alluvio pro immoderata aquarum violentia vel fluvialium, vel pluvialium, similiumque ponitur: quæ non tantum agros confundit, sed quandoque eripit, & nonnunquam funditus destruit. Sed cum pars alicujus agri impetu fluminis aggregatur in alium agrum, tunc cedit in possessionem ejus, cujus est ager. Unde Lucanus:

Illos terra fugit dominos: his rura colonis
Accedunt donante Pado.

Cic. *de Orat.* I. Alluvionum & circunluvionum jura.

Circunluvio. CIRCUMLUVIO. Circunluvio est, cum partem alicujus agri rapidus amnis in alveum suum impulerit: & in modum insulæ circunvolvitur, jureque vicinioris est.

Alluvies. ALLUVIES. Alluvies pro sordida aqua poni volunt, quæ alluit, ubi lutum cum aqua non multa. Tit. Liv. ab Urb. Cond. *lib.* I. In proxima alluvie, ubi nunc ficus Ruminalis est, quam Romularem vocatam ferunt, pueros exponunt.

Subluere. SUBLUERE. Subluere est subtus fluere. Cæsar *de Bello Gall.* l. VII. Ipsum erat oppidum colle summo admodum edito loco, ut nisi obsidione expugnari non posse videretur: cujus collis radices duo duabus ex partibus flumina subluebant. Columella pro subtus lavare posuit *lib.* VII. his verbis: In tergo bis in die subluitur aqua calida: mox decocto agrico & sale, cum adipe defricatur, dum saniei vis emanat.

Subluvies. SUBLUVIES. Subluvies aliquando pro sordibus & immundiciis ponitur. Aliquando vero est genus morbi in discrimine ungulæ ovium nascens. Columella *lib.* VII. *cap.* V. Clavi quoque dupliciter infestant ovem: sive cum subluvies atque intertrigo in ipso discrimine ungulæ nascitur: seu cum idem locus tuberculum habet, cujus media fere parte canino similis extat pilus, eique subest vermiculus.

Proluere. PROLUERE. Proluere est multum, vel multo tempore lavare. Columella *lib.* II. Impetus aquarum proluit terram, nudatisque radicibus germina non patitur coalescere. Plautus in *Curcul.*

Age, effunde hoc cito in barathrum, prolue cloacam.

Persius:

Nec fonte labra prolui Caballino.

Proluvium. PROLUVIUM. Proluvium translate pro profusione & prodigalitate accipitur, cum quis more aquæ opes profundit. Terent. in *Adelphis*:

Quid isthuc? quæ res tam repente mores immutavit tuos?
Quod proluvium? quæ isthæc subita est largitas?

PROLUVIES. Proluvies pro immunditie, & abundantia cujuscumque rei sordidæ poni solet. Cicero *ad Quint. fratr.* Romæ, & maxime Appia ad Martis ædem mira proluvies. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ: magna vis aquæ usque ad piscinam publicam. Hoc Ciceronis loco proluvies sine immunditie potest intelligi, & pro aquarum redundantia poni, vel potius pro pluvia mira: id est, maxima. Vergilius *Æneid.* III.

—— fœdissima ventris
Proluvies.

Illuvies. ILLUVIES. Illuvies est etiam immunditia

A in homine, aut veste, aut re quavis alia insita, atque injecta. Cicero *Tuscul.* III. Infuscat pectus illuvie scabrum. Terentius in *Heautontim.*

—— ea texebat una pannis obsita,
Neglecta, immunda illuvie.

Vergilius lib. III. *Æneid.*

—— dira illuvies, immissaque barba.

COLLUVIES. Colluvies est sordes cœni, aut cujusvis rei coactæ. Columella *lib.* I. Tum etiam nantium, serpentumque pestes hyberna destitutas uligine, cœno, & fermentata colluvie venenatas emittit. Colluvies.

B TRANSLATE sic utitur Cic. *ad Att.* IX. Te in certamine vinci cum illo facilius patiaris, quam cum hoc in ea, quæ perspicitur, futura colluvie regnare. Cum translatione

COLLUVIO. Colluvio idem est, quod colluvies: qua voce sæpe utuntur translate Latini. Cicero *de Arusp. Respons.* Nisi forte existimatis hanc tantam colluvionem illi, tantamque eversionem civitatis, in mentem subito in rostris nec cogitanti venire potuisse. Idem *pro Sestio*: At ille nefarius ex omnium scelerum colluvione natus, parum C se fœdus violaturum arbitratus, nisi ipsum cautorem alieni periculi, suis propriis periculis terruisset, &c. Idem *in Vatinium*: Leges, quæ in Gracchorum ferocitate, & in audacia Saturnini, & in colluvione Drusi vixerunt, solus conculcasti, & pro nihilo putasti. Idem *de Senectute*: O præclarum diem, cum in illud animorum concilium cœtumque proficiscar, & cum ex hac turba & colluvione discedam. Colluvio.

ELUERE. Eluere est lavando purgare. Plautus in *Capt.* Eluere.

Juben', an non jubes astitui aulas? patinas elui?

D Idem in *Pseud.*

Tu argentum eluito, atque id extruito.

Columella: Villica debet curam adhibere, ut, si quæ feces, aut amurcæ in fundis vasorum subsederint semel, statim emundentur, & non calidissima lixivia, ne vasa ceram remittant, semel atque iterum eluantur.

TRANSLATE ALIQUANDO PONITUR. Cicero *pro Sestio*: Atque etiam hoc videbat, quoniam illa in Rep. macula regni publicati maneret, quam nemo jam posset eluere, quod ex malis bonum possit in Repub. E pervenire, id utilius esse per se conservari, quam per alios. Idem *Philipp.* I. Ut quisque sordidissimus videbitur, ita libentissime severitate judicandi sordes suas eluet. Idem *Philipp.* XII. Centurionum legionis Martiæ Brundusii profusus sanguis eluatur, num elui prædicatio crudelitatis poterit? Translate positum.

ELUVIES. Eluvies proprie dicitur, quod expurgatur, maxime aquarum fluxu: quanquam & alius humoris dici possit. Plinius: Quod in tutis notatur oppidis, quæ minus quatiuntur crebris ad eluviem cuniculis cavata. Eluvies.

F CUM TRANSLATIONE aliquando in oratione ponitur. Cic. *pro Domo sua*: An quicquam jure gestum videri potest, quod per vim gestum esse constet? an si in ipsa latione tua capta jam urbe lapides jacti, si manus collata non est, idcirco tu ad illam labem atque eluviem civitatis sine summa vi pervenire potuisti? Cum translatione.

ELUVIO. Eluvio magis omnino delet, quam expurgat. Cicero *Offic.* II. Est Di- Eluvio.

cæarchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni & copiosi: qui collectis cæteris causis eluvionis, pestilentiæ, vastitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam hominum genera esse consumpta: deinde comparat, quanto plures deleti sunt homines hominum impetu, id est, bellis, aut seditionibus, quam omni reliqua calamitate. Idem in *Somnio Scipionis*: Quinetiam si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuscujusque nostrum a patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluviones, exustionesque terrarum quam accidere tempore certo necesse est, non modo non æternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus.

Diluere. DILUERE. Diluere aliquando translate cum maxima elegantia ponitur pro confutare: vel confutando ad interrogata respondere: de qua translata significatione suo loco scribemus. Hic vero proprie positum est: & significat aquam, vel alium liquorem miscere; vel lavare, aut purgare. Vergil.

Cui tu lacte favos & miti dilue Baccho.

Persius, Diluis eleborum dixit, pro eo quod est, medicamentis temperas. Plaut. in *Pseud.*

Apponunt rumicem, brassicam, betam, blitum:
Eo laserpitii libram pondo diluunt.

Dilutus. DILUTUS. Dilutum dicunt, quod est mixtum: unde vinum aqua mixtum dicitur dilutum. Martialis:

Diluti bibis unciam Falerni.

Dilutus color. DILUTUS COLOR appellatur, cum, veluti aqua adhibita, minus est intensus. Aulus Gell. Luteus color rufo est dilutior.

Dilutum, ti. DILUTUM, TI. Dilutum sic substantivum in neutro genere factum, est id liquidum, in quo aliquid certo tempore infusum fuit; ut si in vas vini appositum absinthium fuerit, deinde post interjectum tempus, abstractum, id vinum, absinthii dilutum dicetur. Plinius: Bibitur & madefacti absinthii dilutum. Ita enim appellatur hoc genus.

Diluvies. DILUVIES. Diluvies dicitur, quando scilicet immodicis imbribus vel vexatur terra, vel obruitur. Lucretius *lib.*

Pars etiam glebarum ad diluviem revocatur
Imbribus.

Horatius lib. IV. *Carminum*:

—— horrendamque cultis
Diluviem minitatur agris.

Diluvium. DILUVIUM. Diluvium proprie inundationem esse volunt. Plin. in *Epist.* Hic assiduæ tempestates, & crebra diluvia: Tiberis alveum excessit, & demissioribus ripis alte superfunditur, &c. Metaphorice dixit Vergil. eversionem Trojæ diluvium: in illo versu:

Diluvio ex illo diversa per æquora vecti.

Idem libro *Æneid.* XII. aliquando magis proprie usus est hoc nomine:

—— non si tellurem (inquit) effundat in undas
Diluvio miscens, cœlumve in tartara solvat, &c.

OSTIUM.

NON de ostii significatione hic agitur, quæ valvarum est: sed totum ad rem fluvialem pertinet. Et dicuntur ostia fluviorum patentes aditus. Quod nomen etiam aliquando pro portu ponitur. Hæc autem significatio non propria, sed translata est. Neque vero in fluviis, aut fluminibus tantum versatur: sed in re maritima etiam sæpe.

Cicero *in Verrem* Actio. VI. Ea tanta est urbs, ut ex quatuor urbibus maximis constare dicatur: quarum una est ea, quam dixi, Insula: quæ duobus portubus cincta, in utriusque portus ostium aditumque projecta est.

Idem *pro Lege Manilia*: Proh dii immortales, tanta ne unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore lucem adferre Reip. potuit, ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani ostium prædonum navem esse audiatis?

Idem *Philip.* II. Hanc rem in Ciliciam ad ostium fluminis Cydni confecisset, si ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad contrariam naves applicuisset.

Cæsar *de Bello Civili* lib. II. Altera turris erat ad partem, qua est aditus ex Gallia atque Hispania ad id mare, quod adigit ad ostium Rhodani.

Idem *de Bello Alexandr.* lib. IV. Erant omnibus ostiis Nili custodiæ exigendi portorii causa dispositæ.

Titus Liv. de Bello Pun. Huic alæ equitum missi ab ostio Rhodani trecenti Romanorum equites occurrunt. Vergilius:

—— Italiam contra, Tiberinaque longe
Ostia.

Idem:

Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.

PONS.

PONS ex iis est, quæ ad fluvialia pertinent. Ponte enim in fluminibus transeundis utimur. De ponte igitur scribam, priusquam ad rem maritimam veniam. Pons autem generatim significat omne, per quod super aquas transimus. Unde pro scala navium quandoque ponitur. Vergilius:

Interea Æneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit.

Sit ea igitur pontis significatio. Exempla nunc sequuntur.

Cicero *pro Roscio Amer.* Sexagenarii, more majorum, de ponte in Tiberim dejiciebantur.

Idem *in Verr.* Act. VI. Eorum conjunctione pars oppidi, quæ appellatur Insula, mari disjuncta angusto, ponte rursum adjungitur & continetur.

Idem *in Catilin.* Cum advesperasceret, occulte ad pontem Milvium pervenerunt.

Cæsar *de Bello Gall.* lib. I. Ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet.

Idem *de Bello Gall.* lib. VIII. Repente ex eo loco cum copiis recedit, nec se satis tutum fore arbitratur, nisi flumen Ligerim, quod erat ponte propter magnitudinem constratum, copias traduxisset.

Pontem facere, vel efficere.

Cicero *in Vatin.* Fecisti ante rostra pontem continuatis Tribunalibus.

Idem *de Legib.* Pontes etiam lex Maria fecit anguſtos.

Planc. Cicer. *Famil.* x. Itaque pridie Nonas Junias omnes copias Iſaram trajeci, pontesque, quos feceram, interrupi, ut ſpatium & ad ſe colligendum homines haberent, & ego interea me cum collega conjungerem.

Cæſar *de Bello Gall.* lib. I. Pontem in Arare faciendum curat, atque ita exercitum traducit.

Idem *de Bello Gall.* lib. IV. Itaque etſi ſumma difficultas faciundi pontis proponebatur, propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemque fluminis, tamen id ſibi contendendum, aut aliter non traducendum exercitum exiſtimabat.

Idem *de Bello Gall.* l. VII. Cum uterque utrique eſſet exercitui in conſpectu, fereque e regione caſtris caſtra poneret, diſpoſitis exploratoribus, necubi effecto ponte Romani copias traducerent, erat in magnis difficultatibus Cæſaris res, &c.

Pontem interrumpere.

Cæſar *de Bello Gall.* l. VII. Qua re cognita, Vercingetorix interruptis ejus fluminis pontibus, ab altera Ligeris parte iter facere cœpit.

Idem *de Bello Civ.* l. I. Pons, qui fuerat tempeſtate interruptus, pene erat refectus.

Aliud exemplum Planci vide ſupra, in pontem facere.

Pontem interſcindere, vel reſcindere.

Cic. *de Legib.* II. Nec quia nuſquam erat ſcriptum, ut contra omnes hoſtium copias in ponte unus aſſiſteret, a tergoque pontem interſcindi juberet, idcirco minus Coclitem illum rem geſſiſſe tantam, fortitudinis lege, atque imperio putabimus.

Cæſar *de Bello Gall.* l. I. Pontem, qui erat ad Genevam, jubet reſcindi.

Idem *de Bello Gall.* l. VII. Itaque ne id accideret, ſylveſtri loco caſtris poſitis, e regione unius eorum pontium, quos Vercingetorix reſcindendos curaverat, poſtridie cum duabus legionibus in occulto reſtitit.

Pontem diſturbare.

Cicero *ad Herren.* I. Cepio, ut illum contra S. C. intercedentibus collegis adverſus Remp. vidit ferre, cum viris bonis impetum facit, pontes diſturbat, ciſtas dejicit, &c.

Pontem reficere.

Cæſar *de Bello Gall.* l. VII. Iiſdem ſublicis, quarum pars inferior integra remanebat, pontem reficere cœpit.

PONTICULUM.

Cicero *ad Q. Frat.* Sum ipſe menſus ab eo ponticulo, qui eſt ad Furninæ Satricum verſus.

Idem *Tuſc.* v. Cum foſſam latam cubiculari lecto circumdediſſet, ejuſque foſſæ tranſitum ponticulo ligneo conjunxiſſet, eum ipſum, cum fores cubiculi clauſerat, detorquebat.

MARE.

NUNC a fluviis & fluvialibus ad mare tranſimus. Maris autem ſignificatio vulgarior eſt, quam quæ pluribus demonſtrari debeat. Cicero *pro Planco:* Illæ undæ comitiorum, ut mare profundum & immenſum, ſic effervefcunt cum quodam quaſi æſtu, ut ad alios accedant, ab aliis recedant. Idem *pro Cluent.* Ut mare, quod ſua natura tranquillum ſit, ventorum vi agitari atque turbari ſolet, ſic, &c. Idem *in Piſon.* Cum mare vaſtiſſimum hyeme tranſibas. Idem: Mare magnum & difficile tibi reſtat. Idem in *Tuſcul.* Unde terra, & quibus librata ponderibus, quibus cavernis maria ſubſtineantur. Idem in *Academic.* Mare Favonio naſcente purpureum videtur. Idem *de Nat. Deor.* I. An quicquam tam puerile dici poteſt, quam ſi ea genera belluarum, quæ in Rubro mari Indiave gignantur, nulla eſſe dicamus?

HOC NOMEN tametſi vulgare, ſit, attamen in eo quædam notare poſſumus, quæ doctrinæ laude non careant. Spiritus igitur paulum tollemus, & graviora trademus. Itaque obſervabis, quod appellat ſæpe Cicero mare inferum, intelligi Tyrrhenum, vel Tuſcum. Quod vero vocat ſuperum, tu quoque obſerva Adrianum, vel Ionium deſignari. *Ad Attic.* VIII. Infero mari nobis incerto curſu hyeme maxima navigandum eſt. *Ibidem:* Omnia mihi proviſa ſunt præter occultum metum, iter ad mare ſuperum. Hoc enim mari uti non poſſumus hoc tempore anni. Idem *ad Attic.* IX. Si commodius anni tempus eſſet, vel infero mari liceret uti: nunc nihil poteſt niſi ſupero tranſmitti; quod iter interclusum eſt. (Mare inferum apud Cic. id eſt, Tyrrhenum, vel Tuſcum. Mare ſuperum, id eſt, Adrianum, vel Ionium.)

TERRA MARIQUE. Hoc loquendi genere utuntur Latini, cum ſummam maximamque diligentiam in re aliqua quærenda & inveſtiganda adhiberi denotant. Vatinius Ciceron. *Famil.* v. Dicitur mihi tuus ſervus Anagnoſtes fugitivus Vardaci eſſe, de quo tu nihil mihi mandaſti: ego tamen terra marique, ut conquireretur, præmandavi. Plautus in *Pœnulo*: (Terra marique.)

Sed pater illarum Pœnus, poſtquam eas perdidit,
Mari terraque illas uſquequaq; quæritat.

MARE COELO MISCERE, VEL CONFUNDERE. Mare cœlo miſcere, vel confundere, proverbialis eſt hyperbole, pro eo, quod eſt, omnia perturbare, nihilque non facere. Titus Livius: Quid eſt, quod cœlo terram, terræ cœlum miſceant. Idem alibi: Quid tandem eſt, cur cœlum ac terras miſceant. Juvenalis: (Mare cœlo miſcere, vel confundere.)

—— clames licet, & mare cœlo
Confundas, homo ſum.

Verg. *Æn.* v. de Junone omnia tentante:

—— maria omnia cœlo
Miſcuit.

MARINUS,

TRANSMARINUS, MARITIMUS.

MARINUM piſcem (inquit Valla *l.* IV. *c.* XCV.) dicimus, & avem marinam, & deum marinum, vel deam, vel nympham marinam. Nominatim quoque vitulum marinum, lupum marinum, turdum marinum, turturem marinum. Præterea colorem marinum.

rinum, casum marinum, periculum marinum, sonum, fluctum. Aquam marinam, non maritimam: navem marinam, quidam etiam navem maritimam. Rursus oram maritimam, gentem maritimam, res maritimas, bellum maritimum, non marinum, vel transmarinum. Item hominem, gentem, urbem, triumphum transmarinum, non transmaritimum. Horum omnium hæc differentia est, quod marinum vocatur, quod incolit mare, aut ex mari est. Maritimum, quod mare accolit, & ad mare est, vel ad mare fit. Transmarinum, quod trans mare est. Transmaritimum enim foret, quod trans loca maritima esset, idem proprie, quod mediterraneum. Hæc Valla de vocum istarum significatione & differentia: quæ tamen inter marinum & maritimum in quibusdam ita pusilla est, ut nulla fere re discrepare videantur. Quemadmodum enim fluctus, æstus marinos, & navigia marina dicimus: ita fluctus, æstus maritimos, & navigia maritima a classicis scriptoribus dici videas. Tu igitur sequentium exemplorum usum potius sequere, quam Grammaticorum regulis te subjice. Exempla autem hujusmodi sunt.

MARINI EXEMPLA.

Cic. *de Natur. Deor.* II. Probabile est, præstantem intelligentiam in syderibus esse, quæ & æthercam mundi partem incolant, & marinis terrenisque humoribus longo intervallo extenuatis alantur.

Idem *de Divinat.* II. Quid de fretis, aut de marinis æstibus plura dicam? quorum accessus & recessus lunæ motu gubernantur.

TRANSMARINI EXEMPLA.

Cicero *in Verr.* Act. VII. Privatim nec proficisci quoquam potes: nec accersere res transmarinas ex iis locis, in quibus tibi habere, mercari nihil licet.

Idem *contra Rull.* Quid nos Asiæ portus, quid Syriæ rura, quid omnia transmarina vectigalia juvabunt, tenuissima suspicione prædonum, aut hostium injecta?

Idem *Philipp.* XI. Non ut ex ea acie auxilium haberemus, sed ut ipsa acies subsidium haberet etiam transmarinum.

Idem *de Orat.* III. Quid M. Catoni præter hanc politissimam doctrinam transmarinam, atque adventitiam defuit?

MARITIMI EXEMPLA.

Cicero *in Verr.* Act. IV. Cogitate nunc, cum illa sit hæc insula, quæ undique exitus maritimos habeat, quid ex cæteris locis exportatum putetis.

Idem *pro Planc.* Tum consilio repente mutato, iter Vibone Brundusium terra petere contendi: nam maritimos cursus præcludebat hyemis magnitudo.

Idem *Tuscul.* V. Quid igitur ejusmodi istorum est? ut mihi illud Laconis dictum in hos cadere videatur: qui glorianti cuidam mercatori, quod multas naves in omnem oram maritimam dimisisset: non sane optabilis ista quidem est, inquit, rudentibus apta fortuna.

Idem *de Natura Deor.* II. Ab iisdem etiam maritimi cursus celeres & certi diriguntur.

Ibidem: Enumerari non possunt fluminum opportunitates: æstus maritimi multum accedentes & recedentes.

PONTUS.

PONTUS mare dicitur. Proprie tamen quidam id mare pontum appellari volunt, quod a palude Mæotidis usque ad Tenedum protenditur. Cic. *in Verr.* Act. VI. Illud signum Flaminius ita ex æde sua sustulit, ut in Capitolio, id est, in terrestri domicilio Jovis, poneret: quod autem est ad introitum Ponti, id, cum tam multa ex illo mari bella emerserint, tam multa porro in Pontum invecta sint, usque ad hanc diem integrum inviolatumque servatum est. Idem *de Orat.* I. Citius hercule is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino Ponto Argonautarum navem gubernarit.

PELAGUS. Pelagus profundum maris significat. Cic. *de Orat.* III. Undique omnes venti erumpunt: sævi existunt turbines: fervet æstu pelagus. Verg. *Georg.* II. (Pelagus.)

—— pelagoque volans da vela patenti.

Idem *Æneid.* II.

Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt.

Idem *Æneid.* V.

Prona petit maria, & pelago decurrit aperto.

FRETUM. Fretum mare appellatur: dictum ab undarum fremitu. Vel, ut Varro ait, a similitudine ferventis aquæ, quod in fretum sæpe concurrat æstus, atque fervescat. Fretus masculino genere dixerunt Veteres. Lucret. *lib.* VI. (Fretum. Fretus, us, ui.)

Nam fretus ipse anni permiscet frigus ad æstum.

Ennius:

Crassa pulvis oritur, omnem pervolat cæli fretum.

Varro: Inter Italiam & Siciliam, qui est fretus inter Rhegium & Messanam. Cic. *in Verr.* Act. VII. Ut ille in dolore cruciatuque moriens, perangusto fretu divisa servitutis ac libertatis jura cognosceret.

HÆC DE RARIORI USU exempla: ad vulgariora venio. Cic. *in Verr.* Act. III. Te putet quisquam, cum ab Italia freto disjunctus esses, sociis temperasse? Idem *in Verr.* Act. VII. Audivimus M. Crassi consilio factum, ne ratibus conjunctis freto fugitivi ad Messanam transire possent. Idem *de Divinat.* Quid de fretis, aut maritimis æstibus plura dicam, quorum accessus & recessus lunæ motu gubernantur?

SALUM. Salum mare dicitur a sapore salis. Cic. *Tusc.* IV. Si mihi nunc tristis primum illuxisset dies, nec tam ærumnoso navigassem salo, &c. (Salum.)

IN SALO STARE, vel esse. Cum anchoræ jactæ erant procul a portu, naves dicebantur in salo stare, vel esse, vel commorari. Cæs. *de Bello Afric. lib.* V. Reliqua classis in salo stabat. *Ibidem:* Naves onerarias, quæ longius a portu in salo stabant, incendit. *Ibidem:* In salo in anchoris ea nocte commoratus est. (In salo stare, vel esse.)

SALUM pro jactatione accipere videtur idem Cæs. *de Bello Civ.* III. Tirones multitudine navium perterriti, & salo, nauseaque confecti. (Salum pro jactatione.)

Altum. ALTUM. Altum pro maris profundo, vel pro ipso mari sæpe accipitur: aut pro loco maris longe a terra remoto. Cic. *in Verr.* Act. VII. Ab illa parte urbis navibus aditus ex alto est. Idem *de Invention.* Cum nautæ in alto jactarentur. *Ibid.* Cum magna in alto tempestas esset. Idem *de Finib.* Si plures ex alto emergere velint.

N A V I S.

NAVIS significatio sine explicatione per se satis patet: explicatione igitur non opus est. Navium autem apud Antiquos multa erant genera, ut telorum & gladiorum. Gladiorum & pilorum erant: Hasta, Pilum, Phalarica, Semiphalarica, Soliferrea, Gesa, Lancea, Spari, Rumigestri, Faces, Tragulæ, Frameæ, Mesanculæ, Catejæ, Rumpheæ, Scorpius, Scibones, Sicilices, Veruta, Enses, Sicæ, Macheræ, Spatæ, Lingulæ, Pugiones, Climaculæ. De lingula, quoniam est minus frequens, admonendum existimo, Lingulam Veteres dixisse gladiolum oblongum, in speciem linguæ factum. Item Rumphea genus teli est Thracæ nationis. (Gladiorum & pilorum genera diversa.)

Navium appellationes & nomina varia. NAVIUM AUTEM APPELLATIONES HÆ SUNT: Gauli, Corbitæ, Caudicæ, Naves longæ, Onerariæ, Actuariæ, Biremes, Triremes, Quadriremes, Quinqueremes, Lembi, Hippagines, Cercurus, Celoces, Oxiæ, Schediæ, Remeculi, Scaphæ, Lintres, Prosumiæ, Geseoretæ, Oriæ, Cattæ, Pontones, Nuctutiæ, Mediæ, Phaseli, Parones, Myoparones, Caupulica, Mareplacidæ, Cidari, Ratiariæ, Catascopium, Cymba, Pistris, Liburnum, Remulcus, Aphractum, Lenunculus. Hæc sunt navigium genera multa, quæ licet a LAZARO BAYFIO viro tum Græce, tum Latine doctiss. cum re tota nautica & ingeniose & erudite explicatum iri spero, libro eo, quem *de Re Navali* brevi in lucem editurus est, tamen eorum nonnulla cursim interpretari libuit. (Lazarus Bayfius.)

Longæ. LONGÆ. Inter longas & onerarias discrimen esse Cicerone & Cæsare legendis facile agnoscitur: apud quos navium longarum multa mentio est, & exempla crebra. Cæsar *de Bello Gallico* IV. Quod ubi Cæsar animadvertit, naves longas, quarum & species Barbaris erat inusitatior, & motus ad usum expeditior, paululum removeri ab onerariis navibus jussit.

Onerariæ naves. ONERARIÆ NAVES. Onerariæ naves dicuntur a gestandis oneribus, & ideo tardæ: vel quod essent oneri ferendo idoneæ. Onerariæ autem ad frumentum vehendum aptæ, frumentariæ dicuntur Cic. *ad Att.* X. Occulte in aliquam onerariam corrependum est. Idem *de Divinat.* Noctu flagrantes onerarias videbatis. Plin. in *Epist.* Sæpe minores majoribus, velut cymbulæ onerariis, adhærescunt. Cæs. *de Bello Civ.* lib. III. Comitatu equitum triginta ad mare pervenit, navemque frumentariam conscendit.

Gaulus. GAULUS Gaulus pro nave oneraria ponitur. Gaulus etiam accipitur pro vase, quo pastores utuntur ad lac excipiendum.

Corbitæ. CORBITÆ. Corbitæ dicuntur naves onerariæ, quod in malo earum summo, pro signo corbes solerent suspendi. Cic. *ad Att.* XVI. Corbitane Patras, &c. Plaut. in *Pœnulo:*

Tardiores multo, quam corbitæ sunt in tranquillo mari.

CAUDICÆ. Caudicæ sunt naves ex tabulis crassioribus factæ. (Caudicæ.)

ACTUARIÆ. Actuariæ dicuntur naves celeres, quæ cito agi possunt: vel sunt actuariæ naves, quæ remis aguntur, non modo velis. Sallust. Ad hoc pauca piraticæ actuaria navigia. Idem: His actuariæ naves circiter triginta, decem onerariæ erant. (Actuariæ.)

PRO NAVIBUS ACTUARIIS, dicunt aliquando Latini Actuaria in neutro genere. Cic. *ad Attic.* V. Actuariis minutis Patras accedere sine iis impedimentis non satis visum est decorum. Idem *ad Att.* X. Quid duro tempore anni actuaria fore censes? (Actuaria.)

BIREMES, TRIREMES QUADRIREMES, QUINQUEREMES. A remorum ordinibus appellantur hæc nomina: scilicet ut sit Biremis, quæ duos remorum ordines habet: Triremis, quæ tres: Quadriremis, quæ quatuor: Quinqueremis, quæ quinque. Observa id quoque, cum biremem, triremem, quadriremem, pentiremem dicimus, navem semper intelligi. Quinqueremis & formam & usum retulit Venetiis Faustus quidam Venetus. Eam pulchre admodum exædificatam vidimus in armamentario Veneto, cum Venetiis ageremus prima adolescentia. Eam postea in mari vidimus cursum cum triremibus tenentem, & cum iis de celeritate & gravitate oneris ferendi certantem: idque Senatus Veneti jussu, ut, quæ esse posset usus quinqueremium relati utilitas, nosceretur: quæ certe plurima visa est. (Biremes, Triremes, Quadriremes, Quinqueremes.) (Quinqueremis usus relatus apud Venetos.)

LEMBI. Lembus est navicula brevis & velocissima. Plaut. in *Mercat.* (Lembi.)

Dum aguntur hæc, lembo advehitur tuus pater pauxillulo.

Titus Livius lembos videtur habere inter actuaria, *Decadis* quartæ *lib.* IV. Ne, inquit, navem ullam præter duos lembos, qui non plusquam sexdecim remis agerentur, haberet. Vergilius lembos ponit inter fluvialia I. *Georg.* his versibus:

Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, &c.

CERCURUS. Cercurus genus est navigii a Cypriis inventum, teste Plinio *l.* VII. *cap.* LVI. Inter actuaria poni potest. Livius *Decadis* quartæ *lib.* III. Ipse cum classe centum tectarum navium, ad hæc levioribus navigiis, cercurisque, ac lembis ducentis proficiscitur. Plaut. in *Sticho:* (Cercurus.)

Dum percontor portitores, ecquæ navis venerit
Ex Asia: negant venisse: conspicatus sum interim
Cercurum, quo ego me majorem non vidisse censeo:
In portum vento secundo velo passo venit.

CELOX. Celox genus est naviculæ brevis, a velocitate dicta. Vulgo *brigantinum* vocant. Plautus in *Milite:* (Celox.)

Hæc celox illius est, quæ hic egreditur internuncia.

Idem in *Capt.*

—— modo in portu Philopolemum vivum, salvum, & sospitem
Vidi in publica celoce.

Celoces pro piraticis navibus. Celoces item pro prædatoriis, vel piraticis navibus sæpe poni videas. Titus Livius quartæ *Decadis l.* VII. Apparuit inde piraticas celoces & lembos esse.

Schediæ. SCHEDIÆ. Schedia ratis est Latine: id est, navigium temere factum & inconditum, ut trabes connexæ, & sine fabrica compactæ, quæ navigii vicem præbent. Schedia etiam ponitur aliquando pro ponte, seu loco fluminis quoquo modo juncto: sic Herodotus pontem, quo Darius Bosphorum junxit, schediam vocat.

Remeculi. REMECULI. Remeculi navigia erant, quibus Lemnii utebantur.

Scaphæ. SCAPHÆ. Scapha navicula est ligno cavata, ut sunt parvæ piscatorum naves: vel lintres navem sequentes. Cæsar *de Bello Gall. l.* IV. Quod cum animadvertisset Cæsar, scaphas longarum navium militibus compleri jussit. Cic. *de Invent.* II. Usque adeo, ut dominus navis in scapham confugerit.

Lenunculus. LENUNCULUS. Lenunculus est scapha: nonnulli etiam pro nave piscatoria ponunt. Cæsar *de Bello Civ. l.* II. Harum fuga navium onerariarum magistros incitabat, pauci lenunculi ad officium imperiumque conveniebant.

Lintres. LINTRES. Linter navicula est e cavata arbore facta. Verg. *Georg.* I.

—— cavat arbore lintres.

Cicero *pro Mil.* Lintribus in eam insulam materiam convexit Cæs. *de Bello Civ. l.* I. Duas naves scaphis lintribusque deprehendunt. Idem *de Bello Gall. l.* VII. Conquirit lintres: has magno sonitu remorum incitatas in eandem partem mittit.

Prosumiæ. PROSUMIÆ. Prosumia genus est navigii levis, speculatorii. Plautus:

De nocte ad portam profectus sum prosumia.

Gesceretæ. GESEORETÆ. Gesceoreta a nonnullis prosumia dicitur.

Oriæ. ORIÆ. Oria navis est piscatoria. Plautus:

Malo hunc alligari ad oriam ut semper piscetur, etsi sit tempestas maxima.

Pontones. PONTONES. Pontones naves sunt, quibus in trajiciendis amnibus loco pontium utimur. Id genus navigii frequens fuit quondam apud Gallos, ut in *Commentariis* Cæsaris videre est: maxime *l.* III. *de Bello Civ.* ubi sic est: Plerasque naves in Italiam emittit ad reliquos milites equitesque transportandos: pontones, quod est genus navium Gallicarum, Lyssi reliquit. Negant nonnulli nostræ ætatis, verisimile esse, eos pontones, quorum meminit Cæsar, fuisse id genus navigii ratiarii, quo passim utimur ad trajicienda flumina.

Hippagines. HIPPAGINES. Hippagines naves sunt ad belli usum necessariæ, quas hippagogas vocat Livius a transportandis equis. Quod navigii genus ab ipso Livio apertius declaratur, quam ut nostræ interpretationis egeat, dum ait *lib.* IV quintæ *Decad* Forte postero die, quam Sybota classis tenuit quinque & triginta naves, quas hippagogas vocant, ab Elea profectæ cum equitibus Gallis, equisque Phanas promontorium Chiorum petebant.

Catascopium. CATASCOPIUM. Catascopium genus erat navigii speculatorii, vel exploratorii. Cæsar: Literis celeriter in Siciliam ad Atticum & Rabirium Posthum. conscriptis, & per catascopium missis, ut sine mora, aut ulla excusatione hyemis, ventorumque exercitus sibi quam celerrime transportarentur. Cicero item hac voce usus est *ad Attic. l.* V.

PHASELI. Phaselus genus est navigii Campani oblongi. Cic. *ad Att.* I. Accepi tuas jam tres epistolas: unam a M. Cornelio, quam a tribus ei tabernis, ut opinor, dedisti: alteram, quam mihi Canusinus tuus hospes reddidit: tertiam, quam (ut scribis) anchoris solutis de phaselo dedisti. Phaseli. Verg. *Georg.* IV.

Et circum pictis vehitur sua rura phaselis.

Horatius:

Fragilemque mecum solvat phaselum.

PARONES, vel Myoparones. Paro genus est navigii: unde Myoparo piraticum navigium. Cic. *in Verr.* Act. V. In portu Syracusano Myoparo piraticus navigavit. Idem *in Verr.* Act. VII. Hæc igitur est gesta res: hæc victoria præclara Myoparone piratico capto. Parones, vel Myoparones.

RATIS. Proprie rates dicuntur connexæ & recte compactæ invicem trabes, quæ per aquam trahuntur. Sed a poetis ratis sæpe, & nonnunquam ab oratoribus, pro tota nave usurpatur. Cic. *in Verr.* Act. VII Obstitisti videlicet, ne ex Italia transire in Siciliam fugitivorum copiæ possent. Ubi? quando? qua ex parte? cum aut navibus, aut ratibus conarentur accedere? Idem *Tusc.* I. Itaque dubitans, circumspectans, hæsitans, multa adversa reverens, tanquam ratis in mari immenso, nostra vehitur oratio. Verg. *Æneid* X. Ratis.

Spumantesq; rates arvis inferre Latinis.

Luc *lib.* II.

Præcipites hæsere rates.

CYMBA. Cymba genus est navis piscatoriæ. Cic. *Off.* III. Ad cœnam tempore venit Cannius: opipare paratum erat convivium: cymbarum ante oculos multitudo. Verg. *Æneid.* VI. Cymba.

—— gemuit sub pondere cymba Sutilis.

Ovid *Metamorph.* I.

Cymba sedet alter adunca.

LIBURNUM. Liburnum, ni: vel liburni, næ: aut liburnica, cæ, genus est navis bellicæ velocissimæ: a Liburnis populis Illyrici, qui olim navibus velocibus usi, Ionium mare, insulasque prædabantur. Qua ex causa Romani naves levitate celeritateque præstantes appellaverunt Liburnicas, ut refert Appianus. Liburnum.

Sic naves nomen plerumque a patria sortiuntur. Sic naves dicimus Ægyptias, Asiaticas, Syriacas, Rhodias, Achaias, Punicas, Smyrneas, Romanas. Sydonias, & istiusmodi multas. Cæs. *de Bell Civ. l.* III. Præerat Ægyptiis navibus Pompejus filius, Asiaticis Dec. Lælius, & C. Triarius, Syriacis C. Cassius, Rhodiis C. Marcellus cum C. Pomponio: Liburnicæ atque Achaicæ classi Scribonius Libo, & M. Octavius. Naves a patria nomen sortiuntur.

NAVES QUOQUE ut a patria nomen aliquando sortiuntur: ita ab eo ministerio, quod præstant. Ita dicuntur piscatoriæ, speculatoriæ, exploratoriæ, quibus utuntur piscatores, speculatores, exploratores. Vel a rebus, quas subvehunt: sic fru- Naves ab eo ministerio, quod præstant, nominatæ: vel a rebus, quas subvehunt.

mentariæ, quibus subvehitur & comportatur frumentum: vinariæ, quibus vinum: oleariæ, quibus oleum: mercatoriæ, quibus merces. Epitheto etiam illustrantur ab eo, quod habent illustrius, atque eminentius: vel quo armantur, atque ad belli usum comparantur. Qua ratione dicuntur aliquando rostratæ: aliquando turritæ, a turribus, quæ imponebantur navibus ad libram: idque non solum ad proram, sed etiam ad puppim. Cæs. *de Bello Civ.* lib. III. Atque alteram navem, quæ erat ad custodiam ab Acilio posita, pluribus aggressus navibus, in quibus ad libram fecerat turres. Verg. *Æneid.* VIII.

Rostratæ, vel turritæ naves.

—— credas innare revulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:
Tanta mole viri turritis puppibus instant.

Sed de Liburno & Liburnicis exempla danda sunt. Horat. in *Epodo*:

Liburni exempla.

Ibis Liburnis inter alta navium
Amice propugnacula.

Sueton. in *Augusto*: Utrobique parte Liburnicarum demersa, simulque ejus, qui vehebatur, qui fusis armamentis, & gubernaculo diffracto, &c. Luc.

Ordine contentæ gemino crevisse Liburno.

Plin. in *Epist.* Jubet Liburnicam aptari: mihi, si venire una vellem, facit copiam.

Remulcus.

REMULCUS. Remulcus est parva navis, sive scapha. Et remulco grandiores naves trahere solent nautæ: quod aliquando non necessitatis gratia fit, sed ut navis quietius agatur. Cæs. *de Bello Civ.* l. III. Quibus cognitis rebus Cn. Pompeii filius, qui classi Ægyptiæ præerat, ad Oricum venit, summersamque navim remulco, multisque contendens funibus abduxit. Idem *de Bello Alexand.* lib. IV. Hac calamitate perterritis hostibus, adverso vento leniter flante naves onerarias Cæsar remulco Alexandriam deducit.

Aphractum.

APHRACTUM. Aphractum genus est navigii longi, quo plurimum Rhodii utebantur. Cic. *ad Att.* V. Navigavimus tardius propter Aphractorum Rhodiorum imbecillitatem. Idem *ad Att.* VI. Aphractis, cæterisque longis navibus tranquillitatem aucupaturi eramus. Idem: Nosti Aphracta Rhodiorum: nihil est, quod minus fluctum ferre possit. Idem: De pueris quid agam? parvone navigio committam? quid mihi animi in navigando censes fore? recordor enim æstate cum illo Rhodiorum Aphracto navigans quam fuerim solicitus.

Dicrota Cicero sæpe Græcis vocibus pro Latinis utitur.

DICROTA. Dicrota, ut Aphracta, vocem velut Latinam Latine usurpat Cicero (ut sæpe Græcis pro Latinis utitur), lib. *ad Att.* III. Aphracta Rhodiorum, & Dicrotum Mytilenæorum, & aliud Catascopium. Cæs. *de Bello Civ.* l. IV. Cepit ex eo prælio pentiremem unam, triremes duas, dicrota octo. Pro dicroto biremem habent Latini.

Embatæ, vel Epibatæ.

EMBATÆ, VEL EPIBATÆ. Embatæ castrensi, aut etiam navali verbo naves dici possunt, quasi scansiles, quæ vectoribus trajiciendis aptæ sunt. Plin. *lib.* XIX. Quædam naves onerariæ: quædam (ut ipsi dicunt) embatæ sunt. Nonnulli hoc loco emphatæ legunt: sed melius embatæ legitur. Epibatæ vero etiam milites classiarii

Epibatæ pro militibus.

A dicuntur: id est, milites in navibus merentes. Cæsar *de Bello Alexand.* Capta est una hostium quadriremis, depressa est altera: deinde omnibus epibatis nudatæ: magna præterea multitudo in reliquis navibus propugnatorum est interfecta.

HÆ SUNT navigiorum appellationes: nunc ad quasdam navis partes venio. Navis autem præcipuæ partes sunt prora & puppis: de quibus scribemus. Postea quasdam ejusdem navis particulas annotabimus. Ut eas tamen semel comprehensas habeas, hæc nomina habent, si a summo

Navis partes præcipuæ.

B incipere velis: Corbem: Cornua (mali extremæ partes sunt:) Antennas: Malum: Carchesium (summa pars mali est:) Trachelum (media pars mali est:) Pternam (inferior pars mali est:) Opiferos funes: Calon: Rudentes: Puppim: Turres: Proram: Oculum: Rostrum: Rostrum tridens: Epotidem: Catastromata: Remos: Carinam; Combam: Clavum: Gubernacula. Has navis partes non omnes annotabimus, nec eo ordine: sed alio, qui jam sequitur.

Navis partium enumeratio.

PRORA. Prora est pars anterior navis. Cic. *de Orat.* In navigio latera, carinæ,

Prora.

C prora, puppis. Titus Liv. Suspensa prora navim in puppi statuebat. Verg. *Æneid.* IX.

Quot prius æratæ steterant ad littora proræ.

PRORETA. Proreta est, qui proræ præfectus est: quemadmodum gubernator, qui puppi Plaut. in *Rudente*:

Proreta.

Si tu proreta isti navi es, ego gubernator ero.

PUPPIS. Puppis est posterior pars navis. Cic. in *Famil.* Sedebamus in puppi. Idem *ad Attic.* XIII. Inhibitio remigum motum

Puppis

D habet, & vehementiorem quidem remigationis navem convertentis ad puppim. Verg. *Georg.* III.

Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris.

Idem *Æneid.* V.

—— vastis tremit ictibus ærea puppis.

In quibusdam poetarum exemplis ponitur puppis pro tota navi.

PRORAM ET PUPPIM aliquid alicui esse rei alicujus faciendæ. Cicer. *Famil.* XVI. Mihi prora & puppis, ut Græcorum proverbium est, fuit a me tui dimittendi, ut

E rationes meas explicares. Prora itaque & puppi summam consilii nostri significamus: propterea quod a prora & puppi, tanquam a capite & calce, pendeat tota navis. Proinde quoties summam totius negotii & omne momentum significabimus, proram & puppim per proverbium dicere poterimus.

Prora & puppis pro summa consilii.

ALIÆ navis partes sunt, Latera, Carina: & aliæ particulæ, quæ sequuntur.

Navis partes aliæ.

LATERA. Latera dicuntur navis, quæ sunt inter proram & puppim: sed id ex

Latera.

F longitudine, non ex latitudine, considerare debemus. Cic. *de Orat.* In navigio latera, carinæ, prora, puppis.

CARINA. Carina est infima pars navis: vel infima trabs, qua navis fundatur. Cæs. *de Bello Gallico* lib. III. Carinæ aliquanto planiores, quam nostrarum navium, quo facilius vada, ac decessum æstus excipere possent. Ovid. in *Ponto*:

Carina.

Dum mea puppis erat valida fundata carina.

Pro nave ipsa sæpe ponunt poetæ. Vergil. *Georg.* I.

Jam sibi tum curvis male temperat unda carinis.

Idem *Æneid.* IV.

—— natat uncta carina.

Idem *Æneid.* V.

—— & longæ sulcant vada salsa carinæ.

Sentina. SENTINA. Sentina pars est navis inferior: in quam, quicquid instillat aquarum, defluit, corruptæque male olent. A sentio, sentis dicta, quod ejus fœtor sentiatur, nam odorem fœdum emittit. Cicero *Famil.* IX. Sedebamus in puppi, clavumque tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus. Metaphorice hæc a Cicerone dicta sunt: sed in quibus tamen propria sentinæ significatio tota eluceat. Idem *de Senect.* Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant: similesque sunt, ut si qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant: ille autem clavum tenens sedeat in puppi.

Cum translatione. PER translationem, sentina dicitur omnis locus, in quo receptaculum sit sceleratorum hominum, vel ipsi scelerati homines. Cic. *ad Attic.* I. Qua emptione constituta diligenter & sentinam urbis exhauriri, & Italiæ solitudinem frequentari posse arbitrabar. Idem *in Catil.* O fortunatam Rempub. siquidem hanc sentinam hujus urbis ejecerit. *Ibid.* Si exieris, exhaurietur ex urbe comitum tuorum magna & perniciosa sentina Reipublicæ. Idem *contra Rull.* Hoc verbo usus est, quasi de aliqua sentina, ac non de optimorum civium genere loqueretur. Idem *in Sallust.* Nisi forte in ea re castra rejecisti, quo omnis sentina Reipublicæ confluxerat.

Navis partes aliæ. NAVIS ETIAM partes sunt: Fori, Transtra, Clavus, Malus, Antennæ, Vela, Remus. Quæ omnia suo ordine exponemus.

Fori. FORI. Fori sunt tabulata navium, vel locus in navi aptior, qui iter navem perambulantibus præbet: ab eo dicti, quod per eos ferantur incessus. Cic. *de Senect.* Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant, similesque sunt, ut si qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant: ille autem clavum tenens sedeat in puppi quietus, non faciat ea, quæ juvenes.

Fori pro locis spectaculorum. IN ALIA SIGNIFICATIONE dicuntur fori loca spectaculorum. Tit. Liv. ab Urbe Cond. I. Tum primum Circo, qui maximus dicitur, designatus est locus: divisa loca a patribus, equitibusque: ubi sibi spectacula quisque faceret, fori appellati.

Fori pro armariolis. FORI ETIAM dicuntur armariola, sive capsulæ, in quibus reponuntur libri. Sueton. in *Augusto*: Hos quoque delectu habito condidit duobus forulis auratis sub Latini Apollinis basi. Juvenalis *sat.* III.

Hic libros dabit, & forulos, mediamque Minervam

Transtra TRANSTRA. Transtra sunt tabulæ, super quas sedent remiges. Cæs. *de Bello Gall* l. III. Transtra ex pedalibus in altitudinem trabibus confixa clavis ferreis, digiti pollicis crassitudine. Vergil. *Æneid.* V.

—— furit immissis Vulcanus habenis

Transtra, per & remos, & pictas abiete puppes.

A TRANSTRA quoque dicuntur tigna, quæ transversa a pariete in parietem porriguntur. Vitruv. l. V. Trabes etiam supra columnas, & parastata, & antes ponuntur in contignationibus: tigna & axes sub tectis: si majora spatia sunt, & transtra, & capreoli: si commoda, columen, & canterii.

CLAVUS. Clavus dicitur navis gubernaculum, quod eam dirigat, rectamque teneat. Et dicitur clavum tenere in navi qui navem ipsam regit. Cic *pro Sest.* Quis clavum tanti imperii tenere, & gubernacula Reipub. tractare in maximo cursu ac fluctibus posse arbitraretur hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum, ac stuprorum, vino, ganeis, lenociniis, adulteriisque confectum? Translate hic utitur Cicero. Proprium vero exemplum vide supra in dictione fori. Plaut. in *Amphit.* Clavus Clavum tenere. B

Parata navi, clavo hæreas sedulo.

De vulgari clavi significatione nihil hic accuratius annotamus, præterquam quod per proverbium dicunt Latini, *Clavo trabali figere.* C

CLAVO AUTEM TRABALI FIGERE beneficium, vel aliquid simile dicimus, cujus memoriam in longum servare volumus: Ductum proverbium ab iis, qui, quod volunt maxime hærere, & solidum esse, clavo trabali figunt. Cicer. *in Verrem.* Actio. VII. Et ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret, cum concilio causam Mamertinorum cognoscit. Clavo trabali figere.

MALUS. Malus prima longa, & genere masculo dicitur arbor navis Cicer *in Verrem* Actio. VII. Cleomenes malum erigi, vela fieri, anchoras præcidi imperat. Idem *de Senect.* Cum alii malos scandant, alii per foros cursent. Ovid. in *Epist.* Malus. D

—— rigido pendentia lintea malo

Sustulit.

Lucanus l. I.

Fractaque veliferi sonuerunt pondera mali.

ANTENNÆ. Antennas vocant Latini lignum per transversum in malo navis positum, in quo velum alligatur. Cic. *de Orat.* III. Quid tam in navigio necessarium, quam prora? quam puppis? quam antennæ? quam vela? quam mali? Cæsar *de Bello Alexand.* IV. Cum propius Thauridem accessisset districtis suis navibus, quod & tempestas erat turbulenta, & nulla suspicio hostis, repente adversam ad se venientem navem, antennis ad medium malum demissis, instructam propugnatoribus animadvertit. *Ibid.* Quod ubi conspexit, celeriter vela subduci, demittique antennas jubet. Plaut in *Trinum.* Antennæ. E

Venit imber, fluctusque, atque procellæ infestæ: fregere malum,

Ruere antennas, scindere vela.

F Vergilius *Æneid.* III.

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

RUDENTES. Rudentes sunt funes nauticæ: quoniam, cum funes vento agitantur, rudere videntur. In singulari etiam numero frequens est. Cic. *Tuscul.* V. Non sane optabilis ista quidem est, inquit, rudentibus apta fortuna. Idem *de Divin.* I. Non illa, quæ futura sunt, subito existunt: sed est Rudentes.

quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis nihil novi efficientis, & primum quicq; replicantis. Cælius Ciceron. *Famil.* VIII. Hic tibi strepitus, fremitus, clamor, tonitruum & rudentum sibilus. Verg.

Insequitur clamorque virum, clangorque rudentum.

Luc. l. VIII.

Aut laqueum collo, tortosque aptare rudentes.

Vela. VELA. Vela sunt lintea navis illigata antennis. Generali tamen significato pro integumento, vel involucro ponuntur.

Dolo. MINUS VELUM DOLO appellatur. Tit. Liv. Dolonibus erectis altum petere intendit. Idem: Sublatis dolonibus effugere contendit. Hæc de dolone sint. Ad velorum exempla venio. Cicero *ad Quint. frat.*

Velorum exempla extra rem nauticam. Multis simulationum involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura. Idem *in Verr.* Act. VII. In ipso aditu, atque ore portus tabernacula carbaseis intenta velis collocabat. Idem *in Catil.* Socii Catilinæ velis amicti, non togis. Hæc exempla extra rem nauticam sint: ad nautica progredior.

Velorum nautica exempla. NAUTICA VELORUM EXEMPLA. Cicer. *pro Domo sua*: Quid tandem? si tu quæ in illis Reipub. tenebris, cæcisque nubibus, & procellis, cum Senatum a gubernaculis dejecisses, populum e navi exturbasses, ipse archipirata cum grege prædonum impurissimo plenissimis velis navigasses: si, quæ tum promulgasti, perferre potuisses, qui locus orbe terrarum vacuus extraordinariis fascibus, atque imperio Clodiano fuisset? Translatione plenum est hoc Ciceronis exemplum: sed tamen in quo veli proprietatem recognoscas. Verg. *Georg.* I.

—— navita ponto
Humida vela legit.

Ovidius:

Vela tamen spectat summo fluitantia malo.

Vela facere. VELA FACERE. Omnes fere sequentes locutiones, quæ a velis ducuntur, translatæ sunt: sed tu eas velut proprias habeto, quando aliæ in præsentia non occurrunt. Cic. *in Verr.* Act. VII. Cleomenes malum erigi, vela fieri, anchoras præcidi imperat. Idem *Tusc.* IV. Utrum mavis? statimne nos vela facere: an quasi e portu egredientes paululum remigare?

Vela pandere. VELA PANDERE. Cicero *Tuscul.* I. Quo utinam velis passis provehi liceret. Idem *Tuscul.* IV. Quærebam, utrum panderem vela orationis statim: an eam ante paululum Dialecticorum remis propellerem.

Vela dare. VELA DARE. Cic. *de Orat.* II. Si se dant, &, ut ante dixi, sua sponte, quo impellimus, inclinant, atque propendent, accipio, quod datur: & ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do. Idem in *Orat.* Sequitur, ut cujusque generis nota quæratur, & formula: magnum opus, & arduum: sed ingredientibus considerandum fuit, quid ageremus. Nunc quidem jam, quocunque feremur, danda nimirum vela sunt. Verg.

Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant.

Idem *Æneid.* VIII.

Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, & laxos jamjamque immittere funes.

Vela ducere. VELA DUCERE. Cæs. *de Bello Civili* lib. II. Jubet pronuntiari, se in hostium habiturum loco, qui non evestigio ad castra Cornelia vela duxisset.

Vela subducere. VELA SUBDUCERE. Cæs. *de Bello Alex.* l. IV. Quod ubi conspexit, celeriter vela subduci, demittique antennas jubet.

Vela contrahere. VELA CONTRAHERE. Cicero *ad Att.* I. Contraxi vela perspiciens inopiam judicum, neque dixi quicquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum atque testatum, ut non possem præterire.

A VELIS proverbiales ductæ sunt locutiones: Velis equisque: &, Remis velisque.

Velis equisque. VELIS EQUISQUE. Similem conatum significat, velis equisque, quem, omnibus nervis. Atque ad fugiendum, aut assequendum magis, quam ad efficiendum pertinet. Cic. *ad Quint. Fratr.* l. II. Sic ego, qui in isto homine colendo tam indormivi diu, te mehercule sæpe excitante, cursu corrigam tarditatem tum equis, tum velis. Idem *Officiorum* lib. III. Quibus obsoletis floret Epicurus, ejusdem fere autor, adjutorque sententiæ. Cum his equis velisque, ut dicitur, si honestum tueri, ac retinere sententia est, decertandum est. In quibus exemplis usus est Cic. eadem metaphora paulo diversius, ut qui illic respexerit ad celeritatem: hic ad utrunque pugnæ genus equestre, ac navale.

Remis velisque. REMIS VELISQUE. Superiori proverbio hoc simillimum est. Inde translatum, quod cum navis simul & remigio & velo impellitur, summus est nautarum conatus. Cic. *Tusc.* III. Tetra res est, misera, detestabilis, omni contentione velis, ut ita dicam, remisque fugienda. Idem *Philipp.* I. Tum vero tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neque remi neque venti satis facerent. Plaut. in *Asinar.*

Remigio veloque, quantuncunque poteris, festina & fuge

Erasmi Roterodami obitus. De istiusmodi proverbialibus locutionibus plura in *Chiliadibus* Erasmi Roterodami videas: de cujus obitu, cum hæc scriberem, dissipatus est Lugduni rumor, & plane confirmatus. Meam cum illo contentionem quid hic pluribus repetam? Mortuo (qua tamen modestia in alios non usus est) tam me æquum & amicum noscet posteritas, quam in vivum asper & durus visus sum plerisque. Cujus animi mei pignus jam sit carmen sequens:

ODE DICOLOS DISTROPHOS
in obitum
ERASMI ROTERODAMI

Quondam bella ferocia
Cum inter se atque duces Romulidæ, atque Afri
Ducebant animosius:
Tum, donec validus, vivus, & integer.
Frendensque, atque minans erat
Hostis, cui, gladio cominus aggredi,
Et telo appetere undique,
Non laudabile, non egregium fuit?
Ergo, dum fuit integer,
Et pugnæ cupidus, spicula senserit
Nostra hostis Ciceronis, &
Galli (quæ rabies?) nominis insolens.
Jam jam parcere mortuo
Mens est, nec tacitam carpere postea

Larvam vulnifico stylo.
Defunctum meritis sic modo laudibus
O Musæ meritum senem
Ornemus. Rapuit mors nimium rapax
Germanæ patriæ decus,
Doctorumque decus: quoslibet Itala
Tellus, Gallaque proferat
(Te Budæe tamen, te quoque Longoli?)
Germanæ patriæ decus,
Doctorumq; decus mors rapuit rapax.

Hoc igitur sit nostræ erga Erasmum mortuum voluntatis pignus. Ad rem jam redeo.

Velare

VELARE. Velare a velo est, quod significat tegere. Cicero *in Pison.* Sæpe vidi, qui & mihi, & cæteris cupidiores provinciæ viderentur, triumphi nomine tegere atque velare cupiditatem suam Idem *pro Domo suâ*: Tu, tu inquam capite velato bona ejus conservasti. Vergil.

Jamq; oratores aderant ex urbe Latina
Velati ramis oleæ.

Velati (inquit Servius) id est, instructi & ornati, in manibus ramos oleæ tenentes.

Velanda pro pudendis

Plin.in *Ep.* l.VI. Velanda dixit pro pudendis: Maritus (inquit) ex diutino morbo circa velanda corporis ulceribus putrescebat.

Velificare, vel velificari.

VELIFICARE, VEL VELIFICARI. Velificari est vela facere: quod verbum eleganter transfert Cicero, ut in oratione *contra Rull* Velificari honori suo: de quo loquendi modo primo Tomo satis multa scripsimus. Cæl.Cic.*Familiar.*VIII Tibi suadeo, quicunque est istic status rerum, diligenter & caute perscribas, ne aut velificatus alicui dicaris: aut aliquid, quod refert scire, reticuisse. Sic igitur transfertur sæpe velificari, poniturque pro auram popularem captare: vel alicui operam dare, & navare.

Translate positum.

Velificatio.

VELIFICATIO. Cicero *Famil.* I. Ut in navigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere non queas: cum vero id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem cœperis, potius, quam eo commutato velis tandem pervenire.

Artemon.

ARTEMON. Artemon velum est addititium dirigendæ navis causa. Est & artemon, quam vocat Vitruvius trocleam: qua in navibus funes ductarii trahuntur, & armamenta explicantur: qua importantur onera, vel exportantur: quaque fiunt navium subductiones. Artemonis pro velo meminit Julius Pollux: & in *Actibus Apostolorum* Lucas: ἐπάραντες τὸν ἀρτέμωνα τῇ πνεούσῃ, id est, *extollentes artemonem ad auræ flatum*. Est & Artemon machinarii fabri nomen, qui e paupere dives factus, voluptariam agere vitam cœpit.

Remus.

REMUS. Remus instrumentum est, quo naves aguntur. Cicer. *in Verr.* Act VII. Quam multos esse oporteret, ex ipso navigio, quod erat factum sex remorum numero, conjiciebant Cæsar *de Bello Gallico* l IV. Quod ubi Cæsar animadvertit, naves longas paululum removeri ab aliis, & remis incitari jussit. Verg. *Æneid.* V.

—— quam deinde Cloanthus
Consequitur melior remis.

Remum inflectere.

REMUM INFLECTERE. Cic. in *Academic.* Neque vero hoc loco expectandum est, dum de remo inflexo respondeam.

Remos detergere.

A REMOS DETERGERE. Remos detergere ponunt Latini pro collidere, vel confringere: & tunc detergere translatum est. Nam proprie detergi, vel detergeri dicuntur sordes & situs. *Cæsar de Bello Civili* l. I. Ipsi Massilienses & celeritate navium, & scientia gubernatorum confisi, nostros eludebant, impetusque eorum excipiebant, &, quod licebat latiore spatio, producta longius acie, circumvenire nostros, aut remos transcurrentes detergere, si possent, contendebant. Idem *de Bello Alexand.* l.

B IV. Sustinent illi, atque arte solertiaque se explicant: ac tantum doctrina potuit, ut in dispari numero nulla transversa hosti objiceretur, nullius remi detergerentur.

Remigare.

REMIGARE. Remigare est navem remis propellere. Cicero *ad Attic.* XIII. Non enim sustinent remos, sed alio modo remigant. Idem *Tusc.* IV. Utrum igitur mavis? statimne nos vela facere, an quasi e portu egredientes paululum remigare?

Remex.

REMEX Remex dicitur, qui remos agit, vel qui remigandi ministerio mancipatus est: vel qui scalmo hæret: id est, labro

C navis, ubi remi adnexi sunt. Cic.*ad Attic.* XIII. Arbitrabar sustineri remos, cum inhiberi essent remiges jussi Idem *in Verr.* Act.VII. Præclara classis in specie, sed inops & infirma propter dimissionem propugnatorum atque remigum. Idem *pro Flacco*: Nonne eo ipso tempore, cum L. Flaccus in Asia remiges imperabat, nos hic in mare superum & inferum sestertium ter & quadragies rogabamus?

Remigatio.

REMIGATIO. Remigatio est incitatio navis a remige propulsæ: vel est remigis contentio, atque impetus in navem pro-

D pellendam. Cicero *ad Attic.* XIII. Inhibitio remigum motum habet, & vehementiorem quidem remigationis navem convertentis ad puppim.

Remigium.

REMIGIUM Remigium est ipsa remorum agitatio, & remigatio: vel est remorum ordo, aut remigum multitudo Cic *Tusc.*V. Traditum est etiam, Homerum cæcum fuisse: at ejus picturam, non poesim videmus: quæ enim regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ species formæ, quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus ho-

E minum, qui ferarum non ita expictus est, ut, quæ ipse non viderit, nos ut videremus, effecerit? Vergil. *Georgic.* I.

Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit.

Idem *Æneid.* III.

Remigium supplet, socios simul instruit armis.

Idem *Æneid.* VI. ad aves transtulit, dum de Dædalo loquitur:

—— volat ille per aera magno
Remigio alarum.

Scalmus.

F SCALMUS Scalmus est lignum teres, cui nautæ remos loro quodam alligant ad navigandum, ut firmius navigent: vel est scalmus labrum navis, ubi remi adnexi sunt: a quo interscalmia spatia inter remiges dicta sunt. Cic *ad Att.* XVI. Hæc ego conscendens e Pompejano tribui actuariolis decem scalmorum. Idem *de Orat.* I. Citius hercule is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino Ponto Argonautarum navem gubernarit. Idem

A

in *Bruto*: Crassus ab adolescente delicato, qui in littore ambulans scalmum reperisset, ob eamque rem ædificare navem concupivisset, exorsus est, &c.

Celeustes. CELEUSTES. Operæ precium facturus videor, si hanc etiam vocem cum remigis significatione explicem. Celeustes autem dicitur, qui remiges hortatur, quasi navigationis moderator: qui a Plauto Latine *hortator* appellatur, quod ea hortamenta faciat, quæ verbo Græco *celeusmata* dicuntur etiam a Latinis. Hoc vero celeusma, quod & celeuma dicitur, in navibus classiariis assa voce interdum, interdum tibia canebatur, ita ut remiges pro modu lorum atque harmoniæ ratione vel concitarent, vel inhiberent remos. Pædianus autor est, cani remigibus celeuma per symphoniacos servos solitum olim esse, & per assam vocem: id est, ore prolatam, & (ut in Argo navi) interdum per citharam. Cicero *in Verr.* Act. I. Ab hac muliere Præfectus Antonii quidam symphoniacos servos abducebat per injuriam, quibus se in classe uti velle dicebat. Quem locum Ciceronis Ascon. Pædianus exponens: Possumus, inquit, intelligere ad hoc symphoniacos servos capi solere, ut in classe classicum pugnantibus canant: unde ipsi tubæ classis, classicum nomen est positum.

Hortator. Celeuma, vel Celeusma. Assa vox. Symphoniaci servi. Classicum unde dictum.

B

C

Helciarii. CELEUMA ITEM, ut nautæ, faciunt Helciarii: id est, qui onera funibus moliuntur: vel qui naves deducunt, subducuntve, ad officia invicem sese adhortantes, ut uno connixu pariter conspirantes, admoliri universis viribus possint, quod singulis nequeunt: ut fieri sæpe vidimus Venetiis in loco, qui lingua Veneta *Douana* vulgo appellatur.

D

SIC IGITUR ostensæ sint navigiorum appellationes, atque navium partes. Nunc ad ipsa navis exempla descendo, si te id prius admonuero, quod per se tamen satis notum est, naves scilicet dici tam in fluminibus, quam in mari ipso: navibus enim usus est Cæsar & in Ligeri, & in mari sive Britannico, sive Africo. Sed hoc quidem vulgare est. Exempla igitur proferantur

Cicero *ad Att.* VIII. Ut omnes copiæ navibus Dirrhachium transportarentur.

E

Idem *de Nat. Deor.* Quæsivit, num etiam in iis navibus Diagoram vehi crederent.

Cæsar *de Bello Gall.* l. III. Naves, quamplurimas possunt, cogunt.

Idem *de Bello Gall.* l. IV. Naves, quæ equites sustulerant, ex superiori portu leni vento solverunt.

Navem comparare.

F

Cæsar *de Bello Civili* l. II. Paucis ante diebus L. Domitius cognita Massiliensium voluntate, navibus tribus comparatis, ex quibus duas familiaribus suis attribuerat, unam ipse conscenderat, nactus turbidam tempestatem, est profectus.

Navem ædificare.

NAVEM ædificare, fere absurdum, aut novum multorum auribus videri possit: est tamen loquendi modus apud Veteres usitatissimus & pulcherrimus.

Cicero *in Verr.* Actio. VII. Navem maximam triremis instar pulcherrimam, atque ornatissimam, palam ædificatam sumptu publico, sciente Sicilia per magistratum senatumque Mamertinum tibi datam donatamque esse dico.

Ibidem: Legati principes & publice tibi navem ædificatam, & privatim seipsos abs te spoliatos expilatosque esse dixerunt.

Ibidem: Navem deniq; maximam, quam onustam furtis in Italiam mitteret, apud istos faciendam ædificandamque curavit.

Cæsar *de Bello Gallico* l. V. Legatis imperat, quos legionibus præfecerat, ut quamplurimas possent, hyeme naves ædificandas, veteresque reficiendas curarent.

Navem instruere.

Cicero *in Verr.* Act. VII. Ea est ratio instructarum navium ornatarumque, ut non modo plures, sed ne singuli quidem possint accedere.

Navem sumere.

NAVEM sumere dicitur gubernator navis, vel vectores etiam ipsi.

Cic. *Off* III. Quoad perventum sit eo, quo sumpta navis est, non domini est navis, sed navigantium.

Ascendere ad navem.

CONSCENDERE navem hic etiam annotari posset: sed alio id servamus, ubi non minus quadrabit.

Cicero in *Academic.* Ita sermone confecto, Catulus remansit: nos ad naviculas nostras ascendimus.

Navem incitare se.

Cæsar *de Bello Civili* l. II. Conspicatæ naves triremes duæ navem D. Bruti, quæ ex signo facile agnosci poterat, duabus ex partibus sese in eam incitaverunt.

Navem gubernare.

Cicero *in Pis.* Non tam fui timidus, ut, qui maximis turbinibus ac fluctibus Reipublicæ navem gubernassem, salvamque in portu collocassem, frontis tuæ nubeculam, tum collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem.

Navem tenere, pro gubernare.

Cic. *Famil.* XII. Una navis est jam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus: utinam prospero cursu. Translata locutio.

Navem ex portu educere.

Cæsar *de Bello Civili* lib. I. Ita cognito hostium adventu, suas naves ex portu educunt.

Navem deducere.

Cæs. *de Bello Civili* l. II. Appulsis Messanam navibus, atque inde propter repentinum terrorem principum, ac Senatus fuga facta, ex navalibus eorum unam deducit.

Navem subducere.

Cæs. *de Bello Gall.* lib. V. Etsi res erat multæ operæ ac laboris, tamen commodissimum esse statuit, omnes naves subduci, & cum castris una munitione jungi.

Ibidem: Subductis navibus, concilioque Gallorum Samarobrinæ peracto, coactus est

A est aliter, ac superioribus annis, exercitum in hybernis collocare.

Navem ad terram detrahere.

Cæsar *de Bello Alexand.* IV. Quibus de causis naves, quas potuit Cæsar, ad terram detraxit.

Navem constituere.

Cæsar *de Bello Gall. lib.* IV. Aperto ac plano littore naves constituit.

B *Ibidem*: Erat ob has causas summa difficultas, quod naves propter magnitudinem, nisi in alto, constitui non poterant.

E navi egredi, desilire, vel e navi se projicere.

Cicero *ad Attic.* XIV. E Pompejano navi advectus sum in Luculli nostri hospitium: egressus autem e navi, accepi tuas literas.

Idem *in Vatin.* Mercatores e navi egredientes terrere.

C Cæs. *de Bello Gall. lib.* IV. Hostes vero, notis omnibus vadis, ubi ex littore aliquos singulares e navi egredientes conspexerant, incitatis equis, impeditos adoriebantur.

Ibidem: Hunc illi e navi egressum, cum ad eos imperatoris mandata perferret, comprehenderant, & in vincula conjecerant.

Ibidem: Tum nostri cohortati inter se, ne tantum dedecus admitteretur, universi ex navi desilierunt.

Ibidem: Hoc cum magna voce dixisset, se ex navi projecit.

Navem frangere.

D Terent. in *And.*
Navem is fregit apud Andrum insulam.

Navem evertere.

Cicero *de Orat.* I. Citius hercule is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino Ponto Argonautarum navem gubernarit.

Idem *de Finib.* IV. Ecce aliud simile dissimile: ut enim, inquit, gubernator æque peccat, si palearum navem evertit, & si auri: item æque peccat, qui parentem, & qui servum injuria verberat.

E *Navem deprimere.*

NAVES deprimi dicuntur, cum tormentis bellicis dissolutæ submerguntur.

Cicero *pro Lege Manil.* Dico ejus adventu ab eodem imperatore classem magnam, & ornatam, quæ ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato raperetur, superatam esse, atque depressam.

Idem *pro Arch. Poeta*: Nostra semper feretur, & prædicabitur L. Lucullo dimicante cum interfectis ducibus depressa hostium classis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis.

F Cæsar de *Bello Civili* II. Qua re animadversa, quæ proximæ ei loco ex Bruti classe naves erant, in eas impeditas impetum faciunt, celeriterque ambas deprimunt.

Ibidem: Partem navium deprimunt: nonnullas cum hominibus capiunt.

Idem *de Bello Alexand. lib.* IV. Capta est una hostium quadriremis; depressa est altera.

Naves interire.

Cæsar *de Bello Civili lib.* I. Eo die naves Massiliensium cum iis, quæ sunt captæ, intereunt novem.

Navem reficere.

Cæsar *de Bello Gallico lib.* V. Obsidibus acceptis exercitum reducit ad mare: naves invenit refectas.

Idem *de Bello Civili lib.* II. Quas naves ex prædonum bello subductas P. Actius reficiendas curaverat.

Idem *de Bello Alexand. lib.* IV. Posteaquam Ganymedes in concilio confirmavit, sese & eas, quæ essent amissæ, restituturum, & numerum adaucturum, magna spe & fiducia veteres reficere naves instituerunt.

NAVICULA.

NAVICULA est parva navis, qua vel in mari, vel in flumine circumvehimur: ut Lugduni videre est naviculis Ararim trajici. Lingua vulgari naviculam Lugdunenses vocant *une beche*.

Cicero *post reditum ad Quirit.* Cum parva navicula trajecit in Africam. Idem in *Acad.* Nos ad naviculas nostras ascendimus.

NAVIGIUM.

NAVIGIUM dicitur omne genus navis, quo navigamus. Et nulla fere locutio navi convenit, quæ navigio convenire non possit.

Cicero *ad Attic.* XV. Prorsus dissolutum offendi navigium, vel potius dissipatum.

Idem: Suntque navigia præterea luculenta Sexti Bucillani.

Idem in *Academ.* Si jam ex hoc loco proficiscatur Puteolos stadia triginta, probo navigio, bono gubernatore, ac tranquillitate, probabile videatur, illuc venturum esse salvum.

Idem *de Nat. Deor.* Arborum sectio magnos usus adfert ad navigia facienda.

Cæs. *de Bello Alexand. lib.* IV. Itaque expeditis navigiis, insidiabantur nostris commeatibus.

Ibidem: Hi primum navigia hostium lapidibus, ac fundis repellebant.

Idem *de Bello Civili lib.* I. Actuaria navigia relinquit.

NAVIGIOLUM.

NAVIGIOLUM diminutivum est a navigio. Lentulus *Famil.* II. Nos vix ipsi singulis cum navigiolis reciperemur.

NAVALIS.

NAVALIS adjectivum, est ad navem pertinens: ut pugna navalis, corona navalis, (qua donari solebat, qui primus in hostium navem armatus transiliisset) & similia. Cicer. *pro Lege Manil.* Omnibus navalibus pugnis Carthaginenses homines in maritimis rebus exercitatissimos paratissimosque vicerunt. Idem *pro Mur.* Quid? illam pugnam navalem ad Tenedum, cum contento cursu, acerrimis Navalis adjectivum.

ducibus hostium classis Italiam spe atque animis inflata peteret, mediocri certamine, & parvâ dimicatione commissam arbitraris?

Navale substantivum.

NAVALE SUBSTANTIVUM. Navale substantivum locus est, in quo stant, vel fieri solent naves. Cicero *de Orat.* I. Si M. Antonio pro Hermodoro fuisset de navalium opere dicendum, non, cum ab illo causam didicisset, ipse ornate de alieno artificio copioseque dixisset? Cæs. *de Bello Civili lib.* II. Una erat turris proxima portui, navalibusque. Idem *de Bello Alexand.* IV. Tametsi amplius centum decem navibus longis in portu, navalibusque amiserant, non tamen reparandæ classis cogitationem deposuerunt. *Ibidem*: Naves veteres erant in occultis Regiæ navalibus. Vergil.

Diripientque rates alii navalibus.

Ovidius *Metamorph.* III.

Haud aliter, quam si siccum navale tenerent.

N A U T A.

NAUTA dicitur, qui in nave est ducendæ navis gratia.

Cicero *Famil.* XVI. Solent nautæ festinare quæstus sui causa.

Idem *ad Attic.* IX. Ego nautas eum non putabam habiturum.

Terent. in *Phorm.*

Salvas audivi ex nauta, qui illas vexerat.

N A U T I C U S.

NAUTICUS est ad nautam pertinens.

Cicero *ad Attic.* XIII. Inhibere illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum.

Idem *pro Lege Manil.* His temporibus non pudebat magistratus Populi Romani in hunc ipsum locum ascendere, cum eum vobis majores vestri exuviis nauticis ornatum reliquissent.

Idem *de Nat. Deor.* II. Propter nauticarum rerum scientiam plurimis maritimis rebus fruimur.

Vergil. *Æneid.* III.

Nauticus egreditur vario certamine clamor.

N A V I C U L A T O R.

NAVICULATOR est, qui navem gubernat: vel dicuntur naviculatores, qui meritorias naves habent, quique navium sunt domini. Eos nunc vulgo patronos appellamus. Atque eadem fere significatione sunt, vel omnino potius, naviculatores, naucleri, & navicularii.

Cicero *pro Lege Manil.* Majores vestri sæpe mercatoribus, ac naviculatoribus injuriosius tractatis, bella gesserunt.

N A V I C U L A R I U S.

NAVICULARIUS eandem significationem habet, quam naviculator.

Cicero *Famil.* XVI. Mare magnum, & difficile tibi restat. Si poteris cum Mescinio: caute is solet naviculare: sin minus, cum honesto aliquo homine, cujus autoritate navicularius moveatur.

Idem *ad Attic.* IX Ego nautas eum non putabam habiturum: ille confidebat, & eo magis, quod audita naviculariis hominis liberalitas esset.

Idem *in Verr.* Act. VII. Malo te isti generi hominum, quam mercatoribus & naviculariis inimicum atque infestum putari.

N A V I C U L A R I A.

Naviculariam facere.

IN HOC nomine subintelligi solet ars: sic erit ars navicularia. Profert vero pulchrum loquendi modum, scilicet naviculariam facere: de quo multa scripsimus primo Tomo, columna 839. cum etiam annotaremus, quid sit, argentariam facere: vellaturam facere: Aruspicinam facere: Piraticam facere. De quibus omnibus loquendi generibus ad eum primi Tomi locum recurres, quem modo citavi.

N A U C L E R U S,

NAUCLERIUS, NAUCLERIACUS.

ANTIQUÆ sunt hæ tres voces: quas tamen prætermittendas non existimavi. Dicitur autem Nauclerus, qui navem regit. Nauclerius, vel Naucleriacus, ad nauclerum pertinens.

Plaut. in *Mil.*

Cubare in navi lippam, atque oculis turgidis

Nauclerus dixit, qui illas advexit, mihi.

Idem in *Asinar.*

Volo mei patris me similem: qui causa mea

Nauclerio ipse ornatu per fallaciam,

Quam amabam, abduxit ab lenone mulierem.

Idem in *Milite*:

Facito, ut venias huc ornatu naucleriaco.

N A V A R C H U S.

NAVARCHUS appellatur navis princeps, qui in navi nautis imperat.

Cicero *in Verr.* Act. VII. Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, cæterisque rebus, navarcho suo quæque civitas semper dare solebat.

Ibidem: Ego culpam non in navarchis, sed in te fuisse demonstro.

C L A S S I S.

Classis pro ordine.

CLASSIS significatio aliquantum varia est, spectatque ad rem nauticam: vel extra rem nauticam versatur. Extra rem nauticam ponitur pro ordine. Certum est enim ex Tito Livio, & aliis rerum Romanarum scriptoribus, Populum Romanum in classes quinque ex censu fuisse distributum. Inde dicebantur primæ classis alii: alii secundæ: alii superioris, vel inferioris. Sic igitur ponitur classis pro ordine. Cicero *pro Flacco*: Quæ scisceret plebs: aut quæ populus juberet summota concione, distributis partibus, tributim & centuriatim descriptis ordinibus, classibus, ætatibus, auditis autoribus, re multos dies promulgata & cognita, juberi vetarique voluerunt. Idem *Philipp.* II. Prima classis vocatur, renunciatur, &c. Idem in *Academ.* Quis Democritum non anteponit Cleanthi, Chrysippo, reliquisque inferioris ætatis? qui mihi cum illo collati, quintæ classis videntur. Id est, tenuissimi, & minimæ autoritatis. Quinta enim classis postrema erat apud Romanos.

Locus Cic. expositus.

Classicus. Ex hac classis significatione dicitur CLASSICUS. Classicus autem appellatur non omnis, qui in classibus est, sed primæ tantum classis homo: cui opponitur capite census, vel proletarius. Inde vocantur Classici testes: Classici autores, de quibus omnibus satis fuse primo Tomo scripsimus. Ad reliqua igitur hujus nominis significata pergo.

Classis ad rem nauticam pertinens. AD REM NAUTICAM PERTINENS. Ad rem nauticam pertinens ponitur pro navi: vel pro navium multitudine. Id vero diligenter observa, omnia loquendi genera, quæ navi attribuimus, classi etiam convenire posse. Ut enim dicimus navem comparare, ædificare, instruere, frangere, evertere, deprimere, reficere: ita ea omnia eleganter de classe dicere possumus. Cum pro navi sola, vel pro navium multitudine sumitur, facile per te in exemplis sequentibus annotabis. Itaque ea non distinguam: tantum faciam, ut uberiora a me afferantur, rei magis demonstrandæ causa.

Cicero *in Verr.* Act. VII. Naves, quibus præfuerat, Cleomeni tradidit: classi Populi Romani Cleomenem præesse jubet.

Idem *pro Lege Manil.* Qui maximas ædificasset ornassetque classes.

Idem *pro Flacco*: Hac classe M. Crassus ab Eno in Asiam: his navibus Flaccus ex Asia in Macedoniam navigavit.

Idem in *Orat.* Qui Pœnos classe devicit.

Cæsar *de Bello Civili lib.* III. Magnam ex Asia & Ægypto classem coegerat: magnam omnibus locis ædificandam curaverat.

Ibidem: Libo profectus ab Orico cum classe, cui præerat, navium quinquaginta Brundusium venit.

Idem *de Bello Alexand. lib.* IV. Bello Alexandrino conflato, Cæsar Rhodo, atque ex Syria Ciliciaque omnem classem accersit.

Ibidem: Tametsi amplius centum decem navibus longis in portu, navalibusque amiserant, non tamen reparandæ classis cogitationem deposuerunt.

Ibidem: Itaque omni studio ad parandam classem incubuerunt.

Ibidem: Propterea quod ei, qui intrassent ad explicandam classem, & ad receptum, si durior accidisset casus, impeditiores fore videbantur.

Ibidem: Cum Vatinium classem magna ex parte ex naviculis actuariis habere cognovisset, confisus sua classe, substitit ad insulam Thauridem.

Verg. *Æneid.* VI.

Sic fatur lachrymans, classique immittit habenas.

Ibidem: Lyciæ ductorem classis Orontem.

TEMPESTAS.

PARATA nave, vel classe, tempestatem aucupari solemus: qua vel bona, vel mala utimur. In utranque enim partem ponitur, ut mox ostendemus, si te prius admonuerimus, tempestatis significationem, quæ pro tempore, vel ætate est, primo Tomo a nobis tractatam: tractatam quoque eodem Tomo esse, quæ pro motu & perturbatione translate usurpatur. Hoc igitur loco vox marina est, poniturque tam in malam, quam in bonam partem. Neque vero semper ad rem marinam pertinet: sed nonnunquam extra rem marinam est. Quem universum usum suis distincte exemplis probabimus.

EXTRA REM MARINAM.

UT distinctionem nostram, qua usus hujus vocis exempla separatim tradimus, facilius intelligas, in summa, id te habere velim: tempestatem scilicet genus esse cœlestis injuriæ, quæ cum in terra versatur, tempestatem extra rem marinam notamus. Cum vero mare turbat, tunc ad rem maritimam pertinere volumus: vel, si ita mavis, ad rem ipsam marinam.

Cicero *pro Rosc. Amer.* Sæpe ventis vehementioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit.

Idem *in Verr.* Act. VI. Erat hyems summa, tempestas perfrigida, imber maximus, cum iste imperat lictoribus, ut Sopatrum de porticu, in qua ipse sedebat, præcipitem in forum dejiciant, nudumque constituant.

Idem *in Verr.* Act. VII. Urbem Syracusas elegerat, cujus hic situs, atque hæc natura esse loci cœlique dicitur, ut nullus unquam dies tam magna, turbulentaque tempestate fuerit, quin aliquo tempore solem ejus diei homines viderent.

Idem *Philipp.* V. Hæc causa, cur lex tam egregia maximo imbri, tempestate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina & tonitrua feratur.

Idem *de Orat.* II. Ut homines labore assiduo & quotidiano assueti, cum tempestatis causa opere prohibentur, ad pilam se, aut ad talos, aut ad tesseras conferunt: aut etiam novum sibi ipsi aliquem excogitant in ocio ludum: sic illi a negociis publicis, tanquam ab opere, aut temporibus exclusi, aut voluntate sua feriati, totos se alii ad Poetas, alii ad Geometras, alii ad Musicos contulerunt.

Idem *de Nat. Deor.* II. Nec vero ita refellendum est, ut, si segetibus, aut vinetis cujuspiam tempestas nocuerit: aut si quid e vitæ commodis casus abstulerit: eum, cui quid horum acciderit, aut invisum deo, aut neglectum a deo judicemus.

Idem *de Divin.* II. Quarum rerum in proximis locis tantæ dissimilitudinis sæpe sunt, ut alia Tusculi, alia Romæ eveniat sæpe tempestas.

Cæsar *de Bello Gallico* IV. Secutæ sunt continuos complures dies tempestates: quæ & nostros in castris continerent, & hostem a pugna prohiberent.

Cato *de Re Rust.* Dicit villicus sedulo se fecisse, servos non valuisse, tempestates malas fuisse.

AD REM MARINAM PERTINENS: IDQUE IN BONAM PARTEM.

IN bonam partem: id est, cum commoda est: ut in malam partem: id est, cum est incommoda.

Cicero *Famil.* XIV. Quas ego expectassem Brundusii, si esset licitum per nautas, qui tempestatem prætermittere noluerunt.

Idem *Famil.* XVI. Tempestates, & navem idoneam ut habeas, diligenter videbis.

A Idem *ad Quint. Frat.* Tu, si ita expedit, velim quamprimum bona & certa tempestate conscendas, ad meque venias.

Ibidem: Tu mi frater, simulac ille venerit, primam navigationem (dummodo idonea tempestas sit) ne omiseris.

Idem *ad Att.* IX. Pridie Quinquatriis fuit egregia tempestas.

Cæsar *de Bello Gall.* lib. IV. Nactus idoneam ad navigandum tempestatem, solvit.

Idem *de Bello Alex.* IV. Tempestatem idoneam ad navigandum habuit.

IN MALAM PARTEM.

B Cicero *Famil.* XVI. Ibi propter tempestatem ad sextum Idus morati sumus.

Idem *pro Cecinna*: Ut si quis ex alto, cum ad patriam accessisset, tempestate subito rejectus optaret, cum esset a patria dejectus, eo restitueretur, hoc opinor optaret, ut, a quo loco depulsus esset, in eum se fortuna restitueret, non in salum, sed in ipsam urbem, quam petebat.

C Idem *Philipp.* VII. Quanquam non eges consilio, quo vales plurimum, tamen & summi gubernatores in magnis tempestatibus a vectoribus admoneri solent.

Idem *de Invent.* II. Nautæ quidam, cum adversa tempestate in alto jactarentur, voverunt, si eo portu, quem conspiciebant, potiti essent, ei Deo, qui ibi esset, se vitulum immolaturos.

Ibidem: Cum magna in alto tempestas esset, vis ventorum invitis nautis in portum navem coegit.

D *Ibidem*: Sedatis fluctibus, & tempestate jam commutata navis in portum provehitur.

Cæsar *de Bello Gall.* lib. III. Hæc eo facilius magnam partem æstatis faciebant, quod nostræ naves tempestatibus detinebantur.

Idem *de Bello Gallico* lib. V. Equites ad Cæsarem venerunt, qui nunciarent superiori nocte maxima coorta tempestate, prope omnes naves afflictas, atque in littus ejectas esse. Virgil. *Æneid.* I.

Luctantes ventos, tempestatesque sonoras.

VENTUS.

E VENTUS est aer commotus atque agitatus. Quam vocem ideo hic propono, quod tempestatis pars sit, sive commodæ, sive incommodæ.

Cicero *Famil.* VII. Ventus increbrescit.

Idem *Famil.* XIII. Pridie Idus Octobris Athenas venimus, cum sane adversis ventis usi essemus, tardeque & incommode navigassemus.

Idem *ad Att.* VII. Brundusium venimus, usi tua felicitate navigandi: ita belle nobis flavit ab Epeiro lenissimus Auster & mitis.

F Idem *ad Attic.* IX. Ex ea die fuerunt septentriones venti.

Idem in *Academic.* Quo quidem maturius venimus, quod erat constitutum, si ventus esset, Lucullo in Neapolitanum, mihi in Pompejanum navigare.

Cæsar *de Bello Gall.* lib. V. Ad solis occasum naves solvit, & leni Africo provectus media circiter nocte vento intermisso cursum non tenuit.

Idem *de Bello Alexand.* l. IV. Ipse necessario Etesiis tenebatur, qui Alexandria navigantibus sunt adversissimi venti. Terent. in Eunucho:

Cape hoc flabellum, & ventulum huic sic facito, dum lavamur.

Ventum expectare.

Cicero: Torqueor, utrum ventum expectem.

Idem: Cum intempesta nox esset, mansissemque in villa P. Valerii, comitis & familiaris mei, postridieque apud eundem ventum expectans manerem, municipes Rhegini complures ad me venerunt.

Ventum nancisci.

Cæsar *de Bello Gall.* l. IV. His demissis & ventum & æstum uno tempore nactus secundo, dato signo & sublatis anchoris circiter millia passuum octo ab eo loco progressus, aperto ac plano littore naves constituit.

Idem *de Bello Civili* lib. III. Cassius secundum nactus ventum, onerarias naves circiter quadraginta præparatas ad incendium immisit.

Ibidem: Quibus rebus permotus Cæsar Brundusium ad suos severius scripsit, ut nacti idoneum ventum ne occasionem navigandi dimitterent.

Idem *de Bello Africo*: Quæ naves ventum secundum nactæ quarto die in portum ad Ruspinam incolumes pervenerunt.

Ventum habere.

Cicero *Famil.* XV. Existimabam M. Bibulum Proconsulem, qui circiter Idus sextiles ab Epheso in Syriam navibus profectus erat, quod secundos ventos habuisset, jam in provinciam suam pervenisse.

Vento se dare.

Cæsar *de Bello Gall.* lib. III. Accedebat, ut, cum sævire ventus cœpisset, & se vento dedissent, & tempestatem ferrent facilius, & in vadis consisterent tutius, & ab æstu derelictæ nihil saxa & cautes timerent.

CUM TRANSLATIONEM HABET.

TRANSLATIONEM habet aliquando hoc nomen, & pro re, quæ tractatur, significationem assumit. Non enim semper eadem significatione est. Cic. *Famil.* II. Habemus hæc omnia: bonorum studium conciliatum ex tribunatu, propter nostram causam: vulgi, ac multitudinis, propter magnificentiam munerum, liberalitatemque naturæ: juventutis, & gratiosorum in suffragiis studia, propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam, vel diligentiam: nostram suffragationem si minus potentem, at probatam tamen, & justam, & debitam, & propterea etiam fortasse gratiosam. Dux nobis, & autor opus est, & eorum ventorum, quos proposui, moderator quidam, & quasi gubernator. Idem *ad Att.* II. Quid si etiam Cæsarem, cujus nunc venti valde

Ventus cum translatione.

sunt secundi, reddo meliorem? Idem *pro Cluen.* Condemnato Oppianico, statim Luc. Quintius homo maxime popularis, qui omnes rumorum & concionum ventos colligere consuesset, oblatam sibi facultatem putavit, ut ex invidia Senatoria posset crescere, quod ejus Ordinis judicia minus jam probari populo arbitrabatur. *Ibidem:* Omnes intelligimus in istis subscriptionibus ventum quendam popularem esse quaesitum.

VENTOSUS.

Ventosus pro inani, vel jactantiore.

VENTOSUS est vento plenus: ut ventosa regio. Translate vero ponitur pro inani, vel jactantiore. Cic. *Philip.* XI. Extraordinarium semper imperium populare, atque ventosum est, minime vestrae gravitatis, minime hujus ordinis. Brutus Cic. *Famil.* XI. In primis rogo te, ad hominem ventosissimum Lepidum mittas, ne bellum nobis redintegrare possit, Antonio sibi conjuncto. Plin. in *Paneg.* Superbiebat ventosa & insolens natio.

AURA.

AURA est ventorum vis. Distinguunt tamen auram a vento nonnulli, quod aura sit lenior; ventus vehementior. Ponitur autem aura pro omni genere venti: & interdum pro aere.

Caesar *de Bello Civili lib.* III. Huic officio praepositus erat F. Calenus legatus, qui celeritatem in transportandis legionibus adhiberet: sed serius a terra provectae naves, neque usae nocturna aura, in redeundo offenderunt. Vergil. *Aeneid.* IV.

—— at illi
Dulcis compositis spirabat crinibus aura.

Idem *Aeneid.* I.

Quod si fata virum servent, si vescitur aura
Aetherea.

Idem *ibidem:*

Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

TRANSLATIONEM HABENS.

PER translationem dicitur aura facilitas, vel ambitioni studium inserviens, vel popularis favor.

Cicero *pro Mur.* Totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris. Idem *de Arusp. Resp.* Sulpitium ab optima causa profectum, & C. Thuscio consulatum contra leges petenti resistentem, longius, quam voluit, popularis aura provexit. Idem *pro Sest.* Quem neque periculi tempestas, nec honoris aura potuit unquam de suo cursu dimovere. Vergil. *Aeneid.* I.

Jam quoque nunc nimium gaudens popularibus auris.

FLATUS.

FLATUS est ventus, vel aura. Cicero *de Nat. Deor.* II. Quam tempestivos dedit, quam salutares non modo hominum, sed etiam pecudum generi: iis denique omnibus, quae oriuntur e terra, ventos Etesias? quorum flatu nimii temperantur calores, &c. Idem *in Arat.* Aestiferos validis erumpit flatibus ignes. *Ibidem:* Aram, quam flatu permulcet spiritus Austri. Luc. *lib.* I.

Et madidis Euri resolutae flatibus Alpes.

Cum translatione.

CUM TRANSLATIONE. Cicero *de Orat.* II. Ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do. Idem *Offic.* II. Cum prospero flatu fortunae utimur, ad optatos exitus provehimur; &, cum reflavit, affligimur.

Flamen.

FLAMEN. Flamen est flatus, vel ventus. Cic. *de Natura Deor.* Quem summa a regione Aquilonis flamina pulsant. Idem *in Arat.* Inferior paulo est Aries, & flamen ad Austri inclinatior.

Flamen pro sacerdote.

PRAETER HANC SIGNIFICATIONEM dicitur flamen sacerdos unius alicujus dei antistes, ut apud Cicer. *de Leg.* Divis aliis alii sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto. Idem *pro Dom. sua:* Itaque Populus Romanus brevi tempore neque regem sacrorum, neque flamines habebit. Idem *pro Mil.* Eo die Miloni iter erat Lanuvium ad flaminem prodendum, quod erat Dictator Lanuvii Milo.

Reflatus.

RELATUS. Reflatus est ventus contrarius. Cic. *ad Att* XII. Hic rumor est, naves delatas in Uticam reflatu.

PROXIMORUM nominum verba sunt flare, & reflare.

Flare.

FLARE. Cicero *ad Attic.* Ita belle nobis flavit ab Epeiro lenissimus Auster & mitis.

Reflare.

REFLARE. Cicero *ad Attic.* VI. Rhodum volo puerorum causa; inde quamprimum Athenas: etsi Etesiae valde reflaverint. Idem in *Tusc.* Si reflantibus ventis rejiciamur, tamen eodem paulo tardius referemur.

AESTUS.

AESTUS hoc loco ponitur pro motu, & agitatione fluctuum. Cic. *de Orat.* III. Undique omnes venti erumpunt, saevi existunt turbines, fervet aestu pelagus. Idem *de Natur. Deorum* II. Possentne aestus maritimi, fretorumque angustiae ortu aut obitu lunae commoveri? *Ibidem:* Enumerari non possunt fluminum opportunitates: aestus maritimi multum accedentes, & recedentes. Idem *de Divinatione:* Quid de fretis & aestibus maritimis plura dicam? Caesar *de Bello Gallico lib.* III. Erant ejusmodi fere situs oppidorum, ut posita in extremis lingulis, promontoriisque, neque pedibus aditum haberent, cum ex alto se aestus incitavisset: neque navibus, quod rursus imminente aestu, naves in vadis afflictarentur. *Ibidem:* Accedebat, ut, cum saevire ventus coepisset, & se vento dedissent, & tempestatem ferrent facilius, & in vadis consisterent tutius, & ab aestu derelictae, nihil saxa & cautes timerent. Idem *de Bello Gallico lib.* V. Ad solis occasum naves solvit, & leni Africo provectus, media circiter nocte vento intermisso cursum non tenuit, & longius delatus aestu, orta luce sub sinistra Britanniam relictam conspexit. Tum rursus aestus commutationem sequutus, remis contendit, ut eam partem insulae caperet, qua optimum esse egressum superiora aestate cognoverat.

Aestus extra significationem maritimam.

IN EA SIGNIFICATIONE non semper manet hoc nomen, sed ponitur etiam pro calore nimio, vel fervore. Cicero *in Catilinam:* Ut saepe homines aegri, morbo gravi, cum aestu febrique jactantur, si aquam gelidam biberint, prius relevari videntur: deinde multo gravius vehementiusque af-

flictantur: sic hic morbus, qui est in Republic. relevatus istius pœna, vehementius vivis reliquis ingravescet.

Cum translatione. ABUTROQUE proximo significato ad alia persæpe transfertur: duciturque translatio vel ab æstu marino, vel a calore. Cicero *de Orat.* III. Quo cum ingressus esses, repente te quasi quidam æstus ingenii tui procul a terra abripuit, atque in altum a conspectu omnium pene abstraxit. Idem in *Bruto*: Hunc quoque absorbuit æstus quidam gloriæ. ÆSTUM per translationem posuit Plinius Junior pro scrupulo, vel dubitatione non mediocri. Id quod primo Tomo annotavimus.

Aestuare. ÆSTUARE. Æstuare algendi significato opponitur. Cicero *de Arusp. Respons.* Ille exanguis atque æstuans se e curia repente proripuit. Idem *Tuscul.* II. Lycurgi leges laboribus erudiunt juventutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. Idem in *Academ.* Ille, cum æstuaret, umbram secutus est.

Translate positum. TRANSLATE POSITUM. Translate positum hoc verbum accipi solet pro angi, vel dubitatione torqueri: vel cum ægritudine animi solicitum esse. Quæ translatio duci potest a personatis. Cum enim persona non est apta ori, fit, ut facies æstu laboret: quare statim is, qui personatus est, cupit exui persona, quæ incommoda & inhabilis ipsi est. Cicero in *Verrem* Actio. IV Quod ubi auditum est, æstuare illi, qui dederant pecuniam: putare nihil agi posse absente Epicrate. *Ibidem*: Itaque æstuabat dubitatione, versabat se in utranque partem. Idem *pro Flacco*: Hunc æstuantem & tergiversantem judicio ille prosequitur.

Aestuosus. ÆSTUOSUS. Æstuosus est calore, vel fervore plenus. Cicero *ad Attic.* V. Nunc iter conficiebam æstuosa & pulverulenta via. Columella: Cœlum neque nivale vinea, nec rursum æstuosum desiderat.

Aestuaria. ÆSTUARIA. Æstuaria dicuntur loca, per quæ mare vicissim tum accedit, tum recedit: sive quæ marinis aquis referta sunt ex inundationibus pelagi. Plin. *lib.* III. Illyrici ora mille amplius insulis frequentatur, natura vadosi maris, æstuariis tenui alveo intercursantibus.

Exaestuare. EXAESTUARE. Exæstuare compositum est ab æstuare: & significat exundare incremento: poniturque vel proprie, vel translate.

Proprie positum. PROPRIE SIC. Verg.

—— *fundoque exæstuat imo.*

Sueton. Fossas omnes, in quas Nilus exæstuat, oblimatas longa vetustate, militari opere detersit.

Translate. TRANSLATE SIC. Justin. *lib.* I. Quæ materia in his locis passim e terra exæstuat.

FLUCTUS.

DE propria & translata fluctus significatione bene multa primo Tomo scripsimus: non absurdum tamen videbitur, si ordini nostro servientes, nova huc etiam exempla quædam de proprio significato afferamus.

Cæsar *de Bello Gall.* lib. IV. Militibus autem ignotis locis, impeditis manibus, magno & gravi onere armorum pressis, simul & de navibus desiliendum, & in fluctibus consistendum, & cum hostibus erat pugnandum.

Idem *de Bello Alexand.* l. IV. Inde paulo vehementiore tempestate nihilo periculosius se navigaturum credens, profectus adversis fluctibus ocurrentibus ostio fluminis in ipsis faucibus, cum neque flectere navem propter vim fluminis, neque directam tantis fluctibus tenere posset, demersa navi periit.

Idem *de Bello Afric.* Tabernaculum secundum littus ipsum constituit, ut prope fluctus verberaret.

FLUCTUARE.

FLUCTUARE est fluctibus jactari, vel vacillare. Quod verbum ponitur proprie, vel translate.

PROPRIE POSITUM.

Cic. *in Verr.* Act. VII. Jam sese in terram e navi ejecerat, quadrirememque in solo fluctuantem reliquerat.

Idem in *Orat.* Quid tam commune, quam spiritus vivis? terra mortuis? mare fluctuantibus? littus ejectis?

Plin. Lapidem e Sciro insula integrum fluctuare tradunt: eundem comminutum mergi.

TRANSLATE POSITUM.

FLUCTUARE translate positum significat jactari, commoveri, in dubio esse, &, instar maris, fluctibus vel opinionum vel deliberationum agitari.

Cicero *ad Attic.* I. Fuit ratio mihi fortasse ad tranquillitatem meorum temporum non inutilis, sed mehercule Reip. multo etiam utilior, quam mihi, cum improborum impetus in me reprimerem, cum hominis amplissima fortuna, autoritate, gratia, fluctuantem sententiam confirmassem, & a spe malorum ad mearum rerum laudem convertissem.

Idem *ad Attic.* II. Tota res etiam nunc fluctuat.

Idem *ad Heren.* IV. Qui in mediocre genus orationis profecti sunt, si pervenire eo non potuerunt, errantes perveniunt ad confine genus ejus generis, quod appellamus fluctuans & dissolutum, eo quod sine nervis & articulis fluctuat huc & illuc; nec potest confirmare, nec viriliter sese expedire.

Idem in *Academic.* Sentitis jam hoc me dogma dicere: nihil posse percipi: non debere eos in suo decreto, sicut in cæteris rebus, fluctuare.

UNDA.

UNDA est pars aquæ in se collecta, & in unam partem tendens.

Cicero *pro Planc.* Campus, atque illæ undæ comitiorum sic effervescunt quodam quasi æstu, ut ad alios accedant, ab aliis recedant. Translate hoc loco vocat Ciceronis undas comitiorum, pro fluctuantibus comitiorum suffragiis. Locus Ciceronis expositus.

Idem in *Philipp.* O spectaculum non modo hominibus, sed undis ipsis, & littoribus luctuosum.

Idem in *Tuscul.* Qui per undas currus suspensos rapuisse feruntur.

INUNDARE.

INUNDARE ab unda fit: & significat extra ripas diffluere, vel extra alveum fundi. Cicero *de Nat. Deor.* I. Locus quidem his etiam naturis, quæ fine animis sunt, suus est cuique proprius: ut terra infimum teneat: hanc inundet aqua: superior aer: ignibus altissima ora reddatur.

IMPONERE.

QUONIAM de fluvii, fluminis, marisque significationem scripsimus; & deinde navigiorum genera annotavimus, reliquum est, ut, quæ in mari navigiis ipsis agimus, eorum voces ostendamus. Nihil autem nave ipsa ædificata atque instructa prius agimus, quam in eam onus inferamus, quodcunque illud sit: & id imponere dicunt Latini. Itaque sequitur, ut de hujus verbi significatione necessario scribamus. Imponere vero varie a Latinis accipitur: quam significationum varietatem suis separatim locis demonstramus: hicque idem est imponere, quod inferre, vel invehere, aut ingerere, ut sit in navem imponere, idem, quod in navem inferre. Præcipuam tamen quandam cum re nautica affinitatem habere videtur hoc verbum, quæ aliis non ita admodum propria est. Id quod in exemplis sequentibus nullo negocio per te ipse observabis.

Cicero *ad Attic.* I. Signa nostra, ut scribis, cum commodissime poteris, velim imponas.

Ibidem: Si Lentuli navis non erit, quo tibi placebit, imponito.

Cassius Cic. *Famil.* XII. Interim cognovi in Cilicia esse classem Dolabellæ amplius, quam centum naves onerarias, in quas exercitus ejus imponi posset.

INVEHERE,
& similis significationis verba.

FACIT modo annotata imponendi significatio, ut sequentia verba simul hoc loco explicem, quandoquidem oneris sunt. Quod si non ita apposite, ut proximum verbum, ad rem nostram quadrent: attamen non omnino ab hoc loco aliena sunt, & navi onerandæ apprime conveniunt. Ea igitur explicabo, antequam ad reliquas nauticas voces progrediar.

Invehere. INVEHERE. Invehere est importare: quod ponitur vel proprie, vel translate.

Proprie positum. PROPRIE. Proprie positum tam de personis, quam de rebus dicitur. Cic. *pro Mur.* Portu solventibus ii, qui jam in portum ex alto invehuntur, præcipere summo studio solent & tempestatum rationem, & prædonum, & locorum. Idem *de Provinc. Consul.* Si in Capitolium invehi victor cum illa insigni laurea gestiret, vos tamen, &c. Idem *Offic.* II. Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus est Paulus: tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius Imperatoris præda finem attulerit tributorum. Idem *de Somn. Scipion.* Cum eris curru in Capitolium invectus, offendes Rempublicam, &c. Idem *de Finib.* Rex Perses eodem flumine invectus. Vergil.

Centauro invehitur magna.

Translate. TRANSLATE. Cicero *in Verr.* Act. VI.

A Quod signum est ad introitum Ponti, id, cum tam multa ex illo mari bella emerserint, tam multa porro in Pontum invecta sint, usque ad hanc diem integrum inviolatumque servatum est. Idem *pro Mur.* Quem Luc. Sylla maximo & fortissimo exercitu pugna excitatum, non rudis Imperator, ut aliud nihil dicam, cum bellum invectum totam in Asiam esset, cum pace dimisit. Idem *de Invent.* Incommoda invecta per aliquem. Idem in *Tuscul.* Quencunque casum fortuna invexerit, hunc pacate & quiete ferat. *Ibidem*: Mala, quæ
B tibi casus invexerat.

INVECTIO. Cicero *Off.* II. Jam vero & earum rerum, quibus abundaremus, exportatio: & earum, quibus egeremus, invectio certe nulla esset, nisi his muneribus homines fungerentur. Invectio.

ADVEHERE. Advehere, ut invehere, tam de personis, quam de rebus est: convenitque transmissioni, ut oneri inferendo: quod item proximo verbo convenire potest. Et eatenus advehere eo loco tractari potuisset, quo vehendi prætervehendique
C significationem explicamus: sed tamen hinc rejiciendum non duxi, quod suum hic etiam locum præclare teneat ob vocis proximæ conjunctionem. Cicero *in Verrem* Act. V. Præsertim cum ex iisdem agris, ejusdemque anni frumentum ex decumis Romam mancipes advexissent. Idem *Philippic.* II. Inde Cassia celeriter ad urbem advectus domum venit capite involuto. Idem *Offic.* III. Si quis profectus Rhodum magnum frumenti numerum advexerit, &c. Idem *de Divinat.* Quidam caricas Cauno advectas vendens, &c. *Ibidem*: Cum tu
D equo advectus, &c. Servius Cicer. *Familiar* IV. Cum ab Epidauro Piræeum navi advectus essem, ibi Marcellum Collegam nostrum conveni, eumque diem ibi consumpsi, ut cum eo essem. Advehere.

CONVEHERE. Cicero *pro Mil.* Repente lintribus in eam insulam materiam convexit. Plinius *lib.* XI. de formicis scribens: Semina arrosa condunt, ne rursus in fruges exeant e terra. Et quoniam ex diverso convehunt, altera alterius ignara, ut signa recognoscant, certi dies ad recognitionem mutuam dantur. Convehere.

E CONVECTOR. Cicero *ad Atticum* X. Hominem bonum, & doctum, & probum existimo: quin etiam navi ejus me, & ipso convectore usurum puto. Alias vectore legitur a nonnullis. Convector.

EVEHERE. Evehere proprie est e terra in altum vehere: quod quoniam sæpe fit oneris causa, ad hunc locum pertinere videtur. Attamen nonnunquam tantum pro efferre poni videas: idque tam translate, quam proprie. Cicero *in Verrem* Actio III. Non dicam illinc hoc signum ablatum esse,
F & illud: hoc dico, nullum te Aspendii signum, Verres, reliquisse: omnia ex fanis, ex locis publicis, palam spectantibus omnibus, plaustris evecta asportataque esse. Idem in *Bruto*: Ut semel Piræeo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticæ dictionis, quasi sanitatem perderet, ac loqui pene dedisceret. Evehere.

FERRE. Mirum est, quam late pateat Ferre.

Ferendi varia significatio, & usus.

FERRE. Mirum est, quam late pateat hujus verbi usus, atque significatio. Ex qua varietate id solum huc pertinet, quod pro portare est: reliqua suis locis alibi tractata sunt, vel postea tractabuntur: ut ferre suffragia: ferre tribum: ferre centuriam prærogativam (dicitur autem tribum, vel centuriam ferre, qui tribum, vel centuriam habet suffragantem) ferre punctum: ferre fructus ex re aliqua, pro percipere: ferre palmam, pro obtinere: ferre responsum: ferre repulsam, pro præteriri in petitione: ferre partem prædæ, pro assequi, vel habere: ferre primas, pro primum locum tenere: ferre tacitum: ferre ad populum de re aliqua, ut constituatur, vel sanciatur aliquid: ferre legem: ferre quæstionem: ferre privilegium: ferre sententiam: ferre conditionem, pro offerre: ferre fraudem, pro creare: ferre opem, suppetias, auxilium, subsidium: ferre ventrem, vel uterum: ferri magno cursu & sonitu: ferri rapide: ferri scelere, vel crudelitate: ferre pro tolerare, vel pati (& tunc eleganter ponitur cum nominibus, vel adverbiis quibusdam) præ se ferre: ferre in cœlum laudibus: ferre in oculis, pro eo quod est, amare, & charum habere: ferre aliquid expensum alicui. Hi omnes loquendi modi sua habent, ut diximus, suis locis exempla.

Elegans ferendi significatio.

ALIA LOQUENDI genera ex hoc item verbo ducuntur: ut apud Ciceronem *ad Atticum*: Nos, ut opinio, & spes, & conjectura nostra fert, tuti sumus: id est, ut opinamur & speramus. Idem *pro Cluent.* Quod nemo vestrum, ut opinio mea fert, ignorat.

PAULO DIVERSIUS in exemplis sequentibus ponitur. Cicero *pro Domo sua*: Plura dixi, quam aut opinio mea tulerit, aut voluntas mea. Idem *in Verrem*: Sicut opiniones hominum, & religiones ferunt. *Ibidem*: Tantum relictum est, quantum Apronii libido tulit: id est, quantum Apronio libuit. *Ibidem*: Prout Thermitani hominis facultates ferebant. Idem in *Famil.* Meæ rationes ita tulerunt. *Ibidem*: Velim, ita fortuna tulisset. *Ibidem*: Si occasio tulerit. *Ibidem*: Quid res, quid tempus, quid causa ferat, tu perspicies. *Ibidem*: Si ita tempus feret. Idem *ad Quint. frat.* Ad me, ut tempora nostra, non ut amor tuus fert, vere perscribe. Idem *ad Att.* Quis hoc timeret, quod neque acciderat antea, nec videbatur natura ferre, ut accidere posset? *Ibidem*: Quencunque fors tulerit casum, subeam, &c. Idem *ad Attic.* Gravius, quam consuetudo tua ferebat. Idem *pro Cluent.* Ut ætas illa fert. Idem *pro Lege Manil.* Si vestra voluntas feret. Idem *contra Rull.* Si ita commodum vestrum fert. Idem *in Pisonem*: Ita existimabam tempora Reipublic. ferre. Idem in *Philipp.* Si res ita tulisset: id est, si opus fuisset. Idem *de Somn. Scip.* Natura fert, ut, &c. id est, natura comparatum est.

Ferre pro dicere, vel jactitare.

ALIQUANDO ITEM accipitur pro dicere, vel jactitare. Cicero *in Catilinam*: Ad hujus vitæ studium meditati illi sunt, qui feruntur labores tui: jacere humi non modo ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum. Idem *de Orat.* I. Erat etiam Metrodorus, qui cum illis una ipsum illum Carneadem diligentius audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum, & copiosissimum. *Ibidem*: Si ornate locutus est, sicut fertur, materies illa fuit Physici, de qua dixit: ornatus vero ipse verborum Oratoris putandus est. Idem *de Natura Deor.* III. Apollinem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse.

Pro producere.

EXTRA HAEC, ponitur nonnunquam pro producere: idque tam translate, quam proprie. Cic. *de Leg.* II. Quæ terra fruges ferre, &, ut mater, cibos suppeditare possit, vetat, ne quis eam nobis minuat neve vivus, neve mortuus. Idem in *Bruto*: Hæc ætas primum Athenis Oratorem prope perfectum tulit.

Pro portare.

NIHIL OMNINO EX SUPERIORIBUS ad hunc locum pertinet: pertinet autem, cum pro portare ponitur. Cic. *ad Quint. fratr.* Cœnatus in hortos ad Pompejum lectica latus sum. Idem *Philipp.* II. Iste operta lectica latus est per oppidum. Idem in *Bruto*: Ejus scripta quædam feruntur.

Circunferre.

CIRCUNFERRE. Ferendi multa composita sunt: ut conferre, deferre, efferre, proferre, referre, sufferre, transferre: nulla tamen sunt, quæ magis huic loco conveniant, quam circumferre, & inferre. De utroque igitur hic scribemus. Circunferre autem est circungestare. Cic. *in Verrem.* Act. IV. Quæso, codicem circumfer, ostende. Idem *pro Cornel. Balbo*. Cum ipsius tabulæ circunferrentur inspiciundi nominis causa, fuit nemo ex illis Romanis gravissimis viris, quin removeret oculos, & se totum averteret. Idem *de Orat.* III. Sol circunfertur, ut accedat ad brumale signum.

Inferre.

INFERRE. Inferre est invehere, importare, vel intrudere: quod exempla habet quædam huc magis pertinentia: quædam certe minus.

Exempla huc magis pertinentia.

EXEMPLA HUC MAGIS PERTINENTIA. Sequentia exempla tam personis, quam rebus conveniunt. Et ex his sunt inferre signa: inferre arma: inferre pedem aliquo: quæ loquendi genera, quando alibi tractavimus, nullis hic exemplis firmanda sunt. Ad reliqua igitur pergo. Cicero *pro Cæcinna*: Atque etiam se ipse inferebat & intrudebat. Idem *pro Font.* Age vero, nunc inferte oculos in Curiam: introspicite penitus in omnes Reipub. partes. Idem *in Catil.* Quo etiam majore sunt isti odio supplicioque digni, qui non solum vestris domiciliis, atque tectis, sed etiam Deorum templis, atque delubris, sunt funestos, ac nefarios ignes inferre conati. Idem *in Vatin.* Cum in templum Castoris te cum tuis furiis funestum intulisti. *Ibidem*: Repente te, tanquam serpens e latibulis intulisti. Idem *in Pisonem*: Sic iste tanto exercitu, tanta provincia, triennio post Macedonicus Imperator in urbem se intulit, ut nullius negotiatoris obscurissimi reditus unquam fuerit desertior.

Exempla huc minus pertinentia.

EXEMPLA HUC MINUS PERTINENTIA. Ex hac inferendi translatione sunt: inferre sermonem: inferre crimen: inferre moram: inferre periculum: inferre manus: inferre turpitudinem: inferre terrorem: inferre injuriam: inferre sumptum: inferre malum: inferre vastitatem: inferre mortem: inferre stuprum: & similia multa, quæ aliis locis a me vel annotata sunt, vel postea annotabuntur. Quædam alia, non annotata, nunc cumulo. Cic. *ante Exil.* Ea maneat opinio, quæ virtute parta, non quæ infelicitate illata est. Idem *pro Domo sua*: Qui ex Pontificis maximi domo religionem eripuit, is in meam intulit. Idem

Idem *pro Flacco:* Inferre rationes falsas, & referre in tabulas, quodcunque commodum est. Idem *de Orator.* Iracundiam simul atque intuleris, non statim possis commovere. Idem in *Offic.* Paulus nihil in domum suam intulit, præter memoriam nominis sempiternam. *Ibidem:* Ille in suam domum Consulatum intulit.

Ingerere.

INGERERE. Ingerere est inferre, vel intrudere. Cic. *ad Att.* XI. Sed ingero præterita. Terent. in *Phorm.*

—— nisi sequitur, pugnos in ventrem ingere,
Vel oculum exculpe.

Circungestare.

CIRCUNGESTARE. Circungestare, est circunferre. Cic. *ad Quintum Fratrem:* Eam quoque epistolam T. Catienus circungestat.

Portare.

PORTARE. Portare vel illationem oneris habet, vel sustentationem. Cic. *ad Quint. Frat.* Memini, cum hominem portaret ad Baias Neapoli octophoro, miros risus nos edere. Idem *ad Att.* XIV Rumorem afferunt magnum Romæ, domum ad Antonium frumentum omne portari. Idem *pro Domo sua:* Columnæ marmoreæ ex ædibus meis ad socerum Consulis portabantur. Idem *pro Sest.* Arma in templum Castoris palam portabantur. Idem *Offic or.* II. Ad exemplum amissi Imperii, portari in triumpho Massiliam vidimus. Idem in *Paradoxis:* Omnia mea mecum porto.

Importare.

IMPORTARE. Importare est invehere, vel inferre. Plura vero habet exempla translata, quam propria: ut importare malum: importare incommodum: importare calamitatem: importare damnum: importare detrimentum: importare suspitionem: importare sollicitudinem: importare ægritudinem; quæ omnia loquendi genera suis locis ostensa sunt. Translatæ sunt hæ importandi locutiones. De propria significatione sequitur exemplum Cæs. *de Bello Gall. lib.* I Horum omnium fortissimi sunt Belgæ, propterea quod a cultu atque humanitate provinciæ longissime absunt, minimeque ad eos mercatores sæpe commeant, atque ea, quæ ad effœminandos animos pertinent, non important. Idem *de Bello Gall. l.* V. Nascitur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus: in maritimis ferrum, sed ejus exigua est copia: ære utuntur importato.

Comportare.

COMPORTARE. Cic. *ad Attic.* V. Frumentum ex agris in loca tuta comportatur. Idem *in Verr.* Act. IV. Omnia ad istum comportari necesse est. Idem *pro Domo sua:* Cum arma in ædem Castoris comportabas. Idem *in Pison.* Cum arma in templum Castoris luce & palam comportarentur. Idem *de Orat.* III. Apparatu nobis opus est, & rebus exquisitis undique & collectis, accersitis, comportatis Cæs. *de Bello Civ. l.* I Exercitus Afranii omnium rerum abundabat copia: multum erat frumentum provisum, & convectum superioribus temporibus: multum ex omni provincia comportabatur.

Apportare.

APPORTARE. Apportare est adferre. Cic. *in Verr.* Act. III. P. Servilius, quæ signa atque ornamenta ex urbe hostium sustulit, ea Populo Romano apportavit. Idem *in Verr.* Act. V. Secuti sunt avariores magistratus, qui tamen in avaritia sua non solum viam quæstus invenerunt, verumetiam exitum, ac rationem defensionis instituerunt: semper ad ultima, ac difficillima loca apportandum frumentum imperare, ut vecturæ difficultate, ad quam vellent æstimationem, pervenirent. Idem *in Verr.* Act. VII. In urbe nostra pulcherrima, atque ornatissima quod signum, quæ tabula picta est, quæ non ab hostibus victis capta atque apportata sit? Idem *Offic* I. Mercatura si tenuis est, sordida putanda est: sin magna, & copiosa, multa undique apportans, multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda. Idem *de Senect.* Ædepol senectus, si nihil quicquam aliud vitii apportet secum, cum advenerit, unum id satis est, quod diu vivendo multa, quæ non vult, videt. Cæs. *de Bello Gall. l b.* V. Ea, quæ sunt usui ad armandas naves, ex Hispania apportari jubet.

Deportare.

DEPORTARE. Deportare est adferre, vel reportare: quod tam translate, quam proprie, sæpe ponitur. Cicero *Familiar.* VII. Nihil ex ista provincia potes, quod jucundius sit, deportare. Idem *Familiar.* XV. Mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadem deportares, ut ibi te plane confirmares. Idem *ad Attic.* I. Illa omnia in Tusculanum deportabo. Idem *in Verr.* Act. I. Illi quidem, ut est hominum genus nimis acutum & suspitiosum, non te ex Sicilia literas in Verrem deportare velle arbitrantur: sed cum iisdem literis illius Prætura, & tua Quæstura consignata sit, asportare te velle ex Sicilia literas suspicantur. Idem *in Verr.* Act. VII. Tertia illa tua, quam tecum deportabas, erat in omnium conspectu. Idem *pro Lege Manil.* Pompejus bellum in Africa confecit, victorem exercitum deportavit. Idem *pro Mur.* Aliquod aut in Asia susceptum, aut ex Asia deportatum flagitium, ac dedecus. Idem *pro Domo sua:* Hoc simulachrum quidam homo nobilis ad ornatum Ædilitatis suæ deportavit. Idem *Officior* I. Mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus Cneus Pompejus multis audientibus hoc tribuit, ut diceret, frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi meo in Repub. beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus. Idem *de Senect.* Non moderationem animi tui & æquitatem, teque non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem & prudentiam intelligo. Cælius Cicero *Familiarium* VIII. Mittam, qui Pantheras alant, & eas deportent.

Supportare.

SUPPORTARE. Cassius Cic. *Fam l.* XII. Jam ternis tetradrachmis triticum penes Dolabellam est: nisi quid navibus Laodicenorum supportarit, cito fame pereant necesse est. *Ibidem:* Ne supportare possit, & Cassii classis bene magna, & tres, quas nos adduximus, facile præstabunt. Cæsar: non hostem vereri, sed rem frumentariam, ut commode supportari posset, timere dicebant. Idem *de Bello Civ. lib.* I. Civitates, quæ ad Cæsaris amicitiam accesserant, frumentum supportare non poterant.

Asportare.

ASPORTARE. Asportare est ex aliquo loco

in alium deportare. Cic. *in Verr.* Act. I. Asportare te velle ex Sicilia literas suspicantur. Idem *in Verr.* Act. III. Dico nullum te Aspendii signum reliquisse: omnia ex fanis, ex locis publicis palam plaustris evecta, asportataque esse. Idem *in Verr.* Act. VI. Est spelunca quædam conversa ad Aquilonem infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru extitisse, abreptamq; ex eo loco virginem secum asportasse. Idem in *Parad.* Cæteri ita fugiebant, ut multa de suis rebus asportarent. Terent.

Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi,
Aut perire.

Exportare. EXPORTARE. Exportare invehendi significato opponitur. Cic. *in Verr.* Act. III. O portentum in ultimas terras exportandum. Idem *in Verr.* Act. IV. Dico te maximum pondus auri, magnum numerum frumenti Syracusis exportasse. *Ibidem:* Cogitate nunc, cum illa sit hæc insula, quæ undique exitus maritimos habeat, quid ex cæteris locis exportatum putetis. Idem *pro Leg. Manil.* Asia fertilis multitudine earum rerum, quæ exportantur. Idem *pro Flacco:* In fame frumentum exportare ausus est. *Ibidem:* Cum frumentum quotannis ex Italia, atque ex omnibus provinciis exportaretur, &c. Idem *in Vatin.* Ut inde aurum exportari argentumque prohiberes.

Exportatio. EXPORTATIO. Cic. *in Verr.* Act. IV His exportationibus, quæ recitatæ sunt, scribit H-S. LX. socios perdidisse ex vicesima portorii Syracusis. Idem *Offic.* II. Jam vero & earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, & earum, quibus egeremus, invectio certe nulla esset, nisi his muneribus homines fungerentur

Reportare. REPORTARE. Reportare est deportare. Ponitur vero aliquando translate: & tunc fere pro consequi accipitur.

Proprie. PROPRIE. Cic. *ad Att.* IV. Exercitum a Britannia reportabant. Idem *in Verr.* Act. IV. Quæ tabula tum imperio tuo revulsa, nunc a me tamen reportata est. Idem *in Verr.* Act. IV. Statuerunt id secum in Syriam reportare. Idem *post Red.* P. Lentuli beneficio non solum reducti sumus in patriam, sed equis insignibus, & curru aurato reportati. Idem *contra Rull.* Si est æquum, prædas ac manubias suas Imperatores non in monumenta deorum immortalium, neque in urbis ornamenta conferre, sed ad Decemviros, tanquam ad dominos reportare, nihil sibi appetit præcipue Pompejus. Sall. *in Ciceron.* Sed quid ego plura de tua insolentia commemorem? quem Minerva omnes artes edocuit: Jupiter Opt. Max. in concilium deorum admisit: Italia exulem humeris suis reportavit.

Translate positum. TRANSLATE POSITUM. Cicero *ad Att.* VI. Plane te intelligere volui, mihi non excidisse illud, quod tu ad me quibusdam literis scripsisses, si nihil aliud de hac provincia, nisi illius benevolentiam, reportassem, mihi id satis esse. Idem *in Verr.* Act. VII. Ex tua calamitate cineri ac ossibus filii sui solatium vult reportare. Idem *pro Lege Manil.* Adhuc ita vestri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo insignia victoriæ, non victoriam reportarent. Idem *de Leg.* Nihil præter laudem bonis, atque innocentibus, neque ex hostibus, neque a sociis est reportandum.

Onerare ONERARE. Hoc unum est verbum, quod huic loco maxime convenit. Alia, quæ præcesserunt, non tam certe parte bona conveniunt, quam accedunt. Sed ea jam explicata sint: ad onerandi significationem venio. Itaque onerare est onus imponere. Verg.

Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes.

Terentius *in Heaut.*

——ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas veste atque auro.

Idem in *Phorm.*

Ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio.

Translate positum. TRANSLATE præter propriam significationem sæpe ponitur. Cic. *Famil.* IV. Quibus te mendaciis homines levissimi onerarunt. Idem *Famil.* IX. Me a te, ut scurram velitem, malis oneratum esse, non moleste tuli. Idem *de Nat. Deor.* III. Animadverti te, cum in foro diceres, quamplurimis posses argumentis onerare judicem. Sall. *in Ciceron.* Etiam ne aures nostras onerabis tuo odio? Terent. in *Phorm.*

O fortuna! o fors fortuna! quantis commoditatibus,
Quam subito hero meo Antiphoni ope vestra hunc onerastis diem?

Idem in *Andr.*

—— remittas jam me onerare injuriis.

Onustus ONUSTUS. Onustus idem est quod oneratus, vel onere pressus. Cicero *ad Att.* I. Omnia castella expugnari posse dicebat, in quæ modo asellus onustus auro posset ascendere. Idem *in Verr.* Act. VII. Hæc navis onusta præda Siciliensi, cum ipsa quoque esset ex præda, simul cum iste decederet, appulsa Veliam est. Idem *Offic.* III. Si idem sciat complures mercatores ab Alexandria solvisse: navesque in cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit, &c. Idem *de Divinat.* Onusti cibo, & vino perturbata & confusa cernimus.

Onerarius. ONERARIUS. Onerarium dicitur, quod oneratur: vel quod oneri ferendo aptum est. Unde dicuntur naves onerariæ a gestandis oneribus. Cic. *ad Att.* X. Occulte in aliquam onerariam corrependum est. Idem *de Divin.* Noctu flagrantes onerarias videbatis.

Deonerare. DEONERARE. Deonerare est ex onere demere, vel detrahere: quod etiam translate ponitur. Cic. *in Verr.* Act. I. Quid, cum commiserari, & conqueri, & ex illius invidia deonerare aliquid, & in te trajicere cœperit?

Exonerare. EXONERARE. Exonerare, ut deonerare, est onere aliquid levare: tamque onus, quam quod onus fert, exonerare dicimus. Constructio vero est, & re, & ex re aliquid exonerari. Terent. in *Phorm.*

Quidnam hic sibi vult? GE. Et nos amicos ejus exonerastis metu.

Plautus:

Ita profecto, ut ex hoc exoneres agro.

Onus. ONUS. Onus est pondus, & moles gravans: quod ponitur proprie, vel translate.

Proprie positum. PROPRIE. Cicero *pro Lege Manil.* Nos quoque, qui antea non modo Italiam tutam habebamus, sed omnes socios in ultimis oris autoritate nostri imperii sal-

vos præstare poteramus, tum, cum insula Delos tam procul a nobis in Ægæo mari posita, quo omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva sine muro nihil timebat, iidem non modo provinciis, atque oris Italiæ maritimis, ac portubus nostris, sed etiam Appia jam via carebamus. Idem *Tusc.* II. Scutum, gladium, galeam in onere milites nostri non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus.

Translate. TRANSLATE. Oneri sive proprie, sive translate posito eædem conveniunt locutiones: plura tamen mihi occurrunt translata exempla, quam propria. Quare ea diligentius noto: sed tu, quæ verba in hujus nominis translatione usurpantur, in proprietate eadem usurpare ne dubita. Nos ad rem. Cic. *Famil.* II. Eo si onere carerem, quamvis parvis Italiæ latebris contentus essem. Idem *Famil.* III. Hoc nihil ad te; nostrum est onus. *Ibidem:* Quis ad me non perscripsit, te non solum autoritate orationis, sententia tua, sed etiam opera, consilio, domum veniendo, conveniendis meis, nullum onus officii cuiquam reliquum fecisse? Idem *de Orat.* I. Magnum est quoddam onus, atque munus, suscipere, atque profiteri se esse omnibus silentibus unum maximis de rebus magno in conventu hominum audiendum. Terent. in *Phorm.*

—— nunquam æque, ac modo
Paupertas mihi onus visum est & miserum, & grave.

Onus imponere. ONUS imponere. Cic. *Famil.* III. Oneris tibi imponere nec audeo quicquam, nec debeo. Idem *Famil.* V. Non ignoro, quam impudenter faciam, qui primum tibi tantum oneris imponam. Idem *Famil.* XIII. Nunc quando mihi ab amico officiosissimo tantum oneris imponitur, ego quoque tibi imponam pro tuis summis in me officiis. Idem *ad Quint. frat.* Sententias se rogaturum negavit, ne quod onus simultatis nobis imponeret. Idem *ad Att.* V. Non audeo tibi omnia onera imponere. Idem *ad Att.* XIII. Ne magnum onus observantiæ Bruto nostro imponerem. Idem *in Sall.* Mihi magnum dicendi onus imponitur. Idem *de Orat.* Neque vero ego hoc tantum oneris imponam nostris præsertim oratoribus in hac tanta occupatione urbis ac vitæ, nihil ut iis putem licere nescire.

Onus addere. ONUS ADDERE. Cic. *ad Att.* V. Ne quid inter cæsa & porrecta (ut ajunt) oneris mihi addatur, aut temporis.

Onus recipere. ONUS RECIPERE. Cic. *ad Brutum:* Volo mihi tecum commune esse crimen, ut, si sustinere tantam quæstionem non potuero, injusti oneris impositi tua culpa sit mea recepti.

Onus suscipere. ONUS SUSCIPERE. Cic. *pro Rosc. Amer.* Suscipis onus officii, quod te putas sustinere posse. Idem *in Verr.* Act. I. Adductus sum officio, ut onus hoc laboris suscipiendum putarem. Idem *in Verr.* Act. II. Hoc me profiteor suscepisse magnum fortasse onus, & mihi periculosum: veruntamen dignum, in quo omnes nervos ætatis industriæque meæ contenderem. Idem *in Verr.* Act. V. Plus etiam, quam pars virilis postulat, pro voluntate Populi Romani oneris suscipere debeo.

Onus tollere. ONUS TOLLERE. Cic. *pro Rosc. Amerino:* Fide sapientiaque vestra fretus plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo. Idem *in Verr.* Act. V. Omnes, qui alterum nullis impulsi inimicitiis, nulla privatim læsi injuria, nullo præmio adducti in judicium Reipub. causa vocant, providere debent, non solum quid oneris in præsentia tollant, sed quantum in omnem vitam negocii suscipere conentur.

Onus habere. ONUS HABERE. Cic. *ad Att.* Act. V. Atque hoc ego plus oneris habeo, quam qui cæteros accusarunt: (si onus id est appellandum, quod cum lætitia feras, ac voluptate) veruntamen hoc ego amplius suscepi, quam cæteri, quod ita postulatur ab omnibus, ut ab iis se abstineant maxime vitiis, in quibus alterum reprehenderunt.

Onus sustinere. ONUS SUSTINERE. Cic *Famil.* II. Quia majora in Repub. onera sustinere & possum, & soleam. Idem *Famil.* XIV. Quod scribis, si velim, te ad me venturum, ego vero cum sciam magnam partem istius oneris abs te sustineri, te istic esse volo Idem *Famil.* XV. Si quæ sunt onera tuorum, si tanta sunt, ut ea sustinere possis, nihil tibi erit lautius, nihil gloriosius. Idem *in Verr.* Act. VI Cur ego tuas partes suscipio? cur tuum onus sustineo? Idem *de Senectute:* Onus Ætna gravius mihi videor sustinere. Vatinius Cic. *Famil.* V Si me, sicut soles, amas, suscipe me totum, atque, hoc quicquid est oneris, pro mea dignitate tibi tuendum, ac sustinendum puta.

Onus perficere. ONUS PERFICERE. Cecinna Cicer. *Famil.* VI. Omne onus perficies: nisi forte aut in miseria nimis stulte, aut in amicitia nimis impudenter tibi onus impono.

Onere premi, vel opprimi. ONERE PREMI, vel OPPRIMI. Cic. *Famil.* V. Neque tamen, hæc cum scribebam, eram nescius, quantis oneribus premerere susceptarum rerum, & jam institutarum. Idem *Famil.* XIII. Primum velim existimes, quod res est municipii, fortunas omnes in isto vectigali consistere. His autem temporibus hoc municipium maximis oneribus pressum, summis affectum esse difficultatibus. Idem *pro Rosc. Amerino:* Quod si perferre non potero, opprimi me onere officii malo, quam id, quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere.

Levare onere, vel onus allevare. LEVARE ONERE, vel ONUS ALLEVARE. Cic. *Famil.* III. Leva me igitur hoc onere: nunquam enim mihi videor tractasse causam difficiliorem. Idem *pro Roscio Amer.* Hoc onus si vos aliqua ex parte allevabitis, feram, ut potero, studio & industria.

Onus deponere. ONUS DEPONERE. Cicero: Potero hoc onus tantum aut in hoc judicio deponere: aut diutius tacitus sustinere?

Provincia. PROVINCIA. Quoniam cum translata oneris significatione convenit hoc nomen, longius rejiciendum non existimavi, sed hic in præsentia explicandum duxi. Est autem hoc loco provincia non terra: ut, provincia Sicilia, provincia Asia, provincia Gallia, provincia Consularis, provincia Prætoria: sed est onus, negocium, munus, partes, pensum, labor, officium. In qua significatione quare ponatur provincia, rationem, quæ sequitur, afferre solent. Quoniam Præfecti ad provincias gubernandas cum officio mitti solebant, factum est

etiam, ut ipsi magistratus, & omne onus nobis impositum, provincia appelletur. Sed quando duplici significato est, utrunque suis hic exemplis illustremus.

Provincia pro terra. PROVINCIA PRO TERRA. Provinciam in hac significatione Grammatici dici volunt, quod procul vinci videatur. Proprie enim provinciæ dictæ sunt regiones longe ab Italia bello acquisitæ, quod eas Romanus Populus provicerit. Prima autem omnium Sicilia est appellata provincia, sicut docet Cic. Act. IV. *in Verr.* Et provinciarum aliæ erant Consulares: aliæ Prætoriæ.

Redigere regiones in provinciæ formam. Redigere vero regiones in provinciæ formam, nihil aliud est, quam regiones subjicere imperio Romano, & ad eam gubernandam mittere Præfectum. De his & multis aliis reconditioribus, quæ ad hanc vocem pertinent, vide Gulielmi Budæi (ad quem te honoris causa allego) primas *Annotationes in Pandectas*. Ego ad exempla venio. Cic. *ad Quint. frat.* Referebatur de provinciis Quæstorum, & de ornandis Prætoribus. Idem *pro Fontejo*: Provinciæ Galliæ M. Fontejus præfuit. Idem *pro Flacco*: Sylla omnes Asiæ civitates pro portione in provincias descripsit. Idem *pro Domo sua*: Tu provincias Consulares, quas C. Gracchus constitui per Senatum decreta lege sanxit, eas lege Sempronia per Senatum decretas rescidisti. Idem *in Pison* Quas res gessisti in imperio, exercitu, provincia consulari,

Provinciam obtingere alicui. PROVINCIAM OBTINGERE ALICUI. Provincia obtingere alicui dicitur, cum sortito provincia regenda illi committitur. Cic. *ad Attic.* Asiam Quinto suavissimo fratri obtigisse audisti. Idem *in Verr.* Quæstor ex Senatusconsulto provinciam sortitus es: obtigit tibi Consularis.

Provinciam obtinere. PROVINCIAM OBTINERE. Provinciam obtinere, modus est loquendi, quo significatur, habere provinciam ad tempus administrandam: ut Proconsul, ut Prætor, ut Quæstor, vel alius Magistratus. Cicero *in Verr.* Jam antea in sella sedens Prætor, cum provinciam Siciliam obtineret, &c. Idem *pro Flacco*: Cum Asiam provinciam consulari imperio obtineres. Idem *pro Ligario*: Interim P. Actius Varus, qui Prætor Asiam obtinuerat, Uticam venit. Idem *in Vatinium*: Cum Quæstor Macedoniam obtinebat. Idem *in Philipp.* C. Cæsar legem tulit, ne Prætoriæ provinciæ plus quam annum, Consulares plus quam biennium obtinerentur.

Provinciam habere. PROVINCIAM HABERE. Cic. *Famil.* II. Vides ex Senatusconsulto provinciam esse habendam. Idem *de Provinc. Consular.* Ut Prætores annuas provincias habeant.

Provinciam deponere. PROVINCIAM DEPONERE. Cic. *in Pison.* P. Lentulus provinciam, quam & autoritate Senatus, & sorte habebat, interposita religione deposui.

Provincialis. PROVINCIALIS. Provinciales dicti sunt aliquando qui ex provinciis erant: sive, inquit Ulpianus, qui in provinciis domicilium habebant. Provincialium quoque nomine omnes, præter Italicos, appellabantur. Unde Columella *l. v. c.* IV. tradit vinearum provincialium culturam, cum alibi de Italicarum agricultura scribat. Plin. *Epist.* VIII. Italicus es, an provincialis?

Provincialis pro ad provinciam pertinente. PAULO tritiori significato dicitur provinciale, quod ad provinciam pertinet: vel quod provinciæ est. Cic *Famil.* II. Rogo te, ne patiaris mihi quicquam ad hanc provincialem molestiam temporis prorogari. Idem *ad Q. fratr.* In qua scientia præsertim provincialis ratio expedita est. Idem *in Catil.* Hospitia provincialia. Idem *post Red. in Senat.* Qui omnibus provincialibus ornamentis commodisque depositis, totam suam Quæsturam in me sustentando & conservando collocavit.

Provincia, pro onere, vel negotio. PROVINCIA, PRO ONERE, VEL NEGOTIO. Cic. *pro Cæl.* Hoc fuit totum consilium mulieris: hæc istorum provincia, qui rogati sunt. Plaut. in *Capt.*

Quid credis? fugitant omnes banc provinciam,
Postea quam captus Philopolemus tuus.

Provinciam deposcere. PROVINCIAM DEPOSCERE. Cic. *pro Syll.* Is illam sibi officiosam provinciam deposcit, ut prima luce consulem salutatum veniret.

Provinciam dare, vel tradere. PROVINCIAM DARE, vel tradere. Cic. *in Verr.* Act. VI. Ascendit in oppidum Artagathus, homo nobilis, qui a suis & amari & diligi vellet: ferebat graviter, illam sibi ab isto provinciam datam: nec, quid faceret, habebat. Idem *do Finib.* I. Erit hoc, quasi provincias atomis dare, quæ recte, quæ oblique ferantur. Terent. in *Heaut.*

Idcirco huic nostro tradita est provincia.

Provinciam capere. PROVINCIAM CAPERE. Terent. in *Phorm.*

O Geta, provinciam cepisti duram.

Provinciam sustinere. PROVINCIAM SUSTINERE. Cic *pro Cæl.* Atque equidem vehementer expectabam, quinam isti viri boni testes hujus manifesto deprehensi veneni dicerentur: nulli enim sunt adhuc nominati: sed non dubito, quin sint pergraves, qui primum sint talis fœminæ familiares: deinde eam provinciam susceperint, ut in balneas contruderentur.

Pondus. PONDUS. De translata hujus nominis significatione, cum pro autoritate, vel momento accipitur, satis multa primo Tomo annotavimus. Hic igitur de propria tantum a me scribetur, & translatione non ostensa. Dicitur autem pondus, quod librando ad stateram ponderatur: vel quod grave est: aut ipsa gravitas: aut gravis summa: gravisque vis, vel numerus: ut pondus auri, pondus argenti, & similium Cic. *in Verr.* Act. III. Audistis ex æde Minervæ grande auri pondus ablatum. Idem *pro Cæcinna*: Uxori grande pondus argenti legavit. Idem *Philipp.* II. Maximus vini numerus fuit: permagnum optimi pondus argenti. Idem *de Nat. Deor.* III. Cum ad Peloponnesum classem appulisset, & in fanum venisset Jovis Olympii, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere. Idem *de Fato*: Omne pondus nulla re impediente moveatur & feratur necesse est.

Translate positum. TRANSLATE POSITUM. Cic. *de Orat.* II. Sententiarum gravitate, verborum ponderibus est utendum. Idem *Offic.* III. Non numero hæc judicantur, sed pondere. Idem *de Natur. Deor.* Grave ipsius conscientiæ pondus est.

Ponderosus. PONDEROSUS. Cic. *ad Att.* I. Huic puero da ponderosam aliquam epistolam.

Ponderare. PONDERARE. Ponderare est pendere, vel appendere, aut ponderibus examinare, vel librare. Proprie, vel translate ponitur.

Proprie positum. PROPRIE POSITUM Plautus:

Dum nummularius ponderat argentum.

Translate positum. TRANSLATE. Cic. *Famil.* II. Ego, si mea in te essent officia solum tanta, quanta magis a teipso prædicari, quam a me ponderari solent, verecundius a te, si qua magna res mihi petenda esset, contenderem, &c Idem *in Verr.* Act. III. Nolite, quæso, judices brevitate orationis meæ potius, quam rerum ipsarum magnitudine crimina ponderare: mihi enim properandum necessario est, ut omnia vobis, quæ mihi constituta sunt, possim exponere. Idem *pro Font.* Sin autem in rebus judicandis non minimam partem ad unamquanque rem existimandam, momentoque suo ponderandam sapientia judicis tenet, næ multo vestræ majores gravioresque partes sunt ad cogitandum, quam ad dicendum meæ. Idem *pro Cæcinna*: Verba si valent: si causæ non ratione, sed vocibus ponderantur, me autore dicito. Idem *pro Sylla*: Quod quisque admiserit, non ex crimine, sed ex moribus ejus, qui arguitur, est ponderandum. Idem *pro R b. Posth.* Judex non solum quid possit, sed etiam quid deceat, ponderare debet Idem *pro Planc.* Fit vestra diligentia, qui in causis ponderandis omnes fere repudiatis, ut ad nos pleræque confluant. Idem *in Pison.* Non eventis, sed factis cujusq; fortunam ponderari dicere audes. Idem *de Orat.* III. Delectus est quidam habendus, atque is aurium quodam judicio ponderandus. Idem in *Bruto*: Non quantum quisque prosit, sed quantum quisque scit, penderandum est. Idem *Offic.* I. In quo tamen in primis, quo quisque animo fecerit, ponderandum est. Idem *Offic.* II. Gravi homini, & ea quæ fiunt judicio certo ponderanti, probari posse nullo modo puto Item in *Tusc.* Ea re, non verbis ponderantur. Idem *de Leg.* Epicurei omnia voluptatibus & doloribus ponderant.

Pondo. PONDO. Pondo pro libra ponitur. Aliquando tamen pro pondere. Cicero *pro Cluen.* Is armarii fundum execuit, & sestertiorum, & auri quinque pondo abstulit. Idem *pro Flacco*: Ante pedes Prætoris in foro expensum est auri pondo centum paulo minus per Sestium Idem *de Invent.* II. Paterfamilias, cum filium hæredem faceret, vasorum argenteorum centum pondo sic legavit, &c. Idem in *Paradox.* Non est vir bonus, qui depositum nullo teste, cum lucrari impune possit auri pondo decem, reddiderit, si idem in decem millibus pondo auri non fecerit.

Libra. LIBRA. Libra instrumentum est, quo res ponderantur cum lancibus. Alio nomine bilancem vocant. Cic. *de Orat.* I. Tanquam in procinctu testamentum faceret sine libra, atque tabulis. Idem *Tusc.* V. Quo loco quæro, quam vim habeat libra i la Critolai: qui cum in alteram lancem animi bona imponat: in alteram corporis, & externa, tantum propendere illam boni lancem putet, ut terram & maria deprimat.

Libra pro asse. PRÆTER HANC significationem libra dicitur as, vel mina, seu mina, duodecim constans unciis. A qua fit libella diminutivum. Libella. Et significat nummulum argenteum, qui & as dicitur. Cic. *in Verr.* Act. III. Ec quis Volcatio, si sua sponte venisset, unam libellam dedisset? Libellam pro asse posuit: A ex eo dictam, quod libra æris valebat, id est, asse. Cum autem minimam pecuniolam significare volebant, assem & libellam dicebant. Idem *pro Roscio Comœd.* de pœna plus petentium loquens: Si perierit sestert. LIII. hic, nisi planum facit sester. LIII. ad libellam sibi deberi, causam perdit. Id est, si minimo quidem nummo minus debitum fuit, ex formula plus petitionis, causa cadit. Plautus in *Cas.*

Una libella liber possum ego fieri.

LIBRILE. Librile, ut inquit Festus, est Librile. B scapus libræ.

LIBRIPENS. Libripens a pendendo dicitur secundum Prisc. Estque militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensator. Libripens. Qua consuetudine in iis emptionibus, quæ mancipii sunt, etiam nunc libra interponitur. Hæc Plin. l. XXXIII. c III. Boetius *Comment.* III. Mancipatio imaginaria quædam est: quod ipsius jus proprium est civium Romanorum. Ea res ita agitur adhibitis non minus quam quinque testibus civibus Romanis puberibus, & eo, qui libripens dicitur: is, qui mancipium accipit, C æs tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, isque mihi emptus est hoc ære, æneaque libra. Deinde ære percutit libram, idque æs dat ei, a quo mancipium accipit, quasi pretii loco.

LIBRARE. Librare est ponderare. Cicer. Librare *Tusc.* V. Unde terra, & quibus librata ponderibus, quibus cavernis maria sustineantur.

LIBRARE etiam est jacere, vel emittere. Librare, pro emittere, vel jacere. Plin. in *Panegyr.* Nihil a ceteris, nisi robore, D ac præstantia differens, cum nunc cominus tela librares, nunc librata susciperes.

AB HAC LIBRANDI significatione dicitur librator, qui lapides emittit in bello. Librator. Cornelius Tac. Libratoribus, funditoribusque attributus locus, unde eminus lapides & glandes torquerent.

LIBRAMENTUM. Libramentum est æquamentum. Librmentum. Cicer. in *Academic* Non quæro ex his illa initia Mathematicorum, quibus non concessis, digitum progredi non possunt: punctum esse, quod magnitudi- E nem nullam habet: extremitatem, & quasi libramentum, in quo nulla omnino crassitudo sit, &c plin. in *Epist.* An nescio quod libramentum abditum, & cæcum, quod cum examinatum est, suscitat & elicit fontem.

LANX. Lanx interdum dicitur vas latum Lanx. & profundum, minus excavatum quam patinæ. Vas scilicet escarium, in quo cario tam tosta quam elixa conditur, mensæque infertur Cicer. *ad Attic.* VI. Lancibus, Lanx pro vase escario. & splendidissimis canistris, non olusculis nos soles pascere. Plaut in *Amphit.*

F *Interea dum isti certant, in popinam divertundum est mibi:*

Lance detergam omnes, omnesque trullas bauriam.

Idem in *Curcul.*

In carnario fortasse dicis. PH. *Imo in lancibus.*

Plin. l. XXXIII. Lances e centenis libris argenti tunc super quingentas numero, Romæ fuisse constat. Juvenal. *satyr.* V.

Aspice, quam magno distendat pectore lancem,
Quæ fertur domino squilla, & quibus undique septa
Asparagis.

Horat. in *Serm.*

—— iligna nutritus glande rotundas
Curvat aper lances.

Lanx pro statera.

ALIA SIGNIFICATIONE lances stateras dici certum est. Unde vocantur bilances, quæ duas lances habent. Cic. in *Academ.* Necesse est, ut lancem in libra ponderibus impositis deprimi: sic animum perspicuis cedere. Idem *de Finib.* V. Audebo igitur, quæ secundum naturam sint, bona appellare, nec fraudare suo veteri nomine, quam aliquid potius novum exquirere: virtutis autem amplitudinem quasi in altera libræ lance ponere. Terram, mihi crede, ea lanx & maria deprimet.

Statera.

STATERA. Statera instrumentum est, quo res sine lancibus ponderandum. Cic. *de Orat.* II. Hæc nostra oratio multitudinis est auribus accommodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quæ non artificis statera, sed quadam populari trutina examinantur.

Trutina.

TRUTINA. Trutinam quidam scribunt foramen esse, intra quod est lingua bilancis, ad quod est examinatio: quod alii æquamentum, alii libramentum, alii æquilibrium vocant. De quo nomine exemplum vide in statera: ubi & statera & trutina per translationem pro judicio ponitur. Vitr. l. II. Id autem ex trutinis, quæ stateræ dicuntur, licet considerare.

Trutinare.

TRUTINARE. Trutinare est trutina examinare: quod verbum translate posuit Persius, pro examine perpendere, his verbis:

Atque exporrecto trutinantur verba labello.

Examinare. Examen.

EXAMINARE. Examinare ab examine ducitur, cum accipitur pro stylo, vel lingua lancis, aut stateræ: quæ, quo pondus se vergit, exit. Vergil. *Æneid.* X.

Jupiter ipse duas æquato examine lances.

Examinare proprie positum.

Ab ea igitur significatione examinis ponitur examinare proprie, pro trutinare, vel in lance ponderibus adjectis perpendere. Cicer. *Tuscul.* I. Cum sui similem & levitatem, & calorem adeptus, tanquam paribus examinatus ponderibus, nullam in partem movetur. Cæs. *de Bello Gall.* l. V. Utuntur nummo aureo, aut annulis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo.

Translate positum.

Translate vero ut examen pro inquisitione, vel indagatione ponitur: ita examinare per translationem accipitur pro perpendere, ponderare, excutere, disputare, exquirere, aut in manibus jactare. Cic. *pro Plancio*: Ego hoc meis ponderibus examinabo, quid cuique debeam. Idem *de Orat.* II. Ad ea probanda, quæ non artificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. Legunt nonnulli aurificis pro artifice. Idem in *Orat.* Ac tamen in hoc ipso diligenter examinante verborum omnium pondera, reprehendit Æschines quædam, & exagitat: illudensque, dura, odiosa, intolerabilia esse dicit.

CONSCENDERE.

MULTA simul attexendi argumentum dedit verbum imponere: quibus diligenter, ut visum est, demonstratis ad rei naviculariæ voces jam redeo, significationumque perpetuationi, quantum licet, fervio. Fert autem significationum perpetuatio, ut, ubi in navem vel quod libet, vel quod necessarium est, imposuimus, tandem ipsi conscendamus: deinde solvamus: postea navigemus. Morem igitur meum in significationibus continuandis retineo. Sed jam de conscendendi significatione & usu scribendum est. Itaque conscendere proprie de navigantibus dicitur, qui in naves ascendunt. Sed varie a Latinis usurpatur. Etenim aut sine accusativo est, aut cum accusativo.

SINE ACCUSATIVO.

Cicer. *Famil.* XII. Quamobrem mi Quinte conscende nobiscum.

Idem *ad Qu. Frat.* Tu velim quamprimum conscendas, ad meque venias.

Idem *ad Att.* IX. Si & Cneus bene comitatus conscendisset: & consules transissent.

Idem. Ephesо conscendentes hanc epistolam dedimus.

Idem: Hæc ego conscendens e Pompejano, dedi actuariolis.

Idem: Cum me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent, ab eo loco conscendi, ut transmitterem: nec ita multum provectus, rejectus Austro sum in eum locum, unde conscenderam.

Cæsar: Erat completis littoribus contentio, qui potissimum ex magno numero conscenderent.

Titus Livius: Conscendunt alacres copiæ.

CUM ACCUSATIVO.

MEMINI, cum de nave a me scriberetur, huc servasse exempla, quæ sequuntur: scilicet navem conscendere: idque est, quod dicimus, conscendere cum accusativo poni.

Cicero *Famil.* III. Pontinius ut vidit tua interesse, conscendens jam navem Ephesо Laodiceam revertit.

Cæsar *de Bello Civili* l. III. Comitatu equitum XXX. ad mare pervenit, navemque frumentariam conscendit.

Ibidem: Naviculam parvulam conscendit cum paucis suis.

CUM ACCUSATIVO, ET PRÆPOSITIONE.

Cicero *Famil.* XIII. Navem spero nos valde bonam habere, in eam simul atque conscendi, hæc scripsi.

Plautus in *Bacch.*

Postquam aurum abstulimus, in navim conscendimus, domum cupientes.

CONSCENSIO.

Cicero *de Divin.* I. Remex quidam vaticinatus est madefactum iri minus triginta diebus Græciam sanguine: rapinas Dyrrhachii, & conscensionem in naves cum fuga, fugientibus miserabilem respectum incendiorum fore.

SOLVERE.

VERBI hujus significationem tantum hic tractamus, quæ hujus loci est; scilicet quæ ad rem navicularium pertinet. Est autem hoc loco idem, quod solutis anchoris navigationi se committere. Et accusativum habet, vel sine casu est: præterquam quod sive accusativum habeat, sive eo careat, fere ablativo jungitur cum præpositione a, vel ab. Nos tamen ita usum distinguemus, ut aut cum accusativo sit, aut sine accusativo.

SINE ACCUSATIVO.

Cicero *Famil.* XVI. Interea qui cupide profecti sunt, multi naufragia fecerunt: nos eo die cœnati solvimus: inde Austro lenissimo, cœlo sereno, in Italiam ad Hidruntem ludibundi pervenimus.

Idem *pro Mur.* Si portu solventibus ii, qui jam in portum ex alto invehuntur, præcipere summo studio solent & tempestatum rationem, & prædonum, & locorum, quod natura affert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur: quo tandem animo me esse oportet prope jam ex magna jactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas Reipubl. tempestates esse subeundas?

Idem *Off.* III. Si idem sciret mercatores ab Alexandria solvisse, &c.

Idem *de Divinat.* Agamemnon solvere imperat aversa avi.

Cæsar *de Bello Gall.* l. IV. His rebus pace firmata, post diem quartam, quam est in Britanniam ventum, naves octodecim, de quibus supra demonstratum est, quæ equites sustulerant, ex superiori portu leni vento solverunt. Naves hoc Cæsaris loco nominativi casus sunt, non accusativi.

Idem *de Bello Civili* l. III. Cum ignis magnitudine venti latius serperet, milites, qui ex veteribus legionibus erant relicti præsidio navibus ex numero ægrorum, ignominiam non tulerunt, sed sua sponte naves conscenderunt, & a terra solverunt.

CUM ACCUSATIVO.

Cæsar *de Bello Gallico* l. V. Ipse cum legionibus quinque, & pari numero equitum, quem in continenti reliquerat, ad solis occasum naves solvit.

Idem *de Bello Civili* lib. I. Pompejus sub nocte naves solvit.

Idem *de Bello Civili* l. III. Ut ex his locis discederent, contra voluntatem suam naves solvere jubebantur.

NAVIGARE.

Navigare cum accusativo. NAVIGARE est navim agere, vel navi vehi, aut navi iter facere. Quod verbum tametsi neutrum sit, huic tamen accusativum dant aliquando Latini. Cicer. *de Finib.* II. Si Xerxes, cum tantis classibus, tantisque equestribus, & pedestribus copiis, Hellesponto juncto, Athoque perfosso, maria ambulavisset, terramque navigavisset: si, cum tanto impetu in Græciam venisset, causam ejus quis ex eo quæreret tantarum

A copiarum, tantique belli, mel se afferre ex Hymetto voluisse diceret, certe sine causa videretur tanta conatus. Verg. *Æneid.* I.

Gens inimica tibi Tyrrhenum navigat æquor.

Non minus nove & eleganter dixit Plin. l. II. c. LXVII. A Gadibus, columnisque Herculis, Hispaniæ, & Galliarum circuitu totus hodie navigatur Occidens. Septentrionalis vero Oceanus majore ex parte navigatus est. Hic sit abstrusior navigandi usus.

B Vulgarem vero sequentia exempla ostendent. In quibus si quid observandum est, id solum observandum est, cum in ipso navigationis cursu inest commoditas, vel incommoditas: quæ pulchre adverbiis quibusdam exprimi solet. Exempla igitur commoditatis, vel incommoditatis separatim trademus, si prius, quæ nullum ornatum illustriorem habent, id est, vulgariora, attulerimus.

VULGARIORA EXEMPLA.

Cicero *ad Att.* V. Negocium magnum

C est navigare.

Idem *ad Att.* X. Recordor, cum illo Rhodiorum aphracto navigavi, quam fuerim sollicitus.

Idem; Quis navigavit, qui non se aut mortis, aut servitutis periculo committeret?

Idem: Ut primum Velia navigare cœpi, &c.

Idem: Ille, ut ajebat, Italiam versus navigaturus erat.

Idem: Cum primum nobis facultas navigandi data erit, ea utemur.

Idem: In quo difficultas navigandi fuit

D odiosa.

Idem: Hac classe M. Crassus ab Hemo in Asiam: his navibus Flaccus ex Asia in Macedoniam navigavit.

Idem: Duo quidam, cum jam in alto navigarent, &c.

Servius Cic. *Famil.* IV. Ex Asia rediens, cum ab Ægina Megaram versus navigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere

Navigare commode.

Hoc adverbio omnem navigandi commoditatem prænotamus, sive nominibus, sive adverbiis aliis exprimatur.

E Cicero *Famil.* XVI. Ne naviges, nisi explorare. Explorare.

Ibidem: Si poteris, cum Mescinio naviga: soletis caute navigare. Caute.

Ibidem: Cum recte navigari poterit, tum naviges. Recte.

Idem *ad Att.* Scire volebam, te commode navigasse. Commode.

Ibidem: Inde ad quintum Idus Corcyram bellissime navigavimus. Belle.

Ibidem: Magis commode, quam strenue navigavi: remis enim magnam partem. Commode.

F *Ibidem:* Navigavimus sine timore, & sine nausea: sed tardius propter aphractorum Rhodiorum imbecillitatem. Sine timore, sine nausea.

Ibidem: Te in Epeirum salvum venisse, & ex sententia navigasse, vehementer gaudeo. Ex sententia.

Ibidem: Hanc epistolam dedimus L. Tarquinio simul e portu egredienti, sed expeditius naviganti: nos Rhodiorum aphractis, cæterisque longis navibus tranquillitates aucupaturi eramus.

Considerare. Idem *ad Quint. Frat.* Fac considerate diligenterque naviges.

Feliciter. Idem: Romam venit, satisque feliciter anni jam adverso tempore navigavit.

Plenissimis velis. Idem: Plenissimis velis navigasses.

Commode. Cæsar *de Bello Gall.* IV. Navibus amissis reliquis, ut navigari commode posset, efficit.

Idem *de Bello Civili* l. III. Tempus anni commodius ad navigandum.

Navigare incommode.

Tarde & incommode. Cicero *Famil.* XIII. Pridie Idus Octobris Athenas venimus, cum sane adversis ventis usi essemus, tardeque & incommode navigassemus.

Idem: Maluimus facere iter pedibus, qui incommode navigassemus.

Idem: Arbitror commodius tarde navigare, quam omnino non navigare.

Temere. Idem: Ne temere naviges.

Idem: Inde Sardiniam cum classe venit, nondum tempestivo ad navigandum mari.

Idem: Infero mari nobis, incerto cursu, hyeme maxima navigandum est.

Cæsar *de Bello Alexand.* lib. IV. Adverso tempore naves conscendit.

RENAVIGARE.

Cicero *ad Att.* XIV. Ipse eo die in Pæti nostri Tyrotharicum imminebant: perpaucis diebus in Pompejanum, post in Puteolana & Cumana regna renavigare cogitabam.

NAVIGATIO.

NAVIGATIO est cursus maritimus. Quod nomen exempla habet, in quibus, ut in navigare, commoditatem & incommoditatem inesse videas. Et enim, ut dicimus, commode, belle, recte, feliciter navigare: ita commodam, bellam, felicemque navigationem dicere possumus: atque iis contraria opponere.

Cicero *Famil.* VI. Præter navigationis longæ, & hyemalis, & minime portuosæ periculum, quod vitaveris, ne illud quidem negligendum est, quamvis subito, cum certi aliquid audieris, te isthuc posse proficisci.

Idem *ad Q. Fratr.* Ajebant te prima navigatione transmissurum.

Idem *ad Att.* II. Navigatio perdifficilis fuit, &c.

Idem *de Senect.* Quæ mihi quidem maturitas tam jucunda est, ut quo propius ad mortem accedam, quasi terram videar videre, aliquandoque in portum ex longa navigatione esse venturus.

Idem in *Academ.* Cum totum iter, & navigationem consumpsisset partim in percontando a peritis, partim in rebus gestis legendis, &c.

Asinus Cic. *Fam.* X. Nulla post hyemem fuit ante eam diem navigatio.

Navigationi se committere.

Cicero *Famil.* XVI. Quare nunc quidem non dubito, quin, quoad plane valeas, te neque navigationi, neque viæ committas.

Ibidem: Ne te longæ navigationi, & viæ per hyemem nisi bene firmum committas.

Navigationem subire.

Cæsar *de Bello Gall.* l. IV. Quod propinqua die æquinoctii infirmis navibus hyemis navigationem subeundam non existimabat, ipse idoneam tempestatem nactus, paulo post mediam noctem naves solvit.

Navigationem impedire, vel præcludere.

Cæs. *de Bello Gall.* l. V. Itaque dies circiter viginti quinque in eo loco commoratus, quod Chorus ventus navigationem impediebat, qui magnam partem omnis temporis in his locis flare consuevit, dabat operam, ut Dunnorigem in officio contineret, nihilo tamen secius omnia ejus consilia cognosceret.

Idem *de Bello Alexand.* IV. Quæ diversæ navigationes nunquam uno tempore adversis ventis præcludebantur.

Navigationem omittere.

Cicero *ad Q. Frat.* Tu mi frater, simulac ille venerit, primam navigationem (dummodo idonea tempestas sit) ne omiseris.

APPENDIX.

DE Nauseæ significatione, quoniam in navigationem utplurimum cadere solet, hoc loco scribere non absurdum videbitur: quandoquidem nec alio loco tam commode quadraret. Est autem nausea, stomachi ad vomitum ex gravi odore perturbatio. A navi deductum nomen, ex cujus sentina movetur plerunque vomitus. Per translationem pro fastidio sæpe a Latinis ponitur. Cic. *Famil.* XVI. Festinare te volo, ne nauseæ molestiam suscipias æger. Idem *ad Att.* V. Navigavimus sine timore & nausea. Idem *ad Attic.* XIV. Nauseolam tibi tum causam otii dedisse facile patiebar. Nausea.

NAUSEARE. Nauseare a nausea est: & significat nausea & vomitu infestari. Cic. *Famil.* VII. Posthac igitur erimus cautiores: tu tamen cum audisses ab Anitio (vidit enim me nauseantem) non modo mittendi causam justam habuisti, sed etiam visendi. Idem *Famil.* XII. Sic sum in Antonium invectus, ut ille non ferret, omnemque suum vinolentum furorem in me unum effunderet, meque cum cliecre vellet ad cædis causam, tum tentaret insidiis, ego ructantem & nauseantem conjeci in Cæsaris Octaviani plagas. Idem *ad Att.* V. Quam epistolam dedisti nauseans Buthroto. Idem *Philipp.* II. Non dissimulat P. C. apparet esse commotum: sudat, pallet: quidlibet, modo ne nauseet, faciat: quod in porticu Numitia fecit. Idem *de Natura Deor.* I. Quam bellum erat, Vellei, confiteri potius nescire, quod nescires, quam ista effutientem nauseare? Nauseare.

VEHERE.

VEHIMUR & curru, & navi. Quorum alterum ad hunc locum pertinet: alterum hinc remotum est. De utroque tamen hic exempla dabimus.

CUM CURRU VEHIMUR.

CUM curru vehimur: id est, cum extra

tra rem naviculariam positum est hoc verbum, sive vehamur equo, sive plaustro, sive rheda.

Cic. *in Pison.* Inania sunt ista, mihi crede, delectamenta pene puerorum: captare plausus: vehi per urbem: conspici velle.

Idem *pro Mil.* Alter vehebatur in rheda penulatus.

Idem *Philipp.* II. Vehebatur in essedo Tribunus Plebis.

Idem *de Divinat.* II. Equus, in quo vehebar, mecum una demersus, rursus apparuit.

CUM NAVI VEHIMUR.

Cic. *in Verr.* Act. VII. Phalargum Centuripinum dixeram exceptum esse a Cleomene, quod in ejus quadriremi vectus esset.

Idem *Tuscul.* I. Itaque dubitans, circunspectans, hæsitans, tanquam ratis, in mari immenso nostra vehitur oratio.

VECTOR.

VECTOR dicitur, qui vehit, & qui vehitur, sive id fiat equo, sive navi.

PRO EO, QUI VEHIT.

Cic. *ad Attic.* X. Hominem bonum, & doctum, & probum existimo: quinetiam navi ejus me, & ipso vectore usurum puto.

PRO EO, QUI VEHITUR.

Cicero *ad Att.* II. Male vehi malo alio gubernante, quam tam ingratis vectoribus bene gubernare.

Idem *pro Sest.* Si mihi in aliqua nave cum meis amicis naviganti hoc, judices, accidisset, uti multi ex multis locis prædones classibus eam navem se oppressuros minitarentur, nisi me unum sibi dedidissent, si id vectores negarent, ac mecum simul interire, quam me tradere hostibus, mallent, &c.

Idem *Philipp.* VII. Summi gubernatores in magnis tempestatibus a vectoribus admoneri solent.

Idem *de Nat. Deor.* III. Cum ei naviganti vectores adversa tempestate timidi, & perterriti dicerent, non injuria sibi illud accidere, qui illum in eandem navem recipissent, ostendit eis in eodem cursu multas alias laborantes.

VECTIO.

Cic. *Offic.* III. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones.

VEHICULUM.

VEHICULUM dicitur, in quo aliquid vehitur: ut currus, rheda, essedum, & similia.

Cic. *ad Att.* X. Ego vehiculo, si navis non erit, eripiam me ex istorum parricidio.

Idem *in Verr.* Act. VII. Illi tibi furtorum vehiculum comparaverunt.

Idem *in Pis.* Neglectis vehiculis triumphalibus domi manet.

Idem *pro Milone*: Quid horum non impudentissimum? vestitus, an vehiculum?

A

VECTURA.

VECTURA est actus vehendi, vel vectio. Vel est merces, quæ pro vectura solvitur: ut puta pro navi, sive vehiculo, sive equo meritorio.

Cicero *Famil.* II. Laodiceæ me prædes accepturum arbitror omnis pecuniæ publicæ, ut & mihi, & populo cautum sit sine vecturæ periculo.

Idem *ad Attic.* I. Misimus, qui pro vectura solveret.

B

Idem *ad Attic.* XV. Petii ab eo de mulis vecturæ, &c.

Idem *in Verr.* act. V. Secuti sunt avariores magistratus, qui tamen in avaritia sua non solum viam quæstus invenerunt, verum etiam exitum ac rationem defensionis instituerunt: semper ad ultima ac difficillima loca apportandum frumentum imperare, ut vecturæ difficultate, ad quam vellent æstimationem, pervenirent.

SUBVEHERE.

C

Cæsar *de Bel. Gall.* lib. I. Eo frumento, quod flumine Arare navibus subvexerat, propterea minus uti poterat, quod iter ab Arare Helvetii averterant.

TRANSVEHERE.

Cic. *de Fin.* V. versus quosdam Homeri vertens:

Nemo hæc est unquam transvectus cærula cursu,
Quin prius astiterit vocum dulcedine captus.

D

Sallust. *in Jugurt.* Ex eo numero Medi, & Persæ, & Armenii cum navibus in Africam transvecti, proximos nostro mari locos occupavere.

TRANSVECTIO.

Cicero *Tuscul.* I. Dic, quæso, num te illa terrent? triceps apud inferos Cerberus? Cocyti fremitus? transvectio Acherontis? mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus?

E

PRÆTERVEHERE.

PRÆTERVEHERE est ultra vehere. Quod ponitur proprie: vel translate.

PROPRIE POSITUM.

Cic. *in Verr.* Act. VII. Tandiu in imperio suo classem iste Prætor diligens vidit, quandiu convivium ejus flagitiosissimum prætervecta est.

F

Ibid. Insulam totam prætervectus est: quæ est urbis magna pars Syracusis suo nomine, ac mœnibus.

Idem *de Finib.* V. Mihi quidem Homerus hujusmodi quiddam vidisse videtur in his, quæ de Sirenum cantibus finxerit: neque enim vocum suavitate videntur, aut novitate quadam, & varietate cantandi revocare eos solitæ, qui prætervehebantur: sed quia multa se scire profitebantur, ut homines ad earum saxa dicendi cupiditate adhæresceret.

TRANSLATE POSITUM.

Cic. *pro Cornel. Balbo*: Ei succedo orationi, quæ non prætervecta sit aures vestras, sed in animis omnium penitus insederit: ut plus voluptatis ex recordatione illius orationis, quam non modo ex mea, sed ex cujusquam oratione capere possitis.

Idem *pro Cælio*: Emersi jam e vadis, & scopulos prætervecta est oratio mea.

Idem *Philipp.* VII. Magna spe ingredior in reliquam orationem P. C. quoniam periculosissimum locum silentio sum prætervectus.

PRÆTERVECTIO.

Cic. *in Verr. Act.* VII. Monumentum sceleris audaciæque suæ voluit esse in conspectu Italiæ, vestibulo Siciliæ, prætervectione omnium, qui ultro citroque navigarent.

TRANSFERRE.

Proprie positum.

TRANSFERRE est transvehere, vel deportare, sive id navi fiat: sive vehiculo, aut alio quovis vecturæ genere. Cic. *in Verr. Act.* VI. Fuit apud Segestanos ex ære simulachrum Dianæ tum summa, atque antiquissima præditum religione: tum singulari opera, artificioque perfectum. Hoc translatum Carthaginem, locum tantum, hominesque mutarat: religionem quidem pristinam conservabat. Idem *Philipp.* III. Quid hic victor non audebit, qui nullam adeptus victoriam, tanta scelera per Cæsaris interitum fecerit? refertam ejus domum exhauserit? hortos compilarit? ad se omnia ex his ornamenta transtulerit?

Extra propriam significationem.

PROPRIA HÆC EST transferendi significatio. Extra quam in multa loquendi genera distrahitur: ut, transferre se ad aliquid: transferre aliquid in aliquem, transferre verba, vel dictiones: & similia multa, quæ exemplis sequentibus demonstrabuntur. Cic. in *Famil.* Transferre animum ad aliqua. *Ibidem*: Ut de tuo edicto totidem verbis transferam in meum. Idem *ad Attic.* Ut omnem culpam in te transferas. *Ibidem*: Totam Academiam ab hominibus nobilissimis abstuli, transtulique ad nostrum sodalem. *Ibidem*: Istum ego locum totidem verbis a Dicæarcho transtuli. Idem *pro Rosc. Comœdo*: Qui tabulas conficiunt, menstruas pene rationes in tabulas transferunt. Idem *in Verrem*: Hoc idem transfero in magistratus. Idem *pro Cluentio*: Non est probandum, illos ad notationes Censorias exemplum a consuetudine militari transtulisse. Idem *pro Mur.* Cum te de curriculo petitionis deflexisses, animumque ad accusandum transtulisses. *Ibidem*: Cum omnis potestas deorum immortalium aut translata sit ad eos, aut certe communicata vobiscum. Idem *pro Mil.* Clodius reliquit annum suum, seseque in proximum transtulit. Idem *pro Sylla*: In hunc igitur gregem vos P. Syllam rejicietis? in parricidarum numerum transferetis? Ideo *pro Rabir. Posth.* Hoc totidem verbis translatum caput est, quot fuit ante in lege Servilia. Idem *de Orat.* Si placet, sermonem alio transferamus. *Ibidem*: Non valde productis iis, quæ similitudinis causa ex aliis

A rebus transferentur. *Ibidem*: Alii a regendis civitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt. Idem in *Bruto*: Totum se ad artes componendas transtulit. Idem in *Orat.* Translata ea dico, quæ per similitudinem ab alio transferuntur. *Ibidem*: Cum verbum aliquod altius transfertur. *Ibidem*: Transferre verba apertius. *Ibidem*: Verbum transferri, & quasi in alieno loco collocari. Idem *de Invent.* Transferre aliquid ex Philosophia. *Ibidem*: Argumenta, quæ transferri in multas causas possunt. Idem *Offic.* I. Quod ab Ennio positum in B una re, transferri per multas potest.

TRANSLATOR.

TRANSLATOR, ut transfero, vel in propria significatione manet, vel extra eam persæpe egreditur.

Cicero *in Verr. Act.* VII. Verres ille vetus proditor Consulis, translator quæsturæ, aversor pecuniæ publicæ, tantum sibi autoritatis in Republica suscepit, ut, quibus hominibus per Senatum, per Populum Ro- C manum, per omnes magistratus, in foro, in suffragiis, in hac urbe, in Republica versari liceret, iis omnibus mortem acerbam crudelemque proponeret, si fortuna eos ad aliquam partem Siciliæ detulisset.

TRANSLATIO, vel TRALATIO.

PLURA sunt harum vocum exempla extra propriam significationem, quam propriæ.

Cic. *Famil.* XVI. Doctrina, & domus, & D ars, & ager etiam fidelis dici potest, ut sit, quomodo Theophrasto placet, verecunda tralatio.

Idem *in Verr. Act.* VI. Nunquam mihi verisimile visum est, adolescentem illo loco natum, patronum Siciliæ, nomen suum isti ad translationem criminis commodaturum.

Idem *Offic.* I. Syllæ & C. Cæsaris pecuniarum translatio a justis dominis ad alienos non debet liberalis videri.

Idem *de Orat.* III. Translationes quasi mutationes sunt, cum, quod non habeas, E aliunde sumas.

Idem in *Orat.* Cum fluxerunt continuæ plures translationes, alia plane fit oratio.

TRANSLATITIUS, TRALATITIUS, TRANSLATIVUS.

TRANSLATITIUM, vel Tralatitium est, quod transfertur. Utrunque vero sæpe pro commentitio ponitur.

Translatitium edictum.

Cic. *in Verr. Act.* III. In re tam usitata satis est ostendere, omnes antea jus ita dixisse, & hoc vetus edictum, translatitiumque esse: id est, desumptum. De quo vide F Budæum in *Annotationibus prioribus in Pandectas*.

Idem: Alterum caput est tralatitium.

Idem: Nosti hæc tralatitia.

Idem: Hoc vero caput, ex quo suspitio nata est, me exquisisse aliquid, in quo te offenderem, tralatitium est.

Idem *de Invent.* Cum actio translationis, aut commutationis indigere videtur, constitutio translativa appellatur.

TRANSPORTARE.

Cicero *ad Attic.* VII. De pueris in Græciam transportandis tum cogitabam.

Idem *ad Attic.* VIII. Ut reliquæ copiæ omnes Brundusium cogerentur, & inde navibus Dirrhachium transportarentur.

Idem *ad Attic.* XIV. Quid tu illas legiones putas, quæ fuerunt in Hispania? nonne idem postulaturas? quid eas, quod Annius transportavit?

Idem *in Pisonem*: Ego te non vecordem putem, qui iis ausus confiteri, te provinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum transportasses, sine milite reliquisse?

Cæsar *de Bello Gall.* lib. IV. Navium magnam copiam ad transportandum exercitum pollicebantur.

Ibidem: Sine impedimentis Cæsar legiones transportaverat.

Ibidem: Magnopere orabant, ut sibi auxilium ferret: quod graviter a Suevis premerentur: vel si id facere occupationibus Populi Romani prohiberetur, exercitum modo Rhenum transportaret.

Idem *de Bello Gall.* lib. VII. Legiones navibus transportabant.

Idem *de Bello Civili* lib. III. Expositis militibus, naves eadem nocte Brundusium a Cæsare remittuntur, ut reliquæ legiones, equitatusque transportari possent.

TRANSDUCERE, vel TRADUCERE.

TRANSDUCERE, vel traducere aliquando ad rem naviculariam pertinet. Aliquando vero traducere translate ponitur: ut traducere animum hominis ab una cogitatione ad aliam: traducere a severitate ad hilaritatem: traducere aliquem ad se: traducere ludos ad metum: traducere partum Jovis ad Physiologiam: traducere adolescentes a minutis concertationibus ad omnem vim dicendi: traducere animum a minore cura ad summum timorem: traducere orationem, & convertere in increpandum aliquid: traducere inimicitias ad amicitiam: & similia. Vel pro conterere, consumere: vel obire: ut traducere tempus: traducere vitam: traducere adolescentiam: traducere munus susceptum summa abstinentia. Quem translatum hujus verbi usum quoniam diversis locis primo Tomo ostendimus: tantum hic de propria significatione exempla adferemus.

Cicero *de Invent.* II. Fluvius ita magnus factus est, ut eo traduci victimæ nullo modo possent.

Cæsar *de Bel. Gal.* l. I. Ubi per exploratores Cæsar certior factus est, tres jam copiarum partes Helvetios id flumen transduxisse: quartam vero partem citra flumen Ararim reliquam esse, de tertia vigilia cum legionibus tribus e castris profectus ad eam partem pervenit, quæ nondum flumen transierat.

Ibidem: Ab eo postulat, ne quam multitudinem hominum amplius trans Rhenum in Galliam traduceret.

Ibidem: Flumen Axonam exercitum traducere maturavit.

Ibidem: Helvetii per angustias & fines Sequanorum suas copias traduxerant, & in Heduorum fines pervenerant.

A Idem *de Bello Civ.* lib. III. Tertio die prima luce exercitum vado transducit.

TRADUCTOR, vel TRADUCTIO.

QUANDOQUIDEM certum est, sequentes voces bene Latinas esse, nihilo minus iis in re navicularia uti poteris, quam in alio quovis argumento, vel materia: tametsi exempla nulla ad rem præsentem facientia mihi modo occurrant, sed paulo alieniora subdam. Id tamen prius annotabo: tradu-

B ctionem hodie vocari posse, quod vocabulo plane barbaro *charivarium* dicimus. Id vero ex traducti exemplis probamus. Titus Livius ab Urb. Cond. de Volscis loquens publico consilio voce præconis a spectaculis exactis. Vos, inquit, omnibus civibus, peregrinis populis spectaculo abeuntes fuisse vestras conjuges, vestros liberos traductos per ora hominum. Tranquillus in *Vespasiano*: Hos novissime traductos per amphitheatri arenam subjici in servos imperavit. Hæc obiter. Ad rem redimus.

Traductio pro eo quod Barbari dicunt charivarium.

C Cic. *ad Attic.* II. Si, quæ de me pacta sunt, non servantur, in cœlo sum, ut sciat hic noster Hierosolymarius traductor ad plebem, quam bonam meis orationibus gratiam retulerit.

Idem *pro Sestio*: Traductio furibundi hominis.

Idem *de Orat.* III. Ne illa quidem traductio, atque immutatio in verbo quandam fabricationem habet, sed in oratione.

TRANSMITTERE.

TRANSMITTENDI significatio aliquando

D ab hoc loco remota est: ut apud Ciceronem *pro Lege Manilia*: Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi. *Ibidem*: Quis dubitat, quin hoc tantum bellum Pompejo transmittendum sit? Hæc igitur significatio ab hoc loco remota est. Convenit autem, cum ad rem marinam, vel fluvialem pertinet: & significat transire.

Cicero *ad Q. Frat.* Ajebant te prima navigatione transmissurum.

Idem *ad Attic.* VIII. Lentulum ante puto transmissurum, quam potuerit conveniri.

E Idem *ad Att.* XVI. Duo sinus fuerunt, quos transmitti oportet: utrumque pedibus & equis transmisimus.

Idem *Philipp.* I. Cum me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent, ab eo loco conscendi, ut transmitterem.

Idem *de Finib.* V. Cur Pythagoras tantas regiones Barbarorum pedibus obiit? tot maria transmisit?

Idem *de Nat. Deor.* Grues, cum maria

F transmittunt, trianguli formam efficiunt.

Idem *de Divinat.* Cæsar in Africam transmisit.

TRANSMISSIO, vel TRASMISSUS, US, UI,

Cicero *ad Attic.* IV. O navigationem amandam: quam mehercule ego valde timebam, recordans superioris tuæ transmissionis.

Idem *Philipp.* I. Cum Brundusium, iter-

A que illud, quod tritum in Græciam est, non sine causa vitavissem, Cal. Sext. veni Syracusas, quod ab urbe ea transmissio in Græciam laudabatur.

Cæsar *de Bel. Gall.* l. v. Pari spatio transmissus, atque ex Gallia, est in Britanniam.

TRAJICERE.

TRAJICERE, est traducere, transportare, vel transferre. Non semper tamen ad rem naviculariam pertinet: sed nonnunquam extra rem naviculariam est. Exempla igitur, ut sequitur, distinguemus.

B

A RE NAVICULARIA EXEMPLA ALIENA.

Cic. in *Orat.* Quæ vitia qui fugerit, ut neque verbum ita trajiciat, ut id de industria factum intelligatur: neque inserciens verba quasi rimas expleat: nec minutos numeros sequens concidat, delumbetque sententias: nec sine ulla commutatione in eodem semper versetur genere numerorum, is omnia fere vitia vitaverit.

C *Ibidem*: Magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum, qui genus hoc secuti non tenuerunt, simile faciamus: nec verba trajicimus aperte, quo melius aut cadat, aut volvatur oratio.

Idem *de Finib.* IV. Si Annibal ad portas venisset, murumque jaculo trajecisset, negaret esse in malis, capi, &c.

Brutus Cic. *Famil.* XI. Si se Alpes Antonius trajecerit, constitui præsidium in Alpibus collocare, & te de omni re facere certiorem.

D Tit. Liv. ab Urb. Cond. *lib.* II. Contra quem & ille concitat equum, tantaque vis infestis venientium hastis fuit, ut brachium Ebutio trajectum sit, Manilio percussum pectus, &c.

AD REM NAVICULARIAM PERTINENTIA.

IN sequentibus exemplis id tantum observato, trajicere simplicem accusativum habere, vel duplicem: ut sit, trajicere flumen: vel trajicere copias flumen.

E Cic. *ad Attic.* VII. Ego quid agam? qua aut terra, aut mari persequar eum, qui ubi sit, nescio? & sit terra quidem, qui possum? mari, quo trajiciam?

Idem *post Redit.* Marius parva navicula trajectus est in Africam.

Idem *in Sallust.* Ex Africa tantum hic exhausit, quantum potuit aut fide nominum trajici, aut in naves contrudi,

Plancus Cic. *Famil.* X. Exercitum ad Sext. Calend. Majas Rhodanum trajeci.

Ibidem: Id me præstiturum spero, dum istinc copiæ trajiciantur.

F *Ibidem*: Cautius illud erat consilium, expectare me ad Hisaram, dum Brutus trajiceret exercitum.

Brutus Cic. *Famil.* XI. Si quo casu Hisaram se trajecerint, ne quid detrimenti Reipub. injungant, summa a nobis dabitur opera.

Titus Livius ab Urbe Cond. I. Præ sese armentum agens, nando trajecerat.

Idem *de Bel. Pun.* Amnem vado trajecit.

TRAJECTIO, vel TRAJECTUS, US, UI.

TRAJECTIO, ut trajicere, non solum ad rem naviculariam pertinet, sed extra rem naviculariam nonnunquam est. Trajectus vero rei naviculariæ totus est.

AD REM NAVICULARIAM PERTINENS.

Cicero *ad Attic.* VIII. Cautior certe est mansio: honestior existimatur trajectio.

Cæsar *de Bel. Gal.* lib. v. Quo ex portu commodissimum in Britanniam trajectum esse cognoverat.

EXTRA REM NAVICULARIAM.

Cicero *ad Herenn.* Verborum trajectionem vitabimus, nisi quæ erit concinna.

Idem *de Orat.* III. Augendi, minuendive causa veritatis superlatio, atque trajectio.

Idem in *Orat.* Utitur ea trajectione verborum, & nihilo tamen aptius explet, concluditque sententias.

Idem *de Divinat.* I. Assyrii trajectiones motusque stellarum observaverunt.

Idem *de Divinat.* II. Nondum dico, quam hæc signa nulla sint, fissum jecoris, corvi cantus, volatus aquilæ, stellæ trajectio, &c.

TRANARE.

TRANANDI significatio sua satis sponte explicatur. Est enim trans nare: sed transtulit aliquando Cicero. Id quod prius quam ostendam, de nandi significato, a quo componitur tranare, exempla adferam.

NARE. Nare piscium proprium est. nant tamen & volucres, & bestiæ, & homines etiam industria. Cicero *de Finib.* v. Serpere anguiculos, nare anaticulas videmus. Idem *Tuscul.* v. Natura bestias nantes aquarum incolas esse voluit. Vergil. *Æneid.* I. Nare.

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

NATARE. Natandi significationem, quoniam nandi frequentativum est, ne hic quidem prætermittendam existimavi. Sit igitur idem natare quod nare. Cic. *Famil.* VII. Tu in re militari multo es cautior, quam in advocationibus, qui neque in Oceano natare volueris, studiosissimus homo natandi: neque spectare essedarios. Idem *pro Cæl.* Quo omnis juventus natandi causa venit. Idem *de Inven.* II. Naufragum quendam natantem, & manus ad se tendentem animadverterunt. Idem *de Nat. Deor.* III. In quo quidem magis tu mihi natare visus es, quam ipse Neptunus. Natare.

TRANSLATE HOC VERBO usus est Cic. *Philipp.* Personabant (inquin) omnia vocibus ebriorum: natabant pavimenta vino: madebant parietes: ingenui pueri cum meritoriis, scorta inter matresfamilias versabant? Ntare translate positum.

NATRIX. Hujus vocis significationem obiter annotamus, quod a nando ducatur. Est autem serpentis genus. Cic. in *Academic.* Cur deus tantam vim natricum & viperarum fecerit? cur mortifera tam multa passim dispersit? Lucan. Natrix.

Et natrix violator aquæ.

Sed de his satis. Ad tranandi exempla venio.

Tranare. TRANARE. Cic. *de Somnio Scip.* Non cujusquam nostrum nomen aut Caucasum transcendere, aut Gangem tranare potuit. Cæs. *de Bello Civili* lib. I. Flumen tranare non poterant. Idem *de Bello Gall.* l. I. Ibi perpauci aut viribus confisi tranare contenderunt, aut lintribus inventis salutem sibi petierunt. Idem *de Bello Alex.* lib. IV. Equites demissioribus ripis flumen tranarunt.

Translate positum. TRANSLATE POSITUM. Cicero *de Nat Deor.* II. Atque id facilius cernemus toto genere hoc igneo, quod tranat omnia, subtilius explicato.

Enare. ENARE. Enare pro tranare posuit Vergil. *Æneid.* VI.

Dædalus (ut fama est) fugiens Minoia regna
Præpetibus pennis ausus se credere cœlo
Insuetum per iter gelidas evadit ad arctos.

Transnatare. TRANSNATARE item posuit Livius de Bello Punico: Mago cum equitatu flumen transnatavit.

TRANSIRE.

NONNULLA ad hoc verbum pertinentia primo Tomo ostendimus: ut transire aliquid, pro reticere: transire pro vitare: & hoc Tomo explicatum est, cum accipitur pro deficere, vel deditionem facere. Itaque ea patuerint suo loco. Hic autem ponitur transire, pro trajicere, vel transmittere, aut prætervehi. Quod tamen non solum maris est, aut fluviorum, sed etiam terræ, & tunc ponitur pro transgredi.

CUM TERRÆ EST.

Cic. *de Nat. Deor.* I. Cum Gracchus pomerium transiret, auspicari est oblitus.

Idem *de Divinat.* Quod inauspicato pomerium transgressus esset.

Sallust. Cum duabus turmis Thracum, & paucis gregariis militibus transiere ad hostes. Hic transire pro deficere accipi potest.

CUM MARIS EST, vel FLUVII.

Cicero *ad Attic.* V. Non dubitat Dejotarus, quin cum omnibus copiis prima æstate Euphraten transiturus sit.

Idem *ad Attic.* VIII. Nec vero hæc extrema quisquam potest jure reprehendere, quod mare non transierim.

Idem *in Pison.* Cum exhauriebas ærarium: cum orbabas Italiam juventute: cum mare vastissimum hyeme transibas, &c.

Idem in *Oratore*: Horum studiorum causa mare transivi.

Cæsar *de Bello Gall.* lib. III. Huic mandat, Germanos, qui auxilio a Belgis accersiti dicebantur, si per vim navibus flumen transire conentur, prohibeat.

Idem *de Bello Gall.* lib. IV. Multis de causis Cæsar statuit sibi Rhenum esse transeundum.

Ibidem: Usipetes, Germani, & item Tenchtheri magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt, non longe a mari, quo Rhenus influit.

Idem *de Bello Gall.* lib. V. Quod flumen uno omnino loco pedibus, atque hoc ægre transiri potest.

Idem *de Bello Civili* l. I. Hunc jam rem duxerat, ut equites, etsi difficulter, atque ægre fiebat, possent tamen, atque auderent flumen transire. Pedites vero tantummodo humeris, ac summo pectore extarent, ut tum altitudine aquæ, tum etiam rapiditate fluminis ad transeundum impedirentur.

TRANSLATE POSITUM.

Cicero *ad Attic.* V. Lege Julia transita, Id est, posthabita, vel spreta.

Idem *ad Attic.* VII. Quid ergo exercitum retinet is, cum legis dies transierit?

Idem in *Academic.* Quædam animalis intelligentia per omnia permeat & transit.

Idem in *Tuscul.* Nulla animans in alterius animantis vitam transire potest.

Idem *Offic.* I. Hi sine dubio & finem & modum transeunt.

Sallust. *in Catil.* Omnes homines, qui student sese præstare cæteris animantibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant, veluti pecora.

TRANSITUS, VEL TRANSATIO.

TRANSITUS aliquando, ut transire, terræ est: aliquando vero maris, aut fluviorum. Transitio item aliquando hujus loci est: aliquando ab hoc loco abhorret.

TRANSITUS CUM TERRÆ EST.

Cicero *Tuscul.* V. Cum fossam latam cubiculari lecto circundedisset, ejusque fossæ transitum ponticulo ligneo conjunxisset, eum ipsum, cum fores cubiculi clauserat, detorquebat.

CUM MARIS EST, vel, FLUVII.

Cæsar *de Bello Gall.* lib V. Erat flumen difficili transitu, ripisque præruptis.

Idem *de Bello Alexand.* l. IV. Rex cum hoc itinere venire Cæsarem comperisset, equitatum omnem, expeditosque delectos pedites ad id flumen misit, qui transitu Cæsarem prohiberent.

TRANSITIONIS SIGNIFICATIO HUC PERTINENS.

Cassius Cicer. *Famil.* XII. Secuti sumus classem Dolabellæ, cui Lucillius præerat, qui spem sæpe transitionis præbendo, neque unquam non decedendo, novissime Coricum se contulit.

AB HOC LOCO ALIENA.

Cicero in *Bruto*: Multa scripta sunt in his orationibus, quæ facta non sunt: falsi triumphi plures Consulatus, genera etiam falsa, & ad plebem transitiones.

Idem *ad Herren.* I. Transitionibus nullis utemur.

Idem *de Nat. Deor.* I. Imagines similitudine & transitione perceptæ.

CURSUS, APPELLERE, APPLICARE.

De his tribus vocibus tam accurate, tamque fuse primo Tomo scripsimus, ut nihil prorsus repetendum sit, quod ad earum vel significationem, vel usum demonstrandum pertineat: nisi forte quædam ex Cæsare exempla hic colligi velis, quæ transitivum appellendi usum corroborent: pauca enim primo Tomo sunt. Sequentia igitur addam.

B Cæsar *de Bello Gall.* lib. III. Magno numero navium appulso, sua omnia deportabant.

Idem *de Bello Gall.* lib. VII. Naves appelli jussit.

Idem *de Bello Civili* lib. II. Magistris imperat navium, ut primo vespere omnes scaphas ad litus appulsas habeant.

LITUS.

C Litus est, qua fluctus eludit: vel est terra, quæ ab aqua tangitur, vel mari vicina est. Nec solum de mari, sed etiam de fluminibus dicitur: ut apud Vergil.

Littora, quæ dulces auras diffunditis agris.

Sed de mari frequentius est.

Cicero *Philipp.* X. O spectaculum illud non modo hominibus, sed undis ipsis, & litoribus luctuosum.

Idem in *Orat.* Quid tam commune, quam mare fluctuantibus, litus ejectis?

D Idem *de Invent.* II. Subito magnis commotus tempestatibus fluvius Eurotas is, qui propter Lacedæmonem fluit, ita magnus, & vehemens factus, ut eo traduci victimæ nullo modo possent. Redemptor suæ voluntatis ostendendæ causa hostias constituit omnes in litore, ut qui trans flumen essent, videre possent.

Cæsar *de Bello Civili* lib. III. Omnia litora a Cæsare tenebantur.

Ibidem: Sibi nudanda litora, & relinquendos portus non existimabant.

Ibidem: Litora ac portus custodia clausos tuebatur.

RIPA.

E Ripa sic est extremitas terræ, quam aqua fluminum, torrentium, rivorumque alluit, ut extremitas terræ, quam alluit mare, est litus: nisi quod ripæ possunt esse arduæ: litora vero nemo vocat scopulos, præruptamque, atque imminentem mari terræ altitudinem, quæ proprie rupes dicitur, sive mari impendeat, sive plano. Lacuum autem, stagnorumque, ac magnarum paludum magis litus, quam ripa dicitur, quia propius ad imaginem maris accedunt,

F ut sint tantum ripæ aquarum currentium. Hæc scribit Valla in Antonium Raudensem: quæ non omni ex parte vera sunt. Nam classici scriptores ripas etiam lacuum vocant, & aquarum non currentium, ut in exemplis sequentibus perspicies.

Cicero *pro Milone:* Qui cum ab equite Romano splendidissimo, & forti viro T. Pacuvio non impetrasset, ut insulam in lacu Præcio venderet, repente lintribus in eam insulam materiem, calcem, cœmenta atque arma convexit: domino trans ripam inspectante non dubitavit ædificium extruere in alieno. Vocat Cicero hoc loco ripam lacus.

Idem *Philipp.* II. Hanc rem in Cilicia ad ostium fluminis Cydni confecisset, si ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad contrariam naves applicuisset.

Idem in *Bruto:* Cum plebs prope ripam Anienis consedisset.

Ibidem: Is dedit operam, ut nimis redundantes, & superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate & licentia reprimeret, & quasi extra ripas diffluentem coerceret.

Idem *de Legibus* I. Nos in viridi opacaque ripa inambulantes, quæramus iisdem de rebus aliquid uberius.

Cæsar *de Bello Gallico* lib. I. Radices ejus montis ex utraque parte ripæ fluminis contingunt.

Idem *de Bello Gall.* lib. IV. Hi ad utramque ripam fluminis agros, ædificia, vicosque habebant.

Idem *de bello Gallico* lib. V. Ripa erat acutis sudibus munita.

Idem *de Bello Alexandrino:* Demissioribus ripis flumen.

ORA.

Ora dicitur extremitas cujuscunque rei. Speciatim tamen dicuntur oræ, fines terrarum. Atque cum Plinius oram dicit, fere semper regionem litoralem appellat: apud quem velut peculiaris est talis locutio: In ora sunt civitates: vel oppida oræ proxima.

Ab hac oræ significatione manare loquendi genus volunt scioli nonnulli, scilicet oram solvere. Quod loquendi genus inepte interpretantur pro navigare, & ab ora, id est, litorali regione discedere: negantque oram inveniri apud classicos autores, pro fune nautico, quo navis ad terram religatur. Tu vero prætermissis sciolorum ineptiis oram pro fune nautico accipito: quam significationem hujus nominis esse, luce clarius probabunt exempla sequentia. *Oram solvere.*

Titus Livius *Decadis* tertiæ, *lib.* II. Vixdum omnes conscenderant, cum alii resolvunt oras, aut anchoram vellunt: alii, ut ne quid teneat, anchoralia præcidunt. Idem alibi: In ipsis quoque navibus trepidatum, dum, ne hostes cum suis erumperent, trahunt scalas, orasque, & anchoras præcidunt. Quintil. Permittamus vela ventis, & oram solventibus bene precemur. Sed de hoc satis. Tu oræ significationem ita distingue, ut generaliter sit pro regione, vel parte qualibet terrarum; vel speciatim pro litorali regione.

PRO PARTE TERRARUM, vel ALIA QUALIBET REGIONE.

Cicero *Famil.* XII. A prima ora Græciæ, usque ad Ægyptum, optimorum civium imperiis muniti erimus, & copiis.

Idem *pro Lege Manil.* Erat alia gravis atque vehemens opinio, quæ per animos gentium Barbararum pervaserat, fani locupletissimi, & religiosissimi diripiendi causa in eas oras nostrum exercitum esse adductum.

Idem *pro Corn. Balbo*: Qui tot habet triumphos, quotoræ sunt, partesque terrarum.

Idem *de Finib.* II. Hæc non erant ejus, qui innumerabiles mundos, infinitasque regiones, quarum nulla esset ora, nulla extremitas, mente peragravisset.

Idem in *Tusc.* Terra duabus oris distantibus habitabilis.

Idem *de Natura Deor.* I. Cujus operam profecto non desideraret, si immensam, & interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis: in quam se injiciens animus & intendens, ita late longeque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat, in qua possit insistere.

Ibidem: Ignibus altissima ora reddita est.

Idem *de Natura Deor.* II. Qui ubique sunt, quacunque in ora ac parte terrarum.

Idem *de Divin.* II. Quid cum in earum gentium oras fulmen emittit, in quibus hæc ne observantur quidem?

PRO LITORALI REGIONE.

Cicero *ad Atticum* VII. Vult me Pompejus esse, quem tota hæc Campania, & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus, & negocii summa referatur.

Idem *de Natura Deor.* II. At vero quanta maris est pulchritudo? quæ species universi? quæ multitudo & varietas insularum? quæ amœnitates orarum, & litorum?

Cæsar *de Bello Civili* lib. III. Ad hoc detrimentum accessit, ut equitibus per oram maritimam ab Antonio dispositis, aqua prohiberentur.

P O R T U S.

PORTUS est locus conclusus, in quem importantur merces, & unde exportantur: vel ad quem applicant naves, & in quo persæpe hyemant.

Cicero *in Verr.* Act. VI. Una est ea, quam dixi, insula, quæ duobus portubus cincta, in utriusque portus ostium aditumque projecta est.

Idem *in Verr.* Act. VII. Quem posteaquam inanem locum offenderunt, & Prætorem commovisse ex eo loco castra senserunt, statim sine ullo metu in portum ipsum penetrare cœperunt. Cum in portum dico Judices, (explanandum est enim diligentius eorum causa, qui locum ignorant) in urbem dico, atque in urbis intimam partem venisse piratas. Non enim portu illud oppidum clauditur, sed urbe portus ipse cingitur & concluditur: non ut alluantur a mari mœnia extrema, sed influat in urbis sinum portus.

Idem *pro Lege Manil.* Portus Cajetæ celeberrimus & plenissimus navium.

Cæsar *de Bello Gallico* lib. IV. Qui essent ad majorum navium multitudinem idonei portus.

Idem *de Bello Civili* lib. III. Hæc insula objecta Alexandriæ portum efficit.

Ibidem: Non potest esse propter angustias navibus introitus in portum.

Ibidem: Aditus habebat ad portum & ad reliqua navalia.

Ibidem: Naves nostras in interiorem partem post oppidum reduxit, & ad terram deligavit, faucibusque portus navem onerariam submersam objecit, &c.

Ex portu prodire, vel progredi.

Cæsar *de Bello Civili* lib. III. Neque ii sibi confisi ex portu prodire sunt ausi.

Ibidem: Paulum a portu progressus, literas a Cæsare accipit, quibus est certior factus, portus litoraque omnia classibus adversariorum teneri.

In portum cogere.

Cicero *de Invent.* II. Cum magna in alto tempestas esset, vis ventorum invitis nautis Rhodiorum in portum navim coegit.

Ibidem: Vi & necessario sumus in portum coacti.

In portum compellere.

Cæsar *de Bello Civili* lib. I. Magno numero Albicorum & pastorum interfecto partem navium deprimunt, nonnullas cum hominibus capiunt, reliquas in portum compellunt.

In portum conjicere.

Cicero *de Invent.* II. Cum rostratam navim in portu deprehensam lex publicarit, cumque hæc navis invitis nautis vi tempestatis in portum conjecta sit, oporteat me eam publicari?

In portum invehi.

Cicero *pro Mur.* Si portu solventibus ii, qui jam in portum ex alto invehuntur, præcipere summo studio solent & tempestatum rationem, & prædonum, & locorum, quod natura affert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur, quo tandem animo me esse oportet prope jam ex magna jactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas Reip. tempestates esse subeundas.

In portum deferri.

Cicero *ad Herenn.* I. Casu & fortuito navis in portum incolumis delata est.

In portum se recipere.

Cæsar *de Bello Civili* lib. II Ex iis unum ipsius navigium contendit, & fugere perseveravit, auxilioque tempestatis ex conspectu abiit: duo perterrita concursu nostrarum navium sese in portum receperunt.

In portum venire, vel pervenire.

Cicero *de Senect.* Quo propius ad mortem accedo, quasi terram videor videre, aliquandoque in portum ex longa navigatione esse venturus.

Cæsar *de Bello Gallico* lib. IV. Huc accedebant octodecim onerariæ naves, quæ ex eo loco millibus passuum octo vento tenebantur, quo minus in eundem portum pervenire possent.

Portum capere.

Cæsar *de Bello Alex.* lib. IV. Hæ naves Euro, qui multos dies continenter flabat, portum capere prohibebantur.

A

Portum tenere.

Portum tenere duplici significato a Latinis dicitur.

PORTUM tenere duplici significato dicunt Latini. Uno pro in portum venire; vel portum capere. Altero pro portum occupare. Utrunque significatum sequentibus exemplis constabit.

Cicero *Famil.* I. In navigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere non possis.

Cæsar *de Bello Gallico* lib. IV. P. Sulpitium Rufum legatum cum eo præsidio, quod satis esse arbitrabatur, portum tenere jussit.

B

Idem *de Bello Civili* lib. III. Paulum a portu progressus, literas a Cæsare accipit, quibus est certior factus, portus litoraque omnia classibus adversariorum teneri.

Portus pro profugio: idque per translationem.

HANC portus translationem, cum pro profugio accipitur, primo me Tomo ostendisse, memoria quidem teneo: sed eam hic repetere non pœnitebit, & novis exemplis probare. Sit igitur hic portus pro profugio: ducta translatione a nautis, qui adversa tempestate jactati, sese in portum, si portum nancisci possunt, ut ad profugium, recipiunt.

C

Cicero *ad Brut.* Atque hoc mihi jam in te placuisse potes ex superioribus meis literis recordari: quanquam tum & fugæ portus erat in tuis castris, & subsidium salutis in tuo exercitu.

Idem *in Varr.* Act. VII. Ita ne vero? quibus fuit portus apud eum, contra quem arma tulerunt, iis apud te, cujus nullum in Repub. monumentum fuit, mors & cruciatus erat constitutus?

D

Idem *pro Cæcinna*: Exilium non supplicium est, sed profugium, portusque supplicii.

Idem *de Orat.* I. Equidem tantum absum ab ista sententia, ut non modo non arbitrer subsidium senectutis in eorum, qui consultum veniant, multitudine esse ponendum, sed tanquam portum aliquem expectem istam, quam tu times, solitudinem.

E

Idem *Offic.* II. Regum, populorum, nationum portus erat, & refugium Senatus.

Idem *Tusculanorum* I. Profecto fuit quædam vis, quæ generi consuleret humano: nec id gigneret, aut aleret, quod, cum exanclavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum: portum potius paratum nobis, & perfugium putemus.

Locutiones quædam proverbiales ab hoc nomine ductæ.

F

PROVERBIALES locutiones sunt ab hoc nomine ductæ: scilicet in portu navigare: in portu esse: in portu impingere.

In portu navigare.

IN PORTU NAVIGARE. Hoc proverbio significamus nos jam a periculo abesse. Propterea quod qui mediis adhuc in fluctibus navigant, hi ventorum & æstus arbitrio navigant. Contra, qui jam intra portum sunt, nihil habent negotii cum undis ac ventis. Unde vulgatissima metaphora, hominem, in cujus præsidio conquiescimus, portum appellamus. Et qui sese ad tranquillam tutamque aliquam vitæ rationem traducunt, in portum se recipere dicuntur. Terent. in *Andr.*

Nunc hujus periculo fit. Ego in portu navigo.

Verg. paulo diversius usus est in lib. VII. *Æneid.*

Nunc mihi parta quies, omnisque in limine portus.

In portu esse.

IN PORTU ESSE. Non absimili significato dicitur res esse in portu, quæ in tuto est. Plaut. in *Mercat.*

In portu res est.

In portu impingere.

IN PORTU IMPINGERE, In portu impingere per proverbium dicuntur, qui statim ad principium peccant. Ducta metaphora a nautis, qui vixdum anchoris solutis, & nave vento commissa in saxum incidunt, vel naufragium faciunt: Hac parœmia utitur Quintil. in libris *Institutionum Oratoriarum*.

PORTUOSUS.

PORTUOSUS dicitur locus, ubi multi sunt portus: & navigatio portuosa, quæ a multis portubus excipitur, vel in multos portus incidit.

Cicero *Famil.* VI. Præter navigationis longæ, & hyemalis, & minime portuosæ periculum, quod vitaris, ne illud quidem negligendum, &c.

Idem *de Oratore* III. Hæc autem, ut ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientium jugo sunt doctrinarum facta divortia: ut Philosophi tanquam in superum mare Ionium defluerent, Græcum quidem, & portuosum. Oratores autem in inferum hoc Tuscum, & Barbarum, scopulosum, atque infestum laberentur: in quo etiam ipse Ulysses errasset.

Sallust. *in Jugurt.* In divisione regni, quæ pars Numidiæ Mauritaniam attingit, agris, virisque opulentior, Jugurthæ traditur: illam alteram specie, quam usu, potiorem, quæ portuosior, & ædificiis magis exornata erat, Adherbal possedit.

SINUS.

SINUS, dicitur illa pars, quæ est intra pectoris brachiorumque complexum. Cicero *in Verrem* Act. VII. Cedo mihi, quæso, ex ipsius sinu literas Syracusanorum, quas iste ad arbitrium suum confectas esse arbitratur. Idem *pro Cæl.* E sinu gremioque patriæ abstrahi. Idem *de Legib.* Ut sinus & gremium quasi matris mortuo tribueretur.

EX HAC sinus significatione multa ducuntur loquendi genera: ut, gaudere in sinu: de quo in primo Tomo scripsimus.

Sinus pro

PULCHRÆ VERO admodum significatio-

familiaritate, vel amicitia. cationis eſt, cum pro intima quadam familiaritate & amicitia accipitur: unde manant ſequentia exempla. Cicer. *Famil.* XIV. Tu vero ſis in ſinu ſemper, & complexu meo. Idem *ad Q. fratr.* Cæſar, mihi crede, in ſinu eſt: neque diſcingor: id eſt, quod alio loquendi modo dicimus, Cæſarem in oculis fero: vel, Cæſarem, quanta maxima fieri poteſt, amicitia comprehendo atque complector: neque diſcingor: id eſt, non me immuto: vel eum ipſum amorem abjicere non cogito. Idem *ad Atticum* II. Itaque in ſinu atque in familiaritate adoleſcentis eſt, & cum eo, ut res indicat, ſæpe eſt congreſſus. Idem *in Verrem* Act. III. Verres ſimul ac tetigit provinciam, ſtatim Meſſanam literas dedit: Dionem evocavit: calumniatores ex ſinu ſuo appoſuit, id eſt, ex ſuis intimis, & maxime familiaribus. Idem *in Catil.* Poſtremum autem genus eſt, non ſolum numero, verumetiam genere ipſo, atque vita, quod proprium eſt Catilinæ, de ejus delectu, imo vero de complexu ejus, ac ſinu. Idem *Tuſcul.* V. Hujus culpæ, & cæterorum vitiorum, peccatorumque noſtrorum omnis a Philoſophia petenda correctio eſt. Cujus in ſinum, cum a primis temporibus ætatis noſtra voluntas, ſtudiumque nos contuliſſet, his graviſſimis caſibus in eundem portum, ex quo eramus egreſſi, magna jactati tempeſtate confugimus. Brutus Cicer. Bibulum noli dimittere ex ſinu tuo tantum jam virum, ex quanto poteſt evadere, qui veſtris paucorum reſpondeat laudibus. Terentius in *Adelph.*

Locus Cicer. expoſitus.

Hic non amandus? hiccine non geſtandus in ſinu eſt?

Sinus pro litore. ALIA TRANSLATIONE ſinus vocantur litora curva ad ſimilitudinem ſinus, & quaſi brachiis mare amplectentia. Cicero *ad Atticum* XVI. Duo ſinus fuerunt, quos tranſmitti oportet. Idem *in Verrem* Act. VII. Ut illi, quos a poetis accepimus, qui ſinus quoſdam obſediſſe maritimos, aut aliqua promontoria, aut prærupta ſaxa tenuiſſe dicuntur, ut, qui eſſent appulſi navigiis, interficere poſſent: ſic iſte in omnia maria infeſtus ex omnibus Siciliæ partibus imminebat. *Ibidem:* In ipſo aditu atque ore portus, ubi primum ex alto ſinus ad urbem a litore inflectitur, tabernacula carbaſeis intenta velis collocabat. Idem *pro Leg. Manil.* Denique maria omnia, tum in ſingulis oris omnes ſinus, atque portus teſtes ſunt.

Sinus variæ aliæ ſignificationes. PRÆTER HANC ſignificationem appellatur aliquando ſinus intima pars urbis. Salluſt. *in Catil.* Alii intra mœnia, atque in ſinu urbis ſunt hoſtes.

SUPRA HÆC omnia varie a poetis accipitur hoc nomen. Vergil.

Sinus collecta fluentes.

Sinus veſtium appellat, quales erant tunicæ Romanorum, & laxitas illa ſupra cincturam. Idem *Æneid.* IV.

Sic effata, ſinum lacbrymis implevit obortis.

Sinum ponit pro concavitate oculorum,

A ubi lachrymarum conceptacula ſunt: niſi tamen velis, ſinum eo loco in propria ſignificatione poni, ut ſit: *implevit ſinum lacbrymis obortis*, id eſt, ſinum totum conſperſit, & madidum reddidit lachrymis. Idem:

Totos pande ſinus.

Sinus accipit Vergilius pro velis, quod ventis flantibus curvantur & ſinum faciunt. Sinuoſus.

SINUOSUS. Sinuoſum dicitur, quod habet multos ſinus; ut, mare ſinuoſum, vela ſinuoſa, quæ ſinus, id eſt, curvationes
B faciunt. Claudius *de Raptu Proſerpinæ:*

—— ſinuoſa draconum
Membra tegens,

id eſt, nodoſa.

ANCHORA.

ANCHORA eſt inſtrumentum ferreum, quo naves in litore fundamus, retinemuſ-
C que. Quod nomen explicare potuiſſemus, cum de navis partibus ſcriberemus: huc tamen a me de induſtria ſervatum eſt. Nihil enim magis quadrat, quam ut, cum in portum venimus, anchora utamur. Hoc igitur loco perappoſite tractabitur.

Cæſar *de Bello Gallico l.* IV. Hunc ad egrediendum nequaquam idoneum arbitratus locum, dum reliquæ naves eo convenirent, ad horam nonam in anchoris expectavit.

Idem *de Bello Gallico l.* V. Equites ad
D Cæſarem venerunt, qui nuntiarent ſuperiori nocte maxima coorta tempeſtate, prope omnes naves afflictas, atque in litus ejectas eſſe, quod neque anchoræ, funeſque ſubſiſterent: neque nautæ gubernatoreſque vim tempeſtatis pati poſſent.

Idem *de Bello Alex. l.* IV. Loca ſunt egregia omni illa regione ad tenendas anchoras. Vergil. *Æneid.* VI.

Obvertunt pelago proras: tum dente tenaci
Anchora fundabat naves.

E *Anchoram ſolvere, præcidere, tollere.*

Cicero *ad Attic.* I. Accepi epiſtolam, quam (ut ſcribis) anchoris ſolutis de phaſelo dediſti.

Idem *in Verrem* Act. VII. Malum erigi, vela fieri, anchoras præcidi imperat.

Cæſar *de Bello Gallico l.* IV. His dimiſſis & ventum & æſtum uno tempore nactus ſecundum, dato ſigno, & ſublatis
F anchoris, circiter millia paſſuum octo ab eo loco progreſſus, aperto ac plano litore naves conſtituit.

ANCHORALIA.

ANCHORALIA dicuntur funes, quibus religata eſt anchora.

Titus Liv. *Decadis* tertiæ *lib.* II. Vixdum omnes conſcenderant, cum alii re-

ſolvunt oras, aut anchoram vellunt: alii, ut ne quid teneat, anchoralia incidunt.

EXPONERE.

QUÆ propria ſit, vel translata hujus verbi ſignificatio, pluribus hic oſtende-
A rem, niſi utraque primo Tomo ſatis declarata eſſet. Pertinet autem ad hunc locum tum maxime, cum accipitur pro in portum dimittere. Sed quoniam, ut diximus, ſatis hoc Primo Tomo patuit, a ſupervacanea repetitione abſtinebo.

FINIS.



CÆLII CALCAGNINI

DE

RE NAUTICA

COMMENTATIO.

AD LILIUM GREGORIUM GYRALDUM.

INDEX CAPITUM.

CÆLII CALCAGNINI DE RE NAUTICA COMMENTATIO.



Plusne commodi an periculi attulerit mortalibus res nautica, nemo facile dixerit. Nam si gentium & terrarum commercia quis animadverterit, communicatasque regiones inter se: non temere quicquam utilius, aut opportunius in vita repertum putaverit: quod si deinde pericula, imminentisque fati vicinitatem metiatur, & quasi mortis propagatum imperium: non est qui tam formidabili æstimatione non expavescat, & tam perniciosæ rei inventorem non execretur: cui non satis fuit hominem in terra mori, nisi alieno in elemento periret & insepultus. Profecto Cato, quum ad extremam senectutem pervenisset, se pœnitentia affici duxit, si quando navigasset, quo terrestri itinere posset pervenire. Fecit ea ratio, ut minus mercaturam probaret: quæ tanto scilicet discrimine emeretur: & Græcorum verbum est: *γυνὴ, πῦρ, θάλασσα, κακὰ τρία. Tria* namque in vita hominum *mala, mulierem, ignem ac mare.* Satis etiam testatum autoritate Antiquitatis rem periculosam esse navigationem, quum eos in eadem navi esse dixit, qui pari periculo tenerentur: & tam naufragium facere, qui in prora, quam qui in puppi assedissent. Quum quidam pecuariam faceret, allectus maris tranquillitate pecua vendidit: comparatisque caricis mercaturæ consilium iniit, seque ac sua pelago credidit. Verum suborta tempestate quom amissis mercibus vix evasisset, rursusque aliquando summa æquoris temperies ostenderetur: *Οὐ ποιήσω*, inquit, *σῦκα θέλει. Non faciam, caricas quærit.* Arguit hoc tamen ipsum quanti facienda sit navigatio, quæ tanto periculo emitur. Alioqui Homerus *Φαίακας ναυσικλύτους*, id est, *remigatione inclytos*, nunquam appellasset, nisi multam laudem promereretur.

CAP. I.

A QUIBUS RES NAUTICA INVENTA.

Qua in re & Cretenses olim excelluerunt. Hujus inventionem non facile est uni tribuere, quando alii alio loco primi instituisse existimantur. Samothraces hoc sibi gloriæ asciscunt, Mauri Atlantem celebrant, Cretes Neptunum, Usonem alii, Judæi Noe, quem unum sacræ Literæ publico mundi illuvio superstitem fuisse testantur. Et quom multa sint navium genera: rates quidem, quas primum in usu fuisse constat, Erythræ regi vetustas tribuit, Mysiis ac Trojanis reclamantibus:

A qui sibi totum hoc decus vendicant. Græci primum Danaum ex Ægypto ad se navem invexisse testantur: eam quæ longa dicitur ab Jasone inventam Philostephanus profitetur, a Smyrna Ctesias, a Semirami Stephanus, ab Ægeone Archimachus: quom tamen Sesoostri regi id ipsum Ægyptii adscripserint. Tum vero ut est animus hominum immodicus, nec quicquam est quod intra sui principia constiterit, Erythræi biremem, Amynocles Corinthius triremem, quadriremem Carthaginenses, quinqueremem Mnesichthon Salaminius, sex ordinum navem Xenagoras Syracusanus a se inventas dixere. Romani profecto primi omnium in apparatu primi belli Punici quinqueremem Italiæ B ostendere: quæ deinde augendi libido eo usque provecta est, ut & quinquaginta ordinum aliquæ inventæ sint. Sed longe tamen antea Hippias Tyrius onerariam, Cyrenenses lembum, cymbam Phœnices, celocem Rhodii, cercurum Cyprii invenerant. Nec ad hoc quicquam hominem impulit, quam humani ingenii improbitas, & peculiaris quædam cura audendi nocitura, & ea plerumque tentandi, quæ in caput redeant. Quodque enim eo majore ambitu quæri solet, quo plus difficultatis habet. Nam quæ alioqui necessitas potuit hominem admonere, ut tantum iniret discriminis. Aut quid ille ex sepositis regionibus potuit appetere, quod ignoraret? atque utinam ille aditus nunquam autorem invenisset! minus certe instrumenti C haberent deliciæ, minus gula cupediarum, minus supellectilis impudentia. Fecimus certe id reclamante atque obstrepente natura. Hinc ille ventorum impetus, ille fluctuum fragor, illa procellarum vis: se itaque belle ulciscitur, & a nobis curiosi animi pœnas exigit. Nam quæ illuc profectis fuga superest, aut quid tandem relictum est? hic ergo maximus votorum locus, ubi minimus salutis: hic crebra Neptuni accusatio: sed qui accusat, crebrius damnatur: hic querelæ & ejulatus, sed quibus Dii aures obstruxerint: & quod sæpius accidit, miserabile naufragium, ac fœdissima nostri cadaveris rejectio, ipso scilicet indignante pelago, quod nec algas nec spongias aversatur: nec D saltem miserante, nos ab omni natura destitutos, suo sinu excipere: & quasi insaniam exprobrante quod terrestre animal homo mare ingrediatur, & non movendum (ut dicitur) moveat. Scitum est enim illud Græcorum, *χερσαῖος ὢν μήποτε θαλάττιος γένου. Quom sis terrestris, maritimus ne fias.* Virorum profecto constat cadavera supina fluitare, fœminarum prona, in utrisque ita forma exigente: sed & in his pudori defunctarum parcente natura.

CAP. II.

NAVIGATIONIS INVENTIO.

CAsus quidem fœcundissimus rerum magister ostendit ligna ac trabes non mergi: sed nos remigandi artem ex piscibus ac ranunculis mutuati sumus: qui cauda, alis, branchiis ac pedunculis pro temone & palmulis utuntur: non parum etiam milvus contulisse creditur caudæ flexibus, in cœlo monstrante natura quod opus esset in profundo: velificationem certe nautilus piscis, qui ab aliis pompilus dicitur. Supinus hic in summa æquorum ita se paulatim subrigens, ut omissa omni per fistulam aqua, velut exoneratus sentina facile naviget: postea duo prima brachia retorquens membranam inter illa miræ subtilitatis extendit; qua velificante in auras cæteris subremigans brachiis, media cauda ut gubernaculo se regit. Ita vadit alto, liburnicarum gaudens imagine. Quin & inter conchas Neritæ præbentes concavam sibi partem, & alteram auræ opponentes per summa æquorum velificant. Et cornigeræ testudines apud Troglodytas cornibus quasi remigio in natando utuntur. Echinos etiam saburræ rationem ostendisse ferunt. Tradunt sævitiam maris præsagire eos, correptisque operiri lapillis: mobilitatemque pondere stabilientes nolunt volutatione spinas atterere: quod ubi videre nautici, statim pluribus anchoris navigia infrenant. Attulit tamen huic rei magnum adjumentum hominum industria: quis enim negarit? nam & Polybius gravis autor Romanos navigationis rudes primo bello Punico se ita exercuisse scribit, dum quinqueremes parabantur: subselliis in harena per ordinem dispositis, remiges insidentes ad vocem præcipientis, qui in medio eorum erat, omnes una protendere brachia ac reducere, remosque per harenam movere pariter docebantur: ad illius vocem simul omnes incipiebant, simul desinebant. Per hunc modum navigandi artem edocti, & perfectis interea navibus mare ingressi, post paucos dies verum in undis periculum fecerunt.

CAP. III.

MATERIES AD REM NAVALEM.

MAteriem construendis navibus commodam citream maxime existimavere: quoniam hæc si mari exsiccetur, obdurescat; spissiorque atque æternior fiat: quod ipsum & castaneæ evenire putant. Solent alii citream terra condere ac cera illinere: quin & acervis frumenti septenis diebus imponere, totidem intermissis: atque ita firmiorem & ad opus commodiorem reddi. Mirum enim quantum ponderi detrahatur. At cedro quidem æterna materies est. Nam Uticæ tectum e cedro stetisse annos mille ducentos octo & septuaginta traditum est: sed ideo minus probatur, quod summopere ferrum oderit, & clavos non teneat. In Ægypto tamen ac Syria reges inopia abietis cedro ad classes feruntur usi. Maxima ea in Cypro traditur ad undeciremim Demetrii succisa CXXX. pedum longitudinis, crassitudinis vero ad trium hominum complexum. Cupressum etiam Veteres commendavere, vel quod cariem & situm non sentiat: vel quod minime rimis fatiscat. Certe Dianæ Ephe-

A siæ valvæ cupresso constabant: & leges publicas
Plato cupressinis tabulis incidendas putavit: quod
eas ære diuturniores fore existimabat. Pinum et-
iam non ultimo loco probavere: quando hæc &
bene fert ætatem; si terra præfertim condatur: si-
cut & alnus humoris patientissima est, sed aerem
ac soles non facile patitur. Larix item sylvestris
colore buxeo improbari non solet. Nam & adver-
sus tempestates firmissima est, & cariem non expa-
vescit: tum vero imprimis quod incendiis minime
obnoxia est: & si quando hostes flammas injece-
rint, non aduritur: audio tamen a plerisque re-
pudiari, quod aquis marinis teredinem contrahat.
B Cerrum etiam & fagum non admodum probavere:
quod adversus tempestatem imbecilles sint, nec ad
vetustatem perveniant. Fagum tamen video in
Argo navi Apollonium probavisse. Robur, alio-
qui tantæ duriciæ arbor, ut perterebrari non pos-
sit nisi madefacta, rejicitur quod inconstans sit, &
(quod omni in opere, sed in nautico maxime, pe-
riculosum est) facile rimas agat, & aqua marina
corrumpatur. Habet hic alnus indicaturam: quæ
quo natura siccior est, eo magis existimatur ei hu-
mor conferre ad immortalitatem. Abietem ante
omnes alias probant: quod proceritate & ampli-
C tudine polleat, oneribusque reluctetur: & faci-
le mores patiatur, directa invictaque permanens.
Ejus tamen speciem quandam apud Benacum na-
sci tradunt: e qua si vas feceris, ni oleo perlinas,
minime vinum continet. Abietis pars terræ pro-
pior enodis est: cui quom detractus est cortex,
sapinus vocatur: reliqua pars nodosa est durior-
que & fusterna dicitur. Abies admirationis præci-
puæ in navi, quæ ex Ægypto Caii principis jussu
obeliscum in Vaticano circo statutum, quatuor-
que truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum
adduxit: qua nave nil admirabilius visum in mari
certum est. CXX. M. modii lentis pro saburra ei
D fuere, longitudo spatium obtinuit magna ex par-
te Hostiensis portus latere lævo. Ibi namque de-
mersa est a Claudio principe cum tribus molibus
turrium altitudine in ea exædificatis obiter Puteo-
lano pulvere advecto. Quæ arboris crassitudo qua-
tuor hominum ulnas complectentium implebat.
Oleam & oleastrum diversæ causæ commendabi-
lem ac respuendum faciunt: nam & graves sunt,
& perquam facile flectuntur: sed nec cariem sen-
tiunt, & æterna materies est. Certe memoriæ
commendatum est, Megaris diu stetisse oleastrum
in foro, cui viri fortes affixerant arma: quæ cor-
tice ambiente, ætas longa occultaverat. Fuitque
E arbor illa fatalis excidio urbis, præmonitæ oracu-
lo, quom arbor arma peperisset: quod succisæ
accidit, ocreis galeisque intus repertis. Ægyptii
ad onerarias naves τὴν ἀκάνθην, id est, *spinam*,
adhibent. Hæc loto Cyrenææ simillima est, ejus
lachryma gummi. Navigiorum structura hæc fer-
me, si Herodoto credimus: ex spina quæ apud
eos arbor est, ligna concidunt magnitudine bicu-
bitali, in lateritii operis morem, circa longos &
densos clavos bicubitalia ligna appendunt, qui-
bus ita compactis frequentia transtra extendunt:
commissuris autem non vacant, sed intestino jun-
F co compages implent. Gubernaculum unum ad-
hibent, quod per navim transmittitur: ex spina
itidem malo utuntur: junceis etiam seu biblinis
velis naves muniunt: hoc genus autem navigia
non temere adverso amni ferantur, nisi vehemen-
tiore vento adnitente: alioqui a terra pertrahun-
tur. Quod si recto amni proficisci oporteat, hanc
rationem servant. Janua (ita enim a forma vo-
cant) fit ex myrica segmentis arundinum strata:
tum lævigatus lapis additur. Janua ita hujusmodi
fune proræ annectitur: quæ ob levitatem facile

aquarum impetu pellitur,& barim trahit.Hoc enim nomine id genus naves censentur. At lapis a puppi pendens in clavi morem navim dirigit. Alexandri magni comites prodiderunt, in Tylo rubri maris insula arbores esse, ex quibus naves fierent: quæ ducentis annis inventæ sunt perdurasse, & si mergerentur incorruptæ. Aquaticæ omnes celerius intereunt: infœcundæ firmiores fertilioribus: nisi quo in genere mares ferunt, sicut cupressus & cornus.

CAP. IV.

QUANDO CÆDENDA MATERIES.

INfinitum autem refert, quo quæque tempore materies cædatur; aut postquam cæsa est, quæ illi diligentia adhibeatur: melius enim pessima operi respondet, quæ tempestive & accurate scindatur, quam optima quæ negligenter habeatur. Hesiodus XVII. die lunæ ait cædi oportere; quod tunc decrescere incipiat: & humor, qui cariem facit, imminuatur: quod tempus & tondendo capillo observasse Tiberius Imperator traditur. Vegetius a XV. ad XXIII. his octo diebus. Ita enim immunis servatur a carie: reliquis autem diebus ejusdem etiam anni interna vermium labe exesa in pulverem vertitur: quod ars ipsa & omnium architectorum quotidianus usus edocuit. Quæ causa religionem etiam attulit, ut pro æternitate his tantum diebus cæderetur. Inter omnes denique convenit, utilissime in coitu ejus sterni: quem diem alii interlunium, alii silentis lunæ appellant: quod si competat lunæ coitus in novissimum diem brumæ, illa æterna fit materies: stata etiam anni tempora observarunt: a primo autumno donec flare incipiat favonius: alii per brumam cædi flante borea: quæ virens etiamnum belle ac prope immunis fumo flagrat. Cato hanc rem ita exequitur: *Materiem si robur sit, cædito ubi solstitium fuerit; nam ad brumam semper intempestiva est cætera materies, quæ semen habet, quom maturum fuerit: quæ non habet, quom libuerit: quæ maturum & una viride habet, tunc cædito quom semen exciderit: ulmum vero quom cadunt folia.* Quidam & canis ortum addunt: *Caveto ne per rorem trahas aut doles: circumcisas quoque ad medullam alii non inutiliter relinquunt, ut omnis humor stantibus effluat.* Fecit hæc cædendi opportunitas, ut primo Punico bello classis Duillii ab arbore excisa LX. die navigarit. Contra vero Hieronem regem CCXX. naves effectas diebus XLV. tradit L. Piso: secundo quoque Punico bello Scipionis classis XL. die a securi navigavit. Tantum tempestivitas etiam in rapida celeritate pollet.

CAP. V.

IN MATERIE OBSERVATIONES.

ILlud etiam observatum, quod ex humidis & opacis deteriores, spissiores ex apricis & diuturnæ. Ideo infernas abies supernati præfertur, & in ipsis arboribus robustiores aquiloniæ partes. Durissima quidem existimatur abies. Hinc materies valvarum repagulis accommodata, quin etiam spectabilis ad omne opus ramentorum crinibus pampinato semper orbe se volvens ad incitatos runcinarum raptus. Est enim cuique materiæ peculiaris naturæ indulgentia. Calidissima inter omnes tilia: probatur id quod citissime ascias retundat. E moro, lauro, hedera, fiunt igniaria: exploratorum hoc usus in castris, pastorumque repperit, quoniam ad excutiendum ignem non semper lapidis occasio est. Teritur igitur lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis fungi vel foliorum facillime conceptum. Nihil tamen hedera præstantius, quæ teratur lauro, laurumque terat. Fici, salix, tilia, betula, sambucus, populus utraque, scutis faciendis aptissimæ: quarum plaga contrahit se protinus, clauditque suum vulnus: & ob id contumacius transmittunt ferrum. Cornus licet propter exilitatem possit materies non videri, radiis rotarum, cuneis, clavisque ceu ferreis idonea, venabulis sambucus, pictorum tabellis larix fœmina, cardinibus assamentisque portarum ulmus. Lentore fraxinus utilis, duricia ilex. Navium malis antennisque propter levitatem præfertur abies. Ab his commendatio est pino, quæ aut quadripartitos venarum cursus bifidosque habeat, vel omnino simplices. Homerus in Telemachi navi abiegnum malum statuit:

Ἱστὸν δ' ἐλάτινον κοίλης ἔντοσθε μεσόδμης
Στῆσαν ἀείραντες.

Malum autem abiegnum concavum intra tabulatum
Statuerunt erectum.

Vectibus aquifolium probant. Adde quod nec omnes inter se materiæ coassari committive possunt, sed nec fere cohærent, nisi similia natura, ut si quis lapidem lignumque conjungat. Robur cum compari insociabilis glutino est. Æsculei axes (si Vitruvio credimus) quernis minime cohærent. Robur, buxum, arida pertinacius resistunt, ferrarumque dentes replent qualitatis inertissimæ. Qua de causa alterna inclinatione egerunt scobem.

CAP. VI.

DE CLAVIS NAVIUM.

ILud quidem non prætermittam, nos minime sumptu deterreri debere, quin æreos clavos potius quam ferreos affigamus: impendium enim diuturnitate compensandum. Nam ferreos clavos tempore & humore celeriter rubigo absumit, ærei fluctibus nullum patiuntur detrimentum.

CAP. VII.

DE STUPA.

QUod lini cortici proximum est, stupam vocant: hoc stupario malleo detunditur. Eoque offarciunt trabium texturas & assium coagmenta, si quando fuerint discuneata, ne aqua influat: hinc & stipare dictum volunt.

CAP. VIII.

DE PICE.

NAvalibus etiam muniendis in Europa pix liquida e picea coquitur, lignum ejus concisum furnis undique igni extra circundato terra: ut primus sudor aquæ modo fluat in canali: hoc in Syria cedrium vocatur: cui tanta vis est, ut in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfusa serventur. Hoc rursus in cortinis æreis

conjecto aceto spissatur : & coagulatum brutiæ nomen accepit. Sed hæc ad alia utilis : illa penicillo navigiis adlinitur. Cujus vis est, ut tabulæ in unum maxime coalescant? neque aquis corrumpantur : quæ si quando navibus maritimis deradatur, nunc radulanæ, nunc zopissæ nomen invenit, ad plurima utilis medicamenta.

CAP. IX.

ALLITIONES NAVIUM CONTRA IGNES.

NE facile navibus ignis adigi possit, alii visco, alii alumine ligna perlinunt : utrumque ignibus contumax. Allinebant etiam antiquitus milto : ex quo & Homerus μιλτοπαρῄους eas vocat : est autem miltos, quam nostri modo rubricam, modo minium interpretantur.

CAP. X.

NAVIUM STRUCTURA.

OLim alnos tantum fluvii censere cavatas,
Quam primum genus hominum se credidit undis.

Hæc monoxyla quasi uno e ligno constructa navigia appellaverunt, qualibus diu in mari Indico usi sunt, quom ex Cottonara piper Baratoa conveheretur. Quin & cannarum internodiis & scapis eam navigationem exercuere : mira enim est eo in loco cannarum amplitudo : quin & qui modo Hispanicam navigationem nuper inventam descripsere, a se hujusmodi visa navigia testantur. Rudes deinde inter se trabes junxere : quas rates nostri appellavere, & qui in iis versabantur ratiarios, Græcis χεδίας nominarunt : quod tamen verbum & Latini suum fecere : hoc vero navigium temere factum & inconditum significat : id etiam μεταφορικῶς ad alia parum perspecte ac tumultuario facta transtulere : quando & Herodotus pontem, quo Darius Bosphorum junxit, χεδίαν vocat. Extemporaria item & inelaborata opera χέδια dixerunt : & schedicum Lucillius apud nos, quod male conformatum erat, appellavit. Profecit paulatim ætas : & exactiora, meliusque exasceata navigia prodiere, jam formata aptius & distincta commodius. Et quidem navium ratiocinatio ac symmetria ex interscalmio, quod διπηχαϊκή dicitur, colligi solet. Onerariæ longitudo ad latitudinem non minus tripla, expeditæ non amplius altera tanta. Trajanus Imperator quom classem ageret, prætoria ferebatur, quam naves quatuor regia signa præferentes remulco pertrahebant. Ejus longitudo fuit, quantam maxima triremis habet. Latitudinem autem & profunditatem habuit, quantam holcas, & quasi amplissima Nicomedis aut Ægyptia : in ea discumbebat Imperator. Hæc vero acrostolia seu fastigia efferebat : & in summo mali regium nomen aureis literis inscriptum. Sed carinarum imprimis ratio haberi solet, ut apte scilicet inflexæ & curvatæ sint, & cum modo convexæ, ut facilius & promptius aquas scindant, ne usquam vitium faciant. Ita scilicet animadversum est, cætera animalia ideo supernatare, & in aquis solo naturæ præsidio uti, quod carinata habeant pectora, tempestiveque utrinque pedes suo fungantur officio : quod uni homini negatum videmus : certe onerariæ quo fuerit latior carina, hoc ponderibus sustinendis accommodatior : sicuti & expeditæ quo fuerit carina arctior, eo cursui aptior existimatur : ea tamen, ni saburra farciatur, minus constanter subsidebit. Instraverunt deinde plancas, & loculamenta concamerationesque digessere, quas stegam tristegamque appellavere. Tum fores laxaverunt : exin catastroma, quo navis magna parte tegitur, induxere. Rostra ærata, coronidesque quasi postremo loco addidere : certe ex Antiatum navibus demptis rostris publica subsellia construxerunt Romani, ex quibus verba facerent ad populum. Malos subinde addiderunt, e quibus vela suspenderent : horum longitudinem universæ navi comparem fieri præcipiunt.

CAP. XI.

VARIÆ NAVIUM FORMÆ ET NUNCUPATIONES.

NAvium aliæ a remorum ordine, aliæ ab inventoribus, aliæ ab officio, a forma aliæ sibi nomen invenere : triremes, quadriremes, & id genus non a remorum numero, ut parum periti existimavere, sed ab ordine remigum nuncupantur, qui tres quatuorve aut plures navem agunt. Sic profecto Vergilius eo carmine triremim indicavit :

Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,
Urbis opus : triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

Sed jam ingenium ac sedulitas humana trochleis ac funibus tractoriis effecit, ut quantavis remorum multitudo vel a singulis facile propellatur : & quod antea vix trecenti poterant remiges, nunc amplissimum navigium unus homo nec admodum robustus promoveat : idque tam pari actu, tam æquali connixu evenit, ut totidem putes brachia conspirare. Nam & ille in agendis majoribus navigiis mos observatur, ut magister hortatorque remigum portisculo signum & quasi auspicium det remigantibus : quo loco neque cessator admittitur, neque segnities non castigatur. Rhodiæ naves olim magna fuerunt in existimatione, Colophoniæque adeo celebratæ sunt, ut inde natum proverbium existimetur : quoties enim summum auxilium accersitum est, additum Colophona dicimus : sed longe inter cæteras Liburnicæ præstiterunt : ea eo tempore quo in classe Augusti Liburni Dalmatiæ populi ad comparandam adversus Antonium victoriam principem operam navarunt : eorumque naves & agilitate & forma longe pollere judicatæ sunt. Habent hæ singulos ordines, paulo majores binos : idoneæ mensuræ ternos vel quaternos, interdum quinos sortiuntur remigum gradus. Quod nemini enorme videri debet : cum Actiaco bello longe majore referantur concursisse navigia : ut senorum etiam vel ultra ordinum aliqua fuerint. Ad earum imaginem multas deinde naves construxere Romani, quas omnes pari nomine liburnicas appellavere. Pinum & pinastrum, quas per oram Italiæ *stibulas* vocant, ut plerique arbitrantur, licet graciles, succinctiores & enodes sint, ad liburnicarum usus aptissimas existimavere. Harum imaginem graphice repræsentari a pisciculo diximus : quem alii

alii nautilum, alii ponpilum vocant. Magnarum navium variæ nuncupationes. Aliæ onerariæ, aliæ codicariæ: nam codices caudicesve trabes & tabulas dixerunt. Corbita grande & prægrave navigii genus, quod non facile ventorum impetu provehatur: de quo extat ridiculum Lucilii carmen:

Multa homines portenta in Homero versificata,
Monstra ferunt: quorum in primis Polyphemus ducentos
Altus pedes: & porro huic multo majus bacillum,
Quam malus navis in corbita maximus ulla.

Cercurum a longitudine caudæ nomen adeptum accepimus, quo Asiatici populi peculiariter utebantur. Centauros ac Bucentauros & Pistres, & Syllas a forma nuncupatas legimus. Solent enim hæc vocabula per similitudinem facile in alienum migrare, vel certe ab insignibus, & picturis, quæ cuique fuerunt impressæ, nuncupantur: quando illud satis constat, naves certas quasdam formas, & quasi symbola habuisse, quibus & agnosci, & distingui possent. Atque hoc est prorsus, quod Jovem sub aquilæ imagine Ganymedem rapuisse, Europam tauri, accepimus. Sic Phryxum ariete transfretasse, sic Dædalum pennis volasse legimus, quod hujusmodi in eorum navibus viserentur insignia. Proinde Lybes sua quædam navigia κρίυς καὶ τράγυς, id est, *arietes & hircos*, appellavere. Quin & deorum imagines, quibus naves erant dicatæ, illis inscribebantur: Sic Catullus gemellum Castora, & gemellum Castoris celebrat. Sic & cassidatam Minervam Ovidius:

Est mihi sitque precor flavæ tutela Minervæ
Navis: & a picta casside nomen habet.

Et alibi:

Pictos verberat unda deos.

Summus etiam poetarum apud nostros:

Aurato fulgebat Apolline puppis.

Eadem observatio effecit, ut in Hispaniam adversus Geryonem Herculem olla navigasse dixerit Antiquitas: & a cane Isidem in Ægyptum deductam: qua causa & cum ea Anubis canina facie colebatur, quem Mercurium Græci existimavere. Annotavit Philostratus, in eorum sepulchris naves exprimi solere, qui ναυπηγίαν, id est, *navium structuram*, exercuissent. Ab onere ac numero eorum quæ ferre possunt, aliæ nuncupationem habent, sicut μυριοφορος καὶ μυριαγωγὸς ναῦς, id est, *decies mille ferens, & decies mille agens navis*. Inter majores etiam computamus holcada Ptolemæi, πεντεκαιδεκήρῃ, id est, *quindeciremem*: & Antigoni τριάρμενον. Quin & amphiricon & ampherin utrinque habentem remos, quasi ambiremim: & φορτίδα & φορτηγικὸν navigium, quod & φορτικὸν Thucydides dixit: quam nos plane onerariam, & ferentariam appellavimus. Parones etiam inter majores annumerari videmus: minores vero Myoparones, quas Piraticas appellavere. Scaphos item majoribus adscribitur, quom scapha inter minores ac tritas censeatur. Unde illud Philippi adagium: *Rudes mei milites, qui scapham scapham nuncupant*. At inter delicatiores polytelen, quam tu sumptuosam, & delicatam recte dixeris, annumerant. Qualis Thalamegus: quam Seneca cubiculatam, alii thalamiphoram, alii navithalamum maluerunt interpretari: quali Cleopatram vehi consuevisse accepimus, quæ profectura ad M. Antonium, per Cydnum Ciliciæ fluvium eborato navigio vecta est. Cujus puppis erat aurea, vela purpurea funibus auratis pendebant: remi argentei ad fistulæ tibiæque modos agitabantur. Ipsa vero regina sub tentorio aurato, requiescens ad similitudinem Veneris ornata erat. Pueri utrinque collocati Cupidinibus persimiles. Puellæ insignes Nereidum, & Gratiarum habitu partim gubernacula regebant, partim rudentibus innitebantur. Ancillæ autem ripas fluminis complebant vaporibus. Itaque undique currebatur ad hoc spectaculum. Sic & Aulum Vitellium Imperatorem Romanum delicatissimis navigiis, & variarum coronarum genere redimitis vectum accepimus. Erant, & Macedonum στρογγύλα πλοῖα, id est, *naves rotundæ*: erant & amphiproræ, quæ scilicet utrinque proras habebant, ne in obvertendo illas dispendium temporis facerent, id etiam rapiditate ac fluminum pernicitate, tum etiam alvei angustia cogente. A plausu ac fremitu remigantium δίκροτον nuncupavimus: ex proportione, & quasi per relationem hemiolidas hemioliaque dicta existimamus. Gaulum inter onerarias adscripserunt. Haliadas usibus maritimis designarunt; quas alii πορεῖα θαλάττια καὶ θαλάττια ὀχήματα appellant: σιτηγὰς καὶ σιταγωγὰς nuncupant, quæ convehendis frumentis atque annonæ accommodatæ sunt: eas frumentarias annonariasque interpretamur. Cassiodorus a celeritate Dromones vocat. Ferendis armis ὁπλιταγωγὰς. Strategia, & stratiotidas bellicis commeatibus addixerunt: ἱππαγωγὰς equis transportandis exornarunt: eas nunc Hippagines vocant, & a Salaminiis inventas prædicant. Lestrida putaverunt nonnulli ab Homero πολύζυγον, id est, *multorum ordinum* appellatam. Prætoriam autem navem, quam augustalem alii, alii quæstoriam dixerunt, prout Imperatores, quæstoresve exercitibus præsidebant: Græci nauarchida, & strategida vocitarunt. Marplacidas Siculi, cnidurges Cnidii, naucraticum Naucratitæ Ægyptii, meliacum Melii, paron celebrant Parii. Leviorum item navium multas species apud Veteres comperimus. Nam & actuariæ, cymbæ, prosumiæ, lintres, phaseli, Campanis frequentes, & mediæ phaseli, inter minores annumerantur. Celocem eleganter Varro *remivagam* appellavit, quam ab equestri pernicitate Græci celetem, & celetium vocant: quando, & celetes singulis equis currentes in certaminibus Pausanias existimavit. Ex levi impulsu epactridas appellavimus, & paulo his graviores ex celetibus, & epactridibus constructas epactroceletes. Ab angustia, & quasi frugalitate euteles diximus. Cydarum etiam, & cydalum dictum putant, quod longe supra aquas efferatur, & animose tempestates maris exsuperet. Inter levioris generis navigia, & acatium computamus, cujus & formam obiter attigit Plinius: Navigeram similitudinem & aliam in Propontide visam sibi prodidit Mutianus: concham esse Acatii modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata; in hanc condi nauplium animal sepiæ simile, ludendi societate sola. Dromadi cursus pernicitas nomen dedit. Nuctetias & cattas, utrasque Veteres, sed & has recentiores agnoscunt. Erant & quæ quasi in

perpetua statione ad viatores transvehendos excubarent, porthmia, & porthmides appellatæ. A forma & structura oxias, & ratiarias vocavimus. Addebantur, & majoribus navigiis prodrome, & quasi anteambulatoriæ: sicut holcadibus epholcia, & epholcides; triremibus cattæ & pontones, strategidi speculatoriæ & catascopiæ. Toti denique classi, quæ ex instructis navibus constabat, scaphæ exploratoriæ: quas instituto castrensi ad fallendos hostes Veneto colore, id est, cæruleo, cæruleisque velis, atque ita mari concoloribus, illitas instructasque esse oportebat.

Remulco etiam naves trahi notius est quam ut longa demonstratione indigeat, quam scilicet navis minor majorem trahit. Deductum id a musculo pisce, quem Græci hegetera vocant. Ille enim balenæ prægravi superciliorum pondere obrutis ejus oculis, infestantia magnitudinem vada prænatatacs demonstrat: oculorumque vice fungitur. Inter naves & julopezam verbo tenus attigit Suidas.

Quin & de piscatoriis naviculis crebra mentio apud Veteres: nam & lenunculi, & lembi & horiæ & horiolæ, quas alii gesceoretas, alii prosumias appellari putant, in frequenti usu exercebantur: eas in universum Græci haliadas vocitabant. Erant & in mari Æthiopum plicatiles naves, ut humeris transferri possent. Erant & in Indico papyraceæ, quibus qui veherentur a crocodilis non attingi, patria fuit superstitio: quod eo scilicet navigio Isis Osiridis laniatum a Typhone corpus transvexerit. Erant & vitiles, quæ vinculis & suturis connectebantur: quas textiles etiam quidam vocant: certe Vergilius quom sutilem dixit, videtur ad vitilia allusisse, quæ farciri & instaurari poterant. Vitilia vero a vinciendo dicta nemo ignorat: quæcumque scilicet sic lenta sunt, ut commode flecti possint; ut vitex, vitis, vimina, viticulæ. Sic Plinio rubus ad vitilia seritur: sic cucurbitæ vaginas vitiles tribuit. Alioqui non me præterit, summum Poetam morem Ægyptiorum indicasse: apud quos baride navi, quam Græci epibatram dicunt, Charon (ita enim apud eos portitor vocabatur) trans Acherusiam paludem defunctorum corpora efferebat. Nautis præmium pro vectura debetur, naulum, vectigal, portorium: quod si fœnus accedat, heteroplum: & si rursus merces revehendas locaris, amphiteroplum addetur. Quod si periculo tuo navis steterit, de adversioni conducta agi posse statuent Jureconsulti.

CAP. XII.

SACRÆ NAVES.

SED quo piaculo sacra navigia prætermittemus? quale apud Athenienses Delium: quo Plato testatur Theseum olim bis septem illos secum tulisse in Cretam, eosque pariter cum eo servatos esse. Voverat enim, ut fertur, Apollini, si servarentur, quotannis Delum spectaculum quoddam missurum. Quod sane in posterum singulis servatum est annis: cui spectaculo quom primum datur auspicium, & lege interim urbem lustrant, neminemque eo tempore publice necant, donec navis Delum pervenerit, rursusque ex Delo Athenas revertatur. Id vero nonnunquam longo tempore peragitur,

A quom præsertim venti obstrepunt. Initium spectaculi est, quom primum Apollinis sacerdos navis illius puppim coronaverit. Et hanc quidem navim a nulla superatam scribit Pausanias: eamque a tabulatis in novem remiges exsurrexisse: quom tamen navis, quæ ad Panathenæorum pompam exornata fuerat, pridem ab alia quadam fuisset exsuperata. Nam duæ fuerunt aliæ celebres naves apud Ahenienses, paralus scilicet & Salaminia: altera ab heroe Paralo, a loco altera nomen adepta. His se Themistocles commodissime conferebat: quod sicuti in magnis tantum usibus illæ exercebantur, ita ipse ad ma-

B gna tantum negocia accerseretur. Salaminia enim (si Thucydidi credimus) ad eos mittebatur excipiendos, qui in judicium vocabantur. Alioqui & in re bellica primas partes obibat. Qua etiam causa factum putant, ut Aristophanes Bacchum ἀσαλαμίνιον, id est, *imbellem*, vocaverit. At paralus quasi thensa sacris ferendis insternebatur. Apud Romanos Cybeles navigium colebatur, quo illa a Pesimonte advecta est: nec minus quo deum Epidaurium Romam translatum accepimus. Apud Ægyptios navigium Isidis in magno cultu habebatur, ejusque nomine solennis dies agebatur: qua etiam ex

C causa deæ simulachro cymbium additum credidere: quo monumento eam minime tranasse, sed navigasse agnoscimus. Fuit autem id papyraceum navigium, cujus etiam rei causam abunde supra retulimus. Nec ille dies minus in fastis Romanotum quam Ægyptiorum adscriptus: licet ejus originem prorsus ex Ægypto agnoscamus: quando in Hermupoli Typhonis simulacrum effingebant equum fluvialem, cui accipiter insidebat cum serpente decertans: & equo quidem fluviali Typhonem indicabant: accipitre vero potestatem, & imperium, quo vio-

D lenter usus Typhon non reformidabat ab improbitate turbatus, & turbans. Proinde & sacrum agentes die septima mensis Τυβὶ, qui fere in nostrum Decembrem cadit, (si Plinio credimus) quam diem ἄφιξιν Ἴσιδος ἐκ Φοινίκης, id est, *Isidis accessum ex Phœnice* vocant: exprimebant in placentis fluvialem equum, sed consternatum. Cillones a pernicitate: gerarias onerariis persimiles: tabellarias perferendis literis expeditas, & publico exceptas diplomate: samenas a Samiorum usu: trampin, carabumque, unde *carabellam* vulgaris simplicitas appellavit: quin & vagiones, & mydium, ex quo

E & parone myoparones coaluisse credunt: celebrat Antiquitas. Sed & Ægyptii pactonem in usu habent: est hoc scaphæ genus textile, virgultis consertum, in quo sedentes amnes trajiciunt. Et de navium nominibus hactenus.

CAP. XIII.

NAVIUM STRUCTURA.

F QUOM primum navis struenda est, lignis paxillisque undique texitur, quos Plato δρυόχους appellat: & ab eis per translationem sic procemia Aristophanes nuncupavit. Hic duplex solum, & carina insternitur: alteram tropidem vocant, cui phalcis annectitur: hunc Lesbium, hunc chalcenetem, hunc clitopodium nuncuparunt. Phalcidi altera carina inhæret. Ejus terminus proram versus proembolis: & sub hac embolum, quod

fundamentum ſtatuminationemque recte dixeris. Inter embolum & proembolidem medium ſolum ipſum, quod ϛεῖρον vocant, jacet: ſupra embolum delphis eſt. Id æreum inſtrumentum eſt: quo naves hoſtium diripi poſſunt: eo inſtructas naves delphinophoras appellavere. Intra embolum & proembolidem ſupra carinam ſtolos eſto: qui & περικεφαλαία, id eſt, *ambicraneum* nuncupatur. Quod autem prominet, acroſtolium, id eſt, ſtoli apex, ab aliis ptychis, id eſt, complicatio, ab aliis oculus vocitatur: quod & nauphracton quidam putavere, unde tormenta, & jacula emitterentur: quod & Græcorum proverbio locum dedit: certe in eo navis nomen adſcribebatur. Et carinæ quidem (ut diximus) inhæret phalcis: ſed interius altera parte epholcis, quam & rhinoteriam dicunt. Quod ſub carina ſternitur, ne illa atteratur: Chelyſma quaſi corium & tegumentum nomen habet. Ipſum autem navis pavimentum cytos, ſeu gaſtra, ſeu amphinetrium. Thalamus vero ea pars eſt, qua thalamii remigant. Medias partes navis juga, noſtri tranſtra vocitant: in quibus ſedent jugarii, quos tu & tranſtrarios belle poſſis appellare. Circa ſuperius navis pavimentum thranos, id eſt, ſella: in qua extenduntur diphtheræ & pellicea ſtragula. In hac ſellularii; unde autem exporriguntur remi, ſcalmus. Hæc autem quæ ſub compendio Pollux tradit, paulo explicatius Suidas: *Tres ſunt*, inquit, *in triremi ordines. In imo thalamitæ, quos cubicularios transferri licet: qui quom brevioribus remis utantur, minus mercedis accipiunt. Supra hos Zigitæ, id eſt, tranſtrarii: qui medium locum habent. In ſummo, thranitæ, quos ſellularios ſedentarioſque interpretati ſumus: quibus longiſſimi remi ſunt, ceu qui in loco ab aquis remotiſſimo ſua munera obeant*. Inter ſcalmos intervalla interſcalmia nuncuparunt: cui vero ſcalmi adnectantur, tropoter: is lorarius paxillus eſt: ſub ſcalmo epiſcalmis ſubjicitur. Quod remigibus ſubjacet, hypireſium: hunc eum putant, quem tertiarium remum hodie vocant. Remorum diſcrimina atque intervalla trimata appellantur: pellis quæ ſcalmo aſſuitur aſcoma. Circa eos, quos ſellularios, ſedentarioſve appellavimus, via πάροδος, id eſt, *tranſitus*, & parathranos, hoc eſt, *adſellium* dicitur: quæ circa carinam utrinque intenduntur lora, primum ac ſecundum quod & thalamum vocatur, ab ordine nuncupationem trahunt: nam primus & ſecundus βῶλος, atque ita deinceps appellatur: potes & parietem ſiniſtrum, & dextrum, & aſſerem & latus, potes & jugum dictitare: quin & cleida, id eſt, aſſamentum juncturamque, & ſelma, id eſt, tabulatum nuncupabis. At quæ ſunt ex altera parte proræ, & παρειά, id eſt, *gena*, & πτερὰ, id eſt, *pinnæ* vocitatur: eſt & proraticum ἑδώλιον, id eſt, *baſis*: quaſi fulcrum, cui aſſidetur. At circa puppim ligna prominentia περιτόναια, quaſi *circumtenta* dixeris. Ibidem ſcena ceu tabernaculum ſtratego & trierarcho, id eſt, præfecto aſtruitur. Pars ſumma clavi, quod πηδάλιον Græci dicunt, οἴαξ. Apud quoſdam tamen œax pro univerſo temone capitur. Cujus medium φθεὶρ vel ῥίζα, id eſt, *radix*, vel ὑπόζωμα, id eſt, *præcinctum* appellatur. Suprema vero pars πτερύγιον, id eſt, *pinnaculum* eſt. Reliquum αὐχένα, id eſt, *collum* dixere. Quo autem loco accumbit gubernator, enclima, id eſt, inclinatorium ſeu accubitorium vocant. Puppis meditullium aſandium, cujus interior pars ἐνθέμιον: qui vero ab eo dependet ἐπισείων. Puppis autem faſtigia, aphlaſta: intra quæ rectum lignum adigitur, quod ϛηλίδα vocitant: e cujus

A medio dependens cingulum tænia dicitur. At remus qua parte capitur enchiridion, medius ὄραχος, poſtremus pinna & remi tarſos. Eſt autem tarſos ſumma pars & quaſi dorſum pedis humani. Tum vero quæ pars malum excipit, λῳὸς ſeu *torcular* (ut puto) dictum: quod vero illi adaptatur, calcaneum. Poſtremum vero verſus cornua ἠλακάτη, id eſt, *colus*, thoracium, carcheſium: ſupra cornua vero atractos, id eſt, *fuſus*: cui & epiſionta, quaſi *minitabulum* dixeris, ſeorſum appendunt. Magnum vero & juſtum velum acation vocant. Poſt quod epidromus, quo verbo accurſorium intelligis: & minor, cui nomen dolon. Antennæ
B vero quas κεραίας Græci dicunt. Media pars roſtrum verſus ambola & ſymbola dicitur. At quæ utrinque continent, ancylæ, id eſt, *jacula*. Extrema vero ἀκροκέραια, quam tu *ſummam antennam* potes appellare: quod ſi obſeptum & (quod ajunt Græci) cataphractum navigium fuerit, pyrguchi, id eſt, *turrium fulcra*, illi adaptantur: & in his turriculæ duæ, dextra ſcilicet ac ſiniſtra: quarum medium cataſtroma. At ligna in quibus aſſeres adacti ſunt, nunc canonia, nunc ſtathmidas vocant. Quod autem ſuperius utrunque parietem continet περιτόναιον dicitur: & remorum
C receptacula copoteria vocantur. Mox περιξειρέσια, ἔμβολον, anthon, id eſt, *ſentina*: unde hyperanthum. Navigii autem feneſtella, per quam aqua exhauritur, εὔδιαιος quaſi ſerenitatem admittens nuncupatur. Libuit hæc a Græcis mutuari, quod in his deſcribendis noſtri præparci admodum fuerint: alioqui & Græcis nominibus noſtri autores ſuo jure utuntur. Sic ſtega Plauto navis tabulatum eſt: unde & triſtega tabulatum triplex, & quaſi tergemina concameratio. Sic cataſtroma opertorium navis vocant, & emphracta undique tecta navigia. Sicut e diverſo aperta, intectaque aphracta: atque hoc eſt quod M. Tullius
D de aphractis Rhodiorum meminit: Carcheſium Apulejo ſumma pars mali verſatilis, ſicut inferior patera, media trachelum. A carcheſii forma poculum dictum eſt procerum, anſatum, & circa mediam partem compreſſum: quo Pherecydes a Jove donatam Alcmenam dixit, licet pateram Plautus appellarit. Artemo trochlea eſt in navi, qua funes ductarios & cætera navis armamenta explicant: quam noſtri juxta & Græci epagonta nuncupant. Quin & de ceruchis apud Latinos crebra mentio: hi vero velaturum antennarum ſunt cornua. De quibus Poeta:

E

Tranſtraque nautarum, ſummique arſere ceruchi.

Dolonibus utitur Livius, nec minus eo, verbo minora vela, quam malum a quo vela ſuſpenduntur, intelligimus. Quin & carbaſa a Græcis trahuntur, quæ & lintea, & vela, & velaria, & plagæ, & ſtragula dicuntur. Quorum loco alicubi ſcirpis utebantur: quod & nos perſæpe in olitoriis piſcatoriiſque cymbis in Hadriatico freto ſpectavimus: loculamentum etiam & quaſi the-
F ſaurum remorum idem Plautus *caſteriam* appellavit, *Aſin. Act. III. Sc. I.*

Quin pol ſi repoſivi remum, ſola ego in caſteria
Ubi quieſco, &c.

CAP. XIV.

SUPELLEX NAUTICA.

INstrumenta atque organa nautica, quæ jure supellectilem navalem dixeris, pari verbo Græci ὅπλα, nostri *arma* dixere. Inter hæc Jureconsulti decreverunt minime malum contineri, minusque ἱστοδόκην καὶ ἱστοπέδην, id est, *mali conceptaculum*: quod sine eo non modo inermis, B sed luxata & manca prorsus navis sit, neque a navi sine maximo detrimento avelli possit. Quo loco etiam vela habenda puto, quando malus ad vela fulcienda tantum paratus sit: & profecto sine velo oneri potius est navi quam adjumento: etsi alioqui ad pertrahendas naves helciarii mali utantur commoditate, ejusque fastigio ligneæ speculæ, quas vulgo caveas vocant, suspendantur: unde vel speculatores longe prospiciant maris convexa superantes, vel bellatores tanquam e propugnaculis decertent: e malo autem funes & funiculi, quos Veteres napuros, Græci σχοινία, quasi *juncea*, & καλώδια, & προτόνης vocant, C trahebantur. Quod si a terra ducebantur, ἀπόγαια: si terræ incumbebant ἐπίγαια: quæ sicut equus vacerræ, in prymnesio, id est, palo paxillove adligabantur: quod & tonsillam nostra nuncupatione dicimus. Hæc omnis linea, stupeave & cannabina supellex e sparto Hispano texi & complicari solebat. Quam ob causam nonnulli falso existimaverunt, Varrone reclamante, ab Homero σπάρτα nuncupata, quom tamen σπάρτον Homeri temporibus minime in usu foret: sed Liburni naves plerasque loris suerent, Græci magis cannabo & stupa cæterisque sativis rebus, a quibus σπάρτα appellabant. Hæc lora item retinacu- D la atque habenas Poetæ vocant. Quibus profecto illud consuetum est, a re equestri ad nauticam, & a nautica rursus ad equestrem jucundas facere translationes: ut plane illud Homericum agnoscatur, qui mentionem faciens νηῶν ὠκυπόρων, subjungit αἳ ἁλὸς ἵπποι ἀνδράσι γίγνονται. Quod belle imitatum Plautum videmus in *Rudente*: *It equus*, inquit, *ligneus per vias cæruleas*. In armamentis navium est & anchora: cujus inventorem Midam celebrant: & quam ille primum reperit, diu in Jovis delubro pependisse memorant. Seleucidarum profecto nota fuit anchora: quam E in totius familiæ fœmore regeneratam tradunt. Habuit & inter elogia anchoram Vespasianus, cui se delphin implicabat: ut ex hujus pernicitate & illius mora Græcum illud indicaretur Augusti, σπεῦδε βραδέως, *tarde* scilicet *festina*: quod uno verbo nostri *maturare* dicunt. Est & inter anchoras sacra anchora Neptuno dicata, qua summis tantum in periculis utebantur: & ad anchoralia Plinius suber aptissimum scribit. Tum amphiboli, quæ utrinque jaci possunt instrumenta: & amphistomi, & heterostomi, quæ scilicet altera tantum parte innecti possunt. Erant & funariæ scalæ, e funibus scilicet contex- F tæ: quibus ἀποβάθρα & διαβάθρα nomen fuit. In his agiles admodum petauristæ versantur: quos Græci ἐπιβάτας, & σχοινοβάτας, nostri *funambulos* vel *funerepos* appellavere: quales homines etiam in urbibus olim habitos in admiratione & nunc haberi animadvertimus. Ad frigorum atque imbrium defensionem habentur etiam in navibus pelles, vestes pelliceæ, deres, diphtheræ, rhenones, bardocuculli, stragula nautica ex hircorum vellere, qui apud Cyniphios &

A Cilices commendantur. Quin & delicatiores in navibus canusinati, id est, vellere canusino induti, penulatique visebantur. Nam & grammaticorum & discursantium per imbres indumentum erat penula. Habentur & tapetes, & amphitapetes, & centones; & polymita densioris texturæ, & amphimalla, id est, utrinque villosa. Erant & ingenuorum amphimaschala, quæ ab utraque parte villis tegebantur: quom ea, quæ altera tantum parte tegerentur, heteromaschala serviciis dicata forent: qualia etiam mallotes & heteromalla quasi altrinsecus lanata vocavere. Hodie plurimo in usu sunt vellera igne B atque aqua densata, valenterque statuminata. Alioqui vulgaris nautarum habitus cæruleus, & thalassicus, quem & venetum, & ferrugineum dicunt. Quin & ipsi nautæ præcincti ac lævo expapillato exertoque brachio incedebant: causeo, id est, capitis velamento intecti. Distinguebantur autem funes circis, ansis, ansulis, cyclis. Ita enim Vergilius circulos appellat. His adde cricos, scilicet velares annulos, quos optimos fieri constat ex Ægyptia arbore, quam Plinius *cuci*: Theophrastus *cuciophoram* vocant. Quibus similes chamæleontis oculos describit Aristoteles. Inter eadem armamenta & remi po- C tissimam partem habent: quos nostri tonsas & palmulas vocitant. Eorum latitudinem Plateæ dicuntur invenisse: & explorandæ aquarum altitudini conti, perticæ, parasangæ, quas a quantitate nunc decempedas, nunc dodrantales, nunc trientales dicebant. Quod & perpendiculis plumbeis, quos *molorthei* vocant, dioptrisque ac regulis quibusdam experiebantur, indubitata ferme semper ratione & (ut ille ait) scrupulari differentia. Erant & obliqui quidam lapsus deducendis, subducendisque navibus. Erant & transversa ligna quasi fulcra, quibus naves a ca- D rie asserebantur. Hæc hermata appellabant, quæque illis incumbebant naves hermatismenæ dicebantur: quæ vero sine iis omittebantur, ἀερμάτιστοι nuncupari solebant. Adhibebantur & funibus deducendis, contrahendis, portendendis, complicandis machinæ, machinulæ, fibulæ, suculæ cum vectibus, quibus ad hauriendos puteos, evehendosque pontes hodie utimur. Adhibebantur & peculiares emporeticis evocandisque oneribus trochleæ, quas *epagontas* Græci, nostri artemones. Vitruvius ergatas, vernacula simplicitas *argana* vocat. Insignis ille & dignus memoratu modus impositi obelisci in maximam E illam ac prægrandem Caii navem: quam multos annos adversatam, omnibusque quæ unquam in mari visæ sunt mirabiliorem, turribus Puteolis e pulvere exædificatis perductam Hostiam portus gratia mersit. Hanc enim harena plenam pressamque onere ripis æquam fecere, ita ut facile obeliscum exciperet: quem exonerata sustulit, facileque e Nilo in Tiberim provexit. Quo experimento palam fuit non minus aquarum huic amni quam Nilo esse.

F Est & in navi cellarium, seu tu penum mavis appellare, in quo duo præ cæteris asservari solent; panis scilicet bis ignem passus, quem Græci Dipyron, seu paxamida, Marcellinus buccellatum, & bis coctum vulgo nuncupant: nonnulli coptam Rhodiacam putant. Curandum autem est diligenter, ut hic recte excoquatur: ne forte nobis eveniat, quod olim in classe Bellisarii contigit: in qua Joannes annonæ præfectus quo parcius ligna pistoribus subministraret, non sat excoqui permisit. Quo factum est ut facile solveretur, ac putresceret, magnique interim morbi ab exercitu contraherentur.

Secundo loco dulcis aqua ac posculenta præparanda est: certe regibus Persarum quoties peregre irent, ex Eulcoamne magna semper religione afferebatur. Nec aliunde licebat epotare: ea vero in navibus amphoris vitreis in imo depositis, quo minime sol admitti possit, commodissime adservatur: quæ si te forte defecerit, poteris & in mari invenire. Constat enim & dulcem humorem in mari contineri: quem si ex cera vas tenui latere finxeris, idque adnexa linea in mare demittas inane, die ac nocte una copiose colliges. Nostri profecto nautæ feliciores, qui in tabella regiones, oras, insulas, scopulos, promontoria, portus, faciem denique omnem maris circumferunt. Habent & magnetem in pyxidecula vitro intecta, in hac rotula tenuissimo ac perquam lævigato acuminatoque in acus similitudinem æreo paxillo incumbit, atque circumagitur: neque antea sistit, quam rotulæ radius, qui scilicet e magnete constat, in arcton procumbat. Una enim semper magnetis pars, natura ita cogente, in arcton; altera in austrum, nisi forte quippiam obstrepat, perpetuo spectat, atque devergit. Ad hujus prope exemplum apud Plautum versoriam agnoscimus instrumentum nauticum: ex quo soluturi cognoscebant, unde flarent venti, & an mare admitteret navigantes. Illius tam ingeniosi commenti autores Amalphii in ora Calabriæ siti celebrantur. Ingruant igitur quantumlibet ventorum turbines, mariaque ab imo subvertantur, tum vero & noctis caligo & nocte nocentior tempestas rebus lucem & colorem auferat: invenit tamen humani animi acumen, qua ratione viam exploret, seque fluctibus ac erroribus vendicet, atque in tutiora recipiat: & quasi oculos sibi fecit in tenebris ac periculis suis audaciam dedit.

CAP. XV.

QUÆ SINT AD PROCINCTAM CLASSEM PARANDA.

Quod si ad justam cruentamque naumachiam, vel certe imaginariam temporariamque, qualis ad populi oblectationem in euripis & manufactis lacubus exercebatur, naves, triremes, longæ, celeres, cataphractæ instruendæ sint: ante omnia pelles comparandæ sunt, quibus æstivare, hibernareve possit exercitus: rostraque ad arietandum concursandumque ærata, qualia Græci χαλκέμβολα dicunt: a quibus & chalcembolæ, id est, rostratæ triremes sunt appellatæ. Tum vero & remigibus parandi thoraces, clypei, ocreæ, galeæ, enses, lanceæ, hastilia, contii, tridentes, falces, manus ferreæ, unci, uncini, harpagones, pyroboli, ollæ ignivomæ. Atque ut lubrica fiant navigia, atque ita hostes facile concidant, Mattiacæ pilæ liquentes: & ad hostiles ignes retundendos coria, scorteæ, byrsæ, cilicia, & id genus amuleta spondis lateribusque navium affigenda. Quin & larice & ferreis laminis incrustanda navigia, viscoque & alumine illinenda, ut alibi admonuimus. Quin & Phalarica in hastæ modum valido ferro præfigitur: intra ejus tubum sulphur, resina, bitumen, stupa involvitur: eaque omnia oleo incendiario perfunduntur: valido postmodum nixu contorta navi machinæve inhæret, incendioque absumit quicquid attigerit. Sed jam ætas ad perniciem profecit, æreosque tubos nitroso ac sulphurato pulvere implet: quorum exitus ferrea aut certe saxea pila valide obstruitur. Tum tenui admodum spiraculo ignis injicitur: qui raptim cognatam materiam populatus, vacuum scilicet aversante natura, incredibili impetu pilas proturbat, ac longe jaculatur fulmineo ac prorsus metuendo impulsu: cui non turres, non mœnia, non obices ulli queant obsistere: sexcentos homines & amplius, si ad lineam steterint, facile omnes uno excursu exanimet. Debemus hoc malum Germaniæ, casu rerum fere omnium magistro autore. Nam quom ex iis, qui se Democriticios Chymistas profitentur, quidam in disquisitione philosophici lapidis commistionem nitri, sulphuris, & attriti carbonis, atque id genus aliorum fomitum fecisset: quanta eorum vis foret, ex attactu ignis intellexit: quom nullis vinculis, nullis cancellis incendiariæ materiæ impetus suffrenari potuisset. Sic autem instructas & procinctas ac stipatas naves, δοκίμους, id est, *probas* ac *probe ornatas* dicunt; quas Lysias ἀδδηφάγους, quasi *edaces* nuncupat: quod in his multum sumptus adhibeatur. Quæ autem leviter mediocriterque se habent, qualia ἀπλήρωτα καὶ ἡμιπλήρωτα vocantur, hæ quidem πλώϊμοι, illæ vero ἄπλοοι dicuntur.

CAP. XVI.

VICTORIA NAVALIS.

Victori autem corona, & quidem rostrata, debebatur: quique munus illud imperatorium quam celeriter obiisset, id præmii assequebatur. Quod tempus omne magistratus Demosthenes trierarchema vocitabat: quo etiam titulo orationem unam inscripsit. M. Agrippa quod naviter & feliciter rem militarem in mari administrasset, magnos honores promeruit. Extant aliquot numismata apud me vetustæ elegantiæ ejus nomine excusa, in quorum parte adversa tridens impressus victoriæ maritimæ notam præ se fert. Cætera omnia, quæ in terrestribus copiis exercebantur ferme in classe exerceri solebant. Nam & milites signa servabant, & aquilas penes navim prætoriam, quasi in principiis cum imaginibus Cæsarum more Romano custodiebant: & tessera per classem ibat, & symphoniaci ad pugnam hortabantur, aut pugnantes revocabant, receptui canentes, vel classiariis modum remigationis dabant: & miro concentu, id quod in classe Veneta observari etiam hac tempestate video, auditores tenent. Quin & milites ad vigilias tubicine excitabantur, aut a vigiliis desinebant: quem nautica voce nunc τελεραύλω aut κελδεστω nuncupabant.

CAP. XVII.

QUI REM NAUTICAM EXERCERENT IN CLASSEQUE VERSARENTUR.

In navibus autem versabantur nautæ, navitæ, remiges, ploteres, qui & navigantes: gubernator, proreta seu prorarius. De proreta Plautus meminit:

S. tu prorela, inquit, *huic navi es*, *ego gubernator ero*.

Πρόκωπος, ἐπίκωπος, anteretes, quem *obremigem* interpretari potes: mercator qui ἔμπορος: unde chartæ emporeticæ, quibus segestria fiunt

A & involucra mercibus. Vectores, navicularii, naviculatores, urinator. Natator, qui hyphydros, & hyphalos, & colymbetes. Exercetur autem natatio vel solo nixu corporis, vel utre consuto seu corio, quod & culeum & ascoperam vocant: vel cortice, vel subere, vel arefacta exenterataque cucurbita. Sed quod nos arte proficimus, id Thibiorum genus in Ponto a natura habet, ut neque veste degravati mergi possint. Sed & eschareos quoque, quasi focarios dixeris, inter servitia nautica agnoscimus. Mesonauta vero quasi mediastinus ad omnium nutus in media navi excubat. Horum omnium præfectus est navar-
B chus: clamor autem universæ classis celeusma dicitur. Unde proceleusmaticus poeticus pes summæ pernicitatis factus est. Quod si classis in procinctu sit, classici, & classiarii, & epibatæ, & nautici certatores, quasi in procestrio depugnant.

His adsunt præfecti, trierarchi, pentecontarchi, decuriones, & tribuni classis, & lecharchi quasi spondarum principes. Quin & epistoleus navarcho absente ejus vices obibat: eratque illi quodammodo succedaneus & vicarius: classem enim stolum vocant. At imperator ipse classis paludamento cæruleo utebatur: & signum cæruleum
C proferebatur, quo etiam equites in terrestri militia convocabantur. Ad nutum autem imperatoris classico ad pugnam classiarii accendebantur. Nec classico minus tubæ signum quam tubam ipsam & buccinum intelligimus: cujus thecam & loculamentum classendicem dicimus. Certe ad id præbendum non modo tubicines ac liticines buccinatoresque adhibebantur, sed & pueri symphoniaci, ut dixi: quos abductos a præfecto quodam Antonii per injuriam conqueritur Cicero. In Argo navi cithara datum signum remigibus memoriæ mandatum accepimus.

D

C A P. XVIII.

APPARATUS PISCATORIUS.

AT in alios usus piscatores, quos hamiotas & hamitrahones nostri, Græci halieas, & ichthiulcos, id est *piscitrahos* & maris prædatores vocant, sibi retia, verricula, plagas lineas, arundines, virgas, hamos, tridentes, calamos, lina, equinas setas, subera, plumbabula, griphos,
E annulos, ansas parant. Nassas strigmento polypi illinunt: hujus enim odore pisces imprimis alliciuntur. Anthias pisciculos domesticos reddunt, qui cæteros subinde invitent: apium afferunt asperguntque, quo pisces plurimum recreantur, tithymallum affundunt, ad quam multo ambitu concursant pisces. Ex vario autem piscationis genere varias etiam nuncupationes suscipiunt. Nam sunt & purpurarii, qui a nostris murileges vocantur: & spongotheræ quasi spongiarum venatores,
F & alii plurimi id genus. Certe in piscatione silentium & tesqua loca minimeque insolata eliguntur. Nam pisces umbrosos secessus sectantur. Sunt enim alsiosi, quos Græci ψυχοτρόφυς vocant: ut Vitruviana illa ratio non adeo forte aspernabilis videatur, qui pisces calidos esse contendit, multoque igne compactos: alioqui in tam humido elemento non diu fuisse victuros. Illud nautis, classiariis, piscatoribusque commune, pyrites scilicet & silex in parato, ea quo calybe aliove excussorio ignis evocetur, sulphure, arido fomite, fungove aut exusto junco excipiendus. Quæ si desint, chalybeo speculo soli objecto in stupam aliudve id genus fomentum flamma educitur: quando ea vis est chalybis, ut certa ratione curatus si ad solem obliquetur, opponaturque suis modulis, quocunque materiem radio repercusserit, eam igne vel procul succendat.

C A P. XIX.

CÆLI ET AQUARUM RATIONES SPECTANDÆ NAVIGANTIBUS.

PUdet pigetque classem instruxisse, quæ mox aut imperitia navigandi, aut ventorum syncrumque ignoratione in scopulos adigenda sit & naufragium factura. Quorsum enim tantam operam sumpsimus? ut faceremus peritura. Satius profecto fuerat labori parcere, quam frustra tantum operis prodigere. Ergo huic adsit navigationi aut Typhis aliquis Argonautarum, quem egregie Pallas instituerit: aut Phrontis Agamemnonis gubernator præficiatur, qui rite navigationem initurus aras in littore statuat, taurumque Neptuno mactet & Apollini, nigram hyemi pecudem, zephyris felicibus albam: exta demum in salsos fluctus porriciat, nec ante exoratum numen solvat. Cujus rei testimonium oscinis aut præpetis cantus sanciat, imprimisque cygnus in auguriis nautis gratissimus ales: quod hic unus omnium scilicet undis nunquam mergatur, & lubricis pennis adiantum, qui a nostris capillus Veneris dicitur, imitetur. Tum vero & ventos teneat exactissime, noritque quatuor ex quatuor orbis partibus principes: ab ortu eurum, ab occasu zephyrum, a meridie notum, huic adversum spirare aparetiam. Extremos duos status esse perpetuosque ab eadem statione. Duos vero priores pro motu solis æstivo aut brumali aut dies noctesque exæquante; quod Græci ἰσημερίαν, nostri *æquinoctium* dixere: finitimum & quasi lateronem unum utrinque habere. Euro quidem ad lævam vulturnum, ad dextram boream: zephyro ad lævam africum, ad dextram caurum spirare. Nec me præterit ab aliis alia ventorum segmenta designata esse: quæ omnia nos minime hic attingenda existimavimus, quod ab aliis magna subtilitate exquisita sint: & ne actum (ut dicitur) agamus, quom Plinius, Vitruvius, Aristoteles, & alii pene innumeri, ventorum rationem accurate admodum exploraverint: licet ea quæ apud Plinium leguntur, & inversa & incastigata multis locis deprehendantur, ut commodiore loco annotavimus. Nunc satis fecisse suscepto muneri existimavimus, si quæ potissima erant genera ostendimus: qualia & Andronicus Cyrrestes in marmorea columna octagono, quam Athenis statuit: supra cujus metam æneum tritonem locaverat versatilem, prætenta virga eum ventum indicantem, qui pro tempore spirabat. In singulo enim angulorum columnæ unus erat annotatus ex ventis, quos superius sumus executi. De qua re Vitruvius in primo *Architectonicæ* cumulate dixit. Hæc itaque omnia debet habere gubernator in numerato. Turpe est enim quidquam quod ad vitam salutemque hominis pertineat ignorare. Nec modo publicos illos tenere debet, sed & peculiares regionibus & temporibus, circium Galliæ, lybem Africæ, japygem atque atabulum Apuliæ. Canicularibus diebus etesiam & cæciam, & quos prodromos vocant. Agnoscendi & dies alcyonii, fætificant enim

alcyones bruma, & his quidem diebus aliis partibus pelagus mitius est, Siculum utique tractabile. Faciunt autem septem ante brumam diebus e spuma maris & spinis piscium nidulos, totidem sequentibus pariunt. Nec minus astrorum ac syderum emersus atque occasus,

Pleiadasque, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.

En infensum Orionem, & imbrium ac tempestatum fœdissimarum autores arcturum & hœdos Olenios, qui ad nonas octobris maria subvertunt: sicut post novembrem vergiliarum occasus: ex die tertio profecto iduum novembris usque ad diem sextum iduum martii maria clauduntur. Nam lux minima, noxque prolixa, nubium densitas, aeris obscuritas, ventorum, imbrium, niviumque geminata sævitia, non solum classes a pelago, sed etiam commeantes a terrestri itinere deturbat. Post natalem vero (ut ita dicam) navigationis, qui solemni certamine publico spectaculo multarum gentium celebrabatur, plurimorum syderum, ipsiusque temporis ratione usque in idus majas periculose maria tentantur. Adde his decrementa atque incrementa lunæ: cujus mutatio magnas vicissitudines facit. Accedant ejusdem sideris & solis deliquia. Qua in re olim veneficia arguebat mortalitas, & crepitu dissono opitulari nitebatur. Quo pavore ignarus causæ Nicias Atheniensium imperator veritus classem portu educere, opes eorum afflixit. Caniculæ item ortu omnia maria subverti testatur Aristoteles: & algas pisces que inversos natare. Phocus Samius profecto astrologiam nauticam privato volumine dicitur prosecutus: & Thales primus fertur ursæ ambitum notasse, ad quam Tyrii navigationem dirigant. Explorandæ etiam pelagi reciprocationes, quæ non eisdem ubique momentis evenire solent. Tum & vadorum profunditas, & fluminum natura: sicut Nili, qui nullis perflatur auris, atque hinc ἄναυρος dictus. Ejus quoque incrementa stata sunt: post solstitium incipiunt, in virgine resident: omnino revocantur intra ripas in libra. Quom crescit, reges, aut præfectos navigare in eo religio est. Quin & in eo malefica animalia crocodili neminem dicuntur attingere diebus iis, quos Apis natales habet. Excrescit & Padus noster ad canis ortus liquatis nivibus, agris quam navigiis torrentior. Scribit Arrianus, amnes Indorum circa æstivum solstitium plenos & turbulentos fluere ac citissimos ferri. Quo tempore & creberrimos imbres cælitus cadere, & Caucasi nives æstu solutas flumina augere. Hyeme contra & minores & puriores agi: omnesque vado transmeabiles fieri præter Indum & Gangem. Nec minus situs & altitudo portuum metienda: ne forte illud in nos jaciatur, *In portu naufragium fecit*. Et, *In quinto actu subvertit fabulam*: neve & nos aliquando ad Nauplii scopulos specie decepti allidamus. Multum præterea interest portus naturales sint an cothones, ita enim manufactos vocant. Explorandæ itidem phari, id est, turres protendentes noctu navigantibus lumina. Qualis in portu Alexandriæ sita fuit: cujus structuram DCCC. talentis stetisse tradunt: magno animo Ptolemæi regis, qui in ea permiserit Sostrati architecti nomen inscribi. Hunc enim præferebat titulum: Σώστρατος Κνίδιος Δεξιφάνους θεοῖς σωτῆρσι ὑπὲρ τῶν πλωϊζομένων. *Sostratus Cnidius Dexiphanis Dis servatoribus in gratiam navigantium*. Usus ejus fuit nocturno nautarum cursu

A ignes ostendere ad prænuncianda vada portusque introitum: quales & pluribus aliis locis antiquitus præfulserunt, Miseni, Puteolis, Rhavennæ, Porneæ. Quibus locis ignes ea accendebantur crassitudine, ne sydera existimari possent: quando e longinquo similis flammarum aspectus est: & populus quidem Romanus duo maxima habebat navalia, duasque procinctas classes in Italia, ubi aliquot legiones pro tutela Imperii excubarent; Rhavennæ alteram, alteram apud Misenum: & quom ratio postulabat, sine mora aut viarum dispendio ad omnes mundi partes præsidia submittebant. Nam Misenensis classis, Galliam, Hispanias, Mauritaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam, atque Siciliam habebat in proximo. Classis autem Rhavennatium, Epirum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Ponton, Orientem, petere directa navigatione consueverat. In rebus enim bellicis celeritas plerumque plus solet prodesse quam virtus. Traditum est monumentis, Piræeum ab initio Atheniensem populum fuisse: sic enim δῆμον interpretantur. At primus omnium Themistocles suscepta republica, id navale fecit: nam Phalero, qua parte mare ab urbe quam minimum distat, pro navali utebantur. Hinc Mnestheum fama est in Trojanos solvisse, multoque antea Theseum ob Androgei Minois filii necem pœnas daturum. Sed Themistocles quom animadvertisset Piræeum navigantibus fore commodiorem, tres in eo portus pro uno Phalero construxit, in quorum maximo ipsius Themistoclis tumulus visebatur. Sic Hermodori navale ad famam pervenit apud Athenienses, non minus sane quam Philonis archithecti armamentarium, aut Nisea Megarensium item navale. Suum etiam navale habuerunt Lacedæmonii in Gythio, quod Tolmides Atheniensium imperator exussit. Non sum prætermissurus Cleonis institutum, qui chalazophylacas, id est, *speculatores futuræ grandinis*, paraverat. Hi quom signum dedissent, affore grandinem, homines nec ad penulas, nec ad scorteas discurrebant: sed pro se quisque agnum aut pullum immolabat. Cui agnus aut pullus deerat, bene acuto graphio digitum perstringebat, atque illo sanguine litabat. Ita scilicet suspicabantur in ipso sanguine vim quandam esse avertendæ nubis ac repellendæ. At si hæc mortales ad arcendam frugi aut vineæ noxam observant: quanto ea honestius ac justius nautæ prosequantur, ubi de capite ac fortunis pariter discrimen obversatur. Nos ex iis quæ observari consuevere, pauca e multis seligemus.

CAP. XX.

TEMPESTATUM PRÆSAGIA.

PUrus oriens sol atque non fervens serenam diem nuntiat: at hibernam pallidus grandinem. Si & occidit pridie serenus & oritur, tanto certior serenitatis fides: concavus oriens pluvias prædicit. Item ventos, quom ante exorientem eum nubes erubescunt. Quod si & nigræ rubentibus intervenient, & pluvias: Quom orientis atque occidentis radii rubent, coire pluvia: Sic circa occidentem rebescunt nubes: serenitatem futuræ diei spondent. Si in exortu spargentur partim ad austrum, partim ad aquilonem, pura circa eum serenitas sit licet, pluviam tamen ventosque significabunt. Si in ortu aut in occasu contracti cernentur radii, imbrem:

A ſi in occaſu ejus pluet, aut radii ſe in nubem trahent, aſperam in proximum diem ſignificabunt tempeſtatem: quom oriente radii non illuſtres eminebunt, quamvis circundati nube non ſint, pluviam portendent. Si ante exortum nubis globabuntur, hyemem aſperam denunciabunt. Si ab exortu repellentur & in occaſum abibunt, ſerenitatem. Si nubes ſolem circumcludent: quanto minus luminis relinquent, tanto turbidior tempeſtas erit. Si vero etiam duplex orbis fuerit, eo atrocior. Quod ſi in exortu fiet, ita ut rubeſcant nubes, maxima oſtenditur tempeſtas: ſi non abibunt, ſed incumbent, a quocunque vento fuerint, eum portendent: ſi a meridie, & imbrem. Si oriens cingitur orbe ſive area, quæ a Græcis ἅλως dicitur, ex qua parte is ſe aperit, expectetur ventus. Si totus defluxerit æqualiter, ſerenitatem dabit. Si in exortum longe radios per nubes porriget, & medius erit inanis, pluviam ſignificabit. Si ante ortum radii ſe oſtendent, aquam & ventum. Si circa occidentem candidus circulus erit, notes levem tempeſtatem. Si nebula, vehementiorem. Si cadente ſole, ventum. Si ater circulus fuerit, ex qua regione is eruperit, ventum magnum.

F I N I S.



JOHANNIS SCHEFFERI
DE
VARIETATE NAVIUM
DISSERTATIO.

ACCEDIT

JOSEPHI LAURENTII,

LUCENSIS,

DE

EADEM MATERIA
SCHEDIASMA.

JOHANNIS SCHEFFERI
DE
VARIETATE NAVIUM
DISSERTATIO.



QUANQUAM aliquot præclara noſtri & ſuperioris ſeculi ingenia tentarint, quomodo ex priſcis utriuſque linguæ monumentis aliquid de antiquarum navium ſtructura & vocabulis colligerent: id plerique tamen ſibi parum proceſſiſſe conqueruntur, vel quod res antiquitatis veluti ſqualore obſita, in cognitionem ſui propiorem neminem admitteret, ſive quod per univerſum ſcriptorum quaſi campum quam latiſſime diffuſa, ſine ingenti labore vix in unum corpus cogeretur. Ergo poſtquam id ego quoque deprehendi, neque tamen ſupervacuam cognitionem hujus rei eſſe, verum neceſſariam animadverti, dum auctores priſcos alias evolvo, denique non potui, quin ab eruditis de hoc argumento pridem obſervata, & præterea in omni genere ſcriptorum ſponte oblata nobis, annotarem. Ita factum, uti alia quotidie prioribus adjiciendo, in nec opinatam voluminis magnitudinem libellus ultimo excreſceret. Quod cum Viri erudititſſimi & amantes noſtri ſemel atque iterum vidiſſent, non deſtitere nos ſubinde adhortari, ut in publicum emitteremus. Verum rebus aliis, & imprimis occupationibus typographorum præpediti, ut ne prorſus nil egiſſe videremur, interim ſtatuimus, quæ de navium varietate ex quam plurimis auctoribus conſcripta erant, poſteris communicare. Et hoc ſine odio cujuſquam, multo minus obtrectatione: quæ ut noſtro ſæculo Viris magnis etiam ad literarum dedecus uſitata ſunt, ita nunquam piis & cordatioribus probata, pridem intellexi. Quod ſi igitur hanc operam æquis hominibus probari animadvertam, reliqua, quæ præſertim in militia navali ſunt collecta, ſuo tempore depromam. Sin minus, ſicut extra laudem, ita quoque extra invidiam me futurum ſpero, cum hæc eo animo profecta intelligent, ut ſic alios ab ingenio & librorum multitudine in melius inſtructos excitem, ut ſi ita viſum fuerit, & rei veritas requiret, argumentis certioribus refellant.

Dividuntur autem univerſæ naves in μακρὰς ſeu longas & ςρογγύλας ſive onerarias. Unde Livius *l.* XXV. *c.* XXVII. *Bomilcar centum triginta navibus longis & ſeptuaginta onerariis profectus.* Sic Cæſar l. IV. *de Bello Gallico: Quod ubi Cæſar animadvertit, naves longas, quarum & ſpecies Barbaris erat inuſitatior, & motus ad uſum expeditior, paululum removeri ab onerariis navibus & remis incitari juſſit.* Ubi longæ naves eædem ſunt & militares. Teſtis Scholiaſtes Ariſtophanis in *Equitibus:* nam propterea μακρὰς per πολεμίας explicat. Hinc & Thucydidis Interpres: Τὰ πολεμικὰ μακρότερα ὄντα, *Naves bellicæ ſunt longiores,* ταῖς ςρογγύλας puta, de quibus antea locutus erat. Longiores vero fuiſſe Iſidorus docet *l.* XIX. *cap.* I. *Longæ naves,* inquit, *dictæ eo, quod longiores ſint cæteris.* Cujus rei obſervatio nos ſtatim admonet, ne erroris accuſemus, aut inſcitiæ, viros tot egregios a Plinio enumeratos, quorum Egeſias Parrhalum earum repertorem; Cteſias, Samirem; Saphanus, Semiramin; Archimachus, Ægeonem celebrat. Hic enim iſtam, ille aliam longæ, hoc eſt, bellicæ vel militaris navis ſpeciem inveniſſe potuit. Quarum ſpecierum omnium interpretatio ut eo rectius ordinatiuſque procedat, opus erit certas quaſdam quaſi claſſes conſtituere, quarum ambitu, quicquid navium longarum reperitur, concludamus. Videmus autem primo parvas aliquas & tanquam velitares in ſcriptoribus naviculas occurrere, dein mediocres, & denique majores. Omnes vero præliis militiæque conducere, omnes ad bella inſtrui & armari.

Igitur ad iſtos triplices ut ſic dicam ordines & gradus ſuis iterum nominibus diſtinguendam navium longarum multitudinem referemus. Sed a primis initium hic nobis fiat, quas auctores Græci πλοῖα, Latini tot ſcalmorum nominarunt. Nam πλοῖον etiamſi aliquando navim qualemcunque notet, ſæpe tamen imo uſitatius certum aliquod & ſingulare genus ſignificat. Suidas: Πλοῖα διαφέρει νηῶν, ὡς οἱ παλαιοὶ παρατηρῦνται, *Plœa differunt a navibus, quemadmodum a priſcis indicatum eſt.* Hinc & Thucydides in quarto ſibi invicem opponit: Ἀθηναῖοι, inquit, τοῖς τε πλοίοις καὶ ταῖς ναυσὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ ἐκλιπόντες τὸ χωρίον ἐς Παλήνην διεκομίσθησαν. *Athenienſes relicto loco navigiis & navibus in Palenem ſeſe receperunt.* Et Pollux ſeparatim a reliquis generibus iſthoc ordine enumerat: *Acatia, carabi, cymbulæ, lembi, cydari, cydali, gauli, celoces, celecia, epactrides, epactroceletes, bares, trajectoriæ, fluviatiles, piſcatoriæ, dicrotum, amphericum, ampheris, biremis, dicopum, hemiola, hemiolium, ſcapha, navicula, monoxylon.* Vel ſi Græca mavis: Ἀκάτια, ἐφόλκια, ἐφολκίδες, λέμβοι, κύδαροι, κύδαλοι, γαῦλοι, κέλητες, κελήτια, ἐπακτρίδες, ἐπακτροκέλητες, βάρεις, πορθμεῖον, πορθμὶς, ἁλιάι, δίκροτον, ἀμφήρικον, ἀμφήρης, διήρης, δίκωπον, ἡμιολὶς, ἡμιολία, σκάφη, πλοῖον, μονόξυλον. Voco autem πλοῖα minima navigia paucis & ad ſummum duodeviginti remis inſtructa. Primum Scholiaſtes Græcus docet, *l.* VI. Thucydidis: πλοῖα, inquit, τὰ μικρὰ, ἅδη & λεπτὰ ἄλλοθι εἶπεν. Poſtremum manifeſtum fit ex eo, quoniam quæ viginti pluribuſve remis agebantur, non πλοῖα, niſi ſenſu vocis paulo generaliori, ſed εἰκοσόροι, vel τεσσαρακοντόροι nominarentur. Hinc eſt cur & apud Latinos duorum modo ſive trium, ſenum etiam aut denum, raro autem plurium, nunquam vicenum ſcalmorum navigia deprehendas. Ita diſcalmi apud Ciceronem mentio, *de Orat.* primo: *Citius,* inquit, *is qui duorum ſcalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino Ponto Argonautarum navem gubernarit.* Apud Plutarchum triſcalmi, in *Æmilio:* Τὰς δὲ ναῦς ἀπό-

σας ἀφείλετο, καὶ πλοῖον οὐδὲν αὐτοῖς τρισκάλμου μεῖζον ἀπέλιπε. *Omnes naves abstulit, nec ullum iis navigium trium scalmorum majus reliquit.* Ubi etiam observa, πλοῖον appellari. Ita Tullius e Pompejano sese *tribus actuariolis decem scalmis* navigasse refert *lib.* XVI. *ad Attic.* epist. III. Actuariolis inquit, quibus haud profecto magna navigia intelligit. Sic & δωδεκάσκαλμον, hoc est, duodecim scalmorum a Plutarcho πλοῖον nominari videas in *Cæsare*. Ita enim vocat, qua Dyrrhachio Brundusium transmittere, sed vento postea prohibitus, decrevit: ἐς πλοῖον, inquit, ἐμβὰς τὸ μέγεθος δωδεκάσκαλμον. Appianus κελήτιον ὀξὺ appellat: Suetonius, *parvulum navigium*, *ipse*, inquit *cap.* LVIII. *clam noctu parvulum navigium solus obvoluto capite conscendit*. Tot scamorum vero nominarunt, non solum quia remos scalmis quibusdam, hoc est, paxillis habebant religatos, verum etiam, quod nulla commodior eas in universum appellandi ratio appareret, cum quæ in aliis vel a certo remorum numero, vel ab ordinibus versibusque desumebatur, in his locum non inveniat, quippe quæ utroque isto destituantur. Nam quod lintres quoque, lembos, scaphas vel acatia vocarunt, id ad structuram unius cujusque specialiorum pertinet. Sane adhuc alias in scriptoribus earum appellationes invenias, sed secundum quas in duo quasi genera dispertiaris, primumque *Celoces* alterum *Ampheres* nomines. Nec enim structuræ, sed modi rationisque sunt vocabula, qua concitantur. Ac propterea his navibus imposita, quod earum quædam singulis per transtra remis, sive duo sive plura fuerint, quædam binis pellerentur. Quod occulte Suidas innuit, ubi de celoce: Κέλης ἀπὸ μεταφορᾶς τοῦ κέλητος ἵππου, ᾧ εἷς ἀνὴρ ἐπικάθηται. *Celox per translationem dicitur, deductam a celete equo, cui vir unus insidet.* Nam hæc translatio, haud alia profecto esse potest aut intelligi, quam quod celoces, quemadmodum celetes, vel ut Latini vocant, singulares equites singulis ex equis pugnabant, a remigibus agerentur, quorum quisque unum modo remum concitaret. Quod inde maxime palam fit, quoniam celocibus Ampheres, ut celetibus Amphippi, opponuntur. Jam vero Ampheres Græcis, sicut Amphiphi, qui ex duobus equis saltu se ex altero in alterum trajicientes, pugnant; in quibus singuli binos remos, alterum dextra in uno latere, alterum sinistra in latere contrario concitant. Neque obstat quod Thucydidis Interpres Κελήτιον appellet μικρὸν πλοιάριον ὑπὸ ἑνὸς ἐρεττόμενον, hoc est, *parvum navigiolum, quod ab uno incitatur*, *lib.* I. Fuisse enim quæ a pluribus quoque agerentur Appianus docet *lib.* II. *Bell. Civ.* Et sic Varro in *bimargo* Nonnio citante:

Nautæ remivagam movent celocem.

Plautus in *Pœnulo*, vel ut alii, Turpilius:

Remulis sensim celox ab oppido processerat.

Nautæ inquiunt & *remulis*, non *nauta* & *remulo*. At ne forte quod a nobis de amphere dictum, temere effingi putes, ecce Scholiastem, qui sic ad Thucydidem in quarto: Ἀμφηρικὸς πλοιάριον ἐστὶ ἑκατέρωθεν ἐρεσσόμενον, ἐν ᾧ ἕκαστος τῶν ἐλαυνόντων δικωπίας ἐρέττει. *Amphericum est navigiolum quod ab utroque latere impellitur, dum navigantium quisque duos remos concitat.* Talis cymba apud Lucianum in *Dialogo* εἰδώντες, ubi Charon, ἐγὼ πρεσβύτης ὢν τὴν δικωπίαν ἕλκων ἐρέττω μόνος. *Ego quamvis senex, solus tamen remigo duos remos simul concitans.* Τὴν δικωπίαν, inquit, ἐρέττω, plane sicut Scholiastes. Unde & hoc amplius notari debet, dicopum, ut Græci vocant, illudque nostrum non diversa, verum eadem, navigia fuisse. Possis idem quoque ex Polluce discere; nam jccirco non seorsim sed conjunctim explicat. Nisi quod, ut supra vidimus, inter utrumque *dierin* interponat. Quo ipso tamen apparere putem, illam etiam ejusce generis fuisse. *Dieris* profecto est, quam Latine *biremem* appellares. Per biremem vero etiam Lucanus isthoc genus intellectum voluit. Verba sunt ad finem *lib.* VIII. v. 562.

—— quem contra non longa vecta biremi
Appulerat scelerata manus ——

Non longa, inquit, quod de navi binum ordinum, ut quæ major erat pentecontoro, vix potest accipi. Certe accipi non debet. Ita colligas ex eo, quod Plutarchus istam ipsam, quam intelligit Lucanus, ἀκάτιον Appianus σκάφος ἀτελὲς appellent. Sane libro decimo *biremem parvam* vocat, quam Plutarchus ἁλιάδον nominat:

—— se parva (inquit versu 56.) *Cleopatra biremi*
Corrupto custode Phari laxare catenas
Intulit Emathiis ignaro Cæsare tecti.

Neque tamen absque exemplo ita usus biremis nomine: nam & ipse Horatius hoc sensu *lib.* III. *Carm.* ode XXIX.

Tunc me (inquit) *biremis præsidio scaphæ*
Tutum per Ægeos tumultus
Aura feret ——

Vides hic biremem scapham nominari, intelligique parvulam naviculam, qua nemo in Ægeo mari tuto navigare potest. Vult hoc enim, nunquam futurum ut sic tuto ibi naviget. Atque hoc jam illud est διήρες πλοῖον, quod se apud neminem probatum auctorem nisi unum Suidam Baysius legisse memorat *de Re Navali* pag. 24. Ubi æque inscienter hoc cum illo genere confundit, quod binis remorum ordinibus agebatur. Nec accuratius Isidorus, quando etiam *celones*, vel ut nos *celoces*, biremes triremesve agiles appellat *lib.* XIX. *cap.* I. Nisi fors biremes & triremes hic acceperit pro iis, quæ tot remis concitantur. Quo quidem sensu triremes aliquando dici, testis est Plutarchus, in *Vita Thesei*: Δόγμα, inquit, κοινὸν ἦν Ἑλλήνων, μηδεμίαν ἐκπλεῖν τριήρη μηδαμόθεν ἀνδρῶν πέντε πλείονας δεχομένην. *Decretum communi Græcorum concilio, ne quo navigaret triremis ulla, quæ plus quinque viris caperet.* Triremem nominat, quæ quinos admodum, nec amplius vehebat. Talis vero trium ordinum non cogitari potest. Et præterquam quod ad commovendam istiusmodi triremem plures quinque requirerentur; isthoc quoque satis constat, Thesei temporibus in Græcis nec dum cognitas fuisse. Manet ergo triremem hic intelligi, quæ tot remis concitatur. Interim num, & celoces isto sensu biremes triremesve dici debeant, est quod possit dubitari. Quanquam singulis interdum actas, inde credas, quod a Græcis etiam μονήρη nominantur. Savilius & Baysius hoc observarunt, nisi quod postremus cum εἰκοσόροις πεντηκοντόροις confundat: male quidem, ut ex dictis apparere potest; & vel ipse alibi demonstrat, ubi inter prædatorias piraticasque, hoc est, minimas naviculas recenset. Atque hæc de πλοίῳ duobusque ejus generibus.

Jam ad species est veniendum. Scaphas puta, cymbas, acatia, hemiolas, lintres, lembos, pha-

A felos, carabos, & id genus alia. Prius tamen annotamus, unius ejusdemque speciei naves, ut vel latiore alveo, vel arctiore fuerant, modo singulis, modo binis remis videri concitatas. Hinc fortassis est, quod alibi apud Thucydidem, acatium solum, in *quarto* vero ἀκάτιον ἀμφηρικόν: sic σκάφην δίκωπον apud Strabonem *primo* videmus. Supervacuum enim fuerat τὸ δίκωπον vel simile apposuisse, si acatia scaphæque omnes binis remis incitatæ essent. Verum ut de scaphis primo dicam, Græci eas παρὰ τὸ σκάπτειν a cavando nuncuparunt, quod ex singulis arboribus principio, ut alibi demonstratum, cavarentur. Hinc & nostra lingua sic vocata.
B Nam τὸ *Schiff* a scyphus, quo vocabulo Prisci σκάφην intelligunt. Orta apud posteros ex hoc ipso fabula, de Hercule quasi olla aut poculi quodam genere maria trajecerit: nempe quia scyphus illud omne notat, quod ex materia cavatum est. Fabulam Servius ita narrat: *Herculi sacer est Scyphus, non solum quia bibax fuit, verum quia Scyphus tam amplus erat, ut eo tanquam navigio transiret maria. Sed quidam existimant, navigium ipsum appellatum, Scyphi nomine.* Et sic etiam Neptunum ferunt Scyphium vocasse equum, e terra tridentis percussu a se provocatum, quem vel ideo nil aliud putamus, quam ejusmodi
C navigium fuisse. Certe hippium non a quadrupede sed navi dictum etiam Artemidorus statuit *lib.* I. *cap.* LVIII. & subdit: Ἵππους γὰρ ὁ ποιητὴς τὰς ναῦς εἶπε. καὶ ὃν ἔχει λόγον ἐπὶ γῆς ἵππος, τοῦτον ἐν θαλάσσῃ ναῦς. *Poeta naves dixit equos, & sane quam rationem in terra habet equus, eam in mari habent naves.* Idem quoque testimonio Plutarchi comprobatur, qui figmentum istud de contentione hujus cum Minerva inde ortum tradit, quod cum aliqui studerent Athenienses a mari revocare, ut assuescerent etiam *absque navigatione vivere* (ζῆν μὴ πλέοντας) regionem arboribus frequentaverint.
D Navis ergo fuerit, quod obtulit judicibus. Nam si equus, haud profecto cives ad mare revocare, poterat videri. Cymba quoque non est, nisi parva scapha vel σκαφίδιον, ut Græci dicunt. Quæ & ipsa binis remis agitur. Propertius *lib.* II. *Eleg.* vers. 86. ubi sic ad aliquem:

Non est ingenii cymba gravanda tui;
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas.

Hodie in Belgio his navigare videas, qui præsertim lac ex pascuis, ubi boves omni tempore per æstatem degunt, in urbes deportare solent. Cymba quoque aliquando est navigium, parte aliqua funiculo alligatum, cujus ad utramque fluminis
E alicujus ripam pertinentis tractu flumen transmittitur. Testis Ovidius *lib.* III. *Amor.* eleg. VI. ubi ad amnem:

Nec tibi sunt pontes, nec quæ sine remigis ictu
Concava trajecto cymba rudente vehat.

Cymbæ vero inter piscatorias imprimis numeranda. Ita Silius ostendit *lib.* XIV. vers. 624.

Propulsa invadit piscator cærula cymba.

Et Cicero in tertio *Officiorum*: ubi Vannius: *tantumne piscium? tantumne cymbarum?* Sed locum ipsum inspice, & simul advertes, quam vere supra hoc genus dixerim tot scalmorum appellari.
F Acatia vero erant, ut testatur Plinius *lib.* IX. *cap.* XXX. parva navigia inflexa puppe, prora autem, ut opinor, aliis acutiore. Non tamen omnia ejusdem magnitudinis. Sic ex Polybio conjicias, qui μέγιστα cognoscit. Παρεσκεύαζον, inquit *lib.* I. τὰ περίλοιπα τῶν πλοίων τριήρεις, καὶ πεντηκοντόρους, καὶ τὰ μέγιστα ἀκάτια. *Reliqua navigia expediebant, triremes, pentecontoros, & maxima acatia.* Vides autem post triremes, postque eas naves poni, quarum nomen ex remorum numero desumptum, nempe quia istis omnibus minora erant. Hinc & Strabo *lib* XI. λεπτά, στενὰ καὶ κοῦφα, hoc est, *levia, angusta & velocia* appellat, quæ vix vectores viginti quinque recipiant. Lembum Servius *brevem admodum naviculam*; Sabinus *solum in fluminibus fuisse usurpatam*, notant *ad Maronis librum primum Georg.* Fulgentius celocibus annumerat: *Celocium*, inquit, *genus naviculæ modicissimæ, quod lembum dicimus.* Ita in codicibus vetustis, non *blannam* legi, testis est Gyraldus *de Navig. cap.* XVIII. Nonnius ita: *Lembus navicula brevis piscatoria.* Sane his uti consueverunt, qui in mari prædas agebant, teste Livio *libro* XXXVII. *cap.* XXVII. ubi celeres & leviores nominat de celeritate Plautus etiam testatur in *Bacchidib.* Act. II. Scena III. vers. 52.

In nostræ navi lembus insidias dabat
Ubi e portu eximus, homines remigio sequi
Neque aves neque venti citius. ——

Ita profecto, non *remulco sequi* legendum, quicquid alii in contrarium hic dicant. Remis enim non funibus trahuntur. Liv. *lib.* XLIV. *cap* XXVIII. *Sed cum jam appropinquantium forma lemborum haud dubia esset, & concitatio remorum, directæque in se proræ hostes appropinquare apparuisset.* Virgil. *lib.* I. *Georg.*

Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit. ——

Ausonius in *Mosella*:

Remipedes certant medio cum flumine lembi.

Cæterum nec hi ejusdem magnitudinis. Alii enim minimi. Hinc Plautus in *Mercatore*, Act. I. Sc. II. v. 81.

—— *lembo advehitur tuus pater pauxillulo.*

Et Sisenna, Nonnio citante, libro tertio *Historiarum*: *Oracilium legatum cum scaphis ac lembis.* Vides minimis annumerari. Erant tamen teste Livio (*lib.* XXXVI. *cap.* XXXIV.) qui remis sexdecim & pluribus agebantur. Strabo etiam πεντηκοντόρῳ similem ostendit. Sed hi haud vulgares. Porro πλοῖα quædam erant non unius simplicisque verum mixtæ formæ, ut, Phaseli quos τριηρητικοὺς appellant, Epactroceletes, Myoparones, Hemioliæ. De phaselis Appianus ita: Ἐδωρήσατο δὲ καὶ Ὀκταουία τὸν ἀδελφὸν παρ' αὐτῆς δέκα φασήλοις τριηρετικοῖς μικτοῖς ἔκ τε φορτίδων νεῶν καὶ μακρῶν. *Munerata est Octavia fratrem decem phaselis mixtis ex forma onerariarum longarumque navium.* Sed has ipsas Plutarchus Myoparones vocat. Inde Bayfius unius ejusdemque formæ esse concludit. Myoparones sane ex duobus dissimilibus formati Auctor Festus; *nam & midion*, inquit, *& paron per se sunt.* Auctores autem ad apertas, minimas, piraticasque referunt. Ita Tullius *in Verrem* V. *Heracleo archipirata cum quatuor Myoparonibus parvis ad arbitrium suum navigavit.* Hinc Apulejus in *Apologia*: *Eo quidem pacto & qui myoparones quæsierit, pirata erit.* Alias phaseli proprie breves sunt & celeres, teste Servio & Catullo, quorum hic postremus:

Phaselus ille quem videtis hospites
Ait fuisse navium celerrimus.

Sic Horatius *lib.* III. *ode* II.

—— *fragilemque mecum*
Solvat Phaselon.

Et Martialis de litore Formiano, *lib.* X. *epigr.* XXX.

Nec languet æquor; viva sed quies ponti
Pictam phaselon adjuvante fert aura.

Meminit alterius & grandioris Sallustius, qua tota cohors, hoc est, viceni supra quadringentos, sicut Lipsius putavit, vehebantur: *Forte*, inquit *lib.* III. *Historiarum*, *in navigando cohors una grandi fasello vecta a cæteris deerravit.* Sed hanc, ut, & de quibus lembis paulo ante monui, non ad hujus nominis vulgares referendam pu-

tem. Epactroceles autem πλοῖον λῃςρικὸν μεταξὺ ἐπακτρίδος κ̀ κέλητος, ἅπερ ἐ αὐτὰ πλοιαριά ἐςίν. *Epactrocles navigium est prædatorium medium inter epactidem & celocem, quæ & ipsa parva sunt navigia.* Suidas. Sed de his auctores nihil amplius, quod sciam. Igitur ad hemiolias, quas arbitratur Bayfius a puppi ad malum binis, a malo ad proram unico tantum per transtra remo instructas fuisse. At hoc ita interpretatur, quasi aliquid ex earum forma traxerint, quæ binis; aliquid ex earum, quæ singulis ordinibus agebantur. Certe εἰκοσόροις etiam postponi, constanterque minimis annumerari cernimus. Hinç fortasse magis est, ut existimemus, fuisse versus proram arctiores longioresque, versus puppim vero latiores, ibique amphe-rum hic celocium more incitatas. Hoc est, in prora habuisse, quorum quisque binos, in puppi autem, quorum singuli singulos remos concitarent. Sane *naves citra magnitudinem alicujus dicebantur* ἡμιόλιαι, inquit Magnus Scaliger, ad numerum Eusebianum M. CC. XXX. *Quæ vero intra magnitudinem* τελακοντόρου *ea dicebatur* ἡμιόλιος τελακόντορος, *major quidem quam* εἰκόσορος, *minor vero quam* τελαλόντορος. Unde discas, τελνρημιολίαν, cujus frequenter Græci maxime scriptores mentionem faciunt, fuisse, quæ nec triremem sua magnitudine æquaret, & biremi tamen major esset.

Atque hæc de πλοίοις. Ad naves jam progredior, hoc est eas, quæ sua magnitudine ista proxime antecedebant. Ita enim specialius vocatas esse alibi ostensum. Erant autem quæ a viginti ad centum usque remis agebantur. Pollux sic recenset, εἰκόσοροι, τελακόντοροι, πεντεκόντοροι, ἑκατόντοροι. Nam hæ, sicut ait vetus quidam in calce Æliani, κτ̀ τὸ πλῆθος τῶ̃ν κωπῶν, hoc est, *numero remorum* appellantur. Siç de τελακοντόρῳ Scholiastes Thucydidis in IV. τελακόντορος ἡ ὑπὸ τελάκοντα ἐρεσσομένη, *triacontorus est navis quæ triginta remis impellitur*. Et de εἰκοσόρῳ Suidas. Εἰκόσορος ναῦς εἰκοσάκωπος, quasi diceret, *quæ viginti remis agitur*. Unde alibi εἰκοσήρετμον appellat. Nullos autem remos supra se invicem in altum, sed una simplicique serie in longum dispositos habuere. Istas enim Græci μονήρης κ̀ δίηρης appellarunt. Idem auctor Τακτικῶν in calce Æliani: Η μονήρης, καὶ διήρης, κ̀ ἐφεξῆς κατὰ τὰς σίχες τὰς κατὰ τὸ ὕψος ἐπ' ἀλλήλοις λέγεται. *Moneres & dieres*, vel ut Latine dicam, *uniremis & biremis, sic dicuntur ab ordinibus, quos in altum supra se invicem habebant*. Actuarias a Latinis arbitror vocatas. Actuarias profecto Bayfius sic dictas putat, quod remis agerentur. Sed in eo contrarium sibi habet Henricum Savilium, qui in eruditis *de militia Romana* Commentariis *sæpius chordis & funibus tractas* scribit, ac propterea inter ὁπλιταγωγὰς, σρατιώτιδας, & id genus graviora navigia recenset. Falso tamen; nam & Nonio *Actuariæ sunt naves celeres, dictæ quod cito agi possunt*. Et onerariæ istæ actuariis aperte opponuntur a Sallustio: *Actuariæ*, inquit, *naves circiter triginta, decem onerariæ erant*. Sed non ideo Bayfii verba satis clara, quum & naves alias remis actas sciamus. Nam si remis solis impulsas putavit, graviter haud dubie lapsus est. Abunde enim, vel ex trecentis auctorum locis, etiam velis administratas esse comprobari potest. Itaque quod dixi, Livii auctoritate potius firmandum fuerit. Idque verbis, quæ in *capite* XXXVIII. *libri* XXXVIII. ita legas: *Tradito & naves longas armamentaque earum, nove plures quam decem naves actuarias, nulla quarum* (tu transpone, & lege, *quarum nulla*) *plus quam triginta remis agatur habeto.* Vides huic concedi usum navium actuariarum, sed earum, quæ ad summum triginta remis agerentur. Erant ergo aliæ, quæ pluribus.

Sed quæ amabo, nisi quas πεντηκοντόρυς & ἑκατοντόρυς Pollux nominat. Hæ enim, sicut diximus, a remorum numero definiuntur. Cæterum has ipsas etiam *Longas*, verum arctiore sensu nominis, quam cujus supra mentio injecta, Latini appellare consueverunt. Documento primum sit, quod Plinius, ubi aliarum navium origines deduxit, hujus unius nullam, sed longarum mentionem fecerit. Quod profecto pro sua in his rebus diligentia tanto minus facturus erat, quanto magis apud priscos genus isthoc navium fuit usitatum. Certe Jasonem *longa* primo usum, dum ex veterum scriptorum monumentis tradit, sat confirmat, quod hic dicimus. Nam de nave Jasonis expresse Statius Papinius lib. V. *Theb.* vers. 423.

Quinquaginta illi trabibus de more revinctis
Eminus abrupto quatiunt nova littora saltu.

Quinquaginta, inquit, *trabibus*, hoc est, remis. Fuit ergo pentecontorus. Et sic Pindarus (*Pythior.* ode IV.) appellat. Unde jam videmus, cur Priscorum quidam Danaum longæ navis inventorem, teste Apollonii Interprete, credi voluerint. Isthoc enim nunquam potuissent, si a pentecontoro alia fuisset ac diversa: certum quippe ac indubitatum, pentecontorum a Danao inventum esse. Fuit ergo eadem, quam Latini actuariam vel longam, Græci a remorum numero vocarunt. Hinc manifestus Bayfii lapsus, qui a longis actuarias differre scribit; sed & Savilii, qui a pentecontoris μακρὰ distinxit. Sed hic vir in hanc sententiam adductus verbis Thucydidis, quæ ita habent in *Proœmio*: Τελήρεσι μὲν ὀλίγαις χρώμενα, πεντηκοντόροις δ' ἔτι καὶ πλοίοις μακροῖς ἐξηρτυμένα. *Paucis triremibus usi, sed instructis pentecontoris & longis navibus*. Ex quo tamen loco parum id probatur. Neque enim πλοῖα μακρὰ hiç πεντηκοντόροις opponuntur, verum tanquam genus speciem suam comprehendunt.

Sed ad tertium & postremum genus pedem proferamus, triremes scilicet, quadriremes, & deinceps. De quarum appellatione & structura ingens hactenus nec absoluta inter eruditos fuit disceptatio. Illud plane inter omnes constat, non ex numero remorum sicut præcedentes, sed ex versibus quibusdam vel ordinibus nomina sortitas esse. Et testatur Livius *l.* XXXVIII. *Quinque remis Romana*, inquit, *seu pondere tenacior, seu pluribus remorum ordinibus scindentibus vortices, quum facilius regeretur duas triremes suppressit*. Sic Virgilius lib. V. *Æneid.*

——— *terno consurgunt ordine remi.*

Quales autem isti ordinis aut versus fuerint, nondum quisquam satis explicavit. Sunt, qui in longum, alii qui in altum, rursum alii, qui in transversum numerent. Neque deest, qui a remigum potius quam remorum multitudine naves sic vocatas contendat. Igitur & nos, quid in tanta eruditorum dissensione verosimillimum videatur, aperiemus. Quamvis nostram sententiam, conjectando rem vetustate obrutam, subtrahere mallemus quam interponere. Primum autem accurate Scaliger, ita ut nihil dubitari debeat, contra Bayfium eo loco, quem jam alibi adduximus, demonstrat *ordines in hisce navibus fuisse* κτ̀ τὸ ὕψος ἐπ' ἀλλήλοις. Et hoc maxime remorum argumento, de quibus Lucanus *l.* III. vers. 536.

——— *summis longe petit æquora remis.*

Ita Silius *lib.* XIV. vers. 424.

Intrat diffusos pestis Vulcania passim
Atque implet dispersa foros, trepidatur omisso
Summis remigio, sed enim tam rebus in arctis
Fama mali nondum tanti penetrarat ad imos.

Nec aliter, qui Scholia ſcripſere. Nam conſenſu quaſi tradunt, *eſſe quoſdam remigum, qui ἄνω, hoc eſt, in ſummo, alios qui μέσῳ, hoc eſt, in medio, alios qui κάτω, hoc eſt, in imo remigant.* Verum ut hoc optime probavit, ita alterum, quod addit, mihi haud perſuaſit, ſcilicet ex iſtis remorum ſive verſubus ſeu ordinibus, triremes, quadriremes & deinceps nominari. Cujus enim quæſo longitudinis remos navis quadraginta ordinum in ſummis foris poſtularet? Ut nil dicam, quomodo potuerint moveri. Nec juvatur verbis priſci ejus, quem in calce Æliani ita ait ſcribere: Ἡ τριακόντορος καὶ πεντηκόντορος λέγεται κατὰ τὸ πλῆθος τῶν κωπῶν. ἡ μονήρης, καὶ διήρης, καὶ ἑξῆς κατὰ τοὺς στίχους τοὺς κατὰ τὸ ὕψος ἐπ' ἀλλήλοις. Hic enim *moneres* ſive *uniremes* quoque ait appellari κατὰ τοὺς στίχους τοὺς κατὰ τὸ ὕψος, *a quibuſdam verſibus quos in altum habuere.* Juxta ipſum vero unum tantum ſimplicemque ordinem habebant, ut a penteconteris nil quidquam, niſi nomine, differrent. Quid igitur? Dicendum profecto, nullas, ſicut cenſet vir ille Maximus, ſex ſeptemve ordines in altum habuiſſe. Verum hoc quo, inquis, argumento? Eo, quod egregie Ptolomæi iſta, quam deſcribit Athenæus *libro* quinto, nobis adminiſtrat. Illa enim primum quadraginta fuit ordinum. Deinde habuit τὰς κώπας θρανιτικὰς ὀκτὼ καὶ τριάκοντα πηχῶν τὰς μεγίστας, ſicut auctor inquit, id eſt, *octo & triginta cubitis longos remos Thranitarum*, longiſſimos. Jam demus unumquemque ordinem a proximo cubiti altitudine diſtare, (nec enim propius a ſe invicem, imo longius abeſſe debuerunt) ſequetur profecto duobus cubitis remos iſtos fuiſſe breviores, quam ut in aquam pertinerent, ſi vel recta linea demitterentur. Præterea nec illius veritati conſentaneum, navim ducentorum octoginta cubitorum longitudine, ut iſta fuit, de qua loquimur, non ultra quinquaginta remos ſingulo in ordine habuiſſe. Verum plures non habere debuit, ſi ex Scaligeri mente eos dividas. Nam bis mille remiges (quorum opera in uno latere navim iſtam ex Athenæo concitatam interim dicamus, etſi nondum tot remis quoque acta probetur) in quadraginta ordines diviſi, in eorum unoquoque quinquagenos relinquunt. Quod cum Thomas Rivius, vir ſane doctus, animadvertiſſet, *aliunde quam ab ordinum verſuumve in altum ſurgentium multitudinem* hoc genus navium vocatum arbitratus eſt, *nempe a remigum, qui ſingulis ſummorum jugorum remis inter navigandum adhibebantur numero.* Ut verba ejus ſunt in III. *Hiſtoriæ Navalis* cap. XLIX. Statuit ergo triremem fuiſſe, cujus ſummi remi, vel ut Græci dicunt, θρανιτικοὶ a tribus, quadriremem, cujus a quatuor & ſic conſequenter moverentur. Idque illa ipſa Ptolomæi nave ſic declarat, ut in ejus imo ordine quemque remum a decem; medio a triplo majore numero; ſupremo denique a quinquaginta viris tractatum eſſe ſcribat. Ea ratione addita, quod facta ad hanc regulam diviſione is quatuor mille nautarum numerus provenit. Quaſi vero tot remigum Auctores & non tot ordinum aut verſuum appellent. Livius *libro* XXXIII. *cap.* XVI. *Regiam unam inhabilis prope magnitudinis, quam ſexdecim verſus remorum agebant*: verſus remorum ait, non remiges. Sic Plinius in VII. *Sex, ſeptem, octo pluriumque ordinum* recenſet.

Deinde ut hæc dividendi ratio in iſta Ptolomæi maxime procedat, parum tamen aliis in navibus procedit. Eſto quinqueremis, quæ ut verbis Plinii, poſt e *libri* XXXIII. *cap.* II. adducendis, demonſtrari poteſt, remiges habebat quadringentos. Demus in ſupremis ejus foris ad remum unumquemque viros ſtetiſſe quinos. Sed (ut ex Leone vult probare, ſicut poſtea videbimus) ordo unuſquiſque quinque ac viginti remos habuit, eoſque in utroque latere. Igitur illorum remigum, quos dixi, ducenti fuerint & quinquageni. Jam in imis tabulatis quemque remum ſingulos moviſſe fingamus, hi numerum quinquaginta remigum efficient. Sed hæc multitudo ad ſupplendum ordinem intermedium ex ſententia ejuſdem triplicanda erit. Quinquaginta ergo ſupra centum remiges adhuc requirerentur, cum interea ex eo numero, quem totam navim poſtulare diximus, centum admodum ſuperſint. Verba autem Leonis, quarum mentionem facit, ex illius *Tacticis* cap. XIX. §. 8. hæc ſunt: Ἑκάστη ἐλασία ἐχέτω ζυγὰς τὸ ἐλάχιστον πέντε καὶ εἴκοσι, ἐν οἷς οἱ κωπηλάται καθεσθήσονται. ὡς εἶναι ζυγὰς τὰς ἅπαντας κάτω μὲν εἴκοσι καὶ πέντε, ἄνω δὲ ὁμοίως εἴκοσι καὶ πέντε, ὁμοῦ πεντήκοντα. Καθ' ἕνα δὲ αὐτῶν δύο καθεζέσθωσαν οἱ κωπηλατοῦντες, εἷς μὲν δεξιᾷ, εἷς δὲ ἀριστερᾷ. ὡς εἶναι τοὺς ἅπαντας κωπηλάτας ὁμοῦ τούς τε ἄνω καὶ τοὺς κάτω ἄνδρας ἑκατόν. Quibus verbis nihil eſt, quod univerſam Rivii de hac re ſententiam magis evertat. Nam & ſingulis ſupremos remos, monſtrant agitari, cum tamen navis ſit biremis, nec ſummum modo quinque & viginti remis, ſed & imum ordinem inſtructum eſſe: *Unuſquiſque*, inquit, *verſus ad minimum juga ſive tranſtra habeat quinque & viginti, in quibus remiges ſedeant. Ut ſic tranſtra & in ſummo quinque ac viginti ſint, & in imo totidem, inque univerſum quinquaginta. In utroque vero dextro & ſiniſtro latere, navis ſic inſtructa eſſe debet, ut omnes remiges centum numero efficiant.* Nec vidit præterea vir doctus, ſi ad eum modum, quem præſcribit, remi numerentur, in univerſa Ptolomæi nave non plures centum & quinquaginta inveniri. Quod profecto quam longiſſime a varietate abeſt. Nam vel ἑκατόντορος, quæ tamen infra triremium magnitudinem ſubliſtebat, centum remis agebatur. Sed nec illud quidquam eſt, quod addit, *non incredibile alicui debere videri, ſi quadraginta remiges membris vigentes, quadraginta ſeptem pedum (tot enim illi octo & triginta cubiti efficiunt) remum apte tractaſſe memoratur.* Nam fortaſſe magis rationem ipſam quis mirabitur, qua viri quadrageni remo quadraginta ſeptem pedes longo manus ſimul applicare, illiuſque tantum, ut ſic dicam, intactum relinquere potuerint, ut vel quarta remi pars per foramen excreretur. Non dicam penitus non poſſe fieri, ut tot homines unum remum ſimul apprehendant, atque eum juſto modo concitent. Ut enim ex una parte in aquam maxime demittitur, ſic ex altera quæ eſt intra navim maxime erigitur. Adeo ut quanto quis a ſcalmo longius diſtet, tanto magis brachia extendere cogatur. Prorſus ergo incredibile, eum, qui in ordine poſtremus ſive ſtaret aut ſederet, quotiens deprimebatur, remum etiam vel digito potuiſſe tangere. Neque melior in hac re, quæ ſub Scholiaſtæ Ariſtophanei, verum falſo nomine, ſententia circumfertur, & propterea haud paucis eruditorum miſere impoſuit, ordines nimirum non in altum, ſed in longum oportere accipi; Thranitaſque non ſupremos eſſe, verum primos remigum, hoc eſt, eos qui ad puppim, Zygitas, qui in medio, Thalamios denique, qui ad proram remigant. Secuti enim Bayfius, & Caſtilionius in *Notis ad Vitruvium*, & denique Stevvechius. Cujus verba ex iis quæ *ad Vegetii caput* XXXVII. *libri* IV. annotavit, hic apponam: *Interdum*, inquit, *quinos remigum ordines fuiſſe Flavius ſcribit. Sed illi ordines non in altum, ſed in latitudinem, conſiderandi ſunt, ab hiſce ordinibus ſi bini erant, biremis, ſi terni triremis, & ſic deinceps nomen ſortitæ ſunt. In biremi latus utrumque binis ordinibus poſitis ibi ſedilibus, in triremi tri-*

bus, in quinqueremi quinis, & sic deinceps. Et quia in singulis ordinibus remi septem ad triremem agendam remigibus opus fuit quadraginta. Hæc ille. Falsum autem primo quod de numero in singulis ordinibus apponit. Nam ex illis Ptolemæi & Leonis verbis supra relatis, abunde nisi fallor intelligitur, longe majorem numerum in singulis, pro ipsarum nempe magnitudine, fuisse. Deinde vero neque istoc fide dignum, omnes remigum gradus ordinesque, qui in altum cogitantur, nullos esse. Quid enim ad ea, quæ de remis Thranitarum ex Lucano aliisque supra demonstravimus, respondebit? Animadvertit hoc fortasse Savilius in eruditis suis *de militia Romana* Commentariis pag. 70. Finxitque propterea hos *ordines transversos*, ut sic esset ratio, qua in longum numerari possent, & interea thranitæ remos cæteris habere longiores. Sed finxit, atque ideo sententiam suam simpliciter proposuisse satis habuit. Verum enim vero quum hæc ipsa post se multa trahat, quæ a veritate longius recedunt, ita denique statuimus, triplices ut plurimum hoc navium genus in altum habuisse remorum versus. Ita tamen, ut ab iis non ipsæ naves, verum remiges denominarentur. Et sic ἡ κάτω τάξις τῶν ἐρετῶν θαλαμῖται, ἡ μέση ζυγῖται, ἡ δὲ ἄνω θρανῖται vocari possent, ut Interpretes plerique eos dividere consueverunt. Porro autem singulos eorum versuum tot iterum ordines habuisse quot ipsius navis longitudo postularet. Id est triremem tres, quadriremem quatuor, qinqueremem quinque, & sic consequenter. Ab his navibus nomina imposita, sic ut triremis diceretur, quæ quidem tres haberet στίχους sive *versus*, Thranitarum, Zygitarum & Thalamiorum, sed in στίχοις singulis tres remigium classes sive ordines. Quadriremis, quæ ad eundem modum tres στίχους, sed in singulis eorum quatuor remorum ordines. Hexeris, hepteris, quæ sex septemve ordines in singulis tribus στίχοις sive *versibus*. Et hæc ratio mea quidem sententia scriptorum locis est convenientissima. Imo eam ipse etiam Virgilius insinuare videtur *lib.* v. *Æneid.* ubi de triremi.

> —— *triplici pubes quam Dardana versu*
> *Impellunt, terno consurgunt ordine remi.*

Nec enim, cum modo triplici versu dixerat, statim subjecturus erat, terno ordine consurgunt. Ut igitur hic sensus sit: Impellunt navim Trojani triplici versu, in quorum unoquoque remi terno ordine consurgunt, quoties nimirum elevantur singulis in versibus. Sane ordines, a quibus naves nominantur, non in altum numerandos esse, supra Ptolemæi istius argumento satis est ostensum. Neque obest, quod divisis quadringentis remis in tres versus, versibusque singulis in quinque ordines æquales, tres remi ex isto numero remaneant, quem in quinqueremi Plinius & Silius Italicus fuisse dicunt. Nemo enim hactenus scriptorum demonstravit, ordines in singulis versibus fuisse penitus æquales: vero sane propius, superiorum numerum remorum, ne nimirum inferiores turbarent, minorem reliquis fuisse. Quod si ita est, ratio haud difficulter constabit. Dicetur enim in Thalamitarum versu, hoc est infimo, singulos ordines octodecim, in Zygitarum duodecim, in Thranitarum decem remos sive remiges continuisse. Ut hinc recte Silius *lib.* XIV. *Bel. Pun.* vers. 388.

> *Sed quater hæc centum numerose remige pontum*
> *Pulsabat tonsis* ——

Et Plinius *lib.* XXXII. *cap.* I. *Cum e tota classe quinqueremis sola non proficeret, exilientibus protinus qui id (* torpedinem *) quærerent, circa navim invenere adhærentem gubernaculo, ostenderuntque Cajo indignanti hoc fuisse, quod se revocaret, quadringentorumque remigum obsequio contra se intercederet.* Verum hæc de numero remorum singulis in ordinibus, non eo accepta velim, quasi eundem aliis quoque in navibus fuisse putem. Cum enim deceris quinqueremi longior, adeoque remis pluribus instructa fuerit, manifestum satis, ipsos quoque ordines majores extitisse. Atque hanc sententiam, ne ipsæ quidem navium priscarum imagines, quas Baysius proponit, infirmabunt. Nempe si dicamus singulos remorum ordines, ob loci angustiam non pluribus, quod tamen debebant, verum singulis remis esse indicatos. Non enim in universum convenire cum ipsis navibus remorumque numero, vel inde apparere potest, quod in triremis istius, sicut ipse quidem vocat, uno latere, non plures decem remis appareant. Hinc jam verba quoque veteris istius, a Scaligero in testimonium adducti, ita intelligimus. Pentecontoros, & similes fuisse nominatos ex sola remorum multitudine: Moneres autem & biremes quæ quosdam supra se in altum ordines remorum sive gradus habuere; nec monerem sive uniremem fuisse, quæ unum simplicemque remorum versum, ita enim nil a pentecontoro differret, sed quæ duos tresve versus, inque iis singulis singulos remorum ordines, habebat.

Sed hactenus de navium ordinibus; nunc ad eas ipsas revertemur. Imprimis autem celebres, quas *triremes* vocant. Nam quoniam inprimis ad bellum essent accommodatæ propter levitatem celeritatemque, factum uti vulgo quoque militares dicerentur. Sic Hesychius τριήρης πλοῖον πολεμικόν, *triremis navis bellica*. Et Scholiastes Aristophanis, ubi poeta prius quædam de longis navibus, πολεμίας, inquit, τὰς τριήρεις δὲ φησι. Hinc fortasse, quod recentiores etiam scriptores unasquasque naves bellicas *triremes* vocent. Sane triremes, quadriremes aliæque id genus naves militares sub Augusto & posterioribus temporibus *Liburnicæ* Romanis dicebantur. Neque enim Baysio hic fidem adhibuerim, qui in genere Liburnas δίκροτα interpretatur. Quamvis interim haud abnuam, ipsas Liburnarum naves istiusmodi fuisse. Satis enim post Appianum id ostendit *libro tertio* Lucanus versu 534. ubi inquit:

> *Ordine contentæ gemino crevisse Liburnæ.*

Alterum tamen expresse docet Suidas, ubi de triremibus his verbis: Τριήρεις πλοῖα πολεμικά, ἃ καλοῦνται λιβέρνα. *Triremes naves sunt militares, quas Liburnas nominant.* Sic Vegetius, qui sub Valentiniano vixit, non aliarum nisi Liburnarum mentionem facit, earumque nomine non biremes modo sed quascunque comprehendit: verba sunt *lib.* IV. *cap.* XXXVII. *Quod ad magnitudinem pertinet, minimæ Liburnæ habent singulos ordines, paulo majores, binos, idoneæ mensuræ ternos vel quaternos, interdum quinos sortiuntur remigum gradus.* Sic Eutropius Vegetio æqualis *lib.* II. primum bellum maritimum a Romanis *Liburnis* gestum scribit, cum tamen alii & Polybius quinqueremibus usus fuisse confirment: *Quinto,* inquit, *anno belli Punici, quod contra Afros gerebatur, primum Romani Cajo Duilio & Cajo Cornelio Coss. in mari dimicarunt, paratis navibus rostratis, quas Liburnas vocant.* Sic Plutarchus naves, quibus usus est Augustus apud Actium, & *a triremibus* (verba Flori sunt *lib.* IV. *cap.* II.) *in senos ordines creverant,* Liburnas appellat. Atque

eo sensu Florus: *Cato*, inquit, *Cyprias opes Liburnis per Tiberinum ostium invexit*. Nam Plutarchus hexeres triremesque habuisse ostendit: Causa vero, quia ad biremium istarum formam Augustus primum, & post alii naves bellicas ædificarunt. Testis & Vegetius *lib.* IV. *cap.* XXXIII. *Augusto*, inquit, *dimicante Actiaco prælio cum Liburnorum auxiliis præcipue victus fuisset Antonius, experimento tanti certaminis patuit, Liburnorum naves cæteris aptiores: ergo similitudine & nomine usurpato ad earum instar classem Romani principes texuerunt. Liburnia namque Dalmatiæ pars est Jadertinæ subjacens civitati, cujus exemplo nunc naves bellicæ fabricantur & appellantur Liburnæ*. Quibus verbis quoque discas, mutatum esse aliquid ex prisca triremium quadriremiumque forma. Atque hinc est, quod de triremibus Zosimus *lib.* V. dicat, *diu in usu esse desiisse*. Ita enim de Liburnis: Δοκοῦσι δέ πως ταῦτα τὰ πλοῖα ταχυναυτεῖσθαι πεντηκοντόρων οὐχ ἧττον, πολὺ δὲ τῶν τριηρικῶν ἐλαττούμενα, πλείστοις ἔτεσι τοῦ τύπου ἐκλιπούσης δημιουργίας. *Videntur naves illæ Liburnicæ æque celeres in navigando ac naves pentecontori, sed triremibus minus esse idoneæ, quæ jam multis annis extrui desivere*. Idem Suidas: Λιβυρνικά, inquit, νῆες ἦσαν οὐ κατὰ τὸ τριηραρχικὸν ἐσχηματισμέναι τύπον, ἀλλὰ λῃστρικώτεραι, χαλκεμβολοῖται, καὶ ἰσχυραί, καὶ κατάφρακτοι, καὶ τάχος αὐτῶν ἄπιστον. *Liburnicæ naves erant non ad triremium formam ædificatæ, sed magis piraticarum more extructæ, fortes, constratæ, & celeritate incredibili*. Quod postremum Silius testatur *lib.* XIII. *Pun.* vers. 240.

Quanta est vis agili per cærula summa Liburnæ:
Quæ pariter quoties revocatæ ad pectora tonsæ
Percussere fretum, ventis fugit ocyor, & se
Quam longa est uno remorum præterit ictu.

Cum vero κατάφρακτους appellat, eo ipso Suidas monstrat non biremes istas intelligere, quippe quæ apertæ erant. Plutarchus in *Catone minore*: Ἦσαν δὲ πεντακοσίων οὐκ ἐλάττους αἱ μάχιμοι, λιβυρνικαὶ δὲ, καὶ κατασκοπικὰ, καὶ ἄφρακτα παμπληθῆ. *Habebat naves bellicas ad quingentas, Liburnicarum vero, speculatoriarum apertarumque immensam multitudinem*. Sic Annius ad substititium Berosum: *Liburnum proprie & cymba & navicula qua flumen trajicitur. Est autem nomen barbarum, quod Latine sonat navicula velocissime currens, quam nunc proprie fustam vocamus*. Ita priscus aliquis Horatii Interpres *Liburnam*, *navim minorem* explicat. Et hæc bellicarum navium ex structura est divisio.

Sequitur jam alia quæ ex officiis desumpta est. Nam & prætorias, & præcursorias, & ὑπηρετικὰς, & alias apud auctores invenimus. Prætorias Græci ναυαρχίς, & στρατηγίδας, vel ut ait Pollux στρατηγίς appellant. Romanis ita dicebantur, quod Prætores iis, hoc est, summi classium præfecti, veherentur. Sic Æmilius *cum prætoria nave primus in altum evehit* apud Livium *lib.* XXXVII. *cap.* XXIX. Et apud Tacitum *Hist.* V. *cap.* XXII. Germanos videas *prætoriam* abripere, quia illic ducem esse crederent. Erant autem reliquis, ut debent, plerumque majores. Lucan. *lib.* III. v. 535.

Celsior at cunctis Bruti prætoria puppis
Verberibus senis agitur, molemque profundo
Invehit ——

Et de firmitudine vers. 563.

—— *quæcunque ratis tentavit robora Bruti*
Ictu victa suo, percussa & capta cohæsit.

A Post has deprehendo *præcursorias*: προπλοῦς vocat Thucydides in sexto. Appianus autem *lib.* V. *Bel. Civil.* προπόλους. Hæ ut plurimum ex minimo navigiorum genere & cæteris agiliore, velitum more justam classem antecedere solebant. Hinc per ἐπακτρίδας Gellius interpretatus est. Polybius *Hist.* I. *Romanis quæstoribus, qui Syracusis fuerant, præmissi lembi classem præire soliti* (οἱ προπλεῖν εἰθισμένοι λέμβοι) *imminere hostem significant*. Et ejusmodi fuerunt, quarum mentio fit apud Senecam *epist.* LXXVII. *Subito*, inquit, *hodie nobis Alexandrinæ naves apparuerunt, quæ præmitti solent, & nunciare venturæ classis adventum, tabellarias vocant*. Extat hinc desumptus apud Plautum jocus in Acroteleutii ancillam, *Milite Glor.* Act. IV. Sc. I. v. 39.

B

Hæc celox, inquit, *illius est, quæ hic egreditur, internuncia.*

Et quoniam hæ ipsæ hostium adventus quoque nunciare, aut consilia ipsius, locum, vires, aliaque explorare solent, *speculatorias* Romani; Græci κατασκοπικὰ vocarunt. *Scaphæ* (inquit Vegetius *lib.* IV. *cap.* XXXVII) *majoribus Liburnis exploratoriæ sociantur*, &c. *per has & superventus fieri & commeatus adversariorum aliquando intercipi solent & speculandi studio adventus earum vel consilia deprehendi*. Sic Livius *lib.* XXXVI. *cap.* XLII. *Cæteram classem Polyxenidam parare & deducere jussit speculatorias naves ad omnia exploranda circa insulas dimisit*. Sed in hunc usum *dicrota* præsertim & *Liburnæ*. Unde Cicero *in Verrem* V. *Aphracta Rhodiorum & dicrotum Mitylenæorum & aliud catascopium*. Et Plutarchus in *Pompejo*: Ἦν μὲν Πομπηΐου ναυτικὴ καὶ παντελῶς ἀνανταγώνιστος. ἦσαν γὰρ αἱ μάχιμοι πεντακόσιαι. λιβυρνίδων δὲ καὶ κατασκόπων ὑπερβάλλων ἀριθμός. *Classis Pompeji erat omnino incomparabilis. Siquidem naves habebat bello aptas quingentas, Liburnicarum vero & speculatoriarum magnum numerum*. Et clarius Appianus *lib.* V. Cæsar solvit προερευνώντων λιβυρνίδων τὴν θάλασσαν, *præexplorantibus mare Liburnicis*. Ubi tamen per Liburnicas minores istas leviores que intelliges, quæ nec rostratæ nec tectæ erant. Hujusmodi enim speculatoriæ. Livius *lib.* XXXVI. *cap.* XLII. *Profectus multis quæ sine rostris speculatoriæ erant*. Sic *lib.* XXXV. *cap.* XXVI. *Philopœmenes in levi speculatoria fugit*. Cæterum in pugna præsertim tela emissa colligere, & in eorum defectu suis suppedirare solent. Inde ὑπηρετικαὶ vocatæ. Appianus *lib.* V. *Bel. Civil.* Ἄλλαι δὲ ἀλλήλαις διεξέπλεον, βάλλουσαί τε καὶ ἀκοντίζουσαι, καὶ τὰ ὑπηρετικὰ τοὺς ἐκπίπτοντας ἀνελάμβανεν. *Aliæ in transcursu telis velitabantur minoribus in mare delapsos recolligentibus*. Et de his Lucian. *lib.* III. v. 691.

C

D

E

Tela legunt dejecta mari, ratibusque ministrant.

Meminit & Isidorus *lib.* XIX. *cap.* I. celocesque sic interpretatur: *Celoces*, ait, *sunt biremes vel triremes agiles ad ministerium classis aptæ*. Unde Xenophontis κέλης ὑπηρετική, sicut & Gyraldus annotavit, nisi quod sic dictam ibi putet, quia remis ageretur. Appianus *lib.* V. *Bel. Civil.* istiusmodi fuisse scribit, quibus Octavius, jamjam a Pompejo juniore circumventus, fugit. Interpres ibi actuarias reddidit, generaliori vocabulo, quodque sensum Græci haud sufficienter explicat: Porro scaphæ eæ sunt celoces, quæ huc specia-

F

tim pertinent, nam ad omne classis ministerium a longis navibus pone trahebantur, puppibus funiculis religatæ. Hinc apud Cæsarem, in quarto *Commentariorum*, *scaphas navium longarum* videas.

deas. De funiculo vero testatur Tullius *de Inventione* secundo: *Postea*, inquit, *ipsos tempestas vehementius jactare cœpit, usque adeo, ut dominus navis, cum idem gubernator esset, in scapham confugeret, & inde funiculo, qui a puppi religatus scapham annexam trahebat, navim quoad posset, moderaretur*. Sic Petronius: *Quin potius ad temeritatem confugimus, & per funem lapsi descendimus in scapham, præcisoque vinculo, reliqua fortunæ committimus*. Hæc causa ob quam ἐφόλκια a Græcis dicerentur: testis Scholiastes Aristophanis in *Vespis*, ubi ἐφολκὶν interpretatur λέμβον, καὶ μικρὰν ναῦν, ὑφ' ἑτέρας μεγίστης ἑλκομένην. Hoc est, *lembum atque parvum navigiolum, quod a maxima pone trahitur*. Suidas ita ἐφόλκια καράβια μικρὰ τῷ ἕλκεσθαι ὑπὸ τῶν κωπηλατῶν ἢ τῶν μεγάλων πλοίων. *Epholcia parvi carabi, sic dicti quod vel a remigibus vel majoribus navigiis trahantur*. Recte autem dixit καράβια μικρά. Ita enim glossæ Isidori: *Carabus parva scapha*. Id quod etiam vir Magnus, & in paucis nostri sæculi eruditus Daniel Heinsius confirmat, *Sacris Exercit.* capit. XV. Σκάφην, inquit, *κάραβον Græci Jurisconsulti vocant, eumque, qui ei præest*, καραβίτην. Imo etiam scaphitem. Sic enim Demetrius Phalereus vocavit, teste Lilio Gyraldo cap. VI. *Navig.* XVIII. Cæterum qui fuerit, nec iste explicat. Ostendit autem manifeste Petronius his verbis: *Miror tibi non succurrisse unum nautam stationis perpetuæ interdiu noctuque jacere in scapha, nec posse inde custodem nisi aut cæde expelli, aut præcipitari viribus*. Erat ergo aliquis nautarum, qui si forte nuntiandum quid prætervehentibus, aut aliud in mari peragendum esset, id efficiebat. Propterea Glossarium N. T. nec dum editum, cujus ibi Heinsius mentionem facit, *scapham catascopum* appellat. *Scapha*, inquit, *sive catascopus est navicula levis ex vimine facta crudoque corio contecta*. Quibus verbis discimus, cur eandem Pollux ῥινωτήριαν a Græcis dicat nominari, hoc est, *coriaceam*. Ita enim inquit *lib.* I. cap. IX. ἐνδοτέρω δὲ ἐστιν ἑκατέρωθεν ἡ ἐφολκὶς, ἣν καὶ ῥινωτηρίαν ὀνομάζουσι. *Interius utrinque scapha est, quam rhinoteriam* vel *coriaceam appellant*. Sed de hoc navigiorum genere jam alias a nobis actum est. Igitur ad alia progredimur.

Erant autem naves, quæ quotiens in salo classis staret, tanquam vigiles, ante eam erant in perpetua statione. Ideo προφυλακίδες dicebantur. Meminit Thucydides in primo: *Interea*, inquit, *Samii repentina eruptione navigantes, castra nullis munitionibus cincta invadunt*, τάς τε προφυλακίδας ναῦς διέφθειραν, *navesque quæ vigilias agebant corrumpunt*. Scholiastes ibi τὰς πρὸ τῶν ἄλλων ὁρμούσας interpretatur, hoc est, quæ ante reliquam classem in statione sunt. Hinc Pollux *lib.* I. cap. IX. τὸ φυλάττειν τινὰς (puta naves) ἐφορμεῖν καὶ ναυλοχεῖν καλεῖται, id est, *custodire alias naves* ἐφορμεῖν *&* ναυλοχεῖν *vocatur*. Et de istiusmodi intelligendus Cæsar lib. III. *Bell. Civ.* cum ait: *Alteram navem, quæ erat ad custodiam ab Acilio posita, vicit*. Iphicrates egregio commento, sicut erat rerum militarium peritus, malos harum navium attolli, inque iis jussit vigiles constitui, quia inde longior & in terram & in mare prospectus esset, auctor Xenophon lib. VI. *Histor.* Et ne facile ab adversariis impetus in eas fieret, instituit Pompejus ut perpetuos in prora ignes gestarent. Sic intelligo verba Appiani lib. V. *Bell. Civ.* Μύλας δὲ ἔτι καὶ τὰ ἐκ Μυλῶν ἐπί τε Ναυλόχους καὶ Πελωριάδα καὶ τὰ παράλια ἅπαντα φρουραὶ Πομπηΐου κατεῖχον, αἳ φόβῳ μάλιστα Ἀγρίππου πῦρ διηνεκῶς ἧκαιον, ὡς ἐμπρήσοντες τοὺς ἐπιπλέοντας. *Metu Agrippæ ignes perpetuos extulerunt, ut absterrerent naves hostium, ne impetum in se facerent*. Sunt præterea, quæ non classium sed locorum etiam custodiam agunt, hujusque causa per mare disponuntur. Ita apud Livium, *naves relictæ a L. Apustio legato ad præsidium Athenarum*, *lib.* XXXII. cap. XVI. Et *lib.* XXXI. cap. XLVI. *Classem in stationem ad Zelasium miserunt Andri, (Isthmiæ id super Demetriadem est promontorium peropportunum objectum) ut si quid inde moverent Macedonum naves, in præsidio essent*. Dicuntur autem, sicut vidimus, in statione esse. Hirtius *de Bello Afr. Cæsar L. Cispium cum classe* XXVII. *navium Thapsum versus in stationem præsidii gratia commeatus sui mitti*. Et alibi hoc libro: *Conspicatæ naves Cæsarianas quæ in statione apud Thapsum stabant*. Et mox: *Cæsar commotus eos, quos in stationibus cum longis navibus apud Thapsum custodiæ causa in salo esse jusserat, ut suis onerariis longisque navibus præsidio essent, ob negligentiam dimittendos ab exercitu curavit*. Livius *lib.* XXXVII. cap. XXII. *Placuit Romanam Rhodiamque classem redire Samum, atque ibi in statione esse ne Polyxenidas ab Epheso moveret*. Male ergo Valla hæc Thucydidis in septimo, ὅπως ναυμαχίας τε ἀποπειράσωσι πρὸς τὴν ἐν τῇ Ναυπάκτῳ φυλακήν, ita reddit: *Ut pugnam navalem experiretur adversus speculatorias illas quæ stabant ad Naupactum*. Debuisset enim ita reddere: *Adversus illas quæ in statione erant ad Naupactum*. Sic Appianum verterim, cum ait lib. IV. *Bell. Civ.* Μᾶρκον μετὰ νεῶν ἑξήκοντα καταφρακτῶν Πελοποννήσου ἔπεμπε. ναυλοχεῖν περὶ Ταίναρον. *Misit Marcum cum sexaginta navibus tectis in stationem ad Peloponnesum*. Cæterum ut hæ perpetui ut ita dicam præsidii causa in eodem semper loco commorabantur, ita aliæ, & ipsæ ex firmioribus agilioribusque, præsidii causa infirmiores, onerarias præsertim per mare prosequi solebant. Προπομποὺς appellat Appianus lib. *de Bell. Pun.* Sic *de Bell. Civil. lib.* IV. τὰς ὁλκάδας ἐφύλαττεν, αἳ δὲ προεπέμποντο μὲν ὑπὸ τριηρῶν: *onerarias animadvertit, & triremes quæ præsidii causa eas prosequebantur*. Ita Cicero hunc locum redderet; sic enim loquitur Oratione quinta *in Verrem*: *Navem poposcit, quæ eum præsidii causa Myndum prosequeretur: illi statim Myoparonem egregium de sua classe ornatum atque armatum dederunt, hoc præsidio Myndum profectus est*. Sic Livius *lib.* XLIV. cap. XX. *Onerarias datis qui prosequerentur decem lembis in Macedoniam mittit, ita ut in tutum prosecuti, redirent Tenedum*.

Post has etiam piraticas, vel ut Græci dicerent, λῃστρικὰς habebant. Quales fere nominantur, quas supra minimas vocavimus. Testis Livius *lib.* XXXVII. cap. XXVII. ubi lembos & celoces sic appellat. Sic Myoparonem Novius, homiolas Hesychius & Suidas, alii alias earum nuncupant. Neque tamen, quasi his piratæ & maritimi prædones tantum uterentur, verum & quod stante reliqua classe piratarum more circumquaque omnia popularì, in terram excensiones facere, cumque spoliis celerrime redire solerent. Testis Diodorus *lib.* XX. ubi oppugnationem Rhodi a Demetrio tentatam sic describit: *Dum ad insulam Demetrius appellit, expositoque milite castra urbi admovet, statim ex piratis aliisque idoneos maxime emittit, qui terra marique insulam depopulentur*. Ita Appianus *de Bell. Mith. Mithridates piratis quoque maria replevit, a Cilicia ad Herculis Columnas usque, qui sublatis navigationibus & civitatum inter se commerciis gravem famem invexerunt*. Plutarchus in *Antonio*: *Tenebat Sextus Pompejus Siciliam, qui Italiam vastabat navibus prædatoriis, super quas Menas pirata & Menecrates positi erant*. Postrema navium divisio ab armis est desumta, secundum quam earum quædam tectæ, aliæ apertæ dicebantur. Crebra earum in auctoribus occurrit mentio. Sic Livius *libro* XXX. cap. XLIII. *Tertio die e navibus, quarum septuaginta tectæ, cæ-*

teræ apertæ minoris omnes formæ erant, profecti Phoceam petierant. Iſtas Cæſar etiam conſtratas vocat. Ita Hirtius: *Magno impetu quatuor ad eam conſtratæ naves & complures apertæ contenderunt.* Græcis illæ καταφρακται, iſtæ ἄφρακται dicuntur, quod jam aliis eſt obſervatum: verum utrarumque appellatio ex eo, quod tectæ quidem operimenta quædam ex tabulis in ſuperiori parte, apertæ vero nulla haberent. Hinc hæ leviores, iſtæ graviores. Livius *lib.* XXVII. cap. XXI. *Centum tectæ naves & quinquaginta leviores apertæ*; vides tectas levioribus opponi. Atque eo ſenſu etiam Cornelius in duodecimo *Annalium* cap. LVI. *Lacu in ipſo navale prælium adornatur, ut quondam Auguſtus structo cis Tiberim ſtagno, ſed levioribus navigiis & minore copia ediderat. Claudius triremes quadriremeſque & undeviginti hominum millia armavit.* Nam alias triremes, ſi cum quinqueremibus aliiſve compares, ταχεῖαι. Demoſthenes in prima *contra Philippum*: Τὸ πρὸς τούτοις ἔτι; ταχείας τριήρεις δέκα, δεῖ γὰρ ἔχοντας ἐκείνου ναυτικὸν καὶ ταχειῶν ἡμῖν ὅπως ἀσφαλῶς ἡ δύναμις πλέῃ. *Quid præterea? decem celeres triremes nam cum claſſem ipſe habeat, celeres triremes nobis eſſe oportet, quo exercitus noſter tuto navigare poſſit.* Planius aliquando Diodorus Siculus *Hiſt. lib.* XX. ἔχων ὁ Δημήτριος ναῦς μὲν ταχυναυτούσας μὲν τριήρεις πλείους ἑκατὸν δέκα, τῶν δὲ βαρυτέρων στρατιωτικῶν πεντήκοντα καὶ τρεῖς. *Habuit Demetrius naves celeres triremes ultra centum atque decem, tardiores autem eaſdemque militares quinquaginta tres.* Ubi per tardiores, ſicut ex ſequentibus palam eſt, Hexeres Hepterefque intelligit. Sane hoc reſpectu omnes λῃστρικαὶ ſeu *prædatoriæ* leves nominantur, omnes enim apertæ, nec, niſi in ſumma neceſſitate, aliarumque inopia, conſtratæ. Manifeſtum hoc ex Diodoro *lib.* XX. Sic tectis Livius opponit: *Comparaverat* (inquit *lib.* XXXV. cap. XXVI.) *tyrannus tres tectas naves, & lembos priſteſque.* Et Polybius *lib.* V. cap. XXVI. *Inter cætera ibi repertæ ſunt naves quadraginta* τούτων κατάφρακτα μὲν εἴκοσι διαφέροντα ταῖς κατασκευαῖς τριήρεις, καὶ δίκροτα, καὶ κέλητες. *Harum viginti conſtratæ quidem erant, reliquæ vero triremes, dicrota, & celoces.* De levitate vero teſtis Livius *l.* XXXVII. cap. XXVII. *Apparuit piraticas celoces & lembos eſſe, qui poſteaquam viderunt ex alto claſſem, in fugam verterunt, & celeritate ſuperabant, levioribus & ad id fabrefactis navigiis.* Ita Florus *leves & fugaces* vocat Myoparones *lib.* III. cap. VI. Pertinet huc illa etiam diviſio, ſecundum quam *roſtratæ* aliæ, aliæ *non roſtratæ*, dicebantur. Iſtas Græci χαλκεμβόλους vocant. Meminit earum, ſicut multi alii, ſic præſertim Livius *lib.* XXXVI. cap. XLII. *Livius*, inquit, *profectus una & octoginta navibus roſtratis, multis præterea minoribus, quæ aut apertæ roſtratæ erant, aut ſine roſtris ſpeculatoriæ. Quibus verbis*, ait Bayſius, *conſtat roſtratas fuiſſe etiam quæ tectæ non erant.* Quod confirmat etiam Valerius Maximus, dum Myoparonibus roſtra tribuit: *Probentur nunc*, inquit *lib.* II. cap. III. *qui ex myoparonum piraticis roſtris, laureæ ramulos decerpunt.* Roſtratæ tamen nullæ erant, niſi ad prælium & conflictum idoneæ, quod ex Hirtio intelligas, ubi *de Bello Alex.* in hæc verba: *Navibus actuariis, quarum numerus ſatis erat magnus, magnitudine quanquam non ſatis juſta ad præliandum, roſtra impoſuit.* Vides enim ſpeciatim hic ab Hirtio notari, quod præter conſuetudinem navibus etiam non juſtis roſtra impoſuerit. Cæterum has naves *inæratas* dictas vult Joſephus Scaliger *ad Varronem*. Utiturque in hanc rem Flacci teſtimonio, qui alicubi in hæc verba,

Primus inæratis poſuiſſem puppibus arma.

Sed videndum forte, annon duo verba ibi in unum coaluerint. Sane *æratas* naves ſimpliciter dixit Cæſar in ſecundo *Bell. Civ. Cn. Pompejus*, inquit, *cum claſſe navium ſedecim, in quibus paucæ æratæ L. Domitio Maſſilienſibuſque ſubſidio miſſus.* Sic poetæ paſſim. Fateor tamen ipſas has æratas naves non eaſdem mihi ſemper ac roſtratas videri. Nam & antiquiſſumas, cum inventa nondum eſſent roſtra, æratas vidimus vocari. Sic iſta fuit, qua contra Geryonem Hercules eſt uſus. Iccirco Priſci æneam finxere. Servius *lib.* VIII. *Æn. Ad Geryonem navi ænea navigavit, tergo leonis velificans.* Sed hoc *libro* VII. ſic explicat: *Hercules fingitur ad Geryonem olla ærea tranſvectus, quod habuit navem fortem & ære munitam.* Quale vero iſthoc munimentum? explicat Iſidorus: *Priſci*, inquit, *ferro aut ære proras navium armabant propter ſcopulos, ne ſcilicet feriantur vel collidantur.*

Atque hæc de navium longarum hoc eſt bellicarum ſive militarium ſtructura & vocabulis. Nam de onerariis in præſens dicere nil attinet, cum ad mercaturam potius oneraque, frumenta ſcilicet, homines, equos, & id genus alia portanda ſint accommodatæ. Igitur quæ de iis amplius proferri poſſunt, commodiore hoc eſt ſuo loco proferemus.

F I N I S.

JOSEPHI LAURENTII,

LUCENSIS,

DE

VARIETATE NAVIUM

SCHEDIASMA.

SUMMARIUM.

Naves ascendentium ritus antiquus. Sidera cur adorata? Quæ imprimis & quomodo? Vectorum formula. Littora osculata a navigaturis. Terram tangentes nautæ osculabantur. Portunus deus quis, & unde sic dictus? Ejusdem feriæ. Apollinis cognomina ἐμβάσιος & ἐκβάσιος unde? Virgilii locus explicatus. Turritæ naves quæ? Earumdem primus inventor. In puppibus & proris extructæ: sed præprimis in navibus Prætoriis. Navalis pugnæ signum. De numero, nomine, & loco remigum. Navium varia genera. Classi eidem nullus bis præfici poterat. Remiges pugnaturi quid agebant? In portum pervenientes ex longo itinere terram adorabant. Sternutationis omen.



EX hoc loco Petroniano, *Adoratis sideribus navigium intro*, ritum eruo non omnibus protritum, olim ab navim intrantibus. Illis enim summum in mare imperium, quo nil infidius, nil periculosius, quod siderum, vel orientium, vel occidentium vi concitari, aut pacari experientia compertum habemus. Hinc Maroni Athenas navigaturo Horatius ita precatur:

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida sidera,
Ventorumque regat pater, &c.

Namque, ut optime canit Propertius:

Dea orta mari mare præstat eunti.

Et ut alibi:

Quæque est orta mari, jus habet omne maris.

Virgilius *Æneid.* XI.

—— *& sanctum sidus adorat.*

Venus quoque dicta Pontifica a Pausania *lib.* II. Non solum autem Veneris astrum adoratum, sed & Castoris & Pollucis fratrum, ut canit Horatius; de quibus quid non cecinere Poetæ? non commenti Scriptores? Esse nempe Numina illa maris, quæ sola navigaturi votis fatigant summis, inter cælestia sidera relata, & a fatuis illis Ethnicis tam pie adorata. Isis tempestatibus ac navigationibus præposita; SteWech. *ad Vegetii lib.* V. Lucianus.

Præter hæc Numina, prodigiosi etiam Cometæ adorati, ut habet Philostratus, *τιμῶσι δὲ οἱ σοφοὶ καὶ τῶν ἀστέρων τοὺς κομήτας, venerantur sapientes ex astris Cometas*, in quibus præsagia sunt futurorum. De Veneris astro Astrologi consulendi: de Castoris, & Pollucis, & de Cometis Meteorologici. Hinc lepidissimus Catullus suam Phaselum a navigatione peracta, illis dedicat. Subscribit Eustathius: *Καὶ δὴ περὶ τὸν λιμένα γενόμενοι*, &c. *Et sane circa portum constituti, & totas manus ad ipsum extendentes clarum cœlum, dicentes*, &c. Hinc in toto maritimo cursu illa nauclerorum intenta, & continua siderum inspectio, ut rectum, ac tutum cursum, dum rectum rationis clavum, teneant. At nos vera Christi religione imbuti, in stellarum Auctorem, & maris Stellam MARIAM, Θεοτόκον, *Deiparam*, nostris precibus supplices tendimus manus, ne tempestatis fluctibus agitati decumana obruamur unda.

At precationis formulam ante navis ingressum usurpatum a nautis invitantibus vectores, aut scandentes excipientibus, hanc lego, *Ἔμβαινε τύχῃ ἀγαθῇ, Conscende, quod bene vertat.* Et prius quam navim conscenderent, littora tangebant, terramque osculabantur. Valerius lib. IV. *Argon.*

Ultima tum patriæ cedens dedit oscula ripæ.

Exeuntes quoque e navi gratulabundi, & venerabundi terram tangebant osculantes, ut colligitur ex illo loco Virg. X. *Æneid.*

Arrepta tellure semel.

Et ex Pindari ode IV. *Pyth. Accepit glebam admirandam*, &c. quæ legantur. Portunus Deus marinus, ut Servius ait, qui portubus præest, sic dictus a portando. Arnob. *lib.* III. *Per maria, tutissimam præstat commeantibus navigationem.* Sed cur insanum mare tam frequentes exposuit crudelium naufragiorum ruinas? Apulejus quoque hujus meminit. Huic Portunalia feriæ institutæ, cum ejus Ædes in portu Tiberino facta, ut ait Varro. Apollini Jason, cum Argo navem esset conscensurus, rem sacram fecit, ut pluribus in primo docet. Hinc dictus Apollo ἐμβάσιος. Eidem quoque cum e navi exirent, sacrificabant, qua ex re ἐκβάσιος, hoc est, *egrediens*, est nuncupatus, ut idem asserit.

Illud Virgilii VIII. *Æn.* de turritis puppibus,

Tanta mole viri turritis puppibus instant,

plerique in hunc locum interpretantur, *eminentibus, altis, aut munitis turrium instar.* Ego, *turritis*, explico *turribus munitis*, quæ de tabulatis subito erigebantur, simul ac in prælium ventum foret, idque inventum Agrippæ ferunt. Hinc illud Ausonii:

Inter turritas Memphitica rostra Liburnas.

Neque in puppibus solum has extructas reperio; verum etiam in proris. Appianus *de Bello Civili*: *Καὶ πύργους ἐπὶ τῶν νεῶν εἶχον κατά τε πρῷραν, καὶ τὴν πρύμναν, & turres in navibus habebant, & ad proram, & ad puppim.* Plinius *lib.* XXXII. *Sed armatæ classes imponunt sibi turrim, propugnacula, ut in mari quoque pugnetur, veluti e muris.* Cæsar libro III. *de Bello Civili*: *Atque alteram navem, quæ erat ad custodiam ab Acilio posita, pluribus aggressus navibus, in quibus ad libram fecerat turres.* Turres præterea habuisse Antonianas in pugna illa navali, quæ ad Actium facta est cum Cæsarianis, liquet ex Dione, qui legendus.

Sed ex Livio IV. *Decad. lib.* VII. exculpo maxime in navibus Prætoriis has turres extructas, inquit, enim, *Abscedentes e turri prætoriæ navis*. Tacitus *Annal.* XV. *Corbulo naves magnitudine præstantes, & connexas trabibus, ac turribus auctas agit per amnem*, &c. Et *Hist.* II. *Claudebat pontem imposita turris, & in extremam navem educta, unde tormentis, & machinis hostem propulsarent. Simul enim tres, aut quatuor unam Antonii cingebant, tragulisque, & lanceis, & contis, & telis ignitis pugnabant. Antoniani ingerebant etiam catapultas ex turribus ligneis & tela*. Loquitur autem de pugna navali inter Augustum & M. Antonium. In navi versamur, navalis pugnæ signum scrutemur ex Plut. in *Lysandro* dicente: *Ut clypeus elatus e navibus, & tuba e navi prætoria classicum cecinit, incurrerunt naves*, &c. Hoc per transennam dictum.

Sed ne nautea nauseem, etsi celeuma canatur, remis velisque ex hoc oceano me expedio; nec tamen (quod mihi in votis) certum Remigum numerum reperio, quia nec remorum, quibus ii destinati. Baysius enim *de Re Navali* asserit ex Herodoto, & Thucydide, navium actuariarum (nam onerariæ agebantur velis) alias quinquaginta remos, alias triginta, alias viginti habuisse. Quæ uno remorum ordine actæ, *Uniremes* dictæ, quæ duobus *Biremes*, inde *Quadriremes*, *Quinqueremes*, &c. Quod si cuique remo suus remex, facile numerus constabit. Quid si aliquando unus tantum per singula transtra, ubi & multi remi? Ita Xenophon *lib.* XX. *Uniremes* vocat *biremes*, & *triremes*, quod unico tantum remige incitarentur, cum possent ternis agi, si remiges adfuissent. Horum quidem supremi dicti *Thranitæ*, medii *Zygitæ*, infimi *Thalamii*. Thranitarum labor insignis: nam & longioribus utebantur remis, quo nomine & a Trierarchis majora consequebantur præmia.

A remige ad Trierarchum, & pugnaturos. Plutarchus in *Lysandro* refert, non potuisse bis eundem classi præfici: *Misit cum iisdem postulatis & Cyrus: sed quia bis eumdem classi vetabat lex præfici, nec sociorum voluntati deesse Lacedæmonii volebant*.

Pugnaturi autem remos suspendebant, aliaque faciebant, ex Plutarchi *Antonio*: *Antonius invehentibus prima luce hostibus, timens, ne inanes propugnatoribus naves caperent, ad speciem instruxit in tabulatis remiges armatos: remos erigi, & suspendi ex utroque navium latere præcepit, atque ita in faucibus portus ad Actium obversas in hostem conti-* A *nuit, quasi instructas remigio, & paratas ad confligendum*, &c. Qui autem diu peregre fuerant in mari, & procellis, ventisque acti, tandem, salutis Pharon diu exoptatam si conspiciebant, terram læti adorabant: quod ex eodem Plutarcho in *Antonio* eruo: *Postquam tuto traducti Armeniam miere, ut si tunc terram ex pelago conspexissent, adoraverunt eam, atque in lacrymas se, & mutuos complexus præ gaudio effudere*, &c. Hoc genus adorationis vocat Plaut. *Mostel. Tangere terram*, quod erat quoddam genus venerationis. Varro *de Re Rustica* lib. I. cap. II. *Hoc ter novies cantare jubet, terram tangere*. Macrob. lib. III. *Saturn.* cap. IX. B Virg. *Æneid.*

Sed in hoc æstu hæreo, & qui vadum hoc transferat opperior, aut remulco navem hanc ex syrtibus extrahat. Numerum subduxi, rationes non conveniunt. Tuum, rem cognoscere, & audaciæ ignoscere, qui Onerariam ambivi, cum, vix Celocem regere possim. Dum finio,

—— faustum sternuit omen amor.

Noto in Plut. *de Genio Socratis*, quantum omen in Sternutatione his verbis: *Genium Socratis fuisse* C *sternutationem ferunt, cum ipsius, tum aliorum: alio quidem sternutante a dextra, sive post ipsum, solitum se fuisse ad agendum conferre; sin a sinistra fieret, cessasse*. Quare sternutatio a dextra felix; a sinistra infelix. Unde Plutarchus in *Themistocle*: *Clara ex hostiis flamma repente fulsit, & bonum omen sternutamento a dextra parte datum est*. Arist. *probl.* VII. Sternutamentum signum augurale tradit: alii contra, cum captatis auspiciis supervenit rata illa facit, sive boni prænuntia sint, sive mali. Homeri exemplo, qui lib. XVI. *Odyss.* Penelope malum procis futurum ab Ulysse referente, Telemachum facit sternutasse. Ex Plutarcho, Te- D mistocli ad aras sacrificanti a dextra sternutans homo augurium facit, quo præcipui captivi immolarentur. Hippiæ quoque dum sternutavit, excussus dens ex Herodoto, *lib.* VI. augurium fecit futuræ calamitatis, hinc incussa religio, ut salutaremus sternutantes, quod sternutatio e capite procedit, ubi sedes animæ, & spirituum. Strada eruditissimus, ut plerique illi Patres, *Prolus.* IV. causas quinque recenset, Religiosam videlicet, Medicinalem, Facetam, Poeticam, Auguralem, quam luculenter exponit. Majolus quoque obiter. Vide. Sternutantium ominationis sollicitudinem ut deprecarentur antiqui Græci, dicebant Ζεῦ σῶσον, *Jupiter serva nos*, *Di ti salvi*, Scal. *ad Auson.*

F I N I S.

JOACHIMI CAMERARII,

PABEPERGENSIS,

HIPPOCOMICUS,

SEU DE

CURANDIS EQUIS:

ITEM DE

NOMINIBUS EQUESTRIBUS

GRÆCIS ET LATINIS,

COLLECTIO.

MAGNIFICO VIRO,

FLORIANO GRISPECCIO
ETC. DOMINO PRÆSTANTISS.
JOACHIMUS CAMERARIUS
PABEPERGENSIS

S. D.



NNI sunt ferme XVII. cum post iter quoddam longum & grave, & eventum injucundum, in domestica plane desidia, cœpi quædam *de Re Equestri* scribere, quæ edita fuere postea & missa peculiariter ad Magnificum Virum Georgium Loxanum, singularem amicum tuum, Magnifice Floriane, cui tum probavi & studium erga ipsum meum & istam scribendi rationem, cum & se admodum delectari declarasset voluntate & judicio meo, & ea quæ suscepissem explicanda, neque rerum cognitione defici & verborum copia luculente enarrari diceret. Collocuti enim postea fuimus te præsente cum ad Danubium conventum haberet Carolus Imperator. Atque ego ex illo tempore minus curavi quid alii de isto scripto sentirent, neque moverunt me quorundam joci illudentium talis argumenti compositionem. Ut autem, secundum vetus verbum, *sæpe etiam sub sordido palliolo latet sapientia*. Sic ad experientiæ usum (qui in omnibus rebus est potentissimus) attribui interdum aliquid solet de facultate atque scientia optimarum literarum atque artium & ingenii industria. Itaque Xenophon in officinas quoque introducit Socratem, & facit eum differentem cum eorum operum artificibus, quæ ipse profecto elaborare non dedicerat. Nam si exercitationem quoque esse aliquam nostram perhiberemus, poteramus fortasse vel horum temporum consuetudine, vel genere vitæ quod ingressi sumus atque sequimur, refelli. Quis vero omnium non præcepit atque docet plurima alios, quæ desunt sibi ipsi. Sed defensione longiore non utar, ac rem ipsam proponam considerandam non personam meam. Cum autem intercederet mihi eodem tempore magnus usus cum opt. & dignitate virtuteque & sapientia præstanti Viro Carolo, tibi etiam Floriane noto & caro, simul ut ille ederetur libellus paulo grandior, & significatio daretur studii & observantiæ erga illum meæ, adjunxi quædam *de Nomismatis Veterum*. (Videri potest Dissertatio in hoc *Thes. Antiquitatum Græcarum* Vol. IX. col. 1042.) Atque hos ambos de hujus vitæ quasi curriculo decedere, & in meliorem vitam migrare Deus voluit, cum quidem Respubl. consilio opeque illorum maxime indigeret. Cum autem coluissem vivos, memoriam quoque mortuorum conservari a me oportere duxi. Itaque illa scripta non modo reconcinnata, sed aucta etiam & locupletata tam accessione aliorum quam expositionis forma, denuo curaturus exprimenda, extare etiam volui illa quæ de his ad ipsos tum scripsissem: idque tibi utriusque amico & familiari inprimis ostendere, & simul istam operæ nostræ quasi repastinationem, & novum jam quodammodo libellum tuæ magnificentiæ & autoritati dedicare. Ad quam non modo admonente eorum recordatione quos meminissem necessa-

rios te habuisse præ cæteris, aspexit consideratio mea & inclinavit cupiditas. Sed convertit etiam atque impulit veluti recens notitia, & magnitudo humanitatis tuæ, qua me es complexus, cum aliquando venissem Ægram, ubi tua magnifica excellentia Regiæ majestatis loco aderat, in consilio rerum maximarum atque difficillimarum. Ego autem tum discedens ex afflicta & calamitosa patria, illud iter susceperam, ut convenirem præstantissimum virum Danielum Stibarum, quem ad illas ipsas deliberationes patriæ respectus & solicitudo adduxerat, comitante Carolo Redbicio, altero nobilitatis Francicæ lumine. Ibi ego te, Floriane, admirari & mirifice diligere animadverti fidem & integritatem quidem utriusque, sed sapientiam & animi constantiam atque robur Stibari vehementius. Nunc & in præsentia præsidium, & ab utroque spes in posterum patriæ erepta est morte utriusque. Atque Stibarus quidem, cum prius valetudine adversa correptus fuisset, posterius tamen aliquanto terris excessit. Meministi autem profecto, Floriane, quæ fuerit hujus tristitia, quanta desperatio, qui etiam quasi luctus ob laceratam importuna civium insolentia & crudelitate, & mortiferis vulneribus concisam patriam. Non enim vestis pulla & squalor ille tantummodo veterem amicum qui ante annum decesserat, amissum esse significabat, quemadmodum ipse ajebat: sed lugebatur patria, lugebatur nomen & fama majorum, lugebatur gentis nationisque popularis nobilitas & existimatio; quæ omnia partim interiisse eversaque & deleta esse, partim ruere, labi, extingui, animadverteret. Hoc dolore & istis curis confectus cum consilium vestrum rebus suspensis dimissum fuisset, in itinere debilitari ille cœpit, & vix profectus Fuldam, atque inde tumultu propinquo exagitatus, cum nusquam in ea vicinia tuto consistere posset, ita tandem admodum ægrotus domum pervenit. Postea quæ acciderint non libet commemorare. Nam tanta est in his miseria, ut cogitatio vix sustineri a me possit, nedum querendo & deplorando irritare dolorem ausim. Mutuis viribus fracta concidit Germania: & accidit id quod oraculum redditum Philippo Macedoni Alexandri patri memorat. Qui eventus verbis exprimi nequit, quas quasi secures impegerint, & quas plagas inflixerint animo forti illi quidem & excelso Stibari, sed incredibili patriæ amore flagrantis, unde maxime solicitudinis perturbationes abesse non solent. Et quoniam de D. Stibaro cœpi veluti evagari disputando, quæso, tua magnifica humanitas, me altius repetito initio hanc narrationem longius prosequi, benigne patiatur. Dabitur hoc officio meo, dabitur meritis ipsius, dabitur etiam familiæ honori, & civium admonitioni, ne vel ignorent aliqui, vel obliviscantur, quem virum illum & habuerint & amiserint. Fit autem hoc fere, ut celeriter evanescat beneficiorum memoria, & non desunt interdum improbi & malevoli, qui nefaria insectatione magnorum virorum nominibus insultent, cum ipsos non auderent coram rectis, ut dicitur, oculis intueri. Utque in Hectoris mortui corpus Græcorum multitudinem conjecisse tela Homerus refert, quo sæpe instante & cedente terga ipsorum turpiter fugam fecerant: sic levitas improborum & vanissimorum hominum virtutis & sapientiæ præstantiam viventium, cum refugiat & vitet, quia timet, in famam, res, existimationem mortuorum impetum facit, & exultat in solitaria quasi arena, aut contentio-

ne cum umbra. Mihi D. Stibarus a primæ pueritiæ ætate notus fuit. Patre enim mortuo in Francica nobilitate viro laudato, quod ille copiosam sobolem reliquisset, placuerat Danielum in literarum & artium studio educari. Itaque missus fuit Erphordiam ad optimum & integerrimum virum & illis temporibus inter Magistros bonarum artium celeberrimum Georgium Pœtum Vorhemium. Annus tum agebatur a Christo Jesu nato M. D. XVIII. Quo & ego tot annos tum natus, relicta Lipsia ubi Crocum Britanum audieram, & fueram discipulus Georgii Helti patria Vorhemii ipsius quoque, in eandem Academiam me contuli, & cum eodem Magistro Georgio conjunxi. Ibi D. Stibarus ardens cupiditate discendi, omni cultu & observantia perfecit, ut mihi esset quam familiarissimus: videbat enim mihi nescio quid tribui, non modo ætate me præcedentum, sed plane senum sententia. Id eo fiebat, quod in re tenui inter eruditæ doctrinæ initia, nostra cognitio & scientia sermonis potissimum Græci, nonnihil enitebat. Quid autem tum molestiæ, laboris, defatigationis non subiit Stibarus, quid non pertulit difficultatis, ut aliqua literarum atque artium bonarum copia instrueretur? Pudet me profecto nostræ adolescentiæ cum quid hic & alii tum fecerint atque toleraverint considero, quibus multi delicatuli juvenes atque pueri nunc neque genere neque facultatibus, neque ullis aliis rebus sunt conferendi. Etsi, ut verum fatear, moribus severioribus & adversantes fortuna neque illi neque aliis tum abunde sumtus præbebantur. Cumque ipse ascitus fuisset in collegium Ecclesiasticum, ut veteris pietatis instituto ad publicæ gubernationis spem educaretur & doctrinæ utili ac necessaria iis qui alios moderari debeant, instrueretur, nescio quo pacto tum adeo puer fraude & malitia quorundam sæpe & multum vexatus, vix tandem veluti in portum sua ipse majore quam quæ in illam ætatem cadere videretur, prudentia, deduxit navem vitæ & conditionis suæ, destitutus auxilio omni tam suorum quam alienorum. In illa quasi tempestate cum jactaretur, quoties lacrimans a me discessit? quod doleret interrumpi studia sua, & conturbari rationes illorum. Quam autem ille occasionem oblatam non cupidissime arripuit, aut ostensam non studiosissime secutus est excolendi ingenium & comparandi facultatem eruditionis & copiam literarum atque artium. Adiit Italiam. Vidit Gallias. In Belgio est peregrinatus. Apud Desid. vero Erasmum diu & familiariter commoratus: qui & singulari ipsum benevolentia complexus, ornavit testimonio & commendatione literarum suarum. Sæpenumero autem reflantibus adversæ fortunæ ventis, eo tamen maxima contentione animi & summis laboribus processit, ut in suo ordine atque grege, quem cognitione liberali & cultu virtutis & veritatis amore, illi præponeres, non facile reperire posses. Utinam vero in hoc ipso ubique ordine cujus fundatio monumentum est profecto antiquæ pietatis & sapientiæ, esset reliquum, quod non dico eximiam laudem mereretur, sed omnino reprehensione & culpa penitus vacaret. Verum in hæc vel non est meum inquirere, vel hanc disputationem incurrere non decet. Etsi sane ingentem tristitiam affert contemplatio eorum quæ fieri gerique cernuntur, cum quid oporteret, non dubium neque obscurum sit. Erat in D. Stibaro natura simplex & aperta & inimica simulationibus. Cumque ipse oderat falsa

atque

atque commentitia omnia, tum præ ſe ferebat ſibi plurima quæ & uſurpari cerneret & ſuſceptum iri ante tum proſpiceret, diſplicere. Suos quidem propinquos cognitione veritatis ſedulo ſtuduit inſtrui, ut contra opinionum errores ad patriæ ſalutarem adminiſtrationem animi illorum præpararentur & confirmarentur judicia. Atque quæ fuerit aliquorum exiſtimatio de illo, quid refert? cum quidem bonorum & ſapientum & tam religionis quam virtutis cæteræ amantum, multorum quoque Principum & potentum virorum fuiſſe conſtet optimam, qui illius mores, ingenium, doctrinam, conſtantiam, fidem, libertatem orationis, officii cuſtodiam, & ſingulari favore complexi fuerunt, & admirantes magnifecerunt. Inter quos & te recte poſſum, Magnifice Floriane, indicare, qui non de aliorum prædicatione, ſed tua ipſius cognitione D. Stibarum in eorum habuiſti numero, quos eſſe de Republica quam optime meritos, & in quibus proſperitatem rerum, & felicitatem ſucceſſuum verti intelligeres. Benignitas & in gratificando proclivitas, ſi quid aliud, in hoc nimia fuiſſe alicui forte videatur. Itaque a pecunia congerenda augendiſque opibus cupiditas illius aberat: aberat & ab ambitione voluntas, id quod vel neglectu vel etiam repudiatione ſplendidiſſimarum conditionum quæ offerrentur, & ab aliis avide expeterentur, declaratum confirmatumque eſt. Sed qualis in Republica & iis negociis fuerit quæ gubernationem attingunt, me commemorare non decet. Et nota enim tam conſilia quam actiones ipſius iis ſunt maxime, qui ſocii atque participes illorum fuere, & neque ego tam fui curioſus ut vel ſciſcitando ex eo, vel de aliis percontando exquirerem quicquam. De his igitur loquentur alii: loquentur autem certe, ſi verum dicere voluerint, honeſta & præclara & memorabilia omnia. Mihi potius cordi eſt (quod & compertum habeo & prædicere debeo atque poſſum) ſtudium in D. Stibaro optimarum artium & cura veritatis tam divinarum quam humanarum rerum. Hujus (ſi quid in hoc ad laudem præſtantiſſimi viri momenti eſt) teſtem me profiteor, cujus adjutor & amplificator fui. Reliquerint alii magnam vim pecuniæ, ſupellectilem precioſam, & cætera quorum domini vulgo beati vocantur. D. Stibarus parvum quiddam a pleriſque deſpectum, leve, & ut Homerico verbo utar οὐδενόσωρον reliquit, memoriam pietatis, virtutis, ſapientiæ, doctrinæ, eruditionis, humanitatis. Atque audio quoſdam magnos viros requirere D. Stibari uſum his temporibus. In quo, ut de illo aliquando minus glorioſe verba faciam, mea vota ſunt, ut quam plurimi vel tam multi ſaltem exiſtant atque reperiantur, ut præſentis illius ope & auxilio Reſpublica facile carere poſſit. Libenter ille ceſſerit loco omnibus his ſuo. Ut profecto non invitus e terris migravit, cum & tæderet illum vitæ atque morum ſæculi ſui, & ante oculos ei verſarentur vel fatales vel improbitate & ſcelere hominum acceleratæ ruinæ & mutationes graves atque formidandæ. Quid igitur ille longo tempore adhuc bene valens optavit aliud? quam contingere ſibi felicem obitum. Evenit quod optavit. Peregrinatus hic aliquantiſper, & ut decuit virum bonum placide verſatus tanquam hoſpes in hujus vitæ muneribus loco ſuo, deceſſit quaſi de provincia quam ſortitus eſſet ſine recuſatione, vel gaudente potius animo & alacri, & in confeſſione veritatis æternæ, & religioſa invocatione Filii Dei, beato fine clauſit vitam in terris

ſuam, & acquieſcens in fide clementiæ divinæ & ſpe promiſſionum, abiit hinc, & effugit cum onera moleſtiarum plurimarum quibus premeretur, tum imminentis miſeriæ triſticiam. Sint ſuperſtites alii, & hac luce fruantur diutius, & ſe compleant vitæ præſentis ſuavitate, in honorum magnitudine, copia voluptatum, cæteris rebus, quarum cum nomina aures pudicæ reſpuant, actiones nobilitaturæ ſunt ipſæ quoque autores ſuos, inurendo nominibus illorum dedecus & infamiam ſempiternam. Nunc tu D. Stibare & privatæ injuſticiæ molitiones corporis tui declinatione vitaſti, & abductus non ſenties deinceps communes calamitates, quæ quaſi in tarditate ut accelerent, ita quidam audaciam & impietatem cumulant. Sed moderemur querelis, præſertim cum quod tu expetiviſti & optaſti ſemper, id ſis conſecutus, ut feliciter exires ex hac vita. Cætera alii jam videant.

Atque ego, magnifice Floriane, animadverto jamdudum procedere commemorationem longius, quam argumento inſtitutæ ad te Epiſtolæ convenire videatur. Etſi hanc veniam ſum precatus, ac certo ſcio tuæ magnificæ virtuti atque ſapientiæ hanc de D. Stibaro mentionem non injucundam accidere, quem ſcio te dilexiſſe & judicaſſe virum eſſe optimum atque integerrimum. Quod ſi quis, qui patriæ reſpectu movetur, talium deceſſione dolet, ei ſcilicet ignoſcendum eſt, conſideranti vel iſtiuſmodi reliquorum penuriam, vel ſtatus præſentis fortunam, vel periculorum impendentium horrorem. Atque tuæ tuique aliorum ſimilium virtutis & ſapientiæ præſidium conſolari nos & poteſt & debet. Sed nihilo tamen minus, non abundantes numero eos qui Rempublicam laborantem & defeſſam ſublevare & recreare poſſint, quaſi deterendo reddi pauciores, fieri nequit quin bonis & bene cupientibus patriæ civibus ingentem dolorem afferat, & metum trepidationemque incutiat. Ut autem hoc conceditur omnibus, dolere inquam perturbarique & timere, ſic veſtrum eſt circumſpicere & reperire in his difficultatibus rationem, qua rebus accifis conſulatur.

Sed aberrat nimirum oratio jam ad alia, neque inculcanda hoc loco & fortaſſe a me non differenda. Etſi communes cum ſint clades, communem etiam deplorationem eſſe licet, & in diſcrimine manifeſto interitus pertinentis ad univerſos, omnium quoque ſolicitudinem commoveri æquum eſt. Niſi forte everſa & vaſtata patria aliquis ſuas poſſeſſiones & prædia intacta atque ſtabilia, aut omnino ſe perdita Rep. ſalvum fore exiſtimat. Mihi quidem (ut cuique ſuum artificium) quid de ſtudiis opt. diſciplinarum & artium, potiſſimum curæ eſt. Quæ noſtra ætate revocata, & a noſtris hominibus perbenigne admiſſa, cum quaſi in bono neque inculto ſolo luculente creſcerent, ſubito eæ tempeſtates coortæ fuerunt, quæ lætis horum veluti ſegetibus pene extremam calamitatem minarentur. Sed quemadmodum temeraria quorundam petulantia his infeſta eſt & formidanda, ita veſtra ſapientia & virtus, impreſſionem furoris & impetum barbariæ repellere & frangere, horumque vel dignitatem augere, vel certe ſalutem patrocinio ſuo tueri, cum poſſit, debet. Atque id a te, magnifice Floriane, fieri pro tua parte, mihi eſt exploratum. Itaque quod facis, non hortor ut facias, vel ſi horter etiam, non tam ut currentem, ſecundum proverbium,

instigem, hoc a me fiat, quam ut honestissima consilia & egregias actiones in hoc quoque genere tuas comprobem atque celebrem. Quod restat a te peto, ut & judicium & persuasionem de te meam boni consulas, & compellationem nostram in optimam partem accipias, & consilium editionis hujus libelli, quem renovatum cum tui nominis prædicatione emittendum esse censuissem, tibi placere patiaris. Vale. Lipsiæ, Id. Quint. Anno Christi Σώτηρος M.D.LVI.

DANIELO STIBARO RABENECCIO

Trib. Montanæ Franciæ Equestris Ord. dignitate & honoribus amplifs. ornatifs. Canonico collegii Ecclesiastici Wurcepurg. Viro opt. & veritatis amantifs. virtute, humanitate, fide, pietate præstantifs. amico venerabilis memoriæ,

JOACHIMUS CAMERARIUS

Pab. F.

HOC Stibari exanimum Danieli pulvere corpus
Conditur, egesta qua lapis extat humo.
Quem montana tribus produxit Francidos oræ,
Fertile Regnessi qua rigat unda solum.
Et titulos sedes claræ auxit gentis avita,
Quæ de corvorum nomine nomen habet.
Qui fuerit primis vitæ hujus cursus ab annis
Quodque laboriferæ conditionis iter,
Nec breve, nec tabula in busti perscribere par est,
Ista sed integrum cura requirit opus.
Si tamen ingenio quisquam rectoque proboque,
Constanterque bonæ si fuit artis amans,
Et verum amplectens, fugiens mendacia, cuique
Non foret illæsa res prior ulla fide:
Nostra is tu Daniele profecto ætate fuisti,
Eximiusque domus gentis honorque tuæ.
Magnanimæ interpres cujus vox libera mentis,
Consuluit dubiis temporibus patriæ.
Consuluit verbis: te sic Daniele parato
Rerum etiam velles ut subiisse vices.
Nec tibi communi potior tua vita salute,
Nec tibi privatim cura cavere fuit.
Quid dicam in fratrem, in cognatos atque propinquos,
Contuleris larga quæ benefacta manu?
Quid referam ingentis robur memorabile cordis
Commoda summarum despicientis opum.
Accumulat merita augescens narratio laudum,
Ergo suum teneat mentio nostra modum.
Sitque satis nulli hunc ulla virtute secundum,
Inque bonis prima parte fuisse bonum.

Et violare aliquis furiis hunc percitus audet,
Atque viri manes ſollicitare pios?
Floribus & ſpargi quæ ſancta ſepulcra merentur,
Illa petens ſaxis impia dextra ferit?
Natio & hoc patitur memor, hoc cives, genus, ordo?
Denique Francigenum ſpiritus hoc patitur?
Sed nihil a rabie humana Daniele pericli,
Et tibi nunc certa eſt undique parta quies.
Tuta anima in Chriſti gremio ſedet: & ſibi gaudet
Peccati horribiles non magis eſſe minas.
Et mentem a nato ſibi placatam eſſe paternam,
Huic ſe juſtifica conciliante fide.
Inquè reverſurum reparato corpore vitam
Perpetuam, quod ſpes ſit ſua firma, videt.
Quid moror? Hic pietas, probitas, ſapientia, virtus,
Quam modicæ tegitur partis humata loco?
Falſa loquor: neque quicquam horum occidit: omnia clara
In cœli æterno tempore luce manent.
Sed civeſque tui & patria hæc deſerta requirit,
Ereptum & miſeræ te ſibi mœſta gemit.
Aſt aliquis malus exultat calcatque jacentem,
Hoc etiam felix es Daniele modo.
Nanque puto hunc demum vera ratione beatum,
Non expers odii quem comitatur amor.
Sed quis amat ſimul atque odit tamen unus eundem?
Hoc neque fit, fieri nec Daniele poteſt.
Ergo boni cum te magnifaciantque colantque,
Te gaudere decet diſplicuiſſe malis.
Quod reſtat te Muſarum deſidero triſtis,
Et ſtudii ſocium, dulcis amice, mei.
Lætus ſorte tua, voti teque eſſe potitum,
Poſſe bono vitam claudere fine tuam.
Optime vir Daniele vale: nunc cætera quæ ſunt
Multa ſuperſtitibus perpetienda, feram.
Hæc interque tua conceptum morte dolorem,
Dum reliqua in terris poſtmodo luce fruar.

Deceſſit Wurcepurgi VII. Id. Sextilis,
Anno Chriſti Jeſu M.D.LV.

M A G N I F I C O   D O M I N O

GEORGIO LOXANO,

EQUITI SILESIO, SERENISS. RO. RE. PER SILESIAM PROCANCELLARIO,

JOACHIMUS CAMERARIUS

P A B E P E R G E N S I S

S. D.



VERISSIME dixit apud Theocritum piſcator, *Canum ſomnia eſſe de panibus, ſua de piſcibus*,

> —— καὶ γὰρ, inquit, ἐν ὕπνοις
> Πᾶσα κύων ἄρτως μαντεύεται, ἰχθύα κἠγών.

Ita enim fieri ſolet, ut, quas res cogitationibus & reſpectu noſtro ſæpe multumque verſamus, earum rerum ſpecies excitentur, quæ occurrant etiam dormientibus. Sed de iis crebræ ſunt cogitationes atque curæ hominum, quæ ab illis aut deſiderantur atque cupiuntur maxime, aut timentur, atque refugiuntur. Itaque & mihi multis jam annis, quod ingreſſiones frequenter impedirentur, vectiones, & illi centauri placuere equites, & iſte volatus equeſtris, quem tantopere prædicat apud Xenophontem Cyrus, a me expetitus, denique ambulatori ignaviſſimo equi cordi fuere. In quos interdum, ne tanquam claudo ſutori perpetuo mihi deſidendum domi eſſet, aſcendere & aliquo uspiam in his excurrere ſolerem. Sed nuper feci in nimia quadam ac veluti juvenili confidentia, ut evagarer longius, cujus itineris fortunatus exitus non fuit, reverſus enim domum de agitatione importuniore incidi in ægrotationem gravem & difficilem, de qua nunc etiam vix enitor & molior ingreſſionem. In hoc vero, ut ita dicam, decubitu, cum alia repetens animo meo, tum jucundiſſimos ſermones habitos cum amicis Franciſcis, ad quos divertiſſem illo in itinere, deferebar ad recordationem aliorum quidem meliorum, de optimarum artium ac ſtudiorum humanitatis cultu, ſed & leviora quædam ſubiere, introducta familiaribus colloquiis, & in primis diſputatiuncula quædam *de Re Equeſtri*, quæ inter nos habita fuiſſet paulo copioſius. Hanc mea tum miſeria quoque renovabat, cum pene ἀποδὶ mihi omnia equeſtria obverſarentur. Hic in lectulo ac medicina commentatione noſtra aliquid de equorum tractatione componere cœpimus. Quo quidem in tempore & ſtudio noſtro, animus, ut fit, plura quærendo colligens, deorum quoque, ut ita loquar, & hominum judicium complexus fuit, quo utrorunque primæ tribuerentur Equeſtri rei. Quid enim oraculum, cum exponeret, & de mulieribus præſtantiſſimis, & fortiſſimis viris, nonne primo loco equorum mentionem fecit? cum inquit:

> Ἵπποι Θρηΐκιαι, Λακεδαιμόνιαι δὲ γυναῖκες
> Ἄνδρες δ᾽ οἳ πίνουσιν ὕδωρ καλῆς Ἀρεθούσης.

Homerus autem ad gentem δικαιοτάτων ἀνθρώπων, ut ipſe vocat, τοὺς ἱπποπόλους adjungit. Et in pleriſque civitatibus Græciæ Equeſtris ordo princeps, & Perſam peditem conſpici turpiſſimum habitum. Atque hæc duravit ad nos quoque perſuaſio hominum, in qua non ſolum hoc ineſſe puto, Equeſtrem ordinem præcipuo & ornamento & utilitati Reipublicæ, ſed omnino Equeſtres meliores viros, virtutiſque amantiores, & antiqui moris ſervantiores eſſe. Quales & ad noſtram usque memoriam, & hanc ætatem omnium bonarum rerum atque artium corruptricem, fuiſſe conſtat. Quare ſemper & ornandum, & colendum mihi hunc ordinem putavi, in perſuaſione ad hunc jam pene ſolum curam conſervationemque honeſtatis, & culturam virtutis, humanitatiſque ipſius cuſtodiam deveniſſe. Ac video profecto, niſi illi obſtiterint, brevi omnia barbarie plena futura eſſe. Atque doleo vehementer, tantam exiſtere paulatim ſegnitiem ac remiſſionem, vel potius, dicendum enim, deſidiam & ſocordiam, in opere & curatione pulcerrima, illorum. Sed querelas miſſas faciamus, redeamuſque jam ad illa, in quibus cogitationes noſtras multum aſſiduoque occupatas fuiſſe diximus, quæ cum deſcripſiſſem, atque inter elaborandum in ſedulitate nonnullam conſolationem inveniſſem. Nam unicus voluptatis cujuſdam, vel potius oblivionis malorum, interdum has inter operas,

> *Hic mihi fructus adeſt juſtiſſima cauſſa laborum.*

Tum igitur abſoluta hæc placuit cum præfatiuncula noſtra ad te peculiariter mittere, Georgi Loxane, cujus virtus & excellens ſapientia eſſet cum apud alios in ſumma admiratione, tum celebrata mirificis ſermonibus coram me, & a Ludovico Braſſicano & Bartholomæo Amantio Juriscoſſ. clariſſ. & eruditiſſ. viris. Quorum alter cum forte nuper huc veniſſet, paſſuſque fuiſſet, nos

P R Æ F A T I O.

breviore quidem illa, sed summa tamen voluptate frui præsentiæ suæ, testimonium aliquod voluntatis erga te nostræ quasi instipulatus a me fuit, cum ita repromitteret tibi illud gratissimum acceptissimumque futurum esse, propemodum ut ad præstandum dependendumque ipse sese obligaret. Quare si hæc tenuiora, tuaque magnitudine indigna videbuntur, habere nos a quo sublevari, & cujus fide veluti satisfacere possimus, Ludovicum nostrum, scire debebis. Ad ipsam quidem operam nostram quod attinet, non est cur multum verborum facere velimus, neque ut illam commendem atque defendam, neque ut respondeam iis, qui forte requisituri sint, ubinam ego aliquem equestris rei usum adeptus sim? qui de hac præcipere etiam ausim. Et apud bonos enim nostra veniam in erratis quoque inventura esse confido. Et cum ineruditis hominibus rixandum mihi non puto. Nam docti talia non quærunt. Qui omnium rerum bonarum & artium præcepta & rationem, in Musarum quasi penu condi non ignorant, deque his promi a singulis, sæpe singula, sæpe plura. Itaque & Hesiodus expositurus præcepta navigandi, qui ipse fuisset semel tantum mare ingressus, quid ait?

Nunc maris undisoni quæ sit natura docebo,
Indoctusque rates regere, ignarusque carinæ.
Nam neque sum vectus per falsas navibus undas,
Ni quod in Eubœam jam pridem ex Aulide veni.

Et paulo post:

Sic tamen ætherii possum Jovis edere mentem,
Obscuros me quippe modos docuere Camœnæ.

Liceat igitur & nobis *de Re Equestri* non tam usus, quanquam & hujus fortasse, quam rationis dictata persequi. Te oro, ut consilium nostrum captum de doctissimorum & clarissimorum virorum cohortatione, & confirmatum persuasione nostra de virtute & sapientia tua, probare velis, utque libenter admittas hunc laborem, & hoc opusculum studii nostri, & ut nos in eorum numerum, quocunque loco, referas, quos tu in opinione eruditionis complecti amore ac favore summo plurimos consuevisti; neve, quas cum tueris & defendis tum ipse ornas atque auges, optimarum disciplinarum ac artium curam & patrocinium deponas atque imminuas; sed hoc potius, quod tibi est persuasissimum, ut teneas, hac re nullam rem aliam, neque Deo ipsi acceptiorem, neque humano generi magis salutarem, neque ad ad laudem & gloriam oportuniorem esse posse. Vale XV. Calend. April.



JOACHIMI CAMERARII,

PABEPERGENSIS,

HIPPOCOMICUS, SEU DE CURANDIS EQUIS.



GEnera equorum multa sunt, sed natione potissimum distingui solent. Usus autem nostris moribus triplex. Nam aut bellatores sunt, id est, πολεμιστήειοι, aut itinerarii, aut vectarii, qui ad plaustra, esseda, rhedas, carros adjunguntur. Ex his posteriora duo genera & gentis & temporis nostri sunt. Neque enim veteres Græciæ & Italiæ populi equos ad plaustra & vehicula, sed boves & mulos adjunxere, & viatoribus mulis magis, quam equis usi fuere. Itaque de bellatoribus equis & parandis & curandis, solus præcepta dedit Xenophon opt. eques suorum æqualium habitus. Nostri autem homines, nisi ubi montana sunt, non fere boves, neque aratores, neque vectarios alunt. Videas etiam alicubi silvarum ingentium accolas, & carbonarios, ante boves equos agitare, qua maxime conjunctione voluisse Ulyssem traditur probare insaniam, cum bove & equo junctis ad aratrum terram proscinderet. Jam bijuges & quadrijuges & curruum instructio atque aurigatio, quæ circi quondam fuit, sacrorumque certaminum agitatio ἐναγώνιος, a nobis ignoratur. Mulis autem superiori ætate vehi cœperunt opulentiores, sed nunc tamen etiam non nisi importatis Germania nostra utitur. Quondam asinis non solum onera gestanda imponebantur, sed etiam pistorum hi carruculas trahebant. Nunc & hi prope ubique cum equis commutantur. Sed quos Latini *currus*, Græci ἅρματα vocaverunt, horum sunt aurigæ, quorum principem fuisse tradunt & hujus rationis inventorem Erichthonium Atheniensem. συνωρίδα autem nominarunt binos equos adjunctos ad currum, qui sunt bijuges, sicut τέθριπποι, qui & τετράοροι ac τετράορες, *quadrijuges*. Primum autem usi fuere equis ætatis integræ ac plenæ, qui sunt τέλειοι, postea & *pullos* ad currus adjunxerunt, Græci πώλους appellant, quod Pausan. scribit factum esse Olympiade XCIX. ἀπήνην dixere aurigationem mulorum, id est, mulos bijuges, Thessali καπάναν. Est autem & carpenti illa appellatio, quæ & ἀστράβη, quod nomem legitur in *Oratione contra Mediam*, etsi quibusdam placet hoc nomen esse muli vehentis hominem. Sed carpentum significari magis puto, nisi aliquis ἀστράβην *arceram* malit interpretari, cujus inventum tribuitur Oxylo Ætolo, ut συνωρίδος Castori. *Plaustrum* est ἅμαξα. Esseda autem, quibus addens Epithetum Maro, *Belgica* vocat, unde essedarii, ad itinera instruebantur, sicut & petorrita. Fuit & cisii & rhedæ & tensæ appellatio vehiculorum apud Veteres, quæ Græcis communi appellatione sunt ὄχοι & ὀχήματα: sed genera horum ἁρμαμάξαι, λαμπῆναι, & quorum nomina

A supra sunt exposita. Homero quidem *Odyss. ζ.* & ἅμαξα & ἀπήνη, idem significant. Veteribus non fuit in frequenti usu, agi singulos equos vel equitem insidentem equo vehi, non incognita tamen res: itaque & Homerus describens Ulyssis residentis divaricatis cruribus super una fracta navis trabe in mari jactationem, usus est similitudine equitis agitantis equum solum, quem κέλητα vocat. Hinc verbum κελητίζειν, ut κελητίζοντες pueri opus Canachi, & hoc idem Poeta posuit in Rhapsodia *ο. Iliad.* Apparet autem non fuisse talis equitationis in bello usum, sed in pace tantum & ostentatione agilitatis desultoriæ; cum unus plures equos ageB ret, & inter illorum cursus, vel, ut Homerus ait, volatus ex uno in alium insiliret, sed nunc hæc sola agitatio nota & consueta est, illa autem curulis desita & ignota. Quæ tamen & Heroicis temporibus tribuitur a Marone, apud quem & saltu subjiciunt se in equos. Vocatur hæc agitatio *μόνιππος*, inventum Bellerophontis: cui pater Neptunus, hujus enim fuisse filium tradunt, cum putaretur patrem habere Glaucum Sisyphidem, illi igitur Neptunus velocissimum equum Pegasum dedit alis præditum. Aliqui hoc inventum ad Regem priscum quendam Ægypti referunt, Sesonchosin nomine, qui sit apud Herodotum Sesostris. C Aliqui etiam ad Orum, qui bellum gesturus cum fratre Typhone, potius equum quam Leonem ad prælia fertur instruxisse, quia ad persequendum quoque hostem equus, leo in ipso tantum conflictu esse utilis videretur. Virgilius hujus agitationis autores & inventores frenorum, facit Lapithas gentem Thessalicam, in *Georgicis* ita canens:

Frena Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo & gressus glomerare superbos.

D Sed alii Centauros hanc primos usurpasse perhibent, saltem ut ex equis pugnarent, adque hanc accommodant fabulam monstrosæ formæ, qua illi a Poetis introducuntur, & quam Græcus versus obscœnius expressit:

Ἵππος ἐρείγεται ἄνδρα, ἀνὴρ δ' ἀποπέρδεται ἵππον.

Pindarus elegantius, cum dixisset progenitos a Centauro filio Ixionis suscepto ex nube & e re nominato, qui commiscuisset sese cum equabus Magnesiis sub monte Pelio, editam enim tum fuisse sobolem utrique parenti similem, supra quidem E patri, infra matri.

—— ἐκ δ' ἐγένοντο, inquit, στρατὸς
Θαυμαστὸς, ἀμφοτέροις
Ὁμοῖοι τοκεῦσι, τὰ ματρόθεν μὲν
Κάτω, τὰ δ' ὕπερθε πατρός.

Hos latrociniis ajunt deditos, cum tenerent loca montana & inaccessa in Thessalia, excurrisse in equis & prædas egisse, cunque ante se abigerent armenta & greges, extimulantes scilicet quo celerius pergerent: ibi ii scilicet quibus sua eripiebantur in agris vociferari & implorare vicinos, & nominando Ἱπποκενταύρους clamare ab his se spoliari. Hanc autem speciem præbebant illi raptores intuentibus a tergo, quæ postea pingi & effingi cœpta, dimidiati ad umbilicum hominis, & parte posteriore equi. Eodem referunt & procreationis horum fabulam, & Ixionis parentis rotam, quibus in aere, hoc est, sub dio, agitandi & celeritas & gyri atque orbes designentur. Itaque nonnulli Ἱπποκενταύρους ἐτυμολογοῦσι, κεντοῦντας τινὰς τῶν ἵππων ταχύτητι τοῖς ἀνέμοις ὁμοίους. secundum hoc θείειν δ᾽ ἀνέμοισιν ὁμοῖοι. Hoc quia in mentem venerat, quamvis puerile & admodum leve, non volui tamen omittere. Servius hanc rationem, ut alia pleraque, usum demonstrasse docet. Quosdam enim missos ad armenta œstro percita, cum pedum cursu illa assequi non possent, insiluisse in equos & aversos demittentibus maxime equis capita, tales apparuisse, quales Centaurorum cernuntur imagines: sed violentia ab Euripide etiam indicatur, qui in *Trachiniis* nominat διφυῆ ἄμικτον ἱπποβάμονα στρατόν. Verum de his satis, vel potius nimium. Pergamus igitur ad reliqua. Ac equi quidem apud Veteres laudatissimi fuere Thessalici & Thracii, ita enim aliqui oraculum prodidere:

Ἵπποι Θρηΐκιαι Λακεδαιμόνιαι δὲ γυναῖκες.

Et Epirus palmas mittere equestres credita. Fuere & aliæ nationes ut Siculæ, Venetæ, Tyrrhenæ, Cappadoces, quas colligere non est propositum: nunc Menapii soli, qui Cæsari ut opinor Gallici sunt, & Rugi, ut bellatores ferme in precio sunt. Sunt & Helvetii & præcipue Algoici, qui durare diutissime putantur. Externorum autem Mysi, & Pannonii & Sarmatici, quorum multi reperiuntur castrati in tenera ætate, atque iis dentes cadere negantur. Hispani celeritatis & agilitatis opinione a magnatibus expetuntur. Bellatores equi aut cataphractis ardui & robusti, aut semicataphractis sive sagittariis, aut sane balistariis, liceat enim nostrorum temporum ἱπποτοξότας ita appellare, iis igitur mediocres quæruntur. Itinerarii promiscue grandes parvique esse solent. Minuti in delitiis sæpe habentur, & pueris potentum atque divitum parantur, habentur & in precio cujusdam mollioris gradus equi, ad quem magna cura, uti ne nimis alte tollant crura, assuefieri solent, sed ii delicatissimi, quorum hic non institutionis, sed naturæ gradus est. Vectariis robur esse oportet. Hi ruri educuntur, sui cujusdam generis, quamvis & bonos equos, interdum rura mittant, sed in oppidis ad vecturas plerunque dantur effœti annis, aut læsi, qui illis operis reliquas vires conficiant. Neque est tanta nostris temporibus humanitas, ut ociosus alatur equus, postquam consenuerit & vires amiserit, utque non turpi senectæ illius, quod Maro fieri oportere censuit, ignoscatur abdito domi. Cum quidem benignitatis virtus, quam cum justitia Stoici præclare conjunxerunt, non modo homini hominem benefacere jubeat, sed favorem ad bruta etiam extendat. Nam hujus quasi fluxio quædam est larga, manans de fonte mansuetudinis. Quæ profecto non modo equos agitari & labore defatigari vult, sed pasci quoque jam absumtis viribus inutiles. Hujus humanissimi respectus exemplum illustre est, populi Atheniensis clementia. Qui, cum illud magnificum templum ἑκατομπέδα παρθενῶνος autore Pericle extrueretur, mulos maxime strenuos & confectos assiduitate laborum, jussit dimitti, ut vagari illis & libere pasci liceret: atque ex his unum ferunt occursantem cæteris jumentis plaustra trahentibus, prosequi hæc comitarique quasi cohortantem & confirmantem illa conspectum, qua re ita delectatum populum Atheniensem, ut decerneret publice illi pabulum deinceps donec viveret præbendum esse. Plin. *lib.* VIII. decreti de hoc facti alterius quoque meminit, ne frumentarii mercatores illum ab incerniculis arcerent. Cujus quædam verba in Absyrtæis referuntur: Μηδένα τῶν πυροπωλῶν ἢ κελθοπωλῶν ἀπελαύνειν αὐτὸν τῆς ἑστίας ἢ ἀπείργειν τῆς βρώσεως: atque ibidem res etiam paulo aliter narratur. Cimonis autem equorum, quibus vicerat Olympia ter, sepulcra propter ipsius sepulcrum condita fuisse Plutarchus scripsit. Itaque Cato senex non est laudandus, qui equum, quo bellum in Hispania consul gerens usus esset, se ibi reliquisse dicere solebat, ne vecturæ illius precium in publicas rationes esset referendum. Non enim iis in quibus anima inest & vita, sic uti convenit, ut calceamentis aut vasis, quæ fracta aut detrita abjicimus: sed par est ut alia erga animantes sit affectio nostra, vel hanc ob caussam, ut exercitatione quadam hac ad mansuetudinem & clementiam erga homines præparemur. Agricola sane probus, senio inutilem ad arandum bovem non ausit vendere, nedum mactare velit, quod antiquitas sceleratum quoque & nefarium esse duxit. Dixitque & hoc præclare ex sapientibus Hebræis Syracides, *viro prudenti & bono jumentorum etiam suorum vitam curæ esse.* Non modo profecto suæ utilitatis caussa, sed illis etiam ut quasi servitutis & operæ merces ac præmium rependatur. Quæ apud Æschylum generi humano dicit se attribuisse Prometheus, ἀντίδουλα καὶ πόνων ἐνδέκτορα. Sed nimirum hac etiam inhumanitate tam tempora quam homines singularis cujusdam pravitatis convincuntur, a qua neque malitia neque injustitia neque fœdissimum vitium αἰσχροκέρδεια aliena est. Verum nos nimis longe a proposito, ut videtur, digressi, id, quod instituimus, prosequamur.

Equis interdum ferociæ minuendæ gratia exectione animus cum virilitate adimitur, hoc vulgo fit quibusdam in locis, ubi promiscue pascuntur armenta equorum, ut placide & mansuete castrati una versentur; tum canterii vocantur. Veredariis ad celeritatem comparatis equis nomen olim fuit, secundum hoc Martialis:

Parcius utaris moneo rapiente veredo.

Atque haud scio an hos καβάλλας vocarint, & Latina lingua Caballos. Præterea minores quosdam equos, quibus & carpenta & petorita traherentur, manos & voce diminuta, manulos appellarunt, horum ut nunc quoque fit, jubæ tondebantur, quod & Propertius significat *lib.* IV.

Huc mea detonsis avecta est Cynthia manis.

Addatur his mentio equi venatorii, itaque liceat interpretari κυνηγέτην, quem levitate & agilitate præstare scilicet oportet. Hactenus pauca quædam præfati de equis, horum curam & tractationem deinceps persequamur, scripta Veterum cum nostra consuetudine conferentes, & colligentes de his etiam nos ipsi quædam cogitatione nostra. Extat autem nunc quoque Xenophontis *de Equis* liber egregius, scripsit & Simon quidam de his & Cleodamas Achnæus, Plinius etiam, qui ipse librum se *de jaculatione equestri* edidisse ait, tradit equitem quendam Sarmenem primum *de equitatu* scripsisse, effictum a statuario Demetrio. Simon hic notavit in pictura Micconis antiqui expressos pilos genæ inferioris, quæ sunt Græcis βλε-

βλεφαρίδες, idque reprehendit ut perperam factum, cum quidem infra genam illam longi pili soleant enasci, & a diligentibus dominis equorum curari evellendæ: nam intorquentur nonnunquam in oculos, eosque lædunt. Fuere autem Miccones duo pictores, quorum unus pinxit porticum cum Polygnoto: & hujus istud erratum carpsisse Simonem existimo. Fuit & statuarum fusor quidam Micco. Sed hæc omittantur. Nunc extat liber Russii cujusdam *de Equis*, in quo fortasse multa bene & præclare præcipiuntur, sed expositio est ejusmodi, ut totam rem deformet atque obscuret. Sed hæc quæ dicentur de cura & tractatione equorum; intelligendum quo melior equus & usus illius nobilior sit, eo diligentius exercenda, quippe cum in contemtu quorundam maxima negligentia non reprehendatur. Est autem prima dignitas bellatorum: nam in discriminibus pugnæ & præliorum in hoc salutem & vitam suam depositam habet agitator. Proxima eorum, quibus itinera & periculosa & longa conficienda sunt, aut qui animi caussa aluntur. Vectariorum cura est cotidianæ necessitatis sine affectu erga equos ullo, nisi si qui forte ab attentioribus ad spem lucri foventur, etsi hi etiam non diliguntur, sed mangones dominos habent. Ad bonam igitur curam hoc præcipue pertinet, equus ut & ametur ipse, & tractatorem suum, a quo curatur, qui est Varroni equiso, amet, & se illi curæ esse sentiat. Quo loco quæstio se offert, utrum in equis & animantibus reliquis, quæ bestiæ dicuntur, intelligentia inesse videatur, & ἄλογοι ne a Græcis appellati fuerint, quod sermonis, an potius quod rationis essent expertes. De quo extat Plutarchi jocosum illud quidem scriptum, sed tale, ut serio ipse persuasisse hoc sibi existimari possit, quod quasi per ludum differit de intelligentia bestiarum. Præsertim cum idem disputet accuratius in libro, quo conferuntur terrestrium & aquatilium animantium intelligentiæ. Nobis autem hoc exquirere subtilius non est necesse: possumus enim eo contenti esse, quod nemo negavit, omnesque verum esse experiuntur, & irritari & placari, item abigi allicique bestias, cum voce tum gestibus, ut non solum corpore illas, sed etiam animo sentire, hoc est, quodam modo intelligere, certum sit. Academici etiam, ut opinor, docere voluerunt canes non modo ratione, sed etiam conclusione rationum uti, in quo maxima vis mentis inest. Cum enim ad trivium ventum esset a cane persequente feram, sic eum colligere, non hac neque istac abiit, ergo illa. Sed sagacitatis, ut opinor, est feræ insecutio, non rationis. Nos tamen, ut de equis potissimum quid statuendum sit exquiramus, debet movere Homerica autoritas, qui his non tantum intelligentiam, sed divinam intelligentiam atque etiam orationem attribuit. Nam apud hunc Poetam & ad præsepia ocio contra naturam suam languentes mœrent, & Patroclo occiso perturbantur animis, & ipsi Achilli futura prædicunt. Unde & Maro fecit;

Et bellator equus positis insignibus Æthon
It lacrimans guttisque humectat grandibus ora.

Illud autem memorabile quod traditur cum sua cognatione volentes ac scientes equos non commiscere Venerem. Ac memoriæ proditum est in quodam armento in tenebris admissum natum ad matrem, inductum etiam quibusdam lenociniis unguentorum & odorum, ut cupiditate flagrante celeriter commiscerentur, sed post facinus, cum incestum cognovissent, ita indoluisse animis, ut capitibus in rupes illisi exanimati morerentur ambo. Etsi Aristoteles, qui hoc idem de Scythica quadam equa scriptum reliquit, alibi & matres hoc pecus sua & sobolem inire tandem refert.

De Bucephalo autem Alexandri Macedonis equo, qui natione Thessalicus fuit, emtus precio ingente, nostratis quippe nummi coronatorum novem mil. sexingentis, ut Plinius retulit, ut Plutarchus septem mil. octingentis, quam multa memorantur, quæ sine ratione & mente vix posse fieri, suspicari licere videatur. Ut vel hoc quod nunquam instructus ornatu regio inscendi ab alio se quam Alexandro siverit. Quodque ungulis etiam impetierit hostes, & tandem lethali accepto vulnere, non prius quam extra telorum jactus regem sisteret, animo viribusque defecerit. Quare ut existimo admirantes veteres Poetæ equorum excellentem, præstantemque reliquis bestiis sive sensum seu affectum, mansuetudinis, fortitudinis, fidei, liberalitatis, illas fabulas ad has virtutes celebrandas applicuerunt. Arionis, Cyllari, Xanthi, Pegasi, Aquilonaris sobolis, nec non immortalium Achillis equorum, & Trois propter quos regnante Laomedonte captum ab Hercule Ilium fertur. Hoc quidem compertum est, nisi forte vel morbo, nam & rabie equi corripiuntur, ut canes, vel ira insaniat equus, non facile hominem ab hoc lædi, maxime ætatis aut sexus imbecillioris. Itaque mordaces isti & calcitrones, ut Pannonici plerique, de quibus & proverbium improbitatis ortum, non fere nisi irritati aut opinione aut metu offensæ feroclunt. Quamvis, ut inter homines, ita inter equos quoque maliciosi & nocentes aliqui præ cæteris inveniantur, id quod Poetæ quoque, ut opinor, innuunt fabula equorum Diomedis Thracis, qui humanis carnibus pascerentur. Quamvis nihil prohibet intelligi etiam notasse illos immodicos profusosque sumtus & magna impendia equorum, quibus domini tandem post externorum damna & ipsi conficerentur, quemadmodum & de canum damnis Actæonis fabula conficta ab illis fuit, nec non inter Laconicas execrationes, ut sumtuosa res legitur infortunium equorum. Ad intelligentiam quidem equorum quod attinet, ut de veritate rei pronunciare non ausim, ita mihi profecto, memoria, gloriæ & laudis studium, ambitio, disciplina, atque alia hujusmodi, in his animadversa & haud obscuris signis deprehensa, sine aliqua intelligentia, prudentia, consilio, quæ esse possint omnino inexplicabile videtur. Neque ego hanc mentem, intelligentiamque ac rationem humanam esse dico, verum aliam quandam sui generis ac modi. De quo in præsentia plura differere alienum fuerit.

Nunc igitur de cura equorum, ut instituimus, verba faciamus, quam ab effectu quodam benevolentiæ proficisci optimum fuerit. Facile autem hoc diligentia & obsequium effecerit, non solum equus ut amet, sed ut requirat etiam atque desideret curatorem suum. In pac parte commendatur non solum remotio eorum omnium, quæ eoquos offendere solent, ut famis, sitis, madidi stramenti, in æstate caloris ac muscarum, hieme frigoris, sed etiam contrectatio & demulsio earum partium, quarum contactu gaudent equi, quales sunt maxime hirsutæ, & a quibus equus, si quid forte molestum sit, repellere minime valet. Jam in tergiversando, aut feritate, nequaquam delectantur equi iis, qui non tam placare, quam ulcisci illos voluerint, itaque & in stabulo & foris multis equis nocetur agitatorum & curatorum morositate & iracundia. Scio ego quendam non ignobilem equitem solitum frequenter adesse, cum ministri equos aut pascerent, aut aquarent, aut destringerent, aut, quod illius instituto in

æstate faciebant, in præterfluente abluerent: tum igitur illum assistere solitum scio, & clara voce loqui, atque ministris, quid fieri vellet, imperare, nuncque hoc jubere, nunc illud prohibere, quo sua esset vox equis notior. Itaque multos ille vendidit grandi precio, qui postea, cum ad alios dominos pervenissent, ignavissimi fuere. Multos certi colores juvant, de quibus Maro generosæ sobolis conjecturam fecit, noti enim versus illius:

—— honesti
Spadices, glaucique, color deterrimus albis
Et gilvo.

Non etiam nulli hujus aut illius coloris equos felicius a se agitari putant, qua de re & Astrologi non dubitant monere atque præcipere, inspecto cujusque themate natali. De spadicibus quæsitum a multis, quinam esse videantur, ac certum est punicei coloris hos aliquid habere, ut & fusci illi, & fulvi, & in quibus rubentes maculæ albo inspersæ sunt, ut purpurei appareant, spadices habendi sint. Oppianus per venationum genera equorum colores distinxit. Nam qui colore cæruleo essent, aptos eos esse censet agitandis cervis. Glaucis, qui color est nitidior & clarior, contra ursos, contra pardos fulvis, contra apros nigris, flammantibus oculis, ac nitentibus, qui vitrei nunc vocantur, contra leones utendum esse. Idem Nisæos equos, & quos vocat Oryngas, valde commendat. Mirum videri possit, quod idem tradit colores, quos forte concupiverint domini arte quadam fœtui conciliari, conceptus tempore illis ostensis fœminæ. Sæpius quidem similes fœtus parenti edere consueverunt equæ; ut Pharsalica semper, quam ideo probam nominarunt, id est, *δικαίαν*. Forma quidem, quæ maximam bonitatem indicet, & quæ sint generosi atque strenui equi signa, qui habitus, & alia hujusmodi, ut de ætate, quam dentibus inspectis noscitare solent: cum tamen post septimum annum exploratio certa nulla esse credatur: de indole, deque tota natura equorum, si historiam hujus animantis scribere instituissemus, dicenda essent multa. Sed nos exilius opus suscepimus, cui ipsi tamen vix satisfacturos nos esse intelligo. Virgiliani autem versus, quibus equum generosum describit, noti sunt:

Continuo pecoris generosi pullus in arvis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit.
Primus & ire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere Ponti.
Nec vanos horret strepitus. Illi ardua cervix,
Argutumque caput brevis alvus, obesaque terga,
Luxuriatque toris animosum pectus, honesti
Spadices, glaucique, color deterrimus albis
Et gilvo. Tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.
Densa juba, & dextro jactata recumbit in armo.
At duplex agitur per lumbos spina, cavatque
Tellurem, & solido graviter sonat ungula cornu.

Describitur & ab Oppiano perquam elegantibus versibus, quos & ipsos subjicere visum:

Ἵππον δ' ἐν πάντεσσι πανέξοχον ἐφράσσαντο
Ἴδμονες ἱπποδρόμων καὶ βουκολίων ἐπίουροι
Εἴδεσιν ὃς τοίοισιν ὅλον δέμας ἐστεφάνωται.
Βαιὸν ὑπὲρ δείρηφι μετήορον ὕψι κάρηνον
Αἴροι μέγας αὐτὸς ἐὼν περιηγέα γυῖα,
Ὕψι κάρα, νεάτην δὲ γένυν ποτὶ δειράδα νεύοι.
Εὐρὺ πέλοι φαιδρόν τε μεσόφρυον, ἐκ δ' ἄρα κόρσης
Ἀμφὶ μέτωπα τριχῶν πυκινοὶ σείοιντο κόρυμβοι·
Ὄμμα τορὸν, πυρσωπὸν, ἐπισκυνίοισι δαφοινόν·
Εὐρεῖαι ῥῖνες, στόμα δ' ἄρκιον, οὔατα βαιά,
Γυραλέη δειρὴ τελέθοι λασιαύχενος ἵππου,
Ὥς ὅτε χαιτήεσσα λόφον νεύοι τρυφάλεια.
Πουλὺ πέλοι στέρνον, δολιχὸν δέμας, εὐρέα νῶτα
Καὶ ῥάχις ἀμφίδυμος μέσον ἰσχία πιαίνουσα.
Ἐκ δὲ θέοι πολλὴ μετόπισθε πανύτριχος οὐρή.
Μηροὶ δ' εὐπαγέες μυοειδέες. αὐτὰρ ἔνερθεν
Ὀρθοτενεῖς δολιχοί τε ποδῶν περιμηκέες αὐλοὶ
Καὶ μάλα λεπταλέοι, καὶ σαρκὶ λελειμμένα κῶλα,
Οἷα ταννκραίροισιν ἀελλοπόδεσσ' ἐλάφοισι.
Καὶ σφυρὸν ἀγκλίνοιτο, θέοι δὲ περίδρομος ὁπλὴ
Ὕψι μάλ' ἐκ γαίης, πυκινή, κεράεσσα, κραταιή.

Ætatis indices dentes a Græcis *γνώμονες* vocantur. Quos postquam excidisse compertum sit, male emi equum Xenophon scripsit. Varro post septimum annum fallacia esse omnia indicia ait, nitescere tamen in senecta dentes equorum. Est & hoc a Veteribus ut annositatis indicium proditum, si contracta armorum pellis sente explicetur, hoc de pelle maxillarum scripsit Aristoteles. Inter colores equorum est rarior ille quidem, ideoque, mea quidem sententia, præclarior, varius, quem lingua Teutonica appellat verbo derivato a strabis oculis, quia apparentes diversi colores visum quasi distorqueant, quemadmodum & vestes binis coloribus intextis strabæ vocantur. Sed hos, maxime equites certarum gentium, non probant, quam tamen ob caussam nihilo sunt deteriores habendi. Cur enim his varii equi non placent? Quia insidiis, latebris, ignorationi sunt contrarii. Quin igitur a fortibus & virtutis amantibus hoc nomine etiam amantur & studiose acquiruntur? Hic quidem color argumento videtur esse naturæ bonæ & constitutæ temperata quadam mistione humorum, de quibus & albi & nigri & fulvi pili extiterint. Ita & elegans fere est horum corpus, si qui autem inter hos excellunt, eos videas tanta venustate & pulcritudine præditos, ut equestre nullum Calamidis signum spectabilius esse potuisse videatur: & in equis certe diversi coloris, macula alba in fronte laudatur, qualis ille Virgilianus, quem etiam varium toto corpore introduci sentio. Tales enim fuisse suspicor Thracios, itemque Parthicos. Neque me fugit etiam ex Veteribus quosdam de hoc colore minus præclare locutos esse: *ψαρῶν* sane haud scio an alia diversi coloris forma fuerit: *λευκοψάρως* certe & Marones, asinos vocarunt improbatos admissuræ. Sed Virgiliani versus de variis, ut mihi videtur, hi sunt:

—— Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi
Alba pedis frontemque ostentans arduus albam.

Sed valeat etiam hoc loco regnetque opinio. Ergo ut alii alius coloris bellus equus videtur, ita nos sive vera ratione, seu persuasione quadam peculiari, varii delectant. Hos præ cæteris, si mihi alendi equi essent, pararem, his uterer, horum ex aspectu ipso voluptatem caperem. Sed revertamur ad institutum.

Cum igitur hoc consecutus fuerit, qui equum curat, sese ut gaudeat equus, ut aspectu ipsius, ut voce, ut palpis delectetur, maximopere illi videndum, ne qua re vehementius equum offendat. Offenduntur autem aliqui facile inter frenandum, sive ipsi respuunt ferrum, aut lora indui vertici moleste ferunt, seu durius & immitius invaduntur. Præterea multi dum ascenduntur, ferociunt, quod quidem sæpe a junioribus fit cupiditate pergendi, præsertim si prope assint alii equi, ad quos ii festinent. Est autem & ascendendi & insternendi equos longe diversa nunc ratio quam apud Veteres fuisse legitur. Nam & de

paulo editioribus locis prehensa juba & librato corpore sine offensa equos ascendere, & in hoc, cum juxta astitissent hastæ innisi, solebant insilire de terra. Nunc ardua loca quæruntur, & dependent de isto sedili, quo insternitur equus, ex ferro dimidiati orbes cum base, cui innitentes conscensionem moliuntur. Itaque de piscis heroibus Germaniæ hæc etiam agilitatis canitur laus, quod armati omnibus adminiculis neglectis in equos insilire consueverint. Introducuntur autem illi omnes equites, de more gentis nostræ: quem vel, quod veri puto esse similius, ignotum Julio Cæsari, vel illis temporibus nondum fuisse de eo liquet, quod ille in quarto libro *Commentariorum suorum belli Gallici* scriptum reliquit, Germanos neque jumentis importatis uti, sed quæ apud ipsos prava atque deformia nata sint. Et turpissimum haberi apud eosdem ephippiorum usum, his enim equestris rei gloriam Germanis plane adimit. Ac mihi perquam commoda videtur esse, & ad firmitatem & mollitudinem sessionis, hæc, quæ nunc usurpatur, insternendi ratio, qualiscunque fuerit Veterum, & cujuscunque modi ἐφίππια seu strata illorum, quorum repertorem fuisse Pelethronium Plinius scripsit. Sed ad ascensionem libenter patiendam, magis bonitate & levitate, quam verberibus & sævitia equus assuefiet. Similiter & in aversando & tergiversando calcaria si subdantur, magis equum perturbant, & terrorem atque perversitatem augent, & illum pavidum reddunt, Jurisconf. enim ita videtur vocare tergiversantes in aversando. Itaque tum placandi maxime & confirmandi, ut veritatem intelligant, & sentiant non esse exhorrescenda illa, quæ refugerint, ita etiam horribilia tandem extimescere desinent. Quæ frena cujusque ori maxime conveniant diligenter exquirendum, convenientia autem non facile mutanda sunt, ea sic inferentur, ne aut angantur buccæ, aut illa in dentibus volvantur. Quorum alterum callos in malis creat, alterum obstat moderationi, nam sic facile morsu freni arripiuntur ab equis, quo facto illi se regi non patiuntur. Ad flexus autem, id est, πλαγιασμοὺς, utrunque in latus, & in gyros, itemque conversionem celerem directi cursus. Est id quidem non vulgaris industriæ equum instituere: sed nisi sit valde nihili pecus, assiduitas & diligentia etiam hæc celeriter assequitur. Loquor autem de equo integro, & cujus vires nulla injuria morbi debilitaverit: nam talium labant crura, neque tuto pedetentim per plana etiam loca ingredientibus his vehare, nedum illos ad cursum concites, & in gyros torqueas aut agas per salebras. Quidam autem tanta sunt oris duritia, ut cum frenos, quemadmodum dicitur, momorderint, frustra in continendo sessor laboret. Hos omnino repudiat Xenophon, præclara sententia: Quod neque mancipiorum, neque militum, qui imperium detrectent, usus esse possit; equum vero refragatorem & contumacem non solum inutilem, sed sæpe etiam numero proditorem esse domini. Jam equus laudatus ocio interdum & quiete perit. Unde dicitur, in stabulis plures quam foris, corrumpi. Nam & strenuior quisque ægre se patitur diutius retineri ad præsepe, & in campum excurrere avet. Tum igitur & recto cursu, & ambagibus & saltu, colliumque aditu & clivorum descensu exercebuntur, modo quidem & scite, non insano quodam & ebrioso impetu. Itaque traditur hoc de Eumene ingenioso rege & forti: cum quodam in castello ab Antigono obsessus non haberet patentia & spaciosa loca, in quibus equi exercerentur, ne stando perpetuo languorem & socordiam, at-

A que etiam vitia, ut fit, contraherent, funibus transversas subter præcordia illorum trabes curasse suspendi, & adduci postea has ita, ut priore parte corporis paululum supra terram equi attollerentur, cui cum insistere laborarent, neque impediti subjecta trabe, attingere possent, ita etiam commoti, omnes vires intendebant, & nitendo toto corpore defatigabantur, ut etiam sudor eliceretur. Sed in hac parte cum præsenti equorum pernicie & celeri interitu peccatur, si defatigatis & motu calescentibus, vel etiam sideris flagrantia incensis pabulum, vel quod multo nocentius est, aquatio permittitur, non enim raro
B statim postquam bibere, moriuntur. Qui autem mortem effugiunt, iis fere in crura morbi venenum incumbit, cujus aliquando vis tanta est, ut ungulas excutiat. Etiam ipso in aere nonnunquam hoc malum contrahunt. Quod nihil aliud esse videtur, quam pestilens quædam sanguinis corruptio, cujus vehementia aut statim necat, aut sic affligit equum, ut pristinam sanitatem, & vigorem antiquum nunquam recuperet. Sed his rebus si consulere vellemus prius, esset ministrorum insania & furor, cum ingenii & naturæ, tum educationis & moris corrigendus atque tol-
C lendus, Nunc in hac ferocia, inhumanitate, barbarie, ebriositate illorum, quid bonæ curationis expectandum sit, non video. Sed ad rem redeamus. Domesticam & intra stabulum curam fidelem & assiduam esse oportet. Xenophon non patere neque accessa illa vult loca esse, in quibus equorum stabula fuerint, duabus maxime de caussis, ne pabula subducantur, neve ignorari possit, utrum equus illa dissipet. Ac sunt certe duo præcipua signa sanitatis equorum, unum intra stabulum si avide & libenter pascatur; alterum foris si os abundet spumis & humore. Aures etiam frigidæ indicant morbum. Omnis autem morbus
D initio non difficulter curatur, quare si quid notatum fuerit eorum, quæ diximus morbos significare, omnia considerabuntur, ut malum deprehendi possit. Sunt autem communia mala, immunditiesoris, aut dentium asperitas & inæqualitas, aut defatigatio, aut vermes, aut quæ Græcis κριθίασις dicitur, a Gaza *hordeatio*, cum pabulum, quod esset hodeum in Græcia, non concoqueretur, & cruditate vexaretur animal. De hac omnia membra fiunt debilia, neque ingredi vult equus, & pascitur humi jacens, idemque accidit de potu intempestivo, sed cum minore periculo. Aristoteles insanabile esse malum pu-
E tat. Item sanguinis exuberantia, qua etiam spiritus læditur. Hanc curarunt quondam pabuli mutatione & exercitiis, nunc sanguinis missione crebriore, quam Veteres non probarunt, malum plenitudinis emendant. Cutis morbi & claudicationis plerunque manifesti sunt, & extant a multis nostræ etiam ætatis & gentis de his omnibus remediorum libri. Claudicatio autem vel talis læsis tumore proditur, vel si clavi interius adacti fuere, ungula pertentata deprehenditur. Sæpe autem cum affiguntur soleæ ferreæ, ut nunc moribus fit, non peritus faber, aut ungula pronior, aut cornu minus solidum, caussa est
F hujus mali. Interdum & interius læditur pes, qua parte Veteres χελιδόνα nominarunt cavum illius, nunc, quod ad soleam cum paratur ungula & ferro adæquatur, forma cuspidis sagittæ effingitur in medio pede, *stralam* vocant sua lingua Teutones. Sed Prisci soleas ungulis affigere non consuevere. Catullus tamen ferreæ soleæ meminit, cum de mula loquitur, & quendam optat in luto veternum & supinum animum relinquere.

Ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

Quod autem ad ungularum curam attinet, his temporibus fimo bubulo maxime solidari illas conservarique credunt: cujus rationem sunt qui apparere negent, sed adjuvari fimo bubulo ungulas compertum putatur; parantur etiam ad has vel conservandas, vel reparandas quoque medicamenta quædam unctionum, quæ certe non solum equi caussa, sed hominis etiam magni fieri merentur, si verum est quod Plinius prodidit, cinerem ungulæ equinæ potum in vino vel etiam aqua prodesse calculosis. Traditum est solidari & crescere ungulam, si teneræ ætatis equis appingantur plumbeæ soleæ, idque ad hoc etiam prodesse putatur, ut assuescant illi gradiendo crura altius attollere. Xenophon primum, stabulum sic se habere vult, ut omnis ab equi pedibus humor defluat, deinde non esse pavimentum lubricum, sed stratum lapidibus, quorum sit ea ferme magnitudo, quæ ungulæ equinæ. Itaque reprobatur nunc etiam a plerisque pavimentum ligneum seu trabium atque axium. Cum autem destringetur equus & detergebitur, optimum fuerit extra stabulum eum educi & alligari laxiore habena, ut quasi solutus & liber astet, insistere autem saxis teretibus, atque ita placide & fricari & sordes repurgari atque etiam flabello excuti conveniet. Tum jubam & pilos verticis atque caudæ humectari & pectine disponi. Ipsum curatorem tum jubere stercora & madida stramenta efferri; quod si cotidie factum fuerit, & equo prodest, & ministrorum dispertitum laborem minuit. Veteres non frenatos, sed capistro circundato ori, produxere equos ad strigilem & pectinem & volutabra. Nunc in omnibus rebus laboris & operæ minimum subire volunt ii, quibus ministeria incumbunt. Sed fricationem ordiri oportebit a vertice, atque ita de summo ad ima & primo ad ultimum pergere. Caput non fricabitur, sed frigida pura respersum detergebitur. Frequenter autem pili, quos maxime crescere voluerimus, madefient; ut jubæ & caudæ, nec non verticis, ut placet Xenophonti, qui nihil officere horum prolixitatem aspectui docet, obstare autem iis, quæ forte in oculos incidere possent. Si madefiant pili sero, admodum crescere existimantur. Serum autem qualecunque illud sit, nihil refert. Contra equum a latere astare quicquid agas & ad operis dexteritatem, & vitandum periculum profuerit. Omninoque cavebit curator, ne aut caput aut caudam versus ad equum accedat. Quare & frenati educentur sic, agitator prope armos ut habenam tenens ingrediatur. Habenam nunc voco lorum, quod de lupis revinci solet liberum, ῥυταγωγία Græci dixere, non frenorum habenas; nam has attrahere alium quam insidentem, reddit equum insolentem, & qui in alteram plerumque partem converti nolit. Diximus autem antea, si equus forte aversando tergiversetur, tum ab iracundia maxime abstinendum esse, nam in illa opinione timoris, quo plura tristia equo offeruntur, eo vehementius perturbatur, & postea facilius terretur, quia illa objecta alieniora exhorrescit, propter quæ se afflictum recordatur. Atque est hoc præceptum optimum: Ne quid omnino ab iratis in equos fiat. Nam ira consilio & prudentia semper destituitur, & plerunque ea designat, quorum est pœnitentia comes. Nostri autem homines nunquam fere nisi furentes adoriuntur equos, tumque scuticæ & furcillæ maxime sunt negociosæ, cum vel ira vel ebrietate insaniunt ministri, ut nisi disciplina hominum melius constituta in hac parte, de bona equorum curatione

A desperandum esse videatur. Nunc cotidie bis aquatum equi solent agi, ut ipsis undis crura & venter madefiat, quorum Xenophon neutrum probat; crura quoque humida reddi oportere non putat, idque nocere dicit ungulis. Sed hoc contra tam receptam consuetudinem & usurpationem omnium asserere nimiæ audaciæ fuerit, præsertim cum & Veteres eluisse sordes tam crurum quam ventris solitos fuisse, & hoc aliquos præcepisse reperiatur, & Homericus equus exultet, εἰωθὼς λούεσθαι εὐῤῥῆος ποτάμοιο.

Ac redeo paulisper ad ascensionem. Ad hanc tam instratum, quam nudum equum assuefieri re- B ctum fuerit, ut placide consistat propter adminiculum, sive hoc saxi seu trunci, sive etiam soli editioris sit. Quod si accedere aut stare nolit, aut vehementius quoque renitatur; tum blandimentis atque compellatione potius mitigabitur, quam minis & increpatione ac plagis compelletur. Si enim tum vapulet aut inclametur, nunquam ascensio grata huic futura est, a qua dum abhorrebit, semper trepidabit aut tumultuabitur ad conspectum ascensoris. Ac prodesse putatur ad conturbatum & sævientem equum placandum, contrectatio & prehensatio. Inter ascendendum cavebitur ne ha- C benæ, quibus equus regitur, attrahantur in alteram partem, atque ubi in equo jam consessum fuerit, opera dabitur, ut exequatæ illæ comprehendantur & teneantur pariter. Illud enim si committatur, & hoc si negligatur, contumaciam oris efficere solet.

De agitatione autem perquam diligenter veteres Græci præcepere, ne minimis quidem eorum, quæ fieri deberent, neglectis, quale est laxandas habenas, si ad saltum aut collem superandum incitetur equus, adducendas vero, si per declivia aut lubrica agatur loca. De equi etiam ipsius figura & habitu equitis ut venustas & pulcritudo, quod D Græce dicitur εὔσχημον & εὐσταλὲς, custodiatur, multa ab illis traduntur, quæ interpretari non est visum. Calcaria quidem, qui sunt μύωπες, non nisi cum opus fuerit subdentur equis: ad reliqua vox aut virgula sufficiet. Nam & acres equi calcaribus ab patientiam quandam ignavam illorum crebritas adigit, ut veluti asini ad plagas perferendas assiduitate durentur. Monet Xenophon fauces equorum molliendas esse; nam hac parte sensum esse nequaquam hebetem plurimum, referre. Obtusum enim os durum sit necesse est, quale cum fuerit jam minus obtemperat moderatori equus; cujus omne est in frenis imperium. Docet autem idem E autor breviter, qua ratione os tenerum & molle conservetur, nempe eadem, qua hominis corpus, id est, fricatione levi, fotu aquæ calidæ, unctione etiam. Fuit & Veteribus in usu, ut ligneo gladiolo perpurgarent cutem equorum, & de pilis sordes atque pulverem excuterent. Itemque texta quædam de corticibus palmæ ut inducerent manibus curatores equorum, quibus pili detersi complanarentur, & splendescerent, σωρακίδα hanc Græci vocarunt. Cauda prolixa & densa pilis præcipuum equi ornamentum est, hujus igitur incrementum studiose procurabitur, vel ea quam F supra retulimus, vel alia quapiam ratione, nam varia hac in parte præcipiuntur. Ex his pilis Prisci confectis cristis galearum superbierunt, cujusmodi & Achilli eximias quasdam Homerus imponit implicitas aureolis cicinnis. Jubam esse concolorem corpori censuere Veteres esse optimum; nunc tamen in fulvis laudatur albicantis comæ quasi canicies, & ii equi magni fiunt & velatuli appellantur. Ea quæ contraria sunt equis, & ingrata, removeri ab illis omni tempore oportet, ut diximus; in primis autem ca-

vendum, ne quid tale de improviso & inopinato illis objiciatur, præsertim si animosiores fuerint, nam sic perturbantur & ad insaniam quodammodo adiguntur. Hoc non servant his temporibus, quibus furiosæ istæ exultationes equorum expetuntur. Itaque & statim cum se in equos collocarunt, habenas attrahunt, & equum extimulatum in circos convertendo agunt, sæpe etiam ad saltum impellunt. Atque audivi ego de quodam, qui, cum delectaretur ferocissimis & acerrimis equis, quoties vellet etiam illorum augere animos, tum soleret adductis loro altius capitibus, & disclusо ore imbrice seu cornu, infundere illis vini, quantum quidem visum esset, quo hausto cum incaluissent sub agitatore illo vesano, ipsi plane furerent. Ergo plerique equitatus studiosi nihil volunt esse placidi neque domiti in equis suis. Sed vinum apud Homerum quoque potus est equorum, quod suis miscere solitam ait Andromacham, Hector diligentius quidem & accuratius, quam sibi, qui ipsius esset maritus. In equis aliqui jacent verius, quam sedent, cum tamen ipsa sessio status habere speciem debeat. Hi equos non solum pondere, sed pigritia sua gravant & debilitant, ut sub illis ingrediantur difficilius, & celerius defatigentur. Atque talibus equitibus tamen, nisi strata sunt pœne plumis, ut nunc fit, efferta, femina facile aduruntur itemque nates. Quod si accidisset, Veteres remedio esse prodidere, illitam spumam equi collectam de ore & inguinibus. Bene quidem cingula strati adduci cum ad alia prodest, tum minus reddit molestum, & grave pondus sessoris, cum strata non quasi volutantur super equi tergo. Cum nihil elegantius equo alacri & exultatione gestiente, contraque lento atque caput demittente tanquam inferendum (ut nostri loquuntur) jugo, nihil deformius esse videatur. Unde & voce ficta de sonitu, qui efficitur pulsu ungularum, & sonipedes dicti, & hæc eleganti versu ingressionis repræsentatio est apud Maronem:

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

Equi minus sedulo cum curantur, non modo quod ad pabulum attinet, sed in tota tractatione reliqua, fiunt strigosi & deformes, Græci ἰσχνὰς vocant, nam attenuantur & contrahunt maciem, & coxæ eminent, & depyges fiunt, non aliter, quam vel manifesto in morbo vel occulto interdum languore. Id non accidit iis equis, qui bene & diligenter curantur, præsertim cum strigile, atque etiam manu sola. Incredibile enim est, quantum & valetudini & venustati equorum conferat hæc cura. Itaque cum in languore extenuarentur equi, imprimis fricatione Veteres usos legimus. Et scripsit præclare Columella, sæpe plus prodesse, pressa manu subegisse terga, quam si largissime cibum præbeas. Quid autem delectari possit equitem rerum omnium in equo tetro atque macie fœdo? aureolas mihi aliquis bullas frenis & ebur addat, atque phaleris exornet equum preciosissimis, si turpis ille sit & male habitus, non scilicet hic decor commendabit, sed magis etiam insignem reddet, ut in mulieribus minus formosis torques & monilia, turpitudinem. Certe equus non iners neque corpore incomposito & bene curatus, & ipse gaudet quodam quasi comtu, & equitem exhilarat. Neque hoc fugit, quem nihil fugit etiam minimarum rerum, Homerum, qui ornamenta equorum, & ipsos reddere conspicuos dicit, & equitibus dignitatem ac laudem adjungere, atque oportere esse, si preciosa sint, Regum, non cujuslibet, illorum insignia: sed versus ascribamus de *Iliados* libro quarto:

Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνη
Μηονὶς ἠὲ Κάειρα, παρήϊον ἔμμεναι ἵππων,
Κεῖται δ' ἐν θαλάμῳ, πολέες δέ μιν ἠρήσαντο,
Ἱππῆες φορέειν· βασιλῆϊ δὲ κεῖται ἄγαλμα
Ἀμφότερον, κόσμος θ' ἵππῳ, ἐλατῆρί τε κῦδος.

Non modo autem aliis partibus equos ornare studuerunt Veteres quasi comtu quodam, sed caput quoque redimire & corollis circundare. Unde non solum χρυσοφάλαροι & ἀργυροφάλαροι fuerunt appellati equi, sed χρυσοστέφανοι etiam. Quo loco subit mirari rationem illorum, qui elegantissimos interdum equos verticis juba præcisa, & truncata cauda, reddunt aspectu fœdos quasi infamiæ quibusdam notis. Etsi videntur non sine caussa majores hoc nostri factitasse, itaque illi postea alligata quasi phenace pilorum studuerunt ademtum mutilatione decorem reparare. Quid autem ut naturalem non retinerent, ac defenderent potius caussæ fuisse suspicabimur? Equidem existimo primum factum hoc fuisse ab aliquo, cujus equum strenuum & bonum vitiata scabiosa impetigine cauda deformaret, postea in quovis pilorum defluvio id usurpari cœptum, in ignoratione scilicet remediorum hujus mali: dum novitate, ut fit, res commendari, & placere insolentia sua cœpit. Jam vero etiam audivi, quod haud scio an falsum sit, animosiores reddi mutilatione equos. Sed omnino barbarum hoc & corrigendum videtur, præsertim cum eripiatur hæc contra muscas necessaria illis flabelli defensio, præciso caudæ verbere, Græci σόβην vocarunt. Alcibiadem quidem memoria proditum est, cum canem emisset ingenti pecunia, quippe precium fuisse illius tradunt sestertium XXVIII. millia, id est, coronatos septingentos, huic igitur Alcibiadem curasse caudam præcidi accepimus, ut hæc deformitas in omnium oculos atque etiam sermones incurreret; nimirum quod talem loquendi de se occasionem civibus dari vellet, interea alia in facta sua minus ut inquirerent. At istos, qui pulcerrimis bestiis sine caussa decorem præsidiumque naturæ ipsius detrahunt, quid nisi furere & insanire dicemus? Jam etiam aliqui verticis jubam implectunt, ut in fronte tanquam virgunculæ crinis filo discolore implicata dependeat. Quo si putant equum speciosiorem reddi, fruantur sane opinionis blandimento: sin consuli prospectui, redarguuntur a Xenophonte, qui hos pilos visui nihil officere, ut diximus, demonstrat. Sed cum supra dictum sit, sparsim quidem ut omnia, de pabulo, omnino sentiendum hac cura neglecta, futurum, ut & generosissimus equus pereat ac corrumpatur, & mediocris prorsus inutilis fiat. Contra futiles sæpe illa ipsa cura exquisita & assiduo respectu, ad non spernendum usum, mediocres autem ad præstantiam quoque nonnunquam perducuntur. Quod & ipsum sapientissimum genus hominum, Poetæ veteres indicarunt, cum Neptuni progeniem, Arionem, vel nescio quem alium, fecere de Cerere: quo quis non videt significare illos voluisse, de bono pastu equos ad divinitatem propemodum quandam evadere solere. Neptunum quidem satis constat, inter alia habuisse apud Veteres Equestris quoque cognomentum, ut Ἵππιος diceretur. Cujus appellationis caussam non desunt, qui ad celeritatem hujus animantis & agilitatem, referant, quæ fluctuum sit marinorum maxima. Sed mihi verisimilius fit, Neptunum rei equestris fuisse repertorem, ut vini Bacchum, oleæ Minervam, aliarumque rerum alios vel deos, vel divinos potius homines. Ideoque & Homerus in controversia victoriæ curulis, introducit Menelaum deferentem jusjurandum Antilocho sic, illum ut testari jubeat Neptunum, his versibus:

Ἵππων ἁψάμενος γαιήοχον ἐννοσίγαιον
Ὀμνυθι μηδὲν ἑκὼν τὸ ἐμὸν δόλῳ ἅρμα πεδῆσαι.

Et Pamphon antiquiſſimum Poetam, qui primos hymnos Athenienſibus compoſuiſſe fertur, feciſſe & talem verſum ajunt de Neptuno:

Ἵππων τε δωτῆρα νεῶν τ᾽ ἰθυκρηδεμνάων;

Quo ſcilicet idem deus perhibeatur & marinæ & terreſtris vecturæ inventor. De aquatione & volutabris nonnihil ſupra quoque dictum eſt. Atque ego in ea ſum opinione in hieme crebro equos mergi non oportere. Omnino autem nunquam adhuc æſtuantes & ſudantes. Aquari quidem non debent prorſus in ſuſpicione vitii morbive, neque cum medicari illos voluerimus, ſive pharmacis, ſeu manu. Xenophon alvum, & tenuioris pili aut glabra loca ſæpe emundari non putat bonum eſſe, cujus quidem rationi & nos aſſentimur; ſic tamen ne penis quaſi utriculus, quem Græci vocarunt χώρυκον & θυλάκην, negligatur, quem repurgari ſedulo oportet: nam illo ſordibus referto, accidit plerunque difficulter ut mingat equus. Atque non malis equis frequenter infeſtus eſſe hic morbus conſuevit δυσουρίας, ut Græci nominant. Succurritur his, ſi aut ea in loca deducantur, quæ madent adhuc aliorum equorum recenti urina, aut in cœnum demittantur, aut etiam penis molliter fricetur, aut viva muſca in illius canaliculum immittatur; nam invitari ad victum hos ſibilis & ſonis quibuſdam oris, notum eſt. Sed ſi hæc non profuerint, ſuadent ungulæ ramenta teri & in vino infundi equo, aut intectum equum a cervice uſque ad coxam ſuffire juniperi baccis, aut croco, aut caſtorio. Remedium quoque quod magis in promtu ſit demonſtratur non ſpernendum, ut contuſa capita allii cum vino & modico ſale ita intrudantur in anum equi laborantis. Contra hoc malum ne accidat providendum, ne, hieme præſertim, in frigidam demittatur equus, maxime de itinere feſsus, priuſquam urinam fecerit. Hoc quidem nugatorium, quod a Græcis traditur, ſi difficulter mejere, urinamque quaſi guttatim exprimere ſoleat equus, tum cimicem imponendum in aurem dextram quidem fœminæ, lævam autem maris, futurumque ut malum ceſset. Ac quanquam veterinariam vel non omnino vel parciſſime attingere ſtatueram, tamen hoc loco communium morborum meminiſse, & remedia commemorare paucula volui, ratus non ingratum hoc legentibus neque alienum ab argumento ſuſcepto futurum eſse. Equi interdum peſtilente humorum corruptione laborant, vel cum agitantur ita, ut in labore & fatigatione deficiantur viribus, inprimis ſi contra ventum incitentur, vel de æſtu & ſidere, etiam nonnunquam de frigore & diuturniore inedia. Nec non ſi poſt longiorem quietem repente fatigentur. Aut niſi ſuo tempore urinam ejecerint, potiſſimum autem, ſi vel in ſudore, vel de vehementiore agitatione aquentur. Sæpenumero etiam aquæ ipſæ vitioſæ, interdum & contagia quædam illos inficiunt. Hoc malum, quo equus fuerit generoſior, eo citius eum extinguere ſolet, niſi celeriter ſuccurratur. Vix autem unquam priſtina ſtrenuitas in talibus recuperatur. Fit etiam, ut expulſo veneno vel naturæ robore, vel medicamentis ad extimas corporis partes, ungula delabatur de pedibus hoc morbo correptorum. Contra hoc malum nota multa ſunt remedia, quædam etiam obſcœna. Sed ſanguinem mitti, ſi vires ferant, omnino optimum & præſentiſſimum. Veteres pulveres duos valde probarunt, quorum cocleare unum laboranti equo infunderetur. Horum unus teritur de radice gentianæ & A ariſtolochiæ longæ, baccis lauri, myrrhæ, eboris ſcobe, his omnibus æquali pondere inter ſe miſtis ac comminutis. Alter de pullo ciconiæ, plumato quidem illo, ſed nondum volucri. Hic imponetur in ollam vivus, & hac diligenter contecta, in furno toſtus cinefiet, & pulviſculi aſservabuntur in vitreo vaſculo, unde ad ſupra ſcriptum uſum promantur. In quo quidem loco ſues ſtabulabunt, eodem equos nequaquam deducemus, neque prope conſiſtere patiemur: inimica enim omnia ſuilla equino generi, grunnitus, fœtor, halitus, diſcernente hac etiam in parte natura ipſa generoſiſſimam ab ignaviſſima beſtiam. Removebuntur & B aves domeſticæ atque altiles a præſepibus equorum, quæ propter reliquias pabuli ſectari ſolent, quæ tum in his non ſolum pinnulas excutiunt, ſed etiam ſtercora dejiciunt, atque illæ cum gutturis, hæc cum alvi periculo ab equis deglutiuntur. Fit aliquando ut muſtella jumentum morſu ſauciet, cujus dentes inficiunt animal & moritur niſi ſubveniatur. Remedio eſt, ſi vulnus oleo perungatur, in quo muſtela ſuffocata computruerit, expreſso validiuſcule per linteolum. Fricatur & locus ſaucius arida pelle muſtelæ, ut incaleſcat, & datur jumento ἀντίδοτος θηριακή. Græci etiam μυγαλῆν vocant, ac Latini murem araneum; cujus C in utero ferentis dentes, ſi jumentum læſerint, raro non ſit lætiferum vulnus. Eſt beſtiola a Græcis appellata σταφυλῖνος, herbæ nomine, vel quam ſectatur, vel cui color ſimilis eſt, ideo paſtinacam interpretantur, Franci *Gebam* vocant, hæc cum fœno ſæpe equis objicitur, atque illi mandentes fœtorem, qui teterrimus eſt, ſtatim ſentiunt & pabulum reſpuunt, ſed virus adeo acre eſt, ut quaſi viperino tabo inficiat. Itaque tumores tum exiſtunt, & laboratur perículoſe. Nunc fere theriaca antidoto & ad hoc malum utuntur, Veterum cura fuit exquiſitior. Prodeſt autem foveri equum tam D integumentis quam ſuffitu, ne poros frigus claudat.

Vermes mirifice & affligunt & lædunt equos, neque ſunt unius generis, alii enim grandiores in alvo naſcuntur, atque his liberari equos difficile, alii albi in ano adhæreſcere videntur, hoc eximes & inſperges cinerem de foco. Sed ad vermes generalis medicina, infundere calchanti boni non rubicundi cocleare unum, in decocto abſinthii, aliqui abſinthite utuntur. Prodeſt & ceparum, aut lumbricorum terreſtrium pondus denarii unius tritorum in aceti hemina, quæ infundatur naribus E equi. Oculi varie læduntur, ſed caligine & nebulis frequenter claritatem reſtituere putant, cinerem medullæ de caule urticæ cum modico ſalis cinere, & æquali ſpinarum piſcium, hunc in oculum efflari oportet. Putant & medullam de cruribus caprinis exemtam recentibus & incoctis, cum trochiſcis roſeolis, quorum eſt confectio: Capies pulveris roſarum aridarum lib. I. Junci odorati pondus denarium VII. Myrrhæ P. den. III. S. Croci P. D. II. S. & finges trochiſcos. De his trochiſcis ſive globulis capietur tantum, ut medulla retineat liquiditatem quandam, & inungetur oculus caliginoſus. Quod ſi etiam poſtulæ appareant, aut rube- F do oculorum, proderit idem medicamentum, vel medulla cervi cum croco pondere denarii, ſimiliter miſta ut liquiditas retineatur. Ad caligines remedio eſſe putantur ſputa ſalis in ore jejuni liquefacti; aut pulviſculi de corio veteri toſto in furno & cinefacto. Hoc malum cum metuitur (ut fere in glaucis) aut etiam cum exiſtere cœpit, tam avertere quam curare traditur ope præſentiſſima, Xanthii radix, quæ lappa eſt majuſcula, floribus purpureis, foliis latis, caule altiore, conciſa & data in pabulo tertio quartove quoque die. Ad tuſ-

sim recentem dari putant utiliter pisorum lentiumve aut etiam fabarum lomentum. Aliqui non solum gravior anhelitus si sit, sed ad omness viscerum & interaneorum morbos prodesse volunt, sulfuris vivi pulveres infusos cum passo. Qui etiam acrius reddunt hoc medicamentum liquefacto sulfure ad ignem, & ita postea trito & admisto pabulo, pondere denarium trium at quatuor. Sed hoc ut egregie curari omnia equorum latentia mala affirmant in successu, ita contrariam fortunam equo esse statim lethalem ajunt. Quare, nisi necessitate urgente, ab hoc scilicet abstinebimus. Equi rabiosi quoque fiunt variis de caussis, ut ab æstu, a pabulo non idoneo, a cerebri inflammatione, a bilis in venas exudatione. Nam fel hoc animal non habet ut reliqua, quibus sub epate bilis vesica suspenditur: sed hic humor quodam conceptaculo laxiore in alvo, ut aliqui tradidere, fluitat. Aristoteles quidem scribit equos, mulos, asinos, cervos, capras, apros, camelos, delphinos felle carere. Idque ipsum etiam de illo Plinius transtulit. Sed rabiosi equi significant morbum morsu præsepis, suique etiam corporis. Impetus cupiditate faciendi tam in homines, quam equos alios. Aurium crebriore motu. Flagrantia & rigore oculorum. Spumæ ejectione. His igitur venas statim incidere oportet, qui si castrentur, resipiscere subito perhibentur. Prodesse putatur si suffraginum femora cadente ferro adurantur, & pars usta perungatur axungia, & postquam aliquantisper manaverit sanies, tunc jubent inspergi æruginem. Incipiente autem furere equo, nihil prius faciendum, quam ut caput obvolvatur, ut & aurium sensus hebescat, & oculorum adimatur usus. Tormina sæpe male habent equos, ea accidere putantur in grandiore intestino, quod Græci *μονέντερον* & *κόλον* vocant, quia altera parte sui liberum quasi volvatur in ventre sine meatu, ideoque tam hominibus quam brutis in cursu & incitatione ibi sonitus editur, qui est equorum clarus & magnus. Sunt qui *κόλον* ab hoc distinguant & *μονέντερον* vocent *τυφλὸν* subjiciantque colo. Torminosis igitur equis prodest sanguinis detractio, venis suffraginum incisis. Itemque applicare ventri sacculos cum avena, aut milio, aut, quod efficacius putatur, sale, tam calidos quam poterit manus sustinere. Valde prodest & infusum vinum calidum. Et si pasci velint, chamæcissi herba quam & digitis tritam tum in nares inseri utile est. In poplitibus sæpe oritur impetigo, quam percurari non putant bonum esse, quod humor desidere soleat in pedis corollam, sic enim Græci nominant commissu ram ungulæ cum pede, atque ibidem quasi vesicula tum enasci, quam Teutones *felleam*, a similitudine conceptaculi bilis nominarunt; illam autem poplitum impetiginem erucas. Hæ sæpenumero duriores quasi crustas habent, & equus tum claudicat, quare leniri oportebit. Commune autem remedium mane jejuni hominis salivam illinere, vel potius commanducatam nucem juglandem, medulla etiam bubula valde utiliter perungi illa ulcera putantur. Si autem in hoc vel alio exulcerato loco quopiam pili forte implicentur, fit malum deterius, itaque psilothro eximentur illi, ut exempli gratia tali. Capiantur calcis *ἀσβέςου* quam vivam dicimus, partes tres, Lythargyri partes duæ, & terantur accurate, coquanturque in aceto in perpetua commistione & agitatione. Vel validius ita fiat: Ad ternas partes calcis vivæ addatur arsenici pars una, coquanturque in aqua diligenter trita, ut supra dictum est. Satis coctum esse medicamentum intelligetur, si pinna immersa deplumetur. Hoc igitur decoctum calidum loco depilando apponemus. In caudæ flabello sæpe surfures pilos exedunt. Tum elui locum oportebit urina puerili, & vino calido foveri, mox decoctum malvæ cum succo radicis altheæ miscebimus vino dulci & oleo, atque locum vitiatum perungemus. Est autem altheæ radix præsens remedium contra defluvia, & tenuitatem pilorum, tam in hominibus quam brutis.

Quibusdam equis sua sponte venæ rumpuntur, & exudat humor superfluus, iis incidi illæ non debebunt. Aliis sanis quoque sed nimium plenis, quod vel de corpulentia, vel de attritus cupiditate, rictuque dentium & capitis jactatione animadverti solet: his ergo sanguis detrahetur, ut Veteribus placuit de palato potissimum, sed de collo etiam minui nihil nocuerit, præsertim in consuetudine, ut sæpe accidit. Sine caussa nunquam certe venas incidi equis nostris patiemur. Corpus optimum & fartum, quamvis morbo laborare non dicatur, equum tamen lædit, & medicationem requirit. Castratis sanguinem minui oportere negant. Venæ autem diei hora secunda, verno, autumnalique maxime tempore incidentur, sed & brumali, atque alio quolibet, modo non nimis calido neque æstuante. Sunt inter medicamenta equorum & fuerunt semper ac ubique, incantationes quoque verborum & gestus magici. Quibus constat mirabiles res effici. In aurem aliquid murmurari, ad vulnus consecrari, & similia fieri solere scimus, quæ eventus habent incredibiles. Scio ego quodam loco fuisse fabrum ex eorum genere qui ferramenta excudunt. Hic postulabat non multo, sed aliquanto tamen plus quam cæteris penderetur pro novis equorum soleis. Hoc autem promittebat, duraturas illas mensem integrum. Cumque cœpisset appingere, nullum clavum retrahebat, sed incussos omnes ita offirmabat, nihil curans etiamsi pede fauciato sanguis erumperet, sed opere peracto, aliquid immurmurabat, & figuras quasdam designabat manu, atque equum abduci jubebat. Neque quisquam unquam questus est de ullo equi sui, quamvis afflicti, vitio. Possem similia multa commemorare, sed hæc qualia sint, in præsentia exquiri non oportet. Nihil quidem in his veritatis esse certum est. Ut non modo religionis sanctitate damnari necesse sit, sed a gravi etiam & forti viro neutiquam usurpari deceat: quod autem plerique ajunt, dum prosit aliquid, prosit quidlibet, id & perperam & minime prudenter dicitur. Sed de his alius erit locus plura differendi & disputandi copiosius.

Veteres homines diligentes & periti ad conservandam bonam equorum valetudinem purgationibus etiam sunt usi, cum aliis, tum farraginis, pro qua nobis esse potuerunt pratensia gramina. Deque hac re atque ratione meam deinceps nunc sententiam exponam. Veris tempore in omnium animantum corporibus ii humores, qui vitam alunt atque conservant, abundare incipiunt: illo igitur tempore aperta omnia in corpore esse, & meatus patere debent: nam in obstructionibus & angustiis perceleriter vel in præsentia morbus, vel in posterum vitium contrahitur. Ergo tum cibi proderunt nequaquam aridi neque solidi, sed molles atque teneri. Hanc ob caussam videtur ad valetudinem tuendam optimum esse, equus ut in prata boni & succo pleni graminis deducatur, atque ibi pascatur pro voluntate sua: nam satiari vel etiam repleri illum non oberit. Si aliquid impedimento forte sit, quo minus in prata deduci equus noster recte possit, afferenda gramina defecta, qualia diximus, curabuntur, & ante illum humi in corbe ampliuscula apponentur, & hic cibus præbebitur, si ita videatur, nam tempus non ausim præfinire, a Calendis Maii usque in Nonas,

atque præbebitur ſolus interdiu. Veſperi autem avenæ vel hordei non multum dabitur, ut verbi cauſſa conſueti pabuli pars quinta, atque huic ſal inſpergetur, vel proponetur hoc equo ut lingat. Interea ſæpius ſternutationum fremitus excitabimus, quod Veteres utiliter fieri cenſuere, indito naribus hoc pulviſculo. Capiuntur pondera æqualia, piperis, pulegii, origani, amaraci, ireos, coſti, malabathri, radicis gnidii. Per calamum autem inflari juſſerunt. Nos illa exotica, ſi uti pulviſculo velimus, vel omittere, vel mutare, ut opinor, roremarino, nardo, ſalvia, recte poterimus, de quo cujuſque ſuum eſto judicium. Poſtea alios dies ſex paſcetur gramine defecto neque viridi neque arido adhuc, ſed fœno quodam vireſcente; & pabulum integrum apponetur: his peractis ſanguis minuetur, & quidem largius, atque ita reſumetur uſitata cura atque tractatio. Hoc, ut ratio mea fert, & vigorem equi augebit, & corpus reddet plenius atque nitidius, non tumore quodam carnis, ſed robore. Idemque ſanitatem præſtabit tutam atque defenſam, neque patietur levi momento affligi. Semper autem eſt melius occurrere malo morborum, atque illud avertere, quam acceptum quantumvis feliciter curare ac tollere. Sed quamdiu in gramine detinebitur equus, accurate eum oportebit a frigore defendi. Ideoque niſi ſereno cœlo in prata non educetur, & noctu ſtragulis atque tegetibus operietur.

Nunc revertamur in ſtabulum. Atque ita ordine curam & tractationem equorum qualis maxime his temporibus, & in Germania eſſe debere exiſtimatur, breviter exequamur. Mane igitur hora ſexta in ſtabulo equo pabulum præbebitur niſi aliqua res & uſus equi ſuaſerit accelerare paſtum. Nam multa poſſunt incidere, quæ ordinem turbent. Pabulum vero avenæ apud nos dari ſolet. Etſi nonnunquam hordeum apponunt, idque exiſtimo ſi fieret crebrius, futurum cum equorum bono, nam alit magis hordeum, & eſt minus crudum, id eſt, ἄπεπτον, & ſanguinem gignit tenuiorem. Sed tum mane avenæ ſeu hordei pabulum dabitur; qua menſura quidem non poteſt certo præfiniri: nam æqualem non omnes expetunt, communis tamen videtur quatuor chœnicum, ſive ſemodii, id eſt, quantum ferme ſexies cavis ambabus manibus comprehendi poterit. Tantum quidem fere apponere ſolent, ſed largius parciuſve, hos vel illos equos paſcere oportebit. Qui quidem non multum defatigantur & quieſcunt, aut raro agitantur, illis plenum pabulum nequaquam dabitur, neque merum, ſed cum minuetur, tum miſcebitur paleis, aut quod magis laudatur, confectis culmis frugum. Accidit autem his fere, ut anhelitus difficultate laborent, tum igitur admiſcebuntur herbæ calidæ naturæ ad diſcutiendos humores lentos & tenaces, ut artemiſia & origanum. Hædera autem terreſtris ad omnes morbos & languores faſtidia præſertim equorum præſens remedium habetur, quæ non ſolum ab illis mandatur, ſed etiam trita inſeratur naribus ut ſternutatio provocetur. Sed ad difficultatem ſpirandi laudatur & cicoreæ radix & gentianæ. Laudatur & ſulphur cujus uſus tamen periculo non videtur carere. Quidam erinacei vivi cum ſpinis exuſti pulveres datos in pabulo ſtatim corrigere hoc vitium affirmant. Sed hæc jam ad veterinarios ſive κτηνιάτρυς pertinent.

Mane fœnum objici non oportebit, ſed poſt datum & conſumtum pabulum hora tertia manipulus unus fœni objicietur, quod equus ubi confecerit, aquabitur, id tempus incidet in horam circiter nonam. Tum iterum manipulus fœni

A objicietur, & poſt horas tres, id eſt, circiter duodecimam pabulum præbebitur meridianum ſimile matutino. Poſtea hora ſecunda aut tertia manipulus fœni objiciatur, & mox deinde bibendi copia fiat equo. Tandem veſpertinum apponatur pabulum paulo copioſius, præſertim hieme, & una objiciatur manipulus unus, aut alter fœni. Priuſquam autem pabulum proferri ſentiat equus, efferatur aqua pura, & admoveatur equo, ſi forte ſitiat & potum deſideret. Veteres, id quod Xenophon innuere videtur, bis tantum die uno pavere equos ſuos. Sed nobis de horum temporum & noſtræ maxime gentis conſuetudine & obſervatione, curationem & tractationem equorum perſcribere pro-
B poſitum.

Ante aquationes ſemper deſtringi equum & pecti jubam oportebit. Id debebat fieri extra equi cellam in loco patente, ut ſunt atria & veſtibula, ita enim & excuti pulveres, & ſordes eximi, & omnia, quæ aſſolent rite geri poſſent. Sed famulorum ignavia plerunque laborem fugit, & ſupra ſtramenta equum aſtantem ad præſepe deſtringit, deterget, fricat, pectit, ſi tamen hoc ab illis fit, ac non potius magna ex parte ſive etiam totum negligitur, quod admodum equi vitiantur. Quin etiam videas ſegnes iſtos & nihili curatores plerunque
C importatam aquam, ſi prope ſit unde petant, offerre equis, neque illos foras educere ad aquationes, quod valde culpandum eſt. Veſperi etiam maxime, ſed & aliis temporibus, ungulæ emundabuntur, ad quem uſum diligentiores ferreum uncinum habent, quo ſub ſolea abditas arenas & lutum proruunt, tum deinde fimus bubulus maxime, aut ſi hic deſit, equi, in cavam ungulam inculcabitur, applicato ſtramento, quo minus cito excidat. Placet hoc quibuſdam fieri maxime alternis diebus, quidam non dubitant ſingulis jubere. Quidam malunt pluribus intermitti: neque deſunt qui hanc
D curam ut ſupervacaneam, aut etiam inutilem plane negligant; qui tamen conſenſu pene omnium redarguuntur. Contra aliqui non ſolum probant & obſervant, ſed ſevo etiam aut arvina illas crebro perungi volunt. Omnibus peractis tum manipulo ſtramenti puri & aridi detergebitur equus, ita ut manus ſequatur pilorum ſitum; hoc enim nitidos illos reddere ſolet. Si inductæ novæ ſoleæ fuerint, aut veteres novis claviculis firmatæ, aliquantiſper equum quieſcere patiemur; ne poſt recentem moleſtiam alia mox illi objiciatur.

In æſtate ſub caudam ſubrepere ſolent muſcæ, itemque ſub ventrem ad inguina, quas maxime ve-
E ſperi, ſed interdiu quoque curator eximet, ut requieſcere equus poſſit. Sæpe attrectare equos & illis abblandiri cum voce tum manu, manſuetos facit. Maximopere autem cavendum, id quod nunc multum frequenterque fieri videmus, ne in equum quacunque de cauſſa in ſtabulo & ad præſepe ſæviatur. Hoc enim ut taceam, quod metu & fugæ cupiditate ad illas lintres præſepium adiguntur, quibus inflictos armos ſæpenumero rumpunt, & fiunt inutiles equiti, ſed ut tantum detrimenti non fiat, hoc certe incommodi & mali affertur: quod equus aut tre-
F pidatione & formidine, aut immanitate & furore completur. Itaque animadvertas quoſdam palpitantibus membris in metu ſine evidente cauſſa ad præſepe quaſi plagas vitaturos non poſſe conſiſtere. Alios omni vi & impetu efferri atque irritari, tanquam a ſe depulſuros contraria & violenta. Ideo autem fit, quia ſenſere ad ſe aliquem accedere, & expectant ſcilicet malum, quod ſæpe pertulerunt. Quotieſcunque intra ſtabulum & ad præſepe equus curabitur, ſtramenta etiam furcillis cum excutientur, tum componentur, & immunda omnia averrentur, hoc non ſolum aſpectu eſt jucun-

jucundum, & curatorum diligentiam studiumque mundiciæ commendat, sed etiam valetudinem equorum bonam conservat atque auget, propter fœtoris & sordium remotionem, quibus cum anhelitus equorum facile vitiatur, tum squalida omnia aerem inficiunt, ut majus etiam malum metuendum sit. Quare qui diligenter & accurate tractari equos student, hoc vident non minus ut equilia stabula niteant, neque secus, ut suo quicque loco repositum, omniaque versa & prætersa sint, quam in conclavibus & tricliniis suis, ne quis cum forte ingressus sit absentibus equis, non equos ibi curari, sed sues pasci existimet.

Atque hoc loco, quod valere tenerique per omnia debeat, præceptum optimum & utilissimum subjiciemus, nunquam dominus ut curatori ministeriisque suis nimium confidat, quin ipse quoque aspicere crebro ad operas illorum velit. Sæpe cum pabulum dabitur, cum aquabuntur, destringentur, instruentur, ipse assit. Cogitet dictum esse Catonis præclarum, & salutare ad domesticam disciplinam, frons occipitio prior. Permulta enim alienos fugiunt, ut ille sub stramentis cervus absconditus, de quo Æsopica fabula extat, quæ domini, & quorum res propria agitur, animadvertunt. Ut igitur in re rustica rectissime præcipitur, ne quis de coloni plus cura, quam de sua ex agro rediturum speret, ita nunquam credet dominus diligentius & melius curatum iri equos suos a ministris, quam a se ipso. Et præclarissime hoc dictum est, *ὅτι δεσπότου ὀφθαλμὸς μάλιστα τὸν ἵππον πιαίνει*, quod Aristoteles retulit *Oeconomicis*. Sed stramenta, de quibus cœperamus dicere, ad nocturnam quietem, itidemque hieme, quam æstate pleniora suggerentur. Nam & noctu recubat diutissime equus, & non minus calore offenditur atque læditur, quam frigore. Sed contra utrunque præcipua est stabuli defensio, si ita est extructum, ut cellæ vinariæ esse debent, hieme ut tepidum, æstate gelidum ut sit. Sin aliter, arte & ratione tam calor quam frigus repelletur. Itaque cum erit intensius frigus, ut interdum brumale, tegetem circundabimus pectori maxime, & alvo equorum. Tractationes nocturnæ cautæ fient illatis luminibus. Itaque & laudantur stabula lapidea, & concamerata, stramen enim & fœnum flammam celeriter & concipit & auget. Atque memini quendam hospitem olim nostrum humanissimum & liberalissimum, hoc unum noluisse permittere; neque mihi neque ulli alteri vel suorum vel externorum, in stabulum ut lumina inferremus. Hoc, mihi ignotum insperatum, in caussa fuit, ut prima nocte equus in tenebris curandus esset. Atque is nobis excusans illud unum, quo voluntati nostræ se adversaturum esse diceret: *Non metuo*, inquit, *a vestris peccatis & negligentia, sed a fortunæ aliquo casu tristiore*. Simul monens nos plerosque juvenes senex optimus & prudentissimus, non oportere esse in summa etiam attentione nimis securos homines, simul perquam civiliter innuens, se non arbitrari committendos nobis noctu in stabulo ignes, qui pro gentis illius more, & instituto quoque hospitis, & arbitrio nostro, totos dies hilariuscule inter pocula fuissemus. Sed hoc fieri nequit, ut curatori interdicatur, ne unquam in stabulum lumen intulisse velit. Id autem præcipiendum est, ut vel in laterna inferat, vel illatum in candelabro reponat, quod debebit esse ferreum subjecta latiore lamina, in quam scintillæ omnes incidant, eo alicubi loci suspensum aut affixum, unde longissime stramina & fœnum & materia alia ignium absit.

Nonnulli equi stramenta prioribus pedibus dis-
A sipant, his scilicet sæpiuscule componentur, quid enim aliud fieri contra hoc possit non video. Aliqui post absumtum pabulum stramenta carpunt, ne sordida quidem respuentes, quod putatur anhelitum lædere, quamvis quibusdam hoc non nocere, quibusdam etiam prodesse videatur. Quod mihi quidem nemo facile persuaserit, quo minus temere hoc referentibus assentiemur. Ergo qui stramenta carpent, iis capistrum inducetur comeso pabulo, hoc animam non impediet, & stramenti pastum prohibebit. Id quidem facile, qui cogitabit, verum reperiet, quo vel pabulum vel potus purior atque sincerior fuerit, eo meliorem
B habendum. Quapropter de avena & pulveres excutiendi & sordes etiam eximendæ sunt, præsepeque diligenter extergendum, ut in repurgatum imponatur pabulum. Itidemque fœnum nunquam objicietur equo ita, ut de fœnili est detractum, sed prius intra manus versabitur, ut pulveres & sordes excidant, atque ita purum dabitur equis. Aqua autem nunquam offeretur equo, quæ in vase aliquantisper retenta squaleat, aut in quam illo aperto aliquid decidisset incubuisseve pulveris seu quisquiliarum possit, semperque in stabulum importabitur, quandocunque hoc fieri opor-
C tebit, & offeretur equo recens. Etsi non desunt, qui stagna turbidiora optimas ac saluberrimas aquationes suppeditare existiment, cujus rationem ipsi reddiderint, hoc certe videmus plerosque equos fastidire tales aquas, neque velle bibere quamvis sitientes. Etsi vir peritissimus Aristoteles scribit camelos & equos crassiore & turbidiore potu gaudere, neque de flumine nisi prius pedibus turbato, bibere. Ipse quidem potus largior reddit nitidiora jumenta. Pabulum madefacere, quamvis plerique improbent, ratione tamen, ut interdum hoc fiat, carere non videtur. Sicut neque hoc, ut frustum panis nonnunquam præbeatur equo
D cum sale. Nam est pabuli magna ariditas, de qua, ut equus siccitate laboret, facile acciderit. Sed fastidiosos hæc equos reddere putant. Id quod, si vero modo & hæc & alia omnia administrentur, non videtur pertimescendum. Itaque neque ab hoc censeo abhorrendum, quod quidam simili de caussa vitant, ut vino calido aut fæce post intervalla certa temporis colluantur crura equorum. Nam nervis hoc prodesse constat.

Quotiescunque de agitatione reductus in stabulum & inductus in suam cellulam fuerit equus, tum curator detergeat totum quidem corpus stra-
E mento arido, diligentissime vero pedes & alvum. Ungulas interius quoque repurgabit, & utrum recte atque commode præferratæ sint considerabit. Detergebit autem sudores atque humiditatem omnem cum magna cura. Strata sudantibus & defatigatis non statim auferet, sed sub illis patietur refrigerari & recipere vires equos. Nihil unquam neque cibi objiciet, neque offeret potus, ferventibus & anhelantibus atque fessis, sed dum quasi spiritum recipiant, pabulationem aquationemque differet, atque interea quidvis potius usurpabit curationis. Nam qui sedulus & fidelis erit, semper inveniet, quod equo benefacere
F quoquo tempore recte possit.

Cum frenandus & insternendus erit equus, tum detersus esto & nitidus atque pexus. Frenetur autem sic, ut minime offendatur, ita libentius frenos admittet, quos vidi qui initio sale conspergerent, quod cum lingeret equus & simul manderet frena illa pati assuefieret. Quidam comprimentibus equis dentes neque recipere frena intra os volentibus ferro labra & gingivas urgent, quod etsi in præsentia, nisi sint ferociores, facit ut admittant frenum, odium tamen il-

lius perpetuum excitat, quare melior est ratio Xenophontis, digitis premere labrum, non enim in hoc tantus sensus doloris, vel dolor potius nullus omnino inest. Frenantur autem hoc modo. Habenæ, quibus equus regitur, obducuntur ob equi verticem & deponuntur ad imam jubam seu scapulas, vel si quis hoc mavult armos, aut spinam. Tum sinistra teneat ferrum freni sive lupos, & dextra subter collum equi sensim circumacta verticale lorum una cum reliquo frenorum loreo quasi reticulo applicet atque circundet capiti, & quæ connectenda fuerint connectito, & catenulam, qua nunc maxillæ revinciuntur, infibulato, atque ita instructus equus ductorio loro, si consistere ad B præsepe diutius debeat, religator superne de furcillis seu clatris, in quas equis fœnum nostris moribus objicitur, ut fœniles dicere posse videamur. Sed melius fuerit extra suam cellam productum equum in loco aperto & libero, ubi atterere latera nequeat, neque etiam attingere, quod ore impetat, revincire, ut ibi consistat tantisper dum ascendatur. Atque hæc erit frenationis fere ratio & administratio.

Strata autem placide apponentur ita, ut curator ad latus sinistrum accedat, & stratum sine impetu & tumultuatione, quam molliter poterit fieri, super dorso equi deponat, ut illius veluti C capulus supra spinam, qua parte cervix exoritur, sistatur: omnia autem, quæ expedita esse debent, cavebit, ne subter stratum dorso equi impingantur, ut sunt cingula & illa sessionis adminicula,& lorum pectoris sive armorum, nec non reticula illa lumborum, si annexa forte sibi stratum habeat. Tum deinde primum omnium annectetur lorum pectoris, & per illa reticula, si assint, cauda exeretur, ut fieri consuevit, atque ita strati diligenter compositi vinculum adducemus & infibulabimus caute. Nam bene equitant, qui bene cingunt. Idque, ut ante dixi, equo prodest, neglectum vero,eques ut levi impulsu delabatur, in caus D sa esse poterit. Hoc cingulum debet crati pectoris subligari, non alvo neque ilibus. Instrati, vel immissis vel non immissis frenis, minus laxe revincientur, ne forte procumbant, id quod neque equo bonum, & stratis nocet. Educi autem optimum de cella tum equos in aperta & libera loca, & alligare loro prolixiore. Ibi ut quasi arbitrio suo aliquantulum versentur, quo generosos admodum oblectari putant. Etiam ad eas partes quas cingulum obit sæpius respiciendum, ne forte illo perusta cute vulneratæ sint, quod malum cito curari debet & facile poterit intertriginum communibus E & notis omnibus remediis.

Qui equum inscendere volet, nisi ipse forte ducet, accedito placide, & illi abblanditor verbis aut sono oris conveniente, aut etiam palpis, ita gaudebit conscensione equus & libenter consistet, admittetque equitem. Hoc efficitur atque obtinetur in summa interdum ferocia equorum, ascensionem, ut neque reformident, neque detrectent. Itaque hoc de Alexandro magno proditum memoria est: Cum ad Philippum adductus fuisset ille celebris equus Bucephalus nomine, vel quod caput vastius & bubuli specie, vel quod nota quædam inusta, ut fieri consuevit, huic esset taurini capi F tis, vel etiam quod in nigra fronte veluti capitis bubuli imago alba cerneretur. Hunc dono Alexandrum accepisse Diodorus scripsit a Demarato Corinthio: alii, ut Plutarchus, cum fuisset a Thessalo Philonice ad regem Philippum deductus, & indicatus immani precio, ut supra exposuimus, regem excivisse, ut prodiret cum suis in campum, equi periculum ubi fieret. Ibi ille ferocire & neminem admittere velle, ac si inclamaretur concitari

A & resilire, denique videri nulli usui & plane ferus. Tum rex iratus jubet abduci equum insolentis atque indomitæ feritatis. At Alexander, qui & ipse forte aderat, querebatur equum eximium & admirabilis bonitatis amitti atque perdi inscitia & formidine eorum, qui illum tractare nescirent. Ad hæc primum tacere Philippus & dissimulare. Cum vero eadem repeteret Alexander sæpius, *Tu ne igitur*, inquit, *melius posse tractare te equos speras, quam hos senes, qui reprehenduntur increpatione tua? Hunc quidem certe*, inquit Alexander, *melius ego tractavero, quam quisquam alius. Sin vero minus*, inquit Philippus, *quam pœnam vis sustinere procacitatis tuæ? Ego ne?* inquit Alexander, *precium equi scilicet ipse tum solvam.* Hic risu oborto, argentique persolutione prefinita, accedit Alexander ad equum, prehensumque loro contra solem convertit, quod conjiceret, illum umbram appropinquantium aspicientem perturbari motu & specie hujus. Atque ita parumper circumiens placido gressu, & equum manu demulcens, cum intelligeret de spiritu animositatem equi maximam esse, atque hanc illum quasi colligere, ponit chlamydem, ac se in illo sublatum rite collocat, frenorumque habenas sic prehendit, ut equi os minime læderet aut laceraret. Tum equum nonnihil remisisse de ira & commotione animi sentiens, atque gestire excurrere, laxatis habenis incitat voce quoque vehementiore, & calcibus ferit latera. Quæ res primum Philippum & alios perterruit, sed mox ut videre, quod & Alexander reflexisset, & ageret ita, ut par esset, equum cum exultatione & lætitia, ibi acclamare universi, Philippo vero etiam lacrimæ cadere præ gaudio, neque posse illi sibi temperare, quin filium complecteretur atque exosculaterur. Quare sic se res habet, quemadmodum diximus, utilem esse maxime tranquillitatem & moderationem in ascensionibus, & cautionem hanc ne qua res aut species tum objiciatur equo, quæ illum percellat & perturbet, aut etiam perterreat. Quod si hoc etiam obtentum sit, equus sessorem suum ut agnoscat, & illo gaudeat, nihil ad commoditatem ascensionis jam poterit deesse.

Diximus autem dominum ipsum sæpe oportere respicere ad equum suum, cum ut sciat qua sedulitate curetur, tum ut equo non sit ignotus. Id igitur qui fecerit, ex eo non parvam voluptatem capiet. Si cui autem unus equus, quamvis forte plures possideat, & strenuus & obsequiosus contigerit, is & amet carumque illum habeat, & solus potiri velit. Nam verissime hoc a Teutonibus dicitur, eos, qui ament uxores suas, rectissime facere si non crebro dimittant ad externos cœtus conviviorum & festivitatum, quod fere semper revertantur cum moribus aut opinionibus novis. Itidemque, qui equos, quales maxime voluerunt, nacti sint, si utendos eos dent aliis, hoc scire debere, illos levius quidem aut vehementius, sed omnino mutatos reversuros esse. Sed ad propositum.

Ipse, qui ascendere volet habenas teneto medias, & capulum strati sinistra, dextra autem librato corpus, quo residat expeditius, neve mole corporis quasi inflicta equum lædat. Dominis ascendentibus famuli adesse & debent, & solent, cum non desides sunt neque ignavi, sedulo, hos ab altera parte basin orbiculi ferrei, quæ sunt, ut dictum est, sectionis adminicula, retinere, probatur nobis. Ita enim mollius ascendet eques, & erit inscensio equo minus molesta, attrahi autem ab illis habenas non oportet, sed omnino liberum relinqui os equi. Cum eques se collocarit in strato, tum adductis habenis quasi erigat caput equi, ita pergendum esse equus intelliget, tum sessor pau-

lulum remittet habenas, sic tamen semper, ut teneat arduiores, neque has una cum manu defluere patiatur. Reddit enim hoc equos segniores in defatigatione: contra diligens & attenta habenarum prehensio vegetos efficit. Aliquibus ora sunt neque dura neque mollia, magis tamen dura, ut videtur, quam mollia, ideoque si initio cum incitaris & adegeris ad cursum aut gyrum, si tum igitur habenas attrahas non obsequuntur. Faciendum igitur ut talibus laxissime remittantur primum, ita postea regere & pro voluntate quisque sua moderari facile poterit.

Videtur locus hic non recusare mentionem quandam agitationis & gyrorum. Atque hæc quidem est gratissima equis flexuosa & veluti sinuata. Hac delectantur equi, & generosi maxime ita ingrediuntur, ut non directe, sed in latera evagantes vicissim, pergant. Nam strenuis in equis hæc etiam superbia inest, sese ut contemplantes gaudeant incessu mollioris gradus, ut illa apud Euripidem mulier:

> Πολλὰ πολλάκις
> Τένοντ' ἐς ὀρθὸν ὄμματι σκοπουμένη.

Ideoque Teutones cum bonum & generosum equum depingunt diversorum animantium concinnatis virtutibus, ut Homerus effingit de Diis Agamemnonem suum, a lupo tria, & a vulpe tria, & a muliere tria, ἐπιτηδεύματα seu ἀρετὰς assumunt. Lupi oculos, voracitatem, arduam cervicem; Vulpis aures breves, caudam longam, gressum lenem; Mulieris pectus, superbiam, comam. Alii magis pudendo intellectu inter muliebres in equo virtutes posuere, ascensionis patientiam. Itemque alii hæc ita exposuere, generoso equo virtutes ut attribuerent duas leporis, velocitatem & agilitatem; Duas vulpis, bonorum oculorum, & pilosæ caudæ; Lupi duas, lenitatem gressus, & voracitatem; Duas asini, coxas valentes, & firmitatem pilorum, vel ut quibusdam placet, bonas ungulas; Mulieris duas, superbiam, & subjectionem. Atque etiam alii aliter hoc modo, declarant enim hæc etiam Teutonum majorum nostrorum sapientiam; De lupo pisce adesse debere equo voracitatem, & exiliendi facultatem; De anguilla agilitatem, &, ut meminisse videor, celeritatem; De serpente oculorum aciem, & gyros; De leone, amplum pectus, & densam jubam; De fœmina, quæ diximus; De fele, nitorem, & lenitatem gradus. Sed incœptum prosequamur. Initia agitationis semper erunt lenta & placida, sensimque progressiones majores fient, dum ad cursum, si videatur, & hunc ipsum intentiorem perveniatur. Itemque retineri subito attractis habenis incitatos perversum est; nam lente desinere agitationem ita, ut cœperat, æquum. Sunt autem quidam equi, ad hoc etiam assuefacti, ut de incitatissimo cursu repente consistere, & subito omni vi excurrere sciant. Sed hoc singulare scilicet fuerit, neque in præcepta referri queat. Gyrorum autem apud Veteres exquisitam rationem & magnam artem fuisse facile potest vel de uno Xenophonte perspici. Hæc nunc est mutata prorsus, usque adeo, ut quod ille laudatissimum esse scripsit, in lævam circumagi equos, nunc plane reprobetur. Etsi enim in utranque partem gyrari e-

A quum rectum est, idque nisi contumacia oris impedimento sit, paris facultatis esse convenit, tamen in ostentatione gyri nunc in dextram partem fieri solent, & qui in lævam fiunt, eos vocant aversos. Cæterum alia quoque sunt in equitatu horum temporum diversa, ac pleraque omnia barbara & immania, delectaturque audacia & temeritas nostrorum hominum similibus bestiis: quippe qui majora pericula ludere in equis soleant, quam unquam in ullo circo edita comperiantur. Nam incitatis videas equis in medio quosdam & contentissimo cursu sic insidere, ut remissis habenis ambas manus sursum & in latera jactitent, quod ta- B men factum scio, cui mortem & exitium attulerit, cum ita, ut diximus, instigatus equus ad saxum offendisset, & obruisset impetu illatus sessorem. Aliqui de arduissimis clivis, atque etiam montibus præcipitiisque ad cursum equis adactis deferri, in laude & ostentatione ponunt. Quid ille? qui per scalarum plurimos gradus vix & difficili molitione attractum equum ascendit, & de editiore eo loco desilire secum, verberibus, calcaribusque & voce coegit. Quid vero alter? qui in compactum trabibus lacum seu castellum, cujusmodi in oppidis fere adductæ aquæ excipiuntur & continentur, C cum instigato equo insiliit. Taceo totam illam in venationibus agitandi temeritatem, ubi omnia insequentibus conspectas feras esse plana oportet, quæ & Teutonico proverbio notatur, quo dici solet; de manibus & pedibus tum actum videri, scilicet quod inter hanc vita si conservetur, felix eques fuisse videatur. Verum si ratio ac disciplina accederet, nunc quidem, ut ego judico, res equestris ad quandam admirabilem perfectionem perduci facile posset: ita est instructio equorum præclara & commoda, & omni a parte tam equis quam viris apta atque opportuna.

D Sed reducere in stabulum equos, & illis fumantia solvere colla, tempus, tandem etiam nostrum scriptum ut finiatur. Itaque ut ante quoque dictum, de itinere seu agitatione reversum equum sic curabimus, ne fesso & æstuanti pabulum detur aut potus. De magno autem calore & labore gravi ut paulatim refrigeretur & acquiescat optimum: nam celeriter utrunque fieri equo non solum perniciosum, sed sæpe etiam exitiale. Sed instructi ubi redierint, tum illos ministri, stratis, frenis, omnique ornatu exuent, & curabunt, ut expositum est. Hæc autem omnia, suo quicque loco, suspendent aut reponent. Similiter & alia supellex equestris, & totum stabuli instrumentum, apte E atque ordine collocatum visetur. Universa quidem ab equis longiuscule; nam multi reperiuntur, ita petulantes equi, & bona cum natura, tum cura luxuriantes, ut quicquid attingere forte potuere, id arrodant & frusta interdum pannosa aut lorea deglutiant: quod illis, si fecerint, nequaquam scilicet salutare fuerit. Quare serie quadam omnia erunt disposita, neque panni deterforii, aut strigiles, aut pecten in præsepi abjicietur, neque prope etiam appendetur, neque strata temere quocunque infligentur, ut obliqua pronave jaceant, nihil laboret minister. Sed cunctis rite & di- F ligenter atque fideliter attenteque ac sedulo gestis peractisque, ac curationem tractationemque, ut quæque se prima obtulerit, exequendam redibitur.

JOACHIMI CAMERARII,

PABEPERGENSIS,

DE

NOMINIBUS EQUESTRIBUS

COLLECTIO.



IN ea opinione persevero, non esse quicquam ad cognitionem ullarum rerum magis utile, &, ut Plautino verbo utar, conducibile, quam nominum primum exploratam significationem, deinde proprii sermonis peritiam, de quo sæpe differuimus. Quod si quis aliter sentit, & cura orationis exquisitæ ac disertæ neglecta, posse tamen copiosa rerum scientia aliquem instrui existimat, *κεῖνος τὰ κείνου στεργέτω, κἀγὼ τάδε.* Cum autem de *Re Equestri* aliquid aliquando scribere instituissem, visum postea fuit explicationem etiam quandam nominum colligere, & cum bonarum literarum studiosis hanc operam studii mei communicare: tenuem illam quidem & parvam, sed quæ neque fructus, ut opinabar, expers, & nonnullis grata jucundaque esset futura. Placuit autem, quemadmodum & ante fecimus enarrantes quasi historiolam corporis humani, ea commentari quæ Pollux exposuit. Quæ tamen neque omnia sumus interpretati, & quæ referenda duximus, iis nonnihil quasi cumuli adjecimus observationis nostræ. Sed ne multum temporis prænarrando teramus, docet Pollux, hæc nomina usurpari de equis: Ut *ἀγέλην ἵππων* dicamus, id est, *armentum.* Maro pecoris appellatione de equis usus est. Hinc *ἀγελοβοσκός*, *qui armenta pascit*: *πῶλος* autem certe is est, quem *pullum* & Maro & alii linguæ Latinæ autores nominarunt, id est, *equuleus* & *equulus*, sicut *equula*, tenera adhuc ætate. Est & equuleus nomen tormenti in quæstionibus. Græci, ut opinor, *τροχὸς* vocarunt. Iidem haud scio an non fecerint deminutum *ἱππάριον* sicut *ὀνάριον*, cum tamen nihil illi formæ obstet: & aviculæ hoc nomen esse perhibeatur: *ἱππίσκον* etiam fecerunt Græci *τὸ ὑποκοριστικόν*. Et Athen. *lib.* VIII. meminit fabulæ Alexidos, cui nomen *Ἱππίσκος* apud quem est etiam *ἵππος* piscis: *ἱπποπόταμος* autem, & *κατὰ μετατύπωσιν* seu *ἀλλοίωσιν*, *ποτάμιος ἵππος* aliud genus est animantis trucis atque immanis. Sed *πῶλος* est *equuleus*, id est, nondum idoneus ad equitandum. Ferturque dictum Themistoclis relatum a Plutarcho: *Τοὺς τραχυτάτους πώλους, ἀρίστους ἵππους γενέσθαι, ὅταν ἧς προσήκει τύχωσι παιδείας καὶ καταρτύσεως.* Id est, *Ex pullis ferocissimis optimos equos evadere, si recte educantur & instituantur.* Et *νεόζυγα πῶλον* Euripidis, interpretatus est Cicero *Tuscul.* III. Equuleos injecto freno repente. Est autem verbum *πωλεύειν*, pullum equinum instituere, id est, ut nostri Teutones loquuntur, præparare ad equitandum. Et *πώλευσις* atque *πωλεία* hoc artificium, & in hac parte occupatio: & *πωλευτικὸς* sicut *πολιτικὸς*, gnavus & peritus, ille pullum tractare, hic gerere Rempub. Potest autem esse & *πώλειος*, *ἡ πωλεία*, ut *χαίτη πωλεία*, juba pulli equini, sicut altera forma, *πωλικὸς*, *ἡ πωλική*, ut *πωλικὴ ἀπήνη* Sophocli, *Oedipo Tyranno*, Essedum adjunctis equis, qui & in *Phœnissis* dicuntur *πῶλοι*, juvenes & valentes; *κατὰ μονοφοράν*. Et *Iphigenia Aulide*, *λεῖπε πωλικοὺς ὄχους*, & *πρόσθεν στῆτε πωλικῶν ζυγῶν.* Et, *φοβερὸν γὰρ ἀπαραμύθητον δῆμα πωλικόν.* Nam & illa in *Adoniazusis* mulier ait, *ἵππον καὶ ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δέδοικα.* Et *ἀΐδης κλυτόπωλος* Homero, cum præclaris & strenuis equis. Grammatici tamen hoc epithetum deducunt *ἀπὸ τῆς πωλήσεως*, quod numen quoddam Ditis omnes terras obeundo peragret. Est autem *πωλεῖσθαι* Homero *frequentare* seu *crebro adventare*: *πωλεῖταί τις δεῦρο γέρων*, *Odyss.* δ'. Proverbium posuit Gregorius Nazianzenus in oratione *de feriis paschato*, *Κέντει τὸν πῶλον περὶ τὴν νύσσαν*, id est, *Instiga equum ad metam.* Est & proprium nomen Poli rhetoris Agrigentini, cujus mentio fit in *Gorgia.* Et Ælianus narrat Aristotelem a Platone fuisse *πῶλον* nominatum, *δι' ἀχαριστίαν.* Aristoteles *πώλιον* nominat, quod ait ejicere equam ante partum. *πῶλος ἄβολος* est primæ ætatis, qui nullos adhuc dentes amisit; *ὁ μηδέπω βεβληκὼς ὀδόντας*, *qui nondum ejecerit*, ut Varro locutus est, *dentes.* *τέλειοι* perfectæ ætatis equi, qui *ἀδδηφάγοι.* Nam his plenius pabulum præbetur, quam pullis, sicut & Maro docuit, *l.* III. *Georgic.*

> *Tum demum crassa magnum farragine corpus,*
> *Crescere jam domitis sinito: namque ante domandum*
> *Ingentes tollent animos, prensique negabunt*
> *Verbera lenta pati & duris parere lupatis.*

Hic est *ἀδάμαστος*, & *ἀπαίδευτος*, & *ἄγριος*; id est, *indomitus* seu *intractatus*, *nondum institutus*, *ferox.* Magister autem appellatur *πωλοδάμνης*, & verbum *πωλοδαμνεῖν*: hic *ἐκπαιδεύει* illum, id est, tanquam traditum discipulum instituit; & studet *ἀναδιδάξασθαι* *docere* ea præstare quæ par est; & *ἡμερῶσαι*, *mansuefacere*; & *ἀσκῆσαι*, *exercere.* Platoni in VIII. *Legum* & *πῶλοι ἄβολοι* sunt, & horum καὶ *τελείων*, *μέσοι*, quos vocarunt *διαπροβολεῖς*, qui iterum dentes amiserint. *ἵπποι* sunt *φορβάδες*

equæ, quæ in vacuis, ut ait Maro, pascuis liberè vagantur. Aristoteles lib. VIII. *Historiæ Animalium* φορβάδας ἐπικοίνως vocat, in pascuis versantes equos, ζοφίας vero, qui separatim aluntur: ἵπποι ἀγελαῖοι, *equi armentales*. Ἵππους ξανθὰς ἑκατὸν ᾗ πεντήκοντα πάσας θηλείας, in præda fuisse narrat Nestor *Iliad.* λ'. & addit, πολλῇσι ᾗ πῶλοι ὑπῆσαν. ut fœminas fuisse illas universas declaretur. Nam ἐπικοίνως τὰς ἵππους, τὰς βῦς, τὰς οἶας, Homerus ξόπῳ συλληπτικῷ dixit, comprehenso utroque genere. Sicut & τὰς ἄρκτους, & τὰς κύνας usitate sermo Græcus. Posteriores vocarunt ὑποπώλους equas habentes pullos. Aristoteles ὑπὸ τ̃ πώλου πώλιον diminuit, loquens tam de equis, ubi ait matre erepta gregales solere educare alienos, quam etiam de asinis, qui sunt ὄνοι, libro secundo περὶ ζώων γενέσεως: ubi & de mulis disputatur, qui ἡμίονοι sunt, nascunturque equa & asino: & est genus hoc sterile; etsi interdum parit mula, sed quoniam raro accidere animadversum est, inter portenta habitum. Aristoteles ita ait Asinus ἂν μὴ μετὰ τ̃ βόλον τ̃ πρῶτον ἄρξηται γεννᾷν, οὐκέτι γεννᾷ τὸ παράπαν. Id de equa perperam Plinius, ut alia quoque hoc modo interpretatur, *l.* VIII. c. XLIV Quæ non prius quam dentes, quos pullinos appellant, jaciat, conceperit, sterilis intelligitur. Sed hæc conferendo, qui volet, perpendat. Etsi autem asinus animal iners & futile esse existimatur, tamen traditur ab hoc didicisse Nauplienses τ̃ ἀμπελοτομίαν, id est, cœpisse vites putare, cum ab asino arrosas melius postea crevisse animadvertissent, ut Pausan. narrat *Corinth.* & ideo fortasse Liberi comitem & custodem Silenum Poetæ asino imposuerunt. Scribit Aristoteles & mulum posse gignere. Et idem horum omnium, id est, equorum, asinorum, mulorumque fœtus interdum depravari in alvo, atque ita nasci ἀνάπηρους, id est, partum diminutum & attenuatum, ipsi γῖννος est. Ut in hominum sobole Pygmæi, & porcorum μετάχοιρα. Aliis placet ἶννον esse natum equo & asina, qui est *innulus* Plinio: & idem *innum* vocat equa & mulo natum. Mulus est & ὀρεὺς: hinc & ὀρεωκόμος, mulorum agaso. Hoc animal execrati fuere Elei, ut Pausanias scripsit, & indicavit Plutarchus *Capitibus Græcis*, ubi exempla tamen librorum corrupta sunt, atque haud scio an vocet ὀνάδας eas equas ad quas asini admitterentur, ad mulorum procreationem. Ionica productione οὐρῆες Homero. Sed post hanc quasi ἐκβολὴν λόγου, ad equos revertamur.

Nisæi olim celerrimi fuere. Hos a Mediæ campo Misæo appellatos fuisse scripsit Herodotus *Polymnia*. Eumque campum facit vicinum Portis Caspiis Strabo, & ibi copiosam nasci tradit herbam cui nomen Medica, pabulorum omnium pabulum præclarissimum & optimum. Alii intra Sogdianam & Bactrianam regionem collocant. Hinc equi Nisæi, præstantissimi omnes, spadices, ita enim colorem ξανθὸν interpretor. Arianus aliquando in pascuis illis reges Persarum habuisse refert *lib.* septimo, φορβάδων ἵππων, id est, equini generis ad centum quinquaginta millia: sed Alexandrum reperisse paulo plus millibus quinquaginta, armentis tum direptis. Equi τέλειοι, ætate integra & plena, qui & καμπτυχότες, & γεγηρακότες senes: quorum ætas jam sciri nequit. Unde & ἀγνώμονες & λειπογνώμονες vocantur: γνώμων enim dens dicitur, cujus casu ætas cognoscitur. Equi ἀθλητικοί, aurigarum sunt, contendentes de præmio proposito victori in ludis equestribus, qui sunt ἱππικοὶ ἀγῶνες. Iidem & ἀγωνισταὶ & ἀμιλλητήριοι, a contentione certaminis, cujus copiosa & elegans est descriptio in Sophoclis *Electra*. Homero sunt ἀθλοφόροι *Iliad.* λ'. & ι. ubi πηγοὺς vocat, quod nomen significare alii volunt, robustos & plenos, alii nigros. Equi κυνηγετικοί, *venatorii*, seu *venatores*, id est, quorum in venando usus: πολεμιστήριοι, *bellatores*; ὁδοιπορικοὶ, *viatores*; στρατιωτικοὶ, *militares*; πομπικοὶ & πομπεῖς, *instituti ad pompam & ostentationem*. ἵππος φρυακτὴς, est alacer & generosus, id est, γενναῖος: & λαμπρωπὸς, *splendidus* seu *speciosus*: ἀστομὸς ἵππος, *equus duri oris*, quod nomen & in *Electra* Sophoclis est, & vocatur idem στομίας, & ὑβριστὴς, *petulans* & *ferox*. Nam in bestiis ὕβρις ferocia dicitur & lasciva exultatio, & ita nomen posuit Herodotus in *Clio*. Talem equum fuisse scribit Cyri posterioris Plutarchus *Artaxerxe*, γενναῖον μὲν, ἄστομον ᾗ ᾗ ὑβριστὴν, πασάκαν καλέμενον, citatque autorem Ctesiam. Nam propriis nominibus equi olim appellabantur. Ut Cyllarus. Ut Arion Adrasti equus. Ut Pegasus Bellerophontis. Ut Psylla & Harpinna Oenomai. Ut Achillei Xanthus & Balius, immortales, & Pedasus mortalis. Quod Grammatici interpretantur hoc modo. Fuisse Xanthum & Balium mare: integros, qui propagare nationem suam ad posteritatem possent. Sed Pedasum castratum, ut suum cum ipso genus interire oportuerit. αἴθη autem Agamemnonia precium remissæ expeditionis fuit, quod laudavit, ut opinor, Agesilaus, bonum equum præpositum fuisse ignavo viro. Est Pollucis equus, secundum Maronem, Cyllarus, cum sit Κάστωρ ἱππόδαμος. Sed Διοσκύρων nomina in lingua Latina permutata fuerunt, ut sine discrimine Castores & Polluces dicerentur. Martis equi, δεῖμος & φόβος. Neptuni, ἐελώλης & γλαῦκος, id est, *procellarum impetus*, & *Glaucus*. Vel ἐγκέλαδος & σθένων, id est, *fremens & valens*, ut retulit Eustathius *Iliad.* ῦ. Et Hector *Iliad.* θ'. equos nominibus ita appellat:

> Ξάνθε τε καὶ σὺ πόδαργε, καὶ αἴθων λάμπετέ δῖε.

Qui versus negocia fecit Grammaticis quærentibus quatuor ne equorum nomina commemorata sint, ut quadrigis usus Hector esse videatur, an duo propria & duo epitheta. Memorantur sane & Solis quatuor, πυρόεις, ἠῷος, αἴθων, φλέγων, id est, *flammeus, matutinus, fulvus, ardens*. Mesentii autem apud Maronem equus Ræbus est. Narrat Pausanias equam Phidolæ Corinthii, Auram nomine, cum agitator initio cursus decidisset, ipsam solam & flexus circum metam peregisse, & incitato cursu ad judices certaminis rediisse. Iidem equis victoribus Cleosthenis Epidamnii fuisse refert nomina, φοίνιξ & κόραξ.

Hoc loco antiquitatis diligentia & industria celebranda est, quæ suos equos non minus putavit nominibus compellandos, quam servos. Quid enim fit recte in domo? cum sic mandatur, *Afferto aliquis aquam. Verrito aliquis ædes. Cædito aliquis ligna*. Sed & hoc memorabile, ad certos usus singulos illam habuisse instructos. Quemadmodum enim in Ægypto præstantissimi Medici fuisse olim perhibentur; quod singuli singulorum morborum curationem exercerent, ut Herodotus narrat; hoc oculos, illo aures, aut alteram quampiam partem laborantem in corpore, alio interiora membra medicante: ita equites eximios veteres fuisse oportet, qui ad diversa ministeria diversis equorum generibus uterentur. At nostri homines unum eundemque equum si videatur, modo ad plaustrum aut essedum adjungunt, ut, sicut Veteres locuti fuere, vellaturam faciant, modo ad itinera facienda adornant, modo armant ad bel-

lorum pericula: denique non aliter quam Delphico gladio, equis suis utuntur, ut neque equites præclaros multos, neque equos egregios nostris locis & temporibus reperiri, mirum videri debeat nemini.

Ιππυ nomen Eustathius putat dictum a verbo ἵπτασθαι, quia, inquit, ἵπταται τοῖς ποσί. Quod credat, cui placet. Mihi veri fit similius esse πεποιημένον nomen de sonitu, qui pulsu ungularum editur; propterea equi χαλκόποδες, id est, æripedes, dicti fuere, non modo οἱ στερεόποδες, ut ait Eustathius *Iliad. ν.* sed etiam ἠχόποδες, tam propter soliditatem quam sonitum pedum. Unde & ἐριγδούπυς πόδας ἵππων & ὑψηχέας ἵππυς Poeta dixit, quæ a sonitu omnia ducuntur. Strenui & generosi equi descriptio est in secundo Ηθικῶν Νικομαχείων, ubi dicitur, ὁμοίως ἡ τῦ ἵππυ ἀρετὴ ἵππον τε σπυδαῖον ποιεῖ καὶ ἀγαθὸν δραμεῖν, καὶ ἐνεγκεῖν τὸν ἐπιβάτην, καὶ μεῖναι τὺς πολεμίυς. *Præclarum equum esse*, ait, *& laudabilem, qui & cursu præstet, & vehat insidentem, & libenter se inscendi sinat, neque formidet adversarios.* Atque sunt a nobis Xenophontea exposita, propter quæ probari improbarive equum conveniat.

A Polluce autem in laude hæc memorantur: ἵππος εὔφορος, *ferens equitem libenter*, seu *insidentem recte vehens*: εὔθυμος, *bilaris* & *alacer*: θυμοειδής, *animosus*: εὐσχήμων, *speciosus*: εὐπετής, *velox*, ut volare videatur, quemadmodum & Maro, *lib.* III. *Georg.*

——— *per aperta volans, ceu liber habenis,*
Æquora, vix summa vestigia ponat arena.

Εὐπρεπής, *honestus*: ἥμερος, *placidus*: μεγαλοπρεπής, *magnificus*: γαῦρος, γαυρύμενος, γαυριώμενος, itemque κυδρὸς & κυδρύμενος, *superbus, exultans*: *gestiens, elatus*: ἐλεύθερος & ἐλευθεροκρότος, *liber*, id est, impatiens dominationis, seu, non iners neque servilis: ἱππαστής, ad equitationem idoneus, vel in equitando eximius: ἀγλαὸς, *splendidus*: φρονηματίας, *animo excelso*, seu *magnanimus*: ἀλαζὼν, *gloriosus*: εὔψυχος, εὐκάρδιος, μεγαλόφρων, *fortis, animo excelso* & *magno*: μετέωρος, *qui alte ingreditur, & se erigit.* Is πομπικὸς est & σοβαρὸς, id est, *inflatus* & *festivus*: εὔτολμος εὐθαρσής, *audax* & *confidens*: ποδώκης, *velox cursu*: γοργύμενος & γοργὸς, *terribilis* & *vehemens*: πολεμικὸς στρατιωτικὸς, *bellator* & *militaris*: πρᾶος, εὐπειθὴς, εὐάγωγος, εὐήνιος, χειροήθης, τιθασσὸς, *mitis, obtemperans, obsequens, patiens frenorum, mansuetus, cicur*, φιλῶν τὸν ἀναβάτην, εὔνυς τῷ ἱππεῖ, *amans agitatorem, & equitem complectens benevolentia*: ὑπὸ σάλπιγγος ἐξορμῶν, ἐξανιστάμενος, *qui audito sonitu seu cantu buccinæ, stare loco nescit*, ut ait Maro, id est, gestit excurrere, & vix tum apud se est: ὀξὺς, ταχὺς, ταχύπυς, hæc celeritatis & sagacitatis sunt nomina: φιλάνθρωπος & φίλιππος, *amans hominum & equorum*: ἐγκαρτερῶν στιυὶ τῷ καιρῷ, *qui durare & operiri scit occasionem temporis*: γνωστικὸς τῶν ἐχθρῶν, *cui hostes sunt noti*: ἀνατρεπτικὸς, intelligi potest, qui adversarium affligendo evertit: εὔτριππος autem est πειθαρχικὸς, εὔτακτος, εὔκολος, κεκολασμένος τὴν γνάθον, δίκαιος τὴν σιαγόνα, ἴσος ἑκατέρων τὴν γνάθον, ῥᾳδίως ἐξορμῶν, εὐκόλως καθιστάμενος. Hic est qui frenis paret, & facile regitur, & non refragatur habenis, & in utranque partem sine discrimine converti se patitur, bene institutus, non improbus neque contumax. Μάστιγος ὐ χρήζων ὐδὲ κέντρυ, κέντρυ ἀπροσδεής, εὔδρομος, ἐπίδρομος. Cui non est opus verberibus. Qui non expectat flagella aut calcaria. Promtus ad cursum, paratus ad excurrendum. Metaphorice autem & poetice indicatur equorum celeritas, volatu, ut Eumeli equos Homerus ait fuisse ποδώκεας ὄρνιθας ὥς. Et *Iliad. κ'.* equi Rhesi indicantur θέειν ἀνέμοισιν ὁμοῖοι. Et bijuges Achillis Favonii ac Harpyæ soboles perhibentur. ἀνύποπτος, ἄφοβος, θαρραλέος. Qui nec vanos horret strepitus, & non percellitur metu, neque est formidolosus: & cætera quæ supra sunt exposita.

Audivi ex iis quibus notus fuit Teutonicæ gentis eques egregius, nobilitate antiqui generis & virtute excellens, Georgius Fronspergius, qui in Italia Imperatori Carolo operam sæpe rebus difficilibus & asperis navavit. Hunc igitur illi narrabant certas quasdam notas boni equi solitum esse memorare, quas appellaret ille Georgianas. Nam Georgii quasi numen quoddam, superstitio equestris in Francica potissimum gente colere aliquando mirifica veneratione solita fuit, adeo ut ad latrocinii quoque successum atque prædas illud non dubitarent invocare. Ostenditur nunc quoque vexillum, quod Georgius Cappadox Christianæ religionis constantissimus confessor gestare consueverit, Pabepergæ, hastili ferreo, cuspide longa cum crucis in circulo signo. Hoc olim hostes non posse aspicere prædicabatur. Etsi autem Georgium illum sanctitate fidei, & magnitudine animi in asserenda veritate cœlestis doctrinæ, non facile alteri postponi oportere existimo, tamen occasione nominis (quemadmodum & Christophori) Græcos homines eruditos & ingeniosos, pia & religiosa calliditate atque industria in historias implicuisse allegorias disciplinæ Christianæ existimo. Sed de his alibi disputandi occasio forte dabitur.

Nunc ad notas Georgianas equorum redeamus. Quarum cum alias referre solitum Fronspergium, tum has comperi. Equus eximius aut tres habeat, aut unum, aut nullum. Hoc sicut alia quoque, pronunciatur lingua Teutonica, rotundius. Significantur autem pedes albi; putaturque nota eximia esse, si dexter pes sit albus: atque haud scio, an huc pertineant Maroniani equi, vestigia primi alba pedis. Cum color equi quam proxime ad ungulas pertinet, bonum est. Itemque mobiles alternis aures, quibus Maronianus equus micat. Item nares hirsutæ. Item quasi vertices pilorum ad armos & cervicem. Hos putant existere aut certe reddi insigniores, pastu recentium & tenerarum frondium quercus. Bonum est demergi altius caput equi bibentis. Spectatu præclarum & bonæ naturæ indicium, si frontem equi albam dirimat interjectus medius color equi. Item si sit alter oculus γλαυκίζων aut χαροπός. Quos *vitreolos* Teutones vocant. Item juba & cauda non ejus coloris quem equus habet, sed hanc ἑτερόχροιαν insignem esse oportet. Sunt tamen nunc etiam quibus diversi isti colores non probentur: & Græcis etiam placuit ὁμόχρως χαίτα: atque omnino tales equi specie sæpe fallunt. Hæc igitur memini narrari, quod Fronspergius notare consueverit. Synesio equus bonus etiam est ὁ ὀχθώδης τὸ κρανίον καὶ λειπόσαρκος τὴν ὀσφύν. Sed joco illa scribuntur. Etsi verum est reperiri interdum forma inconsentanea equos optimos, ut homines deformes, qui præ cæteris sapiant. Nunc adducuntur Pæones equi interdum cum admodum prolixis jubis: his oculi si juba vellatur lædi perhibentur.

Hoc loco in mentem venit de nationibus quoque equorum plura differere. Veteres igitur nominarunt, Arcades, Iberos, Mauritanos, Galli-

cos, Parthicos, quos & Parthos vocarunt, ποικιλόχρυς, id est, *varios.* Hi sunt μεγάλοι, εὐμεγέθεις, θυμοειδεῖς, εὐγενεῖς τῷ εἴδει, τοῖς ποσὶ χρηστοὶ διαφερόντως, *magni, decente magnitudine, animosi, honesta forma, pedibus admodum firmis & bonis.* Medi, grandes. Armenii & Cappadoces Parthis non dissimiles, nisi quod capita habent graviora Hispani, qui & Iberi, habitu corporis proceri, εὔρυθμοι, venusti, erecti, præclara habent capita, graciles, coxis minus spectati, in via satis validi, neque macies in his apparet. Primis annis ignaviores usque ad perfectam ætatem, id est, τὸν καταρτισμὸν, reliquo tempore πονηροὶ καὶ δῆκται, *pravi & mordaces.* Græcæ nationis equi, bonorum pedum, decente magnitudine, inprimis erectis & venustis atque elegantibus capitibus, δρομικοὶ, id est, *in cursu veloces.* In hoc genere primas tenent Thessalici. Epirotæ, pravi & mordaces: cum Maroni tamen Eliadum mittat palmas Epirus equarum. Argolici satis alto, sed breviore corpore. Thraces, deformes, strigosi, humeris demissis, gibbero tergo, cruribus detortis, id est, βλαισοί: sed tales non esse omnes oportet, refragante cum aliorum indicatione, tum Virgiliana mentione elegantis equi Thracii. Cyrenaici, decente magnitudine, castigatis ilibus, spiritu libero. Istrii, bonos habent pedes, satis magni, sed deformes & repandi, cursores tamen. Sarmaticum genus totum minime ingratum est, inque sua natione venustum, velox, cum capite & collo elegante, ἁπλοῦν δέ, id est, simplex & imperitum. Nunc celebres sunt, Menapii, id est, Juliacenses & Frisii, & externorum in max. precio Neapolitani atque Hispanici Generi, Asturconum, ut Plinius vocat, nisi fallor, soboles. Et Britannici laudantur mollium crurum alterna glomeratione, ut Plinius loquitur: nam ingens discrimen est inter nostratium equorum qui tollutim ingredi docentur, & illorum gradum. Sunt & Pœones, id est, Ungarici in precio, ut firmi & durantes in labore, quos Thracum non admodum dissimiles esse oportet. Quemadmodum autem vinum sincerum & bonum esse cognoscitur, quod secundo & tertio si bibas, vel pariter gratum vel etiam jucundius est, ita Græci ajunt, ὅτι ἵπποι ἄριστοι ἐν ἀγῶσι τὰ τελευταῖα εἰσὶ βέλτιστοι, id est, extremis flexibus curriculi præstantissime se gerunt boni equi. Sed e contrario vituperatur equus, βραδὺς, νωθὴς, ἀμβλὺς, ἀργὸς, βλὰξ, ἀπλοῦς. *Segnis, iners* (ut asinus, Homero enim asinus est νωθὴς) *hebes, tardus, imperitus, & nihili, stolidus,* ἄπους, κακόπους, & οὐ σπουδαῖος τοὺς πόδας, & μαλακὸς τὴν ὁπλὴν, *pravis & malis pedibus, & molli ungula:* κακόπνους, *difficili anhelitu:* μελλητὴς, *lentus & cunctator:* δειλὸς, ἄτολμος, καταδεὴς, ἐπίφοβος, ὑπέρφοβος, *timidus, minime audax,* & Plautino verbo, *meticulosus, pavidus.* Etiam κραυγίαν ἵππον dixere, qui clamoribus perturbaretur: ὕποπτος, δυσωπούμενος, qui levi de caussa trepidat & perturbatur: σκληρόστομος, ἄδικος τὴν σιαγόνα, ἑτερόγναθος, qui frenis non paret, & duri est oris & contumax: βαρὺς τὴν κεφαλὴν, κάτω νεύων, κυφαγωγόπρος, caput demittens, cum gravi capite, depressa cervice. Δυσγαργάλιστος, corio spisso, ut titillationis sensus absit. ἀπειθὴς, δυσήνιος, δυσάγωγος, ἀνάγωγος, ἄστομος, quibus contumacia & duritia oris significatur; εἰς ὄνους τελῶν, *in sensu asinorum.* ἀπόλεμος, *imbellis:* πτοούμενος, *trepidans:* ταπεινὸς, *humilis:* μικρόψυχος, *animo pusillo:* ἀσχήμων, ἀπρεπὴς, *deformis, turpis:* εὐλαβὴς, οὐδ᾽ ἂν σάλπιγγος ἀνάσχοιτο, οὐδ᾽ ἂν ἐνέγκοι πολέμου βοὴν, quæ dicuntur de timidis & imbellibus, μίσιππος, μισάνθρωπος, *qui odit equos & homines:* δάκνων, *mordens:* λακτίζων & λακτιστὴς, *calcitrans & calcibus petens:* ἀδάμαστος, *ferus & indomitus:* φαύλως ἠγμένος, *perperam eductus:* ἀπρόθυμος, *segnis:* ἀπαίδευτος, *male institutus:* ἄτακτος, *petulans & improbus:* θηριώδης, *sævus & immanis:* δύσφορος, vel impatiens & difficilis, vel etiam male vehens equitem: ἀκάθεκτος, quod & ipsum uno nomine Teutonice dicitur, qui se sustineri non sinit: τὴν γνάθον ἀκόλαστος, petulantibus & improbis, & nequam malis: ἀναχαιτίζων, ἀποσειόμενος, *qui equitem excutit & abjicit:* ὃς πολλάκις ἐξεκύλισε τὸν ἱππέα, *qui sæpenumero equitem prostravit:* οὐ προσιέμενος τὸν χαλινὸν, *non admittens* seu *recipiens frenum:* ὑπέρφοβος, *admodum timidus:* ἐνδεέστερος, & quo Simon usus fuit, ἀποδεέστερος, *timidior & ignavior.* Sunt & ἵπποι τεθωρακισμένοι, quasi *loricatos* dicas, περιπεφραγμένοι, qui & κατάφρακτοι, *undique muniti:* ὡπλισμένοι, *armati.* Item ζύγιοι, & ζυγηφόροι, *Hippolyto:* qui jugum subeunt, & his adjuncti παρήοροι, & σειραφόροι, & παράσειροι, & σειραῖοι: horum enim lora, σειραὶ & παρηορίαι: & ὑποζύγια jumenta, quæ appellatio & equorum est, ut in *Phædro,* τὸ ἀκολάστου ὑποζυγίου; ubi & ὁμόζυξ, quem & σύζυγα vocat, legitur, qui idem jugum subit.

De equis curandis jam disseruimus. Usurpantur autem hæc verba de curatione equorum: ψηλαφᾶν, *contrectare:* ψήχειν, *destringere:* ἀποκαθαίρειν, *repurgare:* ἐκκαθαίρειν, *expurgare:* ἀποσοβεῖν τὴν κόνιν, *pulverem excutere:* ἀνιστᾶν τὴν θρίχα, *excitare pilos:* ἐκφέρειν τὴν κόπρον, *fimum exportare:* ψύχειν τὰ στρώματα τοῦ ἵππου, *stramenta equi refrigerare,* quod fit cum furca, ejecto stercore, & quicquid madidum est, caput purgari non recte dicitur, id est, καθαίρεσθαι, hoc enim curator equi καταπλύνειν, id est, *abluere* debet: κυλίσαι vero & ἁλίσαι, & ἐξαλίσαι, de volutatione equorum dicitur, & locus ubi volutantur, quem Veteres pulveribus instructum habebant, & post agitationem ad illum equos deducebant, ἀλίστρα & ἐξαλίστρα & κυλίστρα: & καλινδήθρα, nam & verbum est καλινδεῖσθαι. Equorum pabula sunt, κριθαὶ, ζειαὶ, ὀλύραι, *hordeum, zea, olyra:* quam Plinius *arincam* interpretatur. Nostris locis & temporibus avenæ usi atum est pabulum: χόρτος, χιλὸς, *fœnum* est: & herbæ eximiæ lotus & apium, id est, σέλινον. Homericus Hector *Iliad.* θ'. narrat de pabulo tritici & potu vini. Quod multum negotii fecit Grammaticis. Cum interdum constet panem præberi equis, optimum esse & gustandum vinum: aliqui humidum ex vino panem offerunt equis: neque omnes vini odorem & gustum ferunt, atque qui non respuunt, ii dominis sunt cariores Assuefieri autem ad alios cibos maxime carnium, fœdum & immane. Diomedis autem equos qui humanis carnibus vescerentur ἄνδρας ἀρταμοῦντας λαιψηραῖς γνάθοις, secundum Euripidem, monstra equorum, execremur. *Stabulum* est ἱππὼν, quod *equile* dixerunt: quæ est στάσις ἵππων, id est, ubi stabulant equi: & σταθμός: & uno nomine duplice, ἱππόστασις & ἱπποστασία. Ante equum proponitur φάτνη, *præsepe.* Pulveres & sordes ex pilis diligenter excusserunt Veteres, habuereque ad hoc paratum lignum planum, quod σπάθην vocarunt. ψήκτρα autem nostris moribus cannalis est serratus ferreus, quem, ut opinor, strigilis nomine appellari licet, & hoc sermo Teutonicus retinuit. Palmam ambit tenuis cortex quasi textilis reticuli figura, hanc laxe implicantes & inserentes manum, reddere pilum nitidum complanando Veteres studuerunt. Hæc appellata fuit σωρακίς: χειλωτὴρ & ι solo χιλωτὴρ, a pabulo factum est, in quo pabulum præponi solebat, non equis tantum, sed & aliis jumentis: cujus, mihi quidem, obscurior descriptio est in Polluce. Ad præsepe alligantur equi, hæc ἐπιφατνίδια δεσμὰ

nominarunt, id est, *vincula præsepis*: φορβειὰ *capistrum* est: κορυφαία *lorum verticis*, & κεκρύφαλος a retis similitudine: utrunque nomen & de muliebri ornatu usurparunt: χαλινὸς autem *frenum* est: atque Pindarus *Pyth.* ode IV. dixit ἀργῦς χαλινὸν, significans ancoram: & ἡνία & ἡνίαι, *habenæ*, & *lora*. A vertice nominarunt κορυφαίαν, quæ lora sunt quibus annectitur frenum, id est, ferrum quod ori inseritur: qua parte autem malæ attinguntur, γενειαστὴρ nominatur: ψέλλιον autem catenula qua subter mentum frena devinciuntur: quæ utrinque ad buccas bullæ eminent, proprie κημοὺς vocari Pollux ait, & χαλινὸν ferream freni partem quæ ori inseritur, inque eo nominari, δακτυλίους, & ἐχίνους, & τριβόλους. Hæc ore versat equus, unde Maronis *Sonipes frena ferox spumantia mandit*, id est, μασᾶται. Dici perhibent insignes auro frenos ἄμπυκας μεταφορικῶς. Unde Homerus *Iliad.* ε. χρυσάμπυκας ἵππους appellarit. Pindaro certe *Olymp.* ode V. μοναμπυκία certamen est τοῦ κέλητος. Quod est in frenis medium Pollux nominat, sed in libris editis ille locus, ut alii plurimi, corruptus est. Legitur enim ἡνίον, quod certe habenarum nomen est. Et est ab his ἡνίοχος & ἡνιοχεὺς Homero, auriga qui habenas tenet: quale & in cœlo signum collocatur. Et Ηνίοχοι, Scythica gens. Et Athenis ἡνίοχοι census divitum, qui currus instruerent: & Ηνίοχος nomen proprium Poetæ, & Ηνιόχη filia Creontis Thebani, & ἡνιοχεία aurigatio: & πειθήνιος qui facile regi potest, id est, qui paret habenis: & ἡνιόχησις quasi aurigationem dicamus: & ἡνιοχικὸν εἶδος, aurigarum genus, in *Phædro* Platonis. Sed στόμιον omnino id proprie est quod mandunt equi, ut ait Maro. Eurip. *Hippolyto*, αἳ δ' ἐνδακοῦσαι στόμια πυριγενῆ γνάθοις, βίᾳ φέρουσιν. De equis perturbatis ait momordisse frena illos igne sata, id est, excusa ferro, & violento cursu prorupisse. Sophocles *Electra*, στόμια δέχηται τἀμά. Ut mihi pareat, id est, regi se sinat veluti injectis frenis. Apud Comicum autem quendam, referente Athenæo *lib.* IX. cocus quispiam ad culinæ artificium pertinere censet, τὰ στόμια γινώσκειν τῶν κεκληκότων, quo loco deminutivum est nomen ἀπὸ τοῦ στόματος, tam forma quam significatione. Putat enim oportere notum esse palatum invitatorum, id est, scire quid illud sapiat. Sed in frenis τὰ στόμια Latine *lupus* & *lupata* appellarunt. Pollux ὑποστόμια quoque nominat, & præter paulo ante memorata in his ἐξοχάς. *Frena* etiam sunt φιμοί, unde φιμῶσαι, *frenare*, quod ad silentia transtulere. Ut in *Marco*, φιμώθητι καὶ ἔξελθε, *Sileto & exito.* Fuere & αὐλωτοὶ φιμοί, cum tubis, quibus de equi statu sonitus edebatur: χαλινῶσαι & ἐγχαλινῶσαι, *frenare & adbibere frenum*: ἐκχαλινῶσαι, *eximere frenum*: & χαλίνωσις, *freni injectio.* In Polluce sunt & ὑποχαλινίδια ἡνία, *lora* seu *habenæ frenorum*: Grammaticis placet ὀχμάσαι proprie esse τὸν ἵππον ὑπὸ χαλινὸν ἄγειν, id est, *frenare equum*: ἢ ὑπὸ ὄχημα, id est, *subjugare.* Stimulus est κέντρον & μύωψ, Latinis sunt calcaria. Et Epigramma, μύωπα ἱππαστῆρα atque Διωξιππον vocat. Incitatio equi admotis calcaribus describitur luculente a Polybio, ὁ δὲ προσθεὶς τοὺς μύωπας ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν ἤλαυνε κατὰ κράτος. Utrinque admotis calcaribus omnibus viribus concitavit equum. Teutones equum comprehendi calcaribus, tunc dicunt. Equus ad equitandum non modo frenatur, sed sternitur etiam, hæc sunt σάγη ἐφίππια, id est, *strata*, & ἐφίππια tantum. Tum equus dicitur κατεσκευασμένος & ἐξηρτυμένος, id est, *paratus & instructus.* Apud Athen. *lib.* XII. ἵππον κατεσκευασμένον σὺν ἱπποκόμῳ καὶ φαλάροις διαχρύσοις ἐδώκαμεν, inquit rex Ptolemæus. Eurip. *Hippol.*

Καὶ θᾶσσον ἢ λέγοι τις ἐξηρτυμένας
Πώλους παρ' αὐτὸν δεσπότην ἐστήσαμεν.

Ac dicto equos citius paratos undique
Et ad dominum adactos repente statuimus.

Ubi quidem de curuli instructione mentio fit. Ornantur autem φαλάροις, quæ sunt faleræ Latinis. Maro *lib.* V.

Primus equum faleris insignem victor habeto.

Et equi falerati apud Livium inter Masinissæ decreta munera. Et falerata dicta Terentio. Sunt autem φάλαρα & equorum & virorum ornamenta. Quæ & φάληρα. Unde κυνέην τετραφάληρον dixit Poeta *Iliad.* ε. Et Athenæo *lib.* V. χρυσοφάλαροι & ἀργυροφάλαροι, insignes auro & argento equi. Ut Maronis est auroque insignis & ostro. Est & ψάλιον frenum: Plato νόμων γ'. οἷον ψάλιον ἐνέβαλε τὴν τῶν ἐφόρων δύναμιν, animoso imperio quasi frenum injectum esse ait potentiam Ephororum. Et Rheso, ἁρμόσατε ψαλίοις τοὺς ἵππους: & laudatur, equum τὸ ψάλιον ἑτοίμως δέξασθαι, id est, frenum libenter admittere. Et ῥυτήρ: unde est σπεύδειν ἀπὸ ῥυτῆρος, in *Oedipo Colonæo*: ὑπηρέσιον proprie appellarunt pelles remigum, sed Diodorus strata equestria hoc nomine indicavit *lib.* XX. Εχειν μεθ' ἑαυτῶν ὑπηρέσιον καὶ χαλινὸν, ὅπως ὅταν ἵππων κυριεύσῃ τοὺς ἀναβησομένους ἑτοίμους ἔχειν, τὰ πρὸς τὴν χρείαν ἐξηρτυμένους. Restat ut de partibus seu membris corporis hujus animantis pauca dicamus: & deinde additis promiscue nominibus ad equos & rem equestrem pertinentibus, ita hanc descriptionem finiamus. ἵπποι μὲν σφηκῶν γένεσις ταῦροι δὲ μελισσῶν. Seu ἵππων μὲν σφῆκες γενεά, μόσχων δὲ μέλισσαι. Nam de equis vespæ gigni traduntur, ut de bobus apes. Est autem equus ζῶον τετράπουν συναγελαστικὸν τῶν μωνύχων, καὶ χρεμετιστικόν. Maro etiam ferum vocat, cum sit inter χειροήθεις animantes vel maxime mansuetus equus, qui est quadrupes, & ex eorum numero qui congregantur, cum solidis ungulis, & hinnit. Hæc enim de equis Græci, φρυάττει, unde φρυαγμὸς & φρύαγμα, fremit, φριμάττεται, eadem significatione: χρεμετίζει, unde χρεμετισμὸς, hinnit. Item φυσᾷ, ἀσθμαίνει, ἐκπνεῖ, γαυριᾷ, flatus & anhelitum & spiritum emittit, & superbe exultat. Hinc φύσημα, ἆσθμα, πνεῦμα, γαυρίαμα: quod & αὔχημα dixere. Etiam πνευστιᾶν de equis dixere. Et *Iliad.* π'.

— σχέθον ἵππους φυσιόωντας.

— *detinuerunt equos anbelantes.*

Placet autem φυσᾶν esse verbum πεποιημένον Grammaticis, id est, exprimere illum equorum flatum atque fremitum. Equi caput κεφαλή: & laudatur ὀστώδης. Qua autem parte quasi annectitur caput ad collum, προτομὴ nominatur, similiter & in aliis animantibus, proprie autem de bestiis dicitur. Ut προτομὴ ἵππου, inter sidera: προτομαὶ λεόντων, inter pegmata: προτομὴ κριοῦ, unde machinæ nomen quæ aries vocatur:

tur. κορυφὴ, *vertex* est unde dependet προκόμιον. Nominatur autem in equis, λοφιὰ, qui sunt pili ejus partis cujus nomen λόφος, cui jugum imponitur. Adverbium autem καταλοφάδια *Odyss.* κ'. significationem habet impositi oneris humeris tanquam jumento. Et λόφουρα animalia, quæ λόφον habent & οὐρὰν, id est, *jubam & caudam*. Et λόφοι, *cristæ galearum*. Et γεώλοφος, *tumulus*. Nominavit autem Aristoteles in equis λοφίαν. Quam proprie dici volunt χαίταν. Et in sue λοφιὰν, ut *Odyss.* τ'. de apro:

Φρίξας δ' εὖ λοφιὴν πῦρ δ' ὀφθαλμοῖσι δεδορκώς.

Eximium hoc ornamentum equorum est, ideo putavi ascribendum Hippocratis veterinarii præceptum de incremento horum pilorum procurando: τριχῶν, inquit, αὔξησιν sic facito. Primum urina pueri diligenter locum eluito: deinde terito calcem ustam, cerussam, lithargyrum, & trita omnia in aquam conjicito, & coquito, & madefacito pilos illa aqua. *Juba exilis* improbatur, quæ est χαίτη ψιλή. Laudatur autem *densa*, id est, δασεῖα. Improbatur & κεφαλὴ βαρεῖα καὶ σαρκώδης, *grande caput & abundans carne*. Similiter & ὦτα μεγάλα, *longæ aures*. Nam in laudato equo ὦτα sunt βραχέα, quæ movet ille & erigit: ut Sophocles, ὀρθὸν οὖς ἵστησιν, *Electra*. Nominatur in equo sicut in homine πρόσωπον, & μέτωπον, & προμετωπίδια, quibus ad prælia munitur frons equi, Xenoph. *Cyropæd.* VII. Et in morbo equus perhibetur κάτωπος, id est, κατηφὴς, caput demittens & intuens solum: ὄμμα equi volunt esse προπετὲς, id est, *eminens*, ut sint equi ἐξόφθαλμοι. ὀφθαλμὸς πυρώδεις, *igniti*, & ὕφαιμον βλέποντες, *parum rutilantes*, laudantur: & sunt truces. In morbo notantur μετέωροι quasi *tumentes*, & ὑποδεδυκότες, *demersi*. Vituperantur autem κοῖλοι, *cavi*, unde equus κοιλόφθαλμος. Absyrto equi sunt ἑτερόφθαλμοι, *diversæ formæ oculi*: cum τὸ ἑτερόφθαλμον, unius oculi ereptum usum significet. Atque hos ille improbat, ut πονηροὺς καὶ ἐπτοημένους, id est, *pravos & pavidos*. Etsi apud Parthos in precio esse & magnifieri solere ait. βλέφαρα κάτω, id est, *inferiores genæ*, in equis ἄτριχες sunt, id est, *non habent pilos*, seu βλεφαρίδας. μυκτῆρες, qui & ῥώθωνες, præclari οἱ ἀναπεπταμένοι, id est, patulæ nares, quia sunt εὐπνοώτεροι τῶν συμπεπτωκότων, id est, via aperitur his spiritui magis quam si essent angustæ, & quasi conniverent. στόμα, hinc δύστομος, & ante relatum ἄστομος, qui & δυσάγωγος est, id est, oris duri atque difficilis equus, & contumax. Absyrtus nominat ἀλφοπροσώπους, & ἀλφορύγχους; itemque λευκομετώπους & λευκορύγχους, cum ῥύγχος & in avibus & in suibus atque canibus, id est, *rostrum*, nominarint. Hos longævos esse ait, & improbat præsertim si spadices sint. ἀπὸ τῶν γνάθων sunt ἑτερόγναθοι, qui in alteram utram partem tantum vertuntur. ὀδόντες indices sunt ætatis in equis. Nam ut ait Absyrtus, τριακονταμηνιαῖος ὢν ὁ πῶλος προτοβολεῖ τοὺς μέσους, τομεῖς καλουμένους ἄνωθεν δύο καὶ κάτωθεν δύο. Id est, *triginta mensium*, sive, ut Columella, *bimus & sex mensium amittit, duos superiores & totidem inferiores*. Τοὺς δὲ δευτέρους ἀποβάλλει ἀρχομένου τοῦ τετάρτου ἔτους, ἐν ἐξαμήνῳ.

Sed deinceps non traduntur eadem ab omnibus. Quæ Latini scripsere consentiunt. Græci vero tradunt pullinos quidem, ut Plinius vocat, dentes cadere omnibus eodem tempore, & hi πρωτοβόλοι & προτοβολοῦντες dicuntur. Sed quæ deinceps accidant esse dissimilia, neque servare idem tempus. Primi igitur dentes sunt pullini. Post hos nominantur κυνόδοντες, *canini*. Ante quos Varro nominavit *columellares*, haud scio an γομφίους. καταρτισμὸς autem absolvit numerum dentium XL. Et nominarunt γνώμονα eum dentem qui ætatem definiret. Unde λειπογνώμονες, de quibus fieri judicium amplius non posset. Quod plerique post septimum annum tempus statuunt. Absyrtus post octavum. Verbum est ὀδοντοβολεῖν, *dentes ejicere*. Vocarunt & χαυλιόδοντας & ἐξόδοντας, pullos dentibus projectis & extantibus, quæ tanquam παραχαράγματα φύσεως, id est, in suo genere corrupta, seu monstra, ali oportere vetant. αὐχὴν & τράχηλος *collum* est & *cervix* equi: hunc ἀκαμπῆ esse in strenuo equo oportet. Cujus laus est ut sit ὑψαύχην, *molli & ardua cervice*: non προμήκη, id est, *rigida & extensa*. Et in hoc *flexum* nominarunt συγκαμπὴν ὤμους nominarunt & in equis, *Iliad.* π'.

Ὁ δὲ πήδασον ἤλασεν ἵππον ἔγχει δεξιὸν ὦμον.

In Polluce ἀκρώμια ὑψηλὰ leguntur; in Xenophonte ἀκρωμία ὑψηλή. Latini armos vocarunt. Et erit ἀκρωμία id quod infra jubam ad spinam extat. Ubi & συνωμίαν nominarunt, quæ est quasi concursus, id est, σύμφυσις armorum: in vectariis jumentis & parum strenuis cum deformitate eminens. Appellarunt ὠμοπλάτας, quæ scapulæ sunt in homine, armorum lata ossa: itaque ὠμοπλάται κοῖλοι vituperantur. Intraque hæc ἀγκῶνα nominat Absyrtus, & μάλην & μασχάλην, quæ sunt in homine alæ: sed in equo hæc pars ἱπποζώνης quoque nomine indicatur. Quia cingulum strati ibi circumdatur. ὠμοπλάτην etiam κοτύλην vocat Absyrtus, & ibi nominat κόνδυλον, quem ait appellari γόμφον, id est, nexum seu nodum. ῥάχις transit per νῶτον; hujus extrema pars est ὀσφύς. Hæc διπλῆ est in generosis equis & ἀμφίδυμος. In medio nominatur ἕδρα, qua parte eques insidet. In vulgaribus hæc pars, id est, ῥάχις & ὀσφὺς, est ὀξεῖα, id est, *acuta* & stricta. In equis ἰσχία & γλουτοὶ nominantur, ut in homine: hæc pars debet esse πλατεῖα, εὐπαγὴς, εὔσαρκος, *ampla, compacta, carne conspicua*. Itaque vituperatur cum τραχεῖα est & ἄσαρκος, id est, *aspera, & strigosa*. Nominarunt ibidem extantia ossa, ut opinor κιθάρας, quas ὀστοφανεῖν, id est, hæc ossa conspicua esse, significat morbum, aut est hæc turpitudo futilis & neglecti jumenti. Nominantur ibidem & ψύαι, seu ψόαι, ut in homine, de quibus alibi diximus. μηροὶ certe femora sunt, & laudantur ἰνώδεις nervosi; vituperanturque ἀπαγεῖς, id est *laxi*. οὐρὰ proprie putatur de equo dici. Hanc Simon, qui *de Re Equestri* scripsit, κέρκον etiam vocavit: duplice autem verbo erit ἵππουρις. Nominarunt & σόβην, quasi *flabellum* dicamus. Et in cauda μέτρον, ubi incipiunt enasci pili primum breviores & mox prolixiores. Ad incrementum pilorum eximia est aqua in qua cocta sit radix althææ. Si nimis crebro & deformiter equus caudam moveret jactando, Veteres aliqui de extrema illa prius cute reducta abscindere consuevere, ea quæ οὐραῖα vocarunt. In equo οὐρὰ ἀποτεταμένη, id est, *porrecta*, vel est morbi indicium, vel jumentum esse significat futile. Ille autem audax equus & improbus in *Phædro*, ἐγκύψας καὶ ἐκτείνας τὴν κέρκον, ἐνδακὼν τὸν χαλινὸν, μετ' ἀναιδείας ἕλκει, impudenter trahit currum demisso capite, & porrecta cauda, & mordicus correpto freno. βουβὼν, *inguen* est; atque ea parte nominatur αἰδοῖον, & καυλός: ut in homine & ὄσχεος, κώρυκος, θυλάκη, *utrem* Teutones vocant. Item ὄρχεις, & δίδυμοι, & nervi horum κρεμαστῆρες.

Equos μονόρχεις, *admissarios*, facere non oportet. Nam & soboles talis vel omnino nulla gignitur. Admissuram Græci ὀχεῖον appellant. A qua re movent eos quorum testes rugas habent aut duritie vitiati sunt, Græci κηλήτας & κιρσοὺς nominarunt. Equi castrantur, id est, ὀρχοτομοῦνται καὶ ἐννουχίζονται. Unde & εὔνουχοι & θλιβίαι appellati, sicut homi-

nes. Sarmaticum autem inventum esse perhibent τὸ θλίψιν, id est, atterendo seu angendo castrari ἔτι νεογνοὺς ὄντας, id est, *adhuc lactentes pullos*. Quibus non modo dentes cadere negantur, sed perhibentur nulli humores vitiosi morborum caussam præbere, neque non colligi modo, sed collecti exsiccari quoque. Castratio est ὀρχοτομία; cujus tempus maxime idoneum est, vernum & autumnale. Dicitur & ὄρχεων ἐκτομὴ, *testium exectio*: & verbum est ἐκτέμνειν.

Sequitur, γαστὴρ, κοιλία, λαγόνες, πλευραὶ, κενεὼν, *venter, alvus, ilia, latera, alvi intima pars*, quod & κενόν: unde morbi nomen κενόσπησις, cum illa pars turget & inflammatur. In Polluce laus est equi, si sint πλευραὶ βαθεῖαι, προμήκεις πρὸς τὴν γαστέρα, καὶ ὀγκωδέστεραι, *profunda latera, longe ad ventrem quæ tendant, ampliores*: nam brevis alvus laudatur. Vituperantur autem πλευραὶ στεναὶ καὶ ἄσαρκοι, id est, *angustæ & conspicuæ quod carne non obducantur*. In morbo venter equi convelli videtur, tum equus dicitur ἀνεσπακὼς τὴν γαστέρα, & fit λαγαρὸς, id est, ilia gracilitate ducit seu trahit. στέρνον & στῆθος, *pectus* est; & στηθύνιον. προστερνίδια & παραπλευρίδια Xenophonti sunt arma equestria, pectoris & laterum, in *Cyropæd.* VII. σκέλη ὑγρὰ, *crura mollia*, laudantur; σκληρὰ, *dura*, vituperantur. Quemadmodum & γόνατα δυσκαμπῆ, id est, *rigida*: debet enim γόνυ esse λαγαρὸν πρὸς τὴν συγκαμπτὴν, id est, *gracile ut flecti facile possit*. Græci γόνατα, ἀγκῶνας quoque vocarunt. Flexibilia esse oportet, cujusmodi si non sunt admodum vituperantur, & quibus rigent, ii ὀρθόκωλοι & πασσαλοὶ, dicti fuere. κνῆμαι ἄσαρκοι, id est, *crura non obesa*, laudantur. Absyrtus & μεσοκνήμια nominavit, & in prioribus cruribus βραχίονας. πούς, est illud membrum in equo, cujus firmitas alia incommoda facile compensat: hinc est εὔπους & κακόπους, bonis & malis pedibus equus; & μαλακόπους, & στερρόπους, imbecillibus & solidis: qui calcium ossa ardua habent, κακοπερίπατοι sunt, & succutiunt equitem, appellanturque ἐλαφόποδες; *celeres* autem Poetis sunt ἀελλόποδες. Nominantur in equorum calcibus & ἀγκύλαι, & ἀστράγαλοι, & πτέρνη. Sed peculiares sunt κυνόποδες, quæ & κυνόπλα; & medium, μεσοκυνία. Equorum est ὄνυξ; quæ & χηλὴ; unde χηλαργοὶ, vel cum albis ungulis, vel veloces: & ζῶα δίχηλα, quæ habent fissas ungulas: & equi μώνυχες, cum solidis ungulis. Hæc est ὁπλὴ hujus animantis propria; & in hac cavum χελιδὼν, ubi & βατράχους nominarunt, & qua parte cum articulo pedis ungula committitur, quæ est ἔκφυσις τῆς ὁπλῆς; στεφάνην, nostri homines fimbriam vocant. Equus ἑτερόπους & ἑτεροσκελὴς, alterum pedem ex prioribus seu posterioribus habens non integrum. Equus dicitur σειριᾶν τοὺς πόδας, quod est malum humoris incumbentis in pedes, cum inflammatione membri. Equus σκάλλει τῷ ποδὶ, *verrit humum* seu *fodit*; & σκιρτᾶ, *exilit*; & βίᾳ φέρεται, id est, ἐκφέρεται, *fertur impetu*, neque regi se habenis patitur. Et laborat ex pedibus, ὑπέρπονος τῷ δρόμῳ, *defatigatus nimio cursu*. Ad ungulas ut crescant & soliditatem retineant, medicamentum conficitur tale: Capitur adeps porci & hirci, & sulfur rude, & allia, contusa: hæc miscentur, & una coquuntur, inunguntur que ungulæ exterius & interius. Ungulam equi solam non penetrare aquam Stygis Arcadicam traditum est. Equi πταίουσι τοῖς ποσὶν, id est, offendunt, seu impingunt facile quidem quibus ossa calcium admodum depressa sunt, eos vocarunt κυνοβάτας; & ἄπταιστοι, quibus hoc vitium non est.

Partes interiores equorum habent nomina eadem quæ in homine & his sunt similes, præter bilem, quæ fluitare in intestino perhibetur. Et πνεύμονα, quem ajunt esse in equis τρίλοβον, id est, *trifidum*. Pulmonibus læsis dicitur equus πνευμονόῤῥωξ. Etiam στέαρ, id est, *adipem*, equus non habet, sed πιμελήν. Atque in equorum & mulorum corde, ossa reperta esse traditur. Omnium autem animantium cum solidis ungulis, tres morbi sunt acerrimi, vesicæ, & tormina, id est, εἰλεὸς, & ἐπίστρεψις seu ἐπιστροφὴ ἐντέρου, & tertius cui a corde nomen est cardiaco. Peculiaris autem est morbus equorum κριθίασις, *cruditas*; & ὑπεραίμωσις, *sanguinis abundantia*, qui contrahitur de sagina. Et ἐκκομίσαι τὸν σῖτον, quod est fastidium pabuli. Aristoteles VIII. Ἱστορίας, morborum in equis nomina ponit, τὸ νυμφιᾶν, *limphari*, ut Gaza, & κατωπιᾶν, *caput demittere*: κήλωνα, dixere admissarium, id est, ἵππον ὀχευτικόν: aliqui ἀναβάτην, Plauto est *emissarius*.

Equus agitatur, & est ab equo, verbum equitare. Græcis autem *equitatio* ἱππασία est, & ἔλασις, & ἐλασμός. ἵππος γὰρ ἐλαύνεται. Item ἵππος ταράσσεται, *perturbatur*, quod πτύρεσθαι dixere. Sed qui agitat equum, ἱππεὺς est, id est, *eques*. Græci ἐπιβάτην & ἀναβάτην, ab ascendendo & inscendendo nominant. Lacedæmoniis, ut retulit Eustathius quoque *Iliad.* θ'. ætatis hoc nomen fuit, jam idoneæ ad conjugium, & hujus principes ἱππαργέται. quorum & in *Repub. Lacedæm.* a Xenophonte mentio fit. Ἱππάγρετα autem loci nomen in Libya. ἀπὸ τοῦ ἵππου, est ἵππειος, ut κωλωνὸς ἵππειος, Athenis. Et ἡ ἱππεία, agitatio equestris. Ἵππη proprium nomen meretriculæ. Ἱππων, Philosophi nomen: nam ἱππὼν stabulum significat. Item proprium Ἱππίας.

Cognomenta veterum deorum equestria fuere plurimorum. Nam & Ποσειδῶν ἵππιος, & Ἄρης ἵππιος, & Ἥρα & Ἀθηνᾶ ἱππία consecrata fuit. Hermogenes quoque Xanthius, qui tribus Olympiadibus coronatus fuit octies, habuit cognomentum ἵππου, ut refert Pausanias. Nota etiam servilis, equus fuit, inusta in Sicilia Atheniensibus, ut narratur in *Nicia* a Plut. τούτους ὡς οἰκέτας ἐπώλουν στίζοντες ἵππον εἰς τὸ μέτωπον. Et proprium fluvii nomen in Colchide; & machina, quæ postea arietis nomen habuit: cujus inventorem perhibent fuisse Epeum. Unde fabula nata ἵππου δουρείου. vel secundum Homerum δουρατέου, Et ἵππου μνῆμα, ubi equo mactato Tyndareos jurare coegit procos filiæ Helenes, ut Pausanias *Laconicis*. Idem scripsit *Arcadicis* Saturnum pro Neptuno oblatum a Rhea devorasse pullum equi. Hippocrati est ἱππάκη caseus equinus. In Libya autem promontorium ἵππου ἄκρα nominatur. ἵππον εἰς πεδίον, proverbii metaphora est. Est & ἀπὸ τοῦ ἵππου ἱππώδης, ut ἱππώδης κεφαλὴ, caput simile equino capiti, quale in asinis improbatur. Dixere etiam posteriores, ἱππάδας, equas admissuræ idoneas: & ἱππότιλον morbum.

Sed redeamus ad equites, de quibus hoc fertur,
Ἱππεὺς ἱππεύειν ἐδάη, καὶ ἀοιδὸς ἀείδειν.

Erant autem ἱππεῖς equites Athenis & Romæ ordo quidam. Cujus Athenis nomen ἱππάς: apud Chalcidenses ἱπποβάται. Romanus census equestris erat quadraginta sestertia. Atticus, τετρακόσια μέτρα; de quo alias. Et ἱππεύειν pro equite se gerere. Lysias legem Atticam infamem esse jubere ait, ἐάν τις ἀδοκίμαστος ἱππεύῃ, *qui non lectus equitibus se admisceat*. Dixere autem de equitatione ἱππεύειν & ἱππάζεσθαι. Luciano Silenus asino equitat, ὄνῳ, inquit, τὰ πολλὰ ἱππεύοντα. Et auræ Favonii sunt ἱππεύσαντος ἐν οὐρανῷ, *Phœnissis*. Περιιππεῦσαι, equo prætervehi; ἀντιπεριιππεῦσαι, contra invehi; καθιππάζεσθαι, insul-

tare, cum genitivo. Et cum accusativo opprimere Æschylo: παλαιὺς νόμους καθιππάσατε, evertitis invehendo: καθιππάσαι, obscœnum est: στρέφεσθαι quoque equestre verbum, & ἀναστρέφεσθαι, & ἐπαναστρέφεσθαι, *converti, reverti*: ἅρματα τέθριππα, sunt quadrigæ: in pompa autem Antiochi cognomento ἐπιφανῆς, sed re vera ἐπιμανῆς, narrat Athenæus *l.* v. etiam ἑξίππα fuisse, numero centum. Idem *l.* XII. scribit Sybaritas habuisse equos ὀρχυμένους, id est, *edoctos saltationes*: & ἵππος δεδαγμένος προσκυνεῖν, qui coram domino se submitteret abjiciens in genua, in *Trajano* Dionis est: ἱππική, & παιδεία ἱππική, VIII. *Leg.* res equestris, scientia & disciplina rei equestris: regia illa quidem, ut placet Aristoteli *Politic.* III. quæ est Poetis ἱπποσύνη: sicut ἱππεὺς, ἱππότης: ἱππικῶν ναυαγίων appellatione de fractis curribus aurigarum, usus est Sophocles *Electra*: ἱππικὸν διάστημα, *intervallum* seu *spacium equestre* passuum quingentorum, Plutarch. *Solone*: ἡ ἵππος autem & equitatum, id est, copias equestres, significat, ut Herodotus in *Clio* dixit ἵππον μυρίαν: ἱππαγωγὸς ναῦς, navis qua equi vehuntur. Quod genus primum apparatum fuit de veteribus navigiis anno secundo belli Peloponnesiaci: ἱππαλεκτρύων in *Ranis* Aristophanis, mirificum animal & monstrosum & fœdum, vel confusa equi & galli specie, vel immanis cujusdam galli forma: nam ἵππος cum aliis verbis adjungitur, magnitudinem significat, ut ἱπποσέλινον, *apium grande*: & ἱππομανὴς Αἴας, *Ajax vehementer furens*: Ἱππομανὴς etiam proprium, amatoris Atalantæ. Et ejus qui vitiaverat virginem, quam in desertum ædificium una cum equo inclusam pater fame necavit Athenis, ut narratur in oratione Æschinis *Timarchum*, & nomen dicitur illi loco remansisse παρ' ἵππον κ) κόρην. Παρίππος autem in quadam *Epistola* Apostatæ est comes equestris: ἱπποδέτης Ἡρακλῆς, ab equis vinciendis, Pausanias *Bœoticis*: ἱπποβούκολοι, sunt in *Phœnissis* ἀκυρώτερον, custodes equorum: ἱπποβάμονα & ἱππόκρημνα, grandia & sonantia, vel potius strepentia verba, in *Ranis* Aristophanis: ἱπποκόμος est curator equorum. Sed ἱππόκομος κόρυς, galea cristata, *Iliad.* π'.

Ἱπποκόμου κόρυθος φάλον ἤλασε Ποσειδῶν ἱπποκύειος.

Apud Laconas, a nutricando & educando. ἱππόθορος, inter Musicos modos fuit, νόμος αὐλητικὸς, ut Plutarchus refert, γαμικοῖς παραγγέλμασι, cantus tibiarum, quo admissuræ tempore ad libidinem equi incitabantur. ἱππονώμαν, Solis epithetum apud Aristophanem interpretantur, τὸν δι' ἠέρος ἐλαύνοντα κ) νωμῶντα τὸ ἱππικὸν ἅρμα, id est, *agentem æthereos currus*. Nam etsi aurigas fecerunt alios quoque deos suos Poetæ, neque sine curribus itinera illorum expediunt (itaque utendum petit currum a Marte saucia Venus, *Iliad.* έ.) tamen Solem eximium aurigam esse voluerunt, cui & equo rem divinam Persas facere solitos accepimus. Sed ἱππονώμας, in *Hippolyto* est equorum agitator,

Οὐκ ἔστι σοι κυναγὸς, οὐδ' ὑπηρέτης,
Οὐδ' ἱππονώμας, οὐδ' ἀγαλμάτων φύλαξ.
Non est venator tibi magis, neque famulus,
Neque qui agitet equos, tua simulacra aut qui colat.

Ἱππονόμους βοτῆρας dixit in *Ajace* Sophocles, qui pascunt & custodiunt equos: qui sunt ἱππόφορβοι. Et ἱπποφόρβια, equorum armenta. Plutarch. Εὐμενὴς τοῖς βασιλικοῖς ἱπποφορβίοις περὶ τὴν Ἴδην νεμομένοις ἐπιτυχών. Interpretantur & ἱπποφόρβιον, *capistrum*, ἀπὸ τῆ φορβειᾶς. ἱπποκρατεῖν, equitatu esse superiorem. Plutarch. ἐβούλετο μὲν ἱπποκρατῶν ὁ Εὐμενὴς τοῖς Λυδίοις ἐναγωνίζεσθαι πεδίοις. Arrianus *libro* v. ἀλλ' αὐτὸς ἅτε ἱπποκρατῶν, τὴν πολλὴν τῆ ἵππα ἀναλαβὼν, ἐπὶ τὸ εὐώνυμον κέρας τῶν πολεμίων παρήλαυνε, ὡς ταύτη ἐπιθησόμενος. Ipse quod equitatu esset superior adjuncta sibi magna copiarum equestrium parte, ita in sinistrum hostium cornu invehitur, tanquam ibi eos aggressurus: ἱππόμορφον εἶδος, in *Phedro*, est equi forma seu species. Ubi & equi strenui atque probi hæc extat descriptio. Hic est enim ὀρθὸς κ) διηρθρωμένος, *erectus & integris atque firmis membris*: ὑψαύχην, *ardua cervice*: ἐπίγρυπος, quæ est forma, ut extent ossa & quasi adunca sint supra nasum: λευκὸς ἰδεῖν, *candidus aspectu*: μελανόμματος, *cum nigris oculis*: ἄπληκτος, κελεύσματι κ) λόγῳ ἡνιοχούμενος, qui non expectat verbera; sed cohortatione & verbo incitatur atque aurigæ obsequitur. Equus autem pravus & futilis, ita describitur, σκολιὸς, *obliquus & detortus*: πολὺς εἰκῆ συμπεφορημένος, magna cum mole sine ordine congesta, id est, vastus: κρατεραύχην, *cervice valida*; βραχυτράχηλος, *brevi collo*: σιμοπρόσωπος, *depressa & repanda fronte*: μελάγχρως, *colore nigro*: γλαυκόμματος κ) ὕφαιμος, *oculis cæsiis & subrubentibus*: ὑβριστὴς, *petulans*: ὦτα λάσιος, *cum auribus hirsutis*: μάστιγι μετὰ κέντρων μόγις ὑπείκων, *ægre officium suum faciens instigatus & admotis calcaribus*: ἱππωνεῖν, *equos emere*: & ἱππωνεία, nomen: ἱππηγέτης, Neptunus Lycophroni, &, ut opinor, ἱππολεχὼ Ceres: Νικίππη proprium, ut Μελανίππη, Φιλίππη. Αγανίππη fons: & Εὐρίππα Minerva. Notatur, λεύκιππος, cum ἵππος initium crassum habeat, ut λεύχιππος esse debuerit, huic simile νικίππη. Φίλιπποι etiam ἱππεραστὰὶ appellati fuere: Ἱππόβοτος, Ἱππόδαμος, Δωξιππος, Ἵππαρχος, Ἱππότης, quo nomine & exulem indicari traditur, & alia tam propria quam appellativa significatione reperiuntur. Ut & ἱππάφεσις, quo nomine & meretricula vocata fuit, & in Olympia machina carcerum, cujus fabricator Cleœta, quem ipsum operis illius mentionem fecisse scribit Pausanias in quodam epigrammate his versibus,

Ος τὴν ἱππάφεσιν σεῦ Ολύμπια εὕρετο πρῶτος,
Τεῦξέ με Κλεοίτας υἱὸς Αριστοκλέους.
Carcerum Olympiaci fabricator, Aristocle, cursus,
Natus Cleœtas hoc quoque fecit opus.

Tale & Ἱππόμαχος, quo nomine vocatus fuit celebris Alipta; cujus dictum Plutarchus in libello *de cupiditate divitiarum* retulit hoc: Audiens laudari hominem ille procerum & cum longis manibus tanquam pugilem, *Ita est*, inquit, *siquidem suspensa alicunde palma detrahenda sit*. Ἱπποκρήνη, & in Bœotia & apud Trœzenios fuit: quem *fontem Caballinum* vocat Persius. Nomen Pythagoræ patris ab aliquibus fuisse traditur Ἵππασος. Ορσιππος ejus nomen, qui primus cursu,

Obtinuit palmam nudus Olympiacam.

Ut est in Græco epigrammate: Δέξιππος, proprium, & Θέρσιππος, qui primus saltasse Sicyonin Satyricam saltationem traditur: Μελάνιππος, celebratus Lucianicis *Dialogis*: Ἱππόλα, urbs Laconica, & Minerva Ἱππολαΐτις. Ἱππόλας autem est Ἱππόλαος, sicut Αρκεσίλας. Αρκεσίλαος. Ἱπποσθένης proprium: quo & Neptuni numen significatum fuit: ἄνιππος est is *qui equis caret*: ἀμίππους, *desultorios* interpretantur. Vel etiam equi.

tum assectas pedites: *μόνιππος* Plat. VIII. *de Leg.* est *κέλης*: *κέλης* autem navigii quoque genus, Plauto *Milite*, ut opinor, Celox: *ἱπποτροφῆσαι*, *equos alere*: *ἱπποτρόφος*, hujus rei studiosus, in *Oratione περὶ στεφάνου*: & *ἱπποτροφία*, studium ipsum, quod celebre fuit in Alcibiade, ut Plutarchus retulit. Proprium est Ἀνάξιππος Ἱππαγόρας, Ἱπποθόων, filius Neptuni, ut Pausanias scribit, Athenis τῶν ἐπωνύμων, id est unus ex iis a quibus Tribubus nomina imposita fuere, ab hoc enim est Ἱπποθοωντίς: *Δάϊππος*, statuarum fusor. Et *ἱππόνοος* Bellerophontes: Ἱππόνικος, Ἱππαρέτη, Θράσιππος, Κάλλιππος, Ξάνθιππος, Φείδιππος: Ἱππόδρομος & loci & rei nomen: Ταράξιππος loci nomen in Olympia, ubi perturbari quondam equos aurigarum solitos Pausanias narrat: *ἱπποκρότων γυμνασίων*, quæ sunt execrationes equestres, mentio fit in *Hippolyto*: *ἱππομανές*. Hanc stirpem nasci Arcadicam, dicitur in *Pharmaceutria* Theocriti: etsi non stirpem aliqui τὸ φυτὸν, seu φῦμα interpretantur, secundum hæc,

Queritur & nascentis equi de fronte revulsus
Et matri præreptus amor.

Quæ est Aristotelica sententia. Refertur tamen stirpis descriptio ex Crateua, fructum illam ferre similem cucurbitæ agresti, sed esse folio nigriore spinoso ut papaveris. Verum hunc amores conciliare istam stirpem tradidisse negant. Aliis alia hæc res est, exquisita olim a veneficis, & indita, perhibentibus Eleis, equo dedicato a Phormide in Olympia, ut scripsit Pausanias. Hoc animal *μονοτόκον* est, id est, *singulos fœtus parit*: & *διτόκον*, & *καθαρώτατον*. De ætate, & partus admissuræque temporibus, narrationes Veterum in medio sunt. Insignem etiam in modum mutare vocem genus equinum prodit Aristoteles. Apud Plautum superbo nomine miles est *στρατιπποκλῆς*: *ἱπποπέδην* autem aliqui catenam appellarunt qua equi pedes vincirentur. Est autem *ἵππος ὁμώνυμον*: nam & quadrupes animal de quo tam multa verba fiunt, nomine equi, significatur; & signum cœleste, & in cœlo species cometarum, quæ & *ἱππεὺς*, & in aquis piscis, itemque illud monstrum animantis de

A quo supra. Ἐφιππίδα στέγη dixere strata equorum, ut retulimus. Plato autem VIII. *de Leg.* *δρόμον ἐφίππιον*. Sed Sophocles *Electra* *κλύδωνα ἔφιππον*: *δίιππον* Κυρήνην Pindarus; & *διιπποτάκων πάξιν* Xenoph. *Hell.* IV. *ἵππαρχος* est & *ἱππάρχης*, sicut *γυμνασιάρχης*, qui & *ἱππαρμοστής*; Latinis magister equitum, vel præfectus. In Orphei *Hymnis* Sol est *ἐλάσιππος*: cujus significationis altera forma *ἱππηλάτη*. Et Luna *φίλιππος* itidemque Nox. *ἱπποτοξόται*, ut Scythæ, qui equites arcus gestant, & *ἱππακοντισταὶ*, qui jacula. Platoni in VIII. *Leg.* est *τοξότης καὶ ἀκοντιστὴς ἀφ' ἵππων*. *ἱππηλασία* & *ἱππασία* est, & qua aguntur equi, & *ἱπποκέλευθος*
B Poetis, eques: *ἱπποκράτεια*, Arcadicos ludos Dionysius interpretatur Consualia. *ἵππουρος* & *ἱππουρὶς* piscis Athenæo. *ἱππίατρος*, qui generali nomine *κτηνίατρος*, veterinarius. Extat Epigramma *lib.* IV. *Græcorum Epigrammat.* in *Sosandrum ἱππίατρον*, quo dicitur magis illi Ἱπποκράτης nomen convenire, hoc modo.

Sanavit medicans homines Hippocrates, at tu
Sosandre occultæ conscius artis, equos.
Aut artem aut nomen mutes, neuterque vocetur
Nomine, quod studio convenit alterius.

C *In equos insiliunt, ascendunt, inscendunt.* Id est, *ἀναπηδῶσιν*, *ἀναβαίνουσιν*, *ἐπιβαίνουσιν*. Et *desiliunt*, *descendunt*, *καταβαίνουσιν*: & *καταβεβηκότες ἀναπαύονται*, acquiescunt.

Sed hactenus nostram Commentationem productam esse satis sit, de equis, quod Græci ajunt esse *ζῶον πανταχῆ πελαστόδαστον ἀνθρώποις*. Neque studuimus autem congerere omnia quæ potuissemus, præsertim illa, quorum in promtu esset cognitio expositorum jam ab aliis, & vix ista commode describi a nobis hoc tempore potuere. Quæ tamen eruditis confido placitura esse. Quod si mi-
D nus diversis occupationibus studia nostra conturbarentur, poteramus fortasse & copiosiora & magis concinna & certius explicata edere. Sed hæc laus aliis scilicet est concedenda. Et relinquendum quoque aliquid quod quasi decerpat ex veterum doctorum scriptis aliorum diligentia & assiduitas.

F I N I S.

JUL. CÆS. BULENGERI,

JULIODUNENSIS,

DE

TRIUMPHIS, SPOLIIS BELLICIS, TROPHÆIS, ARCUBUS TRIUMPHALIBUS, ET POMPA TRIUMPHI,

LIBER UNICUS.

INDEX CAPITUM.

JUL. CÆS. BULENGERI,

JULIODUNENSIS,

DE

TRIUMPHIS, SPOLIIS BELLICIS, TROPHÆIS, ARCUBUS TRIUMPHALIBUS, ET POMPA TRIUMPHI,

LIBER UNICUS.

CAP. I.



CUM nulla unquam gloria verior habita sit, quam quæ virtute & armis quæreretur, omnium animis id semper insitum fuit, ut bellicæ gloriæ memoriam ad posteros transmitterent, ejusque monumentum aliquod relinquerent ii, quorum virtus præ cæteris enituisset. Ex eo fonte mos ubique pene gentium obtinuit, ut arma hostibus derepta domi ad postes affigerent, aut in templis e tholo suspenderent, arcus, trophæa, columnas, aras, statuas erigerent, triumphum ducerent, cujus vestigia non leviter imprimerentur, sed in ære, aut marmore defixa, literisve ac monumentis prodita, in omnem consequentis temporis memoriam perdurarent. Verum ex his omnibus quod primum in usum venerit, non usquequaque notum est. Equidem ita censeo, hujus rei, sicuti & aliarum, tenuia principia fuisse, primumque arma domi, aut templis affixa, vel e columnis, & arboribus ruditer, ac sine arte suspensa esse; deinde a parvis initiis, ad eam triumphi majestatem, quæ Roma florente fuit, gliscente in dies ambitione, exiguis incrementis deventum esse. Nam & in historia sacra *Regum lib.* I. *c.* XXI. ensis Goliath pallio involutus (ῥομφαία Γολιὰθ ἐνειλημμένη ἱματίῳ) apud Abimelech Sacerdotem Deo consecratus, & valvis affixus est: & apud Manil. *lib.* IV. moris fuit,

—— postes ornare superbos
Pellibus, & captas domibus configere prædas.

Virgil. *Æneid.* VII.

Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.

Silius *lib.* VI.

Affixi clypei, currusque, & spicula nota,
Aedibus in parvis, magni monumenta triumphi.

Seneca in *Thyeste*:

Affixa inhærent dona, vocales tubæ.
—— hic præda hostium
Et de triumpho picta barbarico chlamys.

Verosimile est, eos tantum Romæ, quibus spolia cum armillis, & coronis a victore Imperatore donata essent, ea potuisse domi suspendere. Διὰ τὸ μόνοις ἐξεῖναι περιτίθεσθαι κόσμον τοῖς ὑπὸ τῶν στρατηγῶν ἐπ' ἀνδραγαθίᾳ τετιμημένοις, ἐν τε ταῖς οἰκίαις καὶ τὰς ἐπιφανεστάτους τόπους τιθέασι τὰ σκύλα, ut Po-

A lyb. *lib.* VI. Romæ in Capitolio, &, ut Sueton. *c.* XVII. in *Claudio*, in Palatio, ad columnas, affigi moris fuit. Livius *lib.* XL. Ab his, inquit, columnis, quæ in Capitolio erant, signa amovit, quæ incommode posita videbantur. Item, Clypeaque de columnis, & signa militaria, affixa, omnis generis dempsit: ornabatur enim Capitolium signis militaribus. Polyb. pag. 47. Τὰ μὲν σκῦλα Ῥώμην ἔπεμψε. λείαν δὲ Consul militibus divisit prædam. Spolia Romam misit: τὸ δὲ καπιτώλιον ἐκόσμησε ταῖς σημαίαις καὶ τοῖς μανιάκοις. In tumultu arma postibus, & templis derepta. Lucanus *lib.* I.

Deripiunt sacris affixa penatibus arma,
B *Quæ pax longa dabat, nuda jam crate fluentes*
Invadunt clypeos.

Legendus Apollon. *Argonaut.* pag. 167. *lib.* I. *Anthologiæ* Mars queritur sibi arma incruenta, & integra esse suspensa:

Οὐκ ἐμὰ ταῦτα λάφυρα· τίς ὁ θρίγκοισι ἀνάψας
Ἄρηος ταύτην τὴν ἄχαριν χάριτα;
Ἄκλαστοι μὲν κῶνοι, ἀναίμακτοι δ' ἀσπίδες.

Persius *satyra* VI.

—— ac jam postibus arma,
Jam chlamydas Regum, jam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos.

C Nonnus *Dionysiac.* pag. 354.

Ὡς δ' ὅτε δυσμενέων μετὰ φύλοπιν, ὀψὲ μολόντες,
Ἀνδρὸς ἀκοντοφόροιο νέης ἀναθήματα νίκης
Ἀσπίδες, ἢ πήληκες ἐπεκρεμόωντο μελάθρῳ.

Horat. *lib.* III. *ode* III.

—— signa ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus sine cæde vidi.

Quanquam spoliis incruentis; ut & reliqua præda aurea & nitente cubilia & thalami ornabantur. Ex hoc more Claud. in *Paneg.* III. *Stiliconis* scripsit:

Quicquid avus senior Mauro, vel Saxone victis,
Quicquid ab innumeris socio Stilicone tremendus
D *Quæsivit genitor bellis,* &c. ——
Nobilibus gazis, opibusque cubilia surgent:
Barbaricis omnes thalamo conferte triumphos.

De armis incruentis elegans epigramma est *lib.* VI. *Antholog.*

Ὅπλα γανόωντα, ——
Οἷάπερ οὐκ ἐνοπᾶς, ἀλλὰ χορῶν ἔναρα.
Οἷς θάλαμον κοσμεῖτε γαμήλιον, ὅπλα δὲ λύθρῳ
Λειβόμενα βροτέῳ σηκὸς Ἄρηος ἔχει.

Id est,

Arma polita & nitida, ——
Qualia non pugnæ, sed choreæ spolia.
E *Queis thalamum genialem ornate, sed arma cruore*
Perfusa humano Martia templa tenent.

Nam & moris fuit, ut nitida arma & radiantia e thalamo ſuſpenderentur. Lib. I. *Antholog.* p. 3.

Παςάδα τις πιοῖς δὲ, ἐ ἀνδρεῶνα, καὶ αὐλὰν
Κοσμείτω, καὶ τὸ νυμφίδιον θάλαμον.

Emeriti etiam milites annis graves domi ſuſpendebant. Ovid. *lib.* IV. *Triſtium* eleg. VII.

Miles ut emeritis non eſt ſatis utilis armis,
Ponit ad antiquos quæ tulit arma lares.

Perſius *ſatyra* VI. morem ornandi poſtes ſpoliis hoſtilibus egregie pingit:

O bone, non quæras, miſſa eſt a Cæſare laurus
Inſignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis, ac jam poſtibus arma,
Jam chlamydas Regum, jam lutea gauſapa captis,
Eſſedaque, ingenteſque locat Cæſonia Rhenos.

Caligula ſcripſit procuratoribus, narrante Suetonio *c.* XLVII. Triumphum appararent quam minima ſumma, ſed quantus nunquam alius fuiſſet, quando in omnium hominum bona jus haberet, Manilius *lib.* IV.

Hoc habet hoc ſtudium poſtes ornare ſuperbis
Pellibus, & captas domibus præfigere prædas.

Silius *lib.* I.

Unde ire in Martem, quo capta referre ſolebat,
Et victor mecum ſuſpendere poſtibus arma.

Auguſtus apud Actium locum Caſtrorum quibus uſus fuerat, exornatum navalibus ſpoliis Neptuno & Marti conſecravit.

CAP. II.

DE ARCU TRIUMPHALI.

Arcus omnis ſuſpenſus fornix appellatur, ait Nonius, arquus non niſi qui in cælo apparet, quam Irim Poetæ dixerunt. *Arcere* eſt continere, authore Feſto; unde & arcus in ædificiis dictus, qui a ſe ipſo continet. Iſidorus *lib.* XIV. *cap.* VIII. minus bene Arcus dicti, quod ſint arcta concluſione curvati, ipſi & fornices. Ridiculus eſt in voce *apſidis*, cum ait; apſida lucida, eo quod lumine accepto per arcum reſplendeant. Dicitur ἁψὶς ab ἅπτω, id eſt, *necto*, quia nectitur e lapidibus junctis ac ſuſpenſis. Ovid. III. *Metamorph*

Eſt ſpecus in medio virgis ac vimine denſus,
Efficiens humilem lapidum compagibus arcum.
—— nam pumice vivo,
Et levibus tophis nativum duxerat arcum.

Idem XI. *Metamorph. arcuatum curvamen* pro arcu poſuit, de Iride:

Dixit, & arcato cœlum curvamine ſignans.

Arcus autem, qui dicti τροπαιοφόροι, per initia fuere rudes, & ſine impenſiore ornatu, lateritii ut plurimum, cujuſmodi arcus Romuli Romæ; aut ex rudi lapide quadrato, ut Camilli; aut ex marmore, ut Cæſaris in foro, Gordiani in Viminali, Gratiani & Theodoſii non longe a via triumphali. Uſum eorum antiquiſſimum eſſe vel ea res argumento ſit, quod in hiſtoria ſacra *Regum* non uno loco commemorantur. D. Gregorius Nazianzenus ſcribit Davidem, D. Hieronymus Saulem ſibi arcus & fornices triumphales erexiſſe: dicuntur tropæophori a Græcis. Dio *lib.* LIII. de M. Vinitio agens ob victos ſub Auguſto Celtas; ἁψίς τε ἐν ταῖς Ἄλπεσι τροπαιοφόρος οἱ ᾠκοδομήθη. Xiphilinus *Veſpaſiano* ἁψῖδες, inquit, τροπαιοφόροι ἐψηφίσθησαν. Dicti ſunt trophæophori, quod in ſummo arcu ſpolia hoſtibus derepta exaggerarentur,

A trophæi ritu, aut res ab Imperatoribus geſtæ, oppida capta, hoſtium arma, captivorum greges in ipſo arcu exſculperentur. Claudian. *lib.* III. *Stilicon.*

Indutoſque arcu ſpoliis, æquataque templa
Nubibus.

Panegyr. IV.

Æraque veſtitis numeroſa puppe columnis.
—— ſpoliiſque micantes,
Innumeros arcus.

Juvenal. *ſat.* X.

—— & ſummo triſtis captivus in arcu.

B Prudent. *lib.* II. *in Symmach.*

Fruſtra igitur currus ſummo miramur in arcu
Quadrijugos, ſtanteſque duces in curribus altis,
Sub pedibuſque ducum captivos poplite flexo
Ad juga depreſſos, manibuſque in terga retortis,
Et ſuſpenſa gravi telorum fragmina trunco.

Exſculpebantur autem variæ rerum imagines: triumphi pompa, ferculorum ordo, cæteraque id genus in marmore exprimebantur, interdum hyalo diſtincta. Prudent. in *Hymno Beatorum Apoſt.*
C *Petri & Pauli:*

Tunc camuros hyalo inſigni varie cucurrit arcus,
Si prata vernis floribus renident.

Romæ in arcu Titi marmoreo, inter forum Rom. & amphitheatrum, Imperator in curru ſedens ab alata victoria coronatur. Currui præfertur arca fœderis inter Judaica ſpolia, præcedentibus 12. faſcibus Conſul. altera ex parte, tabulæ Moſaicæ, menſa aurea, candelabrum aureum, cum ſeptem lucernis, & varia templi Judaici vaſa. In medio arcu Titus ſedens Aquilam alis expanſis u-
D traque manu ſub genibus tenet, in fronte Judæi vinctis poſt tergum manibus. In quibuſdam arcubus expreſſæ pugnæ navales, & terreſtres, cum variis machinis bellicis, & armis, quod in arcu Septimii videre eſt, ad radices Capitolii, ad cujus faſtigium per gradus 50. aſcenditur. In arcu Conſtantini Magni, qui poſitus eſt in Palatii radicibus, ad caput viæ Appiæ, bellum in Maxentium exſculptum eſt, cui etiam jacenti Conſtantinus equo admiſſo inſultans minitatur. Arcuum olim lunata forma fuit, & fornicata ſemicirculi inſtar, unde & qui P. Victori Fabianus arcus eſt. Cicero II. *in Verr.* arcus eſt Fabianus. Poſtea qua-
E drati eſſe cœperunt, ita ut in medio ampla eſſet porta fornicata, per quam victor ovans tranſiret. Claudianus *Panegyr.* IV.

Aſt ego frænabam geminos, quibus altior ires,
Inſignis candoris equos, & nominis arcum
Jam molita tui, per quem radiante decorus
Ingrederere toga. ——

Hinc inde portæ erant minores, ut ſcribit Fabricius in ſua Roma; intra mediæ portæ fornicem victoriæ alatæ, quæ demiſſæ victori tranſeunti coronam imponerent. Ornabantur arcus ſtatuis,
F imaginibus, columnis, quadrigis, ſignis militaribus, clypeis. Dio, καὶ εἰκόνες αὐτῷ ἐπ᾽ ἁψίδων, ἐν τε τῇ Τιβέριδος γεφύρᾳ ἐποιήθησαν. *Ei factæ ſunt imagines in arcubus in ponte Tiberis.* Liv. *lib.* XLI. Fornicibus ſigna aurata inſtituit. De ſtatuis docet Aſconius *ad* II. *Ver.* Fornix, inquit, Fabianus arcus eſt juxta regiam in ſacra via, a Fabio Cenſore conſtructus, qui a devictis Allobrogibus Allobrox dicitur, ibique ſtatua ejus poſita. De columnis Plinius *lib.* XXXVI. Columnarum, inquit, ratio erat,

erat, attolli supra cæteros mortales, quod & arcus significant novitio invento. Novitium inventum vocat ornamenta illa exquisitæ operæ, quæ lenocinia ambitionis, non præmia virtutis fuerunt: arcuum enim rationem non esse novitiam, sed antiquam, indicio sunt arcus Romuli, Camilli, & Fabii, quorum hodieque Romæ vestigia extant. Plinius *l.* XXXVI. c. V. Ex honore, inquit, apparet in magna authoritate habitum Lysiæ opus, quod in Palatio super arcum D. Augustus honori Octavii patris sui dicavit, in ædicula columnis adornata: id est, quadrigas, currusque, & Apollo, ac Diana ex uno lapide. Ingentem illum arcum fuisse oportet, super quem ædicula cum columnis exstructa esset. Columnæ sæpe in fronte fuerunt, cujusmodi Romæ 4. illæ sunt in arcu Domitiani, in quo & imago Urbis, & Victoriæ, tum ipse Domitianus nudus sedens corpore procero dormienti similis a Minerva fovetur. Constantini Magni superior arcus, & latera Romæ circumquaque statuis ornantur: in Domitiani arcu quadrigæ fuere. Martial. *l.* VIII. *epigr.* LXV.

Stat sacer edomitis gentibus arcus ovans.
Hic gemini currus numerant elephanta frequenter;
Sufficit immensis aureus ipse jugis.

In Arcu triumphali Constantini Magni Romæ hic titulus incisus:

IMPERATORI CAESARI FLAVIO MAX. PIO, FELICI, AVGVSTO SEN. P. Q. ROMANVS, QVOD INSTINCTV DIVINITATIS, MENTIS MAGNITVDINE, CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EJVS FACTIONE VNO TEMPORE JVSTIS REMP. VLTVS EST ARMIS, ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT VOTIS X. VOTIS XX. LIBERATORI VRBIS, FVNDATORI QVIETIS.

Ubi admonebo, Domitianum plures arcus extruxisse per omnes urbis regiones, & insignem via Appia, de quo Statius *l.* I. *Sylv.* Sueton. *Domit.* c. XIII. Janos, arcusque cum quadrigis, & insignibus triumphorum per regiones urbis tantos ac tot extruxit, ut cuidam Græce inscriptum sit arcui, ἀρκεῖ: sic optime doctissimus Casaubonus restituit. In superiore arcu spatia fuere, ubi consisterent tubicines victore transeunte, milites trophæa ostentantes, aliique, qui victoriolas demitterent, flores spargerent, carmina canerent, & alia ejus generis facerent. Positi sunt arcus ex Senatus decreto, & plebiscito, vel authoritate Imperatorum, ut ex hac inscriptione Arcus Titi via sacra perspicuum est:

SENATVS P. Q. ROMANVS D. TITO, DIVI VESPASIANI FILIO VESPASIANO AVGVSTO.

In Arcu Septimii:

IMPERATORIBVS SEVERO, ET FILIO ANTONINO OB IMPERIVM P. R. PROPAGATVM, INSIGNIBVS VIRTVTIBVS EORVM, DOMI FORISQVE, S. P. Q. R.

Positus interdum arcus est a corpore aliquo negotiatorum, argentariorum, & cæterorum id genus, ut apparet ex inscriptione Arcus Septimii, in foro boario:

SEVERO ARGENTARII, ET NEGOTIATORES BOARI HVJVS LOCI, QVI INVEHANT, DEVOTO NVMINI EORVM.

Privati interdum posuere, gratiæ, ut videtur, Imp. conciliandæ: nam in Arcu Gallieni hæc inscriptio est:

GALLIENO, ET VXORI EJVS M. AVRELIVS VICTOR DEDICATISSIMVS NVMINI, MAJESTATIQVE EORVM.

Liviæ exemplo factum est, ut fœminis arcus ponerentur, de qua Dio. Senatus Liviæ Augustæ ἀψῖδα, ὃ μηδεμίᾳ ἄλλῃ γυναικὶ, ἐψηφίσατο. In foro boario Arcus est boarius, a Sacerdotum collegio, ut videtur, positus, ubi victimæ, & victimarii, cum malleo, cultro, secespita, aheno, capide, pateris, flagello, candelabro, linteis. Causæ cur ponerentur plures, ut plerumque lætæ res. Nam & ob recepta signa cum Varo amissa, propter ædem Saturni Arcus dicatus est, apud Tacit. *l.* II. *Annal.* & ob victorias; quæ causa sæpe ascripta est in Arcu Constantini:

CONSTANTINO MAX. QVOD INSTINCTV DIVINITATIS, MENTIS MAGNITVDINE, CVM EXERCITV SVO DE TYRANNO JVSTIS REMPVBL. VLTVS EST ARMIS, ARCVM TRIVMPHALEM DICAVIT S. P. Q. R.

Inscriptio enim arcuum & causam, & nomina eorum qui dicarent, quibusque dicaretur, continebat, ut index ac titulus, qui carmine interdum asculptus, ut apparet ex hoc fragmento in Arcu Drusi Neronis, Cæsaris Augusti privigni apud Petrarcham:

—— ad divortia Rheni
Pervasi hostiles depopulatus agros.
Dum tibi Roma decus, æternaque sudo trophæa,
Ister pacatis lenior ibat aquis.

Tacitus plures ponit, *l.* II. Decrevere Patres ut Germanicus atque Drusus ovantes urbem introirent. Structi & arcus circum latera templi Martis ultoris cum effigie Cæsarum. Item de Germanico. Arcus additi Romæ, & apud ripam Rheni, & in monte Syriæ Amano, cum inscriptione rerum gestarum, ac mortem ob Remp. obiisse. Marcus Anton. Philosophus ad Istrum in Pannonia superiori devictis Marcomannis arcum excitavit, apud Capitolin. & Julianus Desertor apud Sabariam Pannoniæ ob devictos Alemannos, apud Ammian. Marcel. Arcus, qui Adriano in ejus foro exstructus est, meminit Xiphilinus in *Adriano.* Arcus interdum diruti sunt eo mortuo cui dicati erant, si memoria ejus invidiosa esset. Quod in Domitiano factum, cujus arcus sparsi ubique per urbem a plebe statim eversi. Xiphilinus in *Nerva;* καὶ αἱ ἀψῖδες πλεῖσαι ὅσαι αὐτῷ πεποιημέναι καθῃρέθησαν. Interdum restituti: in vet. inscript. *Arcus Cœlimontanos plurifariam vetustate collapsos, & corruptos, a solo, sua pecunia, restituerunt Antoninus Philosophus, & Verus.* Consulendus Servius de Cæsaris Arcu, Sueton. de Drusi.

CAP. III.

DE TROPHÆIS.

Græci pro arcu trophæis usi, τρόπαια dixerunt, sicuti & Latini per initia, quæ deinde aspirationem inseruerunt. Latini enim veteres nunquam nisi in vocali aspirationem usurparunt, dicebantque, Triumpus, Cetegus, pulcer, pulcros, Kartaginem, ait Cic. in *Oratore*, & Quintil.

lib. I. & *lib.* XII. *c.* X. ubi narrat quendam de rusti- A co quæsisse, num Amphiona nosset, quo negante, Ampiona dixisse, qui statim a rustico agnitus sit, quia Latinis aspiratio post consonantem ignota. Græci Γράκχον scribunt. Probus quidam inquit: Putant inchoare dici imperitissime: nam neque post C. literam H. Latina verba regunt, exceptis nominibus tribus, pulcher, orchus, lurcho. Quintil. *l.* I. *c.* V. Veteribus, ait, aspirationis nullus usus; dicebant, triumpis, Graccis: erupit brevi tempore nimius usus, ut Choronæ, chenturiones, præchones dicerentur: quod scite ridet Catullus in *Epigram.*

B

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & binsidias Arrius insidias.
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Jam non Ionios esse, sed Hionios.

Ex eo factum, ut triumphum, trophæum, Enipheum, Calphurnium dicerent, more Siculo, qui literam π in φ mutarunt, cum Æoles contra, & quandoque Latini φ in π mutarint; ut in his vocibus, σφίγξ, σφὶξ, πὶξ, pica, id est, gryphes: φάσκωλος, φασκώλιον, pasceolus. Æoles enim tenuiter efferebant, quæ alii aspirate; dicebantque, C ἀπῆκεν, εἰπείλκυσεν, ὄρμος, ὄσιος, pro ἀφῆκεν, ut scribit Joannes Grammaticus. Quod quia usus evicit, cum Cicerone dicam, convitio aurium, cum mihi extorta veritas esset, usum loquendi populo reliqui: malim itaque triumphum & trophæum cum vulgo dicere, quia suavius ad aures accidit, quam cum Lambino Trophæum, & Bosphorum quam Bosporon, licet Græci Βόσπορον, & τρόπαιον, ἀπὸ τῦ πόρυ, καὶ τῆς τροπῆς dicant. Trophæi significationem, apud Nonium, propriam Varro *Bimargo* ostendit: ideo fuga hostium Græce vocatur τροπή: hinc spolia capta fixa in stipitibus appellantur trophæa. Isidorus turbat *l.* XVIII. c. II. his verbis: Trophæum dictum ἀπὸ τῆς D τροπῆς: nam ab eo quod hostem quis fugasset, merebatur trophæum, quod occidisset, triumphum, (inepta distinctio: nam sæpe cæso hoste tropæum sine triumpho) qui dicitur ἀπὸ τῆς τριάμβης, id est, *exultatione:* (inepte) plenæ enim victoriæ triumphus debetur, semiplenæ trophæum, quia nondum plenam est consequutus victoriam, non enim obtinuit, sed fugavit exercitum: (ineptissime) quia trophæa fiebant e spoliis cæsorum hostium; neque fugantur hostes sine cæde. Melius Etymologicon de trophæo: Εἴρηται δὲ ἀπὸ τῦ τρέψαι, καὶ διῶξαι τοὺς πολεμίυς. Τρόπαια (reposui vocem hanc, quæ aberat) τὰ ἱστάμενα σύμβολα τῆς νίκης. Unde & Juno Τρόπαια E dicitur, διὰ τὸ τὰ τρόπαια, ὅ ἐστι, τὰ νικητήρια (τῇ Ἥρᾳ, addo) μὴ μόνον τῷ Διὶ ἀνατίθεσθαι. Fiebant e lapide, marmore, trunco arboris, ære. Pausan. *Attic.* Λίθον Πάριον ἦγον εἰς τροπαίυ ποίησιν, *Lapidem Parium ducebant ad ponendum trophæum.* Plutarch. *Alcibiade:* Πταίσαντες περὶ Ἔφεσον τῦ Θρασύλλυ, τὸ χαλκῦν ἀνεστᾶναι τρόπαιον ὑπὸ τῦ Ἐφεσίων, ἐπ' αἰσχύνῃ τῦ Ἀθηναίων. Cic. *lib.* II. *de Finib.* Thebani æneum in finibus statuerunt trophæum. Prope Cemenum montem, quo loco Isara & Rhodanus fluvii confluunt, Q. Fab. Max. Æmilianus ducenis millibus Gallorum cæsis, *ibidem statuit trophæum ex albo* F *lapide;* καὶ ἔστησε τρόπαιον αὐτόθι λευκῦ λίθυ, ait Strabo *lib.* IV. Veteres arborum truncis usi, rudibus, ac sine arte. Sidonius *Panegyr.*

—— quercusque trophæis
Curva tremit, placidoque deam sub fasce fatigat.

Deo cuipiam dicabantur. Virg X. *Æneid.*

—— exuviasque viri tua pinus habebit.

Claudian. *lib.* I. *in Ruffin.*

—— & hostiles suspendit in arbore cristas.

Stat. *Thebaid.*

Quercus erat teneræ jamdudum oblita juventæ,
Huic læves galeas, perfossaque vulnere crebro
Inserit arma. ——

Plutarchus de Romuli trophæo legendus. Arbores annosæ sacræ habitæ; ideoque ad vota & donaria magis idoneæ: quo pertinet illud *eodem loco:*

Incipit; oranti vox & juga longa resultant.
Bellipotens, &c. ——

Et ad sepulcra fortium trophæum appositum. Virgil. *lib.* XI. *Æneid.*

Ingentem quercum, decisis undique ramis,
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias, tibi magne trophæum
Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca petitum,
Perfossumque locis. ——

Prudent. *lib.* II. *in Symmachum:*

Vis decorare tuum ditissima Roma Senatum?
Suspende exuvias armis & sanguine captas,
Congere cæsorum victrix diademata Regum.

Sidon. *Panegyr. Majoriani:*

Ista micant clypeo, cuspis trabe surgit eburna,
Ebria cæde virum propter Bellona trophæum
Extruit, ut quercum captivo pondere curvet.

In nummo vetere trophæum ita expressum est: in quercu ramis decisis lacerna Germanica, coriacea duo scuta, una fistula barbarica, & vexillum Teutonicum. Plin. *l.* III. c. XX. hanc ait inscriptionem fuisse trophæi, quod in Alpibus Augusto positum est. Imperatori Cæsari Divi fil. Aug. Pontif. Max. Imperatori XIV. Tribunitiæ potestatis S. P. Q. R. quod ejus ductu auspiciisque gentes Alpium omnes, quæ a mari supero ad inferum pertinebant, sub Imperium P. R. sunt redactæ. Herodianus *lib.* III. meminit trophæi Alexandri Magni de Dario, Severi Septimii de Britannis. Diis enim dicata tropæa, ut diximus. Plin. *l.* VI. c. XXVIII. Trophæa eodem in loco Jano & Neptuno statuisse. Vetus Etymologicon Jovi & Junoni posita esse ait, unde & Juno Tropæa dicta: quemadmodum & armorum spoliorumque acervi Diis sacri, qui Marti ut plurimum cremabantur. Sil. *lib.* X.

—— armorumque jubet consurgere acervos,
Arsuros Gradive tibi. ——

Liv. *l.* XLV. Omnis generis arma (Paulus Perseo victo) cumulata in ingentem acervum, precatus Martem, Minervamque, Luamque matrem, & cæteros Deos, quibus spolia dicare jus, fasq; est. Initio *l* VIII. Spolia Luæ matri dare se Consul dixit. *Ibid.* Fabius hostilia arma igne concremavit, seu votum id Deorum cuipiam fuit. Jovi victori interdum arma & spolia cremata sunt, apud Liv. *l.* X. Virg. VIII. *Æneid.*

—— scutorumque incendit victor acervos.

Item Vulcano ex voto. Liv. *l.* XXIII. Spolia hostium Marcellus Vulcano votum cremavit. *Lib.* XXX. Arma omnia Scipio Vulcano incendit, spolia, &c. Arma inutilia cremabantur, quæ usui erant, & tuto ac

facile domum deportari poterant, asservabantur. A Appian. in *Ibericis*: τ̃ λείαν ὅσ' ἐδόκει τῷ στρατῷ τ̃ δυνατὴν φέρεσθαι, τὰ λοιπὰ τοῖς θεοῖς τοῖς ἐνυαλίοις ἔκαυσε. Nonnunquam Apollini dicata spolia, & cremata. Herodot. *l.* I. Κτήνεά τε τὰ θύσιμα πάντα τρισχίλια ἔθυσε, κλίνας τε ἐπιχρύσους, καὶ εἵματα πορφύρεα, καὶ χιτῶνας, νήσας πυρὴν μεγάλην, κατέκαιε. Loquitur de Crœso, qui spolia & prædam Apollini cremavit. Plutarchus Marium ait arma hostium insignia triumpho reservasse: Τῶν δ' ἄλλων ἐπὶ πυρᾶς μεγάλης κατασωρεύσας τὸ πλῆθος, ἔθυσε θυσίαν, καὶ τ̃ στρατοῦ περιεστῶτος ἐν ὅπλοις ἐστεφανωμένου. Hoc idem a Persis factitatum esse docet Xenoph. *Institut. Cyri* pag. 77. ὅπλα ἔκαιον τ̃ πολεμίων. Et p. 146. scribit oportere B ἐκ τ̃ λείας ἐξελεῖν τοῖς θεοῖς, ὁποῖα οἱ μάγοι ἐξηγοῦνται. Romæ Imperatores cum prædam urerent, discingebantur, ut religione se solvi ostenderent: in resolutoriis enim sacris discingi moris fuit. Appianus *Punico*: Scipio νενικηκὼς Hannibalem, τὰ μὲν ἄχρηστα τ̃ λείας ἐνεπίμπρη, διεζωσάμενος αὐτὸς ὥσπερ εἰώθασι Ῥωμαίων οἱ στρατηγοί. Et *ibid.* Ἀποδόμενος δὲ λείαν τ̃ περιλαδὸν, ὅπλα καὶ μηχανήματα, καὶ ναῦς ἀχρήστους ἀρεῖ, καὶ Ἀθηνᾷ διεζωσάμενος αὐτὸς ἔκαιε, καὶ τὰ πάτρια. Quo loco Minervæ etiam arma cremata esse narrat. Pag. 130. Diis bellicis spolia usta scribit: αὐτὸς ἐνέπρησε τοῖς ἐνυαλίοις θεοῖς, quorum e numero C Pallas: quod ex voto fieri solitum monet Liv. *l.* I. Præda, captivisque Romam missis, spoliis hostium ingenti cumulo accensis. Votum id erat Vulcano a Tarquinio Prisco. Signa militaria nonnunquam, & armillæ in Capitolium inferebantur. Polyb. p. 76. τὸ Καπιτώλιον ἐκόσμησε τ̃ σημαίαις, καὶ τοῖς μανιάκοις. Ea spolia quæ Diis dicarentur, Græci vocarunt ἀκροθίνια, quæ λάφυρα Eustath. *l.* IV. *Odyss.* interpretatur, quasi ἀκροσίνια, παρὰ τὸ σίνεσθαι ἐν μάχῃ πολλάς. Malim ἀπὸ τ̃ θινὸς, id est, *a littore*, dicta, quia prœlio navali victores in summo littore trophæa statuerent: nam & *eodem loco* Eustathius ait, ἀκροθίνια interdum dici ἀπαρχὰς ἀνατιθεμένας ἐξ D ἐμπορίας, διὰ τὸ ἀπὸ θινὸς θαλαττίου σεσῶσθαι. Herodot. *l.* VIII. Πρῶτα μὲν ὦν τοῖσι θεοῖσι ἐξεῖλον ἀκροθίνια, ἄλλας τε, καὶ τριήρεας τρεῖς Φοινίσσας. Ibid. Καὶ τὰ ἀκροθίνια ἔπεμψαν τοῖς Δέλφοις. Id est, *Primum igitur Diis exceperunt spoliorum primitias alias, tum vero triremes tres Phœnissas.* Item, *Spolia miserunt Delphos.* Thucyd. *l.* I. Ἐπὶ τ̃ τρίποδά ποτε τ̃ ἐν Δέλφοις, ὃν ἀνέθεσαν οἱ Ἕλληνες ἀπὸ τ̃ Μήδων ἀκροθίνιον. Armorum igitur acervi pro trophæo fuere. Silius *l.* X.

At tibi bellipotens sacrum, constructus acervo
Ingenti mons armorum surgebat ad astra.

E cui titulus additus, & nomen ejus cujus essent auspicia, licet absentis: id quidem Romæ. Tacit. *l.* II. de Germanico: Laudatis pro concione victoribus Cæsar congeriem armorum struxit, superbo cum titulo; debellatis inter Rhenum Albimque nationibus, exercitum Tiberii Cæsaris ea monimenta Marti, & Jovi, & Augusto sacravisse. Item: miles in loco prælii Tiberium Imperatorem salutavit (absentem) struxitque aggerem, & in modum trophæorum arma, subscriptis victarum gentium nominibus, imposuit. Unde & trophæa pro spoliis. Virg. *l.* III. *Georg.*

F *Et duo rapta manu diverso ex hoste trophæa.*

Nisi quis eo loco pro victoriis sumat; spoliis enim ornari trophæa moris fuit. Florus *l.* III. c. II. exornata armis hostilibus trophæa. Thucyd. *l.* V. Lacones Argivis victis, προθέμενοι τ̃ πολεμίων νεκρῶν τὰ ὅπλα, τρόπαιον εὐθὺς ἔστησαν, καὶ τοὺς νεκροὺς ἐσκύλευον. *Cæsorum hostium arma cum proposuissent, illico trophæum statuerunt, & cæsorum spolia legerunt.* Ovid. *lib.* III. *de Ponto* eleg. IV.

Scuta sed & galeæ gemmis radientur, & auro,
Stentque super victos trunca trophæa viros.

Trophæa trunca vocat, quod armis hostium laceris, truncis, ac perfossis insignita essent. Juvenal. *satyr.* X.

Bellorum exuviæ truncis affixa trophæis,
Lorica, & fracta de casside buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis
Aplustre. ———

Virgilius *lib.* XI. in funere Pallantis, & Stat. supra. Euripid. in *Heracl.*

——— καὶ τρόπαια ἱδρύεται
Παντευχίαν ἔχοντα τῶν πολεμίων.

Ea speciem quandam crucis præ se ferebant, ut docet Cyprianus *in Symbolum* & Octavius in *Minutio*. Trophæa vestra victricia non tantum simplicis crucis faciem, verum & affixi hominis imitantur. Justin. *Apolog.* II. Καὶ τὰ παρ' ἡμῖν δὲ σύμβολα τ̃ τ̃ σχήματος τούτου δύναμιν δηλοῖ. Ὤμεν (lego ἄλλως μὲν, καὶ τὰ τρόπαια) καὶ τ̃ τροπαίων, δι' ὧν αἵ τε πρόοδοι ὑμῶν πανταχοῦ γίνονται, τ̃ ἀρχῆς καὶ δυνάμεως τὰ σημεῖα ἐν τούτοις δεικνύντες, εἰ καὶ μὴ νοοῦντες τοῦτο πράττετε. Id est, *Et signa vestra militaria figuræ hujus crucis potestatem declarant: ipsa etiam trophæa, per quæ progressus vestri ubique fiunt, imperii & potentiæ signa in his ostendentes* (lego τ̃ ἀρχῆς καὶ δυνάμεως ταύτης τὰ σημεῖα δείκνυσι, id est, *imperii & potestatis hujus quæ in cruce est signa ostendunt*) *etiamsi imprudentes hoc facitis.* Σύμβολα signa militaria interpretor. Sic Herodian. *lib.* IV. τὰ τῶν στρατοπέδων σύμβολα dixit. Romam interdum parta victoria mittebantur ab Imperatoribus, Dione teste de Pompejo: Τρόπαια καλῶς κεκοσμημένα καθ' ἕκαστον, καὶ τὸ βραχύτατον ἔπεμψε, καὶ ἐπὶ πᾶσιν ἓν μέγα πολυτελῶς κεκοσμημένον τ̃ οἰκουμένης ἐπιγραφὴν ἔχον. Id est, *Trophæa singula belle adornata, vel minima quæque Romam mittebat, super omnia vero unum majus, magnifice instructum, ac ornatum, totius orbis inscriptionem ferens.* Inscriptio hæc vocatur ἐπιγραφὴ a Plutarcho, παράγραμμα ab Aristide, cum causa trophæi justa non additur, quasi dicas, quod præter jus ascribitur. Sic enim in *Paraphthegmate*: ἐν τοῖς τροπαίοις τὸ παράγραμμα, Ἀθηναῖοι ἀπὸ Θηβαίων, ἢ Περσῶν. Fere enim sine verbo concipiebatur: ἐπίγραμμα vero vocat titulum, quo justa belli & victoriæ causa ascribitur, quæ proprie ἐπιγραφή. *Ibidem*: ἐπίγραμμα Ἑλλήνων, προμαχοῦντες Ἀθηναῖοι Μαραθῶνι ἐκτεινάν Μήδων ἐννέα μυριάδας. Stobæus tit. *de fortuna*: Ὀρθυάδης πολλοὺς σκυλεύσας τ̃ πολεμίων, τρόπαιον ἔστησε, καὶ χρησάμενος τῷ τ̃ τραυμάτων αἵματι ἐπέγραψε, Λακεδαιμόνιοι κατ' Ἀργείων. Id est, *Orthyades spoliis ex hoste lectis trophæum statuit, & sanguine qui e vulneribus manabat pro atramento usus inscripsit, Lacedæmonii victores contra Argivos*, vel *de Argivis*. Ut Virgil. Æneas; *hæc de Danais victoribus arma;* & supra Aristides, ἀπὸ Θηβαίων. Eo respexit Statius *lib.* IV. *Thebaid.*

Et Lacedæmonium Tyri lectura cruorem.

Florus *lib.* II. c. II. de Calpurnio Tribuno militum. Hoc illustrior noster, quod expeditioni tantæ superfuit, & supervixit, licet nihil scripserit sanguine. Ut plurimum inscriptio insculpta est, unde & Lucianus, ἐπὶ τῷ τροπαίῳ ἐγκολάψαι. Cic. *in Pisonem*; idemque ut esset quod in basi trophæorum incidi, inscribique posset. Euripides in *Phœnissis*:

Τρόπαιον πῶς ἀναστήσει δορός;
Πῶς δ' αὖ κατάρξῃ θυμάτων ἑλὼν πάτραν;
Καὶ σκῦλα γράψεις. ——

Quanquam autem arcus everti potuerunt, trophæa tamen, quia Diis dicata, diruere nefas fuit. Dio de Cæsare. Non ausus est, inquit, tropæum Mithridatis καθελεῖν, ὡς δὲ τοῖς ἐμπολεμίοις θεοῖς ἱερώμενον. Sueton. in *Julio* c. XI. Marii trophæa Sylla dejecit; sed dejicere jure non potuit, cum semel dedicata moveri nefas esset; neque Cæsar restituere: nam ne vetustate quidem consumpta restituebantur. Cujus postremæ rei causam hanc affert Plutarchus in *Roman.* c. XXXVI. Ὅτι τῷ χρόνῳ τὰ σημεῖα τῆς πρὸς τοὺς πολεμίους διαφορᾶς ἀμαυρουμένης, αὐτοὺς ἀναλαμβάνειν, καὶ καινοποιεῖν ἐπίφθονόν ἐστι, καὶ φιλαπεχθῆμον. οὐδὲ γὰρ παρ' Ἕλλησιν οἱ πρῶτοι χαλκοῦν στήσαντες τρόπαιον ἀποδοκιμάζουσι. Vidi qui legeret (αὐτὰ ἀναλαμβάνειν) male: αὐτοὺς interpretor, ipsos restituere ea signa. *Lib.* II. Victruvius. Nefas est trophæa dicata removere, ideo Rhodii religione impediti, &c. Symmachus *lib.* IX. *Epist.* Marianus trophæis nequaquam manus invidas pepercisse. Ea fuere in via Prænestina, & Flaminia. Macedones certe trophæa non erexere, narrante Pausan. p. 315. Quod a Carano Macedonum Rege originem duxit, cujus trophæum a lupis eversum est. Nam neque ab Alexandro gentium omnium victore positum ullum trophæum memoriæ proditum est: & eo fine Cicero *in Pison.* conqueritur, in Macedonia trophæa excitata esse. Hic, inquit, in Macedonia trophæa posuit, eaque quæ bellicæ laudis, victoriæque omnes gentes insignia & monumenta esse voluerunt. Sed ea trophæa posita sunt a Macedonibus de Romanis. Verum & in Græcia tandem hunc statuendi trophæi morem exolevisse ex eo colligas, quod *eodem libro* Cicero scribit, Thebanos apud Amphictyonum Concilium accusatos esse quod trophæum de Lacedæmoniis posuissent. Romæ Marii bina fuere trophæa, ut scribit Valerius Max. *l.* VI. *c.* IX. quæ hodieque in Esquilino visuntur: moles enim inibi est lateritia, in qua bina trophæa ex marmore. Sunt autem trunca corpora cum spoliis, quorum alterum thorace squamoso indutum, cum ornamentis militaribus & clypeis, ante se habens juvenem captivum manibus ad tergum revinctis, & undique alatas victorias: alterum armis ornatum, clypeis non usque quaque rotundis, galeis duabus, altera aperta cum cono & cristis, altera clausa sine cristis: in eodem inest forma chlamydis, & alia quædam vetustate fugientia. De Pompeii trophæis in confinio Celticæ & Iberiæ legendus Strabo *lib.* III. & IV. Persæ sua habuere trophæa, quæ *nigla* dicta Hesychio, νίγλα, τρόπαια παρὰ Πέρσαις.

Interdum columnæ, aræ, & turres pro trophæis fuere. De columnis Isocrates *orat. ad Philippum*: Τὰς στήλας τὰς Ἡρακλέους καλουμένας ἐποιήσατο, τρόπαιον μὲν τῶν βαρβάρων, μνημεῖον δὲ τῆς ἀρετῆς αὐτοῦ. Quod & docet Herodotus de Sesostri *lib.* II. Antiquiores columnæ statuis, qualis C. Menio victis Latinis, C. Duilio Pœnis, in foro posita est. Plin. *l.* XXXIV. *c.* V. De aris indicat Cic. *lib.* XV *ad Famil.* In Amano, inquit, monte aræ sunt Alexandri. Tertull. *de Pallio*: post trinas Pompeii aras. Orosius *lib.* VI. Aræ Alexandri in Riphæis montibus. Apud Dionem Cæsar βωμὸν λίθων ξεστῶν ξυνῳκοδομημένων οὐ πόῤῥω τῶν Πομπηΐου τροπαίων ἱδρύσατο. Et apud Arrianum *lib.* V. Alexander ex India rediturus aras erexisse dicitur, ὕψος μὲν κατὰ τοὺς μεγίστους πύργους, εὖρος δὲ μείζονας ἔτι ἢ κατὰ πύργους, χαριστήρια τοῖς θεοῖς. De turribus Florus *l.* III. *c.* II. Victis, inquit, Allobrogibus Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus saxeas erexere turres, & desuper exornata armis hostilibus trophæa. Apud Eurip. in *Phœniss.*:

Διὸς τρόπαιον ἵστατον βρέτας.

Statua est pro trophæo. Dio *l.* XLII. Trophæa quia Diis sacra evertere nefas fuit: Καὶ τρόπαιον ἐπειδήπερ ὁ Μιθριδάτης ἀπὸ τοῦ Τριαρίου ἐνταῦθα που ἐγηγέρκει ἀντανέστησε. καθελεῖν μὲν γὰρ τὸ τοῦ βαρβάρου οὐκ ἐτόλμησεν, ὡς καὶ τοῖς ἐμπολεμίοις θεοῖς καθιερωμένον. Victruv. *l.* II. Postea autem Rhodii religione impediti, quod nefas est trophæa dicata removere, circa locum eum ædificium struxerunt. Xenoph. in *Hellenic.* c. IV. Καὶ τὸ μὲν τρόπαιον οὐ κατέβαλεν. Plutarc. in *Cæsar.* Καὶ δεικνύουσι Ἀρουβενοὶ ξιφίδιον πρὸς ἱερῷ κρεμάμενον, ὡς δὴ Καίσαρος λάφυρον, ὃ αὐτὸς θεασάμενος ὕστερον ἐμειδίασε, καὶ τῶν φίλων καθελεῖν κελευόντων, οὐκ εἴασεν ἱερὸν ἡγούμενος. Dio, Cæsar trophæum erexit eo loco ubi Mithridates de Triario trophæum erexerat. Nec enim ausus est evertere quod Diis bellorum præsidibus sacrum esset. Plutarch. *Ostendunt Arubeni pugionem in templo suspensum, ut spolium de Cæsare, quod ille postea intuitus subrisit, & amicis hortantibus ut tolleret, recusavit, quod sacrum esse diceret.* Arma Diis bellorum præsidibus cremata esse diximus. Virgil. *lib.* XI. *Æneid.*

Hinc alii spolia occisis direpta Latinis
Conjiciunt igni, galeas, ensesque decoros.

In honorem Martis, Minervæ, & Luæ matris cremabant. Livius *lib.* VIII. Spolia Luæ matri dare se Consul dixit. Marcellus Donatus Lunam matrem, non Luam esse vult, nescio qua conjectura ductus, cum Luna inter Deos belli præsides nunquam habita sit. Luam interpretor dictam, quia omnia solvat, a λύω. Adde quod Lunam virginem, aut sterilem, non matrem omnes esse volunt. Sidonius *Carm.* II.

—— *quercusque tropæis*
Curva tremit. ——

Claudianus;

—— *si lætior adsit*
Gloria, vestita spoliis donabere quercu.

Item *Panegyr.* II. *Stilicon.*

Ditibus exsequiis tendentem ad sydera quercum.

CAP. IV.

DE TRIUMPHI NOMINE.

Isidorus triumphum dictum esse vult ἀπὸ τῆς θριάμβης, id est, *ab exultatione*: inepte paulo infra hæc habet: Tranquillus autem triumphum Latine dicit potius appellatum, quod is qui triumphans urbem ingrederetur, tripartito judicio honoraretur: nam primum de triumpho duci concedendo exercitum judicare solitum erat, secundo Senatum, tertio populum. Melius Varro *l* V. *L. L.* Sic triumphare appellatum, quod cum Imperatore milites redeuntes clamitant per urbem in Capitolium eunti, io triumphe io; idque a Thriambo Græco Liberi patris cognomento potest dictum esse. Zonar. in *Diocletiano* triumphum dici vult a voce Græca θρία, quæ ficus folia sunt: prius enim quam scenici personas reperissent, foliis ficulnis ora tegebant, jambis dicteria fundentes, & milites in triumpho ficulneæ foliis ora tegentes triumphantem dictis & salibus aspergebant: Φασὶν οὖν κληθῆναι τοῦτον ἐκ τῶν θρίων, ἅ ἐστι τὰ

τ̃ συκῆς φύλλα πρὸ τῶ τὰ προσωπεῖα ἐπινοηθῆναι τοῖς σκηνικοῖς, συκῆς φύλλοις τὰ ἑαυτῶν καλύπτοντες πρόσωπα, δι' ἰάμβων ἐποιοῦντο τὰ σκώμματα, &c. Suidas θρία folia ficulna esse vult, Libero patri sacra, qui primus triumphavit; unde & thriasis furor poeticus dicitur: Θρίασιν λέγουσι τ̃ τῶ ποιητῶν μανίαν. θρία φύλλα συκῆς ἀνακειμένης τῷ Διονύσῳ, ὃς πρῶτος ἐθριάμβευσε. Avienus de Baccho;

Ducit laurigeros post Indica bella triumphos,
Erigit & geminas telluris fine columnas.

quas supra monuimus pro trophæo fuisse. Suidas Bacchum Thriambum dici vult, quasi θηρίαμβον, ut sit ἐπὶ τ̃ θηρῶν, τίγρεων, ἢ λεόντων ἀναβαίνων. Cedrinus triumphum ἀπὸ τ̃ ἐπῶν τ̃ ἐς τ̃ Διόνυσον, & habet ipsissima verba quæ Suidas. Arrianus lib. VI. *Vitæ Alexandri* scribit, Dionysium θρίαμβον vocatum esse καταστρεψάμενον Ινδὰς, eundemque triumphi repertorem. Hesychius, θρία φύλλα συκῆς, ἢ ἀμπέλυ, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς δεσμούμενα βρώματα. θριάζειν, φυλλολογεῖν, ἐνθουσιᾶν, θρίαι, αἱ πρῶται μάντεις. Alii triumphum quasi τελῶν ὀμφὴν, quod plebs, equites, Senatus ter io dicerent: aut τ̃ εἰς βαίνουσι τάξεις, ut Zonaras, Senatus, equites, plebs. Pomponius male a bove auratis cornibus, qui mactatus in triumpho, & θρίοις ficulnis foliis. De militibus ter io canentibus Tibull. *l.* II. *eleg.* v.

Ipse gerens laurum lauro devinctus agresti,
Miles io magna voce triumphe canam.

Horat. *ode* II. *lib.* IV.

Teque dum procedis,
Io triumphe.

Ovidius *libr.* IV. *Trist.* eleg. II.

—— Ioque
Miles, io magna voce triumphe canet.

Epodon ode VIII. Horat.

Io triumphe, tu moraris
Aureos currus, & intactas boves!

Ovid. *lib.* III. *de Arte*.

—— ter io, ter dicite Pæan.

Eleg. II. *lib.* II. *Amor.*

Vulgus io magna voce triumphe canet.

CAP. V.

DE IIS APUD QUOS TRIUMPHUS IN USU FUIT.

Primus omnium Bacchus India subacta triumphum duxisse dicitur. Nonnus p. 143. Sidonius in *Burgo*:

Forte sagittiferas Euan populatus Erythras,
Vite capistratas cogebat ad esseda Tigres.
Corniger inde novi Ganges it pompa triumphi,
Cernuus impexam faciem stetit ore madenti,
Arentes vitreis adjuvit fletibus undas,
Conjectas in vincla manus post terga revinxit.

Diodorus Siculus *l.* IV. p. 147. Bacchum de Indis καταγαγεῖν πρῶτον τ̃ ἁπάντων θρίαμβον ἐπ' ἐλέφαντος Ινδικȣ̃. Plinius *l.* VIII. c. LVI. de Baccho. Item diadema Regium insigne, & triumphum invenit. Ægypti Rex Sesostris triumphi speciem quandam exhibuit, apud Plin. *l.* XXXIII. c. III. Qui e victis Regibus sorte singulos ad currum jungebat, sicque triumphabat: & Diodor. *l.* II. de eodem; cum templa, aut urbes iniret, τὰς ἵππους ἀπὸ τ̃ τεθρίππου λύων, quatuor Reges subditos subjungebat. De Cyri triumpho Cedrenus p. 114. ὁ Κῦρος στήσας Κροῖσον ἐν ξυλίνῳ τρίποδι, ἐν ὕψει δεδεμένον, ἐθριάμβευσεν αὐτὸν, καὶ κατήγαγεν ἐν Περσίδι. Pompa fuit, non triumphus, quam duxit Philippus Alexandri Magni pater, ea die qua in conventu Græciæ a Pausania interemptus est; de qua Plutarch. & Diodorus Siculus. Quemadmodum & illa Ptolemæi Philadelphi, apud Athenæum *l.* v. species triumphi fuit, de qua Plutarch. in *Alexand.* Αὐτὸν μὲν ἵπποι σχεδὸν ἐκόμιζον ὀκτὼ, μετὰ τ̃ ἑταίρων, ὑπὲρ θυμέλης, ἐν ὑψηλῷ καὶ περιφανεῖ πλαισίῳ πεπηγυίας, εὐωχούμενον συνεχῶς ἡμέρας καὶ νύκτας. Alius apud Q. Curtium *l.* v. de Alexandro Babylonem ineunte victo Dario. Totum iter floribus coronisque constratum erat, argenteis altaribus ab utroque latere dispositis, quæ thure & omnibus odoribus cumulata erant. Bagophanemarcis custodem sequebantur greges pecorum equorumque. Leones quoque & pardales caveis præferebantur. Magi deinde suo more patrium carmen canentes: post hos Chaldæi equites, deinde Babylonii. Rex in curru urbem ingreditur. Herodot. *l.* VII. de Xerxe Græciam intrante. Præibat, inquit, exercitus, post ἱππόται χίλιοι ἐκ Περσέων πάντων ἀπολελεγμένοι, μετὰ δ' αἰχμοφόροι χίλιοι τὰς λόγχας κάτω ἐς τ̃ γῆν τρέψαντες, μετὰ δὲ ἱροὶ Νισαῖοι καλεόμενοι ἵπποι δέκα. ὄπισθεν δὲ τούτων ἅρμα Διὸς ἱρὸν, &c. In Sicilia triumphi quædam imago fuit, cum Dionem exceperunt Syracusani. Utrimque enim præter viam victimas, mensas, & crateras disposuerant, eumque transeuntem mola salsa aspergebant, & tanquam Deo supplicabant. Plutarch. in *Dione*, ἑκατέρωθεν παρὰ τ̃ ὁδὸν τ̃ Συρακουσίων ἱερεῖα, καὶ κρατῆρας ἱστάντων, &c. Carthaginenses victis hostibus Carthagine triumpharunt, authore Polyb. p. 35. Constantinopoli quoque triumphus ductus a Bellisario, narrante Zonara: Θρίαμβον κατήγαγε τελουμένης ἁμίλλης, ἐν τῷ θεάτρῳ αὐτοκράτορος προκαθημένȣ· καὶ πρὸ μὲν ἐκ τ̃ τ̃ ἵππων ἀφετηρίας ὁ Βελλισάριος, &c. Idem in *Copronymo*, qui cataphractus cum armato exercitu triumphans per mediam urbem transiit; πανοπλίτης διῆων μεθ' ὡπλισμένης τ̃ στρατιᾶς. Item Nicetas p. 10. p. 77. p. 79. Constantinopoli actos triumphos describit. Sed & Heraclius longo ante tempore victor e Perside venerabilem Christi Domini Crucem referens, triumphum duxit. Zonaras: Μετ' εὐφημίας, & κρότων δεχθεὶς, καὶ λαμπρότητος, παρά τε τ̃ γερουσίας, καὶ τ̃ πλήθους τ̃ πόλεως. Cedrenus: Ο' δὲ λαὸς τ̃ πόλεως μετὰ τ̃ βασιλέως Κωνσταντίνȣ τ̃ υἱȣ̃ τ̃ Ηρακλείȣ, καὶ τ̃ Πατριάρχȣ Σεργίȣ μετὰ κλάδων, καὶ λαμπάδων τȣ̃τον ὑποδεξάμενοι, εὐχαριστοῦντες τῷ θεῷ εἰς τὰ βασίλεια εἰσήγαγον. Id est, *Cum acclamationibus, & plausu exceptus splendide a Senatu & populo. Crux in curru cœlo aureo tecta præibat. Sequebatur ipse manu laurum tenens: populus urbis cum Imperatore Constantino Heraclii filio, & Patriarcha Sergio oleæ ramos manibus gestantes & lampades, Heraclium exceperunt, & Deo gratias hymnosque canentes in Regiam deduxerunt.* Legendus Paulus Diaconus. Procopius *l.* II. *belli Wandalici* monet, neminem per 600. annos triumphasse, præter Titum & Trajanum Imperatores, cum Bellisarius Constantinopoli triumphum duxit. Is Consul factus, curuli sella argentea humeris captivorum invectus est. Zonas aureas populo dispersit. A Romulo usque ad postrema Augusti tempora, extrema triumphi præter propter 312. fuere.

CAP. VI.

QUIS ROMÆ PRIMUS TRIUMPHUM DUXERIT.

PRimum Romæ triumphi authorem Romulum si quis ambigit, næ ille, meo animo, veteris memoriæ parum est diligens. Is enim Acrone occiso, exercitu victore reducto, spolia ducis hostium cæsi suspensa fabricato ad id apte ferculo gerens, in Capitolium ascendit; ibique ea cum ad quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono designavit templo Jovis fines, cognomenque addidit Deo Feretrio. Legendus ea de re Liv. *lib.* I. Plutarch. Δρυῶ ἔτεμεν ὑπερμεγέθη, καὶ διεμόρφωσεν ὥσπερ τρόπαιον, καὶ τῶν ὅπλων τῶν Ἄκρωνος ἕκαστον ἐν τάξει περιήρμοσε, καὶ κατήρτισεν αὐτό· αὐτὸς δὲ τὴν μὲν ἐσθῆτα περιεζώσατο, δάφνῃ δ' ἐστέψατο τὴν κεφαλὴν κομῶσαν. Id est, *Quercum excidit proceram, & tropæi more formavit, singulaque Acronis arma ordine circumastruxit: ipse autem veste succinctus, caput comatum laurea coronavit.* Hoc initium triumphi fuit humile, sine curru, sine equo, specie verius trophæi, quam triumphi. Tarquinius Demarati filius primus triumphum ornavit, quanquam alii P. Valerio Publicolæ id tribuunt. Plutarch. Ῥωμύλον δὲ οὐκ ὀρθῶς φησὶν ἅρματι χρήσασθαι Διονύσιος· Ταρκύνιον γὰρ ἱστοροῦσι τὸν Δημαράτου τῶν βασιλέων πρῶτον εἰς τοῦτο τὸ σχῆμα, καὶ τὸν ὄγκον ἐξᾶραι τοὺς θριάμβους· ἕτεροι δὲ πρῶτον ἐφ' ἅρματος θριαμβεῦσαι Ποπλικόλαν. Imagines Romuli triumphales pedestres sunt. Plutarchus vocat εἰκόνας τροπαιοφόρους. Æreas quadrigas ex Camaria Romam intulit Romulus, & in Vulcani templo dedicavit, ποιησάμενος ἑαυτὸν ὑπὸ νίκης στεφανούμενον: quæ verba sic accipio, quasi ipse statuam suam coronatam in eodem templo poni curaverit, ut Dionysius *l.* II. καὶ παρ' αὐτῷ τὴν ἰδίαν ἔστησεν εἰκόνα ἐπιγράψας Ἑλληνικοῖς γράμμασι τὰς ἑαυτοῦ πράξεις. iterum Romulum triumphasse Veiis captis scribit. Primus e Consulibus quadrigis invectus est Publicola: ἐθριάμβευσε εἰσελάσας τεθρίππῳ πρῶτος ὑπάτων, ait Plutarch. Dionysii error *l.* II. p.76. de Romulo: Τελευταῖος δὲ τῆς πομπῆς αὐτὸς ἐπορεύετο, ἐσθῆτα μὲν ἠμφιεσμένος ἁλουργῆ, δάφνῃ δὲ κατεστεμμένος τὰς κόμας, καὶ ἵνα τὸ βασίλειον ἀξίωμα σώζῃ, τεθρίππῳ παρεμβεβηκώς. *Ipse ultimus pompæ gradiebatur purpurea veste amictus, lauro coronatus, & ut majestatem regiam retineret, quadrigis invectus. Equitum & peditum copiæ sequebantur ornatæ per ordines, laudantes hymnis patriis Deos, & ducem tumultuariis carminibus ornantes; ex urbe omnes occurrere cum uxoribus & liberis utrinque præter viam lætitiæ participes: ut autem exercitus in urbem iniit, ubique pro foribus illustriorum ædium mensas cibis omne genus exstructas, craterasque vino mixtas receperunt, quibus uti liceret.* Ἡ μὲν οὖν ἐπινίκιός τε καὶ τροπαιοφόρος πομπὴ καὶ θυσία, ἣν καλοῦσι Ῥωμαῖοι θρίαμβον, ὑπὸ Ῥωμύλου πρώτη κατασταθεῖσα τοιαύτη τις ἦν. Triumphum interpretatur pompam victoriæ trophæa ferentem, & sacrificium. M. Servilius apud Plutarchum in *P. Æmilio* triumphum vocat τὴν θεῶν τιμήν. Eutropius *l.* I. Tarquinium Priscum victis Sabinis primum triumphum egisse scribit, quod primus curru in Capitolium invectus sit, a quo etiam Florus facit.

CAP. VII.

A QUO TRIUMPHUS DECRETUS.

ROmulus triumphi author, vir cum factis magnificus, tum factorum ostentator maximus, (ut ait Livius) arbitratu suo regia authoritate sibi triumphum adornavit: quod & a Tarquinio militari ac regio jure factum non dubito. Deinde Senatus aut populi decreto, vel utriusque consensu opus fuit. Ipsa etiam ornamenta triumphalia sub Imperatoribus ex Senatusconsulto data. Tacitus in *Agricola*: Igitur triumphalia ornamenta, & illustris statuæ honorem, & quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata decerni Agricolæ in Senatu jubet Domitianus. Vespasiano & Tito a Senatu decretus triumphus. Joseph. *l.* VII. c. XVI. Καίπερ ἑκατέρῳ τῆς βουλῆς ἴδιον ψηφισαμένης (θρίαμβον) Dionys. *l.* IX. Ἡ δὲ βουλὴ τὴν τοῦ θριάμβου ψῆφον ἐψηφίσατο. Olim solius Senatus authoritate decretus, demum ad populum ea de re est relatum, & præterea rogatum, ut triumphanti populus ea die Imperium daret. Militum studium in triumpho petendo spectabatur, quod quia defuit P. Æmilio, pene triumphus ereptus: milites enim criminantes eum durum & imperiosum fuisse, οὐ πάνυ προθύμως ἐπὶ τὴν ὑπὲρ τοῦ θριάμβου σπουδὴν ἀπήντησαν. Mox fuit, ut milites per unum aliquem e centurionibus, aut tribunis militum, apud Tribunos plebis qui suffragiis populi super triumpho præsederunt, si quid haberent de Imperatoribus quererentur, & ei triumphum negandum censerent. Quod in Æmilio clarum, apud Livium *l.* XLV. cui cum dies ad petendum triumphum datus esset, extractus est a Servio quodam Galba Tribuno militum, qui criminationibus Æmilium apud Tribunos plebis oneravit: die quæ proxime secuta est, diluculo milites Capitolium occupant, ubi Tribuni plebis comitium habituri erant: primo mane suffragio dato, prima tribus triumphum abrogavit; quo comperto, præcipui Senatores summota turba cum ad Tribunos plebis accessissent, petierunt ut tantisper suffragia inhiberent, dum pauca quædam ad populum dicerent. M. Servilii oratione permotus populus omnium tribuum suffragiis P. Æmilio triumphum decrevit, ait Plutar. ex Livio, ὥστε πάσαις ταῖς φυλαῖς ἐπικυρωθῆναι τῷ Αἰμυλίῳ τὸν θρίαμβον. Qua in re Senatus authoritas in decernendo triumpho non est interposita, ut populi suffragiis proprie res permissa videatur. Polybius tamen Consulem ait οὐ δύνασθαι θριάμβους χειρίζειν, ἐὰν μὴ τὸ συνέδριον συγκατάθηται, καὶ δῷ τὴν εἰς ταῦτα δαπάνην, *non posse triumphum obtinere, nisi Senatus censuerit, & sumptum dederit.* Olim authoritas Senatus necessaria fuit. Liv. *l.* III. tum primum sine authoritate Senatus, populi jussu triumphatum est a M. Valerio, & Horatio. Zonaras T. II. scribit, Senatum Horatio, & Valerio negasse triumphum, ac ne quidem eam, quæ ad triumphi petitionem dari solita erat, diem dedisse: τὸ μέν τοι πλῆθος ἐπιδύωθ' ἡμέρας ἑώρτασε, καὶ τοῖς ὑπάτοις τὰ νικητήρια ἐψηφίσατο. Tribuni ut plurimum adversabantur. Liv. *l.* XXXVIII. & Sallust. Duo Imperatores ad urbem erant impediti ne triumpharent paucorum calumniis: usque adeo ut e triumphali curru quidam pene detracti sint. Livius *lib.* XXXVIII. Tribuni solebant triumphum petentibus adversari. C. Memmius Tribunus plebis L. Lucullo diem dixit triumphum petenti, nec ante triumphi facultas ei fuit, quam triennio post accusationem Memmius remisisset. Plutarch. Valer. *l.* V. c. IV. Claudia Vestalis cum patrem triumphantem e curru violenta Tribuni plebis manu detrahi animadvertisset, &c.

CAP. VIII.

QUIBUS DE CAUSIS DECRETUS SIT.

Victoriæ decretus est triumphus, unde & *ἐπινίκια* dicuntur Plutarcho, & *νικητήρια*, non tamen victoriæ cuilibet, sed ei qua Imperium auctum, aut quinque hostium millia cæsa. Val. Maximus *l.* II. c. VIII. Pro aucto Imperio, non pro recuperatis quæ populi Rom. fuissent, triumphus decernitur. Scipioni ob recuperatas Hispanias triumphus non datus. Ammianus Marc. *lib.* XVI. exagitat triumphum Constantii, quod ejus idonea causa nulla fuerit. Nec enim gentem ullam bella cientem per se superavit, aut victam fortitudine suorum comperit ducum, vel addidit quædam Imperio, aut usquam in necessitatibus summis primus, vel inter primos est visus. Livius *l.* XXXVIII. de Manlii triumpho: Et authoritas seniorum valuit, negantium memoriæ proditum esse, ut Imperator, qui perduellibus devictis, confecta provincia, exercitum reportasset, sine curru & laurea privatus, inhonoratusque urbem iniret: de civibus triumphare nefas. Valer. Max. *l.* II. c. VIII. Neque Q. Catulus de M. Lepido, aut L. Antonius de Catilina, aut Sylla de Mario, vel Cinna de Carbone, aut Cæsar de Pompejo triumphavit: perdomitam provinciam exercitu salvo esse oportuit. Livius *lib.* XXXIX. Ne quis qui exercitum non deportasset, triumpharet, nisi perdomitam provinciam tradidisset successori: ovatio tamen ei data quod hostes cæcidisset. Quinque millia hostium cædi oportuit, ita ut ab hostibus magna clades, ac fœda Romanis non sit allata. Cum enim Appius Claudius, adversus Salascos Gallos congressus, victus esset, & altero prælio vicisset, ac quinque millia cæcidisset; deinde triumphum peteret ob legem quæ quinque millibus cæsis dat triumphum, denegatus est: is tamen in Albano triumphavit. Orosius *l.* V. c. II. Die decima postquam ad urbem venissent cæsorum hostium numerus renunciatur. Cic. *l.* III. *ad Q. Fratrem*, ep. XVII. Ipso decimo die quo ipsum oportebat hostium numerum, & militum renunciare. Valer. Max. *l.* II. c. VIII. Jus triumphi datur ei qui quinque millia hostium una acie cæciderit. Luc. Marius & M. Cato Tribuni pleb. anno 691. legem tulerunt, qua pœna iis irrogata, qui hostium occisorum in prælio, aut amissorum civium falsum numerum literis Senatui ausi essent referre, jubetque eos, cum primum urbem intrassent, apud Quæstores urbanos jurare de utroque numero vere ab his Senatui scriptum.

CAP. IX.

QUIBUS DECRETUS.

Triumphi petendi jus tantum habuerunt Consules, & Prætores qui suis auspiciis bellum gererent. Plutarch. in *Pompejo*, *ὑπάτῳ γὰρ ἢ στρατηγῷ μόνῳ δίδωσιν ὁ νόμος θρίαμβον*: quod non modo in majori triumpho, sed & in oratione servatum. Livius *l.* XXVI. quo die ovans in urbem ingrederetur ei imperium esset, Tribuni plebis ex authoritate Senatus ad populum tulerunt. Valer. *lib.* II. c. VIII. triumphanti eo die imperium fuisse scribit. Scipio tamen major, & Pompejus sine Magistratu re gesta triumpharunt. Lentulus etiam ovavit. A Cic. quid tam inauditum, quam Equitem Rom. triumphare? ac Pompejus triumphavit. Livius *l.* XXVIII. Nemo qui sine Magistratu rem gessit, ad eam diem triumphavit: de Pompeio *lib.* XXVIII. Pompejus 24. annos natus adhuc Eques Rom. quod nemini contigerat, ex Africa triumphavit. Zonaras Tom. II. pag. 124. *Πομπήϊος οὔπω γενειῶν ἀκριβῶς ἐθριάμβευσεν, ὃ βουλῆς διὰ τὴν ἡλικίαν οὐ μέτεστι.* Prætores triumphasse nemo est qui dubitet. Livius *l.* XXXIX. Prætores triumphasse ex Hispania scribit. *Lib.* XXXI. exemplum a majoribus non accepisse, ut qui neque Dictator, neque Consul, neque Prætor rem gessisset, triumpharet: pro Consule illum Hispanias obtinuisse, non Consulem. B Ovatio tamen Lentulo data. Zonaras in *Camillo*: *Καὶ εἰ μὲν ἐν τῇ ἀρχῇ ἦν ἔτι, ἐν ᾗ τυγχάνων ἐνίκησε, ταύτῃ καὶ πανηγυρίζων ἐκέχρητο.* Habita est rogatio, ut qui sine Magistratu vicissent, qua die Romam ingrederentur, iis imperium esset: ea rogatio in Capitolio perrogata est. Livius *l.* XLV. de Paulo Æmilio, & Octavio: si cum vicit, aut Consul, aut Prætor fuit, aut alium Magistratum gessit, eodem imperio triumphans utitur. Si tempus Magistratus abiit, aliunde ei imperium tribuebatur. Zonaras Tom. II. *Εἰ δ' ὁ χρόνος τῆς ἀρχῆς παρεληλύθει, ἄλλο τι πρόσφορον αὐτῇ ἐλάμβανεν ὄνομα· ἰδιώτῃ γὰρ νικητήρια πέμψαι ἀπείρητο*: C tamen apud Dion. *libr.* XLIII. Julius Cæsar *ἐπὶ τῷ Φαβίῳ τῷ τε Κοιντίῳ, καίτοι ὑποστρατηγήσασι αὐτῷ, καὶ μηδὲν ἰδίᾳ κατορθώσασι, διεορτάσαι ἐπέτρεψεν.* Ei autem decretus est triumphus, cujus auspiciis hostes cæsi, aut Imperium auctum esset, licet absens fuerit. Valer. *l.* II. c. VIII. Cum in lectica Consul æger esset, & Prætor obiret ejus vices, victoria parta Consul triumphavit, quia ejus auspicia potiora sunt. Liv. *l.* XXVIII. alt, S. C. decretum fuisse, ut Consulum alter (is Livius Salinator fuit) quadrigis veheretur, militibus sequentibus, quia ejus auspicium D die certaminis fuisset, alter equo sine militibus. Notatum ea die plura carmina militaribus jocis in Claudium Neronem, quam in Consulem suum jactata. Apud eundem tamen *l.* XXI. Prætori qui Consulis absentis auspiciis rem gesserat triumphus datus, ita ut nulli milites sequerentur, nulli captivi ante currum ducti, nulla spolia. Majores instituisse, ut legati, Tribuni militum, centuriones, milites denique triumpho adessent, ut veritas rerum gestarum ejus publice videretur. *Libr.* XXXVIII. Triumphus navalis fuit, quod alieno auspicio in aliena provincia pugnasset. Sic exaudienda hæc sunt in *Panegyrico Maximiani*. Itaque E Fronto, Romanæ eloquentiæ non secundum, sed alterum decus, cum belli in Britannia confecti laudem Antonino Principi daret (quamvis in ipso urbis Palatio residens gerendi ejus mandasset auspicium) veluti longæ navis gubernaculis præsidentem, totius velificationis & cursus gloriam meruisse testatus est. Dio *l.* LI. Sed hoc perpetuum fuit sub Imperatoribus, quibus victoria cum triumpho semper ascripta. Præsentem eum esse oportuit ad urbem cum exercitu cui triumphus decerneretur. Cicero absenti Lepido triumphum decernendum præter morem curavit, XIII. *Philippica*. F Livius *l.* XXVIII. scribit, Scipionem, quamvis in Hispania multa oppida ex hostibus vi cepisset, & multas gentes in ditionem populi Romani redegisset, & adversus quatuor imperatores quatuor victorias duxisset, ob has res tamen gestas magis tentasse triumphandi spem, quam pertinaciter petiisse, quia neminem ad eam diem triumphasse qui sine Magistratu rem gessisset, constabat. *Lib.* III. Negatur Lucio Lentulo Proconsuli ex Hispania reverso triumphus, quia neque Dictator, neque Consul, neque Prætor rem gessisset, sed Procon-

ſul. *Lib.* tamen XL. Luc. Æmilio Proconſuli de Liguribus Ingaunis triumphus decretus. *Lib.* XXXIX. Cn. Manlius Proconſul de Gallogræcis triumphavit. *Lib.* XXXVI. Marc. Acilius Proconſul de Rege Antiocho & Ætolis triumphum egit, cum eodem tempore Quinto Minucio Proconſuli de Liguribus triumphus negatus eſſet. Apud Sextum Rufum Servilius Proconſul de Cilicibus & Iſauris triumphavit. Pompejus Magnus non Senator adhuc adoleſcentulus Africa & Sertorio victis triumphum duxit, narrante Plinio *l.* VII. c. XXVI. & Livio in *epitome lib.* LXXXIV. Lucius Valerius, & Marc. Horatius victis Sabinis & Volſcis primi fuere qui negante Senatu, populi juſſu & auctoritate Romæ triumphum egere, auctore Livio *l.* II. nunquam antea de triumpho per populum actum, ſemper æſtimationem, arbitriumque ejus honoris penes Senatum fuiſſe, ne Reges quidem majeſtatem ſummi Ordinis imminuiſſe. Cajus Marcius Rutilius Dictator ſine auctoritate Patrum, populi juſſu Romæ triumphavit, ut Livius *l.* VII. M. Atilius Conſul Samnio, atque Hetruria ſubactis, negante Senatu triumphum, nec populo jubente, auxilio tantum Tribunorum plebis trium, adverſus interceſſionem Tribunorum 7. & conſenſum Senatus, celebrante populo diem triumphavit. C. Cicereius Prætor ſubacta Corſica in monte Albano ſine publica auctoritate triumphavit, ut ſcribit Livius *l.* XLII. quod & M. Papir. Maſſo fecit apud Plinium *l.* XV. c. XX. & Marcus Marcellus apud Livium *lib.* XXXVI. & Quint. Minutius *l.* XXXIII. & Publius Servilius Priſcus apud Dionyſ. Halicarn. *l.* VI. Denique capta & oppreſſa ab Imperatoribus Republ. pro eorum libidine decreti triumphi, Sueton. in *Auguſto* c. XXXVIII. Nec parcior in bellica virtute honoranda, ſuper 30. ducibus juſtos triumphos, & aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit. Apud Livium *l.* IV. Aulo Cornelio Coſſo Dictatori ex S. C. & populi juſſu in urbe triumphus datus. Apud Valerium Maxim. *l.* IV. ſumma moderatio C. Claudii Neronis fuit, qui cum Livii Salinatoris in opprimendo Haſdrubale gloriæ particeps fuiſſet, tamen eum triumphantem equo ſequi, quam triumpho quem ei Senatus æque decreverat, uti maluit, quia res in provincia Salinatoris geſta fuerat; quare ſine curru triumphavit. Triumphaturi autem jurabant apud Quæſtorem de numero cæſorum hoſtium, auctore Valerio Max *l.* II. c. VIII qui ſub alienis auſpiciis rem geſſerant ſpolia Jovi Feretrio non ponebant, eodem teſte *l.* III. c. II. Druſus urbe egreſſus repetendis auſpiciis, mox ovans introiit, quia urbem ingreſſi auſpicia amittebant, & jure triumphi cadebant.

CAP. X.

UBI PETERETUR TRIUMPHUS.

IMperatores olim dicti ſunt, quorum auſpiis mille hoſtes cæſi. Μυριας πεσεῖν ὅρον εἶναι τῇδε εὐφημίᾳ, ait Appian. *l.* II. *Civil.* Dio pag. 466. *l.* LVIII. ſcribit, Claudium parta de Britannis victoria, non ſemel Imperatorem a militibus ſalutatum præter morem: nefas enim quemquam ex eodem bello plus ſemel Imperatorem ſalutari: Αὐτοκράτωρ πολλάκις ἐπωνομάσθη παρὰ τὰ πάτρια· οὐ γάρ ἐστιν ἐν οὐδενὶ πλέον ἢ ἅπαξ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πολέμου τὴν ἐπίκλησιν ταύτην λαβεῖν. Imperator tamen pro eo cui belli adminiſtratio commiſſa ſit, ponitur apud Livium *l.* XXXV. Ætoli, inquit, Regem Antiochum Imperatorem appellarunt. Dio *l.* XLIII. Οἷς δ' αὖ δὲ διὰ πολέμων ἄξιόν τι αὐτῆς (ἐπικλήσεως) κατορθωθῇ, ἔπι δὴ καὶ ἐκείνην, τὴν ἀπὸ τῶν ἀρχαίων προσλαμβάνουσι· κἂν τοῦτο καὶ δεύτερόν τις, ἢ τρίτον πλεονάκις τε, ὁσάκις αὖ παράσχῃ οἱ αὐτοκράτωρ ἐπονομάζεται. Cæſar *l.* II. *Civilium*: Curio univerſi exercitus conclamatione Imperator appellatur cæſis aliquot equitibus hoſtium. Eam ubi appellationem duces agnoverant, faſces ac literas laurea ornabant. Quod tamen a Pompejo bello civili uſurpatum non eſt: cum enim 1460. Cæſaris milites occidiſſet, Imperatorque appellatus eſſet, neque literis, neque faſcibus inſignia laureæ adhibuit. Cæſar *l.* III. *Civil.* Sueton. *Nerone* c. XIII. Tiridate ſupplicante Nero Imperator conſalutatus, laurea in Capitolium lata. Deinde literas faſceſque laureatos ad Senatum, vel deſidente Rep. ad Imperatores mittebant. *Panegyr. Conſtantini*: Ad ſocerum laureas mittere, præcepta petere, effecta reſcribere decet Conſtantine. Laurus enim victoriæ nuntia. Victruvius *l.* II. c. VIII. Rhodii cum proſpexiſſent ſuas naves laureatas venire, opinantes cives victores reverti. Martial. *l.* VIII. *epigr.* V.

Publica victrices teſtantur gaudia chartæ,
Martia laurigera cuſpide tela virent.

Liv. *l.* V. Literæ a Poſthumio laureatæ. Tacit. *l.* IX. de Luc. Vitellio: ipſe lauream geſtæ proſpere rei ad fratrem miſit. Capitolin. in *Maxim.* Romam laureatas literas miſit. Lamprid. *Alexand.* tabellæ laureatæ. In iis fiebat mentio eorum qui fortiter rem geſſerant: quod a Conſtantino obſervatum non eſt, ut Marcel. Silius *l.* XI.

—— *lauro redimita ſubibat*
Optatos puppis portus. ——

Ii per quos literæ & faſces laureati nunciabantur, δρομοκήρυκες, ἀγγελιαφόροι, qui ciſiis volabant. Xiphilinus p. 346. Macrinus, inquit, ὀχήματος ὡς στρατιώτης τῶν ἀγγελιαφόρων ἐπέβη, καὶ δεξήλασε: milites enim nuncii victoriæ erant. Plutarch. in *Othone* πτεροφόρους vocat, quaſi alatos curſores. Appianus in *Mithridat.* Lucullus Ῥωμαίοις περὶ τῶνδε ἐπέστελλε τὰ γράμματα δάφνῃ περιβαλών, ὡς ἔθος ἐπὶ νίκης. Perſ. *ſat.* VI.

—— *miſſa eſt a Cæſare laurus.*

Sueton. in *Caligula* c. XLIV. latores vocat, eoſque curriculo vectos ait ad forum uſque & Curiam. Xiphilinus laurum mitti dixit p. 169. Πράσσοντι δὲ αὐτῷ ταῦτα ἀγγέλια ἐξ Ἀρμενίας, καὶ δάφνη ἐπὶ τῇ νίκῃ ἦλθεν. Diodoro Siculo *l.* XI. dicuntur βιβλιαφόροι, Arriano *l.* III. *Vitæ Alexand* ἐπιστολεῖς, Ariſtoteli *l. de Mundo* ἀγγελιαφόροι, ἡμεροδρόμοι τε, καὶ σκοποὶ, καὶ ἀγγελιαφόροι, καὶ φύλακες, φρυκτωριῶν τ' ἐπόπτηρες Caſtoribus ut nunciis triumphi ædes extructa. Prudent. *in Symmach. l.* I.

—— *celſæ duo numina Romæ,*
Impendent retinente ſolo, magnique triumphi
Nuncia ſuffuſo figunt veſtigia plumbo.

Sophocles in *Trachiniis* ait nuncios rei optatæ coronari ſolitos:

—— ἐπεὶ καταστεφῆ στείχοντ' ὁρῶ
Τιν' ἄνδρα πρὸς χαρὰν λόγων.

Cic *l.* VII. *ad Atticum* gerones vocat, Hieronymus portitores. Sed ea de re planiſſime Zonaras *in Camillo*: Ὅτε τι κατορθωθῇ μέγα, ἢ ἐπινικίων ἐπάξιον, αὐτοκράτωρ αὐτίκα ὁ στρατηγὸς ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ὠνομάζετο, καὶ κλῶνας δάφνης περιετίθει ταῖς ῥάβδοις, καὶ τοῖς δρομοκήρυξι τοῖς τὴν νίκην καταγγέλλουσι τῇ πόλει κομίζειν

A ζειν ἐδίδϰ· ἐλθὼν δὲ οἴκαδε τ̃ γερυσίαν συνήθροιζε, ϰ̀ ᾔτει ψηφίσαϑαι οἱ τὰ ἐπινίκια. Id est, *Re bene gesta quæ triumpho digna esset, dux statim a militibus Imperator salutatus, ramis laureis fasces ornabat, eosque per cursores in urbem mittebat. Domum reversus convocato Senatu, decerni sibi triumphum petebat.* Plutarchus scribit, Pompejum bello Mithridatico cum Lucullo copias conjunxisse fascibus laurea virenti revinctis, cum Luculli laurus languentes ac marcidæ essent. Cum vero ipse Imperator re bene gesta cum exercitu ad urbem rediisset, Senatus ei in Campo Martio intra ædem Bellonæ dabatur, ubi quæ gesserat edissereret, triumphumque peteret. Cic. l. VII. *ad Attic.* epist. IV. Triumphum
B petentes extra urbem morari soliti. Livius *l.* XLII. ad ædem Bellonæ Senatus ei datus est, postulatoque frustra triumpho, in monte Albano, quod jam in morem venerat, ut sine publica authoritate fieret, triumphavit. *Lib.* XXXIV. Senatus extra urbem Flaminio ad res gestas edisserendas datus est. Plutarch. *Pomp.* οἱ γὰρ ἄρχοντες ςρατοπέδων εἰς τ̃ πόλιν ἐκ εἰσίασι. *Lib.* XL. Livius de Q. Fulvio Flacco, qui cum extra urbem triumphi causa esset, Consul est creatus: in æde Apollinis extra urbem Senatus interdum datus est, triumphusque decretus. Liv. *l.* XXXVII. Dionys. *l.* XI. Κατεςρατοπεδευκότων ἔξω τ̃ πόλεως κ̀ τ̃ Αρειον πεδίον (τ̃ τ̃ θρίαμβον αἰτησάντων) παρὰ τ̃ δήμυ λαμβάνϰσι τ̃ καταγωγὴν τ̃ θριάμβϰ.
C *Ipsi Imperatores in Campo Martio castra metabantur, & a populo apparatum sumptusque in triumpho accipiebant*, ait Dionysius. Apparatus omnis in suburbiis fuit: neque interim in urbem inibant Imperatores; quod & nomine Imperatoris, & jure triumphi exciderent qui urbem ingressi essent. Lib. II. *Civil.* Appianus de Julio Cæsare: Cæsar τ̃ πομπῆς παρασκευὴν ἐπὶ τὸ λαμπρότατον ἐν τοῖς τ̃ Ρώμης προαστείοις διεκόσμει· εἰσελθόντι δὲ ἐκ ἦν ἔτι ἐπὶ τ̃ θρίαμβον ἐπανελθεῖν. Ipsa nocte copias in ordines digerebant in Campo Martio, ut
D primo diluculo triumphus duceretur. Josephus *l.* VII. *c.* XVI. Τὸ δὲ ςρατιωτικὸν παντὸς ἔτι νύκτωρ κ̀ λόχϰς κ̀ τάξεις ὑπὸ τοῖς ἡγεμόσι προεξωδευκότας, κ̀ περὶ θύρας ὄντος ἐ τ̃ ἄνω βασιλείων, ἀλλὰ κ̀ πλησίον τϰ̃ τ̃ Ισιδος ἱερϰ̃· ἐκεῖ γὰρ ἀνεπαύοντο τ̃ νυκτὸς ἐκείνης οἱ αὐτοκράτορες.

In genere hoc sub Consulibus obtinuit, ut qui e provincia cum Imperio rediret, illud ipsum amitteret, ut primum urbem introiisset. Inde est apud Livium *l.* XXVI. quod a Senatu decretum est, Q. Fulvio ne minueretur imperium, si in urbem venisset. Cic. l. VII. *ad Attic.* epist. I. Mihi valde placet de triumpho nos moliri aliquid, & extra urbem
E esse cum justissima causa. Sub Imperatoribus, qui urbem inierant, decreto triumpho urbe oportuit egredi ad auspicia repetenda. Tacit. l. III. *Annal.* at Drusus urbe egressus repetendis auspiciis, mox ovans ingressus est. Legendus Dio *l.* LIV. ubi Augusto decretum perpetuum proconsulare imperium, quod neque amitteret si urbem iniisset, nec urbe egredi opus esset imperio repetendo. Licet autem extra urbem apparatus, tamen in urbe victrice triumphus actus est. Mali ominis fuit triumphantem in alienam urbem ingredi. Julius Obseq. *de Prodig.* Pompejus Syllo oppidum Bovianum quod ceperat triumphans invectus omen victoriæ
F hostibus ostendit, quia triumphus in urbem victricem, non victam induci solet, proximo prælio amisso exercitu occisus. Quamvis apparatus triumphi de publico fieret, ii tamen quibus decretus triumphus pleraque de suo conferebant, teste Cicerone l. VI. epist. *ad Atticum*; dices nummos mihi opus esse ad apparatum triumphi. Lib. VII. *ad Famil.* ad apparatum triumphi quicquid potero nummorum conficiam. Paterculus *volumine* II. de

A Cæsare: Quinque egit triumphos; Gallici apparatus ex citro, Pontici ex arantho, Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispaniensis argento rasili constitit. Pecunia ex manubiis lata paulo amplius sexies millies H-S. Polyb. p. 76. ait, a Senatu sumptus in triumphum datos, e manubiis scilicet & præda.

CAP. XI.

DE OVATIONE.

B DUo genera triumphorum fuere; major, qui proprie triumphus, & minor, qui ovatio, quem Dionysius *l.* VI. πεζὸν θρίαμβον vocat, *peditem triumphum*, a clamore o o dictum, ut putat Festus; vel quia Olympionicis acclamarent, Ολυμπιονίκα ἐϰ̃, teste Xiphilino p. 181. Plutarchus ab ove dici censet. Posthumio Tuberto omnium primo decreta ovatio, qui pedes pompam victoriæ duxit, narrante Plinio *l.* XV. *c.* XXIX. sicut & Veturius apud Dionysium *l.* IX. Ita & Sabinus Massurius apud Gellium *l.* V. *c.* VI. pedibus ovantes urbem ingressos scribit. Postea equis ovantes invecti
C sunt. Dio de Tiberio, τὰ ἐπὶ τϰ̃ κέλητος ἐπινίκια ἔπεμψε. Suetonius tamen eum curru vectum scribit *l.* III. *c.* IX. his verbis: Cum ob res & ovans, & curru ingressus est primus, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, novo, nec antea cuiquam tributo, genere honoris. Cassiodorus *ad Psal.* XIX. Duo apud Antiquos erant genera triumphorum, unum majus in curribus, quod laureatum dicebatur; aliud minus in equis, quod ovatio nuncupabatur. Symmachus *l.* X *epist.* XXII. ut ovantes equorum dorsa gestarent, ut triumphantes currus inveheret. Dio p. 22. τὰ ἐπινίκια
D μείζω, majorem triumphum vocat, minorem, τὰ ἐπινίκια μείω, vel σμικρά, *Lib.* VIIV. Dionys. μείζονα πομπὴν vocat, μείζονας θριάμβϰς, τ̃ θριάμβων τιμὴν: de utroque Livius *l.* XXVIII. Consulum alter quadrigis veheretur militibus sequentibus, alter equo sine militibus: quia die pugnæ Livii auspicia fuere, major ei concessus.

CAP. XII.

DE DONIS MILITARIBUS.

E IN æde Bellonæ cum Imperator res a se gestas edisseruisset, olim a Senatu nomen Imperatoris ei confirmatum, triumphus decretus, diesque triumpho dictus, quo per urbem in Capitolium curru inveheretur: interdum invito Senatu a populo decretus. Zonaras: Καὶ εἰ ἔτυχε ψήφϰ παρά τε τ̃ βϰλῆς κ̀ τ̃ δήμϰ ἐβεβαιϰ̃το αὐτῷ, κ̀ ἡ ἐπωνυμία τϰ̃ αὐτοκράτορος. ἐνσκευασάμενος δὲ τῇ ἐπινικίῳ σκευῇ, κ̀ περιβραχιόνια λαβὼν, ςέφανόν τε δάφνης ἀναδησάμενος, κ̀ κλάδον κρατῶν ἐν τῇ δεξιᾷ, τ̃ δῆμον συνεκάλει, κ̀ ἐπαινέσας τϰ̀ς συςρατευσαμένϰς αὐτῷ, κ̀ κοινῇ κ̀ ἰδίᾳ τινὰς, ἐδωρεῖτο μὲν σφισὶ χρήματα, ἐτίμα δὲ ϗ κόσμῳ, περι-
F βραχιόνια τέτισι, κ̀ δόρατα παρεῖχε, κ̀ ςεφάνϰς τοῖς μὲν χρυσϰ̃ς, τοῖς δ' ἀργυρϰ̃ς ἐδίδϰ. Id est, *Triumphali autem habitu ornatus, armillis sumptis, laurea redimitus, & ramum dextra tenens, populum convocabat; & militibus publice, quibusdam etiam seorsim laudatis, pecuniam donabat, & ornamenta, armillas, hastas sine ferro, & coronas, alii aureas, aliis argenteas, expresso in iis nomine, & facinore viri*, τ' ϰ̓νομαθ' ἑκάςϰ, κ̀ τ̃ ἀριςείας φέροντας τὸ ἐκτύπωμα. Josephus l. VII. *Excidii* scribit, Imperatorem solitum Diis thura dare, priusquam habitu triumphali

urbem iniret, aut milites donaret. Ovidius *lib.* II. *de Ponto* eleg. I.

Atque ita victorem cum magno vocis honore
Bellica laudatis dona dedisse viris:
Claraque sumpturum pictas insignia vestes,
Thura prius sanctis imposuisse viris.

Livius *l.* XXXIX. Fulvius multos eo die priusquam in urbem inveheretur, in Circo Flaminio Tribunos, præfectos, equites, centuriones Romanos, sociosque donis militaribus donavit: militibus ex præda 25. denarios divisit, duplex centurioni, triplex equiti. *Lib.* XXXVIII. Flaminius triduum triumphavit: militibus duceni quinquageni æris in pedites divisi, duplex centurioni, triplex equiti. *Lib.* XLI. Taciti, ut iratos esse sentires, secuti sunt currum socii, quod dimidio minus accepissent quam Romani apud Procop. *l.* II. *Wandal.* Bellisarius zonas aureas populo in triumpho impertitus est. Livius *l.* XL. Q. Fulvius Flaccus Celtiberis victis, militibus de præda quinquagenos denarios dedit, duplex centurionibus, triplex equiti, tantundem sociis Latini nominis, & stipendium omnibus duplex. Fine *l.* XL. divisit tamen in singulos milites tricenos æris, duplex centurionibus, triplex equiti. *Lib.* XLIV. de C. Octavio, qui navalem de Rege Perseo triumphum egit. Is triumphus sine captivis fuit, sine spoliis: dedit sociis navalibus in singulos, denarios septuagenos quinque, gubernatoribus qui in navibus fuerant duplex, magistris navium quadruplex. De Paulo Æmilio *l.* XLIV. pediti in singulos dati centeni (æris) duplex centurioni, triplex equiti: tantum pediti daturum fuisse credunt, si aut non refragati honori ejus fuissent, aut benigne hac ipsa summa nunciata acclamassent. Livius *l.* XLIV. Luc. Anicius victis Illyriis de præda militibus in singulos, quadragenos quinos denarios, duplex centurioni, triplex equiti, sociis nominis Latini quantum civibus, & sociis navalibus dedit, quantum militibus. Vetus inscriptio est Mathelicæ Italiæ: C. Ario. C. F. Cor. Clementi, militi 9 coh. Pr. equiti coh. ejusdem, donis donato ab Imp. Trajano torquibus, armillis, phaleris ob bellum Dacicum, singulari Præfect. Pr. Tesserario, optioni, fisci curatori, cornicul. Tribun. evocato, August. coh. I. vigil. Stativorum cohortis 14. urb. coh. 7. Præt. Tercenario, donis dato ab Imp. Adriano hasta pura, corona aurea, leg. 3. Aug. Primipil. duumvir. quinquennali patrono municip. Ea decora belli dicuntur Livio *l* VI. Adhæc decora belli non commemorasse tantum, sed protulisse etiam conspicienda, dona Imperatorum ad 40. in quibus insignes duas murales coronas, civicas octo. Horum autem in ordinibus legendis, qui donis militaribus insignes essent, ratio habita est, ut & in Senatum allecti sint. Livius *l.* XXXIII. Recitato veteri Senatu, inde primum in demortuorum locum legit qui post L. Æmilium, &c. tum ex his qui spolia ex Romano hoste fixa domi haberent, aut civicam coronam accepissent. Marius apud Sallustium gloriatur, quod licet imagines majorum suorum nullæ sibi essent, dona tamen multa militaria virtutis ergo accepisset. Claudius Tribunus militum, postea Imperator, a Valeriano Augusto accepit fibulas argenteas inauratas duas, fibulam auream cum acu Cypria unam (ita lego, non ut vulgo, *camacum Cypriam*) baltheum argenteum inauratum unum, annulum bigemmeum uncialem, brachiale unum unciarum septem, torquem libralem unum, cassidem inauratam unam, scuta chrysographata duo, loricam unam quam refundat, laureas Herculeanas duas, aclides duas apud Trebel. Præfectis virtute illustribus salarium quintuplex factum, ornamenta militaria geminata, Capitolina palmata promissa, Vopiscus. In concione militum publice donabantur, interdum & privatim, ut Polyb. *l.* VI. Vopiscus in *Probo.* Publice donatus est hastis puris quatuor, coronis vallaribus duabus, corona civica una, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torque aureo uno, patera sacrificali quinquelibri una. Livi. *l.* XXXIX. insignia dona vocat. Marcell. *l.* XXV. anteactæ vitæ insignia. Aurelius Victor arma insignia. Lamprid. in *Alexandro*, cuncta insignia & honorificentiæ genera. Tacitus insignia triumphi insignia Consularia, Prætoria, Quæstoria vocat, ut suo loco dicemus; unde vox Gallica *armorum* & *insignium*, pro virtutis familiaribus ac gentilitiis notis. Datas pecunias esse diximus, non modo sub Imperatoribus, sed & sub Consulibus. Tacit. *l.* XVIII. Finis sermonis in eo, ut quina millia nummum singulis militibus numerarentur sociis & legatis exterarum gentium data, ut res dederit, ostendemus. Tacit. l. II. *Annal.* de Arminio; Flavius aucta stipendia, torquem & coronam, aliaque dona militaria memorat. Livius *l.* LIV. Dum bellum in Macedonia geritur, legati transalpini ab Regulo Gallorum, &c. Romam venerunt, pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia; gratiæ ab Senatu actæ, muneraque missa, torquis aureus duo pondo, & pateræ aureæ quatuor pondo, equus phaleratus, armaque equestria. Hoc genere militarium insignium etiam aliæ gentes usæ, Galli maxime, ut Livius *l.* XXXIV. Plus, inquit, octo millia hominum cæsa, haud multo minus quam decem millia capta, & signa militaria 58. & spolia plura Gallica fuere, annuli aurei, torques, armillæque. Milites generosi, & sibi virtutis conscii, non modo in pompa & triumpho, sed in acie & agmine insignia sua in splendorem dederunt. Tacit. *l.* XVIII. & militum phaleræ torquesque splendebant: decora facies, & non Vitellio Principe dignus exercitus. Fuit & baltheus inter dona militaria, cum a Valeriano Probus inter cætera insignia baltheo argenteo inaurato virtutis ergo donatus sit, apud Trebellium. Ducebatur oblique ab humero dextro ad sinistrum. Quintilian. *l.* XI. Sinus ille qui ab humero dextro ad sinistrum oblique ducitur velut baltheus. Tacit. *l.* XVIII. Sed manipuli quoque & gregarius miles viatica sua, & baltheos phalerasque, & insignia armorum argento decora loco pecuniæ tradebant: & fibulæ in dolis. Livi. *l.* XLIX. Quintius alter prætor suos equites catellis ac fibulis donavit. Claudio Valerianus donavit fibulas inauratas argenteas duas, Vopiscus *Aureliano*; & ut fibulas aureas gregarii milites haberent, idem primus concessit, dum antea argenteas habuissent, in *Probo*; tunicas russulas duas, pallia Gallica duo fibulata, interulas paragaudes, duas fibulas subnectendæ vesti. Virgil.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Hæc dona strenuis militibus duces etiam sub Imperatoribus dividebant, Imperatores ducibus. Augustus tamen apud Suet. solos triumphales, quanquam & socios expeditionum, & participes victoriarum suarum nunquam donis partiendos putavit, quod ipsi quoque jus habuissent tribuendi ea quibus vellent. Sed de hac re infra ex Dione. Dio *l.* LI. Μετὰ δὲ τοῦτο τούς θ' ὑποστρατήγους καὶ ἐπῄνεσε, καὶ ἐτίμησεν, ὥσπερ εἴθιστο, καὶ τὸν μὲν Ἀγρίππαν ἄλλοις τέ τισι, καὶ σημείῳ κυανοειδεῖ ναυκρατητικῷ προσεπεκόσμησε, καὶ τοῖς στρατιώταις ἔδωκέ τινα, τῷ τε δήμῳ καθ' ἑκατὸν δραχμάς. *Postea Augustus legatos laudavit, & ornavit, ut moris fuit, & Agrippam aliis qui-*

busdam ornamentis, tum vero vexillo cæruleo navalis victoriæ donavit, militibusque nonnulla dedit, & populo centum drachmas. Livius *l.* XXXIX. de triumpho Manlii: multi omnium ordinum donati militaribus donis currum secuti sunt. *Lib.* X. Pedites, equites, insignes donis transiere, ac transvecti sunt. Multæ civicæ coronæ, vallares, ac murales conspectæ. Capitolin. in *Maximin.* dona militibus per ludos etiam data scribit; Severum enim Imperatorem militares ludos dedisse, propositis præmiis argenteis, id est, armillis, torquibus, & baltheolis. Unde colligas, torques argenteos, & aureos, ut & armillas fuisse. Dona quibus donati erant milites, in triumpho & ludis præferebant, aut domi in larario asservabant, ornamenta generis, ut Magistratus ornamenta Magistratuum quos gesserant. Cic. III. *Philip.* insignia & ornamenta generis, nominis, honoris: *in Catilin.* In animis ergo nostris omnes triumphos nostros, ornamenta omnia honoris, monumenta gloriæ, insignia condi volo. Sed dona militaria in triumpho eo habitu gestari solita videntur, qui in duabus priscis imaginibus expressus est, quarum altera umbonem habet, seu clypeum rotundum, in cujus medio leonis imago, cui galea Romana imposita coronam muralem sustinet, supra quam pilum & baltheus, cum cingulo & pugione, altera ex parte cristata est: in alia pictura clypeo galea impendet, cui vexillum Romanum, thorax, campestre, pilum, & hastæ adjunguntur: unde nata videntur insignia, & arma quibus nobilitas nostra utitur: quanquam & ab infima antiquitate repeti possunt. Æschyl. in Επτὰ Θήβαις:

Εχει δ' ὑπέρφρον σῆμ' ἐπ' ἀσπίδος τόδε,
Φλέγοντα ὑπ' ἄστροις ὐρανὸν τετυγμένον.

Argumentum & specimen Virgil. vocat, XII. *Æneid.*

—— *cui tempora circum*
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen. ——

apud Pausaniam pag. 127. Aristomenis clypei ἐπίθημα ἀετὸς τὰ πτερὰ ἑκατέρωθεν ἐκπεπτακὼς ἐς ἄκραν τῆ ἴτυν. In clypeo Ulyssis Delphin fuit, ob filium a Delphino servatum. Lycophron,

Δελφινόσημον κλῶπα φοινίσσης θεᾶς.

In *Iliaco bello*, quod Cornelio Nepoti tribuitur, *l.* VI. hæc in signis & hastis insignia fuisse legimus,

—— *undique Juno*
Plurima fraxineo nunc verberat aera peplo,
Nunc sedet in parmis capitum, nunc surgit in arcus.

Forte legendum, *in pinnis capitum*, aut *cristis*. Legendus Suetonius in *Julio cap.* XXXVIII. Donabantur igitur milites armillis, hastis puris, torquibus, phaleris, vexillis, corniculis, coronis. Armillæ quibus Imperatores usi, & milites ob virtutem donati, dictæ sunt galbei. Festus galbeum ornamenti genus interpretatur. Zonaras ait Imperatorem περιβραχιόνια cepisse cum in currum ascenderet: alii βραχιονιστήρια, quæ capite leonino in veteribus nummis ac lapidibus exsculpuntur. Galbeos Cato in mundo muliebri numerat, quos nonnulli toros lana fartos esse volunt, qui mulieribus ad zonam vesti subjiciuntur, ut habitiores videantur. Suet. in *Galba*, galbeum interpretatur, remedium lana involutum: Armillas ex auro, quas viri militares ab Imperatoribus donati gerunt, ab armis dictas esse existimant, quod Antiqui humeros cum brachiis armos vocabant, ait Festus. Unde apparet armillas, colli militare ornamentum fuisse. Video tamen a Græcis authoribus περιβραχιόνια, περιχείρια, ψέλλια verti: nam quod e veteri lapide non valde admodum certo refert Onuphrius de L. Sicinio, quem alii Siccium vocant, in hæc verba: L. Sicinius Dentatus, Tribunus plebis, centies vicies præliatus, octies ex provocatione victor, 45. cicatricibus adverso pectore insignis, nulla in tergo: idem spolia cepit 34. donatus hastis puris 18. phaleris 25. torquibus tribus & 160. armillis 160. coronis 35. civicis 13. aureis 8. muralibus tribus, obsidionali 1. Fisco æris 10. captivis 20. Imperatores 8. ipsius maximo opera triumphantes sequutus, Dionys. *l.* X. ita exposuit. Ἀριστεῖα δὲ ἐκ τῶν ἀγώνων ἐξενήνεγμαι, τεσσαρεσκαίδεκα μὲν στεφάνους πολιτικοὺς, οἷς ἀνέδησάν με οἱ σωθέντες ἐν ταῖς μάχαις ὑπ' ἐμοῦ, τρεῖς δὲ πολιορκητικοὺς, πρῶτος ἐπιβὰς πολεμίων τείχεσι, καὶ καταχὼν, ὀκτὼ δὲ τοὺς ἐκ παρατάξεως, οἷς ὑπὸ τῶν αὐτοκρατόρων ἐτιμήθην. πρὸς δὲ τούτοις ὀγδοήκοντα μὲν, καὶ τρεῖς χρυσοῦς στρεπτοὺς περιαυχενίους, ἑξήκοντα καὶ περιθραχιόνια χρύσεα, δόρατα δὲ ὀκτωκαίδεκα, φάλαρα δὲ ὑπίσημα πέντε πρὸς τοῖς εἴκοσι, ὧν ἐννέα ἦσαν οὓς μονομαχῆσαί τινας ἡμῶν προσκαλεσαμένους ἑκουσίους ὑποστὰς ἐνίκησα. Qui locus perturbatus & fœdatus est: ita quæque suo loco restiauenda, ὀκτὼ δὲ τοὺς ἐκ παρατάξεως μονομαχῆσαί τινας ἡμῶν προσκαλεσαμένους ἑκουσίους (lego ἑκούσιος ὑποστὰς ἐνίκησα. πρὸς δὲ τούτοις, &c. deinde ita lege, ὧν ἐννέα ἦσαν οἷς ὑπὸ τῶν αὐτοκρατόρων ἐτιμήθην. Id est, *Præmia e præliis cepi, 14. coronas civicas, quibus me coronarunt ii quos in pugna servaveram, tres murales, cum primus hostium mœnia inscendissem cepissemque, octo ex instructa hostium acie qui aliquos e nobis ad singulare certamen provocarant* (delevi οὓς) *sponte subsidens vici: ad hæc torques aureos collares 83. aureas armillas 60. hastas puras 18. phaleras insignes 25. quarum novem ab ipsis Imperatoribus accepi.* Vetus ille lapis mihi non plene lectus ac cognitus videtur. 63. tantum torques ascribit, armillas 160. civicas 13. Gellius contra torques tres & 80. civicas 14. armillas plus 160. cum novem Imperatoribus triumphasse. Plinius *l.* VII. *c.* XXVIII. spolia cepit 34. donatus torquibus tribus & 80. armillis 160. coronis 26. captivis 10. & 20. simul bubus, Imperatores novem ipsius maxime opera triumphantes sequutus. Valer. Maxim. *l.* III. *cap.* II. Sex 30. spolia ex hoste retulisse, 14. cives ex media morte raptos servasse: præferebantur enim aureæ coronæ octo, civicæ 14. torques 183. armillæ 160. phaleræ 25. Vides non convenire inter lapidem illum, & veteres authores. Putem apud Dionysium legendum ἑξήκοντα δὲ καὶ ἑκατὸν περιβραχιόνια: in lapide, civicis 14. torquibus tribus & 80. coronis 24. non enim plures 24. coronis referunt Plinius, Valerius, Dionysius, Gellius. Armillæ igitur proprie brachiorum fuerunt, quas μανιάκας, περίχειρα, & ψέλλια vocari dixi. Polybius *l.* II. de Gallis, περιχείροις καὶ μανιάκαις· τοῦτο δέ ἐστι χρυσοῦν ψέλλιον, ὃ φέρουσι περὶ τὰς χεῖρας, καὶ τὸν τράχηλον οἱ Γαλάται. dicitur & spinther, & ἀκροχείριον: & pro torque collari a Polybio etiam poni videtur, quod proprie περιδέραιον. Plutarc. in *Galba* περιδέρραιον κόσμον. Pollux περιδερίδα, περιτραχήλιον, περιαυχένιον. Gloss. vet. ψέλλιον ἀνδρὸς, *brachionarium*. Petron. dextrum nudavit lacertum, armilla aurea cultum, & eboreo circulo, lamina splendente connexum. Tert. *de habit. mul. c.*

II. circulos ex auro, quibus brachia arctantur: apud Athen. *l.* III. Chares ψέλλια περὶ τὰς χεῖρας, καὶ τοὺς πόδας: item χλιδῶνα περὶ τοῖς βραχίοσι. in feminis dextrocheria. Trebellian. in *Quieto*, Capitol. in *Maximin.* at Tzetz. *chil.* XIII. *c.* CCCCLXI. βραχιονιστῆρας vocat de triumphante loquens, καὶ βραχιονιστῆρας ἐμβάλλουσιν ἐκείνῳ. Priscianus brachialia, quia ex humero in brachia propendebant, aut quia in brachiis gerebantur. Livius *lib.* I. Sabinos ait armillas aureas magni ponderis brachio lævo habuisse: lege, in brachio. Doctissimus Lipsius apud Polyb. *l.* VI. pro phialia legit ψάλιον, seu ψέλλιον, id est, *armillas*. Verba, quia faciunt ad Zonaram de triumpho, hic apponam: Συναγαγὼν ὁ στρατηγὸς ἐκκλησίαν τοῦ στρατοπέδου, καὶ παραστησάμενος τοὺς δόξαντάς τι πεπραχέναι διαφέρον, πρῶτον μὲν ἐγκώμιον ὑπὲρ ἑκάστου λέγει, περί τε τῆς ἀνδραγαθίας, κἄν τι κατὰ τὸν βίον αὐτοῖς ἄλλο συνυπάρχῃ τῆς ἐπ᾽ ἀγαθῷ μνήμης ἄξιον. μετὰ δὲ ταῦτα τῷ μὲν τρώσαντι πολέμιον γαῖσον δωρεῖται, τῷ δὲ καταβαλόντι καὶ σκυλεύσαντι, τῷ μὲν πεζῷ φιάλην, τῷ δὲ ἱππεῖ φάλαρα· ἐξ ἀρχῆς δὲ γαῖσον μόνον. Id est, *convocans Imperator concionem exercitus, & præsentes quasi quæ in oculis omnium proponens eos* (doctissimus Lipsius, *circumponens sibi*; meo animo minus bene: non enim dixit, περιστησάμενος, sed παραστησάμενος) *qui egregium aliquid patrasse videntur, primum quidem unumquemque laudat, & super hoc facinore, & si quid aliud in omni vita dignum honesta memoria gessit: posthæc ei qui hostem percusserit hastam donat, qui dejecerit, & spoliarit, pediti phialam, equiti phaleras, olim hastam tantum.* Bene inquam doctissimus Lipsius pro phiala ψάλιον reposuit, quanquam & patera donatos aliquos animadverto. Livius *lib.* XXX. Scipio Massanissam aurea corona, aurea patera donat, &c. *lib.* XXVII. sellam eburneam, pateram auream donatas esse ait: & Probrus apud Vopiscum publice in concione donatus est patera sacrificali quinquelibri. Amplector igitur illud ψάλιον, aut ψέλλιον, & armillas interpretor, quas Polybius pediti tantum donatas ait, Plinius civibus tantum, non externis. *Lib.* XXXIII. *cap.* II. armillas civibus dedere, quas non habent externi. Valerius tamen Maximus externis aureas armillas, civibus argenteas attribuit, *l.* VIII. *c.* XIV. Easque argenteas; nam eæ civium fuere, aureæ externorum: contra Dionysius Halicarn. *l.* X. qui Sicinio Dentato περιβραχιόνια χρυσᾶ, *aureas armillas*. Valerius Maxim. equiti aureas armillas, *l.* VIII. *c.* XIII. Titus Labienus Scipionem, ut forti equiti aureas armillas tribueret, admonuit; eoque negante se id facturum, &c. ipse ex præda Gallica aureas equiti largitus est, &c. quod ut ille accepit, projecto ante pedes Labieni auro, vultum demisit. Idem ut audiit Scipionem dicentem; Imperator te argenteis armillis donat, alacer gaudio exiliit, quia scilicet argenteæ civium, aureæ externorum. Livius *l.* X. Equites omnes ob insignem pluribus locis operam corniculis, armillisque argenteis donat. Sabini armillas in brachio lævo ferebant: apud Dionysium *l.* II. τῶν ψαλίων ἃ περὶ τοῖς ἀριστεροῖς βραχίοσιν ἐφόρουν, καὶ τῶν δακτυλίων: lego δακτυλίων: dabantur & torques & phaleræ. Silius *l.* XV.

—— phaleris hic pectora fulget,
Hic torque aurato circumdat bellica colla.

Juvenal *satyra* ult.

Ut læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

Dionysius Halicarn. *l.* X. de Sicinio Dentato, χρυσοῦς στρεπτοὺς περιαυχενίους vocat, *aureos torques collares*: eodem *libro* numerat ἀριστεῖα, στρεπτοὺς, καὶ τὰ ψέλλια, καὶ τὰ δόρατα, καὶ τὰ φάλαρα, καὶ τοὺς τῶν ὑπάτων στεφάνους, καὶ τὰ ἐκ τῶν μονομαχιῶν λάφυρα. Herodotus στρεπτὸν περιαυχένιον, quia collum ambibat. Plutarch. ὡς εἶδε περικείμενα ψέλλια χρυσᾶ, καὶ στρεπτοὺς, in *Themistocle*: apud Suidam, ὁ δὲ λαμβόμενος τῇ λαιᾷ τοῦ στρεπτοῦ, ὃν δὴ χρυσοῦν ἔφερεν ἀμφὶ τῇ δέρῃ, ubi ipse τοῦ περιδεραίου κόσμου exponit. Xenophon lib. I. *Cyri pæd.* καὶ οἱ στρεπτοὶ περὶ τῇ δέρῃ καὶ τὰ ψέλλια περὶ ταῖν χεροῖν. armillis manus, torque collum inclusum ait: στρεπτοὶ erant toriles ἀπὸ τοῦ στρέφεσθαι, torques a *torquendo*, Servius l. VIII. *Æneid.* phaleris collum ornari solitum ait, & esse idem quod in mulieribus monilia. Plin. *l.* XXXVII. *c.* XII. phaleras pensiles facit. Ut aureis annulis, sic phaleris usi nobiles. Livius *l.* IX. ob ædilitatem Flavii plerique nobilium aureos annulos & phaleras deponerent. Doctissimus Lipsius catellas cum torquibus easdem facit. Livius *l.* XXXIX. C. Calpurnium donasse equites suos phaleris, Quintium alterum Prætorem suos catellis. Tacitus *l.* III. torque donat & hasta. Auxiliares, & externos torquibus aureis donavere, cives non nisi argenteis, ait Plin. *l.* XXXIII. *c.* II. dissentit Suet. in *Augusto*. Qui C. Asprenatem lapsu equi debilitatum aureo torque donavit. Veget. *l.* II. *c.* VII. Torquati simplares, quibus torquis aureus solidus virtutis præmium fuit. Externis quinque auri pondo torques donati. Liv. *l.* XXXIII. torques duo ex quinque auri pondo facti. Bellisarius apud Suidam militibus τοῖς εὐδοκιμήκασι ψέλλιά τε, καὶ στρεπτοὺς ἆθλα παρείχετο, Probus torquem interpretatur circulum aureum flexilem, obtortum colli ornamentum, & summi pectoris. Gellius *l.* IX. *c.* XIII. Caput Galli præcidit, torquem detraxit, eamque sanguinolentam sibi in caput imponit. Cicero V. *in Verrem*. Q. Rubrium excellenti virtute, authoritate, torque donasti. Torques etiam brachiales fuerunt: apud Vopisc. in *Aurelian.* erant catenæ brachiales: dextrocheria feminarum fuere quasi annuli, non ut catenæ. Maximinus enim dextrocherio uxoris usus est annulo, ait Capitolin. Phaleræ rariores & honoratiores torquibus. Dionysius vocat φάλαρα ἐπίσημα, quæ 25. tantum Siccius accepit, cum torques 83. consecutus sit. In pectus eas promitti diximus, & equiti tantum datas, ut vult Polybius; quanquam & Siccio pediti donatas supra ostendimus: dabantur & hastæ, quæ gæsa vocat Polybius, alii δόρατα, Zonaras δόρατα ἀσίδηρα, Latini hastas puras. Per initia solæ hastæ datæ sunt, si Polybio fides. Silius *l.* VI.

Hæc tunc hasta decus nobis, pretiumque decori
Sanguinis. ——

Cato vocat hastas donaticas. Suet. in *Claudio*: quem Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit. Plin. *l.* VII. *c.* XXVIII. Manlii Capitolini spolia, & coronas numerat, deinde dona 33. ponit, quæ vel pro hastis, vel pro omnibus donis militaribus accipienda: de hasta pura Virgil. VI. *Æneid.*

Ille, vides, pura juvenis qui nititur hasta

Propert. *l.* IV.

Pura triumphantes hasta sequatur equos.

Lucius Sicinius donatus est hastis puris 18. δόρατα ὀκτωκαίδεκα. Dionysius *l.* II. *c.* XI. Gellius hastas simpliciter dixit, ut & Dionys. Vopiscus hastas puras; Polybius etiam λόγχας: in donis militaribus fuere cornicula & vexilla. Livius *l.* X. Hastatos armillis, aureis coronis, corniculis donat argenteis. Dabantur peditibus, & equitibus.

Liv. *lib.* x. Equites corniculis, armillisque argenteis donat. Plinius *de Vir. Illustr.* Æmilius Scaurus in Hispania corniculum meruit. De vexillis Vopiscus in *Aureliano*; Valerianus Imperator coronas 4. murales donavit, coronas vallares quinque, coronas navales duas, hastas puras decem, vexilla bicolora quatuor fuerunt argento texta & auro. Unde & Polybio apud Suidam dicunt *ὑφάσματα. τὰς δ' ἐντίμους ὑφάσμασι καὶ λόγχαις*. Vopiscus vexilla pura vocat in *Probo*, qui bello Sarmatico donatur vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus. Pura interpretor candida, quo modo Virgil. VI. *Æneid.*

—— puraque in veste Sacerdos.

Unde argento solo texta sine auro: neque enim pura fuissent. Sallust. *Bello Jugurth.* hastas, vexillum, phaleras in donis militaribus commemorat. Ea non uno modo texta fuisse verisimile est; nam & bicolora quædam fuerunt, & Agrippæ Augustus post navalem victoriam cæruleum vexillum donavit; apud Sueton. purpuræ aliquid admixtum verosimile est, quæ ad cæruleum colorem accedit. nam & Homerus *πορφύρεον κῦμα* dicit, & mare *πορφύρεσθαι*. Dio *lib.* LI. *Σημεῖον* vocat *κυανοειδὲς ναυκρατικόν*. Trebell. in *Claud.* statuis, vexillis, coronis, fanis, arcibusque bonum Principem, aris, ac templis honoraverunt. Valerianus *epist. ad Probum*; vestes tibi triplices dari jussi, salarium duplex feci, vexillarium deputavi. Ea dona non singulis tantum militibus, sed totis etiam manipulis data. Valerius *lib.* III. *cap.* II. ubi dona Sicinii numeravit, addit, ornamenta etiam legioni, nedum militi satis multa. Livius *lib.* x. Papirius Cursor 4. centuriones, manipulumque hastatorum armillis, aureisque coronis donat. Coriolanus cum a Posthumo Consule accurata oratione apud milites laudatus omnibus donis militaribus, & agri centum jugeribus, & decem captivorum electione, & totidem ornatis equis, centenario boum grege, argentoque quantum sustinere valuisset donaretur. Calpurnius Piso filium suum locis aliquot fortissime prœliatum titulo trium librarum aureæ coronæ decoravit. Intellige coronam ei non datam, sed solum titulum, ait Val. Maximus *lib.* IV. *cap.* I. Prælatæ sunt Sicinnio Dentato aureæ coronæ 8. civicæ 14. murales tres, obsidionalis una, torques 183. armillæ 160. hastæ 18. phaleræ 24. eodem auctore *lib.* III. *cap.* II. Apronius civicam coronam, licet Proconsul, non tribuit militi, sed Tiberio tribuendam reservavit, ibidem *lib.* III *cap.* VI. Livius *lib.* XXXIX. Quintium Prætorem suos equites catellis ac fibulis donasse ait. Catellam a catena dictum putem ornamentum, quo includerent collum. Ita Plaut. in *Curgulione*;

Delicatum te hodie faciam cum catello ut accubes ferreo.

Catellum & catella *ἁλυσίδιον*. Horat. *lib.* I. *Epist.*

Nota refert meretricis acumina sæpe catellam,
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis. ——

Fibulis aureis donatos milites, & duces ostendit Trebellius in *Claudio*, qui a Valeriano Imperatore præceptum Zozimo Syriæ procuratori ait, ut Claudio inter cætera dona daret fibulas argenteas inauratas duas, & fibulam auream. Apud Vopiscum Aurelianus militibus concessit, ut fibulas aureas gererent. Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* III. Brutus questus est fibulas tribunitias ex auro geri. Virgilius;

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Donabantur & milites corniculis. Livius *lib.* x. Equites omnes ob insignem multis in locis operam corniculis, armillisque argenteis donat. Corniculi illi videntur fuisse in galeis militum ornamenta instar cornuum eminentia, cujusmodi visuntur in iconibus galearum militarium, quas Gulielmus Choulus libro *de Castrametatione Antiquorum* posuit. Ita & in numismate argenteo Alexandri Magni caput galeatum est cum corniculis. Alii autem fuere cornicularii, de quibus loquitur Asconius *in Verrem*; Accensi dicebantur attributi Decurionibus, hoc est, eorum ministri, quos nunc commentarienses, & cornicularios appellant. Suetonius *de claris Oratoribus*. Orbilius primo apparituram fecit Magistratibus, deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit: & libro *de Viris Illustr.* Marc. Scaurus primo in Hispania corniculo meruit, sub Oreste in Sardinia stipendia fecit: Alii apud Cassiodorum *libro* XI. fuere cornicularii qui præerant cornibus secretarii. Ducibus bello navali victoribus cærulea vexilla data. Sueton. in *Augusto cap.* XXV. Marc. Agrippam in Sicilia post navalem victoriam cæruleo vexillo donavit. Cæruleus color æquoreis, &, ut loquitur Plautus, thalassicus, seu Venetus. Baptista Pius in *Annot. posterior. cap.* LXXVII. cornicula vult esse virgulas aureas, aut argenteas similes corniculo, quibus ab Imperatore strenui milites donabantur. Corniculo mereri est cornicularium Tribuni esse. Frontinus *lib.* III. *Stratag.* ejus munus attingit. Bello civili cum Ategua urbs in Hispania Pompejanarum partium obsideretur, Martius interim Rex tanquam Cæsarianus Tribuni cornicularius vigiles quosdam excitavit. Zonaras in *Camillo*, *καὶ οὐ κατ' ἄνδρα μόνον ἀριστεῖα ταῦτα ἐδίδοτο, ἀλλὰ καὶ λόχοις καὶ στρατοπέδοις ὅλοις παρείχετο*.

CAP. XIII.

DE CORONIS.

Corona dicta olim est Græcis *χορωνὸς*, ut ait Appio Grammaticus apud Athenæum *lib.* XV. quod in scena chorus coronatus esset; a quo facit Festus: Corona, inquit, cum videatur a choro dici, tamen caret aspiratione, sive coronæ dicantur, quod cohonorent eos. Veteres enim post consonantem aspiratione non sunt usi. Isidorus coronam dictam esse vult, quod initio circum aras curreretur: atque ad imaginem circuitus vel chori formata esset: aræ enim festo die floribus coronatæ, ut Propert. *lib.* III. *eleg.* VIII. Eæ longæ dictæ sunt apud Ovid. IV. *Fastor.*

Et tegat ornatas longa corona foris.

Coronæ vocabulum Græcum est. Simonides;

Φοῖβος ἐσαγεῖται τοῖς Τυνδαρίδῃσι ἀοιδῆς,
Αἱ ἄμετροι τέττιγες ἀπημείψαντο χορωτῷ.

Tertullian. *de Corona milit.* Longæ coronæ quibus coronabantur templa & amphitheatra. Coronarum author apud Athenæum Janus est, a quo primum in sacris adhibitæ, deinde in certaminibus, ludis, triumphis & conviviis. Plin. *lib.* XXI. *cap.* III. Et jam tum coronæ Deorum honos erant: & larium publicorum, & privatorum, ac sepulcrorum & manium: summaque authoritas pactili coronæ; sutiles Saliorum sacris invenimus, & solemnes cœnis. Et Athenæus *lib.* v. ex eo probat convivia honori Deorum instituta, quod coronis quæ Diis sacræ sunt in iis uterentur. Certe donaticis coronis coronati lares, authore Festo. Juven. *sat.* IX.

O nostri, parvique lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui soleo exorare corona.

Verba Festi sunt: Donaticæ coronæ dictæ, quod his victores in ludis donabantur, quæ postea ma-

gnificentiæ causa institutæ sunt super modum aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt, cum lares ornantur. Josephus Scaliger genere & literis illustris, donaticas provinciales interpretatur, a quo facere videtur Tertull. lib. *de Corona militis*. Sunt & provinciales aureæ; imaginum jam, non virorum capita majora quærentes: provinciales tamen a provinciis aureæ datæ: donaticæ ludis ab athlothetis, & editoribus frondeæ, ab Imp. donatæ, quædam aureæ, de quibus *lex* XII. *Tabularum*: Qui coronam parit ipse, pecuniave ejus, virtutis ergo arduitor, id est, addatur. Coronatos autem rem divinam fecisse, & ab oraculo cum corona discessisse, docet Livius *l.* XXIII. de Q. Fabio legato Delphis, qui dixit se oraculo egressum ex templo; his omnibus Divis rem divinam thure ac vino fecisse, jussumque ab antistite, sicut coronatus laurea corona, & oraculum ingressus erat, & rem divinam fecisset, ita coronatum navim ascendere, nec ante deponere eam, quam Romam pervenisset: quod more Græco factum esse ostendit Scholiastes Euripidis *Hippol.* Ἔθος γὰρ εἶχον οἱ ἀρχαῖοι τοῦτο, ὅτε ἤρχοντο ἀπὸ μαντείας, ἐστεφανωμένοι ἤρχοντο, καὶ πάντες τῶν οἴκου προσεκύνουν αὐτοῖς. Ferunt primum omnium Liberum patrem imposuisse (coronam) capiti suo ex hedera, ut Plin. *l.* XVI. *c.* IV. Postea Deorum honori sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis: novissime & in sacris certaminibus usurpatæ, &c. Inde natum, ut etiam triumphaturis conferrentur in templis dicandæ, mox & ludis darentur. Antiquitus quidem nulla nisi Deo dabatur: ob id Homerus cœlo tantum eas, & prælio universo tribuit, viritim autem ne in certamine quidem ulli. Lego, *choro tantum eas*; nam Homerus lib. XVIII *Iliad.* choro saltantium coronas tribuit, & bello, *l.* XIII. quanquam Hesiod. cœlum astris coronari dixit. Apud Græcos olim coronarum nullus usus fuit; neque enim proci, neque molles Phæaces usi: in certaminibus primum munera data athletis, deinde favor, tum foliorum sparsio, tandem corona post bellum Medicum, ait Clemens l. II. *Pædag.* c. VIII. Ἀλλ᾽ οὐδὲ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τῶν Ἑλλήνων ἡ χρῆσίς πω τῶν στεφάνων ἦν· οὔτε γὰρ οἱ μνηστῆρες, οὔτε οἱ ἁβροδίαιτοι κέχρηνται Φαίακες αὐτοῖς· ἐν δὲ τοῖς ἀγῶσι πρῶτον ἡ ἀθλητῶν δόσις ἦν, δεύτερον δὲ ὁ ἐπεγερμός, τρίτον ἡ φυλλοβολία. Melius tamen Athenæus *l.* I. ex eo probat coronarum usum Homero non fuisse ignotum, quod utitur voce στεφανοῦν, καὶ στέφεσθαι. *Odyss.* lib. I.

Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.

Videor mihi apud Homerum coronarum usum observasse: sic enim *Iliad.* XVIII.

Καί ῥ᾽ αἱ μὲν καλὰς στεφάνας ἔχον, οἱ δὲ μαχαίρας.

Loquitur de juvenibus, & puellis saltantibus, quæ pulcras coronas habebant. Et *Odyss.* lib. XI.

Νῆσον δὲ περὶ πόντος ἀπείριτος ἐστεφάνωται.

Hesiodus in *Theogonia* scribit cœlum astris coronari.

Ἄστρα τε λαμπετόωντα, τά τ᾽ οὐρανὸς ἐστεφάνωται.

Iliad. I. lib. XVIII.

Ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέφος ἔστεφε δῖα θεάων
Χρύσεον. ——

videtur ad coronam adlusisse. *Iliad.* I.

Στέμματ᾽ ἔχων ἐν χερσί. ——

Eustathius στεφάνωμα δάφνινον. Usus est & voce στεφάνου, *Iliad.* ν.

Πάντῃ γάρ σε περὶ στέφανος πολέμοιο δέδηε.

Hesiodus pene Hom. æqualis in *Theogonia*:

Ἀμφὶ δέ οἱ στεφάνους νεοθηλέος ἄνθεσι ποίης.

Item:

Ἀμφὶ δέ οἱ στεφάνην χρυσέην κεφαλῆφιν ἔθηκεν.

Aristoteles lib. *de Symposio* apud Athen. Diis coronas offerri ait, quia τὸ στέφειν πλήρωσίν τινα σημαίνει· οὐδὲν δὲ κόλοβον προσφέρομεν πρὸς τοὺς θεούς. Quidam e conviviis natas volunt, antiquissimumque coronarum genus fuisse laneum, deinde flores adhibitos, ne fumi ac vapores e vino cerebrum peterent; unde Theocrit.

Στέφον τὰν κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ.

Legendus Plutarchus *Symposio* III. quæst. I. Athenæus in *Fragmentis*: Οἱ ἀρχαῖοι γὰρ διὰ τοὺς περὶ τὸν οἶνον τόνους κεφαλαλγιῶν, δεσμοὺς εὕρισκον τοὺς τυχόντας τῆς τῶν κροτάφων συνδέσεως ἀφελεῖν δοκούσης. Id est, *Veteres enim ut capitis vehementes dolores retunderent, vincula quæcunque adbibuerunt ad tempora revincienda, quæ dolorem arcerent*: a quo facit Suidas: Τὸ παλαιὸν τοῖς εὐωχουμένοις περιέκειντο στέφανοι καταψύχοντες τὸ κρανίον ἀπὸ τῆς τοῦ οἴνου θέρμης: *Olim convivæ usi coronis refrigerando cerebro, ne vini calore læderetur*. Et coronæ in nuptiis & funeribus, qua de re legendi Lucianus in *Nigrino*, Clemens l. II. c. VIII. *Pædag.* Tertullian. *de Corona milit.* Minutius in *Octavio* his verbis: Sane quod caput non coronamus, ignoscite; auram boni floris naribus ducere, non occipitio capillisque solemus haurire: nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi aut sentienti faciem, cum & beatus non egat, & miser non gaudeat floribus. Sed de militaribus coronis singulare illud est, quod habet Zonaras in *Camillo*: Καὶ στεφάνους τοῖς μὲν χρυσοῦς, τοῖς δ᾽ ἀργυροῦς ἐδίδου· εἰ γὰρ τείχους τις πρῶτος ἐπέβη, καὶ τείχους ὁ στέφανος εἶδος ἔφερε, ἢ καὶ ἐξεπολιόρκησέ τις, καὶ τοῦτο κἀκεῖνος εἰκόνιστο· ἐναυκράτησέ τις, ναυσὶν ὁ στέφανος ἐκεκόσμητο· ἱπποκράτησέ τις, ἱππικόν τι ἐξετετύπωτο· ὁ δὲ πολίτην τινὰ ἐκ μάχης ἢ ἑτέρου κινδύνου, ἢ ἐκ πολιορκίας σώσας, μέγιστόν τε εἶχε τὸν ἔπαινον, καὶ ἐλάμβανε στέφανον γινόμενον ἐκ δρυὸς, ὃς πολὺ πάντων καὶ τῶν ἀργυρῶν, καὶ τῶν χρυσῶν ὡς ἐντιμότερος προτετίμητο. *Coronas Imperator aliis aureas, aliis dabat argenteas. Si quis enim primus mœnia hostium inscendisset, coronæ muri forma impressa, si oppidum aut castellum expugnasset, ejus imago insculpta: si navali prælio vicerat, navis: si equo, equi, aut rei alicujus equestris: qui civem e pugna, obsidione, aliove periculo servaret, maxima laude, tum vero querna corona, quæ aureis & argenteis dignior fuit & honoratior, donatus est.* Hæc Zonaras optime, cum Gellius muralem quasi quibusdam muri pinnis decoratam, Festus vallarem aureo vallo distinctam, Tzetzes triumphalem rebus ab Imperatore gestis exsculptam, rostratam aureo rostro ornatam scribant. Quanquam coronæ aliquot frondeæ, gramineæ, laureæ, quernæ fuerunt, in quibus illæ imagines excudi non potuerint. Dionys. *l.* VI. de P. Valerio Consule: Τῇ δὲ ἑξῆς τὰ λάφυρα, ὅσα ἐξ ἀμφοτέρων εἰλήφει τῶν στρατοπέδων διένειμε τοῖς ἀγωνισαμένοις πολλὰ ὄντα, καὶ τοὺς ἀριστεύσαντας ἐν ταῖς μάχαις τοῖς εἰωθόσιν ἐκόσμει στεφάνοις· ἦν δὲ ὁ κράτιστα πάντων ἀγωνίσασθαι δόξας Σερουίλιος πρεσβευτὴς τότε τῷ Οὐαλερίῳ συμπεμφθεὶς, καὶ ἐπὶ τῇ ἀριστείᾳ τῇδε τὰς νομιζομένας εἶναι μεγίστας παρὰ Ῥωμαίοις δωρεάς· οὗτος ἦν ὁ πρῶτος ἐξενεγκάμενος. Ad eum morem exsculpendi res gestas in coronis hoc referto e Tzet. *chil.* XIII. *c.* CXLVI. καὶ πάντας ἀριστεύσαντας στεφάνοις στεφανοῦσιν ἐξ ἀργυρᾶς τῆς ὕλης γλαπτοῖς τὰς ἀριστείας. Polyb. *l.* VI. de coronis: Τῆς δὲ πόλεως καταλαμβανομένης πρώτοις ἐπὶ τεῖχος ἀναβᾶσι χρυσοῦν δίδωσι στέφανον, ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς ὑπερασπίσαντας, καὶ σώσαντάς τινας τῶν πολιτῶν, ἢ

συμμάχων, ὅτε στρατηγὸς ἐπισημαίνεται δώροις, οἵτε χιλίαρχοι τοὺς σωθέντας, ἐὰν μὲν ἑκόντες ποιῶσι, εἰ δὲ μὴ κρίναντες συναναγκάζουσι τῷ σώσαντι στεφανοῦν. *In expugnanda urbe qui murum primus inscenderit, ei aurea corona datur, qui civem aut socium servarit, eum & Imperator donis ornat, & Tribuni militum curant, ut qui servati sunt sponte & volentes, corona servatorem suum induant, si detrectant, cogunt.* Legisse videtur doctissimus Lipsius, ἐὰν μὴ ἑκόντες ποιῶσι, κρίναντες συναναγκάζουσιν, id est, *nisi id ultro faciant, cogunt*. Sed genus hoc dicendi Græci παρασιώπησιν, cum priora e posterioribus intelligenda sunt, appellasse videntur. Sic Zonaras in *Camillo*: Καὶ εἰ μὴ μιᾷ ἡμέρᾳ ἦν ἐξαρκοῦσα πρὸς τὴν τοιούτων πομπήν· εἰ δὲ μή, καὶ ἐν δευτέρᾳ καὶ τρίτῃ ἐπέμπετο. Possumus & ita distinguere, ut post ἑκόντες incisio addatur, & ποιῶσι referatur ad στεφανοῦν. *Faciunt coronare, si sponte & non renuentes, si renuunt, cogunt.* Coronarum aliæ fuere obsidionales, civicæ, murales, navales, rostratæ, classicæ, castrenses, militares, aureæ, argenteæ, aliæ laureæ, oleaginæ. palmeæ, frondeæ: de singulis quæramus. Obsidionalis corona graminea fiebat ex illo gramine ubi cives obsidione essent liberati, qua primus Q. Cincinnatus donatus. Livius *l.* III. auream ei additam ad triumphum scribit. Festus; Obsidionalis corona est, quæ datur Imperatori ei qui obsidione liberavit ab hostibus obsessos. Ea fit ex gramine viridi, fere ex eo loco decerpto, in quo erant inclusi. Herbam autem victoriæ signum fuisse apud Antiquos aliis exemplis docuimus. Quæ corona magnæ authoritatis fuit; nam & P. Decio datæ duæ sunt, una ab exercitu universo, altera ab iis qui fuerunt in præsidio obsessi, & L. Sicinio Dentato, qui Achilles Romæ existimatus est, ac fertur centies & vicies pro Republica depugnasse. Inter obsidionalem & civicam hoc interest, quod altera singularis signum salutis est, altera diversorum (lego ut est in Paulo, universorum) civium servatorum. Livius *l.* VII. Legiones gramineam coronam obsidionalem clamore donum approbantes Deciis donant. Ammian. *l.* XXIV. obsidionalibus coronis donati pro concione laudati: ubi doctissimus Lipsius admonuit optime, obsidionales pro muralibus positas. Plin. *l.* XVI. *c.* IV. Corona quidem nulla fuit graminea nobilior, &c. gemmatæ & aureæ, vallares, murales, rostratæ, civicæ, triumphales post hanc fuere, &c. Graminea nulli nisi ab universo exercitu servato decreta; cæteras Imperatores dedere, hanc solam miles Imperatori: eadem vocatur obsidionalis, &c. Dabatur hæc viridi e gramine decerpto inde, ubi obsessos aliquis servasset: namque summum apud Antiquos signum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc est, terra, & altrice ipsa humo, & humatione etiam cedere: *l.* XXII. *c.* IV. & V. *c.* III. Hanc Sicinius Dentatus, Decius Mus, Calpurnius Flamma Tribunus militum, accepere: bello Cimbrico centurio, cui datum a Mario, ut prætextatus immolaret ad tibicinem foculo posito. Hanc intelligi auguror apud Suidam: Ὅτι πρώτῳ Ποπλίῳ ἐλλοχήσεως ἀμοιβῆς δεξιῶς γενομένης (lego ἀμοιβὴ) ὑπὸ Ῥωμαίων ἐδόθη στέφανος ἀγρώστεως χλωρᾶς: *Quod primo omnium Publio corona e gramine virenti data est, præmium insidiarum quæ commode successerant.* Publium Decium intelligit parum ex historiæ fide. Ostendimus enim L. Quintium Cincinnatum primum omnium obsidionali corona donatum, cui auream coronam libræ pondo ab exercitu ignominiæ immemori decretam, patronumque salutatum Livius *l.* III. scribit. Insidiæ igitur nihil ad hanc coronam faciunt, nisi liberato exercitu. Cneus Petreius Atinas est is qui Cimbrico bello a Mario hunc honorem consequutus est. Primum pilum is

A capessens sub Catulo, exclusam ab hoc legionem suam hortatus, Tribunum suum dubitantem per castra hostium erumpere, interfecit, legionemque eduxit. Hæc corona Sertorio etiam cessit: Æmilianum quoque Scipionem Varro author est donatum obsidionali in Africa, Manlio Consule tribus cohortibus servatis, totidemque ad servandas eas eductis. Quod & statuæ ejus foro D. Augustus adscripsit: ipsum cum M. Cicerone filio Cos. Idibus Septembribus Senatus obsidionali donavit. Plinius author. De hac egisse videtur Claudian. in *Panegyr. Olibrii:*

B

Haud procul exacto lætus certamine victor
Cespite gramineo consederat, arbore fultus
Acclives humeros. Dominum gavisa coronat
Terra suum. ——

Festus Gradivum a quibusdam dictum ait, quia gramine sit ortus: quod interpretantur, quia corona graminea in re militari maximæ est honorationis. Gellius *l.* V. *c.* VI. eadem pene habet quæ C Festus & Plinius, additque: Hanc coronam gramineam Senatus Pop. Q. Rom. Q. Fabio Maximo dedit bello Pœnorum secundo, quod urbem Rom. obsidione hostium liberasset. Videtur interdum frondea pro obsidionali fuisse: apud Plin. *l.* XVI. *c.* IV. P. Decium patrem, inquit, Tribunum militum frondea donavit exercitus ab eo servatus, Imperatore Cornel. Cosso Samnitium bello: nisi quis putet legendum, graminea, quam Festus P. Decio datam ait. Frondea item pro murali fuit. Plinius *ibidem*: Romulus frondea coronavit Hostum Hostilium, quod Fidenam primus irrupisset. Civica vero corona appellatur, quam civis civi D a quo servatus est in prælio, testem vitæ salutisque perceptæ dat. Ea fit e fronde querna, quoniam cibus victusque antiquissimus quernus capi solitus sit, etiam ex ilice: quod genus superiori proximum est, sicut scriptum est in quadam Comœdia Cæcilii:

Advehuntur cum iligna corona, & chlamyde.
Di vostram fidem. ——

Massurius autem Sabinus in undecimo libro *Memorialium* civicam coronam tum dari solitam dicit, cum is qui civem servaverat, eodem temE pore etiam hostem occiderat, neque locum in ea pugna reliquerat, aliter jus civicæ coronæ negat concessum. Tiberium tamen Cæsarem consultum, an civicam coronam capere posset, qui civem in prælio servasset, & hostes ibidem duos interfecisset, sed locum in quo pugnabat non retinuisset, eoque loco hostes potiti essent, rescripsisse dicit, eum quoque civica dignum videri, quod apparet tam iniquo loco eum servatum, ut etiam a fortiter pugnantibus retineri non quiverit, ait Gellius *l.* V. *c.* VI. Civica certe iligna primo fuit, postea magis placuit ex æsculo Jovi sacra, variatumque & cum quercu est, ac data ubique, F quæ fuerat custodito tantum honore glandis: additæ leges arctæ, & ideo superbæ, civem servare, hostem occidere, utque eum locum, in quo sit actum, hostis obtineat (forte, non obtineat, quia loco demoveri non oportuit) eo die, utque servatus fateatur, alias testes nihil prosunt; ut civis fuerit. Auxilia quamvis Rege servato decus id non dant, nec crescit honos idem Imperatore conservato, quoniam conditores in quocunque cive summum esse voluere: accepta licet uti perpe-

A tuo. Ludos ineunti semper assurgi etiam ab Senatu in more est. Sedendi jus in proximo Senatui. Vacatio munerum omnium ipsi, patrique, & avo paterno 14. eas accepit Sicinius Dentatus, sex Capitolinus. Is quidem & de duce Servilio. Africanus de patre accipere noluit apud Trebiam, ait Plinius *l.* XVI. *cap.* IV. apud Ticinum de Scipione id narrat Seneca *cap.* XXXIII. *l.* III. *de Benefic.* Valer. Maxim. *l.* V. *cap.* IV. Tacit. *l.* XVI. Ostorius coronam civicam apud Britanniam meritus. Capitolinus in *Marco*, cujus auspiciis victoria de Parthis relata: corona, inquit, civica oblata est ambobus: apud Vopiscum Probo corona civica B delata; *Suscipe*, inquit, *civicam coronam pro parente*. Ex quibus apparet Polybium nimis anguste de civili corona loquutum, qui civis servati præmium esse velit, nullo alio addito: a quo tamen facit Festus: Civicam, inquit, coronam civis salutis suæ causa servatus in prælio dabat, quæ erat iligna, frondem habens perennem; nimis anguste. Polybius contra Plinium, socio servato datam ait. Sed socium Latinum qui jure civis usus est, accipiendum recte Lipsius admonuit. Imponitur ab eo qui servatus est, qui colit servatorem suum ut parentem, & omnia ei conferre, ac deferre debet, ut si genuisset. Polybius *l.* VI. Σέβεται C δὲ τοῦτον καὶ παρ᾽ ὅλον τὸν βίον ὁ σωθεὶς ὡς πατέρα, καὶ πάντα δεῖ τούτῳ ποιεῖν αὐτὸν ὡς τῷ γονεῖ. Cic. *pro Plancio*: Gregarii, inquit, milites faciunt inviti, ut coronam dent civicam, quod permagnum est alieno debere idem quod parenti. Lucan. *l.* I.

—— emeritique gerens insignia doni,
Servati civis referentem præmia quercum.

Claudian. III. *Stilicon.*

Mos erat in veterum castris, ut tempora quercus
D *Velaret, validis fuso qui viribus hoste*
Casurum potuit morti subducere civem.

Statius *lib.* I. *Sylvar.* de Curtio:

—— meritaque caput venerabile quercu.

Appian. *l.* II. *Civil.* Στέφανος ἐκ δρυὸς, πάλαι ᾧ τοὺς ὑπερασπίσαντας ἐγέραιρον οἱ περισωθέντες. Plutarc in *Marcio Coriolano*, vel ob Arcades βαλανηφάγους, vel quia primus hominum cibus glandes, vel quia διὸς πολίεως ἱερὸς στέφανος ὁ δρύϊνος. Plin. ait servatum fateri oportere, alias testes nihil prosunt. E Polybius contra, causa cognita cogi a Tribuno militum. Civicis murales cedunt, vallaresque, & aureæ, quanquam pretio antecedentes: cedunt & rostratæ, ait Plinius. Olim civicæ apud Tribunum a servato servatori datæ, sub Imperatoribus a solo Imperatore. Tacitus III. *Annal.* Rufus Helvius gregarius miles servati civis decus retulit, donatusque ab Apronio torquibus, & hasta. Cæsar addidit civicam coronam: forte quia Imperatoribus sacræ, & in eorum vestibulo positæ. Ovid. I. *Metamorph.*

F *Postibus Augustis eadem fidissima custos.*

Item I. *Fast.*
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.
Protegat & nostras querna corona fores.

Lib. III. eleg. I. *Trist.*

En domus hæc, dixit, Jovis est, quod ut esse probarem.
Augurium menti querna corona dabat.

Ejus rei origo a Julio Cæsare esse videtur, cujus in statuis στέφανος ἐκ δρυὸς ἦν, ait Apian. *l.* II. *Civil.* Claudius inter hostilia spolia navalem coronam fastigio Palatinæ domus juxta civicam fixit, Sueton. *c.* XVII. Ovid. *l.* IV. *Fast.*

State Palatinæ laurus, prætextaque quercu
Stet domus, æternos tres habet illa Deos.

Sueton. *Tiberio c.* XXVI. Cognomenque patriæ, & civicam in vestibulo coronam recusavit. Valer. Maxim. *l.* II. ad quercum pronæ manus porriguntur, ubi ob cives servatos corona danda est, qua postes Augustæ domus sempiterna gloria triumphant. Dionysius πολιτικοὺς στεφάνους vocat. Muralis est corona qua donatur ab Imperatore qui primus murum subiit, inque oppidum hostium per vim ascendit. Idcirco quasi muri pinnis decorata est, ait Gellius *l.* V. *c.* VI. sicut Polybius, & Zonaras. Livius *l.* XXXIII. XXXVI. & XL. Lucret. *l.* II. Civicis fuerunt inferiores, authore Plinio, qui frondeam olim pro murali fuisse in Hosto Hostilio scribit, postea fuere aureæ. Polyb. *l.* X de Scipione, χρυσοῦς στεφάνους ἐπηγγείλατο τοῖς πρώτοις ἐπὶ τὸ τεῖχος ἀναβᾶσι. Et Livius *l.* XXIII. corona aurea muralis proposita est. Nec adversatur Sueton. in *Augusto c.* XXV. Dona militaria aliquando facilius, phaleras & torques, & quicquid auro argentoque constaret, quam vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat: erant enim & hæ ex auro, sed modico; quæ phaleris & torquibus pondere ac pretio cederent, honore præcederent: Lipsius legit; quicquid auro argentoque constaret, vallares ac murales coronas, quam quæ honore præcellerent, dabat. Nihil muto: nam & ita pene loquutus est Plin. *l.* XVI. *c.* IV. Civicis murales cedunt, vallaresque, & aureæ: pene inter aureas non fuere, quia paululo auro constabant. Castrensis est corona qua donat cum Imperator qui primus hostium castra pugnans introivit: ea corona insigne valli habet. Vallaris dicitur Suetonio, & Plinio. Festus; Castrensi corona donabatur qui primus hostium castra pugnando introisset, cui insigne erat ex auro vallum. Hujus meminerunt Vopiscus in *Probo*, Trebellius in *Claudio*, Marcellin. *l.* XXIV. Sidonius parum proprie dixit *Panegyr.*

—— muralis, vallaris, civica laurus.

Silius *l.* XIII.

Tempora murali cinctus turrita corona.

Tertull. *de Corona milit.* Castrenses appellantur munificæ, & ipsæ solemnium Cæsarianorum. Muralis autem, & castrensis, & navalis fieri ex auro solent, ait Gellius. Navalis est quæ donari solet maritimo prælio ei qui primus in hostium navim armatus vi transilivit: ea quasi navium rostris insignita est, ait Gellius *l.* V. *c.* VI. Aureliano Valerianus Imperator coronas murales quatuor donavit, vallares quinque, navales duas, apud Vopiscum in *Aurel.* Virgil. *l.* VIII. *Æneid.*

Tempora navali fulgens rostrata corona.

Gellius eandem facit rostratam cum navali. Dio *l.* XLIX. Στέφανον χρυσοῦν ἐμβόλοις ἠσκημένον vocat datum Agrippæ primo omnium ab Augusto, ut Dio putat. Vellejus *l.* II. Insigne coronæ classicæ, quo nemo unquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit: quanquam Plinius *l.* XVI. Cedunt (civicis) & rostratæ, quamvis in duobus ad hoc ævi maxime celebres, M. Varrone e piraticis bellis, dante Magno Pompejo, itemque M. Agrippa, tribuente Cæsare e Siculis, quæ & ipsa piratica fuere. Vere doctissimus Lipsius rostratam ducum qui classe vicissent,

sent, navalem eorum qui in hostilem navem transiliissent, esse scribit. Livius *lib.* XXXVI. C. Lælium præfectum classis corona aurea donatum ait: gemmatas & aureas ponit Plin. *lib.* XVI. Livius *lib.* VII. pag. 350. de Manlio Torquato. Dictator auream coronam addidit donum. Dabantur eis qui strenue aliquid gessissent, sive cives, sive exteri essent. Livius pag. 830. *lib.* XXX. Massinissam Scipio aurea corona donavit. Dionys. *lib.* X. *τὰς τῶν ὑπάτων στεφάνους*: vocat apud Euripid. in *Phœniss.* *χρυσοῦς στέφανος ἀπαρχαὶ πολεμίων σκυλευμάτων* dicitur. Justin. *lib.* XVIII. Legatis Rom. a Ptolemæo Rege ad cænam invitatis aureæ coronæ missæ. Coronæ Græcis frequentes fuerunt. Pollux *lib.* I. *cap.* IX. *πελορμίζων τὴν ναῦν περὶ τὸ χῶμα πρῶτος στέφανον ἆθλον ἔλαβε*: *in obsidenda urbe primus appellens navem ad aggerem, coronam accepit*. De his Claudian. in *Panegyr. Olybrii*:

Sæpe duces meritis bello tribuere coronas.
Hunc cingit muralis honos, hunc civica quercus
Nexuit, hunc domitis ambit rostrata carinis.

Aulus Posthumius Dictator apud lacum Regillum castris Latinorum expugnatis, ei cujus maxime opera capta essent, primam Romæ coronam auream ex præda dedit. Item L. Lentulus Cos. Servilio Cornelio Merendæ, Samnitum oppido capto. Sed quinque librarum corona Piso frugi filium ex privata pecunia donavit, eamque coronam testamento Reipub. legavit. Plin. *lib.* XXXIII. *cap.* II. Decius semel aurea corona, decemque bubus a Consule, iterum præter militaria dona, aurea corona, & centum bubus, eximioque uno albo opimo auratis cornibus donatus est, apud Livium *lib.* VII. Item Lælio aurea data. Liv. *lib.* XXXIII. Pharnaces Mithridatis filius auream placando Cæsari coronam obtulit. Cæsar lib. IV. *Civil.* Sic & Saguntini coronam auream Senatui Romano. Liv. *lib.* XXXVII. Corona aurea in cella Jovis Opt. Max. dicanda 130. millibus Philippeorum facta commemoratur: *lib.* LIV. & *lib.* LV. corona 20. millibus aureorum facta: *lib.* LVIII. aurea corona 50. talentis: sic apud Tacit. *lib.* II. Herodian. *lib.* VIII. Vopiscus in *Probo* de coronis aureis Galliæ. Marcellin. *lib.* XXIII. Juliano Cæsari oblatam auri coronam: *lib.* XXV. Joviano Imperatori. Eusebius lib. IV. *de Vita Constantini*, cui ex ultimis gentibus coronæ aureæ allatæ. Tacit. *lib.* II. cum apud Regem Nabatæorum coronæ aureæ magno pondere Cæsari & Agrippinæ, leves Pisoni, & cæteris. Capitol. in *Vero*, convivis coronas datas, lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus. Ulpianus *ff. de auro & arg. leg.* mensarum coronas vocat. Polyb. *lib.* XV. aureas coronas mensarum solis Regibus datas. Milites olim myrto redimiri soliti, quia myrtus matris est Æneæ: militia vero a Minerva olea coronatur, ait Tertul. lib. *de Corona milit.* Oleaginæ coronæ proprie fuere Olympionicarum. Dio *lib.* XLIX. scribit. August. Sexto Pompeio victo *πᾶσι μὲν πεντακοσίας δραχμὰς, τοῖς δὲ ναυκρατήσασι, καὶ στέφανον ἐλαίας ἔδωκε*. Gellius, postremam coronam esse oleaginam, qua uti solent qui in prælio non fuerunt, sed triumphum procurant. Oleaginis coronis apud Festum ministri triumphanthium utebantur, quod Minerva dea belli esse putabatur. Palmæ etiam datæ. Liv. *lib.* X. pag. 470. Eodem anno coronati primum ob res bene gestas ludos Romanos spectaverunt, palmæque tum primum translatæ e Græciæ more victoribus datæ. Reduces enim in patriam, authore Polybio, ludos pompasque conspcui ineunt, quod iis solis ornatu hoc uti liceat, qui virtutis ergo ab Imperatoribus donati sunt: *τάς τε πομπὰς ἐπισήμως πομπεύουσι*, &c.

CAP. XIV.

DE CORONA MYRTEA OVANTIUM.

Ovalis corona myrtea: ea utebantur Imperatores qui ovantes introibant urbem. Ovandi autem, ac non triumphandi causa est, cum aut bella non rite indicta, neque cum justo hoste gesta sunt, aut hostium nomen humile, & non idoneum est, ut servorum piratarumque, aut deditione repente facta, impulverea, ut dici solet, incruentaque victoria obvenit. Cui facilitati aptam esse Veneris frondem crediderunt, quod non Martius, sed quasi Venerius quidam triumphus foret. Hanc myrteam coronam M. Crassus, cum bello fugitivorum confecto ovans rediret, insolenter aspernatus est, Senatusque Cons. per gratiam faciundum curavit, ut lauro, non myrto coronaretur. Veteres partim scripserunt, qui ovaret introire solitum equo vehentem: at Sabinus Massurius pedibus ingredi ovantes dicit, sequentibus eos non militibus, sed universo Senatu: ait Gellius *lib.* V. *cap.* VI. Ipse Cicero de laurea corona Crassi *orat. in Pisonem*: Quid est Crasse, quod coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris a Senatu? Claudian. *in Eutrop.*

—— *illustrat servilis laurea Crassum.*

Triumphans de Sabinis Posthumius Tubertus, qui primus omnium ovans ingressus urbem est, quoniam rem sine cruore leviter gesserat, myrto Veneris victricis coronatus incessit, ait Plin. *lib.* XV. *cap.* XXIX. unde igitur in mentem ei venit *cap.* IV. scribere, ovantes olea coronatos esse? Et myrtea corona curru triumphantes usi, ut Massurius scribit. M. Valerius duabus coronis utebatur, myrtea & laurea, qui & hoc voverat, *cap.* XXIX. Plutarchus ovationem ab ove dictam putat in *Marcello*, quam qui ovatione ornati sunt, immolarunt, a quo facit Servius lib. IV. *Æneid.* in id,

—— *sola fuga nautas comitantur ovantes.*

Qui ovationem meretur, inquit, uno equo utitur, & a plebeiis, vel equitibus Rom. deducitur in Capitolium, & de ovibus sacrificat; unde & ovatio dicta. Festus: Ovantes, inquit, lætantes dicuntur ab eo clamore, quem faciunt redeuntes a pugna victores milites geminata o litera. Dionys. Halicarnass. *lib.* V. *Καὶ θριάμβοις ὑπὸ τῆς βουλῆς ἐκοσμοῦντο ἀμφότεροι. Μενίνιος μὲν τῷ μείζονι, καὶ τιμιωτέρῳ, παρεμβεβηκὼς ἐφ' ἁρματίου δίφρου βασιλικοῦ, Ποστούμιος δὲ ἐν τῷ ἐλάττονι, καὶ ὑποδεεστέρῳ, ὃν καλοῦσιν εὔαστον, παρεκκλίναντες τοὔνομα Ἑλληνικὸν ὑπάρχον εἰς τὸ ἀσαφές· τὸ γὰρ πρῶτον εὔαστος οὕτως ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ἐλέγετο*. Id est, *Et triumphis a Senatu ornati sunt utrique; Meninius quidem majori & honoratiori, Posthumius minori, quem vocant euasten, inflectentes nomen Græcum in obscurum: nam primum euastes dictus est ab eo quod accidit*. Laurum ait in ovatione non esse, sed myrteum, de qua Valer. *lib.* III. *cap.* VII. Papirius Masso a Senatu non impetravit triumphum, in Albano monte triumphandi initium fecit, & cæteris præbuit exemplum, proque laurea corona in spectaculis myrtea semper usus est, Plin. *lib.* XV. *cap.* XXIX. consulendus. Festus: Ovalis corona myrtea quam habent qui ovant, id

est, cum bella non sunt indicta aut sine sanguine confecta. Bacchantium vox fuit *euoe*; unde εὐάζειν. Catul. in *Nupt. Pelei*:

Euoe clamantes, euoe caput inflectentes.

Addit Dionys. Διαφέρει δὲ θατέρου· πρῶτον μὲν ὅτι πεζὸς εἰσέρχεται μετὰ τῆς στρατιᾶς προηγούμενος, ὁ τὴν ἐλάττω κατάγων θρίαμβον, ἀλλ' οὐκ ἐφ' ἅρματος, ὥσπερ ἐκεῖνος. Hic discedit Dionysius a Massurio, qui Senatum sequi, non exercitum ait: Ἔπειθ' ὅτι οὐ τὴν ποικίλην καὶ χρυσόσημον ἀμφιέννυται στολὴν, ᾗ κοσμεῖται τήβεννον τὸ ἐπιχώριον τὴν ὑπάτων καὶ στρατηγῶν φρόνημα, στέφανον δ' ἐπίκειται δάφνης, μεμείωται δὲ καὶ τὸ σκῆπτρον τῇ φρονήσει παρὰ τὸν ἕτερον, τὰ δ' ἄλλα πάντα ταὐτὰ ἔχει. *Differt, inquit, a majore minor; primum quidem quod pedes urbem init, sequente exercitu, non autem curru. Deinde quod tunica picta & toga palmata, vel etiam prætexta non utitur, neque lauro coronatur, nec sceptrum eburneum gerit: cætera paria sunt.* Onuphrius χρυσόσημον στολὴν interpretatur *aurei clavi vestem*, qui peculiaris Consulum amictus: male. Senatores omnes erant laticlavii: deinde clavus ille in veste Consulis non erat aureus, sed purpureus: intelligit togam pictam auro intertextam. Prætexta Consulum erat, Prætorum & Magistratuum majorum: idem fine *lib.* IX. de L. Lucretio, & Tit. Veturio: Καὶ κατήγαγον ἀμφότεροι τοὺς ἐπινικίους θριάμβους, Λουκρήτιος μὲν ἐπὶ τοῦ τεθρίππου παρεμβεβηκώς, Οὐετούριος δὲ πεζὸς εἰσελαύνων· δύο γὰρ ἦσαν θρίαμβοι δίδονται τοῖς ἡγεμόσιν ὑπὸ τῆς βουλῆς, τὰ μὲν ἄλλα ταμεῖα (lego τίμια) ἔχοντες ἴσα, τῷ δὲ τὸν μὲν ἱππικὸν εἶναι, τὸν δὲ πεζικὸν διαφέροντες. Plutarch. ovantem calceatum peditem, tibiis modulantibus, non tubis canentibus urbem inisse tradit myrtea coronatum. Onuphrius existimat Dionysium lauream coronam ovanti tribuere, ex illis verbis non satis intellectis, quæ supra posui, στέφανον δ' ἐπίκειται δάφνης. male: nam particula negativa οὐ, quam initio posuerat, subintelligenda est, ut interpretati sumus. Ovatio instituta anno 251. P. Posthumio Tuberto secundum, & Agrippa Menenio Coss. Tubertum ovasse ait Dionys. quod primo prælio res ei male cessisset; & Plinius, quod sine cruore rem confecisset. Livius & Dio equo vectos ovantes, Dionysius pedibus. Liv. *lib.* III. pag 180 ut ovans sine militibus urbem iniret. Interdum victis hostibus, & cæde facta ovatio decreta, ut in Marcello & Crasso, ἐνισταμένων τῶν ἐχθρῶν πρὸς τὸν θρίαμβον, *inimicis id agentibus, ne legitimus triumphus decerneretur*. Plutarch. in *Marcello*: Τὸν δ' ἐλάττω καταγαγεῖν εἰς τὴν πόλιν, ὃν εὐὰν Ἕλληνες, ὄβαν δὲ Ῥωμαῖοι καλοῦσι· πέμπει δ' αὐτὸν οὐκ ἐπὶ τοῦ τεθρίππου βεβηκώς, οὐδὲ δάφνης ἔχων στέφανον, οὐδὲ περισαλπιζόμενος, ἀλλὰ πεζὸς ἐν βλαύταις, ὑπ' αὐλητῶν μάλα πολλῶν, καὶ μυρρίνης στέφανον ἐπικείμενος, ὡς ἀπόλεμος, καὶ ἡδὺς ὀφθῆναι μᾶλλον, ἢ καταπληκτικός· οἱ μὲν γὰρ μετὰ μάχης καὶ φόνου τῶν πολεμίων ἐπικρατήσαντες, τὸν Ἀρήϊον ἐκεῖνον, ὡς ἔοικε, καὶ φοβερὸν εἰσῆγον. τοῖς δὲ πολέμου μὲν μὴ δεηθεῖσι στρατηγοῖς, ὁμιλίᾳ δὲ καὶ πειθοῖ, καὶ διὰ λόγου πάντα θεμένοις καλῶς οἷον ἐπιπαιανίσαι τὸν ἀπόλεμον ταύτην, καὶ πανηγυρικὴν ἀπεδίδου πομπὴν ὁ νόμος. Ovantes Imperatores curru in urbem invecti sunt. Dio *lib.* LIV. Augustus cum a Parthis signa recepisset ἀμαχεί, ἐπεὶ κέλητος εἰς τὴν πόλιν ἐσήλασε. item pag. 370. *lib.* LIV. de Druso, cui Augustus τάς τε ἐπινικίους τιμάς, καὶ τὸ ἐπὶ κέλητος ἐς τὸ ἄστυ ἐλάσαι dedit. Tacit. *lib.* III. ac Drusus urbem egressus, repetendis auspiciis, mox urbem introiit. Tiberio primo omnium triumphalia ornamenta cum ovatione decreta. Suet. *cap.* IX. Tiberius & ovans, & curru urbem ingressus est: primus, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, novo nec antea cuiquam tributo genere honoris: idem in *Claudio* cap. I. Druso ovatio, & triumphalia ornamenta. Post Neronem ovationis rara mentio: reliqua Plutarchi verba in *Marcello* sunt hæc: Καὶ γὰρ ὁ αὐλὸς εἰρήνης μέρος, (forte μέλος) καὶ τὸ μύρτον Ἀφροδίτης φυτὸν, ἣ μάλιστα θεῶν ἀπέχθεται βίᾳ πολέμοις· ὄβας δὲ, παρὰ τὸν εὐασμὸν, ὡς οἱ πολλοὶ νομίζουσι, ὁ θρίαμβος οὗτος ὀνομάζεται· καὶ γὰρ ἐκεῖνος (lego εἰ καὶ) ἐφελάζοντες, καὶ ᾄδοντες παραπέμπουσι. Id est, *Ovatio autem non dicitur a voce Græca εὐασμὸς, ut multi autumant: etiamsi ovationem evantes, & canentes deducunt.* (tibias enim adhibent, & cantus lenes, qui in Orgiis Bacchi solemnes) Sed *ovationis* nomen Græci more suo detorserunt ad evantium choros, arbitrati Dionysum, quem Evium & Thriambum vocant, hujus honoris partem aliquam sibi vendicare: Ἀλλ' ὑφ' Ἑλλήνων εἰς τὸ συνηθὲς αὐτοῖς παρῆκται τοὔνομα, πεπεισμένων ἅμα καὶ Διονύσῳ τι τῆς τιμῆς προσήκειν, ὃν εὔιος, (lego εὔιον) καὶ θρίαμβον ὀνομάζομεν· οὐχ οὕτω δὲ ἔχει τὸ ἀληθὲς, ἀλλ' ἐπὶ μὲν τῷ μεγάλῳ θριάμβῳ βουθυτεῖν πάτριον ἦν τοῖς στρατηγοῖς, ἐπὶ δὲ τούτῳ, πρόβατον ἔθυον· ὄβα δὲ πρόβατα Ῥωμαῖοι καλοῦσι. Servius IV. *Æneid.* Qui ovationem meretur, &c. de ovibus sacrificat, unde & ovatio dicta: qui autem triumphat, albis equis utitur quatuor, & Senatu præeunte in Capitolio de tauris sacrificat.

CAP. XV.

DE ALIIS GENERIBUS CORONARUM.

Fuere & alia genera coronarum. Gemmata, de qua Plin. & auctor *ad Herennium*. Corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata. Herodian. *lib.* v. in luxu Heliogabali: τήν τε κεφαλὴν ἐκόσμει στέφανος λίθων πολυτελῶν χρυσῷ διηνθισμένος. Virgil. VII. *Æneid.*

—— duplex auro gemmisque corona.

Alia stellifera, de qua Suet. in *Caligula*: Comites autem & participes victoriæ novo genere ac nomine coronarum donavit, quas distinctas Solis ac Lunæ, syderumque specie exploratorias appellabat. Ad muralem coronam ea referenda videtur, quam ex auro accepit Sosis Syracusanus, quo duce nocturno Syracusas intratum erat, & Mericus Hispanus qui Nassum, quod ibi præsidium erat, prodiderat: præcesserunt ovantem Marcellum cum aureis coronis. Liv. *lib.* XXXVI Plin. *lib.* XXI. *c.* II. corollaria commemorat, quæ e lamina ærea tenui inaurata, aut inargentata dabantur.

Variæ coronæ querceæ ob cives servatos Imperatoribus positæ. De corona civica, quæ Augusto ob cives servatos decreta fuit, consule Valerium Maxim. *lib.* II. *cap.* III. Dionem *lib.* LIII. Ovid. lib. IV. *Fastor.* & lib. III. *Tristium* eleg. I. In corona quercea, quam alii duo rami lauri circumdant, inscriptio, OB CIVES SERVATOS. In corona quercea ascriptum, OB CIVES SERVATOS C. MARCI L. F. CENSORIN. AVG. III. VIR. AAA. FF. S. C. Donaticæ coronæ videntur esse, quas Tertullianus provinciales vocat, quæ victori a provinciis ex auro datæ, his verbis: Sunt & provinciales aureæ imaginum jam, non virorum capita majora quærentes: Festus: Donaticæ coronæ dictæ, quod his victores in ludis donabantur, quæ postea magnificentiæ causa institutæ sunt super modum aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt cum lares ornantur. Idem in voce, *optionatus*, donaticas hastas commemorat, quæ militibus ob virtutem darentur. Apud eundem navali corona

donatur qui primus in hostium navim armatus transilierit, cujusve opera manuve navis hostium capta fuerit. Adeptus est eam Marcus Terentius Varro bello piratico, donante Cneo Pompejo Magno. Item alii, inter quos Atilius bello quod gestum est contra Nabim, ut scriptum in carmine Saturnio, quod quidem duces ipsi consueti sunt in tabellis publicis ponere, in quo nominabantur qui navali corona donati erant. Atheniensium urbs bonos cives corona decorandi prima consuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis, clarum periclis cingendo caput, ait Valerius Maximus *lib.* II. *cap.* VI. Ammianus *lib.* XXIV. coronam πολιορκητικὸν de obsidionali & murali dixit. Veteres Christiani coronas refugere. Minutius in *Octavio*: Floribus & sparsis utimur mollibus ac solutis, & sertis colla complectimur. Sane quod caput non coronamus ignoscite, auram boni floris naribus ducere, non occiptio, capillisve solemus haurire. Nec mortuos coronamus. Tertullianus *de Corona milit.* Coronam forte si fascem existimas florum per seriem comprehensorum, ut plures simul portes, ut omnibus pariter utaris. Jam vero & in sinum conde, si tanta munditia est, in lectulum sparge, si tanta mollitia est. Tot modis fruere, quot & seris. Usi igitur Christiani floribus sparsis, sertis solutis ad simplicem usum, non ad aspersinem & φυλλοβολίαν solemnem, qua illos Ethnici afficiebant quos honoribus mactabant. Caligula apud Sueton. *cap.* XLV. Comites & participes victoriæ novo genere ac nomine coronarum donavit, quas distinctas Solis ac Lunæ, syderumque specie exploratorias appellavit. Apud eundem Augustus raro murales coronas dedit. Graminea corona est obsidionalis, quæ fiebat ex gramine Marti sacro, ut Ovid. lib. V. *Fastor.* ἄγρωστιν Græci vocant, de qua Plin. *lib.* XXII. Tertull. lib. *de Corona.* Sed & alias liberum Principem coronæ plane laureæ, qua ex Indis triumphavit, etiam vulgus agnoscit, cum dies in illum solemnes magnam appellant cocronam. Milites certe cum donativum acciperent, laureati erant. Tertull. *ibidem*; Expungebantur in castris milites laureati. Item; eadem laurea in donativi dispensatione denunciatur. Coronant & publicos ordines laureis publicæ causæ, Magistratus insuper aureis, ut Athenis & Romæ. Præferuntur etiam Hetruscæ. Hoc vocabulum est coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Jovem insignes ad deducendas thensas, cum palmatis togis sumunt. Vulgus post victoriam Principis coronabatur, ut Tertullianus *ibidem*, coronatur, inquit, & vulgus ex principalium proprietatum exultatione. Apud Silium *lib.* duodecimo ipsa templa Jovis Capitolini coronari per triumphum dicuntur:

Inque vicem amplexi permixta voce triumphum,
Tarpeji clamant Jovis, & delubra coronant.

CAP. XVI.

DE LAUREA CORONA.

LAuream ab Apolline esse docet Ælian. *lib.* III. *cap.* I. Ποικίλ. στεφανωσάμενος ἐκ δάφνης Τεμπικῆς παρέλαβε μαντεῖον, quia laurus ignita, Soli, & Marti sacra, ut vetus auctor manuscriptus: Δάφνη πυρὸς πλήρες φυτὸν, ὅθεν καὶ ἡλίῳ ἱερόν· διὰ τοῦτο καὶ ἀπεχθάνεται τοῖς δαίμοσι· καὶ ἔνθα ἦν δάφνη ἐκποδὼν οἱ δαίμονες, κἂν ταῖς μαντείαις καίεται· οἱ παλαιότεροι τῷ Ἄρει τὴν δάφνην ἀνατίθεσαν, ὅθεν οἱ τοῦ πολέμου στέφανοι· ἱερὰ νόσος οὐκ ἐνοχλεῖ ὅπου ἐστὶ τοῦτο φυτὸν, οὐδὲ κεραυνὸς ὅπου συκή· ὑγιείας δέ ἐστιν ἐργατικὸς ἡ δάφνη, ὅθεν καὶ φύλλα αὐτοῖς ἐπεδίδοντο τοῖς ἄρχουσι παρὰ τοῦ δήμου τῇ πρώτῃ τοῦ Ἰαννουαρίου μηνὸς καὶ ἰσχάδες. Sacra semper habita est, cujus ramum tenere soliti qui Deorum laudes canunt. Hesychius, αἴσακος, ὁ τῆς δάφνης κλάδος, ὃν κατέχοντες ὕμνουν τοὺς θεούς. Adeoque in prophanis usibus pollui laurum fas non est, ut ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his altaria, aræve debeant, ait Plinius *lib.* XV. *cap.* XXX. ideoque in lustrationibus adhibita, quia sacra, & ignea. Juvenal. *satyra* II.

—— cuperem lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis, aut si foret humida laurus.

Theophrast. *de superstit.* δεισιδαίμων ἀπονιψάμενος τὰς χεῖρας, καὶ περιῤῥανάμενος, ἀπὸ ἱεροῦ δάφνης εἰς τὸ στόμα λαβών. Ovid. IV. *Fastor.*

Ure mares oleas, tædamque herbasque Sabinas,
Et crepet in mediis laurus adusta focis.

Id causæ fuit cur laurea triumphis amica, janitrix Cæsarum Pontificumque. Plinius *lib.* XV. *cap.* XXX. quia suffimentum est cædis hostium, & purgatio: a quo facit Plutarch. in *Marcello*: Ὥσπερ ἐν τοῖς καθαρμοῖς τῶν στρατοπέδων εἰώθασι, δάφνῃ πολλῇ καταστέψαντες τὰ ὅπλα καὶ τοὺς ἄνδρας. Qui triumphant, inquit, ut in lustrationibus exercitus solent, arma virosque lauro coronantes. Hæc felix arbor fuit, cujus verbenas e luco Strenuæ Deæ Tatius Kal. Martiis decerpsit, *l.* X. *cap.* XXVIII. Symmach. cujus ramo janua Regis sacrorum ineuntis anni auspiciis cingebatur. Ovid. lib. III. *Fastor.* cujus e flamma crepitante prima anni die bonum omen captabant. Tibul. *lib.* II. *eleg.* IX.

Ut succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
Omine quo felix & sacer annus eat.

Lauri folia strenæ sunt, quam pop. Rom. Imperatori dare solitus, ut Cæsarianus Bassus in *Geoponicis* scribit; unde & Imperatoris janua lauri ramis prætexta. Ovid. I. *Metamorph.*

Tu domibus lætis aderis, cum læta triumphum
Vox canet, & longas visent Capitolia pompas:
Postibus augustis eadem fidissima custos,
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.

Laurus enim proprie triumphis dicatur, vel gratissima domibus janitrix Cæsarum Pontificumque, quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat, ait Plin. *lib.* XV. *cap.* XXX. Hæc eadem Imperium portendere visa, quod in Alexandro Severo factum, quo nascente, domi laurus juxta Persici arborem nata est, quam intra annum vicit: author Lamprid. Victoriæ sacra, & bello: unde militaris laurea dicitur Tertulliano lib. *de Corona milit.* Imperatorum triumphis non quævis laurus adhibita, sed ea tantum, quæ ex ramo a Livia depacto nata est. Liviæ enim prætervolans aquila gallinam albam ramulum lauri rostro tenentem, ita ut rapuerat, demisit in gremium: cumque nutriri alitem, pangique ramulum placuisset, ita brevi propagari cœpit, ut triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent; fuitque mos triumphantibus alias confestim eodem loco pangere, & observatum est sub cujusque obitum arborem ab ipso institutam elanguisse. Dio sub finem *lib.* XLVIII. Plin. *lib.* XV. *cap.* XXX. Suet. in *Galba* cap. I. Ex ea coronam sibi pangebant Imperatores, aut fuebant: qui mos a Romulo profectus, ut Dionysius, & Plutarch. qui eum δάφνῃ στέψασθαι volunt. De laurea corona Tacitus libro II. *Annal.* ut ad-

A sequi nomen Imperatorium, & deportare lauream posset. Silius *lib.* XV.

—— dabit ille coronam
In gremio Jovis excisi deponere Pœnis.

Sueton. in *Nerone* cap. XIII. Eum ob adventum Tiridatis in urbem Imperatorem salutatum, lauream in Capitolium latam, & nemo sanus eum triumphasse dixerit propterea. Plin. *lib* XXXV. de lauro: Ipsa pacifera, ut quam prætendi etiam inter armatos hostes quietis sit indicium. Romanis præcipue lætitiæ victoriarumque nuncia additur literis, & B militum lanceis & pilis. Ovid. l. I. *Amor.* eleg. II.

Non ego victrices auro redimire tabellas,
Nec Veneris media ponere in æde morer.

Martialis *lib.* VII. *epigramm.* V.

Publica victrices testantur gaudia chartæ,
Martia laurigera cuspide pila virent.

Dio *lib.* LIV. Ἔν τε τῷ παλατίῳ τὸν δῆμον ἠσπάσατο, καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνελθὼν, τήν τε δάφνην ἀπὸ τῶν ῥάβδων περιεῖλε, καὶ ἐς τὰ τοῦ Διὸς γόνατα κατέθετο. *In palatio populum salutavit, & in Capitolium cum ascen-* C *disset, lauream e fascibus exemptam in genua Jovis deposuit.* Plin. in *Panegyr.* Allata erat ex Pannonia laurea. Hanc Imperator Nerva in gremio Jovis collocarat. Sueton. in *Domitiano* cap. VI. De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit. De laureatis literis Martialis:

Victricem laurum quam venit ante vides.

Tacit. l. II *Histor.* lauream gestæ prospere rei vocat. Appian. in *Mithridat.* τὰ γράμματα δάφνῃ περιβαλὼν, ὡς ἔθος, *literas lauro circundans, qui mos in victoriis tenet.* Apud Tertull. quidam lib. *de Specta-* D *culis* hunc locum ita legunt; triumphi laurea foliis struitur, atque adoreis & lemniscis inauratur, quia adorea gloriam apud Festum significat. In vet. gloss. *adoriosus,* ἔνδοξος. Egesip. *l.* III. *c.* XXIV. de Manlii Torquati filio; stabat hostibus cæsis adolescens amictus adoreis triumphalibus. *Adur* & *ador* Veteres pro farre posuerunt, cujus copia gloriæ fuit. Solinus de Marco Sergio: Beatus profecto tot suffragiis gloriarum, ni hæres in posteritatis ejus successione Catilina, tantas adoreas odio damnati nominis obumbrasses. Primus Romulus laurea coronatus est. Factum sequuti reliqui, usque adeo ut Julius Cæsar post triumphum ubique & perpetuo laurea corona- E tus sit. Dio *l.* XLIII. Τῷ στεφάνῳ τῷ δαφνίνῳ ἀεὶ καὶ πανταχοῦ ὁμοίως ἐκοσμεῖτο. Ovid. lib. IV. *Trist.* eleg. II.

Ipse super currum placido spectabilis ore,
Tempora Phœbea virgine nexa tulit.

Ea ut prima, ita & ante Tarquinium Priscum sola in triumpho usi, authore Dionys. *lib.* II. quo pertinet illud Festi; Triumphales coronæ sunt, quæ Imperatori victori aureæ præferuntur, quæ temporibus antiquis propter paupertatem laureæ fuerunt. In *Epigrammatis Græcis* Amphitruo victor F laurea coronatus describitur lib. V.

Ἀλλ᾽ ὁ μάντις ἔλω, ταφίης δ᾽ ἐπὶ σήματι νίκης
Στέμμα πολυστρέπτοισιν ἐπαρμενον εἶχεν ἐθείραις.

Sed incertum quod genus coronæ fuerit, plectilisne, quam πλεκτὸν Athen. *lib.* XI. vocat, an sutilis. Plectilem olim fuisse auguror, cum simplici ac rudi corona sine arte uterentur: ideo δάφνῃ στεφανωμένους Dionys. & Plutarch. e nativo scilicet ramo plectili. Plaut. *Bacchid.*

A *Pro insigni sit corona plectilis.*

Postea tamen e foliis structam, sive pectilis, sive sutilis fuerit, certum habeo, scribente Tertull. lib. *de Corona mil.* Triumphi laurea foliis struitur, hanc adumbratis lemniscis, inauratur lamnulis, unguentis delibuitur. Vidi qui legerent, hinc adoreis lamnulis inauratur; quod Egesippus *l.* V. *c.* IV. triumphales adoreas dixerit: minus bene. Sic & Hetruscam coronam foliis quercinis admisceri Tertullianus *ibidem* scripsit. Sutilem e floribus & herbis necti puto. Horat. *lib.* IV. *ode* XI.

B *Est in horto nectendis apium coronis.*

Ovid. dixit texere flores. Plutarch. *Sympos.* III. ἐκ τῶν ζυχνῶν ἢ τῶν ἀνθῶν ὑφαίνοντες τοὺς στεφάνους. Horat. *lib.* I. *ode* XXXVIII.

Displicent nexæ philyra coronæ.

Seneca in *Agam.* nexiles. Lucret. *l.* V.

—— plexisque caput redimire coronis.

C Ovid. V. *Fastor.* sutiles coronas. Falluntur qui nexas coronas easdem cum longis esse putant: sunt enim nexiles ac sutiles. Ovid. lib. III. *Trist.* eleg. III.

Et velet tepidos nexa corona focos.

Inter sutilem & pactilem hoc interesse arbitror, quod in pactili folia pangerentur cum caudice, vel pediculo intorulo rotundo; sutili folia filo stringerentur ac consuerentur. Plin. *l.* XXI. *c.* III. Summaque auctoritas pactili coronæ, ut in Saliorum sacris invenimus, & solernes cænis: ita legit doctissimus Turnebus. Malim, sutiles Saliorum sacris in- D venimus, & solemnes cænis. Transiere deinde ad rosaria, eoque luxuria processit, ut non esset gratia nisi mero folio, sutilibus mox petitis ab India, aut ultra Indos. Lautissimum quippe habetur e nardi folio eas dari, aut veste serica versicolores unguentis madidas. Vestem sericam exaudio fila serica, quibus inter se devinciuntur, & unguentis madidam, ac, ut Tertull. ait, delibutam, triumphi lauream fuisse non dubito. Mart. de rosacea corona sutili:

Ornenturque rosis tempora sutilibus.

E Male Isidor. *l.* XVIII. *c.* II. Quicunque, ait, in conflictu vicissent, palma aurea coronabantur, quia palma stimulos habet; qui vero sine conflictu fugientem prostrasset, laurea, eo quod hæc arbor sine spinis est. Milites ipsi, arma, currus, equi, cives omnes coronati; Roma denique laureata ineunte triumpho. Ovid. lib. IV. *Trist.* eleg. II.

Tempora Phœbea lauro cingentur, ioque
Miles, io magna voce triumphe canet.

Appian. lib. *de bello Punico* in triumpho Scipionis, ἐστεφάνωνται μὲν ἅπαντες. Tibul. *lib.* II. *eleg.* V.

F *Ipse gerens laurum, lauro devinctus agresti*
Miles, io magna voce triumphe canam.

Laurum enim non capite tantum, sed & manu gerebant, ut & ipsi cum Imperatore triumphi participes essent; unde & laurigeri triumphi dicti Martiali *lib.* III. *epig.* LXXV.

—— laurigeros ageres cum læta triumphos.

& Imperatoribus ὅπλων δαφνηφοροῦντες, ait Hero-

dian. *libb.* I. & II. Xiphilinus in *Nerone* Tiridati diadema imponente, τὸ μέσον ἀγορᾶς ὁ δῆμος δαφνηφορῶν, καὶ λαμπρὰ χειμονῶν κατὰ τέλη εἶχε. De militum armis laureatis Claudian. lib. II. *Stilic.*

Velati galeas lauro. ——

Statius lib. V. *Sylvar.*

Omnia nam lætas pila attollentia frondes,
Multaque fumosa signatur lancea penna.

Liv. *l.* XLV. Milites & ipsi laureati, & quisque donis quibus donati sunt, insignes, triumphum nomine cient, suasque & Imperatoris laudes decantant. De equis laureatis Martialis *l.* VII. *epig.* VI.

Festa coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros cum comes ibit equos.

Quo respexit Propert. *lib.* III. *eleg.* I.

—— *& a me*
Nata coronatis Musa triumphat equis.

Ovid. lib. IV. *Trist.* eleg. II.

Vinctaque captiva Reges cervice ferentes
Ante coronatos ire videbit equos.

Currus ipsi laureati. Claudianus lib. III. *Stilic.*

—— *currumque sequutus*
Laurigerum, festo fremuisset carmine miles.

Fasces si laureati non erant, laureis induebantur, e lauro plectili, ut Zonaras in *Camillo*, καὶ κλῶνας δάφνης περιέδει ταῖς ῥάβδοις, cum urbem iniret. Dionys. *l.* VI. de Servilio: στεφανῶσαι τὰς ῥάβδους ἐκέλευσε, καὶ αὐτὸς στεφανωσάμενος ἔχων τὴν θριαμβικὴν ἐσθῆτα. Cic *de Divinat.* C. Marius cum fascibus laureatis. Tacit. *l.* XIII. Laurum fascibus Imperatoriis addi apud Julium Capitol. Gordianus cum pompa regali, & protectoribus & fascibus laureatis. Claudian. IV. *Consulatu Honor.* laurigeras secures vocat. Imperatorum fasces perpetuo laureati, ut ab aliorum fascibus internoscerentur. Herodian. *l.* VII. de Gordiano; ipsa subsellia laureata: apud Vopiscum in *Aureliano*; & tabernacula lauro cincta. Appian. lib. II. *Civil.* ὧν γε πολλοὶ καὶ τὰς σκηνὰς δάφναις ἀνέστεφον, ἤδη συμβόλῳ νίκης. Sequebantur pedites omnes lauro coronati. Zonaras, ἐστεμμένοι δάφνῃ πάντες ἐβάδιζον. Ipse Imperator laureum dextra ramum tenebat, læva scipionem. Plutarch. in *Paulo Æmil.* δάφνης κλῶνα τῇ δεξιᾷ προτείνων. Augustus triumphans e laureto Liviæ ramum in manu tenuit, coronamque capite gessit, ac deinde Imperatores Cæsares cuncti: traditusque mos est ramos quos tenuerunt serendi, & durant sylvæ nominibus suis discretæ, fortassis ideo mutatis triumphalibus. Plin. *lib.* XV. *c.* XXX. Tibul. *lib.* I. *eleg.* VIII.

At te victrices lauros Messala gerentem
Portabit nitidis currus eburnus equis.

Zonaras, στέφανόν τε δάφνης ἀναδησάμενος, καὶ κλάδον κρατῶν ἐν τῇ δεξιᾷ. Cum in Capitolium ascendisset Imperator, laurum fascibus detractam, ramumque laureum, quem manu tenebat, in gremio Jovis Capitolini ex voto deponebat. Ovid. lib. IV. *Trist.* eleg. II.

Et dabitur merito laurea vota Jovi.

Idem lib. I. *Amor.* eleg. VII.

Cinge comam lauro, votaque redde Jovi.

Pacatus in *Panegyr.* depositis in gremio Capitolini Jovis laureis, triumphales viri rusticabantur. Ovid. lib. II. *de Ponto* eleg. I.

Dabitur tua laurea templis. ——

Ibid. lib. IV. eleg. IV.

Danda Jovi laurus. ——

Plin. *Panegyr.* Allata erat ex Pannonia laurea, hanc Imperator Nerva in gremio Jovis collocarat. Julius Obsequens *de Prodig.* Antonius victo Catilina fasces laureatos in provinciam tulit: ibi a Dardanis oppressus est. Apparuit eum hostibus portendisse victoriam, cum ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere. Posita est & sine triumpho. Sueton. *Domitiano* cap. VI. de Sarmatis lauream modo Jovi Capitolino retulit. Sueton. *Nerone* cap. XIII. Tiridate supplicante, Nero Imperator consalutatus, laurea in Capitolium lata. Plin. *l.* XV. *cap.* XXX. Romanis lætitiæ victoriarumque nuncia, additur literis (laurus) & militum lanceis pilisque: fasces Imperatorum decorat: ex his in gremio Jovis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam nova victoria attulit. Stat. lib. IV. *Sylvar.* I.

—— *nondum gremio Jovis Indica laurus.*

Silius *lib.* XV.

—— *laurumque superbam*
In gremio Jovis excisis deponere Pœnis.

Panegyr. Theodos. depositis in gremio Capitolini Jovis laureis, triumphales viri rusticabantur. Seneca *ad Elbiam* c. X. Lauream que in Capitolini Jovis gremio reposuerat; ita doctissimus Lipsius pro lance reposuit. Alii in genua deponi scribunt. Interdum & in templum illata Jovis Feretrii, ubi spolia opima, sed præter institutum majorum. Dio *lib.* LIV. de Augusto: Καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνελθών, τήν τε δάφνην ἀπὸ ῥάβδων περιεῖλε, καὶ ἐς τὰ τοῦ Διὸς γόνατα κατέθετο. *Dereptam*, inquit, *fascibus lauream in genua Jovis* Augustus *deposuit*. *Lib.* LV. Καὶ τὴν δάφνην ἐς τὸ τοῦ Διὸς Φερετρίου παρὰ τὸ νομιζόμενον εἰσήνεγκε. Dota denique Roma lucernata & coronata fuit. Xiphilin. in *Nerone*: πάσης μὲν τῆς πόλεως ἐστεφανωμένης, καὶ λυχνοκαυτούσης καὶ θυμιώσης. Mart. *lib.* VIII. *epig.* V.

Hic lauro redimita comas, & candida vultu
Roma salutavit voce manuque Deum.

Candidam vocat ob candidatos cives. *Lib.* VIII. Herodian. Λαμπρὰ χειμονοῦντες, καὶ δαφνηφόροι ἀφικμοῦντο καὶ ἐφυλλοβολοῦντο τὸν Μάξιμον. Plutarch. *Pompejo*, quem στεφανηφοροῦντες ὑπὸ λαμπάδων ἐδέχοντο, καὶ παρέπεμπον ἀνθοβολούμενον. Xiphil. in *Severo*, Ἡ πόλις πᾶσα ἄνθεσι καὶ δάφναις ἐστεφάνωτο, καὶ ἱματίοις ποικίλοις ἐκεκόσμητο, φωτί τε καὶ θυμιάμασιν ἔλαμπε, καὶ οἱ ἄνθρωποι λαμπρὰ χειμονοῦντες. Quibus ex rebus factum ut laurus pro qualibet victorum corona poneretur. Sidon. *Panegyr.* II.

—— *cum victor scandere currus*
Incipies, crinemque sacrum tibi more priorum
Nectet muralis, vallaris, civica laurus.

Hoc postremum addo, non esse audiendos eos qui lauream coronam fascia candida, quasi diademate, redimitam volunt, cum id coronæ genus ne in Cæsare quidem ferri potuerit. Sueton. in *Julio*: Nam cum sacrificio Latinarum revertente eo inter modicas ac novas populi acclamationes quidam e turba statuæ ejus coronam lauream candida fascia præligatam imposuisset, & Tribunus plebis Epidius Marullus, Cæsetiusque Flavus coronæ fasciam detrahi, hominemque in vincula duci jussissent:

quod idem refert Appianus *lib.* V. fasciam enim candidam Regium insigne fuisse argumento est Plinius *lib.* XI. *cap.* XVI. Regibus apum in fronte macula quodam diademate candicans. Silius *lib.* XVI. de Syphace:

—— cinguntur tempora vitta
Albente.

Marcellinus *lib.* XVII. Pompejus digito caput uno scalpebat, fasciola candida crus tegendi ulceris causa deformis colligabat: nihil interesse quam partem corporis Regiæ majestatis insigni redimiret. Laurea triumphalis hac fascia caruit, foliis majoribus, baccisque nexa, cujusmodi in veteribus monumentis visitur. Cicero *de provinc. Consul.* & *lib.* XXVII. Lauream insignem vocant. Victor in *Augusto*, lauream, id est, folia infructuosa. Laurea qua populus in triumpho usus, e foliis lauri fuit, sive baccis: cujusmodi visitur in monumentis. Appian. lib. III. *Bellor. Civil.* Legionibus, quæ ab Antonio perfugerant, concessum ait, solennibus diebus florida corona uti.

CAP. XVII.

DE CORONA AUREA TRIUMPHANTIS.

LAUREÆ olim fuere triumphantium coronæ, postea prælatæ sunt aureæ, ut Gellius *lib.* V. *cap.* VI. & Festus: minus plene & proprie. Ita enim aureæ esse cœperunt, ut laureis locum suum non ademerint. Quemadmodum enim in triumpho milites laureati fuerunt, ut participes triumphi essent, & tamen vallares, murales, navales aureas, aut ipsi gesserunt, aut præferri sibi curarunt: ita & Imperatores laurea redimiti, & aurea corona ornati. Liv. *lib.* X. tunica palmata, corona triumphalis, laureaque, quam in *Camillo* Zonaras vocat στέφανον τῶν λίθων τῶν χρυσοδέτων. In ea exsculptæ erant res ab eo gestæ, sicuti in muralibus aureæ pinnæ, in rostratis aureum rostrum, in vallaribus ex auro vallum expressum erat. Tzetzes *Chiliad.* XIII. *cap.* CCCCLXI. Ὅπως τὸν θριαμβεύοντα ἐφ' ἅρματος ἱστῶσι, καὶ στέφανον δὲ χρύσεον τῇ κεφαλῇ τιθοῦσι, ὁπόσα κατειργάσατο φέροντα τυπωθέντα. Paterculus diserte; triumphans, inquit, aurea corona cingitur: hanc intelligi arbitror apud Ovid. lib. III. eleg. IV. *de Ponto*:

Prome quod injicias humeris victoribus ostrum,
Ipsa potest solitum nosse corona caput.

Juvenal. *satyra* X.

—— magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit una.
Quippe tenet sudans banc publicus, & sibi Consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.

Ingentem fuisse oportet, quæ vix ab homine feriato & forti ferri posset.] Tzetzes *Chil.* XIII. Καὶ πῶς (lego ὅπως) ἐπὶ τοῦ ἅρματος δημόσιος οἰκέτης, ὄπισθεν τούτου ὑστατον τὸν στέφανον ἀνέχων. Gellius *lib.* V. *cap.* VI. vult a sociis missum, & aurum coronarium dictum. Victor in *Caligula*: Phalerato equo, insignisque ærea (lego, aurea) corona, quasi triumphans indutus aureo paludamento, curru bijugi decurrit. Plinius *lib.* XXII. *cap.* III. gemmatas & aureas ponit. Corona triumphantis aurea dicta est Hetrusca, quod ab Hetruscis Romani magistratuum insignia mutuati essent. Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* I. & cum corona ex auro Hetrusca sustineretur a tergo. Ea est quam cum laurea triumphali conjunxit Tertul. lib. *de Corona militis*: Prætereuntur etiam illis Hetruscæ: hoc vocabulum est coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Jovem insignes, ad deducendum thensas cum palmatis togis sumunt. Folia quercina ex auro fuere, sicut apud Athenæum *lib.* V. Στέφανος δάφνης χρυσοῦς. κίσσινοι στέφανοι ἐκ χρυσοῦ. στέφανος χρυσοῦς ἐξ ἀμπέλου καὶ χρυσοῦ εἰργασμένος. Crassus dives primus argento auroque folia imitatus ludis suis coronas dedit: accesserunt quoque & lemnisci, quos adjici ipsarum coronarum honos erat, propter Hetruscas, quibus jungi nisi aurei non debebant. Eas primus instituit P. Claudius Pulcher, bracteasque etiam philyræ dedit. Plinius *lib.* XXI. *cap.* III. Lemnisci fasciolæ erant coloriosæ laneæ, vel aureæ ex coronis dependentes. Festus ex eo dici vult, quod antiquissimum genus fuerit coronarum lanearum. Apud Plinium male quidam lentiscos pro lemniscis legunt. Celsus *lib.* VII. *cap.* XXVIII. lemniscum linamentum interpretatur. Plautus *Pseud.* unguenta atque odores, lemniscos, corollas dari dapsiles. Sueton. *Nerone*: Ingestæque aves, & lemnisci, & bellaria. Cic. *pro Roscio Amerino*, palmam lemniscatam. Ausonius *epig.* XX.

Et quæ jamdudum tibi palma poetica pollet,
Lemnisco ornata est quo mea palma caret.

Hesychius Siculam vocem esse vult & tæniam angustam dici: λημνίσκους τὰς στεφάς Συρακούσιοι ταινίας: a lana Festus lemniscum; putem a lamina dictum, & lamna quasi lamniscum: erant enim & aurei lemnisci, non tantum lanei. Plinius *lib.* XXVI. Tiliarum tenuissimæ philyræ, coronarum lemniscis celebres. Idem *lib.* XXI. de lemniscis: puri diu fuere ii. Cælare eos primus instituit Publius Claudius Pulcher, bracteasque etiam philyræ dedit. In his Virgilii verbis,

Puniceis ibant evincti tempora tæniis,

lemniscos Servius intelligit. Athenæus *lib.* V. de Ptolemæo, lemniscos pro filamento posuit, aut lanea fascia: Περιστεραὶ λημνίσκοις τοὺς πόδας δεδεμέναι, πρὸς τὸ ῥαδίως ὑπὸ τῶν θεωμένων ἁρπάζεσθαι. Servius lemniscatas coronas esse vult de frondibus, & discoloribus fasciis. Plut. in *Sylla*: Θύσαντος δάφνης στεφάνου τύπον ἔχων ὁ λόβος ὤφθη, καὶ λημνίσκων δύο κατηρτημένων. Apud Medicos lemniscus est, quæ vulgo dicitur *une tente*, quæ inditur in vulnus. Sic supra Celsus, sic & Aetius *lib.* XIV. & Paul. Ægineta *lib* VI. *cap.* XXIV. Ab Hetruscis ea insignia esse ostendit Silius his verbis *lib.* VIII.

Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis,
Bis senos bæc prima dedit præcedere fasces.
Et junxit totidem tacito terrore secures.
Hæc altas eboris decoravit bonore curules,
Et Princeps Tyrio vestem prætexuit ostro.

Dionysius *lib.* III. de Hetruscis: Κομίζοντες στέφανόν τε χρύσεον, καὶ θρόνον ἐλεφάντινον, καὶ σκῆπτρον ἀετὸν ἔχον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, χιτῶνά τε πορφυροῦν χρυσόσημον, καὶ περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον, οἷα Λυδῶν τε καὶ Περσῶν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς, πλὴν οὐ τετράγωνον τῷ σχήματι, καθάπερ ἐκεῖνα ἦν, ἀλλ' ἡμικύκλιον· τὰ δὲ τοιαῦτα τῶν ἀμφιασμάτων, Ῥωμαῖοι μὲν τόγας, Ἕλληνες δὲ τηβέννας καλοῦσι. Quæ omnia Consulibus attributa sunt, ἔξω τοῦ στεφάνου, καὶ ποικίλης ἐσθῆτος, nisi per triumphum, ut ibidem scribit. Interim servus is, qui a tergo coronam auream portabat, suggerebat triumphanti; *Respice post tee*; *Hominem memento te.* Tertullian. *Apologet.* Hominem se esse triumphans in illo sublimissimo curru admonetur: suggeritur enim ei a tergo; *Respice post te*; *Ho-*

minem memento te. Tzetzes *Chil.* XIII. *στέφανον ἀνέχων, καὶ λέγων τούτῳ πρὸς τὸ οὖς, καὶ τὸ κατόπιν βλέπε.* Isidorus carnificem esse vult (qui Dioni dicitur *δήμιος* in supplicio Sejani) *lib.* XIII. *cap.* II. quod vero a carnifice contingebantur, id erat indicio, ut ad tantum fastigium evecti, mediocritatis humanæ commonerentur. Zonaras in *Camillo* vocat *οἰκέτην δημόσιον*. Servum publicum fuisse arbitror, non carnificem, quem non modo foro, sed etiam cœlo hoc, ac spiritu censoriæ leges, atque urbis domicilio carere voluerunt, ut Cic. ait *pro Rabirio*: maxime libera Repub. Hunc ritum attigit Plinius *lib.* XXVIII *cap.* IV. de fascino medico invidiæ, jubetque eosdem (triumphantes) respicere. Similis medianæ linguæ, ut sit exorata a tergo fortuna, gloriæ carnifex.

CAP. XVIII.

DE HABITU TRIUMPHANTIS.

Pingi non potest illustrius habitus triumphalis, quam a Juvenale descriptus est *sat.* X.

In tunica Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ. ——
Da nunc & volucrem sceptro quæ surgit eburno,
Illinc cornicines, niveosque ad frena Quirites.

Regum Hetruscorum insignia sunt Imperii. Florus *lib.* I. *cap.* V. e Thuscia fasces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta, aureus currus, quatuor equi triumphantium, togæ pictæ, tunicæ palmatæ, omnia denique insignia Imperii. Dionys. *lib.* III. Victi Hetrusci ad Tarquinium Priscum attulerunt auream coronam, sellam curulem, sceptrum in cujus vertice aquila, tunicam purpuream auro insignitam, & togam purpuream pictam, qualem amictum Lydorum & Persarum Reges gestarunt; hoc demto, quod non quadrangula, sed semicircularis erat. Romani togas, Græci tebennos vocant: inde etiam decem secures ad eum attulerunt, singulas e singulis urbibus accipientes: apud Tyrrhenos enim singuli lictores singulis Regibus præibant, securim fasce virgarum involutam gerentes. Si 12. urbes in unum copias contraxerant, 12. fasces uni, cui summa rerum delata esset, dabant. Alii volunt a Romulo 12. fasces usurpatos, quorum tamen Hetrusci repertores. Livius *lib.* I. Me haud pœnitet eorum sententiæ esse, quibus & apparitores, & hoc genus ab Hetruscis finitimis, unde sella curulis, unde toga prætexta sumpta est. Virg. II. *Æneid.*

Et sellam Regni trabeamque insignia nostri.

Habitus igitur triumphantium toga picta, tunica palmata, sceptrum eburneum, corona aurea, laurea capiti imposita, lauri ramus manu. Livius *lib.* X. toga picta, tunica palmata, corona rriumphalis Toga picta Dionysio est *περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον*, tunica palmata *χιτὼν πορφυροῦς χρυσόσημος* Plutarch. in *Paulo Æmilio*, & Xiphil. in *Nerone* pag. 181. *ἁλουργίδα χρυσόπαστον*: proprie toga picta dicitur tunica palmata. Livius *lib.* XXX. & XXXI. de Scipione. Massinissam primum Regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat. Propert. *lib.* IV. *eleg.* IV.

Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.

Dionys. *lib.* II. de Romulo: *ἐσθῆτα ἠμφιεσμένος ἁλουργὸν* erat in scipione aquila eburnea, quam intellexit Sidon. *Panegyr.*

—— *cui læva regebat*
Stivam post aquilas, humili dum juncta camino
Victoris fumum biberet palmata bubulci.

Viri enim triumphales sub Consuliibus domi palmatas asservabant, ut & prætextas, cæterasque quibus in Magistratu erant usi. Livius *lib.* V. de capta urbe a Gallis: Romæ interim satis jam omnibus ad tuendam arcem compositis, turba seniorum domos regressa, adventum hostium obstinato ad mortem animo expectabat. Qui eorum curules gessierant Magistratus, ut in fortunæ pristinæ, honorumque aut virtutis insignibus morerentur, quæ augustissima vestis est thensas ducentibus triumphantibusve, ea vestiti medio ædium eburneis sellis sedere. Palmatam Imperatores de Capitolio accipiebant, (unde & Capitolina palmata Vopisco dicitur) vel de Palatio. Nemo tum privatus eam domi habere sibi potuit. Capitolin. Gordianus senior palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum privatus suam propriam habuit, cum ante Imperatores eam de Capitolio acciperent, vel de Palatio. Sumebant eam de Jovis templo, unde & tunicam Jovis Juvenalis vocavit. Lampridius: Alexander, inquit, prætextam & pictam togam nunquam nisi Consul accepit, & eam quidem, quam de Jovis templo sumptam Prætores & Consules accipiebant. Toga enim picta, quæ triumphantibus olim propria, triumpho sublato, cum Consulibus & Prætoribus communicata est. Hanc Livius *lib.* V. vestem augustissimam vocat; honoris, inquit, insignibus thensas ducentibus triumphantibusque, quæ vestis augustissima est, ea vestiti. Isidorus *lib.* XIX. *cap.* XXIV. togam pictam cum tunica palmata confundere videtur: Toga, inquit, picta, eo quod victorias cum palmis intextas haberet. Macrobius lib. I. *Saturn.* cap. VI. proprie togam pictam dixit, & a Tullo Hostilio, non a Romulo, aut Tarquinio Prisco Romam illatam putavit: Tullus, inquit, Hostilius victis Hetruscis sellam curulem, lictores, togam pictam. Isidor. supra. Toga palmata dicebatur, quam merebantur ii qui reportabant de hostibus palmas. Ea plerumque pro picta sumitur. Martial. *lib.* VII. *epigr.* I.

Palmatæque ducem sed cito redde togæ.

Ausonius in *gratiar. actione*. Sidon. *epist.* VI. *lib.* VIII. Cassiodor. *lib.* VI. *epist.* I. In iis togis, tunicisque variæ picturæ Babylonico opere textæ. Auson. supra. Constantinus in argumento vestis intexitur. Festus: Tunica palmata a latitudine clavorum dicebatur, quæ nunc a genere picturæ appellatur. Picta, quæ nunc toga dicitur, purpurea antea vocitata est, eaque erat sine pictura. Ejus rei argumentum est pictura (lego, duplex toga sine pictura) in æde Vertumni, quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera C. Papirius Cursor triumphantes ita picti sunt: unde agnoscas *ὁλοπόρφυρον* fuisse sine liciis aureis, aut opere Phrygio: postea varie pictæ sunt. Ovidius lib. II. eleg. I. *Amor.*

Claraque sumpturum pictas insignia vestes.

De quibus Plinius *lib.* XXVIII. *cap.* XLVIII. Pictæ vestes apud Homerum, unde triumphales natæ: acu facere id Phryges docuerunt, unde Phrygiones: aurum intexere invenit Attalus, unde Attalicæ. Et *lib.* XXXIII. *cap.* III. Attalicis aurum jampridem intexitur invento Regum Asiæ. Servius I. *Æneid.* eandem tunicam Jovis, & togam trium-

phalem esse vult, ex Juvenale *satyra* x. cum tamen inter utramque plurimum interesse oporteat. Græci στολὴν ἐπινίκιον vocant, qua ludis Cæsar Dictator semper usus. Dio *lib.* XLII. Cæsar ἐπινίκιον στολὴν πάσαις πανηγύρεσι κατὰ δόγμα ἐνεδύετο: laurea usus est corona specie tegendi calvitii. Paulus item Æmilius victo Perseo, ludis Circensibus triumphali veste ex Senatus decreto usus est, authore Plinio *de viris illustribus*. Sed & Pompejo lege concessum, ut is ludis Circensibus corona laurea, & omni cultu triumphantium uteretur. Vellejus *lib.* II. Marius in Senatum triumphali veste venit, quod nemo ante eum fecit, authore Liv. *lib.* LXVII. radiantem togam vocavit Claudian. *Panegyr.* IV. de arcu loquens:

—— per quem radiante decorus
Ingrederere toga. ——

Pompejus triumphavit χλαμύδα ἔχων Alexandri Macedonis apud Appianum *Bello Mithridat.* Suetonius *cap.* XXV. Neroni triumphanti chlamys aureis stellis distincta fuit pro toga picta. Non minus illustris illa Caligulæ, de qua Dio *lib.* LVIII. pag. 448. Ἐπὶ θώρακι χλαμύδα σηρικὴν ἁλουργῆ, πολὺ μὲν χρυσίον, πολλοὺς δὲ καὶ λίθους Ἰνδικοὺς ἔχουσαν ἐπενέδυ. Item xystis illa, cujus meminit Interpres Aristophanis *Nebulis*: Ξυστίδ' ἔχων ἅρμα ἐλαύνεις πρὸς πόλιν, Οἱ εἰσελαύνοντες, ait, ἀθληταὶ τοιούτῳ κοσμηθέντες σχήματι, καὶ ἅρματος ἐπιβάντες, [illegible] πομπεύουσι πόλεως· ξυστίδα, πορφυρίδα. item Aristophan. *Equit.*

Ὡς ἁλουργίδα ἔχων κατάπαστον,
Καὶ στεφάνην ἐφ' ἅρματος χρυσοῦ διώξεις.

Dio *lib.* LVIII. χιτῶνα χρυσόπαστον vocat triumphantis: cæteri ἐν ἐσθῆσιν ἀνθηραῖς erant. Valer. Max. prætextam in triumpho posuit *lib.* VII. *cap.* I. Speciosissimi triumphi prætextam ei largitus est, togam pictam intelligo: *lib.* V. *cap.* V. triumphi prætextam excepit. Plinius *lib.* VIII. *cap.* XLVIII. togam regiam undulatam: sic & Dionys. *lib.* VIII. de Siccio triumphante, βασιλικὴν ἠμφιεσμένος ἐσθῆτα. Josephus *lib.* VII. *cap.* XVI. πορφυρᾶς ἐσθῆτας πατρίους ἀμπεχόμενοι. Ostrum Ovid. vocat eleg. IV. lib. III. *de Ponto*:

Prome quod injicias humeris victoribus ostrum.

Aurum Albanum Martial. *lib* IV. *epigr.* I.

Hic colat Albano Tritonida cultus in auro.

A purpura auro intexta Ovid. lib. IV. *Tristium* eleg. II. triumphantem purpureum & aureum vocat: eleg. II. lib. I. *Amor.*

Ibis inauratis aureus ipse rotis.

Tunica aurea Tarquinius triumphavit. Agrippina induta paludamento auro textili, sine alia materie. Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* III. Trabea purpurata primus Romulus usus. Tullus Hostilius primus prætexta, & latiore clavo devictis Hetruscis, ait Plinius *lib.* IX. *cap.* XXXIX. Sed & trabeæ pro triumphali veste accipiuntur. Sidon. *Panegyr.*

Hic igitur proavi trabeas imitata rigentes
Palmatam parat ipsa, pater qua Consul, & idem
Agricolam contingat avum, doceatque nepotes
Non abavi tantum, sed avi conjungere fasces.

Appianus scribit togam triumphalem purpuream fuisse stellis aureis intertextam, id est, auro clavatam bello Punico, in triumpho Scipionis. Ὁ στρατηγὸς ἔστεπται μὲν ἀπὸ χρυσοῦ, καὶ λίθων πολυτίμων, ἐσταλται δὲ εἰς τὸν πάτριον τρόπον πορφύραν ἀστέρων χρυσῶν ἐνυφασμένων. Zonaras de Romulo, ἁλουργῆ ἐνεδύετο χιτῶνα, καὶ τήβεννον ἠμπίσχετο περιπόρφυρον. Plinius *lib.* IX. *cap.* XXXVI. purpura distinguit ab equite curiam, Diis advocatur placandis, omnemque vestem illuminat, in triumphali miscetur auro. Isidorus *lib.* XIX. *cap.* XXIV. Trabea erat togæ specie ex purpura & cocco, qua operti Romanorum Reges initio procedebant. Cornutus mutat, additque, qua operti nobiles Romanorum initio procedebant. Plura fuere trabearum genera: ὁλοπόρφυρος regia, quæ olim sine pictura fuit, ut Fest. postea toga picta dicta est trossula cocco purpuraque prætexta, ut ait Cornutus, qua equites in transvectione usi. Consularis, qua amicti Consules Jani fores aperiebant, cum bellum gerendum esset; de qua Virgil. VII. *Æneid.*

Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul.

Segmentata fuisse videtur, trabibus purpura expressis. Sub Imperatoribus toga picta, quæ tunc eadem cum trabea fuit, facta est consularis, sublato jam triumpho, ut Sidon. *Panegyr. Majoriani.* Sueton. apud Servium. Tria trabearum sunt genera. Unum, quod Diis sacratur tantum purpura factum; aliud regium, quod est purpureum, habet tamen aliquid albi; tertium augurale ex purpura & cocco mistum. Servius VII. *Æneid.* quibus si addideris consularem, qua Consules amicti Jani fores aperiebant, quam auguror aliam fuisse a regia trabea, & equestrem seu trossulam, quinque reperies genera trabearum. Statius in *epulo Domitian.* trabeata agmina, & *lib.* V. trabeam Remi pro equestri ordine posuit. Plinius *lib.* VIII. *cap.* XLVIII. trabeis usos accipio Reges. Tacitus lib. III. *Annal.* de funere Germanici: atrata plebs, trabeati equites. Livius lib. II. *Belli Macedonici*: Consul vere primo trabeatus ad hostem ducere pergit. Valer. Max. *lib.* II. *cap.* II. trabeatorum equitum transvectionem fieri Idibus Juliis ait. Dionys. *lib.* II. trabeas fibulatas esse togas indicat purpura prætextas, & cocco, quæ vestis in primis honorata. τηβέννας ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρους, φοινικοπαρύφους, ἃς καλοῦσι τραβέας· ἔστι δὲ ἐπιχώριος αὐτὴ Ῥωμαίοις ἐσθὴς, ἐν τοῖς πάνυ τιμίοις. male vertunt φοινικοπαρύφους, *puniceum habentes*: sunt cocco prætextæ. Describuntur triumphales trabeæ a Claudiano lib. II. *Stilicon.*

—— suscipe cinctus,
Quos tibi divino mecum Tritonia duxit
Pectine, tincta simul repetito murice fila
Contulimus pensis, & eodem nevimus auro.

deinde vocat graves auro trabeas. Sub Imperatoribus enim pro triumpho, & togis pictis fuere auro intertextæ: unde & palmata trabea dicitur Venantio *lib.* II.

Alter palmatæ trabeæ nitet alter (lego, *altus*) *honore,*
Pingit & ornatum gemma, aurum, purpura, byssus.

Juvenal *satyra* VI.

Aut latum pictæ vestis considerat aurum.

Virg. *Æneid.* VII.

Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat
Picus. ——

Describuntur a Suida: ταῖς ἑορταῖς, καὶ τοῖς ἐπινικίοις, καὶ παρόντων πρέσβεων ἐνεδύοντο χιτῶνας, καὶ χλαμύδας ποικίλας ἀπὸ χρυσοῦ, καὶ πορφύρας, καὶ ἄλλως πως πολυτελεῖς· ἐν δὲ ταῖς κοιναῖς συνόδοις, συναμπελίνας τὸ

χρῶ-

χρῶμα, ἃς ἐκάλουν ἀτραβατικὰς ἀπὸ τοῦ χρώματος· τὸ γὰρ μέλαν ἄτρον καλοῦσι, ἢ ὅτι μετὰ τραβέας αὐταῖς εἰώθασι χρῆσθαι. Id est, *Festis diebus & triumphalibus, & legatis præsentibus amiciebantur tunicis & paludamentis pictis ex auro & purpura, magni pretii. Vulgo versicoloribus, & ianthinis seu viticei coloris, quas vocabant Atrebaticas, ab atro colore, aut quod uterentur iis cum trabeis.* Male: notum quæ sint Atrebaticæ vestes ab Atrebatibus. Eunapius in *Juliano* περιπόρφυρον pro prætexta, seu trabea consulari posuit: Ἀνωτ' ἐπήδησεν ἀνθύπατος ἐκ τοῦ θρόνου, καὶ τὴν περιπόρφυρον ἀνασείων ἐσθῆτα, τήβεννον αὐτὴν Ῥωμαῖοι καλοῦσι.

CAP. XIX.

DE TRIUMPHALIBUS ORNAMENTIS.

Marco Vinicio primo omnium triumphalia ornamenta decreta, vel, ut Suetonius c. IX. *Tiberio:* Deinde anno urbis 740. Cn. Lentulo & M. Crasso Coss. Bosphoranis ab Agrippa subactis, decretus ei triumphus; non tamen actus, quia de rebus ab se gestis nihil ad Senatum scripserat. Ejus exemplo cæteri nec publice literas miserunt, neque triumphum egerunt, unde triumphalia ornamenta nata. Vellejus *lib.* II. erant ei decreta, cum speciosissima inscriptione operum, ornamenta triumphalia ab Augusto. Sueton. in *Augusto* cap. XXXVIII. Nec parcior in bellica virtute honoranda, super 30. ducibus justos triumphos, & aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit. Dio tamen scribit *lib.* LI. Augustum triumphasse, licet absentem ab alea belli, ἐπειδὰν ἡ ἀναφορὰ τῆς νίκης τῇ αὐτοκράτορι αὐτοῦ ἀρχῇ προσήκουσα ᾖ. Sed audiendus Dio *l.b.* LIV. de Agrippa: Οὐ μὲν τοι καὶ τὰ ἐπινίκια, καί τοι ψηφισθέντα αὐτῷ ἐπέμφθη, οὔτε γὰρ ἔγραψεν ἀρχὴν ἐς τὸ συνέδριον ὑπὲρ τῶν πραχθέντων οὐδέν· ἀφ' οὗ δὴ καὶ οἱ μετὰ ταῦτα νόμῳ τινὶ τῷ ἐκείνου τρόπῳ χρώμενοι, οὐδ' αὐτοὶ τῷ κοινῷ ἔτι ἐπέστελλον, οὔτε τὴν πέμψιν τῶν νικητηρίων ἐδέξαντο, &c. ἀλλὰ μόναις ταῖς ἐπινικίαις τιμαῖς ἐγαυροῦντο. Dio τὰ ἐπινίκια vocat triumphum, τὰς ἐπινικίους τιμὰς, ornamenta triumphalia: sic *lib.* LVIII. de Claudio reduce ex Britannia, qui καὶ τὰ νικητήρια ἔπεμψε, τά τ' ἄλλα κατὰ τὸ νομιζόμενον, id est, *triumphum egit*, &c. *Lib.* XLIII. de Julio Cæsare: τά τε γὰρ ἐπινίκια οὐ μόνον αὐτὸς ἔπεμψεν, id est, *non ipse modo triumphum duxit.* Alia sunt insignia triumphi, fasces scilicet laureati, & fercula, spoliaque, de quibus Sueton. in *Augusto* cap. XXIX. Ædem Marti bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat. Sanxit ergo ut de bellis, triumphisque hic consuleretur Senatus, provincias cum imperio petituri hinc deducerentur, quique victores rediissent, huc insignia triumphi inferrent. Sed de triumphalibus ornamentis Tacit. in *Agricola:* Igitur triumphalia ornamenta, & illustris statuæ honorem, & quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata decerni Agricolæ in Senatu jubet Domitianus. Sueton. in *Claudio* cap. XVII. cujus currum sequuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti. Dio de Domitiano, συνέπεμψε δὲ σφίσιν τὰ ἐπινίκια. Nero triumphalia ornamenta etiam quæstoriæ dignitatis, & nonnullis ex equestri ordine tribuit. Suetonius in *Nerone* cap. XV. & in *Tiber.* cap. XX. a Germania in urbem post biennium regressus, triumphum, quem distulerat, egit, prosequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat; ac priusquam in Capitolium flecteret, descendit e curru, seque

A præsidenti patri ad genua summisit. Dio *lib.* LVIII. de Claudio: Ἔνειμε δὲ τοῖς βουλευταῖς τοῖς συνεξεταθεῖσιν οἱ τὰς ἐπινικίους τιμάς, οὐκ ὅτι τοῖς ὑπατευκόσι, ὅπερ καὶ ἄλλως ἀφθονώτατα καὶ ἐπὶ τοῖς ἐλαχίστοις ἐποίει. Tacitus *lib.* III. *Ann.* Neque multo post Cæsar, cum Junium Blæsum Proconsulem Africæ triumphi insignibus attolleret, dare id se dixit honori Sejani, cujus ille avunculus erat. Unde conjicias, non minus gratiæ, quam virtuti ea insignia collata fuisse. Eodem libro, Quirinius expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus est: *lib.* IV. de L. Domitio: easque ob res insignia triumphi adeptus est. Sue-
B ton. in *Nerone* cap. IV. de iisdem exaudio Tacitum *lib.* XII. & ludicro Circensium, quod acquirendis vulgi studiis edebatur, Britannicus in prætexta, Nero triumphalium veste transvecti sunt: *lib.* XI. bis insignia triumphalia commemorat. Vellejus *lib.* II. re bene gesta in Germania M. Vinicio decreta, cum speciosissima inscriptione operum, ornamenta triumphalia. Inscriptionem titulum intelligo & elogium in monumento, vel statua apud eundem, Messala Corvinus triumphalibus ornamentis honoratus est; item de Lepido, excisis agris, exustis ædificiis, cæsis viris, lætus victoria, prædaque
C onustus pervenit ad Cæsarem, & ob ea, quæ si propriis gessisset auspiciis, triumphare debuerat, ornamentis triumphalibus, consentiente cum judicio Principum voluntate Senatus, donatus est. Illi, quos Herodianus *l.* VII. θριαμβευτικοὺς vocat, non a legitimo triumpho, sed a triumphalibus ornamentis hoc nomen adepti sunt. Inter insignia triumphalia Tacitus statuas laureatas ponit *lib.* IV. Jamque tres laureatæ in urbe statuæ, & adhuc raptabat Africam Tacfarinas. Ex his perspicuum est, falli eos qui scripserunt viris triumphalibus, qui semel triumphum illum legitimum duxissent, jus fuisse ubique, maxime vero ludis, ac spectaculis,
D triumphali habitu procedendi; cum id Paulo Æmilio, Pompejo, Cæsari, & paucis aliis datum sit. Nec minus allucinati sunt, qui putarunt, eos quibus triumphalia ornamenta decreta essent, aurea corona redimitos, cum scipione & reliquo habitu triumphali spectaculis interesse potuisse. Interdum & currus elephantorum ac equorum pro triumphalibus ornamentis decreti. Capitolinus: His in Senatu lectis, quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt, (Persis victis) Misitheo autem quadrigæ equorum & triumphalis currus. Non tantum autem insignia & ornamenta sub Imperatoribus triumphi, sed etiam aliorum Magistratuum
E data sunt pro ipsis Magistratibus. Tacitus *lib.* XII. consularia insignia, & prætoria decreta esse ait: *l.* XI. decreta Narcisso insignia quæstoria: *lib.* XIII. eodem anno Cæsar effigiem Cn. Domitii, consularia insignia Asconio Labeoni petivit a Senatu. Sueton. *Claud.* cap. XXIV. ornamenta consularia etiam procuratoribus ducenariis. Tacitus *l.* XII. Censentur Ostorio triumphi insignia, prosperis ad id rebus ejus, mox ambiguis: *lib.* XX. ea multo cum honore verborum Mutiano de bello civili data, sed in Sarmatas expeditio fingebatur. (nec enim triumphus, aut ornamenta triumphalia de bello civili data) Adduntur primo Antonio consularia, Cor-
F nelio Fusco, & Arrio Varo prætoria insignia. Huc respexit Claudian. *l.* III. *Stilic.*

Ipsa tibi trabeas ultro dedit, ipsa curulem
Obtulit, hæc ultro fastos ornare coegit.

quod & de Consulatu verius accipi potest. Capitolin. in *Marco Aurelio:* Multos ex amicis in Se-

natum allegit cum ædilitiis aut prætoriis dignitatibus; multis Senatoribus, vel pauperibus sine discrimine dignitates tribunitias, ædilitiasque concessit. Hoc autem inter ornamenta triumphalia, & insignia Magistratuum interfuit, quod illa cum eo qui triumphum deportarat, commorerentur, hæc ad filios & nepotes transirent, ut docet Ulpian. *l. fin. ff. de Senatoribus*: Senatores accipiendum est eos qui a patriciis, &c. Nam si aliquis equestris, vel plebeii ordinis beneficio Principis in Senatum allectus fuisset, jus Senatorium ad hæredes non transferebat, nisi insignibus illis fuisset ornatus. Idem: Speciosas personas accipere debemus, clarissimas personas utriusque sexus, item eorum qui ornamentis Senatoriis utuntur, quod perinde est, ac si illustres dixisset. Consularia enim, quæstoria, prætoria, præfectoria insignia, Senatorum ornamenta sunt. Ita interdum prætorii, quæstorii dicuntur, iis nati quibus data insignia prætoria, vel quæstoria, quemadmodum olim qui gesserant Magistratus, ea ornamenta generis ad posteros transmittebant. Nec audiendi qui contra sentiunt. Tacitus *l.* II. *Annal.* Nam Vestilia prætoria familia genita. Plinius *l.* XXVI. *c.* I. Manilium Cornutum ex prætoriis legatum Aquitanicæ provinciæ. Liv. *l.* XXXII. Consulares quidam, prætoriique, & ædilitii, id est, qui Consulatum, Præturam, aut Ædilitatem gesserant. Plinius *l.* XXVI. *c.* I. quodam Perusino, equite Romano, quæstorio scriba: deleo vocem hanc (scriba.) Scribarum enim munus infra equitem fuit. Dio *l.* LIII. M. Vinicius victis Celtis quibusdam τὸ ὄνομα καὶ αὐτὸς τὸ τοῦ αὐτοκράτορος τῷ Αὐγούστῳ ἔδωκε, καὶ ἐψηφίσθη μέν πη καὶ τὰ ἐπινίκια αὐτῷ, &c. ἐπεὶ δ' οὐκ ἠθέλησεν αὐτὰ πέμψαι, ἀψίς τε ἐν ταῖς Ἄλπεσι τροπαιοφόρος οἱ ᾠκοδομήθη, καὶ ἐξουσία ἐδόθη τῇ πρώτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ, καὶ τῷ τε στεφάνῳ, καὶ τῇ ἐσθῆτι νικητηρίᾳ ἀεὶ χρῆσθαι. Hunc primum abstinuisse triumpho, & triumphalia ornamenta cepisse anno urbis 730. præter propter, M. Vispanio Agrippa quartum & Tauro Statilio Coss. dubium non est. Si veterem memoriam quam longissime repetas, origo triumphalium ornamentorum est a Scipione, qui Massinissæ auream coronam, sellam curulem, togam pictam, tunicam palmatam, scipionem eburneum, quia triumphum non poterat, donavit: apud Livium *l* IV. XXX. Tacitus *l.* IV. togam pictam, scipionem eburneum, antiqua munera vocat; quæ data Porsennæ a Senatu scribit Dionysius *l.* V. Toga picta Hetruscæ est originis, purpurea auro intertexta, de qua Florus: Inde fasces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta, inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur, togæ pictæ, tunicæque palmatæ. Macrob *l.* I. Tullum Hostilium, non Tarquinium Priscum ab Hetruscis eam petiisse ostendit. Dionysius περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον vocat. Plinius *l.* IX. c. XXXVI. purpura in triumphalibus miscetur auro. Plutarchus in *Paulo Æmilio*, ἁλουργίδα χρυσόπαστον. Liv. *l.* XLV. Paulus auro purpurave fulgens. Polybius *l.* VI. in triumphali munere purpuram auro intextam usurpatam ait Plinius: Apud Homerum, inquit, pictas vestes inveni, unde triumphales natæ. Acu facere id Phryges invenerunt. Ovid. *l.* VI. *Fastor.*

Vidimus ornatos ærata per atria picta
Veste triumphales succubuisse viros.

Duobus viris admiratione virtutis datum est, ut cum privati essent toga picta uterentur, Paulo Æmilio, & Pompejo, ut scribunt Vellejus *l.* II. & Dio *l.* XXXVII. ἐπινίκιον ἐνδύνειν ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσι. 61. Expende verba Festi: Picta, inquit, toga quæ nunc dicitur, purpurea antea vocitata est, eaque erat sine pictura. Ejus rei argumento est pictura in æde Vertumni & Consi, quarum in altera Marcus Fulvius Crassus, in altera Lucius Papyrius Cursor triumphantes ita picti sunt. Non dubito Fulvium Crassum, & Lucium Papyrium in purpurea toga expressos fuisse, quia ita scribit ex Verrio Flaccus. Hoc tamen scio, ante Fulvium Crassum, & Papyrium, togam pictam in usu fuisse, cum Livius *l.* X. dicat; quos vos tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali, laureaque honoratis. Plerique omnes tunicam palmatam dicunt, pauci togam palmatam, inter quos Martial. *lib.* VII.

Palmatæque ducem sed cito redde togæ.

Valerius *l.* IX. c. I. Quid sibi voluit Metellus Pius cum palmata veste convivia celebrabat? Cum reliqui tunicis syntheses & vestes discubitorias injicerent, Metellus togam palmatam injecit. Ausonius in *grat. actione* palmatam vestem cum trabea confundit: Dimicaturus palmatæ vestis meæ ornamenta disponis. Parum est, si qualis ad me trabea mittatur interroges te, coram me promi jubes. Hæc est picta, ut dicitur, vestis, non magis auro suo, quam tuis verbis. Trabea toga fuit. Dionysius *lib.* II. de Saliis loquens: Χιτῶνας ποικίλους χαλκέαις μίτραις κατεζωσμένοι, καὶ τηβέννας ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρους φοινικοπαρύφους, ἃς καλοῦσι τραβέας: *Tunicas pictas æreis zonis cincti, & togas fibulis adstrictas induti purpura prætextas, puniceo colore alternis intertextas, quas vocant trabeas.* Plinius *lib.* VIII. c. XLVIII. Trabeis usos accipio Reges: *l* IX. c. XXXIX. purpuræ usum Romæ semper fuisse video, sed Romulo in trabea. Ovidius *lib.* I. *Fastor.*

Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini.

Isidorus *l.* XIX. Trabea togæ species ex purpura & cocco, qua operti Romani Reges initio incedebant. Consules post Reges trabeam usurparunt. Livius *l.* XXXII. Consul vere primo trabeatus in continentem ad hostem pergit. Omnino tunc temporis trabea consularis alia fuit a toga picta. Apulejus in *Apologia* triumphantibus quadrigas albas, & togam palmatam tribuit. Toga picta auro a Phrygionibus & polymitariis intexto variis historiis picta erat, qualis illa est apud Corippum *lib.* IV.

Justinianorum series ubi tota laborum.

Glos. *Phrygiones*, ποικιλταί. Ausonius: Palmatam tibi misi, in qua Divus parens Constantinus intextus est. Claudianus *lib.* II. de Stilic.

——— gremioque rigentia profert
Dona, graves auro trabeas, insigne Minervæ.
Spirat opus, rutilis hic pingitur aula columnis,
Et sacri Mariæ partus Lucina dolores
Solatur. ———

Livius *l.* X. tunicam palmatam aliam facit a toga picta his verbis; quos vos sella curuli, toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali honoratis. Capitolinus item in *Gordianis*; palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum suam habuit. Valer. Maximus *l.* VII. c I. triumphanti prætextam tribuit, quam opinor posuisse pro toga picta. Quinto Macedonico fortuna speciosissimi triumphi prætextam tribuit. Pro triumphalibus ornamentis arcus in Alpibus ei exstructus, & corona cum veste triumphali decreta, quam Kal. Januariis ferret. Triumphalia autem ornamenta fuere arcus, ut in Vinicio, θυσίαι & supplicationes, ut Dio *l.* LIV. (καὶ ἐπ' αὐτοῖς θυσίαι μέν τινες τῷ τοῦ Ἀγρίππου ὀνόματι ἐγένοντο) laurea, toga picta, scipio, statua, (ut Rubrio Pollioni apud Dionem

lib. LVIII. cui posuit Claudius εἰκόνα, (καὶ ἕδραν ἐν τῷ βυλευτικῷ) currus, & pompa negantur. Imperatoris nomen additum rarissime. M. Vinicius recusavit, & Augusto reddidit. Tito Blæso concessit Tiberius anno 775. Appianus *lib.* II. *Civilium* iis tantum dari ait qui decem hostium millia ciciderint: Καὶ τήνδε τὴν τιμὴν οἱ στρατηγοὶ παλαὶ μὲν ἐπὶ πᾶσι τοῖς μεγίστοις ἔργοις προσίεντο, νῦν δὲ ὅρον εἶναι τῆσδε τῆς εὐφημίας πυνθάνομαι τὸ μυρίους πεσεῖν. Triumphalia ornamenta post Domitianum in consularia transierunt: apud Vopiscum Valerianus mittit ad Aurelianum cum aliis donis togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, subarmalem profundum, sellam eboratam.

CAP. XX.

DE CURRU.

Triumphalis currus instar turris cujusdam rotundus fuit, non absimilis iis quorum usus aut in Circo, aut in bellis. Zonaras in *Camillo*: Τὸ δὲ δὴ ἅρμα ὅτ' ἀγωνιστηρίῳ, ὅτε πολεμιστηρίῳ ἦν ἐμφερές, ἀλλ' ἐς πύργου περιφερῶς τρόπον ἐξείργαστο. Aureus erat, aut eburneus inauratus, gemmis sæpe ornatus. Bellisarius aureo curru triumphavit. Horat. *epod. ode* VIII.

—— Io triumphe tu moraris
Aureos currus, & intactas boves.

Eutropius *l.* IV. Paulus Æmilius triumphavit victo Perseo in curru aureo. Ammian. Marcel. *lib.* XVI. Constantius insidebat aureo solus carpento, fulgenti claritudine lapidum. Rotas inauratas commemorat Ovid. *l.* I. *Amor.* eleg. II.

Ibis inauratis aureus ipse rotis.

Propert. *lib.* I. *eleg.* XVI.

Cujus inaurati celebrarunt limina currus.

Appianus Pompeii ἅρμα λιθοκόλλητον. In Aureliani triumpho currus unus fuit Odenati, argento, auro, gemmis operosus, atque distinctus: alter, quem Rex Persarum Aureliano dedit, ipse quoque pari opere fabricatus. Vopisc. Currus aurei & argentei Pharnacis & Mithridatis Eupatoris Romam a Pompejo in triumphum deportati sunt: apud Plinium *l.* XXXIII. c. XI. Diocletiani currus aureus, gemmatusque fuit. Nullus eo magnificentior, de quo Sidon. in *Epithal.*

Cui dederant crystalla jugum, quam frigore primo
Strinxit hyperboreis Tanaitica crusta pruinis.
Perforat hanc fulvo formatus temo metallo,
Splendet perspicuo radios rota margine cingens
Marmaricæ de fauce feræ, dum bellua curvis
Dentibus excussis gemit exarmarier ora.

Euripides in *Phœnissis* ἅρμα χρυσοκόλλητον vocat: ab Hetruscis est aureus currus quatuor equis tractus, ait Florus *l.* I. c. V. ad triumphum respexit Cicero cum in *Orat. post reditum in Senatu* de se ipso dixit; in Senatum curru aurato sumus reportati: fulgentem currum vocat Horat. *satyr.* VI. *l.* I.

Et fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minus ignotos generosis. ——

Ob servum publicum. Philostratus in *Dione* ostendit, triumphantes eos quos diligerent eodem secum curru vexisse: sic & Commodus triumphans Ante-

A rum. Trajanus ἀναθέμενος Δίωνα ἐπὶ τῆς Ῥώμης ἐς τὴν χρυσῆν ἅμαξαν, ἐφ' ἧς οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολέμων πομπὰς πομπεύουσι. Appianus in triumpho Scipionis ἅρμα καταγεγραμμένον ποικίλως. Eburneum currum Tibul. *l.* I. *eleg.* VIII.

At te victrices lauros Messala gerentem
Portabit nitidis currus eburnus equis.

Ovidius *lib.* IV. *Trist.* eleg. II.

—— currus spectat eburnos.

B Dionysius *l.* VIII. de Siccio, ἅρματι παρεμβεβηκὼς χρυσοχαλίνων ἵππων. Appianus *Bello Punico*, currum ait varie pictum fuisse, & in curru pueros & puellas fuisse, & in equis jugalibus adolescentes gentiles: proxime sequuntur eos scribæ, apparitores, armigeri, cæterique belli administri, & post illos milites distincti per turmas, & ordines, coronati omnes, & laureati. Επιβαίνουσι δὲ αὐτῶν ἐπὶ τὸ ἅρμα παῖδές τε, καὶ παρθένοι, καὶ ἐπὶ τῶν παρηόρων ἑκατέρωθεν ἠΐθεοι συγγενεῖς, καὶ παρέπονται ὅσοι περὶ τὸν πόλεμον ἦσαν αὐτῷ γραμματεῖς τε καὶ ὑπηρέται. Apud Juvenal. *satyr.* X.

C *—— nivei ad frena Quirites.*

Sunt scribæ, administri, apparitores, lictores triumphantis. Pueri igitur prætextati eodem curru cum patre ferebantur, adolescentes in equis circumstabant. Eutrop. *lib.* IV. de P. Æmilio in aureo curru triumphante cum duobus filiis utroque latere astantibus. Claud. *Panegyr.* VI.

—— cum tu genitoris amico
Exceptus gremio, mediam veherere per urbem,
Velaretque pios communis laurea currus.

D Capitolinus in *Marco*: Quo quidem tempore Senatus Imperatoris filio ad triumphalem currum in Circo pedes cucurrit. Commodum Imperatoris filium intelligit. Idem Commodus Romam ut rediit, subactore suo Antero post se in curru locato, ita triumphavit, ut eum sæpius cervice reflexa publice oscularetur, ait Lampridius in *Commodo.* Suetonius de Tiberio cap. VI. Dehinc pubescens Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est, sinisteriore funali equo, cum Marcellus Octaviæ filius dexteriore veheretur: funalem equum σειραῖον, σειραφόρον, παρήορον vocat Dionysius Halic *l.* VII. Livius

E *l.* XLV. prætextatos vehi in curru cum patre scribit. Post currum P. Æmilii inter alios illustres viros filii duo: in curru patris Claudia virgo Vestalis fuit, quæ cum patrem suum triumphantem e curru violenta Tribuni pleb. manu detrahi animadvertisset, mira celeritate utriusque (lego, utrique) se interponendo. Val. *l.* V. c. IV. Plutarch. in *Fabio*. Filium triumphantem Fabius pater δι' ἵππον ἐλαύνων sequebatur. Valer. Max. *lib.* V. c. VII. Pater triumphantis currum equo insidens sequitur, quem ipse parvulum triumphis suis gestaverat. Cic. *pro Muræna*, cum sedere in equis triumphantium prætex-

F tati præsertim pueri soleant, qui mos & sub Imperatoribus. Filii enim Marci Philosophi utriusque sexus in triumpho patris vecti sunt, narrante Capitolino. Vespasianus quidem & Titus eodem curru triumpharunt de Judæis. Oros. *l.* VII. c. VI. Zonaras: Καὶ οὐ μόνον ἦν ἐν τῷ ἅρματι, ἀλλ' αὖ γε καὶ παῖδας ἢ συγγενεῖς τινας εἶχε, κἀκείνων τὰς μὲν κόρας, καὶ τοὺς ἄρρενας τὰ νεογνὰ ἐν αὐτῷ ἀνεβίβαζε, τοὺς δ' ἁδροτέρους ἐπὶ τοὺς ἵππους τούς τε ζυγίους, καὶ τοὺς σειραφόρους. Id est, *Solus in curru non fuit triumphans, sed filios aut agnatos aliquos si habuit, eorumque*

puellas & puellos in curru collocabat: grandiores equis jugalibus & funariis imponebat. Εἰ δὲ πλείους ἦσαν, ἐπὶ κελήτων τῇ πομπεῖ περιιππεύοντες συνεπόμπευον, *si plures filii essent, in equis singularibus victorem comitabatur.* Sed Imperator priusquam currum inscenderet, e suggestu apud milites vota precesque concipiebat, ut Josephus *l.* VII. Ἁλώσ. verba ita concepta fuisse volunt: Dii, nutu & imperio quorum nata & aucta res Romana, eandem placati, propitiatique servate.

CAP. XXI.

DE EQUIS.

CUrru vecti sunt bijugo, quadrijugo, sejugo, nonnulli elephantis, leonibus, & cervis. Nam de Sesostri, cujus currum quatuor Reges traherent, supra diximus. Romæ primus equis triumphavit Romulus, ut Dionysius, vel ut verius Plutarchus, Tarquinius Priscus: bigas male in triumpho Claudian. *Panegyr.* IV. commemorat:

Ast ego frenabam geminos quibus altior ires
Electi candoris equos, & nominis arcum
Jam molita tui. ——

De quadrigis Ovid. I. *de Arte:*

Quattuor in niveis aureus ibis equis.

Apud Dionysium *l.* II. Romulus τεθρίππῳ παρεμβεβηκώς. Plutarch. in *Val. Poblic.* ἐθριάμβευσε εἰσελάσας τεθρίππῳ πρῶτος ὑπάτων: item Camillus quadrigis invectus: Caligula sejugibus. Dio *l.* LVIII. καὶ τὸ πομπικὸν ἅρμα ἓξ ἵπποι εἵλκυσαν, ὃ μὴ πώποτε ἐγεγόνει. Legitimus numerus quatuor equorum fuit: ii fuere albi post Camillum, quem Diodor. Sicul. sub finem *l.* XIV. de Thuscis triumphasse ἐπὶ λευκοῦ τεθρίππου scribit. Camillus ejus rei author, cum nemo Veterum quadrigis albis usus esset, quod eæ Jovi sacræ esse putentur. Plaut. *Asinar.*

Numquam ædepol quadrigis albis indipiscet postea.

Idem *Amphitr.*

Quadrigas si nunc inscendas Jovis, atque hinc fugias.

Plutarch. de Camillo: Τέθριππον ὑποζευξάμενος λευκόπωλον ἐπέβη, καὶ διεξήλασε τῆς Ῥώμης, οὐδενὸς τοῦτο ποιήσαντος ἡγεμόνος πρότερον, οὐδ' ὕστερον· ἱερὸν γὰρ ἡγοῦνται τὸ τοιοῦτον ὄχημα βασιλεῖ καὶ πατρὶ τῶν θεῶν ἐπιπεφημισμένον. Neminem post Camillum usum quadrigis albis autumat, quod falsum esse indicat Claudian. *l.* III. *Stilicon.*

Ipse albis veheretur equis, currumque sequutus
Laurigerum festo fremuisset carmine miles.

Idem *Panegyr.* IV.

Electi candoris equos. ————

Ovid. I. *de Arte:*

Quattuor in niveis aureus ibis equis.

Liv. *l.* V. de Camillo: Maxime conspectus ipse est curru equis albis juncto urbem invectus, &c. Jovis Solisque equis æquiparatum Dictatorem in religionem etiam trahebant. De Jovis equis Herod. *l.* VII. Ὄπισθεν δὲ τούτων ἅρμα Διὸς ἱερὸν ἐπήλαυνε, τὸ ἵπποι

A μὲν εἷλκον ὀκτὼ λευκοί. Diodor. Sicul. *l.* XIV. p. 356. duobus post annis Camillus κατεδικάσθη, quod violatas religiones populus ægre ferret. Quintius Cincinnatus moderatior fuit: is victor jugum boum equis imposuit, victoriamque quasi stivam tenens subjugatos hostes præ se egit. Diodor. *l.* IV. Primus elephante Indico Bacchus, deinde elephantis multi triumpharunt. Pompejus elephantis triumphare conatus est. Plutarch. *Pompejo:* Ἐπεχείρησεν ἅρματι ἐλεφάντων τεσσάρων ἐπιβὰς εἰσελαύνειν. Triumphavit elephantis Julius Cæsar apud Sueton. c. XXXVII. ascenditque Capitolium ad lumina, quatuor elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus. B Elephanti Romæ juncti primum subiere currum Pompeii, Africano triumpho, quod prius India victa triumphante Libero patre memoratur, ait Plinius *l.* VIII. c. II. Claudius Imp. Circensi pompa currum elephantorum Augustino similem aviæ Liviæ decernendum curavit, author Sueton. *l.* V. c. XI. Cneus Domitius Allobrogibus, Arvernisque superatis, elephanto per provinciam invectus est turba militum quasi inter solemnia triumphi prosequente, Sueton, *Nerone* c. I. Lampridius ait Alexandri Severi currum triumphalem quatuor elephantis junctum. Aurelianus ἐθριάμβευσεν ἐπ' ὀχήματος ἐλεφάντων τεσσάρων. Zonar. Sidonius Metellum ele- C phantis triumphasse scribit: male: deduxit tantum, & spectandos præbuit:

Nec tu cui currum curru superare Metelle
Contigit, ostentans nobis elephanta frequentem,
Grex niger albentes tegeret cum mole jugales,
Authoremque suum celaret pompa triumphi.

Lucius Cæcilius Metellus est, qui bello primo Punico Hasdrubalis elephantos ad Lilybæum cecidit viginti sex, cepit 104. & per Italiam ducens spectaculum dedit. Primus Curius Dentatus in trium- D pho duxit elephantos, ait Senec. *lib. de brevit. vitæ.* Leones M. Antonius ad currum primus subjunxit, *l.* VIII. c. VI Plutarch. in *Anton.* Currus Regii tres fuerunt in triumpho Aureliani apud Vopiscum. Fuit alius currus quatuor cervis junctus, qui fuisse dicitur Regis Gothorum, quo, ut multi memoriæ tradiderunt, Capitolium Aurelianus invectus est, ut illic cæderet cervos, quos cum eodem curru captos, vovisse Jovi Opt. Max. ferebatur. Domitianus non quadrijugo curru, sed humeris hominum invehebatur, ait Plin. in *Panegyr.* Alexander pedes Palatium conscendit apud Lamprid. Levabatur manibus omnium, vixque illi per quatuor horas am- E bulare permissum. Belisarius curuli sella humeris captivorum invectus est argentea, ut Procop. *l.* II. *Wandal.* In Achaia Tyrannos Sicyonios albis mulis invectos docet Demosthenes *in Midiam:* κἂν ἄλλοσέ ποι βούληται, ἐπὶ τοῦ λευκοῦ ζεύγους τοῦ ἐκ Σικυῶνος: *quod si alio quopiam ire velit, albo Sicyoniorum jugo vehatur:* quibus verbis Midiam affectatæ tyrannidis incusat. Eandem ob causam Euripides in *Hercule Furente* Zethum & Amphiona Tyrannos λευκοπώλους vocat:

Τὼ λευκοπώλω πρὶν τυραννῆσαι χθονὸς
Ἀμφίονα ἤδη Ζῆθον ἐκγόνω Διός.

F *Prius quam Amphion & Zethus Jovis filii albis equis invecti tyrannidem hujus urbis invaserant.* Ita & Hieronymus Rex Syracusanorum quadrigis albis vehi solitus, narrante Livio *l.* XXIV. Suetonius scribit, Neronem more Hieronicarum Neapolim quadrigis albis invectum. Unde colligas, Hieronicas in urbes suas equis albis invehi solitos. Pindarus de Jasone loquens λευκίππους πατέρας, & alibi λευκίππους Μυκηναίους, quasi Regios appellat.

Cap. XXII.

DE ANNULO FERREO, ET RELIQUO TRIUMPHANTIS ORNATU.

Plinius *l.* XXXIII. c. I. parem triumphantis, & servi publici fortunam dicit, quod triumpharent in annulo ferreo, qui æque in digito triumphantis erat, & servi, fortasse coronam sustinentis. Sic triumphavit de Jugurtha C. Marius, aureumque non ante tertium Consulatum sumpsisse traditur: ipsa triumphantium corpora minio illinebantur. Sic Camillus triumphavit: minium enim quondam apud Romanos sacræ authoritatis. Jovis ipsius simulacri facies diebus festis minio illini solita. Plinius *l.* XXXIII. c. VII. Tzetzes *Chiliad.* XIII. c. CCCCXLI. *Τὸν θριαμβεύοντα χρίσαντες κινναβάρει, ἢ τῷ σινωπίδι.* Isidorus *lib.* XVIII. c. II. Inde & rubro colore perlinebantur, quasi imitarentur divini ignis effigiem, aut ætheris, id est, Jovis similitudinem, ut Servius *in id Virgilii*,

Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

Pan, inquit, facie rubea propter ætheris, id est, Jovis, similitudinem. Unde etiam triumphantes habent omnia Jovis insignia; sceptrum, palmatam togam, qua utebantur ii qui palmam merebantur: faciem quoque de rubrica illinuntur instar coloris ætherei. Bullam insuper gestabant e collo triumphantes, inclusis intra eam remediis, quæ crederent adversus invidiam valentissima. Macrob. *l.* I. *Saturnal.* c. VI. Sicut prætexta Magistratuum, ita bulla gestamen erat triumphantium, quam in triumpho præ se gerebant inclusis intra eam remediis, quæ crederent adversus invidiam valentissima. Sed & res turpiculæ sub curru suspendebantur, quibus invidiam averruncari creditum est, Plin. *l.* XXIV. c. IV. Quamquam religione mutatur & fascinus, Imperatorum quoque, non solum infantium custos, qui Deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur, & currus triumphantium sub his pendens defendit, medicus invidiæ, jubetque eosdem recipere. Similis medicina linguæ, ut sit exorata a tergo fortuna, gloriæ carnifex. Turneb. *lib.* IX. *Adversar.* c. XXVIII. recipere fascinum & invidiam interpretatur: alii legunt, respicere, ut fascinus jubeat triumphantes seipsos respicere: optime. Fascinus res erant turpiculæ e collo pueris appensæ, *l.* VI. Varro, pueris turpicula res quædam in collo suspenditur, ne quid obsit bonæ scævæ causa. Fascinum Tertullian. *de veland. virgin.* vocat infeliciorem laudis & gloriæ enormioris eventum. Ea mente Græcis Nemesis culta. Romæ putarunt res teneras aspectu noxio virosorum hominum, aut mulierum fascinari, eoque ut aspectum effascinantium ab oculis puerorum abducerent, suspendunt illis e collo mutinum Deum. Plaut. *Milit. Glor.*

Quasi puero in collo pendeant crepundia.

Sed & in Græcia res turpiculæ ad hunc usum, Pollux *libr.* VII. c. XXIII. Πρὸ δὲ τῶν καμίνων τοῖς χαλκεῦσιν ἔθος ἦν γελοῖά τινα καταρτᾶν, ἢ ἐπιπλάττειν ἐπὶ φθόνου ἀποτροπῇ: dicitur *βασκανία*. Aristophan. Πλὴν εἴ τις ὠνήσαιτο, δεόμενος βασκάνου, ἐπὶ κάμινον ἀνδρὸς χαλκέως.

Cap. XXIII.

DE PORTA TRIUMPHALI.

Cum extra urbem triumphi apparatus factus esset, & dona militibus a triumphante data, triumphali habitu in currum Imperator conscendebat, & in urbem porta triumphali ferebatur. Cic. *in Pisonem*: Quasi vero ad rem pertineat qua tu porta introieris, modo ne triumphali, quæ porta Macedonicis semper Proconsulibus ante te patuit. Hæc porta diu ante tempora Procopii esse desiit: erat in ea murorum parte, qua ab Hadriani sepulcro ad Sancti Spiritus portam producti erant, inter Flumentanam portam, & Catulariam, qua iter est ad Septimiam, de qua Josephus *l.* VII. Ἁλώσ. Πρὸς δὲ τὴν πύλην αὐτὸς ἀνεχώρει, τὴν ἀπὸ τοῦ πέμπεσθαι δι' αὐτῆς τοὺς θριάμβους τῆς προσηγορίας αὐτῶν τετυχυῖαν: ad eam portam fuit Fortunæ reducis templum. Martialis *l.* VIII. *epigr.* LXV.

Hic ubi Fortunæ reducis fulgentia late
Templa nitent, felix area nuper erat.
Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli
Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar.
Hic lauro redimita comas, & candida vultu
Roma salutavit voce manuque Deum.
Grande loci meritum testantur & altera dona,
Stat sacer e domitis gentibus arcus ovans.
Hic gemini currus numerant elephanta frequenter,
Sufficit immensis aureus ipse jugis.
Hæc est digna tuis, Germanice, porta triumphis,
Hos aditus urbem Martis habere decet.

Triumphalis portæ meminerunt, Tacit. *l.* V. Apulejus in *Apologia* Carbonem una porta ter triumphum egisse scribit. Sueton. in *Augusto* c. ult. ut inter alia complura censuerint quidam funus triumphali porta ducendum. Dio *l.* LVI. de funere Augusti: Τήν τε κλίνην οἱ αὐτοί, οἵπερ καὶ πρότερον ἀράμενοι, διὰ τῶν ἐπινικίων πυλῶν, κατὰ τὰ τῇ βουλῇ δόξαντα, διεκόμισαν. Interdum per Capenam portam, quæ nunc D. Sebastiani dicitur, a quibusdam Fontinalis: quo respexit Propert. *l.* IV.

Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ.

Male Onuphrius Capenam portam triumphalem esse vult. Juven. *satyra* III.

Substitit ad veteres arcus madidamque Capenam.

Martial. *l.* III. *epigr.* XLVII.

Capena grandi porta qua pluit gutta.

Fuit & via triumphalis, quæ a campo Vaticano continuabatur in Capitolium: in lapide Tiburtino. Curatori viarum Aureliæ veteris, & novæ Corneliæ, & triumphalis: sic apud Pausaniam p.162. Πομπικὴ μόνη τοῖς πομπεύουσιν ἐστιν ὁδός. Fuit & Romæ in Tiberi pons triumphalis, cujus pilæ hodieque ex aqua eminent, inter Ælium & Aurelium pontes. Nero muris effractis more Olympionicarum in urbem introivit. Xiphilin. in *Nerone*: Τοῦ τε τείχους καθῃρέθη, καὶ τῶν πυλῶν περιερράγη, ἔθος ὂν τοῖς ἐκ τῶν ἀγώνων στεφανηφόροις. Athenis cum Olympionicæ urbem inirent, muri dejiciebantur. Ælian. *l.* XII. c. LVIII.

Cap. XXIV.

QUÆ ANTE POMPAM.

Cum triumphus decretus esset, dies dicebatur pompæ, quæ cum venerat, nemo ex infini-

ta multitudine, quæ Romæ fuit, domi manebat, omnes ubique loca, quæ idonea ſpectando eſſent, capiebant. Sæpe itum in te læta obviam victori redeunti. Dionyſius *l.* VI. de P. Valerio victore Vejentium: Καὶ αὐτῷ ὁ μὲν δῆμος πρὸ πολλοῦ τῆς πόλεως ὄντι ἐστεφανωμένῳ ὑπήντα: & *l.* II. in Romuli triumpho. Univerſus Senatus non ad urbis portam, cui nomen a triumpho, Imperatorem opperiebatur, ſed in eo loco, ubi e ſuggeſtu extra urbem milites allocuturus, votaque facturus erat; inde ad Capitolium præibat, ibique cum Magiſtratibus triumphantem præſtolabatur. Lucanus *l.* I.

Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi
Excipit. ——

Joſephus *l.* VII. c. XVI. Προδιασαφηθείσης δὲ τῆς ἡμέρας, ἐφ᾽ ἧς ἔμελλεν ἡ πομπὴ γενήσεσθαι τῶν ἐπινικίων, οὐδεὶς καταλέλειπτο τοῦ ἀμέτρου πλήθους ἐν τῇ πόλει. πάντες δὲ ὅπῃ καὶ στῆναι μόνον ἦν, οἷον προεληλυθότες τοὺς τόπους κατειλήφεσαν ὅσον τοῖς ὀφθησομένοις μόνον εἰς πάροδον ἀναγκαίαν καταλιπόντες. *Cum*, inquit, *dies ante indicta eſſet, qua pompa futura erat triumphalis, nemo Romæ abfuit ex immenſa multitudine: omnes autem quaſi prævenientes loca ubi vel conſiſtere poſſent, capiebant, tantum relinquentes duntaxat, quod pompæ traducendæ ſatis eſſet. Populus tabulatis in circis & circa forum defixis, & alias urbis partes, quæ ſpectando commodæ erant, occupantes ſpectabant veſtibus candidis amicti: omnia templa aperta, & coronis plena, & ſuffitibus: multi adminiſtri, aliique virgam ferentes, qui cohiberent eos qui in medium temere confluebant, diſcurrebant, vias apertas præbebant.* Plutarch. in *Paulo Æmil.* Ὁ μὲν δῆμος ἔν τε τοῖς ἱππικοῖς θεάτροις, ἃ κίρκους καλοῦσι, περί τε τὴν ἀγορὰν ἰκρία πηξάμενοι, καὶ τ᾽ ἄλλα τῆς πόλεως μέρη καταλαβόντες, ὡς ἕκαστα παρεῖχε τῆς πομπῆς ἔποψιν. Summo diluculo imperator laurea coronatus, purpuraque amictus in locum commodum pergebat, ait Joſephus, ubi a Senatoribus, Magiſtratibus, & equitibus expectabatur: ibi aſcendebat in ſuggeſtum, in quo ſella curulis: acclamabat exercitus: Περὶ δὲ αὐτὴν ἀρχομένην ἤδη τὴν ἕω προΐασιν Οὐεσπασιανὸς καὶ Τίτος δάφνῃ μὲν ἐστεφανωμένοι, πορφύρας δ᾽ ἐσθῆτας πατρίους ἀμπεχόμενοι, καὶ παρίασιν εἰς τοὺς Ὀκταβίας περιπάτους· ἐνταῦθα γὰρ ἥ τε βουλή, καὶ τὰ τέλη τῶν ἀρχόντων, οἵ τε ἀπὸ τῶν τιμημάτων ἱππεῖς τὴν ἄφιξιν αὐτῶν ἀνέμενον· πεποίητο δὲ βῆμα πρὸ τῶν στοῶν δίφρων αὐτοῖς ἐλεφαντίνων ἐπ᾽ αὐτοῦ κειμένων, ἐφ᾽ οὓς παρελθόντες καθέζησαν, καὶ τὸ στρατιωτικὸν εὐθέως ἐπευφήμει, πολλὰς αὐτοῖς τῆς ἀρετῆς μαρτυρίας ἀποδιδόντες ἅπαντες. Quibus ex verbis colligo, Senatum non expectaſſe ad portam urbis triumphalem, ſed in eo loco ubi ex ſuggeſtu triumphaturus milites alloquebatur, vota faciebat, militibus dona & coronas dabat: quia ſubdit, ex eo loco Imperatorem ad portam triumphalem proceſſiſſe. Milites dederunt ipſis virtutis teſtimonium, qui a tribunis & centurionibus ipſa nocte per turmas & ordines diſpoſiti proceſſerant, & Imperatores ad januam Prætorii, ubi ſomnum ceperant, præſtolati erant, τὸ δὲ στρατιωτικὸν πᾶν ἔτι νύκτωρ κατὰ λόχους καὶ τάξεις ὑπὸ τοῖς ἡγεμόσι προεξωδευκὸς, καὶ περὶ θύρας ὄντος, οὐ τῶν ἄνω βασιλείων, quia extra urbem conſiſtere ante triumphum Imperatores oportuit; ἀλλὰ καὶ πλησίον τοῦ τῆς Ἴσιδος ἱεροῦ· ἐκεῖ γὰρ ἀνεπαύοντο τῆς νυκτὸς ἐκείνης οἱ αὐτοκράτορες: milites interea temporis ſine armis erant, veſtibus ſericis amicti, laureis coronati: κἀκεῖνοι χωρὶς ὅπλων ἦσαν ἐσθῆσι σηρικαῖς, ἐστεφανωμένοι δάφναις. Imperatores deinde, ubi acclamaſſent milites, ſilentio indicto vota faciebant conceptis ita verbis apud Livium. Dii, nutu & imperio quorum nata & aucta eſt res Romana, eandem placati propitiatique ſervate. Joſephus: Δεξάμενος δὲ αὐτῶν τὴν εὐφημίαν Οὐεσπασιανὸς ἔτι βουλομένων λέγειν τὸ τῆς σιγῆς ἐποιήσατο σύμβολον, καὶ πολλῆς ἐκ πάντων ἡσυχίας γενομένης ἀναστάς, καὶ τῷ περιβλήματι τὸ πλέον τῆς κεφαλῆς μέρος ἀποκαλυψάμενος εὐχὰς ἐποιήσατο τὰς νενομισμένας· ὁμοίως δὲ καὶ Τίτος ηὔξατο. Caput igitur Imperatorum toga picta obvolutum eſſe oportuit ac velut palliolatum ad vota concipienda: nam Diis faciebant operto capite: Μετὰ δὲ τὰς εὐχὰς εἰς κοινὸν ἅπασιν Οὐεσπασιανὸς βραχέα διαλεχθεὶς, τοὺς μὲν στρατιώτας ἀπέλυσεν ἐπὶ τὸ νενομισμένον ἄριστον αὐτοῖς ὑπὸ τῶν αὐτοκρατόρων εὐτρεπίζεσθαι. Poſt vota & preces paucis milites allocutus eſt Imperator, eoſque ad jentaculum, quod ipſis lautum ac ſplendidum, ut moris fuit, apparaverat, dimiſit: deinde proceſſit ad portam triumphalem, ubi cibum cepit: ornamentis triumphalibus amicti uterque, ſacrificio Diis facto, quibus ad eam portam templa & delubra, currum egerunt per theatra & circos, ut ſpectare populus minori negotio poſſet: Πρὸς δὲ τὴν πύλην αὐτὸς ἀνεχώρει τὴν ἀπὸ τοῦ πέμπεσθαι δι᾽ αὐτῆς ἀεὶ τοὺς θριάμβους τῆς προσηγορίας αὐτῶν τετυχηκυῖαν. ἐνταῦθα τροφῆς τε ἀπογεύονται, καὶ τὰς θριαμβικὰς ἐσθῆτας ἀμφιασάμενοι, τοῖς τε περιιδρυμένοις τῇ πύλῃ θύσαντες θεοῖς, ἔπεμπον τὸν θρίαμβον διὰ τῶν θεάτρων διελαύνοντες, ὅπως εἴη τοῖς πλήθεσιν ἡ θέα ῥάων. Tacitus *l.* XIV. extructi qua incederent ſpectaculorum gradus, quomodo triumphi viſuntur. Ammianus *l.* XVI. de triumpho Conſtantii: Cumque urbi propinquaret, Senatus officia, reverendaſque patriciæ ſtirpis effigies ore ſereno contemplans, &c. Unde cum ſe vertiſſet ad plebem, ſtupebat, qua celeritate omne quod ubique eſt hominum genus, confluxerit Romam.

CAP. XXV.

DE POMPA TRIUMPHI

Ubi currum inſcendiſſet, filii adoleſcentes in equis patrem comitabantur, cæterorum civium equitabat nemo, ſed laurea redimiti omnes pedibus incedebant. Trebellius in *Aureliano* ſcribit, Senatum ſecutum triumphantis currum. Zonar. Τῶν δ᾽ ἄλλων οὐδεὶς ὠχεῖτο, ἀλλ᾽ ἐστεμμένοι δάφνῃ πάντες ἐβάδιζον. Falſum hoc, aut falſus Cic. *in Piſonem*: Differis de triumpho, quid tandem ſit iſte currus? quid victi ante currum duces? quid ſimulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis & Tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? quid vehi per urbem? Appian. *Bello Mithridat.* εἵποντο δὲ αὐτῷ (loquitur de Pompejo triumphante) μετὰ τὸ ἅρμα οἱ συστρατευσάμενοι, οἱ μὲν ἐπὶ ἵππων, οἱ δὲ πεζοί. Præibat pompæ Senatus in Capitolium. Servius *l.* IV. *Æneid.* Qui triumphat, inquit, albis equis vehitur quatuor, & Senatu præeunte in Capitolio de tauris ſacrificat: tamen Dio *lib.* LI. ſcribit, Conſules præire ſolitos triumphanti, Senatum ſequi. Secuti etiam qui triumphalia ornamenta adepti erant. Craſſus frugi ſequutus equo phalerato, & in veſte palmata, quod eum honorem iteraverat. Sueton. in *Claudio* cap. XVII. Zonaras: Οὕτω δὲ σταλέντες εἰσῄεσαν ἐς τὴν πόλιν, ἔχοντες προπέμποντα σφῶν τὰ σκῦλά τε, καὶ τὰ τρόπαια, καὶ ἐν εἰκόσι τά τε αἰχμάλωτα φρούρια ἠσκημένα, πόλεις τε, καὶ ὄρη, καὶ ποταμοὺς, λίμνας, θαλάσσας, τά τε σύμπαντα ὅσα ἑαλώκεσαν. *Amicti*, inquit, *ornamentis triumphalibus inibant urbem, ſpoliis & trophæis antecedentibus, in quibus expreſſa erant caſtella expugnata,*

urbes, montes, fluvii, paludes, maria, & omnia quæ ceperant: quod si pompa uno die peragi non poterat, secundus, & tertius addebatur: καὶ εἰ μὲν μία ἡμέρα ἦν ἐξαρκοῦσα πρὸς τὴν τούτων πομπὴν· εἰ δὲ μή, καὶ ἐν δευτέρα, καὶ τρίτη ἐπέμπετο. In *Paulo Æmil.* Plutar. τῆς δὲ πομπῆς εἰς ἡμέρας τρεῖς νενεμημένης: *cum in tres dies pompa divisa esset*. Cæsaris triumpho pompa quatuor diebus ducta est. Dio *l.* XLIII. Καὶ τὰ ἐπινίκια τά τε Γαλατῶν, καὶ τὰ Αἰγύπτου, τά τε Φαρνάκου, καὶ τὰ Ἰόβα, τετραχῇ χωρὶς τέσσαρσιν ἡμέραις ἔπεμψε. Pompejus duos dies duxit triumphum: ἐθριάμβευσεν δύο ἐφεξῆς ἡμέρας, ait Apian. in *Mithridatico*. Quintius Flaminius tres dies triumphavit. Liv. *l.* XXXIV. Primo loco ante triumphantis currum præferebantur imagines, simulacra Deorum erepta victis, Colossi ex hostium præda. Plutar. Ἡ μὲν πρώτη (ἡμέρα) μόλις ἐξαρκέσασα τοῖς αἰχμαλώτοις ἀνδριᾶσι, καὶ γραφαῖς, καὶ κολοσσοῖς ἐπὶ ζευγῶν πεντήκοντα καὶ διακοσίων κομιζομένοις τοῦτο ἔσχεν θέαν. In Pauli Æmilii triumpho, ex quo cæteros æstimare licet, *prima dies vix simulacris captivis, picturis, Colossis transvehendis in* 250. *boum jugis sufficiens, hoc spectaculum babuit*. Cic. *in Pisonem* vocat triumphalia vehicula. Appianus tamen in triumpho Scipionis: ἡγοῦνται δὲ σαλπιγκταί, καὶ λαφύρων ἅμαξαι, *præcedunt tubicines, & spoliis onusta plaustra*: tubicines primo loco ponit, quos Plutarchus quinto tantum ordine locat: in triumpho Pompeii: Θεῶν τε βαρβαρικῶν εἰκόνες, καὶ κόσμοι πάτριοι καὶ εἰκόνα ὀκτάπηχυν (Eupatoris) ἀπὸ στέρνου χρυσῆν παρῆγε. Sigismundus Gelenius interpretatur, *aureamque ipsius effigiem octo cubitorum pectore tenus*, male. Legendum, ἀπὸ στερεοῦ χρυσίου, *statuam ejus octo cubitorum ex auro solido traduxit*. Plin. *l.* v. c. v. de Africa: Omnia armis Rom. superata, & a Corn. Balbo triumphata, unius omnium (lege, uno) externo curru, & Quiritium jure donato, &c. ipsum in triumpho præter Cydamum & Garamam omnium aliarum gentium urbiumque nomina ac simulacra duxisse, quæ iere hoc ordine. Tabidum oppidum, Niteris natio, &c. Malim tamen hoc loco simulacra urbium victarum, quam Deorum intelligere. Ipsa etiam Deorum, qui Romæ culti, simulacra præivisse, quod in pompa Circensi solemne fuit, indicat Josephus: Ἐφέρετο δὲ καὶ θεῶν ἀγάλματα τῶν παρ' αὐτοῖς, μεγέθεσι θαυμαστά, καὶ κατὰ τέχνην οὐ παρέργως πεποιημένα. Cicero III. *in Verrem*, quæ per triumphum invexit, numerum, magnitudinem, figuram, statum contineri signorum oportet. Symmach. *l.* x. *epist.* XXII. Alii triumphis suis hæc dona servassent, ut posita lauro novis actoribus personarent Pompejana proscenia, ut pro captivis tetrarchis Indicæ currum belluæ prævenirent, ut equorum longus ordo instar gentium duceretur. Vester triumphus Arsacidas post tergum revinctos, & gazas victæ Babylonis accipiet. Plin. *l.* XXXIV. scribit Apollinem a M. Lucullo (lege, a L. Lucullo, qui in Ponto bellum gessit, cum M. Lucullus in Macedonia) ex Apollonia Ponti urbe 30. cubitorum 150. talentis factum, esse translatum, cap. VII. Plutarch. in *Marcello*: Μάρκελλον δὲ ᾐτιῶντο, πρῶτον μὲν ὡς ἐπίφθονον ποιοῦντα τὴν πόλιν· οὐ μόνον ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ θεῶν οἷον αἰχμαλώτων ἀγομένων ἐν αὐτῇ, καὶ πομπευομένων. Item: Τὰ πλεῖστα καὶ κάλλιστα τῶν ἐν Συρακούσαις ἐκίνησεν ἀναθημάτων, ὡς αὐτῷ τε πρὸς τὸν θρίαμβον ὄψις εἴη, καὶ τῇ πόλει κόσμος. Mummius devicta Achaia signis replevit urbem: multa & Luculli invexere: in cella Junonis, in Capitolio canis ex ære vulnus suum lambens dicatus: passim in templis dicabantur signa in triumpho ducta. Jupiter a Claudio Cæsare in Capitolio dicatus est. P. Lentulus Consul in Capitolio capita duo dicavit, quæ admirationem habuere. Cli-

A duchum Phidiæ, & Minervam Æmilius Paulus ad ædem Fortunæ dedicavit. Catulus in eadem æde duo signa Phidiæ palliata posuit. Hercules Myronis fuit apud Circum max. in æde Pompeii magni. Pythagoræ Samii signa Fortunæ 7. nuda in æde Fortunæ fuerunt. Metellus Macedonia subacta Alexandrum Lysippi, amicorumque ejus imagines Romam transtulit. Bedas adorantem Batton Apollinem fecit, & Junonem, qui sunt Romæ in Concordiæ templo. Minerva Euphranoris infra Capitolium a Q. Lutatio Catulo dicata est, & simulacrum Boni Eventus dextra pateram, sinistra spicam ac papaver tenens: quæ omnia ex spoliis

B victarum gentium per triumphos Romam illata. Legendus Plinius *l.* XXXIV. c. VIII. Secundo loco in pompa triumphi fuere spolia, & arma, trophæa, fercula. Plutar. Τῇ δ' ὑστεραίᾳ τὰ κάλλιστα καὶ πολυτελέστατα τῶν Μακεδονικῶν ὅπλων ἐπέμπετο πολλαῖς ἁμάξαις, αὐτά τε μαρμαίροντα, &c. Id est, *Altera die pulcherrima & magnificentissima Macedonum arma multis plaustris traducebantur, ipsa quidem fulgentia ære ac ferro recens terso, sed ea arte ac vinctione posita, ut cum simul veherentur, temere & sponte locata esse putares: galeæ super clypeos, loricæ super ocreas, & peltæ Creticæ, & threcidica gerra, & pharetræ admixtæ frenis equo-*

C *rum, & enses nudi tralucentes inter hæc & extantes, & sarissæ affixæ, cum arma proportione laxarentur, & modico intervallo dissita essent, ut inter se agitata dum feruntur sonitum horridum darent, & eorum qui victi essent aspectus formidolosus esset*. Livius *l.* XXXIV. & arma spoliaque multa Gallica carpentis transvecta. Duces hostium duo, & 50. ducti ante currum Cn. Manlii. In M. Fulvii triumpho signa ænea ducenta 85. signa marmorea 130. arma, tela, cætera spolia hostium, magnus numerus: adhæc catapultæ, balistæ, tormenta omnis generis. Appianus bello Punico λαφύρων ἁμά-

D ξας vocat. Spoliorum quidem magna pars inter milites distribuebatur. Zonaras: Καὶ τῶν λαφύρων πολλὰ μὲν τοῖς στρατευσαμένοις διενενέμητο· ἤδη δέ τινες καὶ παντὶ τῷ δήμῳ διέδοσαν, καὶ ἐδαπάνων εἰς τὰ πανήγυριν καὶ ἐδημοσίευον· καὶ ἔτι περιελέλειπτο εἰς ναούς, εἰς στοάς, ἢ καί τι ἕτερον δημόσιον ἔργον ἀνήλισκον. *Fuerunt & qui toti populo spolia dispertierint, & in ludos ac publica spectacula impenderint, & publicarint*. (male Wolfius hunc locum ita vertit, *fuerunt etiam qui toti populo sumptus ad spectacula publica largirentur*: interdum enim præda sub hasta vendita est) *quod supererat in fana & porticus, & alia publica opera conferebant*. Statius *l.*

E XII. *Thebaid.* de Theseo:

> *Ante ducem spolia, & duri Mavortis imago,*
> *Virginei currus, cumulataque fercula cristis,*
> *Et tristes ducuntur equi.* ——

Ovid. *l.* III. *de Ponto*, eleg. III.

> *Scuta sed & galeæ gemmis radientur, & auro,*
> *Stentque super victos trunca trophæa viros.*
> *Oppida turritis cingantur eburnea muris.*

F Spolia in Capitolio locabantur interdum. Lamprid. in *Alexandro*. Tunicis Persicis in Capitolio locatis. Appianus in triumpho Pompeii: Καὶ τὸν τοῦ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπου κλίνην, καὶ τὸν τοῦ Εὐπάτορος αὐτοῦ θρόνον, καὶ σκῆπτρον αὐτοῦ ἁμάξας δὲ ὅπλων ἀπείρους τὸ πλῆθος, καὶ νεῶν ἔμβολα. Plutarch. de Romulo. Ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις λαφύροις, καὶ χαλκοῦν ἐνόμισε τέθριππον ἐκ Καμαρίας· τοῦτο δ' ἀνέστησεν (lego ἀνέθηκε) ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἡφαίστου. Livius *l.* XXXVIII. de Scipione Asiatico; tulit in triumpho signa militaria 234. oppidorum simulacra 134. &c. *l.* XXXIV. de Flaminio:

triduum triumphavit, die primo arma, tela, signaque ærea, & marmorea transtulit: plura Philippo adempta, quam quæ ex civitatibus ceperat. *Lib.* XLV. de L. Anicii triumpho: Gentio Rege Illyriorum victo transtulit in triumphum multa militaria signa, spoliaque alia, & supellectilem Regiam. Plutarchus in *Flaminio*: Καλλίω δὲ καὶ τὰ λάφυρα πομπευόμενα παρεῖχεν ὄψιν, Ἑλληνικὰ κράνη, καὶ πέλται Μακεδονικαὶ, σάρισσαι. Spoliis forum ornari solitum, ibi rostra vetera e navibus Antiatium a C. Menio posita, & nova e navibus Actiacis ab Augusto. Florus *lib.* XI. Extant & parta de Antio spolia, quæ mœnibus in suggestu fori capta hostium classe suffixit: si tamen illa classis, nam sex rostratæ fuere. Lege quæ Menius. Plin. *l.* XXXIV. c. V. Antiquior columnarum (usus) sicut C. Menio, qui devicerat priscos Latinos, quibus ex fœdere tertias prædæ pop. Rom. præstabat, eodemque in Consulatu, in suggestu rostra devictis Antiatibus fixerat anno urbis 416. de Actiacis *lib.* VI. *Græc. Epigr.*

——— ἔμβολα χαλκογένεια
Ἀκτιακοῦ πολέμου κείμεθα μαρτύρια.

Item ad pompam triumphi scuta Cimbrica traducebantur, & in foro ponebantur. Cicero in II. *de Oratore*: Scutum pendebat in taberna pro signo. Liv. *l.* IX. de Fabii Dictatoris triumpho: Longe maximam speciem captiva arma præbuere: tantum magnificentiæ visum in iis, ut aurata scuta dominis argentariorum ad forum ornandum dividerentur, (lego, argentariarum) inde natum initium dicitur fori ornandi ab Ædilibus, cum thensæ ducerentur, & Romani quidem ad honorem Deum insignibus armis hostium usi sunt. Cic. VI. *in Verrem*: Cum Ædiles forum ornarent, ab exteris gentibus signa, & tabulas sibi commodari petebant: forum, & basilicas non spoliis provinciarum, sed ornamentis amicorum ornatum. Q. Fulvius de Liguribus triumphavit, armorum hostilium magnam vim transtulit, nullam pecuniam admodum. Liv. *l.* XL. Plin. *Panegyr.* Clypeos quos ipse perfoderis.

CAP. XXVI.

DE POMPÆ PEGMATIS ET FERCULIS.

Tertio loco fuerunt pegmata & fercula pompæ, quibus exsculptæ res præclare gestæ, oppida capta, cæsi hostes, castella expugnata: ea fuerunt ebore, citro, argento, auro ficta; maria, montes picturis ac imaginibus interdum expressa. Appianus in triumpho Scipionis: Πύργοι τε παραφέρονται, μιμήματα τῶν εἰλημμένων πόλεων· καὶ γραφαὶ καὶ σχήματα τῶν γεγονότων: *Turres prætervehuntur, simulacra captarum urbium, & picturæ, & species rerum quæ gestæ sunt.* In Pompeii triumpho: Τῶν δὲ οὐκ ἀφικομένων εἰκόνες παρεφέροντο Τιγράνους τε καὶ Μιθριδάτου, μαχομένων τε, καὶ νικωμένων, καὶ φευγόντων· Μιθριδάτου τε καὶ ἡ πολιορκία, καὶ ἡ νὺξ ὅτε ἔφευγεν εἴκαστο. Ac postremo etiam mors ejus subjecta fuit spectatorum oculis, appictæ erant & virgines mortis ejus sociæ. Præferebantur tabulæ cum utriusque sexus liberorum ante defunctorum imaginibus, translata est & tabula inscripta hoc titulo; Naves rostratæ 800. captæ sunt, urbes conditæ 8. in Cappadocia, in Cilicia, Cœlesyriaque 20. &c Cic. *l.* II. *Offic.* portari in triumpho Massiliam vidi-

A mus. Zonaras in *Camillo* legendus. Josephus: Θαῦμα δ' ἐν τοῖς μάλιστα παρεῖχεν ἡ τῶν φερομένων πηγμάτων κατασκευή. καὶ γὰρ διὰ μέγεθος ἦν δεῖσαι τῷ βεβαίῳ τῆς φορᾶς ἀπιστοῦντα. τριώροφα γὰρ αὐτῶν, καὶ τετρώροφα πολλὰ πεποίητο. *Fuit monstri loco apparatus pegmatum quæ gestabantur; etenim metus erat, ne bajuli oneri impares essent: multa enim ex iis erant tribus & quatuor tectis.* Διὰ πολλῶν δὲ μιμημάτων ὁ πόλεμος ἄλλων εἰς ἄλλα μεμερισμένος ἐναργεστάτην ὄψιν ἑαυτοῦ παρεῖχεν· ἦν γὰρ ὁρᾶν χώραν μὲν εὐδαίμονα δῃουμένην, ὅλας δὲ φάλαγγας κτεινομένας πολεμίων. *Multis autem simulacris bellum in alia varie divisum clarissimam sui speciem prabebat: vi-*
B *dere erat regionem frugiferam ad vastitatem vocari, phalanges totas hostium concidi, alios fugientes, alios captos trahi: mœnia sublimia machinis dejecta, castella munitissima capta, urbium populosarum ambitus occupatos repente;* (κατ' ἄκρας ἐχομένους, male nonnulli emendarunt, κατὰ κράτος ἐχομένους, *vi occupatos*, lege, κατ' ἄκρας ἑλομένους. Sic enim conjunctim Thucydides κατάκρας ἑλεῖν dixit. Hesychius divisim scribit, & interpretatur κατ' ἄκρας ἑλεῖν τὸ ἐξ ἐφόδου, καὶ τὸ αἰφνίδιον, *repentino incursu*: vel κατὰ κορυφῆς, vel κατὰ κράτος: potest & vulgata lectio defendi, κατ' ἄκρας ἐχομένους: nam & Thucydides dixit, τὴν πόλιν ἔχεσθαι κατ' ἄκρας,
C id est, *urbem vi captam esse*) *& exercitum intra muros fusum, & omnia cædibus plena, & supplicia eorum qui se defendere nequeunt, ignem templis injectum, domus excisas dominos opprimentes:* καὶ μετὰ πολλὴν ἐρημίαν κατηφῆ (lego, καὶ κατὰ πόλιν ἐρημίαν κατηφῆ, *per urbem solitudinem tristem*) ποταμοὺς ῥέοντας οὐκ ἐπὶ γῆν γεωργουμένην, οὐδὲ ποτὸν ἀνθρώποις, ἢ βοσκήμασιν, (deest vox παρέχοντας) ἀλλὰ διὰ τῆς ἔτι πανταχόθεν φλεγομένης, *& per urbem tristem solitudinem, fluvios fluentes non in terras ab agricolis subactas, neque potum hominibus, aut gregibus præbentes, sed per terram ubique deflagrantem,*
D *ars operum, & magnificentia, iis qui non viderant quasi præsentibus ea quæ facta erant ostendebat. Cuique autem pegmati præpositus erat captæ urbis dux, quomodo capta est: spolia autem alia confuse ferebantur: excellebant autem ea quæ in ipso templo capta erant.* Dio de triumphis Augusti *lib.* LI. Πολυτελεστάτη δ' οὖν καὶ ἀξιοπρεπεστάτη αὕτη ἡ Αἰγυπτία: τά τε γὰρ ἄλλα καὶ ἡ Κλεοπάτρα ἐπὶ κλίνης ἐν τῷ θανάτῳ μιμήματι παρεκομίσθη, ὥστε τρόπον τινὰ καὶ ἐκείνην μετά τε τῶν ἄλλων αἰχμαλώτων, καὶ μετὰ τοῦ Ἀλεξάνδρου τοῦ ἡλίου, τῆς τε Κλεοπάτρας τῆς καὶ σελήνης (ita lege, non καὶ τῆς σελήνης) τῶν τέκνων ὡς Πομπεῖον ὀφθῆναι.
E Hoc genus imitari voluit Nero illo ridiculo triumpho, quem peragrata Græcia scenicorum victor & thymelicorum Romæ duxit: ἕτεροι σανίδια ἐπὶ δοράτων ανατείνοντες, ἐν οἷς ἀγῶνος ὄνομα, ait Xiphilin. Ovid. *l.* IV. *Trist.* eleg. II.

Cumque ducum titulis oppida capta leget.
Hic lacus, hi montes, hæc tot castella, tot amnes.

Lib. II. *de Ponto* eleg. I.

Protinus argento veros imitantia muros
Barbara cum victis oppida lata viris.
F *Fluminaque in montes, & in altas proflua sylvas,*
Armaque cum telis in strue juncta suis.
Deque trophæorum quod sol incenderat auro,
Aurea Romani tecta fuisse fori.

Dio Πομπεῖα vocat *lib.* XLIII. καὶ ἀπὸ τῶν πολιτῶν ἐν τῇ Ἀφρικῇ ἀπολωλότων Πομπεῖα. Fercula erant ex ebore, aut materia aliqua pretiosa. Vellejus *lib.* II. de Cæsare: Quinque egit triumphos. Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispaniensis argento ra-

rasili constitit: & qui lignea materia uteretur, deridiculo Romæ fuit. Cujusmodi fuere Fabius & Quintus Cæsaris legati, qui risum fecerunt in urbe, quod ligneis, non eburneis operum simulacris & ferculis usi essent. Dio *l.* XLIII. *Καὶ οὖν μοι τοῦ γέλωτος ἐπὶ τούτῳ, καὶ ὅτι ξυλίναις, ἀλλ' οὐκ ἐλεφαντίναις ἔργων τέ τινων εἰκόσιν ἄλλοις τε τοιούτοις πομπείοις ἐχρήσαντο.* Videntur aliqui cera usi ad fercula & imagines. Sidon. *Panegyr.* II.

Cum vestris Romam spoliis, cum divite cera
Pinges Cyniphii captiva mapalia Bocchi.

Ovid. lib. III. *de Ponto*, eleg. IV.

Oppida turritis cingantur eburnea muris,

Claudian. lib. II. *Stilicon.*

Hi famulos traherent Reges, hi facta metallis
Oppida, vel montes, captivaque flumina ferrent.

De pompæ ferculis Sidonius *carmine* XXII.

Succedit captiva cohors, quæ fercula gazis
Fert onerata suis. ———

Seneca cap. XXV. *de beata vita:* In alienum imponat ferculum exornaturus victoris superbi ac feri pompam. Seneca in *Herc. Oetæo*:

Nec pompæ venies nobile ferculum.

Præibant & in pompa elephanti, si qui ex hostibus capti essent. Apud Eutropium Curius Dentatus anno urb. cond. 477. primus elephantos de Pyrrho triumphans duxit quatuor. Luc. Metellus in triumpho, quem de victis in Sicilia Pœnis egit anno urb. DIII. elephantos 120. duxit, ut Liv. in *epitome* lib. XIX. & Seneca *de brevit. vitæ* cap. XIV. Decretum Tiberii Gracchi apud Valerium Maxim. *c.* I. Cum Luc. Cornelius Scipio die triumphi sui ante currum actos hostium duces in carcerem conjecerit, indignum & alienum a majestate populi Rom. videri eodem ipsum duci, itaque id se non passurum. In pompa triumphi ludii & ludi fuere. Cicero *in Pisonem*: Quid tandem iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis & Tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? quid vehi per urbem? Appianus in *Libyco* graphice triumphum describit. De titulis ferculorum Propertius:

Et titulis oppida capta legam,
Tela fugacis equi, & braccati militis arcus,
Et subter captos arma sedere duces.

Et vocantur feretra & fercula. Silius *l.* XVII.

Ante Syphax feretro residens captiva premebat
Lumina, & auratæ servabant colla catenæ.
Mox victas tendens Carthago ad sydera palmas.
Ibat, & effigies oræ jam lenis Iberæ.

Livius *l.* I. Romulus spolia ducis hostium fabricato ad id ferculo. Claudian. *Panegyr.* IV.

Jamque parabantur pompæ simulacra futuræ,
Tarpejo spectanda Jovi: cælata metallo
Classis. ———
Ut Massyla tuos anteirent oppida currus,
Palladiaque comas innexus arundine Triton
Edomitis veheretur aquis. ———

Prudent. *in Symm.* lib. II.

A *Ductaque per mediam spoliorum fercula pompam*

Notat Strabo victores vocasse turres oppida, ut res gestas exaugerent: *Τοὺς πύργους καλοῦντα πόλεις, ὥσπερ ἐν ταῖς θριαμβικαῖς πομπαῖς, καὶ νῦν οἱ στρατηγοί, καὶ οἱ συγγραφεῖς ῥᾳδίως ἐπὶ τοῦτο φέρονται τὸ ψεῦσμα καλλωπίζοντες τὰς πράξεις.* *Paneg. Theodos.* pompam ferculorum modo curru, modo pedibus secutus. Titulus interdum captivis, ut dignorarentur, ascriptus. Vopiscus in *Aureliano*: Mulieres quas de Amazonum genere titulus indicabat. Prælati sunt tituli gentium nomina continentes. Legendus est Suidas in voce *φέρετρα*. Sueton. in *Julio* c.

B XXXVII. Inter pompæ fercula Pontico triumpho trium verborum prætulit titulum, *Veni, vidi, vici.* Plutarchus in *decem Rhetorib.* de pompa Minervæ Athenis: *Τῇ θεᾷ παρασκευάσας κόσμον, νίκας τε ὁλοχρύσους, πομπεῖά τε χρυσᾶ, καὶ ἀργύρεα.* Sidonius in *Burgo*:

Succedit captiva cohors, quæ fercula gazis
Fert onerata suis. ———
——— ebur hic, ebenusque, vel aurum,
Ultima nigrantes incedunt præda elephanti.

In ferculis enim ferebantur & spolia, Statius *lib.* XII.

C *——— cumulataque fercula cristis.*

CAP. XXVII.

DE ARGENTO, ET PECUNIIS.

QUarto loco fuere argentum, vasa, pecuniæ, vestes, & cætera id genus. Plutarch. *Μετὰ δὲ τὰς ὁπλοφόρους ἁμάξας ἄνδρες ἐπεπορεύοντο τρισχίλιοι.* Id est, *plaustra plena armis proxime sequebantur tria hominum millia nummos argenteos ferentium in vasis 750. quorum singula trium talento-*

D *rum erant, & a quatuor ferebantur: alii autem crateras argenteos, & cornua, & phialas, & calices,* *καὶ κύλικας εὖ διακεκοσμημένας, πρὸς θέαν ἕκαστα* (lego, & interpungo, *καὶ κύλικας, εὖ διακεκοσμημένα πρὸς θέαν ἕκαστα*) *singula ad spectaculum bene disposita, magnitudine & crassitudine, qua tornata erant, exsuperantia.* Pecuniæ enim de præda, & manubiis vel ante triumphum in ærarium mittebantur, vel in triumpho præferebantur in ferculis, ut essent ostentatui: post triumphum, vel in milites, vel in ludos, vel in ædificia publica conferebantur. Appianus l. II. *Civil.* de triumpho Cæsaris: *Τὴν Ἰβηρίαν ἐς τὸ ὁλόκληρον ἀπέφηνε Ῥωμαίοις*

E *ὑποτελῆ, καὶ χρήματα πολλὰ ἐς Ῥώμην ἀπέπεμψε, ἐς τὸ κοινὸν ταμιεῖον.* In triumpho Pompeii: *Ἐς δὲ τὴν πομπὴν τοῦ θριάμβου ζεύγη, καὶ φορεῖα χρυσοφόρα, καὶ ἐπισήμου ἀργυρίου μυριάδας ἑπτακισχιλίας καὶ πεντακοσίας καὶ δέκα.* Id est, *In triumphi pompam traduxit vehicula & fercula onusta auro, & signati argenti 70. millia, & 510. drachmas.* Plutarchus septimo tantum loco ponit eos qui aurum, aureaque vasa ferebant, cæteri simul aurum & argentum numerant. Appianus in triumpho Scipionis: *Εἶτα χρυσὸς καὶ ἄργυρος, ἀσήμαντός τε, καὶ σεσημασμένος.* Plutarch. in *Flaminio*: *Τότε τῶν χρημάτων πλῆθος οὐκ ὀλίγον ἦν· ὡς ἀναγράφουσιν οἱ περὶ τὸν Ἰτανόν.* lego, *Ἀντίαν*:

F is Valerius Antias est, de quo Livius *l.* XLV. *Ἐν τῷ θριάμβῳ κομισθῆναι χρυσίου μὲν συγκεχωνευμένου λίτρας τρισχιλίας ἑπτακοσίας δέκα τρεῖς· ἀργύρου δὲ τετρακισμυρίας τρισχιλίας διακοσίας ἑβδομήκοντα, Φιλιππείους δὲ χρυσοῦς μυρίους τετρακισχιλίους πεντακοσίους δεκατέσσαρας· χωρὶς δὲ τούτων τὰ χίλια τάλαντα, ἃ Φίλιππος ὤφειλεν.* Pecuniæ non erant exiguæ: in triumpho enim auri facti & conflati tria millia 713. pondo: argenti 43. millia ducentas 70. libras, 14. millia quingentos tres & decem Philippeos aureos:

insuper & mille talenta, quæ debuit Philippus. Josephus in triumpho Vespasiani: Ἀργύρου τε, καὶ χρυσίου, καὶ ἐλέφαντος ἐν παντοίαις ἰδίαις (lego, ἰδέαις) κατασκευασμάτων ἦν ὁρᾶν, οὐχ ὥσπερ ἐν πομπῇ κομιζόμενον πλῆθος, ἀλλ' ὡς ἂν εἴποι τις ῥέοντα ποταμόν. Id est, *Argenti, auri, eboris in operibus omnis generis numerum videre erat, non quasi traductum in pompam, sed ut aliquis dixerit fluvium exundantem.* Vellejus Paterculus *l.* II. In triumpho Cæsaris pecuniæ ex manubiis latæ paulo amplius sexies millies sestertium. Livius *l.* XXXIV. in triumpho Flaminii. Secundo die aurum, argentumque factum, infectumque, & signatum: infecti argenti fuit decem & 8. millia pondo, & 270. facti: vasa multa omnis generis, cælata pleraque, quædam eximiæ artis, & ex ære multa fabrefacta: (Plutarchus, 43. millia pondo infecti: facti 270. sic enim interpretor) ad hoc clypea argentea decem. Signati argenti 84. millia fuerunt Atticorum: tetradrachmam vocant: trium fere denariorum in singulis argenti est pondus: auri pondo fuit tria millia 714. & clypeum unum ex auro totum, & Philippei nummi aurei 14. millia quingenti 14. Cic. *in Pison.* Nummus interea mihi, Cæsar, neglectis vehiculis triumphalibus domi manet, & manebit. Livius *l.* XLV. in triumpho Pauli Æmilii. Summam omnem captivi auri, argentique translati, H-S. millies ducenties fuisse Valerius Antias tradit: item in triumpho Anicii *l.* XLV. transtulit in triumphum, &c. supellectilem regiam: auri 20. & 7. argenti 10. & 9. pondo: denarium tria millia, & 120. millia Illyrici argenti. Helvius ovans urbem est ingressus, argenti infecti tulit in ærarium 14 millia pondo 732. & signati bigatorum 17. millia 23. & Oscensis argenti 120. millia 438. ait Livius *l.* XXXIV. Tarquinius Superbus victa & capta Suessa Pometia tantum prædæ retulit, ut sacratæ Diis decimæ explerent quadringentorum talentorum numerum. Oportuit universam prædam fuisse quatuor mille talentum, id est, vicies quater centena millia Philippicorum, ut scribit Dionysius Halicarn. *l.* VI. triumpho L. Papyrii Cursoris de Samnitibus viginti quinque millia 355. Philippici ex ære gravi fuere, argenti quod captum ex urbibus erat pondo 1330. omne æs argentumque in ærarium conditum, militibus nihil datum ex præda est, ait Livius *l.* X Florus *l* X. *c.* XVIII. de Tarentino triumpho. Nec enim ullus pulchrior, aut speciosior in urbem triumphus intravit, cum ante hunc diem nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitium arma vidisset. Tum si pompas aspiceres, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæque deliciæ. Scipio ex Hispania argenti præ se in ærarium tulit 14. millia pondo trecenta 42. & signati argenti magnum numerum, narrante Livio *l.* XXVIII. Idem victa Carthagine intulit in ærarium argenti pondo centum millia 33. eodem auctore *l.* XXX. Scipio Æmilianus diruta Carthagine retulit quater millies 470. millia pondo, eodem teste *l.* XXXIII. Lucius Æmilius de Macedonibus bis millies H-S. ærario contulit, ut scribit Vellejus *l.* I. Summam hujus triumphi Plinius imminuit *l.* XXXIII. *c.* III. & Livius *l.* XLV. Cornelius Sulla in triumpho transtulit auri pondo 15. millia, argenti pondo 115. millia, Plinio auctore. Pompejus Magnus triumpho de Mithridate 20. millia talentum in ærarium intulit, auctore Plutarcho. Eundem in milites 16. millia talentum distribuisse narrat Appianus, Cæsarem vero saxaginta quinque millia talentorum in ærarium intulisse, quem numerum imminuit Vellejus, & revocat ad sexies millies H-S. id est, quindecim milliones, cum Appianus 39. ponat. Ex manubiali pecunia Diis dona fiebant. Ovidius lib. II. *de Ponto* epist. ad German.

Deque tropbæorum quod sol incenderat auro.

Livius legendus est in triumpho M. Porcii Catonis ex Hispania, & *l.* XXXI. in L. Furii triumpho, & in ovatione L. Lentuli, *l.* XL. in triumpho L. Fulvii Flacci, *l.* XXXIX. in triumpho M. Fulvii. *l.* XXXIII. in triumpho Cn. Cornelii Lentuli, *l.* XXXVIII. *l.* XXVI. de M. Marcelli triumpho. Inde ovans multam præ se prædam in urbem intulit. Cum simulacro captarum Syracusarum catapultæ, balistæque, & alia omnia instrumenta belli lata, & pacis diuturnæ, Regiæque opulentiæ ornamenta, & multa nobilia signa, &c. Punicæ quoque victoriæ signum, octo ducenti elephanti, &c. denique multus est ubique Livius in pecuniis recensendis. De vestibus eodem loco Livius: argenti, ærisque fabrefacta vasa, & alia suppellex, pretiosaque vestis. Appianus in Pompeii triumpho: Καὶ τὴν Δαρείου τοῦ Ὑστάσπου κλίνην, καὶ τὸν τοῦ Εὐπάτορος αὐτοῦ θρόνον, καὶ σκῆπτρον αὐτοῦ. Iosephus *l.* VII. Ἁλώσ. Καὶ τὰ μὲν ἐκ πορφύρας ὑφάσματα τῆς σπανιωτάτης φερόμενα, τὰ δ' εἰς ἀκριβῆ ζωγραφίαν πεποικιλμένα τῇ Βαβυλωνίων τέχνῃ. *Erant & e purpura lectissima, & rarissima texta, alia opere Babylonico belluato varie & accurate picta. Hæc ejusmodi qui ferebant magno numero auro intertextis vestibus ornati, ad id ex omnibus electi, cultu splendido & opulento.* Ἁλουργαῖς ἐσθήσεσι καὶ διαχρύσοις κεκοσμημένοι, οἵ τ' εἰς αὐτὸ τὸ πομπεύειν διακριθέντες, ἐξαίρετον εἶχον καὶ καταπληκτικὴν περὶ αὐτοὺς τοῦ κόσμου τὴν πολυτέλειαν. Plutarchus in Pauli Æmilii triumpho post argenteos quinto loco ponit aurea vasa & argentea, pocula tornata.

CAP. XXVIII.

DE TUBICINIBUS, TAURIS ET POPIS.

Post aurea vasa & argentea quinto loco sequebantur tubicines, quos & ex Appiano præivisse toti pompæ diximus. Plutarchus: Τῆς δὲ τρίτης ἡμέρας ἕωθεν μὲν εὐθὺς ἐπορεύοντο σαλπικταί, μέλος οὐ προσόδιον καὶ πομπικόν, ἀλλ' οἵῳ μαχομένους ἐποτρύνουσιν αὑτοὺς Ῥωμαῖοι προσεγκελευόμενοι: *Tertia die primo diluculo tubicines, non modos Lydios, aut quibus in pompa Circi utuntur, dantes, sed bellicum canentes.* In Ovatione tibiæ tantum canebant, in triumpho tubæ. Juvenalis *satyra* X. cornicines vocat. Plutarch. de ovatione Marcelli: Οὐδὲ περισαλπιζόμενος, ἀλλὰ πεζὸς ἐν βλαύταις· ὑπ' αὐλητῶν μάλα πολλῶν, &c. καὶ τὸ ὁ αὐλὸς εἰρήνης μέλος. Onuphrius tribus locis tubicines fuisse scribit; in fronte, post aurea vasa, & proxime triumphantem: male: citharistæ enim & citharœdi cum tityristis erant proxime Imperatorem, non autem tubicines, ut Appianus in triumpho Scipionis. Ammianus *l.* XVI. de Constantii triumpho. Vocum, lituorumque intonante fragore cohorruit. Post tubicines sequebantur boves auricornes 120, vittis & infulis coronati: qui ducebant eos juvenes velati lino, & cincticulis belle prætextis amicti ad sacrificium procedebant, & pueri argenteas pateras, & aureos ferentes culullos. Plutarch. Μετὰ δὲ τούτους ἤγοντο χρυσόκερῳ τροφίαι βοῦς ἑκατὸν εἴκοσι, μίτραις ἠσκημένοι καὶ στέμμασιν· οἱ δ' ἄγοντες αὐτοὺς νεανίσκοι περιζώμασιν εὐπαρύφοις ἐσταλμένοι

πρὸς ἱερουργίαν ἐχώρουν, καὶ παῖδες ἀργυρᾶ λοιβεῖα, καὶ χρυσᾶ κομίζοντες. Livius *l.* XXXIV. in triumpho Flaminii, hoſtiæ ductæ. Horat. *Epod.* ode VIII.

—— Io triumphe, tu moraris
Aureos currus, & intactas boves.

Candidæ erant ad Clitumni fluvii paſcua eductæ. Claudian. *Panegyr.* IV.

Quin & Clitumni ſacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis.

Ovid. lib. IV. *Triſt.* eleg. II.

Candidaque adducta collum percuſſa ſecuri
Victima, purpureo ſanguine tingit humum.

Livius *l.* XLV. pars non minima triumphi eſt, victimæ præcedentes. Plinius *l.* XXXIII. *c.* III. auratis cornibus majores hoſtiæ. Sed de his infra pluribus agemus, in ſacrificio triumphantis. Appianus poſt aureas coronas, quas decimo loco poſuit Plutarchus, boves & elephantes ſequutos ait: Βόες δ' ἐπὶ τούτοις λευκοί, καὶ ἐλέφαντες ἦσαν ἐπὶ τοῖς βουσί. Credibile eſt ordinem pompæ ſæpe variaſſe. Sequebantur & plerumque feræ barbaricæ, ad triumphi pompam. Joſephus p. 898. Ζώων τε πολλαὶ φύσεις παρήγοντο κόσμον οἰκείων ἁπάντων περικειμένων. Vopiſcus in Aureliani triumpho: Præceſſerunt elephanti 20. feræ manſuetæ Libycæ, Palæſtinæ diverſæ ducentæ; quas ſtatim Aurelianus privatis donavit, ne fiſcum annonis gravaret: tigrides quatuor, camelopardali, alces, cætera talia per ordinem ducta; gladiatorum paria octingenta: quod poſtremum alibi nuſquam in triumpho reperias. Ludis triumphi Actiaci Rhinocerotem dedit Auguſtus, quem *l.* LI. deſcribit Dio his verbis: Ὁ δὲ δὴ Ρινόκερως, τὰ μὲν ἄλλα ἐλέφαντί πη προσέοικε, κέρας δέ τι κατ' αὐτὴν τὴν ῥῖνα προσέχει: lego, προέχει) Id eſt, *Rinoceros cætera ſimilis elephanti, cornu autem eminulum habet in nare:* cornu tantum unum in Rhinocerote agnoſcit Diodorus *l.* III. Ἐπὶ δ' ἄκρων τῶν μυκτήρων φέρει κέρας τῷ τύπῳ σιμόν, τῇ δὲ στερεότητι σιδήρῳ παρεμφερές: *in extima nare fert cornu repandum, firmitate ferro par.* Unum etiam agnoſcit, ut & Oppianus:

—— ὀλίγον δ' ὑπὲρ ἄκρεα ῥινὸς
Ἀντέλλει κέρας αἰνόν, ἀκαχμένον, ἄγριον, ἄορ.

Plinius *l.* VIII. *c.* XX. Iiſdem ludis & Rhinoceros unius in nare cornu, qualis ſæpe viſus. Solinus, in naribus unicum & repandum cornu. Sic & Strabo cornu unicum; Pauſanias *l.* IX. duo cornua ponit: Σφίσιν ἐπ' ἄκρᾳ τῇ ῥινὶ ἐν ἑκάστῳ κέρας, καὶ ἄλλο ὑπὲρ αὐτὸ οὐ μέγα. Id eſt, *Illis in ſumma nare cuique unum eſt cornu, & aliud ſupra illud, non magnum:* a quo facit Eucherius, qui gemina in naribus cornua geſtare ſcribit. Olim in libello *de Venatione* admonueram, eum qui nuper ad 12. Tabulas mera mapalia ſcripſit, duo cornua Rhinoceroti tribuere, alterum in extima nare, alterum in humeris: vel, ut Geſnerus ſtatuit, in ſummo dorſo: quod tamen proprie cornu eſſe negat, debile certe & plane inutile eſt. Hic mihi, vir intemperantiſſimæ linguæ, inequitat, ſuaviludium, vituperonem appellat, & mimum, libellos noſtros *de Circo* & *Venatione* farraginem pompabiliter ſcriptam vocat: neſcio quanti ſit illi hæc farrago; ſed hoc ſcio, commentarium ejus librum *ad Martialem* ea farragine excreviſſe. Quod vero Pauſaniam a ſe ſtare, & cornu illud minuſculum

A in humero ponere, maledictis contendit, in hoc genere facile me vinci patior, & de ſententia Pauſaniæ literatos omnes arbitros depoſco: minus me dicta ejus tangunt, quem nemini unquam pepercisse, ne ſuæ quidem famæ, ſat ſcio, cum ſit omnium hominum ζωιλώτατος καὶ κακηγορίστατος, homo non alienæ modo famæ, ſed etiam eloquentiæ, atque adeo puræ putæ Latinitatis corruptor. Certe cornu illud in ſummo dorſo, vel in humeris, cum puſillum ac inutile ſit, ad Martialem nihil facit *l.* I. *epigr.* XXII.

B *Namque gravem gemino cornu ſic extulit urſum,*
Jactat ut impoſitas taurus in aſtra pilas.

Si enim cornu illud in humero inutile eſt, qui potuit urſum, quem cornu illo in extima nare apprehenderat, gemino cornu efferre? qui potuit taurus gemino cornu gravis eſſe, qui extimo illo repando elatus & jactatus ſit? Non male ſentiunt, qui geminum cornu, validum interpretantur, quomodo Virgilius, *duplex agitur per lumbos ſpina*: probatiſſimi enim authores unum tantum cornu, illudque in extima nare Rhinoceroti tribuunt. Sexto aut ſeptimo loco in pompa triumphi fuerunt, qui ferebant aureos nummos, & aurea va-
C ſa. Plutarchus: Εἶτα μετὰ τούτους οἱ τὸ χρυσοῦν νόμισμα φέροντες εἰς ἀγγεῖα τριταλαντιαῖα μεμερισμένον ὁμοίως τῷ ἀργυρίῳ· τὸ δὲ πλῆθος ἦν τῶν ἀγγείων ὀγδοήκοντα τριῶν δέοντα. Id eſt, *Deinde poſt victimarios, & popas ſequebantur, qui aureos nummos ferebant in vaſa trium talentorum diviſos, una cum argento: vaſa erant 77. Hos ſequebantur qui ſubſtinebant ſacram phialam, quam Paulus Æmilius, auri 10. talentis & gemmis inſtruxit: quique ferebant Antigonidas, & Seleucidas, & Thericleas, & cætera Perſei vaſa eſcaria ex auro, & pocula.*
D Octavo loco erant currus e præda. Plutarch. Τούτοις ἐπέβαλλε τὸ ἅρμα τοῦ Περσέως, καὶ τὰ ὅπλα, καὶ τὸ διάδημα τοῖς ὅπλοις ἐπικείμενον. Sic in Pompeii triumpho lectus Eupatoris, & ſceptrum apud Appianum, & ſolium: in triumpho Aureliani tres currus regios fuiſſe ſcribit Vopiſcus. Primum Odenati, alterum Regis Perſarum, tertium Zenobiæ.

CAP. XXIX.

DE CAPTIVIS.

E NOno loco ſequebantur captivi ſuo quiſque loco veſtibus amicti inſignibus, ſed catenis onuſti, Reges quidem aureis, alii pro genere & fortuna. Plutarchus in *Paulo Æmil.* Εἶτα μικροῦ διαλείμματος ὄντος ἤδη, τὰ τέκνα τοῦ βασιλέως ἤγοντο δοῦλα, καὶ σὺν αὐτοῖς τροφέων καὶ διδασκάλων, καὶ παιδαγωγῶν δεδακρυμένων ὄχλος αὐτῶν τε τὰς χεῖρας ὀρεγόντων εἰς τοὺς θεατάς, καὶ τὰ παιδία δεῖσθαι, καὶ λιτανεύειν διδασκόντων. *Deinde poſt currum & arma Perſei modico intervallo filii Regis captivi ducebantur, & turba ſimul nutritiorum, præceptorum, inſtitutorum, qui manus cum lacrymis ad inſpectantes tendebant, & pueros ut populum obſecrarent admonebant.* Erant mares duo, puella una, de quibus Eu-
F trop. *l.* IV. Ducti ſunt ante currum duo Regis filii, qui per ætatem infortunii ſui modicum, aut nullum ſenſum habebant, unde & major miſericordia populi ſuper mutata eorum fortuna, ut pene ad Perſeum tranſeuntem oculos non adjecerint, uſque adeo ad pueros attenti erant: & multis lacrymari contigit miſericordia ductis, omnibuſque mixtum dolore ac voluptate ſpectaculum fuit, donec illi præterierunt. Ipſe Perſeus filios, eorumque comitatum ſequebatur pullatus, & crepidatus more

gentis, præ magnitudine malorum stupenti & attonito similis. Hunc sequebatur familiarium cohors dejecto vultu, in Perseum oculos cum lacrymis conjicientium, quasi sortem ejus deplorarent, suæ immemores. Virgil. VIII. *Æneid.*

—— incedunt victæ longo ordine gentes.

Si res alienis auspiciis gesta, milites non secuti, nulli captivi ante currum ducti, nulla spolia, ut ex Livio docuimus. Vulgus captivorum ferreis catenis vincti erant. Claudianus *l.* II. *Stilicon.*

Barbara ferratis innectunt terga catenis
Velati galeas lauro. ——

Prudent. *lib.* II. *in Symmach.*

—— captivos poplite flexo
Ad juga depressos, manibusque in terga retortis.

Ovid. I. *de Arte*:

Ibant ante duces onerati colla catenis.

In ferculis subjecti, vel potius oppressi armis repræsentabantur. Tibull. *l.* III. *eleg.* III.

Et subter captos arma sedere duces.

Claudian. *l.* I. *Stilicon.*

—— quam si post vincla revincti
Tarpeias pressis subeant cervicibus arces.

Non tamen captivi Capitolium ingressi sunt, ut mox ostendam. Ovidius eleg. II. *l.* I. *Amorum*:
Mens bona ducetur manibus post terga revinctis.
Non video, quid voluerit Seneca in *Troade*, qui captivos sequi currum, non præire dixerit:

—— manus post terga dabit,
Currusque sequens ego Memnonios
Aurea dextra vincula gestans.

Reges certe aureis vinculis onusti. Propert. *l.* II. *eleg.* I.

Aut Regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in sacra currere rostra via.

Silius *l.* XVII.

Ante Syphax pheretro residens captiva premebat
Lumina, & auratæ servabant colla catenæ.

Ovid. *l.* IV. *Trist.* eleg. II.
Vinclaque captiva Reges cervice ferentes,
Ante coronatos ire videbit equos.

Trebellius de Zenobia. Jam primum ornata gemmis ingentibus, ita ut ornamentorum onere laboraret. Vincti erant pedes auro, manus etiam catenis aureis, nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra Persicus præferebat. Flor. *l.* III. *c.* II. de Allobrogibus a Domitio Ænobarbo, & Fabio Max. victis. Rex in carpento argenteo, quo in bellis usus, in triumphum ductus. Auson. in *Ephemer.*
Inter captivos trahor exarmatus Alanos.
Sidon. *Panegyr.* II.
Et Regum aspicient Capitolia fulva catenas.
Zonaras scribit Perseo δεσμὰ μετὰ διαδήματος περικείμενα. Non tamen perpetuum fuit, ut vincti in triumphum ducerentur. Pompeii enim triumpho nemo vinctus fuit. Appian. *bello Mithrid.* de Pompeii triumpho: Πλῆθος αἰχμαλώτων τε, καὶ λῃστῶν, οὐδένα δεδεμένον, ἀλλ' ἐς τὰ πάτρια ἐσταλμένους αὐτῶν δὲ τῶν Πομπηΐου προηγούμενοι τῶν πεπολεμηκότων βασιλέων ἡγεμόνες, ἢ παῖδες, ἢ στρατηγοὶ ἦσαν, οἱ μὲν αἰχμάλωτοι ὄντες, οἱ δὲ ἐς ὁμηρείαν δεδομένοι, τριακόσιοι μάλιστα, καὶ εἴκοσι, καὶ τέσσαρες. Raro mulieres ductæ: sed tamen ductæ. Dio *l.* XLIII. in triumpho Julii: Καὶ Ἀρσινόη γυνή τε οὖσα, καὶ βασιλίς ποτε νομισθεῖσα ἐν τε δήμοις, ὃ μήποτε ἔν γε τῇ Ῥώμῃ ἐγεγόνει, ὀφθεῖσα, πάμπολυν οἶκτον ἐνέβαλε, &c. οὐ μὴν ἀλλ' ἐκείνη μὲν διὰ τοὺς ἀδελφοὺς ἀφείθη, ἄλλοι δὲ, καὶ ὁ Οὐεργεντόριξ ἐθανατώθησαν. Religatis manibus captivi præcesserunt, &c. & decem mulieres, quas virili habitu pugnantes inter Gotthos ceperat. De Zenobia in *Aureliano* Vopiscus. Imperatores autem cum de foro in Capitolium currum flectere inciperent, captivos in carcerem duci jubebant, idemque dies & victoribus imperii, & victis vitæ finem facit, ait Cicero VII. *in Verrem.* Quod neque perpetuum fuit. Zenobiæ enim ab Aureliano vivere concessum: ferturque vixisse cum liberis matronæ jam more Romanæ, data sibi possessione in Tiburti, quæ hodieque Zenobia dicitur, non longe ab Adriani palatio, atque ab eo loco cui nomen est *Couche*, ait Trebellius. Sed neque Pompejus ullum e captivis necavit, sed publicis impensis remisit quemque domum, exceptis Regibus, & Regiis, e quibus solus Aristobulus mox interemptus est, & post eum Tigranes Tigranis Regis filius. Appian. in triumpho Pompeii: Παρελθὼν δὲ ἐς τὸ Καπιτώλιον, οὐδένα τῶν αἰχμαλώτων, ὡς ἕτεροι τῶν θριάμβους παραγαγόντων, ἀλλ' ἐς τὰς πατρίδας ἔπεμψε δημοσίοις δαπανήμασι, χωρὶς τῶν βασιλικῶν. Moris tamen fuit, ut juberentur occidi, neque ante Imperator Capitolio exibat, quam captivos occisos nunciatum esset. Josephus *l.* VII. Ἁλώσ. Ἦν δὲ τῆς πομπῆς τὸ τέλος ἐπὶ τὸν νεὼν τοῦ Καπιτωλίου Διός, ἐφ' ὃν ἐλθόντες (Vespasianus & Titus) ἔστησαν. ἦν γὰρ παλαιὸν πάτριον περιμένειν, μέχρις ἂν τὸν τοῦ στρατηγοῦ τῶν πολεμίων θάνατον ἀπαγγείλῃ τις. Σίμων οὗτος ἦν ὁ Γιώρα τότε πεπομπευκὼς ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις. βρόχῳ δὲ περιβληθεὶς εἰς τὸν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς ἐσύρετο τόπον. *Injectus est*, inquit, *Simoni Gioræ laqueus, isque in forum tractus, pessimeque habitus a trahentibus, ubi moris fuit noxios capitis damnatos occidi.* Alii scribunt, *in carcerem conjici solitos.* Zonaras: εἰς τὴν Ῥωμαίων κομισθεὶς ἀγορὰν, καὶ τῶν αἰχμαλώτων τινὰς εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπαχθῆναι καὶ θανατωθῆναι κελεύσας. Et Livius *l.* XLV. de C. Octavii triumpho. Senatus deinde habitus est; Patres censuerunt, ut Q. Cassius Persea Regem cum Alexandro filio Albam in custodiam duceret: comites, pecuniam, argentum, instrumentum quod haberet. Plutarchus in *Æmil.* Ἐκ τοῦ καλουμένου κάρκερε παρ' αὐτοῖς εἰς τόπον καθαρὸν, καὶ φιλανθρωποτέραν δίαιταν, ὅπου φρουρούμενος ἀπεκαρτέρησεν. Valer. Max. *l.* IV. *cap.* I. hostium duces ante currum actos in carcerem conjecit: aut in municipia vincti custodiæ tradebantur, ut de Syphace & Perseo. Idem *lib.* V. *cap.* I. Post triumphum Reges vincti custodiæ tradebantur. Id quidem adeo rigide servatum scribit auctor *Panegyrici ad Constantinum*, ut in uno Perseo perpetuum id non fuisse velit: ejus verba sic habent. Tunc enim captivi Reges cum a portis usque ad forum triumphantium currus honestassent, simul atque in Capitolium currum flectere cœperat Imperator, abrepti in carcerem necabantur. Unus pro ipso Paulo, qui dedentem se (ita lego) acceperat, deprecante legem evasit; cæteri in vinculis luce privati. Josephus: Εἰς τὸν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς ἐσύρετο τόπον, αἰκιζομένων αὐτὸν ἅμα τῶν ἀγόντων. νόμος δ' ἐστὶ Ῥωμαίοις ἐκεῖ κτείνειν τοὺς ἐπὶ κακουργίᾳ θάνατον κατεγνωσμένους. Falsum hoc, ut literate scriptum est. Non enim in foro capi-

te plecti fontes id temporis Romæ consuetum, nisi forte in carcere necarentur: quod in conjuratis apud Sallustium usu venit, & in captivis solemne fuit. Orosius *l.* v. *c.* XIV. Jugurtha ante currum ductus, mox in carcere strangulatus est. Veiis quidem captis triumphavit Romulus, & ducem Vejentium ætate affecta hominem inconsultum, & fortuna imprudenter usum ante se egit: unde mos natus, ut triumphantes senem quemdam per forum in Capitolium agant, prætextatum, puerilem bullam e collo suspensam gerentem: præco tum prædicat Sardos venales. Plutarch. in *Romulo*, *βοῦλλαν αὐτῷ παιδικὴν ἅψαντες· κηρύττει δὲ ὁ κῆρυξ Σαρδιανοὺς ὠνίους*. Alii ex eo natum volunt, quod Cornel. Gracchus victa Sardinia tantum captivorum adduxerit, ut longa venditione proverbium natum sit, Sardi venales. Plinius *de Viris illustribus*. Cicero lib. septimo *Epist.* Sardi venales, alius alio nequior. Festus. Sardi venales, id est, alius alio nequior. Ludis Vicanis, qui fiunt a Vicanis prætextatis, auctio Vejentium fieri solet, in qua novissimus is qui omnium deterrimus producitur a præcone in medium, senex cum toga prætexta, bullaque aurea, quo cultu Reges soliti sunt esse Hetruscorum, qui Sardi appellantur, quia Hetrusca gens orta est Sardibus ex Lydia, &c. At Sinnius Capito ait Tit. Gracchum Consulem, collegam Pub. Valerii Fulconis, Sardiniam, Corsicamque subegisse, nec prædæ quidquam aliud quam mancipia captum, quorum vilissima multitudo fuerit. Legendus Plutarch. in *Romaicis* cap. LIII. ubi Sardos Vejos interpretatur, ludis Capitolinis Sardos venales proclamari. Trebellius & Appian. in Scipionis triumpho hunc quasi scurram depingunt. Dionysius libro IV. *Origin.* ait servos Romanis fuisse jure quod optimum esse potest: *Ἢ γὰρ ὠνησάμενοι παρὰ τοῦ δημοσίου τοὺς ὑπὸ δόρυ πωλουμένους ἐκ τῶν λαφύρων, ἢ τοῦ στρατηγοῦ συγχωρήσαντος ἅμα ταῖς ἄλλαις ὠφελείαις, καὶ δορυαλώτους τοῖς λαβοῦσιν ἔχειν, ἢ πριάμενοι παρ' ἑτέρων κατὰ τοὺς αὐτοὺς τρόπους κυρίων γενομένων ἐκέκτηντο τοὺς δούλους*. *Aut enim de publico ementes eos qui de præda sub hasta venirent, aut Imperatore concedente simul cum aliis utilitatibus, ut etiam bello captos possiderent ii qui cepissent, aut cum emissent a dominis servos possidebant*. Et libro VII. *Τὰ ἐκ τῶν πολεμίων λάφυρα ὅσον ἂν ἡμῖν ὑπάρχῃ τυχεῖν δι' ἀρετὴν δημόσια εἶναι κελεύει ὁ νόμος, καὶ τούτων οὐχ ὅπως τις ἰδιώτης γίνεται κύριος, ἀλλ' οὐδ' αὐτὸς ὁ τῆς δυνάμεως ἡγεμὼν, ὁ δὲ ταμίας αὐτὰ παραλαβὼν ἀπεμπολεῖ, καὶ εἰς τὸ δημόσιον ἀναφέρει τὰ χρήματα*. *Spolia ex hostibus quanta vi ac virtute capere potuerimus, lex jubet publica esse, non ut aliquis privatus, aut ipse Imperator eorum sit dominus; quæstor autem ea vendit, & in ærarium refert*. Quare milites ad hoc jusjurandum adigebantur apud Gellium *l.* XVI. *c.* IV. Extra hastam, hastile, ligna, pabulum, utrem, follem, faculam si quid ibi inveneris, sustulerisque quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad Cajum Lælium C. filium Cos. Luciumve Cornelium P. filium Consulem, sive ad quem eorum jus erit, proferas. Apud Livium *l.* v. Fusis Faliscis & Capenatibus prædæ pars maxima ad quæstorem redacta est, exigua portio in milites tributa. *Lib.* XXV. Benevento capto prædam Consules vendidere ac divisere: & *l.* XXXVII. Lamia expugnata Acilius Consul prædam partim divisit, partim vendidit: & *l.* XXXVIII. de præda ex Gallo-Græcis, quam Manlius Consul, cum milites omnes conferre jussisset, divisit, aut vendidit quod ejus in publicum redigendum erat. Plautus in *Captivis*, actu I. scena I.

Scis tu istos captivos duos,
Heri quos emi de præda de quæstoribus,
His indito catenas singularias.

Apud Valer. Maximum *c.* III. *l.* v. Camillus a Lucio Apulejo Tribuno plebis tanquam peculator Vejentanæ prædæ reus factus in exilium missus est. Apud Zonaram Lucius Scipio victo Antiocho *κατεψηφίσθη ὡς τάχα πολλὰ ἐκ τῆς λείας σφετερισάμενος*, *quod prædam quæ publica erat, ad se magna ex parte avertisset*. *Leg.* I. *& penult. ff. ad leg. Juliam peculatus*, qua cautum ne quis ex pecunia sacra, religiosa, publicave auferret, neve interciperet, neve in rem suam verteret. Is quoque qui prædam ab hostibus captam surripuisset, lege peculatus tenebatur, & in quadruplum damnabatur. Valerius Maximus *l.* v. *c.* I. Africanus major a quæstore suo hastæ subjectos captivos vendente, puer eximiæ formæ, &c. Minutius in *Octavio*: Templa omnia Romæ de manubiis, de ruinis urbium, de spoliis Deorum. Ambros. *epist.* XXIX. Templa idolorum condita de manubiis & spoliis reliquorum hominum. Livius *l.* XXVIII. Virium Capuanum cum Romanis Capuam deditum iri existimaret, ita loquentem inducit. Non videbo Appium Claudium, & Quint. Fulvium victoria insolenti subnixos, neque vinctus per urbem Romam triumphi spectaculum trahar, ut deinde in carcere, aut ad palum deligatus, lacerato virgis tergo cervicem securi Romanæ subjiciam. Apud Tacitum Mithridates *l.* XII. non potentiam, neque Regnum precari, sed ne triumpharetur, neve pœnas capite expenderet. Apud Trebellium Æmilianus Tyrannus cum contra Indos pararet expeditionem misso Theodoto duce, Gallieno jubente dedit pœnas: siquidem strangulatus in carcere captivorum veterum more perhibetur. Peracto triumpho captivi sub corona vendebantur; ut Dio *l.* LII. Synesius libro *de Regno*, Isidorus *l.* III. lib. IX. *Origin.* Antiquitus mancipia jure belli capta coronis induta venibant, & idcirco dicebantur sub coronis venire apud Gellium *c.* IV. *l.* VII. & Dionem *l.* IV. de statu hominum. Sic apud Livium *l.* v. Camillus Vejorum urbe capta direptaque libera corpora sub corona vendidit. Ea sola pecunia in publicum redacta fuit. Apud eundem *l.* IX. socii Samnitium sub corona veniere: & *l.* XXI. XXIV. Ita & apud Tacitum *l.* XIII. in Armeniis imbelle vulgus a Corbulone sub corona venundatum, reliqua præda victoribus cessit. Quinctilian. *declamat.* XIII. Igitur quos bellorum iniquitas in prædam victoribus dederat, iisdem legibus, eadem fortuna, eadem conditione natos, ii fiebant quidem occupantium, non tamen quasi militum, & singulorum proprii, sed Imperatorum. Certo jure gentium captivi capientium servi fuere, sed jure civili Romanorum cum prædæ loco quæ publica fuit, captivi cederent, ab Imperatore vel sub corona vendebantur, vel militibus dividebantur. Zonaras tom. II. *Annalium*: *τῶν λαφύρων πολλὰ μὲν τοῖς στρατευσαμένοις διενείματο*: *ex spoliis multa in milites distribuebantur*. Apud Livium *l.* XLIV. victo Perseo Paulus Consul spolia militi concessit. Interdum ex captivorum capite pecunia in publicum coacta est, ut scribit Polybius *l.* II. *Πραθέντες μετὰ τέκνων καὶ γυναικῶν ἐπεὶ κατεπολεμήθησαν, ἀλλὰ τοῦτό γε καὶ τοῖς μηδὲν ἀσεβὲς ἐπιτελεσαμένοις κατὰ τοὺς τοῦ πολέμου νόμους ὑπόκειται παθεῖν*. *Dabunt pœnas venditi cum uxoribus & filiis ubi victi fuerint. Sed jure belli patiuntur id qui nihil impium fecerint*. Livius *lib.* XXXVIII. Sameos omnes direpta urbe sub corona venisse. Gellius *l.* XIII. *c.* XXIII. Ita fastigiis fori Trajani simulacra sunt

A sita circumundique inaurata equorum, atque signorum militarium, subscriptumque est, ex manubiis, id est, ex præda. Pompa triumphi Galieni describitur a Trebellio his verbis: Jam primum inter togatos Patres, & equestrem ordinem, albatos milites, & omni populo præeunte, servis etiam prope omnium, & mulieribus cum cereis, facibus, & lampadibus præcedentibus Capitolium petiit. Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boves cornibus auro jugatis, & dorsualibus sericis præfulgentes. Agnæ candentes ab utraque parte ducentæ præcesserunt, & 20. elephanti, qui tunc erant Romæ, mille ducenti gladiatores pompaliter ornati cum auratis vestibus matronarum, carpenta cum mimis, & omni genere histrionum, pugiles sacculis, non veritate pugnantes. Cyclopes etiam luserunt omnes Apinarii, &c. Omnes viæ ludis, strepituque, & plausibus personabant, ipse medius cum picta toga, & tunica palmata inter Patres, ut diximus, omnibus Sacerdotibus prætextatis Capitolium petiit. Hastæ auratæ altrinsecus quingenæ, vexilla centena. Animadvertis boves istos χρυσοκέρατας fuisse jugatos. Sacci pugilum, de quibus loquitur, erant farcti tomento. De tauris auricornibus Seneca in *Oedipo*:

Aureo taurus rutilante cornu.

Virgilius:

Et statuam ante aras aurata fronte juvencum.

Tibullus:

Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.

Ovidius lib. II. *Metamorph.*

—— blandis indutæ cornibus aurum

Conciderant. ——

Juvenalis:

—— auratam Junoni cæde juvencam.

Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* III. Deorum honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quam ut auratis cornibus hostiæ majores duntaxat immolarentur. Reges autem bello captos ante currum auro vinctos præire docet Trebellius de Zenobia in Aureliani triumpho. Vincti erant præterea pedes auro, manus etiam catenis aureis, nec collo vinculum deerat; quod scurra Persius præferebat. Apud Parthos Reges bello capti catenis argenteis, non aureis vincti erant. Ammianus de Arsace Rege a Sapore capto; eumque effossis oculis vinctum catenis argenteis, quod apud eos vanum suppliciorum æstimatur esse solatium. Apud Persas olim catenis aureis vinciebantur. Scribit enim Quint. Curtius Darium aureis compedibus a proditoribus vinctum esse. Ausonius in *Sapientibus*:

—— Crœsum in amicis habet,
Vinctumque pedicis aureis secum jubet
Reliquum quod esset vitæ totum degere.

Sed ut ad tauros triumphales redeamus; omnibus aris tota urbe in triumpho sacrificia fiebant, ait Donatus *ad Andrian*: quo pertinet illud Lucilii:
Næ in arce bovem discerpsi magnifice.
Ovidius lib. III. eleg. III. *de Ponto*:
—— totamque per urbem
Omnis odoratis ignibus ara calet.

Quare Tertullianus libro *de Pallio* trinas Pompeii aras pro tribus Pompeii triumphis posuit.

CAP. XXX.

DE CORONIS SOCIORUM.

Decimo loco prælatæ coronæ, quas socii Imperatori dederant. Plutarch. Ἐφεξῆς δὲ τούτοις ἐκομίζοντο χρυσοῖ στέφανοι τετρακόσιοι τὸ πλῆθος, οὓς αἱ πόλεις ἀριστεῖα τῆς νίκης τῷ Αἰμυλίῳ μετὰ πρεσβειῶν ἔπεμψαν. Id est, *deinceps ferebantur coronæ au-* B *reæ* 400. *numero, quas socii victoriæ præmia cum legationibus ad Paulum Æmilium miserant.* Virgilius VIII. *Æneid.*

Ipse sedens niveo candentis limine Phœbi
Dona recognoscit sociorum, aptatque superbis
Postibus, incedunt victæ longo ordine gentes.

Liv. *lib.* XXXIX. coronas aureas dona civitatum XLV. in triumpho prælatas scribit. *Lib.* XXXIV. coronæ aureæ dona civitatum in triumpho translatæ. Plinius *lib.* XVI. *cap.* IV. de coronis: novissimæ & in C sacris certaminibus usurpatæ, in quibus hodieque non victori datur, sed patriam ab eo coronari pronuntiatur. Inde natum, ut etiam triumphaturis conferrentur in templis dicandæ. Dio *lib.* LI. Augustus παρὰ τῶν πόλεων τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τὸ τοῖς στεφάνοις προσῆκον οὐκ ἐδέξατο. Et Livius *lib.* XXXIX. in triumpho M. Fulvii, aureæ coronæ centum 12. pondo ante currum latæ sunt. Præferebantur coronæ omnium civitatum aureæ, titulis eminentibus proditæ, ait Vopiscus in Aureliani triumpho. Livius *lib.* VII. Samnitibus victis Carthaginenses quoque Legatos gratulatum misere, cum coronæ aureæ dono, quæ in Capitolio, in Jovis cella po- D neretur, fuit pondo 25. Quandoque dabantur castella in triumpho deferenda. Cicero in *Bruto*: Castellanos triumphos, qui dantur ob castella victa. Coronæ ab exercitu aureæ triumphanti datæ. Appian. καὶ στέφανοι, ὅσους τῷ στρατηγῷ ἀρετῆς ἕνεκα ἀναδῶσιν ἢ πόλεις, ἢ σύμμαχοι, ἢ τὰ ὑπ' αὐτοῦ στρατόπεδα: unde aurum coronarium. Cicero *in Pisonem*. Lex Cæsaris vetat accipere aurum coronarium, nisi decreto triumpho. Suidas στεφανικὸν τέλεσμα· στεφανικὸν λέγεται πᾶν τὸ ἐν χάριτος λόγῳ διδόμενον. Spartianus *Adriano*: aurum coronarium Italiæ remisit Adrianus. Antoninus item Pius aurum coronarium, quod adoptionis suæ causa obla- E tum fuerat, Italicis totum, medium provincialibus reddidit. Sumptum id a Græcis, qui Philippo & Alexandro coronas aureas miserunt. Diodorus pag. 357. Οὐ μόνον κατ' ἄνδρα τῶν ἐπιφανῶν ἐστεφάνωσαν (Philippum) χρυσοῖς στεφάνοις, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀξιολόγων πόλεων αἱ πλείους. Pag. 574. αἱ πόλεις ἅπασαι πρεσβείας ἀποστείλασαι χρυσοῖς στεφάνοις ἐτίμησαν τὸν βασιλέα Ἀλέξανδρον. Longe diversum est ab ære coronario, de quo Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* IX. *lib.* XXXIV. *cap.* VIII. Hic ordo, quem posuimus in triumphi pompa, status ac solemnis esse videtur, cum Livius *lib* XXXIV. eundem paucis immutatis habeat: sic enim ille: Senatus extra urbem F Quintio ad res gestas edisserendas datus, triumphusque meritus ab lubentibus decretus est: triduum triumphavit. Die primo arma, tela, signaque ærea & marmorea transtulit. Plura Philippo adempta, quam quæ ex civitatibus ceperat. Secundo die aurum, argentumque, factum, infectumque & signatum. Infecti argenti fuit decem, & octo millia pondo, & 170. facti, vasa multa omnis generis, cælata pleraque, quædam eximiæ artis, & ex ære multa fabricata, ad hoc

clypea argentea decem, signati argenti 84. millia fuere Atticorum: tetradrachmam vocant; trium fere denariorum in singulis argenti est pondus: auri pondo fuit tria millia septingenta 14. & clypeum unum ex auro totum, & Philippei nummi aurei 14. millia quingenti 14. Tertio die coronæ aureæ, dona civitatum, translatæ 114. & hostiæ ductæ, & ante currum multi nobiles captivi, obsidesque, inter quos Demetrius Regis Philippi filius fuit, & Armenes, Nabidis Tyranni filius, Lacedæmonius. Ipse deinde Quintius in urbem est invectus: milites sequuti currum frequentes, ut omni ex provincia exercitu deportato, &c. Præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis sequuti, qui servitute exempti fuerant. Livius *lib.* XLV. P. Æmilii triumphum graphice depinxerat, a quo Plutarchus mutuatus; sic ille: Summam omnis captivi auri argentique translati H-S. millies ducenties fuisse Valerius Antias tradit: quæ haud dubie major aliquanto summa ex numero plaustrorum, ponderibusque auri, argenti, generatim ab ipso scriptis efficitur, &c Plutarchus: Flaminii triumphum sic describit: *Καλλίω δὲ καὶ τὰ λάφυρα πομπευόμενα παρεῖχεν ὄψιν, Ἑλληνικὰ κράνη, καὶ πέλται Μακεδονικαί, καὶ σαρίσσαι· τότε χρημάτων πλῆθος οὐκ ὀλίγον ἦν*, &c. *χρυσίου μὲν συγκεχωνευμένου λίτρας τρισχιλίας ἑπτακοσίας δέκα τρεῖς. ἀργύρου δὲ τετρακισμυρίας τρισχιλίας διακοσίας ἑβδομήκοντα, φιλιππείους δὲ χρυσοῦς μυρίους τετρακισχιλίους πεντακοσίους δεκατέσσαρας· χωρὶς δὲ τούτων, τὰ χίλια τάλαντα, ἃ Φίλιππος ὤφειλε*, &c. Apud Livium *lib.* XXXVIII. ad Cn. Manlium victis Gallogræcis missæ undique legationes non gratulatum modo venerunt, sed coronas etiam aureas, pro suis quæque facultatibus attulerunt. Fuere coronæ aureæ ducentæ 12. pondo, eodem auctore *lib.* XXXIX. ut singulæ fuerint librales. In Quinti Flaminii triumpho coronæ aureæ, dona civitatum, translatæ 114. In Scipionis Asiatici aureæ coronæ 234. ait Livius *lib.* XXXIV. In Cæsaris triumpho coronæ aureæ bis mille octingentæ 22. eæque pondo 20. millium quadringentorum 14. narrante Appiano. Claudius cum de Britannia triumpharet inter coronas aureas una 7. pondo habuit, quam contulisset Hispania citerior; altera 9. quam Gallia Comata, sicut titulus indicavit, narrante Plinio *lib.* XXXIII. *cap.* III. Eæ coronæ Festo dicuntur donaticæ, quod his victores in ludis donabantur, quæ postea magnificentiæ causa institutæ sunt super modum aptarum capitibus. A ludis ad triumphos aureæ traductæ. Dictæ sunt & triumphales, Festo scribente. Triumphales coronæ sunt quæ Imperatori victori aureæ præferuntur, quæ antiquis temporibus propter paupertatem laureæ fuerunt. Eædem dictæ provinciales Tertulliano lib. *de Corona*. Sunt & provinciales aureæ imaginum jam non virorum capita majora quærentes. Polybius in fragmentis: *οἱ Γεραῖοι ἐστεφάνωσαν τὸν Ἀντίοχον τὸν βασιλέα πεντακοσίοις ἀργυρίου ταλάντοις. Geræi Antiochum Regem quingentis argenti talentis coronarunt.* Apud Livium Asiatici Manlio ingredienti fines, ut cohiberet a populatione militem, in coronam auream 15. talenta offerunt.

CAP. XXXI.

DE TRIUMPHANTE.

Undecimo loco triumphans aureo curru laureatus fuit, qualem supra descripsimus. Livius *lib.* XLV. de P. Æmilio. Ipse postremo Paulus

A in curru, magnam cum dignitate alia corporis, tum senecta ipsa majestatem præ se ferens: post currum inter alios illustres viros filii duo Q. Maximus, & P. Scipio. Josephus tamen *lib.* VII. ante currum proxime simulacra eburnea victoriæ ferri scribit: *Ἐπὶ τούτοις παρῄεσαν πολλοὶ νίκης ἀγάλματα κομίζοντες· ἐξ ἐλέφαντος δὲ ἦν πάντων, καὶ χρυσοῦ ἡ κατασκευή· μεθ᾽ ἃ Οὐεσπασιανὸς ἤλαυνε, καὶ Τίτος εἵπετο· Δομετιανὸς δὲ παρίππευεν, αὐτός τε διαπρεπῶς κεκοσμημένος, καὶ τὸν ἵππον παρέχων θέας ἄξιον.* Plutarchus in *Paulo*, coronas a civitatibus missas proxime insequutum esse Imperatorem ait. Simulacra victoriæ, de quibus loquitur Josephus, pro
B coronis illis fuisse interpretor: *Εἶτ᾽ αὐτὸν ἐπέβαλλεν ἅρματι κεκοσμημένῳ διαπρεπῶς ἐπιβεβηκὼς ἀνὴρ, καὶ δίχα τοσαύτης ἐξουσίας ἀξιοθέατος, ἁλουργίδα χρυσόπαστον ἀμπεχόμενος, καὶ δάφνης κλῶνα τῇ δεξιᾷ προτείνων· ἐδαφνηφόρει δὲ καὶ σύμπας ὁ στρατός.* Præibant Imperatori lictores tunicis puniceis amicti, & chorus citharistarum & satyrorum, Hetruscæ pompæ ritu, cinctorum, ornatorumque coronis aureis, qui pariter incedunt ordine, cum cantu & tripudio: ludiones ipsi vocant: opinor ideo quia Hetrusci Lydorum coloni sunt. Horum in medio quidam talarem purpuram amictus, ornatusque monilibus & torquibus aureis gesticulatur
C ad movendum risum, tanquam insultans hostibus: (is est de quo Festus in *Sardi venales*, & Plutarch. in *Rom.*) sequuntur deinceps qui suffitum faciunt: mox ipse Imperator invehitur curru picturato, redimitur corona gemmata aurea, amicitur autem more patrio purpura stellis aureis distincta, manu gestat sceptrum eburneum, & virgam lauream, quæ apud Romanos signum est victoriæ. Appianus in triumpho Scipionis: *αὐτοῦ δὲ ἡγοῦνται τοῦ στρατηγοῦ ῥαβδοῦχοι φοινικοῦς χιτῶνας ἐνδεδυκότες.* Sigismundus Gelenius in his vertendis parum accuratus fuit. Ante currum triumphantis
D lictores erant & fasces, quorum numerum in Julio invidiosum fuisse scribit Dio *lib.* XLIII. *Τὸ πλῆθος τῶν ῥαβδούχων. ὅτε γὰρ ἀριθμὸς ὁ τῶν ῥαβδούχων ἐπαχθέστατον σφίσιν ὄχλον, ἅτε μήπω πρότερον τοσούτους ἅμα ἑωρακόσι παρέσχε.* Ut enim supra monuimus, quisque imperio quo vicerat usus est in triumpho. Consuli igitur 12. fasces, Prætori & Proconsuli 6. Dictatori 24. fasces. Dio *lib.* LIV. Appian. lib. I. *Civil.* Plutarchus in *Fabio*. Servus publicus (ut Zonaras in *Camillo*) eodem curru vehebatur, coronam gemmis auro vinctis supra caput ejus tenens (male Wolfius, coronam auream gemmis interpolatam) ad eum dicebat; Respice,
E quo monebat, ut reliquæ vitæ cursum provideret, neque præsentibus elatus superbiret: & ex curru tintinnabulum flagellumque suspendebatur, ut ea res indicio esset eum tam adversa fortuna uti posse, ut vel flagris cæderetur, aut capitis damnaretur: qui enim extremo supplicio afficiebantur, tintinnabula gestare solebant, ne quis inter eundem contactu illorum piaculo se obstringeret. Sic autem exornati urbem inibant. Zonaras: *Οἰκέτης μέντοι δημόσιος ἐπ᾽ αὐτοῦ παρωχεῖτο τοῦ ἅρματος τὸν στέφανον τῶν λίθων χρυσοδέτων ὑπερανέ-*
F *χων αὐτοῦ*, &c. Ammian. *lib.* XVI. de Constantio. Nam & corpus perhumile curvabat portas ingrediens celsas, & velut collo munito (lego, minuto) rectam aciem luminum tendens, &c.

CAP. XXXII.

DE MILITIBUS.

POst currum proxime filii adolescentes aut viri, inter alios viros illustres, sequebantur: deinde equites turmatim, & cohortes peditum suis quæque ordinibus, ait Liv. *lib.* XLV. unde error Zonaræ manifestus, qui pedites omnes fuisse vult, filiis exceptis. Plutarch. in *Paulo*: Ἐδαφνηφόρει δὲ σύμπας ὁ στρατός, τῷ μὲν ἅρματι τοῦ στρατηγοῦ κατὰ λόχους καὶ τάξεις ἑπόμενος. ᾄδων δὲ τὰ μὲν, ᾠδάς τινας πατρίους ἀναμεμιγμένας γέλωτι, τὰ δὲ, παιᾶνας ἐπινικίους, καὶ τῶν διαπεπραγμένων ἐπαίνους εἰς τὸν Αἰμίλιον. *Lauro coronatus erat universus exercitus currum Imperatoris per cohortes & ordines secutus; canens autem partim quædam carmina vernacula risu admixta, tum vero pæanas victoriæ, & præconia Æmilii.* Sequebantur alii in equis, alii pedibus, ut Appianus, Livius, Cicero contra Zonaram. Livius *lib.* XLV. de triumpho Luc. Anicii: Lætior hunc triumphum est sequutus miles, multisque dux ipse carminibus celebratus: ipsi etiam Tribuni nobiles carmine militari laudati, cum in sua cohorte currum sequerentur. Livius *lib.* VII. Sequente Decio insigni cum laude, donisque, cum incondito militari joco, haud minus Tribuni celebre nomen quam Consulum esset. Appian. *bello Mithridat.* Αὐτός δὲ ὁ Πομπήιος ἐπὶ ἅρματος ἦν, καὶ τοῦδε λιθοκολλήτου, χλαμύδα ἔχων, ὥς φασιν, Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος, &c. εἵποντο δὲ αὐτῷ μετὰ τὸ ἅρμα οἱ συστρατευσάμενοι τῶν ἡγεμόνων, οἱ μὲν ἐπὶ ἵππον, οἱ δὲ πεζοί. Pomponius in *Diocletiano* scribit, milites Imperatori præivisse canentes & saltantes, non autem secutos esse: male, ut apparet. Sueton. in *Julio* cap. XLIX. Inter cætera carmina, qualia currum prosequentes joculariter canunt, &c. Urbani servate uxores, mœchum calvum adducimus, &c. auro in Gallia stuprum emisti, &c. Ad morem hunc sequendi currum respexit Seneca lib. *de beata vita*. Non humilior sub alieno curru, quam in meo steteram. Mos eo inductus, ut milites triumphanti testimonium bene rei gestæ redderent, & ipsi triumphi participes essent. Livius *lib.* XXXI. majores instituisse ut legati, tribuni militum, centuriones, milites denique triumpho adessent, ut veritas rerum gestarum ejus publice videretur: sequebantur & socii, apud Livium *lib.* XLI. taciti, ut iratos esse sentires, secuti sunt currum socii, quod dimidio minus accepissent quam Romani. *Lib.* XLV. milites & ipsi laureati, & quisque donis quibus donati sunt insignes triumphum nominecient, suasque & Imperatoris laudes canentes per urbem incedunt. Ordine suo quisque gradiebatur, signis ac vexillis fluitantibus ac passis. Ammianus Marc. *lib.* XVI. de Constantio. Alios purpureis subtegminibus texti circumdedere dracones, hastarum aureis gemmatisque summitatibus illigati, hiatu vasto perflatiles, & ideo velut ira perciti sibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum: ibidem scribit, signa præivisse. Altrinsecus, inquit, præeuntibus signis, insidebat aureo solus ipse carpento, fulgenti claritudine lapidum variorum; quo micante lux quædam misceri videbatur, alternumque potestatis gressus multiplices (lego, alternabantur) alios purpureis, &c. & incedebat hinc inde ordo geminus armatorum clypeatus, atque cristatus, corusco lumine radians, nitidis loricis indutus, sparsique cataphracti equites, quos clibanarios vocant, &c.

A Symmachus *epist.* XXII. triumphantes ab equitibus Romanis, aut a plebe ducebantur. Sequutæ & mulieres sub Cæsaribus. Messalina Claudii currum carpento sequuta est: secuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, sed cæteri pedibus, & in prætexta. Sueton. in *Claud.* Consules præibant triumphanti, sequebantur Senatores. Augustus tamen Consules sequi passus est. Dio *lib.* LI. Τὸν δὲ συνύπατον, τούς τε λοιποὺς ἄρχοντας περιεῖδε παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἐπισπωμένους οἱ, μετὰ τῶν λοιπῶν βουλευτῶν τῶν συνενενικηκότων· εἰώθεισαν γὰρ οἱ μὲν ἡγεῖσθαι, οἱ δὲ ἐφέπεσθαι. Xiphilin. in *Nerone*: καὶ μετὰ τῶν ἱππέων, τῆς τε βουλῆς διελθὼν εἰς Καπιτώλιον B ἀνέβη. Milites non semper Imperatorem secuti sunt, maxime si vel alienis auspiciis, vel alieno exercitu rem gessisset. Livius *lib.* XXXI. de Furii Prætoris triumpho. Neque captivi ulli ante currum ducti, neque spolia prælata, neque milites secuti: omnia præter victoriam penes Consulem esse apparebant. *Lib.* XXVIII. ait, Senatum decrevisse ut Consulum alter quadrigis veheretur militibus sequentibus, alter equo sine militibus. Notatum ea die plura carmina (id est, dicta) militaribus jocis in Claudium Neronem, quam in Consulem suum jactata; id decretum, quia Livii auspi- C cia die certaminis fuissent. Ei milites magis favebant, in quem plura carmina dicerent, ut de Decio Tribuno supra dictum. Signiferos signa tulisse indicat Claudianus *Panegyrico* IV.

Hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum
Colla levant. ——

De carminibus militum Martialis *lib.* VII. *epigr.*

Festa coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros cum comes ibit equos.

D Et *lib.* IV. *epigr.* XXXIII.

Consuevere jocos vestri quoque ferre triumphi,
Materiam dictis nec pudet esse ducem.

Dio *lib.* XLIII. de triumpho Julii: Τούτων γε οὖν ἕνεκα καὶ ὑπερεθαύμασαν αὐτόν, καὶ ὅτι καὶ παρρησίαν τοῦ στρατοῦ πρᾳότατα ἤνεγκε. τοῦ τε γὰρ εἰς τὸ συνέδριον σφῶν ὑπ' αὐτοῦ καταλεχθέντας καὶ κατ' ἄλλα, καὶ μάλιστα τὰ γε τῆς Κλεοπάτρας αὐτοῦ ἔρωτα, ἀλλὰ τὰ παρὰ τῷ Νικομήδει τῷ τῆς Βιθυνίας βασιλεύσαντι διατριβήν, ὅτι μειράκιόν ποτε παρ' αὐτῷ ἐγεγόνει διεκερτόμησαν, &c. Nec eos tantum dictis petebant qui triumphum E ducerent, sed illustres alios quosvis, ut Athenis qui plaustro vehebantur liberalibus. Dionys. *lib.* VII. Ἐφεῖται γὰρ τοῖς κατάγουσι τὰς νίκας ἰαμβίζειν τε, καὶ κατασκώπτειν τοὺς ἐπιφανεστάτους ἄνδρας αὐτοῖς στρατηλάταις, ὡς Ἀθήνησι τοῖς πομπευταῖς τοῖς ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν πρότερον ἅμα τοῖς σκώμμασι παρορχουμένους. Diximus olim ficulnis foliis pro personis milites usos, dictis Imperatorem in triumpho prosecuisse. Livius *lib.* IV. de C. Valerio. Itaque cum ex S.C. urbem ovans introiret, alternis inconditi versus militari licentia jactati, quibus Consul increpitus. Menenii celebre nomen laudibus fuit, cum ad omnem mentionem Tribuni favor circumstantis F populi plausuque & assensu cum vocibus militum certaret. *Lib.* V. Inter jocos militares quos inconditos jaciunt, Romulus, ac parens patriæ Camillus dictus est. *Panegyr. Constant.* nec desica (lege, desita) tota urbe (urbs, lege) qua suffixum hasta ferebatur caput id piaculare, fœdari, cum interim, ut sunt joci triumphales, rideretur gestantis injuria. Varro lib. IV. *L.L.* hinc in manipulis castrensibus dicta ducibus. Plinius *lib.* XIX. *cap.* VIII. olus sylvestre D. Julii carminibus, præcipue jocis militaribus

litaribus celebratum, alternis quippe versibus exprobravere lapsana se vixisse apud Dyrrachium. Interim & clamor populi militum carmen adjuvabat, ut Livius *l.* IV. in triumpho C. Valerii. Ammianus *l.* XVI. de Constantio. Augustus itaque faustis vocibus appellatus, vocum lituorumque intonante fragore cohorruit, talem se tamque immobilem, qualis in provinciis suis visebatur, ostendens. Claudianus lib. *Stilicon.*

—— quantos proscenia plausus,
Ad cœlum quoties vallis tibi Martia ducet
Nomen Aventino, Pallantæoque recessu.

Omnes enim Imperatori acclamabant, & io triumphe canebant. Ovid. lib. II. *de Ponto* eleg. I.

Quaque ierat felix adjectum plausibus omen.

Lib. IV. *Trist.* eleg. II.

Quaque ibis manibus circumplaudere tuorum.

Populus erat candidatus, aut Imperatorum ætate in vestibus anthinis & floridis. Dio *l.* LVIII. cæteri, inquit, erant ἐν ἐσθῆσιν ἀνθηραῖς. Post captivos sequi populum in *Aureliano* Vopiscus ait. Jam populus ipse Romanus, jam vexilla collegiorum, atque castrorum, & cataphractarii milites, & opes Regiæ, & omnis exercitus, & Senatus. Livius *l.* III. paucis verbis omnia contexuit in Quintii triumpho. Romæ a Q. Fabio præfecto urbis Senatus habitus, triumphantem Quintium, quo veniebat agmine, urbem ingredi jussit: ducti ante currum hostium duces, militaria signa prælata, secutus exercitus præda onustus. Epulæ instructæ dicuntur fuisse ante omnium domos, epulantesque cum carmine triumphali, & solemnibus jocis comessantium modo currum secuti sunt. Interim rosæ spargebantur per vias urbis. Ovid. lib. II. *de Ponto* eleg. I.

Saxaque jactatis erubuisse rosis.

Lib. IV. *Trist.* eleg. II.

Undique jactato flore tegente vias.

Hostiæ passim triumphanti cæsæ. Suetonius *Nerone* cap. XXV. triumphanti passim victimæ cæsæ sparso per vias identidem croco, ingestæque aves, lemnisci, & bellaria. Ovidius lib. I. *Amorum* eleg. II.

Læta triumphanti de summo mater Olympo
Plaudet, & appositas sparget in ora rosas.

Lib. VI. Dionys. de P. Valerio victis Vejentibus: Καὶ αὐτῷ μὲν ὁ δῆμος πρὸ πολλοῦ τῆς πόλεως ὄντι ἐστεφανωμένος ὑπήντα, λιβανωτοῖς θυμιῶν τὴν πάροδον, καὶ κρατῆρσι μελικράτου κεκραμένοις ὑποδεχόμενος τὴν στρατιάν. Horat. *l.* IV. *ode* II.

Dabimusque Divis thura benignis.

Militibus mulsum datum. Plaut. *Bacchid.*

—— accipientur mulso milites.

Livius *l.* XXX. mulsum militibus datum esse scribit. Prætorem Q. Terentium Culleonem adeo amicum Corneliæ familiæ, ut Romæ mortuum, elatumque P. Scipionem pileatus secutus sit, & ad portam secutis mulsum dederit: militibus ficus & mulsum in triumpho dederat. Dionysius *l.* II. de Romuli triumpho: Ἀπῆγεν ἐπ' οἴκου τὴν δύναμιν ἄγων σκῦλά τε ἀπὸ τῶν ἀποίκων κατὰ τὴν μάχην, καὶ ἀκροθίνια λαφύρων θεοῖς, καὶ πολλὰς ἅμα τούτοις θυσίας

A ἐποιήσατο· τελευταῖος δὲ τῆς πομπῆς αὐτὸς ἐπορεύετο, &c. ἡ δ' ἄλλη δύναμις αὐτῷ παρηκολούθει, πεζῶν τε ἱππέων κεκοσμημένη κατὰ τέλη, θεοὺς δ' ὑμνοῦσα πατρίοις ᾠδαῖς, καὶ τὸν ἡγεμόνα κυδαίνουσα ποιήμασιν αὐτοσχεδίοις· οἱ δὲ ἐκ τῆς πόλεως ὑπήντων αὐτοῖς ἅμα γυναιξί τε καὶ τέκνοις, παρ' ἄμφω τὰ μέρη τῆς ὁδοῦ, τῇ τε νίκῃ συνηδόμενοι, καὶ τὴν ἄλλην ἅπασαν ἐνδεικνύμενοι φιλοφροσύνην· ὡς δὲ παρῆλθεν ἡ δύναμις εἰς τὴν πόλιν, κρατῆρσί τ' ἐπετύγχανον οἴνῳ κεκραμένοις, καὶ τραπέζαις τροφῆς παντοίας γεμούσαις, αἳ παρὰ τὰς ἐπιφανεστάτας τῶν οἰκιῶν ἔκειντο, ἵνα τοῖς ἐμφορεῖσθαι. Milites dictis Imperatores petiisse vulgo scitum est. Martialis *l.* VII.

B

Fas audire jocos, leviora que carmina Cæsar
Sit tibi, si lusus ipse triumphus amat.

Livius *l.* XXXIX. Multi omnium ordinum donati militaribus donis currum prosequuti sunt, carminaque a militibus ea in Imperatorem dicta, & ut facile appareret in ducem indulgentem ambitiosumque ea dici. Appianus in *Libyco*, καὶ τῶν ἀρχόντων τοὺς μὲν ἐπαινοῦσι, τοὺς δὲ σκώπτουσι: *& triumphantium alios laudant, alios dictis mordent.*

C

CAP. XXXIII.

DE ITINERE IN CAPITOLIUM.

A Porta triumphali Imperator in urbem ingressus, per ea loca quæ spectaculo commodiodiora essent, ut circos, forum, sacram viam, in Capitolium ferebatur. Qua triumphus procederet exstructi spectaculorum gradus, narrante Tacito *l.* XIV. Xiphilinus in *Nerone*: Οὕτω διά τε τοῦ ἱπποδρόμου, καὶ διὰ τῆς ἀγορᾶς, καὶ μετὰ τῶν ἱππέων τῆς τε βουλῆς διελθὼν εἰς Καπιτώλιον ἀνέβη, καὶ ἐκεῖθεν εἰς τὸ παλάτιον. Et quidem ante tribunitia subsellia tran-
D sibat, omnesque assurgere jussi. Suetonius *Julio* cap. LXXVIII. triumphanti, & subsellia tribunitia prætervehenti sibi unum e collegio Pontium Aquilam non assurrexisse adeo indignatus sit, ut proclamarit; Repete ergo a me Aquila Remp. Tribunus: de sacra via Propert. *lib.* II. *eleg.* I.

Aut Regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in sacra currere rostra via.

Lib. III. *eleg.* III.

Me sat erit sacra plaudere posse via.

E Horatius *ode* III. *lib.* IV.

—— quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum merita decorus
Fronde Sicambros.

Interim pileati currum triumphantis sequebantur ii qui servitute exempti essent. Livius *l.* XXXIII. Pileati currum Cornelii sequebantur Cremonenses. *Lib.* XXXIV. de triumpho Flaminii: præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis sequuti, qui
F servitute exempti fuerant. Plutarchus in *Flaminio*: ἐν δὲ τῇ Ἑλλάδι χίλιοι καὶ διακόσιοι τὸ πλῆθος ἦσαν, &c. οἱ δὲ Ἀχαιοὶ λυτρωσάμενοι πέντε μνῶν ἕκαστον ἄνδρα, &c. οἱ γὰρ ἄνδρες οὗτοι· καθάπερ ἔθος ἐστὶ τοῖς οἰκέταις ἐλευθερωθεῖσι ξύρεσθαί τε τὰς κεφαλάς, καὶ πίλια φορεῖν, ταῦτα δράσαντες αὐτοί, θριαμβεύοντι τῷ Τίτῳ παρείποντο. Terentius Comicus pileatus currum Scipionis majoris sequutus est, cui libertas data, ut scribit Orosius *lib.* IV. *cap.* XVIII. In Capitolium cum devenissent genibus erepentes gradus, & scalaria templum inibant.

Dio *lib.* XLIII. de Julio Cæsare: Καὶ τότε μὲν καὶ τοὺς ἀναβαθμοὺς τοὺς ἐν Καπιτωλίῳ τοῖς γόνασιν ἀνερριχήσατο. Et *lib.* XLVIII. de Claudio, victis Britannis: Τὰ νικητήρια ἔπεμψε, καὶ τοὺς ἀναβασμοὺς τοὺς ἐν τῷ Καπιτωλίῳ τοῖς γόνασιν ἀναβὰς, ἀναφερόντων αὐτὸν τῶν λαμπρῶν ἐκαθέρωθεν. Labor fuit non modicus in ea geniculatione, cum in Capitolium non nisi per gradus 365. ascenderunt: Ἐν τῷ Καπιτωλίῳ Ῥώμης βαθμοὺς ἔχοντι τριακοσίους ἑξήκοντα πέντε, ait Cedrenus: at Tacitus 100. gradus tantum *lib.* XIX. qua Tarpeja rupes 100. gradibus aditur. Genus supplicii illud fuit, de quo Juvenalis *satyra* VI.

—— inde superbi
Totum Regis agrum nuda ac tremebunda cruentis
Erepet genibus. ——

Seneca lib. *de Beata Vita*: Cum sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur, &c. cum aliqua per viam genibus repens ululat. Tibullus *lib.* I. *eleg.* I.

Non ego tellurem genibus perrepere supplex.

In Capitolio preces concipiebant, vota solvebant, Diis operabantur, ubi in captivos lege actum audissent. Josephus *lib.* VII. *cap.* XVIII. ἐπεὶ δ' ἀπηγγέλθη τέλος ἔχων, καὶ πάντες εὐφήμησαν, ἤρχοντο μὲν τῶν θυσιῶν, ἃς ἐπὶ ταῖς νομιζομέναις καλλιερήσαντες εὐχαῖς ἐπῄεσαν εἰς τὸ βασίλειον. Palatium intelligit, quo re divina peracta pergebant Imperatores. Trebellius in *Aureliano*: Denique vix hora nona in Capitolium pervenit: sero autem in Palatium. Prius in Capitolio spolia consecrabant, laurum in gremio Jovis deponebant. *Lib.* VI. Dion. de Servilio: Προῆγεν εἰς τὴν πόλιν ὑπὸ τοῦ δήμου παντὸς προπεμπόμενος, ἕως εἰς τὸ Καπιτώλιον ἀνέβη, καὶ τὰς εὐχὰς ἀπέδωκε, καὶ τὰ σκῦλα ἀνέθηκε. Lampridius in *Alexandro*: Dimisso Senatu in Capitolium ascendit, & tunicis Persicis in Capitolio locatis, concionem hujusmodi habuit, &c. post hoc cum ingenti gloria, & comitante Senatu, equestri ordine, atque omni populo, circumfusisque undique mulieribus, & infantibus, maxime militum conjugibus, pedes Palatium conscendit, cum retro currus triumphalis a quatuor elephantis traheretur. Ovid. lib. IV. *Trist.* eleg. II.

Altaque velantur fortasse Palatia sacris,
Thuraque in igne sonant, inficiuntque diem.
Candidaque adducta collum percussa securi
Victima, purpureo sanguine tingit humum.

Claudianus *Panegyr.* IV.

Quin & Clitumni sacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis.

Boves enim auricornes & cretatos, qui ad Clitumni pascua in eam rem alebantur, in Capitolio Diis immolabant. Juvenal. *satyra* X.

—— duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem. ——

Ibi ita preces concepisse nonnulli tradunt: Gratias tibi Jupiter Opt. Max. Junonique Reginæ, & cæteris hujus custodibus, habitatoribusque arcis Diis lubens lætusque ago, re Romana in hanc diem & horam per manus, quod voluistis, meas servata, bene gestaque, eandem & servate, ut facitis, & protegite propitiati, supplex oro. Sed de cretato bove Lucretius:

Cretatumque bovem duci in Capitolia magna.

Virg. II. *Georgic.*

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa Deum duxere triumphos.

Silius *lib.* IV.

—— patulis Clitumnus in arvis
Candentes gelido perfundit flumine tauros.
—— maxima taurus
Victima Tarpeio frustra nutrita Tonanti.

Ibidem *lib.* VI.

Et sedet ingentem pascens Mevania taurum
Dona Jovi.

Plinius monet animalia quæ aquas Clitumni potant, fœtus albos creare, auricornes Ovid. lib. X. *Metamorph.* dixit:

—— blandis indutas cornibus aurum.

Τροφίας βοῦς vocat Plutarch. quasi dicas altiles, qui domi aluntur, ut opponat armentariis, qui φορβάδες. Janua per quam Capitolium inibant conqueritur apud Propertium se impudicis servire tabellis, *lib.* I. *eleg.* XVI.

Quæ fueram magnis olim patefacta triumphis
Janua, Tarpeiæ nota pudicitiæ.
Cujus inaurati celebrarunt limina currus,
Captorum lacrymis humida supplicibus.
Nunc mihi non desunt turpes pendere corollæ,
Semper & exclusi signa jacere faces.

CAP. XXXIV.

DE TRIUMPHALI EPULO.

ADdit Josephus, Vespasianum & Titum Imperatores simul ac e Capitolio in Palatium transierunt, protinus aliquos ex viris principibus convivio excepisse; aliis autem omnibus magnificum epulum apparasse: illam enim diem pop. Romanus festam ac celebrem habuit: idque veteri consuetudine receptum fuisse ostendit in *Camil.* Zonaras: Ἀνήλαυνεν εἰς τὸ Καπιτώλιον, καί τινας ἐκεῖ πλείστας πληρώσας, καὶ προσαγαγὼν ἀναθήματα, καὶ παρὰ ταῖς ἐκεῖ δειπνήσας στοαῖς, πρὸς ἑσπέραν οἴκαδε μετ' αὐλῶν, καὶ συρίγγων ἀπήρχετο. *Ubi*, ait, *in Capitolio donaria dicasset & spolia, in porticibus templi cœnatus, vespere cum tibiis & fistulis abscedebat*. Josephi verba sic habent: Καὶ τοὺς μὲν αὐτοὶ πρὸς εὐωχίαν ὑπεδέχοντο, τοῖς δ' ἄλλοις ἅπασιν εὐπρεπεῖς κατὰ τὸ οἰκεῖον (id est, *ut iis proprium erat*, ὡς εἰκὸς) αἱ τῆς ἑστιάσεως ἦσαν κατασκευαί. ταύτην γὰρ τὴν ἡμέραν ἡ Ῥωμαίων πόλις ἑώρταζεν. Dixerat *cap.* XVI. priusquam triumphantes urbem subirent, militibus jentaculum splendidum ab Imperatoribus instructum ut moris est: Τοὺς μὲν στρατιώτας ἀπέλυσαν ἐπὶ τὸ νενομισμένον ἄριστον αὐτοῖς ὑπὸ τῶν αὐτοκρατόρων εὐτρεπισθέν. Sed ab antiquo id esse facile comperiet qui legerit apud Dionem *lib.* XLIII. Julium Cæsarem τά τε γὰρ ἐπινίκια καί τοι μηδενὸς ἀλλοτρίου κρατήσας, &c. οὐ μόνον αὐτὸς ἔπεμψε ἐν αὐτοῖς πάντα τὸν δῆμον, ὡς καὶ ἐπὶ κοινοῖς τισὶν ἀγαθοῖς, αὖθις ἑστιάσας. Pag. 147. *ibidem*: Οὕτω μὲν δὴ τὰ ἐπινίκια

ἔπεμψε, καὶ ἐπ' αὐτοῖς τὸν τε δῆμον λαμπρῶς εἱστίασε, καὶ σῖτον ἔξω τῶ τεταγμένε, καὶ ἔλαιον προσέδωκεν αὐτῷ, καὶ τῷ μὲν σιτοδοτουμένῳ ὄχλῳ, τάς τε ἑβδομήκοντα καὶ πέντε δραχμὰς, ἃς προὐπέσχετο, καὶ ἑτέρας πέντε καὶ εἴκοσι, τοῖς δὲ στρατιώταις πεντακισχιλίας ὅλας ἔνειμεν. Appianus de Scipione: Αφικόμενος δὲ ἐς τὸ Καπιτώλιον ὁ Σκιπίων, τὴν μὲν πομπὴν κατέπαυσεν, εἱστία δὲ τοὺς φίλους, ὥσπερ ἔθος ἐστὶν, ἐς τὸ ἱερόν. Id est, *Cum autem in Capitolium venisset Scipio, finita est pompa, convivioque amicos excepit in porticibus templi*, (sic Zonaras interpretatur) *ut moris est*. Ea maxime ratio fuit cur Romæ in ornithonibus, & aviariis turdos, aliasque altiles alerent, quod in triumpho semper epulæ publicæ essent. Varro lib. III. capit. v. *de Re Rust.* imo ea pars non minima triumphi habita est, epulæ Senatus, quæ in Capitolio eduntur, ait Livius *lib.* XLV. addebatur minium in unguenta cænæ triumphalis. Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* VII. In eo magnificentia Julii Cæsaris apparuit, quod triumphi sui cæna vini Falerni amphoras, Chii cados distribuit. Plinius *lib.* XIV. *cap.* XV. Cænatus Imperator a convivio domum reducebatur e Capitolio. Varro: Non ut ejus qui triumpharet in Capitolio videretur esse proprium, ut ipse potius domum reduceretur a convivio. Epulum illud, non in templo Jovis Capitolini, sed in æde Herculis datum, dictumque Herculeum, si Athenæo fides. In eo mulsum datum, & mellina potio, ingentes panes, carnes elixæ, & fumo maceratæ, & e recentibus victimis tostæ dapsiliter. Athen. *lib.* IV. Romæ ὅταν εὐωχοῦνται ἐν τῷ τῶ Ηρακλέος ἱερῷ δειπνίζοντος τῶ κατὰ καιρὸν θριαμβεύοντος ἡ παρασκευὴ τῆς εὐωχίας, Ηρακλεωτικὴ λέγεται· οἰνοχοεῖται μὲν γὰρ οἰνόμελι· τὰ δὲ βρώματα ἄρτοι μεγάλοι, καὶ καπνιστὰ ἑφθὰ κρέα, καὶ τῶν προσφάτων καθιερωθέντων ὀπτὰ δαψιλῆ. Videtur agere de epulo quod dederunt iis qui decumas Herculi polluxerant. Nævius: Qui decumas partes, quantum alieni fuit, polluxit tibi. Plutarchus in *Romaicis*: Δαψιλῶς ἐπέθυον τῷ Ηρακλεῖ δωχίαν, πολλοὶ τῶν πλουσίων ἐδεκάτευον Ηρακλεῖ τὰς οὐσίας. Idem in *Crasso* sub initium; & in *Sylla*: Ος ἀποθύων Ηρακλεῖ τῆς οὐσίας ἁπάσης τὴν δεκάτην τὸν δῆμον εἱστίασε. Plautus *Sticho*:

Uti decumam partem Herculi polluceam.

Moris erat ab Imperatore triumphum ducturo Consules invitari ad cænam, deinde rogari uti venire supersedeant, ne quis eo die, quo ille triumpharet, majoris in eodem convivio sit imperii. Valerius *lib.* II. *cap.* VIII. Plutarchus *Rom.* cap. π. Θριαμβεύσαντες εἱστιῶντες ἐν δημοσίῳ, παρῃτοῦντο τοὺς ὑπάτους, καὶ πέμποντες παρεκάλουν, μηδὲ ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ δεῖπνον: quia, καὶ τόπον ἔδει τῷ θριαμβεύοντι, καὶ σίασον ἐντιμότατον ἀποδίδοσθαι, καὶ προπεμπτὴν μετὰ τὸ δεῖπνον· ταῦτα δὲ οὐκ ἔξεστιν ἑτέρῳ γίνεσθαι τῶν ὑπάτων παρόντων, ἀλλ' ἐκείνοις: lego, σῖτον. In eo convivio adeo immanis insanusque luxus fuit, ut annonam sæpe, ut Varro loquitur, incenderet. Lucius quidem Paulus Æmilius, demirantibus Græcis, quod in magno splendidoque apparatu non diligens modo, sed profusus esset, ejusdem animi esse dixit, & aciem, & convivium instruere, illam ut formidolosus hostibus, hanc ut amicis gratus esset, ait Plutarchus in *Rom. Apophtheg.* Julius Cæsar adjecit epulum, ac visceratione, & post Hispaniensem victoriam duo prandia. Nam cum prius parce, neque pro liberalitate sua præbitum judicaret, quinto post die illud largissimum præbuit. Suetonius in *Julio* cap. XXXVIII. Livius de Manlii triumpho bello Macedonico: Epulæ, inquit, ipsæ, & cura, & sumptu majori apparari cœptæ. Plinius *lib.* XIV. *cap.* XV. Quid? non & Cæsar Dictator triumphi sui cæna vini Falerni amphoras, Chii cados in convivia distribuit? Idem Hispaniensi triumpho Chium & Falernum dedit. Epulo vero in tertio Consulatu suo, Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum. Uno die in duobus & 20. millibus tricliniorum instructis, paratisque mensis, & vini Falerni amphoras centum, & Chii cados totidem dedisse fertur; & sex murænarum millia, quas C. Hircius in pondo mutuo dedit. Tiberius triumpho Illyrico prandium populo mille mensis, & congiarium tricenos nummos viritim dedit, ait Suetonius *cap.* XX. Tiberium prandium triumphale dedisse indicat Suetonius *cap.* XIX. Prandium dehinc populo mille mensis, & congiarium tricenos nummos viritim dedit. Lucullus acto triumpho, & urbem, & suburbanos vicos conviviis excepit: Τήν τε πόλιν εἱστίασε λαμπρῶς, καὶ τὰς περιοικίδας κώμας, ἃς οὐίκους καλοῦσι, ait Plutarchus. Dio *lib.* LV. Τά τε ἐπὶ τῶ Κέλτοις ἐπινίκια ἔπεμψε, καὶ τῶ δήμου τοὺς μὲν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ, τοὺς δ' ἄλλοθι πολλαχόθι ἐδείπνισε, κἀν τούτῳ καὶ ἡ Λιουία μετὰ τῆς Ιουλίας γυναῖκας εἱστίασε. *Et equo vectus triumphum Tiberius duxit, & e populo alios in Capitolio, alios alibi multis locis prandio excepit, & eodem tempore Livia & Julia fæminis epulum præbuerunt*. Id epulum dari solitum in porticibus Capitolii ostendit Zonaras in *Camillo*, qui corpore miniato triumphavit, ut scribit Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* VII. Apud Dionem *lib.* LI. Post Actiacam pugnam, quibus diebus triumphum Octavius duxit, eorum uno singuli Senatores in ædium suarum vestibulis epulati sunt; Καὶ ἐν αὐτοῖς οἱ βουλευταὶ μίαν τινὰ ὡς ἕκαστοι ἡμέραν ἐν τοῖς τῶν οἰκιῶν σφῶν προθύροις εἱστιάθησαν, οὐκ οἶδα ὅθεν ἐς τοῦτο προαχθέντες· οὐ γὰρ παραδέδοται. *Illis triumphi diebus singuli Senatores una die in ædium suarum vestibulis epulati sunt, nescio unde ad id impulsi; neque enim vetus institutum fuit.*

CAP. XXXV.

DE LUDIS.

Post triumphum ludos & spectacula dari moris fuit. Polybius pag. 269. post triumphum οἱ μὲν ἐν τῇ Ρώμῃ κατὰ τὸ συνεχὲς ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἀγῶνας ἦγουν, καὶ πανηγύρεις. Vopiscus in *Aureliano*: Sequentibus diebus datæ sunt populo voluptates ludorum scenicorum, ludorum Circensium, venationum, gladiatorum, monomachiæ: ideo feræ in triumphum deductæ, ut Vopiscus ibidem de triumpho Aureliani. Ludos autem spectabant ob triumphum decretos triumphali habitu, narrante Capitolino in *M. Philosopho*. Dio *lib.* LVIII. de Claudii triumpho: Διαπλέσας δὲ ταῦτα τὴν πανήγυριν τὴν τῶν νικητηρίων ἐποίησεν, ὑπάτου τινὸς ἐξουσίαν ἐς αὐτὴν λαβών, &c. καὶ ἄλλην δέ τινα πανήγυριν ἐπὶ τῇ νίκῃ, καὶ αὐτὴν οἱ περὶ σκηνὴν τεχνῖται συγχωρηθὲν σφίσιν ὑπὸ τῆς βουλῆς ἐποίησαν. Lamprid. de Alex. Severi triumpho: Alia die actis Circensibus, & item ludis scenicis congiarium populo Romano dedit. Ii ludi ut plurimum fiebant ex voto, ut Livius *libb.* XXXVI. XXXIX. LI. & ubique. Zonaras in *Camillo* de spoliis loquens: Imperatores, inquit, ἐδαπάνων εἰς τὴν πανήγυριν. Livius *lib.* XL. Vovisse quo die postremum cum Celtiberis pugnasset ludos Jovi Opt. Max. & ædem e-

questri Fortunæ sese facturum; in eas res sibi pecuniam collatam esse ab Hispanis: ludi decreti. Interdum sine voto ad triumphi speciem, ut Suetonius in *Julio* cap. XXXIX. Sequebatur sæpe congiarium populo, donativum seu clavarium militibus. Lampridius in *Alexand.* Congiarium populo dedit, donativum militibus, ter carnem populo addidit. Plinius in *Panegyr.* congiarium populo, militibus donativum. Claudianus lib. II. *in Ruffin.*

Nunc epulas tempus, socii, nunc larga parare
Munera, donandumque novum legionibus aurum.

Suetonius in *Tiberio* cap. XX. Triumpho acto dari ludos Romæ solitos docet Livius *libro* XXXIX. Anno Urbis conditæ 568. Sentio Posthumio, & Quint. Martio Coss. a Marco Fulvio ludos, quos Ætolico bello voverat, factos refert. Sub annum 5. cap. DCVIII. quo Lucius Mummius de Achæis & Corinthiis triumphavit. Musici ludi Romæ actitati, ut Tacitus *libro* XIV. imo & gymnici. Sylla triumpho Mithridatico athletas dedit, ut & Pompejus in dedicatione theatri sui apud Pompejum. Appianus libro I. *Civilium* de Sylla: Καὶ οὐδενὸς ἐν Ὀλυμπίᾳ τότε ἀγωνίσματος πλὴν σταδίου δρόμου γινομένου· τοὺς γὰρ ἀθλητὰ καὶ τὰ ἄλλα θεάματα πάντα ὁ Σύλλας ἐς Ῥώμην μετεκέκλητο ἐπιεικείᾳ τῶν Μιθριδατικῶν ἔργων. *Cum nullum id temporis certamen Olympiæ excepto cursu in stadio datum fuisset, quod Sylla occasione victoriæ Mithridaticæ athletas & alia omnia spectacula Romam ex Græcia retraxisset.* Herodianus libro III. *Histor.* Severum scribit Albino superato gymnicos ludos Romæ dedisse: Ἐπετέμεσε δὲ καὶ ἐπινίκιον ἀγῶνα τοὺς πανταχόθεν μέσης τε ὑποκειτὰς, καὶ ἀνδρείας μαθητὰς μεταπεμψάμενος. Livius *lib.* XLV. prodit sub annum Urbis conditæ 586. Quinto Ælio Pæto, & M. Junio Penno Coss. Lucium Æmilium Paulum post res Macedonicas ab ipso compositas Amphipoli ludos magno apparatu dedisse. Romæ eversa Carthagine a Scipione ludos datos Appianus in *Libycis* docet: Ὁ δὲ Σκιπίων θυσίας ἐτέλει καὶ ἀγῶνας ἐπὶ τῇ νίκῃ. Polybius in *epitome* lib. XVI. victo Syphace: Οἱ μὲν ἐν τῇ Ῥώμῃ ἀγῶνας ἦγον, καὶ πανηγύρεις ἐπιφανῶς, χορηγὸν ἔχοντες εἰς ταῦτα τὴν Σκιπίωνος μεγαλοψυχίαν. *Qui Romæ erant ludos ediderunt, & celebritates, Scipione sumptus sufficiente, qua erat animi magnitudine.* Apud Athenæum *libro* XVI. Lucius Anitius Prætor ob debellatos Illyrios acto Romæ triumpho ludicrum musicum & athleticum dedit, ἀγῶνας ἐπιτελῶν τοὺς ἐπινικίους ἐν τῇ Ῥώμῃ.

CAP. XXXVI.

DE HERCULE, ET TRIUMPHALI DOMO, ET STATUIS.

Hercules triumphalis ab Euandro sacratus est in Foro Boario, qui per triumphos vestitur habitu triumphali. Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* VII. triumphales domus fuerunt quæ publico sumptu Imperatoribus fiunt, qualis P. Valerio Publicolæ data, adjectum decreto, ut earum fores extra aperirentur, & janua in publicum rejiceretur. Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* XV. Dionysius *lib.* V. de domo P. Valerii Publ. Ταύτης τῆς οἰκίας παρ' ἣν ὁ χαλκοῦς ἕστηκε ταῦρος, αἱ κλισιάδες θύραι μόναι τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ δημοσίων τε καὶ ἰδιωτικῶν εἰς οἴκων τὸ ἔξω μέρος ἀνοίγονται. Cum vir triumphalis in rogum impositus die funeris cremaretur, potuit quisque os ejus aliquod in urbem inferre, & terræ mandare. Plutarchus *Romaic.* οθ. Διατί τοῦ θριαμβεύσαντος εἶτα ἀποθανόντος καὶ καέντος ὀστέον λαβόντας εἰς τὴν πόλιν εἰσφέρειν, καὶ κατατίθεσθαι; Triumphali denas argenti libras in supellectile crimini dabant. Plinius *lib.* XVIII. *cap.* VI. Statuas tamen, quæ argento ornarentur, non negabant. *Lib.* XXXIII. *cap.* IX. transit inde materia (argentum) & ad triumphales statuas. Juvenalis *satyra* VII.

Hujus enim stat currus aheneus, albi
Quadrijuges in quadriviis, atque ipse feroci
Bellatore sedens. ——

Idem *satyra* VIII.

—— pictosque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Aemilianos.

Sero statuas currules datas esse Romæ scribit Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* V. unde & nostris currus in his qui triumphassent. Serum hoc & in his non nisi a D. Augusto sejuges, sicut & elephanti. Triumphalis statua dicitur illustris, habitu triumphantis sculpta: apud Tacit. *lib.* XVIII. M. Appianus triumphali statua donatus est: item Julio Agricolæ illustris statuæ honor decretus. Trebellius: Statuam inter triumphales & currus quadrijugos Pisoni decreverunt. Livius *lib.* VIII. Additus triumpho honos, ut statuæ equestres eis, rara illa ætate res, in foro ponerentur. Erant & statuæ laureatæ in urbe. Tacitus lib. IV. *Annal.* & lib. XVIV. populus cum lauro & floribus Galbæ imagines circum templa tulit. Cicero *pro Murena*, imaginem parentis sui laureatam. Prudent. *lib.* II.

Frustra igitur currus summos miramur in arcu
Quadrijugos. ——

Erant aliæ foris, & circa limina animorum ingentium imagines, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret, triumphabantque etiam dominis mutatis ipsæ domus, & erat hæc stimulatio ingens, exprobrantibus tectis quotidie imbellem dominum intrare: legendus Valerius *lib.* II. *cap.* V. Plinius *lib.* XXXIV. *capp.* II. V. VI. VII. triumphum Agrippa repudiavit, contentus ornamentis triumphalibus, authore Dione. Longe ante, anno Urbis 541. Cn. Fulvius Flaccus decretum sibi a Senatu respuit, eoque in exilium pulsus, Valer Max. *lib.* II. *cap.* V.

CAP. XXXVII.

DE SPOLIIS OPIMIS.

Spolia opima nusquam alibi, quam Romæ commemorantur: ea dicuntur quasi opulenta, quæ duci a duce derepta sunt. Græcis tamen fuit Ζεὺς νικηφόρος apud Livium lib. II. *Belli Maced.* Festus nomen factum autumat ab Ope Consiva Saturni uxore, quæ in Regia colitur a populo Rom. Plutarchus in *Romulo* ex Varrone ab opibus, ob περιουσίαν, vel quod ὅπως ὀνομάζεται τὸ ἔργον· αὐτουργῷ δὲ ἀριστείας στρατηγῷ στρατηγὸν ἀνελόντι δίδοται καθιέρωσις ὀπιμίων. Id est, *Ei duci, qui generosum aliquod facinus manu ediderit, & ducem hostium occiderit, datur, ut opima spolia dedicet.* Dicunturque vel ab ope,

vel ab opere, quod mavult Plutarchus, minus bene. Festus Opem Consivam ait in Regia coli, quia omnes opes humano generi terræ tribuit: ergo & opulenti dicuntur terrestribus rebus copiosi, & hostiæ opimæ præcipue pingues, & opima, magnifica, & ampla. Unde spolia quæ dux populi Romani duci hostium detraxit, quorum tanta raritas est, ut intra annos paulo minus 700. trina tantum contigerint nomini Romano: una, quæ Romulus de Acrone; altera, quæ Consul Cossus Cornelius de Tolumnio; tertia, quæ M. Marcellus Jovi Feretrio de Viridomaro fixerunt. Tria illa numerantur a Propertio *lib.* IV. *eleg.* X.

Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Tempore quo portas Cœnivum Acrona petentem
Victor in eversum cuspide fundis equum.
Nunc spolia in templo tria condita. ——

Triumphator Jupiter τροπαιοῦχος. Seneca in *Agamemnone*:

Ad quem triumphi spolia victores ferunt.

Valerius Maximus *lib.* III. *cap.* II. opima totidem numerat, Romuli, Cossi, Marcelli, in æde Jovis Feretrii, ut & Plutarchus in *Marcello*. Virg. VI. *Æneid.*

—— *insignis spoliis Marcellus opimis,*
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.

Plutarchus: καὶ τρισὶ μόνοις τούτου τυχεῖν ὑπῆρξε Ῥωμαίοις ἡγεμόσι. Bretomartum vocat Gallorum Regem, quem alii Viridomarum. Julio Cæsari tamen, quasi manu ducem aliquem hostium cecidisset, in æde Jovis Feretrii spolia opima dicata sunt. Dio *lib.* XLIV. Σκῦλά τέ τινα ὄπιμα ἐς τὸν τοῦ Διὸς τοῦ Φερετρίου νεὼν ἀναθεῖναι οἱ, ὥσπερ τινὰ πολέμιον αὐτοχειρίᾳ ποι πεφονευκότι. Certe & M. Crassus Regem Scytharum Deldonem occidit, & spolia ejus Jovi Feretrio dicasset, si dux totius exercitus summus fuisset. Dio *lib.* LIV. Καὶ τόν γε βασιλέα αὐτῶν Δέλδωνα αὐτὸς ὁ Κράσσος ἀπέκτεινε, κἂν τὰ σκῦλα αὐτοῦ τῷ Φερετρίῳ Διΐ, ὡς καὶ ὄπιμα, ἀνέθηκεν, εἴπερ αὐτοκράτωρ στρατηγὸς ἐγεγόνει. Livius spolia opima vocat, quæ eques equiti detraxit, *lib.* XXIII. ubi de Taurea & Asello agit: & apud Festum Varro ait, opima spolia esse etiam quæ manipularis miles detraxerit, dummodo duci hostium: ad ædem Jovis Feretrii poni testimonio esse libros Pontificum, in quibus sit, pro primis spoliis bove, pro secundis solitaurilibus, pro tertiis agno publice sacra fieri debere: esse etiam compelli Reges (lege, Pompilii Regis) legem opimorum spoliorum talem; Cujus auspicio classe procincta opima spolia capiuntur, Jovi Feretrio bovem cædito, ei qui cepit æris ducenta darier oporteto. (ita eruditissimus Scaliger) Secunda spolia in Martis aram in campo, solitaurilia (vel majora, vel lactentia) utra voluerit cædito. Tertia spolia Jano Quirino, agnum marem cædito; centum qui ceperit (ei) ex ære dato: cujus auspicio capta, diis piaculum dato. Plutarchus in *Marcello*: Καί τοί φασιν ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν Νομᾶν Πομπίλιον καὶ πρώτων ὀπιμίων, καὶ δευτέρων, καὶ τρίτων μνημονεύειν· τὰ μὲν πρῶτα ληφθέντα τῷ Φερετρίῳ Διῒ κελεύοντα καθιεροῦν, τὰ δεύτερα δὲ τῷ Ἄρει, τὰ δὲ τρίτα τῷ Κυρίνῳ, καὶ λαμβάνειν γέρας ἀσσάρια. Ea ferebantur in ædem Jovis Feretrii, de quo Livius *libb.* I. & IV. de Cosso qui Lartem Tolumnium occiderat: in eum milites carmina incondita æquantes eum Romulo canebant. Spolia in æde Jovis Feretrii prope Romuli spolia, quæ sola tunc erant opima, dono fixit: ibidem opima spolia interpretatur, quæ dux duci detraxerit; ducem dici vult cujus auspiciis bellum geritur. Cossum Consulem fuisse, non Tribunum militum. Plutarchus: Ἐκείνων μόνων τιμίων ὄντων, ὅσα καὶ παρατάξεως οὔσης, καὶ πρῶτα, καὶ στρατηγοῦ στρατηγὸν ἀνελόντος. (forte, καὶ προσέτι, id est, *insuper*, vel πρὸς τούτοις) Feretrius autem Jupiter a Romulo vocatus a ferendis spoliis, cui primo omnium Romæ templum exstruxit. Is quidem pedes in ædem Jovis Feretrii spolia intulit; Cossus & Marcellus quadrigis. Plutarchus, τεθρίπποις εἰσηλαύνειν αὐτοὶ τὰ τρόπαια φέροντες. Quidam a feretro pompæ, alii a feriendo feretrum. Propert. *lib.* IV. *eleg.* I.

—— *causa feretri,*
Omine quod certo dux ferit ante ducem.
Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant.

Silius *lib.* V.

—— *quis opima volenti*
Dona Jovi portet feretro suspensa cruento?

Lib. XII.

Marcellus ferret cum victor opima Tonanti.

Plutarchus: Τὸ δὲ τρόπαιον ἀνάθημα Φερετρίου Διὸς ἐπωνομάσθη· τὸ γὰρ πλῆξαι φερίρε Ῥωμαῖοι καλοῦσι. Livius *lib.* I. Jovi Feretrio templum primum omnium condidit. Plutarchus de Marcello: Δρυὸς γὰρ εὐκτεάνου πρέμνον ὄρειον, καὶ μέγα τεμών, καὶ ἀσκήσας, ὥσπερ τρόπαιον ἀνεδήσατο. Id est, *Quercus enim opulentæ* (lego εὐκτεάνου, *opulentæ*, vel εὐκτηδόνος, *quæ pectines & venarum tractus elegantes habet*: nam ad trophæum arboris rami decidebantur) *truncum montanum, & magnum abscindens & instruens, ut trophæum, ex ipso spolia commode & apte religavit: procedente pompa, trophæum manu gerens in currum ascendit, & simulacrum tropæophorum ex iis quæ ibi erant pulcherrima per urbem traducebat*: lego, τῶν ἐκεῖ κάλλιστον, non ἐκείνου, ut vulgo, & intelligo ferculum unum aliquod e pompa triumphali) *sequebatur exercitus pulcherrimis armis instructus canens carmina, & pæanas triumphales in Deum Feretrium & Imperatorem. Sic procedens, ubi venit in templum Jovis Feretrii, statuit illud & dicavit. Dicitur autem Feretrius Jupiter* ἀπὸ τοῦ φερετρευομένου τροπαίου: *aut* Διός ἐστιν ἐπωνυμία κεραυνοβολοῦντος· τὸ γὰρ τυπεῖν, φέρειν (lego, φερίρε) οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. ἄλλοι δὲ παρὰ τὴν τοῦ πολέμου πληγὴν γεγονέναι τοὔνομα λέγουσιν· καὶ γὰρ νῦν ἐν ταῖς μάχαις, ὅτ᾽ ἂν διώκωσι τοὺς πολεμίους, πυκνὸν τὸ φίρε, (lego φέρι: retinere solet ipsissimas voces Latinas, ut in *Paulo Æmilio* dixit κάρκερε, in *Romulo* φερίρε, ὄπεμ, ὄπους) τοὐτέστι παῖε, παρεγγυῶσι ἀλλήλοις. Post Marcellum nemo spolia opima tulit, ut Plutarchus.

Cum hæc de triumpho scriberem, venit in manus meas liber *commentarius ad Martialis Amphitheatrum* hominis maledicendi ingenio notissimi, cujus calumnias enotare hic mihi libuit, ut veritati sua ratio constet; abstinebo conviciis, ne eodem in luto, in quo ille, volutari videar. Libro quem *de Venatione* scripsi anno CIↃ. IↃ. IIC. cap. XXIV. pag. 107. admonueram, in venatione direptionis sylvas subitarias in arena exhibitas esse,

ſive arbores cum nativo ceſpite vulſæ, arte, & manu hominum deſtituerentur in humum, ſive in automatis & pegmatis repræſentarentur. Ille hic exclamat, ſupini erroris manifeſtum me eſſe, & inter pancarpum & venationem direptionis hoc diſcrimen ſtatuit, quod pancarpia (ſic enim ille vocat, nullo auctore, quanquam pancarpia corona Veteribus dicta) ſine automatis, & ſine ſpectaculo arenarii fuerit, venatio direptionis cum automatis, & cum ſpectaculo arenarii: ubi ſolers ſuo more allucinatur. In pancarpo enim arenarios cum beſtiis depugnaſſe teſtis eſt Caſſianus *cap.* XLV. *collatione* v. ut, inquit, fieri ſolet ab his, qui coram Regibus mundi hujus omnigenis congredi beſtiis præmiorum contemplatione conſueverunt, quod ſpectaculi genus vulgo pancarpum nuncupatur. Hi, inquam, feras quaſcunque fortiores robore, vel feritatis rabie conſpexerint diriores, adverſus eas primæ congreſſionis certamen arripiunt, quibus exſtinctis, reliquas, quæ minus terribile, minuſque vehementes ſunt, exitio faciliori proſternunt. Quid ad iſta noſter ille muſſitabit, quibus ſibi ipſi, non mihi, ſupini erroris notam inuſtam non diffitebitur? Sed de automatis, quæ nulla fuiſſe in pancarpo ſcribit, ejus rei auctorem probæ notæ aliquem laudari velim: in pancarpo enim Ptolemæi apud Athenæum *lib.* v. & Apulejum *lib.* x. & Martialem *lib.* I. *epigr.* XXI. automata fuerunt. Pancarpum ſylvam arenariam interpretor, in qua interdum nullæ feræ, ut apud Apulejum *lib.* x. vetus Interpres apud Cujacium *Novella* 105. pancarpum ſylvam exponit.

Libri mei cap. VII. pag. 51. hanc Lactantii *lib.* VI. *cap.* XX. lectionem probam eſſe docueram: *Privitus venationes, quæ vocantur munera, Saturno attributa ſunt:* addideramque, munera pro naumachiis, ludis ſcenicis & venationibus poni: notaram locum Vitruvii *proœmio lib.* x. *In muneribus*, inquit, *quæ a Magiſtratibus foro gladiatorum, ſcenisque ludorum dantur:* & Martialis hæc verba *lib.* I. de naumachia:

Quiſquis ades longis ſerus ſpectator ab oris,
Cui lux prima ſacri muneris iſta fuit.

Ille, homo minime malus, legit eadem mecum ſententia adverſus doctiſſimum Lipſium pag 37 libri *ad Amphitheatrum Martialis ad epigr.* XII. *Venationes, quæ vocantur & munera;* & hoc poſtremum longe melius eſſe ait: nempe, quia de ſuo τὸ (*&*) addidit, & de meo, munus pro quolibet ludorum genere poni, qui a Magiſtratibus in foro aut Amphitheatro darentur: qua in re iterum inſultat doctiſſimo Lipſio pag. 52. libri ſui *ad Amphitheatrum*, cum a me hoc quicquid eſt, mutatus ſit, ut & pene omnia quæ de irritandis feris, de manſuetariis, reliquaque venatione addidit prioribus ſuis ſcriptis.

Cap. VII libri mei p. 16. & 17. docueram venationem Circenſem Jovi ſacram fuiſſe, ex eo loco Tertulliani in *Apolog.* VIII. *Romæ Jupiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine: ſed beſtiarii: inquitis:* addideram Jovem illum Saturnum Babylone dictum eſſe. Jovi Latiari hominem mactari ludis ſolitum, ex Tertulliani *Scorpiaco* cap. VII. & Minutio in *Octavio* Jovem illum Latiarem a quibuſdam Ditem putari, ex Prudentii lib. I. *in Symmachum:*

Funditur humanus Latiari in munere ſanguis,
Conſeſſuſque illic ſpectantum ſolvit ad aram
Plutonis fera vota ſui. ——

Ille pag. 37. libri ſui *ad Amphitheatri epigramma* XII. hic mihi nebulam eſſe pictam in pariete ait, & Jovi Latiari homines tantum immolatos, non autem venationes dicatas. Quid? nonne hoc ipſum a me prius annotatum diſerte fuerat? Quid ſibi vult apud Prudentium Latiare munus, niſi venationes? Quis neſcit ante gladiatorum, venationum, & ludorum ſcenicorum munera homines plerumque mactatos? Quid aliud voluit Tertullianus, cum Jovem beſtiarii ſanguine prolutum eſſe dixit cap. VIII. *Apologet.* quam venatione Circenſi ſolitos mactari Jovi beſtiarios? Quid aliud Cyprianus lib. *de Spectaculis* cap. III. in hæc verba? *Inter quæ nonnunquam & homo fit hoſtia, latrocinio Sacerdotis, dum cruor etiam de jugulo calidus exceptus patera, quaſi ſitienti idolo in faciem jactatus crudeliter propinatur:* ubi & latrocinium vere interpretatus ſum, quod ille non fecit, & verius legi poſſe, *patrocinio*, dixit, nec id quidem aſſeveranter, ſed cum dubitatione: quam ille meam lectionem ridicule riſui habet.

Cap. VIII. libri mei *de Venatione* pag. 19. Tertulliani cap. XXXV. *Apologet.* lectionem genuinam eſſe oſtenderam, *ſchola beſtiarum*, quod inibi feræ vel ad manſuetudinem, vel ad crudelitatem erudirentur, cum ille *beſtiariorum* reſcripſiſſet: tuetur ſe tamen authoritate Senecæ, qui ludum beſtiariorum dixit. Quid tum deinde? quaſi vero ſchola beſtiarum minus apte Tertulliano dicatur, quam Senecæ ludus beſtiariorum, maxime cum Strabo *lib.* XV. διδασκάλους ferarum, Firmicus *lib.* III. ferarum præpoſitos ac magiſtros dixerit, & in *Actis Marcelli Papæ & martyris* hæc legantur: Maxentius miſit Marcellum in Catabolum, ut beſtiarum quæ publice alerentur curam ſuſtineret.

Cap. XXI. libri mei *de Venatione* pag. 83. legeram cum Pamelio & Junio apud Tertullianum in *Valentin.* cap. XXXVII. *cicuria Enniana*, authorem ſequutus Hieronymum lib. II. *adverſ. Ruffinum*, qui cicures Ennianos dixit, ille *cicurina*, & *cicurinos* legit. Quid? an quia vox, *cicurinus*, proba eſt, vox, *cicur*, repudianda? an Veterum ſcripta ita ſunt interpolanda, ut pro cicuribus Ennianis, *cicurinos* legas, & *Ennianos* deleas? maxime cum ſola conjectura, nullo ſcripto codice nitaris.

Cap. XXVIII. libri mei pag. 127. dixeram, ἐξ ἀντιστάσεως μάχεσθαι, Herodiano in *Commodo*, & συστάδην μάχεσθαι, *contra leonem ſtare*, Spartiano in *Caracal.* nihil aliud eſſe, quam in loco plano cum belluis pugnare: ille pag. 36. libri ſui *ad Amphitheatrum*, interpretatur ἐξ ἀντιστάσεως μάχεσθαι, *pugnare ex oppoſito*, aitque aliud eſſe quam pugnare συστάδην, *e plano*: oportuit eum qui imponere velit, dicti ſui memorem eſſe, ne falſi teneatur: ecce tibi verba ejus pag 7. libri *ad Amphitheatrum*: *Pugnabant enim vel de ſuperiore loco, ſive ἄνωθεν, vel ex æquo, ſive plano:* quod Herodianus in *Commodo* dixit, ἐξ ἀντιστάσεως· καὶ θηρίων ἐξ ἀντιστάσεως μάχας ἐπαιδεύετο. Quid loqueris, o bone? ἐξ ἀντιστάσεως μάχεσθαι, loco illo Herodiani in *Commodo*, nihil eſt aliud, quam ex æquo, ſive plano pugnare cum feris, ut ipſe vis, & hanc meam interpretationem, quam pag. 7. ſequutus es, pag. 36. infirmare conaris: omnino locus ille Herodiani, ut hoc non neſcias, ita accipiendus eſt: Καὶ θηρίων ἐξ ἀντιστάσεως μάχας ἐπαιδεύετο· τῷ δὲ Κομμόδῳ περίδρομος κύκλῳ κατεσκεύαστο, ὡς μὴ συστάδην τοῖς θηρίοις μαχομένοις κινδυνεύοι. Latine, *Diſcebat Commodus in loco pla-*

A *no contra feras stare: ei ambitus in orbem extructus erat, ne cominus cum bestiis pugnans, periclitaretur. Cum cervis quidem, & cæteris animantibus quæ cornua gerunt, tauris exceptis, cominus ex æquo & plano pugnabat, concursans, persequens, & conficiens: cum leonibus, pardis, & feris generosis ex æquo non concurrebat, sed ex ambitu illo superiore configebat.* Docet hoc Herodianus his verbis: Ελάφους μὲν οὖν, καὶ δορκάδας, ὅσα τε κερασφόρα, πλὴν ταύρων συνθέων αὐτοῖς, καὶ καταδιώκων ἔβαλλε, φθανών τε αὐτῶν τὸν δρόμον, καὶ πληγαῖς καιρίοις ἀναιρῶν· λέοντας δὲ, καὶ παρδάλεις, ὅσα τε ζῶα γενναῖα περιθέων ἄνωθεν κατηκόντιζεν. Et Xi-
B philinus in *Commodo*: Εν δὲ ταῖς ἄλλαις ἡμέραις τότε μὲν βοτὰ κήπω ἐς τὸ τοῦ κύκλου ἔδαφος καταβαίνων, ἄνωθεν ὅσα ἐπλησίαζε. (puto legendum, ἄνωθεν θηρία) τὰ δὲ προσαγόμενα, ἢ καὶ ἐν δικτύοις αὐτῷ προσφερόμενα κατέκοπτε, καὶ τίγριν ἔσφαξεν, ἵππον τε ποτάμιον, καὶ ἐλέφαντα. Id est, *Aliis autem diebus, nunc quidem herbatica animalia descendens in circuli planum conficiebat, nunc e loco superiori feras quæcunque propius accessissent, jaculo feriebat: quæ vero adductæ aut allatæ essent, retibus inclusas concidebat, adeo ut tigrin aliquando, & equum fluvialem, & elephantem jugularit.*

Pag. libri mei 147. hunc Lucilii versum,

C

Concursans ut arenarius, clareque Quiritans,

de venatore arenario accipiendum censueram, ostenderamque *cap.* VIII. libri mei, venatores arenarios a Julio Firmico dictos *lib.* VIII. *cap.* X. & gladiatoribus oppositos: quam sententiam meam noster iste *ad Amphiteatrum* pag. 23. sequutus est; ubi notat in verbis Lucilii *concursare* dici tantum de gladiatoribus: ineptissime, ut solet, vel Hero-
D diano teste in *Commodo*, quem ait συνθέοντα, καὶ καταδιώκοντα, id est, *concurrentem, & sequentem feras* concidisse, πληγαῖς καιρίοις ἀναιρεῖν. Vides concurrisse arenarios cum feris, non tantum gladiatores cum gladiatoribus.

Pag. 173. libri mei *de Venatione* hunc locum Suetonii cap. IV. in *Domitiano* ita legendum pronuntiaram: *Venerationes, gladiatoresque, & noctibus ad lychnuchos: nec virorum modo pugnas, sed & virorum commisit*: illud (*commisit*) si non apponendum, certe subintelligendum est. Monui autem in epistola, hunc libellum *de Venatione*, me absente, excusum: quæ res ansam aliquot mendis
E dedit, cum adversaria mea legi vix possent: ejus rei typographos testes habeo. Lectio, quam Marsilius ponit, est vulgata omnium codicum, quam non oppugno, imo probo, quia illud (*commisit*) subauditur.

Pag. 107. *cap.* XXIV. libri mei dixeram, ante Gordianum venationem direptionis usurpatam, quam Antiochus (aut, ut ipse vult, Ptolemæus Philometor) apud Athenæum *lib.* V. exhibuerit. Athenæi verba laudaveram, & istius errorem indicaveram, qui a Gordiano rem arcessit. Ille contra pag. 46. arguit, pancarpium, me cum venatione direptionis confudisse: homo stolidissimus,
F & vanissimus, qui vel non viderit toto illo *cap.* XXIV. egisse me de venatione direptionis, ad quam pancarpium pertineat: vel si vidit, improbe dissimulaverit. Hoc igitur ajo, Vopiscum in *Vita Probi*, Calpurnium *ecloga* ult. Athenæum *lib.* V. Martialem *lib.* I. *epigr.* XXI. Apulejum *lib.* X. quorum verba pag. 108. & 109. libri mei *de Venatione* reperies, exaudiendos de venatione direptionis: & hos ei locos indicaveram, cum in prioribus suis scriptis ne attigisset quidem. Nec vitio mihi verti debuit, quod ab illis feris, quas in direptionem Imperatores dederunt; ad missilia & tesseras transierim, cum maxima inter utrumque genus consensio sit: ut enim feræ, sic & tesseræ pro feris diripiebantur.

Pag. 136. libri mei dixeram. Carpophorum bis denas feras omnes simul emissas excepisse, ac confecisse, apud Martialem *lib.* I. *epigr.* XXVII.

Herculeæ laudis numeretur gloria, plus est,
Bis denas pariter perdomuisse feras.

Iste homo falsi manifestus, scribere ausus est pag. 55. libri sui, dixisse me, una plaga bis denas feras confectas. Imo, *bis denas feras*, legendum putavi, ut Carpophorus numerum ferarum ab Hercule cæsarum vicerit: & illud Martialis,

Bis denas pariter perdomuisse feras,

argumento est, simul omnes emissas: deinde pag. 136. libri mei *de Venatione*, hos Claudiani versus e *Panegyrico Manlii* attuleram:

Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum
Arte ligent, certoque premant venabula nisu.

Dixeramque ea verba de mansuetariis accipienda, qui feras ad jugum ligent, & vincula pati doceant; & de bestiariis, qui venabulo eas excipiant. Ille rescripsit,

Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum
Arte legant, certoque premant venabula nisu.

Qui destinent, inquit, colla ad ictum: omnino inconcinna est verbi illius (*legere*) in utroque carmine inculcatio, veriorque est vulgata lectio, quam proposui: neque enim parum audaciæ mansuetariis esse oportuit, qui leonum colla arte ligarent. His ille calumniis famam meam appetiverat, quem sequutus Heraldus quidam *ad Martialis lib.* V. *epigr.* XXVIII. sibi quoque licere impune calumniari putavit, & scribere ausus est, *subsellia* me pro scamnis in cuneos & gradus illatis accipere in hoc *epigrammate* Martialis.

Bis septem tibi jam non sunt subsellia tanti,
Ut sedeas viso pallidus Oceano.

Docueram, scamna, sellas, subsellia, cathedras, pro eodem poni, ut significetur ipse in anfractu ad consessum locus, ut loquitur Tertullianus, idque cap. XXXV. libri quem *de Circo* scripsi pag. 92. 93. 94. probaveram optimis authoribus. De scamnis Martialis hos versus laudaveram:

Sedere in equitum an tibi liceat scamnis
Videbo, Dindyme, non licet maritorum.

De cathedris Calpurnium in *Venatione Carini*:

Venimus ad sedes ubi pulla sordida veste
Inter fœmineas spectabat turba cathedras.

De sellis illud Martialis *lib.* V. *epigr.* XV.

Et inter ipsas pene tertius sellas,
Post Cajumque, Luciumque consedit.

De subselliis Sueton. in *Augusto* cap. XLIII. Parthorum obsides tunc primum missos per arenam mediam ad spectaculum induxit, superque se subsellio secundo collocavit. Martial. *lib.* V. *epigr.* VIII.

Edictum Domini Deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt.

Addideram, non dubitare me, sellas illatas in cuneos & gradus, id est, ligneas cathedras in quibus sederent, quanquam aliud sellam, aliud cathedram esse non nescio. Laudaveram Suetonium in *Nerone* cap. XXVI. interdiu quoque clam gestatoria sella delatus in theatrum, seditionibus pantomimorum, &c. Item libri mei *de Circo* cap. XXII.

A ostenderam, scamna in cuneos inferri solita, quæ pedis sedentium subjicerentur, ex Ovidio lib. III. eleg. II. *Amorum*:

Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem.

Ille me *subsellia* pro scamnis in cuneos illatis posuisse, miris exemplis omnia turbasse clamat: hunc
B ego hominem, quia juvenis est, monitum velim, ut bene dicendo sibi nomen quærere, quam maledicendo malit.

F I N I S.



FRANCISCI MODII,
JC. BRUGENSIS,
DE TRIUMPHIS, LUDIS, ET SPECTACULIS VETERUM
LIBRI DUO.

INDEX CAPITUM.

FRANCISCI MODII,

JC. BRUGENSIS,

DE

TRIUMPHIS VETERUM,

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Triumphus unde nomen habeat; a quo fluxerit mos triumphandi, & cui demum Romæ triumphare fas fuerit.



TRIUMPHARE, inquit Varro, appellatum, quod cum Imperatore milites redeuntes clamitant per urbem in Capitolium eunti, Io triumphe: a Θριάμβῳ Græco Liberi Patris cognomento, quod, ut testis Plinius, Liber Pater primus triumphum invenerit. Lege autem fuit cautum, ne quis triumpharet, qui minus quam quinque hostium millia una acie superasset. Catoque & Martius tribuni plebis altera lege pœnam statuerunt his, qui in relatione rerum a se gestarum mentirentur. Unde ingressuri urbem triumphaturi, apud Quæstores urbanos de veritate scripta jurabant. Legibus item ac pro consuetudine fuit observatum, ut pro aucto tantum imperio, non pro instaurato triumpharetur. Itaque nec P. Scipioni recuperatis Hispaniis, nec M. Marcello captis Syracusis triumphus est concessus. Primus autem apud Romanos in triumpho Liberum Patrem imitatus est Titus Tatius, qui triumphans de Sabinis, princeps omnium ovans urbem ingressus est: quoniam rem leviter absque cruore gesserat, myrtoque Veneris Victricis coronatus incessit, quæ postea fuit ovantium corona. Cæterum apud Majores nulli licuit triumphare, qui nec dictator, nec consul, neque prætor res gessisset; quod cum L. Lentulo objectum esset, qui proconsul in Hispania rem bene gesserat, ovans in urbem ingressus est. Et hinc a Scipione ob res bene gestas magis tentata est triumphi spes quam petita pertinaciter, quia neminem ad eum diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat. Novoque etiam exemplo, C. Manlius de plebe primus dictator, de Etruscis populi jussu sine autoritate Patrum triumphavit: & solus Gneus Pompejus, quod multi scripsere, Eques Romanus, & prius quam per ætatem consul fieri posset, bis triumphavit, quod in delubro Minervæ in titulis Pompeii apparuisse Plinius affirmavit. Erat & alia lex sive consuetudo triumphaturis, ut prius reportarent exercitum, provinciamque in qua res gesserant successoribus redderent quietam. Unde ait Livius, Lucius Manlius consul ex Hispania redierat, cui postulanti a senatu in æde Bellonæ triumphum, rerum gestarum magnitudo impetrabilem faciebat, exemplum obstabat, quod ita comparatum more majorum erat, ne quis qui exercitum non deportasset, triumpharet,
A nisi pacatam perdomitamque successori provinciam tradidisset.

CAP. II.

De modo triumphandi & habitu triumphantis.

CUrru autem semper pervectos fuisse, qui triumpharent, constat: duarum tamen rotarum, quales Romæ in Titi Vespasiani arcu ad sanctam Mariam novam, & in sanctæ Martinellæ Sacello L. Veri Antonini marmori incisos
B ad justam prope mensuram extare adhuc constat: duciturque uterque dictorum imperatorum currus equis quatuor, præter equos tamen taurosque, utrosque albos, elephantis postea ducendo currui nonnulli ex principibus sunt usi. Nam Pompeii triumpho Aphrico elephanti currum traxere. Quem in hoc sicut & in cæteris Cæsar superavit, qui, ut ait Suetonius, Gallici triumphi die ascendit Capitolium ad lumina, elephantis quadraginta, dextra lævaque lychnos gestantibus. Et sic Capitolinus quadrigas elephantorum Gordiano decretas scribit, ut qui Persas vicisset, triumpho Persico triumpharet. Cæterum Flavius Vopiscus
C etiam cervorum meminit in *Aureliano*, dum ait: *Fuit & alius currus quatuor cervis junctus, qui fuisse dicitur Regis Gothorum, quo ut multi memoriæ tradunt, Capitolium Aurelianus invectus est, ut illic cæderet cervos, quos cum eodem curru captos vovisse Jovi optimo maximo ferebatur*. Observabatur & hoc, ut si triumphus ob rerum transvehendarum multitudinem una die perfici non poterat, alii dies perficiendo adhiberentur. Titum enim Quintium Flaminium de Macedonibus & Græcis triduo triumphasse scriptores testantur, & hinc Suetonius de Cæsare ait: *eodem mense quater sub*
D *diversis Ducibus triumphavit:* & de Augusto: *curules triumphos tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo.* In ipsoque triumphantum curru filios sedere solitos fuisse, Cicero *pro Muræna* confirmat, & Æmilium Paulum speciosissime in triumpho filium duxisse legimus, quem triduo post amiserit. Gratius tamen egisse videtur Hadrianus, cui cum triumphum senatus, qui Trajano debitum erat, detulisset: recusavit ipse, atque imaginem Trajani curru triumphali vexit, ut optimus Imperator, ne post mortem quidem triumphi amitteret dignitatem. At Parthico triumpho quem duxerunt
E simul Lucius & Marcus Antonini fratres, etiam puellæ virgines Marci filiæ vectæ sunt eodem triumphali curru: e contra vero impurus ille & brutus homo Commodus Antoninorum & imperatoriæ majestatis ac nominis inquinator, Romam ut rediit, impuro suo Antero post se in

curru collocato ita triumphavit, ut eum Ante- A rus cervice reflexa publice oscularetur: contra pie rursus fecit Severus Apher, qui Parthicum deferentibus Patribus triumphum idcirco triumphare ipse recusavit, quod consistere in curru affectus articulari morbo non posset, sed filiis concessit, ut triumpharent. Erat autem ideo triumphus gratissimus populo Romano, quia nihil est victoria dulcius, nihil victoriæ testimonio jucundius: quid enim delectabilius, quam si, quos sæpe metueris, eosdem victos ad supplicium duci jubeas. Etenim qui triumphant, ideo vivos hostium duces servant, ut his per triumphum B ductis pulcherrimum spectaculum fructumque victoriæ populus Romanus percipere possit, quo facto cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt triumphantes, illos duci in carcerem jubent. Idemque dies & victoribus, imperii, & victis, vitæ finem facit. Sequebantur autem laureati milites triumphantes, ut quasi purgati a cæde humana intrarent urbem, quod laurus omnibus suffitionibus adhiberi soleat; deinde boni ominis causa, ut sicut illa omni tempore viret, sic similiter resp. semper floreat: unde ait de lauro Plinius: *Laurus triumphis proprie dicatur: Cæsarum pontificumque sola domos exornat, & ante limina excubat*. C Idem tamen Plinius, morem dicit triumphantium olim fuisse, ut uterentur corona Etrusca ex auro, quæ a tergo sustineretur a servo, annulum autem in digito ferreum haberent, quasi æqua esset fortuna triumphantis, & servi coronam sustinentis. Sicque triumphasse de Jugurtha Cajum Marium refert, qui tertio demum consulatu aureum sumpserit annulum: sed in his quæ nunc extant marmoreis triumphantium figuris, fortuna alata, non servus, coronam sustentat; quam quidem fortunam inaurato corio, aut aliter depicto fuisse crediderim: colorem enim suum nunc habet marmor, & de re ipsa nihil D apud scriptores reperire est. Tunica autem aurea triumphasse Tarquinium Priscum, Plinius aliique auctores sunt. Hoc vero moris fuit, non legis, ut imperatores belli civilis victoria, quantumvis magna, non triumpharent, quia cives non hostes occiderant. Atque hinc nec Nasica, Tiberio Graccho cum suis perempto, nec Metellus Cajo Opimio, neque Antonius Catilina, superatis triumpharunt. Lucius vero Sylla cum de Græcis urbibus capti, & simul de civibus Marianis superatis triumpharet, sola urbium captarum spolia, in triumphum prætulit.

E In usu præterea fuit, ut sequentes triumphalem currum milites, scommata in imperatorem suum jacerent. Sicque Gallico triumpho Cæsaris milites, inter cætera carmina joculatoria, etiam illud vulgatissimum pronunciarunt:

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem.

Et Ventidium Bassum Parthici triumphi die secuti milites decantarunt:

Qui mulos fricabat factus est Consul.

F Lege autem cautum erat, ut Plutarchus in *Pauli Æmilii Vita* tradit: Ne quis Dux ante triumphum, urbem ingrederetur. Unde in Vaticano necessarios triumpho apparatus facturi expectabant. Triumphos autem omnes Romæ & nusquam alibi præter duos fuisse ductos atque celebratos constat: mirumque in tanta rerum & imperii eversione, in tanta principum & tyrannorum insolentia, in tanta sedium & locorum mutatione, quantam pene singuli fecerunt Imperii moderatores, neminem fuisse eorum, qui aut Mediolani, aut Aquileæ, aut Constantinopoli voluerit triumphare. Lucium autem Pisonem tradit Plinius scripsisse: Papyrium Cursorem primum in monte Albano triumphasse de Corsis: & Papyrium Masonem, cum triumphum Romæ non impetrasset, in Albano monte triumphasse; Triumphosque ipsos omnes viginti & trecentos fuisse, Paulus Orosius, omnium qui stantis adhuc Romani Imperii gesta scripserunt ultimus, est autor.

CAP. III.

De iis qui Romæ ex ordine triumpharint, stricta & summaria narratio.

Primum apud Romanos Titum Tatium Regem, Dionysii imitatione, triumphum duxisse diximus, & alium e Regibus Tarquinium Priscum pariter triumphasse, Plinium scribere supra item ostendimus: sed quales hi fuerint triumphi, a nemine tradi vidimus. Cæterum Publius Valerius consul, primus pulso Tarquinio, & Veiis Tarquiniensibusque, post Bruti mortem, superatis, reges pulsos in hoc, sicut & in plerisque, imitatus, triumphavit. Etsi vero nonnullos ex triumphis, qui visi ampliores pro tempore atque speciosiores, describere seorsum in animo est, majorem tamen eorum partem summatim colligendo perstringemus, servato temporum ordine, ut crescentem populi Romani potentiam, triumphorum quoque amplitudinem imitatam fuisse appareat, utque omnibus constare possit, quo tempore Romana potentia se ipsam sub Pompejo, & Cæsaribus ferre non potuit, triumphos fuisse ductos, qui deorum potius quam hominum opulentiam fastumque imitati sint. Erit autem hic nobis a Camilli triumpho initium; de quo sic habet Livius: Adventus quoque dictatoris omnibus ordinibus obviam effusis celebratior quam ullus unquam antea fuit: triumphusque omnem consuetum honorandi diei illius modum aliquantum excessit: maxime conspectus ipse est curru equis albis juncto, urbem invectus: parumque id non civile modo, sed humanum etiam visum: Jovis Solisque equis æquiparatum dictatorem, etiam in religionem trahebant. Triumphusque eam ob unam maxime rem clarior quam gratior fuit. Quem triumphum etsi Livius magnis effert laudibus, a nulla tamen alia eum, quam equorum alborum, parte laudare potuit, quod præda (ut assolebat) transferenda, populo erat distributa: & nulli erant digni magnates, quos ante currum captivos ducere potuerit.

Alius autem triumphus post multos annos, a Papyrio Cursore dictatore de Samnitibus ductus, etsi aliquid decoris, nullam tamen habuit prædam cum captivis ordine traducendam; sic enim scribit de eo quoque idem Livius: *Dictator ex senatusconsulto triumphavit; cujus triumpho longe maximam speciem, captiva arma præbuere: tantum magnificentiæ visum in iis, ut aurata scuta dominis argentariorum, ad forum ornandum dividerentur: inde natum initium dicitur fori ornandi ab Ædilibus cum tensæ ducerentur.*

Nec majoris fuit apparatus triumphus, de quo sic habet *lib.* decimo Patavinus: *Q. Fabius Deciano exercitu relicto in Etruria, suis legionibus deductis ad urbem, de Gallis Etruscisque ac Samnitibus triumphavit: milites triumphantem secuti sunt. Celebrata inconditis carminibus militaribus non magis victoria Q. Fabii quam mors præclara P. Decii est; excitataque memoria parentis æquata eventu publico privatoque filii laudibus: dati ex præda militibus æris octogeni bini, sagaque & tunicæ præmia illa tempestate militiæ haudquaquam spernenda.*

Primus post hos triumphus fuit Papyrii Cursoris tunc consulis, de quo *libro* eodem decimo ita

traditur: *Consul exercitum de Samnio deduxit; venienti Romam triumphus omnium consensu est delatus. Triumphavit in magistratu insigni, ut illorum temporum habitus erat, triumpho primum equites peditesque insignes donis transiere, ac transvecti sunt: multæ civicæ coronæ, vallaresque ac murales conspectæ: inspecta spolia Samnitium, & decore atque pulchritudine paternis spoliis, quæ nota frequenti publicorum ornatu locorum erant, comparabantur: ducti nobiles aliquot captivi clari suis, patrumque factis; æris gravis transvecta vicies centum millia, & triginta tria millia: omne æs argentumque in ærarium conditum: militibus nihil datum ex præda est.*

Majoris ergo lætitiæ & gloriæ prædictis, triumphum duo Coss. simul Claudius Nero & Livius Salinator, devicto occisoque Hasdrubale, duxerunt, quem Livius extollere est adnisus. Cum tamen huic etiam triumpho, plura non affuerint magnifacienda, quam quæ superiores habuisse docuimus. Sic enim *lib.* XXVIII. Livius: *Ita consociatus triumphus, cum utrique, tum ei magis, qui quantum merito anteibat, tantum honori collegæ cesserat, gloriam auxit. Illum equitem ajebant, sex dierum spatio transcurrisse longitudinem Italiæ; & eo die cum Hasdrubale in Gallia signis collatis pugnasse, quo eum castra adversus sese in Apulia posita habere Hannibal credidisset.* Ita unum consulem pro utraque parte Italiæ adversus duos duces, duos imperatores, hinc consilium suum, hinc corpus opposuisse: nomen Neronis satis fuisse ad continendum castris Hannibalem: Hasdrubalem vero qua alia re quam adventu ejus obrutum atque extinctum esse? itaque iret alter Cos. sublimis curru multijugis, si vellet, equis: uno equo per urbem verum triumphum vehi: Neronemque etiamsi pedes incedat, vel parta eo bello, vel spreta eo triumpho gloria, memorabilem fore: hi sermones spectantium Neronem usque in Capitolium prosecuti sunt. Pecuniæ in ærarium retulerunt, sestertium tricies octuaginta millia æris militibus M. Livius quinquagenos senos asses divisit, tantundem C. Claudius absentibus militibus suis est pollicitus, cum ad exercitum redisset.

Sed libet multos alios ex triumphis transire minoribus, ut ad majores citius veniatur. Igitur Scipionis triumphum XXXII. *libro* Livius sic describit: *Pace terra marique parta, exercitu in naves imposito, in Siciliam Lilybæum trajecit: inde magna parte militum in navibus missa, ipse per lætam pace non minus quam victoria Italiam, effusis non urbibus modo ad exhibendos honores, sed agrestium etiam turba obsidente vias, Romam pervenit triumphoque omnium clarissimo in urbem est invectus. Argenti tulit in ærarium pondo centum millia* XXIII. *militibus ex præda quadragenos æris divisit: morte subtractus est, spectaculo magis hominum quam triumphantis gloriæ Syphax.* Hæc Livius. Sed lubet eundem triumphum ab Appiano diligentius descriptum ita repetere: Scipio, inquit, post hæc ex Libya in Italiam profectus, universas copias classe traduxit, Romamque ad triumphum reversus est, quem omnium ante se splendidissimum dicitur egisse. Ejus forma, ut nunc fit, ab illo servata est; fuit autem hujusmodi: Sertis redimiti omnes præcinentibus tubis, currus spoliis refertos deducebant: ferebantur & ligneæ turres, captarum urbium simulacra, aurum deinceps & argentum, partim rudibus massis, partim signatum: Coronæ præterea, quas virtutis gratia urbes dedissent: candidi subinde boves & elephanti illos sequebantur. Post hos Carthaginensium ac Numidarum principes bello capti. Imperatorem lictores præibant, purpureis amicti vestibus, tum citharœdorum ac tibiarum turba ad Etruscæ similitudinem pompæ: hi succincti coronisque aureis redimiti, suo quisque ordine canentes psallentesque prodibant, hos Lydios appellant, ut facile crediderim Etruscos a Lydiis sumpsisse originem: horum in medio quispiam talari veste fimbriis ac armillis auro splendentibus amictus, gestus varios edebat: hostibusque devictis insultans, risus undique ciebat. Post thuris & odorum copia Imperatorem circumsteterant, quem curru deaurato multifariamque refulgenti, candidi vehebant equi, auream capite gestantem coronam capillis ornatam, gemmisque: is vestem succinctus purpuream patrio more aureis intextam sideribus, altera manu eburneum sceptrum, altera laurum præferebat, quæ Romani victoriæ insignia profitentur. Vehebantur & cum eo pueri virginesque, & ad habenas hinc inde cognati juvenes: demum qui exercitum secuti erant stipatores, ministri scutiferi: postremo exercitus in turmas aciesque divisus, currum sequebatur. Milites quoque lauro redimiti, laurum manu ferentes, quibus meritorum insignia adjuncta. Aderantque qui hos quidem laudibus ferrent, hos salibus insectarentur, nonnullos infamia notarent: simplex denique triumphi forma, & quam unusquisque sermone facile explicare queat: cum in Capitolium ventum esset, Scipio deposito appartu, epulum amicis (ut mos erat) in templo præbuit.

Post hunc haud diu M. Porcius Cato triumphum ex Hispania duxit, superioribus parem de quo Livius *lib.* XXXIV. M. Porcius Cato ex Hispania triumphavit; tulitque in eo triumpho argenti infecti vigintiquinque millia pondo, auri mille quadringenta: militibus divisit in singulos ducenos septuagenos æris; triplex equiti.

Per idem tempus Q. Quintius triumphum triduo duxit continuo, his qui postea sub principibus ducti sunt simillimum, de quo sic habet idem Livius *lib.* XXXIV. Postquam Romam ventum est, Senatus extra urbem Quintio ad res gestas edisserendas datus est. Triumphusque meritus ab lubentibus decretus, triduum triumphavit, die primo, arma, tela, signaque ærea, & marmorea transtulit; plura Philippo adempta, quam quæ ex civitatibus ceperat. Secundo die argentum aurumque factum, infectumque & signatum. Infecti fuit XVIII. M. pondo, & ducenta septuaginta; facti vasa multa omnis generis, cælata pleraque, quædam eximiæ artis, & ex ære multa fabrefacta: ad hoc clypei argentei decem, signati argenti octuaginta quatuor millia fuere Atticorum, tetradrachmam vocant; trium fere denariorum in singulis argenti est pondus: auri pondo fuerunt tria millia septingenta, decem & quatuor: & clypeus unus ex auro totus: & Philippei aurei nummi quatuordecim millia quingenti, quatuordecim. Tertio die coronæ aureæ, dona civitatum, translatæ centum & quatuordecim, & hostiæ ductæ, & ante currum multi nobiles captivi obsidesque, inter quos Demetrius regis Philippi filius, & Armenes Nabidis tyranni filius, Lacedæmonius. Ipse deinde Quintius in urbem est invectus, secuti currum milites frequentes, ut exercitu omni ex provincia deportato: iis duceni quinquageni æris, in pedites divisi, duplex centurioni, triplex equiti: præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis secuti, qui servitute exempti fuerant.

Hinc suum diu post triumphum P. Cornelius Nasica de Boiis duxit, in mediocribus numerandum, quem sic Livius describit: In eo triumpho Gallicis carpentis arma, signa & spolia omnis generis transvexit, & vasa ænea Gallica:

& cum captivis nobilibus, equorum quoque captorum gregem traduxit: aureos torques transtulit, æris M. CCCC. septuaginta, ad hoc auri ducenta quadraginta sex, argenti infecti, quod in Gallicis vasis non infabre suo more factum, CCCLX. pondo: bigatorum numerum CXXXIV. M. militibus, qui currum secuti sunt, centenos vicenos quinos asses divisit, duplex centurioni, triplex equiti.

Nec omittendum duximus M. Flavii triumphum, de quo Livius *lib.* XXXIX. sic habet: Triumphare mense Januario statuerat, sed cum audisset consulem Æmilium literis M. Aburii tribuni plebis acceptis de remissa intercessione, ipsum ad impediendum triumphum Romam venientem, ægrum in via substitisse, ne plus in triumpho certaminum quam in bello haberet, prætulit triumphi diem. Triumphavit ad X. Calendas Januarias de Ætolis, & de Cephalenia, aureæ coronæ centum XII. pondo, ante currum latæ sunt, argenti pondo millia octuaginta tria: auri pondo CCXLIII. tetradrachmarum Atticar. CXVIII. millia: Philippei nummi XII. millia CCCCXXII. signa ænea CCLXXXV. signa marmorea CCXXX. arma, tela, cætera spolia, hostium magnus numerus. Ad hæc catapultæ, balistæ, tormenta omnis generis: duces aut Ætoli & Cephalenes; aut regii ab Antiocho ibi relicti, ad septem & viginti. Multos eo die priusquam in urbem inveheretur, in circo Flaminio tribunos, præfectos, equites, centuriones, Rom. sociosque donis militaribus donavit. Militibus ex præda vicenos quinos denarios divisit, duplex centurioni, triplex equiti.

Sed & paulo post alius apud Livium ponitur triumphus, quem nos ultimum afferre decrevimus: Extremo, ait, anni magistratibus jam creatis, ad tertium Nonas Martias G. Manlius Volso de Gallis, qui Asiam incolunt, triumphavit: serius ei causa triumphandi fuit, ne Q. Terentio Culleone Prætore causam lege Petilia diceret: & incendio alieni judicii, quo L. Scipio damnatus fuerat, conflagraret: eo infensioribus in se quam in illum judicibus, quod disciplinam militarem severe ab eo conservatam, successor ipse omni genere licentiæ corruperat: neque ea sola infamiæ erant, quæ in provincia procul ab oculis facta narrabantur; sed ea etiam magis, quæ in militibus ejus quotidie conspiciebantur. Luxuriæ enim peregrinæ origo, ab exercitu Asiatico invecta in urbem est. Ii primum lectos æratos, vestem stragulam preciosam, plagulas & alia textilia, & quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia, & abacos Romam advexerunt: tunc psaltriæ, sambucistriæque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis. Epulæ quoque ipsæ, & cura & sumptu majore apparari cœptæ, tum coquus, vilissimum Antiquis mancipium æstimatione & usu, in precio esse; & quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta. Vix tamen ea, quæ tum conspiciebantur, semina erant futuræ luxuriæ. In triumpho tulit G. Manlius coronas aureas ducentas duodecim: pondo argenti CCXX. M. auri pondo CIƆ. CIƆ. III. tetradrachmum Atticorum CCXXVII. M. Cistophorum CCL. Philippeorum nummorum M. XVI. CCCXX. & arma spoliaque multa Gallicis carpentis traducta. Duces hostium duo & quinquaginta ducti ante currum: militibus quadragenos binos denarios divisit, duplex centurioni: & stipendium duplex in pedites dedit, triplex in equites: multi omnium ordinum donati militaribus donis, currum secuti sunt. Carminaque a militibus ea in imperatorem dicta, ut facile appareret in ducem indulgentem ambitiosumque ea dici; triumphumque esse militari

A magis favore, quam populari celebrem. Hæc Livius: quibus ita breviter traditis, majores attingamus triumphos, in quibus, antequam ad Romanos veniatur, duos, tresve prius externos videamus.

CAP. IV.

De triumphali ingressu in Græciam Xerxis, magni illius Persarum Regis, qui trepide postea in regnum refugere coactus est.

B ORdo & pompa Xerxis Græciam ingredientis (cujus tum non minor nominis terror erat, quam postea contemptus virium fuit) hic fere erat: Præcedebant qui sarcinas portabant & impedimenta. Post hoc omnigenarum gentium non distinctæ, sed promiscuæ copiæ, numero ultra dimidium (erant autem omnes copiæ ejus pedestres decies septies centena millia hominum, inter quos LXXX. millia erant equitum) exercitus. Post has intercedebat intervallum: neque enim cum rege miscebantur. Præibant enim mille equites e Persis omnibus delecti; secundum hos totidem hastati, & hi delecti ex omnibus versis deorsum C in terram spiculis. Post hos equi decem quam pulcherrime ornati, qui Nisæi dicuntur, ideo sic dicti, quod est ingens Medicæ regionis campus nomine Nisæus, qui grandes fert equos. Hos decem equos sequebatur sacer Jovis currus, quem octo equi albi trahebant, pone auriga comitante, qui pedibus ingrediens habenas tenebat. Hanc enim sellam nemo mortalium inscendit. Post quem ipse Xerxes vehebatur curru equorum Nisæorum, præcedente auriga, cui nomen erat Patiramphi, Otanis filio, viri Persæ. Hunc quidem in modum Sardibus processit Xerxes: sed e curru, quoties ratio exigebat, in essedum transcendebat. Eum D sequebantur hastati Persarum optimi ac nobilissimi mille e more pila gestantes. Dehinc e cæteris Persis decem millia peditum delecta, quorum mille in lanceis pro coronis gestabant mala Punica argentea; gerebant item aurea qui in terram versus spectantia spicula habebant mala, & qui Xerxem proxime sequebantur. Hæc decem millia ordine subsequebatur equitatus e decem millibus Persarum. Relicta post hos duorum stadiorum intercapedine; mox ibat cætera multitudo promiscua.

E

CAP. V.

De triumphali itinere Darii contra Alexandrum Magnum tendentis.

PAtrio more Persarum traditum est, orto sole, demum procedere, die jam illustri; signum e tabernaculo Regis buccina dabatur. Super tabernaculum, unde ab omnibus conspici posset, imago solis crystallo inclusa fulgebat. Ordo autem agminis erat talis: ignis, quem ipsi sacrum & æternum vocant, argenteis altaribus præferebatur: F magi proximi patrium carmen canebant. Magos trecenti & sexaginta quinque juvenes sequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero: quippe Persis quoque in totidem dies descriptus est annus. Currum deinde Jovi sacratum albentes vehebant equi: hos eximiæ magnitudinis equus, quem Solis appellabant, sequebatur: aureæ virgæ, & albæ vestes regentes equos adornabant. Haud procul erant vehicula decem, multo auro argentoque cælata. Sequebatur hæc equitatus duodecim gentium variis

riis

riis armis, & moribus: proximi ibant, quos Persæ immortales vocant, ad decem millia: cultus opulentiæ barbaræ non alios magis honestabat. Illi aureos torques, illi vestem auro distinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas: exiguo intervallo, quos cognatos Regis appellant, decem & quinque millia hominum. Hæc vero turba muliebriter propemodum culta luxu magis, quam decoris armis conspicua erat: Doryphori vocabantur. Proximum his agmen, soliti vestem excipere regalem. Hi currum Regis anteibant, quo ipse eminens vehebatur. Utrumque currus latus deorum simulacra ex auro argentoque expressa decorabant: distinguebant internitentes gemmæ jugum: ex quo eminebant duo aurea simulacra cubitalia, quorum alterum in alterum belli gerebat effigiem. Inter hæc aquilam auream, pinnas extendenti similem, sacraverant. Cultus Regis inter omnia luxuria notabatur. Purpureæ tunicæ medium album intextum erat: pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adnotabant; & zona aurea muliebriter cinctus acinacem suspenderat, cui ex gemma erat vagina. Cidarim Persæ regium capitis vocabant insigne: hoc cærulea fascia albo distincta circuibat. Currum decem millia hastatorum sequebantur: hastas argento adornatas, spicula auro præfixa gestabant: dextra lævaque Regem ducenti ferme nobilissimi propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta millibus peditum, quos equi regis quadringenti sequebantur. Intervallo deinde unius stadii matrem Darii Sisygambim currus vehebat, & in alio erat conjux. Turba fœminarum reginas comitantium equis vectabatur. Quindecim dein, quas Armamaxas appellabant, sequebantur. In his erant liberi regis, & quæ educabant eos, spadonumque grex, haud sane illis gentibus vilis: tum pellices regiæ trecentæ & sexaginta vehebantur, & ipsæ regali cultu ornatuque: post quas pecuniam regis sexcenti muli, & trecenti cameli vehebant, præsidio sagittariorum prosequente. Propinquorum amicorumque conjuges huic agmini proximæ, lixarumque & calonum greges vehebantur. Ultimi erant cum suis quisque ducibus, qui cogerent agmen, leviter armati.

CAP. VI.

Triumphalis Magni Alexandri ingressus Babylone.

Babylonem procedenti Alexandro, Mazæus, qui ex acie in eam urbem confugerat, cum adultis liberis supplex occurrit, urbem seque dedens. Gratus adventus ejus regi fuit, quippe magni operis futura videbatur obsidio tam munitæ urbis. Ad hoc vir illustris, & manu promptus, famaque etiam proximo prælio celebris, & cæteros ad deditionem sui incitaturus exemplo videbatur. Igitur hunc quidem benigne cum liberis excepit. Cæterum quadrato agmine, quod ipse ducebat, velut in aciem irent, ingredi suos jubet. Magna pars Babyloniorum constiterat in muris, avida cognoscendi novum regem. Plures obviam egressi sunt: inter quos Bagophanes arcis & regiæ pecuniæ custos, ne studio a Mazæo vinceretur, totum iter floribus coronisque constraverat, argenteis altaribus utroque latere dispositis, quæ non thure modo, sed omnibus odoribus cumulaverat. Dona eum sequebantur, greges pecorum equorumque: leones quoque & pardales caveis ferebantur. Magi deinde suo more carmen canentes. Post hæc Chaldæi, Babyloniorumque non vates modo, sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant. Laudes ii regum canere soliti. Chaldæi siderum motus, & statas vices temporum ostendere. Equites deinde Babylonii suo equorumque cultu ad luxuriam magis, quam ad magnificentiam exacto, ultimi ibant. Rex armatis stipatus, oppidanorum turbam post ultimos pedites ire jussit. Ipse cum curru urbem, ac deinde regiam intravit. Postero die supellectilem Darii & omnem pecuniam recognovit. Cæterum ipsius urbis pulchritudo ac vetustas non regis modo, sed etiam omnium oculos in semet haud immerito convertit. Semiramis eam condiderat, vel (ut plerique credidere) Belus; cujus regia ostenditur. Murus laterculo coctili, bitumine interlitus, spatium XXX. & duorum pedum latitudinem amplectitur, quadrigæ inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri L. cubitorum eminet spatio. Turres denis pedibus quam murus altiores sunt. Totius operis ambitus CCCLVIII. stadia complectitur: singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse memoriæ proditum est. Ædificia non sunt admota muris, sed fere spatium jugeri unius absunt. Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt: per LXXX. stadia habitabatur, nec omnia continua sunt, credo, quia tutius visum est pluribus locis spargi. Cætera serunt coluntque, ut si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrent. Euphrates interfluit, magnæque molis crepidinibus coercetur. Sed omnium operum magnitudinem circumveniunt cavernæ ingentes in altitudinem pressæ ad accipiendum impetum fluminis: quod ubi appositæ crepidinis fastigium excessit, urbis tecta corriperet, nisi essent specus lacusque qui exciperent. Coctili laterculo structi sunt: totum opus bitumine astringitur. Pons lapideus flumini impositus jungit urbem: hic quoque inter mirabilia Orientis opera numeratus: quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta jacienda egesto, vix fulciendo operi firmum reperiunt solum. Arenæ autem subinde cumulatæ, & saxis, quibus pons sustinetur, annexæ, morantur amnem, qui retentus, acrius quam si libero cursu mearet, illiditur. Arcem quoque ambitu XX. stadia complexam habet: XXX. pedes in terram turrium fundamenta demissa sunt: ad LXXX. summum munimenti fastigium pervenit. Super arcem vulgatum Græcorum fabulis miraculum, pensiles horti sunt, summam murorum altitudinem æquantes, multarumque arborum umbra & proceritate amœni. Saxeæ pilæ, quæ totum onus sustinent, instructæ sunt. Super pilas lapide quadrato solum stratum est, patiens terræ quam altam injiciunt, & humoris quo rigant, adeoque validas arborum sustinent moles, ut stipites earum VIII. cubitorum spatium crassitudine æquent, in L. pedum altitudinem emineant, & frugiferæ æque sint, ac si terra sua alerentur. Et cum vetustas non opera solum manufacta, sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo perimat, hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata est, inviolata durat: quippe XX. lati parietes sustinent, XI. pedum intervallo distantes, ut procul visentibus silvæ montibus suis imminere videantur. Syriæ regem Babylone regnantem hoc opus esse molitum memoriæ proditum est, amore conjugis victum, quæ desiderio memorum silvarumque in campestribus locis virum compulit naturæ genium amœnitate hujus operis imitari.

CAP. VII.

Alexandri Magni triumphus Indicus ad æmulationem Liberi Patris.

ALexander æmulatus Patris Liberi non gloriam ſolum, quam ex illis gentibus deportaverat, ſed etiam famam, ſive illud triumphus fuit, ab eo primum inſtitutus, ſive bacchantium luſus, ſtatuit imitari, animo ſuper humanum faſtigium elato. Vicos, per quos iter erat, floribus coroniſque ſterni jubet: liminibus ædium crateras vino repletos, & alia eximiæ magnitudinis vaſa diſponi: vehicula deinde conſtrata, ut plures capere milites poſſent, in tabernaculorum modum ornari, alia candidis velis, alia veſte pretioſa. Primi ibant amici, & cohors regia variis redimita floribus coroniſque. Alibi tubicinum cantus, alibi lyræ ſonus audiebatur. Item in vehiculis pro copia cujuſque adornatis comeſſabundus exercitus, armis, quæ maxime decora erant, circumpendentibus. Ipſum convivaſque currus vehebat, crateris aureis, ejuſdemque materiæ ingentibus poculis prægravis. Hoc modo per dies VII. bacchabundum agmen inceſſit. Parata præda, ſi quid victis ſaltem adverſus comeſſantes animi fuiſſet; mille hercule viri modo & ſobrii VII. dierum crapula graves in ſuo triumpho capere potuerunt. Sed fortuna, quæ rebus famam pretiumque conſtituit, hoc quoque militiæ probrum vertit in gloriam, & præſens ætas, & poſteritas, deinde mirata eſt, per gentes nondum ſatis domitas inceſſiſſe temulentos: Barbaris, quod temeritas erat, fiduciam eſſe credentibus.

CAP. VIII.

M. Marcelli triumphus de Gallis Inſubribus & Germanis.

MArcellus, cum ei ſoli triumphum decreviſſet ſenatus, triumphum in urbem duxit, cum cætero ſplendore, divitiis ſpoliiſque & captivorum mole corporum cum paucis aliis admirabilem, tum jucundiſſimum novo ſpectaculo, quod ipſe barbari arma Deo offerens conſpiciebatur. Quercus enim votivæ truncum montanum ingentem exciſum in trophæi formam dolaverat: ab eo trophæo ſublato quadrigis invectus, imaginem armatam victi hoſtis pulcherrimam aſpectu inferebat per urbem. Exercitus currum ſequebatur, armis indutus elegantiſſimis, accinens compoſitas cantilenas, pæanaſque victoriæ teſtes, quibus Deos & Ducem celebrabant. Ita ad templum Jovis Feretrii progreſſus, ſpolia Deo ſuſpendit: tertius a condita urbe eorum, quibus hoc facere obtigiſſet. Primus enim opima retulit Romulus ſpolia ab Acrone Cæninenſi, ſecundus Cornelius Coſſus a Tolumnio Tyrrheno, tertius Marcellus a Virdumaro Gallorum rege: neque poſt hunc quiſquam. Deus cui ea conſecrantur, Feretrius vocatur Jupiter, vel (quæ eſt quorundam ſententia) quod trophæum id feretro geſtaretur, hoc eſt, ferculo: (nam eo tempore multa erant Latino ſermoni immixta Græca vocabula) vel a feriendo, quod fulmina jaceret. Alii ab ictibus qui in pugna ingeruntur dictum autumant: quod hodie etiam mutuo clamore ſe ad feriendum hoſtem hortantur. Spolia hæc Opima peculiari appellatione dicuntur. Non deſunt, qui Pompilium Numam in commentariis mentionem primorum, ſecundorum, tertiorumque Opimorum ſpoliorum feciſſe perhibeant: & juſſiſſe, prima Jovi altera Marti, tertio Quirino ſacra eſſe: referentique prima aſſes CCC. ſecunda CC. tertia centum aſſes præmium ſtatuiſſe. Communis tamen ſermo obtinuit, ea tantum in honore eſſe, quæ acie inſtructa prima leguntur de imperatore hoſtium, manu imperatoris occiſo.

CAP. IX.

Alter ejuſdem M. Marcelli triumphus de Syracuſanis.

MArcellus ad bellum in Italia gerendum a Romanis evocatus, pleraque & pulcherrima Syracuſis donaria abſtulit, quæ & triumpho ſuo ſplendori, & Romæ ornamento eſſent. Quippe antea neque habuerat, neque noverat Roma quicquam elegantis & artificioſi operis, neque venuſta illa, nitida, & grata in urbe erant tum ornamenta: armis barbarorum & ſpoliis cruentis repleta, triumphorumque monumentis, & trophæis coronata, non lætum, aut terroris vacuum, neque meticuloſis aut delicatis gratum ſpectaculum exhibebat: & ut Epaminondas Bœotios campos, Martis orcheſtram, Xenophon Epheſum belli officinam dixit: ita puto potuiſſe quempiam tum Romam bellicoſi (juxta Pindarum) Martis templum appellare. Itaque apud populum Marcelli gloria major fuit, qui urbem ornamentis, gratiam & venuſtatem Græcam cum grata varietate habentibus, decoraſſet: apud ſenatum vero Fabii Maximi, qui Tarento capto nihil tale abſtulit, ſed pecunia & divitiis egeſtis, manere ibi juſſit ſimulacra, addito celebri illo dicto: *Relinquamus Tarentinis Deos ſuos iratos.* Marcellus autem cum eo nomine reprehenſus eſt, quod non hominibus modo, ſed Diis etiam in triumpho ductis, invidiam Romæ conflaſſet: tum, quod populum bello & agriculturæ aſſuetum, deliciarumque & ocii rudem, & (qualis apud Euripidem Hercules deſcribitur)

Inanium rudem, præſtantem maximis,

ocio & garrulitati dediſſet, ut jam de artibus & artificibus nugaretur, eique rei majorem diei partem inſumeret. Atqui Marcellus eo nomine etiam apud Græcos gloriatus eſt, quod quæ pulchra haberent & admirarentur Græci, ea Romanos inſcios ante in honore ipſe habere, & admirari docuiſſet. Porro triumpho ejus adverſariis reſiſtentibus, quod & quædam in Sicilia conficienda reſtabant, & invidiæ obnoxius erat ſecundus triumphus, ipſe ita conceſſit, ut perfectum & magnum triumphum in Albanum montem duceret, ovans vero urbem iniret. Qui autem ovans urbem intrat, is non quadrigis invehitur, neque lauro coronatur, neque tubicines habet, ſed pedes eſt, calceatus, multis comitantibus tibicinibus, myrtho redimitus: ut gratior ſit, quam terribilior aſpectus, & minorem belli ſpeciem præferat. Id quod maximo eſt indicio, antiquitus non magnitudine rei geſtæ, ſed modo, diſcrimina triumphorum conſtituiſſe. Qui enim prælio & cæde facta hoſtes viciſſent, ii Martium iſtum nimirum & terribilem triumphum ducebant, lauro multa (ut ſolet in luſtrationibus exercituum) arma & viros coronantes. At ducibus, qui non bello, ſed oratione & perſuadendo rem proſpere confeciſſent, ducere bellici apparatus expertem & feſtivam iſtam pompam lex dabat. Nam & tibia pacis eſt, & myrtus Veneris arbor, quæ Dea maxime violentiam & bello odit. Neque vero ab acclamatione læta (quæ εὐασμὸς Græcis eſt,

unde iidem ovationem ἀπὸ τοῦ εὐαὶ dicunt) hoc genus triumphi, ut putant multi, nominatur: sed id Græci ad vocabulum ipsis usitatum detorserunt, persuadentes sibi honoris partem etiam Baccho tribui, quem Evium & Thriambum (est autem triumphus Græcis θρίαμβος) dicunt. Sed in eo falluntur. Nimirum in magno triumpho bovem majorum more dux immolabat, in minori ovem: indeque ovationi nomen. Ubi operæ est contemplari, quo pacto Lacedæmonius legislator contrario quam Romanus modo sacrificia instituerit. Qui enim ducis munere apud Spartanos defunctus est, si rem astu aut persuadendo confecit, bove, sin pugna, gallo rem sacram facit: quippe homines quantumvis bellicosissimi, majorem, hominique magis convenientem actionem eam judicabant, quæ a prudentia & ratione, quam quæ a vi & fortitudine proficisceretur.

CAP. X.

Quinctii Flaminii ex Macedonia de Rege Philippo triumphus.

ROmanorum in præliis contra Annibalem captorum permulti hinc inde venditi in servitute erant. Hujusmodi mancipia in Græcia erant mille ducenta: quibus cum semper misera fuit mutatio, tum vero, ut par est, vel maxime, cum in filios, fratres, aut familiares inciderent liberos & victores, servi ipsi atque captivi. Hos etsi miserabatur Quinctius, dominis tamen non ademerat. Achæi autem quingentis in capita denariis persolutis eos redemerunt, in unumque conductos universos ei jam navigaturo tradiderunt: itaque læto animo solvit, cum pro benefactis præclaram, & magno civiumque amanti viro convenientem mercedem recepisset. Atque hoc triumpho ejus multo, quam reliqua omnia, plus splendoris attulit. Viri enim isti rasis capitibus, & pileos gestantes (qui mos est servorum cum manumittuntur) Quinctium invehentem sequebantur. Pulchrius etiam spectaculum spolia longo ordine invecta præbebant, Græcæ galeæ, Macedonicæ parmæ & sarissæ. Inferebatur vero etiam pecuniæ haud exigua vis. Autor est Itanus, invecta eo triumpho auri conflati pondo fuisse ter mille IƆCCXIII. argenti XLIII. millia CCLXX. aureorum Philippeorum XIV. millia, IƆXIV. Præter hæc mille talenta Philippus debebat. Sed hæc postea temporis maxime Quinctio persuadente Philippo remiserunt, sociumque eum suum vocaverunt Romani, filio etiam obside liberato.

CAP. XI.

Pauli Æmilii triumphus ex Macedonia de Perseo Rege.

PAULI ÆMILII triumphum, qui longe splendissimus fuit, hac fere pompa ductum accepimus: Primo populus in Circis, foro, aliisque locis unde triumphi pompa cerni posset, fixis tabulatis, de illis spectabat, pura veste indutus. Omniaque templa aperta, sertis atque suffitibus implebantur. Lictores multi, apparitoresque multitudinem in publicum se tumultuarie ingerentem summovebant, viasque apertas & vacuas præstabant. Pompa autem ipsius triumphi sic erat instituta, ut tribus diebus perageretur. Prima dies vix suo spectaculo suffecit: inferebantur autem bigis ducentis ac quinquaginta statuæ captivæ, tabulæ pictæ, & colossi. Secunda die invecta sunt multis curribus arma de Macedonicis lecta pulcherrima, sumptuque maximo facta, ære ferroque recens politis fulgentia, ac de industria ita inter se composita & congesta, ut casu sic coacervata viderentur: galeæ enim clypeis, thoraces ocreis, tum Cretenses peltæ, Thraciæ cetræ, pharetræ frenis permixtæ jacebant, ac inter hæc omnia gladii nudi prominebant, sarissæque juxta fixæ erant, armis ipsis modice laxato vinculo nexis, ut mutuo inter vehendum colliderentur, sonumque asperum & terribilem ederent, ac victa etiam non sine horrore spectarentur. Hos currus sequebantur vasa septingenta & quinquaginta trium talentorum singula capacia; in his argenteum nomisma inferebatur a virorum tribus millibus, quaternis unum vas subeuntibus. Alii autem crateras argenteos, pocula in cornu formam tornata, pateras, calicesque gestabant, singula pulcherrime ornata, crassicieque & mole nimia spectanda. Tertia die, summo mane tubicines intraverunt, non itineribus aut pompis accommodatum carmen, sed casticum canentes. Hos subsecuti sunt tauri centum viginti altiles, aurati cornua, mitrisque & sertis ornati: ducebant eos juvenes ad sacrificium, cincti prætexta: juxtaque pueri pateras ad libandum aureas argenteasque ferentes. Post hos eodem quo argenteum modo, aureum nomisma portabatur, vasis septuaginta septem. His subibant qui sacram pateram gestabant, quam ex decem auri talentis, gemmis undique insertis, Æmilius fieri curaverat: ac cum his, qui Antigonidas, Seleucidas, Thericleas, reliquaque aurea vasa, quibus in cœna uti solitus erat Perseus, ostentabant. His succedebat Persei currus, & arma, iisque diadema impositum: parvo post intervallo liberi Regis captivi ducebantur, cum magna alumnorum, præceptorum, pædagogorumque caterva, plorantium, manusque ad inspectantes tendentium, puerosque ut idem facerent ac deprecarentur instruentium. Erant duo masculi, una filiola, neque per ætatem plane assequebantur animo magnitudinem calamitatis suæ: ideoque majorem miserationem ignoratio malorum movebat spectatoribus. Itaque fere non observantibus iis Perseus transivit, adeo misericordia affecti Romani oculos liberis regiis intendebant, multasque lachrymas effundebant, eratque mixtum dolore & gaudio spectaculum, tantisper dum ii præterirent. Ipse post liberos suos turbamque eos comitantem Perseus incedebat pullo amictu, crepidisque Macedonicis: malorum autem mole attonito, menteque alienato similis videbatur. Comitabatur hunc turba amicorum & familiarium, qui vultum præ luctu demittendo, Perseumque subinde intuendo ac plorando, spectatoribus innuebant, se parvam propriæ sortis curam gerere, regis modo infortunium lamentari. Miserat quidem ad Æmilium Perseus, qui deprecarentur, ne in triumpho duceretur: verum Æmilius molliciem (ut videtur) ejus, vitæque cupiditatem subsannans: Atqui, inquit, & ante hoc ei permissum fuit, & adhuc licet: mortem ante dedecus consciscendam innuens; quam timidus ille ne obiret, vanas spes molli animo consectatus, ipse suarum exuviarum pars factus est. Secundum hos aureæ coronæ quadringentæ inferebantur, quas victoriam gratulandi causa urbes Æmilio per legatos miserant. Inde ipse Æmilius curru ornatissimo invectus est, vir etiam absque his fuisset spectatu dignissimus: amictus erat purpuram auro intertextam, dextraque frondem lauri tenebat. Totus exercitus lauro coronatus centuriatim ac per mani-

pulos divisus currum Imperatoris sequebatur: canebantque cum patria quædam carmina, risu salibusque admistis, tum pæanas de victoria & rebus gestis Æmilii. Is omnium in oculis ferebatur, omnium erat in admiratione, neque huic tantæ ejus gloriæ quisquam bonus invidebat. Enimvero genius aliquis videtur esse, cujus partes sint magnæ atque nimiæ felicitatis partem aliquam carpere, atque ita temperare humanam vitam, ut nemo malorum expers vivat, sed (quod est apud Homerum) cum eo optime agatur, cujus res utramque fortunam sentiunt. Quatuor filios habebat Æmilius, quorum duo in alias familias per adoptionem translati erant; Scipio & Fabius; alii duo nati erant ex alia conjuge, quos pueros adhuc domi suæ alebat. Horum alter annos natus XIV. quinto ante triumphum patris die vitam finiit. Neque fuit in populo quisquam, cui non dolorem ea calamitas Æmilii afferret: crudelitatemque fortunæ horrere omnibus subiit, quam non puduisset tantum luctum domui gloria, gaudio, & sacrificiis plenæ immittere, ejulatumque & fletum carminibus victoriam celebrantibus, & triumpho admiscere. At Æmilius prudenter secum considerato, fortitudinis & constantiæ usum non tantum contra sarissas & arma hostium, sed omnino adversus omnem fortunæ impetum requiri, ita se comparavit, eoque animo præsentium rerum permixtam conditionem tulit, ut infortunium felicitate, privatamque cladem publica victoria obliteraverit: neque passus sit magnitudinem splendoremque triumphi rebus adversis imminui aut contaminari. Itaque altero e filiis, qui ante triumphum defunctus erat, sepulto, triumphavit. Altero post triumphum mortuo, advocata populi concione, eam habuit orationem, quam habere par erat virum non consolationis indigentem, sed qui populum ejus infortunii causa mœrentem consolari instituisset. Nihil est, inquit, in rebus humanis, cujus me unquam metus tenuerit: in divinis autem fortunam, ut infidissimam inconstantissimamque rem semper suspectam habui: atque hoc ipso maxime bello, cum ea tanquam ventus secundus rebus gerendis prospera mihi adesset, nunquam non mutationem aliquam exspectavi. Etenim una die a Brundusio Corcyram Ionio mari transmisso, quintis inde castris Delphos perveni: hic Deo sacris peractis, quinto post die exercitum in Macedonia accepi: quem cum patrio ritu lustrassem, ac statim rei gerendæ me dedissem, spatio quindecim dierum bello finem pulcherrimum imposui. Hic successus rerum tam fœlix effecit, uti diffiderem fortunæ: cumque nihil restaret ab hostibus periculi, maxime veritus sum, ne navigantem me cum exercitu victore, spoliaque & captos reges mecum vehentem, in ipso cursu fortunæ mutatæ aliquis casus feriret. Postquam incolumis ad urbem redii videns lætitia & gratulatione plenam sacris frequentem vacare, fortunam adhuc habui suspectam, quam compertum habebam ea esse invidia, ut nullum magnum munus hominibus sincerum & non aliquo malo infectum largiretur Hunc metum animus meus parturiens, non prius quid esset eventurum Reipub. sollicitus esse desiit, quam ingenti domestica clade perculsus, filios optimos, quosque solos mihi hæredes reliqueram, continuis funeribus sacris diebus sepelii. Nunc demum maximi me securum periculi existimo, confidoque felicitatem vestram illæsam incolumemque permansuram. Calamitatibus enim meis fortuna invidiam suam exaturavit, humanæque fragilitatis exemplum haud obscurius victorem quam victum proposuit: nisi quod Perseus meliori conditione videri potest, qui victus suos liberos tamen habet, Æmilius victor suos amisit.

CAP. XII.

L. Luculli triumphus ex Ponto, Cappadocia, Armenia, de Regibus Mithridate & Tigrane.

Fuit Luculli triumphus, non ut aliorum, longa pompa, eorumque quæ inveherentur multitudine terribilis, atque varius, sed armis hostium, quorum erat ingens copia, regiisque machinis Flaminium Circum exornavit: quod ipsum vel solum spectaculum haud parum splendoris habuit. In pompa, non ita multi equites cataphracti, decemque currus falcati ducti sunt: ad hæc sexaginta regii amici atque duces, naves longæ æreis rostris centum & decem: præterea Mithridatis colossus aureus sex pedes longus, & clypeus gemmatus: item decem argenteorum poculorum feretra; aureorum, armorumque, & nomismatis triginta duo. Hæc viri gestabant. Muli porro octo lectos aureos portabant; quinquaginta & sex argento conflato onusti incedebant; alii centum & decem nomisma argentumque, cujus summa fuit circiter centies & octies sestertium: & in tabulis signata erat summa pecuniæ, quam ad bellum Piraticum gerendum Pompejo dederat, & quam in ærarium publicum intulerat, & seorsim dati militibus singulis DXC. denarii Post hæc & civibus epulum splendidum, & vicis circumjacentibus præbuit.

CAP. XIII.

Pompeii Magni triumphus splendidissimus ex Ponto, Armenia, Cappadocia, &c.

Magnificentiæ Pompejanæ tertii triumphi, tametsi in duos dies divisi, tempus non suffecit: & multa eorum, quæ apparaverat, ista pompa exclusa sunt, & ad alia exornanda spectacula reservata: cæterum inscriptiones in triumpho præferebantur, quibus is de gentibus ageretur indicantes. Erant autem Pontus, Armenia, Cappadocia, Paphlagonia, Media, Colchis, Iberia, Albania, Syria, Cilicia, Mesopotamia, Phœnice, Palæstina, Judæa, Arabia, & Piratæ terra marique debellati; tum castella capta ad mille, urbes haud multo pauciores noningentis, naves piraticæ octingentæ, urbes iterum habitatoribus præditæ undequadraginta. Indicabatur porro inscriptione, antehac in Romanis reditibus fuisse bis millies sestertium: porro in ærarium inferri ex nomismate & vasis aureis argenteisque vicies mille talenta, præter ea quæ militibus elargitus fuisset: acceperat autem is, cui pro rata proportione minimum datur, sestertia sex. Captivi ducebantur præter principes piratarum filius Tigranis Armeniæ regis cum uxore & filia, tum Tigranis senioris uxor Zosime, rex Judæorum & Commagenorum regis obsides, & ingens trophæorum numerus, numero præliorum æqualis, ex quibus aut ipse, aut legati victoriam reportaverant. Id vero plurimum ad gloriam fecit, quodque nulli ante Romanorum contigerat, quod tertium triumphum ex tertia orbis terrarum parte duxit. Quippe ante ipsum quoque inventi sunt, qui ter triumpharent: sed Pompejus, qui primum ex Africa, secundum ex Europa, tertium ex Asia attulisset

triumphum, de toto orbe terrarum quodammodo videbatur triumphasse.

CAP. XIV.

C. Julii Cæsaris triumphi de Gallia, Ægypto, Africa, &c.

Confectis bellis, quinquies triumphavit, post devictum Scipionem, quater eodem mense, sed interjectis diebus, & rursus semel post superatos Pompeii liberos. Primum & excellentissimum triumphum egit Gallicum, sequentem Alexandrinum, deinde Ponticum, huic proximum Africanum, novissimum Hispaniensem, diverso quemque apparatu & instrumento. Gallici triumphi die Velabrum prætervehens, pene curru excussus est, axe defracto. Ascenditque Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus. Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, Veni, Vidi, Vici, non acta belli significantem, sicut cæteri, sed celeriter confecti notam. Veteranis legionibus prædæ nomine in pedites singulos super bina H-S. (quæ initio civilis tumultus numeraverat) in equites vicena quaterna millia nummum dedit. Assignavit & agros, sed non continuos, ne quis possessorum expelleretur. Populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, tricenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim divisit: & hoc amplius, centenos pro mora. Annuam etiam habitationem Romæ usque ad bina millia nummum, in Italia non ultra quingenos sestertios remisit. Adjecit epulum ac viscerationem, & post Hispaniensem victoriam duo prandia. Nam quum prius parce, neque pro liberalitate sua præbitum judicaret, quinto post die aliud largissimum præbuit.

CAP. XV.

D. Claudii triumphus ex Britannia.

Expeditionem unam omnino suscepit Claudius Cæsar, eamque modicam: quum decretis sibi a Senatu ornamentis triumphalibus leviorem majestate principali titulum arbitraretur, velletque justi triumphi decus acquirere: Britanniam potissimum elegit, neque tentatam ulli post D. Julium, & tunc tumultuantem ob non redditos transfugas. Huc quum ab Hostia navigaret, vehementi Circio bis pene demersus est prope Liguriam, juxtaque Stœchadas insulas. Quare a Massilia Gessoriacum usque pedestri itinere confecto, inde transmisit: ac sine ullo prælio aut sanguine inter paucissimos dies parte Insulæ in deditionem recepta, sexto quam profectus erat mense, Romam rediit, triumphavitque maximo apparatu: ad cujus spectaculum commeare in urbem non solum præsidibus provinciarum permisit, verum etiam exulibus quibusdam: atque inter hostilia spolia, navalem coronam fastigio palatinæ domus juxta civicam fixit, trajecti & quasi domiti Oceani insigne. Currum ejus Messalina uxor carpento sequuta est: sequuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, sed cæteri pedibus & in prætexta: Crassus Frugi equo phalerato, & in veste palmata, quia eum honorem iteraverat.

CAP. XVI.

Tiridatis Armeniæ Regis triumphalis ingressus Romæ sub Nerone.

Tiridates habens secum non solum suos, sed etiam Vologesi, Pacori, & Monobazi liberos, Romam deductus est, fuitque eorum iter ut in triumphis per omnes regiones ab Euphrate. Vigebat Tiridates ætate, forma, nobilitate, prudentia, magnoque famulorum comitatu & apparatu regio: consequebantur eum tria millia equitum Parthorum, cum frequentibus Romanis, eumque urbes magnifice ornatæ, ac populi magnis lætisque clamoribus excipiebant: quæque necessaria erant, omnia gratis ei præstabantur. In quam rem populus Romanus sumptum faciebat singulis diebus aureorum octo millium, idque novem mensibus, quibus iter fecit, factum est. Tiridates equo ubique vehebatur quousque in Italiam venit: itidem uxor ejus faciebat, gerebatque galeam auream pro integumento, ne contra morem patriæ conspiceretur. In Italia vehi cœpit curribus a Nerone missis; ad eumque Neapolim per agrum Picenum venit. Dum Neronem conveniret, quanquam jussus est gladium quem gerebat deponere, tamen noluit, sed eum vaginæ clavis affixit: quamvis illum genu flexo, ac manus vicissim ad cœlum tendens, veneratus, dominum appellaverit. Hunc Nero ob eam causam admiratus, benigne & comiter excipit, ac præter cætera ludos gladiatorios Puteolis facit. Præfectus ludorum fuit Patrobius libertus ejus, tantaque fuit eorum magnificentia atque sumptus, ut unius diei spatio nemo præter viros, & mulieres, & pueros Æthiopes amphitheatrum ingrederetur: quibus de causis Patrobius aliquo honore dignus erat. Ibi Tiridates de superiore loco in quo sedebat, belluas jaculo trajecit, duosque tauros uno ictu (si tamen credibile est) vulneravit, ac confecit. His perfectis rebus, Nero Romam eum adduxit, eique diadema imposuit. Ibi tota urbe luminibus sertisque ornata, magna visa est ubique hominum multitudo, sed forum inprimis refertum erat: nam populus albatus laureatusque certis ordinibus medium forum tenuit, cætera tenebant milites armati splendidissime, eorumque arma & signa refulgebant instar fulguris, nulliusque apparebant ædificii tecta propter multitudinem eorum qui in ea ascenderant. Quibus rebus de nocte comparatis, Nero ornatus veste triumphali, prima luce forum introivit cum Senatu & prætorianis militibus, deinde tribunal conscendit, & in sede principali consedit. Tiridates cum iis quos secum habebat, per ordines armatorum, qui utrinque instructi fuerant, transiit: post ubi ad tribunal veniunt, Neronem, ut antea fecerant, venerantur. Quas ob res editis magnis clamoribus Tiridates perterritus mutusque pro mortuo aliquanto tempore remansit: sed ubi indicto silentio animum recepit, coactus servire tempori & necessitati parere, non curavit si quid paulo humilius loqueretur, adductus spe eorum quæ postea consequutus est. Ego (inquit) Domine, Arsaci nepos, Vologesi & Pacori regum frater, tuus servus sum, venique ut te Deum meum non secus ac Μίθρα, (id est, *Solem*) colerem. Equidem is ero quem tu me fato quodam efficies. Tu enim fatum meum es & fortuna. Huic Nero ita respondit: Tu quidem quod huc veneris, recte (inquit) fecisti, ut præsens præsente me fruereris: nam quod pater tuus tibi reliquit, neque fratres quod dederant, servaverunt, ea ipse tibi nunc

do; teque regem Armeniæ facio. Ut tu atque illi simul intelligatis, in mea esse potestate regna dare & adimere. Hæc cum dixisset, jussit eum reverti via, quæ ante tribunal ob eam causam parata fuerat. Tum Tiridates se ad pedes Neronis abjecit, eique Nero diadema imposuit, & ingentes clamores editi sunt. Post hæc actus est decreto Senatus celebris conventus in theatro, cujus non modo scena, sed etiam ipsum totum circuitu intus erat inauratum, itemque cætera omnia quæ intromittebantur, auro ornata erant. Quibus de causis ille dies aureus nominatus est. Peripetasmata, quæ in aere extensa erant ad defendendos solis ardores, purpura fuerunt, stellis aureis circum undique relucentibus: in medio horum Nero dum currum agitaret, plagam accepit: quumque ita essent, magnificum convivium actum est. Post hæc Nero cithara publice cecinit, currusque prasina veste indutus, & galea aurigarum ornatus, agitavit.

CAP. XVII.

Triumphus Vespasiani & Titi Augustorum de Judæis.

NON multis autem post Vespasianus pater & Titus filius Imperatores unum communem triumphum ob res gestas agere statuere, quamvis utrique Senatus proprium decrevisset. Prædicto autem die, quo futura erat pompa victoriæ, nemo ex tam infinita civitatis multitudine domi remansit. Omnes autem cum exissent, loca ubi tantum stare possent, occupaverant, quantus transituris Imperatoribus modo sufficeret, concesso necessario transitu. Cuncta vero turba militari ante lucem per turmas atque ordines progressa cum rectoribus suis, & circa ostia constituta non palatii superioris, sed prope Isidis templum (ibi enim Principes nocte illa quiescebant) prima jam aurora incipiente procedunt Vespasianus & Titus lauro quidem coronati, amicti vero patria veste purpurea: & ad Octavianas ambulationes transeunt: ibi enim Senatus, & ducum proceres, & honorati equites, eorum præstolabantur adventum. Tribunal autem ante porticus factum erat, sellæque eburneæ in eo præparatæ. Quo cum ascendissent, consederunt. Statimque eos militaris favor excepit, multis virtutem testimoniis prædicans. Illi autem inermes erant, in veste serica laureis coronati. Perceptis autem laudibus eorum Vespasianus, cum dicere adhuc vellet, silentii signum dedit. Magnaque omnium quiete facta surrexit, & amictu magnam partem capitis adopertus, solemnia vota celebravit: idemque Titus fecit. Perfectis autem votis, Vespasianus in commune omnes breviter allocutus, milites quidem ad prandium, quod his ex more ab Imperatore parari solet, dimittit: ipse vero ad portam recedit, quæ ab eo, quod per illam semper triumphorum pompa ducitur, nomen accepit. Ibi & cibum prius capiebant, & triumphalibus vestibus amicti, diis ad portam collocatis, cæsa hostia, inter spectacula transeuntes triumphum ducebant, ut multitudini facilior præberetur aspectus. Pro merito autem narrari multitudo eorum spectaculorum & magnificentia non potest, in omnibus quæ quisque excogitaverit, vel artium miris, vel divitiarum opibus, vel naturæ novitate. Nam pene quæcumque hominibus qui usquam sunt fortunatis paulatim quæsita sunt, aliis alia mirabilia atque magnifica, hæc universa illa die Romani Imperii magnitudinem probavere. Etenim argenti aurique nec non eboris in omni spe-

A cie operum multitudinem, non ut in pompa ferri cerneres, sed ut ita dixerim omnia fluere: & alias quidem vestes ex rarissimis generibus purpuræ portari, alias diligentissima pictura variatas arte Babylonia: gemmæ autem clarissimæ tam multæ, aliæ coronis aureis, aliæ aliis operibus inclusæ traductæ sunt, ut appareret frustra nos earum usquam rerum esse aliquid suspicari. Ferebantur etiam simulacra, quæ illi Deos habent, & magnitudine mirabilia, & arte non defunctorie facta: horumque nihil non ex pretiosa materia. Quin & animalium diversa genera producebantur, propriis ornamentis induta. Erat autem etiam quæ singula portaret magna hoB minum multitudo, purpureis vestibus atque inauratis ornata. Ipsi etiam qui ad pompam fuerant ab alia turba discreti, præcipua & mirabili ornamentorum magnificentia culti erant. Insuper his, ne captivorum quidem vulgus inordinatum videres, sed varietas & pulchritudo quidem vestium natam ex fatigatione corporum deformitatem oculis subtrahebat. Maxime autem stupori erat, pegmatum quæ portabantur fabricatio, pro quorum magnitudine timendum viribus portantium occurrentes putabant: multa enim in tertium nidum quartumque surgebant: & magnificentia fabricæ cum adC miratione delectabat: multis aurata veste circundatis, cum aurum præterea factum atque ebur omnibus esset affixum. Multis autem imitationibus bellum aliter in alia divisum, certam sui faciem demonstrabat. Erat enim cernere vastari quidem fortunatissimam terram, totas vero interfici acies hostium: & alios fugere, alios captivos duci: murosque excellentes magnitudine machinis dirui, & castellorum excindi munimina, & populosarum civitatum mœnia disturbari, exercitumque intra muros infundi: cædisque omnia loca plena, & eorum qui manu resistere non poterant preces, ignemque templis immissum; ædiumque super doD minos post multam vastationem eversiones: atque amnis tristitiam, defluentis non in arva culta, neque ad hominum vel pecorum potum, sed per terram, ex omni parte flagrantem. Hæc enim Judæi bello passi sunt: ars autem & confectorum operum magnitudo, nescientibus adhuc facta tanquam præsentibus ostendebant. Eratque per singula pegmata captæ civitatis dux, ita ut captus fuerat ordinatus. Multæ enim naves sequebantur. Spolia vero alia quidem passim ferebantur: eminebant autem ea quæ apud Hierosolymam in templo reperta sunt; mensa aurea ponderis talenti magni, & candelabrum similiter quidem ex auro factum, sed E opere commutato, ab usus nostri consuetudine: nam media quidem columna basi hærebat, tenues autem ab ea cannulæ producebantur, formatæ ad similitudinem fuscinæ, ad summum quæque in lychni speciem fabricatæ: erant autem numero septem, septimi diei, qui apud Judæos feriatus est, indicantes honorem. Post hæc autem portabatur lex Judæorum, novissima spoliorum. Deinde transibant plurimi victoriæ simulacra portantes: omnia ex auro & ex ebore facta. Post hæc Vespasianus prior ibat: & Titus deinde sequebatur. Domitianus autem adequitabat, ipse quoque ornatus pulchritudine, dignumque spectari exhiF bens equum. Pompæ autem finis fuit Capitolini Jovis templum: quo postquam ventum est, constitere. Erat autem vetus mos patrius, operiri donec ducis hostium mortem quispiam nunciaret. Is erat Simon Gioræ, tunc inter captivos in pompa traductus: laqueo vero circumdatus per forum trahebatur: quo eum simul cæderent qui ducebant. Lex enim Romanis est, ibi necare criminum reos morte damnatos. Postquam igitur eum finem vitæ habere nunciatum est, omniumque fa-

vor secutus est, tunc hostias inchoavere: hisque secundo per vota solemnia omine peractis, in palatium recessere. Et alios quidem epulis ipsi excepere, aliis autem omnibus domi conviviorum instructi erant apparatus. Hunc enim diem urbs Romana celebrabat, victoriæ quidem in hostes gratulatorium, finem vero malorum civilium & spei bonæ pro felicitate principium.

CAP. XVIII.

Severi Augusti triumphalis Romæ ingressus.

HIs confectis rebus, Severus in urbem venit: quumque sedisset in equo usque ad portas urbis, amictus veste equestri, urbana indutus, pedibus introiit. Comitabatur autem eum omnis exercitus, pedites equitesque armati consequebantur: fuitque illud spectaculum omnium magnificentissimum. Nam urbe tota floribus & laureis coronata, ornataque variis vestibus, in magno splendore luminum & suffimentorum populus acclamabat albatus lætusque: milites, ut in magno conventu & pompa, cum magno decore incedebant armati: Senatus aderat ornatu senatorio: multitudo contendebat illum videre & audire loquentem, quasi a fortuna immutatus esset, attollebantque se vicissim, ut ipsum de superiore loco intuerentur. Postquam ingressus est in urbem, Senatui confirmavit ea quæ superiores boni principes fecerant: videlicet nullum senatorem suo jussu interfectum iri, idque non solum juravit, sed præcepit etiam ut publico decreto sanciretur, Imperatorem, si senatori mortem afferret, eumque cujus opera ad eam rem uterentur, liberosque ipsorum, hostes reipublicæ futuros.

CAP. XIX.

Gallieni Imperatoris triumphalis pompa.

GAllienus quasi magnum aliquid gessisset, Romam cursu rapido convolavit: convocatisque Patribus decennia celebravit novo genere ludorum, nova specie pomparum, exquisito genere voluptatum. Jam primum inter togatos Patres & Equestrem Ordinem, albatis militibus, & omni populo præeunte, servis etiam prope omnium, & mulieribus cum cereis, facibus, & lampadibus præcedentibus, Capitolium petiit. Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boves, cornibus auro jugatis, & dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes. Agnæ candentes ab utraque parte CC præcesserunt, & X. elephanti, qui tunc erant Romæ, mille CC. gladiatores pompaliter ornati, feræ diversi generis CC. ornatu quam maximo affectæ. Carpenta cum mimis & omni genere histrionum: pugiles sacculis, non veritate pugillantes. Cyclopea etiam luserunt omnes apenarii, ita ut miranda quædam & stupenda monstrarent. Omnes viæ ludis strepituque & plausibus personabant, ipse medius cum picta toga & tunica palmata inter Patres (ut diximus) omnibus sacerdotibus prætextatis Capitolium petiit. Hastæ auratæ altrinsecus quinquagenæ, vexilla centena, & præterea quæ collegiorum erant, dracones, & signa templorum, omniumque legionum ibant. Ibant præterea gentes simulatæ, ut Gotthi, Sarmatæ, Franci, Persæ: ita ut non minus quam duceni singulis globis ducerentur. Hac pompa homo ineptus eludere se credidit Populum Romanum: sed, ut sunt Romanorum facetiæ, alius Posthumo favebat, alius Regilliano, alius Aureolo, aut Æmiliano, alius Saturnino: nam & ipse jam imperare dicebatur. Inter hæc ingens querela de patre: quem inultum filius relinqueret, cum externi eum utcunque vindicassent. Nec tamen Gallienus ad talia movebatur, occupato voluptatibus animo: sed ab iis qui circum eum erant requirebat, *Et quid habemus in prandio? & quæ voluptates paratæ sunt? & qualis cras erit cœna? quales Circenses?* Sic confecto itinere, celebratisque hecatombis, ad domum regiam rediit: conviviisque & epulis depulsis, alios dies voluptatibus publicis deputabat.

CAP. XX.

Aureliani Augusti triumphus ex Oriente.

AUrelianus pacato Orientis statu, Romam reversus est. Scribit Vopiscus inter cætera spolia, quæ & multa & pretiosa sunt ab Aureliano templis defixa, fuisse purpureum pallium in templo Capitolini Jovis suspensum, *Divini*, ut ejus verbo utar, *coloris*, *qualem neque prius, neque postea Roma viderit*. Imperatoris purpura nobilissimarumque matronarum illi admota cinericii videbatur coloris. Id munus Aurelianus a Persarum Rege post Palmyrenam victoriam dono accepisse ferebatur, ab interioribus Indis in Persidem missum. Fuit inde curæ ipsi Principi, mox Probo & Diocletiano per nobilissimos infectoriæ artis opifices id genus purpuræ conficere. Sed neque ratio neque materia iniri potuit. Sandyx Indica quum rite curata esset, credita est eum colorem conficere.

Reversus Romam Aurelianus Zenobiam in triumpho duxit: Ea subaquilo fuisse colore traditur, oculis nigris, supra modum vigentibus, venustate eximia, dentibus adeo candidis, ut margaritas plerique dentium loco eam sibi concinnasse crederent, vox clara & virilis, clemens ubi opus esset, &, quod rarum in fæmina est, miræ castitatis, ut ne virum quidem suum sciret nisi mensium circuitu tentatis conceptionibus. Vixit regali pompa, Persarum regum more passa est se adorari. Galeata ad concionem processit, gemmis purpureo limbo dependentibus. Raro usa est pilento, equo sæpius. Ambulavit sæpissime ad quatuor millia passuum cum peditibus. Bibit sæpe cum ducibus, quum sobria alioqui esset. Eunuchos non nisi grandes natu habuit, raras puellas. Filios adeo Latino exercuit sermone, ut Græce vel difficile, vel raro loquerentur. Nec ipsa Romanæ ignara linguæ, sed rarius sic locuta, pudore cohibita. Ægyptiace plurimum loquebatur. Fuitque Alexandrinæ historiæ totiusque Orientis peritissima, quam in formam Epitomes redegisse traditur. Et Zenobia quum talis esset Aureliani currum captiva præcessit, adeo gemmis onusta, ut sæpe processu pompæ restiterit, fassa se nimium gemmarum pondere degravari, vincti erant pedes & manus aureis catenis, atque per hunc modum triumphata in Tyburti vixit cum filiis, ubi prædia sunt ei publice data. Mansit loco nomen in posterum, ut Zenobia diceretur, haud procul ab Adriani villa, & loco cui nomen conchæ est. Eutropius Romæ consenuisse autor est, & ab ea Zenoviam familiam in urbe propagatam.

Fuit Aureliani triumphus vario apparatu insignis. Tres regii currus prælati sunt, argento, auro, & gemmis insignes. Odenati unus, cujus Zenobia fuit uxor. Persicus alter ab ejus gentis Rege dono missus. Tertius Zenobiæ, qua infelix regina se Romam victrix inituram dixerat. Sed id omen in malum vertit, vincta enim eodem curru invecta est priusquam de ea sit triumphatum. Cervi quadrijuges quartum currum traxere. Fuerunt qui traderent eum Getharum Regis fuisse, hisque

Aurelianum triumphantem Capitolium ascendisse, cervosque ab eo Jovi ex voto immolatos. Præcesserunt elephanti vigenti, feræ Libycæ, Palestinæque cicuratæ ducentæ, tigres quatuor, camelopardales, alces. Gladiatorum paria octingenta. Ex barbaris gentibus captivi, Blemyæ, Arabes, Indi, Bactriani, Hiberes, Persæ, Sarraceni. Hi enim & Blemyæ pro Firmo in Ægypto ut socii bellarunt. Sunt & alia gentium nomina minus nota triumpho adhibita, & alia mundi plaga, Gethæ, Halani, Roxolani, Sarmatæ, Galli, Suevi, Vandali, & Germani. Fuerunt & Palmyrenorum principes & Ægyptiorum, qui ex rebellione ut hostes triumphati sunt, & quod omnium maxime conspicuum fuit, mulieres quædam virili habitu dimicantes, quæ cum Gethis captæ fuerant, quum pleræque aliæ in pugna periissent. Eas Amazonum progeniem esse titulus indicabat. Ductus est & Tetricus, qui aliquandiu in Gallia tyrannum egerat, tunica galbina, & Gallicis braccis ornatus. Prælatæ aureæ coronæ cum titulis civitatum, quæ eas principi dono dedere. Collegiorum omnium vexilla, & alia hujusmodi ornamenta, quæ celebriorem triumphi pompam reddere potuerunt. Post triumphum Aurelianus paniceas populo coronas viritim dedit, quas in Zenobiam moturus promiserat, sed aureas sibi promissas populus interpretabatur. Divisit & domesticatim suillam carnem, ediditque omnifariam spectacula, templum Solis ædificavit: quibus in urbe gestis, in Galliam profectus est, Vindelicosque barbarorum obsidione exemit.

CAP. XXI.

Triumphus Probi Imperatoris de Germanis & Blemyis.

TRiumphavit Probus Imperator de Germanis & Blemyis: omnium gentium drungos usque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit. Venationem in circo amplissimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi tale fuit: Arbores validæ per milites radicitus vulsæ connexis late longeque trabibus affixæ sunt, terra deinde superjecta, totusque circus ad sylvæ consitus speciem, gratia novi viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille: mille cervi: mille apri: mille damæ; ibices, oves feræ, & cætera herbatica animalia; quanta vel ali potuerunt vel inveniri. Immissi deinde populares, rapuit quisque quod voluit. Addidit alia die in amphitheatro una missione centum jubatos leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant: qui omnes contificiis interemti sunt; non magnum præbentes spectaculum quum occidebantur. Neque enim erat bestiarum impetus ille, qui esse ab eis egredientibus solet. Occisi sunt præterea multi, qui diripere volebant, sagittis. Editi deinde centum leopardi Libyci, centum deinde Syriaci; centum leænæ, & ursi simul trecenti: quarum omnium ferarum magnum magis constat fuisse spectaculum quam gratum. Edita præterea gladiatorum paria trecenta, Blemyis plerisque pugnantibus, qui per triumphum erant ducti; plerisque Germanis & Sarmatis, nonnullis etiam latronibus Isauris.

CAP. XXII.

Diocletiani triumphus insignis Imperio aucto & propagato.

AB Ortu usque ad Indos propagati sunt sub Diocletiano Imperii fines; non Euphrates, non Tigris vetuere, non superbæ Regum Persarum minæ: a Meridie Æthiopes per legatos accessere: ab Aquilone barbaræ feræque nationes Sarmatarum domitæ: ab Occasu Gessoriacus Oceanus admirabilis victoriæ testis fuit simul & Britannicus. Igitur toto terrarum orbe undique Romana arma illustres victorias assequuta, sociis lætitiam præbuere, rebellibus metum, terroremque pugnare cupientibus. Porro Persæ armis Romanorum cedere confessi, intra positos terminos se tenuerunt. Post tot igitur victorias maximus triumphus ab Senatu decretus, & inclyta cognomina principibus indita ab devictis populis. Diocletianus vero Romanorum principum victoriosissimus, divinos honores Imperatoribus augustis habendos præcepit. Nam quum priores, ut consules salutarentur, primus ipse voluit adorari, tanquam in eo esset cælestis majestas. Persarum iste mos, quorum princeps *Rex regum* appellatur & adoratur, fratrem Solis ac Lunæ se nuncupans. Imperatores etiam antea manus exosculandas nobilibus præbebant, postque suis eos manibus sublevabant ad oris osculum. Vulgus genua exosculabatur. Diocletianus edicto sanxit, uti omnes sine generis discrimine prostrati, pedes exoscularentur: quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calciamenta auro, gemmis & margaritis, (quod fecisse ante Cajum Caligulam memorant) eundem ornatum immiscuit vestibus, ut augustior esset: & quum contentus esse debuisset quibus priores fuissent insignibus, quæ Priscus Tarquinius accepta ab Hetruscis induxit, reperit ex ipso habitu, uti Deus haberetur, majoreque sumptu vanam Arsacis gloriam superaret. Itaque veste gemmata, & aureo gemmatoque curru, cum Imperii Consorte triumphavit ingenti ferculorum pompa, ante præcinentibus & saltantibus lætitia militibus, quibus libertas erat scommata in ipsos effu idere triumphantes. Ipsa quidem fercula primus ostendit Romulus, qui ramum quernum manu cepit, in quo cæsi Acronis regis Cæninensium opima Jovi Feretrio in Capitolium tulit: quæ fercula postquam arma Romana longius provecta fuere, fabricari cœpere cum signis & monimentis victoriæ, quæ possent manibus militum ferri. Inferebantur autem fere omnes triumphi via Appia, porta Capena. Ea enim via ampla VIII. mil. pass. ab urbe frequens ex utroque latere habita, & inde in Capitolium rectum & amplum iter. In quo lignei primum continuique arcus, post marmorei columnis suffulti. Unde multitudo satis commode triumphum spectare posset. Cujus ordo non semper idem, verum quem Diocletianus cum Consorte duxisse memoratur talis fuit: Templa Deorum immortalium tota urbe patebant, ornata sertis & floribus, spirantia Arabicos odores, itinera ubique repleta pinguibus mensis & lætis poculis, ut fessi victores se recrearent. Præferebantur in vehiculis tabulæ, signa, colossi, hostium galeæ, thoraces, ocreæ, peltæ, scuta, vexilla, pharetræ, tela, arcus, enses, frena, & equorum picturata strata, tapetes, & quæ alia pretiosa ac digna spectaculis, devictis hostibus, allata erant: utpote ex Oriente, & Assyriis ac Persis, tentoria & ex Babylo-

nico opere multa. Post ibat ingens hominum grex, qui in vasis ferebant aurum argentumque & purum & signatum: singula vasa validi juvenes humeris ferebant. Post argentei crateres, pelves, phialæ, calices, vestes, & tota regia supellex, & vasa ex solidis gemmis. Hinc ferculorum multitudo: & hæc sequebantur tubicines bellicum clangorem intonantes, deinde boves auratis cornibus, quorum medios vittæ cingebant: nec non & frontibus vittatos ad sacrificium succincti popæ, hoc est ministri, agebant: sequebantur & alii ministri cum argenteis patinis. Regia dehinc proles uxoresque & nati & sorores, cum pincernis servisque ac nutricibus, & pleraque Persarum nobilitate, patrio more vestiti omnes, sed pullati: quæ turba etsi spectantium oculos implevit numero, tamen lætiores reddidere tabulæ duæ: altera ipsam Persida ostendens suppliciter tollentem manus, & exorantem a P.R. gentium victore, veniam: altera Narsen regem fugientem conspiciendum præbens. Post ingens captivorum turba satis mœsta: in qua fuerunt Scytharum & variarum gentium duces, qui lacrymas effundebant. Præferebantur aureæ coronæ & munera victori dono data. Propius currum præcedebant homines stipitibus sudibusque accensis, qui turbam submoverent. Post sequebatur triumphantium currus ex auro & lapillis pretiosis totus, quem trahebant quatuor equi candore certantes cum nive: in eo sellæ curules duæ ornatæ gemmis erant, in quibus sedebant principes terrarum, triumphantium capitibus imminebant victoriæ alatæ. Currum sequebantur captivitate liberati, raso capite, & pileati; deinde equites laureati.

CAP. XXIII.

Constantii Augusti triumphus de Magnentio tyranno.

HÆc dum per Eoas partes & Gallias pro captu temporum disponuntur, Constantius concluso Jani templo, stratisque hostibus cunctis, Romam gestiebat visere, post Magnentii exitium absque nomine ex sanguine Romano triumphaturus. Nec enim gentem ullam bella cientem per se superavit, aut victam fortitudine suorum compescuit ducum, vel addidit quædam imperio, aut usquam in necessitatibus summis primus, vel inter primos est visus: sed ut pompam nimis extentam, rigentiaque auro vexilla, & pulchritudinem stipatorum ostenderet agenti tranquillius populo, hæc vel simile quicquam videre nec speranti unquam, nec optanti: ignorans fortasse, quosdam veterum principum in pace quidem lictoribus fuisse contentos: ubi vero præliorum ardor nihil perpeti poterat segne, alium anhelanter rabido flatu ventorum lenunculo se commisisse piscantis, alium ad Deciorum exempla vovisse pro Rep. spiritum, alium hostilia castra per semetipsum cum militibus infimis explorasse: diversis denique actibus inclaruisse magnificis, ut gloriosas suas res posteritati celebri memoria commendarent. Ut igitur plurima consumpta sunt in apparatu regio, pro meritis cuilibet munera reddita sunt, transcursoque Ocriculo elatus honoribus magnis, stipatusque agminibus formidandis, tanquam acie ducebatur instructa, omnium oculis in eo contuitu pertinaci intentis. Quumque urbi propinquaret, Senatus officia, reverendasque patritiæ stirpis effigies ore sereno contemplans, non ut Cyneas ille Pyrrhi legatus in unum coactam multitudinem regum, sed asylum mundi totius adesse existimavit. Unde quum se vertisset ad plebem, stupebat qua celeritate omne quod ubique est hominum genus confluxisset Romam: & tanquam Euphratem armorum specie territurus, aut Rhenum, altrinsecus præeuntibus signis, insidebat aureo solus ipse carpento, fulgenti claritudine lapidum variorum. Qua micante, lux quædam misceri videbatur, aliosque purpureis sub tegminibus texti circumdedere dracones hastarum aureis gemmatisque summitatibus illigati, hiatu vasto perflatiles, & ideo velut ira perciti sibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum: quos cingebat hinc inde ordo geminus armatorum clypeatus atque cristatus, corusco lumine radians, nitidis loricis indutus; sparsique cataphracti equites, quos clibanarios dictitant Persæ, thoracum muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros: quos laminarum circuli tenues apti corporis flexibus ambiebant, per omnia membra deducti: ut quocunque artus necessitas commovisset, vestitus congrueret junctura cohærenter aptata. Augustus itaque faustis vocibus appellatus, vocum lituorumque intonante fragore cohorruit, talem se tamque immobilem, qualis in provinciis suis visebatur, ostendens. Nam & corpus perhumile curvabat portas ingrediens celsas, & velut collo munito rectam aciem luminum tendens, nec dextra vultum, nec læva flectebat, tanquam figmentum hominis; non quum rota concuteret nutans, nec spuens, aut nasum tergens vel fricans, manumve agitans est visus unquam. Quæ licet affectabat, erant tamen hæc & alia quædam in cætera vita patientiæ non mediocris indicia, ut existimari dabatur, uni illi concessa. Quod autem per omne tempus imperii, nec in consessum vehiculi quenquam suscepit, nec in trabea socium privatum adscivit, ut facere principes consuevere, & similia multa quæ elatus in arduum supercilium, tanquam leges æquissimas observavit; Romam ingressus, imperii virtutumque omnium larem, quum venisset ad rostra, ad perspectissimum priscæ potentiæ forum obstupuit: perque omne latus quo se oculi contulissent, miraculorum densitate præstrictus, alloquutus nobilitatem in curia, populumque pro tribunali, in palatium receptus favore multiplici, lætitia fruebatur optata: & sæpe quum equestres ederet ludos, dicacitate plebis oblectabatur, nec superbæ, nec a libertate coalita deficientis, reverenter modum ipse quoque debitum servans. Non enim, ut per civitates alias, ad arbitrium suum certamina finiri patiebatur, sed, ut mos est, variis casibus permittebat. Deinde intra septem montium culmina, per acclivitates planiciemque posita urbis membra collustrans & suburbana, quicquid erat primum, id eminere inter alia cuncta sperabat: Jovis Tarpeii delubra, quantum terrenis divina præcellunt, lavacra in modum provinciarum extructa, amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cujus summitatem ægre visio humana conscendit: Pantheon velut regionem teretem speciosa celsitudine fornicatam, elatosque vertice scansili suggestus consulum & priorum principum imitamenta portantes, & urbis templum, forumque Pacis, & Pompeii theatrum, & odeum, & stadium, aliaque inter hæc decora urbis æternæ. Verum quum ad Trajani forum venisset, singularem sub omni cœlo structuram, ut opinamur, etiam numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos. Omni itaque spe hujusmodi quicquam conandi depulsa, Trajani equum solum locatum in atrii medio, qui

ipſum principem vehit, imitari ſe velle dicebat, & poſſe. Cui prope aſtans regalis Hormiſda, reſpondit geſtu gentili, *Ante* (inquit) *Imperator ſtabulum tale condi jubeto, ſi vales: & tum equus, quem fabricare diſponis, ita late ſuccedat, ut iſte quem videmus*, Idem interrogatus, *quid de Roma ſentiret*, id tantum ſibi placuiſſe ajebat, *quod didiciſſet ibi quoque homines mori*. Multis igitur cum ſtupore viſis Imperator, de fama querebatur ut invalida vel maligna, quod augens omnia ſemper in majus, erga hæc explicanda quæ Romæ ſunt obſoleſcit.

CAP. XXIV.

Ordo & forma Romani triumphi altius & ab origine repetita ſummatim; ut omnia ante dicta etiam plenius intelligantur.

PRoficiſcentes Romam ad triumphum duces Romanos, Itali, quacunque ingrederentur, ſuo & ipſi triumpho excipiebant, ut de Scipione Livius teſtatur: Exſpectabant vero cum ad urbem ventum eſſet foris: quia lege cautum fuit, Ne quis Dux ante triumphi initium urbem ingrederetur. Erat autem territorium triumphale ibi, ubi apud baſilicam principis Apoſtolorum Petri, ſancti Andreæ eccleſia & cenotaphium extant: quo in celeberrimo priſcis etiam temporibus loco, tunc Apollinis templum, nunc ſanctæ Petronillæ eſt, ubique obeliſcus eſt ille ſublimis quem Cajum principem in Neronis circo erexiſſe Plinius eſt autor. Atque ex eo territorio triumphali parata triumphi pompa per viam procedebat triumphalem, cujus ſtratæ ſilicibus particula adhuc cernitur ſub ſancti Spiritus in Saxia hoſpitali, ut per nunc dirutum pontem Tyberis triumphalem proximum, & portam pariter dirutam ejus pontis triumphalem, cujus ampla cernere eſt fundamenta, in urbem & ad Capitolium duceretur. Continuabatur autem ea triumphalis via ad poſteriorem nunc porticum eccleſiæ ſancti Celſi, ad quam arcus marmorei ipſam amplexi viam, altera extat coxa corroſam e marmore ſtatuam retinens coloſſeam. Reflexa inde via ſancti Laurentii in Damaſo eccleſiam, & poſt Floræ campum petebat: idque hinc maxime proximis temporibus cernere fuit, quod in continuatis ſuper eam domibus fundamenta jacere aut puteos effodere molientes, ſiliceam veterem offenderunt ſpacioſiſſimam, a campo Floræ ad plateam nunc Judæorum: inde ad Junonis templum, nunc ſancti Angeli in foro piſcatorio eccleſiam, poſt ad ſanctum Georgium in Velabro procedens via ſub novis ædibus ruiniſque ab effodientibus invenitur, quouſque Jani templo Velabroque proxima in clivum deſitura Capitolinum detecta cernitur: a Velabro autem clivum inchoaſſe Capitolinum, per quem ad Jovis optimi maximi templum erat aſcenſus, ſatis conſtat. Notiſſimumque eſt ex Suetonio illud, Cæſarem Gallici triumphi die, prætervehentem Velabrum curru pene excuſſum fuiſſe, axe defracto: hæc itaque fuit triumphantium via ab obeliſco & territorio, portaque triumphali ad Jovis templum: cujus magna & diſſipata etiam nunc fundamentorum, ubi de facinoroſis in Capitolino colle ſupplicium ſumitur, veſtigia extant: viaque tota quam deſcripſimus non modo in P. Æmilii, ſed in cæteris quoque triumphis, undique aulæis auroque ornabatur: & fori ſediliaque ex materia, tabulataque ad utramque partem viæ, feneſtraſque, & per tecta pari

A diſponebantur ornatu, populum commode exceptura, qui nitidis veſtibus ita totus conveniebat, ut quod Joſephus ſcribit, nemo ex tanta multitudine ea die remaneret domi. Templaque ipſi imminentia viæ, quorum præter ſancti Angeli eccleſiam, nulla extant: aperta & ſertis vaporibuſque ſuavibus repleta erant. Multitudo miniſtrorum baculos manibus geſtantium inauratos, turbam e medio ſubmovebat, ut via aperta & pura redderetur. Qui vero bello confecto ad urbem cum reducto exercitu redierat Imperator, in Vaticani territorio triumphali ad obeliſcum expectabat. Ad quem locum ante lucem ſeſe omnis civitas effundebat. B Et quia lentiſſimo propter impedimenta tardanteſque machinas gradu incedendum erat, præceſſuri pontifices ſacerdoteſque & religioni addicta colluvio; ſuam pompam prius ducere inchoabant, quem inter conatum Imperator capite operto rem divinam faciebat, in qua ſic oraſſe eum accepimus. Dii, nutu & imperio quorum nata & aucta eſt res Romana: eandem placidi propitiatique ſervate. Currui autem triumphali ſummus & ſumptuoſiſſimus adhibebatur ornatus. Et tenſas proximiores nullo intermedio ſacerdotes Salii præcedebant, viri ſemper omnium graviſſimi totiuſ- C que civitatis ampliſſimi: quando Fabium Maximum, & L. Scipionem diutiſſime inter Salios vixiſſe ac obiiſſe: & Titum Veſpaſianum Saliis, a quibus erat in collegium cooptatus, gratias egiſſe ingentes legimus. Veſtes vero, quibus Salii in pompa utebantur, ſubtili ſimplicique ſerico cæruleo fuere colore, candidioribus virgulis intertextis, & ſyrma nullo ſuſtentante trahebant Salii: ancileque unum ex iis, quæ cœlo decidiſſe dicebant, brachio tanquam in prælio aptatum deferebant. Eratque in religione legitimum Salios in pompa ternos, ad ſummum quaternos & ſaltare ſimul & canere, quæ quidem carmina omnis pom- D pa cantu vel incondito referebat. Et ne addubitet quiſpiam graviſſimos ampliſſimoſque felicium ſtantis Reipublicæ ſæculorum viros adduci potuiſſe, ut in foro aut via triumphali ſaltarent: gloriari ſolitus traditur Maximus: ſe qui quartum & octogeſimum ageret annum, juniores multo collegas ſaltu ſuperaſſe: tenſæ dehinc quo ſequerentur ordine, operoſiſſimum fuerit ſcribere: ſed cum omnia templa, omnium deorum dearumque ſacella, omnes ædes, ſuos & quidem multiplices habuerint ſacerdotes, cum ſodales illis & more noſtro ſocietates ac collegia, tanto noſtris plura, quanto major tunc erat populus, fuerint, pompam quæ aut E præcederet aut ſequeretur tenſas ingentem eſſe oportuit, quæ quidem turba per ſuperius deſcriptam triumphalem viam & portam varia oblatrabat in deos carmina.

Singuli vero ordines ſacerdotum, ſingulæ ſodalitates, ſingula pegmatum & machinarum agmina ſuos habuere ludios, & ſymphoniacos, ſingulos pantomimos, per quos a præcedentibus collegiis dividerentur. Petreiæ enim alicubi fuerunt mulierculæ ebrias ſe geſticulationibus ſimulantes, quæ dum obtorto vacillantique greſſu in caſum & ruinam pendent, ſeſeque vix tandem ſuſtentantes totam paucis ſed amplius paſſibus viam complectun- F tur: turbas ad riſum provocabant. Et Manducos, alioqui digniores ditioreſque ſacerdotes, a quibus ſua gratior fieret pompa, præmittebant. Erantque hi larvato capite humano majori, maxillas vaſta magnitudine pariter vaſtis armatas dentibus habentes, qui ſuo tanti oris hiatu dentiumque crepitu, ſe in utramque partem viæ dum flecterent; ridentem turbam vertebant in fugam, & quicquid eſui ori applicaretur, tanquam deglutientes in ſinum demittebant. Utque majorem varietas delecta-

A ctationem faceret, Ciceriæ aliis interjectæ ordinibus, suos & ipsæ risus etiam viris gravibus excivere. Viri erant hi, veste & larvato oris habitu muliebri, quibus cervicis proceritas justa oblongior appareret, vocis tamen usus ad labia & inter dentes ita respondebat, ut verborum proprietas nullatenus desideraretur: qui media incedentes via spectatores ad utramque partem mira linguæ volubilitate, pro uniuscujusque conditione jocis aut ridiculis, lædoriis, laudibus, vituperationibus, aut seriis appetebant. Suisque pariter pompæ locis interjecti erant ludii; ingens citharœdorum tibicinumque turba, sericeis aureisque vestibus B induta, & coronis pariter aureis redimita, cum quibus nonnulli psallentes canentesque prodibant. Eorumque in medio ludius quispiam talari veste fimbriis armillisque aureis splendentibus amictus, varios edebat gestus; subinde Vestalibus psaltriæ & phanaticæ mulierculæ præluserunt, pariter & debacchantes Bacchi sacerdotes, haud secus quam in Orgiis capillo per humeros sparso, nudæ potius volare, quam saltare videbantur. Suum quoque inter alios pompæ sacerdotum, sodalium & epulonum ordines munus, mimi, histriones, pantomimi, & cætera ludionum turba præstabant: C Postquam pontem & portam triumphalen omnis superstitiosa Priscorum pompa transgressa erat, auri & argenti, armorum, bellicarumque machinarum, & ditissimæ ac lautissimæ supellectilis vis ingens pro re nata portabatur; pegmataque ordine ferebantur. Imperator vero curru sublimis auro, argento, gemmisque splendenti vehebatur. In quo curru circumcirca picti erant, Iupiter sceptrum, Neptunus tridentem, Juno hastam Quirini, manu gestantes, deinde Mercurius caput, pedesque alatus. Hostium vero duces & captivi nobiliores ante currum vincti ducebantur, ut ipsorum aspectu pulcherrimum spectaculum D fructumque victoriæ ingentem populus Romanus excipere posset, qui illos in carcerem duci videbant. Clamabant interim obstrepebantque ante & retro milites laureati: carmina in ducem suum laudibus plena, & subinde ridicula & opprobria, lædoriasque licentissime proferebant. Magnaque cum esset ac prope infinita earum, quæ in triumphum ducuntur, rerum & captivorum multitudo, & cum pompæ & populi innumera esset turba, a territorio triumphali in forum usque magnum Romanum novem horis (sicut in Aureliani triumpho contigit) ægre perveniebatur: & tamen cum ad ejus fori partem, quæ juxta Ovidii verba E de bove nomen habet, erat perventum, currus ipse subsistebat. Nec prius equos flectebant, qui eorum frena agebant adolescentes, quam & ipse Consul vexilla aliaque magistratus insignia in ipso foro deposuisset, & ducem hostium in carcerem perductum occisumque aliquis denunciasset: ut quem Populus Romanus, quem milites Romani aliquando metuerant, supplicio affectum esse gauderent. Tunc ascendens in Capitolium Consul rem divinam in Jovis Opt. Max. templo faciebat: cujus ad Deos oratio hæc fuisse refertur: Gratias tibi Jupiter Opt. Max. tibique Juno regina & cæ F teri hujus custodes habitatoresque arcis dii, libens, lætusque ago: re Romana in hanc diem horamque per manus quod voluisti meas servata bene, gestaque: eandem porro servate, ut facitis, fovete, protegite propitiati: quibus dictis finis erat, & ad epulas triumphales omnes se comparabant.

Cap. XXV.

De Ovatione, minore triumphi genere.

OVationem minoris esse triumphi genus, & Dionysius *lib.* v. testatur, & nos jam supra docuimus ex Plutarcho de M. Marcello. Festus quoque ovantes lætantes esse ait ab eo clamore quem mittunt redeuntes e pugna victores milites, geminata litera O: quod idem placet etiam Dionysio. Quasi vero Romani, inquit, *εὐασμὸν* Græcorum vocem, quæ *clamorem* significat, ovationis nomine voluerint interpretari. At Plutarchus hanc opinionem refellit; nomenque ovationis ab *ove* ductum putat, quam qui hoc genere triumphi ornabatur, sacrificabat: quemadmodum qui majorem triumphum agebat, taurum in Capitolium veniens immolabat. Differt autem ovatio a triumpho, ut ait Dionysius: quod qui ovans ingreditur, is nec curru vectus, nec trabeam nec togam pictam indutus pedibus urbem exercitu præeunte iniret: & Plutarchus ovantem nec quadrigis invectum, nec laurea coronatum, nec tubis concinentibus, sed pedibus & calceis myrtea redimitum, tibiis modulantibus urbem inisse testatur. Myrtea autem eos potius esse usos corona quam laurea Plutarcho assentior, quia idem traditum est a Plinio, Festo, Gellio, aliis.

Hoc autem triumphi genus institutum primum Romæ anno Urbis conditæ CCLIII. ex Licinii *Annalibus* docet Dionysius. Cur autem hoc factum sit non eandem causam idem cum Plinio affert. Hic enim quia Posthumius tum Consul leviter & sine cruore rem gesserat; ille ex prælio ante infelicissime facto, quo plurimis ex suis amissis, parum abfuit quin ipse cum cæteris in fuga caperetur.

De causis autem hujus decernendi honoris ita scribit Gellius: Ovandi non triumphandi causa est, quum aut bella non rite indicta, neque cum justo hoste gesta sunt; aut cum hostium nomen humile, & non idoneum est, ut servorum, piratarumque, aut deditione repente facta, in pulvere (uti dici solet) incruentaque victoria obvenit. Cui facilitati aptam Veneris frondem crediderunt, quod non Martius, sed quasi Venerius triumphus quidam foret. Hanc myrteam coronam bello fugitivorum confecto quum ovans rediret, insolenter aspernatus est: senatusque consultum faciendum per gratiam curavit, ut lauro non myrto coronaretur. Adjicit Plutarchus, cum verbis, & comitate res cum hostibus transacta, & bene gesta esset, tum ut ovantes inirent fuisse permissum. His addatur, cum aut in aliena provincia, aut alienis auspiciis, aut cum sine magistratu res gesta esset. Pedibus autem, an equo vecti ovantes ingrederentur, magna quæstio est; de qua sic etiam Gellius: *Prætereundum non est, quod ad ovationem attinet, super quo dissentire veteres autores scio. Partim enim scripserunt, qui ovaret introire solitum equo vehente: & Sabinus Massurius pedibus ingredi ovantes dicit; sequentibus eos non militibus, sed universo Senatu.* Hæc Gellius: itaque Dionysius pedibus ingressos, Dio equo vectos intelligit. Etenim ovantem ingredi, equo vehi Dio appellat. Nam de Tiberio ovante ait, *τὰ ἐπὶ τοῦ κέλητος ἐπινίκια ἔπεμψε*. Et de Druso, *τὸ ἐπὶ κέλητος ἐς τὸ ἄστυ ἐλάσαι*. Et de Augusto, *τὸ ἐφ' ἵπποις ἐξελάσαι*. Rursus de Antonio, *ἐπὶ ἵππων αὐτοὺς ἐξαγαγόντες*. Denique de Cæsare, *ἱππεύοντα ἐκ τοῦ Ἀλβανοῦ*. Dionysius tamen loquens de A. Manlio ovante anno Urbis conditæ CCLXXIX. pedestrem triumphum ovationem vocat: sed nos, missa hac sub judice li-

te, Fastos nunc triumphales Romæ nuper effossos summatim subjiciamus, ut quo quisque tempore seu triumphans seu ovans urbem inierit, in una quasi tabula possimus contueri.

CAP. XXVI.

Fasti triumphales ab Urbe condita ad annum ejus DCCLXIV.

	Anno Urbis conditæ.
Romulus Rex de Cæninensibus & Antemnatibus primus triumphavit,	IV.
Romulus Rex II. triumphavit de Camerineis,	XVI. Kal. Sextil.
Romulus Rex III. triumphavit de Fidenatibus & Veientibus,	. . . Idib. Octob.
Tullus Hostilius Hosti F. Hosti N. Rex de Albanis.	
Tullus Hostilius Hosti F. Hosti N. Rex II. de Fidenatibus.	
Tullus Hostilius Hosti F. Hosti N. Rex III. de Sabinis	
Ancus Martius Numæ F. M. N. Rex de Veientibus.	
Ancus Martius Numæ F. M. N. Rex II. de Sabinis.	
L. Tarquinius Damarati F. Priscus Rex de Latinis.	
L. Tarquinius Damarati F. Priscus, Rex II. de Etruscis.	
L. Tarquinius Damarati F. Priscus, Rex III. de Sabinis,	CXX. Idib. Septemb.
Ser. Tullius Rex de Etruscis,	CXXCII. VI. K. Dec.
Ser. Tullius Rex II. de Etruscis,	CXXCVI. VIII. Kal. Jun.
Ser. Tullius Rex III. de Etruscis,	CXXC. . . IV Non.
L. Tarquinius L. F. Damarati N. superbus Rex de Volscis.	
L. Tarquinius L. F. Damarati N. superbus Rex de Sabinis.	
P. Valerius Volusi F. Poplicola Consul primus de Veientibus & Tarquiniensibus,	CCXLIV. Kal. Mart.
M. Valerius Volusi F. Consul de Sabinis,	CCXLVIII.
A. Postumius Q. F. Tubertus Consul de Sabinis,	CCXLVIII.
P. Valerius Volusi F. Poplicola II. Cos. IV. de Sabinis & Veientibus,	CCXLIX. . . Non. Maii.
P. Postumius Q. F. Tubertus Cos. II. ovans primus de Sabinis,	CCL. III. Non. Apr.
Agrippa Menenius C. F. Lanatus Cos. de Sabinis,	CCL. pridie Non. Ap.
Sp. Cassius Viscellinus Cos. de Sabinis,	CCLI.
A. Postumius P. F. Albus Regillensis Dictator primus de Latinis,	CCLVII.
M. Valerius Volusi F. Dictator de Sabinis,	CCLVIIII.
T. Sicinius Sabinus Consul de Volscis,	CCLXVI.
C. Aquillius Tuscus Consul ovans de Hernicis,	CCLXVI.
Sp. Cassius Viscellinus II. Consul III. de Volscis & Hernicis,	CCLXVII. . . Jun.
P. Valerius P. F. Volusi N. Poplicola Consul de Veientibus Sabinisque,	CCLXXIIX. Kal. Maii.
A. Manlius Cn. F. P. N. Vulso Consul ovans de Veientibus,	CCLXXIX. Idib. Mart.
T. Quinctius Capitolinus Consul II. de Antiatibus,	CCLXXXV.
L. Lucretius T. F. T. N. Tricipitinus Cos. de Æquis,	CCLXXXXI.
T. Veturius T. F. P. N. Geminus Cicurin. Cos. ovans de Volscis,	CCXCI.
Q. Fabius M. F. K. N. Vibulanus Cos. III. de Æquis,	CCXCIIII. Non. Maii.
L. Cornelius Ser. F. L. N. Maluginensis Cossus Consul de Volscis Antiatibus,	CCXIV. IV. Id. Mai.
L. Quinctius L. F. L. N. Cincinnatus Dictator de Æquis,	CCXCV. Idib. Septemb.
M. Horatius M. F. M. N. Barbatus Consul de Sabinis,	CCCIV. VII. Kal. Septemb.
L. Valerius P. F. P. N. Poplicola Potit. Consul de Æquis,	CCCIV. Idib. Sextil.
M. Geganius M. F. Macerinus Consul de Volscis,	CCCX. Non. Septemb.
Mam. Aimilius M. F. Mamercinus Dictator de Faliscis, Veientibus & Fidenatibus,	CCCXVI. Idib. Septemb.
A. Postumius Tubertus Dictator de Æquis & Volscis,	CCCXXII.
A. Cornelius Cossus Consul de Veientibus,	CCCXXV.
Mam. Aimilius M. F. Mamercinus II. Dictator III. de Veientibus & Fidenatibus.	CCCXXVII.
N. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus Consul ovans de Æquis,	CCCXXXII.
C. Valerius L. F. Volusi N. Potitus Volusus ovans de Æquis,	CCCXLIII.
M. Furius Camillus Dictator de Veient.	CCCLVII.

	Anno Urbis conditæ.
L. Valerius L. F. L. N. Potitus Consul de Æquis,	CCCLXI.
M. Manlius Capitolinus Consul ovans de Æquis,	CCCLXI.
M. Furius Camillus II. Dictator II. de Gallis,	CCCLXIII. Idib. Febr.
M. Furius Camillus III. Dictator III. de Volscis, Æquis & Etruscis,	CCCLXIV.
A. Cornelius Cossus Dictator de Volscis,	CCCLXVIII.
T. Quinctius Cincinnatus Dictator de Prænestinis,	CCCLXXIII.
M. Furius Camillus IV. Dictator V. de Gallis Senonibus,	CCCXXCVI.
Ap. Claudius P. F. A. N. Crassin. Regillens, Dictator ovans de Hernicis,	CCCXCII ... Novemb.
T. Quinctius Barb. Capitolin. Crispin. Dictator de Gallis, Quirinalibus ipsis,	CCCXCII.
C. Sulpicius M. F. Q. N. Peticus Consul II. de Hernicis,	CCCXCII ... Mart.
C. Potœlius C. F. Q. N. Libo. Visolus Consul de Gallis & Tiburtib.	CCCXCIII ... Mart.
M. Fabius N. F. M. N. Ambustus Consul ovans de Hernicis,	CCCXCIII. Non. Sept.
C. Sulpicius M. F. Q. N. Peticus II. Dictator de Gallis,	CCCXCV. Nonis Maii.
C. Plautius P. F. P. N. Proculus Consul de Hernicis,	CCCXCV. Idib. Maii.
C. Marcius L. F. C. N. Rutilius Dictator de Tuscis,	CCCXCVII. pri. No. Mai.
M. Fabius N. F. M. N. Ambustus II. Consul III. de Tiburtib.	CCCXCIX. III. Non. Jun.
M. Popillius M. F. C. N. Lænas Consul III. de Gallis,	CD. III. Quirinalib.
M. Valerius M. F. M. N. Corvus Consul II. de Antiatib. Volscis, Satricanisque,	CD. VII. Kal. Febr.
M. Valerius M. F. M. N. Corvus II. Consul III. de Samnitib.	CDX. Kal. Oct.
A. Cornelius P. F. A. N. Cossus Arvina Consul de Samnitib.	CDX. VIII. Kal. Oct.
T. Manlius L. F. A. N. Imperiosus Torquatus Consul III. de Latinis, Campanis, Sidicenis, Auruncis,	CDXIII. XV. Kal. Jun.
Q. Publius Q. F. Q. N. Philo Consul de Latinis,	CDXIV. Idib. Jan.
L. Furius Sp. F. M. N. Camillus Consul de Pedaneis & Tiburtib.	CDXV. IV. Kal. Octob.

	Anno Urbis conditæ.
A C. Mænius P. F. P. N. Cos. de Antiatib. Laviniis, Veliternis,	CDXV. prid. Kal. Oct.
M. Valerius M. F. M. N. Corvus III. Consul IV. de Calenis,	CDXIIX. Idib. Mart.
L. Aimilius L. F. L. N. Mamercin. Privernas Cos. II. de Privernatibus,	CDXXIV. Kal. Mart.
C. Plautius P. F. P. N. Decianus Consul de Privernatibus,	CDXXIV. Kal. Mart.
B Q. Publius Q. F. Q. N. Philo II. Primus Proconsul de Samnitib. Palæpolitanis,	CDXXVII. Kal. Maii.
L. Papirius S. F. L. N. Cursor Dictator de Samnitibus,	CDXXIX. III. Non. Mart.
L. Fulvius L. F. L. N. Curvus Consul de Samnitibus,	CDXXXI. Quirinalib.
Q. Fabius M. F. N. N. Maximus Rullianus Consul de Samnitib. C & Apulis,	CDXXXI. XII. Kal. Mart.
L. Papirius S. F. L. N. Cursor II. Consul III. de Samnitibus,	CDXXXIV. X. Kal. Sept.
C. Sulpitius Ser. F. Q. N. Longus Consul III. de Samnitibus,	CDXXXIX. Kal. Quint.
M. Valerius M. F. M. N. Maximus Consul de Samnitibus Soranisque,	CDXLI. Idib. Sext.
C. Junius C. F. C. N. Bubulcus Brutus Consul III. de Samnitibus, D	CDXLII. Non. Sext.
Q. Æmilius Q. F. L. N. Barbula Consul II. de Etruscis,	CDXLII. Idib. Sext.
L. Papirius S. F. L. N. Cursor III. Dictator II. de Samnitib.	CDXLIV. Idib. Oct.
Q. Fabius M. F. N. N. Maximus Rullianus II. Proconsul de Etruscis,	CDXLIV. Idib. Nov.
E Q. Marcius Q. F. Q. N. Tremulus Consul de Anagninis Hernicisque,	CDXLVII. pr. K. Quint.
M. Fulvius L. F. L. N. Corvus Petin. Consul de Samnitib.	CDXLIIX. III. Non. Oct.
P. Sempronius P. F. C. N. Sophus Consul de Æquis,	CDXLIX. VII. Kal. Oct.
F P. Sulpicius Ser. F. P. N. Saverrio Consul de Samnitibus,	CDXLIX. IV. Kal. Nov.
C. Junius C. F. C. N. Bubulcus Brutus II. Dictator de Æquis,	CDLI. III. Kal. Sext.
M. Valerius M. F. M. N. Corvus IV. Dictator II. de Etruscis,	CDLII. X. Kal. Dec.
M. Fulvius Cn. F. Cn. N. Pætinus Consul de Samnitib. Nequinatibusque,	CDLIV. VII. Kal. Oct.

	Anno Urbis conditæ.
Cn. Fulvius Cn. F. Cn. N. Maximus Centumalus Consul de Samnitib. Etruscisque,	CDLV. Idib. Nov.
Q. Fabius M. F. N. N. Maximus Rullian. III. Consul v. de Samnitib. Etruscis, Gallis,	CDLIIX. pr. No. Sept.
L. Postumius L. F. Sp. N. Megell. Consul II. de Samnitib. & Etruscis,	CDLIX. VI. Kal. Apr.
M. Atilius M. F. M. N. Regulus Consul de Volsonib.&Samnitib	CDLIX. V. Kal. Apr.
Sp. Carvilius C. F. C.N. Maxumus Consul de Samnitibus,	CDLX. Idib. Jan.
L. Papirius L. F. Sp. N. Cursor Consul de Samnitibus,	CDLX. Idib. Febr.
Q.Fabius Q.F.M.N.Maximus Gurges Proconsul de Samnitib.	CDLXII.... Kal. Sext.
M. Curius M. F. M. N. Dentatus Consul de Samnitibus,	CDLXIII.
P. Cornelius P. F. Rufinus Cos.de Samnitib.	CDLXIII.
M. Curius M. F. M. N. Dentatus II. Consul de Sabinis,	CDLXIII.
M. Curius M. F. M. N. Dentatus III. Consul ovans de Lucanis,	CDLXIII.
P. Cornelius Dolabella Maximus Consul de Gallis & Etruscis,	CDLXX.
C. Fabricius C. F. C. N. Luscinus Consul de Etrusc s Gallisque,	CDLXXI. III. Non. Mart.
Q. Marcius Q. F. Q. N. Philippus Consul de Etruscis,	CDLXXII. Kal. Apr.
Ti. Coruncanius Ti. F. Ti.N.Consul de Vulsiniensibus & Vulcientibus,	CDLXXIII. Kal. Febr.
L. Aimilius Q. F Q N. Barbula Proconsul de Tarentinis, Samnitib & Sallentinis,	CDLXXIII. VI. Id. Quint.
C. Fabricius C. F. C N. Luscinus II. Consul II. de Lucanis, Bruttiis, Tarentinis, Samnitibus,	CDLXXV. Idib. Dec.
C. Junius C. F. C. N. Brutus, Bubulcus Consul II. de Lucanis & Bruttiis,	CDLXXVI. Ncn. Jan.
Q. Fabius Q. F. M. N. Maximus Gurges II. Consul II. de Samnitib. Lucanis, Bruttiis,	CDLXXVII. Quirinal.
M. Curius M. F. M. N. Denatus IV. Consul III. de Samnitib. & Rege Pyrrho,	CDLXXIIX.. Febr.
L. Cornelius Ti. F. Ser. N. Lentulus Consul de Samnitibus & Lucanis,	CDLXXIIX. Kal. Mart.

	Anno Urbis conditæ.
A C. Claudius ... F. C. N. Canina Consul II. de Lucanis Samnitibus & Bruttiis,	CDXXC. Quirinal.
Sp. Carvilius C.F. C.N. Maximus II. Consul II. de Samnitib. Lucanis, Bruttiis & Tarentinis,	CDXXCI.
L. Papirius L. F. Sp. N. Cursor II. Consul II. de Tarentinis, Samnitibus, Lucanis & Bruttiis,	B CDXXCI.
Cn. Cornelius L. F. Cn. N. Blasio Consul de Sassinatibus,	CDXXCIII.
P. Sempronius P. F. P. N. Sophus Consul de Picentibus,	CDXXCV.
Ap. Claudius Ap. F. C. N. Crassus Consul de Picentibus,	CDXXCV.
M. Atilius M F. L. N. Regulus Consul de Sallentinis,	CDXXCV. VIII....
C L. Iulius L. F. L. N. Libo Consul de Sallentinis,	CDXXCVI. VII. Kal. Febr.
D. Junius D. F. D. N. Pera Cos. de Sassinatibus,	CDXXCVII. V. Kal. Oct.
N. Fabius C. F. M. N. Pictor Consul de Sassinatibus,	CDXXCVII. III. Non. Oct.
N. Fabius C. F. M. N. Pictor II. Consul de Sallentinis Messapiisque,	D CDXXCVII. Kal. Febr.
D. Junius D. F. D. N. Pera II. Consul de Sallentinis Messaniisque,	CDXXCVII. Non. Febr.
M. Fulvius Q F. M. N. Flaccus Consul de Vulsiniensibus,	CDXXCIX. Kal. Nov.
C. Aquillius M. F. C.N. Florus Proconsul de Pœnis,	CDXCV. IV. Non. Oct.
C. Sulpicius Q. F Q.N. Paterculus Consul de Pœnis & Sardis,	CDXCV. III. Non. Oct.
E A. Atilius A. F. C. N. Calatinus Primus ex Sicilia de Pœnis,	CDXCVI. XIV. Kal. Febr.
C. Atilius M. F. M. N. Regulus Consul de Pœnis Navalem egit triumphum,	CDXCVI. VIII....
L. Manlius A. F. P. N. Vulso Long. Consul de Pœnis navalem egit,	CDXCVII. VII....
F Ser. Fulvius M. F. M N. Pætinus Nobilior Proconsul de Cossurensib. & Pœnis navalem egit,	CDXCIX. XIII. kal. Febr.
M. Aimilius M. F. L. N. Paullus Proconsul de Cossurensibus & Pœnis navalem egit,	CDXCIX. XII. Kal. Febr.
C. Lutatius C. F. C. N. Catulus Proconsul de Pœnis ex Sicilia navalem egit,	DXII. IV. Non. Oct.

	Anno Urbis conditæ.
Q. Valerius Q. F. P. N. Falto Proprætor ex Sicilia navalem egit,	DXII. prid. Non. Oct.
Q. Lutatius C. F. C. N. Cerco Consul de Faliscis,	DXII. Kal. Mart.
A. Manlius T. F. T. N. Torquatus Atticus Consul II. de Faliscis,	DXII. Non. Mart.
L. Cornelius L. F. T. N. Lentulus Caudinus Consul de Liguribus,	DXVII. Id. inter.
T. Manlius T. F. T. N. Torquatus Consul de Sardis,	DXVIII. VI. Id. Mart.
Sp. Carvilius Sp. F. C. N. Maximus Consul de Sardis,	DXIX. Kal. Apr.
Q. Fabius Q. F. Q. N. Maximus Verrucosus Consul de Liguribus,	DXX. Kal. Febr.
M. Pomponius M. F. M N. Matho Consul de Sardis,	DXX. Idib. Mart.
C. Papirius C. F. L. N. Maso Consul de Corsis primus in Monte Albano,	DXXII. III. Non. Mart.
Cn. Fulvius Cn. F. Cn. N. Centumalus Proconsul ex Illyriis navalem egit,	DXXV. X. Kal. Quint.
L. Aimilius Q. F. Cn. N. Papus Consul de Gallis,	DXXIIX. IV. Id. Mart.
C. Flaminius C. F. L. N. Consul de Gallis,	DXXX. VI. Id. Mart.
P. Furius Sp. F. M. N. Philus Consul de Gallis & Liguribus,	DXXX. IV. Id. Mart.
M. Claudius M. F. M. N. Marcellus Consul de Gallis Insubribus & Germanis,	DXXXI. Kal. Mart.
P. Cornelius Scipio Asina Cos. de Istris,	DXXXII.
L. Aimilius M. F. M. N. Paulus Consul de Illyriis,	DXXXIV.
M. Livius M. F. M. N. Salinator Consul de Illyriis,	DXXXIV.
M. Claudius M. F. M. N. Marcellus Proconsul II. de Syracusanis in Monte Albano,	DXLII.
M. Claudius M. F. M. N. Marcellus Proconsul III. ovans de Syracusis,	DXLII.
M. Livius M. F. M. N. Salinator Consul de Pœnis & Asdrubale,	DXLVI.
C. Claudius Ti. F. Ti. N. Nero Consul de Pœnis & Asdrubale,	DXLVI.
P. Cornelius P. F. L. N. Scipio Africanus Proconsul de Pœnis, Annibale & Syphace rege ex Aphrica,	DLII.
L. Cornelius L. F. L. N. Lentulus Proconsul ovans ex Hispania citeriore,	DLIII.

	Anno Urbis conditæ.
A L. Furius Sp. F. Sp. N. Purpereo Pr. de Gallis,	DLIII.
C. Cornelius L. F. M. N. Cethegus Consul de Insubribus & Cænomanis,	DLVI.
Q. Minucius C. F. C. N. Rufus Consul de Liguribus Bojisque Gallis in Monte Albano,	DLVI.
Cn. Cornelius Lentulus B Proconsul ovans ex Hispania citeriore,	DLVII.
M. Claudius M. F. M. N. Marcellus Consul de Comensibus & Insubribus,	DLVII. IV. Non. Mart.
M. Helvius Blasio Proprætor ovans ex Hispania citeriore,	DLVIII.
Q. Minucius Q. F. L. N. Thermus Proprætor ex Hispania citeriore,	DLVIII.
C M. Porcius M. F. Cato Proconsul ex Hispania citeriore,	DLIX.
T. Quinctius T. F. L. N. Flaminius Proconsul ex Macedonia & Rege Philippo per triduum,	DLIX.
M. Fulvius M. F. Ser. N. Nobilior Præter ovans ex Hispania ulteriore,	DLXII.
P. Cornelius Cn. F. L. N. Scipio Nasica Consul de Bojis,	DLXII.
D M. Acilius C. F. L. N. Glabrio Proconsul de Ætolis & Rege Antiocho,	DLXIII.
Q. Aimilius M. F. Regillus Proprætor de Rege Antiocho navalem egit,	DLXIV. Kal. Febr.
L. Cornelius P. F. L. N. Scipio Asiaticus Proconsul de rege Antiocho ex Asia,	DLXIV. prid. Kal. Mart.
E Q Fabius Q. F. Q. N. Labeo Prætor navalem egit ex Creta insula,	DLXIV.
M. Fulvius M. F. Ser. N. Nobilior Proconsul de Ætolis & Cephallenia,	DLXVI. Kal. Jan.
Cn. Manlius Cn. F. L. N. Vulso Proconsul de Gallis Asiaticis,	DLXVI. Non. Mart.
L. Manlius L. F. M. N. Acidin. Fulvian. Pro- F prætor ovans ex Hispania citeriore,	DLXVIII.
C. Calpurnius C. F. Cn. N. Piso Prætor de Lusitanis & Celtiberis,	DLXIX.
L. Quinctius Crispinus Prætor de Lusitanis & Celtiberis,	DLXIX.
A. Terentius Varro Proprætor ovans ex Hispania citeriore,	DLXX.

	Anno Urbis conditæ.
L. Aimilius L. F. M. N. Paulus Proconful de Liguribus Ingauneis,	DLXXII.
P. Cornelius L. F. P. N. Cethegus Proconful de Liguribus,	DLXXIII.
M. Bæbius Q. F. C. N. Tamphilus Proconful de Liguribus,	DLXXIII.
Q. Fulvius Q. F. M. N. Flaccus Proprætor ex Hifpania citeriore,	DLXXIII.
Q. Fulvius Q. F. M. N. Flaccus II. Conful de Liguribus,	DLXXIV.
Ti. Sempronius P. F. Ti. N. Gracchus Proprætor de Celtiberis,	DLXXV.
L. Poftumius A. F. A. N. Albinus Proprætor de Vaccæis & Lufitanis,	DLXXV.
C. Claudius Ap. F. P. N. Pulcher Conful de Iftris & Liguribus,	DLXXVI.
Ti. Sempronius P. F. Ti. N. Gracchus Proconful II. de Sardis,	DLXXVIII.
C. Valerius M. F. P. N. Lævinus Proconful de Liguribus,	DLXXVIII.
P. Mucius Q. F. P. N. Scævola Conful de Liguribus,	DLXXVIII.
Ap. Claudius C. F. Contho Proprætor ovans ex Celtiberia,	DLXXIX.
C. Cicercius . . . it. Proprætor ex Corfica in monte Albano.	DXXCI. Kal. Oct.
L. Aimilius L. F. M. N. Paulus II. Proconful ex Macedonia & Rege Perfe per triduum,	DXXCVI. Kal. Dec.
Cn. Octavius Cn. F. Cn. N. Proprætor ex Macedonia & Rege Perfe navalem egit,	DXXCVI. Kal. Dec.
L. Anicius L. F. M. N. Gallus Proprætor de Rege Gentio & Illyriis,	DXXCVI. Quirinalib.
M. Claudius M. F. M. N. Marcellus Conful de Gallis, Contrubeis & Liguribus,	DXXCVII. . . . Inter K.
C. Sulcipius C. F. C. N. Gallus Conful de Ligurib. Ta...rneis,	DXXCVII. X. Kal. Mart.
M. Fulvius M. F. M. N. Nobilior Proconful de Liguribus & Veleatibus,	DXCV. XII. Kal. Sept.
M. Claudius M. F. M. N. Marcellus II. Conful II. De...us Et. .	DXCVIII.
P. Cornelius P. F. Cn. N. Scipio Nafica Conful de Dalmatis,	DXCVIII.
Q. Opimius Q. F. Q. N. Conful de Liguribus,	DXCIX.
L. Mummius Prætor de Lufitanis,	DC.

	Anno Urbis conditæ.
M. Claudius M. F. M. N. Marcellus III. Proconful de Celtiberis,	DCII.
Q. Cæcilius Q. F. L. N. Metellus Proprætor ex Macedonia de Andrifco,	DCVII.
P. Cornelius P. F. P. N. Scipio Africanus Aimilius Proconf. de Pœnis & Afdrubale ex Africa,	DCVII.
L. Mummius II. Proconful de Achæis & Corinthiis,	DCVIII.
Ap. Claudius Ap. F. Ap. N. Pulcher Conful de Salaffis ex Alpibus.	DCX.
M. Perperna Prætor ovans de Servis fugitivis ex Sicilia,	DCXIIX.
Servius Fulvius Flaccus Conful de Vardæis ex Illyrico,	DCXIIX.
D. Junius M. F. M. N. Brutus Proconful de Lufitanis & Gallecis ex Hifpania ulteriore,	DCXXI.
P. Cornelius P. F. P. N. Scipio Africanus Aimilianus II. Proconful de Numantinis ex Hifpania citeriore,	DCXXI.
P. Rupilius P. F. P. N. Proconful ovans de Servis fugitivis ex Sicilia,	DCXXII.
C. Sempronius C. F. C. N. Tuditanus Conful de Japygibus,	DCXXIV. Kal. Oct.
M. Aquilius M. F. M. N. Proconful ex Afia,	DCXXVII. III. Id. Nov.
M. Fulvius M. F Q. N. Flaccus Proconful de Liguribus, Vocontus, & Salvieis,	DCXXX.
C. Sextius Calvinus Proconful de Salvieis,	DCXXXI.
Q. Cæcilius Q. F. Q. N. Metellus Balearicus Proconful de Balearibus,	DCXXXII
Cn. Domitius Cn. F. L. N. Ahenobarbus Proconful de Allobrogib. & Arvernis,	DCXXXII.
Q. Fabius Q. F. Q. N. Maximus Allobrogicus Proconful de Allobrogibus, Rutenis, Arvernis, & rege Bituito,	DCXXXIII.
Q. Marcius Rex Proconful de Gallis,	DCXXXVI.
L. Cæcilius Q. F. Q. N. Metellus Dalmaticus, Conful de Dalmatis,	DCXXXVII.
M. Aimilius Scaurus Conful de Liguribus,	DCXXXVIII.

	Anno Urbis conditæ.
M. Cæcilius Q. F. Q. N. Metellus Proconsul de Sardis,	DCXL.
T. Didius T. F. Sex. N. Proprætor ex Thracia de Scordiscis,	DCXL.
C. Cæcilius Q. F. Q. N. Metellus Caprarius, Consul ex Thracia,	DCXL.
M. Livius C. F. M. N. Drusus Proconsul de Scordiscis ex Macedonia,	DCXLII.
M. Minucius Q. F. Rufus Proconsul de Scordiscis & Triballis,	DCXLIV.
Q. Servilius Q. F. Cn. N. Cæpio Proprætor de Lusitanis ex Hispania ulteriore,	DCXLV.
Q. Cæcilius L. F. Q. N. Metellus Numidicus Proconsul de Numidis & Rege Jugurtha,	DCXLVI.
C. Marius C. F. Consul II. de Numidis & Rege Jugurtha,	DCXLIX. Kal. Jan.
M. Antonius Proprætor de Piratis ex Cilicia,	DCLI.
C. Marius C. F. II. Consul V. de Ambronibus, Teutonis & Cimbris,	DCLII.
Q. Lutatius Q. F. Catulus Proconsul de Cimbris,	DCLII.
... Proconsul de Lusitanis ex ulteriore Hispania,	DCLII.
M. Aquillius M. F. M. N. Proconsul ovans de Servis ex Sicilia,	DCLIV.
L. Cornelius L. F. L. N. Dolabella Proconsul ex Hispania ulteriore de Lusitanis,	DCLV. V. Kal. Febr.
T. Didius T. F. Sex. N. II. Proconsul ex Hispania de Celtiberis,	DCLX. IV. Id. Jun.
P. Licinius M. F. P. N. Crassus Proconsul de Lusitanis,	DCLX. prid. Id. Jun.
Cn. Pompejus Sex. F. Cn. Nepos Strabo Consul de Asculanis & Picentibus,	DCLXIV. VI. Kal. Jan.
.. Servilius C. F. M. N. Vatia Proprætor de..	DCLXV. XII. Kal. Nov.
L. Cornelius L. F. L. N. Sulla fœlix Dictator de Rege Mithridate ex Græcia & Asia per biduum,	DCLXXII. III. Kal. Febr.
Cn. Pompejus Cn. F. Sex. N. Magnus Proprætor ex Africa de Hiarba Rege primus eques Romæ,	DCLXXII.
L. Licinius Murena Proprætor ex Ponto de Mithridate Rege,	DCLXXIII.
Cn. Cornelius Dolabella Proconsul ex Macedonia,	DCLXXVI.
P. Servilius C. F. M. N. Vatia Isauricus Proconsul de Isauris ex Cilicia,	DCLXXIX.
C. Scribonius C. F. Curio Proconsul de Dardanis ex Macedonia,	DCLXXXI.
M. Terentius M. F. Varro Lucullus Proconsul de Bessis ex Macedonia,	DCLXXXII.
M. Licinius P. F. M. N. Crassus Proprætor ovans de Fugitivis & Spartaco,	DCLXXXII.
Q. Cæcilius Q. F. Q. N. Metellus Pius Proconsul ex Hispania,	DCLXXXII. III. Kal. Jan.
Cn. Pompejus Cn. F. Sex. N. Magnus II. Proconsul ex Hispania, adhuc eques Romæ,	DCLXXXII. prid. Kal. Jan.
M. Puppius M. F. Piso Proconsul ex Hispania,	DCLXXXIV.
L. Licinius L. F. L. N. Lucullus Proconsul de Ponto, Cappadocia, Armenia & Regibus Mithridate & Tigrane,	DCXC.
Q. Cæcilius L. F. Q. N. Metellus Creticus Proconsul ex Creta Insula,	DCXCI. Kal. Jun.
Cn. Pompejus Cn. F. Sex. N. Magnus III. Proconsul ex Asia, Ponto, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Armenia, Piratis, Iberia, Creta, de Regibus Mithridate & Tigrane per biduum,	DCXCII. prid. Kal. Oct.
C. Pontinius Proconsul de Allobrogibus,	DCXCIX.
P. Cornelius P. F. Lentulus Spinther Proconsul ex Cilicia,	DCCII.
M. Aimilius M. F. Q. N. Lepidus Proprætor ex Hispania,	DCCVI.
C. Julius C. F. C. N. Cæsar Consul III. de Gallis,	DCCVII.
C. Julius C. F. C. N. Cæsar II. Consul III. ex Ponto de Pharnace Rege,	DCCVII.
C. Julius C. F. C. N. Cæsar III. Consul III. ex Ægypto,	DCCVII.
C. Julius C. F. C. N. Cæsar IV. Consul III. ex Africa de Juba Rege,	DCCVII.
C. Julius C. F. C. N. Cæsar V. Consul IV. ex Hispania,	DCCVIII. .. Octob.

	Anno Urbis conditæ.
Q. Fabius Q. F. Q. N. Maximus Conſul ex Hiſpania,	DCCVIII. III. Id. Oct.
Q. Pedius M. F. Proconſul ex Hiſpania,	DCCVIII. Id. Decemb.
C. Julius C. F. C. N. Cæſar VI. Dictator IV. ovans ex monte Albano,	DCCIX. Kal. Febr.
L. Munatius L. F. L. N. Plancus Proconſul ex Gallia,	DCCX. IV. Kal. Jan.
M. Aimilius M. F. Q. N. Lepidus II. IIIvir R. P. C. Proconſul ex Hiſpania,	DCCX. Kal. Jan.
P. Vatinius P. F. Proconſul ex Illyrico,	. . . . prid. . . .
L. Antonius M. F. M. N. Conſul ex Alpibus,	. . . . Kal. Jan.
Imp. Cæſar Divi F. C. N. IIIvir R. P. C. ovans quod pacem cum M. Antonio fecit.	
M. Antonius M. F. M. N. IIIvir R. P. C. ovans quod pacem cum Imp. Cæſare fecit.	
L. Mancius L. F. C. N. Cenſorinus Conſul ex Macedonia,	DCCXIV. Kal. Jan.
C. Aſinius Cn. F. Pollio Proconſul ex Parthinieis,	DCCXIV. VII. Kal. Nov.
P. Ventidius P. F. Proconſul ex Tauro monte & Parthis,	DCCXV. V. Kal. Decemb.
Cn. Domitius M. F. M. Calvinus Proconſul ex Hiſpania,	DCCXVII. XVII. Kal. Sext.
Imp. Cæſar Divi F. C. N. II. IIIvir R. P. C. II. ovans ex Sicilia.	DCCXVII. Id. Novemb.
T. Statilius T. F. Taurus Proconſul ex Africa,	DCCXIX. prid. Kal. Jul.
C. Soſius C. F. T. N. Proconſul ex Judæa,	DCCXIX. III. Non. Sept.
C. Norbanus C. F. Flaccus Proconſul ex Hiſpania,	DCCXIX. III. Id. Octob.
Imp. Cæſar Divi F. C. N. III. Conſul V. de Pannoniis, Dalmatis, Japygibus & Gallis,	DCCXXIV. VIII. Id. Sext.
C. Carrinas C. F. Proconſul de Gallis & Suevis,	DCCXXIV. VII. Id. Sext.
Imp. Cæſar Divi F. C. N. IV. Conſul V. ex Macedonia,	DCCXXIV. VI. Id. Sext.
Imp. Cæſar Divi F. C. N. V. Conſul V. ex Ægypto,	DCCXXIV. VI. Id. Sext.
L. Autronius P. F. Craſſus Procoſ. ex Africa,	DCCXXIV. XVII. K. Sept.
M. Licinius M. F. M. N. Craſſus Proconſul ex Thracia & Getis,	DCCXXV. Non. Jul.
M. Valerius M. F. M. N. Meſſala Corvinus Proconſul ex Gallia,	DCCXXVI. VII. Kal. Oct.
Sex. Appulejus Sex. F. Sex. N. Proconſul ex Hiſpania,	DCCXXVII. VII. K. Febr.

A

	Anno Urbis conditæ.
L. Sempronius L. F. L. N. Atratinus Proconſul ex Africa,	DCCXX . . . IV. Id. Oct.
L. Cornelius P. F. Balbus Proconſul ex Africa,	DCCXXXIV. VI. Kal. Apr.
P. Silius P. F. P. N. Nerva Proconſul ex Alpibus & Pannoniis,	DCCXXXVII.
L. Aſinius C. F. Cn. N. Gallus Proconſul de Sauromatis,	DCCXXXIX.
Ti. Claudius Ti. F. Ap. N. Nero Germanicus Proconſul ovans de Dalmatis, Pannoniis, & Dacis ex Illyrico,	DCCXLIV.
Ti. Claudius Ti. F. Ap. N. Nero Germanicus II. Conſul II. de Germanis,	DCCXLVI. Kal. Jan.
Ti. Cæſar Auguſti F. Divi N. III. Proconſul de Illyriis, Pannoniis, Dalmatis & Germanis,	DCCLIV.

B

C

CAP. XXVII.

De Arcubus triumphalibus Romæ.

ABſolutis iis quæ de triumphis ipſis Veterum dicenda habebamus, videamus de aliis quibuſdam etiam triumphalibus ornamentis, qualia ſunt Arcus, columnæ, obeliſci, pyramides, de quibus ut ordine breviter pauca dicamus, ſcire licet arcus triumphales a triumpho dictos, his erigi ſolere, qui Provincias & urbes, aut exteras nationes expugnaſſent, ac bello ſuperaſſent, rebus enim bene geſtis, hi in urbem victores redibant, & in Capitolium, Jovi gratulaturi, ac Diis vota perſoluturi, conſcendebant, præcedente rerum longo ordine, ac pompa, albis inſidentes quadrigis, incedebat autem juxta currum captivorum, catenatorumque, agmen miſerabile. Uſum autem hujuſmodi arcuum triumphalium Plinius ſuo tempore ait cœpiſſe. Neque antiquiorem, quam Titi Arcum Romæ videre eſt. Nam antea ponebantur ſtatuæ triumphales, vel triumphalia ornamenta, ſicut Trophæa C. Marii de bello Cimbrico, quæ adhuc extant in Eſquiliis. Fuerunt autem plures arcus, ſed ex his tantum hodie minus læſi apparent tres in regione viæ ſacræ Conſtantini, Titi, & Severi Imp. quos ſuo ordine, non tempore proſequemur.

D

E

CAP. XXVIII.

De Arcu triumphali Conſtantini Imp.

OCcurrit autem primus in ordine triumphalis Arcus Flavii Conſtantini, in angulo Palatii, juxta Amphitheatrum, quod Coloſſeum vocant, triumphalibus, ſed nunc male integris, ornamentis conſpicuus, atque ex omnibus minus læſus, cum Trophæis, & Victoriis alatis, in utroque frontiſpicio, poſt bella civilia excitatus, ſuperato Maxentio Tyranno apud Pontem Milvium, cujus inſcriptio talis eſt:

F

IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO MAXIMO, P. F. AVGVSTO S. P. Q. R. QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS REM. P. VLTVS EST ARMIS ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

Ex-

Extant in majori fornice interius a dextris, & sinistris,
hinc LIBERATORI URBIS.
illinc FUNDATORI QUIETIS.
Et in superioribus visuntur a fronte, & a tergo quatuor in locis,
hinc VOTIS. X.
inde VOTIS. XX.
A dextra sic. X.
A sinistra sic. XX.
Quæ vota in magnis periculis vovebantur, ut apparet etiam in ejus principis nomismatibus. Solusque toto Imperio Romano, cum imperaret, cognomen induit Maximi, cum antea Alexandro Magno, & Gn. Pompejo Magni cognomen solum datum sit. Juxta hunc Arcum extat adhuc dimidiata rotunditas, antiquæ Metæ, quæ dicebatur *Meta sudans*, in cujus vertice erat æreum Jovis simulachrum. Ideo dicta *Meta sudans*, quia ex ea uberes manabant aquæ ad extinguendam plebeculæ sitim ex proximi Amphitheatri spectaculis.

CAP. XXIX.

De Arcu triumphali Titi Imp.

IN media summa via sacra surgit Arcus Titi Vespasiani Imp. omnium, qui sunt in urbe, ut tradit Plinius, antiquissimus. Parvus quidem, ac vetustate mutilatus, extructusque devictis Hierosolymis, præclarissima olim Orientis urbe, ubi brevis tituli inscriptio:

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS DIVO TITO DIVI VESPASIANI F. VESPASIANO AVGVSTO.

Inest autem Quadriga triumphantis, cum Victoria, præcedentibus XII. Consularibus Fascibus ab uno latere, ab altero vero Triumphi sunt spolia, aureum candelabrum septem ramorum, in quibus erant septem lucernæ significantes septem stellas errantes, & duæ tabellæ marmoreæ Mosaicæ Legis, vasa Templi, mensa aurea ponderis talenti magni, cum aliis gentis spoliis, ut scribit Josephus. Quæ omnia condita fuerunt in proximo Pacis templo, a Vespasiano patre post bella civilia exstructo; qui cum Tito filio in eodem curru triumphavit, teste Tranquillo. Mart. ad Domitianum:

Frater Idumæos meruit cum patre triumphos,
Quæ datur ex Cattis laurea tota tua est.

CAP. XXX.

De Arcubus triumphalibus L. Septimii Severi.

EXtat & L. Septimii Severi Arcus in foro Rom. ad radices Capitolii, omnium olim pulcherrimus, nunc vero semiustus & deformatus, ubi in utroque frontispicio prominent alatæ victoriæ, cum Trophæis, terrestrisque & navalis belli simulachra, a fronte & tergo, cum inscriptione:

IMP. CÆS. LVCIO SEPTIMIO. M. FIL. SEVERO PIO PERTINACI AVG. PATRI PATRIÆ, PARTHICO, ARABICO, ET PARTHICO ADIABENICO. PONTIF. MAXIMO, TRIBVNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET IMP. CÆS. M. AVRELIO L. FIL. ANTONINO AVG. PIO FOELICI TRIBVNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS. PP. OPTIMIS FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS OB REM PVBLICAM RESTITVTAM IMPERIVMQVE POPVLI ROMANI PROPAGATVM INSIGNIBVS VIRTVTIBVS EORVM DOMI, PORISQVE S. P. Q. R.

Triumphum autem Severus respuit, ne videretur de civili triumphare victoria, offerentibusque honorem eum Patribus, quod affectus articulari morbo, in curru consistere non posset, filio illum concessit.

Cæterum visitur adhuc in Velabro, juxta templum S. Georgii, exiguus, & parum integer, alius Arcus Boarius, qui creditur Argentariorum & negociantium Boariorum fuisse, cujus est inscriptio:

IMP. CAES. L. SEPTIMIO SEVERO PIO PERTINACI AVG. ARABIC. ADIABENICO. PARTH. MAX. FORTISSIMO FOELICISSIMO PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XII. IMP. XI. COS. III. PP. ET IMP. CAES. M. AVRELIO ANTONINO PIO FOELICI AVG. TRIB. POTEST. COS. III. PP. PROCOS. FORTISSIMO FOELICISSIMOQVE PRINCIPI ET JVLIAE AVG. MATRI AVG. N. ET CASTRORVM, ET SENATVS, ET PATRIAE ET IMP. CAES. M. AVRELI ANTONINI PII FOELICIS AVG. PARTHICI MAXIMI ARGENTARII, ET BRITANNICI MAXIMI NEGOTIANTES BOARII HVIVS LOCI QVI DEVOTI NVMINI EORVM.

CAP. XXXI.

De Arcu triumphali Domitiani.

EXtat item via Flaminia prope S. Laurentium Arcus (ut creditur) Domitiani Imp. qui nunc a Romanis vulgo dicitur *Tropholi*, vel Trophæi; a Trophæis quibus ornatus olim fuerat, vel Tripolis, ut quibusdam placet, ob victoriam trium urbium, prout veterem inscriptionem, superioris sæculi nostri patres se legisse retulerunt. At nunc totus mutilatus, & suis ornamentis, ac titulis, denudatus, quem Domitiani Imp. fuisse eruditiores tradunt, argumento sumpto ex verbis Suetonii, qui scribit Domitianum somniantem se a Minerva destitutum, & illam excedere sacrario, negantemque se ultra tueri posse quæ exarmata esset a Jove, ut simulacra ejus rei marmorea extant, & Martialis, qui ait:

Stat sacer & domitis gentibus Arcus ovans.

Nam & ipse per omnes regiones fecit Janos Arcusque cum insignibus triumphalibus, qui postea omnes eversi sunt, ut tradit Dionysius.

CAP. XXXII.

De Arcu triumphali Galieni.

SUrgit etiam adhuc in Esquiliis, juxta ædem S. Viti, Arcus Galieni Imp. ex Tyburtino lapide satis rudis, cum inscriptione hujusmodi:

GALLIENO CLEMENTISSIMO PRINCIPI, CVIVS INVICTA VIRTVS SOLA PIETATE SVPERATA EST. M. AVRELIVS VICTOR DEDICATISSIMVS NVMINI MAIESTATIQVE EIVS.

CAP. XXXIII.

De Arcu Gordiani Imperatoris.

FUit & in eadem regione, in aggere Tarquinii Arcus Gordiani Imp. marmoreis ornamentis & Trophæis ornatissimus: cujus marmora e profunda tellure eruta nuper sunt, atque in ornamenta Palatii & Templi S. Laurentii in Damaso translata jussu R. D. Raphaelis Riarii Card. Sancti Georgii.

CAP. XXXIV.

De aliis aliquot Arcubus sive fornicibus triumphalibus, tam antiquioribus quam recentioribus.

EXtabat præterea in foro Romano olim Arcus, sive Fornix Fabianus, via sacra, juxta regiam,

ut scribit Ascon. Pedianus,cum inquit: Fornix Fa- A
biani Arcus,juxta regiam,in via sacra,a Fabio Censore constructus,qui devictis Allobrogibus Allobrogicus nominatus est,ibique scuta ejus posita. Cic. *pro Gn. Plancio:* Nec illum accuso,qui est summa sacra via, cum ad Fabianum Fornicem impellor. Haud procul hinc erat & Calpurnius Fornix,juxta quem C. Gracchus fragmento subsellii ictus occubuit. Fueruntque in eodem foro Arcus lateritii Romuli conditoris, qui duraverunt ad multas ætates, nec eos passi sunt Romani marmore adornari, sed sicut erant rudes stare permiserunt in memoriam conditoris urbis: præterea fuerant Arcus vetustissimi ad primas partes Aventini, inter montem & Tiberim, B
memoria patrum nostrorum eversi, quorum inscriptio erat:

P.LENTVLVS CN. F.T. QVINTIVS CRISPINVS VALERIVS COSS. EX S. C. FACIVNDVM CVRAVERE IIDEM COMPROBAVERE.

Fuit & Arcus Trajani in foro ejus extructus, ut scribit Dion. cum inquit: Triumphalis tunc Arcus præter alia multa,quæ in honorem ejus,& decreta, & facta fuerunt, in illius Foro substructus est.

Fuit & alter, in honorem ejus, Arcus in regione Portæ Capenæ, isque esse creditur, cujus vestigia C
extant in Porta ipsa Capena, in proximo Aquæductu,argumento quod Trajanus Viam Appiam, quæ ab eo loco initium habet, magnifice restituit ac stravit. Fuerunt autem in ea regione tres arcus, Veri Parthici, Drusi,& Trajani,& extra eandem portam circum latera Templi Martis, Arcus Germanici & Drusi cum effigie Cæsarum structi,quos Senatus decrevit,& Germanici cognomen ipsi, posterisq; suis, ut scribit Tacitus. Ædificavit & Tiberio Cæs. Arcum Divus Claudius, juxta Theatrum Pompeii decretum ante a Senatu. Fuerunt præterea Arcus Theodosii,Valentiniani,& Gratiani Imp haud longe a Ponte Castelli, quorum fragmenta nuper eruta D
sunt juxta Ædem S Celsi: item alii sive Arcus sive Fornices, quorum duo ætate superiore diruti sunt; unus juxta plateam Sciarræ,via quæ ducit ad Porticum Antonini Pii, cujus adhuc extant ornamenta quædam marmorea. Alter juxta Sanctæ Mariæ in via lata,ab Innocentio VIII. in renovatione proximi Templi dirutus,cujus ornamenta marmorea eruta nuper sunt, cum Trophæis Barbaricis,quæ haud dubie posteriorum esse Imperatorum, ex ornatu apparet. Hinc jactu lapidis, extat adhuc Arcus Campiliani satis rudis, ubi nulla ornamentorum signa, quem nonnulli Camillianum appellant. Nam veteres Romani duces,ac triumphantes non Arcus,sed E
triumphalia insignia cum statuis & Trophæis habebant, ut Trophæa C. Marii in Esquiliis,de triumpho Cimbrico, & altera de triumpho Jugurthino, in via Flam inter collem nunc hortulorum, & Augusti Mauseolum, ubi marmorea tabula cum titulo C. Marii de triumpho Jugurthino, auctore Fulvio empta a quodam lapicida, nunc est in domo Pomponii Læti, in monte Quirinali. Fuerunt & altera de spoliis Cimbricis, marmorea ornamenta, a Q. Catulo posita in Area Flacciana,teste Valerio Max. cum inquit: Ideoque M.Flacc & L.Saturnini seditiosorum civium corporibus trucidatis, Penates ab F
imis fundamentis eruti sunt. Cæterum Flacciana Area cum diu Penatibus vacua mansisset, a Q. Catulo Cimbricis spoliis adornata est.

CAP. XXXV.

De Columnis triumphalibus.

Columnæ dictæ, quod culmina subslineant, unde intercolumnia dicuntur spatia, quæ inter columnas existunt. Columnas autem & Arcus in honorem principum erectas videmus, non nimium antiquo invento, neque Trajani & Antonini tempore vetustiores, nisi Mænianam dixerimus, honoris causa Mænio concessam in Foro, & Columnam Cæsaris, & alias perpaucas, quæ aliæ ad magnificentiam, aliæ ad fulcimentum comparatæ sunt, trium generum: vocantur enim teretes quædam, aliæ quadrangulæ, nonnullæ etiam striatæ,quarum capita dicuntur epistylia, pedes,& sustentacula,bases, truncus vero sine his dicitur scapus, harum structuræ sunt, Ionica, Dorica, Italica, Corinthia, Tuscanica, ut docet Vitruvius. Primum autem in humanam effigiem columnæ exstructæ sunt ad ædificia sustentanda, & in memoriam suorum effigiatæ, ut tradit idem Vitruvius *libro* primo: referturque origo earum ad Lacones, qui exercitum Persarum cum superassent, Porticum Persicam ex manubiis indicem victoriæ posteris, pro Trophæis constituerunt, ibique captivorum simulachra, Barbarico ornatu tectum sustentantia collocarunt. Nec non caryatidum, deleto eorum oppido, viris interfectis, stolas & matronales ornatus eorum mulieres deponere non passi sunt. Unde Architecti artificiis publicis designaverunt tales imagines oneri ferundo collocatas, & ita ex eo argumento varietates egregias auxerunt operibus. Extant hodie hujuscemodi duo senum marmorea simulachra tectum logiæ sustinentia in antiquis ædibus DD. Columnensium sub monte nunc Caballo. Et quatuor itidem fœminarum in Hortis nunc R. D. Alexandri Card. Cæsarini, juxta ejus ædes, quam quidem structuram Barbaricam Porticum appellavit Plautus. Sunt præterea columnæ striatæ, canaliculis undique circumcavatæ. Sunt & structiles, quæ non ex uno lapide, sed ex pluribus constant.

CAP. XXXVI.

De Columna triumphali Trajani Imp.

Columna Cochlidis Trajani, in Foro ejus erecta,adhuc cernitur,altitudinis pedum CXXIII. ubi cochlea interior cum gradibus CLXXXV. cum fenestellis XLV. in qua circumquaque extrinsecus spectantur marmore incisa rerum gestarum simulachra præstantiss. principis miro artificio cælata, præcipue bellum Dacicum, hancque apud Parthos bellum gerenti ei dedicavit Senatus, neque ipse videre potuit, cum e Persis rediens, apud Seleuciam Syriæ urbem fluxu sanguinis extinctus sit. Dionysius tamen Græcus scriptor: Ingentem, inquit, in foro suo columnam statuit, sive ut ea pro sepulchro esset, sive ut ostentatio ejus operis, quod ille circa forum egit; clivus surgebat, quem effossa quaquaversus terra ita complanavit, ut undique columna conspiceretur. Forum deinde in areæ modum locatum mansit, quod Apollodorus Architectus, qui & Methodium & Gymnasium, eo jubente, struxit. Solus hic omnium Imperatorum intra urbem sepultus, cujus cineres & ossa in urbem relata, in eadem columna condita dicuntur aurea pila, cum ejus imagine, quæ superstaret Foro, ab se extructo, cujus inscriptio hujusmodi, in ejus columnæ base legitur:

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS IMP. CÆSARI DIVI NERVÆ F. NERVÆ TRAIANO AVG. GERM. DACICO PONTIF. MAX. TRIBVN. POTEST. XVII. COS. VI. PP. AD DECLARANDVM QVANTÆ ALTITVDINIS MONS ET LOCVS TANTIS MOLIBVS SIT EGESTVS.

Cap. XXXVII.

De Columna triumphali Antonini Pii Imperatoris.

ALtera Cochlidis columna, in Campo Martio adhuc extat, quam Antoninus Pius Imp. sibi erexit, altitudinis pedum CLXXVI. cum interiore cochlea & gradibus CIV. fenestellis LVI. incendio nunc mutilata, & conquassata cernitur, ubi res gestæ Antonini undique marmore incisæ spectantur, majusculæ, ac prominentiores, quam in columna Trajani, cujus moribus & virtute similis fuit. Qui etiam religione, pietate, gratia, clementia, justitiaque, cum Numa Pompilio comparari potest, tantæque modestiæ fuit, ut sæpius illud Scipionis dictum usurparet, Malle se unum civem servare quam mille hostes occidere. In cujus columnæ summitate nudum simulachrum collocatum erat, ut in ejus nomismate videre licet, ab ipsa columna regio nunc columnæ, ubi ea erecta cernitur, nomen accepit.

Cap. XXXVIII.

De aliis Columnis triumphalibus aliquot.

TRadunt & columnam Cochlidem Porphyreticam ex urbe Roma Constantinopolim advectam a M. Aurelio Constantino, qui cum multa ad ornatum novæ urbis conquisivisset, Cochlidem etiam Porphyretici lapidis ex urbe Roma advehendam curavit. Cui statuam suam, & clavum unum Christi Redemptoris insigne posuit. Quæ post multos annos, regnante Alexio Comneno, violentia ventorum cecidisse fertur: sane divus Hieronymus scribit Constantinum nudasse urbes, ut Constantinopolim ornaret. Constituerat præterea Heliogabalus Imperator columnam unam ingentem ædificare, ad quam ascenderetur intrinsecus, ita ut in summo Heliogabalum Deum collocaret. Sed tantum saxum non invenit, cum id de Thebaide adferre cogitaret, ut tradit Lampridius. Fuit & columna Cæsaris lapidis Numidici XX. pedum, ubi scalptum erat, *Pater patriæ*. Fuit & in Foro columna, quæ vocabatur Milliarium aureum, & columna Mœniana, juxta Basilicam, & columna Lactaria in foro olitorio.

Cap. XXXIX.

De Obeliscis triumphalibus.

OBeliscus lapis est ad figuram metæ sensim proceritate in excelsum consurgens, paulatim gracilescens, specie quadrata, in verticem productus angustum, manu lævigatus artificis, Græcam habens Etymologiam, de quo satis multa Plinius, & Amm. Marcellinus. Fuerunt autem Romæ Obelisci magni sex, duo in Circo Maximo, major CXXII. pedum, minor vero CXIII. unus in Vaticano, qui solus nunc extat, pedum LXXII. unus in Campo Martio, pedum LXXII. Duo in Mausoleo Augusti pares singuli pedum XLII. Obelisci vero parvi XLII. & in plerisque sunt notæ Ægyptiorum. Unde Cornelius Tacitus: Primi, inquit, per figuras animalium Ægyptii sensus mentis effingebant, & antiquissima monumenta memoriæ impressa in saxis cernuntur, & literarum se inventores perhibent. Adhucque Romæ consimiles literæ visuntur in minore Obelisco, & quædam juxta Pantheon Agrippæ. Plinius *lib.* XXXVI. Trabes, inquit, e lapide Simite fecere Reges quodam certamine, Obeliscos vocantes; Solis numini sacratos; radiorum ejus argumentum in effigie est, & ita significatur nomine Ægyptio. Primus omnium id Rex Mitres instituit. Octavius Au-

A gustus duos admirandos ex urbe Ægyptiorum Heliopoli transtulit, quorum unus in Circo Max. constitutus pedum CXXII. omnium maximus, qui fuerit in orbe terrarum ob magnitudinem nunquam erectus, nuncque in medio eo circo multa tellure obrutus jacens magnam ipsius circi partem occupat, in duas partes olim ab erigere eum conantibus, in molitione confractus, dicitur a Semneserteo Rege ante excisus. Alter vero minor altus pedes CXIII. in Martio Campo locatus, quem idem Plinius ait a Sesostride excisum: huic autem Augustus admirabilem usum addidit ad deprehendendas solis umbras, dierumque ac noctium magnitudines, ejusque B vertici auratam pilam Manlius Mathematicus addidit, cujus summitate umbra colligeretur, strato lapide ad Obelisci magnitudinem, cui par fieret umbra. Sed is hodie in multas partes confractus, atque terra obrutus jacet ad radices Citatorii montis versus Tyberim: in base vero talis legitur inscriptio:

CAESAR DIVI. F. AVGVSTVS PONTIFEX
MAXIMVS IMP. XII. COS. I. TRIB. POT.
XIV. AEGYPTO IN POTESTATEM POPV-
LI RO. REDACT. SOLI DONVM DEDIT.

C Duorum autem in Augusti Mausoleo parium Obeliscorum alter inter ruinas inventus, nuper effossus est, juxta ædem S. Rochi, ibique nunc in media via jacet confractus. Alter inventus, nec effossus, post ædem S. Rochi. Tertius in Vaticano solus hodie erectus cernitur in Caii & Neronis Circo, unus omnino fractus in molitione ejus, (ut tradit Plinius) quem fecerat Sesostridis filius, Nuncoreus. Ejusdem remanet & alius centum cubitorum, quem post cæcitatem visu reddito ex oraculo Soli sacravit. Est & Divo Tiberio in Vaticano Circo statutus Obeliscus. Cujus ab uno latere talis extat inscriptio:

D DIVO CAESARI DIVI JVLII. F. AVGVSTO
TI. CAESARI DIVI AVGVSTI. F. AVGVSTO
SACRVM.

Ab altero latere:

DVO CAESARI DIVI JVLII. F. AVGVSTO
TI. CAESARI DIVI AVGVSTI F. AVGVSTO
SACRVM.

Quem hodie Obeliscum Sancti Petri a propinqua ejus Basilica imperitum vulgus appellat. Duo etiam parvi nunc cernuntur erecti, quos apices magno- E rum confractorum esse credibile est. Alter in Capitolio in hortis Aræ cæli: alter in platea Sancti Machuti haud longe a Pantheon. Unus item extra mœnia urbis, & Templum Sanctæ Crucis in Hierusalem inter vineas, unus ingens ac pulcherrimus juxta viam Appiam ad secundum lapidem in Hippodromo, inter S. Sebastianum nunc & caput Bovis in multas partes confractus, ubi Hieroglyphicæ incisæ sunt literæ, & adhuc extant signa metarum in medio Circo, per longum ordinem dispositæ: erant enim septem Metæ, propter septem Planetas, medius erat Obeliscus, qui dicatus erat Soli, cæteræ F Metæ a dextris & sinistris cæteris Planetis. Theophrastus tradit, Regi Ægyptiorum a Babylonio Rege Smaragdum missum, quatuor digitorum longitudine, trium latitudine. Et fuisse apud eum in Jovis delubro Obeliscum, quatuor Smaragdis cubitorum altitudine, latitudine vero in una parte quatuor, in altera duorum. Multa præterea Obeliscorum fragmenta videntur hodie per totam urbem: sed maxime inter templum Sancti Machuti, & proximam ædem Sancti Nicolai de Forbitoribus.

CAP. XL.

De Pyramidibus triumphalibus.

PYramides dicuntur quadratæ moles instar invalescentis flammæ, in acutum surgentes, & ab igne, ex Græca etymologia originem habent. Quæ prius in Ægypto constitutæ sunt. De quibus ita Plinius: Dicantur, inquit, & Pyramides in eadem Ægypto Regum pecuniæ ociosa, ac stulta ostenta-
A tio. Quippe cum faciendi eas causa a plerisque tradatur, ne pecuniam successoribus, aut æmulis insidiantibus præberent, aut ne plebs esset ociosa; meminitque complurium mox Plinius idem; ad quarum imitationem postea Romani nonnullas erexerunt, ejusdem formæ, sed non ejusdem propterea magnitudinis; de quibus, cum sepulchrorum gratia fieri consueverint maxime, agemus fortasse pluribus libro eo, qui est de triumphalibus funeribus & sepulchris.

FRANCISCI MODII, JC. BRUGENSIS, DE LUDIS ET SPECTACULIS LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Spectaculis a Julio Cæsare editis Romæ.

EDidit Julius Cæsar Spectacula varii generis: munus gladiatorum; ludos etiam regionatim urbe tota; & quidem per omnium linguarum histriones. Item circenses, athletas, naumachiam. Munere in foro depugnavit Furius Leptinus Hirpe prætoria: & A. Calpenus Senator quondam actorque causarum: Pyrrhicham saltaverunt Asiæ Bithyniæque Principum liberi. Ludis Decimus Laberius eques Romanus mimum suum egit, donatusque est quingentis sestertiis, & anulo aureo: sessum in XIV. scena per Orchestram transiit. Circensibus, spatio circi ab utraque parte producto, & in gyrum Euripo addito, quadrigas bigasque, & equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes. Trojam lusit turma duplex, majorum minorumque puerorum. Venationes editæ per dies quinque ac novissime pugna divisa in duas acies: quingenis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc & inde commissis. Nam quo laxius dimicaretur, sublatæ metæ, inque earum locum bina castra ex adverso constituta erant. Athletæ, stadio ad tempus extructo, in regione Martii Campi certaverunt per triduum. Navali prælio in morem cochleæ defosso lacu, biremes ac triremes, quadriremesque, Tyriæ & Ægyptiæ classes, magno pugnatorum numero conflixerunt. Ad quæ omnia spectacula tantum undique confluxit hominum, ut plerique advenæ aut inter vicos, aut inter vias tabernaculis positis manerent, ac sæpe præ turba elisi exanimatique sint plurimi, & in his duo senatores.

CAP. II.

De Ludis & Spectaculis ab Augusto Cæsare editis.

SPectaculorum & assiduitate & varietate atque magnificentia patrem Julium Augustus etiam antecessit. Fecisse enim ludos se ait suo nomine quater: pro aliis magistratibus, qui aut abessent, aut non sufficerent, ter & vicies. Fecitque nonnunquam vicatim ac pluribus scenis per omnium linguarum histriones: non in foro modo, nec amphitheatro, sed in circo, ut in septis, & aliquando nihil præter venationem edidit: athletas, exstructis in Campo Martio sedibus ligneis: item navale prælium circa Tiberim, cavato solo, in quo postea Cæsarum nemus fuit. Quibus diebus custodes in urbe disposuit, ne raritate remanentium grassatoribus
B obnoxia esset. In circo aurigas, cursoresque, & confectores ferarum, & nonnunquam ex nobilissima juventute produxit. Sed & Trojæ ludum edidit frequentissime, magnorum minorumque puerorum delectu: prisci decorique moris existimans, claræ stirpis indolem sic notescere. In hoc ludicro Cajum Nonium Asprenatem lapsu debilitatum, aureo torque donavit; passusque est ipsum posterosque torquati ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, Asinio Pollione oratore graviter invidioseque in curia questo Aserníni nepotis sui casum, qui & ipse crus effregerat. Ad scenicas quoque & gladiatorias operas etiam equitibus Romanis aliquando usus est: verum priusquam Senatusconsulto interdiceretur. Postea nihil sane, præterquam adolescentulum Lucium honeste natum, exhibuit: tantum ut ostenderet, quod erat bipedali minor librarum septemdecim, ac vocis immensæ. Quodam autem muneris die, Parthorum obsides tunc primum missos, per arenam mediam, ad spectaculum induxit, superque se subsellio secundo collocavit. Solebat etiam citra spectaculorum dies, si quando quid inusitatum dignumque cognitu advectum esset, id extra ordinem quolibet loco publicare: ut rhinocerotem, apud septa: tigrim, in scena: anguem quinquaginta cubitorum, pro comitio. Accidit votivis Circensibus ut correptus valetudine, lectica cubans, thensas deduceret. Rursus commissione ludorum quibus theatrum Marcelli dedicabat, evenit ut laxatis sellæ curulis compagibus caderet supinus. Nepotum quoque suorum munere, cum consternatum ruinæ metu populum retinere, & confirmare nullo modo posset, transiit e loco suo, atque in ea parte consedit, quæ suspecta maxime erat. Spectandi confusissimum ac solutissimum morem correxit ordinavitque, motus injuria Senatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos consessu frequenti nemo receperat. Facto igitur decreto patrum, ut quoties quid spectandum usquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret Senatoribus; Romæ legatos liberarum sociarumque gentium vetuit in orchestra considere, quum quosdam etiam libertini generis mitti deprehendisset. Militem secrevit a populo. Maritis e plebe proprios ordines assignavit: prætextatis cuneum suum & proximum pædagogis: sanxitque ne quis pullatorum media cavea sederet. Feminis ne gladiatores quidem, quos promiscue spectari solenne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit. Solis virginibus Vestalibus locum in theatro separatim & contra prætoris tribunal dedit. Athletarum vero spectaculo

muliebrem sexum omnem adeo summovit, ut Pontificalibus ludis pugilum par postulatum, distulerit in sequentis diei matutinum tempus, edixeritque mulieres ante horam quintam venire in theatrum non placere. Ipse Circenses ex amicorum fere libertorumque cœnaculis spectabat, interdum e pulvinari. Et quidem cum conjuge ac liberis sedens, spectaculo plurimas horas, aliquando totos dies aderat, petita venia, commendatisque qui suam vicem præsidendo fungerentur. Verum quoties adesset, nihil præterea agebat, seu vitandi rumoris caussa, quo patrem Cæsarem vulgo reprehensum commemorabat, quod inter spectandum epistolis libellisque legendis ac rescribendis vacaret: seu studio spectandi ac voluptate, qua teneri se neque dissimulavit umquam, & sæpe ingenue professus est. Itaque corollaria & præmia alienis quoque muneribus ac ludis & crebra & grandia de suo offerebat. Nullique Græco certamini interfuit, quo non pro merito certantium quemque honoraverit. Spectavit autem studiosissime pugiles, & maxime Latinos: non legitimos atque ordinarios modo, quos etiam committere cum Græcis solebat, sed & catervarios oppidanos inter angustias vicorum pugnantes temere ac sine arte. Universum denique genus operas aliquas publico spectaculo præbentium etiam cura sua dignatus est. Athletis & conservavit privilegia & ampliavit. Gladiatores sine missione edi prohibuit. Coercitionem in histriones, magistratibus in omni tempore & loco, lege vetere permissam, ademit, præterquam ludos & scenam; nec tamen eo minus aut xysticorum certationes aut gladiatorum pugnas severissime semper exegit. Nam histrionum licentiam adeo compescuit, ut Stephanionem togatarium, cui in puerilem habitum circumtonsam matronam ministrasse compererat, per trina theatra virgis cæsum relegaverit: Hylam pantomimum, querente Prætore, in atrio domus suæ, nemine excluso, flagellis verberaverit: & Pyladem urbe atque Italia submoverit, quod spectatorem, a quo exsibilabatur, demonstrasset digito conspicuumque fecisset.

CAP. III.

De Ludis a C. Caligula Cæsare editis.

MUnera gladiatoria C. Cæsar Caligula partim in amphitheatro Tauri, partim in Septis aliquot edidit: quibus inseruit catervas Afrorum, Campanorumque pugilum, ex utraque regione electissimorum. Neque spectaculis semper ipse præsedit: sed interdum aut magistratibus aut amicis præsidendi munus injunxit. Scenicos ludos & assidue, & varii generis, multifariam fecit, quondam etiam & nocturnos accensis tota urbe luminibus. Sparsit & missilia variarum rerum, & panaria cum obsonio viritim divisit. Qua epulatione, equiti Romano contra se hilarius avidiusque vescenti, partes suas misit: sed & Senatori ob eandem caussam codicillos, quibus Prætorem eum extra ordinem designabat. Edidit & Circenses plurimos a mane usq; ad vesperam, interjecta modo Africanarum venatione, modo Trojæ decursione; quosdam autem præcipuos, minio & chrysocolla constrato Circo, nec ullis nisi ex Senatorio ordine aurigantibus. Commisit & subitos, quum e Gelotiana apparatum Circi prospicientem pauci ex proximis mœnianis postulassent. Novum præterea atque inauditum genus spectaculi excogitavit: nam Bajarum medium intervallum & Puteolanas moles, trium millium & DC. fere passuum ponte conjunxit, contractis undique onerariis navibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, superjectoque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem ultro citro commeavit biduo continenti. Primo die phalerato equo, insignisque quercica corona, & securi, & cetra, & gladio, aureaque chlamyde: postridie quadrigario habitu, curriculoque bijugi famosorum equorum, præ se ferens Darium puerum ex Parthorum obsidibus, comitante Prætorianorum agmine, & in essedis cohorte amicorum. Putant autem plerique, talem a Cajo pontem excogitatum, æmulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquanto angustiorem Hellespontum contabulaverit: alii vero etiam existimant tale quid ab eo factum, ut Germaniam & Britanniam, quibus imminebat, alicujus immensi operis fama territaret. Sed avum meum narrantem puer audiebam, inquit Suetonius, caussam operis ab interioribus aulicis proditam, quod Thrasyllus mathematicus anxio de successore Tiberio, & in verum nepotem proniori, affirmasset, non magis Cajum imperaturum quam per Bajanum sinum equis discursurum. Edidit & peregre spectacula: in Sicilia Syracusis hasticos ludos, & in Gallia Lugduni miscellos. Sed & certamen quoque Græcæ Latinæque facundiæ: quo certamine ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorundem & laudes componere coactos; eos autem qui maxime displicuissent, scripta sua spongia, linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari aut flumine proximo mergi maluissent.

CAP. IV.

De Ludis a Claudio Cæsare editis.

SPectacula complura magnificaque Claudius edidit, non usitata modo ac solitis locis, sed & commentitia & ex antiquitate repetita, & ubi præterea nemo ante eum. Ludos dedicationis Pompejani theatri, quod ambustum restituerat, e tribunali posito in orchestra com nisit, quum prius apud superiores ædes supplicasset, perque mediam caveam sedentibus ac silentibus cunctis, descendisset. Fecit & sæculares quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos: quamvis ipse in historiis suis prodat intermissos eos Augustum multo post, diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem redegisse. Quare vox Præconis irrisa est, invitantis more solenni ad ludos quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset, cum superessent adhuc qui spectaverant, & quidam histrionum producti olim, tunc quoque producerentur. Circenses frequenter etiam in Vaticano commisit, nonnunquam interjecta per quinos missus venatione. Circo vero maximo, marmoreis carceribus auratisque metis, quæ utraque & tophina ac lignea ante fuerant, exculto, propria senatoribus constituit loca promiscue spectare solitis. Ac super quadrigarum certamina Trojæ lusum exhibuit, & Africanas conficiente turma equitum prætorianorum, ducibus tribunis ipsoque præfecto: præterea Thessalos equites, qui feros tauros per spacia Circi agunt, insiliuntque defessos, & ad terram cornibus detrahunt. Gladiatoria munera plurifariam ac multiplicia exhibuit. Anniversarium in castris prætorianis, sine venatione apparatuque justum atque legitimum in septis: ibidem extraordinarium & breve, dierumque paucorum, quodque appellare cœpit sportulam: quia primum id daturus dixerat, velut ad subitam condictamque cœnulam invitare se populum. Nec ullo spectaculi genere communior aut remissior erat, adeo ut oblatos victoribus aureos, prolata sinistra pariter cum vulgo, voce digitisque numeraret: ac sæpe hortando rogandoque ad hilaritatem homines provocaret, dominos identidem appellans, immixtis interdum frigidis & accersitis jocis: qualis est, ut, cum palumbum postulantibus laturum se promisit si captus esset. Illud quoque plane quantumvis salubriter & in tempore, quum

essedario, pro quo quatuor filii deprecabantur, magno omnium favore indulsisset rudem, tabulam ilico misit, admonens populum quantopere liberos suscipere deberet, quos videret & gladiatori præsidio gratiæque esse. Edidit & in Martio Campo expugnationem direptionemque oppidi ad imaginem bellicam, & deditionem Britanniæ regum, præseditque paludatus. Quin & emissurus Fucinum lacum, naumachiam ante commisit: sed cum proclamantibus naumachiariis, Ave Imperator, morituri te salutant, respondisset, Avete vos; neque quisquam post hanc vocem, quasi venia data, dimicare vellet, diu cunctatus an omnes igni ferroque absumeret, tandem e sede sua prosiluit, ac per ambitum lacus non sine fœda vacillatione discurrens, partim minando, partim adhortando ad pugnam compulit: hoc spectaculo classis Cypria & Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium singulæ, exciente buccina Tritone argenteo, qui e medio lacu per machinam emerserat.

CAP. V.

De Ludis & Spectaculis a Nerone editis.

SPectaculorum plurima & varia genera edidit, Juvenales, Circenses, scenicos ludos, gladiatorium munus. Juvenalibus senes quoque consulares anusque matronas recepit ad lusum; Circensibus loca equiti secreta a cæteris tribuit: commisitque etiam camelorum quadrigas. Ludis, quos pro æternitate Imperii susceptos appellari Maximos voluit, ex utroque ordine & sexu plerique ludicras partes sustinuerunt. Notissimus Eques Rom. elephanto supersedens per catadromum decucurrit. Inducta est Afranii togata, quæ Incendium inscribitur: concessumque ut scenici ardentis domus supellectilem diriperent ac sibi haberent. Sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies, singula quotidie millia avium cujusque generis, multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta atque etiam mansuetæ feræ: novissime naves, insulæ, agri.

Hos ludos spectavit e proscenii fastigio. Munere, quod in amphitheatro ligneo, in regione Martii Campi intra anni spatium fabricato dedit, neminem occidit, ne noxium quidem. Exhibuit autem ad ferrum etiam quadringentos senatores, sexcentosque equites Romanos, & quosdam fortunæ atque existimationis integræ, ex iisdem ordinibus, confectoresque ferarum, & varia arenæ ministeria. Exhibuit & naumachiam, marina aqua innantibus belluis. Item Pyrrhichas quasdam e numero ephoborum, quibus post editam operam diplomata civitatis Romanæ singulis obtulit. Inter Pyrrhicharum argumenta, taurus Pasiphaen ligneo juvencæ simulacro abditam iniit, ut multi spectantium crediderunt. Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumque cruore respersit. Nam perraro præsidere, cæterum accubans primum parvis foraminibus, deinde toto podio adoperto spectare consueverat. Instituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ, more Græco triplex, musicum, gymnicum, equestre: quod appellavit Neronia: dedicatisque thermis atque gymnasio, senatui quoque & equiti oleum præbuit. Magistros toti certamini præposuit consulares sorte, sede prætorum: deinde in orchestram senatumque descendit, & orationis quidem carminisque Latini coronam, de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recepit. Citharam autem a judicibus ad se delatam adoravit, ferrique ad Augusti statuam jussit. Gymnico, quod in Septis edebat, inter buthysiæ apparatum, barbam primam posuit, conditam in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam in Capitolio consecravit. Ad athletarum spectaculum invitavit & virgines Vestales: quia Olympiæ quoque Cereris sacerdotibus spectare conceditur.

CAP. VI.

De eisdem Ludis a Nerone editis paulo fusius.

LUdos maximos & magnificentissimos in honorem matris Nero fecit: nam simul in quinque sexve theatris complures dies festos egit. Quo tempore elephas introductus in theatrum in summum ejus fornicem conscendit, atque inde vehens hominem in fune ambulavit: id vero turpissimum visu atque gravissimum fuit, quod viri fœminæque non solum equestris verum etiam senatorii ordinis in orchestram, & circum amphitheatrumque inducti sunt ut homines inhonestissimi: ex quibus nonnulli cecinerunt, saltaverunt, tragœdias & comœdias egerunt, citharœdi fuerunt, equos agitaverunt, belluas occiderunt, munus gladiatorium obierunt. Id multi fecere volentes, multi etiam inviti. Visæ sunt eo tempore veteres prosapiæ illustresque familiæ, Furii, Fabii, Porcii, Valerii, cæterique omnes, quorum trophæa atque templa conspiciebantur, ea de inferiore loco facere, quæ ab aliis hominibus visa fuerant nunquam. Itaque vicissim digito demonstrabantur: dicebant enim Macedones; hic est nepos Pauli: Græci autem, ille Memmii: tum Siculi ajebant, videte Claudium: mox Epirotæ, vos vero Appium videte: Asiatici Lucium ostendebant: Hispani Publium: Carthaginenses Aphricanum: Romani vero omnes. Quod cum viderent ii qui mente præditi erant, tum etiam propter magnitudinem sumptuum ingemiscebant. Etenim magnificentissima quæque, & lautissima quibus homines vescuntur, cæteraque omnia pretiosissima; equos, mancipia, vehicula, argentum, vestem diversi generis insignis & notis quibusdam dabat: jaciebat enim ad plebem parvos globos inscriptos, tanquam in singulis eorum aliquid inesset, & ut quisque signum collegerat, ita ei largiebatur. Quamobrem sic cogitabant, eum qui tantos sumptus faceret ad ignominiam, nullo modo lucrifaciendi caussa ab indignissimis & insolentissimis rebus abstinentem fore. Cæterum ludis Juvenalibus interfuerunt multi nobilissimique viri. Cujus rei argumentum est, quod Ælia Catula fæmina antiquissimi stemmatis atque ditissima, ac jam grandis natu (nata erat enim annos octoginta) saltavit: cæteri, qui propter senectutem & morbos præcipue, nihil poterant aliud facere, choreas canebant. Exercebat autem se unusquisque ut poterat, erantque ob eas res scholæ constitutæ, quas frequentabant clarissimi viri, mulieres, puellæ, adolescentuli, vetulæ, senes. Quod si quis non posset aliter spectaculum præbere, ad choreas ibat, quumque multi, pudore adducti, ea facerent personati, Nero, petente populo, ab eis personas auferebat, eosque patefaciebat omnibus, apud quos ipsi paulo ante magistratus gesserant. Quoniam autem oportebat extrema principiis respondere, ipse quoque Nero in theatrum prodiit, Gallionis voce nominatim prædicatus, *Erit*, inquit, *Cæsar in scena habitu citharœdi*. Quin etiam ipse Imperator dixit; Domini mei, audite me libenter. Igitur Augustus cecinit Attin quandam & Bacchas coram magno militum numero, & universo populo, quantum sedes capiebant: etsi (ut traditum est) tam parva voce & cantu erat, ut risum fletumque omnibus excuteret. Assistebant ei Burrhus & Seneca ut magistri, suggerentes aliquid: quumque dixisset, plaudebant manibus & vestimentis, ut reliquos ad

A idem faciendum inducerent. Erantque ob eam caussam parata quinque militum millia, qui Augustales nominati, incipiebant cum laudibus extollere: post hos cæteri omnes inviti acclamare cogebantur, uno Thrasea excepto, qui nunquam ei visus est assentari. Reliqui, atque inprimis nobiles viri, studiose simul & ingemiscentes omnia comprobabant, quæ ab Augustalibus dicta essent, atque una simulata lætitia conclamabant. Tum licebat audire, qui ita dicerent; *Quam pulcher Cæsar, Apollo, Augustus, unus veluti Pythius, nemo te per Jovem vincit Cæsar*. Peractis his rebus, populo epulum dedit intra naves, in eo loco in B quo ab Augusto bellum navale factum fuerat. Inde media nocte per cloacam in Tiberim navigavit. Quæ cum facta essent propterea quod mentum pilis nudasset, postea pro salute ac diuturnitate imperii sui (sic enim edixit) certamen quinquennale instituit, quod appellavit *Neronia*, cujus causa gymnasium ædificavit, in cujus dedicatione equitibus ac senatoribus oleum gratis, ut supra quoque commemoravimus, distribuit.

C A P. VII.

C *De aliis adbuc Ludis & triumpho Neronis.*

Redeunte ex Græcia Nerone cum non longe ab urbe abesse nunciaretur, pars muri diruta est, & portæ aliqua ex parte fractæ sunt, idque ob eos qui certaminum coronas, quas in Græcia aut meruerat, aut meruisse videri volebat, ferebant: nam hi primi omnium introierunt; sequentibus iis qui tabellas longis hastis affixas ferebant, in quibus scriptum erat nomen & genus certaminis: utque Nero Cæsar primus e civibus Romanis qui umquam extitissent, victor ex eo rediret: deinde ipse Nero curru triumphali, in quo Augustus olim tot D triumphos duxerat, vehebatur: amictus erat veste purpurea atque auro intexta, & oliva coronatus, laurum Pythicam præ se ferebat: cumque eo una Diodorus citharœdus vehebatur; atque ita per circum & forum cum militibus, & equitibus ac senatoribus transiit; ascensoque Capitolio inde in Palatium venit, tota urbe coronata lychnisque ac suffimentis plena. Acclamabant omnes, & senatores inprimis, ἔα Olympiaca, ἔα Pythica, Auguste, Auguste; Neroni Herculi, Neroni Apollini, quam solus περιοδονίκης, solus ex æterno tempore Auguste; sacra vox; *Beati qui audiunt*. His rebus confectis, circenses imperavit, has coronas & reliquas omnes, quas ex curru certando victor obti-E nuerat, attulit in circum, & Obelisco Ægyptio imposuit. Hæ erant numero mille octingentæ octo. Post hæc currum agitavit. Cum quidam Larcius Lydus ad eum venit, obtulitque ei decem millia aureorum ut cithara caneret: quos etsi Nero repudiavit, ratus sibi turpissimum fore mercede aliquid facere, tamen hanc summam Tigellinus a Larcio accepit, ne eum interficeret. Itaque Nero ingressus in theatrum, cithara cecinit, egit tragœdias, ex curru certavit creberrime: nonnunquam vinci se sinens, ut magna ex parte de cætero vere vicisse F crederetur.

C A P. VIII.

De Ludis & Spectaculis a Tito Imperatore editis.

Amphitheatrum Titus venationum causa, & balnea suo nomine dedicavit: ubi multa eaque admirabilia exhibuit. Grues enim certaverunt inter se: præterea quatuor elephanti; ac pecorum ferarumque millia novem interfecta sunt, quæ mulieres ignobiles confecerunt: multi obierunt munus gladiatorium: multi quoque conferti pedestria ac navalia prælia commiserunt. Nam amphitheatro derepente aqua impleto, in ipsum equos taurosque aliaque mansueta animalia introduxit, quæ facere didicerant ea quæ in terra consueverant: in hanc aquam introducti sunt homines in navibus: qui in Corcyrenses & Corinthios divisi, prælio navali certaverunt. Extra hunc locum pugnatum est ab aliis in horto Caii & Lucii, quem Augustus perfodi ob eandem causam jusserat. Ibi enim primo die bellum navale, cædesque belluarum facta est, lacu, qua parte statuas spectat, tabulis inædificato, ac fixis undique trabibus. Postridie ejus diei ludi circenses facti sunt. Tertio die rursum navale prælium edidit hominum trium millium, quod pedestris pugna inde consecuta est. Nam Athenienses superatis Syracusanis, (his enim nominibus usæ partes pugnaverunt) cum in parvam insulam descendissent, magno impetu celeriter facto, monumentum, quod ibi exstructum erat, invadunt, capiuntque. Fuere per centum dies spectacula ejus generis, hac quoque causa plebi maxime grata & utilia, quod Titus de superiore loco tesseras jaciebat in amphitheatrum, in quibus scripta erat nota alicujus esculenti, vestisve, aut vasis argentei, aut aurei, equorumque & jumentorum ac mancipiorum: quas tesseras qui rapuisset attulissetque ad eos quibus hæc cura demandata fuerat, quod scriptum in eis erat consequebatur.

C A P. IX.

De Ludis & Spectaculis a Domitiano editis.

Spectacula Domitianus magnifica assidue & sumptuosa edidit, non in amphitheatro modo, verum & in circo: ubi præter solennes bigarum quadrigarumque cursus, prælium duplex etiam equestre ac pedestre commisit: atque in amphitheatro navale quoque. Nam venationes, gladiatoresque & noctibus ad lychnulos, nec virorum modo pugnas, sed & feminarum. Præterea quæstoriis muneribus, quæ olim omissa revocaverat, ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret bina paria e suo ludo postulandi, quæ novissima aulico apparatu induceret. Ac per omne gladiatorum spectaculum ante pedes ejus stabat puerulus coccinatus portentoso parvoque capite, cum quo plurimum fabulabatur, nonnunquam serio. Auditus est certe dum ex eo quærit, ecquid sciret, & quid sibi visum esset, ordinatione proxima Ægypto præficere Metium Rufum. Edidit navales pugnas pene justarum classium, effosso & circumducto juxta Tiberim lacu: atque inter maximos imbres prospectavit. Fecit & ludos sæculares: computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat. In his Circensium die, quo facilius centum missus peragerentur, singulos a septenis spatiis, ad quina corripuit. Instituit & quinquennale certamen Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum, & aliquanto plurium quam postea fuit coronatorum. Certabant etiam prosa oratione Græce Latineque, ac præter citharœdos, chorocitharistæ quoque & psallocitharistæ. In stadio vero cursu etiam virginis certamini præsedit, crepidatus purpureaque amictus toga Germanica, capite gestans coronam auream, cum effigie Jovis, ac Junonis Minervæque, assidentibus diali sacerdote, & collegio Flavialium pari habitu; nisi quod illorum coronis inerat & ipsius imago. Celebrabat & in Albano quotannis Quinquatria Minervæ, cui collegium instituerat: ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, redde-

rentque eximias venationes & fcenicos ludos, infuperque oratorum ac poetarum certamina. Congiarium populo nummorum trecentorum ter dedit, atque inter fpectacula muneris largiffimum epulum. Septimontiali facrorum die fenatui equitique panariis, plebeiis, fportellis cum obfonio diftributis. Initium vefcendi primus fecit, dieque proximo omne genus rerum miffilia fparfit: & quia pars major inter popularia deciderat, quinquagenas tefferas in fingulos cuneos equeftris ac fenatorii ordinis pronunciavit.

CAP. X.

De eifdem adhuc Ludis & aliis Spectaculis Domitiani.

DIes feftos & triumphales Domitianus plurimos egit: exhibuit enim crebra certamina, præliis peditum ac deinde equitum commiffis in circo, tum etiam in novo quodam loco bello navali facto, in quo non folum omnes fere qui pugnaverunt mortui funt, fed etiam multi ex fpectatoribus, propterea, quod maximo imbre, & vehementi tempeftate repente commota, nemini permifit abire ex fpectaculo: & quamquam ipfe penulam mutarit, tamen cæteros idem facere paffus non eft. Qua ex re non pauci in graves morbos inciderunt, & mortui funt. Itaque populo nocturnum epulum dedit, ejus confolandi caufa. Noctu enim fæpe exhibebat certamina, in eaque etiam mulieres introducebat. Utque plebi eo tempore, ita poft principibus fenatorii & equeftris ordinis convivium in hunc modum fecit. Apparavit ædes nigerrimas ex omnibus partibus, erant enim atra laquearia, parietes ac pavimentum, in eoque fedes nudæ eodem modo collocatæ erant. Quibus paratis rebus eos de nocte introduci jubet abfque comitibus: ac primum omnium juxta unumquemque columnam collocat, factam inftar fepulchri, in qua nomen ejus fcriptum erat, pendebatque de ea lychnuchus parvus, ut affolet in monumentis: tum nudi pueri, atramentoque obliti, tamquam fpectra quædam ingrediuntur, ipfofque horribili faltatione circumeunt, eoque facto ante pedes ipforum confiftunt, fiuntque ad extremum omnia quæ in exfequiis mortuorum fieri folent. Nam & res atræ in vafis eodem modo eis appofitæ fuerunt. Quas ob res quifque maxime reformidare cœpit, & perhorrefcere, quod fe jamjam expectaret interfectum iri, præfertim cum cæteris magnum filentium, quafi jam mortuus effet, quodque Domitianus fermonem habebat de iis rebus quæ ad mortem, quæque ad cædem pertinerent. Tandem vero illos dimittit, præmiffis famulis ipforum qui in veftibulis ædium remanferant. Quumque præparaffet alios incognitos homines, a quibus domum reducerentur, vehiculis & lecticis datis, iis metum multo majorem incuffit. Jam quifque domum venerat, jamque refpirare quodammodo incipiebat, quum nunciatum eft nonnullos ab Augufto venire. Qua ex re eis mori omnino expectantibus, ab uno horum oblata eft columna argentea, ab altero aliud quippiam, ab alio vas ex iis quæ in cœna appofita fuerant, quæq; erant pretiofiffima: poftremo dæmonium unicuique fuum (puta eos quos diximus pueros atratos pro fpectris, invitatis adftitiffe, eofq; territaffe) lotum & ornatum offerri jubet; atq; ita illi, qui totam noctem in magno timore peregerant, munera acceperunt. Et Domitianus hos triumphos egit, vel (ut vulgo loquebantur) exequias, ob eos qui in Dacia Romæque mortem obierant.

CAP. XI.

De Ludis & Spectaculis a Commodo Imperatore editis.

CUrrus Commodus nunquam agitavit publice, nifi fi quando nocte obfcura id facere concu-

A pivisset; pudebat enim eum multitudinis. Id vero domi faciebat affidue prafino ornatu: ubi magnum numerum beluarum confecit, licet multas etiam interfecerit publice. Munus vero gladiatorium ita obibat domi, ut crebro aliquem occideret: nam & fuis quafi vellet eorum capillos radere, nafum aut aurem, aut aliud quippiam novacula præcidebat. Publice abfque ferro aut humano fanguine non erat. Solebat autem ante quam veniret in theatrum, amiciri tunica manuleata, ferica, alba: eumque ita ornatum Patres falutabant: cum autem ingreffus effet induebatur purpurea auro intexta, accepta pari chlamyde, more Græco, & corona aurea, illumi-
B nata gemmis Indicis. Ferebat etiam caduceum quale Mercurius folet. Pellis quidem leonis clavaque geftabantur ante eum, quum iter faceret: in theatris autem, five adeffet ipfe præfens, five abeffet, in fella aurea collocabantur. Itaque habitu Mercurii introibat in theatrum, abjectifque cæteris quæ ferebat, præter tunicam, nudis pedibus ad rem gerendam aggrediebatur: ac primo quidem die centum urfos de fuperiore loco jaculis confecit. Erat enim divifum theatrum omne, connexis quibufdam diametris tectum habentibus, circum quod inambulari poterat, ac fefe bifariam fecantibus, quo facilius undi-
C que ex angufto loco beluæ divifæ in partes quatuor jaculis trajicerentur. Bibebat defeffus in medio certamine, capiebatq; poculum vini dulciffimi refrigerati de manibus mulieris. Quo exhaufto, ftatim multitudo ipfique Senatores, id quod in conviviis dici folet, magno cum clamore dicebant, Ζησείας, (*profit*) indeque ille abiit; at poft prandii tempus fungebatur muneribus gladiatoriis, exercebatq; fe, dum uteretur armis cujufdam, cui fecutor nomen fuit; teneretque fcutum dextra, gladium ligneum finiftra, ob eamque caufam maxime gloriabatur, quod fcæva effet. Certabat cum eo ejus ludimagifter, vel potius gladiator, cui ferula erat in manibus,
D eumque ipfe provocabat interdum, interdum deligebat populus. Id enim cæteraque omnia pariter cum reliquis gladiatoribus faciebat: quamquam hoc uno differebat, quod illi parva accepta pecunia defcendebant in certamen, Commodo autem munerabantur fingulis diebus de pecunia gladiatorum, aureorum decem millia. Affiftebant pugnanti Æmilius Lætus Præfectus Prætorio, & Electus cubicularius, quos pugnata ea falfa pugna, victor fcilicet ofculabatur per galeam quam gerebat. Poft eum pugnabant cæteri, quos omnes primo die coegerat de inferiore loco, ornatu Mercurii, caduceoque aureo accepto, ubi in confimile tribunal adfcendiffet, eo-
E rum pugnam commifit. Poft revertit in fellam in qua federe confueverat, indeque una fpectabat cætera, etfi nihil gerebatur quod ludis conveniret, cum paffim multi necarentur. Quin etiam nonnullos interdum quod cunctarentur adverfarios interficere, una cum eis colligari atq; ita fimul omnes pugnare juffit. Quo facto, vincti certavere inter fe, occideruntque multos ex fpectatoribus, cum quibus certamen non erat; quod a multitudine & anguftiis loci compulfi propius acceffiffent. Quatuordecim dierum fuere fpectacula hujus generis; eoque fenato-
F res conveniebant cum equitibus feparatim: perfonabantque affidue magnis vocibus; Dominus es; primus es; vincis omnium feliciffime. Ex æterno tempore, Amazonie, vincis. Multi ex reliqua plebe ne introibant quidem in theatrum; plerique, ubi paulum fpectaffent, difcedebant; partim pudore adducti, partim quod rumores fparfi erant, conftituiffe Imperatorem tela in aliquot plebejos conjicere, ut Hercules olim in Stymphalidas fecerat: idque ex eo credebatur futurum, quod ante omnes qui in urbe morbo aut alia de caufa pedibus carebant, unum in locum conduxerat; cumque eorum genua qui-

A quibusdam rebus serpentibus simillimis complicavisset, dedissetque eis spongias, quas jacerent pro lapidibus, omnes clava, ut si gigantes essent, percussit atque interfecit.

CAP. XII.

De eisdem Commodi Spectaculis & pugnis paullo aliter.

Commodus cum temperare jam sibi ultra non posset, publice spectacula edere professus, omnes se sua manu feras occisurum pollicebatur, & cum fortissimis quibusque juvenum
B singulari certamine depugnaturum, quæ cum rumoribus celebrarentur, concurrebant ex omni Italia ac finitimis gentibus universi ad id spectaculum, quod nec antea oculis usurpaverant, neque unquam fando audiverant. Siquidem ita esse certa manus illius dicebatur, ut quodcunque destinaret, jaculo sagittave contingeret. Erantque cum illo assidue Parthorum lectissimi sagittarii ac Numidæ jaculatores, quos ille tamen omnes longe artificio superabat. Ubi autem spectaculi dies affuit, pleno amphitheatro exædificatus Commodo peridromus fuerat, per quem decurrere in orbem posset, ne cominus cum
C bestiis pugnans periclitaretur; sed superne ac de tuto loco tela jaciendo, jaculandi potius scientiam quam fortitudinem ostentaret. Cervos igitur & damas, item cornigera alia præter tauros, currens pariter ipse atque insequens impetebat, ac præventa fuga certissimis ictibus prosternebat. Leones vero & pantheras, aliaque id genus nobilissima animalia, currens in orbem superne jaculis confodiebat, sic ut nec telum quisquam secundum, nec vulnus viderit nisi læti ferum. Nam ut primum se fera concitaverat, statim illam vel in fronte, vel in corde sauciabat, nullo præterea usus scopo, neque ad aliam
D corporis partem telo destinato, sic ut pariter cum vulnere ipso conficeretur. Cæterum bestiæ conquirebantur undique, ac tum primum visa sunt Romæ, quæ ante in pictura admirationi fuerant. Quippe ex India Æthiopiaque, item a meridie & a septentrionibus quidquid incognitum prioribus sæculis fuerat, confecit ille pariter atque ostendit, nullo non obstupefacto, tam certa illa manu, tamque nusquam telis aberrantibus. Idem aliquando sagittas limatæ cuspidis in Maurusias struthos intorquebat, quæ & pedum celeritate, & alarum quasi velis ocyssime ferebantur, sic ut summum contingeret collum, atque ita capita amputaret, ut exsectis cer-
E vicibus (qui teli impetus fuerat) aliquandiu tamen viventibus similem cursum continuarent. Quin & pantheram, quæ scilicet eductum quendam in arenam cursu acerrimo comprehenderat, sic ut jam jam laniatura videretur, ita oportuno vulnere consecutus est, ut interfecta belua hominem servaverit, ac dentium quoque aciem cuspide ipsa jaculi prævenerit. Leones item cavea centum eductos totidem missilibus universos occidit, ita suo ordine jacentibus corporibus, ut numerari facillime singula possent, nullo scilicet supervacuo incidente telo. Hactenus igitur quæ gerebantur quamvis a prin-
F cipe aliena viderentur, tamen, quoniam fortitudinem scientiamque præ se ferrent, popularem quandam gratiam emerebantur. Verum ubi jam nudus ingressus amphitheatrum est, sumptisque armis numeros gladiatorios implebat, tum vere triste Rom. populo spectaculum id visum, nobilissimum Imperatorem, post tam multos parentis sui majorumque triumphos, non quidem adversus beluas arma capere militaria vel Romanorum imperio congruentia, sed amplissimam dignitatem turpissimo fœdissimoque cultu contaminare. Facile autem dimicans suos compares superabat: neque tamen ultra vulnera procedebat; dante unoquoque manus, atque imperatorem potius quam gladiatorem agnoscente. Eoque vesaniæ profectus est ut deserere principalem aulam atque in ludum gladiatorium migrare instituerer: neque se amplius Herculem appellari patiebatur, adoptato nobilissimi gladiatoris nomine qui jam vita excessisset: quin simulacro illi colosseo quod Romanis venerabile est, Solis effigiem gerens, capite dempto suum imposuit, atque in basi subscripsit, non quos consuesset imperatorios paternosque titulos, sed pro Germanico, mille gladiatorum victorem.

CAP. XIII.

De Ludis a Severo Imp. editis.

Severus postquam attigisset decennium Principatus sui, congiario populo prætorianisque militibus dato, tot singulis aureos quot annos imperaverat, distribuit. Quam ob causam sibi mirum in modum placebat, quum revera nemo unquam simul tantundem eis dedisset: consumpta sunt enim in ea largitione aureorum vicies centena milia. Eodem anno celebratæ sunt nuptiæ Antonini filii Severi, & Plautillæ Plautiani filiæ: qui tantum filiæ suæ dedit quantum reginis quinquaginta satis fuisset: quæ omnia per forum comportabantur in Palatium magna pompa, ubi Senatui equestrique ordini epulum datum est regio & barbarico apparatu. Aderant enim epulæ rerum omnium quibus vesci homines solent; multaque in his cocta, multa cruda, nonulla etiam viva capiebantur. Tum edita sunt varia spectacula propter reditum Severi, & decennium principatus ejus, ac victorias quas reportaverat: in quibus spectaculis apri sexaginta Plautiani invicem certaverunt jussi, cæsæque sunt aliæ permultæ bestiæ, atque inprimis elephas & crocota. Id animal est Indicum, ac tum primum, quod sciam, Romam advectus est. Color ejus est leænæ permixtæ cum tigri: figura quodammodo ex cane & vulpe constat. Earum receptaculum in amphitheatro ædificatum erat, instar navis, ita ut reciperet quadringentas feras, easdemque simul omnes redderet: qua ex navi subito dissoluta exilierunt ursi, leænæ, pantheræ, struthiones, onagri, bissones, quod genus boum est, patria & adspectu barbarum. Itaque septingentæ feræ, mansuetæque bestiæ simul concurrere, & postea confodi visæ sunt. Occisis enim singulis diebus centum, pro numero dierum festorum, qui septem fuerant, septingentæ sunt occisæ.

CAP. XIV.

De Ludis & Spectaculis editis ab Antonino Heliogabalo Imperatore.

Antoninus ut in urbem venit, diviso congiario in populum, (ut mos est imperium suscipientibus) spectacula omnifariam edebat magnificentissima, templumque item maximum pulcherrimumque Deo suo Heliogabalo erexit, plurimasque circa templum constituit aras, ad quas quotidie mane taurorum hecatombas & ovium magnam multitudinem immolabat. Coacervatisque supra aras omne genus odoribus, etiam veterrimi cujusque optimique vini plurimas amphoras profundebat, sic ut rivi passim vini sanguinisque promiscue defluerent. Choros autem circa aras agitabat, nullis non organis consonantibus, unaque mulieribus Phœnissis cursitantibus in orbem, cymbalaque inter manus habentibus aut tympana, omni circumstante senatu atque equestri ordine ad theatri formam. Exta porro victimarum atque aromata intra lances aureas capitibus imposita gestabant, non quidem famuli aliqui aut humiles personæ, sed

præfecti exercitibus, & quicumque maximas dignitates obtinebant, induti tunicas talares ac manuleatas, unamque in medio purpuram ferentes; sed & linteis calciamentis utebantur, quemadmodum vates in eis regionibus consueverunt. Porro ingentem se honorem tribuere putabat, quibus ejuscemodi sacrificia participaret.

Fecit & in suburbano templum maximum ac magnificentissimum, in quod anno vertente Deum suum adulta jam ætate deducebat, ludisque curulibus & scenicis, epulisque & pervigiliis populum a se oblectari arbitrabatur. Ipsum porro Dei simulacrum impositum vehiculo, quod esset auro pretiosisque lapidibus exornatum, deducebat ex urbe in suburbanum, trahentibus equis sejugibus emaculato candore ac magnitudine præcellentibus, auroque multo & phalerarum varietate conspiciendis. Neque enim quisquam mortalium eum inscenderat currum, sed circumstabant omnes quasi aurigantem Deum. Antoninus autem retrorsus currens, ac simulacrum ipsum adspectans, currum antecedebat: frenos manibus retinens, totumque iter ita retrorsum currens, ac Deum semper adspectans confecit. Ac ne caderet laberetur que ignarus quo tenderet, aurosa substracta erat arena, militesque eum utrimque retentabant, quo tutius retrocederet, discurrente etiam cum facibus utrimque populo, & coronas floresque jaciente: tum Deorum omnium simulacra, & quidquid conspicuum in templis, principatusque insignia & pretiosissima supellex, equites item & exercitus universus pompam hanc comitabantur. Ubi autem deduxerat atque in templo Deum constituerat, sacris jam celebritatibusque peractis, maximas altissimasque turres ad id ipsum exstructas conscendebat: inde scilicet in plebem missilia sparsurus, aurea puta argenteaque pocula, vestesque & lintea omne genus, bestias præterea cicures omnes, exceptis suibus, quibus ipse (ut mos est Phœnicibus) abstinebat. Multi igitur inter rapiendum periere, partim invicem proculcati, partim militum contis transfixi, sic ut ea celebritas calamitatem quam plurimis attulerit.

CAP. XV.

De Ludis a Philippo Arabe Imperatore editis.

PHilippi imperii anno II. ante XI. Kalen. Majas, ingenti pompa magnoque apparatu & sumptu seculares ludi anno Urbis conditæ CIƆ. celebrati sunt. Beluæ triumpho Persico & iis ludis a Gordiano asservatæ (nam juvenis natali urbis triumphare decreverat) hæ fuisse memorantur: Elephanti triginta duo; alces decem; tigrides decem; leones mansueti sexaginta; leopardi cicures triginta; hyænæ decem; hippopotamus unus; rhinoceros unus; arcoleontes decem; camelopardi decem; onagri viginti; equi feri quadraginta; gladiatorum paria mille. Quæ omnia in circo maximo exhibita sunt; & scenicos ludos in Pompeii theatro tribus diebus totidemque noctibus, (mirum dictu) pervigil populus spectavit, funalibus atque lychnis tenebras vincentibus: sed cum multitudo solennibus ludis intenta esset, incendium aut ex luminaribus aut ex ignibus coalitum, in curia divagatum est. Theatrumque Pompeii arsit, & ei propinquum hecatonstylon, centum columnarum in Campo Martio opus, centenariam porticum appellabant. Circenses dati, in quibus certamine currendi quadragesimus equorum e carcere missus numeratus est.

Atque hactenus ista ex historicorum scriptorumque veterum monimentis excerpsisse sufficiat; quæ quo plenius intelligantur, & sciant omnes quid sit ludus Trojæ, quid munus gladiatorium, quid Circenses, &c. deinceps quam brevissime fieri poterit de omnibus & singulis ludis spectaculisque Romanorum auribus & oculis olim usitatis & solitis ita ex ordine agemus.

CAP. XVI.

De Ludorum origine, & qui Ludos edere Romæ consuerint.

A Græcis ludos Latinis fuisse communicatos, atque ab his ad Romanos defluxisse, plerosque etiam abusque Trojæ excidio Æneam attulisse, haud ambigua res est. Deinde cum a Numa Pompilio ad sacra paulatim esset populus manuductus, fuerunt & numero ludi & cæremoniis aucti, ut de Apollinaribus ludis in secundo bello Punico manifestum est. Invenio vero duo genera magistratuum dedisse ludos, ædiles scilicet curules, & prætores. De ædilibus Cicero septima *in Verrem* ita scribit: *Nunc sum designatus ædilis: scio mihi ludos sanctissimos maxima cum cæremonia Cereri, Libero Liberæque faciendos: mihi Floram matrem populo plebique Romano ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciendos: mihi sacrarum ædium procurationem, mihi totam urbem tuendam esse commissam.* Et Plutarchus, Cæsarem ædilitate sua munificentia sumptuosa circa spectacula atque convivia, factum apud plebem favorabilem ait; idemque significat Tranquillus, scribens Cæsarem ædilem exornasse comitium, Capitolium & basilicas: nam & hoc erat officii ædilium, ut in ludorum æditione forum & comitium signis ac tabulis pictis exornarent, ut Plinius lib. XXXVI. *Hist. Nat.* & Asconius Pedianus tradunt: quorum ille, Varronem & Murenam in ædilitate deportavisse Romam ex Lacedæmone opus tectorium refert, propter excellentiam picturæ inclusum ligneis formis ad exornandum comitium. Erat autem comitium locus in foro Romæ, quo coire equitibus Romanis, & populo licebat, (ut inquit Pedianus) in quo & ludos ædiles vel prætores dare consueverant: quem alii locum a coitione, alii a co te dictum existimant, quem Actius Navius augur discidit, & una cum novacula eo loco defodit. Porro ædiles in ludis faciendis magnum adhibebant & apparatum & sumptum in vestibus ac tabulis pictis comparandis. Unde scribit Plinius *libro* trigesimo sexto: In spectaculis Marci Scauri, quæ in ædilitate sua fecit, tantum apparatum tantasque reliquias superfuisse ex Attalica veste, tabulisque pictis, ut in Tusculanam villam deportata fuerint quæ superfluebant: prætorem autem pariter urbanis ludis in urbe præfuisse, ostendit Ælius Spartianus in *Vita Hadriani*, & confirmat etiam Marcellinus, *libro* historiæ suæ XXVII. Cæterum inclinante jam Imperio transiit hic mos edendi ludos ut ad alia quoque loca, passim per provincias Romano Imperio subjectas, sic etiam ad alios cum divinos tum humanos magistratus: ut alibi, cum de ludis sacerdotalibus & quæstoriis agemus, dicturi sumus; nunc hic monuisse contenti, ut præcipua in Græcia fuere ludicra illa nobilia, Olympia, Pythia, Isthmia, Nemæa: sic Romanis antiquissimos & gratiss. eos, qui dicti sunt ludi Latini, Trojæ ludicrum, ludi Magni, Circenses, ludi Apollinares, Populares, Natalitii, Nuptiales, Quinquennales, Gladiatorii, Actiaci, Scenici, Augurales, &c. Atque hi ludi passim in templis & theatris dari solebant. De templis meminit Dion Cassius in *Hadriano*, cum de architecto quodam Apollodoro loquens ita ait: *Hadrianus vero Imperium adeptus, injuriæ recordatus est, atque licentiam hujus non tulit: siquidem descriptionem & formam templi Veneris, quod Romæ fabricabat ad eum misit: quippe significans, sine illius opera*

*& ministerio, etiam ingentia ædificia extrui posse. Quærebat itaque, an ædificium illud recte & commode se haberet. Rescripsit de templo, sublime illud & concavum * fieri oportere, ut ex loco superiori in sacram usque viam insignior prospectus esset, & magis conspicuus: concavum ad excipiendas ludorum machinas, quæ in eo loco latenter compingi, & item ex occulto in theatrum duci possent.* De theatro, quod ad formam hemicycli erat constructum, ad omnis generis ludos & spectacula spectanda, meminit sæpe Martialis, & tractat ita docte simul & eleganter peculiari libello noster Lipsius, ut ad eum lectorem remittendum putem.

Cæterum in subselliis primum plebem a Patribus separasse Scipionem Africanum, Livius *libro* quadragesimo author est: *Senatus* (inquiens) *primum a populo secretus spectavit: tum sermones indignantium exorti sunt, quid repente factum, cur immisceri sibi in cavea Patres plebem, cur dites pauperem consessorem fastidirent?* Atque Africanum quidem, quod author ejus rei fuisset, pœnituisse ferunt: tanquam omnia discrimina talia, quibus ordines discernuntur, & concordiam minuant, & libertatem.

* Ita quidem viri docti censent, a quibus hæc mutuati sumus: sed ego arbitror ideo concavum esse debuisse templum, non quod in eo ludi exhiberentur, sed quod in eo machinæ compingerentur in vicinum theatrum, ubi ludi edebantur, producendæ.

CAP. XVII.

De Ludis Apollinaribus, qui Pythii Græcis.

QUos Romani ob vaticinia Martiana secundo bello Punico instituerunt Phœbo sacros ludos, hos jampridem Græci habebant, & in Parnasso monte sub nomine Pythiorum celebrabant, quæ a nomine perdomitæ serpentis nominata fuisse, Ovidius libro primo *Metamorphoseon* testatur: & refert originem eorum T. Livius *libro* quinto *Decadis* tertiæ, in hæc verba: *Religio deinde nova objecta est carminibus Martianis: Vates hic Martius illustris fuerat, & cum inquisitio priore anno ex senatusconsulto talium librorum fieret, in M. Æmilii prætoris urbis, qui eam rem agebat, manus venerant: is protinus novo prætori Sullæ tradiderat. Ex hujus Martii duobus carminibus, alterius postea aucta celebrato eventu auctoritas, alteri quoque, cujus nondum tempus venerat, afferebat fidem. Priore carmine Cannensis prædicta clades, in hæc ferme verba erat. Amnem Trojugena Cannam Romane fuge: ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conserere manus. Sed neque credes tu mihi, donec compleris sanguine campum, multaque millia occisa tua deferat amnis in pontum magnum ex terra frugifera: piscibus atque avibus, ferisque, quæ incolunt terras, iis fiat esca caro tua: nam mihi ita Jupiter fatus est. Et Diomedis Argivi campos, & Cannam flumen, qui militaverant, in iis locis juxta atque ipsam, cladem, agnoscebant. Tum alterum carmen recitatum, non eo tantum obscurius, quia incertiora futura præteritis sunt, sed perplexius etiam scripturæ genere: Hostes Romani si expellere vultis vomicamque, quæ gentium venit longe, Apollini vovendo censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant: cum populus dederit ex publico partem; privati uti conferant pro se, suisque: iis ludis faciendis præerit prætor is, qui populo plebique jus summum dabit. Decemviri Græco ritu hostiis sacra faciant. Hæc si recte faxitis, gaudebitis semper, fietque res vestra melior. Nam is divus extinguet perduelles vestros, qui vestros campos pascit placide. Ad id carmen explanandum, diem unum sumpserunt: postero die senatusconsultum factum est, ut decemviri libros de ludis Apollini, reque divina facienda, inspicerent. Ea cum inspecta relataque ad senatum essent, censuerunt Patres, Apollini ludos vovendos, faciendosque; & quando ludi*

A *facti essent, duodecim millia æris prætori ad rem divinam, & duas hostias majores dandas. Alterum senatusconsultum factum est, ut decemviri Græco ritu facerent: iisque hostiis Apollini bove aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ bove femina aurata. Ludos prætor in circo maximo cum facturus esset, edixit, ut populus per eos ludos, stipem Apollini, quantum commodum esset, conferret. Hæc est origo ludorum Apollinarium, victoriæ, non valetudinis ergo, ut plerique autumant, votorum: factosque populus coronatus spectavit; matronæ supplicavere. Vulgo apertis januis in propatulo epulati sunt, celeberque dies omni ceremoniarum genere fuit.*

B Meminit idem Livius *libro* sexto ejusdem *Decadis: Ludi Apollinares ut priore anno fuerant, eo anno ut fierent, repente Calpurnio prætori senatus decrevit, ut in perpetuum voverentur.* Et iterum *libro* septimo ejusdem *Decadis: Ludi Apollinares Q. Fulvio, Ap. Claudio Coss. a P. Cornelio Sulla prætore urbis primum facti erant. Inde omnes deinceps prætores urbani fecerunt, sed in unum annum vovebant, dieque certa faciebant.* Idem Livius *lib.* X. ejusdem adhuc *Decadis: Inter quæ etiam aquarum insolita magnitudo in religionem versa. Nam ita abundavit Tiberis, ut ludi Apollinares circo inundato*
C *extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris parati sint. Cæterum ludorum ipso die serenitate subita orta, pompa duci cœpta ad portam Collinam, revocata deductaque in circum est, cum decessisse inde aquam nunciatum esset, læticiamque populo & ludis celebritatem addidit, sedes suo solenni spectaculo reddita.* Ad hujusmodi ludos alludit idem Liv. *Dec.* IV. *lib.* VII. *Per eos dies, quibus profectus est ad bellum consul, ludis Apollinaribus, ad quintum Idus Quintilis cœlo sereno, interdiu obscurata lux est cum luna sub orbem solis subisset.* Et iterum *libro* nono ejusdem *Decadis: Senatus a consule est habitus, decretumque, quoniam prætoris subrogandi co-*
D *mitia ne legibus fierent, pertinacia Q. Flacci & prava studia hominum impedirent, senatum censere, satis prætorum esse. P. Cornelius utramque in urbe jurisdictionem haberet, Apollinique ludos faceret.* Porro meminit hoc nomine ludorum & Ælius Lampridius in historia Alexandri Cæsaris: *Calendis autem,* inquit, *Januariis & Hilariis matris deum, & ludis Apollinaribus, & Jovi epulo, & Saturnalibus, & hujusmodi festis diebus fasianus, ita ut aliquando & duo ponerentur, additis gallinaceis duobus.* Hæc ille. Atqui nec illud nobis silentio prætereundum est, ludis Apollinaribus Lentulum Spin-
E terem carbasina vela primum induxisse: (vide doctiss. Justi Lipsii librum *de Amphitheatro*) ad evitandum namque solis æstum, in omnibus ludis & spectaculis, etiam in foro, vela a parte superna ducebantur: quo pertinet quod Plinius tradit, Cæsarem totum Romanum forum velis intexisse in munere gladiatorio: id quod de ipso etiam Tranquillus meminisse videtur, rationem reddens, ne populus scilicet æstu conficeretur. Denique Romæ in hunc usque diem ludi Apollinares celebrantur, ad ritum tamen Christianum mutati: qua de re ita scribit Blondus *Romæ triumphantis* lib. II. *Ludos Apollinares ad nostram quoque ætatem per-*
F *venisse constat: siquidem hi sunt quos per extremos Carnisprivii dies in circo Flaminio, ubi nunc Agonis est appellatio, fieri quotannis videmus: principio enim mutationis prudenter factæ a Gentilium superstitione ad ritus Christianos, ut aliquid Apollinarium appellationis ipsi ludo remaneret, prope Sancti Apollinaris ecclesiam, ea etiam ratione institutis ludis locus est retentus: nec multum variat tempus, quando & hi sicut & illi ad finem Februarii ut plurimum eduntur: & quando hostiæ illorum, sicut decuit, sunt omissæ:*

retinetur consuetudo aliquod victoriæ simulacrum faciendi; sicut eos victoriæ ergo inchoatos Livius asseruit. quale proximis diebus fuit spectaculum omnibus nobis gratissimum, qui ecclesiasticæ Rom. reip. membra curiam sequimur Romanam, cum in eodem Circi Flaminii agone prælii similitudo quædam fuit, quod præclarissimum æternaque dignum memoria æstate proxima gestum est; ad Danubium, qua fluvius influit Savus. Cum Mahumeth Turcorum Imperator, supra centum milia in exercitu habens, ad Bellogradum oppidum aliquandiu oppugnatum, machinisque & bombardis prope solo æquatum fusus, & suis quibusque melioribus ad sedecim milia occisis fugatus, bombardas & vim pene infinitam machinamentorum ac armorum amni terraque amisit. Lætum quippe nobis & dulcissimum fuit inspicere personatum quendam Joannem Carvaial Hispanum Cardinalem sancti Angeli indumento & ornamentis referentem: Christianorum & Romani Pontificis exercitui in illam ducendo barbariem præesse. Sed lætius erat videre alia in persona Joannem Capistraneum Ordinis Sancti Francisci fratrem: qui multis continuata annis opinione sanctitatis tanto impletos miraculo milites adduxerit Jesu Christi vexilla secutos: qui celeberrimo Joanne Huniat Vaivoda Transylvano duce pauca alioqui hominum milia supradictam in barbaris cædem edidere: fueruntque ad id Circi agonis spectaculum ex nostratibus ingenio & doctrina cultiores nonnulli, quibus ea die Romanam rem lacertos adhuc movere, Romanum celebrari nomen apparuit. Cum tantas adhuc res adversus Scythas Tanais olim & Riphæorum montium accolas Turcos, maxime partis Asiæ & Europæ dominatores, sub Romanis signis Romanique legati nomine geri, non magis ob spectaculi quod ante oculos erat ostensionem, quam ob recentis victoriæ refricatam memoriam gratum videretur. Et quidem his in ludis Apollinaribus suffectis etiam quod habet Livius propemodum servatur, ut vulgo apertis januis epulentur. Namque die illa urbaniores quique Romani aut convivia celebrant, aut cibaria in id consuetudine introducta, vicinis amicisque missitant: dum plebs infima ad tabernas vinarias in propatulo comedit. Hæc Blondus. De reliquo celebrabantur iidem etiam olim ludi quarto Non. Julii, per octo dies, a P. Licinio Varo instituti. Ludi autem Capitolini instituti sunt a Romanis, ob servatum a Gallis Capitolium, ut est autor Livius *libro* quinto *Decadis* primæ, ubi loquitur de Camillo: *Omnium primum*, inquit, *ut erat diligentissimus religionum cultor, quæ ad deos immortales pertinebant, retulit: & senatusconsultum fecit, fana omnia, quod ea hostes possedissent, restituerentur, terminarentur, expiarentur; expiatioque illorum in libris per duumviros quæreretur: cum Ceretibus publice hospitium fieret, quod sacra populi Romani ac sacerdotes recepissent, beneficioque ejus populi non intermissus honos Deum immortalium esset: ludi Capitolini fierent, quod Jupiter Optimus Maximus suam sedem atque arcem P. R. in re trepida tutatus esset: collegiumque ad eam rem M. Furius dictator constitueret ex iis, qui in Capitolio atque arce habitarent.*

CAP. XVIII.

De Ludis Circensibus, qui & magni & Jovis Ludi dicti sunt.

Circenses Ludos multi sunt qui eosdem cum plebeiis esse contendant: Jovi autem institutos a Tarquinio Superbo primum omnium, & a Circo Romæ nomen accepisse, certius est, quam ut probari debeat. Atque hujus & Varro mentionem facit. Et Dion in *Hadriano*: *Assistebat*, inquit, *interdum consulibus, quoties hi judicarent. In Circensibus ludis eos apprime honorabat, domumque a circo plerumque reducebat.* Porro Circum Romæ locum patentem & celebrem fuisse, undique in orbem ædificiis comprehensum, Varro tradit: atque inde nominatum, quod ibi equi circum metas currerent. Plinius *libro* trigesimo sexto sic scribit: *Nunc ut Circum maximum a Cæsare dictatore extructum; longitudine trium stadiorum, latitudine unius, sed cum ædificiis jugerum quaternum, ad sedem ducentorum & sexaginta millium, inter magna opera dicamus.* Huc pertinet & illud Virgilii:

—— magnis Circensibus actis.

Atque hæc de Circo. Porro Tarquinium, quamvis primum hos constet ludos instituisse, scribit tamen Liv. *lib.* v. *Dec.* I. a Camillo primum omnium ludos tales esse votos, in obsidione Vejensi. Verba Livii hæc sunt: *Latini Hernicique operam suam pollicentes, ad id bellum venere: quibus cum gratias in senatu egisset dictator, satis jam omnibus ad id bellum paratis, ludos magnos ex senatusconsulto vovit Veiis captis se facturum.* Et iterum: *Creati consules Q. Valerius Potitus, Marcus Manlius, cui Capitolino postea cognomen fuit: hi consules magnos ludos fecerunt, quos Marcus Furius dictator voverat Vejenti bello.* Idem scribit in Punico bello quemadmodum Jovi ludos magnos vovendos esse retulerint Decemviri ad senatum, si bellatum esset prospere adversus Hannibalem, resque publica in quo erat antea statu permansisset. Traditur & Scipio Carthaginis victor precatus esse deos, ut in eo statu rempublicam conservarent, in quo tunc esset. Suetonius in *Augusto*, cum magnitudinem Varianæ cladis exaggerat: *Vovit*, inquit, *& magnos ludos Jovi Optimo Max. si rempublicam in meliorem statum vertisset: quod factum Cimbrico Marsicoque bello erat.* Invenio vero ludos Circenses celebratos cum pompa & solemnitate, quotannis decimo quarto Calendas, sole Taurum ingrediente: & ludos Megalesiacos per septem dies ab initio Aprilis. Meminit horum ludorum nominisque & institutionis, Titus Livius *libro* tertio *Decadis* tertiæ, in historia Punica: *Viginti omnino legionibus & centum & sexaginta navibus longis res Romana eo anno gesta. Prætores in provincias ire jussi: consulibus imperatum, ut priusquam ab urbe proficiscerentur, ludos magnos facerent, quos T. Manlius Torquatus dictator in quintum annum vovisset, si in eodem statu respublica staret.*

Idem *libro* nono *Decadis* quartæ: *His victus castigationibus tribunus, cum templo excessisset, referente Servio Sulpitio prætore, triumphus M. Fulvio est decretus. Is, cum gratias Patribus conscriptis egisset, adjecit, ludos magnos se Jov. Optimo Maximo eo die quo Ambraciam cepisset, vovisse. In eam rem sibi centum pondo auri a civitatibus collata, petere ut ex pecunia, quam in triumpho latam in ærario positurus esset, id aurum secerni juberent. Senatus Pontificum collegium consuli jussit, num omne id aurum in ludos consumi necesse esset: cum Pontifices negassent ad religionem pertinere, quanta impensa in ludos fieret: Senatus Fulvio, quantum vellet impenderet, permisit, dum ne summam octoginta millium excederet.*

Huc pertinet, quod idem scribit *libro* quarto *Decadis* quintæ: *Juvenes etiam quidam Romani ludicro Circensi ad usum belli verso, partem humillimam muri ceperunt. Mos erat tum, nondum hac effusione inducta bestiis omnium gentium Circum complendi, spectaculorum varia conquirere genera. Nec semel quadrigis, semel desultore misso, vix unius horæ tempus utrumque curriculum complebat: inter cætera sexageni ferme juvenes, interdum plures ab apparitoribus ludi armati inducebantur: horum inductio in parte simulachrum decurrentis exercitus erat, ex parte elegantioris exercitii quam militaris artis, propriorque gladiatoriorum armorum usum: cum alios decursus edidissent motus, quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis & quartis, postremis*

etiam genu nixis, fastigiatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant. Ex quibus apparent & ritus omnes qui in Circensibus adhibebantur, & Circenses etiam extra urbem in castris & provinciis editos fuisse. Scribit porro idem ab initio *libri* quinti *Decadis* quintæ: *Quod postquam veris nunciis Fabii, Lentulique, & Metelli adventu firmatum est, cum victoria ipsa, tum augurio animorum suorum lætabantur. Et aliter traditur Circensis turbæ non minus similis veri lætitia: ad x. Cal. Octobris ludorum Romanorum secundo die C. Licinio consuli ad quadrigas mittendas ascendenti, tabellarius, qui se ex Macedonia venire diceret, laureatas literas attulisse dicitur: quadrigis missis, consul currum conscendit, & cum per Circum veheretur ad foros publicos, laureatas tabellas populo ostendit*. Ubi pes foros intelligenda subsellia & loca, quibus Patres distincti a populo tales ludos spectabant. Unde forulos per diminutionem existimat Festus dici, quasi minores foros.

Cæterum ex his quæ adduximus Livii locis, colligimus, Circenses ludos non habuisse certum & definitum in anno tempus: sed quando respublica laborabat, uti in eodem statu permaneret, a duce exercitus fuisse votos. Porro reperio tales ludos & in funere Cæsarum, & natalitiis celebratos. Scribit enim Julius Capitolinus in *Pertinace*: *Filius Pertinacis, patris flamen est factus: Martiani sodales, qui divi Marci sacra curabant, Helviani sunt dicti, propter Helvium Pertinacem: Circenses & imperii natalis additi, qui a Severo postea sublati sunt*. Sic & Suetonius in *Tiberio* scribit: *Natalem suum plebeiis incurrentem Circensibus, vix unius bigæ adjectione honorari est passus*. Reperio & in adoptione tales ludos a Cæsaribus editos. Unde Spartianus in *Hadriano*: *Adoptavit ergo Cejonium Commodum Verum invitis omnibus, eumque Ælium Verum Cæsarem appellavit. Ob cujus adoptionem ludos Circenses dedit, & donativum populo ac militibus expendit: quem prætura honoravit, ac statim Pannoniis imposuit*. Sunt etiam interdum tales ludi dati in consulatu: unde est illud Vopisci in *Aureliano*: *Cui consulatum*, inquit, *obtulimus ob paupertatem, qua ille magnus est, cæteris major: dabis ad editionem Circensium aureos Antoninianos trecentos argenteos, Philippeos minutulos tria millia, in ære H-S quinquagies*. Sic quoque in publicis victoriis & triumphis Circenses celebrantur: unde describens Vopiscus Aureliani triumphum de Zenobia: *Denique vix nona hora*, inquit, *in Capitolium pervenit, sero autem ad palatium. Sequentibus diebus datæ sunt populo voluptates ludorum scenicorum, ludorum Circensium, venationum, gladiatorum, naumachiæ*. Atque huc pertinet quod Trebellius Pollio scribit in *Gallieno*: *Sed Gallienus cognito quod Macrinus cum suis liberis esset occisus, quasi securus rerum, ac patre jam recepto, libidini & voluptati se dedidit. Ludos Circenses, ludosq; scenicos, ludos gymnicos, ludicram etiam venationem, & ludos gladiatorios dedit, populumque quasi victorialibus diebus ad festivitatem ac plausum vocavit*. Memorat & Julius Capitolinus in *Maximo & Balbino*, hos ludos fuisse editos ab Imperatoribus & Ducibus, proficiscentibus ad bellum: ita enim scribit: *His gestis, celebratisque sacris, datis ludis scenicis, ludisque Circensibus, gladiatorio etiam munere, Maximus susceptis votis in Capitolio, ad bellum contra Maximinum missus est, cum exercitu ingenti, prætorianis Romæ manentibus*.

Atque hæc de origine ludorum Circensium. Nunc quemadmodum celebrari sint soliti, dicemus Equidem meridie celebratos, & in Circum per plateas ordinem personarum incessisse, portatasque effigies, & etiam simulachra Deorum invenio: & cum in circum ventum esset, aurigasse Magistratus, & feras lusisse. Denique equestre certamen secutum fuisse, adeo ut ostensionales ludi equestresque horum partes fuerint: de quibus omnibus ad fidem rerum ex historiis loquemur. Primum omnium in meridie solitos celebrari, ostendit divus Augustinus lib. VIII. *Confessionum*, ubi spectaculum Circensium pomeridianum appellat. Huc alludit Suetonius in *Claudio*: *Bestiariis meridianisque adeo delectabatur, ut a prima luce ad spectaculum descenderet, & meridie dimisso ad prandium populo procederet*. Secundo, quod per plateas & fora celebrati fuerint, testatur Tranquillus in *Augusto* ita scribens: *Ipse Circenses ex amicorum fere libertorumque cœnaculis spectabat, interdum e pulvinari, & quidem cum conjuge & liberis sedens, spectaculo plures horas, aliquando totos dies aderat, petita venia, commendatisque qui suam vicem præsidendo fungerentur*. Erant autem cœnacula, superiores domus contignationes, quas plerumque Romani locabant. Unde cœnaculariam exercere Jureconsultis, pro eo quod est, vivere ex inquilinis. Tertio in Circensibus simulachra & imagines Deorum ordine portatas fuisse, ostendit Corn. Tacitus *lib.* II. *Honores ut quisque amore in Germanicum aut ingenio validus reperti decretique: ut nomen ejus Saliari carmine caneretur, sedes curules sacerdotum Augustalium locis, superque eas querceæ coronæ statuerentur, ludos Circenses eburnea effigies præiret, neve quis flamen aut augur in locum Germanici nisi gentis Juliæ crearetur*. Ejusdem Tranquillus meminit in *Tito*: *Erant autem adeo familiares*, (loquitur de Tito & Britannico Claudii filio) *ut de potione, qua Britannicus hausta periit, Titus quoque juxta cubans gustasse credatur, gravique morbo afflictatus diu. Quorum omnium mox immemor, statuam ei auream in palatio posuit: & alteram ex ebore equestrem, quæ Circensi pompa hodie quoque præfertur, dedicavit, prosecutusque est*. Quarto, omnis generis Pontifices, sacerdotes, flamines ac sodales, auguresque, in Circensi pompa ordine incessisse insinuat Tacitus libro *Historiæ Augustæ* tertio: *Sed tum supplicia diis*, inquit, *ludique Magni ab senatu decernuntur, quos Pontifices, & Augures, & quindecimviri, cum septemviris simul & sodalibus Augustalibus ederent. Censuerat L. Apronius, ut fœciales quoque his ludis præsiderent. Contra dixit Cæsar, distincto sacerdotiorum jure, & repertis exemplis: neque enim unquam fœcialibus hoc majestatis fuisse: ideoque Augustales adjectos, quia proprium ejus domus sacerdotium esset pro qua vota persolverentur*. Quinto, bigis & quadrigis decursum esse Circensibus, ut in veteribus Romanis numismatibus etiam hoc genus ludi repræsentatur, ostendit Suetonius: *Sessum*, inquit, *in XIV. scena per orchestram transiit. Circensibus spatio Circi ab utraque parte producto, & in gyrum Euripo addito, quadrigas bigasque & equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes*. Erat autem orchestra locus in theatro, in quo senatorum erant sessiones designatæ. Hinc est illud Juvenalis:

Similemque videbis orchestram.

Huc alludit Herodianus *lib.* IV. in historia Antonini Caracallæ: *Denique id quod nunquam alias factitatum, cum Circenses spectante eo populus Romanus in aurigam cui studebat, nescio quid cavillatus esset, ratus sibi contumeliam illatam, repente omnem exercitum facere impetum jussit in populum, ac raptare & occidere quicunque in aurigam dixissent*. Invenio autem in Circensibus factiones aurigarum quatuor fuisse, videlicet Venetam, prasinam, albam, & russatam. Quibus addidit duas Domitianus Cæsar, purpurei videlicet, & aurati panni. Hinc est illud Suetonii in *Domitiano*: *Duas Circensibus gregum factiones, aurati purpureique panni, ad quatuor pristinas addidit*. Cassiodorus refert, pro-

pter quatuor anni tempora tales colores observatos ac distinctos in Circensibus fuisse. Nam prasinus, qui viridis, virenti veri; russeus flammeæ æstati; albus pruinoso autumno; Venetus nebulosæ hyemi, recte comparatur. Neque mirum est, Cassiodori tempore has mansisse in Romano Imperio factiones, cum Phoca etiam imperante longe posterius tantæ potentiæ extiterint, ut in Oriente bellum excitarint: cujus rei meminisse videtur Paulus Diaconus libro quarto *Longobardicæ Historiæ*, capite undecimo: *Hujus tempore Prasini & Veneti*, inquit, *per Orientem & Ægyptum civile bellum fecerunt, ac se mutua cæde prostraverunt*. Ad hujusmodi factiones alludit Lampridius in *Commodo*: *Circenses multos addidit, ex libidine potius, quam religione, & ut dominos factionum ditaret*.

Atque hæc de aurigatione, Circensibus quondam familiari. Nunc venio etiam ad equorum cursum, qui similiter eisdem in ludis visebatur. Erant autem carceres & metæ constitutæ, ad quas certi missus equorum certando procurrebant, ita emissiones equorum vocabantur, ea in solennitate: cujus rei meminisse videtur T. Livius *lib.* VII ab origine Urbis: qui etiam ex topho, vel ex ligno factos tradit: quo alludit Tranquillus in *Claudio*: *Circenses frequenter etiam in Vaticano commisit, nonnunquam interjecta per quinos missus venatione. Circo Maximo marmoreis carceribus, auratisque metis, quæ utraque & tophina & lignea antea fuerant, exculto; propria senatoribus constituit loca prom scue spectare solitis*. Idem in *Nerone*: *Ad omnes*, inquit, *etiam minimos Circenses secessu commeabat, primo clam, deinde propalam, ut nemini dubium esset, eo die utique adfuturum. Neque dissimulabat, velle se palmarum numerum ampliare: quare spectaculum multiplicatis missilibus in serum protrahebatur: ne dominis quidem jam factionum dignantibus, nisi ad totius diei cursum, greges ducere*: Item alibi: *Circensium die, quo facilius centum missus pes agerentur, singulos e septenis spatiis ad quina corripuit*. Porro ad illa septem spacia & missus in Circensibus usurpata, subinde alludunt authores. Seneca quarto *Epistolarum*: *Agitatorum lætitia cum septimo spacio palmæ appropinquat*. Lactantius septimo *Institut*. *Quoniam decursis propositi operis septem spaciis ad metam provecti sumus*: siquidem ubi septimo spacio agitatores dum a carceribus ad metam properabant, circum metas in circo decurrissent, palma victori dabatur.

Adhibebatur autem mappa in hujusmodi cursu, signi loco. Unde recte monet Quintilianus, mappam circo usitatum esse nomen, propterea quod in Circensibus spectaculis pro signo mittebatur a magistratu. Tranquillus in *Nerone*: *Mox & ipse aurigare, atque spectari etiam sæpius voluit: positoque in hortis inter servitia & sordidam plebem rudimento, unde magistratus solent, universorum se oculis in circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam*, &c. Ad hæc nec illud omittendum, quod ultimus equorum missus vocabatur ærarius, proprio vocabulo, & seorsim; ex eo, quod de collatione populi exhibebatur. Erant & in Circensi desultores, non equi, sed homines illi ita appellati, qui præludia ludorum faciebant, & qui missus equorum denunciabant exituros, quod adhuc hodie in hastiludiis fieri assuevit. Meminit Cassiodorus libro tertio *Epistolarum*. Et hactenus de cursu equorum: cui olim in Austria similes ludi fuerunt, quotannis bis spectare soliti, a bravio panni Scharlacus cursus appellati. Cui multos constat accessisse & missus equorum, & homines, in hominum memoria Superest ut illud etiam comprobemus, feras, & præcipue insolitas, populo in Circensibus ab Augustis exhiberi solere: quæ partim a venatoribus, partim a condemnatis conficiebantur. Suetonius in *Augusto*, capite de spectaculis: *In circo aurigas cursoresque & confectores ferarum, & nonnunquam ex nobilissima juventute produxit*. Appellabantur autem tales confectores a bestiis, quas cogebantur conficere, Bestiarii. Unde est illud Senecæ: *Nuper in ludo bestiariorum unus e Germanis, cum ad matutina spectacula præpararetur, secessit ad exonerandum corpus*. Ubi notandum obiter est, quod quemadmodum in Circo dabantur feræ, ita etiam seorsim ludi erant ostensionales dicti, qui mane tempore matutino edebantur. Martialis:

Matutinarum non ultima præda ferarum.

Hujuscemodi ludos intelligit T. Livius *libro* nono *Decadis* quartæ: *Apparatos deinde ludos M. Fulvius, quos noverat Ætolico bello, fecit. Multi artifices ex Græcia venerant, honoris ejus causa. Athletarum quoque certamen primo Romanis spectaculo fuit, & venatio data leonum & pantherarum, & prope hujus sæculi copia ac varietate ludicrum celebratum est*. Hujuscemodi porro productionum bestiarum in spectaculum subinde meminere procedentis Imperii authores; ut alibi pluribus docuimus. Atque ita non solum Romæ, sed in castris passim provinciisque, Circenses ludi edebantur: in quibus non tantum sacra ferebantur, aurigationes erant, & equorum cursus, verum etiam bestiæ incognitæ, harumque Venationes ostendebantur. Quæ consuetudo Romana in Republica, ut constituto florenteque Imperio maxima fuit, ita inclinante adhuc Imperio perseveravit semper. Id quod ex tribus potissimum authoribus ejus Imperii ætatis colligitur, Marcellino videlicet, Symmacho, & Claudiano poeta, qui omnes hujus adhuc ludicri Romano jam populo Christo vendicato, ab anno Domini CCCC. mentionem faciunt. Quorum Marcellinus *lib* XIV. in historia Constantii Imperatoris, qui fuit Constantini Magni filius, ita nominatim scribit: *Arelate hyemem agens Constantius post theatrales ludos atque Circenses ambitioso editos apparatu, ad diem sextum Idus Octobris, qui imperii ejus annum tricesimum terminabat, insolentia pondera gravius librans, si quid dubium deferebatur, aut falsum pro liquido accipiens & comperto, inter alia excarnificatum Gerontium Moguntianæ Comitem partis, exulari mœrore multavit*. Et rursus *lib.* XX. in historia ejusdem: *Postridie ludis Circensibus idem ex adverso Imperatoris, ubi consueverat spectans, repentino clamore sublato, cum certamen opinatum emitteretur, diffractis cancellis, quibus una cum pluribus incumbebat, cunctis cum eo in vanum excussis, læsisque leviter paucis, interna compage disrupta efflasse spiritum repertus solus: unde Constantius futurorum quoque præscius exultabat*. Atque hæc ex Ammiani testimonio. Meminit hujus & generis & nominis ludorum & Symmachus, Urbis quondam præfectus, in *Epistola ad Theodosium & Arcadium*, patrem & filium: *Ergo cum expectari munera principum soleant; nunc accita venerunt. Prætereo illum diem, quo elephantos regios per conferta agmina equorum nobilium pompa præcessit: malo fremitum Martiæ vallis exponere, atque illam quadrigarum distributionem, in qua sibi cum fortunatior videretur, cui electionem mox urna tribuebat, par vel potior erat, quem sors fecisset extremum*.

De reliquo progrediente Imperio in ludorum Circensium solennitate, qui in consulatus auspicio, Cæsarumque natalitiis, triumphisque potissimum edebantur, præter equorum cursum, aurigationem, ferarumque exhibitionem, & animalium insolitorum, histriones insuper & tibicines lusisse, musicosque & funambulos certum est: præterea Naumachia etiam his ludis adjecta est, & ignis ejaculationes artificiosæ, quæ etiamnum ho-

die in triumphis ludisque publicis ejaculantur, & vulgo *Fewrwerck* appellantur. Manent & Circensium hodie umbræ quædam in his solennibus, quæ in Cæsaris Aquisgrani inauguratione, non admodum dissimili ratione, parantur.

CAP. XIX.

De Equestribus Ludis omnis generis & Naumachiis.

Quinque generum, qui equis fiebant, ludos reperio: hoc est, prodromum, cum equi ad metam a carceribus emissi, contentione insidentium currebant, cursum vehicularium, cursum decursorium circa rogum, ludos sevirales, & ludos Neptunales equestres. Ad primi generis cursum, qui etiam nunc Germanis in aliquibus locis in usu est, Cicero secundo *de Legibus* alludit his verbis: *Jam ludi publici, quoniam sunt cavea circoque divisi, sicut corporum certationes cursu, pugillationes luctatione, curriculisque equorum*, &c. At Varro de equis scribens, alios ad militiam, alios ad cursuram laudat, alios militibus idoneos ait, alios quadrigariis. Hucque pertinent & illa Ammiani *lib.* XIV. *Et ingressus Constantinopolim, tanquam in rebus prosperis & securis, editis equestribus ludis, capiti Coracis aurigæ imposuit coronam ut victoris*. Loquitur autem de Constantio Imperatore. Idem *libro* vigesimo octavo, cum Valentiniani res gestas recenset: *Inter quos hi qui ad satietatem vixerunt, potiores auctoritate longæva, per Janos & fora clamitant sæpe, Rempublicam stare non posse, si futura concertatione quem quisque vendicat, carceribus non exiluerit princeps, & circumflexerit metam. Exoptata die equestrium ludorum inlucescente, nondum solis puro jubare, fusius omnes festinant præcipites, ut velocitate currus ipsos anteeant certaturos*.

Porro sub hoc genere ludorum erant ludi SEVIRALES & NEPTUNALES: de quorum primis Capitol. ita meminit in *Marci Vita*: *His ita gestis, adhuc quæstorem & consulem secum Pius Marcum designavit, & Cæsaris appellatione donavit: & sevirum turmis equitum Romanorum, jam consulem designatum creavit: & edenti cum collegis ludos Sevirales assedit, & in Tiberinam domum transgredi jussit*. NEPTUNALES autem ludi cursorii bis in anno dabantur, undecimo Calend. Julii, & XV. Calend. Augusti: de quibus Naso in *Fastis* mentionem facit. Erant & ludi EQUESTRES, qui in decursionibus funebribus militaribusque fiebant in gyrum, non a carceribus ad metam, ut eleganter describit Herodianus *lib.* IV. de consecratione Severi Imperatoris loquens: *Ubi vero ingens aromatum acervus aggestus est, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant universi; equestris ordinis certa quadam lege ac recursu motuque Pyrrhichio, numerisque in orbem recurrentibus*. Postremum genus hujus ludi bigis quadrigisque fiebat, a carceribus ad metam currentibus: quem morem Hungari adhuc observant: & huc alludit Tranquillus in *Caligula*: qui quod ait in *Tiberio*: Novem annos natus, defunctum patrem pro Rostris laudavit: dehinc pubescens, Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est, sinisteriore funali equo, cum Marcellus Octaviæ filius dexteriore veheretur: sciendum est funales equos, sive habenales dictos, qui in tali cursu vel in triumphali curru fune tenti præcurrebant: de quibus Dionysius in octavo *Antiquitatum* scribit: Institutum vetus fuisse & heroicum, ut trium equorum curru in ludis decurrerent: duobus enim equis junctis, tertius juxta adhibebatur, habenalis ob hoc dictus. Et sic intelligitur versus Statii sexto *Thebaidos*:

Nominibusque cient; Pholoen Admetus, & Irin,
Funalemque Thoen.

A Et illud Propertii *lib.* II. *elegia* XVI.

Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
Septima quam metam triverat ante rota.

Erat autem consuetudo in hoc ludo vel certamine, ut victor dexterioris bigæ Marti Deo immolaret. Et hæc de equestribus ludis: quos olim etiam, ut nunc fiunt quoque in ordine Nobilium, ob amorem factos, & institutos in gratiam puellarum spectantium, docet hæc Romæ reperta Inscriptio:

B QVISQUIS LECTVRVS ACCEDIS, CAVE SI AMAS, AT SI NON AMAS, PENSICVLA. MISER QVI SINE AMORE VIVIT, DVLCEI EXIT NIHIL. AST EGO TAM DVLCE ANHELANS ME INCAVTE PERDIDI ET AMOR FVIT, EQVO DVM ASPECTVI FORMOSISSIMÆ DVRMIONIÆ PVELLÆ VIRGVNCVLÆ SVMMA PVLVORIA PLACERE CVPEREM CASV DESILIENS PES HÆSIT STAPIÆ TRACTVS INTERII.

Et hactenus de equestribus.

Quibus de NAUMACHIA aliquid addere placet, quod erat ludicrum in fluviis vel lacubus ostentatum, cum pugnæ classicæ similitudine: de qua C Tranquillus in *Claudio*, ut jam ante dictum est, & Cornelius Tacitus his verbis: *Inter lacum Fucinum*, inquit, *amnemque Lyrim perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viseretur, in lacu ipso navale prælium adornatur: Claudius triremes quadriremesque & undeviginti millia hominum armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent*.

Ad has autem Naumachias potest fortasse accommodari gratiarum actio, quæ Neptuno fiebat Nonis Novembris: & desponsatio maris, quæ hodieque a Venetis fit in festo Ascensionis.

D

CAP. XX.

De Ludis Latinis.

Ludi Latini, & feriæ Latinæ vocabantur a Latinis, a quibus scilicet ad Romanos pervenerunt: ubi Consul Jovi Latiali solenne sacrum facturus, eos in monte Capitolino & vovebat & faciebat. Unde legitur, Flaminium Consulem, ne Latinarum feriarum mora & consularibus aliis impedimentis retineretur in urbe, simulato itinere privatum clam in provinciam abiisse, eamque rem iram infestis senatoribus movisse. Templum vero E Jovi Latiali in Albano monte primus dicitur Tarquinius Superbus condidisse, & primus nundinas Latinas instituisse illic quotannis celebrandas: ad quas populi Latini, qui fuerunt numero septem & quadraginta, conveniebant, alii agnos, alii carnes, alii lac, & similia esculenta rustica adferentes. Postremo immolato Tauro, quælibet civitas portione carnis accepta, discedere solebat. Refert Dionysius in IV. *Antiquitatum*, principatum sacri feriarum Latinarum Romanos obtinuisse. Huc pertinet illud Auli Gellii, qui decimotertio *Noctium Atticarum* demonstrat, præfectum urbis Latinarum feriarum causa Romæ relinqui solitum: quem Mutius F negat senatum habere posse. Cæterum si libet nostram inopiam cum Romanorum comparare majestate, Belgis similes quidam ludi eodem Majo mense extant in singulis prope civitatibus, ad quos tum conveniunt pariter, & gigantes equosque circumducunt: non quidem de tauro immolato carnem petentes, sed fistulis certantes inter se, adeo ut judicibus constitutis, cujus civitatis tibicinibus palma tribuitur, ea anno illo prærogativam habeat, ac primas in conventu sedes.

CAP. XXI.

De Ludis gladiatoriis, seu certamine, quod Græcis Pancration, *Latinis* Munus, *appellatur.*

LUdi gladiatorii ut ad exercitium corporis spectabant, sic periculo vitæque discrimine non carebant, a Romanis autem recepti sunt partim ad exercendas corporis vires, armorumque; partim ad vulnerum contemptum, quia bella continua gerebant; partim denique, quia divitiis & omnis generis voluptatibus is populus lasciviebat, animorum exhilarandorum gratia, quemadmodum recte Tullius ait in oratione *pro Murena, Ludis oblectamur, & ducimur.* Quæ causa fuit, ut munera tales ludi sive spectacula digladiantium vocarentur: quod videlicet iis tamquam muneribus soleant homines capi, vel quod necessario lanistæ ad hos ludos mortique exponendos pugiles erant instructi. Nam ut Martianus Jureconsultus in *l. munus. ff. de verb. & rer. signific.* testatur: Munus proprie est, quod necessario subimus, lege, more, imperiove ejus qui jubendi habet potestatem: cum dona sint, quæ nulla necessitate juris, aut officio, sed sponte præstantur. Hinc & pro officio ac debito, muneris voce abutuntur: ut, tuum est munus, tui muneris, &c. Meminit vero muneris in hac significatione pro ludo, sive spectaculo pugilum, Livius *lib.* I. *Dec.* V. *Munera gladiatorum eo anno aliquot parva, alia data: unum ante cætera insigne fuit T. Flaminii, quod mortis causa patris sui cum visceratione epuloque & ludis scenicis per quatriduum dedit.* Et ad hujusmodi munus funebre, hoc est, ludos gladiatorios in honorem funeris adhibitos, alludit Jul. Capitol. in *M. Cæsare: Et laudavere,* inquit, *uterque pro Rostris patrem, Flaminemque ei ex affinibus, & sodales ex amicissimis, Aurelianos creavere. Adepti imperium, ita civiliter se ambo egerunt, ut lenitatem Pii nemo desideraret, cum eos Marullus sui temporis mimographus cavillando impune perstringeret. Funebre munus patri dederunt.* Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* III. *Cæsar,* inquit, *qui postea dictator fuit, primus in ædilitate munere patris funebri omni apparatu arenæ argenteo usus est.* Hucque pertinent loca Suetonii in *Dictatore: Bestias quoque ad munus populi comparatas trucidaverant.* Et iterum: *Munere in foro depugnavit Furius Leptinus, stirpe prætoria.* Idem in *Augusti Vita,* cap. XLIII. *Quodam autem muneris die Parthorum obsides tunc primum missos per arenam mediam ad spectaculum induxit.* Meminit etiam Ælius Lampridius in *Alexandro: Quæstores candidatos ex sua pecunia jussit munera populo dare, sed ut post quæsturam præturas acciperent & inde provincias regerent: ærarios vero instituit, qui de ære fisci ederent munera, eademque procurarent. Habuit etiam in animo, ut munera per totum annum dispergeret, ut per triginta dies munus populo daretur.* Et huc pertinet illud Plinii in *Epistolis: Recte fecisti, qui gladiatorum munus Veronensibus nostris promisisti.* Ex quibus apparet, & inclinante Imperio tales fuisse ludos in usu, qui modo incruenti & exercendarum virium causa passim in Germania exhibentur, & nostra lingua *Fechtschul,* hoc est, schola pugilum, nuncupantur. Sed Romanis ego reperio duplex munus potissimum celebratum: munus Arcadicum, quod bis in anno dabatur, pridie Nonis Decemb. & x. Cal. Decembris, & munus candidati, quod itidem bis in anno, VI. Idus & XIII. Calend. Decembris dabatur. Cæterum a munere munerarius adjectivum iis omnibus accommodabatur, quæ ad ludum gladiatorium pertinebant: ut Munerarius, qui ludum gladiatorium instituit, Munerarius libellus. Suetonius in *Domitiano: Patremfamilias,* ait, *quod*

A *Thracem Mirmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum e spectaculis in arenam canibus objecit.* Quibus verbis, Munerarius ipse Domitianus Cæsar a Tranquillo est appellatus, ut ludorum exhibitor, a quo Thrax coactus fuerat depugnare: hoc enim significat imparem ei fuisse: quæ figura sermonis exitialis homini intempestive faceto fuit. Et sic intelligitur Inscriptio vetusta, quæ Tergesti in Istria extat:

CONSTANTIVS MVNERARIVS GLADIATORIBVS SVIS PROPTER MVNERIS MVNVS SEPVLCHRVM DEDIT: DECORATO RETIARIO QVI B PEREMIT CERVLEVM ET PEREMPTVS DECIDIT AMBOS EXTINXIT RVDIS VTROSQVE PROTEGIT ROGVS DECORATVS SECVTOR PVSNARVM VIIII. VALERIÆ VXORI DOLORE PRIVVM RELIQVIT.

Et quia facta est in hoc monumento Retiarii, Cerulei, & rudis mentio, operam lusuri non videmur, si species & discrimina gladiatorum paulo altius repetierimus. Invenio autem gladiatorum hæc fere discrimina fuisse, pugiles, athletas, pancratiastas, xysticos, Thraces, mirmillones, tunicatos, retiarios, piscinenses, bestiarios, rudiarios, C agones, mastigophoros, & athlothetas.

PUGILES tametsi a pugnando, omnes generaliter gladiatores, qui in arena pugnabant, Latinis sint dicti: tamen proprie, qui cestibus certabant, hoc peculiari nomine significabantur. Id quod elicitur ex his Ciceronis verbis lib. II. *Tuscul. Pugiles cestibus contusi, ne ingemiscunt quidem.* Et iterum *de Claris Oratoribus: Pugiles inexercitati, etiamsi pugnos & plagas Olympiarum cupidi ferre possunt, solent tamen sæpe ferre non possunt.* Tales fuerunt illi Virgiliani pugiles, Dares & Entellus, quos Maro lib. V. *Æneidos* ita describit luculento carmine:

D *Post ubi confecti cursus, & dona peregit:*
Nunc si cui virtus, animusque in pectore præsens,
Adsit, & evinctis attollat brachia palmis.
Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittisque juvencum:
Ensem atque insignem galeam solatia victo.
Nec mora, continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virum se murmure tollit:
Solus qui Paridem solitus contendere contra:
Idemq; ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, & fulva moribundum extendit arena.
E *Talis prima Dares caput altum in prœlia tollit,*
Ostenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.
Quæritur huic alius, nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusque inducere cæstus.
Ergo alacris, cunctosque putans excedere pugna,
Æneæ stetit ante pedes, nec plura moratus,
Tum læva taurum cornu tenet, atque ita fatur:
Nate dea, si nemo audet se credere pugnæ:
Quis finis standi? quo me decet usque teneri?
Ducere dona jube: cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ, reddique viro promissa jubebant.
F *Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes,*
Proximus ut viridante toro consederat herbæ:
Entelle heroum quondam fortissime frustra,
Tantane, tam patiens, nullo certamine tolli
Dona sines? ubi nunc nobis Deus ille magister
Nequicquam memoratus Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam? & spolia illa tuis pendentia tectis?
Ille sub hæc: Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu: sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires.

Si

Si mihi, quæ quondam fuerat, quaq; improbus iste
Exultat fidens, si nunc foret illa juventa,
Haud equidem precio inductus, pulchroq; juvenco,
Venissem: nec dona moror. Sic deinde locutus,
In medium geminos immani pondere cestus,
Projecit: quibus acer Eryx in prælia suetus
Ferre manu, duroque intendere brachia tergo.
Obstupuere animi, tantorum ingentia septem
Terga boum, plumbo insuto, ferroque rigebant.
Ante omnes stupet ipse Dares, longeque recusat.
Magnanimusque Anchisiades & pondus & ipsa
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.
Tum senior tales referebat pectore voces.
Quid? si quis cestus ipsius, & Herculis arma
Vidisset, tristemque hoc ipso in littore pugnam?
Hæc Germanus Eryx quondam tuus arma gerebat:
Sanguine cernis adhuc, sparsoque infecta cerebro:
His magnum Alciden contra stetit: his ego suetus,
Dum melior vires sanguis dabat, æmula necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed si nostra Dares hæc Troius arma recusat,
Idque pio sedet Æneæ, probat auctor Acestes:
Æquemus pugnas. Erycis tibi terga remitto:
Solve metus, & tu Trojanos exue cestus.
Hæc fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum:
Et magnos membrorum artus, magna ossa, lacertosque
Exuit, atque ingens, media consistit arena, &c.

Sequuntur ATHLETÆ, qui proprie gladiatores dicebantur, quos in urbe lanistæ emptos, vel precio conductos ex servis, ad ludum instruebant, & arenæ precio accepto committebant. Instruebant autem non solum armis atque vestitu, verum optimo cibo ita saginabant, ut multo elaboratissimoque sanguine producto robur naturæ augerent, oleoque subinde perfrictos nervos flexiles, & ad omnem eos motum versionesque expeditos perficiebant. Unde metaphorice athletica vita pro firmissima, & medicis athleticus habitus, pro temperamento optimo pletorico usurpantur. Hinc cum alter dixisset apud Plautum in *Epid. Quid herilis noster filius valet?* Respondet alter: *Pugilice atque athletice valet.* Item in *Bacchidibus: Bene ne usque valuit?* Respondet alter: *Pancratice atque athletice.* Apud Ulpianum Jureconsultum in *l. athletas. ff. de his qui not. infam.* dicuntur etiam Athletæ, qui non lucri, sed virtutis gratia, se exercent publice, & non magis coacti quam sua sponte, ut sunt qui hodie gladiatoriam sine sanguine exercent. Addit quoque Imperator Alexander in *tit. Cod. de athletis:* Si tribus non minus coronis publice fuerint donati, civilium munerum vacationem consequi. Ab his autem Athletis & Athlothetæ dicuntur, sicut Agonothetæ: hique judices & curatores horum ludorum erant, & præmium certantibus proponebant.

PANCRATIASTÆ erant pugiles, qui in arena omni genere resistendi pugnabant: quemadmodum recte Suidas Pancratiasten, manibus pedibusque pugnantem interpretatur. Quintil. II. *Inst. Orator. Sicut ille exercendi corpora*, ait, *peritus, non si docendum pancratiasten susceperit, pugno ferire, vel calce tantum, aut nexus modo, atque in iis ictus certos aliquos docebit: sed omnia quæ sunt ejus certaminis.* Quid autem differat pancratiastes ab athleta, cæterisque gladiatorum generibus, ex his verbis A. Gellii *l.* III. *c.* XV. advertitur: *Diagoras tres filios adolescentes habuit, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem.* Ab isto genere gladiatorum pancratium ipse actus, veluti pugilatus, nomen accepit, quod ex eo dictum est, quod advocatis omnibus viribus corporis, omniumque nervorum contentione transigatur: calcibus enim & cubitis, non pugnis modo, utebantur: ubi notandum est, esse tamen qui pancratiastas pro pentathlis intelligi volunt, id est, qui quinque illa antiqua certamina Græciæ obierunt & vicerunt: qua in sententia est Hermolaus Barbarus *lib.* XXXIV. *Emendationum.* Græci namque hos sua lingua appellare solebant, παγκρατιάζοντας, παντῶν κρατῦντας. Et sic intelliguntur loca poetarum. Virgilii:

——*fulva luctantur arena.*

Et Propertii *libro* tertio *elegia* decimaquarta:

Et patitur duro vulnera pancratio.

XYSTICI gladiatores erant, non in arena, sed in porticu & ambulacris hyberno tempore pugnantes. Est enim xystus ambulacrum, quod Græci ὕπαιθρον dicunt. De quo Cicero in *Bruto: Cum ambularem in xysto, & essem ociosus:* & Plinius V. *Epistolarum: Et ante porticum,* inquit, *xystus concisus in plurimas species, distinctusque buxo.* Meminit hujus generis gladiatorum & Sueton. in *Augusto: Nec tamen eo minus aut xysticorum concertationes, aut gladiatorum pugnas severissime semper exegit.*

HOPLOMACHI scuto & armis muniti erant: de quibus Suetonius in *Caligula. Hinc e spectaculo detractum, & in arenam deductum, Thraci, & mox Hoplomacho comparavit.* Et sic enucleatur ille Epigrammatarii versus,

Hoplomachus nunc es, fueras ophtalmicus ante.

CRUPELLARES, toto corpore laminis erant tecti: ut sunt hodie in hastiludiis Germanorum gladiatores, qui *Tornizantes* dicuntur, pede congredientes, qui olim mos e Gallia ad Romanos est translatus. Meminit Tacitus *libro* tertio: Quadraginta millia fuere, inquit, quinta sui parte legionariis armis, cæteri cum venabulis & cultris quæque alia venantium tela sunt: adduntur e servitiis gladiaturæ destinati, quibus more gentilitio continuum ferri tegmen (crupellarios vocant) inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles.

THRACES & MIRMILLONES, hinc dicti quod qui armatura Thracica in gladiatoriis, Thraces; qui Gallico ritu utebantur, Mirmillones Romanis vocabantur. Meminit Suetonius in *Tito: Quin & studium armaturæ Thracum præ se ferens, sæpe cum populo & voce & gestu ut fautor cavillatus est: verum majestate salva, nec minus æquitate.* Et sic intelligitur hic Ausonii versus:

Quis Mirmilloni contenditur? æquimanus Thrax.

RETIARII & TUNICATI erant, qui rete habebant, & tunica erant induti, retique adversarium involvebant: quod genus pugnæ a Pittaco uno ex septem Sapientibus traditur repertum, cum adversus Phrynonem depugnaturus processisset. Meminit Tranquillus in *Caligula: Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes, sine certamine ullo, totidem secutoribus succubuerant: cum occidi juberentur, unus resumpta fuscina, omnes victores interemit.* Vocabantur autem secutores qui adversus retiarios pugnabant: qui retiarii utebantur fuscina, hoc est, tridenti, qualis Neptuno appingitur.

PISCINENSES, qui in piscinis exercebantur atque pugnabant. Erat enim piscina Romæ publica, ad quam natatum & exercitationis causa veniebant. Et sic possunt rectius intelligi loca autorum. Suetonii in *Nerone: Epulas a medio die ad mediam noctem protrahebat, refotus sæpius calidis piscinis, & tempore æstivo vivariis.* Idem de Heliogabalo Lampridius refert. Et huc pertinet illud Martialis:

Piscinam peto, non licet natare.

BESTIARII, qui in gladiatoriis spectaculis, contis adversus bestias productas pugnabant.

RUDIARII Pugiles erant, ob sæpe navatam operam rude donati, hoc est, virga ligno vacationis & manumissi e servitio. De quibus Suetonius in *Augusto: Universum denique genus operas al-*

quas publico spectaculo præbentium, etiam cura sua dignatus est. Athletis & conservavit privilegia & ampliavit. Gladiatores sine missione edi prohibuit. A

Invenio etiam rudiarios dictos, qui hujusmodi virgis publice pugnabant. Ad quod alludit Lampridius, referens Commodum Imperatorem in arena rudibus inter cubicularios gladiatores depugnasse.

FEMINAS pugiles etiam instituisse Domitianum, Tranquillus est author, ita scribens: *Venationes, gladiatoresque & noctibus ad lychnuchos, nec virorum modo pugnas, sed & feminarum,* &c. Ad quod genus pugilum alludit Papinius primo *Sylvarum*:

Stat sexus rudis, insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles, B
Credas ad Tanaim, ferumque Phasin
Thermodontiacas calere turmas.

Et Martial. *lib.* I.

Belliger invictusque tibi Mars sævit in armis:
Non satis est, Cæsar; sævit & ipsa Venus.

Sic Juvenalis ad hoc genus pugnæ alludit:

—— *Nevia fuscum*
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.

MASTIGOPHORI, qui athletas in certaminibus comitabantur, & cum flagellis præibant, spectatoresque & turbam importunam submovebant, ne spectaculo impedimento esset: qui etiamnum in hujus generis ludo superfunt, & morionum habitum C mentiti, cestis coriaceis officio suo funguntur.

CAP. XXII.

De Ludis Palatinis, triumphalibus, nataliciis, aliis.

CONstituto Imperio, & occiso Cæsare dictatore, in ejus honorem & memoriam Augustus in parvo rotundo templo, quod fuit in palatio, ludos instituit, qui sexto Calen. Januarias per octo dies agebantur, quorum meminit Josephus, ubi interitum Caligulæ recenset, tradens scilicet Chæream tribunum ludorum novissimo die exhortatum conscios D conjurationis, rem tandem peregisse: qui cum omne tempus oportunissimum judicaret huic negotio, cogitaverat Caligulam stantem primo in culmine Capitolii impellere, ac præcipitem dare, quum se a nullo videri putaret. Sed consciis visum est, ut in celebratione spectaculi res perageretur: id quod etiam factum: & sub meridiem, dum ludis Palatinis frueretur, occupatus a conjuratis, & interfectus est.

Porro TRIUMPHALES ludi post insignes victorias celebrabantur, alii quidem Epinicia peculiari vocabulo dicti, alii vero certe anni tempore in memoriam victoriarum jam olim latarum edebantur, E quales Antoniani XIII. Calen. Septemb. Trajaniani die sequenti celebrabantur: & Augustales XII. ejusdem mensis per dies IV. fiebant. Meminit autem Epiniciorum Suetonius in *Nerone*: *Revocatisque ad pœnitentiam defectoribus, sequenti die lætum inter lætos cæteros cantaturum Epinicia, quæ jam nunc sibi componi oporteret.* Meminitque Epiniciorum & D. Hieronymus in secundo *Machabæor.*

In ludis vero Victoriæ fontes aquarum odoriferarum instruebantur, quod hodie adhuc fieri solet. Cujus solemnitatis meminit & Spartianus in *Adriano*: Romæ post cæteras immensissimas voluptates, in honorem socrus suæ aromatica populo do- F navit, in honorem Trajani balsama & crocum per gradus theatri fluere jussit.

Præterea ludi in Natalibus magnorum virorum edebantur, qui Natalicii dicebantur: veluti VIII. Idus Februarii Alexandri Magni Natalicii edebantur, IV. Idus Julias, Cæsaris dictatoris Natalicii, Non Calen. Januarii, Titi Cæsaris: sic IV. Cal. Decemb. Nervæ, VI. Cal. Novemb. Hadriani, Cal. Aprilis Antonini, III. Id. Aprilis Veri Cæsaris, XVIII. Cal. Decemb. Septimiani, XIII. Cal. Januarii Gordiani, IV. Calen. Februarii Constantini Magni, & Junioris, VII. Idus Augusti celebrabantur. Et de his accipienda sunt authorum loca. Capitolini in *Pio*: *Circenses Natali suo dicatos non respuit.* Ælius Spartianus in *Hadriano*: *Gladiatorium munus per sex dies continuos exhibuit, & mille feras Natali suo edidit. Optimos quosque de Senatu in contubernium Imperatoriæ majestatis ascivit, ludos Circenses præter Natalicios decretos sibi respuit.*

Invenio & ludos NUPTIALES & FABARICOS, qui celebrabantur per quatuor dies sub finem Maii. Item Solares, XIV. Calen. Octob. per quatuor dies, maximis mysteriis. In quibus illud erat solenne, quod tum Liber pater ex urbe in Eleusina transmittebatur. Cui non dissimile in Divi Urbani festo apud nos in Patrum memoria, ut arbitror Ethnica origine inoleverat, jam magna ex parte intermissum & sublatum. Invenio & ludos Jancionicos, XV. Calend. Decemb. agi solitos, quo die Athenis festa Æsculapii erant: sed quales fuerint, nondum comperi. Fuerunt denique & Miscellanei ludi, ex variis multiformibusque ludicris commixti, quod eleganter uno vocabulo Miscellam Gellius in *Atticis Noctibus*, & Miscellaneam Apulejus in *Asino aureo* nominavit. Meminit horum Suetonius in *Caligula*: *Edidit & spectacula peregre: in Sicilia Syracusis Atticos ludos, & in Gallia Lugduni Miscellas.* Et sic intelligitur illud Satyrici:

—— *veniunt ad miscellanea ludi.*

Sunt porro qui hos ludos eosdem fuisse cum athleticis existiment, & a Miscello Crotonis conditore sic appellatos, non a commixtione ludicrorum. Porro in Crotone peculiari quadam ratione athletæ extollebantur, qualis fuisse & Milo ille perhibetur, de quo canit Ovidius in XV.

—— *fletque Milo senior, cum spectat inanes*
Illos qui fuerant solidarum more ferarum,
Herculeis similes, fluidos pendere lacertos.

CAP. XXIII.

De Ludis Pyrrhicis, qui peragebantur cursu, saltatu, rotatu, &c.

HI ludi potissimum usurpabantur in Isthmo, ubi cursu certabatur, & jaculis: & ad lætitiam certa mensura ac modulatione pedibus saltabatur, quod hodie Germani in eo ludicro observant, quod Ziganorum choream dicunt, *Ein Zigeiner Tantz*. His & pilæ ludus adjiciendus, qui Græcis *Corycovelon* vocatur: de quorum singulis dicendum est ordine.

ITSHMIA, quæ & Hieronica, ludi erant quinquennales apud Græcos, a loco prope Corinthum Isthmo, sic dicti, ubi celebrabantur: qui a Theseo primum omnium instituti traduntur, in honorem Neptuni. Plutarchus tamen ad imitationem Herculis institutos a Theseo memorat: cum Hercules Olympicos incœpisset in honorem Jovis: ad quod Plinius in IV. alludit: *Isthmo pars altera, cum delubro Neptuni, quinquennalibus inclyta ludis.* Alii tradunt in Scyronis memoriam Isthmia fuisse reperta: ut ita se Theseus a cæde Scyronis, quem necaverat, ob propinquitatem expiaret. Non desunt denique, qui in Melicertæ honorem, qui alio nomine dicebatur Palæmon, ludicrum Isthmiacum constitutum primum omnium prodiderint. Ad quod Corinthii ex pacto vetustissimo accedere tenebantur, & in sedendo cæteris præferebantur. Scitum est quod Plutarchus tradit, olim Philippo Macedonum Rege profligato a L. Flaminio, omnes Græciæ civitates in publico Isthmiorum spectaculo per præconem libertate donatas: quæ res tanto

gaudio cunctas Græciæ civitates affecit, ut L. Flaminium σωτῆρα, hoc eſt, *ſalvatorem,* nuncuparint: quod privilegium confirmaſſe atque renovaſſe rurſus Neronem, Suetonius in *ejus hiſtoria* teſtatur his verbis: *Decedens deinde provinciam univerſam libertate donavit, ſimulque judices civitate Romana & pecunia grandi. Quæ beneficia e medio ſtadio, Iſthmiorum die, ſua ipſe voce pronunciavit.* Porro in Iſthmiorum ludicro præcipuo tria edebantur, jaculorum certamen, curſus pugna, ac muſicorum poetarumque congreſſus. De primis meminere veteres poetæ. Simonides:

Ἴσθμια κ̀ Πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα.
Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Quos verſus ſic reddidit Alciatus:

Iſthmia Philonis Diophon, & Pythia vicit:
Et curſu, & jaculo, ſaltibus, orbe, pale.

Huc pertinet & illud Pindari Interpretis:

Ἅλμα πόδος, δίσκου τε βολὴ, κ̀ ἄκοντος ἐρωὴ,
Καὶ δρόμος ἠδὲ πάλη, μία δ' ἔπλετο πᾶσι τελευτή.

Quæ idem Alciatus tranſtulit:

Cum diſci jactu, ſaltus pedis, impetus haſtæ,
Atque pale, & curſus, ſtudium fuit omnibus unum.

Suidas meminit alterius generis ludi curſorii, quod *diaulon,* hoc eſt, per duo ſtadia, vocat. Legimus & apud Imp. Juſtinianum κῶμον δίαυλον. Quod vero etiam in his cantu certabatur, elicitur ex his Suetonii verbis in *Nerone: Reverſus e Græcia Neapolim, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos hieronicarum eſt.* Porro victores in his ſacris ludiſque corona pinea coronabantur; & peculiaribus vocabulis olim Pythionices & paradoxi nuncupabantur, quod eſt (ſi velis interpretari) ſupra hominum opinionem. Hinc Cicero Paradoxa, hoc eſt, παρὰ τὴν δόξαν, *contra opinionem* hominum inſtituta inſcripſit. Denique quanti honores talibus impendebantur, qui ita in Iſthmicis viciſſent, docet abunde Vitruvius *libro* nono, & Plutarchus in *Sympoſiacis: Victoribus,* inquit, *curru vehentibus, permiſſum eſt partem muri dejicere, ut ſignificaretur, non magnopere civitatem talem muro opus habere, habentem viros qui poſſint pugnare, & vincere.* Hæc ille. Cæterum talium hieronicarum ad nos umbra quædam pervenit. Et in Galliis potiſſimum Belgiſque & apud Francos reliquiæ quædam permanſere, in iis certaminibus ſive exercitiis cum arcubus ad ſcopum, & cum in aviculam ligneam palo ſublatam ſagittis collimatur. Atque hæc de Iſthmicis.

Venio ad Pyrrhicos ludos, in quibus virgines implicando ſe ac convolvendo ſaltabant: quod genus choreæ, ut nobis etiamdum extat: ita Ziganorum hodie choream vocamus, vel ut aliqui nominant, Sepeſtrem choream, *ein Zauner Tantz.* Quam Apulejus decimo *Aſini* ita affabre delineat his verbis: *Nam puelli puellæque florenti virentes ætatula, forma conſpicui, veſte nitidi, inceſſu geſtuoſi, Græcanicam ſaltantes Pyrrhicam, diſpoſitis ordinationibus, decoros ambitus inerrabant, nunc in orbe rotarum flexuoſi, nunc in obliquam ſeriem connexi: & in quadratum patorem cuneati, & in catervæ diſſidium ſeparati.* Supra quem locum Apuleii, Beroaldi hæc extant verba: Eleganter exprimitur forma Pyrrhicæ ſaltationis, quæ modo orbiculata rotunditate circumagitur, modo obliqua ſerie per manus connectitur, modo ad effigiem cunei figuratur. Alludit ad hujuſmodi genus ludicri Livius *lib.* II. *A porta Jugario vico in forum venere: in foro pompa conſtitit: per manus reſte data, virgines ſonum vocis pulſu pedum modulantes inceſſerunt.* Deſcribit vero eo loci Junonis ſolennia. Delineat hujuſcemodi ſaltationem ridiculam & Plato libr. ſeptimo *de Legib.* ubi nominatim ſcribit: Motum Pyrrhicum imitari flexus corporum, quibus tela plagæque vitantur declinando, concedendo, exiliendo in altum, humique ſe contrahendo: rurſumque contrarios geſtus imitari, quibus ſcilicet contra alios ictus infertur, ſagittando, jaculando, feriendo. Huc pertinet illud Maronis, cum equum fatalem Trojam introductum cum concentu puellarum deſcribit, publicam lætitiam ſignificans:

—— ſcandit fatalis machina muros,
Fœta armis: circum pueri, innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemq; manu contingere gaudent.

Arbitror enim Pyrrhicum ludum eo eventu in Trojanam ſobolem fuiſſe diffuſum ab equo illo fatali, quo non ſolum Romani, ſed multæ etiam aliæ gentes natioſneſque, quæ ſimiliter ad Trojanos originem referunt, publica in lætitia & in Saturnalitiis utuntur, & Ziganorum choream vel Sepeſtrem vocant. Adhæc meminit & Solinus Pyrrhicæ equitationis, qua hodie potiſſimum Hungari utuntur, quamque appellant Germani *Hertſchiren.* Denique poteſt his ludis, qui in exercitando corpore conſiſtunt, & pilæ ludus addi, de quo Galenus Medicus integrum librum ſcripſit, & quem Juſtinianus Imperator alibi *Corycovelon* vocat, a κορύκη, id eſt, *pila.* Erat autem pila coriacea inſtar utriculi, quæ inflata vento, plerumque luſorem male afficiebat. Suidas in dictione σάκκος, Corycum, ſaccum appellare videtur, in quo panes reconduntur. Hinc & proverbium eſt ortum, *a coryco exerceri,* de eo qui incaſſum fatigatur.

CAP. XXIV.

De Quinquatribus Minervæ, Ludis Junonis, Martis, &c.

QUI in honorem Minervæ Romanis ludi celebrabantur, Quinquatria proprio ſeorſim vocabulo nuncupabantur, & in Albana villa edebantur Martio menſe, per dies quinque a Calen. Mart. Romæ etiam in Cælio monte Minervæ captæ, VIII. Calen. Martias ſacra celebrabantur. Quorum meminiſſe videtur T. Livius *lib.* IV. *Dec.* V. *His intra triduum ſimul cum legatis Alexandrinis profectis, legati ex Macedonia Quinquatribus ultimis adeo expectati venerunt, ut niſi veſper eſſet, extemplo Senatum vocaturi conſules fuerint.* Meminit & Tranquillus in *Nerone: Atque ita reconciliatione ſimulata, jucundiſſimis literis Baias evocavit ad ſolennia Quinquatrium ſimul celebranda.* Idem in *Vita Domitiani: Celebrata & in Albano quotannis Quinquatria Minervæ, cui collegium inſtituerat: ex quo ſorte ducti magiſterio fungerentur, redderentque eximias venationes, & ſcenicos ludos, inſuperque oratorum ac poetarum certamina.* Et ſic intelliguntur loca & verſus poetarum: ut illud Papinii quarto *Sylvarum,* quo oſtendit ſe eo in certamine reliquos poetas viciſſe:

Lux mihi Romanæ qualis ſub collibus Albæ
Cum modo Germanas acies, modo Daca ſonantem
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

Originem Quinquatriorum ab initio Martii in honorem Minervæ inſtitutorum repetit Ovidius tertio *Faſtorum,* in oratione Martis, qui a raptis Sabinis hos ludos introductos teſtatur.

Venio nunc ad ludorum Junonis mentionem, quam in unico, quod equidem ſciam, T. Livio obſervavi, qui *l.*VII. *Dec.*III. hoc ſcriptum reliquit: *Ab æde Apollinis boves feminæ albæ duæ porta Carmentali in urbem ductæ, poſt eas duo ſigna cupreſſea Junonis reginæ portabantur: tum ſeptem & viginti virgines longam indutæ veſtem, carmen in Junon. reginam canentes ibant, illa tempeſtate forſitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditum, ſi referre-*

tur: virginum ordinem ſequebantur decemviri coronati laurea, prætextatique, a porta Jugario vico in forum venere: in foro pompa conſtitit, & per manus reſte data, virgines ſonum vocis pulſu pedum modulantes inceſſerunt. Inde vico Thuſco Velabroque per boarium forum in clivum publicum, atque ædem Junonis Reginæ perrectum: ibi duæ hoſtiæ ab Decemviris immolatæ, & ſimulacra cupreſſea in ædem illata. Equidem clarius deſcribi hi ludi non potuerunt: a quibus forſitan choreæ illæ defluxerunt, quibus in Suevia & ad lacum Acronium virgines veſperi diebus feriatis ſaltantes, pedum quoque ſonitu cantilenas modulantur. Id quod & in Auſtria, in feſto S. Johannis Baptiſtæ ſolenne admodum eſt.

Sequuntur LUDI MARTIALES, alias proprio vocabulo SALIARIA dicta, quod in his Salii cum Anciliis ſaltarent: Nonis Martii dabantur, qua ſolemnitate nihil quiſquam occipere tanquam infauſto audebat. Ad hoc alludit Suetonius in *Vita Claudii*, in textu epiſtolæ Auguſti ad Liviam: *Colloquutus ſum cum Tiberio, ut mandaſti mea Livia, quid nepoti tuo Tiberio faciendum eſſet ludis Martialibus.* Et iterum: *In præſentia tamen, quibus de rebus conſulis, curare eum ludis Martialibus triclinium ſacerdotum non diſplicet nobis, ſi eſt paſſurus ſe a Syllani,* &c. Porro celebrabantur hujuſmodi Saliaria VII. Idus Martias, & pridie Idus, Mamuralia, quorum originem a Numa rege repetit Naſo tertio *Faſtorum*, qui cum piandi fulminis remedium a Jove accepiſſet, in tempeſtate ſimul cum fulgure Ancile ſcutum decidit, cui multa ſimilia Mamurius fabrefecit.

Cæterum alii fuerunt ludi Caſtrenſes, quibus milites in caſtris & exercebantur, & delectabantur: quorum meminit Suetonius in *Tiberio: Ac ne quam ſuſpicionem infirmitatis daret, Caſtrenſibus ludis non tantum interfuit, ſed etiam miſſum in arenam aprum jaculis deſuper petiit.* Porro eoſdem Martiales vocat Trebellius Pollio in *Claudio: Fecerat hoc,* inquit, *etiam adoleſcens in militia, cum ludicro Martiali in campo luctamen inter fortiſſimos quoſq; monſtraret. Nam iratus ei qui non baltheum, ſed genitalia ſibi contorſerat, omnes dentes uno pugno excuſſit.*

Invenio & Luſtrales Marti a Romanis ludos fuiſſe inſtitutos peculiari nomine Rubigalia, VII. Calend. Aprilis, in quibus tubæ, aquilæ, & alia arma luſtrabantur. Reperio denique Marti ludos fuiſſe celebratos IV. Idus Maii. Ex quibus colligimus, Oſtenſionales Venatorioſq; ludos tales in caſtris extitiſſe.

Venio ad Ludos Floræ deæ ſacros, qui Floralia nuncupabantur, Græcis Sch.. ob..ica dicta, quæ die IV. Calend. Maii menſis edebantur, ſuadente Sibylla, ab omnis generis meretricibus nudis, & verbis & moribus pudendis, ad placandam inſtituti deam Floram, quæ floribus & fructibus præerat, & quam Naſo V. *Metamorphoſeon* Nympham fuiſſe aſſerit, quæ antea fuerit Chloris dicta: hanc enim ait Zephyro vento nuptam, a marito idcirco hoc munere affectam, ut omnium florum poteſtatem haberet: quam ita inſtituto obſcœno ludicro Romani ſe placare exiſtimabant. Meminere illius graviſſimi autores. Varro *lib. I. de Re Ruſt.* Plinius in XVIII. Lactantius in I. *Divinarum Inſtit.* Equidem legitur olim Cato, cum hos ludos ſpectaret, diſceſſiſſe e theatro: cum populus majeſtate Catonis motus prohibuiſſet, ne meretrices nudarentur, ut eſt Valerius Maximus author, cap. *de Majeſtate pop. Romani.* Introducebantur porro in hiſce ludis funambuli & elephantes, &c. Meminit Sueton. in *Galba: Honoribus*, ait, *ante legitimum tempus initis prætor commiſſione ludorum Floralium, novum ſpectaculi genus, elephantes funambulos edidit.* Docet porro Plinius in VIII. elephantes tantæ eſſe docilitatis, ut didicerint adverſis funibus ſubire, ac funibus proni retrogredi; alludens nimirum ad hoſce ipſos ludos. Quos etiam Seneca intelligit *lib. II. Epiſtol. Sic*, inquiens, *elephantem minimus Æthiops jubet ſubſiſtere in genua, & ambulare per funem.* Quo pertinet illud Lampridii in *hiſtoria Heliogabali: Herodem vero*, inquit, *ſic amavit, ut eidem inguina oſcularetur, quod dictu etiam verecundum eſt, Floralia ſacra ſe aſſerens celebrare.* Et de his ludis intelligendus eſt locus Flavii Vopiſci in *Vita Carini: Memorabile maxime & Carini & Numeriani hoc habuit imperium, quod ludos Romanos novis ornatos ſpectaculis dederunt, quos in palatio circa porticum ſtabuli pictos vidimus. Nam & ſchœnobaten dedit, in quo elephanti funambuli introducebantur: & neurobaten, qui velut ventis cothurnatus ferretur, exhibuit,* &c.

CAP. XXV.

De Ludis Quinquennalibus, Decennalibus, Vicennalibus, &c.

QUinquennalia & luſtra etſi multis eadem fuiſſe exiſtimentur, tamen differebant, non minus quam apud Græcos Panathenæa & Olympiades: cum in utriſque quinque annorum ſpacium intermedium eſſet. Quippe in luſtris ſola Taurilia celebrabantur: in Quinquennalibus muſicorum erat certamen, & plene omnia fiebant quæ apud Græcos in Olympiadibus. Cæterum authore Cenſorino, Servius Tullus horum primus extitit author, in hoc videlicet, ut cenſu civium habito, quinto quoque anno luſtrum conderetur, ita ut poſteri idem in condendo luſtro inſtitutum ſervarent. Hos ludos Auguſtus ad ſimilitudinem Actiacorum reformavit, ac pluribus cæremoniis locupletavit, quemadmodum Suetonius in *Auguſto* teſtatur, his verbis: *Quoque Actiacæ victoriæ memoria celebratior in poſterum eſſet, urbem Nicopolim apud Actium condidit: ludoſque illic Quinquennales conſtituit, & ampliato vetere Apollinis templo, locum caſtrorum, quibus fuerat uſus, exornatum navalibus ſpoliis, Neptuno ac Marti conſecravit.* Et iterum capite de Honoribus: *Quædam Italiæ civitates diem, quo primum ad ſe veniſſet, initium anni fecerunt. Provinciarum pleræque ſuper templa & aras, ludos quoque quinquennales pene oppidatim ei conſtituerunt.* Idem in *Tiberio*, capite de Pueritia: *Præſedit & Actiacis ludis, & Trojanis Circenſibus, ductor turmæ puerorum majorum.* Erat autem circa Neapolim locus cum gymnaſio & ſtadio, ad quinquennale certamen apparatus: cujus loci meminit Strabo *libro* ſeptimo & decimo, & Ovidius in *Epiſtola Sapphus*: eoque alludit & Maro hoc carmine:

Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.

Scribit Egeſippus, Herodem in Cæſarea civitate theatrum & amphitheatrum extruxiſſe, & quinquennale certamen præmiis propoſitis inſtituiſſe. Porro ut revertar ad luſtrum, quod cum quinquennalibus coincidere videtur: refert Livius nominatim Servium Tullum cenſu perfecto, in Campo Martio exercitum omnem luſtraſſe. Ad quod alludens Tranquillus in *hiſtoria Auguſti*, capite de Oſtentis: *Cum luſtrum*, inquit, *in Campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila eum ſæpius circumvolavit.* Confunduntur tamen paſſim, & luſtrum pro quinquennalibus accipitur, & e contra: adeo ut quinquennalia a temporis ſpacio dicantur ludi, cum ſuis ceremoniis: luſtrum vero, a delectu & luſtratione civium Romæ habita. Unde eſt illud Statii in *Sylvis*:

Huc me poſt patrii lætum quinquennia luſtri.

Et iterum:

Cum ſtata laudato caneret quinquennia verſu.

Sic Lucanus primo *Pharsal.*

Mox jubet & totam pavidis a civibus urbem
Ambiri & festo purgantes mœnia lustro,
Longa per extremos pomœria cingere fines,
Pontifices sacri quibus est permissa potestas:
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,&c.

Cæterum nec illud silentio transeundum, quod in quinquennalibus certamen edebatur musicorum,& censores creabantur, unde alio nomine hoc genus ludi Agon Neapolitanus & Gymnicus nuncupabatur. Eoque pertinet, quod refert Strabo lib.quinto *Geographiæ*; quod apud Neapolim quinquennalis Agon per quam plusculos dies celebrabatur.Huc alludit & Tranquillus in *Augusto*, cap.de causis infirmitatum: *Mox Neapolim trajecit, quanquam & tum infirmis intestinis, morbo variante: tamen & quinquennale certamen Gymnicum honori suo institutum perspectavit, & cum Tiberio ad destinatum locum contendit*. Itaque qui Romanis quinquennales dicebantur, Græcis multo antea erant cogniti, & Olympici partim, partim vero Panathenæa, a Minerva quam Ἀθλώω dicunt, vocabantur. Suidas refert duplicem festivitatem fuisse Panathenæorum: alteram anniversariam, alteram quinquennalem, quæ & magna Panathenæa dicebantur,quæ primus videlicet Erichthonius in honorem Vulcani & Palladis instituerat. Hinc Isocratis, Platonis, & Ciceronis libri Panathenaici a quibusdam nominantur. Refert & Thucydides in sexto, Hipparchum fuisse occisum ab Harmodio & Aristogitone tyrannicidis, dum pompa minorum Panathenæorum ordinatur ab Hipparcho. De hac festivitate extant & inclinato jam Imperio apud autores loca.Eusebius enim in *Chronicis* nominatim scribit: Agonem gymnicum, quem Panathenæon vocant, Athenis celebratum extitisse:hincque est illud in historiis celeberrimum, de sene quodam ingresso in hoc genus spectaculi, qui cum a nullo reciperetur, postremo a Lacedæmoniis fuisse receptum, & dixisse cum lachrymis: Heu me miserum, ut Græci omnes noverunt quæ honesta sunt, sed his soli utuntur Lacedæmonii. Meminit quinquennalium & Ælius Spartianus in *Vita Hadriani*: *Acta ejus irrita fieri volebat Senatus: nec appellatus fuisset divus, nisi Antoninus rogasset. Templum denique ei pro sepulchro apud Puteolos constituit, & quinquennale certamen, & flamines, & sodales, & multa alia quæ ad honorem quasi numinis pertinerent*.

Atque his ludis forte comparare nos possemus ludos septennio quoque Lovanii apud Belgas in festo Assumptionis divæ Virginis celebratos, Christiano tamen, non Ethnico ritu.

Atque hæc de quinquennalibus. Superest ut etiam Decennalia explicemus, qui ludi decimo quoque elapso anno dabantur, ut vel nomen ipsum indicat. Quos institutos invenio ab Augusto primum prætextu quodam ad Imperatoris titulum, monarchiæque potestatem retinendam sine invidia: solebat quippe decimo anno, constituto in hoc ingenti spectaculo, ludorumque apparatu, Imperium populo resignare, quod tamen illico quasi rogaretur, recepit. *Secundum consulatum post* IX. *annos, tertium anno interjecto gessit, sequentes usque ad* XI. *continuavit. Multisque* (ait Tranquillus) *mox cum deferrentur, recusatis, duodecimum magno, id est, septendecim annorum intervallo, & rursus tertium decimum biennio post ultro petiit.* Hinc scribit Eusebius in *Historia Ecclesiastica*, Constantinum Magnum decennalia celebrasse: quæ celebraverat & Gallienus Imperator, ut Trebellius Pollio scribit: & de quibus nos alibi. Porro postremum fuisse qui hosce ludos dederit, autumo, Theodosium juniorem, ut ex illa *Epistola* Symmachi urbis præfecti ad eundem Cæsarem animadvertitur: *Nam divis,*

A inquit, *parentibus tuis ob decennium minor summa decreta est: etiam divus frater mansuetudinis vestræ, cum tertium lustrum ævi imperialis exigeret, parciore munificentia honoratus asseritur: nunc in amorem tuum studia nostra creverunt. Nam mille sexcentas auri libras decennalibus Imperii tui factis devotus ordo promisit, urbanis ponderibus conferendas, id est, trutinæ largioris examine*. Atque hæc de decennalibus. Cujus generis fuisse credendum est ludos votivos, qui ab Imperatoribus observabantur, & ex anno Imperii computabantur: durabantque tot diebus ludi, quot annis Imperio quis præfuisset. Celebratio erat VI. Id. Augusti. Ad quos alludens & eleganter vicennalia depingens Euseb.
B Pamphil. III. lib. *de Vita Constantini Magni* sic scriptum reliquit: *Hoc temporis & populi frequentia & nundino celebre fuit. Tum se regni vicesimus ille annus absoluto cursu retulerat ad idem caput*, &c.

CAP. XXVI.

De Romanis Ludis, & Plebeiis, qui & Curules & Compitales.

Hos simul semper ludos fuisse datos invenio. Quales autem fuerint, nondum scio, hoc autem constat, eos qui tales ludos celebrabant, ludios fuisse vocatos: refertque Livius, ludiones ex
C Hetruria accitos: ad quam sæpe vocem poetæ alludunt. Ovidius:

Ludius æquatam ter pede pulsat humum.

Juvenalis:

—— quæ ludia sumpserit unquam
Hos habitus?

Cæterum de his ludis scribit Cicero in secunda *Verrina*: *Secundum ludos Plebejos aut nulli aut pauci dies ad agendum futuri sunt*, &c. Meminit T.Livius: *Plebeii*, inquiens, *ludi a M. Aurelio Cotta & M.Claudio Marcello ter instaurati sunt*. Et iterum alibi: *Eo metu compressi Hetrusci quieverunt, Tarentinorum legatis pacem petentibus, cum libertate*
D *ac legibus suis, responsum ab senatu est, ut redirent, cum Fabius consul Romam venisset. Ludi & Romani & Plebeii eo anno in singulos dies instaurati. Ædiles curules fuere L. Cornelius Claudius, & Servius Sulpitius Galba: Plebeii, C. Servilius & Q.Cecilius Metellus.* Idem: *Ludi Romani ter toti instaurati ab ædilibus curulibus Cneo Servilio Cæpione, Ser.Cornelio Lentulo.* Idem: *Ludi plebeii instaurati semel toti ab ædilibus plebis M. Pomponio Mathone & Q. Manlio Thurino.* Et iterum: *Ludi Romani ter, plebeii septies instaurati.* Ad hos ludos alludit Suetonius in *Augusto* dicens: *Etiam triviales in circo ludos interponebant*. Ex quibus patet, in
E ludis Romanis Jovis epulum fuisse, ac simulachra portata, ac passim in compitis posita fuisse: unde & Compitales ludi, sive Compitalitii dicebantur: curasseque liquet plebejos ludos ædiles plebis: unde & curules eos ludos inclinantis Imperii authoribus nominari invenio.Præterea Compitales ludi,a compitis regionum urbis dicebantur: ubi signa & Lares in mensis posita ornabantur.

Refert enin Macrobius primo *Saturn.* Compitalia a Tarquinio Superbo constituta fuisse Laribus ac Maniæ matri Deum, quibus papaveris capitibus pro hominum capitibus supplicabant. Por-
F phyrion Horatianus Interpres refert, Lares & Deos domesticos ab Augusto in compitis positos fuisse, & ex libertinis sacerdotes datos, qui Augustales sunt appellati. Huc pertinet illud Varronis: Compitalia dies attributi Laribus sunt, ubi viæ competunt: tum in compitis sacrificatur,quotannis is dies concipitur. Porro compita sub Larium tutela fuisse, hic versus Nasonis primo *Fastorum* ostendit:

Fitq;gravis,geminosq;parit,qui compita servant,
Et vigilant nostra semper in urbe Lares.

Tradit Dionysius in quarto *Antiquitatum*, templa jussu Servii Tulli regis extructa fuisse in compitis omnibus, ubi anniversaria sacrificia peragerentur, a servis, tanquam servile ministerium Deo gratum esset: etsi sint nonnulli, qui Compitales lodus a Popularibus separent, & mox post Saturnales celebrari solitos seorsim asseverent.

CAP. XXVII.
De Sacerdotalibus & Pontificalibus Ludis, &c.

INvenio & ludos quosdam fuisse proprios muneribus, quemadmodum erant pontificales, sacerdotales, & quæstorii: de quorum primis Suetonius in *Augusto* sic scribit, c. XLIV. *Athletarum vero spectaculo muliebrem sexum omnem adeo submovit, ut pontificalibus ludis pugilum par postulatum distulerit in sequentis diei matutinum tempus*. An vero hi fuerint, quorum Plin. *l.* VII. *Epist.* sic meminit, non satis affirmare audeo: *Miraberis, & ego miratus sum*, inquit, *proximis sacerdotalibus ludis, productis in commissione pantomimis*. Ex quibus colligitur, tales omnes fuisse gladiatorios vel scenicos, veluti Natalicia, Circensesque fuerunt. Nam quod non solum in designatione Pontificum sacerdotumque munera gladiatoria dabantur, verum etiam in auspiciis quæsturæ præturæque, ex his verbis Suetonii in *Domitiano* colligitur: *Præterea quæstoriis muneribus, quæ olim omissa revocaverat, ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret bina paria e suo ludo postulandi, quæ novissima aulico apparatu induceret*. Ita nimirum intelligitur, Claudium Cæsarem instituisse, ut spectaculum gladiatorium per omnes annos celebraretur pecunia illorum, qui quæsturam adipiscerentur. Quin legimus & Gothicos ludos Romæ pridie Non. Febr. datos fuisse, per sex dies continuos: Persicos, III. Idus Majas, usque ad VI. Calen. ejusdem: Francicos, Idibus Julii: Alemannicos, III. Non. Octob. per VI. dies continuos. Ita rursus ludi Sarmatici VII. Calen. Novembris, per VII. dies edebantur, de quibus Flavius Vopiscus in *Carino* sic scribit: Exhibuit & ludum Sarmaticum, quo dulcius nihil est: exhibuit cyclopem adornatum Græcis artificibus, & gymnicis, & histrionibus, & musicis, aurum & argentum donata, & vestis serica.

CAP. XXVIII.
De Ludis Saturnalibus, &c.

CUm omnes tum hi imprimis ludi insolitam quandam lætitiam Romana in republica, cum summa licentia conjunctam præferebant: ac partim tempore quo celebrabantur, partim rebus quibus alter alteri illam lætificantem licentiam ostendebat, discriminabantur. Itaque Saturnales ludi solenniaque mense Decembri edebantur, Sigillares ac Oscillares Januario, Lupercalia & Bacchanalia Februario. Quos ludos uno ceu fasce comprehendens Prudentius, *l.* II. *in Symmachum* sic canit:

Aut hos Thyrsigeri rapit ad Dionysia Bacchi,
Illicit aut alios ad Saturnalia festa,
Aut docet occultus quæ sacra Diespiter infans
Inter tinnitus solvi sibi poscat ahenos.
Jamque Lupercales ferulæ, nudique petuntur
Discursus juvenum.

In Saturnalibus quidem cœnationes frequentes inter amicos fiebant, quæ Apophoreta dicuntur, & strenæ missitabantur: quod hodie apud nos Christianos etiamdum manet, a festo Natalitio, quod Decembri est, usque ad festum Epiphaniæ, quod in Januario celebratur. Quo tempore & nos convivamur crebro, & strenas, hoc est, (ut nos vocamus) novi anni donaria missitamus, quæ omnia non aliunde quam a Romana republica ad nos defluxerunt. In qua etiam mox in eodem Januario Sigillares & Oscillares, & Occellati ludi passim in domibus, privatim intra familias, non publice exercebantur: hoc est, cives sigilla, quæ erant parva simulachra ærea, argenteaque, mutuo donabant. Qui vero ruri erant in villis, oscilla, hoc est, ossa, quibus oculi erant insculpti, veluti apud nos in tesserulis est receptum, mutuo donabant. Hæc vero omnia, etiamdum eodem in mense Januario, nostraque Christiana in rep. manent: nimirum veteris illius reip. quædam quasi reliquiæ. Haud aliter mutationes vestimentorum eo tempore, quam apud Romanos quondam usurpantur, vicinique ad vicinos invitati hac ratione commeant, quod nos hodie nostra lingua nimirum, a Latina voce mutare, *Munerey*, appellamus; quibus etiam, qui ita larvati vicinos suos salutant, occilla & oscilla secum deferunt, & ita pecuniam extorquent: vernaculo sermone *Umbeschantz* dicimus. Eadem ratione manserunt & Lupercalia, & Bacchanalia, eodem Februario mense, quo passim insanitur, non minus atque a Lupercis olim, atque id non quidem privatim, ut in Saturnalibus, sed publice quoque per vicos & plateas, sub finem potissimum ejus mensis exercetur: quam lascivientem insaniam vulgo *Fastnachram*, & *Rasebangum* nuncupamus. Ita veterum consuetudinum solenniorumque reliquiæ, ac saltem imagines quædam illius magnificæ reipublicæ nobis manserunt: quæ nobis illam celebrem rempublicam Romanorum non inepte repræsentant, & veteribus authoribus lucem recte adjiciunt. Atque hæc de reliquiis Saturnalium, quantum nobis adhuc ex republica superest. Redeo ad ipsa Saturnalium veterum exordia; quæ nemo melius quam Herodianus *lib.* primo describit: *Cæterum ipsum quoque*, inquit, *desinere aliquando ab sua vecordia, & civitatem tyrannide liberari oportebat, idque anno ineunte, quem diem Romani festum agunt, ad Janum vetustissimum Italiæ deum referentes: cujus etiam Saturnum ipsum ab Jove filio pulsum fuisse hospitem prædicant, & quod ibi latuisset, nomen Latio inditum. Quocirca etiam Romani Saturnalia prius, deinde vero initium anni more suo concelebrant. Estque ejus dei biceps imago, ut a quo incipit, & in quem desinit annus. Cum igitur hunc diem festum civitas agitaret, & in quo Romani invicem se colunt, salutantque, & numismata alter alteri, cæteraque omnifariam munera missitant, summique magistratus conspicuam sibi & solennem purpuram induunt, universis diem concelebrantibus: statuit Commodus, non quidem ex imperatoriis (ut mos erat) ædibus, sed ex ipso gladiatorio ludo prodire in publicum, ac pro eleganti vestitu purpuraque imperatoria procedere armatus, deducente gladiatorum agmine, in conspectum Romani populi*. Hæc ille: ubi clam alludit ad Apophoreta & strenas, cum dicit, invicem se colunt, consalutantque, & numismata alter alteri cæteraque omnifariam munera missitant: & Apophoreta quidem erant solennes in Saturnalibus cœnationes, quibus se mutuo excipiebant, & in quibus muneribus certabant. Hinc est illud Suetonii in *Caligula*: *Prasinæ factioni ita addictus & deditus, ut cænaret in stabulo assidue, & maneret, agitatori Eutico commessatione quadam in apophoretis vicies sestertium contulit*. Et iterum in *Vespasiano*: *Sicut Saturnalibus*, inquit, *dabat viris apophoreta, ita & Cal. Martii fœminis*. De strenarum solennitate extat *Epistola* apud Symmachum, urbis præfectum, *lib.* primo ad Theodosium & Arcadium Augustos: *Calendas anni auspices quibus mensium recursus aperitur, impertiendis strenis dicavit antiquitas. DD. Imperatores Theodosi & Arcadi, inclyti victores, semper Augusti, hujus instituti usum munificentiæ*

A *festinatione prævertitis, feram putantes liberalitatem, quæ statis temporibus admovetur.* Et iterum in alia Epistola ad eosdem: *Ab exortu pene urbis Martiæ strenarum usus adolevit autoritate Tatii regis, qui verbenas filicis arboris ex luco Streniæ anni novi auspices primus accepit. DD. Imperatores. Nomen indicio est, viris strenuis hæc convenire, ob virtutem: atque ideo vobis hujusmodi insigne deberi, quorum divinus animus magis testimonium vigilantiæ, quam omen expectat. Sumite igitur defensores publicæ salutis solenniter auro ducta munuscula, non quia divitis metalli honore gaudetis, sed ut nostra devotio felicis sæculi testetur opulentiam. Bonis principibus bene*

B *parta libemus: suscipite a judicibus aperta obsequia, qui precia occulta damnatis. Merito vobis solennes pateras cum quinis solidis, ut numinibus integratis offerimus: quibus nec vester pudor, nec noster census oneratur.* Ex quibus liquet, & inclinante Imperio sub Arcadio & Honorio, Saturnales ludos fuisse Reipublicæ Romanæ: & moris præterea fuisse in strenis missitandis, ut inferior ditiori mitteret. Porro Martialis scripsit duo volumina, unum *Apophoretorum*, alterum *Xeniorum*: qui poeta versus pro xeniis, patronis suis transmisit. Unde est illud ejusdem epigramma, *l.* XIII.

Omnis in hoc gracili xeniorum turba libello,
C *Constabit nummis quatuor empta tibi.*

Præterea erat mos in Saturnalibus, ut servi sumerent vestitus dominorum, & econtra domini servorum: quæ adhuc hodie in anni auspicio consuetudo manet, vocabaturque talis mutata vestis illis Synthesis, quam hodie a mutando *Munerey* dicimus. Meminit Lucianus in *Dialogo*, quem Χρονοσόλων inscripsit, & Macrobius in *Saturnalibus*. Et sic est intelligendum illud Suetonii, cum Neronem synthesiatum discalciatumque fuisse per lasciviam prodit. Huc alludit & Epigrammatarius:

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere jure tuo.
D *Synthesibus dum gaudet eques, dominusq; senatus,*
Atque decent nostrum pilea sumpta Jovem.

Atque illam vestium mutationem ab Hercule defluxisse, ostendit Naso *l.* II. *Fastorum*, ubi Fauni sacra, quæ sunt Lupercalia, describit, quo pacto cum Hercules cum Lyda puella in sacris Bacchi vestem mutasset, Faunus qui deperibat puellam, in antro obscuro, nocte comprimere cum puellam vellet, in Herculem vestitum, quem mentita scilicet mulier erat, inciderat, & pudefactus aufugerat: sed ipsum ingeniosissimum poetam audiamus;

E *Sed cur præcipue fugiat velamina Faunus,*
Traditur antiqui fabula plena joci.
Forte comes dominæ juvenis Tirynthius ibat,
Vidit ab excelso Faunus utrumque loco.
Vidit, & incaluit: montanaque numina, dixit,
Nil mihi vobiscum est, hic meus ardor erit.
Ibat odoratis humeros perfusa capillis
Mæonis, aurato conspicienda sinu.
Aurea pellebant tepidos umbracula soles,
Quæ tamen Herculeæ sustinuere manus.
Jam Bacchi nemus & Tmoli vineta tenebat
Hesperus, & fusco roscidus ibat equo.
F *Antra subit tophis laqueata & pumice vivo,*
Garrulus in primo limine rivus erat.
Dumque parant epulas, potandaque vina ministri,
Cultibus Alciden instruit illa suis:
Dat tenues tunicas Getulo murice tinctas,
Dat teretem zonam, qua modo cincta fuit:
Ventre minor zona est, tunicarum vincla relaxat,
Ut posset magnas exeruisse manus.
Fregerat armillas non illa ad brachia factas,
Scindebant magni vincula parva pedes.
Ipsa capit clavamque gravem, spoliumque leonis,
Conditaque in pharetra tela minora sua.
Sic epulis functi, sic dant sua corpora somno,
Et positis juxta secubuere thoris.
Causa, repertori vitis quia sacra parabant,
Quæ facerent pure, cum foret orta dies.
Noctis erat medium (quid non amor improbus audet?)
Roscida per tenebras Faunus ad antra venit.
Utque videt comites somno vinoque solutos,
Spem capit, in dominis esse soporis idem.
Intrat, & huc illuc temerarius errat adulter,
Et præfert cautas subsequiturque manus:
Venerat ad strati captata cubilia lecti,
Et felix prima sorte futurus erat.
Ut tetigit fulvi setis hirsuta leonis
Vellera, pertimuit, sustinuitque manus.
Attonitusque metu rediit: ceu sæpe viator
Turbatum viso rettulit angue pedem.
Inde thori, qui junctus erat, velamina tangit
Mollia, mendaci decipiturque nota.
Ascendit, spondaque sibi propiore recumbit,
Et tumidum cornu durius inguen erat.
Interea tunicas ora subducit ab ima,
Horrebant densis aspera crura pilis.
Cætera tentantem cubito Tirynthius Heros
Reppulit, & summo decidit ille thoro.
Fit sonus, & comites inclamat, lumina poscit
Mæonis, illatis ignibus acta patent.
Ille gemit, lecto graviter dejectus ab alto,
Membraque de dura vix sua tullit humo.
Ridet & Alcides, & qui videre jacentem:
Ridet amatorem Lyda puella suum.
Veste Deus lusus, fallentes lumina vestes
Non amat, & nudos ad sua sacra vocat.

Cæterum Saturnalium solennia sub Decembris præcipue finem celebrabantur, aliquando uno die, aliquando tribus, quinque, & pluribus diebus. Hinc est illud Suetonii in *Caligula*: *Non edictis inhiberi luctus publicus potuit, duravitque etiam per festos Decembris mensis dies.* Sic & ille Epigrammatarii versus intelligitur:

Septem Saturni venerat ante dies.

(Vide hic cultissimum Lipsium libro primo *Saturnaliorum* suorum) Atqui nec illud silentio transeundum, hunc ludum utrique fuisse sexui communem, ut adhuc hodie manet. Verum mulieres hac se ratione Cal. Martiis vestiebant, quod Cal. Januariis viris erat proprium. Sunt qui ab Hersilia, quæ seditionem in raptu Sabinarum compescuerat, hunc morem ad fœminas defluxisse arbitrentur. De quo Tranquill. in *Vespasiano* ita scribit: *Sicut Saturnalibus viris dabat apophoreta, ita Cal. Martiis fœminis.*

Venio nunc ad sigillares ludos, qui & ipsi pars sive species erant Saturnaliorum, a genere muneris quod donabatur, sic appellati: videlicet sigillis, id est, parvis signis, sive simulachris, quæ ex ære partim, argentoque & auro, item fictili materia in hunc usum conflabantur, quæ solebant conferre in sacellum Ditis aræ, quæ Saturni aræ cohærebat. Meminit Tranquillus in *Claudio*: *Tiberius patruus*, inquit, *petenti honores, consularia ornamenta detulit. Sed instantius legitimos flagitanti, id solum codicillis rescripsit,* XL. *aureos in Saturnalia & sigillaria misisse ei.* Spartianus in *historia Adriani*: *Saturnalitia & sigillaritia frequenter amicis inopinantibus misit, & ipse ab his libenter accepit, & alia invicem dedit.* Idem in *Vita Caracallæ*: *Quæ a parentibus gratia sigillariorum acceperat, ea vel clientibus vel magistris sponte donavit.* Huc pertinet & illud Senecæ *lib.* I. *Epistolarum*: *Ego sum Felicio cui solebas sigillaria offerre.* Flavius Vopiscus tradit Aurelianum

instituisse uxori & filiæ annulum sigillaritium. Cæterum originem sigillariorum Macrobius libro primo *Saturnalium* in hæc verba repetit: *Epicadus refert*, inquit, *Herculem occiso Geryone, cum victor per Italiam armenta duxisset, ponte qui nunc Sublicius dicitur, ad tempus instructo, hominum simulacbra pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, in flumen demisisse, ut aqua secunda in mare devecta, pro corporibus defunctorum veluti patriis sedibus redderentur: & inde usum talia simulacbra figendi inter sacra mansisse.* Idem Macrob. decimo capite scribit: in his sigilla, id est, parva signa missitabant amici, ut in Saturnalibus cereos. Et sic intelliguntur versus Martial. in *Apopboretis.*

Gloria tam parvi non est obscura sigilli,
Sum fragilis, sed tu moneo ne sperne sigillum.

Et quia cereorum facta est mentio a Macrobio, quod in Saturnalibus mutuo ab amicis & vicinis mitti sint soliti, subit mentem ea consuetudo, quam quidam etiamdum in festo Purificationis divæ Virginis observant, quæ non multum vel tempore, vel ritu distat a sigillaribus: erant igitur trium generum Romanis publice usurpatæ faces, in parentationibus, in Saturnalibus, & in nuptiis: ad quod discrimen alludit Ovidius secundo *Fastorum*:

Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ:
Expectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas basta recurva comas.
Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer: babent alias mæsta sepulchra faces.

Et hactenus de sigillaritiis, qui celebrabantur decima sexta Calend. Decembris. Superest ut etiam de reliquis ritibus Saturnaliorum dicamus, hoc est, tibicinibus, oscillorum, occellatorum, & castellatorum ludis, & basilindis, qui pueriles erant, & huic præcipue ætati in Saturnalibus proprii.

Tibicinum festivitas ac lascivia Idibus Januariis incipiebat, quando multa licentia atque lascivia, muliebri habitu per urbem cursitabant: cujus consuetudinis umbra quædam ad nos pervenit. Nam & hodie circa festum Epiphaniæ tibicines ac cantores divitum ædes ingredi, ac pro strenis canere assolent, larvatis quibusdam ductoribus. Ad hujusmodi tibicinum festivitatem, ut hodieque esse solet in recordationibus novi anni, alludit Livius lib. nono *Decadis* primæ: *Equidem rem dictu parvam præterirem, nisi ad religionem visa esset pertinere. Tibicines quia probibiti a proximis censoribus erant in æde Jovis vesci, quod traditum antiquitus erat, ægre passi, Tibur uno agmine abierunt, adeo ut nemo in urbe esset qui sacris præcineret: cujus rei religio tenuit senatum, legatosque Tibur miserunt, ut darent operam, ut bi bomines Romanis restituerentur. Tiburtini benigne polliciti, primum accitos eos in curiam, adbortati sunt ut reverterentur Romam. Postquam perpell. nequibant, consilio baud abborrente ab ingeniis bominum, eos adgrediuntur: die festo alis alios, per speciem celebrandarum cantu epularum causa invitant, & vino (cujus avidum id ferme genus est) oneratos sopiunt, atque ita in plaustra somno victos conjiciunt, ac Romam deportant. Nec prius sensere, quam plaustris in foro relictis, plenos crapulis eos lux oppressit. Tunc concursus populi factus, impetratoque ut manerent, datum ut triduum quotannis annis ornati cum cantu, atque bac quæ nunc solennis est licentia per urbem vagarentur, restitutumque in æde vescendi jus iis qui sacris præcinerent.*

CHARISTIA sexto Calend. Februarii inter cognatos celebrabantur, symposium erat, & fere Bacchanaliorum instar cum largo vino, ut hodie adhuc is apud nos in solennitate ante stultorum solennia mos durat: quem his verbis describit secundo *Fastorum* Naso:

Proxima cognati dixere Charistia chari,
Et venit ad socios turba proginqua deos.
Scilicet a tumulis, & qui periere propinquis
Protinus ad vivos ora referre juvat.
Postque tot amissos, quidquid de sanguine restat
Aspicere & generis dinumerare gradus.
Innocui veniant, procul binc, procul impius esto
Frater, & in partus mater acerba suos.
Cui pater est vivax, qui matris digerit annos,
Quæ premit invisam socrus iniqua nurum.
Tantalidæ fratres absint, & Iasonis uxor,
Et quæ ruricolas semina tosta dedit.
Et soror, & Progne, Tereusque duabus iniquus,
Et quicumque suas per scelus auget opes:
Diis generis date thura boni, concordia fertur
Illo præcipue mitis adesse die;
Et libate dapes, ut grati pignus amoris
Nutriat intinctos missa patella cibos.
Jam tibi suadebit placidos nox bumida somnos,
Larga precaturi sumite vina manu.
Et bene nos, bene tu patriæ pater optime Cæsar,
Dicite, suffuso per sacra verba mero.

OSCILLARES ludi erant, cum officulis osseisque vel fictilibus parvis imagunculis pueri ludebant, qui adhuc apud nos mos tenet. Ad quas alludit Maro hoc versu:

Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.

Sunt vero & tesserulæ oscilla, quibus licebat impune in hac solennitate omnibus ludere. Occellati autem ludi, hoc est, cum nucibus, vel alia materia oculis pictis luderetur, meminit Suetonius in *Augusto*: *Animi laxandi causa modo piscabatur bamo, modo talis, aut occellatis nucibus ludebat, cum pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipue Mauros & Syros.* Denique Castellati ludi erant, cum castella pueri chartis efficerent, qui adhuc mos in ea ætate manet. *Wann die Knäble von Karten, beuser, Thürn, oder Schlösser macben.* Meminit Julius Capitolinus in *Galieno*, hunc referens de pomis castella composuisse. His addenda sunt similia ludicra in Saturnalibus fieri solita, & inclinante primum Imperio, sub Justiniano præcipue in Græcia usurpata.

BASILINDA, quorum Julius Pollux meminit, libro nono *Onomastici*. Sed *l.* III. *Cod.* Justiniani Imperatoris legitur falso *Regindatia*. Erat autem hic lusus, cum aliquis sorte factus Rex, aliquid laboriosum ministro imperat, qui sorte pariter obtigerat, quod nobis Germanis adhuc extat, vulgo *Herr ycb dinet eucb gern.* Sic *Repystria* ludus latrunculorum erat, pro quo perperam legitur eodem *l.* III. *Cod. Reypusara*. Atque hactenus de puerilibus ludicris, in Saturnalitio solenni adhibitis. Superest ut reliquos ritus, qui proprie Saturnalia sub finem Februarii excipiebant, expediam. Erant autem Lupercalia & Bacchanalia. Quorum in alteris, puta Lupercalibus, homines nudi discurrebant, tamquam insanirent. Unde Cicero M. Antonium insectatur, quod in Lupercalibus, quibus sedebat Cæsar amictus toga purpurea, in sella aurea coronatus, se lupercum exhibuerit: & nudus, unctus, ebrius, insectante populo Romano, concionatus sit, capitique Cæsaris diadema imponere cum omnium luctu tentaverit. Ad hujusmodi Lupercalia alludit Maro octavo *Æneidos*:

Vix

Vix ea dicta, dehinc progressus, monstrat & aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam:
Qua memorant nymphæ priscum Carmentis honorem
Vatis fatidicæ, cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos, & nobile Pallanteum.
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Rettulit, & gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.

Quo in loco Landinus, Lupercalium originem repetens, ita scribit ex Dionysio in *Antiquitatibus Rom.* Evandrum ex Pallantio urbe, inquit, Arcadiæ in Italiam venisse, sexaginta annis ante res Trojanas: creditumque esse Mercurii filium, & Nymphæ cujusdam Arcadiæ incolæ, quam Græci quidem Themin esse dicunt, deique patientem sive fatidicam demonstrant. Qui vero Romanas scripserunt origines, lingua eam patria Carmentam dixere, quia ventura carmine prædiceret. Quo autem duxit, venerunt: quoniam diffidente populo, pars inferior viribus ultro excessit: receptusque est liberaliter a Fauno rege Aboriginum, pronepote, ut ajunt, Martis: atque ab eo data est portio agri, quantam voluerunt Arcades, qui pauci erant: hique elegerunt, præmonstrante Carmenta, collem Tiberi vicinum, parvumque in eo opppidum condiderunt, appellantes Palantium, a metropoli eorum in Arcadia: construxerunt quoque isthic, admonente eos Carmenta, templum Pani Lycæo Arcadi, deo vetustissimo, in loco quem Romani Lupercal, nos Lycæum dicimus. Erat autem antiquitus (ut dicitur) antrum magnum sub colle, arbusto denso contectum, & fontes sub petris profundi, adhærensque rupibus saltus crebris arboribus, & quidem magnis opacus: ubi ara deo constructa, sacrificia patria perficiebant: quæ etiam nunc Romani sacra perficiunt mense Februario, cum zona pellis caprinæ discurrentes, prægnantium fœminarum dexteras ad facilem partum verberant. Alludit ad hujusmodi Lupercalium ludos, eorumque originem Naso II. *Fast.* hoc eleganti carmine:

Tertia post Idus nudos Aurora Lupercos
Aspicit, & Fauni sacra bicornis erunt.
Dicite Pierides, sacrorum quæ sit origo,
Attigerint Latias unde petita domos.
Pana deum pecoris veteres coluisse feruntur
Arcades, Arcadiis plurimus ille jugis.
Testis erit Pholoe, testes Stymphalides undæ,
Quique citis Ladon in mare currit aquis;
Cinctaque pinetis nemoris juga Nonacrini,
Altaque Trœzene, Parrhasiæque nives.
Pan erat armenti, Pan illic nomen aquarum,
Munus ob incolumes ille ferebat oves.
Transtulit Evander sylvestria numina secum:
Hic, ubi nunc urbs est, tunc locus urbis erat.
Inde Deum colimus, devectaque sacra Pelasgis,
Flamen ad hæc prisco more dialis erat.
Cur igitur currant, & cur sic currere mos est,
Nuda ferant posita corpora veste, rogas?
Ipse Deus velox discurrere gaudet in altis
Montibus, & subitas concitat ipse feras.
Ipse Deus nudus nudos jubet esse ministros,
Nec satis ad cursus commoda vestis erat.
Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur
Arcades, & luna gens prior illa fuit.
Vita feris similis, nullos agitata per usus,
Artis adbuc expers, & rude vulgus erat.
Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas,
Nectar erat palmis hausta duabus aqua.
Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus,
Nulla sub imperio terra colentis erat.
Nullus adhuc erat usus equi, se quisque ferebat,
Ibat ovis lana corpus amicta sua.
Sub Jove durabant, & corpora nuda gerebant,
Docta graves imbres, & tolerare notos.
Nunc quoque detecti referunt monimenta vetusti
Moris, & antiquas testificantur opes.

Repetit & tertiam originem a Romulo, a cujus matre Lupa etiam Lupercalia nomen habent:

Adde peregrinis causas mea Musa Latinas,
Inque suo noster pulvere currat equus.
Cornipedi Fauno cæsa de more capella
Venit ad exiguas turba vocata dapes.
Dumque sacerdotes verubus transfixa salignis
Exta parant, medias sole tenente vias:
Romulus & frater, pastoralisque juventus,
Solibus & campo corpora nuda dabant.
Cestibus & jaculis, & misso pondere saxi
Brachia per lusus experienda dabant.
Pastor ab excelso, per devia rura juvencos,
Romule prædones, & Reme, dixit, agunt.
Longum erat armari: diversis exit uterque
Partibus, occursu præda recepta Remi est.
Ut rediit, verubus stridentia detrahit exta,
Atque ait, Hæc certe non nisi victor edet.
Dicta facit, Fabiique simul: venit irritus illuc
Romulus, & mensas, ossaque nuda videt.
Risit & indoluit, Fabios potuisse Remumque
Vincere, Quintilios non potuisse suos.
Fama manet facti, positoque velamine currunt,
Et memorem famam, qui bene gessit, habet.
Forsitan & quæras, cur sit locus ille Lupercal,
Quæve locum tali nomine causa notet.
Sylvia Vestalis cœlestia semina partu
Ediderat, patruo regna tenente suo.
Is jubet auferri parvos, & in amne necari,
Quid facis? ex illis Romulus alter erit.

Et quæ sequuntur de Lupa nutriente Romulum & Remum. Causam quoque stultitiæ in Lupercalibus reddit idem Ovidius II. *Fastorum:*

Lux quoque cur eadem stultorum festa vocetur,
Accipe: parva quidem causa, sed apta subest.
Non habuit doctos tellus antiqua colonos,
Lassabant agiles aspera bella viros.
Plus erat in gladio, quam curvo laudis aratro,
Neglectus domino pauca ferebat ager.
Farra tamen Veteres jaciebant, farra metebant,
Primitias Cereri farra resecta dabant.
Usibus admoniti flammis torrenda dederunt,
Multaque peccato damna tulere suo.
Nam modo verrebant nigras pro farre favillas,
Nunc ipsas ignes corripuere casas.
Facta dea est fornax: læti fornace coloni
Orant, ut fruges temperet illa suas.
Curio legitimis tunc Fornacalia verbis
Maximus indicit, nec stata sacra facit.
Inque foro multa circumpendente tabella,
Signatur certa curia quæque nota.
Stultaque pars populi, quæ sit sua curia nescit,
Sed facit extrema sacra relicta die.

Hujusmodi stultitiæ reliquiæ ad nos Christianos venere: & sic patet, quamobrem sub finem Februarii insaniamus adhuc Christiani, quæ solennia *Vasthangum* appellant: quod tamen a nostro instituto alienissimum esse debet.

Bacchanalia alia Martio, alia in vindemia celebrabantur, inter initia Septembris: & aliquando alio anni tempore, & quidem privatim ceu sacrum quoddam: quæ quidem XVII. & XVI. Calend. Mart. celebrabantur, potu vini uberiori solennitas complebatur. Unde scribit Tacitus *lib.* XI. cum Messalinam Claudio Cæsare marito ab-

ſente introducit ludicrum tale, ut tegeret adulterium, celebraſſe: *At Meſſalina*, inquit, *non alias ſolutior luxu, adulto autumno ſimulachrum vindemiæ per domum celebrabat, urgeri præla, fluere lacus, & feminæ pellibus accinctæ aſſultabant, ut ſacrificantes vel inſanientes Bacchæ. Ipſa crine fluxo thyrſum quatiens, juxtaque Silius hædera vinctus, gerere cothurnos, jacere caput, ſtrepente circum procaci choro*. Deſcribuntur tales etiam ludi cum ſacris Bacchi a Tito Livio *libro* nono *Decadis* quartæ: *Via una corruptelæ*, inquit, *Bacchanalium erant; mater adoleſcentem appellat, ſe pro ægroto voviſſe: ubi primum convaluiſſet, Bacchis eum ſe initiaturam: damnatam voti, deum benignitate exſolvere id velle; decem dierum caſtimonia opus eſſe; decimo die cœnatum, deinde pure lautum in ſacrarium deducturam*. Et ſubdit; *Eo magis mirabundo, quærentique quid rei eſſet, pacem veniamque precata deorum dearumque, ſi coacta charitate ejus ſilenda enunciaſſet: ancillam ſe ait dominæ comitem, id tum ſacrarium intraſſe: liberam nunquam eo acceſſiſſe: ſcire corruptelarum omnis generis eam officinam eſſe: & jam biennio conſtare neminem ibi initiatum, majorem annis viginti. Ut quiſque introductus ſit, veluti victimam tradi ſacerdotibus, eos deducere in locum, qui circumſonet ululatibus, cantuque ſymphoniæ, & cymbalorum, tympanorumque pulſu; ne vox quiritantis, cum per vim ſtuprum infertur, exaudiri poſſit. Orare deinde, atque obſecrare, ut eam rem quocunque diſcuteret modo; nec ſe eo præcipitaret, ubi omnia infanda patienda primum, deinde facienda eſſent, neque ante dimiſit eum, quam fidem dedit adoleſcens, ab his ſacris ſe temperaturum*. Hæc ille. Porro Liberalia a Libero puto eſſe dicta, in quibus etiam Annæ Perennæ ſacra fiebant, cum largioribus poculis, quorum originem Naſo deſcribit tertio *Faſtorum*:

Hæc quoque quam referam, noſtras pervenit ad aures
Fama, nec a veri diſſidet illa fide.
Plebs vetus, & nullis etiam tunc tuta tribunis,
Fugit, & in ſacri vertice montis erat.
Jam quoque quem ſecum tulerant, defecerat illos
Victus, & humanis uſibus apta Ceres.
Orta ſuburbanis quædam fuit Anna bovillis
Pauper, ſed multæ ſedulitatis anus.
Illa levi mitra canos incincta capillos,
Fingebat tremula ruſtica liba manu.
Atque ita per populum fumantia mane ſolebat
Dividere, hæc populo copia grata fuit.
Pace domi facta, ſignum poſuere Perennæ,
Quod ſibi defectis illa ferebat opem.

Et morem deſcribens, ceremoniaſque in his uſurpatas, ita canit:

Idibus eſt Annæ feſtum geniale Perennæ,
Non procul a ripis advena Tibri tuis.
Plebs venit, ac virides paſſim disjecta per herbas,
Potat, & accumbit cum pare quiſque ſua.
Sub Jove pars durat, pauci tentoria ponunt:
Sunt quibus e ramis frondea facta caſa eſt.
Pars ibi pro rigidis calamos ſtatuere columnis;
Deſuper extentas impoſuere togas.
Sole tamen, vinoque calent, annoſque precantur,
Quot ſumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Neſtoris ebibat annos,
Quæ ſit per calices facta Sibylla ſuos.
Illic & cantant quicquid didicere theatris,
Et jactant faciles ad ſua verba manus:
Et ducunt poſito duras cratere choreas,
Cultaque diffuſis ſaltat amica comis.
Cum redeunt, titubant, & ſunt ſpectacula vulgi,
Et fortunatos obvia turba vocat.
Occurrit, nuper viſa eſt mihi digna relatu
Pompa, ſenem potum pota trahebat anus

CAP. XXIX.

De Ludis Scenicis.

Conſtat vel ex nomine, hos doctorum certamina ludos fuiſſe, cum vel tragœdias, vel comœdias, vel poemata poetæ in ſpectaculum vulgi doctorumque judicium vocabant, loco opaco, atque umbroſo, qui Græcis σκηνὴ, ἀπὸ τῆς σκιᾶς dicebatur. Primis namque temporibus ſcena parietem non habebat, ſed e frondibus, qui tales ludos, comœdias aut tragœdias dabant, umbracula quærebant. Poſtea vero & numero & divitiis aucta Romana Republica, tabulata componi cœpta ſunt, parietibus clauſa, hoc eſt, theatra & amphitheatra, in quibus pegmata erant, & tabernacula ſcenopegia dicta, unde perſonæ prodibant. Frons quoque theatri, ubi ſcena erat, pluribus contignationibus erat conſtructa: in quibus hiſtriones recitabant, mimi, mirmillones, & cæteri ludii varios ludos ac geſticulationes edebant. Quare ſcenam definiens Placidus Grammaticus ſcribit, eſſe cameram hinc inde compoſitam, quæ in umbræ locum in theatro erat, in quo ludi actitabantur. Porro metaphorice ſcena etiam actio ipſa vel carminis compoſitio dicebatur, quæ digna eſſet agi in theatro. Hinc tria diſtinguuntur ſcriptoribus rerum, ſcenarum genera, tragicum, comicum, & ſatyricum. Tragica quidem ſcena, ſignis & regalibus rebus ornabatur: comica ædificiorum privatorum habebat ſpeciem: ſatyrica arboribus, ſpeluncis & rebus agreſtibus erat referta. Porro ad ſcenicas operas olim nemo niſi ignominioſi adhibebantur: quique operas ſcenis locabant, a cenſoribus notabantur. Hinc Scipio in *Somnio* apud Ciceronem, quum artem ludicram ſcenamque totam in probro Romani ducerent, genus id hominum tribu amoveri notatione cenſoria voluerunt: quemadmodum & a Jureconſultis *libro* ſecundo *ff. titulo* ſecundo, hoc genus hominum infamia etiam notatur: præcipue vero in *l. quod ait prætor*, eodem *titulo*, ex authoritate Labeonis. Cæterum quod in ludis ſcenicis non ſolum Comœdiæ, Tragœdiæ, Satyræque edebantur, verum etiam inter ſe poetæ carmine ſcripto, & coram recitato, ſub Judicibus certabant, oſtendit Plinius lib. VII. *Epiſtolarum*: *Miraberis*, inquit, *& ego miratus ſum, proximis Sacerdotalibus ludis productis in commiſſione pantomimorum*. Alludit ad hoc & Suetonius in *Caligula*: *Edidit & peregre ſpectacula in Sicilia Syracuſis Aſtycos ludos, & in Gallia Lugduni miſcellos. Sed & certamen quoque Græcæ Latinæque facundiæ, quo certamine ferunt victoribus præmia victos contuliſſe, eorundem & laudes componere coactos. Eos autem qui maxime diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongia linguave delere juſſos, niſi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluiſſent*. Idem in *Auguſto*: *Componi tamen aliquid de ſe, niſi & ſerio & præſtantiſſimis, offendebatur: admonebatque prætores, ne paterentur nomen ſuum commiſſionibus obſoleſieri*. Huc pertinet illud Macr. lib. II. *Saturnal. Sed & Laberius ſequenti ſtatim commiſſione, mimo novo interjecit hos verſus*, &c. Porro commiſſiones, ipſa certamina poetarum in ſcenicis dicebantur. Quare legimus, Papinium Statium in poetica commiſſione fuiſſe coronatum. Quamquam vero ſcenici in theatris proprie edebantur, quemadmodum & Pompejus legitur, theatrum gradibus in hoc aliiſque rebus exornaſſe; ad ſimilitudinem theatri Mitylenæi: tamen conſtat hos interdum & per regiones urbis

atque vicatim celebratos: quod ex locis Suetonii confirmari poteſt, qui in *Julio Dictatore* nominatim ſcribit: *Edidit ſpectacula varii generis, munus gladiatorium, ludos etiam regionatim urbe tota & quidem per omnium linguarum hiſtriones, non in foro modo, nec amphitheatro, ſed in circo & in ſeptis.* Hæc ille. Jam ſupereſſet, ut ſcenicorum ludorum diſcrimina recenſeremus: ſed placet & authorum prius de his in genere ſuffragia audire. Quorum primus Titus Livius *lib.* I. *Decadis* IV. hujus ludicri his verbis meminit: *Creati Coſſ. Publius Sulpitius Galba, Cajus Aurelius Cotta: prætores exinde facti Quintus Minutius Rufus, Lucius Furius Purpureo, Quintus Fulvius Gillo, Cn. Sergius Plancus. Ludi Romani ſcenici eo anno magnifice apparateque facti ab ædilibus curulibus L. Valerio Flacco, & T. Quinctio Flaminio, biduum inſtaurati ſunt.* Et iterum *lib.* II. *Decad.* V. *Fulvius ædem Fortunæ equeſtris, quam proconſul in Hiſpania, dimicans cum Celtiberorum legionibus, voverat, annos ſex poſtquam voverat, dedicavit. Et ſcenicos ludos per quatriduum in circo fecit.* Ad hos alludit & Herodian. *lib* V. *hiſtoriæ Auguſtæ*, loquens de Antonio Heliogabalo: *Fecit & in ſuburbano templum maximum ac magnificentiſſimum, in quod anno vertente deum ſuum adulta jam æſtate deducebat: ludiſque curulibus & ſcenicis, epuliſque & pervigiliis populum a ſe oblectari arbitrabatur.* Originem autem horum ſcenicarum ludorum deſcribit Livius *lib.* VII. *Decad.* I. cum de gravi peſtilentia loquens, ait: *Et cum vis morbi nec humanis conſiliis, nec ope divina levaretur, victis ſuperſtitione animis, ludi quoque ſcenici, nova res bellicoſo populo, (nam circi modo ſpectaculum fuerat) inter alia cœleſtis iræ placamina inſtituti dicuntur. Cæterum parva quoque (ut ferme principia omnia) & ea ipſa peregrina res fuit: ſine carmine ullo, ſine imitandorum carminum actu, Ludiones ex Hetruria acciti, ad tibicinis modos ſaltantes, haud indecoros motus more Tuſco dabant: imitari deinde eos juventus ſimul inconditis inter ſe jocularia fundentes verſibus cœpere, nec abſoni a voce motus erant. Accepta itaque res, ſæpiuſque uſurpando excitata, vernaculis artificibus, quia hiſter Thuſco verbo ludio vocabatur, nomen hiſtrionibus inditum: qui non ſicut Feſcennino verſu, ſimilem incompoſitum temere, ac rudem alternis jaciebant: ſed impletus modis ſatyras, deſcripto jam ad tibicem cantu, motuque congruenti peragebant. Livius poſt aliquot annos, qui ab ſatyris auſus eſt primus argumento fabulam ſerere; idem (ſcilicet id quod omnes tum erant) ſuorum carminum actor dicitur, cum ſæpius revocatus vocem obtudiſſet: venia petita, puerum ad canendum ante tibicinem cum ſtatuiſſet, canticum egiſſe aliquanto magis ingente motu, quia nihil vocis uſus impediebat; inde ad manum cantari hiſtrionibus cœptum, diverbiaque tantum ipſorum voci relicta.* Cæterum hoc genus ludorum inclinante Imperio aliquo adhuc loco fuiſſe, colligitur ex his verbis Marcellino *lib.* XXIII. *Hiſtoriæ Auguſtæ: Namque cum Antiochiæ in alto ſilentio ſcenicis ludis mimus cum uxore immiſſus, e medio ſumpta quædam imitaretur, populo venuſtate attonito, conjux, Niſi ſomnus eſt, en Perſæ, inquit.* Loquitur autem de rebus Juliani Imperatoris in Perſia geſtis. Atque hæc de ſcenicis autores claſſici hiſtoriarum obſervarunt. Venio ad genera illorum, quorum in urbe extabant Juvenales, Dionyſiaci, & Technitæ: reliqui Græcis magis celebrati, Agon ſacer, Heracleoticum, & Attellanæ in Olympicis. Ad cujuſmodi ATTELLANAS alludit ſubinde Tranquillus in *Ner. Quam autem*, inquit, *trepide anxieque certaverit, quanta odverſariorum æmulatione, quo metu judicum, vix credi poteſt. Adverſarios quaſi plane conditionis ejuſdem, obſervare, captare, infamare ſecreto, nonnumquam maledictis inceſſere: ac ſi qui arte præcellerent, corrumpere etiam ſolebat. Judices autem, priuſquam inciperet, reverendiſſime alloquebatur: omnia ſe facienda feciſſe, ſed eventum in manu fortunæ eſſe.*

Juvenales pro ſalute juvenum inſtituti fuerunt, ut olim plebeii pro libertate plebis. His primum ſenes & vetulas Nero immiſcuit, teſtante Suetonio in *ejus hiſtoria: Spectaculorum plurima*, inquit, *& varia genera edidit: Juvenales, circenſes, ſcenicos ludos, gladiatorum munus. Juvenalibus ſenes quoque conſulares, anuſque matronas recepii ad luſum.*

Technitæ Dionyſiaci tam Romanis quam Græcis uſurpabantur, unde & mimi hoc nomine infames dicebantur. Quorum meminit Ariſtoteles in Problematibus circularibus. Qui enim ſerviebant in ſcena & perſonas repræſentabant, mimi & pantomimi nominabantur, a Græco verbo *μιμέομαι*, id eſt, *imitando*. Hincque etiam poemata riſum moventia, Mimi dicebantur, quæ a tragœdiis fabuliſque diverſa erant. Cicero XI. *Philippica*: *Quorum alter commentus eſt mimos, alter egit tragœdiam.* Et in alia oratione *pro Cælio: Mimi ergo eſt jam exitus, non fabulæ.* Quo pertinet illud Ovidii ſecundo *de Triſtibus*:

Scribere ſi fas eſt imitantes turpia mimos.

Et ſic intelligitur illud Suetonii in *Cæſare: Decius Laberius eques Romanus mimum ſuum egit.*

Attellanæ, ludi ſcenici erant, a loco Campaniæ, ubi celebrabantur ita appellati, ubi Latinæ fabulæ jocularibus ac ſatyricis quibuſdam mixtis celebrabantur: alias Exodia, quod extra cantum fierent, nuncupata. Repetit originem horum Livius *libro* ſeptimo *Decad.* primæ, his verbis: *Poſtquam lege hac fabularum ab riſu ac ſoluto joco res avocabatur, & ludus in artem paulatim verterat: juventus hiſtrionibus fabularum actu relicto ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus jactare cœpit, quæ inde Exodia poſtea appellata, conſertaque fabellis potiſſimum Attellanis ſunt: quod genus ludorum ab Oſcis acceptum tenuit juventus, nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt.* Huc pertinent quæ Valerius Maximus ſcribit *libro* ſecundo: *Attellanæ ab Oſcis aſcitæ*, inquit, *ſunt, quod genus delectationis Italica ſeveritate temperatum, ideoque nota vacuum.*

Sequuntur OLYMPICI ludi, quod in Olympia celebrabantur, ſic dicti. Erat autem Olympia lucus oleaſtro veſtitus, in agro Piſano, juxta fluvium Alphæum, ubi fuit templum Jovi Olympio dicatum, inclytum monumentis poetarum & hiſtoricorum. Hi ab Herculis primum omnium certamine inſtituti fuere, quo ipſe primum certaſſe, & palmam meruiſſe dicitur. Porro in templo ipſo ſimulachrum fuerat Jovis Olympii, a Phidia celeberrimo orbis ſtatuario fabrefactum, ut adjectum aliquid religioni videretur, & majeſtas operis quamplurimos, ut eo irent, accenderet. Hanc ſtatuam Caligula cogitavit Romam transferre, ut Tranquillus in *ejus Vita* teſtatur: *Futuræ cædis*, inquit, *multa prodigia fuerunt: Olympiæ ſimulachrum Jovis, quod diſſolvi transferrique Romam placuerat, tantum cachinnum repente edidit, ut machinis labefactis, opifices diffugerent.* Cujus hiſtoriæ meminiſſe videtur & Joſephus his verbis: *Nam etiam Jovem Olympium, qui maxime apud Gentiles venerabilis habetur, quem Phidias Athenæus fecerat, auſus eſt Romam transferre: nec tamen ad effectum res perducta eſt, architectis dicentibus. Quod ſi illud moveretur ſimulachrum, aliquid poſſet mali accidere.* Atque hactenus tam de templo, quam de ſimulachro, nemoreque vicino, & monte, ubi ludi ſingulis quinquennis ſolennes toto mundo erant, in quibus varia ludicra in honorem Jovis, & præcipue poetarum curſorumque certamina proponebantur. Unde apud Philoſtratum Apollonius:

Neronem, ait, in Olympiis prohibuisse certamina tragœdorum & citharœdorum, apud viros quibus nec theatra erant, nec scenæ ad hujusmodi ludos peragendos satis idonea.

Sequitur AGON, qui proprie sacer cognominabatur, iis diis, qui aliquid miraculi ostendissent, a Græcis dicatus: unde nimirum metaphoriçe certamina martyrum suorum primi Christiani Agonas appellarunt, non solum ob sanctitatem & miraculorum claritatem, verum etiam magis ob præmiorum & certitudinem & magnitudinem. Celebrabatur autem hæc solennitas in honorem Herculis, unde Agon Heracleos, & una dictione Heracleoticum nuncupabatur. In quo cantilenis certamina inibantur. Atque ad hos ludos alludit Spartianus in *Hadriano*: *Multa in Athenienses contulit, & pro Agonotheta resedit*. Nec dissimile omnino ludicrum Germanis usurpatur, *Wanman offentlich, mit geordnetem urtheil, Meister gesang singet*. Cæterum A. Gellius in decimo *Noct. Atticarum*, capite XVIII. initia sacri Agonis, ad Artemisiam Mausoli regis Cariæ viduam referre videtur. Scribit enim, cum incredibili desiderio mariti defuncti teneretur, molitam fuisse ingenti impetu operis mariti memoriæ causa, sepulchrum dignatum numerari inter septem orbis terrarum spectacula: quod monumentum cum diis Manibus dicaret, agona, hoc est, certamen laudibus ejus dicundis fecisse, præmiaque & pecuniæ & aliarum rerum bonarum amplissima proposuisse: atque ad eas laudes decantandas, venisse primum omnium Theopompum, Theodecten Naucratitem, & Isocratem: sed vicisse Theopompum, Isocratis discipulum: extareque & vidisse se Gellius testatur Theodecti tragœdiam, quæ inscribitur *Mausolus*, in qua eum magis quam in prosa placuisse Hyginus in exemplis refert. Meminit porro ejus ludicri Pindarus *hymno* quinto: (hi versus non sunt Pindari, sed Archii, ut videre licet *Anthol.* lib. I. epigr. I.)

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροί.
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο.
Ἆθλα δὲ τ', κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Quos versus Andreas Alciatus, doctissimus Jureconsultus & Historicus, sic Latine reddidit:

Sacra per Argivas certamina quattuor urbeis
Sunt: duo facta viris, & duo cælitibus.
Ut Jovis & Phœbi, Melicertæque Archemorique:
Præmia sunt, pinus, poma, apium atque oleæ.

Videtur autem adludere Pindarus ad coronas de pino, atque oleastro, & apiastro, quibus cantus victores coronabantur. Alluditque ad agona Heracleum & Julius Pollux: Τὰς, inquit, γυμνικὰς ἀγῶνας σεμνότερον Ἡρακλείους ἀγῶνας ἐκάλεσαν. Est autem verbum id ludicro inditum, a studio contentionis, quod Græci ἀγῶνα dicunt. Unde etiam Agones dicti sunt Romana in Republica, qui percutiebant victimam ante immolationem. Et Agonales dies eidem nominati fuere, per quos Rex sacrorum arietem in Regia immolabat. Describit autem hujus solennitatis ritum Ovidius in *Fastis*, ubi & diem, videlicet quintum Id. Januar. & quibus hostiis peragatur, ita commemorat.

Institerint imbres missi tibi nubibus atris,
Nonæ signa dabunt exoriente Lyra:
Quatuor adde dies, dictis ex ordine Nonis,
Janus Agonali luce piandus erit.
Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia cælitibus quo feriente cadit.
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper agatne rogat, nec nisi jussus agit.
Pars, quia non veniant pecudes, sed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.
Utque ea nunc certa est, ita rex placare sacrorum
Numina lanigeræ conjuge debet ovis.

CAP. XXX.

De Ludis Sæcularibus.

LUdos sæculares, qui & Herculei, ab Hercule, cui erant dicati, & Tarentini a loco vocabantur, nomen sortitos esse a sæculo, hoc est, centum annorum tempore, quo elapso magno ambitu in urbe celebrabantur, manifesta res est: quo eventu & quinquennalia atque decennalia huic reip. appellati ludi fuere. Sunt autem primum omnium a Valerio consule, mox post exactos reges instituti, ut Censorinus in libro *de die Natali* author est. Valerius quoque Maximus, in capite *de spectaculis* originem sæcularium ludorum recenset his verbis: *Cum ingenti*, inquit, *pestilentia urbs agrique vastarentur, Valesius vir locuples, rusticæ vitæ, duobus filiis & filia ad desperationem usque medicorum laborantibus, aquam calidam iis a foco petens, genibus nixus, Lares familiares, ut puerorum periculum in ipsius caput transferrent, oravit: orta deinde vox est, habiturum eos salvos, si continuo flumine Tiberis devectos Tarentum deportasset, ibique ex Ditis patris & Proserpinæ ara petita calida recreasset. Eo prædicto magnopere confusus, quod & longa & periculosa navigatio imperabatur: spe tamen dubia præsentem metum vincente, pueros ad ripam Tiberis protinus detulit: habitabat enim in villa sua prope vicum Sabinæ regionis Heretum: & lintre Hostiam petens, nocte concubia ad Martium Campum appulit: sitientibusque ægris succurrere cupiens, igne in navigio non suppetente, ex gubernatore cognoscit haud procul apparere fumum: & ab eo jussus egredi Tarentum (id nomen ei loco est) cupide arrepto calice, aquam flumine haustam, eo unde fumus erat obortus, jam lætior pertulit, divinitus dati remedii, quasi vestigia quædam in propinquo se existimans nactum: inque solo magis fumante, quam ullas ignis habente reliquias, dum tenacius omen apprehendit, contractis levibus, & quæ sors obtulerat nutrimentis, pertinaci spiritu flammam emovit, calefactamque aquam pueris bibendam dedit: qua pota, salutari quiete sopiti, diutina vi morbi repente sunt liberati: patrique indicaverunt, vidisse se in somnis nescio quos deorum spongia corpora sua pertegere: & præcipere ut ad Ditis patris & Proserpinæ aram, a qua potio ipsis fuerat allata, furvæ hostiæ immolarentur, lectisterniaque & ludi nocturni fierent. Is qui eo loci nullam aram viderat, desiderari credens, ut a se construeretur, aram empturus in urbem perrexit, relictis qui fundamentorum constituendorum gratia terram ad solidum foderent, ii domini imperium exequentes, cum ad viginti pedum altitudinem humo egesta pervenissent, animadverterunt aram Diti patri Proserpinæque inscriptam. Hoc postquam Valesius nunciante servo accepit, omisso emendi proposito, hostias nigras, quæ antiquitus furvæ dicebantur, Tarenti immolavit: ludosque & lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem filii periculo liberati erant, fecit.*

His autem ludis urbe tota atque per Italiam præcones itabant, convocatum omnes ad ludos, quos nec vidissent hactenus, nec visuri postmodo forent. Ita scilicet intervallum præteritæ, futuræ-

que celebritatis, supra omnem esse hominum ætatem significantes.

Ut autem Valerius tradit, a Tarento loco prope Romam, ubi Valerius cum filiis ægris appulit ex Tiberi, & ubi aram Ditis defossam reperit, non a Tarento Calabriæ sive Magnæ Græciæ civitate, Tarentini hi ludi nominati sunt. Porro celebravit hos ludos inter Imperatores primus Augustus, operis socio Agrippa ascito: qui ut modum adhiberet, pueros & puellas a nocturnis cœtibus edicto movit. Canebatur autem in his Augusti sæcularibus carmen Horatii, quod sæculare appellabatur: quod incipit apud Horatium:

Certus undenos decies per annos,
Orbis & cantus referatque ludos,
Ter die claro, totiesque grata
Nocte frequenteis.

Secundus ab Augusto, nondum centum annorum spatio elapso, Claudius ludos sæculares dedit: de quibus ita Tacitus scribit *libro* undecimo: *Iisdem consulibus ludi sæculares octingentesimo post Romam conditam, quarto & sexagesimo quam Augustus ediderat, spectati sunt. Utriusque Principis rationes prætermitto, satis narratas libris quibus res Domitiani Imperatoris composui: nam is quoque edidit ludos sæculares: iisque intentius affui sacerdotio Quindecimvirali præditus, ac tum prætor.* Ex quibus apparet tertium in ordine tales ludos celebrasse Domitianum Cæsarem, similiter nondum elapso sæculo. Cujus etiam meminit Aurelius Victor in hujus *Cæsaris Historia*: *Igitur metu crudelitatis & conscientiæ suæ conjuravere plerique, impulsoribus Parthemio, procurante cubiculum, & Stephano, & tum ob fraudem interceptæ pecuniæ supplicium suspectante Clodiano, ascita etiam in consilium tyranni uxore Domitia, ob amorem Paridis histrionis, a principe cruciatus formidante, Domitianum multis vulneribus confodiunt, post annum quintum & quadragesimum vitæ. At Senatus gladiatoris more funus efferri, radendumque nomen decrevit. Hujus tempore ludi sæculares celebrati sunt.* Hæc ille. Quartum præterea ludos sæculares edidisse Septimium Cæsarem, Herodianus *lib.* III. scribit, cum Severi Septimii historiam retexit: *Vidimus*, inquit, *sub illo quosdam omnis generis ludos cunctis editos theatris, simulque supplicationes, & pervigilia ad formam Cereris initiorum (sæculares hi tum appellabantur) celebratos, ut ajunt, decurso trium spacio ætatum.* Cæterum, tametsi & alios sequentes Imperatores tales edidisse ludos verisimile sit: tamen, quia apud authores mentio nulla occurrit, consulto omitto. Illud autem constat, Honorium & fortasse postremum, hos ludos dedisse, ut de eo Claudianus refert in *Panegyrico sexti consulatus*.

Quæ quidem de his, qui ludos sæculares ordine Romana in republica dederunt, sufficiant. Jam quæ in his ludis eorumque pervigilio fieri consueverint, dicam: invenio autem duo potissimum usurpata in his ludis; videlicet, certamen & congressum poetarum, comœdiarumque exhibitionem, & insolitorum animalium ostensionem. De quorum primo Tranquillus in *Augusto* meminit his verbis: *Nam histrionum licentiam adeo compescuit, ut Stephanionem togatarium, cui in puerilem habitum circumtonsam matronam ministrasse compererat per trina theatra virgis cæsum relegaverit.* Meminit hujus Stephanionis & Plinius, inquiens: *Minus miror Stephanionem, qui primus togatus saltare instituit, utrisque sæcularibus ludis.* Quod vero etiam insolita animalia & feræ in his ludis ostendebantur, ut præcipue in Circensibus

A observabatur, Solinus testatur: qui Pompejum his ludis rhinocerota exhibuisse tradit. Id quod a Julio Capitolino in *Gordianis* confirmatur his verbis: *Fuerunt sub Gordiano*, inquit, *Romæ elephanti triginta & duo: quorum ipse duodecim miserat, Alexander decem. Alces decem. Tigres decem. Leones mansueti sexaginta. Leopardi mansueti triginta. Belbi, id est, hyænæ, decem. Gladiatorum fiscalium paria mille. Hippopotamus & rhinoceros unus. Archoleontes decem. Camelopardali decem. Onagri viginti. Equi feri quadraginta, & cætera hujusmodi animalia innumera & diversa, quæ omnia Philippus ludis sæcularibus vel dedit, vel occi-*
B *dit.* Atque hæc de ludis sæcularibus invenire potuimus: loco quorum apud nos Christianos Jubileus Romanis Pontificibus excogitatus est, qui quinquagesimo quoque anno Romæ magno ambitu celebratur, & ad cujus solennia ex universo orbe homines commigrant, quod olim in sæcularium apparatu fieri consueverat: tametsi ludis explosis, illorum loco in urbe jam sacra tractentur.

CAP. XXXI.

De Ludis Trojanis.

C TRojani ludi, sive Trojæ ludus, ludicrumque, (omnibus enim his nominibus appellabatur) ab Ascanio Julo Æneæ filio primum omnium in Italiam venerunt, celebrabanturque & ipsi in circo a pueris majoribus & minoribus turmatim congredientibus; quibus qui præsidebat princeps juventutis vocabatur, atque ex numero filiorum primi nominis, senatorum Augustorumve eligebatur: quemadmodum legitur apud Tacitum, Tiberium Cæsarem vivente Augusto patre principem juventutis extitisse: meminit Suetonius in *Dictatore Julio*: *Trojam lusit turma duplex, majorum*
D *minorumque puerorum. Venationes edidit per dies quinque, ac novissime pugna divisi in duas acies quingenis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc inde commissis. Nam quo laxius dimicaretur, sublatæ metæ, inque earum locum bina castra ex adverso constituta erant.* Idem in *Augusto*: *Sed & Trojæ ludum edidit frequentissime magnorum minorumque puerorum delectu, prisci decorique moris existimans claræ stirpis indolem sic innotescere. In hoc ludicro C. Novium Asprenatem, lapsu debilitatum, aureo torque donavit, passusque est ipsum posterosque Torquati ferre cognomi-*
E *na.* Idem in *Tiberio*: *Præsedit & Actiacis ludis, & Trojanis circensibus ductor turbæ puerorum majorum.* Idem in *Claudio*: *Ac supra quadrigarum certamina Trojæ lusum exhibuit, & Aphricanos.* De origine porro, & ceremoniis horum ludorum extat elegans Maronis carmen lib. v. *Æneid.*

At pater Æneas nondum certamine misso,
Custodem ad sese, comitemque impubis Iuli
Epitiden vocat, & fidam sic fatur ad aurem:
Vade age, & Ascanio, si jam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas, & sese ostendat in armis.
Sic ait: ipse omnem longo decedere circo
F *Infusum populum & campos jubet esse patentes.*
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit Trojæque juventus.
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona:
Cornea bina ferunt præfixa hastilia ferro:
Pars leves humero pharetras: it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores: pueri bis seni quemque secuti,
Agmine partito fulgent, paribusque magistris

Una acies juvenum, ducit, &c

Inter quæ subdit:

Postquam omnem læti consessum, oculosque suorum
Lustravere in equis: signum clamore paratis
Epitides longe dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrere pares: atque agmina terni
Diductis solvere choris: rursusque vocati,
Convertere vias, infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus
Adversus spaciis, alternosque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient simulachra sub armis:
Et nunc terga fugæ nudant, nunc spicula vertunt.

Item:

Hunc morem, cursus, atque hæc certamina primus
Ascanius, longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit, & priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes,
Albani docuere suos: hinc maxima porro
Accepit Roma, & patrium servavit honorem,
Trojaque nunc pueri, Trojanum dicitur agmen.

Porro, quemadmodum testatur Maro, ab Ascanio & Albanis hunc ad Romanos ludorum morem venisse. Sic & ad nos ab iisdem pervenit, apud quos eundem in morem certatur in hastiludiis, quos *Torniamenta* corrupta voce, hoc est, *Trojamenta* dicimus. Quippe & hodie ductores suos in his agmina habent, usurpanturque in communi lætitia, ut victoria, nuptiis, adventuque principum. In hoc tamen nostra torniamenta a veteri Trojano ludicro differunt, quod non solum pueri, sed viri, in ludo apud nos certant, neque aperto capite, coronatoque, sed casside tecto pugna initur. Atque hactenus de ludis Romanis olim usitatis pauca hæc juxta seriem literarum retulisse sufficiat; deinde pauca trademus de ludis Septentrionalibus populis familiaribus, atque ita huic quoque libro finem imponemus.

CAP. XXXII.

De Ludis Equestribus Septentrionalium.

VEtus apud Septentrionales Principes ritus semper observatus fuit, qui hodieque ardentissimis exercitiis, & continuis studiis in usu est, ut in publicis conventibus Regum & Principum, aut nobilium, nuptialibus festis, seu bellicis triumphis confectis vel conficiendis, aut natalibus principum diebus celebrandis, certave alia suadente ratione, vel voluptate, fieri soleant diversi generis hastiludia, ac torneamenta: quandoque integris armis bellicis & contis præpilatis. Quod etiam fit causa læsi honoris reintegrandi, aut amplificandi: quandoque sola galea in capite, & thorace in pectore, hastis velitaribus, in gratiam clarissimarum & illustrium virginum, & matronarum: nonnunquam etiam nudo brachio dextro, vel sinistro, ex serico fimbriis circumquaque pendentibus, & expansis: idque ob contentionem nobilium procorum dirimendam. Ob quas & similes causas multipliciter digladiantur, prout voluptate trahuntur, lege militari severissima strenue conservata, ne quis præter decorem & honestatem, alteri postea sive inermi, sive armato congrediatur, aut cadenti membris ruptis insultet, aut fracta cervice necis actionem transferat ad hæredes. Solentque etiam equos & arma, sæpeque auri & argenti non contemnendam summam mediocris nobilitatis aulici in præmium victoris conferre, præsertim quotiens ex provocatione singulare certamen subeundum est.

CAP. XXXIII.

De Hastiludiis nauticis apud eosdem Septentrionales.

EST & aliud nauticum genus torneamentorum, generali spectaculo sæpissime intuendum: in quo scilicet clypeis & hastis muniti naucleri, in puppi navicularum stantes, sociorum remigantium impetuosissimo tractu in se mutuo impingunt: ambo tamen sub umbilico laxato fune ligati, ut cadentes e gurgite, ne illico suffocentur, educi possint: & ubi pariter ceciderint ab utraque puppi, denuoque resumpserint animos, pro instituta priori victoria pertinacius certent. Nec cessant, donec alteri eorum victoria cedat, vel pari casu certamen (composita causa) dissolvant. Causa vero hujusmodi aquatici torneamenti hæc, aut similis esse solet, ut vel exercitii gratia id faciant: vel pœnis navalibus adacti aquis puniantur, qui verbis aut factis insolentius, in aquis excedunt; vel etiam in portubus, sub anchoris; vento navigia retardante, vel etiam in gratiam Principis astantis, ut appareat quam fortes, periti, ac animosi sint nautæ; quamque, si opus fuerit, arte urinatoria valeant. Quare etiam in eo congressu semper audaciores sunt, quibus ars natandi quasi a pueris agnata est, ut necesse non sit uti præsidio funiculi alligati.

CAP. XXXIV.

De Pyrrhichica Septentrionalium.

HAbent præterea Septentrionales Gothi, & Sueci, in exercenda juventute alium ludum, quo inter nudos enses, & infestos gladios, seu frameas, sese exercent saltu: idque quodam gymnastico ritu, & disciplina, ætate successiva a peritis docti, & præsultore sub cantu, quo genere maxime uti solent sub quadragesimale tempus. Ante enim tempus ejusdem quadragesimæ, octo diebus continua saltatione sese adolescentes numerose exercent, elevatis scilicet gladiis, sed vagina reclusis, ad triplicem gyrum. Deinde evaginatis, itidemque elevatis ensibus, postmodum manuatim extensis, modestius gyrando alterutrius cuspidem capulumque receptantes, sese mutato ordine in modum figuræ exagoni subjiciunt: quam rosam dicunt: & illico eam gladios retrahendo, elevandoque resolvunt, ut super uniuscujusque caput quadrata rosa resultet: & tandem vehementissima gladiorum laterali collisione, celerrime retrograda saltatione determinant ludum: quem tibiis, vel cantilenis, aut utrisque simul, primum per graviorem, demum vehementiorem saltum, & ultimo impetuosissimum moderantur. Quæ ratio spectaculi sine oculari inspectione vix apprehenditur, qdam pulchra, honestaque sit, dum unius parcissimo præcepto, etiam armata multitudo quadam alacritate dirigitur ad certamen: eoque ludo clericis sese exercere, & immiscere licet, quia totus deducitur honestissima ratione. Quod autem armati saltent, Strabo de Curetibus Ætoliam habitantibus *lib.* x. affirmat, a quibus etiam armifera saltatio (licet Persis contemptui habita) sit primum introducta. Hique in ipsa pugna invicti habiti sunt & admirationi, dum fortiores cæteris viderentur, fuere, quasi transacta omni in armorum exercitatione vita.

CAP. XXXV.

De circulari exercitatione eorundem.

ALia etiam Juvenum exercitatio est, ut certa lege arcualem choream ducant, atque reducant, aliis quidem instrumentis, sed disciplina ad gladiatorum saltantium disciplinam reducta. Arcubus enim, seu circulis inclusis, primum modesto cantu, heroum gesta referente, vel tibiis, aut tympanis excitati, gyrando incedunt, seque dirigentis (qui rex dicitur) ad solam vocem reducunt: tandemque solutis arcubus aliquantulum celerius properantes, mutua inclinatione conficiunt (veluti alias per gladios) rosam ut formam sexangularem efficere videantur. Utque id festivius, sonorosiusque fiat, tintinnabula, seu æreas campanulas genibus alligant.

Est & alia quædam choreæ, seu ludi species, qua machina quadam lignea homines per aera rotarum more, & impulsu jactantur: vel alio modo agilitate corporum insignes ludunt: ut hastis, circa quas se volvunt, funibus etiam, supra quos reciproci ambulant: item circulis, per quos se more piscium transmittunt: & tabulis, e quibus in aere pendent, uno brachio se sustinentes: hicque ludus Petauristicus appellatur, quod juvenes levioribus saltibus moventur. Quo pacto fere Tacitus memorat nudos iuvenes inter gladios se jactare solitos, minime quæstus, aut mercedis causa, sed solam gloriolam audacis lasciviæ, pretium ponentes sui laboris. Pilarum etiam projectilium, atque fustium impulsu, aliarumque infinitarum specierum ludi, secundum varietatem temporum ibidem currendo, luctando, saltando, pedibusque sursum erectis manibus ambulando, fiunt. Suntque etiam bellicrepæ armorum saltationes, quæ clypeis, ac ensibus, tibicinis moderatione tardius, vel celerius variantur ad saltum.

CAP. XXXVI.

De oppugnationum simulachris Septentrionalium.

MOs est etiam alius Septentrionalium populorum, provida quadam sagacitate adolescentes diversis bellandi exercitiis, & artibus castella impugnandi exercere, & excitare, quibus præsertim tyrocinia sine cæde, & sanguine, ac quovis vitæ periculo hæc aggredi putant voluptuosum: & ob id quotannis hyeme durantibus nivibus, loco aliquo eminenti turmatim a majoribus excitati congrediuntur adolescentes, conformi labore immensas nivium moles comportantes: e quibus propugnacula ad formam castrensium propugnaculorum feriatis saltem diebus solicite fabricant, aqua structuram hujusmodi, fenestris distinctam, continuo aspergentes, ut nix cum aqua taliter congesta, accedente frigore validius induretur. Qua diligentia adeo indurantur, ut non solum leves ictus, sed æreos globos atque impulsum testudinum (si opus esset) possent sustinere. Quibus paratis, adolescentes prædicti in diversas turmas segregati, pars mœnia ingreditur tuenda & propugnanda; pars foris remanet eadem impugnatura. Nec desunt in candidis castris atra, seu fusca vexilla, aut virides juniperorum rubi: sub quibus non pecuniæ, sed solius laudis appetitu, voluptuosum ingrediuntur certamen: quod aliis armis utrobique non committitur, nisi niveis globis in alterutrum manibus projectis. Statuta enim pœna est nudi corporis in gelidam aquam immergendi, ne quis globis hujusmodi nivalibus saxum, ferrum, lignum, aut glaciem projecturus involvat. Sunt præterea inter oppugnantes, qui more cuniculorum inferiores nivium bases perforant, ac ingrediuntur, ut propugnaculi defensores dejiciant a stationibus suis. Nec segnior intercedit mora, qua pugnis certatur cominus, donec vexillo rapto pars victa succumbat, alio tempore restaurato prælio contra partem victricem in eisdem castellis (si poterit) triumphatura. Adeoque magnis animis ludos hujusmodi committunt, quasi pro patria, pro legibus, pro focis (ut dicitur) & aris, publico spectaculo in agone certarent. Profugos vero & meticulosos pugnam excedentes, nivibus dorso tenus inter cutem vestemque immissis, ubi deprehensi fuerint, insolentibus verbis ac vocibus punitos absolvunt, ut alias fortius reversuri persistant, & acrius defendant castra. Quosdam aquis congelatis, in caput & collum tempore intentissimi frigoris guttatim dimissis, castigant.

CAP. XXXVII.

De certamine equestri glaciali Septentrionalium.

NEc hæc tantum apud veteres Gothos olim in usu erant, sed etiam brumali tempore ad finem mensis Decembris, (dum nivibus & frigore lacus, stagna, atque terræ omnes validissimaque glacie constringerentur) optimos quosque equos, formaque elegantiores in singulis provinciis ad edenda publica spectacula colligere: duabus potissimum de caussis solent. Prima, ut quem, vel quos celeriore cursu reliquis omnibus præcellere discernerent, hunc sacrificio numinum, velut munus pretiosum, ad aram mactandum, comburendumque fideliter repræsentarent: opinantes eo dono cunctis hostibus sese fore superiores, quo sacrificandi integritatem exsolverent puriorem, prout Herodotus *lib.* I. tradit de Massagetis, & Strabo *lib.* X. de Aboriginibus Massagetis, qui Solem Deum putant, & eidem equum mactant. Altera ratio erat, ut regi, ac principi, vel ejus nuntiis velocissimos equos offerrent, quibus hostiles motus, ubicunque in regno, vel limitibus imminerent, opera cursorum exploratos, averterent armis: major tamen respectus tunc habebatur, quam nunc habetur ad equos fortiores, quam celeriores: licet utraque virtus inesse debeat illis, propter graves lanceas, seu contos, ac armorum exuvias densiores, quibus nunc utuntur. Nec desunt hodieque omni momento velocissimi equi, atque equites, qui portubus regni, quotiescunque opus fuerit, obversentur. Quantum vero ad voluptuosa spectacula attinet, die 26. Decembris super stagna, ac flumina congelata, instar speculi micantia, infiniti terrarum incolæ in qualibet provincia (distinctis licet communitatibus) pro bravio ac gloria in agilioribus equis certaturi congrediuntur. Terminus vero, seu meta cursus hujusmodi, longitudinem quatuor aut sex milliarium continet Italicorum. Bravium autem aliquot mensuræ, seu modii annonæ seminandæ, & nova vestimenta opponuntur, & denique, ut equus metam non attingens victori cedat. Verum hæc spectacula nullibi frequentius in toto Septentrione super glaciem, quam apud Ostrogothos, ac Vestrogothos committuntur. Abundat enim terra eorum uberrimis pascuis, ad multa millia electissimis herbis naturaliter convenientibus equis enutrienda, licet valde spatiosis & dispersis campis, & non uno prato: quale Strabo *lib.* X. fol. penult. in Armenia allegat, atque dicit, in eo pasci quinquaginta millia equorum, quæ armenta regia sunt. Præterea *lib.* XVI. asserit Philippum Macedonem, atque ejus

filium Alexandrum circa Laodiceam in pascuis habuisse equas supra triginta millia: quarum emissarii erant trecenti: in quo etiam loco erant equorum domitores, & bellici ludimagistri conducti, ac quicunque rei militaris erant periti.

C A P. XXXVIII.

De certamine pedestri in glacie & nivibus Septentrionalium.

EST & sylvestre seu Lapponicum genus currendi, quod pandis trabibus, sive longis stipitibus plantis pedum affixis, supra nives in vallibus, ac montibus flexuoso, ac arbitrario motu cursum præcipitem dirigendo se transfert: idque perfectissima arte facit, sive adversis casibus congrediendum sit, sive venationibus voluptuosis, quarum quæstu vivunt, & fortunas assequuntur uberiores, sive bravii aut gloriæ causa hoc ipsum sit attentandum. Hocque genus præcipuum inter Soricfinnos est; qui homines talem, tamque celerem in percurrendis cacuminibus nivosorum montium, etiam pro bravio, habent agilitatem, ad qualem vix reliqui planioribus aut brevioribus instrumentis innixi, in plana & lubrica glacie pervenire valent. Quinimmo qui nives calcant, & constitutam metam attingunt, feram occurrentem sagittis occidunt. Qui vero servat glacialem cursum, vix ab hiatibus subtus latentibus est securus, prout infra de glacialibus bellis dicetur. Est item alius modus, quo ferro plano & polito, sive planis ossibus cervinis, vel bovinis, scilicet tibiis naturalem lubricitatem ob innatam pinguedinem habentibus, pedali longitudine sub plantis affixis, in sola glacie lubrica cursum intendant velocissimum, quemque in glaciali æqualitate semper currendo continuant. In quo etiam genere ubique reperiuntur homines vo-

A luptuose pro bravio cursitantes; quorum meta super congelatos lacus, spatio 8. vel 12. milliarium Italicorum ab utrisque partibus est constituta: bravia vero sunt cochlearia argentea, amphoræ æreæ, gladii & novæ vestes, ac equi: sed hi frequentius. Cæterosque fere bravio potituri currendo præveniunt, qui cervinas tibias late limatas plantis affigunt, porcina axungia perunctas, quia gelidis aquæ guttis velut per poros glaciei vehementi frigore insurgentibus, tibiæ sic unctæ impediri, aut constringi non possunt, sicuti ferrum, quantumcunque politum, aut unctum. Nulla enim unctio utilior est, quam ossium tibiarum cervinarum, aut taurinarum, connaturalem habentium lubricita-
B tem. Eoque modo quotiescumque glacies clara fuerit, ac nivibus discooperta, duosque vel tres digitos spissa, hujusmodi spectacula facilius securiusque exercentur. Sed alias nequaquam, quia nunquam periculosior, mortique vicinior casus est, quam cursum intendere, dum glacies tenuissima nive est cooperta. Amnes etenim, seu rivuli tacita celeritate e littoribus lacuum intrantes, corrosione, & motu continuo faciunt, ne glacies inspissari, solidarique possit. Ergo sæpe contingit temerarios cursores, glacierum naturam ignorantes, vel contemnentes, audacius quam cautius accurrere, glacieque confracta corpore deorsum atque capite sursum, acumine glaciei velut securi amputato, simul duabus mortibus perire. Quo ta-
C men periculo, vel simili, raro pereunt indigenæ, sed peregrini terrarum exploratores: qui dum celerius proditionibus perficiendis compendioso itinere inserviunt, subita glacierum dolositate, ac fragilitate absumuntur, documento cæteris relicto, quam justo naturæ piaculo sæpissime pereant, qui contra naturæ ordinem odiis, ac occisionibus procurandis insistunt.

F I N I S.

JOANNIS MEURSII
DE
FUNERE
LIBER SINGULARIS.
IN QUO
GRÆCI ET ROMANI RITUS.

ILLUSTRISSIMIS AMPLISSIMISQUE

ORDINIBUS

PROVINCIÆ ULTRAJECTINÆ

JOANNES MEURSIUS

DEDICO.



Onsideranti mihi mortalium conditionem, Illustr. & Ampliss. Ordines, admirari sæpenumero libet, cur qui in magna quandoque ac lauta familia nati, tam parvam omnino studiorum habeant rationem, præsertim si ad natalium benignitatem ingenii quoque præstantia accedat. Destituunt Fortunam, ac Naturam; paucique adeo existunt, qui ostendendum putent, quid in magna fortuna & ingenio magna item possit industria. Nimiæ Opes, & huic cognata Ignavia, voluntatem discendi omnem excutiunt. Indigna res, & iræ profecto divinæ obnoxia. Et hi quidem mox rebus admoti efficiunt ut honoris minus studiis sit, & aliorum quoque animos ista re avertunt: quod quid aliud est, quam quodam quasi Domitiani edicto bonas Artes in exilium mittere, Barbariem advocare, quam tamen profligatam totius humani generis interesse viri ab omni ævo maximi existimarunt. Olim ex Imperatoribus quidam regem Galliarum exhortans, ut regni sui heredes liberos disciplina instrui honesta liberaliter curaret, addebat: sciret, *Regem illiteratum esse asinum coronatum*. Egregia vox, & plane regia. Et quid jam nobiles censeamus? Imperatoris hujus verbis: *Asinos bene natos*. Egregiam vero laudem! Sed mehercule nunquid hi sunt dehonestamenta nobilitatis suæ, & patriæ, ad quam illustrandam Deus illos & Natura supra cæteros obligarunt? Cui non sano bilem hæc res moveat? Litteras tractare probrum censent: exsensi Cecropidæ! Sed imagines posse majorum numerare, hoc vero pro quavis Doctrina. Cætera Doctrinæ nulla æstimatio est, ut neque doctorum. At plane aliter viri nobiles, ævo vetere. Scipio Africanus nunquam discedere a latere suo Ennium passus est, hortos ei suis proximos largitus, statuamque defuncti sepulcro imponi suo voluit. Cn. Pompejus domum Possidonii ingressurus, fores percutere lictorem vetuit, fascesque suos januæ Philosophi submisit is, cui se Oriens totus, Occidensque. Quid autem viros tantum nobiles refero? Reges, Imperatores citabo. Macedoniæ rex Philippus, cum filio auctus esset Alexandro, gratulari sibi magnopere dixit, quod in Aristotelis tempora natalis ejus incidisset, a quo erudiri posset. In eadem Macedonia Archelaus summis honoribus Euripidem affecit. Phalaris Agrigentinus, etsi Tyrannus, templum tamen Stesichoro mortuo ædificandum curavit, divinosque illi honores in urbe patria decrevit. Julius, ille Cæsarum primus & maximus, omnes liberalium Artium doctores, qui Romæ essent, civitate donavit. Atque is honos extero summus neque ullo pretio æstimandus. Dionem Prusiæum curru plerumque suo dignatus est Trajanus, etiam Romam ingressus cum triumpho. Vespasianus Græcis Latinisque Rhetoribus annua centena constituit; id est quinque mille florenos.

Medicis quingena data, id eſt, florenorum viginti quinque millia s Adeoque Conſtantius Eumenio ſexcenta largitus eſt, ea ſunt triginta millia. Tam ubere ſalario viros doctos præſtantiſſimi Imperatores cohoneſtatos voluerunt ad oſtendendam doctrinæ dignitatem. Quid ad hæc genus Cecropis? Ergo vilior illis eſſe debet, quam maximi Imperatorum tantis ſibi præmiis eſſe ornandam arbitrati ſunt? Non otioſi, inquient, omnes ſumus: Martem quoque tractamus, & vel ſic patriæ nos noſtræ mancipamus. Profecto,

— *titulo res digna ſepulcri!*

Et laudem omnino meretur, fatendum eſt. Sed hoc quoque ſcire debent, felicius eum armis uti, qui ſcientia ſit imbutus. Atque audiant Alphonſum regem. Ille olim interrogatus, *quid ita erga Literas eſset adfectus: armorum ſe ex his & jura & modum didiciſse* reſpondit. Nulla ætas majus aliquid in bellis vidit C. Julio Cæſare: hic tamen armorum laudem literarum cognitione æquavit. Neſcias utrum Imperator major an Philoſophus Xenophon fuerit. Alexander Magnus ſine Homeri *Iliade* ſomnum nunquam capeſſebat, Scipio ſine Xenophontis libris, Alphonſus ſine *Commentariis* Cæſaris, Carolus Quintus ſine *Hiſtoria* Cominæi. In Coriolano, & Mario, in Hannibale & Jugurtha, ad ſummum militaris laudis faſtigium præter unam Doctrinam nihil defuiſſe etiam Veteres judicarunt. Quam ſi habuiſſent, profecto non tantum illuſtrium virtutum effreni ferocioris animi impotentia corrupiſſent. Et nonne Palladem armatam finxit Antiquitas? atque id ſola hac de cauſſa. Inſpiciamus penitus. Quis adeo ſine fronte ulla, aut mente, qui vel negare auſit, vel non intelligat, quantum momenti ad res feliciter ac præclare gerendas habeat? Hæc judicium format, hæc animum firmat, hæc conſilium addit: ſpem ſæpe cum acie profligatam reſtaurat, & fortunam adeo ipſam corrigit, dat victoriam. Uno verbo, quædam quaſi bellantum Tutela eſt. Vos vero rem memoria dignam facitis, qui inter tantas bellorum circumſtrepentium turbas, tantam negotiorum publicorum molem, ſtudiorum quoque curam fovetis, erecto illo veſtro ad D. Paulum Collegio, quod quomodo aliter appellare fas eſt, quam aliquod Muſarum prytaneum. Macti iſta virtute! Ivit procul dubio ad exteros ea fama, & magis jam vos hoſtes timent, quibus tantum a graviſſimis curis animi ſupereſſe cognoſcunt. Herculem prudens Antiquitas Muſageten conſtituit, & neceſſario, cauſaque evidenti. Succedunt illi, qui arma tenent cum imperio. Vos in Fœderatis Provinciis alacres pro parte veſtra: qua re doctorum ſtudioſorumque omnium ſtudia obſtrinxiſtis. Certe mea: idque adeo, ut niſi nomen profiterer, perpetuo me ingratitudinis convitio verberandum tacite exiſtimarem. Huc illud accedit, quod veſter ego ſum origine, atque conceptione, ac principia nativitatis meæ ſub veſtro aere hauſi, in veſtro ſolo, veſtra Urbe. Accipite cauſam, & cum ea quicquid hoc eſt libri, quod ſub veſtro nomine in æde Muſarum conſecratum volui. Valete Illuſtriſſimi Ampliſſimique Ordines. Deum Opt. Max. rogo, ut veſtris in communem ſalutem conſiliis benedicat. Hagæ-Comitis poſtrid. Id. Sextil. cIↄ. Iↄ. c. IV.

AD LECTOREM.



Amus tibi de FUNERE, *mi Lector*, & PUERPERIO. *Promissum illud quidem ante hos viginti amplius annos viris magnis, sed hoc tandem dubitandum non est, quin aliæ eos occupationes distraxerint. Carere autem diutius hoc Tractatu studiosam literarum Juventutem nolui, cujus intererat semel scire, & sub una serie perdiscere, quicquid olim in Funere. Sunt qui sparsim quædam ex his delibarint, & per partes. Alii, qui universim pertractare voluerunt, adeo curiosi fuerunt, ut Barbaras quoque gentes advocarint, & omnia sine ordine ullo congesserint. Nobis præter Græcos & Romanos citare consilium non fuit. Non pauca vero post alios primi proferimus: quædam etiam aliter capienda, quam hactenus accepta a doctis ostendimus. Sed prædicare hic operam non est nostrum. Adjunximus* DE PUERPERIO, *breve Syntagma*, (quod habes in hoc *Thes. Antiq. Græc.* Vol. VIII. col. 1417.) *ut quæ in exordio vitæ humanæ, item quæ in exodio fieri solita repræsentaremus, etsi ordine commutato. Tu utroque utere, fruere, mi Lector, cum benivola memoria Auctoris. Vale, & quisquis es*

ÆTERNITATEM COGITA.

AD CL. V.

D. JOANNEM MEURSIUM

Cum vulgaret FUNUS.

NÆnia forte placet MEURSI præ carmine legum,
Et præ luce fori funus in Exquiliis.
Ut splendore Tribunalis, tituloque procaci
Consulti spreto & ambitione procul,
Designator ames cinctus lictoribus atris
In pompa partes didere funerea.
Thesaurum Libitinæ orcinum promere priscæ,
Et Latii oblitas funeris exequias.
Non tam fœmineo quid plangat præfica lessr,
Aut unctum, ut condat vespa cadaver humo:
Quam quibus ingenuam exemplis accendere pubem
Curarint Pulcri & Laudis amore Patres.
Cui non defigant spectacula dulcia pectus?
Quis pare proposito nolit honore mori?
Qui spectet longo spirantes agmine vultus,
Fascibus, & nota quemque toga & titulo:
Curribus excelsos veneranda incedere pompa,
Aut medio in Tyriis stare foro thalamis.
Audiat & privas cujusque ab origine laudes,
Et fremitum plebis, atque patrum fremitum.
Plus etenim spes in generoso pectore laudis
Quam legum pollet suppliciique metus.
Et præsens non parva quidem, sed posthuma nata est
Menti incentiva subdere mira bonæ.
Ergo dum nota MEURSI hæc & talia cura
Eris e veterum semisepulta libris.
Devincis vivosque tibi, manesque sepultos,
Atque pio juvenes officio, atque senes.
Subjicis his calcar vitæ his solamen honestæ,
Spesque suas vivis præmiaque exanimis.

JACOBUS GRUTERUS.

IN EJUSDEM

DE

FUNERE, ET PUERPERIO.

UNa papyrus habet supremaque primaque rerum,
Naturæ fines continet iste labor,
Lucinæ pia sacra docet tibi nata recenter
Pagina: non fœtus dulcior ille fuit
Funera tu recitas, MEURSI, qua nulla libellis
Opto tuis veniant, nec nisi sera tibi.
Cernimus hic cunas atque addita nomina fatis.
Et bene sollicitos in duo vota patres.
Cum fletu tamen ille rudi ventura fatetur,
Et non visa prius respicit astra puer.
En tumulos, en busta virum, luctusque superbos,
Quorum se pretiis excitat ipse dolor.
Hinc alias iterum lacrymas miserabilis urna
Quas bibat, & celso raptus ab igne cinis.
In laudes vagire tuas tener incipit infans.
Quis scit an & Manes hic quoque tangat honos?
Omnes crede tibi populos, tibi dicere Mundum:
QUI SUNT, QUI NON SUNT, TU FACIS ESSE TUOS.

HUGO GROTIUS.

INDEX CAPITUM.

INDEX CAPITUM.

JOANNIS MEURSII
DE
FUNERE
LIBER SINGULARIS.
IN QUO
GRÆCI ET ROMANI RITUS.

Cap. I.

Mortis vocabula, & gradus: quodnam genus miserrimum. Fame interficere ne Judici quidem fas. Naturalis Apollini & Dianæ imputata. Rhamnus & laurus foribus affixæ, pro deprecatione, ἀντίδοτοι. Immatura mors Gelloni imputata. Mortis ara unica, & ubi.



EXITÆ ætati, ut Veteres loquebantur, proxima mors est, vitæ mortalium quædam quasi corona. Funeri, de quo dicere statui, bono jure præmittam, quippe istius caussam, &, ut ita dicam, matrem. Antiquis illis non uno nomine appellata fuit: *Abitio, Fera, Letum, Nex, Somnus*. Prima & ultima appellatio ab δυσφημίᾳ profectæ: nam omnino a mortis nomine abhorrebant. Festus. *Abitionem Antiqui dicebant mortem. lib.* II. *epist.* I. *Et ille quidem plenus annis abiit, plenus honoribus, illis etiam quos recusavit.* Pedo in *Elegia de morte Drusi*:

> *——victoria parta est,*
> *Auctor abit operis, sed tamen extat opus.*

Ausonius in *Epicedio Patris*:

> *Numine adorato vitæ abitum petere.*

Chion in *epistola ad Platonem*: Μετὰ Παιᾶνος αὖ καὶ νικητηρίων ἀπολείποιμι τὸν βίον, εἰ καταλύσας τὸν τυραννίδα ἐξ ἀνθρώπων ἀπελεύσομαι. Vetus Inscriptio:

RECESSIT SVB
VIIII. KAL. AVGVSTAS
P. C. LAMPADI. ET
ORESTIS. VV. CC. IND. VIIII.

A

Sic *Ire* simpliciter. Propertius:

> *—— non oculos quisquam inclinavit euntis.*

Eodem modo οἴχεσθαι, & οἰχόμενοι apud Græcos. Sed etiam FUIT dicebant. Pedo:

> *Jamne meus non est? nec me facit ipse parentem?*
> *Jamne fui Drusi mater? & ipse* FUIT?

Tibullus *l.* III. *eleg.* IV.

> *Vivite felices, memores & vivite nostri*
> *Sive erimus, seu nos fata* FUISSE *velint.*

Item VIXIT. Seneca *epist.* XII. *Pacuvius, qui Syriam usu suam fecit, cum vino & funereis illis epulis se sepelisset, quasi sibi parentaverit, sic in cubiculum ferebatur a cœna, ut inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur, βεβίωκε, βεβίωκε.* Etiam

B

κέκμηκε. Phurnutus: Κεκμηκέναι λέγομεν τοὺς τετελευτηκότας. Hinc καμόντες pro mortuis passim apud Poetas Græcos.

Atque hæc omnia, ut dixi, κατ' δυσφημίαν: qui detestabantur, *Feram* nominabant; hinc *Feralia*, quæcunque ad mortuos vel manes pertinebant. *Ferales* cyparissi apud Ovidium, *Feralia* officia apud Apulejum, *Ferale* epulum, *Ferales* reliquiæ apud Plinium, & Tacitum. Omnium maxime vulgare atque tritum *Leti* nomen erat; & præco cum funus indiceret, clamabat: OLUS LETO DATUS

C

EST. Jam *Necem* dicebant, cum fame quis, aut veneno interfectus. Festus: *Neci datus proprie dicitur, qui sine vulnere interfectus est, ut veneno, aut fame.* Ultimum, & placidissimum nomen, *Somnus*. Callimachus *Epigramm.* XIV.

> *Patre Dicone Saon sacrum Acanthius hic modo somnum*
> *Carpit; ——*

Et *Epigramm.* XXI.

> *—— at illam*
> *Iste sopor, cunctos qui manet, arripuit.*

Moschus *Idyllio* III.

Infinita gravi premimur per sæcula somno.

Orpheus in *Argonauticis*:

Dormis Agniade dulci percusse sopore.

Vetus Inscriptio:

SOMNO. ÆTERNA
LI. VLPIÆ. EVTERPE
MATRI. DVLCISSIM
VLPIA. PAVLINA
FEC.

Sic Æschylo in *Eumenidibus* mortui ἄϋπνοι dicantur: & Lycophron noster sepulcrum ἀυπνήσιον vocavit. Id vero inde profectum, quia dormientibus mortui similes, unde & mortis fratrem somnum esse dixerunt. Athenagoras *de Resurrectione Mortuorum*: *Quamobrem, opinor, nonnulli fratrem mortis somnum appellant, non tanquam iisdem parentibus natos, sed quia eodem modo affecti sint mortui & dormientes.* Mortis vero tres gradus statuebant, Fatum, Casum, Genituram. Epicurei hominem fato mori dicebant, Stoici casu, Pythagorici genitura. Vide Acronem veterem Horatii Interpretem. Fatalem vero mortem, ut hoc obiter addam, obire neminem censebant, nisi recedente æstu maris. Plinius *l.* II. c. XCVIII. *Aristoteles nullum animal nisi æstu recedente exspirare affirmat. Observatum id multum in Gallico Oceano, & duntaxat in homine compertum.* Miserrimum mortis genus censebant fame perire. Homerus *Odyss.* μ'.

Mos quævis invisa venit mortalibus ægris.
Sed magis illa fame miseros quæ sueta necare.

Vel naufragio quoque. Vegetius *l.* IV. c. XLIV. *Alii ferro interimuntur, alii ardere coguntur in fluctibus; inter tanta tamen mortium genera, qui acerrimus casus est, absumenda piscibus insepulta sunt corpora.* Ovid. *Trist. l.* I. eleg. II.

Demite naufragium, mors mihi munus erit,
Est aliquid fatoque suo ferroque cadentem
In solita moriens ponere corpus humo,
Et mandare suis aliqua, & sperare sepulcrum,
Et non æquoreis piscibus esse cibum.

Certe ad famem quod attinet, impium olim etiam judicibus existimatum fuit, illa quenquam necare. Itaque damnatis, ne hoc facere viderentur, cibi semper aliquid apponi jubebant. Clarum exemplum est apud Sophoclem in *Antigone*:

CH. *Sed fata quæ illi, quod paras mortis genus?*
CR. *Deserta tristem semitam monstrat via,*
Huc ducam, & atro concavi saxi specu
Vivam sepeliam, paullulum donans cibi,
Ne scelere tota polluatur civitas.

Triclinius: *Antiquus mos erat, quos e medio sublatos vellent, devovere, & cibi illis pauxillum apponere, hoc modo expiare se credentes. Hoc autem faciebant, ne fame interficere viderentur, quod impium censebatur.* Naturalem mortem & sponte obvenientem imputabant Apollini & Dianæ. Strabo *l.* XIV. *Apollini & Dianæ mortes sponte accidentes imputant.*

Sane hac de caussa Veteres in gravissimis ac desperatis jam morbis, cum rhamno etiam lauri ramum supra januam ponebant, tanquam deprecantes rogantesque Apollinem, vellet parcere istis ædibus, quas tutari videret amatam sibi tantopere Daphnen. Vestigium hujus moris extat apud Diog. Laertium in *Vita Bionis* Boristhenitæ, *l.* IV.

Ράμνον τε καὶ κλάδον δάφνης
Ὑπὲρ θύρην ἔθηκεν.
Ἅπαντα μᾶλλον ἢ θανεῖν
Ἑτοῖμος ὢν ὑπουργεῖν.

A Et hos ramos αὐτήνας vocabant. Etymologici Auctor: αὐτήνας τὰς τῆς δάφνης ὀρπηκας, πρὸ τῶν θυρῶν ἱσαμένας. Romani quoque faciebant. Statius *Sylv.* V. ubi de Abascanto nihil non faciente pro uxore Priscilla graviter decumbente:

Ille modo infernæ nequicquam flumina Lethes
Incorrupta rogat. Nunc anxius omnibus aris
Illacrymat, signatque fores ——

Et clare Juvenalis *sat.* XII.

—— *Laribusque paternis*
Tura dabo, atque omnes violæ jactabo colores,
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos.

B Apposite pro reditu peregrinantis navi, & tres tantum digitos, secundum Philosophi dictum, immo vulgi etiam opinionem, a morte sua abse ntis. Immaturam vero mortem Gelloni tribuebant Lesbii. Lucillius Tharræus: *Gello virgo quædam erat, quæ quoniam immatura morte obiit, dicunt Lesbii spectrum ejus pueros territare, illorumque mortem huic imputant.* Hoc autem observatione omnino dignum: cum omnibus diis & aræ suæ fuerint, & templa, soli Morti, utpote implacabili, nusquam aliquid erectum, præter unam aram in extremis Gadibus, ut memorat Eustathius IX. & *ad Dionysii* περιήγησιν.

C

CAP. II.

Mercurii nomen morientes invocabant, & supremum illi poculum libabant. Annuli iis detracti. Crinem tonderi a Proserpina crediti, & in mortuales tabulas referri: sensum habere etiam post mortem putati: & nefas illi convitiari. Quomodo item mentio eorum facta.

Ignosce mihi, Lector, si de funere pollicitus a vivis adhuc incipio. Nam ut Veteres illi ignorabant, dieine an nocti crepusculum annu- D merare deberent; ita ego quoque, utrum inter vivos reponere, an vero mortuos, illos qui moribundi, & tantum non extremum spiritum exhalarunt. Statuam tamen mortuis pares, a quibus, ut ut sit, distare certe non multum solent. Atque hi quidem Mercurii numen invocabant, quippe quem animas ad inferos deducere credebant: itaque supremo sumpto poculo, priusquam biberent, defundebant aliquid instar ἀπαρχῶν. Extat ejus consuetudinis monimentum apud Valer. Maximum *l.* II. c. VI. ubi historiam narrat matronæ veneni supremi poculum bibituræ: *Poculum, in quo* E *venenum temperatum erat, constanti dextera arripuit. Tum defusis Mercurio delibamentis, & invocato numine ejus, ut se placido itinere in meliorem sedis infernæ deduceret partem, cupido haustu mortiferam traxit potionem.* Annulum vero illis aliqui propinquorum digito detrahebant. Plin. *l.* XXXIII. c. I. *Morientibus annuli detrahuntur, majorque vitæ ratio circa hoc instrumentum esse cœpit.* Et videmus apud Suetonium, *Tiberio*, c. LXXIII. *Nonnulli pulvinum injectum (tradunt) cum extractum sibi deficienti annulum mox resipiscens requisisset.* Alexander apud Curtium *l.* X. ipse sibi detrahit, quod noli credere factum esse præter morem, aut F superstitionem: *Detractum annulum digito Perdiccæ tradidit, adjectis mandatis, ut corpus suum ad Hammonem ferri juberet.* Morientibus crinem detondere Proserpina credebatur. Virgil. *Æneid.* IV.

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioq; caput damnaverat Orco.

Euripides *Alceſtide*:

Nam consecratus inferis ille est diis,
Cervice cujus ensis hic metet comam.

Atque hoc pertractavit olim Macrobius *lib.* V. *cap.*

A *cap.* XIX. Mortuos vero eadem dea in tabulas mortuales suas referre existimabatur, quas ad postem suspensas adservabat. Hinc intelligendus Papinius *lib.* VIII.

Nec dum illum aut trunca lustraverat obvia taxo
Eumenis, aut furvo Proserpina poste notarat,
Cœtibus assumptum functis. ——

Illud demum coronidis loco addam, quod sensum quoque superesse jam mortuis putaverint, non vulgus modo, sed & philosophi homines. Seneca
B *de Remed. Fortuit. Si nihil sentio, omnis sepultura tormentum est.* Plato in *Epistola ad Dionysium: Conjicio aliquem mortuis sensum esse eorum quæ hic fiunt, optimæ enim animæ vaticinantur hæc ita habere, pessimæ vero negant.* Sed explodit hanc sententiam, & merito, Plinius *l.* VII. *c.* LV. Convitiari porro illis inhonestum censebatur. Suidas: *Mos erat apud Veteres vita functis non convitiari.* Atque id lege lata caverat Solon. Auctor Plutarchus in *Vita ejus.* Quin immo, si facienda mentio esset, testabantur se nolle inquietare memoriam eorum. Plinius *l.* XXVIII. *c.* II. *Cur ad mentionem defunctorum testamur memoriam eorum a nobis*
C *non sollicitari?*

CAP. III.

Extremus spiritus a proximis excipi solitus; & oculi decenter condi. Suggillare. *Lex Mænia. Osculum quoque datum, & membra reliqua correcta.*

UNum est, quod omisi, adhuc morientibus fieri solitum: sed decore tamen & hic incipiam, ubi Veteribus etiam funeris faciendi quoddam quasi principium, ritu, quem sine flagitio
D non omittam, cum pietatis plenus sit. Ille vero talis. Volebant parentes, vel genere proximi, expirantem deosculari; quasi excepturi ore fugientem animam. Apud Virgilium *Æneid.* IV. Anna in funere Didonis sororis:

—— *extremo si quis super halitus errat*
Ore legam. ——

Quo loco Donatus: *Hunc charissimi colligere se posse arbitrantur, etsi teneri non possit.* Manilius *l.* V.

Pernoctesque patres cupiant extrema suorum
Oscula, & in proprias animam transferre medullas.

Cicero *in Verrem: filiorum suorum extremum spiri-*
E *tum ore excipere liceret.* Pedo *de morte Drusi:*

At miseranda parens suprema neque oscula fixit,
Frigida nec fovit membra tepente sinu.
Non animam opposito fugientem excepit hiatu,
Nec traxit cæcas per tua membra comas.

Quintilianus *Declam.* VI. *Non morienti pater assedi, non ægri caput molliori sede composui, non fatigatum latus mutavi, non spiritum excepi.* Hinc intelligendus quoque Papinius *Sylv.* V. de Priscilla moriente:

—— *sociosque amplectitur artus,*
Hærentemque animam non segnis in ora mariti
Transtulit. ——

F At cum mortui essent, & ultimum jam spiritum excepissent, condebant oculos & labra decenter, si dolor ea forte diduxisset. Propertius:

At mihi non oculos quisquam inclinavit euntis,
Condita sunt nostra lumina vestra manu.

Homerus *Odyss.* XXIV.

Non pulcre dotata & prudens Penelopea
Rite suum, ut decuit, potuit componere Ulyssem,
Suggillans oculos: functis honor ille supremus.

Virgilius *Æneid.* IX.

—— *nec te tua funera mater*
Produxi, pressive oculos. ——

Valerius Max. *l.* II. *c.* VI. *Filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum officium advocavit.* Val. Flaccus *lib.* III.

—— *sera componunt lumina dextra.*

Et hoc *Suggillare* proprie dicebant, quasi *Subcillare*, id est, sub cillis vel palpebris oculos recondere. Romanis interdictum lege Mænia fuit, ne interdiu id facerent. Varro *Geminis: Lex Mænia est impietati, ne filii patribus luci claro suggillent oculos.* Osculum quoque addebant. Pedo.

At miseranda parens suprema neque oscula fixit.

Seneca *Consolat. ad Martiam*, cap. III. *Non licuerat matri, ut filii oscula, gratumque extremi sermonem oris hauriret.* Inde corrigebant membra dolore mortis attracta, & curabant ut ἀσχημόνως jacerent. Eurip. *Hippol. Coron.*

NUNT. *Miserum cadaver dirigite, & extendite:*
Officia dominis tristia infelicibus.
CHOR. *Infelix illa perdita est leto gravi,*
Extenditur nunc instar ad cadaveris.

CAP. IV.

Lavari, ungi, coronari, & vestiri splendide soliti. Labra huic usui in quibusdam templis. Alexandrinorum mos, & Smyrnæorum. Ερωτες. *Cur coronati. Vestimenta funebria a quibus texta: cujus coloris, & qualia. Occisorum capita velabantur.*

DEinde lavabant, ungebant, splendide vestiebant, & coronabant. Lucianus *de Luctu: Posthæc totos eos quasi infernalis palus lavandis ibi degentibus non sufficeret, & unguentis optimis delibuto corpore, devicta jam graveolentia, pulcherrimisque floribus coronatos proponunt splendide vestitos.* Homerus *Iliad.* XXIV.

Quem postquam famulæ lavere unxereque multum,
Supremum addiderunt pretiosæ vestis honorem.

Lautionis quoque meminit Aristides in *Oratione contra criminantes;* & Euripides *Hecuba:*

Tu vero ahenum famula sumens cærulo
Mergas profundo, & huc mihi: fas ultimis
Thetidis marinæ fluctibus sponsam meam
Sponso carentem, & virginem nevirginem
Abluere. ——

Nonnullæ urbes labra in templis habebant, huic usui destinata. Asconius docet *in Divinat. Alii delubra dicunt ea templa, in quibus sunt labra abluendorum corporum mortuorum, ut Dodonæi Jovis, aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodesque visuntur.* Et imitati quoque, ut cætera, Romani sunt. Ennius:

Exin Tarquinium bona fœmina lavit, & unxit.

Virgilius *Æneid.* VI.

Pars calidos latices, & ahena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis, & ungunt.

Caussam vide apud Plinium in *Hist. Nat.* Martialis *l.* III. *epigr.* XII.

Qui non cœnat & ungitur, Fabulle,
Hic vere mihi mortuus videtur.

Apulejus *Florid.* IV. *Jam cœnæ paratum contemplatus.* Juvenalis *sat.* IV.

Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera.

Medio ævo Alexandrini hoc faciebant sacerdotibus & patriarchis solis. Balsamon in *Re-*

A *sponsis*: ἀρχαῖον ἔθος εἰς τὴν τῶν Ἀλεξανδρέων ἐκράτησε χώραν, τοὺς τελευτῶντας ἱερεῖς καὶ ἀρχιερεῖς δι' ἁγίου μύρου χρίεσθαι, καὶ ἐνταφιάζεσθαι. Arnob. *lib.* V. & alii Scriptores non pauci. Dixi vero etiam coronari solitos. Euripidis Scholiastes *Phœnissis*, εἰώθασι στέφειν τοὺς νεκρούς. Statius *Thebaid.* IV.

—— defl·t jamque omnis ephebum
Turba, coronato contenta est funere mater.

Minutius Felix in *Octavio*: *Nec mortuos coronamus. Ego vos magis in hoc miror, quemadmodum tribuatis exanimi ut sentienti facem, aut non sentienti coronam: cum & beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus.* Aristophanes *Concionantibus*:

B Οὐ χοῦ καταλιποῦσ' ἀπέρει προκείμενον,
Μονονουχὶ στεφανώσασ', οὔτ' ἐπιθεῖσα λήκυθον.

Smyrnæi honoratioribus auream coronam imponebant. Cicero *pro L. Flacco*: *Possem recitare psephismata Smyrnæorum, quæ fecerunt in Castricium mortuum; ptimum, ut oppidum introferretur, quod aliis non conceditur; deinde, ut ferrent ephebi: postremo, ut imponeretur aurea corona mortuo.* Et vocabantur hæ coronæ ἔρωτες. Etymologici Auctor. ἔρως, *corona ex omnis generis floribus, quæ mortuis imponenda vendebatur.* Ratio hujus rei apud Clementem *Pædag.* lib. II. cap. VIII. C *Tranquillæ securitatis symbolum est corona: ideo etiam mortuos coronant.* Sed Suidas *in* μελιττοῦτα auctor est, datam fuisse coronam, tanquam qui vitæ agonem absolvissent: *Placenta dabatur tanquam pro Cerbero, & obolus merces portitori, & corona tanquam iis qui vitæ certamen decertassent.* Superest ut de veste dicam, qua induebantur, ut patet ex Luciani & Homeri *locis* supra *citatis*. Texebant hanc mulieres maritis & filiis: de maritis constat ex Homero *Odyss.* XIX. ubi Penelope his verbis procos suos alloquitur;

Exspectate thorum festini, dum mihi triste
Vestis opus (ne tot frustra male stamina perdam) D
Absolvam, qua supremum Laertius heros
Ornetur, cum dura illi mors lumina claudet.

De filiis, ex Virgilio *Æneid.* IX. ubi sic Euryalum interfectum mater alloquitur:

—— nec te tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque
Urgebam, & tela curas solabar inanes.

E Erat autem albi coloris in Græcia. Artemidorus *lib.* II. *cap.* II. *Viro ægrotanti albis indutum esse vestibus mortis imminentis signum est, quia mortui in albis efferuntur.* Romæ nigri. Juvenalis *sat.* I.

Instituitque rudes melior Locusta propinquas
Per famam & populum nigros efferre maritos.

Et Græcis quidem pallium. Apulejus *Florid* I. *Pallio cadavera operiri (videret) & philosophos amiciri.* Romanis toga. Juvenalis *sat.* III.

Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in qua
F *Nemo togam sumit nisi mortuus. ——*

Martialis *lib.* IX. *epigr.* LVIII.

Nec pallens toga mortui tribulis.

Atque hæc in vulgo vulgaris, in magistratibus & sacerdotibus prætexta. Livius *de bello Maced.* lib. IV. *Purpura viri utemur: prætextati in magistratibus, in sacerdotiis, nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui.* Et uxoribus quoque habitus hac in re honos conjugum suorum. Hinc Cornelia apud Propertium *l.* IV. *eleg.* ultima:

Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo.

Censores totam purpuream, viri triumphales togam palmatam habebant, ut scimus ex Polybio, *l.* VI. Certe magnatum a priscis temporibus purpura erat. Virgilius *Æneid.* VI.

Fit gemitus: tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasque super vestes velamina nota
Conjiciunt. ——

Item XI. in funere Pallantis:

Tum geminas vestes ostroque auroque rigentes
Extulit Æneas, quas illi læta laborum
Ipsa suis manibus quondam Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas discreverat auro.
Harum unam juveni supremum mœstus honorem
Induit. ——

Bion in *Epitaphio Adonidis*:

Mollis purpurea in tunica decumbit Adonis.

Postea auratæ vestes usurpatæ. Hieronymus *de vita Pauli Eremitæ*: *Cur mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? cur ambitio inter luctus lacrymasque non cessat? an cadavera divitum nisi in serico putrescere nesciunt?* Video & caput velasse, sed eorum tantum qui interempti. Virgilius de Pallante:

Harum unam juveni supremum mœstus honorem
Induit, arsurasque comas obnubit amictu.

Vellejus *lib.* II. *De tanti viri morte nulla habita est quæstio: ejusque corpus velato capite elatum est, cujus opera super totum terrarum orbem Roma extulerat caput.* Atque hinc intelligendus Seneca *de funere Claudii*: *Injicit illi manum Talthybius deorum nuntius, & trahit capite obvoluto, ne quis eum possit agnoscere.*

CAP. V.

Nummum mortuis in ore ponebant, polentam mulso conditam in manu. Vitalia quoque eruebant. Δανάκης. Pollinctores. Καταγεῶτες.

NUmmum quoque ori imponebant, quem nimirum pro vectura acciperet Charon. Lucianus *de Luctu*: *Hæc usque adeo valide vulgi animos pervaserunt, ut simul familiaris quispiam mortuus fuerit, in primis obolum ei in os imponant, quem pro vectura sit accepturus portitor.* Juvenalis *sat.* III.

Jam sedet in ripa tetrumque novitius horret
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.

Interpres vetus: *Athenienses mortuis solent in ore nummum immittere, ut apud inferos non tanquam inopes errent: unde naulum Charon accipere solebat.* Apud Apulejum *Milef.* VI. *Nec non cum ad flumen mortuum venies, cui præfectus Charon protinus expetens portorium, sic ad ripam ulteriorem sutili cymba deducit commeantes. Huic squallido seni dabis nauli nomine de stipibus, quas feres, alteram.* Propert. *lib.* IV.

Vota movent superos, ubi portitor æra recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.

Aristophanes *Ranis*:

Hac te carina navita annis obsitus.
Obolis duobus transvehet nigram Styga.

Ecce ille Comicus duos obolos pro naulo ponit, & annotat quoque ejus Scholiastes auctum Charonti stipendium, & ad triobolum perventum fuisse ab opulentioribus potentioribusque, ne cæteræ multitudini æquarentur. Græcis hic nummus δανάκης dicebatur, & aliquanto plus obolo

valebat. Etymologici Auctor: Δανάκης *numismatu barbarici nomen est, obolo plus, quod mortuis in ore ponebant*. Suidas: Δανάκης, *hoc numismatis est genus, quod olim mortuis dabant pro Acherusiæ trajectione: est vero Acherusia palus apud inferos, quam trajiciunt mortui, prædictum nummum dantes portitori*. Callimachus in *Hecale*:

Propterea hic tantum non solvunt naula Charonti
Umbræ pallentes, alios quæ ferre necesse est,
Tristis ut infelici Acherusia tradat Averno.

Addebant item polentam mulso conditam, qua Cerebrum placari credebant. Suidas in μελιττοῦτα: *Sciendum est, placentam mortuis dari solitam, quam Cerberus liguriret; & obolum, quem pro naulo acciperet portitor*. Alludit manifesto Apulejus *Milesia* sexta, ubi Psyche instruitur descensura ad inferos: *Sed non hactenus vacua debebis per illas tenebras incedere, sed offas polentæ mulso concretas ambabus gestare manibus, ac in ipso ore duas ferre stipes*. Geminata hic omnia, quia eundum illi, & redeundum. Eruebant etiam vitalia. Seneca docet *epistola* centesima: *Quam multi, cum maxime funus locatur; quam multi, cum vitalia eruuntur, lugent?* Atque hæc omnia *Pollingere* Romani, quique id facerent *Pollinctores* appellabant. Nonius Marcellus: *Pollinctores sunt, qui mortuos curant*. Varro Mutuum muli: *Itaque plures dies inter medici discessum & adventum pollinctoris interfuerunt*. Plautus *Asinaria*:

—— ecquis currit pollinctorem accersere?

Et in *Pœnolo*:

Quia mihi pollinctor dixerat, qui eum pollinxerat.

Apulejus in *Hermagora*: *Pollinctor ejus funeri dum unctionem parat*. Item *Florid*. IV. *Jam miseri illius membra omnia aromatis perspersa, jam os ipsius unguine odoro delibutum, jam eum pollinctum, jam cœnæ paratum contemplatus*. Græci καταγεῶτας dicebant, ut ex Hesychio discimus.

CAP. VI.

Cadaver ita ornatum e cubiculo producebatur, & in vestibulo collocabatur, humi prius, mox in lectis: capite effulto, pedibus foras spectantibus. Factumque id a sanguine proximis. Custos quoque appositus, & ara. Acerra. Πρόθεσις. Collocatio. In infantibus hæc omissa. Συγκομιδή.

Post hæc omnia producebatur cadaver e cubiculo. Lucianus *de Luctu*: *Posthæc cadavere loto, & unguentis pretiosissimis delibuto, coronatoque pulcerimis floribus, collocant in vestibulo*. Et collocabatur in vestibulo. Seneca *epist*. XII. *Quis est iste decrepitus, & merito ad ostium admotus? foras enim spectat*. Suetonius *Augusto*, cap. C. de cadavere ejus: *A Bovillis equester ordo suscepit, urbique intulit, atque in vestibulo domus collocavit*. Neque aliter intelligi debet locus Asconii *ad Orat. pro Milone*: *Perlatum est corpus Clodii ante primam noctis horam: infimæque plebis, & servorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus positum circumstetit*. Virgilius *Æneid*. XI.

—— recipitque ad limina gressum,
Corpus ubi exanimi positum Pallantis. ——

Hinc illud est, quod in Isidori *Glossis* legitur: *Limina portarum, loca mortuorum*. Ita vero collocabantur, ut pedes foras spectarent. Homerus *Iliad*. XVII. de Patroclo:

Vestibulum versus pedibus jacet. ——

Quo loco Scholiastes: *Ita collocantur cadavera, quia mortui in ædes nunquam revertantur*. Persius *Sat*. III.

A *—— tandemque beatulus alto*
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit. ——

Antiquitus humi simpliciter ponebantur, & in panno lacero. Artemidorus *lib*. I. *cap*. XIV. *Mortui laceris involvuntur pannis, & humi ponuntur*. Valerius Max. *lib*. I. *cap*. VIII. *Aliquid admirationis civitati nostræ Acilii etiam Aviolæ rogus attulit, qui & a medicis & a domesticis mortuus creditus, cum aliquandiu humi jacuisset, elatus*. Parthenius Ερωτ. IV. *Alexander animum despondens exspiravit. Oenone vero cum mortuum jam videret humi jacentem*, &c. Postea in lectis collocaban-

B tur, & istis sublimioribus. Hinc illud Persii:

—— tandemque beatulus alto
Compositus lecto. ——

Lucianus *de Luctu*: *Hic vero decorus ac formosus, & magnifice coronatus sublimis jacet & excelsus, veluti in pompam ornatus*. Et capite quidem ornate suffulto. Virgilius *Æneid*. XI.

Ipse caput nivei fultum Pallantis, & ora
Ut vidit.

Fiebat autem hæc collocatio a sanguine proximis, ut observarunt etiam viri docti ex isto Dionis loco, de excessu Liviæ: *Tiberius neque ad decum-*

C *bentem illam viscendi caussa venerat, neque defunctam collocavit*. Et addebatur cadaveri custos aliquis e senioribus familiæ. Virgilius ingerit in istis:

—— recipitque ad limina gressum,
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetes
Servabat senior. ——

Ara quoque apponebatur, in qua odores incendebantur, ad arcendam graveolentiam: & ea, *Acerra* indigitabatur. Festus: *Acerra, ara quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur*. Hanc rem Græci προτίθεσθαι. Latini *collocare* dicebant, ut notum. Sed hæc collocatio, ut

D alia quoque funebria, in infantum morte neglecta. Plutarchus *Consol. ad Uxorem*: *Patriis vero atque antiquis moribus ac legibus magis hujus rei veritas illustratur. Infantibus enim mortuis, neque inferias ferebant. neque alia faciebant, quæ in funere fieri solent*. Universa vero hæc cura συγκομιδή dicebatur. Æschyli Scholiastes ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις: Συγκομιδή *dicitur omnis accuratio funeralis*.

CAP. VIII.

E *Græci efferebant primo tertio die, inde postridie cœptum est. Sed aliud in magnatum funere observatum. Tempus elationis matutinum, & a quo constitutum. Mox tamen neglectum, sed revocatum a Juliano.* Ἡμέρας ἁρπαγή. *Fabulæ de raptibus deorum unde.*

Sequitur elatio, cujus tempus non idem Græcis, quod Romanis. Efferebant illi postridie mortem, hi octavo demum die. De illis testatur Ciceronis locus in *Oratione pro Cluentio*: *Eo ipso die puer cum hora undecima in publico valens visus esset, ante noctem mortuus, & postridie antequam luceret, combustus est*. Callimachus *epi-*

F *grammate* XIX.

Fausta sibi deinceps quis crastina spondeat?
En te
Hesternum Charmi vidimus his oculis,
Lugentes hodie tumulavimus. ——

Hinc capienda illa Pherecydæ jam jam mortem expectantis, in *epistola ad Thaletem*: *Et prædixit ipsis, venirent postridie ad Pherecydis exequias*. Et notissimum est Hipponactis dictum, de quo adumbratum illud Plautinum

Aulul. Sc. *Velim te arbitrari:*

Sed his legibus si quam dare vis ducam, quæ
Cras veniat, perendie foras feratur, soror.

Antiquissimi tres dies lugebant, & quarto demum efferebant. Apollonius *Argonaut.* II.

At vero ornantes supremo funus honore,
Tres totos condunt lugubri murmure soles,
Magnifice tumulant quarto ——

Postea in magnorum virorum funeribus aliud observatum fuit: & ut splendide illi sepelirentur, dabatur spatium aliquot dierum parando funeri, & convocandis vicinis peregrinisque. Plutarchus in *Timoleonte*: *Dies aliquot definiti sunt, intra quos & funus pararent, & vicini peregrinique ad id ducendum convenirent.* Atque hæc satis de elationis die, nunc de tempore agendum, quod matutinum, ipso diluculo. Heraclides lib. *de Alleg. Hom. Olim mortuos neque noctu neque interdiu efferebant, sed summo mane, sole non gravi.* Callimachus *epigram.* n. XXV.

Ivimus exequias Melanippi mane, sed ecce
Occidit & cum sol occubuit Basilo.

Cicero *loco citato*: *Ante noctem mortuus est, & postridie ante quam luceret combustus.* Plutarchus in *Sylla*: *Cæterum cum ab aurora dies iste nubilus fuisset, pluviæque metuerentur, nona demum hora funus elatum est.* Demosthenes in *Orat. de Sacra Sorte*: *Lex est, mortuum collocare intus quomodo velint, postridie vero efferre, ante solem exortum.* Apud Virgilium quoque *Æneid.* XI. Pallantis cadaver mane effertur. Auctor hujus consuetudinis Demetrius Phalereus. Cicero II. *de Leg. Iste igitur (Demetrius) sumptum minuit non solum pœna, sed etiam tempore: ante lucem enim jussit efferri.* Iterum tamen hoc postea neglectum, & efferebant multa luce, per frequentem populum, donec tandem inhibuit & revocavit Julianus Imperator. Ecce *l. pergit audacia.* v. *Cod. Theod. De sepulcris violatis*: *Efferri cognovimus cadavera mortuorum per confertam populi frequentiam, & per maximam insistentium densitatem, quod quidem oculos hominum infaustis incestat aspectibus. Qui enim dies est bene auspicatus a funere? aut quomodo ad deos & templa venietis? Ideoque quoniam & dolor in exequiis secretum amat, & diem functis nihil interest, utrum per noctes, an per dies efferantur: liberari convenit populi totius aspectus, ut dolor esse in funeribus, non pompa exequiarum, nec ostentatio videatur.* Atque ob matutinam hanc elationem, si formosum aliquem & nobilem juvenem mori contigisset, ejus elatio *Diei raptus* appellabatur. Heraclides lib. *de Alleg. Hom. Cum igitur nobilis aliquis adolescens formaque excellens moreretur, matutinam hujus elationem molliore vocabulo appellabant* DIEI RAPTUM, *tanquam non mortuus esset, sed amoris desiderio raptus.* Hinc est illud in vetere arula sepulcrali:

SOL. ME
RAPVIT.

Nec aliud quicquam sibi velle tot deorum raptus omnino arbitrandum est. Nimirum hinc illæ Fabulæ.

CAP. VIII.

Apud Romanos idem tempus, nisi si pauperes, aut servi. Sed in die non item, qui octavus, præterquam cum funus immaturum.

Romani in elationis tempore non abierunt a Græcis, nisi si pauperum exequiæ essent, aut servorum; quæ vesperi fiebant, sine ulla pompa. Festus: *Vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt.* Sed in die variatum, nam octavum observabant, non secundum, aut tertium. Servius ad *Æneid.* VI. *Servabantur cadavera septem diebus, & calida abluebantur, & post ultimam conclamationem comburebantur.* Itaque octavo incendebant, nono sepeliebant. Idem Servius *Æneid.* V. *Apud majores, ubicunque quis fuisset exstinctus, ad domum suam referebatur, & illic septem servabatur diebus, octavo die incendebatur, nono sepeliebatur.* Porphyrion *ad Horatii Epod.* XV. *Novendiale dicitur sacrificium, quod mortuo fit nona die, qua sepultus est.* Aliter tamen faciebant, si funus immaturum: quippe hoc, tanquam magis luctuosum, citius efferebant, ut parentum oculis subtraherent. Tacitus *Annal.* XIII. *Festinationem exequiarum edicto Cæsar defendit, id a majoribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus aut pompa detinere.* Et quidem non in aurora, quemadmodum cætera, sed ante lucem adhuc, ad faces & cereos, ut postea dicam.

CAP. IX.

Pronubæ non veniebant ad exequias. Opulentiores & magnificentiores veniebant in equis, aut lecticis: nisi si quos maxime cohonestatos vellent. In primatum funere albati erant, & coronati. Frequentia exequiarum, eaque coercita. Via, qua elatum recens cadaver, ut polluta vitari solita.

Prosequebantur autem funus omnes amici, ac propinqui, nisi si quæ pronuba esset. Ea post elationem tertio die veniebat ad tumulum, & deflebat calamitatem. Docet id Synesius *epist.* III. *Tertium jam diem Æschines sepultus erat. Ejus vero e sorore neptis tunc primum venit ad sepulcrum: non enim, opinor, jus est pronubas ire exequias.* Et prosequebantur quidem in equis vel lecticis, qui opulentiores magnificentioresque, quandoquidem extra urbem erant monumenta, & nonnunquam aliquanto longius. Sed quibus magnum habere honorem vellent, ad eorum exequias pedibus ibant. Diog. Laertius in *Vita Theophrasti*: *lib.* V. *His dictis exspiravit, ipsumque, ut fertur, Athenienses publico funere extulerunt, pedibus honoris majoris gratia prosequuti.* In virorum primatum, & præclare de rep. meritorum funere, tanquam festum diem celebrantes, albati & coronati incedebant. Videmus clare apud Plutarchum in *Timoleonte*: *Prosequebantur vero multæ myriades virorum fœminarumque, quos videre erat ceu festum agitantes, omnibus coronatis & alba veste amictis.* Iterum in *Arato*: *Mutato in festum luctu statim ex Ægio funus coronati albatique, cum pæanibus & choreis in urbem reduxerunt, locumque eligentes illustrem veluti conditorem ac servatorem urbis sepeliverunt.* Atque summa erat prosequentium frequentia: ecce enim in citatis Plutarchi verbis: *Prosequebantur vero multæ myriades virorum fœminarumque.* In publica hoc sepultura, inquies: immo & privata. Tandem, quia nimis hac in re peccaretur, vetuit Pittacus, ne quis ad alienas exequias veniret: etsi postea non semper obtinuerit. Cicero II. *de Leg. Sublata etiam erat celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur. Habet enim luctum concursus hominum: quocirca Pittacus omnino accedere quenquam vetat*

in funus aliorum. Unum hic præterea admonendum. Viam, qua recens exequiæ factæ essent, tanquam pollutam superstitiose admodum vitabant. Liquet ex Eunapii *Jamblicho*: *Exclamavit: alia via eamus, hac enim funus deductum est, & cum dicto aliam ingressus est, quæ purior videbatur*.

CAP. X.

Crematio quando inceperit, & quis ejus auctor. A magis ut impia damnabatur. Romanis non omnino recepta, & quo tempore: item a Græcis.

ELata itaque jam comburebant, ut dixi, Græci pariter & Romani. Romani a Græcis acceperunt, Græci ab Hercule, qui primus omnium Argium Licymnii filium mortuum cremavit. Narrat omnem rem ex Androne vetus Homeri Interpres *ad Iliad. α'.* his verbis: *Causa cremandorum corporum Græcis hæc est. Primum ferunt ita sepultum esse Argium Licymnii filium ab Hercule ex necessitate. Hercules enim adducto ad Ilium exercitu, Laomedonte ipsi fidem non servante; neque dante equos promissos ob liberatam a ceto filiam ejus Hesionem, poscebat etiam Argium. Sed Licymnius Argii pater metuens, quia etiam filium majorem eorum, quem cum Hercule Lacedæmonem miserat, amisisset, cum non daret, Hercules juravit se reducturum ipsum. Cum vero fatalis interim hora Argium opprimeret, Hercules ignarus quo pacto jusjurandum præstaret, cremavit ipsum*. Magi id impium censebant. Diog. Laertius in *Proœmio*, ubi de ipsis loquitur: *De justitia verba facere, iniquumque arbitrari, atque impium igni sepeliri*. Apud Romanos vero non omnes cremavere, nam servatus a multis adhuc familiis mos priscus: adeoque in gente Cornelia ante Syllam crematus nemo fuit. Plinius *l.* VII. *c.* LIV. *Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti: terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum. Et tamen multæ familiæ priscos servavere ritus: sicut in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus, idque voluisse, veritum talionem, eruto C. Marii cadavere*. Cic. II. *de Leg. Gentem Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam. C. Marii sitas reliquias apud Anienem dissipari jussit Sylla victor, acerbiore odio incitatus: quod haud scio an timens suo corpori posse accidere, primus e patritiis Corneliis igni voluit cremari*. Postea omitti plane crematio iterum cœpit. Macrobius de suo ævo testatur, *l.* VII. *c.* VII. *Licet urendi corpora defunctorum usus nostro sæculo nullus sit*. Viri docti putant incepisse sub Antoninorum tempora, sed falluntur. Ecce Statius de Abascanto, sub Domitiani imperio:

Hic te Sidonio velatam molliter ostro
Eximius conjux (nec enim fumantia busta,
Ardoremve rogi potuit perferre) beato
Composuit Priscilla toro, nil longior ætas
Carpere, nil ævi poterunt vitiare labores
Siccatam membris ——

Et Quinctilianus *Declam.* X. *Oderat ignes, oderat rogos: reponi corpus, & servari membra cupiebat*. Et Græci quoque ipsi desierunt, integra deinde corpora terræ mandantes.

CAP. XI.

Sepeliebantur versus orientem, Megarenses & Phœnices versus occidentem. Item apud Græcos qui occisi, aut naufragio ejecti. Disputatio contra Ælianum, & Plutarchum. In singulis sepulcris cadavera quoque singula tantum collocata.

SEpeliebant vero ita, ut ore orientem versus spectarent. Diog. Laertius *l.* I. in *Solone*: *Ostendit cadavera ad orientem conversa, quo modo Athenienfibus sepelire solenne erat, & ipsa quoque sepulcra orientem spectantia*. Itaque mirum quod de eodem hoc Solonis facto verba faciens Ælianus *Var. Hist.* lib. VII. inquit: *Antiqua sepulcra referans ostendit omnes Athenienses ad occasum jacentes secundum morem patriæ*. Item Plutarchus ante eum: *Præterea vero, quo magis Megarenses refelleret, contendit, cadavera non Megarensium, sed Atheniensium more condita esse, nam Megarenses orienti obvertunt, Athenienses vero occasui*. Et impugnavit id olim quoque Hereas Megarensis, teste *ibidem* Plutarcho, cui fas habere fidem in ritu patriæ suæ. Certe non Athenienses solum, sed omnes Græci versus orientem sepeliebant, præter Megarenses, qui vultu occidentem versus condebant: & cum Megarensibus quoque Phœnices. De Megarensibus scimus ex Plutarcho, de Phœnicibus docet eruditissimus Scholiastes Thucydidis *l.* I. istis verbis: *Phœnices agnoscebantur ex sepulturæ modo: reliquis enim ita mortuos collocantibus, ut orientem spectent, Phœnices eos ad occasum convertunt*. Illi duntaxat, qui insepulti jacebant, puta occisi a latronibus aut naufragio ejecti, quia non naturali & sua morte, sed violenta obiissent, ut cognoscerentur a prætereuntibus, contrario prorsus modo sepeliebantur. Atque hoc colligere possumus ex Æliani *Var. Hist.* l. V. *Et hæc quoque Attica lex est, si quis in cadaver humanum insepultum incidat, omnino ut terram injiciat, sepeliat vero occasum spectans*. Ecce, tanquam receptæ sepeliendi consuetudini contrarium, addit; *sepeliat vero occasum spectans*: quod observandum. In singulis vero sepulcris singulos tantum collocabant Athenienses, cum Megarenses etiam quaternos. Plutarchus: *Præterea vero singulos Athenienses unum habere sepulcrum, Megarensium vero etiam tres & quatuor in eodem conditos esse*.

CAP. XII.

Sepulcra electa, & lapide nigro signata, supra terram eminente. Ejus inscriptio, & coronatio. Apio opus habet, proverbium. Πόθος. Ubi nobiles habere soliti, & populus. Ηρία· Ηρῷα. Honoratiores apud Athenienses in Ceramico extra urbem: item in acie mortui. Alii in agris.

ET sepulcri quidem locum ipsi sibi vivi adhuc sæpenumero eligebant, puta qui opibus magni, aut dignitate: eumque lapide nigro & funesto signabant. Licet haurire ex isto Festi Pompeii loco: *Niger lapis in Comitio locum funestum significat Romuli morti destinatum, sed non usu obvenit ut ibi sepeliretur*. Nec ad aliam rem ille apud Euripidem, sub quo Hecuba, quia necdum a funere occupatus locus, thesaurum occultatum fingit Polymnestori:

HEC. *Nostin' Minervæ templa ubi stent Iliæ?*
POL. *Thesaurus illic conditur? quæ signa sunt?*
HEC. *Vis nigra saxi leviter exsurgens solo.*

Unde etiam discas, aliquantum supra terram

eminuiſſe lapidem iſtum ſepulcralem. Poſtea occupato jam ſepulcro, & illato mortuo, incidebantur nomen, genus, patria. Callimachus *epigramm.* XX.

Timonoe quænam es? non te hercle, non ego noſſem,
Ni patris in cippo nomina Timothei
Vidiſſem, & patriæ Methymnæ. ——

Diog. Laertius *l.* I. in *Solone*: *oſtendit ſepulcra orientem ſpectantia, & familiarum nomina inſculpta*. Theophraſtus *Ethic. Charact.* cap. περὶ περιεργίας: *Et uxore defuncta inſcribere monumento, & mariti, & patris, & matris, & ipſius quoque mulieris nomen, & cujatis ſit*. Coronabant autem hunc lapidem. Lucianus *de Luctu*: *Quid vero ſtratus in ſepulcro lapis coronatus?* Philoſtratus in *Heroicis* auctor illam conſuetudinem manaſſe a Theſſalis, qui primi Achillis tumulo ita fecerunt. Siculis in hunc uſum apium erat. Polyænus *Strateg.* l. VIII. *Milites ad ſepulcri aſpectum perculſi fuerunt, quia apud ipſos mortuorum ſepulcra apio coronantur*. Hinc proverbio, qui graviter decumberent, apio opus habere dicebantur. Plutarchus *Timoleonte*: *Collem jam ſcandentibus, quo ſuperato erant in conſpectu habituri copias hoſtium, muli apium portantes occurrunt. Viſumque id inauſpicatum omen militibus, eo quod ſepulcra apio coronare ſolemus. Et natum inde proverbium eſt, Graviter decumbentem apio opus habere*. Vide eundem *Sympoſ.* V. Quæſt. IV. Alii Græci potho utebantur: immo ipſam coronam πόθον nominabant. Athenæus *Dipnoſoph.* lib. XV. πόθος. *Ita corona quædam appellatur: Eſt vero duplex: hic florem habens hyacintho ſimilem, alter vero decolor & albicans, quo utuntur ad ſepulcra*. Erant vero ſepulcra ipſa, populi quidem, in plano, & ἠρία proprie dicebantur. Suidas ἠρία, *ſepulcra. Ajunt vero nonnulli ita communiter quidem appellari quævis ſepulcra, inprimis vero quæ in plano exſtructa*. Nobiliores & potentiores in montibus ſepeliebantur, aut ad eorum radices. Virgilius *Æneid.* IX.

—— *fuit ingens monte ſub alto*
Regis Dercenni terreno ex aggere buſtum.

Servius: *Apud majores nobiles aut ſub montibus, aut in montibus ſepeliebantur*. Quæ verbo pœne tenus tranſſcripſit Iſidorus *Orig.* l. XV. c. XV. Aurel. Victor, ubi de origine gentis Romanæ: *Poſt illum regnavit Aventinus Sylvius; iſque finitimis bellum inferentibus in dimicando circumventus ab hoſtibus, proſtratus eſt, ac ſepultus circa radices montis, cui ex ſe nomen dedit*. Lycophron:

At tres ſepelient Cercaphi valles cavæ,

Theocritus *Idyll.* I.

—— *Helices juga linque, & celſa ſepulcra*
Sacra Lycaonidæ. ——

Clare quoque apud Strabonem videmus, *lib.* VI. *Oſtenduntur vero Dauniæ circa collem, cui Drium nomen, heroa: hoc Calchantis in ſupremo cacumine, illud Podalirii infra ad radicem*. Et hæc ἡρῷα nuncupabantur, ut iſta ἠρία. Res eſt notiſſima. Athenienſes autem in acie interemptos honoris ergo in Ceramico extra urbem ſepeliebant. Suidas: *Duo erant Ceramici: hic intra Urbem, ille extra. Ubi etiam in bello mortuos publice ſepeliebant, & orationes funebres recitabant*. Neque hos tantum, ſed & quoſvis honoratiores. Sic apud Diog. Laertium *l.* VI. decernunt jubentque Zenoni, *Exſtruere ſepulcrum publice in Ceramico*. Alii de populo ſepeliebantur vel in ſuis agris, ſi locupletes eſſent: ſin minus, in agris publicis. Peregrini locum a magiſtratu redimebant. Videmus apud eundem Laertium *l.* VIII. in *Empedocle*: *Acrone medico petente a ſenatu locum ſepulcro paterno*. In veteri quoque Inſcriptione:

ΕΥΚΡΑΤΙΔΑϹ ΠΕΙϹΙΔΑΜΟΥ
ΡΟΔΙΟϹ
ΦΙΛΟϹΟΦΟϹ ΕΠΙΚΟΥΡΕΙΟϹ
ΤΟΝ ΤΟΠΟΝ ΤΗϹ ΒΡΕΝΔΕΓΙΝΩΝ ΒΟΥΛΗϹ
ΕΙϹ ΤΑΦΗΝ ΨΗΦΙϹΑΜΕΝΗϹ.

CAP. XIII.

Nefas cremari, qui manus ſibi intuliſſent: item qui naufragio periiſſent. Eorum mos alligandi brachio pretium ſepulturæ. Hoc accepto, qui non ſepeliiſſet, impius habebatur. Obiter Spartanorum quoque militum mos annotatus.

SCiendum autem, dum crematio adhuc in uſu, ab ea arceri conſueviſſe illos, qui manus ſibi ipſi violentas intuliſſent: nefas enim putabant. Philoſtratus in *Heroicis*: *Sepelierunt ipſum* (*Ajacem*) *condentes in terra, monente Calchante nefas eſſe ſepeliri qui mortem ſibi ipſi conſciviſſent*. Item qui naufragio periiſſent. Et hi ne vel ſepultura ſaltem ejecti carerent, pretium membro alicui alligabant, quod ſepulturus acciperet. Planum id ex quadam Syneſii *epiſtola*: *Deinde prædicat quidam, ut qui haberent aurum ſibi annecterent: & quibus erat, annexum eſt & aurum, & quicquid auro dignum. Mulieres quoque ipſæ ſe præparabant, & funiculos indigentibus diſtribuebant. Olim fuit hoc oſtenſum fieri conſueviſſe, hac ratione. Cadaver ex naufragio ejectum pretium ſepulcrale afferre oportet, nam quicunque hoc acceperit, lucrumque fecerit, Nemeſin atque ejus leges timebit, ne non parum illi retribuat, a quo plurimum accepit*. Interpres *Hiſtoriæ* Apolloni Tyrii: *Jubet conſecari & compaginari tabulas, rimas & foramina bitumine liniri, & facere loculum, & charta plumbea intus poſita obturari juſſit. Perfecto loculo regalibus ornamentis exornat puellam, & in loculo poſuit, & viginti ſeſtertia auri ad caput ejus poſuit*. Id aurum in hanc rem appoſitum fuiſſe docent poſtea verba epiſtolæ illius reſignatæ: *Quicunque hunc loculum inveneris, habes viginti ſeſtertia auri; peto ut decem habeas, decem funeri impendas*. Itaque accepto eo pretio ſepeliebant, aut ſaltem ter plena manu pulverem injiciebant; & niſi feciſſent, impii habebantur. Sophoclis Scholiaſtes *ad Antigonem*: *Cadaver videntes inſepultum, neque pulverem injicientes, impii cenſebantur*. Ælianus *Var. Hiſt.* lib. V. *Lex etiam erat Athenienſium, ſi quis inſepultum in cadaver incideret, ut omnino terram injiceret*. Horatius *l.* I. *ode* XXVIII.

At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ
Oſſibus & capiti inhumato
Particulam dare. ——

Quo loco Acron vetus Interpres: *In ſacris hoc genus ſepulturæ tradebatur, ut etſi non obrueretur, manu plena ter jacta terra cadaveri pro ſepultura eſſet*. Quintilianus *Declam.* V. *Ignotis cadaveribus humum congerimus, & inſepultum quodlibet corpus nulla feſtinatio tam rapida tranſcurrit, ut non quantulocunque veneretur aggeſtu*. Iterum *Declam.* VI. *Nobis Natura adverſus exanimes genuit non ſolum miſerationem, quæ cogitationi noſtræ ſubiit, ſed religionem. Inde ignotis corporibus tranſeuntium viatorum collatitia ſepultura, inde injecta ab alienis humus*. Inferebant quoque tumulo fragmenta navium, quæ eſſent veluti Manium donaria. Lycophron noſter:

Mopſum Titæroneum ubi olim navitæ
Buſto indidere mortuum, & buſto ſuper
Statuere cippum funebrem Argoæ trabis
Tranſtrum revulſum, manium donarium.

Porro quod ad iſtum naufragio peritúrorum morem attinet, non abſimile omnino quod milites Spartani in acie, quum deſperarent victoriam,

pugnandumque tamen esset, tesseram dextro brachio alligabant, in qua & suum quisque, & patris nomen perscripserat, ut isto indicio avitis sepulcris inferri possent. Ex Justino apparet *lib.* III. *Tantum ardorem militibus* (*Spartanis*) *injecit, ut non de salute, sed de sepultura solliciti, tesseras, insculptis suis & patrum nominibus, dextro brachio deligarent; ut si omnes adversum prœlium consumpsisset, & temporis spatio confusa corporum lineamenta essent, ex indicio titulorum tradi sepulturæ possent.*

CAP. XIV.

Aqua etiam inferis elata. Χθόνια λυτρά. Arferial. Arferia *aqua. Quinam id fecerint. Venus* ἐπιτυμβία *Delphis. In infantum sepulturis omitti solita.*

CUm funere efferebant etiam aquam inferis libandam. Justinus Martyr *Apolog.* II. *Quod solum nobis objicere potestis, quod non eosdem vobiscum deos colimus, neque mortuis inferias aut suffitum facimus, neque coronas aut sacra ad sepulcra ferimus.* Apulejus *de Mundo*: *Diis sacrificatur, Geniis ministratur, obitis libatione profunditur.* Sophocles *Antigone*:

Sic ipsa nudum ubi cadaver aspicit,
Soluta luctu, tristibus diris nimis
Rei patratæ obnoxium auctorem vovet.
Statimque manibus aridum fert pulverem,
Canoro ex ære fundit arferias aquas,
Libamen Orcinum, & coronat mortuum.

Orpheus in *Argonauticis*:

—— peregrinus arena
Heu jacet extrema tumulo fine, sed Rhea mater
Funeris hinc illi tristes decrevit honores,
Manibus inferias ——

Eam aquam χθόνια λυτρὰ nominabant. Auctor *Proverb.* Χθόνια λυτρὰ, τὰ τοῖς νεκροῖς ἐπιφερόμενα, ὑπικομίζετο ᾧ ὑπὶ τὺς τάφυς λυτρά. Vide Hesychium, & Suidam. Latini *Arferial*, & *Arferiam* aquam. Glossæ veteres: ὕδωρ τὸ ὑπὶ τοῖς νεκροῖς σπενδόμενον, *Arferial* Festus: *Arferia aqua, quæ inferis libabatur.* Portabant eam, si vir, aut fœmina excessisset, mulieres quæ ἐγχυτρίστριαι dicebantur. Etymologici Auctor: ἐγχυτρίστριαι, *nominabantur, quæ inferias mortuis ferrent.* Sin juvenis quispiam, aut virgo; tum puer genere proximus. Idem Etymologicographus: *Mos vero erat etiam in celibum funere inferias ferre: faciebatque hoc puer genere proximus.* Vide etiam Harpocrationem. Delphis erat icuncula Veneris ἐπιτυμβίας, ad quam hæc fiebant. Plutarchus in *Rom. Quæst. Delphis imaguncula Veneris* ἐπιτυμβίας, *ad quam inferias mortuis ferebant.* Ad infantum tamen sepulcra hæc non elata. Idem Auctor *Consolat. ad Uxorem*: *Patrio vero atque antiquo ritu ac more magis rei hujus veritas ostenditur. Infantibus enim mortuis neque inferias ferunt, neque reliqua faciunt, quæ in aliorum funere recepta sunt.*

CAP. XV.

Feriis publicis offerre nefas. Ante elationem parentes coronati, matres quoque riciniatæ. Funus aspicere nefas Pontifici, & Censori: contrectare Imperatori. Dion refutatus. Ludi funebres. Ædium purgatio. Exverræ. *Porca Cereri immolata, eaque* Presentanea. *Proprii huic purgationi sacrificuli.*

HActenus de Græcis maxime: veniamus ergo nunc ad Romanos, qui octavo demum die efferebant, ut supra dictum: nisi tamen feriæ pu-

A blicæ essent, tum enim plane non licebat. Columella *lib.* II. *cap* XXII. *Feriis publicis hominem mortuum sepelire non licet.* Quo vero tempore nondum elatum cadaver, parentes coronati, etiam in exequiis. Plinius *lib.* XXI. *cap.* III. ubi de coronarum honore: *Quis ergo honos? ut ipsi mortuo, parentibusque ejus, dum intus positus esset, forisve ferretur, sine fraude esset imposita.* Cic. II. *de Leg. Illa jam significatio est, laudis ornamenta ad mortuos pertinere, coronam virtute partam, & ei qui peperisset, & ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet.* Sed hoc nobiliorum tantum erat.

B Incertus auctor apud Suidam *in* κατάγειν: *Viros illustres coronatos esse, & coronas deducere, liberis suis mortuis.* Matres erant riciniatæ. Varro *de vita Pop. Rom.* lib. I. *Mulieres in adversis rebus, ac luctibus, cum omnem vestitum delicatiorem ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt.* Iterum clarius: *Dum supra terram essent mortui, riciniis lugerent: funere ipso, ut pullis pallis amictæ.* Hæc vocavit *Malaca mortualia* Nævius *Lycurgo*;

Pallis, patagiis, crocotis, malacis mortalibus.

C Funus vero, dum ita jaceret, aut quocunque demum loco, Pontifici aspicere nefas. Seneca *Consol. ad Marciam*, cap. XV. *Stetitque in conspectu posito corpore, interjecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret.* Item Censori, cum lustrum suum conderet. Dio *lib.* LIV in funere Aggrippæ: *Corpus ejus in urbem advexit, ac in foro propositum funebri laudatione decoravit velo ante mortuum expanso. Quod quidem ego nescio quare fecerit: alii volunt, quia pontifex esset: alii, quia censor. Sed falluntur. Neque enim pontifici mortuum videre interdictum est, neque censori, nisi cum lustrum condit.* Ubi hoc quoque ob-

D servandum, quod Senecæ opinionem refutet: nec scio, an recte. Ergo tam magnus vir, & tanta doctrina ignoraverit quid in sui ævi ritu, aut superstitione? Cras credo, hodie nihil. Sane Virgilii quoque interpres Servius *Æneid.* III. pugnat pro Seneca: *Moris Romani fuerat ramum cupressi ante domum funestam poni, ut quisquam pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus.* Ecce, ne ingredi quidem in funestas ædes licebat. Quid porro clarius? Ut autem aspicere Pontifici nefas, aut Censori lustrum condenti, ita Imperatori tangere. Suidas in *Augusto*: *Augusto Cæsare mortuo, Tiberius & Drusus ducebant funus, cadaver nequa-

E quam attingentes. Non enim licet Imperatoribus.* Dion *lib.* LV. *Postea Tiberio venia data fuit cadaveris tangendi, quod nefas alias erat.* Ubi obiter quoque dissensum nota utriusque Scriptoris. Immo ne feralia quidem ulla. Tacitus *Annal.* II. *Neque Imperatorem auguratu, & vetustissimis cærimoniis præditum, contrectare feralia debuisse.* Neque domum quoque ejus funere pollui fas: quin si quis ægrotaret, & mortis esset periculum, antequam expiraret, efferebatur in alias ædes. Plutar-

F chus *Sylla*: *In medio vero epulo dies jam multos continuato obiit ex morbo Metella: sacerdotibus vero Syllam non accedere ad ipsam permittentibus, neque ædes funere pollui, misso repudii libello, viventem adhuc in aliam domum transferri jussit.* Dum autem pompa instrueretur, si patritium funus esset, ludi dabantur, ad retinendum populum. Donatus in *Prolegomenis ad Terentium*: *Funebres ludi ad retinendum populum instituti, dum pompa funeri decreta in honorem patritii viri plene instruitur.* Et antequam efferretur cadaver, ædes scopis purgabantur, eæque purgationes *Exverræ* nomine antiquo dicebantur. Festus; *Exverræ sunt pur-*

gatio quædam domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferendus est, quæ fit per everriatorem, certo genere scoparum adhibito. Porca quoque Cereri immolabatur, quæ *Præsentanea* nominata, quia in præsentia mortui. Idem Festus: *Præsan . . . porca dititur, ut ait Veranius, quæ familiæ purgandæ caussa Cereri immolatur: quod pars quædam ejus sacrificii fit in conspectu mortui, cujus funus instituitur.* Atque ita censueram, cum monitus sum idem olim Turnebo etiam visum; gratumque fuit intelligere, conjecturam meam tanti in litteris viri suffragio stabiliri. Proprii autem erant huic purgationi sacrificuli, homines non usque adeo magno in honore habiti. Colligere licet ex Asconio *ad Milonianam*: *Responderat Pompejus Licinium quendam de plebe, sacrificulum, qui solitus esset familias purgare, ad se detulisse.*

CAP. XVI.

Funeri quæ necessaria ubi empta. Libitina. *Numæ institutum. Pontificum hac in re munus. Publicum funus prætores locabant.* Funus facere *quinam dicti, & in prætexta pulla.* Libitinarius. *Funera totius anni in tabulas ab eo relata.* Pollinctores. Vespillones. Barginnæ. Ustores. *Hieronymi error, & alterius viri docti. Imagines deorum dearumque habitu factæ in solatium, & cultæ. Vestes quoque servatæ.*

ISta ante elationem fieri fas, ista nefas. Paremus nunc elationi funus: cui quæ necessaria, in Libitina coemebantur: is loco nomen. Acron *ad Horat. lib.* II. *sat.* VI. *Est Libitina locus in urbe, quo constituuntur qui efferenda cadavera conducunt, & præbent funeribus necessaria.* Livius *lib.* XL. *In urbe tanta fuit pestilentia, ut vix tunc Libitina sufficeret.* Suetonius *Nerone*: *Pestilentia unius auctumni, qua triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt.* Plutarchus *Quæst. Rom.* XXIII. Deam nuncupat, & templum ejus locum funeralium: Τὰ πρὸς τὰς ταφὰς πιπράσκουσιν ἐν τῷ τεμένει τῆς Λιβιτίνης. Idque ex instituto Numæ, ut ibidem docet, & in *Vita* quoque *ipsius*. Et præscribebant pontifices iis quibus opus esset. Plutarchus in *Numa*: Οἱ δὲ ποντίφικες ἐς τὰ περὶ τὰς ταφὰς πάτρια τοῖς χρῄζουσιν ἀφηγοῦνται. Atque privatum quidem funus quisque dominus locabat, publicum vero prætor. Val. Max. *lib.* I. *cap.* II. *M. Cornuto Prætore funus Hirtii & Pansæ jussu Senatus locante, qui tunc Libitinam exercebant, cum rerum suarum usum, tum ministerium suum gratuitum polliciti sunt.* Et hi *Funus facere* dicebantur, solique jus habebant prætextæ pullæ. Docet hæc duo nos simul uno loco Festus: *Prætexta pulla nulli alii licebat uti, quam ei qui funus faciebat.* Qui Libitinæ præerant, Libitinarii dicebantur. Ulpianus *l. quicunque D. de instit. act.* *Si Libitinarius, quem Græci* κτεριστὴν *vocant, servum pollinctorem habuerit, isque mortuum spoliaverit, dandam in eum quasi institoriam actionem.* Seneca *de Benefic.* lib. VI. cap. XXXVIII. *An tu Aruntium & Atejum non putas eadem habere, quæ designatores & libitinarios, vota?* Habebant autem hi tabulas, in quas mortuorum nomina referebant, ut sciri posset, quantum quoque anno funerum fuisset. Clare cognosci potest ex Suetonio in *Claudio Nerone*, cap. XCIII. *Accesserunt tantis ex principe malis, probrisque, quædam & fortuita: pestilentia unius auctumni, qua triginta funerum millia in rationes Libitinæ venerunt.* Eusebius in *Chronico*: *Lues ingens Romæ facta, ita ut per multos dies in Ephemeridem decem millia ferme mortuorum hominum referrentur.* Itaque hic prostabant lecti, sandapilæ, & alia mortualia: homines item ministri funerum, puta pollinctores, qui mortuos lavabant, unguebant, coronabant: vespillones, qui efferebant, & incendebant, unde νεκροφόροι, νεκροθάπται, & κοπιάται in veteribus Glossis nominantur. Fulgentius *de Prisco Serm. Mnaseas in Europa scripsit, Apollinem, postquam ab Jove vinctus atque interfectus esset, a vespillonibus ad sepulturam elatum esse.* Hieronymus tamen interpres *Ezechielis* c. XXXIX. pollinctorem cum vespillone eundem facit: *Statuent juxta illud titulum, donec sepeliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog.* Sed confundit, & errat. Ut autem pollinctorem pro vespillone Hieronymus, ita pro pollinctore vespillonem posuit Martialis *lib.* I. *epigr.* XXX.

Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus:
Cœpit, quo poterat, clinicus esse modo.

Etiam *Barginnæ* dicebantur. Glossæ: *Barginna*, νεκροφόρος. Item *Ustores*. Eædem Glossæ: *Ustor*, νεκροκαύτης. Lucanus *lib.* VIII.

Robora non desint misero, nec sordidus ustor.

Catullus:

Quum devolutum ex igne prosequens panem,
Ab semiraso tunderetur ustore.

Martialis *lib.* III. *epigr.* XCIII.

Ustorque tædas præferat novæ nuptæ.

Vidi virum doctum, qui inter libitinarios, designatores, pollinctores, vespillones discriminis nihil faceret: non placet, & aliter se habere rei veritatem ostendi, & ostendam. Unum superest adhuc, non omittendum in hac cura. Illi, ad quos funus pertinebat, ante elationem, in solatium imaginem sibi defuncti, & sæpe non unam, fieri curabant. Statius in *Lacrymis Hetrusci*:

—— te lucida saxa,
Te similem doctæ referet mihi linea ceræ,
Nunc ebur, & fulvum vultus imitabitur aurum.

Iterum *de Abascanti pietate in Priscillam*:

Sic auferre rogis umbram conatur, & ingens
Certamen cum morte gerit, curasque fatigat
Artificum, inque omni te quærit amare metallo.

Atque adeo maritos in deorum alicujus habitu mulieres, viri iterum uxores in dearum formabant, ut majorem illis, & justiorem cultum tribuerent. De virorum pietate clarum testimonium apud eundem hunc Statium, in ea ipsa Sylva, quæ *de Abascanti pietate*:

—— mox in varias mutata novaris
Effigies, hoc ære Ceres, hoc lucida Gnossis,
Illo Maja tholo, Venus hoc non improba saxo
Accipiunt, vultus haud indignata decoros
Numina. ——

At de mulierum Apulejus *Milef.* VIII. ubi de luctu Charites in funere mariti Leopolemi: *Imaginem defuncti, quam ad habitum dei Liberi formaverat, affixo servitio divinis percolens honoribus, ipso se solatio cruciabat.* Ad virorum consuetudinem pertinent illa Corneliæ apud Propertium, *lib.* IV.

Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
Ut responsuræ singula verba jace.

Nec imagines tantum servabant, sed & vestes. Quintilianus *Declam.* X. *Si mehercule notas in corpore unici vestes subtrahere tentaret, dicerem, succurre solatio meo. Hæc omnia apud me filii membra sunt: ego osculabor, amplectar, flebo supra.*

CAP.

CAP. XVII.

Quid funus Familiare, *quid* Indictivum. *Indictionis formula, & tempus.* Indicere. Conclamare. *Quid* Publicum. *Quid* Censorium, *quid* Militare, *quid* Imaginarium, *quid* Tacitum. *Lampridius & Seneca illustrati.*

DE generibus funerum adhuc dicendum est: ea septem reperimus. Familiare, Indictivum, Publicum, Censorium, Imaginarium, Militare, Tacitum. Familiare erat, quod soli familiares deducebant. Nam cives primarii & nobiles, quorum magna esset familia, ea contenti nullos alios vocabant. Vocabantur autem etiam amici de meliore nota, quod illos amicitia quasi inseruisset familiæ, & vocabantur a liberto, pridie elationis. Constat ex Varrone *de Re Rust. l.* I. cap. LXIX. *Cum hæc diceret Stolo, venit libertus æditumi ad nos flens, & rogat, ut ignoscamus quod simus retenti, & ut ei in funus postridie prodeamus.* Itaque pauperes, quibus neque familia ulla, neque amici, maxime si peregrini, vix aliquis prosequebatur. Terent. *Phorm.* Act. I. Sc. II.

Modo quandam vidi virginem hic viciniæ,
Miseram, suam matrem lamentari mortuam:
Ea sita erat ex adverso: neque illi benevolens,
Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam,
Quisquam aderat, qui adjutaret funus. ——

Qui familia sua non contenti, populum per præconem convocabant: & hoc funus *Indictivum* dicebatur. Festus: *Indictivum funus ad quod per præconem evocabantur.* Cic. II. *de Leg. Reliqua sunt in more, funus ut indicatur.* Suetonius *Julio*, cap. LXXXIV. *Funere indicto, rogus extructus est in Martio Campo juxta Juliæ tumulum.* Manilius *l.* IV.

Indicitque rogum summis, statuitque sepulcrum.

Atque hoc in tenuiorum etiam civium elatione factum. Animadvertere possumus ex Varrone *de Lingua Lat. lib.* IV. *Ex ædibus efferri indictivo funere præco etiam eos dicit, qui e tabernis efferuntur.* Nam in tabernis habitabant homines non sane primarii. Et ut alii ad magnificentiam ac pompam faciebant, ita hi ex necessitate, ut honeste saltem funus efferetur: alii civium præcipuos curabant vocari, hi tantum vicinos. Cum vero indiceret præco, his verbis utebatur: EXEQUIAS. QUIBUS. COMMODUM. TEMPUS. ESIT. OLLUS. QUIRIS. LETO. DATUS. EST. Vide Festum in *Quirites*, & Varronem *de L. L. l.* IV. Addebant etiam tempus exequiarum, & dicebant, EXEQUIAS CRAS. QUIBUS. COMMODUM. Plane ut in familiari; neque quicquam differentiæ, quam quod libertus ibi vocabat, hic præco indicebat. Jam sub elationis tempus iterum clamabat præco, EXEQUIAS. QUIBUS. COMMODUM. TEMPUS. EST. OLLUS. ÆDIBUS. ECFERTUR. Et apparent vestigia in citatis Varronis verbis, e *libro* quarto. Terent. *Phorm.* Act. V. Sc. IX.

Exequias Chremeti, quibus est commodum, ire tempus est.

Hoc vero *Conclamare funus* appellabant. Seneca *de Tranquill. Vitæ lib.* I. cap. XI. *Toties in vicinia mea conclamatum est, toties præter limen immaturas exequias fax cereusque præcessit.* Lucan. *l.* II.

—— *sic funere primo*
Attonitæ tacuere domus, cum corpora nondum
Conclamata jacent, nec mater crine soluto
Exigit ad sævos famularum brachia planctus.

Publicum dicebatur ejus, quem Senatus de ærario publico, & collecta populi stipe sepeliret. Plutarchus *Publicola: Populus, tanquam vivo nihil eorum quæ meritus fuerat persolvisset, sed omnem adhuc deberet gratiam, decrevit, ut corpus ejus publica sepultura afficeretur, quadrantemque unusquisque honoris ergo ad eam rem contulit.* Vide eundem Plutarchum in *Aristide*, & *Timoleonte*. Livius *l.* III. *Romam ferri protinus Siccium placebat, ni Decemviri funus militare ei publica impensa decrevissent.* Tacitus *Annal. l.* IV. *Novo homini Censorium funus, effigiem apud forum Augustum, publica pecunia Patres decrevere.* Et *Annal.* VI. *Dein Piso viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto senatus celebratus est.* Efferebant autem Senatus, & ad exequias aderat universus populus. Quintil. *Declamat.* CCCXXIX. *Corpus illud omnibus, sibique ipsi damnatum, publicis scilicet exequiis efferemus? Hoc agite, ducatur ingens funeris pompa, eat primus Senatus, & ordo ille sanctissimus, quanquam recepta modo libertate lætus, vultus tamen habitusque ad mœstitiam transferat: dum maxima multitudo quæque, dum universus denique populus lustret atque ambiat rogum, adjiciamus & lacrymas.* Et reversus domum unusquisque, ut esset liberis tanquam incentivum ad virtutem, commemorabat, dicebatque, hæc præmia habere virtutem. Idem Quintil. *loco citato: Tum domum reversi narremus liberis nostris: hæc virtus habet præmia.* Errant vero docti viri, qui Indictivum, Publicum, & Censorium confundunt. Nam neque Indictivum erat Publicum, aut Censorium: neque Publicum Censorium, aut Censorium quoque Publicum. Utrumque tamen erat etiam Indictivum. Atque, ut semel recte teneamus, hic est funerum istorum ordo. Familiare, quod Seneca Tacitum dixit, ut mox explicabimus: atque illo majus quod erat, Indictivum: deinde Publicum iterum majus: postremo omnium magnificentissimum Censorium, quemadmodum Censoria quoque dignitas honorum omnium maxima. Tale illud Lucilii Longi Senatoris apud Tacitum *Annal.* IV. *Quanquam novo homini Censorium funus, effigiem apud forum Augusti, publica pecunia Patres decrevere.* Et *Annal.* VI. *Extremo anni mors Ælii Lamiæ funere censorio celebrata, qui administrandæ Syriæ imagine tandem exsolutus, urbi præfuerat.* Sed quid eximium habuit? hoc puto, quod omnia in eo purpurea fuerint, vestes, stragulæque, quæ in aliis tantum purpura prætexta: ita docet recte Cl. V. Just. Lipsius. Jam quid est *Militare* funus? Ecce apud Livium *l.* III. de L. Siccio: *Invidiæque plena castra erant: & Romam ferri protinus Siccium placebat, ni Decemviri funus militare ei publica impensa facere maturassent.* Arbitror, quod non populus, sed milites deducebant: & quidem incomptis signis. Tacitus de Germanici, *Annal.* III. *Tribunorum centurionumque humeris cineres portabantur, præcedebant incompta signa.* Vertebant quoque hæc. Papinius *lib.* VI. *Thebaid.*

—— *versis ducunt insignibus ipsi*
Grajugenæ reges. ——

Et reliqua item arma. Virgilius *Æneid.* XI. in Pallantis:

—— *tum mœsta phalanx, Teucrique sequuntur,*
Tyrrhenique duces, & versis Arcades armis.

Servius: *Lugentum more mucronem non cuspidem*

hastæ contra terram tenentes; scuta etiam invertentes, propter numina illic depicta, ne eorum simulacra cadaveris polluerentur aspectu. Efferebantur quoque arma ipsorum defunctorum, & producebatur equus inornatus sine phaleris. Ecce in eodem funere Pallantis:

Post bellator equus positis insignibus Æthon
It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alii, galeamque ferunt, (nam cætera Turnus
Victor habet.) ——

Et obtinuit hic mos multo quoque post, sub Imperatoribus, etiam in non militari. Chrysostomus *Hom.* III. *ad Pop. Antiochenum: Divite aliquo mortuo non servos solos, & ancillas, sed & equos necessarii sacco amicientes, & agasonibus tradentes, ad sepulcrum sequi jubent, calamitatis magnitudinem ostentantes, & omnes ad misericordiam allicientes.* Sane etiam hodie in magnatum exequiis videmus usitatum. Quandoque etiam flammæ, ad testandum luctum, arma sua injiciebant milites, puta si imperator decessisset. Suetonius *Julio*, cap. LXXXIV. *Injecere flammæ & veteranorum militum legionarii arma sua, quibus exculti funus celebrabant.* Et hæc de militari.

Nunc videamus, quid Imaginarium sit, apud Jul. Capitolinum in *Pertinace: Funus*, inquit, *imaginarium ei & censorium ductum est, & ab ipso Severo funebri laudatione honoratus est.* An intelligit cenotaphium? non potest: nam hæc facta peregre tantum mortuis. Quid igitur? Dicam. In elatione principum virorum nonnullis etiam imagines suæ ponebantur. Nam multi, etsi censorio quidem funere efferrentur, non tamen habebant honorem imaginis collocandæ: itaque censorium funus simpliciter legas apud Tacitum *lib.* IV. *Hist.* de Sabino fratre Imperatoris: *Funusque Censorium Flavio Sabino ductum.* Et *l.* XII. *Annal. Decretum Claudio Censorium funus, & mox consecratio.* Imago ecce præterea posita. Idem Tacitus *Annal.* IV. de Lucillio Longo Senatore, Tiberio unice charo: *Quanquam novo homin. Censorium funus, effigiem apud forum Augusti, publica pecunia Patres decrevere.* Atque hoc *Imaginarium* vocat Capitolinus, scriptor ejus ævi, quo non parum jam linguæ Romanæ decor cum imperio quoque suo declinabat. Finem imponerem Capiti, sed aurem mihi vellit funus *Tacitum* Senecæ *de Tranquillitate Vitæ l.* I. c. I. *Quid opus est sæculis duratura componere? Vis tu nunc id agere, ne posteri te taceant? Morti natus es: minus molestiarum habet funus tacitum.* Viri docti interpretantur, sine cantu, & symphonia, sine dissignatore, ludis, pompa, præcone, indictione. Ergo erit illud, quod nos Familiare antea esse ostendimus. Faveo. Et sic Plutarchus *Consolat. ad Uxorem: Hoc quoque narrant qui interfuerunt, & admirantur te neque lugubrem sumpsisse vestem, neque vel tibi vel ancillis ullam intulisse deformitatem, ullum planctum: neque fuisse in sepultura sumptum ullum insolentem aut magnificum adhibitum, sed cum necessariis omnia esse peracta decore, & tacite.* Sed aut ego fallor valde, aut voluit dicere, funus ignobile, & de quo nihil post mortem fama loquatur. Vis, inquit, scriptis famam comparare, & vereris ne post mortem nemo te noverit? natus es, ut moriaris. Minus molestiæ, minus laboris habet funus inglorium; nam ut illud nobile consequaris, maximo eoque assiduo labore est opus. Ista sententia est loci, quam quid attinet torquere? Et hæc mihi universim de generibus funerum venere in mentem: spero tractasse sine lapsu, quod difficile tamen, in re tam impedita.

CAP. XVIII.

Præibant parentes, conjuges, & propinqui. Inde tibicines. Tibia juvenum funeri propria, tuba virorum. Tamen postea non observatum est. Ejus rei origo. Ὀλοφυρμός. Λῖνος. Αἴλινος. *Qui moduli in hoc cantu. Tibiarum genera. Tibiæ* Funebres, *& tubæ. Numerus iis certus per* XII. *Tabulas. Quando desierint. Defletio, & ea ubi facta.* Præficæ. Næniæ. *Præficæ quando desierint, & quando inceperint. Næniæ quis auctor.* Lessus. *Quæ musicæ totius exequialis ratio.*

ORdinemus nunc funus: efferendum est. Parentes, liberi, conjuges, & reliqui deinde propinqui, pro sanguinis quisque gradu, antecedebant. Atque hoc, *Ducere funus*, dicebant. Juvenal. *sat.* X

Ut vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt
Funera gnatorum. ——

Plinius *lib.* II. cap ultimo: *Diem obiit in patria. Funus duxere ei propinquæ, ad quas pertinebat hereditas.* Idem *l.* VIII. c. XLII. *Rex defuncto ei duxit exequias: urbem tumulo circundedit nomine ejus.* Suidas in *Augusto: Augusto Cæsare mortuo, Tiberius & Drusus ducebant funus.* Seneca *Theb.*

Animosa virgo funus extendis meum,
Longasque vivi ducis exequias patris.

Etiam *Producere* dicebant. Statius *Epicedio in Glauciam:*

Ipse etenim tecum nigræ solemnia pompæ
Spectatumque urbi scelus, & puerile pheretrum
Produxi. ——

Virgil. *Æneid.* IX.

—— *nec te tua funera mater*
Produxi, pressive oculos. ——

Lucanus *lib.* II.

—— *ceu morte parentem*
Gnatorum orbatum longum producere funus
Ad tumulum jubet ipse dolor. ——

Sequebantur tibicines, & tubicines. At tibiam juvenibus tribuunt, tubam viris. Videamus. Servius *Æneid.* V. *Sciendum majoris ætatis funera ad tubam solere proferri, minoris vero ad tibias.* Lutatius *ad Thebaid.* VI. *Jubet religio, ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur.* De tuba Persius *sat.* III.

Hinc tuba, candelæ. ——

Hinc proverbialiter dicebant, *Licet ad tubicines mittas*, in desperatis morbis. Petronius *Satyrico: Nunquam ego ægrum tam magno periculo vidi: mediusfidius jam peristi. Quod si idem frigus genua manusque tentaverit tuas, licet ad tubicines mittas.* Minoris ætatis tibia erat, ut dixi. Statius *lib.* VI.

Cum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum producere manes
Lege Phrygum mœsta. ——

Apud Matthæum in *Euangelio*, cap. IX. *Et cum venisset Iesus in domum principis, vidissetque tibicines & turbam tumultuantem, dicit eis; Recedite, non enim mortua est puella, sed dormit.* Usitatum id jam a Pelopis temporibus. Statius *loco citato* subnectit:

—— *Pelopem monstrasse ferebant*
Exequiale sacrum, carmenque minoribus umbris.
Utile: quo geminis Niobe consumpta pharetris,
Squallida bissenas Sipylon deduxerat urnas.

Sed non obtinuit hoc semper. Ecce tibicines quoque in funere Julii Cæsaris apud Suetonium, cap. LXXXIV. *Tibicines & Scenici artifices vestem,*

quam ex instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi, atque discissam injecere flammæ. Item in Claudii, apud Senecam: *Tibicinum, cornicinum, omnisque generis æneatorum turba tanta, tantus conventus, ut etiam Claudius audire posset.* Ovidius *Trist. lib.* v. eleg. I.

Tibia funeribus convenit ista meis.

Græci ὀλοφυρμὸν vocabant. Athenæus *lib.* XIV. ubi de tibiarum carminibus: *In funere vero & luctu cantus* ὀλοφυρμὸς *vocatur.* Vel λίνον quoque, & αἴλινον, & ἰάλεμον. Idem Athenæus: *In nuptiis* ὑμέναιος, *in luctu* ἰάλεμος. λίνος *vero, &* αἴλινος *non tantum in luctu, sed & læto aliquo cantu.* De Ialemo apud Theocritum est, *Idyll.* XV.

—— τὸν ἰάλεμον ηὕρισκε.

At vero αἴλινον invenies passim apud Callimachum, Moschum, Sophoclem, Euripidem. Canebant autem modis Lydiis, qui luctui proprii. Apulejus *Flor.* I. *Tibicen quidam fuit Antigenidas, omnis voculæ melleus modulator, & idem omnimodis peritus modificator, seu tu velles Æolium simplex, seu Asium varium, seu Lydium querulum, seu Phrygium relligiosum, seu Dorium bellicosum. Milef.* IV. *Sonus tibiæ Phrygiæ mutatur in querulum Lydii modum, cantusque lætus Hymenæi lugubri finitur ululatu.* Sed ecce plane contra Acron *lib.* IV. *odæ* XV. *Lydiis tibiis læta cantabantur, Phrygiis tristia.* Et ipse hic Apulejus sibi contrarius, *Milef.* X *Jam tibiæ multiforatiles cantus Lydios dulciter resonant.* Propert. *l.* IV. *eleg.* VII.

Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas:
Qua numerosa fides, quaque æra rotunda Cybelles,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.

Et non absurdum omnino censebit, quisquis Lydorum mollitiem & luxum norit. Sed discrimen sciendum in tibiis fuisse, nam & funeribus aptæ illæ, & ludis. Ovidius in *Fastis*:

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis:
Cantabat mœstis tibia funeribus.

Quæ ad ludos pertinebant, ex loto fiebant, ossibusque asininis, & argento. Vide Plinium *lib* XVI. cap. XXXVI. Et multa habebant foramina, ut edere quemvis sonum possent, quod aptum lætitiæ. Inde Apulejus *loco citato*: *Tibiæ multiforatiles cantus Lydios dulciter resonant.* Illæ lugubres non tam multa habebant, quippe quæ non voluptati, sed querelis destinatæ. Et tales erant Veterum. Horat. in *Arte*:

Tibia non ut nunc orichalco vincta, tubæque
Æmula sed tenuis, simplexque, foramine pauco.

Habebant autem quatuor duntaxat foramina. Acron *ad Horatii locum*: *Varro ait ad Marcum de Lingua Latina quatuor foraminum fuisse tibias apud Antiquos: & seipsum in templo Marsyæ vidisse tibias quatuor foraminum.* Quem locum frustra quæras hodie in Varronis *Fragmentis*, quæ habemus. Hæ itaque rejectæ postea ingravescente luxu, damnatæque luctui, & proprie *Funebres* dictæ: nefasque eas audire Flamini. Festus: *Funebres tibiæ dicuntur, quibus in funere canitur, quas Flamini audire putabant illicitum.* Ut vero tibiæ distinctæ, sic quoque tubæ illæ mortuales. Clare docet Agellius *l.* XX. c. II. *In Capitonis Ateii Conjectaneis invenimus, Siticines appellatos, qui apud situs canere soliti essent, hoc est, vita functos, & sepultos: eosque habuisse proprium genus tubæ, a cæterorum differens.* Et magno quidem numero adhibebant, ad ostentationem: sed restrinxit lex XII. *Tabularum*, & ad decem redegit. Ovidius *Fast.* VI.

Temporibus veterum tibicinis usus avorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis:
Cantabat mœstis tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor: tempusq; secutum est,
Quod subito gratæ frangeret artis opus.
Adde quod ædilis, pompa qui funeris irent,
Artifices solos jusserat esse decem.

Cicer. *l.* II. *de Leg. Extenuato igitur sumptu, tribus riciniis, & vinculis purpuræ, & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem.* Sed desiit hic mos ævo Augusti Cæsaris. Audi Ovidium *loco citato*:

Quæritur in scena cava tibia, quæritur aris:
Ducit supremos nænia nulla thoros.

Et signate Dio quoque *lib.* LVI. notat in funere Augusti: *Tiberius, filiusque ejus Drusus, pullam forensi more paratam amicti, thure ipsi quoque rem sacram fecerunt, tibicine omisso.* Cum tibicinibus erant mulieres, quæ voce sua tibiarum tubarumque lamentis respondebant. Lucianus *de Luctu*: *Quid vero ejulat o vestra prodest, & illa ad tibiam pectoris verberatio, mulierumque immodica lamentatio.* Sed ubi defletio hæc & lamenta? passimne, in tota elatione? Non, sed in foro. Clare Tacit. *Annal.* III. *Ipsum quoque asperrimo hiemis Ticinum usque progressum, neque abscedentem a corpore simul urbem intravisse: circumfusas lecto Claudiorum Liviorumque* (ita recte Lipsius emendat) *imagines, defletum in foro, laudatum pro rostris, cuncta a majoribus reperta, aut quæ posteri invenerint, cumulata.* Hæ vero mulieres lamentorum principes *Præficæ* nuncupabantur. Festus: *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum præfectæ.* Nonius: *Præficæ dicebantur apud Veteres, quæ adhiberi solent funeri, mercede conductæ, ut & flerent, & fortia facta laudarent.* Glossæ: *Præfica*, ἡ πρὸ τοῦ κλίνης ἐν τῇ ἐκφορᾷ κοπτομένη. θρηνῳδός, ἐπ' ἐκφοράν. Nævius.

—— *hæc quidem*
Mehercle, opinor, præfica est, sic mortuum
Collaudat. ——

Retinuit id nomen ad bellum usque Punicum. Varro *de vita Pop. Rom. lib.* IV. *Deinde næniam cantari solitam ad tibias & fides, eorumque ludistricas cursitassent. Hæc mulier vocitata olim Præfica usque ad Punicum bellum.* Carmen autem, quod cantabat, *Nænia* appellabatur. Nonius: *Nænia, ineptum & inconditum carmen, quod adducta pretio mulier, quæ præfica diceretur, iis, quibus propinqui non essent, mortuis adhiberet.* Festus: *Nænia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam.* Varro *de vita Pop. Rom. lib.* IV. *Ibi a muliere, quæ optima voce esset, perquam laudari, deinde næniam cantari solitam ad tibias, & fides.* Nec præficarum tantum, sed tibicinum quoque. Cicer. II. *de Leg. Honoratorum virorum laudes in concione memorentur, easque etiam cantus ad tibicinem prosequatur, cui nomen Næniæ, quo vocabulo etiam a Gracchis cantus lugubres nominantur.* Suetonius in *Augusto*, cap. C. *Canentibus næniam principum liberis utriusque sexus.*

Refertur vero auctor Simonides. Horatius *lib.* II. *ode* I.

Sed ne relictis Musa procax jocis
Ceæ retractes munera næniæ.

Acron: *Nænia, carmen lugubre quod mortuis dicebatur, quod nunc Græce ἐπιτάφιον appellatur, quod Simonides Græcus Poeta Lyricus primus instituit.* Sed quando præficæ hæ, earumque næniæ ortæ? Non facile dixerim. Arbitror tamen usurpari cœpisse, cum lessum XII. *Tabulæ* prohibuerunt, ut vel sic satisfacerent vehementiæ doloris sui, & decoro, ut existimabant, matronæ. Erat vero *Lessus* non vestimentum aliquod funebre, quod ex antiquis doctis quidam voluit: sed ejulatio lugubris, quod Ciceroni quoque placuit II. *de Leg.* & II. *Tuscul.* Plautus clare:

Thetis quoque ipsa lamentando lessum fecit filio.

Et nihil aliud est quam Græcorum Αἶνος. Nam *Lesus* Tarentini dicebant, ut pro ἐσθῆς, *vestis*, ὠὸν, *ovum*, & talia infinita pæne. N autem in S mutatur, ut ἀρχιτέκτων, *architectus*, Γοργὼν, *Gurges*. Postea *Lessus* dici cœptum est, cum antiquitus consonantes literas non geminarent. Rationem vero musicæ hujus exequialis tradit Macrobius in *Somn. Scip. lib.* II. c. III. *Mortuos quoque ad sepulturam prosequi oportere cum cantu plurimarum gentium vel regionum instituta sanxerunt, persuasione hac, quia post corpus animæ ad originem dulcedinis musicæ, id est, ad cœlum, redire credantur.*

CAP. XIX.

In ditiorum & nobilium funere mimi præcedebant, & imagines præferebantur majorum: nec suæ tantum familiæ, sed earum etiam quibus sanguine juncti. Nomina imaginibus apposita, ut noscerentur. Vetitum id quoque, cum ignominiæ tum honoris caussa. Ipsa quoque defuncti effigies in fronte lecti posita. Si triumphales viri essent, tum triumphi quoque ferebantur.

SI quis e nobilioribus decessisset, præcedebant mimi, qui vitam defuncti actam repræsentarent, & sicinnim saltarent. Dionys. Halicarnas. docet *l.* VII. *Vidi vero etiam in virorum clarorum exequiis præter cæteram pompam satyristas ante lectum choreas ducentes, & sicinnim saltantes.* Suetonius *Vespas.* cap. XIX. *In funere Favo archimimus personam ejus ferens, imitansque, ut mos est, facta ac dicta vivi.* Et hi sunt, qui *Sicinistæ* vulgo dicebantur, ut tradit Gellius *l.* XX. cap. III. Præferebantur etiam imagines. Horatius *Epod.* VII.

Esto beata, funus atque imagines
Ducant triumphales tuum.

Quo loco Acron: *Tanquam nobilium funus imagines te præcedant majorum.* Porphyrion: *In funere nobilissimi cujusque solebant præferre imagines majorum.* Seneca *lib.* I. *Declam.* VI. *Pompejum, si hereditariæ extulissent imagines, nemo Magnum dixisset.* Propertius *lib.* II.

Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei.

Valerius Max. *l.* XIII. c. XV. *Africanus imaginem in cella Jovis Opt. Max positam habet: quæ quotiescunque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum est, inde petitur: unique illi instar atrii Capitolium est. Tam hercle, quam superiori Catoni Curia: unde effigies illius ad ejusdem generis officia expromitur.* Vide Dionem *l.* LVI. in funere Augusti. Tacit. *Annal.* II. de funere Germanici: *Funus sine imaginibus & pompa per laudes & memoriam virtutum ejus celebre fuit.* Statius *Thebaid.* VI.

Exin magnanimum series antiqua parentum
Invehitur. ——

Nec suæ tantum familiæ erant imagines, sed omnium quoque earum, quas sanguine attingebant. Plinius *l.* XXXV. c. II. *Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines quæ comitarentur gentilitia funera. semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus qui unquam fuerat populus. Stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas.* Et nomine præ se ferebant cujus unaquæque esset. Tacitus *Annal.* III. de funere Juniæ, illustris fœminæ: *Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatæ sunt, Manlii, Quinctii, aliaque ejusdem nobilitatis nomina.* Iterum *Annal.* IV. *Funus imaginum pompa maxime illustre fuit, cum origo Juliæ gentis Æneas, omnesque Albanorum reges, & conditor Urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Atta Clausus, cæteræque Claudiorum effigies, longo ordine spectarentur.* Sed si qui damnati, eorum imagines non circumferebantur. Disco ex eodem Tacito *Annal.* II. *Tunc Cotta Messallinus, ne imago Libonis exequias posterorum comitaretur, censuit.* Immo & honoris ergo Imperatoribus concessum. Dio *l.* LVI. de mortuo Augusto: *Decretum est ne ejus imago in cujusquam exequiis duceretur.* Caussa hæc, quia jam divus. Ille ipse exponit *lib.* XLVII. *Dixerunt porro ne in funeribus eorum qui Cæsari sanguine juncti essent, Cæsaris, nimirum qui vere deus existeret, ulla imago gestaretur.* Et hoc observatum fuisse videmus apud eundem iterum *lib.* LVI. in funere Augusti. Præter has majorum imagines ipsa quoque defuncti ferebatur, in fronte lecti. Observo ex Tacito *Annal.* III. *Ubi illa Veterum instituta? præpositam thoro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina, & laudationes, & lacrymas.* Et in magnatum funere plures una. Dio de Augusti, *l.* LVI. *Imago autem ejus cerea, habitu triumphali, conspiciebatur. Hanc a palatio ducebant consules designati: altera aurea ex curia, tertia in curru triumphali ducebatur. Post has avorum ipsius ac cognatorum vita functorum.* Ferebantur autem in celsis ferculis. Silius *lib.* X.

—— *celsis de more feretris*
Præcedens prisca exequias decorabat imago.

Si viri triumphales essent, etiam triumphi ferebantur. Lucanus *l.* VIII. de Pompeii funere:

Præferat ut veteres feralis pompa triumphos.

CAP. XX.

Feretrum quid, & unde. Cadaver in illo ferebatur. Lectus mortualis. Libitina. *Erat nobilium. Fasces quoque impositi, si magistratus efferretur. Manilius correctus. Multi efferebantur, sed lex coercuit, etsi non semper. Sandapila erat populi, & damnatorum: arca plebis, & servorum. Arcæ Massiliensium.* Bacca. *Damnati Imperatorum temporibus impositi plaustris.*

POst imagines feretrum erat; quod quid fuerit ipsi illi antiquiores Grammatici Servius, Lutatius, Fulgentius, non satis tenuisse videntur, dum cum sandapila, sive capulo confundunt. Neque rectius nos docet Nonius, qui a sepulcro nescit distinguere. Sane unus locus Varronis περὶ φθορᾶς κόσμȣ, quem ipse citat, cornua illi manifesto obvertit: *Propter cunam capulum positum nutrix tradidit pollinctori.* Sed hujs hominis magna nobis habenda ratio non est, quippe jam dudum communi omnium eruditiorum suffragio ineptiarum damnati. Qui autem Græcam esse dictionem contendunt, iis non venit in mentem Latinos non minus *Fero*, quam

Græcos dixisse, voce propria. Hoc de vocabulo. Ipsum autem erat e cupresso. Statius *Thebaid l.* VI.

Tristibus interea ramis, teneraque cupresso
Damnatus flammæ thorus, & puerile feretrum
Texitur. ——

Hinc intelligendus Horatius *l.* II. *ode* XIV.

Linquenda tellus, & domus, & placens
Uxor, neque harum quas colis arborum
Te præter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur.

Vel etiam e quercu: & erat cratis instar. Virgilius id nos docet *Æneid.* XI.

Haud segnes alii crates, & molle pheretrum
Arbuteis texunt virgis, & vimine querno.

Licet quoque colligere ex Papinio, apud quem legimus:

—— *& puerile pheretrum*
Texitur. ——

Ecce, *texitur*: ergo crates. Jacebat in eo mortuus, lectulo impositus. Livius de bello Macedonico, *l.* VIII. *Tradunt pileatum, sicut in triumpho erat, in funere quoque ante lectum isse.* Philostratus *de Vita Sophist. l.* II. in *Herode*: *Mortuo vero ipso Marathone, cum mandasset libertis, ut ibi se sepelirent, Atheniensium adolescentum manibus raptum in Urbem intulerunt, omni ætate lectum præeunte.* Et hic lectus proprie funebris, diversusque a convivali. Tamen sub Imperatoribus illustriores damnati, noctu propter Imperatorum metum, sine solita pompa, & in convivali tantum sæpe efferebantur. Tacitus de Agrippina, *Annal.* XIV. *Cremata est nocte eadem, convivali lecto, & exequiis vilibus.* Funebris autem ille proprie *Libitina* dicebatur. Horat. *l.* III. *ode* XXX.

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam. ——

Acron: *Libitina lectus est, in quo mortui efferebantur.* Martialis *l.* VIII. *epigramm.* XLIII.

Victores committe Venus, quos iste manebit
Exitus, una duos ut libitina ferat.

Quintilianus *Declam.* VI. *Inanis domus libitina plangitur.* Sed errat Acron, aut quicunque auctor istorum *Scholiorum*: nam potius feretrum erat, cui impositus lectus. Nemo nos hoc melius docuerit uno Pediano *ad Orat. pro Milone*: *Fasces ex lecto libitinæ raptos attulit ad domum Scipionis & Hypsæi.* Nec unus ille erat, sed multi, ad ostentationem: pro opibus cujusque, & dignitate. Servius *ad Æneid.* V. *In honorem regum cum faculis procedebatur a populis: postea etiam funebres lectos proferre cœperunt.* Ad librum sextum vero dicit: *Hoc apud majores gloriosum fuerat, & dabatur pro qualitate fortunæ.* Certe Marcellus Octaviæ Augusti sororis filius sexcentos, Sylla sex millia habuisse traditur. Vide luxum. Tamen legibus XII. *Tabularum* cautum erat, ne plures singulis haberent. Cic. II. *de Leg. Credoque quod erat factitatum, ut uni plura fierent, lectique plures inferrentur: id quoque ne fieret lege sancitum est.* Sed pervicit iterum postea ambitio, neque frænum a lege ullum fuit. Viri consulares, & qui curuli magistratu functi, curru & sella curuli efferebantur. Hinc capiendus Livius ab V. C. *l.* II. *Monent honoribus & administratione Reip. abstineant. Consulares vero fasces, prætextam, curulemque sellam, nihil aliud quam pompam funeris putent.* Idem honos matribus quoque eorum habitus, & uxoribus. Cornelia apud Propertium *l.* IV. *eleg.* ultima:

—— *sim digna merendo,*
Cujus honoratis ossa vehantur equis.

Hoc item addendum, fasces etiam, magistratus insignia, lecto imponi, unaque efferri consuevisse. Locus est Pediani *ad Orat. pro Mil.* e quo haurio: *Fasces ex lecto libitinæ raptos attulit ad domum Scipionis & Hypsæi.* Et Livius *cita o loco* in funebri pompa clare fasces ponit. Manilius ex Romano hoc more dixit *l.* IV.

Nec sunt immensis opibus venalia fata,
Sed rapit & sceptro fun' Fortuna superbum,
Indicitque rogum summis, statuitque sepulcrum.

Ita lego. Male hodie, *ex sceptro funus Fortunæ superbo.* Nam quid est, quæso, *Fortuna rapit funus ex sceptro.* Quis sic unquam loquutus est? Eleganter vero, & plane poetice dixit, *Funus superbum sceptro*, in quo sceptrum libitinæ impositum effertur. Sed redeam nunc ad lectos. Erant hi solum virorum clarorum: populus enim in sandapila efferebatur. Fulgentius *de Prisco Sermone*: *Sandapilam dici Antiqui voluerunt feretrum mortuorum, id est, loculum, non in quo nobilium corpora, sed in quo plebejorum atque damnatorum cadavera portabantur.* At vero errat, quod feretrum cum sandapila idem esse putat, ut supra dixi: & plebem cum populo confundit. Martialis *l.* VIII. *epigramm.* LXXV.

Permutatur onus, stipataque tollitur alte
Grandis in angusta sarcina sandapila.

Et videre est ex non uno loco ejusdem Poetæ. Suetonius *Domitiano*, c. XVII. *Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum.* Gladiatores quoque mortui ex amphitheatro in sandapila ejiciebantur, ut docet Interpres vetus Juvenalis ad illud *sat.* VIII.

Inter carnifices, & fabros sandapilarum.

Servi quoque testamento manumissi, quos libertos Orcinos ex Jure nostro vocatos scimus, certum quoddam & proprium sandapilæ genus habebant. Martialis *l.* X. *epigramm.* V.

Vocet beatos clamitetque felices,
Orciniana qui feruntur in sponda.

Plebis erat arca. Lucanus *l.* VIII.

Da vilem Magno plebeii funeris arcam,
Quæ lacerum corpus siccos effundat in ignes.

Item servorum. Constat ex Horatio *l.* I. *sat.* VIII.

Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.

Massilienses duas habebant, in quarum altera ingenuos; altera servos evehebant. Valerius Max. *l.* II c. VI. *Duæ etiam ante portas eorum (Massiliensium) arcæ jacent: altera, qua liberorum, altera qua servorum corpora ad sepulturæ locum plaustro devehuntur.* Posteriore ævo sandapila sive arca etiam *Bacca* dici cœpit. Glossæ Isidori: *Bacca, capulus in quo mortui deferuntur.* Omnino autem cavendum est, ne quis has arcas confundat cum illis, quibus circundari sepulcra solita infra ostendemus. Hoc volebam monitum. Sub Imperatoribus postea plaustris imposita damnatorum cadavera. Herodianus *l.* V. *Cadavera plaustris omnibus per contumeliam imposita, atque extra urbem exportata.*

CAP. XXI.

Feretro qui subierint in funere domestico, extraneo, Imperatorio: qui item in pauperum, servorum, damnatorum. Et illi quidem capitibus velatis. Viri humeris efferebantur, mulieres manibus, nisi quæ sæculo renuntiassent. Pueros lactentes ipsæ matres sub uberibus efferebant.

Subibant in parentum funere filii, & generi. Valerius Max. *l.* VII. *c.* I. *Q. Metellum ultimæ senectutis spatio, lenique genere mortis inter oscula com-*

A *plexusque charissimorum pignorum exstinctum, filii & generis humeris suis per Urbem latum rogo imposuerunt.* Lucanus *l.* VIII.

Ut Romana suum gestent pia colla parentem.

Plinius *l.* VII. c. III. *Inter quas legitur Eutyche, a viginti liberis rogo illata Trallibus, enixa triginta partus.* Et erant velatis capitibus. Plutarchus in *Quæst. Rom. Parentes filii quidem efferunt velatis capitibus.* Si filii, aut generi nulli essent, succedebant qui genere proximi: si neque illi, tum servi, sed manumissi: & illi quoque capitibus velatis. Vides ecce apud Persium, *sat.* III.

——— at illum

B *Hesterni capite induto subiere Quirites.*

Posteriori ævo in Christianorum exequiis, præter propinquos etiam sacerdotes efferebant. Sidonius *l.* II. *epist.* VIII. *Sacerdotum propinquorumque manibus excepta, perpetuis sedibus dormienti similior illata est.* In extraneo funere subibant amici: in magnatum, ac virorum præclarorum, juvenes nobiliores. Plutarchus in *Lucullo*: *Corpus a nobilissimis adolescentibus in forum prolatum cum esset, in Campum Martium efferre, ibique ut & Syllam sepelire contendit.* Idem in *Timoleonte*: *Lecti suffragio adolescentes primarii feretrum subierunt.* Cicero C pro *L. Flacco*: *Possem recitare psephismata Smyrnæorum, quæ fecerunt in Castricium mortuum. Primum ut oppidum introferretur, quod aliis non conceditur: deinde, ut ferrent ephebi.* Imperatorum lectos ferebant Senatores. Suetonius *Augusto*, cap. C. *Senatorum humeris delatus in campum, crematusque.* Et in *Julio*, c. LXXXIV. *Lectum pro Rostris in forum magistratus & honoribus functi tulerunt.* Sub posterioribus Imperatoribus ad juvenes iterum hoc officium delatum est, legebanturque ex equestri & senatorio ordine. Herodianus *l.* IV. in funere Severi: *Ubi jam visus obiisse diem, lectum humeris attollunt equestris senatoriique ordinis nobilissimi ac le-* D *ctissimi juvenes, perque viam sacram in vetus forum deferunt.* Et humeris quidem efferebant, si virile funus. Val. Max. *Humeris suis per Urbem latum rogo imposuerunt.* Suetonius: *Senatorum humeris delatus in Campum.* Inde nimirum *Subire* dicebant. Virgilius:

—— pars ingenti subiere pheretro.

Plutarchus in *Othone*: *Efferebant in armis, qui lectum subire & ferre occupassent.* Sed si muliebre funus, manibus ferebatur: quippe esse supra se illum sexum, ne mortuum quidem volebant, quem sciebant submitti sibi debere. Propertius *l.* IV.

Num minus immites habui Cornelia Parcas,
Et sum quod digitis quinque levatur onus?

E Et obtinuit hic mos etiam ad tempora usque Majoriani & Anthemii Imperatorum. Testis Sidonius, ejus ævi Scriptor, *l.* II. *epist.* VIII. *Cum libitinam ipsam flentes omnes externi quoque prensitarent, removerentur, exoscularentur, sacerdotum propinquorumque manibus excepta, perpetuis sedibus dormienti similior illata est.* Postea tamen apud Christianos habitus is honos iis quæ sæculo renuntiassent, & digniores jam multo viris qui adhuc in sæculo. Apud Hieronymum in *epistola ad Eustochium*, de epitaphio Paullæ: *Translataque episcoporum ma-* F *nibus, & cervicem feretro subjicientibus, cum alii pontifices lampadas cereosque præferrent: alii choros psallentium ducerent, in media Ecclesia in spelunca Salvatoris est posita.* Pueros lactentes adhuc efferebant ipsæ matres, sed feretrum illis erant suæ manus, & ferebant sub uberibus. Indicat Statius clare *Epicedio in Filium*:

Si qua sub uberibus plenis ad funera natos
Ipsa gradu labente tulit, madidumque cecidit
Pectus, & ardentes restinxit lacte favillas.

Ovidius in *epistola Sapphus*:

Non aliter, quam si nati pia mater adempti
Portet ad exstructos corpus inane rogos.

Pauperum, servorum, & damnatorum cadavera per homines viles & mercede conductos efferebantur. Juvenalis *sat.* III.

—— vivant Artorius istic,
Et Catulus: maneant qui nigrum in candida vertunt,
Queis facile est ædem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver.

Horatius *l.* I. *sat.* VIII.

Hic prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.

Martialis *l.* VIII. *epig.* LXXV.

Quatuor inscripti portabant vile cadaver,
Accipit infelix qualia mille rogus.

CAP. XXII.

Incedebant tardo gradu. Quis numerus subeuntium. Post lectum lances cum aromate, & thure. Inde populus sequebatur, capite prono: Ferebant autem prius in Rostra, ad laudationem. Ædiculæ ligneæ, sub quo lectus tantisper, & mortuus in eo plerunque erectus. Saltem extra portas prosequi mos. Præcurrentis plebis multitudo. Prosecutis ad rogum mulsum propinatum.

INcedebant autem tardo gradu. Hinc Propertius *lib.* IV.

Si piguit portas ultra procedere, at illud
Jussisses, lectum lentius ire meum.

At quam multi, qui ferebant? Honestiorum sub lecticis sex erant. Martialis *l.* II. *epigr.* LXXXI.

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit,
Cum tamen hæc tua sit Zoile sandapila.

Item *l.* VI. *epigramm.* LXVII.

Invidiosa tibi quam sit lectica requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Nonnunquam etiam octo. Idem Martialis *lib.* IX. *epigr.* III.

Octo Syris suffulta datur lectica puellæ,
Nudum sandapilæ pondus amicus erit.

Quod si populare funus, aut plebejum, quatuor tantum. Idem Epigrammatarius *l.* VIII. *epig.* LXXV.

Quatuor inscripti portabant vile cadaver.

Post lectum ferebantur in lancibus thura, aliaque aromata, comburenda una cum mortuo. Propertius *l.* II.

Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa thoro.
Desit odoriferis ordo mihi lancibus: adsint
Plebeii parvæ funeris exequiæ.

Et erant hæ lances magno numero. Inde illa Statii *Sylv. l.* V. de Priscillæ funere:

—— quis carmine digno
Exequias & dona malæ feralia pompæ
Perlegat? omne illic stipatum examine longa
Ver Arabum, Cilicumque fluit, floresque Sabæi,
Indorumque arsura seges, præreptaque templis
Thura. ——

Inscribebanturque illis, quid quæque continerent. Statius *Theb.* VI.

Portant inferias arsuraque fercula primi
Grajorum, titulisque pios testantur honores.

Deinde sequebatur longo ordine populus, & capite in terram dejecto, in tristitiæ signum. Propertius *l.* IV.

Denique quis nostro curvum te funere vidit?
Atram quis lacrymis incaluisse togam?

Hinc Seneca *epist.* C. capiendus: *Ego duritiem suadeo, & in funere ipso erigere vultum volo, & animum ne contrahi quidem volo.* Ferebant autem prius in forum ad Rostra, ut oratio ibi haberetur in laudem defuncti: ut notum est ex infinitis Auctorum locis, adeo ut vix ignorent illi qui a primo saltem limine has literas politiores gustarunt. Dum vero laudatio perageretur, lectos deponebant sub ædiculis, quas ligneas fuisse docet nos Polybius *l.* VI. Mortui ipsi, quorum laus esset recitanda, erigebantur plerumque, & tanquam sensus adhuc illis inesset, quasi ad audiendum componebantur. Polybius *l.* VI. *Confecta elatione perducitur cum reliquo ornatu in forum ad Rostra, aliquando quidem erectus, paullulum vero inclinatus.* Finita oratione, in rogum ferebant, prosequebanturque. Sed si ad rogum usque ire non libebat, saltem extra portam prosequebantur, atque tum officio satisfecisse existimabantur. Hinc est illud apud Propert.

Si piguit portas ultra procedere, at illud
Jussisses, lectum lentius ire meum.

Et huc pertinet Senecæ querela *Nat. Quæst. l.* III. c. XVIII. *Quotusquisque funus domesticum ad rogum prosequitur? fratrum, propinquorum extrema hora deseritur, ad mortem nulli concurritur.* Caussa autem non ulterius prosequendi erat vel cœli sæpe inclementia, vel longitudo etiam viæ. Nam cremare cadavera intra quindecim ab urbe stadia non licebat, quod cautum fuit anno U. C. septingentesimo decimo sexto, Appio Claudio, C Norbano Coss. Dio *l.* XLVIII. *Præterea edictum est, ne mortui cremarentur intra quindecim ab urbe stadia.* Atque hinc laudat illud δημοτικὸν Tiberii, Suetonius cap. XXXII. *Quorundam illustrium exequias usque ad rogum frequentavit.* Præcurrere autem ad exequiarum spectaculum magna frequentia plebs solebat. Statius *Epicedio in Glauciam*;

—— plebs cuncta nefas, & prævia flerunt
Agmina, Flaminio quæ limite Milvius agger
Transvehit, immeritus flammis dum tristibus infans
Traditur. ——

Sic apud Græcos quoque. Philostratus in *Herode*: *Adolescentum manibus rapientes in urbem intulerunt, omni ætate lectum præeunte.* Uni Scipioni habitus hic honos, ut qua præterferretur ejus cadaver, flores a populo jacerentur. Notat Plinius *l.* XXI. c. III. *Florum quidem Pop. Romanus honorem Scipioni tantum habuit. Serapio cognominabatur, propter similitudinem suarii cujusdam negotiatoris. Ob id erat in tribunatu plebei admodum gratus, dignusque Africanorum familia. Nec erat in bonis funeris impensa, Asses ergo contulit populus, ac funus elocavit: quaque præferebatur, flores e prospectu omni sparsit.* Cum ventum jam ad rogum esset, qui magnificentiores, mulsum prosequutis propinabant. Videmus apud Livium de bello Macedonico, *l.* VIII. *Hunc prætorem adeo amicum Corneliæ familiæ, ut qui Romæ mortuum elatumque P. Scipionem (est enim ea quoque fama) tradunt, pileatum, sicut in triumpho ierat, in funere quoque ante lectum isse, memoriæ prodiderunt: & ad portam Capenam mulsum prosecutis funus dedisse.*

CAP. XXIII.

A Funeræ *quæ dictæ. Capite nudo, & capillo passo efferebant: item atratæ, cum reliquæ tantum anthracinatæ. Genas radebant, donec id* XII. *Tabulæ vetarent. Servii ineptia. Ubera quoque lacerabant.*

Etiam fœminis locus suus in exequiis erat, non minus quam viris. Et ducebant reliquum agmen item matres, conjuges, filiæ, sorores, sanguine proximæ; ad quas funus pertinebat, & *Funeræ* dicebantur. Servius *Æneid.* IX. *Apud majo-*
B *res Funeras dicebant eas ad quas funus pertinet, ut sororem, matrem.* In funere parentum filiæ incedebant capite nudo, coma passa. Plutarchus *Rom. Quæst.* XIV. *Parentes efferunt filii quidem velatis, filiæ vero nudis capitibus, & capillis solutis.* Nec hæ tantum, sed quæcunque prosequebantur. Virgilius *Æneid.* III.

——— stant manibus aræ,
Cæruleis mœstæ vittis atraque cupresso,
Et circum Iliades crinem de more solutæ.

Petronius *Satyrico*: *Cum virum extulisset, non contenta vulgari more funus passis prosequi crinibus.*
C Herodian. *l.* I. *Solutis crinibus abjiciens se in terram nihil aliud quam lugentis habitum præ se ferebat.* Quæ genere proximæ, atratæ erant: reliquæ propinquæ anthracinatæ. Varro *de Vita Pop. Rom. lib.* III. *Propinquæ anthracinis, proximæ amiculo nigello, capillo demisso sequerentur lectum.* Radebant quoque genas, ut doloris vehementiam testarentur. Servius *Æneid.* II. *Moris fuerat ut ante rogos humanus sanguis effunderetur vel captivorum, vel gladiatorum: quorum si forte copia non fuisset, fœminæ laniantes genas suum effundebant cruorem, ut rogis illa imago restitueretur.* Verum, o cerebrum Grammatici! non hæc caussa, at illa, quam di-
D xi. Sed postea vetuerunt leg. XII. *Tabularum.* Plinius *l.* XI. c. XXXVII. *Infra oculos malæ, homini tantum, quas Prisci genas vocabant,* XII. *Tabularum interdicto radi eas a fœminis vetantes.* Habemus quoque apud Festum, & Cic. II. *de Leg.* Laniabant etiam mammas. Artemidorus *l.* I. c. XLII. *Ipsæ enim (mulieres) in luctu etiam mammas laniant.* Propertius *l.* II.

Tu vero nudum pectus lacerata sequare.

CAP. XXIV.

E *Immatura funera ad faces & cereos elata. Faces eæ olim e funibus, postea ex scirpo fieri solitæ.*

Minora, & immatura funera, cum ante lucem id facerent, ut antea dixi, ad cereos facesque efferebant. Testis mihi locuples Seneca loco non uno. *De Brevitate vitæ*, c. XX. *Istorum funera, tanquam minimum vixerint, ad faces & cereos deducenda sunt. Epist.* CXXIII. *Quantulum enim a funere absunt, & quidem acerbo, qui ad faces & cereos vivunt? De Tranquillitate vitæ, l.* I. c. XI. *Toties in vicinia mea conclamatum est, toties præter limen immaturas exequias fax cereusque præ-*
F *cessit.* Fiebant vero hæ faces e scirpo. Plinius *lib.* XVI. c. XXXVII. *Nec in fruticum, nec in veprium, cauliumve, neque in herbarum, aut alio ullo quam suo genere numerentur jure scirpi fragiles palustresque ad tegulum tegetesque: e quibus detracto cortice candelæ luminibus & funeribus serviunt.* Antiquitus tamen funus erant. Servius *Æneid.* I. *Funalia sunt, quæ intra ceram sunt. atque sunt dicta a funibus, quos ante usum papyri cera circundatos habuere majores. Unde & funera dicuntur, quod funes incensos mortuis præferebant.*

CAP. XXV.

Pyra. Rogus. Bustum. Bustar. Quam longe abesse ab aedibus debuerit. Pyrae magnitudo pro qualitate defunctorum. Quadrangula, & aequis lateribus, quatuor tabulatis, iisque pictis. Arae instar formata. Cupresso circundata. E quernis lignis exstructa, primo rudibus, mox politis: donec XII. *Tabulae vetuerunt. Querna ligna postea eviluerunt. Gradus in ea.*

VEntum est ad pyram: videbimus quid illa, & quae ad illam. Nondum accensa, *Pyra* dicebatur: cum accenderetur, *Rogus*: cum deflagrasset, *Bustum*. Servius *Aeneid.* XI. *Pyra est lignorum congeries: Rogus, cum ardere coeperit, dicitur; Bustum vero jam exustum vocatur*. Si tamen ibi combustum tantum cadaver, *Ustrina* vocabatur. Festus: *Bustum proprie dicitur locus in quo mortuus est combustus, & sepultus. Ubi vero combustus quis tantummodo, alibi vero est sepultus, is locus ab urendo Ustrina vocatur*. Apud Charisium quoque *Bustar* invenio, *l.* I. *Bustar, locus ubi cremantur mortuorum corpora*. Leges XII. *Tabularum* volebant pedes sexaginta abesse ab aedibus alienis, nisi earum dominus consensisset: idque ad vitandum incendium. Cic. *l.* II. *de Leg. Rogum bustumve novum vetat propius sexaginta pedes adjici aedes alienas invito domino, incendium veretur acerbum.* Non enim sine periculo esse eventus docuit, quippe funere P. Clodii curia incensa, & conflagravit basis statuae Attii Navii, quae ante eam, & ambusta basilica Porcia. Testes Dio *l.* XL. Plinius *l.* XXXIV. c. V. & Asconius *ad Milonianam*. Faciebant autem grandem, pro qualitate defunctorum: docet Servius *ad Aeneid.* IV. & VI. Et quidem ad arae instar. Inde dixit Virgil. *Aeneid.* VI.

—— aramque sepulcri

Congerere arboribus, coeloque educere tentant.

Servius: *Pyram dicit, quae in modum arae lignis construi solebat*. Praeterea quadrangulam, & lateribus aeque latis. Herodianus *l.* VI. *Qua latissime campus patet suggestus quidam specie quadrangula, lateribus aequis assurgit, nulla praeterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam*. Nonnus *Dionys.* XXXVII.

Extruxere rogum pedibus centum undique celsum.

Quatuor quoque erant quasi tabulata, in quorum inferiore stramina erant posita, quae facile flammam incensa conciperent: in proximo flores, in tertio thura, reliquaque aromata, in quarto vestes pretiosissimae ex auro, argento, bysso, purpuraque. Clare docet Statius *Thebaid.* VI.

—— ima virent agresti stramina cultu,
Proxima gramineis operosior area sertis,
Et picturatus morituris floribus agger.
Tertius assurgens Arabum strue tollitur ordo
Eoas complexus opes, incanaque glebis
Thura, & ab antiquo durantia cinnama Belo;
Summa crepant auro. ——

Paullatim vero superiora decrescebant, & erant minora, ad instar phari. Herodianus *l.* IV. *Supra vero alterum, minusculum quidem positum est, sed forma & ornatu persimile, portis januisque patentibus. Tertiumque item & quartum semper superiore contractius: ac deinceps alia, donec ad extremum, quod est omnium brevissimum, perveniatur*. Tota

A autem pyra picta erat. Plinius *l.* XXXV. c. VII. *Et pericula expingimus, ne quis miretur & rogos pingi*. Herodianus *loco citato*: *Id quidem* (loquitur de rogo) *interius totum est aridis fomitibus oppletum, extra autem intextis auro stragulis atque eboreis signis variisque picturis exornatum*. Struebant vero ex lignis quernis. Virgilius *Aeneid.* VI.

Principio pinguem tedis, & robore secto
Ingentem struxere pyram. ——

Sophocles *Trachiniis*:

Deinde robur altiradicum manu
Tondens, & oleam agrestem multam masculam,
Pyram exstrue, inque hanc corpus infelix jace.

B Apud Homerum *Iliad.* Ψ. in extruenda pyra Patrocli:

Aggressi saeva mox robora celsa bipenni
Festini secuere. ——

Primo quidem rudia erant, & impolita: deinde poliri ea & asciari coepta: donec leges XII. *Tabularum* iterum prohibuerunt. Cic. II. *de Leg. Hoc plus*, inquit, *ne facito. Rogum ascia ne polito*. Postea adeo eviluerunt, ut vix populari rogo sint adhibita. Statius *Thebaid.* XII.

—— nec robora vilem
Struxerunt de more rogum, nec bellicus agger
C *Curribus, & clypeis, Grajorumque omnibus armis*
Sternitur. ——

Lucanus *l.* VIII.

Da vilem Magno plebeii funeris arcam,
Quae lacerum corpus siccos effundat in ignes:
Robora non desint misero, nec sordidus ustor.

Ac subsellia integra cremari pro iis coepta, & quicquid tale. Suetonius *Julio*, c. LXXXIX. *Virgulta arida, & cum subselliis tribunalia, quicquid praeterea ad domum aderat, congessit*. Dio *l.* XL. *Corpus Clodii sublatum ad curiam honeste collocatum tulerunt, idque rogo ex subselliis constructo, cum*
D *ipsa curia combusserunt*. Circumdabat autem universam cupressus. Virgilius:

Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latus, & ferales ante cupressos
Constituunt. ——

Servius: *Varro dicit pyras ideo cupresso circundari, propter gravem ustrinae odorem, ne eo offendatur populi circumstantis corona*. Et idem colligere ex Statio est, *Thebaid.* l. VI.

Tristibus interea ramis, teneraque cupresso
Damnatus flammae thorus, & puerile pheretrum
Texitur. ——

Erant vero certi gradus in illa. Ecce *Aeneid.* IV.
E Anna Didoni sorori in rogo jam ardenti opitulatura accurrens:

—— —— gradus evaserat altos
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu. ——

CAP. XXVI.

Oculi in rogo aperti. Facem qui injecerint, & quomodo. Impensae rogi. Earum magna pars plerunque donata ab amicis: item diripi solita a scurris. Legibus obviam itum est. Cicero correctus. Lycurgi institutum. Pythagoricorum mos. Venti observati,
F *& invocati. Aliquando denis virorum cadaveribus singula mulierum addita.* Membrum abscindere mortuo *quid*.

PEr hos ascendebant ad fastigium, & lectum rogo imponebant. Cum imposuissent, oculos iterum, quos antea domi condiderant, clauserantque, aperiebant. Plinius *lib.* XI. c. XXXVII. *Morientibus illos* (*oculos*) *operire, rursusque in rogo patefacere, Quiritium magno ritu sacrum est*. Ita

Ita more condito, ut neque ab homine supremum eos spectari fas sit, & cœlo non ostendi. Deinde accendebant: & quidem parentes, vel filii, vel genere proximi. Lucretius *lib.* VI. extremo:

Namque suos consanguineos aliena rogorum
Insuper exstructa ingenti clamore locabant,
Subdebantque faces. ——

Hercules ipse apud Sophoclem *Trachiniis*, ubi filio Hyllo præcepta sepulcralia dat, jubet:

Piaque piceam dextera prendens facem,
Accende. ——

Idem faciebant parentes. Calpurnius *Declamat. contra divitem*, XXVIII. *Ego autem quid faciam? laqueum filiæ solvam, an flammeum superponam? facem nubenti præferam, an rogum jacentis accendam?* Statius *Epicedio Pileti*:

—— *miserum est primæva parenti*
Pignora, surgentesque nefas accendere natos.

Lucanus *lib.* II.

—— *ceu morte parentem,*
Gnatorum orbatum longum producere funus,
Ad tumulum jubet ipse dolor, juvat ignibus atris
Inseruisse manus, constructoque aggere busti
Ipsum atras tenuisse faces. ——

Vel uxores quoque. Cornelia Pompeii apud eundem Lucanum *lib.* IX.

Ergo indigna fui, dixit, Fortuna marito
Accendisse rogum? ——

In Imperatorum funere faciebat Imperii heres, & is plerunque filius. Herodianus *lib.* IV. *Quæ ubi celebrata sunt, facem capit Imperii successor, eamque tabernaculo admovet.* Quod si contigisset novam nuptam ipso nuptiarum tempore excedere, tum facibus nuptialibus rogum accendebant. Heliodorus docet *Æthiopic.* lib II. *Eadem autem nocte, qua marito accubuerat, mortua est infelix, cum fulmen quoddam, seu manu excitatus ignis in cubile incidisset. Atque ita hymenæum, qui canebatur adhuc, excepit luctus, & ex thalamo ad sepulcrum deducebatur, & faces quæ lumen ediderant nuptiale, eædem ipsæ funebrem rogum succendebant.* Et clarissime Seneca quoque lib. VI. *Declam.* VI. *Versæ sunt in exequias nuptiæ, genialisque lectus mutatus est in funebrem. Subjectæ sunt rogo infelices faces.* Ecce, faces vocat *infelices*, quia destinatæ gaudio adhibebantur luctui. Incendebant vero aversi. Virgilius in funere Miseni *Æneid.* VI.

—— *pars ingenti subiere feretro*
Triste ministerium, & subjectam more parentum
Aversi tenuere facem. ——

Comburebant & multa alia, quæ injecerant, puta thus, & talia. Virgilius *loco citato*:

—— *congesta cremantur*
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.

Gemmas quoque, aurum, argentum, & pretiosas vestes. Statius *Thebaid.* VI. in funere Archemori:

Ditantur flammæ: non unquam opulentior illo
Ante cinis, crepitant gemmæ, atque immane liquescit
Argentum, & pictis exsudat vestibus aurum.

Etymologici Auctor: *Veteres, quæ pulcerrima & pretiosissima habebant, mortuis in honorem inspergebant.* Plutarchus in *Sylla*: *Ferunt tantum a mulieribus aromatum Syllæ ingestum, ut præter ea quæ in CCX. feretris illata sunt, justæ magnitudinis imago ipsius efficta sit, atque lictoris, ex thure pretioso & cinnamomo.* Ipsi quoque servi, etsi alias sine thure ullo aut aromate cremati per vespillones hunc honorem tulerunt a dominis, quibus supra modum erant chari. Papinius in *Epicedio Pileti Ursi servi*:

—— *sed nec servilis adempto*
Ignis, odoriferos exhausit flamma Sabæos,
Et Cilicum messes, Phariæque exempta volucri
Cinnama, & Assyrio manantes gramine succos.

Et diripiebant hæc sæpe scurræ semicremata. Martialis locus est, qui docet, *lib.* XI. *epigr.* LV.

Unguenta, & casias, & olentem funera myrrham,
Thuraque de medio semicremata rogo;
Et quæ de Stygio rapuisti cinnama lecto,
Improbe de turpi, Zoile, redde sinu.

Donabantur autem plerumque ab amicis. Statius lib. V. *Sylv.*

—— *quis carmine digno*
Exequias, & dona malæ feralia pompæ
Perlegat? omne illic stipatum examine longo
Ver Arabum Cilicumque fluit, floresque Sabæi,
Indorumque arsura seges, præreptaque templis
Thura. ——

Suetonius *Julii* cap. LXXXIV. *Præferentibus munera, quia suffecturus dies non videbatur, præceptum est, ut omisso ordine, quibus quisque vellet itineribus urbis portaret in campum.* Herodianus *lib.* IV. *Igitur lecto in secundum tabernaculum sublato, aromata & suffimenta omnis generis, fructus herbasque, succosque omnes odoratos conquirunt, atque acervatim effundunt: quippe neque gens est, neque civitas, neque qui honore ullo aut dignitate præcellat, quin certatim pro se quisque suprema illa munera principis honori deferant.* Hæc ipsa intelligit Martialis *lib.* VI. *epigramm.* LXII.

Amisit pater unicum Silanus.
Cessas mittere munera, Appiane?

Quod ad vestes, inhibuit Solon, & lege lata vetuit, ne plures tribus injicerentur. Plutarchus in *Vita ejus*: *Bovem vero immolare non permisit, neque plura tribus vestimenta in rogum addere.* Hinc illa Romæ de tribus riciniis, CXXII. *Tabulis.* Cic. II. *de Leg. Nam de tribus riciniis, & pleraque illa Solonis sunt.* De auro, vetuerunt quoque XII. & erat in earum legibus: NEVE. AVRVM. ADDITO. AST. QVOI. AVRO. DENTES. VINCTI. ESONT. IM CVM. ILLO. SEPELIRE VREREVE. SE. FRAVDE. ESTO. Ita corrigo apud Ciceronem lib. II. *de Leg.* Male enim hodie legitur. VT. QVOI. AVRO. DENTES. VINCTI ESSENT. ASTIM. CVM. ILLO. &c. Sed & legem tulit L. Sylla Dictator, quam tamen in Metellæ conjugis funere ipse transgressus est. Etiam Lycurgus sustulit morem de pretiosis vestibus, voluitque ut Spartani sui puniceo tantum amiculo, oleæque foliis involutum tumulo componerent. Plutarchus auctor nobis est in *Vita ejus*, & *Institutis Laconicis*. Atque hinc intelligendus Artemidorus *lib* IV. *cap.* LIX. *Cum mortui oleas efferunt.* Et Chion in *Epistola ad Platonem*: *Et sacra omnia, & auguria, & omnia vaticinia mortem mihi significant opere hoc perfecto. Quin & in somno mulier divina forma & magnitudine visa est redimire me oleastro & tæniis, ac paullo post commonstrare splendidum monumentum, dicens; Cum defunctus eris Chion, in hoc monumento quiesces.* Pythagorici in myrti, oleæ, & populi nigræ foliis involvebant suos mortuos, eumque morem imitatus Varro. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* XII. *Quin & defunctos sese multi fictilibus doliis condi maluere, sicut M. Varro Pythagorico modo, in myrti, & oleæ, atque populi nigræ foliis.* Hoc quoque attendendum, sedulo illis ventos observatos fuisse, qui si vehementes, ut cito deflagraret pyra, bonum esse omen existimabatur. Plutarchus in *Sylla*: *Ventus cum procella in rogum incubuit, multaque flamma excitata corpus cremavit.* Et mox addit: *Ut videatur Fortuna ejus quo-*

A *que funus curasse*. Sic apud Homerum *Iliad.* Ψ. in funere Patrocli supplicat ventis Achilles:

Tunc heros aliud Pelides volvere mente,
Ac supplex ventorum animas orare duorum,
Et Boreæ, & Zephyri, promittens plurima sacra.
Multa etiam aurato libans cratere rogabat
Exequias irent rapidi, flammasque juvarent.

Et ad Achillis imitationem Antoninus apud Herodianum *lib.* IV. *Phialamque manu tenens, vinumque libans, ventos precabatur*. Bacchus in funere Opheltæ apud Nonnum *lib.* XXXVII.

—— Eurum errantem Oriente vocavit
Ocius ingerere in tumulum contraria flabra.

B Propertius *lib.* IV.

Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?

Quandoque etiam, si multa essent cadavera cremanda, puta grassante pestilentia, aut magna aliqua strage edita, ut citius arderent, denis virorum corporibus unum muliebre addebant. Macrobius *Saturnal.* lib. VII. cap. VII. *Si quando usu veniret ut plura corpora simul incenderentur, solitos fuisse funerum ministros denis virorum corporibus singula muliebria adjicere; & unius adjutu, quasi natura flammei, & ideo celeriter ardentis, cætera flagrabant*. Illud unum adhuc mihi hic adnotandum. Non totum cadaver comburebant, sed digitum abscindebant, ad quem justa postea C facerent: atque hoc *Membrum abscindere* appellabant: Festus: *Membrum abscindi mortuo dicebatur, cum digitus ejus decidebatur, ad quod servatum justa fierent reliquo corpore combusto*.

CAP. XXVII.

Flamma vino extincta: in puerili funere lacte. Rogi circumitio. In funere Imperatorum aquila emitti e quarto rogi tabulato solita, quæ animam in cœlum deferre credebatur. Osse conspecto defuncti divinitas credita. Universus ritus colligendorum cinerum, & condendorum. Quid Componere mortuum, *&* Funus facere. *Ollæ in urnis. Duodecim Tabularum de sepultura placitum. Coma secta, & imposita. In violento funere excusata cædes. Salus data mortuis. Exequiantes lustrati, & dictum* Ilicet.

CUm jam combustum crederent, ac residere flamma inciperet, porro exstinguebant rogum. Statius *Thebaid.* VI.

Finis erat, lapsusque putres jam Mulciber ibat
In cineres, instant flammis, multoque soporant
E *Imbre rogum. ——*

Faciebant vero id vino, nempe in claris funeribus. Quintus Smyrnæus *libro* III. in funere Achillis:

Tunc vino stinxere rogum. ——

Achilles ipse *Iliad.* Ψ. in funere Patrocli:

Prima rogum nigro properate exstinguere vino
Qua flammæ vis cunque fuit grassata, deinde
Ossa Menœtiadæ nostri suprema legemus.

Nonnus *Dionys.* lib. XXXVII.

—— alternantique patella
Busta viri fuso stinxerunt rore Lyæi.

F Et domini quoque fecerunt aliquando in funere servorum charorum. Statius *Epicedio Pileti Ursi servi*:

—— nec non tibi Setia canos
Restinxit cineres, gremio nec lubricus ossa
Quod vallavit Onyx, miseris acceptius umbris,
Quam gemitus. ——

Puerorum rogi solo lacte restinguebantur, & quidem a matribus. Idem Statius *Epicedio in Filium*:

A *Si qua sub uberibus plenis ad funera natos*
Ipsa gradu labente tulit, madidumque cecidit
Pectus, & ardentes restinxit lacte favillas.

Circumibant deinde rogum filii in funere domestico, vel genere proximi. Plutarchus ex Varrone, *Rom. Quæst.* XIV. *Etenim in exequiis, ut Varro inquit, circumeunt, honorantes parentum monumenta ut diis sacra*. At vero in publico, universus populus. Herodianus *lib.* IV. *Ubi vero ingens aromatum acervus aggestus est, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant, universis equestris ordinis certa quadam lege ac recursu, motuque pyrrichio numeroque, in orbem decurrentibus*. Dio B *lib.* LVI. in funere Augusti: *Postquam cadaver rogo in campo Martio impositum fuit, primum omnes pontifices id circumierunt, deinde equites, tum legionarii reliquique milites, & ii demum qui custodiæ præfuerant*. Quintilianus *Declam.* CCCXXIX. *Dum maxima multitudo quæque, dum universus denique populus lustret atque ambiat rogum*. Apud Virgilium in funere Pallantis:

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, ter mœstum funeris ignem
Lustravere in equis. ——

Ubi conflagrasset, in funere Imperatoris, aquila emittebatur, quæ animam defuncti in cœlum re- C ferre credebatur. Dio *lib.* LVI. *Hæc autem conflagrabat, aquila vero ex ipsa emissa evolabat, tanquam quæ animam ejus cœlo inferret*. Emittebatur autem ex ultimo pyræ tabulato. Herodianus *lib.* IV. *Mox ab extremo minimoque tabernaculo, tanquam e fastigio quodam, simul cum subjecto igni ascensura in ætherem aquila dimittitur: quæ in cœlum creditur ipsam principis animam deferre*. Mox colligere ossa & cineres incipiebant, inventoque primo osse, eum qui crematus, divinitatem esse consecutum dicebant. Plutarchus *Rom. Quæst.* XIV. *Et crematis parentibus, ubi primum in os inci-* D *derunt deum esse eum, qui defunctus sit, dicunt*. Colligebant autem sanguine proximi, ut apud Tibullum:

—— non hic mihi mater
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Vel his deficientibus heredes. Martialis *lib.* VIII.

Ossaque defuncti licet olim non legat heres,
Hoc sibi jam Picens præstitit officium.

Principum vel Imperatorum reliquias legebant Consules, vel equestris ordinis primi. Suetonius *Augusto* cap. C. *Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati, & discincti, pedibusque nudis*. Et hoc faciebant discincti, ut apparet ex *ci-* E *tato* Suetonii *loco*, item isto Tibulli *lib.* III. *eleg.* II.

Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant.

Ergo errat vir doctus, qui soli Augusto hoc factum putat, quod omnibus fiebat: atque ex aliqua causa, quod ex more, ac religione. Hic vero erat universus ritus. Primum mortui manes invocabant, tum lotis manibus ossa legebant, vino & lacte perfundebant, ventis siccanda exponebant, siccata aromatibus & odoribus commista reponebant, reliquiis deinde lacrymas superfundebant. Clare hæc omnia docet nos unus Tibullus *loco citato*:

F *Ergo ego cum tenuem fuero mutatus in umbram,*
Candidaque ossa super nigra favilla teget.
Ante meum veniat longos incompta capillos,
Et fleat ante meum mœsta Neæra rogum.
Sed veniat charæ matris comitata dolore;
Mœreat hæc genero, mœreat illa viro.
Præfatæ ante meos manes, animamque, rigatæ
Perfusæque pias ante liquore manus:
Par quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant.

Et primum annoso spargant collecta Lyæo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent.
Post hæc carbaseis humorem tollere ventis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illic quas mittit dives Panchaia merces,
Eoique Arabes, dives & Assyria;
Et nostri memores lacrymæ mittantur eodem.
Sic ego componi versus in ossa velim.

Vino perfusa fuisse, etiam Prudentius meminit *de Coronis*, Hymno VI.

Tum de corporibus sacris favillæ,
Et perfusa mero rigantur ossa.

Virgilius *Æneid.* VI.

Postquam collapsi cineres, & flamma quievit,
Relliquias vino & bibulam lavere favillam,
Ossaque lecta cado texit Chorineus eburno.

Et hoc *Componere mortuum* dicebant. Tibullus:

Sic ego componi versus in ossa velim.

Horatius *lib.* I. *sat.* IX.

Interpellandi locus hic erat, Est tibi mater?
Cognati, queis te salvo est opus? Haud mihi quisquam:
Omnes composui. Felices. ——

Ausonius *Parent.*

Gaudent compositi cineres sua nomina dici.

Improprie Persius de nondum combusto:

—— tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis.

Etiam *Funus facere*: Cicero II. *de Leg. Homini mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat.* Et eleganter Plautus *Menæchmis*:

Fecisti funus absenti me prandio.

Sed generaliter tamen hoc usurpabatur de eo qui dominus funeris, ad quem tota cura pertinebat. Ita intelligi debet apud Festum: *Prætexta pulla nulli alii licebat uti, quam ei qui funus faciebat.* Acron: *Funus præstare* posuit pro eodem, apud Horat. *lib.* I. *epist.* VII. Urnæ vero hæ, in quibus condebant, plures aliquando ollas continebant: & videre est expressam figuram *Inscriptionum Smetianarum*, fol. CXXXIV. Aliquando autem simplex tantum olla erat. Sic in isto Vetere Lapide:

IVLIAE. PLEBEIAE.
IN. HONOREM.
ALEXANDRI. ET. DEME-
TRI. CAESARIS. AVG. L.
EX. DECRETO. DECVR.
OLLA. PVBLICE. DATA. EST.

Et in alio:

Q. IVLIVS. HERMES. FECIT.
DVAS. OLLAS. COSERVAE. SVAE.

Propertius *lib.* IV. *Amphoram* vocat:

Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo.

Nec in urnis quoque semper condebant, sed & in templis spargebant nonnulli. Lucanus *lib.* IX.

Ossibus & tepida vestes implere favilla,
Quicquid ab exstincto licuisset tollere busto,
Et templis sparsura deum. ——

Lex XII. *Tabularum* vetuit alibi sepeliri, quam in loco ubi combustum cadaver esset: nisi si quis militiæ, aut peregre mortuus fuisset. Cic. II. *de Leg. Homini, inquit, mortuo ossa ne legito, quo post funus faciat. Excipit bellicam peregrinamque mortem.* Itaque legitur apud Virgilium *Æneid.* lib. XI.

Mœrentes altum cinerem, & confusa ruebant
Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.

Cum sepeliissent, etiam comam tondebant, & imponebant tumulo. Ovidius in *Epistola Canaces*:

Non mihi te licuit lacrymis perfundere justis,
In tua nec tonsas ferre sepulcra comas.

Statius *Thebaid.* VI.

G. Tom. XI.

A *At genitor sceptrique decus, cultusque Tonantis*
Injicit ipse rogis, tergoque & pectore fusam
Cæsariem ferro minuit. ——

Homerus *Iliad.* Ψ.

Haud capite mihi fas ullas infundere lymphas,
Ante rogum chari monumentaque summa Patrocli,
Abscissamque comam. ——

Et *Odyss.* Δ.

Unus honos vita exutis supremus habetur,
Et crinem metere, & lacrymas impendere fato.

B Apud nullum fere poetam non mentio hujus moris. Catull. in *Nuptiis Pelei*, Ovid. *Metamorph.* III. Bion in *Epitaphio Adonidis*, Solinus *cap.* XV. Philostratus in imagine *Hippolyti*, Quintus Calaber *lib.* III. Nonnulli ad cutem usque radebant. Alcæus in *Epigrammatis Græcis Anthologiæ*:

Omnis te extinctum Pylade nunc Græcia deflet,
Explicitas amens in cute tonsa comas.

Thessali equorum quoque jubas detondebant, ut est apud Plutarchum in *Pelopida*. Si violento fato decessissent, puta interfecti aut ferro, aut veneno, excusantes inter sepeliendum SE NON FECISSE dicebant. Quintilianus *Declam.* XI.
C *Miser ego nec ad cadavera accessi, nec in sepulcra majorum meis manibus intuli, nec licuit super ipsa corpora proclamare*, NON FECI. Post hæc, peractis jam omnibus funeralibus, parentes & amici *Salve* atque *Vale* supremum sepulto dicebant. Statius *Silv.* libro III. in *Lacrymis Etrusci*:

Salve supremum genitor mitissime patrum,
Supremumque Vale. ——

Æneas in funere Pallantis:

—— Salve æternum mihi maxime Palla,
Æternumque Vale. ——

D Servius: *Varro in libris Logistoricis dicit, ideo mortuis Salve & Vale dici, non quod valere aut salvi esse possint, sed quod ab his recedimus eos nunquam visuri.* Hæc *Novissima verba* appellat Virgilius. Nec ita simpliciter dicebant, sed, *Vale*, aut *Salve, nos te ordine, quo Natura permiserit, cuncti sequemur.* Docet Servius *ad Æneid.* III. Sed prius tamen quam hoc fieret, dominus funeris eos, qui ad exequias venerant, ter pura aqua aspergebat, ut ita pollutos a funere lustraret purgaretque. Virgilius *Æneid.* VI.

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ:
E *Lustravitque viros, dixitque novissima verba.*

Hujus aspersionis quoque mentio apud Festum est. Aspergillum erat oleaginum. Hinc illud,

—— ramo felicis olivæ.

Deinde abstinebat a nænia sua præfica, & ILICET populo dicebat. Servius: *Tamdiu stabat (populus) respondens fletibus præficæ, quamdiu consumpto cadavere, & collectis cineribus, dicebat novissimum verbum*, ILICET.

CAP. XXVIII.

F *Domum reversi sese purgabant. Quale id purgationis genus. Suffitio. Sulphuris in hac usus, & lauri. Quis primus ædes purgaverit.*

A Funere domum reversi ignem supergrediebantur, atque ita se porro purgabant: eaque *Suffitio* dicebatur. Festus: *Funus prosecuti redeuntes ignem supergrediebantur aqua adspersi: quod purgationis genus vocabant Suffitionem.* Græcos quoque post funus se purgasse constat ex Diogene Laertio *libro* VIII. *Propterea purgasse ipsum & a funere reversum, & a puerpera,*

Bbbb ij

& ab omni cætero inquinament. Ædes quoque ipsas purgabant, e quibus funus elatum: & sulphuris ad eam rem magnus usus, quemadmodum in omnibus purgationibus. Plinius *lib.* XXXV. *cap.* XV. *Habet & in relligionibus locum sulphur, ad expiandas suffitu domos*. Sed & laurus usitata: nam Festus in *Laureati milites* scribit; *Laurum omnibus suffitionibus adhiberi solitum erat*. Fluxit hic purgandi mos ab Epimenide, qui primus id fecisse traditur. Diog. Laertius in *Vita ejus*: *Dicitur & ipse primus domos agrosque purgasse*.

CAP. XXIX.

Novendialia. *Libatio, & in ea sanguis, ac lac. Vinum quoque, sed id vetitum postea*. Resperſum vinum. Murrata potio. *Flores item, & tæniæ e lana. Frondes e lauro, vel caprifico, si inimici essent. Coronæ oblongæ, sed & illæ vetitæ: sacræ Æsculapio, & Laribus. Libatio in summo tumulo facta*.

POst sepulturam fiebant libationes; erigebantur in sepulcro columnæ, & pyramides, ponebantur inscriptiones, dabantur ludi, habebantur funebres laudationes, ac postremo epulum erat. Præit hunc ordinem Lucianus *de Luctu*: *Nam libationes, pyramides, columnæ, tituli, ad breve tempus duratura, an non supervacanea, & ludicris simillima? Sunt vero qui ludos quoque constituant ad sepulcrum, ac funebres orationes habeant, perinde quasi patrocinentur ac testimonium perhibeant defuncto apud inferos judices. Post hæc omnia superest exequialis cæna*. Quod ad libationem attinet, sacrificium, & epulas: iterabant ea quotannis, & Parentalia appellabant. Libatio, sacrificium, epulum nono fiebant die, qui ultimus funeralium. Donat. *ad Phorm. In nuptiis septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus, quo parentalia concluduntur*. Apulejus *Milef.* IX. *Jamque nono die rite completis apud tumulum sollennibus, familiam supellectilemque, omnia jumenta ad hereditariam deducit actionem*. Scimus etiam ex Virgilio, & Statio Et *Novendialia* dicebantur. Glossæ: *Novendialia*, ἔννατα ἐπὶ νεκρῷ ἀγόμενα. Percurram autem omnia singillatim. In libatione sanguis & lac erant. Virgilius *Æneid.* lib. III.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras, animamque sepulcro
Condimus. ——

Statius in funere Archemori, *Theb.* VI.

Spumantesque mero pateræ verguntur, & atri
Sanguinis, & rapti gratissima cymbia lactis.

Sophocles in *Electra* solius lactis meminit:

Ubi ad sepulcrum patris antiquum fui,
Enata tumulo de supremo contuor
Fluenta lactis. ——

Luctatius *ad Statii locum*, quem produximus: *Libatio duabus rebus expeditur, lacte & sanguine: quod alterum eorum alimonium sit vitæ retinendæ; alterum virium continendarum: quia vita hominum bis rebus juvatur, etiam propterea sepulturæ commendare solent*. Sed vinum quoque addebant Vidimus jam in Statii verbis. Nonnus *Dionys.* XXXVII.

—— *tristi comitante Lyæo*
Asterius ducens Dictæum sanguine junctum
Cnossia pocla tenens nigro spumantia vino,
Suaveodora, sola effundens terræ ebria fecit,
Funus Arestoridæ supremoque auxit honore.

Virgilius *Æneid.* V.

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi. ——

Et hoc *Resperſum vinum* dicebatur. Festus: *Re-*

A *sperſum vinum significat apud Antiquos: quia in sacris Novendialibus vino mortui sepulcrum spargebatur*. Sed vetuit postea lex Posthumia Numæ. Plinius *lib.* XIV. *cap.* XII. *Numæ regis Postumia lex est: vino rogum ne respergito*. Postea murratam potionem adhibuerunt, sed & hanc vetuerint XII. *Tabulæ*. Festus: *Murrata potione usos Antiquos indicio est, quod etiam nunc Æediles per supplicationes diis addunt ad pulvinaria, & quod* XII. *Tabulis cavetur, ne mortuo indatur*. Meminit item *Sumptuosæ resperſionis* prohibitæ Cicero II. *de Leg.* Addebant quoque flores. Virgilius *Æneid* V.

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
B *Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro,*
Purpureosque jacit flores. ——

Sophocles *Electra*:

—— *& coronatum undique*
Bustum parentis generis omnis floribus.

Hinc Persius illustrandus:

—— *nunc non e manibus illis,*
Nunc non e tumulo, fortunataque favilla,
Nascent violæ. ——

Et observa purpureos flores a Marone nominari. & tales præcipue erant; puta violæ, quarum Persius meminit; & rosæ, quarum Propertius *lib.* I. C *elegia* XVII.

Molliter & tenera poneret ossa rosa.

Et in vetere Epitaphio:

QVOTIENS. QVIS. EORVM. SVIS. CORONAS. PONENT. ET. ARAM. NOSTRAM. CORONENT.

Immo curabant sibi quotannis fieri nonnulli. Lapis vetus testatur:

CENTENI. QVINQVAGENI. QVODANNIS. DARENTVR. VT. EX. EA. SVMMA. SICVT. SOLITI. SVNT. ARCAM. PVBLICIORVM. FLAVIANI. ET. D ITALICI. FILIORVM. ET. ARCAM. IN. QVA. POSITA. EST. FLAVIA. SALVTARIS. VXOR. EIVS. ROSIS. EXORNENT.

Rationem purpurei coloris reddit Servius: *Purpureos flores, ad sanguinis imitationem, in quo est sedes animæ*. Atque errat Statii Interpres Lutatius, qui inquit: *Flores sparguntur in honorem mortuorum infantum*. Nam promiscue omnibus id fiebat. Ferebant etiam lanam. Varro *de Ling. Lat.* lib. VI. *Cum ad sepulcrum ferunt frondes atque flores, addunt nunc etiam lanam*. Videmus item in Magnæ Matris luctu apud Arnob. *lib.* VI. *Quid coronæ? quid* E *violæ? quid volucra mollium velamenta lanarum?* Et certe erant tæniæ e lana. Cæcilius apud Festum:

Sepulcrum plenum tæniarum, ita ut solet.

Propertius *lib.* III.

Et strigis inventæ per busta jacentia plumæ,
Cinctaque funesto lanea vitta viro.

Meminit Varro quoque frondium, ut videmus. Illæ erant e lauro. Propertius *lib.* II.

Et sit in exiguo laurus superaddita busto.

Inimici vero caprifici folia ingerebant, eaque gravia sepultis existimabant. Hinc idem Propertius:

Urgeat hunc supra vis caprifice tua.

Martialis *lib.* X. *epigram.* II.

F *Marmora Messalæ findit caprificus, & audax*
Dimidios Crispi mulio ridet equos.

Arnobius porro etiam coronas nominat *loco citato*: hæ tales erant, quæ sepulcro potius aptæ, quam capiti, quippe longæ. Cicero *de Leg.* lib. II. *Ne sumptuosa resperſio, ne longæ coronæ, nec acerræ prætereantur*. Vetitæ autem eæ postea, quia sacræ diis quibusdam: inter hos Æsculapio. Aristides *Sacrorum Serm.* I. *Videbantur coronam mittere Deo ex longis, quales sunt quas proprie Æscu-*

lapio ferunt. Item Laribus. Festus: *Donaticæ coronæ magnificentiæ causa institutæ sunt super modum aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt, cum Lares ornantur.* Hoc etiam observandum, libationem hanc fieri solitam in summo sepulcro. Apud Euripidem in *Oreste:* A

Sacrumque veniens ad Clytæmnestræ rogum,
Mel lacte mistum fundito, & spumans merum,
Summoque verba hæc vertice e busti jace.
Has Helena mittit tristis inferias soror.

Item in *Hecuba*:

Polyxenamque Pyrrhus apprehendens manu,
Tumulo supremo constitit.

Item apud Sophoclem *loco citato.* B

CAP. XXX.

Sacrificium Novendiale, *idque ovilli generis, & nigri coloris. Ovis maxima hostia, & post bovem eam ne nominare quidem licebat. Olim bov fiebat, sed postea vetitum. Immolabatur in scrobe.* Humanum sacrificium. Inferiæ. *Quis hæc primus fecerit.*

SAcra etiam faciebant. Meminit vetus Lapis sepulcralis:

ARCAM. PVBLI- C
CIORVM. FLAVIANI. ET. ITALICI
FILIORVM. ET. ARCAM. IN. QVA.
POSITA. EST. FLAVIA. SALVTARIS
VXOR. EIVS. ROSIS EXORNENT.
DE. XXV. SACRIFICENTQ. EX.
XX. HS.

Et hoc sacrificium *Novendiale* nominabant. Porphyrion *ad Horatii Epod. in Canidiam*: *Novendiale dicitur sacrificium, quod mortuo fit nona die, qua sepultus est.* Immolabant vero antiquissimi ovem, & quidem nigram. Apollonius lib. II. *Argonaut.* D

—— furvasque beatis
Manibus inferias mactarunt rite bidentes.

Homerus *Odyss.* IX.

Uni Tiresiæ nigram sacrabo bidentem.

Et Oves quidem, quia maximam hanc esse hostiam Veteres censebant, ut ex Festi schedis cognoscimus Adeoque lege cautum erat, ne bovem prius ove nominaret, qui mulctam indiceret. Testis Plinius *lib.* XVIII. *cap.* III. De maximæ hostiæ immolatione tradit Cic. II. *Leg.* *Hostia maxima parentare, pietatis adjunctum putabat.* Postea etiam boves mactari cœperunt, donec Solon iterum lege prohibuit. Plutarch. in *Vita ejus*: *Immolare bovem non permisit, neque vestes in rogum addere præter tres.* Immolabant vero in effossa scrobe. Lycophron noster: E

Umbris hianti sanguinem obsipans solo.

Porphyrius *de Nymph. Antro*: *Diis consecrarunt templa, delubra, & aras: Heroibus vero focos: Manibus autem scrobes.* Vide plura, quæ ad Lycophronem, si tanti. Atque hoc *Humanum sacrificium* dicebatur. Festus: *Humanum sacrificium dicebant, quod mortui caussa fiebat.* Item *Inferiæ.* Idem Festus: *Inferiæ, sacrificia quæ diis manibus inferebant.* Nam hæc sacra pro mortuis diis manibus peragebantur. Nec propinquis tantum hæc propinqui faciebant, sed etiam amici amicis, & maxime viris illustribus, quorum memoriam sanctam haberent, quorumque virtutes admirarentur. Suetonius *Caligulæ* cap. III. de Germanico: *Si cubi clamorem virorum sepulcra cognosceret, inferias Manibus dabat.* Auctor horum omnium Dispiter, unde & vita functis imperare est creditus, teste Diodoro Siculo. F

CAP. XXXI.

Columnæ in sepulcris, & pyramides. Effigies in iis quoque mortuorum. Altitudinis modus constitutus a Demetrio. Hermæ etiam ponebantur, & cur. Lucernæ ex iis suspensæ. Mensæ item dicatæ, & aræ, quæ inter parentandum vittis & cupresso coronatæ.

NUnc de columnis videamus, & pyramidibus. Isidor. *lib.* XI. *cap.* XI. *Apud majores potentes aut in montibus, aut sub montibus sepeliebantur. Inde tractum est, ut super cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes columnæ collocarentur.* Erant in his columnis effigies impositæ mortuorum. Festus: *Ossa postea ex prodigiis, oraculorumque responsis, Senatus decreto intra Urbem in Vulcanali, quod supra comitium, obruta sunt, superque ea columna cum ipsius effigie posita est.* Hinc apud Laert. *lib.* VI. in sepulcro Diogenis Cynici erecta columna legitur, cui pro sua effigie impositus canis, quia nimirum talis propter mores dicebatur: *Imposuerunt vero ipsi columnam, & in ea canem ex marmore Pario.* In sepulcro quoque uxoris Charetis damalis imposita fuit columnæ, quia ita dicta fuerat. Codinus in *Constantinopoli*: *Uxorem, quæ secuta ipsum erat, morbo tactam amittens, sepelivit, statuens ei aram & columnam, in qua damalis ostenditur ex lapide polito.* In Isocratis columna Siren erat, cui propter orationis suavitatem comparabatur. Plutarchus in *Vitis* X. *Rhet.* *Isocratis monumento columna imposita erat cubitorum triginta, in qua Siren cubitorum septem.* Has porro columnas, qui magnificentiores, excelsas valde ponebant: & ecce illa Isocratis, quam dixi, triginta cubitorum erat. Sed modum altitudini nimis jam exorbitanti statuit postea Demetrius Phalereus, & ad tres cubitos reduxit. Cic. II. *de Leg.* *Super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis ne altiorem.* Neque singulas eas ponebant, sed multas quoque: puta in honoratiorum monumentis. Suidas: *Stesichorum dicunt Catanæ sepultum ad portam ex ejus nomine Stesichoream dictam, monumento habente octo columnas.* Nonnulli has cum Mercurii imagine faciebant. Cicero: *Nec Hermas hos, quos vocant, licebat imponi.* In promptu ratio: quia nimirum ille est inter infernales Deos, credebaturque animas ad inferos deducere. Et suspendebant in his lucernas. Dion in *Domitiano*: *Ac primum quidem columnam singulis sepulcralem addidit, cum nomine, & lucerna parva, qualis in monumentis pendet.* Atque huc pertinent illa Suetonii *Augusto*, cap. XVIII. *Masgabæ ante annum defuncti tumulum cum ex triclinio animadvertisset magna turba multisque luminibus frequentari, versum compositum ex tempore clare pronuntiavit:*

Κτίςυ δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον.

Addebant item mensas. Plutarchus in *Isocrate*: *In his mensæ erant sex, quæ nunc perierunt.* Postea: *Erat & ipsi mensa proxima, ad quam poetæ, ejusque discipuli.* Iterum in *Vita Lycurgi Rhetoris*: *Elatus vero & ipse, & nepotum aliqui funere publico, exstantque eorum monumenta contra Pæoniam Minervam, in horto Melanthii Philosophi, mensæ elaboratæ, & ipsæ Lycurgi ejusque filiorum nominibus inscriptæ, ad nostra usque tempora servatæ.* Sane & has attigit cura Demetrii. Vide Ciceronem *loco citato.* Sed & aras ponebant. Vetus Lapis:

L. FADIO. L. F
CÆDIANO. EQVITI
ROMAN. PIETATIS
RARISSIMÆ. FILIO
CÆDIA. FESTA. MATER
INFELICISSIMA
NONVM. ET ARAM. FECIT
VIX. ANNIS. XXV
MENS. V. DIEB. IIII

Codinus *loco citato*: *Statuens ei & aram & columnam*. Has autem, cum parentarent, vitis & cupresso coronabant. Virgil. *Æneid.* III.

Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus, stant manibus aræ
Cœruleis mœstæ vittis, atraque cupresso.

CAP. XXXII.

Inscriptio & sculptura sepulcri: quibus permissa a Lycurgo. Modum constituit Plato. Memoriæ. Monumenta. Γνωρίσματα.

INscriptiones præterea erant, quæ continebant defuncti nomen, genus, patriam: qua de re supra me dicere memini. Inscribebant quoque encomia, si præstantes viri essent. Diog. Laertius in *Vita Biantis*: *Et magnifice ipsum extulit civitas, sepulcroque inscripsit*:

Ille Bias, decus Ioniæ, quam clara Priene
Extulit, hoc saxo mortuus ossa tegit.

Et *lib.* II. in *Vita Anaxagoræ*: *Defunctum vero honorifice sepelierunt Lampsaceni, sepulcro inscribentes*:

Dius Anaxagoras veri fastigia prendens,
Orbis bonos superi, conditur hoc tumulo.

Lycurgus hoc Spartanis suis interdixit, nisi vir in bello, & mulier sancte obiisset. Plutarchus in *Vita ejus*: *Funus vero facientibus defunctum honestare inscriptione non licebat, nisi si in bello vir, mulier sancte spiritum reddidisset.* Iterum in *Laconicis Institutis*: *Sustulit etiam inscriptiones monumentorum, præterquam eorum qui in acie cecidissent.* Plato modum statuit, nec vult quatuor heroicos versus excedere. Lib. XII. *de Leg.* *Saxa vero monumentorum non majora facere, quam quæ recipere defuncti encomia possent non ampliora quatuor heroicis versibus.* Dicebantur vero *Memoriæ*, & *Monumenta*. Servius: *Apparatus mortuorum funus dici solet: exstructio lignorum, rogus: subjectio ignis, pyra: crematio cadaveris, bustum: locus, ustrina: operis instructio, sepulcrum: inscriptum nomen, memoria, atque monumentum.* Neque aliud est *Memoria* in illis Ciceronis verbis: *Nec sepulcra legens vereor, quod ajunt, ne perdam memoriam.* Græci appellabant γνωρίσματα. Glossæ: γνωρίσματα τὰ ἐπὶ τάφων, *Monumenta*. Neque inscribebant tantum sepulcris, sed insculpebant quoque, si quid alicui præclare in vita esset gestum. Cognoscimus ex Suetonii *Claudio*, cap. XLI. *Cum annotasset insculptum monumento, militem Gallum ab equite Romano oppressum trahi crinibus, ad eam speciem exiluit, cœlumque adoravit.*

CAP. XXXIII.

Ludi funebres, & quis eorum auctor. Præmium in iis corona ex apio. Romæ matronis spectare non licebat. Novendiales *ludi*. Simpludearia *funera*. Designatores, *eorumque lictores, & quidem atrati. Dominus funeris etiam cum accenso & lictore. Spectatores atrati, & in toga. Quæ caussa institutionis.*

OFferunt se nobis ludi, & certamina tam gymnica, quam equestria, quæ in defunctorum
A magnatum honorem instituta. Sic Æneas Anchisæ apud Virgil. *Æneid.* V. Achilles Patroclo apud Homer. *Iliad.* Ψ. Bacchus Opheltæ Nonni *Dionys.* XXXVII. Pater ille filio Archemoro apud Statium *Thebaid.* VI. Primus autem ea instituit Acastus, inde Theseus. Plin *lib.* VII. *cap.* LVI. *Ludos gymnicos instituit in Arcadia Lycaon, funebres Acastus in Iolco, post eum Theseus in Isthmo.* Dabanturque in his coronæ ex apio. Artemidorus *lib.* V. *c.* LXXIX. *Ex apio corona ægrotantes perimit, & plerumque hydropicos, propter frigidum & humidum, & quia funebri certamini convenit.* Romani non permittebant matronis hæc spectare. Apparet ex eo, quod
B Sempronius uxorem repudiaverit ob id factum. Plutarchus *Rom. Quæst.* XIV. *Tertius vero repudiavit uxorem Publius Sempronius, quod ludos funebres spectasset.* Et nota sunt munera gladiatoria, quæ edi huic rei cœperunt, primo a Brutis in foro Boario. Valerius Max. *lib.* II. *cap.* IV. *Gladiatorium munus primum Romæ datum est in foro Boario Appio Claudio M. Fulvio Coss. dederunt M. & D. Bruti funebri memoria patris cineres honorando.* Et *Novendiales* ludi dicebantur. Servius *Æneid.* V. *Etiam ludi, qui in mortuorum honorem celebrabantur, Novendiales dicuntur.* In nonnullis funeribus præ-
C ter ludos etiam desultores erant, & quæ solos ludos haberent, ea funera *Simpludearia* appellari consuevisse cognoscimus ex Festo. Ac protracti sæpe hi ludi in aliquot dies. Ecce triduum apud Liv. *lib.* XXIII. *M. Æmylio Lepido, qui bis Consul fuit, filii tres L. M. Q. ludos funebres per triduum, & gladiatorum paria* XXII. *per triduum in foro dederunt.* Plin. *lib.* XXXV. *cap.* VII. de L. Terentio: *Avo suo, a quo adoptatus fuerat, triginta paria in foro per triduum dedit.* Nonnunquam etiam quatriduum. Livius *l.* XXXI. *Ludi funebres eo anno per quatriduum in foro, mortis M. Valerii Lævini caussa.* Non dabant quidem ultro semper, sed poscebantur a ple-
D be quoque: eo postea vesaniæ perventum est. Suetonius *Tiberio*, cap. XXXVII. *Cum Polentina plebs funus cujusdam primipilaris non prius ex foro misisset, quam extorta pecunia per vim heredibus ad munus gladiatorium.* Qui præerant his ludis, *Designatores* nominabantur. Donatus *Adelph.* Act. I. Scen. II. *Designatores dicti, qui ludis funebribus præsunt.* Dissentit Acron *ad Horat. lib.* I. *epist.* VII. *Designatores dicuntur, qui ad locum Libitinæ funera præstanti conducuntur, ut defuncti cum honore efferantur.* Ergo explicabo, ne hic hæreatur in posterum a quoquam. Designatores primum domi ordinabant omnia funeri curando & ornando necessaria,
E atque in elatione suum cuique ordinem & locum designabant, ut cum honore mortuus efferretur: deinde foris ludis præerant, & suum unicuique, pro ordine quem teneret, locum dabant in spectaculo ac scena. Priorem muneris partem Acron, posteriorem Donatus tradit. Ulpianus *l. Athletas, D. de his qui not. infam.* *Designatores autem, quos Græci βραβευτὰς appellant, artem ludicram non facere Celsus probat; quia ministerium, non artem ludicram, exercent.* Vetus quoque Inscriptio:

F T. STATILIVS. CALOCÆRVS. NOMENCL
CVM. STATILIO. DIONYSIO. TRIB
LEG. XVI. FLAVIÆ. ET. STATILIO
MVRONE. DISSIGNATORE. SCENAR
FILIIS

Quintilianus *Declam.* VI. *Lacrymas ipsas novissime perdo, inanis domi libitina plangitur, derisus designator redit, refertur rogus.* Seneca *de Benef.* lib. VI. cap. XXXVIII. *An tu Aruntium & Atejum non*

putas eadem habere quæ designatores & libitinarios vota? Cicero *ad Attic.* lib. IV. epist. III. *Desertus a suis vix jam Decimum designatorem, vix Gellium retinet*. Designatoribus his, ut pareret turba, dati honoris ergo lictores, & hi atrati, tanquam funerum ministri. Hinc Horat. *lib.* I. *epist.* VII.

—— dum ficus prima calorque,
Designatorem decorat lictoribus atris.

Prudentius περὶ στεφ. *Hymno* VI.

Hic flammante pyra niger minister.

Ipse etiam dominus funeris accenso & lictoribus utebatur. Cicero II. *de Leg. Reliqua sunt in more, funus ut indicatur, si quid ludorum; dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus*. Spectabat autem populus atratus. Dio *lib.* LV. *Hic etiam gladiatorium munus in honorem Agrippæ, & omnibus aliis, & ipsis quoque Augusti liberis pullatis, excepto tamen Augusto*. Et quidem in toga. Sed Tiberius palliolatus spectavit præter morem, propter valetudinem. Suetonius notat in *Vita ejus*, cap. II. *Ob hanc eandem valetudinem & gladiatorio munere, quod simul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus novo more præsedit*. Commodus totum aliquando populum penulatum spectare jussit, & id quoque præter receptam consuetudinem. Lampridius in *Vita ejus: Contra consuetudinem penulatos jussit spectatores, non togatos ad munus convenire, quod funeribus solebat*. Quid pote clarius? Fallitur ergo vir magnus, qui in funebri munere penulam censet fuisse, in alio togam. Imo plane contra, alia munera spectabant in penula. Sueton. *Claudio* cap. VI. *Et spectaculis advenienti assurgere, & lacernas deponere solebat*. Et hæc candida: convenitque color, ibi niger, hic albus. Martialis aperte testatur *lib.* IV. *epigramm.* II.

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs, & minor ordo, maximusque,
Sancto cum Duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repente cœlo,
Albis spectat Horatius lacernis.

Videndus idem *Lemmate* CXXXVII. *lib.* XIV. Si tamen pluvias, aut nives metuerent, ne albæ lanæ inquinarentur, pullas penulas sumebant. Observare licet ex isto Horatii facto apud Martialem: & de Tiberio narrat Dio *lib.* LVII. *Pluvia vero in panegyri quadam ingruente, penulam pullam superinduit*. At quis finis horum ludorum? quæ caussa? Nimirum ut oblectamentis illis dolorem suum lenirent. Seneca *ad Albinam*, cap. XVI. *Ferox, & adversus omne remedium contumax dolor est. Volumus eum interim obruere, & devorare gemitus, per ipsum tamen compositum fictumque vultum lacrymæ profunduntur. Ludis interim aut gladiatoribus animum occupamus.*

CAP. XXXIV.

Oratio funebris, ejusque origo. Romæ in rostris habita, Athenis in Ceramico extra urbem. Concessus hic honos etiam mulieribus Romæ, & qua de caussa. Laconum mos in regis funere.

ORationes quoque funebres habitæ a filiis, & recitatæ in iis defunctorum laudes. Hieronym. in *Vita Nepotiani: Moris quondam fuit, ut super cadavera defunctorum in concione pro Rostris laudes liberi dicerent, & instar lugubrium carminum ad fletus & gemitus audientium pectora concitarent*. Philostratus in *Heroicis*: *Collocabant vero cadaver Athenienses, & Menestheus oratione celebravit, quem honorem Athenis habent in bello interfectis*. Vide Dionys. Halicarn. *lib.* v. Primus Romæ id fecit Valerius Publicola mortuo Bruto, & post eum institutum est ut deinceps fieret in funere elarorum virorum. Plutarchus in *Publicola*: *Et funebrem illi orationem dixit, quæ ita Romanis placuit, tantaque cum gratia excepta fuit, ut omnibus ex eo tempore præstantibus magnisque viris haberi istum in funere honorem vellent*. Atque illas, quæ semel dictæ essent, servabant, ut in alio familiari funere iterum recitarentur. Cicero *de Clar. Orat. Nonnullæ mortuorum laudationes forte delectant, & Hercules hæ quidem extant, ipsæ enim familiæ sua quasi ornamenta ac monimenta servabant, & ad usum, si quis ejusdem generis occidisset, & ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustrandam nobilitatem suam*. Romani in Rostris faciebant, ut notum: Athenienses Ceramico extra Urbem. Suidas: *Duo erant Ceramici, hic intra urbem, ille vero extra, ubi & in bello mortuos publice sepeliebant, orationesque funebres recitabant*. Nec viris tantum concessus is honos apud Romanos, sed & matronis. Suetonius *Julio*, cap VI *Quæstor Juliam amitam, uxoremque Corneliam, defunctas laudavit e more pro Rostris*. Dio *lib.* XXXIX. extremo, de Pompeii uxore in puerperio mortua: *Laudataque in foro est, & in Campo Martio sepulta*. Concessum id bello Gallico, quia cum redimenda ab hoste esset civitas, nec publicum aurum sufficeret, suum ipsæ contulissent, ut a sacro abstineretur. Liv. *lib.* v. ab U. C. *Jam ante in eo relligio civitatis apparuerat; quod cum in publico deesset aurum, ex quo summa pactæ mercedis Gallis conficeret, a matronis collatum acceperant, ut sacro auro abstineretur. Matronis gratiæ actæ, honosque additus, ut earum, sicut virorum, post mortem sollennis laudatio esset*. Lacones in funere regum suorum, lebetem pulsabant. Theocriti Schol. *Idyl.* II. *Apud Lacones rege defuncto lebetem pulsare solent.*

CAP. XXXV.

Epulum funebre: Περίδειπνον. Silicernium. Exequium. *Etiam aris insculpebatur. Duo ejus genera. Mortui quando securi credebantur. Christianorum mos. Augustinus emend.* Culina. *Ante epulum triduum jejunaverant. Græci septimo die sumebant, non nono. Fabæ hic usus, quam ideo nefas tangere aut nominare Flamini Diali. Eadem similis inferorum portis putata. Apud Græcos sacris omnibus prohibita. Apii usus, item cammari, & ovi. Luxus Romanorum. Edebant coronati, albati, & in templo Castoris. Ejusque rei data ratio. Visceratio quoque exhibita.*

POstremum Novendialium epulum erat, de quo sic Artemidorus *lib.* v. *cap* LXXXII. *Mos est convictoribus etiam in defunctorum ædes ingredi, & epulari. Epulum vero a defuncto exhibitum dicitur, pro honore quem defuncto convictores habent*. Usus ejus sane vetus. Ecce apud Homerum *Odyss.* Γ.

Exhibuit cæso hoc epulum ferale Argivis,
Invisæ matris simul, imbellisque Ægisthi.

Et vocabant περίδειπνον. Etymolog. περίδειπνον, ἡ ἐπὶ τοῖς ἀποθανοῦσι γινομένη ἑστίασις. Scholiastes ad Iliad. Ψ. περίδειπνον, τὸ ἐπὶ τοῖς τεθνηκόσι παρασκευαζόμενον. Cicero τὸ περίδειπνον transtulit *Circumpotationem*, lib. II. *de Leg. Quæ servilis unctura tollitur, omnisque circumpotatio*. Latini *Silicernium* & *Exequium*. Festus: *Silicernium, cœna funebris, quam alio nomine Exequium scriptores vocant*. Donatus *Adelph. Silicernium, cœna quæ infertur diis manibus*. Eadem Nonius Marcellus. Tertullianus: *Quid differt ab epulo Jovis fili-*

A *cernium?* Insculpebant etiam cœnas ferales aris sepulcralibus: & testatur Smetius fuisse in ara istius Inscriptionis:

D. M.
T. HORTESIO
MVCRONI. NAT
MARSAQVEO. V. AN
XXXV. AEL
VERINVS. ARM. CVST
EQ. SING. AVG. FRATRI
F. C

B Sciendum vero duplicem fuisse hanc cœnam: unam, quam domi amici defuncti comedebant; alteram, quæ ad sepulcrum ferebatur, a paupertina plebe diripienda. Hanc intellexit Varro *de Ling. Lat.* lib. v. *Feralia, ab inferis, & ferendo: quod ferunt tum epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare.* In Ovidius *Fast.* II.

Nunc animæ tenues, & corpora functa sepulcris
Errant, nunc posito pascitur umbra cibo.
Hanc, quia justa ferant, dixere Feralia lucem:
Ultima placandis manibus illa dies.

C Et tum demum securos esse mortuos credebant. Tertullian. *de Testimonio Animæ: Vocas securos mortuos, si quando extra portam cum obsoniis & mattiis tibi potius parentans ad busta cedis, aut a bustis dilutior redis.* Ad Christianos quoque nonnullos hic mos postea transiit: sed illi cum orassent, auferebant, & edebant ipsi, vel pauperibus donabant. Augustin. *de Civit. Dei*, lib. VIII. cap. XXVII. *Quicunque etiam epulas suas eo deferunt, quod quidem a Christianis melioribus non fit, & in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo: tamen quicunque id faciunt, cum quas apposuerint, orant & auferunt, ut vescantur, vel ex iis etiam indigentibus largiantur.* Ita corrigo: nam male hodie est, *quas cum apposuerint.* Hinc intelligendus Prudentius

D *de Coronis* Hymno XI.

Illa sacramenti donatrix mensa eademque
Custos fida sui martyris apposita,
Servat ad æterni spem Judicis ossa sepulcro,
Pascit item sanctis Tybricolas dapibus.

In Orientali Ecclesia hæc dabantur Episcopis, qui distribuebant vel clericis & peregrinis hospitio exceptis, vel egenis alioquin fratribus. Balsamon in *Responsis: Esculenta & poculenta, quæ juxta morem sanctorum memoriis & pro mortuorum commemorationibus inferuntur in templum: & quæ pro animalibus traditionibus ecclesiis a quibusdam offeruntur, episcopis dari canonice statutum est, & ab*

E *his distribui in clericos peregrinos hospitio exceptos, & alioquin inopia pressos fratres, pro ipsorum arbitrio.* Non aliam cœnam intelligit Catullus:

—— sæpe quam in sepulcretis
Vidistis ipso rapere de rogo cœnam.
Quum devolutum ex igne prosequens panem
Ab semiraso tunderetur ustore.

Et hinc illud Terentii est:

E flamma cibum te petere posse arbitror.

F Locus, in quo comburebatur, *Culina* nuncupabatur. Festus: *Culina vocatur locus, in quo epulæ in funere comburuntur.* Alia porro, ut dixi, domesticorum erat, & propinquorum: quam sumebant præterito triduo in jejunio consumpto. Lucian. *de Luctu: Posthæc omnia silicernium superest, jamque adsunt necessarii, ut defuncti parentes consolentur, suadentque uti cibum capiant: quamquam illi per Jovem non illibentes ad id compelluntur, quippe continuum jam triduum enecti fame.* Apud Græcos non nonus, sed septimus dies epuli erat. Synesius *epist.* III. quæ est *ad Euoptium: Exspectans septimum diem, quo nos silicernium habemus.* Maximus vero hic usus leguminum. Plutarch. *Quæst. Rom.* XCV. *Ad silicernia, & advocationes mortuorum, maxime utuntur leguminibus.* Et inter legumina maxime fabæ, quæ primum in his locum obtinent. Plin. *l.* XVIII. *cap.* XII. *Prisco ritu fabacia suæ religionis diis in sacro est prævalens pulmentari cibo, & hebetare sensus existimata, insomnia quoque facere. Ob hoc Pythagorica sententia damnata, vel, ut alii tradidere, quod mortuorum animæ sunt in ea: qua de caussa parentando utique assumitur.* Itaque nec nominare eam Flamini Diali licebat. Festus: *Fabam nec tangere, nec nominare Diali Flamini licet, quod ea putatur ad mortuos pertinere. Nam & Lemuralibus jacitur Larvis & parentalibus adhibetur sacrificiis.* Sane & inferorum portis similes eas esse Veteres existimabant. Diog. Laert. *lib.* VIII. in *Pythagora: Aristoteles vero libro de Fabis ait, jussisse ipsum abstinere a fabis, sive quod pudendis similes essent, sive quod inferni portis.* Et id huc quoque referri non inepte potest. Atque hoc Romæ, ubi etiam in publicis sacrificiis in pulte ejus usus: nam apud Græcos omnino omnibus festis & sacrificiis erat interdicta. Artemidor. *lib.* I. *c.* LXX. *Faba fresa, & integra, seditionem significant: illa, quia fracta sit: hæc, quia flatum absurdum gignit. Nec hac solum de caussa, sed quod etiam ab omni festivitate ac sacrificio excludatur.* Apii item hic usus. Plin. *lib.* XX. *cap.* XI. *Chrysippus & Dionysius dicunt neutrum apium ad cibos admittendum: immo omnino nefas, nam id defunctorum epulis feralibus dicatum esse.* Romani etiam cammaro & ovo utebantur. Juvenalis *sat.* V.

Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo
Ponitur, exigua feralis cœna patella.

Conveniebant huc consolaturi. Lucian. *loco citato: Post omnia hæc silicernium superest, jamque adsunt necessarii ut defuncti parentes consolentur.* Atque inibant coronati. Cic. II. *de Leg. Sequebantur epulæ, quas inirent propinqui coronati.* Postea crescente magnitudine Romana, & simul luxu, non jam amicis tantum & propinquis, sed toti populo dabant, qui magnificentiores haberi volebant. Nec in virorum tantum funere, sed & mulierum factum est. Primus auctor Julius Cæsar. Sueton. *cap.* XXVI. *Munus populo epulumque in filiæ memoriam pronuntiavit, quod ante eum nemo.* Vestibus vero cœnatoriis color hic non a purpura, aut cocco, ut in aliis cœnis: non ater, qui luctui conveniret: sed albus. Cicero *in Vatinium: Quis unquam cœnavit atratus? ita enim illud epulum est funebre, ut munus sit funeris, epulæ quidem ipsæ dignitatis. Sed omitto epulum, Pop. Romani festum diem, argento, veste, omni apparatu ornatuque visendo; quis unquam in luctu domestico, quis in funere familiari cœnavit cum toga pulla? cui de balneis exeunti, præter te toga pulla unquam data est? cum tot hominum millia accumberent? cum ipse epuli dominus Q. Arrius albatus esset?* Et locus quidem epulo in templo Castoris. Docet *ibidem* Cicero: *Tu in Templum Castoris te cum C. Fidulo atrato, cæterisque tuis furiis funestum intulisti: quis tum non ingemuit? quis non doluit Reip. casum? quis sermo alius in illo epulo fuit,* &c. Sed cur albati? cur in templo? dicam caussam. Quasi supplicatio erat epulum istud. Liquet ex illis verbis ejusdem *Orationis: Dices te supplicationes illas non probasse.* Et postea: *Nulla supplicatio fuerit; cedo, quis unquam cœnavit atratus?* Atqui in supplicationibus necessario erant albati. Valerius Max. *lib.* I. *cap.* I. *Depositisque doloris insignibus, candidam induere vestem, & aris dare thura coactæ sunt.* Persius *sat.* II.

Ast ego nutrici non mando vota: negato
Jupiter hoc illi, quamvis te albata rogarit.

Plau-

Plautus *Rudente*, Sc. *Qui sunt*: ubi Ampeliscam & Palæstram viduas a mari, votaque facturas sacerdos ita alloquitur:

—— ergo æquius vos erat
Candidatas venire.

Homerus *Odyss.* XVII.

Hæc corpusque abluta, & pura veste recincta
Promisit cœlo plenas supplex hecatombas.

Diog. Laertius *l.* VIII. in *Pythagora*: *Honores diis habendos esse, & heroibus, sed non æquales. Cæterum diis semper quidem cum laudibus alba in veste.* At cur in templo Castoris potissimum hoc epulum? quia nimirum Sospitatores Dioscuri. Artemid. *l.* II. *c.* XLII. ubi de illis loquitur: *Ab omnibus periculis illæsos liberant, Sospitatores enim hi dii sunt.* Germanicus: *Jupiter utrosque cœlo intulit, sideribusque Geminos nominavit, qui salutares sunt appellati.* Hinc est illud in vetere Inscriptione:

CASTORI. ET. POLLVCI
DIS. MAGNIS
SVLPICIÆ. Q. SVLPICI. F.
VOTVM
OB. FILIVM. SALVTI
RESTITVTVM

Ecce invocabant eos & in morbo, ut liberarent: & in luctu, ut prohiberent, ne ulterius mors grassaretur. Viscerationem quoque populo dabant nonnulli. Livius ab V. C. *l.* VIII. *Populo visceratio data a M. Flavio in funere matris.*

CAP. XXXVI.

Parentalia annua apud Græcos Nemesis, apud Romanos Februario, apud Latinos Majo. Larentiæ Decembri. Observatus in iis mensis & diei finis. A Numæ instituto, vel Æneæ. Γενέσια. Νεκύσια. *Grammaticorum veterum error. In Genesiis etiam coronati erant.*

Iterabant hæc omnia quotannis in defuncti memoriam. Virgilius *Æneid.* III.

Sollennes tum forte dapes, & tristia dona
Ante urbem in luco falsi Simoentis ad undam
Libabat cineri Andromache, manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum.

Sacer huic rei apud Romanos mensis Februarius, ut notum: Latini mense Majo faciebant. Plutarchus *Quæst. Rom.* LXXXVI. *Multi Latinorum isto mense (Majo) mortuis parentant.* Et Accæ Larentiæ Decembri parentabatur. Observabant autem mensis & diei finem. Plutarchus *Quæst. Rom.* XXXVI. *Die in vesperam vergente, & mense decrescente solent mortuis parentare.* Institutum est a Numa. Ausonius in *Parental.* *Titulus libelli est* PARENTALIA. *Antiquæ appellationis hic dies, & jam inde ab Numa cognatorum inferiis institutus.* Ovidius *Fast.* II. ad Æneam refert:

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in exstructas munera ferre pyras.
Hunc morem Æneas pietatis idoneus auctor
Attulit in terras, juste Latine, tuas.

Græci vocabant νεκύσια & γενέσια, confuse, ut docebo: itaque nimis curiose Grammatici, qui tam accurate distinguunt. Faciebantque in festo Nemesios. Moschopulus: *Nemesia, festum Nemesios, in quo mortuis justa solvebant.* Proprie autem *Parentalia* sunt νεκύσια. Glossæ: *Parentalia*, νεκύσια Suidas: Νεκύσια, ἡ τῶν νεκρῶν ἑορτή. Sed hæc duplicia erant, fiebantque & natali & mortuali die, in memoriam defuncti. Idem Suidas: Γενέσια, ἡ δι' ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτῶσα τοῦ τεχθέντος μνήμη, Ecce, τοῦ τεχθέντος: & ita Moschopulus & Phavorinus, neque τεθνεῶτος rescribendum est, quod nuper in *Notis ad Phrynichum* voluit vir eruditus, Nunesius. Nam quod Ammonius ait: *Genesia in mortuorum honorem celebrantur, quo quisque die mortuus est*, profecto error est Grammatici. Et proprie quidem γενέσια erant, quæ natali die; νεκύσια, quæ mortuali: sed tamen promiscue alterum pro altero usurparunt: non quod idem uterque dies esset, sed quod eadem fere omnia utroque die fierent: & quod non minus ille quam hic in defuncti gratiam celebraretur. Hinc Hesychius: *Genesia, festum lugubre apud Athenienses: sive Necysia.* Dio *l.* LX. *Et Druso patri, & Antoniæ matri, ludos equestres Genesiis dedit.* Clare autem natalis diei testimonium perhibet Diog. Laertius *l.* X. Ubi in testamento expresse Epicurus: *Parentalia patri, matri, fratribus, ac nobis fieri curent die solenni natali.* Jam inter *Genesia* quoque & *Genethlia* discrimen statuunt, nec hoc tamen omnibus observatum. Ecce in *Evangelio* Matthæi, cap. XIV. vers. 6. *Genesia vero celebrante Herode, saltavit filia Herodiadis.* Porro hoc discriminis habuisse *Necysia* videntur, quod tum etiam carmen lugubre canerent ancillæ, & quæ cum illis. Ammonius suggerit, ubi de *Threni* & *Epicedii* differentia: *Hi vero differre Threnum & Epicedium dixerunt, quod Threnus canatur in ipsa miseria ante elatum funus, & post elatum, & quotannis, canentibus ancillis, & quæ cum illis.* Certe *Genesiorum*, ut proprie loquamur, clarum vestigium extat apud Suetonium in *Domitiano*, c. X. *Salvium Coccejanum interemit, quod Othonis Imperatoris patrui sui diem natalem celebraverat.* Martialis *l.* VIII. *epigr.* XXXVIII.

Qui solennibus anxius sepulti
Nomen non sinis interire Blæsi;
Et de munifica profusus arca,
Ad natalicium diem colendum,
Scribarum memori piæque turbæ
Quod donas, facis ipse Blæsianum.

Et convivium tunc celebrabatur. Ostendit vetus Lapis:

Q. MINVCIVS. Q. L. ANTEROS. VI. VIR
AVGVSTAL
HIC. SEVIRIS. AVGVSTAL. ALETRINAT
LEGAVIT. HS. CCIƆƆ. QVOIVS. EX. REDITV
QVOD. ANNIS. NATALI. SVO. VI. ID
FEB. VESCERENTVR

Et coronati hic quoque. Juvenalis *sat.* V.

Quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant
Brutorum & Cassi natalibus. ——

CAP. XXXVII.

Everriatores. Justa facere. Intra quod tempus facere coacti. Pœna negligentium. Porca Præcidanea. *In quo justa fecerint. Cicero correctus. Quando sepulcrum crederetur, & familia pura.* Denecales *feriæ, & quot dierum. Cicero iterum correctus.* Extera. *Denecalibus mulos jungere nefas. Fulmine ictis justa non fiebant. Heres Martea, ejusque sacrificium.*

Non omittenda nobis justa sunt, quam tertiam esse justitiæ speciem Plato olim dixit. Hæc facere heredes tenebantur, & *Everriatores* nominabantur. Festus: *Everriator vocatur, qui accepta jure hereditate, justa facere defuncto debet: quæ si non fecerit, seu quid in ea re turbaverit, suo capite luat.* Justa autem facere, hoc erat glebam injicere: tenebanturque præstare antequam novas fruges gustarent. Qui neglexissent, capital commisisse credebantur, ut ex citatis Festi verbis apparet. Sed ad expiationem

porcam Cereri immolabant præcidaneam. Feſtus: *Præcidanea agna vocabatur, quæ ante alia cædebatur: item porca, quæ Cæreri mactabatur ab eo qui mortuo juſta non feciſſet, id eſt, glebam non objeciſſet: quod mos erat iis facere prius quam novas fruges guſtarent*. Injiciebat vero in digitum idcirco abſciſſum cadaveri, antequam combureretur. Idem Feſtus: *Membrum abſcindi mortuo dicebatur, cum digitus ejus decidebatur, ad quod ſervatum juſta fierent, reliquo corpore combuſto*. Male itaque apud Ciceronem legitur lib. II. *de Leg. Quemadmodum os rejectum terræ obtegatur, quæque in porca contracta jura ſint*. Corrigendum cenſeo ex antiquo ritu, *os reſectum terra obtegatur*. Porro hoc etiam obiter monendum, errare viros doctos, qui hanc glebæ injectionem, a terra inſepultis tumultuarie injici ſolita, diſtinguere neſciunt. Ac tum demum humatus eſſe mortuus intelligebatur, & ſepulcrum habere. Cicero II. *de Leg. Prius quam in os injecta gleba eſt, locus ille ubi crematum eſt corpus, nihil habet religionis: injecta gleba tum & ille humatus eſt, & ſepulcrum vocatur: ac tum denique multa religioſa jura complectitur*. Nec familia quoque antea pura. Varro *de Vita Pop. Rom.* lib. III. *Quod humatus non ſit, heredi porca præcidanea ſuſcipienda Telluri, & Cereri: aliter familia pura non eſt*. Purgabatur itaque juſtis familia, feriaſque in hanc rem habebant, quæ *Denecales* nuncupabantur. Feſtus: *Denecales feriæ colebantur, cum hominis mortui cauſſa familia purgabatur*. Et erant triduanæ. Præſtantiſſimus locus eſt apud Ciceronem II. *de Leg.* qui id docet, ſed contaminatiſſimus, & noſtra opera adjuvandus. Hodie certe vix aliquid in eo ſani. Videamus: *In eo qui in navi necatus, deinde in mare projectus eſſet, decrevit P. Mutius familiam puram, quod os ſupra terram non extare portam heredi eſſet: contra cenſet habendas triduum ferias, & porco femina piaculum pati, ſi in mari mortuus eſſet, eadem præter piaculum & ferias. ATT. Video quæ ſint in pontificio jure, ſed quæro ecquidnam ſit in legibus*. Ecce, præterquam quod ipſa verba peſſime affecta ſunt, Attici etiam perſona loco ſuo mota eſt. Corrigo: *Decrevit P. Mutius familiam puram, quod os non ſupra terram, extera porcam heredi eſſe: contra cenſet habenda triduum ferias, & porco femina piandum apte, ſi in mari mortuus eſſet. ATT. Equidem, præter piaculum & ferias, video quæ ſint in pontificio jure*, &c. Volo attentum Lectorem, & ille fatebitur non parum operæ me contuliſſe, niſi me amo. *Extera* Veteres dicebant, ut *Infera*, *Intera*, *Supera*: notumque id Antiquitatis ſtudioſis. Jam *extra porcam*, valeat præter porcam, ſine porca: & eſt ea vocis notio non infrequens in Auctorum monumentis. Plautus *Amphitr.*

Ut mihi extra unum te mortalis nemo corpore
Contigit, qui me impudicam faceret.

Terentius *Phorm.*

Neque cognatus extra unam ancillulam quiſquam aderat.

Porro his feriis mulos jungere non licebat. Columella *l.* II. *c.* XXII. *Apud pontifices legimus, feriis tantum denecalibus mulos jungere non licere, cæteris licere*. Si quis autem fulmine ictus eſſet, & juſta nulla fieri debebant. Extatque lex Numæ, quæ id vetat. HOMO. SI. FULMINE OCCISUS. EST. EI. IUSTA. NULLA FIERI. OPORTET. Vide Feſtum in *Occiſum*. Præter hæc juſta defunctorum etiam Heri Marteæ ſacrificabant. Feſtus: *Herem Marteam Antiqui accepta hereditate colebant, quæ a nomine appellatur heredum, & eſſe una ex Martis comitibus putabatur*.

CAP. XXXVIII.

Sepeliri, non cremari, ſoliti fulmine icti; & in ipſo loco ubi icti. Accedere eos aut attingere nemo volebat, ut neque loca fulgurita. Seneca emendatus. Lex Numæ, non ſollicitanda. Quid in ea. Supra genua ne tollito. *Aruſpicum munus. Ex infantibus qui non cremati*. Suggrundaria.

AD ſepulcra jam ipſa properabam, ſed in medio impetu revocor, & cogor dicere aliquid extra ordinem, nondum dictum. Omnes ne cremarunt Romæ? docui ſupra, non feciſſe: &, etiamne cremati omnes? nego. Nam ecce, qui fulmine icti, ſepeliebantur: Plinius *l.* II. *c.* LIV. de Catholicis fulgurum: *Hominem ita exanimatum cremari fas non eſt, condi terra jubet religio*. Et quidem eo ipſo in loco ubi icti. Artemidorus *l.* II. *c.* III. *Fulguriti enim non transferuntur, ſed quocunque eos loco ignis reliquerit, ibi ſepeliuntur*. Nam inviſerant omnibus, neque attingere quiſquam aut accedere volebat. Seneca *de Ira* lib. III cap. XXIII. *Nullum illi limen præcluſa Cæſaris domus abſtulit: hiſtorias, quas poſtea ſcripſerat, recitavit, & combuſſit: & libros acta Cæſaris Auguſti continentes in ignem poſuit. Inimicitias geſſit cum Cæſare Auguſto. Nemo amicitiam ejus extimuit, nemo quaſi fulguritum refugit*. Perſius *ſat.* II.

Triſte jaces lucis, evitandumque bidental.

Poſuit *Bidental* pro fulgurito locum pro homine: quia eadem utriuſque eſt ratio. Non enim magis locum fulmine ictum accedere fas erat, quam hominem. Plutarchus in *Pyrrho*: *Loca fulmine icta manent inaceſſa*. Itaque lex Numæ vetabat eum, qui ita mortuus eſſet, ſupra genua tollere. Apud Feſtum in *Occiſum*: SI. HOMINEM. FULMINIBUS. OCCISIT. NE. SUPRA. GENUA. TOLLITO. Scio viros magnos ſollicitare hæc verba, ſed ignoſcent mihi, ſi non ſequor, cum rationem ipſi nullam facti ſui reddant. Vetat Numa ſupra genua tollere, id eſt, curare, pollingere, & veſtimenta funebria induere: quæ certe fieri non poterant, niſi mortuum ſupra genua tollerent. Ideo autem accedere ad hos nemo volebat, quia inviſos Jovi ob ſcelus aliquod exiſtimabant, unde & damnatos *Fulguritos* dicebant. Artemidorus *loco citato*: *Damnatos dicimus fulguriri*. Hos autem ſepelire aruſpicum erat. Clare diſcimus ex Seneca *de Clementia* lib. I. cap. VII. *Et quis regum erit tutus, cujus non membra aruſpices colligant? Quod ſi dii placabiles ſunt, & æque delicta potentium non ſtatim fulminibus perſequuntur, quanto æquius eſt hominem hominibus præpoſitum miti animo exercere imperium?* Atque ut fulmine icti, ita neque infantes cremabantur, qui intra quadrageſimum diem deceſſiſſent: ſed ſepeliebantur in protecto ſive ſuggrunda conditorii, ut infra admonebo, unde & ſepulcra eorum *Suggrundaria* dicebantur. Fulgentius *de priſco Serm. Suggrundaria Antiqui dicebant ſepulcra infantium, qui necdum quadraginta dies impleſſent, quæ nec jam buſta dici poterant, quia oſſa, quæ comburerentur, non erant: nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumeſceret, unde neque tumuli appellari merebantur*. Rutilius Geminus *Aſtyanacte*:

Melius ſuggrundarium quæreres, quam ſepulcrum.

Hinc illuſtro Juvenalem *ſat.* XV.

Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,
Et minor igne rogi. ——

CAP. XXXIX.

Peregre mortuorum cineres in urnis domum referebant. Lacones solis hoc regibus suis faciebant. Urnæ illæ coronatæ sertis, aut diademate etiam, si regum essent reliquiæ, aut principum. Nomina quoque ter vocata. Longobardorum perticæ. Memoria celebrata Compitalibus.

HOc quoque sciendum Veteres illos maxime expetivisse, ut in avitis monumentis reconderentur, præter solos Lacedæmonios, qui unumquemque ubi terrarum mortuus esset, sepeliendum relinquebant, excepto rege suo, cujus cadaver melle circumlitum Spartam referebant. Plutarchus in *Agesilao*: *Cum vero mos Laconibus esset aliorum quidem peregre morientium cadavera illic funerata relinquere, regum autem domum referre, Spartani qui aderant, cum mel ad manum non esset, cera liquefacta, cadaverique circumfusa, Lacedæmonem abduxerunt.* Reliquæ gentes urnis conditos cineres in patriam remittebant. Lycophronis Scholiastes: *Mos erat peregre mortuos cremare, cineremque ipsorum urnis, arculis, aut amphoris inclusos in patriam perferre.* Ovidius *Trist.* III.

Ossa tamen facito parva referantur in urna,
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

Tacitus *Annal.* III. de Agrippina, quæ Germanici cineres Romam perferebat: *Postquam duobus cum liberis feralem urnam tenens egressa navi defixit oculos, idem omnium gemitus.* Ammianus *l.* XIX. *Post incensum corpus, ossaque in argenteam urnam conjecta, quæ ad gentem humo mandanda portari statuerat pater.* Atque has urnas, perinde ut mortuos, sertis coronabant; & id faciebant urbes quoque per quas ferebantur in itinere. Tanquam has inferias sepulcro ferentes: vel etiam adjungebant, qui publico nomine quasi exequias irent. Sed hoc factitatum non nisi in magnatum & honoratiorum funere. Plutarchus in *Demetrio*: *Urbes vero, quas accedebant, vel sertis urnam ornabant, vel viros lugubri habitu mittebant una cum aliis funus curaturos prosecuturosque.* Sertorum & coronarum ecce iterum vestigium in *Philopœmene*: *Erat autem videre hostes captivos in vinculis ductos, ipsam vero urnam præ tæniarum ac sertorum copia vix conspicuam.* Iterum in *Marcello*: *Corpus digno habitu ornatum, honorificeque amictum cremavit, reliquiasque componens in urnam argenteam, aureamque injiciens coronam, misit ad filium ejus.* Regum aut principum urnis addita diademata. Plutarchus iterum in *Demetrio*: *Classe navigante Corinthum urna ex puppe insignis conspiciebatur, purpura regia & diademate ornata.* Ubi vero monumentis inferrentur, præter cætera, quæ in ipso quoque funere fieri solita, nomina etiam invocabant: immo etiamsi urnas non habebant. Pindari Scholiastes *Pyth.* ode IV. *Mos erat peregre mortuorum si non cadavera essent penes ipsos, saltem manes quibusdam mysteriis invocare, & tanquam una navigantes in patriam trajicere.* Virgilius *Æneid.* III.

Sollenes tum forte dapes, & tristia dona
Libabat cineri Andromache, manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum. ——

Philostratus *Heroicis*: *Ad mare vero venientes manes ejus* (de Palamede interfecto loquitur) *vocare, atque lamentari, Agamemnonem autem detestari.* Parthenius *Erot.* XXXVI. *Illa autem, ut mortuum intellexit, abiit rursus ad locum in quo nuptias cum eo primum fecerat, sortemque deplorans, sæpius Rhæsum clamabat.* Ausonius in *Coronide*:

—— nomina tantum
Voce ciere suis sufficiet tumulis.

Extendebant quoque inter vocandum manus versus regiones illas: in quibus decessisse credebantur. Ovid. *Trist.* III.

Sed sine funeribus caput hoc, sine honore sepulcri
Indeploratum barbara terra teget?
Ecquid, ubi audieris, tota turbabere mente,
Et feries pavida pectora fida manu?
Ecquid in has frustra tendens tua brachia partes,
Clamabis miseri nomen inane viri?

Huc pertinet Longobardorum mos, qui perticis columbas ligneas imponebant, aspicientes eam regionem in qua sepulti jacerent. Vide Paullum Diaconum *l.* V. *c.* XXXV. Vocabant autem ter. Didymus *Odyss.* IX. *Antiquus mos est, peregre mortuorum manes ter vocare.* Virgilius *Æneid.* VI.

—— & magna manes ter voce vocavi.

Ausonius *Parentalibus*:

Ille etiam mœsti cui defuit una sepulcri,
Nomine ter dicto pæne sepultus erit.

Et memoriam quoque eorum Compitalibus colebant. Charisius *lib.* I. *Compitalia, ludi quibus eos qui peregre moriuntur colunt.* Glossæ. *Compitalia*, *θεῶν ἀγυιαίων ἑορταί, αἱ γινόμεναι ἐν ταῖς ὁδοῖς ὑπὸ τῶν προσηκόντων τοῖς νεκροῖς.*

CAP. XL.

Sepulcrorum genera. Requietorium. Loca. Cineraria. Cinerarii. *Familiaria sepulcra, & Hereditaria.* Communis locus. *Prodigi avitis monimentis probibiti.* Ἀπόταφοι. *Publica sepulcra. Cenotapbia. Pythagoricorum mos.* Πολυάνδρεια.

ERgo nunc ad sepulcra accedamus: & primum quid de iis, deinde ubi fuerint, dicemus. Sane Veteres illi vel comburebant cadavera, atque ita in urnis sepeliebant; vel terra obruebant; vel lapidi solido cavato includebant. Seneca *de Remed. Fort. Non defunctorum caussa, sed vivorum inventa est sepultura: ut corpora & visu & odore fœda amoverentur: alios terra obruit, alios flamma consumpsit, alios lapis ossa redditurus inclusit.* Et iterum: *Insepultus jacebis, at tu combustus; at tu obrutus; at tu inclusus; at tu putridus; at tu evisceratus, & constrictus; at tu traditus lapidi, qui te paullatim edat, & exsiccet.* Mentio est lapidis quoque in Jure *l. invit. D. de relig. & sumpt. fun. Invito, vel ignorante te, ab alio illatum corpus in puram possessionem, vel lapidem, locum religiosum facere non potest.* Ut autem plene rem hanc omnem teneamus, sciendum est sepulcra facta aut singulis hominibus, aut conjugibus, aut universæ denique familiæ, & heredibus quoque. Et *Requietoria* appellabant. Inscriptio vetus:

P. SCANTIVS. PHILETVS. FECIT. SIBI
ET. SCANTIAE. NICE. LIB. REQVIETORIVM

Quomodo Lycophron noster *εὐναστήριον*. Aut *Loca* quoque dicebantur, ut est videre in Jure, & Inscriptionibus antiquis. Augustinus *de Civit. Dei*, lib. I. *Testantur hoc martyrum loca, & basilicæ mortuorum.* Et *Cineraria* etiam invenimus in quadam Inscriptione: unde etiam *Cinerarii*, qui cineraria, & reliquias Martyrum honorabant, apud Hieronymum in *Epistola* quadam *ad Riparium*: *Ais Vigilantium os fœtidum rursus aperire, & putorem spurcissimum contra sanctorum proferre reliquias: & nos, qui eas suscipimus, appellare cinerarios.* Quæ faciebant heredibus suis,

Hereditaria: quæ familiæ tantum, ea *Familiaria* vocabantur, Cajus l. jam l. ... *D. de rel. & sumpt. fun. Familiaria sepulcra dicuntur, quæ quis sibi familiæque constituit: hereditaria autem, quæ quis sibi heredibusque suis*. Itaque familiaria semper præ se ferebant has literas, H. M. H. N. S. id est. *Hoc monumentum heredes non sequetur*. Contra in hereditariis, H. M. H. S. id est, *Hoc monumentum heredes sequetur*. Hæc intellexit Ovidius *Metamorph.* XIII.

At puto funeribus dotabere regia virgo,
Condeturque tuum monumentis corpus avitis.

Quintilianus *Declam.* XI. *Miser ego nec ad cadaver accessi, non in sepulcra majorum meis manibus intuli*. Et dicebatur etiam *Communis locus*. Artemidor. *lib.* I. *cap.* LXXX. *Communis ille locus vocatur, qui mortuos accipit*. Sic in *Prologo Casinæ* Plautinæ:

Ea tempestate flos poetarum fuit,
Qui nunc abierunt hinc in communem locum.

Cicero *Verr.* VI. *Dico nihil istum ejusmodi rerum in provincia reliquisse, nihil in ædibus cujusquam, nihil in oppidis, nihil in locis communibus, ne in fanis quidem*. Item *Commune sepulcrum*. Inscriptio vetus:

PA
TERNOS CINERES EX HISPA
NIA EXPORTATE COMMVNIQVE
SEPVLCRO CONDITE QVO
AVITIS CINERIBVS IMMIXTI
SACRO GAVDEANT ANNIVER
SARIO PARENTARI

Græci in ignominiam arcebant his prodigos Diog. Laertius *lib.* IX. in *Democrito*: *Cum lex esset, quæ eum, qui patria bona prodegisset, sepulcro in patria indignum censeret*. Quicunque autem in his non conderentur, ἀπόταφοι dicebantur. Harpocration: ἀπόταφος, ἀντὶ τοῦ ἀπεστερημένος τῶν προγονικῶν τάφων. Erant præterea *Publica*, in quibus nimirum ii collocabantur, qui propter inopiam funeris impensam non habebant. Aggenus *de Limit. Agr. Sunt in suburbanis loca publica, inopum destinata funeribus*. Acron *ad Horatii lib.* I. *sat.* VIII. *Tanta misericordia tenebantur majores, ut etiam publica monumenta pauperibus & servis ædificarent*. Mentio eorum quoque apud Siculum Flaccum, l. *de Condit. Agr.* Nec *Cenotaphia* item omittere hoc loco debemus, quæ cognoscimus exstructa fuisse iis, qui peregre essent defuncti. Pausanias *Corinth. Non longe ab his statuis ostenditur Danai monumentum, & cenotaphium Argivorum, qui & ante Ilium, & in reditu mortui essent*. Agathias in *epigr.*

Quisquis transieris, rogo te, narrato marito,
Patria conspicitur si tibi Thessalia,
Mortem obiit conjux tua, quam pia terra recondit
Hei hei non procul a littore Bosporio.
Sed mihi tu prope te tumulum sacrabis inanem,
Ut memori vivam condita mente tibi.

Xenophon *Expedit. Cyri* lib. VI. *Quos vero non reperiebant cenotaphium iis magnum fecerunt*. Virgilius *Æneid.* lib. III.

—— manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem,
Et geminas caussam lacrymis sacraverat aras.

Suetonius *honorarium tumulum* appellat, *Claudii* cap. I *Cæterum exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice supplicarent*. Et infinita sunt de iis loca apud Poetas. Jurisconsulti proprie *Monumenta* vocant. Florentinus *l.* 42. *D. de relig. & sumpt. fun. Monumentum generaliter res est memoriæ causa in posterum prodita: in quam si corpus vel reliquiæ inferantur, fiet Sepulchrum: si vero nihil eorum inferatur, erit Monumentum, memoriæ caussa factum, quod Græci κενοτάφιον appellant*. Pythagorici iis, qui a philosophia sua descivissent, hæc exstruebant, veluti jam mortuis. Clemens *Strom.* V. *Dicunt Hipparchum Pythagoricum accusatum quod arcana Pythagoræ claritate scripti prodidisset exactum esse disciplina, columnamque ipsi statutam tanquam mortuo*. Habebant quoque Xenotaphia, in quibus peregrinos sepeliebant, quæ *Polyandria* etiam aliter appellabant, quia essent omnibus communia. Suidas: *Polyandrium, monumentum, sepulcrum, quod a multis Xenotaphium vocatur*. Incertus Auctor apud ipsum: *Gajanas vero urbe excedebat, relinquens ipsam veluti polyandrium, magnificumque tumulum, nondum sepultis civibus*. Arnobius *lib.* VI. *Polyandria illa Varronis quibus templis contegantur*. Ælianus: *Sepultis vero cadaveribus fecerunt commune polyandrium*. Vetus Lapis:

FORTISS. MIL. V. ET. XIX. LEG
QVORVM. OPERA. FORTITER
VETERA. CASTRA. DEFENSA. SVNT
POLYANDRION

Nec aliud quoque, quam polyandria, intelligit Prudentius περὶ στεφ. *Hymno* XI.

Sunt & multa tamen tacitas claudentia turbas
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virum jaceant congestis corpora acervis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defossas mole sub una
Relliquias memini me didicisse hominum.

Et Suetonius *Augusto*, cap. II. *Mutinensi acie interemptorum civium tumulo publice exstructo adscripserant: pro libertate eos occubuisse.*

CAP. XLI.

Ossuarium, & ustrina. Nonnulli ustrinam applicari sepulcris nolebant. Servi epulas ferebant ad sepulcra. Tabernæ quoque superinductæ, & sepimenta circumducta. Arcæ. Custodes etiam additi. Habitari in illis cœptum, & prohibitum. Ulpianus JC. emend. Clarorum virorum cineribus, porticus, palæstræ, immo templa superstructa. Super Imperatorum sepulcra velum purpureum expandebatur. Arbores quoque imposita, & quæ.

Adjunctæ sepulcris cellæ erant, in quibus reponebantur ossa eorum, quorum in loco jam novum cadaver erat collocandum, & *Ossuaria* dicebantur. Vetus Lapis:

IVLIA
FVSCINIA
OSSVARIVM. VIVA
SIBI. FECIT

Item alius:

M. AVRELIO. M. AVG. L. BATHYLLO
M. AVRELIVS. THALLVS. CVST
OPER. MESORVM. ÆDIFICIORVM
PATRONO. OSS. DE. SVA
PECVN. ORNAV

Ulpianus *l. Si sepulcra. D. de sep. viol. Idem quærit, si neque applumbata fuerit, neque affixa, an pars monumenti effecta sit, an vero maneat in bonis nostris. Et Celsus scribit sic esse monumenti, ut ossuariam*. Erant quoque ustrinæ, quas tamen applicari monumentis suis nonnulli vetabant. Lapis Vetus:

HVIC
MONVMENTO
VSTRINVM
APPLICARI
NON. LICET

Item alius:

AD. HOC
MONVMENTVM
VSTRINVM. APPLICARI
NON. LICET

Ad has ustrinas erant loca, in quibus epulæ coquebantur, & *Culinæ* nominabantur. Quod ex Festo scimus. Quod si adjunctæ hæ non essent, (nam nonnulli vetabant fieri, ut jam dixi) curabant epulas ad sepulcrum per servos deferri. Juvenalis *sat.* III.

Centum convivæ: sequitur sua quemque culina.
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res,
Impositas capiti quas recto vertice portat
Servulus infelix, & cursu ventilat ignem.

Atque hæc *Funerum fercula* appellat Plinius *l.* X. *c.* X. ubi tradit sancta hæc esse milvis. Hæc sunt verba: *Notandum in milvis, rapacissimam & famelicam semper alitem nihil esculenti rapere unquam ex funerum ferculis*[1]. Ædificia quoque superinducebant: puta tabernas, & cœnacula, in quibus epulæ sepulcrales peragebantur: & sepiebant quoque ad prohibendum accessum, pauperes maceria. Luculentum testimonium est in Vet. Inscript.

HVIS. MONVMENTI. IVS. QVA. MACERIA
CLVSVM. EST. TABERNA. ET. CENACVLO
HERED. NON. SEQVETVR
NEQVE. INTRA. MACERIA. HVMARI
QVEMQVAM. LICET

Item ista:

AD. ID
SEPVLCRVM. HORTVS. QVI. EST. CINCTVS
MACERIA. ET. DIETA. AIVNCTA. IANVAE
CVSTODIAE. CAVSA. SEPVLCRO. CEDAT

Suetonius *Nerone* cap. XXXIII. *Denique bustum ejus consepiri, nisi humili levique maceria, neglexit.* Hæ vero maceriæ, quæ sepiebant, *Arcæ* vocabantur. Invenio in *fragmentis Auctorum de Limit. Arca aliquoties circa sepulcrum sine dubio ponitur, & super ipsam arcam memoriæ constitutæ.* Vetus Inscriptio:

EX. EA. SVMMA. SICVT. SOLITI. SVNT
ARCAM. PVBLICIANORVM. FLAVIANI
&. ITALICI. FILIORVM. &. ARCAM. IN
QVA. POSITA. EST. FLAVIA. SALVTARIS
VXOR. EIVS. ROSIS. EXORNENT.

Ditiores sepiebant saxo, vel marmore. Statius de Priscillæ sepulcro:

—— *tantas venerabile marmor*
Sepit opes. ——

Virgilius *Culice*:

—— *tumulus formatum crevit in orbem,*
Quem circum lapidum levi de marmore formas
Conserit assiduæ curæ memor. ——

Suetonius *Nerone*, cap. L. *In eo monumento solium Porphyretici marmoris superstanti Lunensi ara circumseptum est lapide Thasio.* Nec sepimento solum muniebant, immo etiam custodes addebant. Horatii vetus Interpres ad illud: *Novendiales dissipare pulveres* clare notat. *Pauperum, nam divitum sepulcra suis custodibus curæ erant.* Cœperam autem dicere de tabernis sepulcralibus, itaque huc revertar. Habitare quoque in illis cœperunt, videturque originem traxisse ab incendio Neroniano. Suetonius *c.* XXXVIII. *Per sex dies septemque noctes ea clade sævitum est, ad monumentorum bustorumque diversoria plebe compulsa.* Sed, ut indecorum, merito legibus prohibitum est. Ulpianus *l.* *Prætor. D. d' sep. viol. Si quis in sepulcro dolo malo habitaverit, ædificiumve aliud quidquam, quod sepulcri caussa factum sit, habuerit, in eum, si quis agere eo nomine volet, ducentorum aureorum judicium dabo.* Ita corrigo: nam male hodie legitur, *ædificiumve aliud quam quod*, plane contrario legi sensu. Græci principum virorum sepulcris porticus circumstruebant, & palæstras superinducebant, Plutarchus in *Timoleonte*: *Humatum est corpus ejus in foro, sepulcroque postea porticus circumductæ, palæstræque inædificatæ; quæ gymnasium essent juvenum, & Timoleonteum appellarunt.* Quin templa etiam superstruebant. Arnob. *l.* VI. *Multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis, & sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres, atque ossa, & functorum esse corporum sepulturas.* Et quæ ibi sequuntur multa, dignissima inspectione. Clemens *Protrept. Præterea redarguam ipsa templa quæ benigniore vocabulo appellant, sepulcra esse templa cognominata.* Et Ciceronem quoque in *Epistolis ad Atticum* l XII. filiæ suæ mortuæ fanum cogitasse legimus, ad imitationem videlicet antiquissimorum Græcorum. Posteriore ævo super Imperatorum sepulcra velum purpureum extendebatur. Patet ex Ammiano *lib.* XVI. *Suasitque consarcinatis mendaciis læsæ majestatis arcessere maritum insontem, & fingere, quod velamen purpureum a Diocletiani sepulcro furatus, quibusdam consciis occultabat.* Non semper autem monumenta structa ex saxo, sed arbores super impositæ sepulcro. Nempe buxi, & palmites. Martialis *l.* I. *epigram.* LXXXVIII.

Alcime quem raptum domino crescentibus annis
Labicana levi cespite velat humus:
Accipe non Pario nutantia pondera saxo,
Quæ cineri vanus dat ruitura labor:
Sed fragiles buxos, & opacas palmitis umbras,
Quæque virent lacrymis roscida prata meis.
Accipe care puer nostri monumenta doloris,
Hic tibi perpetuo tempore vivet honor.
Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos,
Non aliter cineres mando jacere meos.

Cognoscimus quoque ex Dolabella *de Lim. Agr. Fines sepulturarios sive cinerarios sic intellegis, quo vadant rigores inter possessiones. Juxta sepulturam sunt buxus.*

CAP. XLII.

Antiqui in cavernis sepeliebant. Puticuli. *Postea in ædibus cœptum est. Larium cultus unde. Cella mortualis.* Conditorium. Forum. *Nomina mortuorum in limine perscribi solita.* Glossaria mortuaria. *Catonis dictum illustratum. Vestimenta etiam ibi recondita.* Suggrundaria. *Duodecim Tabulæ vetuerunt in urbe sepeliri: quibus tamen permissum. Qui coloniam duxisset in media urbe sepeliebatur. Forum honestissimus locus sepulcri. Tyrannicidæ ibi sepulti. Mileti ignominia erat, vel efferri per forum. Hadriani Rescriptum. Lycurgus sepulcra in urbe permisit. Mox prope portas sepultum est, quæ inde ἠρία etiam Atheniensibus dictæ. Immo longius ad vias publicas. Romani nobiliores ad Flaminiam, Latinam, Appiam faciebant. Positio sepulcrorum: Et sæpe pro terminis erant. Hygenus emendatus, item Frontinus. Lex Tiberii. Inopum sepulcra in suburbanis.* Culinæ. *Etiam damnatorum. Herodianus correctus. Esquiliæ, cloacæ. Gemoniæ.* Hamotrahones.

DIxi, quid de sepulcris, & quæ circa illa: nunc de loco, quod promiseram, implendum est. Antiquissimi certe sepeliebant in cavernis. Etymologici Auctor: *Olim in cavernis*

terræ sepeliebant, neque ferro neque ære utentes. Romani *Puticulos* appellabant. Festus: *Puticulos antiquissimum genus sepulturæ appellatos: quod ibi in puteis sepelirentur homines*. Postea vero in ædibus quisque suis cœpit. Isidorus *lib.* XV. *cap.* XI. *Sepulcrum a sepulto dictum est. Prius autem in domo quisque sua sepeliebatur*. Inde Lares quoque coli cœperunt. Servius *Æneid.* VI. *Apud majores omnes homines in suis domibus sepeliebantur: unde ortum est, ut Lares quoque colerentur in ædibus*. Et postea quoque factitarunt nonnulli. Statius in *Lacrymis Hetrusci*:

> *Non totus rapiere tamen, nec funera mittam*
> *Longius: hic manes, hic intra tecta tenebo.*

Seneca lib. IV. *Controvers.* I. *Cineres meorum in sepulcro video, magnum solatium est appellare nomina filiorum non responsura*. Et erant illi usui cellæ. Phlegon Trallianus *de Mirabil. Aperta vero cella in qua posita omnium familiarium cadavera, in aliis quidem lectis conspiciebantur corpora*, &c. Proprie *Conditoria* dicebantur. Solinus *cap.* V. *Quorum reliquiæ in conditorio Salustianorum videntur*. Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* II. *Quæ in dolorem credo seculi, invidiamque fortunæ, tanquam Alexandri Magni corpus in conditorio servari, ut ostentarentur, placebat*. Petronius *Satyrico*: *In conditorium etiam prosecuta est defunctum*. Seneca *Conditivum* appellat *epist.* LXI. *Qui latitant & torpent, sic in domo sunt, quomodo in conditivo*. Iterum LXXXIII. *Non multum interest inter otium, & conditivum*. Erantque in introitu etiam vestibula, quæ *Fora* nuncupabant. Festus: *Id forum Antiqui appellabant, quod nunc sepulcrum dici solet*. Cic. II. *de Leg. Quod autem forum, id est, vestibulum sepulcri, usucapi vetat, tuetur jus sepulcrorum*. In hoc vero, atque adeo in ipso limine, perscribebant nomina conditorum. Haurio ex Senecæ loco, quem modo proferre cœperam: *Qui latitant & torpent, sic in domo sunt, quomodo in conditivo: harum licet in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam antecesserunt*. Hoc Cato apud Agell. *l.* XVIII. *cap.* VII. alludens, *Glossarium mortuarium* dixit, quia perscripta nimirum habebat nomina mortuorum. Et ita eleganter per translationem appellavit philosophos, qui, non aliter atque conditorii limen, nomina tantum mortua præ se ferrent, neque vivere se ulla re præclara testarentur. Intra hoc porro recondebant etiam vestimenta sepultorum. Ostendunt illa Suetonii *Caligula*, cap. LII. *Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem assidue gustavit: interdum & magni Alexandri thoracem repetitum e conditorio ejus*. Curius Fortunatianus *Artis Rhetor.* lib. I. *Commendatam sibi ab ephebo chlamydem, defuncto eo, in monumentis majorum ei posuit*. Nec vestes tantum, sed specula quoque, strigiles, & talia. Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* XVII. *Mutianus specula quoque, & strigiles, & vestes, & calciamenta illata, (sacrophago Assio) omnia lapidea fieri, auctor est*. Ante conditorium erat protectum, sive suggrunda, ubi sepeliebantur infantes intra quadragesimum diem mortui, unde & sepulcra eorum *Suggrundaria* dicebantur, ut supra explicavi. In ædibus ergo suis, & in urbe sepeliebantur. Sed vetuit olim lex XII. *Tabularum*, & expresse in illis erat: *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito*. Imperatores tamen, & Vestales Virgines immunes erant. Servius *Æneid.* XI. *Ante omnes in civitate sepeliebantur, quod postea Duillio Consule Senatus probibuit, & cavit*, (ita lego cum Clariss. JC. Franc. Hotomano) *ne quis in Urbe sepeliretur. Unde Imperatores & Virgines Vestæ, quia legibus non tenerentur, in civitate habebant sepulcra. Denique etiam nocentes Virgines, licet vivæ, tamen*

A *intra Urbem in Campo scelerato obruebantur*. Et viris quoque præclaris honoris ergo est permissum. Cicero II. *de Leg. Post duodecim in Urbe sepulti sunt clari viri*. Sic Publicolæ, totique ejus generi, sepulcrum intra Urbem destinatum. Plutarchus in *Vita ejus*: *Sepultus vero & hic est ex plebiscito intra Urbem juxta Veliam, & universo ejus generi illic sepeliri concessum*. Et apud Græcos coloniarum ductores in media urbe sepeliebantur. Pindari Scholiastes *Olymp.* ode I. *Colonias qui deduxissent in mediis urbibus sepeliebantur ex more*. In media urbe, id est, in medio foro: ille enim locus
B honoratissimus. Tacitus *Annal.* II. de funere Germanici: *Corpus, antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturæ destinabatur*. Et tyrannicidis decretus hic honos. Quintilianus *Declam.* CCCXXIX. *Ad exemplum posteritatis ostendatur in foro sepulcrum, ne quis audeat tyrannus esse: ut omnes homines monumentis ejus sciant, quibus præmiis adversus tyrannos tyrannicidæ armentur*. De Heraclito narrat Diog. Laertius *lib.* X. *Ita maceratum postridie obiisse, & in foro sepultum fuisse*. Plutarchus de Timoleonte, *Humatum est corpus ejus in foro*. Contra, ut hoc moneam, apud Milesios ignominiosum erat, vel effer-
C ri duntaxat per forum. Manifestum id est ex uno Polyæni loco, *lib.* VIII. *Milesia mulier auctor fuit, ut, laqueo vitam quæ finiissent, per forum efferrentur: atque hoc decretum inhibuit homicidas virgines, probrum enim post mortem, & pompam illam per forum non ferentes, a laqueis abstinuerunt*. Hadrianus Imperator rescripsit pœnam quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepeliebant: eandem quoque in magistratus, qui id permisissent: locum item publicari corpusque transferri voluit. Vide *l. Prætor.* §. *D. Hadrianus D. de sep. viol.* Immo ne in itinere quidem per vicos aut oppida transvehere licebat, sine permissu magistratus.
D Lycurgus contra universim permisit in sua Spartana Rep. ut nimirum quotidiana sepulcrorum aspectione populo mortis horrorem imminueret. Plutarchus in *Vita ejus*: *Primum omni superstitione sublata, mortuos intra Urbem humari, monumentaque prope templa poni non prohibuit, hujusmodi spectaculis adolescentes adsuefaciens, ne mortis recordatione perturbarentur, eamque exhorrescerent, quasi eos, qui cadaver tetigissent, aut per sepulcretum transiissent, polluentem*. Itaque, ut dicere cœperam, extra urbem ferebant, & prope portas condebant. Suidas in *Stesichoro*: *Pallantio Arcadiæ profugum venisse Catanam dicunt, ibique mor-*
E *tuum & sepultum ante portam, quæ ab ipso Stesichorea appellata*. Diogenes Laertius *lib.* VI. in *Vita Cynici*: *Venientibus autem eorum patribus majoribusque, ab ipsis sepultum esse juxta portam quæ itur in Isthmum*. Marcellinus in *Vita Thucydidis*: *Estque ipsius sepulcrum ad portam in regione Atticæ quæ Cava dicitur*. Inde videlicet & ipsas portas ἠρίαι nominarunt Athenienses. Etymologici Auctor: Ἠρίαι, *portæ ab Atheniensibus appellantur, quod illuc efferantur mortui ad sepulcra*. Vel longius quoque a portis abscedebant, & ob vias sepeliebant. Theocritus *Idyll.* VII.

F
> *Plus medium superabat iter, Brasilæque sepulcrum*
> *Conspectum nobis nondum fuit.* ——

Tacitus *Annal.* XIV. *Domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur*. Propert. *lib.* IV.

> *Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,*
> *Marmor ad extremæ nuper humata viæ.*

Hinc illud Artemidori est *lib.* I. *cap.* LXXXIV. *Propter viam dormire ægrotantibus mortem prædicit*. Et sunt alia loca apud Plutarchum in *Lysandro*, in *Isocrate*, *Quæst. Græc.* XXII. & apud alios

item Scriptores, quos non recenseo. Hæc suffi- A ciunt. Romani nobiliores sepeliebant ad Flaminiam, & Latinam. Inde Juvenalis *sat.* I.

—— experiar quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

Statius *Epicedio in Glauciam:*

Quid mirum? plebs cuncta, nefas, & prævia flerunt
Agmina, Flaminio qua limite Milvius agger
Transvehit, immeritus flammis dum tristibus infans
Traditur. ——

Martialis *lib.* XI. *epigram.* XVI.

B *Quisquis Flaminiam teris viator,*
Noli nobile præterire marmor.

Et Mausoleum quoque Augustus struxit sexto Consulatu suo inter viam Flaminiam, ripamque Tiberis, ut testatur in *Vita ejus* Suetonius cap. C. Latinæ meminit etiam Prudentius *contra Symmachum* lib. I.

—— Diis Manibus illis
Marmora secta lego, quacunque Latina vetustos
Custodit cineres, densisque Salaria bustis.

Atque observa inibi Salariæ mentionem, ubi tamen promiscue quorumvis e populo sepulcra fuisse vel inde licet colligere, quod ait, *densis bustis*. C Sed & in Appia erant. Cornelius Nepos in *Vita Attici: Sepultus est juxta viam Appiam ad quintum lapidem, in monumento Q. Cæcilii, avunculi sui*. Statius de funere Priscillæ Abascanti:

Est locus ante Urbem, qua primum nascitur ingens
Appia, quaque Italo gemitus Almone Cybelle
Ponit, & Idæos jam non reminiscitur amnes.
Hic te Sidonio velatam molliter ostro,
Eximius conjunx (nec enim fumantia busta,
Ardoremque rogi potuit perferre) beato
Composuit Priscilla thoro. ——

Hinc intelligi Seneca debet ludens in mortem Claudii: *Appiæ viæ curator est, qua scis & divum* D *Augustum, & Tiberium Cæsarem ad deos esse*. Solebant autem præterea strui, ut neque hoc negligam, in finibus agrorum, nisi si steriles, aut saxosi essent. Siculus Flaccus, *de Condit. Agr. Inspiciendum erit & illud, quoniam sepulcra in extremis finibus facere soliti sunt, & cippos ponere, ne aliquando cippus pro termino errorem faciat. Nam in locis saxuosis, & in sterilibus, etiam in mediis possessionibus faciunt*. Itaque erant sæpe pro terminis: hinc *Sepultura finalis* apud Hygenum *de Limit. Constit.* Item *Fines sepulturarii*. Dolabella: *Fines* E *sepulturarios, sive cinerarios, sic intelligis, quo vadant rigores inter possessiones*. Et *Sepultura limitaris* apud eundem Hygenum, sed male hodie *militaris* legitur. Neque est, quod quis de funere militari objiciat ex Livio: nihil ad rem. Plenissime vero universam hanc monumentorum positionem tradit lex Tiberii Cæsaris apud Frontinum *de Limit. Agr.* quam Antiquitatis illustrandæ caussa adscribendam censeo: *Monumentum plurimis est constitutum rationibus. Est unum, quod ad itinera publica propter testimonium perennitatis est constitutum: est & aliud, quod proximis ædibus vix unus quis miles vel consors condidit in portionibus suis,* F *vel ad progeniem futuram heredibusve suis testis loco, vice instrumentorum, tabellarumve. Est & aliud, quod non longe ab ædibus, vel itinere publico constitutum est, juxta legem Semproniam & Juliam. Et alia intra agros sita sunt, quæ partes militum* (corrigo *limitum*) *servant. Sunt etiam monumenta in itineribus constituta, quæ fidem publicam tenent*. Jam inopum sepulcra in suburbanis erant, & *Culinas* indigetabant. Aggenus Urbicus *de Limit. Agr. Sunt in suburbanis loca culinas appellant*. Ovidius *Fast.* II.

Non impune fuit, nam dicitur omine ab isto
Roma suburbanis incaluisse rogis.

Et damnati quoque, quod est notissimum. Itaque corrigendus insignis locus Herodiani *lib.* II. de cadavere Commodi: Νύκτωρ ὀχήματι ἐπιθέντες, εἰς προάστειον ἀπέπεμψαν. Male hodie, εἰς τὸ ἀελστεῖον, legitur. Atque hinc est illa somnii interpretatio apud Achmetem *cap.* CXXX. *Si quis compellatum se viderit a mortuo, ut secum in suburbium, aut locum suum exeat, morietur*. Sed in Herodiani verbis observa etiam plaustro impositum, ut damnatis fiebat, quod item emendationem nostram firmat. Maxime vero in Esquiliis. Horatius *lib.* I. *sat.* VIII. de novis hortis, quos propter aeris salubritatem ibi fecerat Mæcenas:

Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum.

Vel insepulti quoque eodem abjiciebantur. Inde eo ipso in loco:

Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari: quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.

Et *Epod.* V.

Post insepulta membra different lupi,
Et Esquilinæ alites.

Vel abjiciebantur in cloacas. Herodianus *lib.* I. *Obtruncatos in cloacas abjecerunt*. Iterum *lib.* V. *Per totam Urbem tracta obtruncataque in cloacas abjecta sunt*. Et *lib.* VII. *Administri executoresque sævitiæ ejus a populo in cloacas jaciebantur*. Et trahebantur huc unco, ut patet ex his ipsis locis jam citatis: idque ab antiquiore longe tempore. Seneca *de Ira* lib. III. cap. III. *Eculeus, & fidiculæ, & ergastula, & cruces, & circundati defossis corporibus ignes, & cadavera quoque trahens uncus*. Nec in Esquilias quidem semper, aut cloacas, sed etiam Gemonias. Tacitus *Hist.* III. *Tunc confossum conlaceratumque, & abscisso capite truncum corpus, in Gemonias tractum*. Suetonius *Tiberio*, c. LXI. *Nemo punitorum non & in Gemonias abjectus, uncoque tractus*. Iterum c. LXXV. *Alii uncum & Gemonias cadaveri minarentur*. Et ministri hujus rei *Hamotrabones* appellabantur. Festus: *Hamotrabones, alii piscatores, alii qui unco cadavera trabunt*.

CAP. XLIII.

Sepulcra sancta, & jurari per ea solitum. Deorum Manium tutelæ dicata. Inimicis inaccessa. Terram levem imprecandi mos. Terra levis, & gravis in sepulcris, quid sit. Imprecabantur quoque ut insepulti jacerent. Εκπίπτειν χθονός. *Superstitiosa de insepultis opinio.*

UT mortui sancti, ita quoque habita sepulcra. Quintilianus *Declamat.* X. *Sacratos morte lapides, etiam cineres, & ossa religiose quiescentia fracta sparsisset urna*. Catullus:

Laserpiciferis jacet Cyrenis,
Oraculum Jovis inter æstuosi,
Et Batti veteris sacrum sepulcrum.

Cicero *Philipp.* IX. *Sepulcrorum sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri, neque deleri potest: atque ut cætera exstinguuntur, sic sepulcra ipsa fiunt sanctiora vetustate*. Huc referri debent ista Plinii *lib.* II. ubi de terra loquitur: *Novissime complexa gremio a reliqua natura abdicatos; tum maxime ut mater operiens, nullo magis sacramento, quam quo nos sacros facit, etiam monumenta ac titulos gerens, nomenque prorogans nostrum, & memoriam extendens contra brevitatem ævi*. Festus non sacra, sed religiosa esse vult. Sic Curius Fortunatianus *Rhetor.* lib. II. *Positivum quot modis consideramus? Octo, publico, ut theatro, stadio: privato, ut domo, villa: sacro, ut templo, adyto: re-*

ligioso, ut mausoleo, sepulcro. Itaque jurabant quoque per ea, sed si virorum illustrium essent. Seneca lib. I. *Suas.* II. *Cæstius cum descripsisset honores, quos habituri essent, si pro patria cecidissent, adjecit: Per sepulcra nostra jurabitur*. Et liberi per parentum suorum. Idem lib. II. *Controvers.* I. *Ergo morientem videbo, per cujus cineres juraturus sum?* Claudianus *in Ruf.* lib. I.

—— fratrisque necare
Ludus, & occisos pulcrum jurare parentes.

Putabantur vero esse in tutela deorum Manium; unde & in Inscriptionibus, D. M. id est, *Diis Manibus*, ponebant. Interpres *Historiæ Apollonii Tyrii*: *Fabricant loculum ex ære collato, & scripserunt*. DII. MANES. CIVES. TARSIÆ. VIRGINI. PRO. BENEFICIIS. PATRIS. EIVS. SEPVLCRVM. EX. ÆRE. COLLATO. FECERVNT. Prudentius *contra Symmachum* lib. I.

—— Diis Manibus illis
Marmora secta lego, quacunque Latina vetustas
Custodit cineres. ——

Itaque violari sepulcra nefas impiumque habebatur. Synesius *epist.* CLIII. *Existimo magis impium mortuorum laudes furari, quam vestes, quod est sepulcrum effringere*. Et scimus ex Jure nostro quam pœnam irrogandam censuerint Imperatores. Immo ne accedere quidem inimico licebat, multo minus violare. Ecce Teucer apud Sophoclem in *Ajace* ita Ulyssem affatur:

Te vero Ulysse Lartæ ab antiquo sate
Illud sepulcrum tangere haud permiserim.
Ne res sit illa manibus functi gravis.

Occiderat enim seipsum Ajax, quia arma Ulyssi erant adjudicata; itaque non licitum illi prope sepulcrum interfecti accedere. Isæus in *Orat. quæ de hereditate Astyphili* est: *Cum moreretur Euthycrates mandavit domesticis, neminem e Thendippi familia ad monumentum ipsius accedere permitterent*. Idem plane apud Romanos obtinuit, ne Græcorum superstitionem tantum credas: adeoque caverunt Inscriptionibus. Lapis vetus:

M. ÆMYLIVS. ARTEMA
FECIT
M. LICINIO. SVCCESSO. FRATRI
BENE. MERENTI
ET. CÆCILIÆ. MODESTÆ. CONIVGI
SVÆ. ET. SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM
EXCEPTO. HERMETE. LIB. QVEM
VETO. PROPTER. DELICTA. SVA
ADITVM. AMBITVM. NE VLLVM
ACCESSVM. HABEAT. IN. HOC
MONVMENTO

Qui accedebant, terram levem imprecabantur. Pedo in *Eleg. de obitu Mæcenatis*:

—— tellus levis ossa teneto,
Pendula librato pondus & ipsa tuum.

Juvenalis *sat.* VII.

Dii majorum umbris tenuem & sine pondere terram.

Et infinita sunt loca Auctorum. Hinc cippis quoque inscribebant, H.S.E.S.T.T.L. *Hic situs est, sit tibi terra levis*. Credebant autem Antiqui illi sepultos adhuc incantationibus esse obnoxios, ideoque, ne eæ nocerent, tumulo bene precabantur, id est, terram levem. Nam si incantari contigisset, tum *Terra gravis* dicebatur. Quintilianus *Decl.* X. de sepulcro incantato, nos hoc docet: *Nunc barbaro carmine gravem terram totis noctibus pulsat, & impositum sibi sepulcrum, quod non possit evolvere, quæ solebat ipsos discutere inferos, umbra miratur*. Iterum: *Queritur solito terram graviorem, utique cum sentit venisse noctem, qua umbræ feliciores dimittuntur ad matres*. Qui itaque male alicui volebant, imprecabantur terram gravem, id est, ut sepulcrum incantaretur, quo scilicet umbra oppressa e tumulo prodire non posset, quod e Quintiliano satis clare haurimus. Plinius *lib.* II. *Cujus* (*terræ*) *numen ultimum jam multis imprecamur irati grave, tanquam nesciamus hanc solam esse, quæ nunquam irascatur homini*. Tertullianus *de Testim. Animæ*, cap. IV. *Terram gravem imprecari, & cineri penes inferos tormentum*. Tanti autem Veteres sepulturam æstimarunt, ut cum gravissime imprecari inimicis vellent, imprecarentur ut insepulti post mortem jacerent: idque dicebant, ἐκπίπτειν χθονός. Sophocles *Ajace*:

—— εἰ δὲ τίς στρατοῦ
Βίᾳ σ' ἀποσπάσειε τοῦδε τοῦ νεκροῦ,
Κακὸς κακῶς ἄθαπτος ἐκπέσοι χθονός,

Interpres *Historiæ Apollonii Tyrii*: *Si aliud feceris quam quod dolor exposcit, ultimum diem incidas, nec sit qui corpus tuum sepulturæ commendet*. Caussa vero hæc, quia insepultos credebant errare, ut cognoscimus ex Homero *Iliad.* Ψ. & Virgilio *Æneid.* VI.

CAP. XLIV.

Sumptus funebres. Gladiatorum, & servorum in pompam manumissorum numerus. Lex Fusia Caninia, quæ postea sublata. De servorum pretio inquisitum. C. Curionis theatrum ingeniosum. Claudii Isidori testamentum. Anterotis legatum ad epulum annuum. Suetonius emend. Lex Syllæ. C. Figuli sepulcrum. Quid apud Athenienses super sepulcrali sumptu statutum.

Vidimus antea pompam omnem funebrem: at quanti in illa sumptus? vix credamus, pro nostro ævo. Plato merito modum poni voluit in sua Rep. pro ordine cujusque, & censu. Minam unam impendere permittebat infimi census hominibus, duas aliis qui majores, tres iis qui supra hos, quinque autem viris primatibus, id est, centum florenos. Vide lib. XII. *de Leg.* Sed non obtinuit, maxime apud istos qui in dignitate aliqua, & honore. Plutarchus in *Timoleonte*: *Populus Syracusanus Timoleontem hunc Timodemi F. Corinthium sepelit ducentis minis*. Ducentas minas inquit impensas, quæ efficiunt nostro calculo tres mille quingentos florenos Carolinos. Audiamus aliquid magnificentissimum, & pœne supra fidem, nisi ab Alexandro esset, isto Magno. Curtius *lib.* X. narrat: *Verum est quod Alexander Hephæstioni tanquam heroi sacrificari jusserit. In funus atque monumentum ei faciendum, plusquam duodecim millia talentorum impensa sunt*. Plutarchus, & Arrianus decem tantum tradunt, quod ipsum etiam satis. Ponamus calculum, & reducamus ad nostram monetam: decem illa millia efficient duodecim milliones florenorum. Quanto frugaliores veteres Romani? Valerius Maxim. *lib.* IV. *cap.* IV. de Menenio Agrippa: *Nisi a populo collatis in capita sextantibus funeratus esset, ita pecuniæ inops decessit, ut sepulturæ honore caruisset*. Incertum quot illo ævo capita in populo; sed non injusta tamen subsequutorum temporum consideratione, detractis quæ per ea fieri potuerunt incrementis, & habita illorum quoque ratione quos continua bella hauserunt, circiter centum millia fuisse statuere possum, & cum suffragio eorum, qui rei Romanæ periti. Contulerit ergo hæc multitudo in sextantibus præ-

præterpropter sexcentos florenos. Eadem fere tempestate, id est, decennio ante, decessit quoque Valerius Publicola, in summa inopia: *Populus vero, tanquam vivo nihil eorum quæ meritus fuerat persolvisset, sed omnem adhuc deberet gratiam, decrevit, ut publico funere efferretur, quadrantem singulis conferentibus:* inquit Plutarchus. Quadrantem unusquisque tribuit, id est, universi octingentos quinquaginta circiter florenos. Tantum impendit paupertina illa Roma, quæ necdum tunc pervenerat ad centesimam magnitudinis suæ partem, quam postea habuit. Mox vero ut crevit Urbis imperium; ita civium quoque opes, & cum iis luxus: adeoque in Syllæ rogum injecta sunt CCX. aromatum feretra; ipsius quoque & lictoris statuæ duæ justæ magnitudinis, ex thure & cinnamomo. Vide Plutarchum, qui tibi id dicet. Statius de Priscillæ funere:

—— quis carmine digno
Exequias, dona malæ feralia pompæ
Perlegat? omne illic stipatum examine longo
Ver Arabum Cilicumque fluit, floresque Sabæi,
Indorumque arsura seges, præreptaque templis
Thura, Palæstini simul, Hebræique liquores,
Coryciæque comæ, Cynareia germina, & altis
Ipsa toris Serum Tyrioque umbrata recumbit
Tegmine. ——

Nero in funere Poppeæ plus cinnamomi & casiæ combussit, quam toto anno Arabia universa ferret. Plinius *l.* XII. c. XVIII. *Beatam Arabiam fecit hominum etiam in morte luxuria, quæ diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis. Periti rerum asseverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero princeps novissimo Poppeæ suæ die concremaverit.* Quantum igitur impendium in aromatis solis fuisse censes? Audi Plinium computantem: *Æstimentur singulis annis tot funera, acervatimque congesta honori cadaverum, quæ diis per singulas micas dantur. Minima computatione millies centum millia sestertium annis omnibus India & Seres peninsulaque illa imperio nostro adimunt. Tanti nobis deliciæ & fœminæ constant.* Ecce, facit illa summa quinque milliones. At fœminas quoque in partem trahit: & scimus magnum quoque illarum luxum fuisse. Sed tamen vix tertiam partem vindicare sibi poterunt. Jam quanti sumptus censes ipsam rogi struem, tantum pretiosissimarum vestium, tantum auri argentique, tantum gemmarum, quæ in rogum injiciebantur? quanti censes epulum populo datum, ludos funebres, munera gladiatoria, magnas moles sepulcrorum? anne excedere multa millia florenorum? immo centena sæpe aliquot? immo milliones? Examinemus in parte, & inde totum justa proportione æstimemus. Servorum gladiatorum multi centum paria dabant. Persius:

—— at tu meus heres,
Quisquis es, a turba paullum seductior audi.
Dis igitur, genioque ducis, centum paria ob res
Egregie gestas.

Horatius:

—— gladiatorum dare centum
Damnati paria. ——

Adde jam multos quoque centenos sæpe manumissos in pompam: qua in re tam prodigi, ut obviam ire lex Fusia Caninia debuerit, quæ centenarium numerum excedere vetaret. Testes Cajus *Institut.* cap. III. & Jul. Paulus *Recept. Sentent. l.* IV. c. XIV. Et hæc obtinuit ad Justiniani usque tempora, a quo rursum, veluti invida libertati, sublata est. Ineamus nunc rationem a pretio servorum, quod quale fuerit ostendemus. Plutarchus de Catone Majore narrat in *Vita ejus: Nunquam pluris emisse servum, quam mille quingentis drachmis.* Mille autem quingentæ drachmæ valent sex millia nummum. Columella *l.* III. *c.* III. de servo vinitore: *Vulgus quidem parvi æris, vel de lapide noxium posse comparari putat: sed ego plurimorum opinioni dissentiens, pretiosum vinitorem imprimis censeo: isque licet sit emptus sex, vel potius sestertiis octo millibus.* Et Juvenalis de mullo sex millibus empto, *sat.* IV.

—— potuit fortasse minoris
Piscator, quam piscis emi: Provincia tanti
Vendit agros. ——

Scio majori quandoque pretio venundatos fuisse, nam Calvisius Sabinus apud Senecam *l.* III. *epist.* XXVII. centenis millibus nummum emit. Et Martialis *l.* XI. *epigr.* LXXI. exprobrat Tuccæ:

Vendere, Tucca, potes centenis millibus emptos.

Apud Plinium vero *l.* VII. c. XXXIX. alii etiam longe pluris. Sed sequamur illam judicii normam Catonem, & rerum omnium justissimum censorem. Æstimemus singulos servos sex millibus nummum: ergo in ducentis impenderint sexaginta mille florenos. Atque hæc quidem illi non referebant in rationes; augeri sic magnificentiam exequiarum sine suo sumptu censentes, cum plerunque non emptitios eos, sed vernas & domi natos haberent, aut ex hereditate quoque. Hoc tantum numerabant, quod expendere opus esset. Et ut majores sumptus fierent daturi ludos ac munera, argenteo aliqui arenæ apparatu, & argenteis hastis utebantur; primusque id fecit Julius, & ab illo mox alii. Plinius *l.* XXXIII. c. III. *Cæsar, qui postea Dictator fuit, primus in ædilitate, munere patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo usus est: ferasque argenteis hastis incessere, tum primum visum.* Nonnulli, non contenti publicis theatris, temporaria exstruebant, mox iterum destruenda. Plinius ingerit *lib.* XXXVI. cap. XV. de Curione quodam. Sic inquit: *C. Curio, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, funebri patris munere, cum opibus apparatuque non posset superare Scaurum (unde enim illi vitricus Sylla, & Metella mater proscriptionum sectrix?) cum jam ne ipse quidem Scaurus comparari sibi posset, quando hoc certe incendii illius præmium habuit, convectis ex orbe terrarum rebus, ut nemo postea par esset insaniæ illi. Ingenio ergo utendum fuit: operæ pretium est scire quid invenerit, & gaudere moribus nostris, ac nostro modo nos vocare majores. Theatra duo juxta fecit ex ligno cardinum singulorum versatili suspensa libramento: in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter sese aversis, ne invicem obstreperent scenæ; & repente circumactis, ut contra starent; postremo jam die discedentibus tabulis, & cornibus inter se coeuntibus, faciebat Amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat.* Admirandum opus, & magnæ impensæ: quanti æstimas reliquum funus? Idem Plinius *lib.* XXXIII. cap. X. tradit. Coss. L. Asinio Gallo, C. Marcio Censorino, id est, sub Augusto, quendam C. Cæcilium Claudium Isidorum jussisse funerari se undecim millibus sestertium: hoc est, quingentis quinquaginta millibus florenorum. Dic, sodes, Plini, an bona fide tu hoc? oportet. Et exigua hæc etiam, præ divitiis istorum hominum, ut video: nam ille ipse Isidorus, te teste, etiamsi multa civili bello amisisset, edixit tamen testamento relinquere se servorum quatuor millia centum sedecim, juga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia, in numerato sestertium sexcenties, id est, tres milliones florenorum. Obstupesco. Ergo olim civi, & quandoque alicui de media plebe funus factum, quale non hodie vel Regum maximo, aut Impera-

torum? Accipe aliud, quod non minus mireris. Q. A Minutius Anteros, homo libertus, sed Sevir Augustalis, præter sumptus funerales legavit Seviris collegis suis decem millia sestertium, id est, quingenta millia florenorum: e quorum reditu quotannis natali suo epulum agitarent. Lapis vetus ostendit:

Q. MINVCIVS. Q. L. ANTEROS. VI. VIR
AVGVSTAL
HIC. SEVIRIS. AVGVSTAL. ALETRINAT
LEGAVIT. HS. CCIↃↃ. QVOIVS. EX. REDITV
QVOD. ANNIS. NATALI. SVO. VI. ID
FEB. VESCERENTVR

Jam computemus hos reditus semiunciario tantum fœnore; erunt supra viginti mille florenos. At veniamus ad Imperatores, quantæ hic impensæ! Suetonius de Vespasiano, *cap.* XIX. *Interrogatis palam procuratoribus, quanti funus & pompa constaret, ut audiit sestertium* C. *exclamavit, centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent.* Sed non potest non mendum esse. Quid enim? ut Imperatoris funus non pluris constiterit quingentis millibus florenorum? Apage. Homo plebejus, ut jam narravi ex Plinio, destinavit sibi quingenta quinquaginta. Ergo rescribo, *sestertium* ∞. *id est,* C *millies.* Ea summa faciet quinque milliones. Atque adeo recte me emendasse fidem faciet ipse Suetonius, qui *cap.* L. de Nerone narrat: *Funeratus est impensa ducentorum millium:* id est, decem millionum. Et hæc omnino justior proportio Sed vero damno, damno luxum vestrum Romani, qui tantas opes etiam mortui prodegistis, ad Naturæ gravius opprobrium. Non tamen hæredum semper hæc ambitio, sed ipsorum morientium, qui testamento sæpe cavebant. Seneca *de Brevitate Vitæ*, cap. XX. *Quidam disponunt etiam illa quæ ultra vitam sunt, moles magnas sepulcrorum, & operum publicorum* D *dedicationes, & ad rogum munera, & ambitiosas exequias.* An vero nemo compescuit? Difficile id ea tempestate, qua universa Roma quoddam quasi ergastulum luxuriæ. Fecit nihilominus ante Imperatorum tempora Sylla, & legem tulit, quam tamen ipse in Metellæ uxoris funere transgressus est. Plutarchus in *Vita ejus: Legem, quam de sumptu funerali ipse tulerat, transgressus est, nullis impensis parcens.* At qualis hæc lex? vellem non tam obiter dixisset, neque nunc cogeremur ignorare. Hoc unum scimus, pœnam transgressori statutam, qui plus monumento impendisset, quam lege esset permissum, ut tantundem populo daret. Cicero *l.* XII. E *ad Atticum: Nunquam mihi venit in mentem, quum plus insumptum in monumentum esset, quam nescio quid, quod lege conceditur, tantundem populo dandum esse: quod non magnopere moveret, nisi nescio quomodo, ἀλόγως fortasse, nollem illud ullo nomine nisi Fani appellari.* Sed quantum illud est, quod proprie monumento impensum? Incertum omnino: hoc tamen certissimum, permagnum fuisse. Ecce tibi, optio quidam centuriæ prælegavit sepulcro suo faciendo sestertium bis mille, id est, centum millia florenorum. Lapis vetus testimonium perhibet:

C. LVCILIVS. C. F. VEL. VINDEX. MIL. COH. VI
PRÆT. VIXIT. ANNIS XXX. MILITAVIT. ANNIS
XII. PRINCIPALIS. BENEFICIARIVS. TRIBVNI
DEINDE. OPTIO. IN. CENTVRIA. HOC. TESTA-
MENTO. FIERI. IVSSIT. HONORIS. PIETATISQVE
CAVSSA. SIBI. ET. C. LVCILIO. SECVNDO. PATRI
ET. LVCILIÆ. SVÆ. AVIÆ. EX. HS. ∞∞. PRÆ-
LEGATIS

Cense nunc cæteros, pro dignitate quemque sua, & opibus. Magnificentissimum sane sepulcrum C. Figulus habuit: inde Cic. II. *de Leg. Credo, Quinte, ut cæteri sumptus, sic etiam sepulcrorum modum recte requiri: quos enim ad sumptus progressa jam ista res sit, in C. Figuli sepulcro vidisti.* Apud Athenienses idem luxus; sed cautum postea est, ne sepulcrum ullum fieret, nisi quod triduo homines decem facerent, idque sine opere tectorio, & Hermis. Cicero *ibidem*: *Post aliquanto, propter has amplitudines sepulcrorum, quas in Ceramico videmus, lege sanctum est, ne quis sepulcrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerint triduo; neque id opere tectorio exornari, nec Hermas hos, quos vocabant, licebat imponi.* Plato *de Leg. l.* XII. quinque dierum & totidem hominum opus permittit, & columellam tantum, quæ versus heroicos B caperet quatuor.

CAP. XLV.

Lyciorum lex in luctu. Mulieribus quod lugendi tempus præstitutum, & quæ transgredientium pœna. Caligulæ infractio. Prolugere. *Liberi quandiu luxerint.*

Finiemus in Luctu, quem mulieribus potius, quam suo sexui convenire viri semper cordatissimi censuerunt. Seneca *epist.* LXIV. *Annum fœminis ad lugendum constituere majores, non ut tam diu lugerent, sed ne diutius. Viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum.* Dio *l.* LVI. in funere Augusti: *Luxerunt eum viri quidem ex lege paucos dies, mulieres vero ex Senatusconsulto totum annum.* Et ille, qui Lyciis leges dedit, mandabat civibus, ut in luctu vestes muliebres gereret, rem illam vere muliebrem esse significare volens, uti nos docet Plutarchus *Consol. ad Apollonium* Sed neque omiserunt tamen viri, & honestatis esse communis opinio fuit. Luxerunt itaque, sed tempore indefinito, ut ex Seneca discimus. Mulieribus vero certum præfinitum est, & id quidem annuum, ut ex Seneca intelleximus. Ne quis tamen erret: annus ille decem mensium erat, quibus olim definitus, ut notum vel pueris. Ipse se Seneca explicat *Consolat. ad Albinam* cap. XV. *Sexui muliebri pœne concessum est, immo datum in lacrymas jus, non immensum tamen, & ideo majores decem mensium spatium viros lugendi dederunt.* Et est institutio hæc a Pompilio, qui puerum quidem nullum trimulo minorem lugeri volebat, nec quidem plures menses quam ille annos haberet, usque ad decem: neque ullam ætatem ultra lugere fas. Plutarchus in *Vita ejus: Ipse etiam luctus secundum ætates & tempora ordinavit, scilicet, puerum trimulo minorem non lugendum, majorem vero non plures menses quam annos vixisset, usque ad decem. Longissimi autem luctus tempus esse decem mensium; quamdiu etiam defunctorum uxores viduæ permanent.* Ovidius *Fast.* I.

Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses a funere conjugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Lycurgus undecim tantum dies præscripsit, duodecimo Cereri erat sacrificandum, & finiendus luctus. Idem Plutarchus in *Vita ejus: Tempus luctus exiguum definivit, dies undecim, duodecima vero oportebat peracto Cereri sacrificio luctum solvere.* Romæ post cladem Cannensem cautum est, ne ultra triginta dies lugerent matronæ. Livius de secundo bello Punico, *lib.* II. *Tum privatæ quoque per domos clades vulgatæ sunt: adeoque totam Urbem opplevit luctus, ut sacrum anniversarium Cereris intermissum sit: quia nec lugentibus id facere est fas. Itaque ne ob eandem caussam alia quoque sacra publica aut privata desererentur,*

Senatusconsulto diebus triginta luctus est finitus. Primi Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA. duobus mensibus augentes, legitimum tempus annuum esse voluerunt: ut patet ex *l. Si qua* 2. *C. de sec. nupt. Si qua ex fœminis perdito marito intra anni spatium alteri festinaverit nubere, (parvum enim tempus post decem menses servandum adjicimus) tametsi idipsum exiguum putemus, probrosis inusta notis, honestioris nobilisque personæ decore & jure privetur: atque omnia quæ de prioris mariti bonis vel jure sponsalium, vel judicio defuncti conjugis consecuta fuerat, amittat.* Charite apud Apulejum *Milesf.* VIII. *Boni ergo & optimi consules, si luctui legitimo miserrimæ fœminæ necessarium concesseris tempus, quoad residuis mensibus spatium reliquum compleatur anni.* Quæ intra legitimum luctus tempus nupsisset, ex lege Numæ bovem gravidam immolare tenebatur. Plutarchus: *Quæ autem ante nupsisset, bovem fordam ex ejus lege immolabat.* Postea lege Augustorum trium citata alia est pœna statuta, nimirum ut amitteret, quicquid alioquin habitura fuisset vel jure sponsaliorum, vel judicio defuncti mariti. Præterea infestari etiam credebatur a manibus ejusdem. Charite *loco citato* Apuleii: *Quæ res tum meum pudorem, tum etiam tuum salutare commodum respicit: ne forte immaturitate nuptiarum indignatione justa manes acerbos mariti ad exitium salutis tuæ suscitemus.* Caligula natali suo nubere viduis, etiamsi nondum eluxissent, permisit, nisi prægnantes essent. Dion *lib.* LIX. *Et luctus omnes inhibuit, ut etiam mulieribus viduis ante legitimum tempus, nisi gravidæ essent, nubere liceret.* Ait vero Seneca constitutum fuisse tempus, ultra quod lugere non permitterentur, sed non semper obtinuit, permissumque est pietati maxime matrum, ut filios diutius lugerent, affectui suo satisfacientes. Cicero in *epist. ad Papyrium: Patriam eluxi jam & gravius, & diutius, quam mater unicum filium.* Seneca *Consolat. ad Mart.* de obitu filii: *Cur in domo nostra diutissime lugetur, qui felicissime moritur?* Atque hoc *Prolugere* dicebant. Festus: *Prolugere dicuntur, qui solito diutius lugent.* Nonnullæ fœminæ, si quos maxime caros amisissent, nunquam luctum deponebant. Seneca *ad Albinam*, cap. XVI. *Nosti quasdam, quæ amissis filiis, imposita lugubria nunquam exuerunt.* Tacitus *Annal.* XIII. *Longa huic Pomponiæ ætas, & continua tristitia fuit. Nam post Juliam Drusi filiam dolo Messallinæ interfectam, per quadraginta annos, non cultu nisi lugubri, non animo nisi mœsto egit.* Liberis idem tempus in morte parentum, quod uxoribus in maritorum. Livius ab V. C. *lib.* II. *Matronæ annum eum, ut parentem, luxerunt, quod tam acer ultor violatæ pudicitiæ fuisset.*

CAP. XLVI.

Capillos tondebant mulieres, viri alebant. Athenæi & Terentii loca explanata. Barbarorum mos radere. Cineres quoque capillis inspersi, & barbæ.

DIxi de tempore, porro dicam de modo luctus. Capillos tondebant mulieres, viri contra alebant. Plutarchus *Rom. Quæst. Etenim apud Græcos, si quod infortunium acciderat tondentur mulieres, viri autem comam alunt.* Artemidorus *lib.* I. *cap.* XX. *In calamitatibus neglecta coma alitur.* Et *cap.* XXIII. *Neque quisquam in periculo aut calamitate constitutus tondetur.* Lucan. *l.* II. de Catone:

Ut primum tolli feralia viderat arma,
Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, mœstamque genis increscere barbam:
Uni quippe vacat studiisque odiisque carenti
Humanum lugere genus. ——

Et tamen viris quoque tonsuram tribuere videtur Athenæus *lib.* XV. *Circa luctum contrario modo adornamur; eodem enim cum defuncto adfecti modo mutilamus nos ipsos & capillorum tonsura, & coronarum depositione.* Ecquid aperte satis? omnino. Sed sciendum loqui illum de sectione ista crinium, quos mortuo imponi solitos fuisse supra ostendi. De mulierum tonsura sunt illa Accii *Amphitruone:*

—— *sed quænam hæc est*
Mulier funesta veste, tonsu lugubri?

Virgilius *Æneid.* IX.

Evolat infelix, & fœmineo ululatu
Scissa comas. ——

Plane aliter tamen videtur in Palliata Fabula Terentii *Heaut.* Act. II. Sc. III.

Texentem telam studiose ipsam offendimus,
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Ejus anus caussa, opinor, quæ erat mortua:
Sine auro tunc ornatam, ita uti quæ ornantur sibi.
Nulla mala re esse expolitam muliebri,
Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter. ——

Ecce, hic aperte coma prolixa: quis expediet? Sciendum certe, comam tonderi quidem solitam, non tamen omnino curtatam; quicquid vero reliquum factum erat, non religatum dependere per collum sinebant. Atque hoc *Prolixum* vocat Terentius. Herodian. *lib.* I. de Phadilla Commodi sorore: *Solutis crinibus humi se abjiciens, neque alium quam lugentis habitum præ se ferens.* Barbari plane radebant. Suetonius *Caligula* cap. V. de Germanici morte loquens: *Quin & Barbaros ferunt, quibus intestinum, quibusque adversus nos bellum esset, velut in domestico communique mœrore consensisse ad inducias. Regulos quosdam barbam posuisse, & uxorum capita rasisse ad indicium maximi luctus.* Curtius *lib.* X. tonsuram agnoscit: *Persæ comis suo more detonsis in veste lugubri conjugibus ac liberis, non ut victorem, & modo hostem, sed ut gentis suæ justissimum regem lugebant.* Cinere quoque caput spargebant. Apulejus *lib.* VII. *Mater pueri, mortem deplorans filii, fleta, & lacrymosa, fuscaque veste contecta, ambabus manibus trahens cinerosam canitiem*, &c. Iterum *lib.* X. *Ab ipso ejus rogo senex infelix ora sua recentibus adhuc rigans lacrymis, trahensque cinere sordentem canitiem, foro se festinus immittit.* Innuit etiam Arnobius noster *lib.* V. *Afficiuntur, ægrescunt, lugentium sumunt sordes, & miseriarum insignia.* Basilius Magnus *epist.* I. *ad Greg. Theologum: Sequitur gravem hanc & dejectam sapientiam oculus tristis, & in terram defixus, habitus neglectus, coma squalida, vestis sordida; ut, quæ studio faciunt lugentes, ea in nobis non affectata videantur.* Immo & barbam conspergebant. Statius *Thebaid.* VI.

—— *sedet ipse exutus honoro*
Vittarum nexu genitor, squallentiaque ora
Sparsus, & incultam ferali pulvere barbam.

CAP. XLVII.

Vestes nigras sumebant viri, etiam fœminæ; & quidem e lana Polentina. Quæ tamen illustres erant, albas. Dissertatio super ea re, & Auctores illustrati. In Ecclesia Orientali patriarchæ & episcopi lugebant purpurati. In pellibus quoque luctum est, & ornamenta a mulieribus deposita, capita velata; custodes additæ.

VEstem omnem splendidam deponebant, & nigram sumebant. Artemidorus *l.* II. c. III. *Nigra vestis salutem præsignificat: non enim mortui, sed mortuos lugentes his utuntur.* Catullus in *Epithalamio Pelei:*

Funestam antennæ deponant undique vestem,
Candidaque intorti sustollant vela rudentes.

Juvenalis *sat.* X.

Hæc data pœna diu viventibus, ut renovata
Semper clade domus multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore, & nigra veste senescant.

Et multa passim hujus rei testimonia. Et propriæ hic lanæ Polentinæ. Martial. de illis *l.* XIV. *lemm.* CLVII.

Non tantum pullo lugentes vellere lanas,
Sed solet & calices hæc dare terra suos.

Sed magnæ hic turbæ a magnis Auctoribus, qui albam vestem mulieribus induunt. Plutarch. *Rom. Quæst.* XXVI. *In luctu mulieres albas gerunt vestes, albasque vittas.* Herodian. *lib.* IV. in funere Severi: *Sedent e dextera fœminæ, quas virorum aut parentum dignitas honestat, harumque nulla vel aurum gestans vel ornata monilibus conspicitur, sed vestibus albis exilibus indutæ mœrentium speciem præbent.* Statius in *Lacrymis Etrusci;*

Summa deum Pietas, cujus gratissima cælo
Rara profanatas inspectant numina terras;
Huc vittata comam, niveoque insignis amictu,
Qualis adhuc præsens, nullaque expulsa nocentum
Fraude, rudes populos, atque aurea regna colebas,
Mitibus exequiis ades, & lugentis Hetrusci
Cerne pios fletus. ——

Ecce, quam apertus dissensus? quis conciliet? Just. Lipsius V. Cl. *Comment. ad Tacitum* præstantissimo, *lib.* II. habendam esse rationem temporum existimat, & in Rep. stante fœminarum nigras fuisse vestes, mox autem in Imperio albas. Ignoscet mihi vir tantus non acquiesco; ita me in diversum trahit justa ratio. Cornua enim manifesto obvertit Apulejus, inferioris ævi Scriptor, *lib.* III. *Milesi. Inter hæc quædam mulier per medium theatrum lacrymosa & flebilis, & atra veste contecta, parvulum quendam sinu tolerans decurrit.* Iterum VII. *Mater pueri, mortem deplorans acerbam filii, fleta & lacrymosa, fuscaque veste contecta,* &c. Greg. Nyssenus *de Virginitate*, cap. III. *Quæ ad illud usque tempus splendida, albata, ac conspicua fuerat, eam subito adorta calamitas nigra veste induit, ac luctu circumdat.* Vides quam clare. Alia itaque via invenienda est, qua bellum hoc componamus. Censeo sic debere: judicabit literarum Senatus, & inter illum ipse quoque Lipsius. Albas vestes sumpserint tantum fœminæ principes, & illustres. Certe Herodianus valide pro me pugnat, qui diserte de clarissimis mulieribus tradit, quod omnino considerandum: & Pietatem deam ad instar fœminæ quoque principis vestit Statius. Jam Plutarchi locus, qui restat, tantum momenti non habet, ut generale hoc fuisse cogamur credere: quippe cum ipse nigras etiam agnoscat in sui ævi luctu, *Consolat. ad Uxorem: Et de unguento nonnullos ac purpura cum uxoribus disceptare, tonsuras vero permittere lugubres, vestemque atratam.* Profecto in Germania non aliter lugere ejus ordinis fœminas videmus; & ex Gallorum quoque historiis cognoscimus, regibus defunctis albis indui vestibus reginas consuevisse, viduasque vulgo hac ex re Reginas-albas esse appellatas. Codinus quoque *de Officiis Constantinopolitanis* tradit ipsos Imperatores albatos in luctu fuisse. Hæc sunt ejus verba: *Patre Imperatoris defuncto, aut matre, aut filio, aut nepote, Imperator alba gestat vestimenta quamdiu velit.* Ergo albus color nota illustris dignitatis. Apud solos Argivos vulgo fieri legimus. Plutarch. *loc. cit. Argis in luctu gerunt vestes albas, ut Socrates inquit, aqua lautas.* Satin' jam plana omnia? satin' composita, & exposita? Arbitror. In Ecclesia Orientali patriarchæ & episcopi lugebant purpurati. Demetrius Chomatenus in *Responsis; Etiam quia luctus indicium sunt vestimenta ejusmodi purpurea, in solis enim jejuniis ac mortuorum memoriis usurpantur.* Posteriore isto ævo in pellibus quoque luxerunt. Festi schedæ: *Pellem habere Hercules fingitur, ut homines admoneantur cultus antiqui: lugentes quoque diebus luctus in pellibus sunt.* Qui locus multum item negotii facessit viro magno: at vero sciendum, non Festi illa esse verba, sed Paulli mutilatoris, qui de suo ævo scripsit. Nam sub Imperatoribus, non lugentes solum, sed quilibet tristiores, ac inculti quoque homines, & comam promittebant, & pelles gerebant. Vetitum tandem fuit ab Honorio Theodosioque Augustis, ne quis intra Urbem faceret: *l. Majores. C. Theod. De habitu quo uti oportet intra Urbem: Majores crines, indumenta pellium, etiam in servis intra Urbem sacratissimam præcipimus inhiberi. Nec quisquam posthac impune hunc habitum poterit usurpare.* Aurum quoque, monilia, & omnem simul ornatum deponebant mulieres. Terentius:

—— vestitam veste lugubri,
Ejus anuis caussa, opinor, quæ erat mortua,
Sine auro tum ornatam. ——

Lycophron noster;

Et fœminis lex semper indigenis erit,
Cubitum novenum flere tertium Æaci
Et Doridis, fulmen duelli Martii,
Nec corpus auro per olive vinulum,
Nec ferre membris delicata pallia
Sandice picta. ——

Livius *lib.* XV. belli Macedonici: *Quid aliud in luctu, quam purpuram atque aurum deponunt? quid aliud, cum eluxerunt, sumunt?* Etiam capita velabant. Lucanus *lib.* IX. in luctu Corneliæ Pompeii uxoris:

Sic ubi fata, caput ferali obnubit amictu,
Decrevitque pati tenebras. ——

Adeoque appositæ custodes impatientius dolentibus. Seneca *epist.* X. *Lugentem timentemque custodire solemus, ne solitudine male utatur.*

CAP. XLVIII.

A ludis, spectaculis, & conviviis abstinebant: item a lautiore mensa, balneis, unguentis, risu, salutatione. Sessione deformi, & accubitu molesto utebantur.

ATque hactenus circa corpus habitum, nunc, quæ extrinseca sunt, videamus. Abstinebant ab omni læto officio, nec in circum aut theatrum veniebant, certaminum aut ludorum spectandorum caussa. Symmachus *lib.* III. *epist.* XXI. *Neque enim fas fuit læta officia obire lugentes.* Neque convivia quoque vel dabant ipsi,

vel accedebant. Jul. Paullus *Recept. Sentent.* lib. I. c. XXII. *Qui luget, abstinere debet a conviviis, ornamentis, & alba veste.* Item in *l. Templorum. Cod. Theod. De paganis: Non liceat omnino in honorem sacrilegi ritus funestioribus locis exercere convivia, vel quicquam sollennitatis agitare.* Adeoque lautiore omni mensa, balneis, unguentis, & risu abstinebant, Plutarch. *Consolat. ad Uxorem: Ita dejiciunt inque angustias redigunt, & meticulosum faciunt animum, ut propter luctum neque risum, neque lucem, neque humaniorem mensam participet. Comitatur autem huic malo neglecto corporis, aversatio unctionis, balnei, ac reliquæ victus rationis.* Sueton. *Caligula*, c. XXIV. *Eadem defuncta justitium indixit, in quo risisse, lavisse, cœnasse cum parentibus, aut conjuge, liberisve capitale fuit.* De mensa quoque Statius *Epicedio in Glauciam*;

Muta domus, fateor, desolatique penates,
Et situs in thalamis, & mœsta silentia mensis.

Apulejus *Milef.* II. *Abi, inquit, fatue, qui in domo funesta cœnas & partes requiris.* Tacit. *Annal.* XVI. *Implexa luctu continuo, nec ullis alimentis, nisi quæ mortem arcerent.* Præterea salutationes omittebant. Cognoscere id licet ex Dione *l.* LIX. *Et alios morbus, qui priore anno ipsum invaserat, & Drusillæ sororis mors perdidit. Præterea, & si quis convivium dedisset, aut salutasset, aut lavisset illo tempore, plectebatur.* Ubi obiter de convivio quoque, & balneo nota, quod supra monui. Sessione quoque utebantur neglecta, atque deformi, accubitu molesto. Plutarchus *eadem Consolat. Et sessiones deformes, & accubitus laboriosos.* Quod balneo autem abstinuerint testatur quoque *Milef.* VIII. Apulejus in luctu Charites: *Jam lurore & illuvie pœne collapsa membra lavacro, cibo denique confoveret.*

CAP. XLIX.

Lumen non accendebant, neque focum exstruebant. Focus noxius. Martialis, Statius, & Tibullus illustrantur. Luctum deprecabantur, & imprecabantur. Felicitatis pars, nunquam luxisse. Fores clausæ, & cupressus in iis, si nobiliores: si plebs, picea.

NEque lumen accendebatur etiam. Glossæ veteres, *Silicernium*, περίδειπνον, λύχνος τὸ ἅπτειν ἐν πένθει ἐ θέμις. Plutarch. *loco citato: Ut neque risum, neque lucem, neque humaniorem mensam participet præ luctu.* Item focus negligebatur. Juvenalis *sat.* III.

Si magna Assaraci cecidit domus, horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia Prætor.
Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.

Interpres ejus vetus: *Nec focum in domo nostra fieri patimur, quod & lugentes observare solent.* Hinc capiendus Apulejus *Milef.* II. *Abi, inquit, fatue, qui in domo funesta cœnas & partes requiris, in qua tot jugis jam diebus ne fumus quidem visus est ullus.* Plutarchus in Pelopidæ funere narrat etiam: *Multos in tentoria abeuntes, neque ignem accendisse, neque cibum sumpsisse.* Apud Persas ille mos solis regibus mortuis, ut docuit vir magnus, Barnabas Brissonius, *l.* I. *de regno Persarum.* Ejus rei hæc est ratio. Ut ipsi ornatum ponebant; ita ædes quoque suas ponere voluerunt: nam ignem Veteres magnum earum ornamentum censebant. Hinc illud Homeri:

Αἰθομένε δὲ πυρὸς γεραρώτερος οἶκος ἰδέσθαι.

Atque tum *Focus noxius* dicebatur. Quintilianus

A *Declam.* XII. *Redite in domos vestras, videbitis noxios focos, & ignes tabe cadaverum extinctos, & tecta mortibus gravia.* Huc alluditur a Poetis, cum optant *Focum perennem*, ut Martial. *l.* X. *epigr.* XLVII. aut *Focum pervigilem*, ut Statius *Sylv.* IV. ad Septimium Severum: aut *Ignem assiduum*, ut Tibullus *l.* I. *eleg.* I. Quo significant velle se a diis, ne extinguere unquam focum debeant: id est, ut vivant sine funere domestico, ac luctu. Nam sane magnopere optabant. Itaque Cornelia apud Propertium *l.* IV. *eleg.* ultima, inter felicitatis suæ testimonia hoc quoque prædicat;

B *Et bene habet, nunquam mater lugubria sumpsi,*
Venit in exequias tota caterva meas.

Valerius Maximus *l.* VII. *c.* I. de felicitate Metelli Macedonici: *Tot partus, tot incunabula, tot viriles togæ, tam multæ nuptiales faces, honorum, imperiorum, omnis denique gratulationis summa abundantia; cum interim nullum funus, nullus gemitus, nulla caussa tristitiæ.* Atque ut deprecabantur sibi luctum, ita aliis irati imprecabantur. Ovidius *Metamorph.* XI.

C *Per coacervatos pereat domus impia luctus.*

Hæc quidem in ædibus. At publice quoque testari luctum voluerunt, ut scirent prætereuntes. Itaque claudebant fores. Juvenalis. *sat.* XIII.

Quandoquidem accepto claudenda est janua damno,
Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi, quam funera. ——

Urnam quoque cum aqua ante fores statuebant, qua se egredientes aspergerent. Suidas *in* Ἀρδάνιον; D *Urna vero etiam ante fores mortuorum ponebatur, ut intrantes exeuntesque se aspergerent.* Vide etiam Hesychium *in* Ἀρδανίας. Et quidem ex alia domo hæc adferebatur, quæ funere non polluta. Jul. Pollux *l.* VIII. *c.* I. *In domum lugentis ingressi, cum exirent, purgabant se aqua aspersa, quæ prompta in urna, ex alia domo allata.* Cupressum quoque ponebant. Festus: *Cupressi mortuorum domibus ponebantur ideo, quia hujus generis arbor excisa non renascitur: sicut ex mortuis nihil jam est sperandum.* Plin. *l.* XVI. *c.* XXXIII. *Cupressus Diti sacra, & ideo funebri signo ad domos posita.* Servius *Æneid.* III. caus-E sam addit: *Moris Romani fuerat ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam per ignorantiam pollueretur ingressus.* Et allusit huc Ovidius *Metamorph.* l. X. in fabula Cyparissi mutati in cupressum;

Lugebisque alios, aderisque dolentibus, inquit.

Sed divitibus tantum hoc usitatum. Lutatius *ad Thebaid.* IV. *Cupressus adhibetur locupletum funeribus.* Lucanus *l.* III.

Et non plebejos luctus testata cupressus.

F Nec cupressum tamen semper ponebant, sed vel piceam quoque. Auctor Plin. *l.* XVI. *c.* X. *Picea montes amat, atque frigora: feralis arbor, & funebri indicio ad fores posita.* Puta a pauperibus, ac mediæ sortis hominibus, cum locupletiorum tantum esset cupressus, ut ostendi: & ante usum quoque ipsius cupressi, quam advenam, & sero usitatam Romanis ex Plinio cognoscimus. Ponebant autem toto luctus tempore. Ovidius *Fast.* I.

Per totidem menses a funere conjugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

CAP. L.

In publico luctu clausæ palæstræ, & gymnasia: item tonstrinæ, tabernæ, templa, balnea; publica quoque spectacula intermissa. Forum etiam clausum. Justitium. *Magistratus plebejo habitu, & sine insignibus honoris.*

ET de privato luctu hæc satis: at in publico quid factum? Clausæ palæstræ, & gymnasia. Diog. Laert. *l.* II. in *Socrate*: *Ille quidem ex hominibus excesserat, Athenienses vero statim pœnitentia facti invasit, ut palæstras & gymnasia clauserint.* Item tonstrinæ, tabernæ, templa, balnea; publica quoque spectacula intermissa. Interpres *Historiæ* Apolloni Tyrii: *Tantus vero amor civium circa eum erat, ut multo tempore tonsores cessarent, publica spectacula tollerentur, balnea clauderentur, non templa, non tabernas quisquam ingrederetur.* Forum quoque clausum, neque jus dictum: & *Justitium* appellabatur. Tacitus *Annal.* II. in funere Germanici: *Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magistratuum, ante senatusconsultum, sumpto justitio desererentur fora, clauderentur domus, passim silentia & gemitus, nihil compositum in ostentationem.* Livius ab Urbe Condita *l.* IX. *Extemploque sine ulla publica autboritate concessus in omnem formam luctus est: tabernæ circa forum clausæ, justitiumque in foro sua sponte cœptum, prius quam indictum: lati clavi, annuli aurei positi.* Et *l.* X. *Justitium edicit, claudi tabernas tota urbe jubet, vetat quempiam privatæ quicquam rei agere.* Et in plebejo tunc habitu ipse magistratus. Lucanus *lib.* II.

—— ferale per urbem
Justitium: latuit plebejo tectus amictu
Omnis honos: nullos comitata est purpura fasces.

Immo sine insignibus quoque magistratus. Tacitus *Annal.* III. *Dies, quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies: plena urbis itinera, conlucentes per campum Martis faces: illic miles cum armis, sine insignibus magistratus, populus per tribus.* Plancius venit Dyrrhachium ad exulem Ciceronem, ob quem ejectum quidam bonorum omnium quasi publicus luctus erat. Ipse Cicero in *Oratione pro Cn. Plancio*: *Simul ac me Dyrrhachium attigisse audivit, statim ad me lictoribus dimissis, insignibus abjectis, veste mutata profectus est.*

CAP. LI.

Quando luctus finitus, & quibus casibus. Apollini & Mercurio sacra facta; eaque pro tempore.

SEd an elugere semper necesse? Minime. Minuebatur sæpe populo, universim publicus, & privatim cuique domesticus. Publicus, ædis dedicatione, lustri conditione, & voti publici solutione: privatus autem prolis agnatione, novo familiæ honore, captivi ab hoste reditu, propinquiore cognatione, sponsaliis, casto Cereris, & quavis gratulatione. Festus: *Minuitur populo luctus ædis dedicatione, cum Censores lustrum condiderunt, cum votum publice susceptum solvitur: privatis autem, cum liberi nati sunt; cum bonos in familia venit; cum parens, aut liberi, aut vir, aut frater ab hoste captus domum redit; cum desponsa est; cum propiore quis cognatione, quam is qui lugetur, natus est; cum in casto Cereris est; omnique gratulatione.* Nec propter Cereris tantum sacra, sed omnia, sive publica, sive privata. Livius de secundo bello Punico *l.* II. *Tum privatæ quoque per domos clades vulgatæ sunt: adeo totam urbem opplevit luctus, ut sacrum anniversarium Cereris intermissum sit, quia nec lugentibus id facere est fas, nec ulla illa in tempestate matrona expers luctus fuerat. Itaque, ne ob eandem caussam alia quoque sacra publica aut privata desererentur, Senatusconsulto diebus triginta luctus est finitus.*

Finito luctu Apollini Græci, & triginta post diebus Mercurio quoque sacra faciebant: quippe censebant ut corpora mortuorum terra, ita animas a Mercurio excipi. Plutarchus in *Græc. Quæst.* *Qui cognatorum aut amicorum aliquem amiserunt, eos mos est statim post luctum Apollini sacrificare, triginta vero diebus post Mercurio. Existimant enim, quemadmodum terra mortuorum corpora; ita animas excipere Mercurium.*

FINIS.

JOSEPHI LAURENTII,

LUCENSIS,

DE

FUNERIBUS ANTIQUORUM

TRACTATUS:

IN QUO

RITUS FUNEBRES ANTE ROGUM, IN ROGO, ET POST ROGUM EXPLICANTUR AC ILLUSTRANTUR.

AD

MARCUM ANTONIUM CORNELIUM PRIMICERIUM D. MARCI.

INDEX CAPITUM.

JOSEPHI LAURENTII,

LUCENSIS,

DE

FUNERIBUS ANTIQUORUM

TRACTATUS:

IN QUO

RITUS FUNEBRES ANTE ROGUM, IN ROGO, ET POST ROGUM EXPLICANTUR AC ILLUSTRANTUR.

AD

MARCUM ANTONIUM CORNELIUM PRIMICERIUM D. MARCI.

CAP. I.

Ante rogum ſeu ſepulturam quid olim peractum? Teſtamenti condendi formula. Expirantis anima quomodo & a quibus excepta? Ejuſdem oculi & ora clauſa, & cur? Conclamatio in funere. Cadaver ablutum, unctum, candidoque amictu indutum. Libitinarii, Pollinctores, qui? Cadaver coronis & floribus ornatum: idem in veſtibulo ædium quomodo poſitum? Effigies cerea quando uſurpata? Cupreſſi & piceæ rami ob quid ante fores defunctorum poſiti? Funus quando indictum? A quibus noctu peractum? Præconis formula in efferendo cadavere. Tibicen præcedebat funus. Tuba virorum, tibia juniorum. Siticines qui & unde dicti? Faces & cerei in funeribus; in iiſdem viri atrati, mulieres albatæ, ſervi pileati. Præficæ in funere cur? Per forum quorum funera? Funebris oratio prima a quo peracta? Sepulti olim domi ſuæ, poſtea nulli in urbe, præter quoſdam. Cadavera cur uſta? Pyra quæ? In rogum precioſa injecta. Oculi cadaveris ſuper rogum aperti, & cur? Faces quando ſuppoſitæ rogo? Cineres ubi, quomodo, & cum quibus conditi? Luſtratio facta ad cineres. Quid dictum & datum poſt cadaveris ſepulturam. Sandapila quorum fuit? Oſſa quomodo lecta? Quorum cineres & oſſa diſperſa? In gravi luctu caput cinere conſperſum. Luctus publicus & privatus quibus de cauſis minutus? Tumuli floribus ornati. An omnes olim cremati dubium. Agri ſteriles ſepulcris deſtinati. Athenienſium ſepultura. Secus vias ſepulcra, & cur? Amicorum cineres vino, unguentis & lacrymis conſperſi. Oſſilegii modus, & tempus. Urnæ nomina varia. Ejuſdem materia. Oſſa quinam legebant? Obolus & oſſa in os mortuorum cur inſerta? Lucernæ in cryptis ſepulcralibus. Anniverſaria ſacra. Sedebant parentantes. Sedes pro ſepulcro. Sacerdotes a funeſtis remoti. Principes ubi ſepulti? Pyramides, columnæ, &c. ſepulcrales. Cippus quid?



Unebres ritus Romanos præcipue, mihi votum per tranſennam intuendi; aliis innuendi, quid nempe ante ſepulturam, ſeu rogum: (alii enim ſepulti, alii combuſti ex priſco ritu) quid ſepulturæ tempore, ſeu in ipſo rogo: quid demum a ſepultura, id eſt, poſt rogum, uſitatum, religionis ergo: idque ſtrictim & preſſe, pro meo more; fuſius enim alii, longeque doctius: quos, qui volet, adeat, eruditione redundantes. Ab ovo rem ordior.

Antequam ægrotus animam efflaret, teſtamentum legitimum condebat, cujus tabulas teſtator tenens dicebat: *Hæc uti in his tabulis, cereiſve ſcripta ſunt, ita do, ita lego, ita teſtor, itaque vos Quirites teſtimonium præbetote.* Interim, ubi animam ægrotus exhalaſſet, proximi ſanguine cognationiſque vinculo juncti, & potiſſimum fœminæ, ut matres, ſorores, uxores, filiæ, (filiis enim hoc interdictum ex lege Mævia) exhalantis

spiritum osculo excipiebant, animumque evolantem exhauriebant, mox decedentis oculos & ora claudebant; nefas enim existimabant a viventibus decedentium oculos spectari: ideo Cicero VII. *Verrina* ait: *Matresque miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberorum exclusæ, quæ nihil orabant nisi, ut filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret.* Virgilius *Æneid.* IV.

— *& extremum, si quis super halitus errat,*
Ore legam, &c.

Hunc morem claudendorum oculorum Plinius *lib.* XI. cap. XXXVII. innuit, dicens: *Morientibus oculos aperire, rursusque in rogo patefacere, Quiritum magno ritu, sacratum est; ita more condito, ut neque ab homine supremum eos spectari fas sit, & cælo non ostendi nefas.* Post hæc per intervalla conclamabant, unde illud in *Eunucho* Terentii,

Desine, jam conclamatum est.

Rationem hujus reddit Plinius: *Quod solet plerumque vitalis spiritus exclusus putari, & omnes fallere.* Ideo, præter *Conclamatum*, seu *Vale*, ter dictum, propinquiores & magis affines calida aqua abluebant cadaver, & unguentis preciosissimis ungebant, candidoque amictu induebant; diebus septem servabant ara constituta, ubi odores incendebantur. Conclamatos eos quidam putant a Libitinariis. Libitinarii erant illi, quorum cura & occupatio in procurandis funeribus versabatur, a Libitina Dea funerum, in cujus æde prostabant, quæ humandis sive efferendis corporibus essent usui. Horum servi erant Pollinctores, seu Vespillones, qui cadavera ad sepulturam exportabant. Vestis illa funerea alba, sed ex lino intexebatur, ex Ægyptiorum religione, apud quos laneæ vestes, neque cum cadavere sepeliuntur, neque in ædes Deorum importantur. Romanis hæc vestis erat toga, magistratibus prætexta, Censoribus purpura, Imperatoribus paludamentum: Græcis vero pallium.

Demum corpus exanimatum coronis & floribus ornabant, & in vestibulo ædium ad januam collocabant, ut faciem & pedes haberet extentos ad viam, & in publicum obversos, si cadaver vegetum & coloratum. Sin, ut in peregre functis, putidum, aut nullum, ejus loco effigies cerea efferebatur. Canebantur interim Epicedia, Pæanes, ex Hygino, per tibicines. Cupressus & piceæ rami ante fores ipsas positi, ne quis Pontificum eo præteriret, & funestaretur. Mortui coronati efferebantur. Plinius *lib.* XXI. cap. V. Extat lex duodecim *Tabb. neve longæ coronæ, neve acerræ adhiberentur.* Clem. Alexand. *Pædagog.* cap. VIII. Vide loc. Dur. *lib.* I. *Variar.* cap. X.

At in divitum funeribus, per præconem, die octava funus indicebatur: quando videlicet urebantur cadavera, & ita per præconem clamabatur, *Ollus letho datus est*, tum noctu efferebatur ad bustum a filiis, aut hæredibus, præcinente præcone, his verbis: *Ad exequias N. N. quibus est commodum ire, jam tempus est, ollus ex ædibus effertur.* Deinde tibicine præcedente, qui næniam funebrem cantillabat, funeris pompam præcedebat; interdum ad tubam, majoris ætatis, minoris vero ad tibiam, elata cadavera, unde Statius,

Tibia enim teneros solitum deducere manes.

Hi dicti Siticines, quasi apud sitos, id est, sepultos, canerent, qui non plures, quam decem ex lege duodecim *Tabularum;* & quia funus factum noctu, ideo faces adhibitæ. Prosequebantur funus viri atra seu pulla veste, fœminæ alba: in hac pompa servi conspiciebantur pileati, si quos vita functus libertate donasset. Insignia honorum portabantur, quæ gessisset, dona militaria, coronæ, vexilla, hostium spolia, cereæ imagines antiquorum, dicta stemmata, in oblongis perticis; deinde liberi, propinqui, affines, amici, lugentium habitu, capite capilloque demisso, ac filii quidem velatis, filiæ nudis capitibus, passisque crinibus; cujus causam lege in Plutarchi *Quæstionibus Roman.* XIV. & XXVI. Adhibitæ etiam Præficæ mulieres ad lamentandum conductæ. Si defunctus illustris fuisset, per forum deducebatur, ubi oratio funebris habebatur. De hoc ritu legendus Polybii locus pulcherrimus. Primus apud Romanos, funebri oratione, collegam suum Junium laudavit P. Val. Publicola Consul anno primo post Reges exactos, qui honos deinde habitus Viris illustribus. Hæc ante rogum. Qui funus prosequebantur, cereos manibus gestabant & faces, Lipsius.

In rogo, Servius mihi præit, qui ad illum Virgilii locum *Æn.* VI.

Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulcro,

notat, moris fuisse apud majores, ut qui mortuus peregre esset, domum suam referretur, & ibi sepeliretur: postea vero lege duodecim *Tabularum* cautum, ne hominem mortuum in urbe sepelirent, neve urerent; nisi quis tamen solutus esset legibus, ut triumphales viri, & Virgines Vestales, Imperatores, & hujusmodi viri, reliqui autem privatim in agris suis condebantur extra urbem, distantibus duobus millibus passuum, ex Dione: aut in viis extra portas tumulos habebant. Ubi vero cognitum est, cadavera a maleficis, aut prædonibus effodi, illa comburi cœpta. Pauperum vero sepulturæ & puticuli erant extra portam Exquilinam, ut a me dictum alibi. Pyra, sive rogus, ubi cadaver erat cremandum, fiebat pro dignitate personæ, sive celsior, sive humilior, in modum aræ, ex larice, picea, taxo, arboribus. Circa eam constituebant cupressos, propter gravem ustrinæ odorem. Hanc pyram respergebant vino, unguentis, myrrha, & aliis odoribus. Superinjiciebantur aurum, vestes, arma, animalia, & alia preciosa. Cadaver antequam imponeretur in rogum, vino, lacte, melle, interdum etiam sanguine, ex victimis inferis mactatis, effuso imbuebatur. (Cum cadavera cremari usus obtinuisset, priusquam in os mortui gleba injecta esset, locus ille ubi corpus crematum esset religiosus non habebatur, sed injecta gleba, Cicer. II. de *Legibus*)

Postquam cadaver rogo erat impositum, oculi, ut cælo ostenderentur, aperiebantur: deinde maxime propinquus pyram accendebat aversus; ad-

A eo, ut necessitatis, non voluntatis, videretur officium: tum sanguis humanus, vel gladiatorum, vel captivorum, effundebatur, Inferiarum loco: item arma hostilia, spolia, pecudes mactatæ, canes, equi, &c. Mulieres quoque genas laniabant adeo, ut sanguinem effunderent. Præfica interea, id est, mulier planctui conducta, præibat carmine lugubri, cujus fletum sequebatur atratorum corona tamdiu, dum consumpto cadavere colligerentur cineres. Hæc in rogo.

B Post rogum, quod dicitur bustum, cineres condebantur in urnam, & ossa in ossarium, plerumque e marmore, dictum Sarcophagum. Solebant interdum, sed antiquissimis temporibus, cum cinere & ossibus condi thesauri (ut dictum) ad inanem ostentationem. Deinde populus circumstans lauri ramo ter aqua lustrabatur. Post Augustum vero ramo olivæ. Demum dicebat præfica, seu Præco, illud novissimum verbum, *Ilicet;* quo significabat, *ire licet:* tum vero omnes precabantur ut ei terra esset levis; ter *Vale, Vale, Vale,* clamabant, & ad postremum, *Vale, Conclamatum,* dicebant: addebant, *Nos te ordine, quo natura permiserit, sequemur.* Tum aspersi aqua lustrali, & ad plenam suffitionem per ignem transeuntes,

C domum cum silentio discedebant. Interdum dabatur mulsum ad portam iis, qui funus essent prosecuti. Post quæ efferebatur os, sive digitus unus de mortui corpore decisus, in locum sepulchro destinatum, ubi erat ara constituta, in quam, sacrificio facto, ipsique aqua aspersi, os illud acceptum cum sulphure & tædis imponebant, Diisque Manibus sacrabant, cum cæteris condentes in Ossario, quod sertis, floribus maxime purpureis, ornatum cum epigrammate, seu epitaphio, *Diis Manibus.* Loculus, seu feretrum ignobilium & damnatorum, sandapila nominabatur.

D Demum alia peragebantur, potissimum ludi, epulæ, exequiæ, inferiæ, & hujusmodi, de quibus a me paulo inferius sigillatim. De tempore lugendi mortuos legitimo a me alibi, & ab aliis eruditissimis viris, Plutarcho, Ovidio in *Fastis*, Festo, & cæteris. Hoc insuper addo. Cum suos defunctos cremabant, sic eos in pyra collocabant, ut cineres ossaque separata manerent, neque aut ligni cineribus, aut animalium, quæ sæpissime comburebantur simul, ossibus commiscerentur, hinc ossa legebant, eaque nondum plane dissoluta & in pulverem redacta in urnam condebant. Hunc morem condendi Q. Smyrnæus in descriptione funeris Achillei ostendit: & hoc puto verius, quam,

E quod comminiscuntur alii de linteo ἀσβέστῳ: hinc ossilegium, ossarium. Cineres vero & ossa dispersa post obitum, quos vivos vehementer odissent, legimus in Suetonio, Ovidio, & Valerio Maximo, dicente de Sulla: *Quinque millia Prænestinorum interficienda, protinusque per agros dispergenda curavit.*

Ægyptii & Assyrii, squallore & sordibus obsiti, cœno obliti, capillum summittentes, & barba detonsa lugebant. Persæ, conjugibus & liberis detonsis, lugebant mortuos. In funere autem clarorum virorum se ipsos, equos, & jumenta

F tondebant. Apud Græcos viri capillum barbamque summittebant: mulieres tonsis crinibus erant; lege Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* VIII. In gravissimo luctu ingentique calamitate caput etiam cinere conspergebant, seu pulvere deturpabant, ex Homero, Euripide, & aliis. Minuebatur populo luctus Ædis dedicatione, lustro a Censoribus condito, voto publice suscepto, vel sacris Cereris instantibus. Privatis autem, cum liberi nascerentur; cum honos in familiam veniret; cum puella desponderetur; cum propiore quis cognatione, quam is, qui lugebatur, nasceretur.

Quod vero in funeribus, præter tibias & tubas, uterentur etiam luminibus cereisque, ex Suetonii *Augusto*, *Tiberio*, aliisque colligitur, & a me dictum alibi. Romani glebam injicere solebant vita functis, vel tritum & minutum pulverem, ne pressu dolorem eis aliquem afferrent; quo respexit Horatianum illud de Archita Tarentino, *ode* XXVIII. *lib.* I.

Quamquam festinas, non est mora longa; licebit,
Injecto ter pulvere, curras.

Unde illa precatio prætereuntium, S. T. T. L. hoc est, *Sit Tibi Terra Levis.* Inscriptio etiam, D. M. S. hoc est, *Diis Manibus Sacrum.* Tumulos floribus frondibusque ornatos, & unguentis delibutos, a me alibi dictum.

An omnes cremati apud Romanos? vix ausim asserere: pompa enim illa ad rogum funebris nimis sumptuosa. Legisse tamen memini, ut paucis repetam de sepulchris, (sæculis illis vetustis) intra urbem, & domesticos intra parietes humatos fuisse mortuos, unde Larium & Penatium tanta religio. Postea XII. *Tabularum* lege, extra urbem tumulari cœptum. Plato agros steriles suis legibus destinavit sepulturis. Ideo secus vias publicas, Flaminiam, Latinam, Salariam, extra urbem Romani vulgo sepeliebant. Athenienses in Ceramico, ut fœda & pestilenti aspiratione cœlum urbanum liberaretur. Quapropter sepulcra, vel communia, vel privata. Locupletes in suis agris privata & propria sepulcra habebant sibi, familiæ, & hæredibus: plebs agris destituta commune sepulcrum habebat in viis publicis. (de quo a me alibi) Horatius *sat.* VIII. *lib.* I.

Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum.

Secus vias autem monumenta sepulcrorum ideo, ut prætereuntes memoriam refricarent suæ mortalitatis. Cineres amicorum vino, unguento, & lacrymis sparsos fuisse ex multis colligi potest, & ex Horatii *ode* VI. *lib.* II.

—— ibi tu calentem
Debita sparges lacryma favillam
Vatis amici.

Post triduum a rogo cinis in urnam missus, ut mandaretur tumulo.

Ossilegium autem ita factum. Parabatur urna feralis, dicta cadus, testa, bustum, amphora, arca, hydria, dolium. Materia harum ænea, lapidea, aliquando aurea. Præcedebat extinctio rogi, vino resperso facta, & lacte. Legebant ossa & reliquias patres, amici, hæredes: ossa Imperatorum Coss. vel majores ordines, ex Herodiano, Suetonio, discincti, nudis pedibus, lotis manibus: lacrymis ossa rigantes, ac sinu fovebant; tollebant in altum; demum condebant in urna unguentis & odoribus perfusa, una cum lacrymis. Urna tegebatur, coronabatur, tangebatur ab amicis præ pietate. His peractis urna dicebatur ossarium, seu cinerarium. Tempus ossilegii nocturnum.

Superſtitioſum deliramentum Græcorum dicis cauſa ſubnecto, qui in os mortui nummum inſerebant, quem trajecturus Acherontem pro naulo Charonti ſolveret. Inſerebant & placentam ſeu offam objiciendam Cerbero latranti, limina Ditis cuſtodienti.

Ad tumulum monodia, elegiæ, epitaphia cantata, inſcripta cippis; pyramides, columellæ additæ ad memoriam mortuorum æternandam. Addebant moles e ſaxo quadrato magnificas, Hermas, menſas, labella, & ſtatuas. Cryptæ etiam ſepulcrales lucernas perpetuas accenſas habebant, de quibus a me alibi. Circa ſepulcra plerunque luci, & nemora, quæ violare nefas, quod & a me notatum.

Tumuli erigebantur mortuis abſentibus pro aris, atque his vinum & ſanguinem victimarum ad radices tumuli offerebant, & aliquando lac cum ſanguine, animaſque vocabant ad bibendum. Lucianus in *Necyom.* Hæ aræ cupreſſo ornatæ, vittiſque nigris, ſive cæruleis. In Anniverſario nigræ oves mactatæ, quarum ſanguis in crateres collectus cum precibus in foſſas effundebatur, animæque vocatæ ad bibendum. Euripides in *Hecuba.*

Vinum quoque, lac, flores, mulſum, mola ſupra vinum & ſanguinem in foveam jaciebantur, inde ter animas evocabant, tum inter mortuos numerabantur.

In parentali ſeu funebri ſolemnitate operantes ſacris, ſediſſe lego in *Atticis Bellariis:* contra ſtetiſſe in adoratione Deorum, ut a me alibi indicatum. Curtius *lib.* x. *Aſſidebat ei una ex nepotibus, nuper amiſſum Ephestionem, cui nupſerat, lugens.* Martial. *lib.* XI. *epigr.* XLI.

> *Te mæſtæ decet aſſidere matri.*

Tibullus *lib.* II. *eleg.* VII.

> *Illius ad tumulum fugiam, ſupplexque ſedebo.*

Ab hac conſuetudine dimanavit, ut ſedem pro ſepulcro ſeu tumulo uſurpemus. Virgilius VIII. *Æneid.*

> —— *ſedibus oſſa quierunt.*

Et alibi. Vetus marmor:

> HANC SEDEM SIBI VIVI POSVERVNT.

Hæc ſedes a Sidonio vocata perpetua, e qua ſcilicet oſſa transferri, inconſulto ſacrorum Rege aut Pontifice, nefas: ex Lipſio, & *Atticis Bellariis.*

Non Augures ſolum, ſed Pontifices quoque, & (opinor) omnes Sacerdotes arcebantur a funeſtis. Apparet ex facto Auguſti, & Tiberii, qui velo interpoſito mortuos laudarunt. Item ex Plutarcho in *Sulla*, qui ſcribit, Metellam ejus uxorem obiiſſe, additque: Cum Pontifices non ſinerent eam viſere, neque domum ejus funere pollui: Sullam ſcripſiſſe libellum divortii, eamque adhuc vivam juſſiſſe in aliam domum transferri. Notabilis ritus. Sulla autem inter Sacerdotes, neque ſcio, an & Augures, certe lituus comparet in quibuſdam ejus nummis. Tacitus *Annal.* I. *Neque Imperatorem Auguratu, & vetuſtiſſimis cæremoniis præditum attrectare per alia debuiſſe.*

Obſervo in Tacito III. *Annal.* loquente de funere Germanici, alibi defunctis, & uſtis, ſtatutas aras in patria, & rogos accenſos, legatur locus, & Senecæ *ad Martiam* cap. III. ex Lipſio *in Tacitum.* Principes, ex eruditiſſimo Meurſio, aut in montibus, aut ad montium radices ſepulti. Iſidorus *lib.* XV. *Etymolog.* cap. XI. *Apud majores enim, potentes, aut ſub montibus aut in montibus ſepeliebantur, inde tractum eſt, ut ſuper cadavera, aut pyramides fierent, aut ingentes columnæ collocarentur.* Lucanus *libr.* VIII.

> *Et Regum cineres extructo monte quieſcunt.*

Hinc emanavit conſuetudo, pyramides & columnas ſuper ſepulcris conſtituendi, ubi tituli & inſcriptiones funebres ſculptæ ad perpetuam illorum memoriam, D. M. S. *Diis Manibus Sacrum.*

Hoc poſtremum innuo; Nefas puerum (ut a me dictum alibi) minorem ſeptennio, priuſquam omnes geniti dentes forent; aut fulmine ictos, qui vita functi eſſent, rogis imponi, ſeu hominem vita ſublatum feriis publicis efferri. Qui plura velit, de variis Antiquorum ritibus in funeribus, tum Græcorum, tum Romanorum, Ægyptiorum, aliorumque externorum, legat Alexandrum ab Alexandro *lib.* III. cap. VII. qui eruditiſſime de his & aliis diſſerit, a me etiam alibi ex Herodoto, & aliis. Adde, ſi vis, Gyraldum, Roſinum, Bencium, Cujacium, alioſque claſſicos, de funeribus tractantes.

Cippus erat ipſa ſepulcri Columella, cui Epitaphium inſcribebatur, &, quantum ipſe terræ ſepulcro aſſignatæ modus continebat, religioſum tenebatur, intra quem religioſa omnia erant, foris nequaquam. Vide Loenſem *lib.* VI. cap. V.

CAP. II.

Epulæ ſuper ſepulcra Diis inferis placandis. Leni ac ſal mortuis appoſita. Feralia unde dicta? Inferiæ quæ? Parentalia, Juſta; Silicernium. Inferis libata guſtare funeſtum. Pollinctura quid? Varia in funere adhibita. Novendiale ſacrum quale & a quibus indictum? Ejuſdem formula, Ludi Novendiales cur ita appellati? Nonus dies naſcentium & morientium celebris. Februa quæ, quandiu, & quomodo celebrata? Denicales feriæ. Lemuria ſacra. Exverræ quid, qui, & cur uſurpatæ? Everriator quis? Epula anniverſaria ad ſepulcra; in iiſdem quænam veſtes uſitatæ? Dierum funebrium variæ denominationes. Decurſiones funebres. Ludorum tria genera Diis Inferis, & quæ? Sumptus nimius funerum interdictus. Coronæ quæ cadaveribus permiſſæ? Superſtitioſa pompa funebris vetita. Sanguine non litandum Manibus. Oſſa & membra non abſcindenda cadaveribus. Servorum cadavera inuncta. Lectis elati potentiores. Aurum an licitum in rogos injicere? Sepulcra & rogi quam procul ab ædibus?

Ferales ſeu ſepulcrales ritus (cum videlicet exequias, juſta, parentalia, vita functis gratæ memoriæ ergo peragimus) paucis complector, pluribus enim de his Gyraldus, Sardus, & alii.

A Dii Inferi placabantur, Pluto, Libitina, Proserpina, Venus Epitymbia, quibus litandis Antiqui epulas ferales, parentalia, sepulcralia, faciebant, quod in ipsa sepultura epulum fieret, (mos enim Antiquorum super sepulcra epulas imponendi, ut docet Plutarchus in *Crasso*) aut post sepulcrum. Ideo a Romanis lens ac sal περίθυμα credita, id est, *lugubria*, ac proinde mortuis apponi consueta.

Feralis ideo dicta a ferendis epulis ad tumulum:

B *Hanc, quia justa ferunt, dixere feralia, lucem;*
Ultima placandis Manibus illa fuit.

Unde dictæ inferiæ, quod mortuorum sepulcris hæc inferrentur, scilicet lac, mel, aqua, vinum, sanguis, comæ, oliva; comæ tantum mortuo præsenti illatæ, reliqua etiam absenti. Flores non numerabantur inter inferias, quia non comburebantur, ut cætera, illis tantum sepulchra ornabantur. Cœnam feralem in honorem mortuorum factam passim legimus:

C *Ponitur exigua feralis cœna patella.*

Apulejus *Floridorum* IV. *Exclamavit vivere hominem: procul ignes amolirentur, rogum demolirentur, cœnam feralem a tumulo ad mensam referrent.*

Inferiæ semper detestabiles ab hostibus, ideo Nisus vult in *Æneide* suas fieri ab amico.

D Parentalia ea dicta, quæ in parentum, aut propinquorum morte fiebant; vel a parendo, quod ita parerent mortuis, qui viventes ita jusserant facere, vel quod filii parentibus hoc præstarent.

Justa quoque vocabantur, quod jure fierent iis, qui de nobis viventes benemeriti fuerant, de quibus Virgilius *Æneid.* V.

Quippe sui memores alios fecere merendo.

E Silicernium (ex Donato) cœna est, quæ infertur Diis Manibus, quod eam silentes umbræ cernant, id est, possideant, vel quod qui inferunt, cernant, sed non degustent; nam Inferis quæ libantur, quisquis gustasset, funestabatur. Alii aliter.

Unde Pythagoræ symbolum, *Ne gustes quæcunque de mensa deciderint*, ea enim amicis defunctis sacra putabantur. Ideo silicernia vel relicta super sepulcris, quo Manes venire credebantur, vel comburebantur in funere, vel in ipso rogo, unde proverbium, cibum seu cœnam e rogo rapere: hi dicti Bustirapi, Rader. *ad Mart.*

F Funeralis cœna dicebatur etiam Pollinctura, quo nomine etiam tota funeris curatio intelligitur. Pollinctor, antequam efferebatur cadaver, illud ungebat odoriferis aromatis & unguentis: vel a linendo dictus, vel a polluendo, quasi pollutor, vel quod in funeribus cœnas opiparas celebrabat, pollucibiliter,& panes ex polline comparabat. In pollinctu & cœna funebri, apium, lentem, atque salem lugubria fuisse, ex Plutarcho, Sardus testatur.

Ut cœnaturi prius potabant mulsum, ita ii, qui funus efferebant, prius id in funesta domo bibebant. Romani igitur (ut ex auctoribus colligitur) libationes, & epulas, tum in ipsa sepultura, tum post illam usurpabant. Livius *lib.* IX. *Dec.* IV. id astruit: *Publii Licinii funeris causa viscerationem datam, & gladiatores* CXX. *pugnasse, ludosque funebres per triduum factos, post ludos epulum, in quo, cum toto foro strata triclinia essent, tempestas cum magnis procellis orta, coegit plerosque tabernacula statuere in foro.*

Novendiale sacrum præterea mortuorum nono die post obitum peractum. Apulejus *lib.* IX. *Jamque nono die rite completis apud tumulum solemnibus.* Ideo ludi tunc celebrati novendiales dicti.

Hoc tempore reliquiæ solebant condi sepulcro, dabantque operam ut moles sepulcri tum perfecta esset. Illo quoque die claris viris, aut pueris dabantur ludi funebres, ut colligitur ex Virgilio V. *Æneid.*

Præterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam certamina classis.

Ea caussa *Novendiales dissipare pulveres*, dixit amare Flaccus, *epod.* XVII. quod quo die solebant religiose coli cineres mortuorum, venefica eos impie dissiparet.

Rhodiginus ait, *lib.* XVII. dictum Novendiale, quod novem diebus mortuos flerent. Ratio in promptu. Ut enim nonus dies nascentium, qui & lustricus dictus, fuit celebris, ita & nonum diem mortuorum celebrandum voluerunt. Non ergo ante nonum diem parentabant mortuis, tunc autem, Justa, Epulæ, Inscriptio, & finis funeris, ex Donato in *Phormione*. Facta tunc demum cœna funebris, quæ dicta feralis Apulejo, & Juvenali. Gyraldus eruditissimus de hoc ait *Syntag.* XVII. Novendiale sacrum institutum fuit, quod dupliciter actum apud Romanos observavimus: uno modo cum defunctis parentabant, seque lustrabant, (ut in sepulcralibus docui) altero cum prodigium aliquod accidisset, quod Novendiali sacro expiare solebant frequenter, cum apud alios, tum maxime apud Livium est observatum. Ita vero perficiebatur, ut video doctis placere. Novem dies assidue Diis sacrum faciebant, quod sacrum indici solebat, vel a Pontifice Maximo, vel a Prætore Urbano, ex Senatus decreto.

Februa dicta piamina defunctorum, quod Sabina lingua *Februum* purgamentum significaret, unde Februarius mensis a februando, id est, purgando, nam per dies duodecim februa celebrabantur pro defunctorum Manibus, piacularibus sacrificiis, circa sepulcra accensis facibus, cereisque.

Denicales feriæ feriales dictæ, quod post nonum diem, quo cineres tumulo condebantur, decimo peragerentur.

Lemuria seu Lemuralia sacra ad placandos Manes Remi: de his vide Gyraldum *Syntag.* XVII.

Exverræ erant purgationes domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferendus erat, quæ fiebant per Everriatorem (is fuit teste Pompejo, qui accepta hæreditate, justa facere defuncto debebat) certo genere scoparum adhibito, ab

extra verrendo dictas volunt. Hasce libationes & sacra ideo Antiqui usurpabant, ut animæ ex Stygiis paludibus ad Campos Elysios in requiem deducerentur.

Præter hæc justa, legatum quoque aliquando testamento epulum anniversarium, quotannis ad sepulcrum, floribus atque odoribus respersum, pro hæreditate exhibebatur. In his funebribus epulis albæ vestes usitatæ, tum Argivis, tum Græcis omnibus: lege Plutarchum in *Problem. Cur fœminæ in luctu, & cadavera albam vestem gestarent.* Herodotus *lib.* IV. Thracum, Persarum epulas funebres monstruosas exponit. Alios externos omitto, ne actum agere videar. Legendi auctores supra citati, aliique de hoc agentes.

Chytri, Χύτροι, festum apud Athenienses, in quo omne feminum genus in olla coquere solebant, Dionysio & Mercurio operantes, neque ex coctis quicquam gustabant, sed Mercurio & Dionysio Cthoniis pro mortuis offerebant.

Dies vero memoriæ defunctorum destinati, Græcorum, dicebantur, Necysia, Enneata, Enagismata, Cterismata, Enchrismata, Tarchymata, Triacontades. Latinorum, Justa, Exequiæ, Inferiæ, Parentationes, Novendialia, Denicalia, Februa, Feralia, & alia hujusmodi. Ex his ritibus multi non absimiles nostris, ut patet apertissime.

Decursiones præterea celeberrimæ in funeribus, quæ repetebantur ab hominibus armatis, ab equitibus cum ululatu, quibus misti interdum pedites.

Tria Ludorum genera Inferis Diis: Taurilia, Compitalia, Tarentina. Taurilia, a Tauris Scythiæ populis denominata, ubi Tauricæ Dianæ (quæ apud inferos est Proserpina) pro victimis homines immolabantur, quod factum etiam Romæ usque a Tarquinii temporibus, qui hos ludos instituit. Compitales ex vicis compitorum, celebrati Laribus ac Maniæ. Tarentini dicti a Tarento loco in Campo Martis, quod ibi ad aram Ditis patris occulte in terra sacrum fieret Manibus. In hisce funeribus facem quatio, & una lumen tuum vindico, fumum dispellens, antiquitatis prolatis tabulis, de jure antiquo funebri, in quibus verba a Sphinge contorta negotium Oedipo facesserent. Verborum syrmata ab hac atra veste abesse, sit fas, & undas ab hoc fusco rivo. De his optimus sermo, qui brevissimus.

LEGES FUNEBRES.

A Numa religionis Romæ primo assertore hæc lex lata circa funera, *Vino rogum ne aspergito*. Plinius ita interpretatur *lib.* XIV. capit. XII. Romulum lacte non vino libasse, indicio sunt sacra ab eo instituta. Numæ Regis posthuma lex est; nemo dubitat. In eadem lege, *Ex imputata vite libari vina Diis nefas*. Statuit, ut putare cogerentur agricolæ. Aliter Lipsius III. *Antiq. Lect.* adi.

Duodecim *Tabulæ* circa funera hæc sanxere:

Neminem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito. Pontificum Collegio cautum, ne locus publicus privata religione obligaretur; virtutis tamen excellentis causa, quidam in urbe sepulti; item Imperatores, Virgines Vestales, vel nocentes vivæ, licet in Campo scelerato obrutæ.

Rogum ascia ne polito, hoc plus ne facito. Hæc lex removet inutiles & supervacuos sumptus a funeribus, ne nimio fastu celebrentur.

Mulieres malas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento. Moris enim prisci & inhumani fuit, ut ante rogos sanguis humanus effunderetur, vel captivorum, vel gladiatorum, quorum si forte copia non fuisset, fœminæ laniantes genas, suum effundebant cruorem, quod hac lege vetitum; neve lessum facerent, id est, ejulatum, & lamenta plangentes mulieres.

Homini mortuo ne ossa legito, quo post funus fiat, extra quam, si militiæ, vel peregre mortuus sit. Ne videlicet luctus duplicarentur, iterum ossa legendo & denuo inferias faciendo. Vel, ne cadaveri ossa aliquot aut membra adimerentur, abscinderenturve: nisi corpus apud peregrinos jaceret.

Ut servilis unctura, omnisque circumpotatio tollatur. Hæc lex de servis intelligenda, non de liberis, ex lege Solonis deprompta, liberorum enim cadavera lota, uncta; ut supra a me dictum.

Uti ne sumptuose respersio fieret: neve murrhata potio mortuo ne inderetur: neve longæ coronæ: neve acerræ adhiberentur. Cadavera pretiosissimis liquoribus non esse perfundenda, nimiosque circa id sumptus non esse faciendos, hæc lex innuit: longæ etiam coronæ triumphalibus tantum curribus permissæ. Acerræque, id est, aræ, ubi odores adolentur, vetantur hac lege.

Qui coronam parit ipse, pecuniave ejus, virtutis ergo arduitor, ipsique mortuo, parentibusque ejus, dum intus positus erit, forisque feretur, sine fraude imposita esto. Hæc lex, quasi exceptio præcedentis, licet enim in funeribus eas coronas ferre, quas quis, vel ipse, vel per servos, equosque suos, virtutis ergo, in publicis ludis certaminibusque sibi peperisset. *Arduitor*, id est, adducito, seu, addito.

Uti plura funera ne uni fierent, neve lecti plures inferrentur. Ad minuendos sumptus hæc lex data: tenuis fortunæ homines Capulis, Pheretris, Loculis, Sandapila: at potentiores lectis elati. Sulla sex millia lectorum in funere habuit.

Neve aurum addito: ast quoi auro dentes vincti erunt, im cum illo sepelire, & urere, se fraude esto. Vetat lex, aurum ne sepulcris injiciatur: in rogum enim & sepulcra pretiosissima quæque luxus gratia olim injecta. Excipit lex, si cui dentes excidissent, eosque incrustasset auro, licere eos cremari, vel sepeliri. *Im*, id est, eum: *se*, id est, sine; utrumque antique.

Rogum bustumve novum ne propius ædes alienas 60. pedes, invito domino, adjicito; neve forum sepulchri, bustumve usucapito. Lex cavet, ne forum sepulcri, bustumve usucapi liceat. Forum enim est vestibulum. Jura sepulcrorum sancta, quæ tamen ob ustrinæ aut cadaverum tetrum odorem procul ab ædibus statuenda.

In luctu publico publica signa doloris edebantur, justitium indicebatur, fora silebant, & tribunalia veste pulla induebantur. Senatus equestrem, equites plebejam, plebs sordidam vestem induebant, anuli aurei po-

nebantur. Senatores in theatro penulati angustum clavum sumebant, equites anulos aureos deponebant. Mulieres purpuram atque aurum deponebant; viri capillum & barbam promittebant: Bulengerus *de Imperatoribus Romanorum*.

CAP. III.

Sepulcrales ritus Persarum. Sepulcra Babyloniorum qualia? Modus sepeliendi honorificus apud Ægyptios. Æthiopum sepulcra vitrea: Apud eosdem cadavera qui exornata & asservata? Parentatio quomodo peracta apud Issedones & Hyperboreos? Sepulcrales mores Scytharum & Thracum. Ludi varii in funeribus. Cadavera a quibus lota & obvoluta? Lacedæmoniorum varii ritus sepeliendi. Cadavera puniceo amictu & oliva ornabant Græci. Apud eosdem defuncti nomen in sepulcro quando inscriptum? Luctus quandiu duravit? Ægyptii nec cremabant, nec tumulabant cadavera, & cur? Pythagoreorum mos in sepulturis. Hyrcanorum sepulcra quæ? Apud Cares qui milites sepulti? Vestes cum cadavere crematæ Sicyoniorum ritus sepulcrales. Melle & cera condita cadavera. Insignia deposita a morientibus. Funus pro patria cadentium Athenis. Aliarum gentium varii ritus circa mortuos.

APud Persas sepulcralem ritum non vulgarem lego, his verbis in Herodoto *lib.* I. *Quod videlicet defunctorum Persarum cadavera non prius humentur, quam aut ab alite, aut cane trahantur; Magos tamen sat scio factitare, quandoquidem aperte faciunt, mortuumque cera involventes in terram condunt*, &c.

Apud Babylonios sepulcra in melle erant: idem in eodem *libro*: *Sepulcra eisdem in melle sunt, luctus funebris illi Ægyptiorum persimilis*, &c.

Honorifice sepeliendi modum apud Ægyptios in eodem *lib.* lego, his verbis: (loquitur de Rege Mycerino) *Qua clade supra modum dum doleret, velletque filiam excellentiori aliquo genere sepelire, quam cæteri, fecisse ligneam bovem vacuam, quam cum inaurasset, in ea filiam sepelisse defunctam, neque humo bos condita.* Paulo post: *Cui singulis diebus omnifarii odores inferuntur, noctibus autem perpetuo incensa lucerna astat*, &c. Sale condita cadavera, idem narrat: *Per eos nihil admodum calamitatis expertus, defunctusque & sale conditus est, & in sepulcris, quæ ipse ædificaverat, situs intra templum*, &c.

Apud Æthiopes macrobios hujusmodi fuere: ipso id eodem *lib.* referente: *Ad extremum inspexere eorum sepulcra, quæ dicuntur ex vitro esse constructa hunc in modum: Posteaquam mortuum, sive Ægyptiorum, sive aliorum more arefecerunt, totum gypso inducunt, picturaque exornantes repræsentant, quoad potest, effigiem ejus. Deinde cippum ei vitro, quod apud illos multum est, & facile effoditur, circumdant: in cujus medio mortuus interlucet, nihil odoris ingrati, neque fœditatis ullius exhibens, sed omnia illi ipsi mortuo similia habens. Hunc cippum maxime propinqui intra ædes annum tenent, offe-*

A *rentes ei omnium rerum primitias hostiasque: anno exacto efferunt, circaque urbem statuunt*, &c.

Apud Issedones hæc fiunt, ut ipse *lib.* IV. refert: *Quoties pater alicui decessit, omnes ei propinqui pecora adducunt, quæ ubi mactaverunt concideruntque, concidunt & mortuum patrem illius, a quo in convivium accipiuntur, commixtisque omnibus carnibus, convivium exhibent; caput tum defuncti denudatum purgatumque inaurant, eoque pro simulacro utuntur, agentes illi quotannis majores hostias cæremoniasque*, &c.

B Apud Hyperboreos hoc refertur parentationis genus ab eodem *lib.* IV. *Cæterum his virginibus Hyperboreis vita functis in Delo, parentant puellæ Deliæ, ac pueri tonsis utrinque crinibus, quos puellæ quidem fuso involutos supra monumentum aliarum deponunt, pueri autem ad quandam herbam applicantes, & ipsi sepulcro imponunt. Est autem monumentum intra Artemisium ad sinistram intrantibus, oleaque illic super enata*, &c.

Apud Scythas hæc: *Alios autem Scythas, cum decesserunt, proximi quique in plaustris collocatos ad amicos circumferunt, eos singuli amicorum excipientes, epulum cadaver comitantibus*
C *præbent, tam propinquis, quam cæteris; ad hunc modum quadraginta diebus privati homines circumaguntur; dehinc humantur, tali tamen ratione prius purgati. Ubi caput exinaniverunt, ablueruntque, circa corpus ita agunt. Tria ligna statuunt mutuo inclinata, circa hæc prætendunt lanea pilea, quam maxime possunt constipantes, & in scapham, in medio lignorum pileorumque positam, lapides conjiciunt ex igne perspicuos.*

Apud Thraces hoc sepulturæ genus idem *libro* V. refert: *Optimatibus eorum tales sunt*
D *sepulturæ. Prolato triduum cadavere, mactatisque omnifariis hostiis, convivantur, illudque defletum prius, deinde combustum sepeliunt, aut aliter humo contegunt, aggestoque desuper tumulo, cum alia omnis generis certamina proponunt, tum præcipue certa cum ratione monomachiam, id est, singulare certamen. Et sepulturæ quidem Thracum hujusmodi sunt*, &c.

Lavabant etiam & obvolvebant cadavera magnorum virorum Persæ: idem *libro* VI. *Ea re audita Darius, objurgatis, qui id fecerunt, quod hominem vivum in conspectum suum non*
E *attulissent, jussit Histiæi caput eos elotum atque obvolutum sepelire, tanquam de se ipso viri, ac de Persis benemeriti.*

Apud Lacedæmonios Regum sepeliendorum ritum ex eodem *libro* percipio his verbis: *Equites per universam Laconicam obitum regis enuntiant, fœminæ per urbem circumeuntes ollas pulsitant. Cumque hoc fit, necesse est ex singulis domibus duos ingenuos, marem ac fœminam, luctu fœdari, magnis pœnis, nisi hoc faxint, impositis. Eadem circa funus Regum consuetudo Lacedæmoniis, quæ barbaris Asianis; nam plerique Barbarorum eodem ritu in morte Regum*
F *utuntur. Siquidem, postea quam mortem obiit Lacedæmoniorum Rex, oportet ejus exequiis adesse ex omni Lacedæmonis regione necessarios quoque Spartiatarum, qui sunt numero vicinorum, quorum & item servorum, atque ipsorum Spartiatarum, postea quam multa millia in unum coacta sunt, promiscue cum mulieribus frontes suas intrepide pungunt, & ululatu immenso utuntur, ultimum quemque Regum dicentes semper fuisse*

optimum. Qui vero Rex in bello periit, ejus simulacrum, cum expresserunt, in toro bene strato efferunt, cujus tumulatione decem dies justitium est, nullusque magistratuum consessus, sed luctus continuus. In hoc quoque cum Persis isti conveniunt, quod defuncto Rege alter, qui succedit, liberat ære alieno, quicumque Spartiata aliquid, aut Regi, aut Reipublicæ debebat. Apud Persas, qui Rex creatus est, omnibus civitatibus tributum, quod debebant, remittit, &c.

Apud Persas *l.* VII. idem refert, magnifice funeratum Achœmenidem a Xerxe, his: *Xerxes magno damno ducens maximum hominum fato functum apparatissime eum funeravit, exhibito etiam epulo, ejusque tumulum omnis exercitu extruxit, cui tanquam Heroi ex oraculo Acanthii sacrificant, nomine eum nuncupantes*, &c.

Apud Græcos ex Plutarchi *Lycurgo* factitata hæc lego circa sepulcrales ritus: *Deinde nibil cum mortuo sepelire permittebant, sed condentes corpus, puniceo amictu & olivæ fronde circumdant. Neque licebat mortui nomen inscribere, nisi aut viri, aut fœminæ, qui pie in bello, praeclareque periissent. Lugendi vero tempus breve præfiniunt, dies undecim: duodecimo autem post celebratum Cereri sacrificium solvere luctum oportebat*, &c.

Apud Megarenses, & Athenienses, ritum mortuos sepeliendi lego ex ejusdem Plutarchi *Solone*, his verbis: *In sepeliendo enim Megarenses mortuos ad orientem convertunt, Athenienses autem versus occidentem. Instat contra Hieras Megarensis, aitque, Megarenses etiam mortuorum corpora ad occidentem versa humi mandare; idque præterea magis adjungit, Atheniensium singulos singula sepulcra habere, Megarenses tres & quatuor uno sepeliri*, &c.

Alexander ab Alexand. *lib.* I. cap. VI. hæc refert, Tauricis apud Scythas cum Regibus præcipue gratos, & qui magno in honore fuissent, ex amicis sepelire in usu fuit, cui Rex tanquam pignus amoris aures abscindere solebat. Apud Græcos usurpatum, ut, cum aliqui inexplicabili nexu copulantur, uno pallio invicem se operiant, & morte obita eodem tumulentur; quo significabant, duo simul corpora concordibus animis & mente teneri, &c. Ex quibus duos etiam uno tumulatos fuisse sepulcro patet.

Ægyptii nec cremabant, nec tumulabant mortuorum cadavera. Quod refert Pomponius Mela *lib.* I cap. IX. *Mortuos*, inquit, *nec cremare, nec fodere fas putant, verum arte medicatos intra penetralia collocant*: & Plinius *l.* II. c. XXXVIII. & Stobæus *Sermone* CXXII. Silius Ital. *lib.* XIII.

—— Ægyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, & a mensis exanguem haud separat umbram.

Causam vero cur corpora non comburerent, vide in Stobæo, *loco citato*. Cadavera vero in loculis asservanda medicabantur myrrha, aloe, cedro, melle, sale, cera, bitumine, & resina, odoribus, & unguentis delibuta.

Plinius *lib.* XXXV. cap. XII. refert Pythagoreos non unguentis, sed foliis myrti, populi, oleæ, stipatos mortuos humi mandasse. quo etiam modo M. Cato humari voluit. Albani, ut refert Strabo *lib.* II. cum mortuis pecuniam in loculis sepeliebant. Hyrcanis vero pro sepulcro canes fuere, a quibus lacerabantur, eos quisque sibi nutriebat in vitam a quibus mortuus lacerandus esset: qui canes (ut refert Strabo *lib.* II.) dicti sepulcrales. Hujus moris testis est Silius Ital. *lib.* XIII. qui tamen videtur innuere circa tantum regia cadavera hoc factitatum, illis verbis:

Regia cum lucem posuerunt membra, probatum est,
Hyrcanos adhibere canes, &c.

Ideo Diogenes ille dicebat, si canes suum cadaver laniarent, Hyrcanam sepulturam fore.

Apud Cares milites etiam sepeliebantur armati, quod Thucydides testatur in *præfatione* de bello Peloponnesiaco: *Siquidem*, inquit, *cum expiaretur ab Atheniensibus hoc bello Delos, destructis sepulcris eorum quicumque in ea insula decessissent, Cares agniti genere armorum, cum quibus sepulti erant.* Vestes etiam cum cadavere crematas, docet Plutarchus in *Cat. Min.* sumptuoso illo funere, quod filio mortuo paraverat ipse Cato, ubi inquit: *Verum etiam sumptu funeris, odorum magnificentia, & vestibus pretiosis cum cadavere crematis*, &c.

Apud Sicyonios nefas aliquem intra Urbis mœnia sepelire, quod refert Plutarchus in *Arato*: *Ad hunc modum cum fato functus Ægii in* XVII. *Prætura esset: contenderentque Achæi, illic, ut justa ei, & monumenta, ex vitæ dignitate fierent: calamitosum duxerunt Sicyonii, nisi conditum corpus apud ipsos foret, flexeruntque Achæos, ut id permitterent. Quia vero vetus lex humari quemquam intra Urbis mœnia vetabat, & gravis adjuncta legi erat religio, Delphos miserunt ad consultandum super ea re vatem, qui hasce sortes dedit:*

Consultas Sicyon tellus, natalis Arati
De justis semper, festis quoque concelebrandi,
Defuncti Herois, verum, illum, si qua gravant, sunt
Et maris, & cœli, terræque piacula crassæ.

Allato hoc oraculo, Achæi cuncti gavisi sunt, Sicyonii præcipue, qui converso in festum luctu, protinus corpus ex Ægio coronati, & candidis amicti vestibus, carminibus, & tripudiis in urbem suam deduxere, locoque delecto conspicuo, & conditorem, & servatorem Urbis ibi funeraverunt. Appellatur usque ad hanc memoriam locus, Aration. Sacra ei faciunt semel, quo die Civitatem a Tyrannide vindicavit, quinto Mensis Dæsii, quem Athenienses Anthesteriona nominant. Hoc festum appellant Soteria: iterum quo mense memorant natum. Priora Jovis Servatoris sacerdos facere fuit solitus, secunda Arati, qui fasciam non ex toto albam candidam, sed intextam purpura gerebat. Carmina ad citharam canebantur a symphoniacis. Pompam ducebat gymnasiarches puerorum & adolescentium. Inde Senatus coronatus sequebatur, & reliqui cives quibus libebat, quorum obscura

ra adhuc vestigia diebus illis defunctorie retinent.

Honori fuit, refert Dio, Julio Cæsari quod intra pomerium crematus sit, qui honor conditoribus tantum urbium, Virginibus Vestalibus, aut raro benemeritis civibus tributus.

In Othonis funere hæc lego Romæ facta, apud Plutarch. in *eodem*: Ἀπέστη δὲ οὐδεὶς τῶν καθ' ἑαυτὸν ἐγγὺς ὄντων τῶν πολεμίων, ἀλλὰ κοσμήσαντες τὸ σῶμα καὶ πυρὰν κατασκευάσαντες, ἐξεκόμιζον ἐν τοῖς ὅπλοις οἱ φθάσαντες ὑποδῦναι καὶ βαστάσαι τὸ λέχος ἐπιγαυρούμενοι. τῶν δὲ ἄλλων οἱ μὲν τὸ τραῦμα τοῦ νεκροῦ κατεφίλουν προσπίπτοντες· οἱ δὲ ἥπτοντο τῶν χειρῶν· οἱ δὲ προσεκύνουν πόρρωθεν· ἔνιοι δὲ τῇ πυρᾷ λαμπάδας ἀφέντες, ἑαυτοὺς ἀπέσφαξαν, &c. *Nec quisquam reliquit eum, saluti suæ, propinquis jam hostibus, prospiciens, sed excultum corpus rogo parato extulerunt armati, exultaveruntque, qui occupaverunt subire & gestare lectum. Cæteri partim vulnus exanimi in genua procumbentes exosculati sunt: partim manus attigerunt; alii procul adoraverunt; alii subditis rogo facibus se ipsi confodere*, &c. Melle condita cadavera, & cera, etiam docet Æmilius Probus in *Agesilao*, his verbis: *Ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre possent, quod mel non habebant, cera circumfuderunt, atque ita domum retulerunt.*

Templa bonæ scævæ caussa nominata, cum essent tumuli, ex Clemente Alexandrino Bulengerus.

Morituri prius insignia & ornamenta sua deponebant, ne cum his & in his morerentur, Æschylus. In sepeliendis, qui pro patria occubuerunt, Athenienses ita consueverunt. Primum ossa mortuorum triduo ante, facto tabernaculo, proponuntur, & quisque cadaveri sui propinqui addit, quod vult. Cumque funus effertur, tunc plaustris evehunt arcas ex cupresso factas, pro qualibet tribu unam. In his condita sunt ossa, inter colligendum, quæ agnosci potuerunt. Comitantur pompam funeris quicumque volunt ex civibus & hospitibus. Adsunt etiam mulieres cognatæ, mortuos lugentes. Deinde ponunt in publico monumento Ceramico dicto suburbano, ubi semper sepulti occisi in bello, quibus & oratio funebris a viro præstanti habebatur. Quod si vir præstantissimus occubuisset in eo ipso loco, ubi ceciderat, sepelitur, Thucydides *lib.* II. Varios hos ritus paucis complector. Ignosce oro si quid bis repetitum: tumultuaria enim hæc schediasmata.

Græci veste alba cadaver coronisque ornant, & pæana canentes sepulcro inferunt, Pausan. in *Messen.*

Apud Athenienses statutum erat, ut singulæ tribus singulas areas haberent, in quibus cadavera, & reliquias eorum, qui in bello ceciderant, conquisitas, vehiculis ferrent; & singulos singulis sepulcris condiebant, quod a Romanis quoque usurpatum.

Lycurgi legibus funerare in urbe extinctos non interdictum, quod & assuescere vellet juventutem, ne horreret mortem. Athenis intra urbem Ceramicus erat, ubi bello perempti sepulti, & funebres orationes habitæ; at reliquorum cadavera sepulta in tumulis extra urbem, in quibus columnæ extabant, cum nominibus defunctorum per singulas tribus: Corinthiorum hic quoque mos. Persæ (ut refert Agathius *lib.* II.) nudant carnibus ossa, & per campos dispergunt, quod in arcam urnamve mortuos condere, vel terra obruere, haud fas putant, neque ignem Deum suum mortuis inquinari volunt. Si non statim advolassent aves, hominem fuisse inquinatis moribus autumabant. Brachmanes & Iberi vulturibus cadavera exponunt; Pæones piscibus, Parthi avibus & canibus: ossa vero sepeliunt, ex Herodoto, Alex. ab Alexandro & aliis.

CAP. IV.

A funere quid clamatum? Palam factum, *quid? Cineres & ossa e rogo per quos lecta? Nonnisi interdiu mortuis parentatum apud Veteres. Superis & Inferis quando immolatum? Mentione facta alicujus defuncti quid dictum? Vestes funebres paratæ ante mortem. In luctu fasces, arma, &c. inversa. Lugendi modus ex Numæ legibus. Viduis in luctu nubere nefas. Θ quibus præfixum? Annuli detracti morientibus. Imperatores quandonam funeribus interarant? Cadavera ostensa si vegeta, si secus effigies cerea. Funalia in exequiis. Rogi structi etiam absentibus. Saccus undecimus pro sepultura militum. Mulieribus, quæ peperissent, vestis in funere concessa, sterilibus vero negata.*

IN funere peractis omnibus feralibus, *Conclamatum est*, *Ilicet*, acclamabant; quibus additum reperio, nec aliis (Lipsio, ut puto, excepto) notatum, *Palam factum*, innuentes rem publice peractam. Colligo ex Seneca *de Tranquillitate*: *Cato*, inquit, *ille virtutum viva imago incumbens gladio, simul de se, ac Republica, palam facere*, quod erat dicere, peracta omnia, & desperatum de sua & Reipublicæ salute. Cicero: *Nondum palam factum erat concidisse Rempublicam.*

Postquam cadaver in rogo erat absumptum, mittebantur, qui ossa legerent, & cineres in urna conderent. Sen. *de Ira* lib. XI. cap. XLIII. *Dignus fuit, cui permitteret a convivio ad ossa filii legenda discedere.* Virgilius VI. *Æneid.*

Ossaque lecta cado texit Chorinæus aheno.

Propertius:

Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
Injicere, & fracto busta piare cado.

Et rursum *eleg.* I. *lib.* IV.

Ossaque legisti, non illa ætate legenda,
Patris, & in tenues cogeris ipse lares.

Et *lib.* II. *eleg.* XXIV.

Vix venit extremo qui legat ossa die.

Legebantur igitur ossa, aut per propinquos, aut per Pontifices, si inclyti duces, aut principes essent: eaque ossa vino spargebantur & lacte, dum a cineribus separabantur; quod fiebat nono die, ut ex ramentis & minutalibus Festi apparet, hinc Novendiale sacrum, Novendiales feriæ, ut a me alibi. Novendiale sacrum duplex lego in auctoribus, unum cum defunctis parentabant, seque lustrabant, alterum cum prodigium aliquod accedebat, quod Novendiali sacro expiare solebant, de quo sæpe Livius meminit; novem enim dies continuos sacrum faciebant, quod sacrum inducebatur, vel a Pont. Max. vel a Prætore urbano ex Senatus decreto. Nonalia vero sacra, quæ Nonis celebrantur. Vide Gyraldum, & alios. Suetonius in *Aug.* cap. C. *Nonnulli, legenda ossa per Sacerdotes summorum Collegiorum.*

Legebantur igitur per summos Sacerdotes, tanquam res sacræ. Hæc autem ossa lecta, in summa veneratione habita ex Suetonio percipitur, in sequentibus his verbis: *Reliquias legerunt primores equestris ordinis tunicati & discincti, pedibusque nudis, & in Mausoleo posuerunt.* Vide quam religiose hæc lecta, servata, & honorata.

Sed, quod mihi maximam affert admirationem, reperio non nisi interdiu mortuis parentatum, etsi apud inferos & inter umbras versarentur vita functi, sub Ditis & noctis imperio. Seneca id asserit *epist.* CXXII. dicens, *mortuis certe interdiu parentatur.* Interpres Apollonii refert Priscos immolasse Inferis sub occasum solis, Superis vero sub ortum; atque illa ἔντομα dicta, quod, quæ generare non possunt, mortuis ac inferis dicantur: hæc vero ἔνορχα, id est, *non exsecta*, ut quæ generationi apta, quia Inferi mortuis, Superi vitæ parentes esse censerentur.

Cum mentio fieret alicujus vita functi, *Felicem*, aut si plures, *Felices*, precabantur. Horatius *sat.* IX. *lib.* I.

> —— *haud mihi quisquam,*
> *Omnes composui, felices, nunc ego resto.*

Ita Theocritus *Idyll.* II.

> Καί μ᾽ ἁ Θευχαρίλα Θρᾷσσα τροφὸς ἁ μακαρῖτις
> Ἀγχίθυρος ναίοισα κατεύξατο καὶ λιτάνευσε
> Τὰν πομπὰν θάσασθαι.

> *Meque adeo Theucharila Thressa nutrix, felicis memoriæ*
> *Hic in propinquo habitans oravit & obsecravit*
> *Ut pompam spectarem.*

Et Lucianus, *finitos quiescere felicis* (id est, mortui) *Genios*.

Pausanias in *Corinthiacis* Sicyoniorum morem cadavera condendi pergratum mihi obtulit, his verbis: *Corpus terra contegunt, deinde lapidea basi extructa columnas exigunt, quibus fastigia, vel, ut Græci vocant, aquilas imponunt, eadem prope facie, qua sunt templorum columnæ; inscribunt vero sepulchris plane nihil; sed ejus, quem extulerunt, nomen appellantes, patris mentione prætermissa, illum valere jubent.* Columnas statutas super sepulchra alibi a me dictum, & morem deductum ex eodem Pausania & Plutarcho. In columnis crimina olim scripta si gravia & in omnium perniciem, scelestorumque nomina magna cum infamia, colligo id ex Demosthene *Philippica* III. vid. Novarruvias *Schediasm.* lib. VIII. cap. XII.

Mos etiam fuit mortalium, ut sibi & suis funebres vestes pararent. Homerus *Odyss.* III. ore Penelopes ad Procos: *Sustinete heroes meas nuptias, donec linteum perfecero Laerti Heroi pollinctum.* Et *Iliad.* XXII. *Sed tibi vestimenta in ædibus jacent facta manibus mulierum.* Virgilius *Æn.* IX.

> *Heu terra ignota canibus data præda Latinis,*
> *Alitibusque jaces, nec te tua funera mater*
> *Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,*
> *Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque*
> *Urgebam, & tela curas solabar aniles.*

In quibus verbis varii ritus apparent & quam esset abominandum, insepultum jacere, prædam ferarum; qui omnes optime a Kirchmanno in suo libro *de Funeribus* recensentur, quem nec dum potui manibus oculisve libare.

Ignosce, lector, si aliena compilare videor. Præter mentem & consilium id accidit. Si ille mihi præ manibus, fortean consilium mutarem, ita de reliquis.

In luctu more prisco, lictores, fasces, milites, scuta, & arma invertunt. *Lugendi modum* (ex Plutarchi *Numa Pompilio*) *pro ætatibus, temporibusque Numa statuit. Puerum non lugeri trimo minorem, neque etiam natu grandiorem plures mensium, quam vixisset, annos, ad decem usque, & prolixiore fletu ætatem lugere nullam. Sed longissimum luctus tempus esse mensium decem, quamdiu & mortuorum uxores viduitatem servant. Quæ vero intra id temporis nupserit, vaccam prægnantem ex Numæ legibus immolat.* Item vestes morte puniendis mutare solemne fuit & est, præsertim si insignes aliqua dignitate fuissent. Meminit hujus moris D. Chrysostomus *Hom.* VI. Novar. *Schediasm.* lib. I. cap. XVIII.

Ritus varios funebres mihi subtexere hic liceat ex *Attici Bellariis* Pontani, & aliis. Militum defunctorum nominibus Θ præfigebant, quod in sepulchis & monumentis etiam videmus. Imperatores morituri anulum dabant successori, ut fecit Tiberio Augustus, & anuli traditione Antiqui hæredem & successorem designabant ex Valerio Max. *lib.* VIII. *Barulus Spintheri decedens suos anulos perinde atque unico hæredi tradidit*, & aliis. Solebant etiam morientibus detrahi, ex Plinio *lib.* XXXIII. *cap.* I. Unde refert Spartianus anuli lapsum spontaneum de digito Hadriani inter signa mortis fuisse. Imperatores vero in funeribus virorum illustrium, ad laudationem tantum, quæ fiebat in foro; nec interesse officio cum efferrentur e Rostris ad bustum extra urbem, nisi raro admodum, docet Suetonius in *Tiberio* capit. XXXII. Laudationes eorum, qui militiæ aut alibi se fortiter gessissent, quæ fiebant apud Imperatorem, obibant Præfecti huic muneri destinati, dicti ἐπὶ τῶν ἀναμνήσεων, quod munus postea abrogatum sub malis Imperat. Incumbebat primitus tota hæc res Comiti thesaurorum, sive largitionum, Memoriali nunc dicto, ut colligitur ex Agathia *libro* IV. Cadaver, si vegetum & coloratum esset, ipsum in thoro sive lecto ostendebatur; sin autem id nullum, ut in peregre functis, aut diu functis, aut non esset præsto cadaver, cerea effigies ejus loco ostensa, ex Lipsio *ad Annal. Taciti* III. Qui funus prosequebantur, cereos manibus gestabant, candelas, funalia, faces, Lipsius *excursu ad* III. *Annal.* Item colligit ex Tacito de cineribus Germanici, alibi licet terrarum mortui, & usto jam cadavere, nihilominus rogos accensos, quasi verum ibi funus & cadaver esset. Vegetius *lib.* XI. *cap.* XX. tradit, ad decem saccos, in quibus donativi dimidia pars apud signa deponebatur, additum fuisse saccum undecimum, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, sepulturæ scilicet causa, ut si quis ex contubernalibus defecisset, de illo undecimo sacco ad sepulturam ipsius promeretur expensa. Demum non solum mortui, dum efferrentur, pulcherrimis vestibus erant ornati, ex Luciano, sed etiam quibus moriendum erat, sic apud Plutarchum Philoctetes, & apud Laertium in *Socrate*, die, quo cicutam bibiturus erat, Apol-

lodorus pallium ei pretiosum obtulit, ut in eo moreretur. Casaubonus in *Notis ad Laertium.* Mulieribus, quæ peperissent, vestis honor in funere concedebatur, qui aliis sterilibus non concedebatur, earumque cadavera tegebantur, ut e lib. II. Cic. *de Legibus* constat, & Propertio *eleg.* XII.

Et tamen emerui generosos vestis honores.

Tanti fœcundæ æstimatæ.

CAP. V.

Nullæ inferiæ puerorum. In eorumdem funere candelæ usurpatæ. Subgrundiaria sepulcra quæ? Funeris etymon. Injectio glebæ quorum sepultura? Mortuis justa quibus modis facta? Pulveris injectio sepulturæ modus, ut & lapidatio. Collaticia sepultura quæ? Sepulti olim ubi erant mortui. Sepulcrorum jus. Vota in sepultos mala. Sepulcra amicorum purgata, inimicorum vero saxis cæsa. Abitio *pro morte.* *Infaustum dictum*, mortuus est. Postliminio reversus *qui ritus? Mortuis quid precabantur Antiqui?*

NObilitatis puerilis insignia passim recensentur prætexta, & bulla aurea, de qua sic Plinius *lib.* XXXII. *cap.* I. *Sed a Prisco Tarquinio omnium primo filium, cum in prætextæ annis occidisset hostem, bulla aurea donatum constat: unde mos bullæ duravit, ut eorum, qui equo meruissent, filii insigne id haberent, cæteri lorum.* Sed præter bullæ insignia, inaures reperio fuisse nobilitatis stemma in Apulejo *de dogmate Platonis* his verbis: *Auri tantum, quantum puer nobilitatis insigne in auricula gestavit, quas inaures Fabricam Deam, una cum fibulis, & aliis muliebris cultus, factitasse, apud eundem legimus.*

At viri pipulo differebantur, & convitiis affecti exsibilabantur, aures perforatas habentes. Plautus *Pœn.* Act. V. Sc. II.

Incedunt cum anulatis auribus.

Hoc est, perforatis cum anulis. Extat jocus Ciceronis in Afrum: *Aurem perforatam habet.* Inaures Isidorus putat ab aurium foraminibus ita nuncupatas, ex quibus pretiosi lapilli dependebant. Tertullianus lib. *de habitu muliebri: Graciles*, ait, *aurium cutes Kalendarium expendunt.* Plinius *libro* IX. *capit.* XXXV. de elenchis loquens ait: *Hos digitis suspendere, & binos, ac ternos auribus fœminarum gloria.* Apud Græcos puellæ utraque aure inaures gestabant, pueri dextra tantum, Isidorus lib. XIX. *Orig.* cap. XXXI. Mulierum inaures longæ fere erant. Ælianus *de Varia Historia* lib. I. cap. XVIII. *Ἐκ δὲ τῶν ὤτων αὐταῖς (γυναιξὶ) ἐνώτια μακρὰ ἀπεκρέμαντο. Mulieres*, ait, *ex auribus longas inaures dependentes habebant.* Novarruvias *Sched.* lib. IX. cap. I. Patrimonia singulis auribus dependere mulierum & virorum clamat Seneca lib. VII. *de Benef.* cap. IX.

Discrimen igitur habitum in ornandis pueris viventibus; discrimen etiam in functis vita suprema persolvendo; horum enim acerbam & immaturam mortem aliter flebant, atque virorum; viri enim elati ad funus facibus, funalibus ad rogumque portati; at pueri sepulti candelis & facibus permistis præ-

A lucentibus. Seneca id apertissime docet, *de Brevitate vitæ*, cap. ultimo: *At mehercule istorum funera tanquam minimum vixerint, ad faces & cereos ducenda sunt.* Idem *de Tranquillitate* cap. XI. *Immaturas exequias fax cereusque præcessit.* Et *epist.* CXXII. *Isti vero mihi defunctorum loco sunt. Quantulum enim a funere absunt, & quidem acerbo, qui ad faces & cereos vivunt.* Persius,

—— Terra clauditur infans,

B Plinius ait clare & aperte, *Hominem priusquam edito dente non cremari.*

Ad hunc morem alludit Seneca Trag. in *Hercule furente*, ubi dicitur de infantibus post mortem:

His datum solis minus ut timerent,
Igne prælato relevare noctem.

Quod vero iis nullas facerent inferias, aut parentarent, Plutarchus in *Consolatione ad uxorem* asserit his verbis sub finem: *Τοῖς δὲ πατρίοις καὶ παλαιοῖ ἔθεσι καὶ νόμοις ἐμφαίνεται μᾶλλον ἡ* C *περὶ τούτων ἀλήθεια· τοῖς γὰρ αὐτῶν νηπίοις ἀποθανοῦσιν, οὔτε χοὰς ἐπιφέρουσιν, οὔτ᾽ ἄλλα δρῶσι περὶ αὐτὰ οἷα εἰκὸς ὑπὲρ θανόντων ποιεῖν τοὺς ἄλλους. Sed in acceptis a majoribus per manus moribus atque legibus magis elucet, quid in his rebus sit verum; suis enim infantibus mortuis, neque inferias libant, neque aliud quidquam faciunt eorum, quæ fieri mortuis apud alios solent.*

An vero illis busta, seu tumuli extructi? neque igni neque tumulo illi pares. Subgrundiaria Antiqui dicebant sepulcra infantium, ut habet Antiquarius Gulielmi, qui nondum quadraginta dies implerant, quæ nec jam D busta dici poterant, cum ossa, quæ comburerentur, non haberent; nec tumulus, cum tanta cadaveris magnitudo non erat, ut locus tumesceret; Rutilius Geminus *Astyanacte*, *Melius subgrundiarium quæreres, quam sepulcrum.*

Faces in funeribus etiam virorum adhibitas Tacitus II. *Annal.* innuit, loquens de funere Germanici, unde quidam malunt funus dictum a funalibus, quibus in sepeliendo utebantur. Et quia ævo prisco noctu elata cadavera, ideo usus facium & funalium irrepsit & permansit, etiam cum interdiu efferebantur, & ad nostrum usque perdurat. Demum pue- E ri ad tibiam solam efferebantur, ut & egeni viri: divites ad tibiam & tubam simul, de quo alibi.

Ad aliud sepulturæ genus virorum, præter usitatum, gradum facio a puerorum funere. Præter morem enim consuetum justa faciendi & parentandi, alium reperio notatum a Festo, præcidanea porca, quæ immolabatur ab eo, qui mortuo justa non fecisset, id est, glebam non injecisset. Injectio glebæ genus erat sepulturæ omnium infimum, usurpabaturque, cum quis in cadaver insepultum inciderat, nam insepultum relinquere nefas F habitum, quod porca expiandum esset, id est, piacularibus sacris solvendum. Petrus Faber notat ex Festo, omnis hostia, quæ vel frugum causa, vel mortui, cui justa quis non fecisset, immolabatur, porca dicebatur præcidanea. Marius Victorius vocat præcidariam, quæ differt a præsentanea, hæc enim præsentæ mortuo, quem condituri sunt, immolabatur. Horatius *Carm.* ode XXVIII. *lib.* I.

—— licebit
Injecto ter pulvere curras.
Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere, &c.
Teque piacula nulla resolvent, &c.

Eadem erat Græcis pulveris injiciendi religio, ut colligitur ex Sophocle. Sic Palinurus Æneæ apud Virgilium:

—— aut tu mihi terram
Injice.

Quæ omnia quasi in unum fascem colligo, & I. hunc ritum a Græcis credo usque fluxisse: ad hæc tamen necessarium, ut vel a properante esset peragendus, &, si omitteretur, piaculum esset. Demum ter repetendam pulveris injectionem, nec glebam, sed pulverem fuisse; nam glebæ injectio aliud sepulturæ genus a pulveris injectione; illa enim conjuncta cum crematione cadaveris; hæc simplex sepultura. Cicero II. *de Legibus* subscribit: *Priusquam in os injecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis: injecta gleba tumulus, & humatum est, & gleba vocatur.* Præter terram solutam injectam, etiam Lapidatio erat sepultura proprie (ut me alibi indicatum) malorum poetarum, & scelestorum: id colligitur ex Dionysio *lib.* III. loquente de Horatia insepulta, terra deinde & lapidibus congestis humata. Collaticia sepultura erat honesta, ut pulveris injectio, cujus meminit Quintilianus *Declam.* VI.

Commune sepulcrum erat miseræ plebi, ut habet Horatius *sat.* VIII. *lib.* I. ad differentiam nobilium, quorum familia habebat propria in agris propriis; unde Troja dicta a Catullo commune sepulcrum Europæ & Asiæ. Extra Exquilias, ut dictum, hoc sepulcrum commune apud Romanos Puticulæ dicti, seu Puticuli, quod monumentum inscriptum hoc pacto, H. M. H. N. S. id est, *hoc monumentum hæredes non sequantur*, ut erant illa nobilium hæredibus destinata, & cum nomine: hæc vero sine nomine, ut quæ capitum ingloriorum. Ovidius *Metamorph.* XII.

—— tumulo quoque nomen habenti
Inferias dederat.

Mortuos ibi sepultos, ubi erant mortui, lego in Probo de Pausania: *Cujus mortui corpus cum eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quo hi, qui ad supplicium dati essent, displicuit pluribus, & procul ab eo loco infoderunt, in quo erat mortuus. Inde posterius Dei Delphici responso erutus, atque in eo loco sepultus, ubi vitam finierat.* Hoc idem firmant historiæ Miseni & Palinuri apud Virg. Suetonius in *Galba*: *Senatus, ut primum licitum fuit, statuam ei decreverat rostratæ columnæ superstantem in parte fori, qua trucidatus est.* F Mos etiam vetus, quo cavebatur, ut nemo sepulturam haberet in eo loco, quem alius sepulcro prius occupasset. Virgilius in VI. *Æneidos* de Deiphobo:

Nomen & arma locum servant.

Idem in VII.

Et nunc servat honos sedem tuus.

A Veteres optabant caprificos sepulchris eorum, quos oderant. Propertius *elegia* V. *lib.* IV.

Urgeat hunc supra vis, caprifice, tua.

Sed etiam tumulis eorum, quos habebant charos, sentes & dumos excidere, expurgareque solebant. Idem Propert. *eleg.* VII. *lib.* IV.

Pelle ederam tumulo.

B Cædere & saxis busta eorum solebant, qui invisi fuerant. Propertius *eleg.* V. *lib.* IV.

Sacris hoc bustum cædito saxis.

Eodem Maronis illud pertinet:

Monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus.

Turnebus *lib.* XXII. *cap.* VI.

Subnecto filum huic velo satis bonum ex Jani Gulielmi antiquario, asserentis, *abitionem*, C pro morte Antiquis usurpatam, testibus Plutarcho in *Cicerone*, ac Tertulliano *de Test. Animæ*: nam si quis de aliquo pridem mortuo, tanquam de vivo requireret, ne cogerentur δυσφημεῖν, solebant dicere, *Abiit jam, & reverti debet.* Nec unquam monumentum, *obiit*, aut, *mortuus est*, aut, *fuit*: *Vixit*, *Abiit*, inscriptum invenitur, quod & patet ex formula evocante ad funus populum, *L. Titius vixit, L. Titio exequias ire quoi commodum est, tempus est, ollus jam ecfertur.*

Postliminio receptus, id est, qui extra Provinciæ terminos captus ad propria revertitur, D aut, cui absenti justa facta erant, si rediret insperatus, postliminio reversus dicebatur: cui apud Athenienses ædes prius ingredi interdicebatur, quam per sinum laxæ stolæ a muliere demissus denuo nasci videretur, ideoque eum ὑστερόποτμον vocarunt. Romani limen insistere nolebant, (in limine enim mortui collocabantur) funestari ab eo tum superum, tum inferum limen credentes, idcirco tecto perforato in ædes admittebant, ne ominosum esset, per januam ingredi, per quam tanquam mortuus elatus fuerat. Vide Lex. Philol. Justin. & Jurisconsultos. Mortuis nos solemus precari *Requiem*: E Antiqui, *Terram levem*, hac formula utentes, *κούφη γῆ τοῦτον καλύπτει*, *levis terra hunc cooperiat.* Suidas, Μακαρίτης, & Μακαρῖτις, *beatus*, *beata*, dici solebat, cum nominabant vita defunctos, ut nunc dicimus, *Felicis memoriæ*, *Felix*, *& beatus sit*, & hujusmodi; ex Luciano *de Luctu*, hysteropothmus dictus ille, cui etiamnum vivo, vita tamen ex hominum opinione functo, rogus fuit extructus.

CAP. VI.

Sacerdotum vestis in sacris mortuorum quæ? Lavandi cadavera ritus. Libamina qui peracta? Urnæ mortuorum tæniis ornatæ. Sanguinis fundendi in parentalibus origo. Expiationes variæ. Cadaverum custodia quæ? De ea præconis vox. Pretium custodientis; pœna non bene custodientis. Agnoscendi cadaver mos. Licitantium formula. Lugentium vestes variæ. Eædem quando scissæ? Latrones cruci

A *affixi custoditi ne sepulturæ traderentur. Puticuli sepultura damnatorum. Lugere scelestos interdictum. Vacca prægnans immolata a nubente tempore luctus. Virgines strangulandæ prius vitiatæ a carnifice, & cur? Easdem in carcere necare nefas apud Priscos. Noxii ad supplicium quomodo olim ducti?*

QUemadmodum Sacerdotes Populi Romani Diis superis sacrificantes, puram vestem habebant, ita dum subterraneis Diis sacra mortuorum celebrabant, Sacerdotum vestis erat distincta litteris Θ. K. hoc est, Θεὺς Καταχθονίυς, *Deos Inferos* designantibus: unde B in sepulchralibus inscriptionibus Θ. *L. Cornelius*, nihil aliud significabat, quam vixit, obiit L. Cornelius. Servius *ad* XII. *Æneid.* ait: *Impolluta vestis, & pura dicitur, quæ neque funesta sit, neque fulgurita, neque maculam habeat,* Θ. K. *homine mortuo*. Quare in militibus recensendis, si qui forte obierant, vel perierant, expungebantur ex albo, hac nota Θ. nomini præfixa, ex Rufino *in Hieronymum*. Judices etiam literam Θ. nominibus eorum apponunt, quos supplicio afficiunt, dicta enim θῆτα ἀπὸ τῦ θανάτυ, C eo quod habeat telum suum, unde mortis est signum. Persius:

Et potis est nigrum vitiis præfigere theta.

Damnatis imagines statim ademptæ, & in carcere collocatæ, ut potest intelligi e peroratione orationis *pro Sulla*. Dio quoque Vitellii statuas in carcerem tractas fuisse narrat in *Historiis*. Litera absolutionis erat *Tau* apud Græcos, fortasse id mysticum; salutarem enim Crucem significat. D Apud Latinos vero salutaris litera erat A, id est, absolutionis, mortifera C, condemnationis, ideo hæc a Cicerone *tristis* dicta, illa *salutaris*, Mendozæ *Viridarium*.

In Catastrophe X. *lib.* Athenæi reperio modum abluendi expiandique cadavera, quæ dicebatur parentatio, seu lustratio, adhibita in honorem defunctorum, aut ad expianda scelera hominum piaculo obstrictorum, de quo Cleodemus hæc scribit:

E *Sub vesperam sepulchri fossam excava.*
Deinde conversis in eam fossam oculis, super vesperam
Aquam infunde, ac post eloquere,
Vobis lustrationem hanc offero, quibus oportet, & quibus fas est.
Unguento dehinc fossam asperge.

Ex quo colligo, expiationem quæ justa, seu parentalia dicebantur, aqua, unguentis, & precibus constitisse super fossam sepulti. F

Fabæ deinde usurpatæ in parentalibus, sicut in Pervigiliis, in Lumeralibus enim fabam noctu jactabant, Lemures ex domo eiicere clamantes, quam nigram esse oportuit, ipsamque lotis manibus, & pede nudo per ora versare, & post terga rejicere, ærisque tinnitum facere, utque Lemures fabis redempti domo abirent, novies orare, idque Majo mense tribus noctibus, donec solutis religione animis manes expletos dicerent. Ovidius.

Cumque manus pure fontana perluit unda,
Vertitur & nigras accipit ore fabas.
Aversusque jacit, sed dum jacit, hæc ego mitto,
His, inquit, redimo meque, meosque fabis.
Hæc novies dicit, nec respicit, umbra putatur.
Colligere, & nullo terga vidente sequi.

Cicer, lentes, & offæ ad sepulcra illatæ, quæ super nudam silicem appositæ. Libamina in tumulum ad Orientem aut Occidentem versi, fundebant Veteres; erant autem, ut vult Lucianus, vinum & mulsum; ut Æschines in *Persis*, mel, lac, vinum, oleum, aqua, farina. Ægyptii parentantes, post preces, oppleti lacrymis, tumulum amplexantur, & coronant, Alex. *lib.* V. *cap.* XXVI.

Sepulcra mortuorum vittis ornata legimus in Cæcilio Comico his verbis, *sepulcrum plenum tæniarum est, ita ut assolet*. Has tænias Scaliger in Festo explicat, de fasciis, quibus involvebantur mortui. Plutarchus in *Philopœmene* docet defunctorum urnas tæniis cingi & redimiri. Varro lib. VI. *Ling. Lat. Itaque nunc cum ad sepulcrum frondes & flores ferunt, lanas addunt*. Non solum sepulcra, sed & templa, & Deorum simulacra tæniis ornata laneis. Ita Virgilius *Æneid.* IV.

Velleribus niveis, & festa fronde revinctum.

Ovidius:

Est mihi marmorea sacratus in æde Sichæus,
Oppositæ frondes, velleraque alta tegunt.

Origo hujus, ex doctissimo Cerda, ab ea consuetudine, qua Veteres illigabant vinculis Deorum simulacra, ne hostili carmine avocarentur. Livius *lib.* XXXIX. *Lana cum integumentis, quæ Jovi apposita fuit, decidit*. Et non solum Dii lana vincti, sed ferro, & plumbo. Sed hæc non ad rem, an ad fovenda Deorum, & mortuorum cadavera contra frigus? Ridiculum. At mater Pessinuntia contexuit velleribus pinum illam, sub qua Atys se exvirificavit. Lege Arnobium, *lib.* V. Fortasse hæc vellera erant, quæ dicebantur stemmata, quibus Dii coli solebant. Tu hujus arbiter æquus, cense. De stemmate, de parentalibus a me etiam alibi.

Auctarium addo, humanum sanguinem ad sepulchra mortuorum fusum, placandis illorum manibus. Tertullianus: *Olim quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari traditum erat, captivos, vel malo ingenio servos mercati, in exequiis immolabant*. De Gallis Diodorus *lib.* V. *Utuntur captivis tanquam hostiis ad Deorum victimas*. Suetonius in *Augusto* cap. XV. Valerius Max. Seneca in *Troade*.

Origo ludi gladiatorii, unde gladiatores ipsi bustuarii dicti, (de quibus alibi) ab hoc ritu orta: qui a Græcis emanavit ex Euripide in *Troadibus*, Act. II. ubi Hecuba ita loquitur:

Οἴμοι ἐγὼ, τάφῳ πρόσπολον ἐτεκόμαν;
Ἀτὰρ τίς ὅδ᾽ ἦν νόμος, ἢ
Τί θέσμιον, ὦ φίλες, Ἑλλάνων;

Hei mihi! ſepulcro miniſtram peperi?
Sed quænam hæc eſt lex,
Aut quis ritus, o amice, Græcorum?

Inde Græcis parentationes dictæ *αἱμακουρίαι*, a ſanguine puerorum, quo ab illis fortaſſe parentatum.

De ſupplicum vero expiatione hæc refert Cleodemus ex Athenæo: *Cum laveris manus,* B *qui viſcerationis participes ſunt, & ejus, qui expiatur, ſanguinem (e venis, aut aliqua alia corporis parte eductum) aqua ſumpta purifica & ablue, ac poſt eam ablutionem agitatum, & in unum coactum effunde.* Unde vides expiationem factam ſanguine, & ablutione ſanguine miſta. Expiandæ cædis gratia Veterum hunc morem refert Rhodiginus *lib.* III. *cap.* XXIII. uti ad cæſi caput enſem abſtergerent, veluti ſic ſceleris averruncarent labem, vel corporis totius extrema præciderent; præſertim civili cæde perpetrata, eaque connexa ſibi ad alas applicarent, eo modo nocumenti vim auferre ſe arbitrati, quod ab eis *μασχαλίσματα* dicebantur. C

Primitiæ & decimæ aliquando pro mortuis oblatæ, ut habet Dionyſius *lib.* VIII. his verbis: *Quum eum detuliſſent ad ſuburbium, quod maxime erat inſigne, rogo jam extructo impoſuerunt, toto populo cum gemitu & lacrymis proſequente: deinde mactatis ei victimis oblatiſque omnium aliarum rerum principiis, quas homines in Regum vel Imperatorum exequiis ſupra rogum offerre ſolent ii, quibus erat cariſſimus, ibi remanſerunt, donec flamma langueſcens ſubſideret: deinde collectis reliquis in eodem loco humarunt,* &c. Deinde *lib.* XI. *Sic. eum ſepulturæ mandarunt elatum magnificentiſſimo fuere, eique maximam pyram extruxere, & pro viribus dederunt decimas aliarum, quæ viris fortibus in ſupremo honore ſolent,* &c. Idem in Gracchis: *Loca, in quibus fuerant interempti, conſecrantes primitias ibi omnium, quæ temporum articuli ferunt, litabant, multi etiam quotidie ibi ſacra faciebant, & adorabant,* &c.

A parentatione ad cadaverum cuſtodiam procedo. Ex Petronii *Satyrico* eruo morem cuſtodiendi cadavera, & deflendi, his verbis: *Hæc ergo cum virum extuliſſet, non contenta vulgari more, funus paſſis proſequi crinibus, aut nudatum pectus in conſpectu frequentiæ plangere, in conditorium etiam proſequuta eſt defunctum, poſitumque in hypogæo, Græco more, corpus cuſtodire ac flere totis noctibus diebuſque cœpit.* Quod factum, ne defuncto cadaveri fieret injuria ab inimico, creditore, ſaga, aut violatore ſepulcri, ſive *τυμβωρύχῳ*, ſpoliatore mortuorum. De eadem cuſtodia cadaverum Apulejus II. *Metamorph.* multa, quæ, quia erudita, ſubtexam tanquam purpuram huic prætextæ: *Conſpicor medio foro procerum quemdam ſenem. Inſiſtebat lapidem, claraque voce prædicabat. Si quis mortuum ſervare vellet, de pretio liceretur.* Et paulo infra: *Et quæ, dic ſodes, cuſtodela iſta feralis? jam primum, reſpondit ille, perpetem noctem eximie vigilandum, exertis & inconnivis oculis ſemper in cadaver intentis, nec acies uſquam devertenda, imo ne obliquanda quidem, quippe cum deterrimæ verſipelles in quodvis animal ore converſo, latenter obrepant, ut ipſos etiam oculos ſolis & juſtitiæ fruſtrentur. Nam & aves, & urſum, canes, & mures, imo vero etiam muſcas* A *induunt. Tunc diris cantaminibus ſomno cuſtodes obruunt: nec quiſquam definire poterit, quantas latebras nequiſſimæ mulieres pro libidine ſua comminiſcuntur. Nec tamen hujus tam exitialis operæ merces amplior, quam quaterni, vel ſeni ferme offeruntur aurei: ehem, & quod pene prætereram, ſi qui non integrum corpus mane reſtitueret, quidquid decerptum diminutumque fuerit, id omne de facie ſua deſectum ſarcire compellitur. His cognitis animum meum commaſculo; & illico audiens præconem, clamare, inquam, jam deſine, adeſt cuſtos paratus, cedo præmium. Mille, inquit, nummi deponentur tibi.* Subdit B poſtea: *Vix finieram, & illico me produxit ad domum quampiam, cujus ipſis foribus obſeptis, per quandam brevem poſticulam intro vocat me, & conclave quoddam obſeratis liminibus, umbroſum demonſtrat cubiculum, & matronam flebilem, fuſca veſte contectam, quam propter aſſiſtens, Hic, inquit, auctoratus ad cuſtodiam mariti tui fidenter acceſſit. At illa crinibus antependulis hinc inde dimotis.* Paulo poſt: *Quo placito ocyus ſurrexit, & ad aliud me cubiculum inducit: ibi corpus ſplendentibus linteis coopertum, introductis quibuſdam ſeptem teſtibus, manu revelat: & diutine viſu præfleto, obteſtata fidem* C *præſentium, ſingula demonſtrat, anxie, membra contecta de induſtria quodam tabulis prænotante. Ecce, inquit, naſus integer, incolumes oculi, ſalvæ aures, illibata labia, mentum ſolidum; Vos in hanc rem, boni Quirites, teſtimonium perhibetote, & cum dicto conſignatis tabulis illis, faceſſit. At ego, jube, inquam, domina, cuncta, quæ ſunt uſui neceſſaria, nobis exhiberi. At quæ, inquit, iſta ſunt? lucerna, ajo, prægrandis, ut oleum ad lucem, luci ſufficiens, & calida, œnophoris, & calice, cœnarumque reliquiis diſcus ornatus. Tunc illa, capite quaſ-* D *ſanti, abi, inquit, fatue, qui in domo funeſta cœnas, ut partes requiris; in qua tot jugis jam diebus, ne fumus quidem viſus eſt ullus; an iſtic comeſſatum te veniſſe credis? quin ſumis potius loco congruentes luctus & lacrymas? Hæc ſimul dicens reſpexit ancillam, &, Mirrhine, inquit, lucernam & oleum trade confeſtim, & incluſo cuſtode, cubiculo protinus faceſſit.* Et quæ ſequuntur legantur, ritum hunc funebrem proſequentia.

Ex quibus ſuccum exprimo, amariuſculum licet, quia feralem; ſaluberrimum, quia eruditum. Et primo de præcone in lapide inſiſten- E te, (de quo a me alias) & de formula, qua utebantur in licitando, videlicet, *Si quis mortuum ſervare vellet, de pretio liceretur.* Deinde de pretio cuſtodis mille nummorum. Tertio de cuſtodia, quam perdius, pernox tenebatur habere, qui fuerat licitatus. Quarto de conditionibus & pactis, quibus cadaver cuſtodiebant, cuſtoditumque reſtituebant: pœnaque talionis, ſi vigilia fruſtrata, cadaver mutilaretur. Quinto de numero teſtium ſeptenario. Sexto de reliquiis cœnæ, quibus mortuis parentatum, de quibus a me alibi. Poſtremo de lucernarum F oleo; de calida cum œnophoris, & calice: de ſagis morſicantibus cadavera ad veneficia conficienda, earumque pretio viliſſimo, quatuor, aut ſex aureorum, & de veſte fuſca, nigra enim veſtis lugentibus accommodata; quæ a Varrone dicta amiculum nigellum, a Græcis *ἀνθράκινα*. Plutarchus tamen in *Problem.* tradit mulieres in luctu albis veſtibus indui ſolitas, ut quemadmodum mortui corpus albis veſtibus velabatur, idem & propinquos factitare voluerunt. Ideo ſubdit Apulejus, *corpus ſplendentibus linteis.*

Nam alba veste cadaver exornabant; quia solus ille color syncerus & purus, minimeque inquinatus, & ob id mortuis aptissimus.

Vestes scissæ non tantum in publico luctu, sed etiam in seditione populi, & dolore privato, quia cor suum lacerari testificabantur, ut constat ex Homero, Virgilio & Herodoto: sic in classis incendio. Virgil. lib. v. *Æneidos*:

Tum pius Æneas humeris abscindere vestem,
Auxilioque orare Deos, & tendere palmas.

Rumpebatur autem vestis exterior deorsum versus, ita ut pars illa rupta ad aliquot dies pendula relinqueretur. Alii inferius in loco, ubi non multum noceret, ad manus latitudinem, idque ad dies septem. Augustus, ut refert Suetonius *lib.* II. *cap.* LIII. etiam dejecit vestem, & nudavit pectus, ut significaret, malle se occidi, quam eum titulum recipere, Lex. Phil. Consuevisse Judæos blasphemiam audientes in ejus detestationem vestes scindere non est dubium ex sacra Historia & Euangelio, & a collo usque ad pectus, ubi est cor, & doloris sensus, ad intimum cordis dolorem testandum, blasphemiæque judices erectos stetisse testatur Novar. *lib.* IX. *cap.* XXVI.

Cum Lipsio crediderim in *excursu ad Tacitum*, Dum Resp. vixit, & libertas, nigræ vestes in luctu: sub Imperatoribus, Republ. exstincta, in usum venere lugubrium albæ. Causa hujus mutationis divitiæ & luxus. Matronis antiquis color albus & niger cogniti & usurpati. At post repertos tot colores, rarus dignioribus fœminis albus, qui relictus tantum in signum luctus. Apud Græcos autem color niger fœminis in luctu usurpatus, ut habet Apulejus: *Matronam flebilem fusca veste contectam*. Veteres veste unica, (ut notat Turnebus) corpus induebant, altera, qua amiciebantur etiam interdum, involvebant caput, quo factum est, ut duas vestes mortuo Pallanti injiciat Æneas, ut una corpus, altera caput tegantur, lib. XI. *Æneid.*

Tum geminas vestes ostroque auroque rigentes
Extulit Æneas, &c.
Harum unam juveni supremum mœstus honorem
Induit, arsurasque comas obnubit amictu.

Custodiebantur etiam Latrones cruci affixi, ne sepulturæ traderentur, ignominiæ causa, ut Petronius in *Satyr.* innuit, cum ait: *Proxima nocte cum miles, qui cruces servabat, ne quis ad sepulturam detraheret*. Deinde: *Itaque cruciarii unius parentes, ut viderunt laxam custodiam detraxere nocte pendentem, supremoque mandaverunt officio*. Custodia igitur adhibita donec putrefacta corpora. Videndus Petrus Faber, Lipsius, & alii, cur insepulti relinquerentur, cum sepulturæ jus semper religiosissime servatum.

Illi igitur sepulturæ honore carebant, qui vel rei majestatis, & patriæ proditores; vel qui in suos atroci sæviissent crudelitate; vel qui sibi violentas intulissent manus; vel qui atrocia perpetrassent facinora; quorum cadavera ignominiæ causa insepulta jacebant. Ita apud Sophoclem in *Antigone*, Creon edicit, ne quis Polynicis cadaveri justa persolvat: Latine dicam:

Huic itaque publice universæ Urbi veto,
Ne quis parentet, lugeatque funera,
Sed insepultum avibus dapes gratas sinat,
Atque canibus laniari, & affici a feris
Hac contumelia; hæc mea est sententia.

Horatius *Epod.* ode v.

Vos turba vicatim, hinc & hinc saxis petens
Contundet obscœnas anus.
Post insepulta membra different lupi,
Et Exquilinæ alites.

Extra Exquilinam portam puticuli erant, in quos damnatorum corpora projecta, quod erat privari justa sepultura, quæ erat pœna scelestorum. Præterea nefas pro illis lugere. Suetonius in *Tiberio* cap. LXI. *Interdictum, ne capite damnato lugerent propinqui*. Pro latronibus quidem damnatis luctum prohibitum fuisse ostendimus; sed etiam pro aliis statutum lugendi modum reperio a Numa in Plutarcho, his verbis: *Numa quoque & lugendi modum pro ætatibus, temporibusque statuit; puerum non lugeri trimo minorem, neque etiam natu grandiorem plures mensium, quam vixisset, annos, ad decem usque. Et prolixiore fletu ætatem nullam lugere: sed longissimum luctus tempus esse mensium decem, quandiu & mortuorum uxores viduitatem servant. Quæ vero intra id temporis nupserit, vaccam prægnantem ex Numæ legibus immolat*.

Luctus publicus & privatus diversus. Nam luctus publicus finiebatur in dedicatione ædis, in condendo lustro, cum votum publice susceptum solveretur. Privatim complura in unum congruebant: cum videlicet liberi nascerentur: cum novis honoribus familiam honestarent: cum pater, aut filius, aut vir, aut frater ab hoste captus domum rediret: cum puella desponsaretur: cum propiore cognatione aliquis nasceretur, quam ille cujus nomine luctus fuisset. Crinitus videndus, *lib.* XIX. *cap.* XII.

Congerebant mulieres super lectos mortuorum flores, & cara quæque. Dion. *lib.* XI. ait, loquens de morte filiæ Virginii: *Quare exiliebant ex ædibus, & mulieres, & virgines casum illum lugentes, atque aliæ flores & coronas in lectum jaciebant, aliæ fascias, aut zonas, aliæ vittas virginalis comæ, nonnullæ etiam detonsos crinium tortorum cincinnos, & multi viri ex proximis officinis*, &c. Coronatos ad exequias Priscos accurrisse plane innuit Plut. in *Numa* dicens: *Nam tum socii & amici populi publicis simul concursibus & coronis ad inferias convenere.*

Non ab re paucula de virginibus strangulandis admiratus sum, quæ legi in *Tiberio* apud Suetonium cap. LXI. de honore habito virginibus, etsi scelestis, his verbis: *Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset virgines strangulare*, hactenus pium & honestum. *Vitiatæ prius a carnifice, dein strangulatæ*. Hoc impium & nefarium. Tacitus v. *Annal. Tradunt temporis ejus auctores, quia Triumvirali supplicio affici virginem inauditum habebatur, a carnifice laqueum juxta compressam: exin oblisis faucibus, id ætatis corpora in Gemonias abjecta*. Lipsius *ad hunc locum* ait, Triumviros capitales præfuisse carceribus & suppliciis. Cur vero inauditum virginem affici Triumvirali supplicio? id est, laqueo. Id quidem ita acceperim, quasi non impliciter virginem dixerit, sed impubem investemque. Lex enim non tam virginitati ignotum cautumque voluit, quam ætati. Ita nec pueros interfici fas, nisi toga sumpta, & rela-

tos in viros. Hinc apud Dionem ſcriptum, a Triumviris in proſcriptione, juſſum puerum quendam togam virilem ſumere, ut jure ſcilicet poſſet interfici. Dio *lib.* XLVII. *Ea ratione inter multa alia contra legum præſcripta acta, puerum etiam quemdam togam ſumere virilem juſſerunt, ut quaſi vir jam eſſet, interfici ab ipſis poſſet.* Virginem quoque in carcere necari nefas apud Antiquos fuiſſe, Dionis Epitome in *Tiberio* refert, his verbis: *Nam non multo poſt decreto Senatus e ſcalis præcipitatus eſt, plebſque corpus ejus triduo magnis opprobriis affectum, tandem in flumen projecit, & liberi ejus Senatusconſulto ad mortem ducti ſunt, filia Virginia, quæ filio Claudii deſponſata fuerat, prius a plebe interfecta, quod nefas eſſet virginem in carcere necari,* &c.

Ad ſupplicium vero noxii ducebantur, reducta coma a capite. Suetonius in *Vitel.* cap. XVII. *Inter magna rerum verborumque ludibria, tractus eſt per totum viæ ſacræ ſpatium reducta coma a capite, ceu noxii ſolent, atque etiam mento mucrone gladii ſubjecto, ut viſendam præberet faciem,* &c.

F I N I S.



JO. ANDREÆ QUENSTEDII,

WITTENBERGENSIS,

DE

SEPULTURA VETERUM

TRACTATUS:

SIVE

DE ANTIQUIS RITIBUS SEPULCHRALIBUS GRÆCORUM, ROMANORUM, JUDÆORUM ET CHRISTIANORUM.

INDEX CAPITUM.

JO. ANDREÆ QUENSTEDII,

WITTENBERGENSIS,

DE

SEPULTURA VETERUM TRACTATUS

SIVE

DE ANTIQUIS RITIBUS SEPULCHRALIBUS GRÆCORUM, ROMANORUM, JUDÆORUM ET CHRISTIANORUM.

CAP. I.

Sepultura quando cœperit, unde orta, & quis ejus finis.



Efunctorum corpora terræ inferri ac humari, institutum est antiquissimum, usitatum semper in populo DEI, servatum ab Atheniensibus, Græcisque cæteris, & Romanis plane olim, ac in Ecclesia Christiana perpetuo usu receptum. In Sacro-sancta *Vetusti Fœderis historia* memoratur Abraham, fidelis seminis serus pater, sepeliisse Sarah, uxorem suam, in spelunca agri juxta urbem Hebron, ab Hephrone Chetæo empta in sepulchri possessionem, *Gen.* XXIII. 19. (quæ prima emptio est, cujus in Sacro eloquio fit mentio: nam antea permutationes tantum factas legimus) Eo videl. loco, quo post 400. peregrinationis annos, certus erat, semen suum victurum. Ibidem deinceps depositi post fata sunt Abraham, *Gen.* XXV. 9. Isaac, ut ex *Gen.* XXXV. 29. colligi haud obscure potest, Rebecca & Lea, *Gen.* XLIV. 31. ipseque Jacob, *Gen.* L. 13. quemadmodum adhuc vivens procuraverat, *Gen.* XLVII. 30. & XLIX. 29. ibidem & Adamum, principem humani generis conditum esse, asserit Hieronymus. Existimant enim Hebronem per anticipationem ארבע *Arba*, quatuor, seu Civitatem τῶν τεσσάρων dictam esse, *Gen.* XXIII. 2. a quatuor Patriarchis, Adamo, Abrahamo, Isaac & Jacobo ibidem sepultis. Verba ejus in libro *de locis Hebraicis* in *Arbah* hæc sunt: *Corrupte in nostris Codd. Arbah scribitur, cum in Hebræo legatur Arbee, id est, quatuor, eo quod ibi quatuor Patriarchæ, Abraham, Isaac & Jacob sepulti sunt, & Adam magnus, ut in Jesu Libro scriptum est, licet eum quidam conditum in loco Calvariæ suspicentur.* Nicolaus Lyranus eandem fovet sententiam, scil. vocatam esse illam civitatem *Arba*, propter quatuor jam dictos Patriarchas ibi sepultos, cum conjugibus suis, Eva, Sara, Rebecca & Lea. Eadem habet, statuitque Alphonsus Tostatus, Episcop. Abulensis *in cap.* XXIII. *Gen.* Sententiam hanc confirmant ex *Josuæ* XIV. ult. ubi Vulgata habet; *Adam, maximus ibi* (Hebrone, seu in civitate Arba) *inter Enacim situs est*. Unde quæstione X. *ad h. l.* ait Abulensis; *Adam maximus, id est, primus homo, qui est maximus, cum sit pater & origo totius speciei, est situs inter Enacim, id est, sepultus fuit in urbe Hebron, in terra gigantum. Et* A *iste est verior atque communior sensus, quem fero omnes Catholici tenent.*

Alii vero humani generis parentem circa Calvariæ montem, in quo Salus nostra crucem passa est, non sine ingenti mysterio reconditum esse arbitrantur, ut Augustinus *serm.* LXXI. *de Tempore*. Spectant huc etiam verba illius in *quæstion. super Gen. cap.* CLXI. ubi inquit; *Ubi sepelienda erant cadavera Patriarcharum, significantia peccatum, nisi in ea terra, ubi ille postea crucifixus est, cujus sanguine facta est remissio peccatorum.* Cyprianus *serm. de resurrect. Christi*, Athanasius *de Passione Salvatoris*, Ambrosius *lib.* V. *epist.* XIX. Origenes B *tractat.* XXXV. *in Matthæum*, Theophylactus *in Job.* cap. XIX. Chrysostomus *homil.* LXXXIV. *in Johannem*, Epiphanius *hæres.* XLVI. Basilius *in Esaiæ cap.* V. & ipse Hieronymus in *Paulæ ad Marcellam Epist.* qui tamen *in Matth. cap.* XXVII. *Favorabilis*, inquit, *opinio*, (scilic. de Calvaria Adami in Golgotha sepulti) *& mulcens aurem populi, nec tamen vera.* Nonnulli in duobus locis Adamum sepultum esse asserunt, uti in *Chronicis* scribit Honorius Augustodunensis. Et primo quidem Cariath Arbæ, deinde vero in monte Calvariæ. Memoriæ enim prodidit Jacobus Edessenus, C Sancti Ephrem præceptor, (referente Masio, *Com. in ult. Cap. Josuæ*) *Noemum primi Patris ossa religiose in arcam intulisse: & post siccatum ex aquarum eluvione terrarum orbem, cum ipso terrarum orbe ossa quoque illa filiis divisisse, & quem præ cæteris diligebat, Semo Calvariam dedisse, cumque Calvaria, terrarum partem, quam postea Judæam nuncuparunt.* Explicant, & exornant hanc opinionem Delrius in *B. Virginis Panegyrico* VII. & Villalpandus in *Hierosolymæ urbis apparatu* lib. I. cap. IX.

Verum sententia illa, Adamum Cariatharbæ sepultum fuisse, licet propter quorundam Veterum D authoritatem temere rejicienda non sit, ex adducto tamen loco *Josue* probari nullo modo potest. Nam nec in Hebræo, nec in Chaldæo, nec apud LXX. Interpr. verba illa (*ibi situs est*) habentur. Et per Adam non necessario intelligitur hominum primus, sed homo, & quidem ille, de quo sermo fuerat; nempe Arba. Hebraica, verbum verbo si reddas, sic sonant: *Et nomen Chebronis antea fuit Cariath Arbah* (id est, *Civitas Arbæ*) *hic homo magnus in Enacim ipse*, hoc est, erat homo quidam eximius & præcellens inter cæteros gigantes Arbe, a quo nomen accepit civitas. Parentis primi nulla hic fit mentio, nec inter Enacim is fuit, sed ante E ipsos omnes. Nulla præterea idonea ratio fingi potest, cur de Adami sepultura hic agatur, ut recte contra Abulensem disputat Nicol. Serarius, *Com.*

in b. l. Confer in *eundem locum* Estium, Tirinum, itemque Pererium in *Gen. cap.* XXIII. disp. I. num. XXII.

Tripliciter ergo hic peccavit Vulgatus Latinus, judice Sixtino Amama, in *Antibarbaro Biblico* pag. 605. (1) *Addendo vocem* situs est, *cujus revera ne umbella quidem in textu apparet.* (2) *Omittendo demonstrativum* הוא (3) *Nomen appellativum* אדם *convertendo in nomen proprium* τȣ̃ πρωτοπλάςȣ.

Duodecim Patriarcharum, Filiorum Jacob, monumenta *Sichemis* sive *Sichar.* (urbe primaria provinciæ Samariæ, dicta dein *Mabarta* Josepho, *Mabortha* Plinio, & *Flavia Cæsarea* a Flav. Domitiano Cæsare, & postea *Neapolis*) fuisse testatur ante citatus sanctissimus Ecclesiæ Doctor Hieronymus. Dicit enim in *Epitaphio Paulæ*, *Eam e Sichem divertentem vidisse duodecim Patriarcharum sepulcra.* Vide *Actor.* VII. 16. Tradit quidem Josephus, nobilis Judæorum historicus, lib. II. *Antiquit.* cap. IV. Filios Jacob, excepto uno Josepho, sepultos esse Hebrone, *sed dubitandum non est* (verba sunt Caspar. Sanctii Jesuitæ *Com. in Act.* VII. 16.) *nactos fuisse sepulturæ locum in Sichem: tum quia ita plane colligitur ex hac Stephani oratione, tum quia non est verisimile, cum ex Ægypto translata fuerint a Moyse ossa Joseph, Exod.* XIII. *& cum illis aliorum etiam Patriarcharum ossa, ut ex hoc loco liquet, & Josephus conditus sit in Sichem, ut habes Josue cap. ultimo, ossa aliorum Patriarcharum, quæ longa peregrinatione, & quasi funebri pompa simul efferebantur, confecto jam tanti laboris curriculo, loco esse distracta,* &c. Davidis, Regum Vatumque sacrorum maximi, sepulchrum perseveravit non solum ad ætatem Apostoli Petri integrum & incorruptum, *Actor.* II. 29. sed etiam ad tempus Adriani Imperatoris; nam tunc Monumentum Regium magna ex parte corruisse, author est Dion, in *Adriani Vita.*

Porro Athenienses, a quibus plerasque non solum leges, sed etiam ritus & ceremonias acceperunt Romani, jam inde a Cecropis, primi ipsorum regis, tempore corpora defunctorum terra condidisse, autor est Cicero lib. II. *de LL.* ipsumque Cecropem *Athenis in Minervio terræ mandatum*, ex Antiocho refert Arnobius (quem Lipsius *Epist.* Centur. I. epistol. XLII. *post Tertullianum inter sacros Scriptores doctissimum* vocat) lib. VI. *advers. Gentes.* Gentium victorem, Romanum populum *olim ab ortu Urbis defuncta corpora humo condere neque cremare consuevisse, illud argumento esse*, ait Alexander ab Alexandro *Genialium Dierum* lib. III. cap. II. *quod Numæ Pompilii corpus in arca lapidea post multa sæcula a Cneo Terentio in Janiculo inventum vetustissimi autores tradant.* Plinius *lib.* VII. *cap.* LIV. *ipsum cremari*, inquit, *apud Antiquos non fuit veteris instituti, terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere* (nota causam combustionis) *tunc institutum. Et tamen multæ familiæ priscos servavere ritus: sicut in Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus: idque voluisse, veritum talionem eruto C. Marii cadavere.* Sylla, qui mortuorum ossa e sepulchris eruta in fluvium mergi jusserat, moriens se cremari Testamento cavit, ne idem ab hoste ludibrium ejus cadaver pateretur, ex quo apud Romanos inolevit mos cremandi cadavera mortuorum, inquit Camerarius in *Horis Subsec.* p. I. cap. III. Xenophon, Musam quem vocant Atticam, ob sermonis suavitatem, lib. VIII. Παιδείας introducit Cyrum morti vicinum ita ad suos perorantem: *Mei pueri, cum decessero, nolite neque in auro, neque in argento, neque in alio aliquo lapide collocare corpus meum, sed illud terræ reddite quamprimum, quid enim hac re beatius, quam terræ misceri, quæ pulcra omnia bona gignit & nutrit.* In quem locum digitum intendens Romani eloquii princeps Tullius lib. II. *de LL. Ac mihi quidem*, inquit, *antiquissimum sepulturæ genus id fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac situm, quasi operimento matris obducitur. Eodemque ritu in eo sepulchro, non procul a fontis ara regem nostrum Numam conditum esse accepimus: gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus usam.* Sepulcro Cyri, qui a Medis ad Persas Imperium transtulit, hoc inscriptum fuisse ferunt Epitaphium:

Vir quicunque es & undecunque advenis.
(Neque enim te adventurum ignoravi) Ego sum
Cyrus, qui Persis Imperium constitui: pusillum
Hoc terræ, quo meum tegitur corpus, mihi ne invideas.

Christiani ab ipsis usque Ecclesiæ natalibus morem terra humandi cadavera servarunt constantissime, quod cum nemini, qui Ecclesiasticam historiam primoribus tantum labris gustavit, ignotum esse possit, probatione nulla indiget. *Veterem & meliorem consuetudinem humandi frequentamus*, inquit Minutius Felix in *Octavio*, qui Dialogus perperam septem libris Arnobii *contra Gentes* veluti octavus adjungi solebat, monente Bellarmino *de Scriptor. Eccles.* ad an. CCVI. in Minutio Fel.

Tanti autem majores nostri fecere sepulturam, ut ejus causa, sicut ad pauperes alendos, aut ad captivos redimendos vasa Ecclesiæ etiam initiata conflari, aut vendi licite existimaverint, referente S. Ambrosio *de Officiis*, libro II. cap. XXVIII.

Quæ vero occasio & finis moris hujus introducendi fuerit, ut demortuorum corpora humo tegerentur, operæ pretium erit inquirere. Moschion, ut refert Hugo Grotius *de jure Belli ac Pacis* lib. II. cap. XIX. num. 2. existimat occasionem datam ex gigantea feritate mandendi homines, cujus abolitæ signum sepultura. Rectius dicitur, ipsam naturæ humanæ conditionem admonuisse homines, ut corpus exanime terræ, unde ortum traxit, redderent. Et sic sponte solverent debitum, quod alioqui vel ab invitis repetit natura. Ita enim edixerat Deus Adamo *Gen.* III 19. *Terra es, & in terram reverteris.* Ex quo desumptum illud *Eccles.* XII. 9. *Redibit pulvis in terram, quemadmodum fuerat.* Hinc pia Antiquitas, *Terra es, terram geris, terram teris, in terram converteris.* Rabbini hac de re ita pro more loquuntur, ut inquit Besoldus, *Consideratione Politica de vita & morte* lib. III. cap. I. *Corpus linquitur in potestate Dæmonis, de quo dictum est in Scriptura*; Terram comedas omnibus diebus, *& alibi*; Pulvis terræ panis ejus. Jobus, veræ patientiæ vivum exemplar, cap. I. 12. *Nudus egressus sum*, inquit, *ex utero matris meæ*, (*qui* תחתיות ארץ *infimæ partes terræ, ima terræ*, vocatur a Davide *Psalm.* CXXXIX. 15.) *& nudus revertar illuc*, non in uterum maternum, sed in terram, quæ omnium nostrum mater est, *Eccles.* XL. I. Hæc enim sinu suo corpus nostrum excipit, & ossa nostra complexu suo custodit, redditura depositum, quod servandum acceperat, in magno illo Die Domini, & Resurrectionis omnium. Unde Gregorius Nazianzenus, qui post Johannem Evangelistam primus Theologi nomine salutatus est, διςαφέας, *bis sepultos*, homines appellat, quod primum in alvo matris tecti, & quasi

sepulti jaceant, antequam in hanc vitam nascantur: deinde in alvo terræ lateant, donec ad vitam æternam resuscitentur, teste B. Gerhardo, Avunculo meo desideratissimo, *Loc. Theol.* VIII. *de Morte*, num. 80. *Terram optimum habemus operimentum*, inquit Chrisostomus *homil.* LXXXIV. *in Johann. & ipsi corporum naturæ decentius.* Sepulchrum unica hominis possessio est. Sciat enim homo, se nullam terram habere propriam, in qua vivus commoretur, habere tamen propriam illam, in quam mortuus resolvetur, juxta illud Davidis *Psalm.* CXLVI. 3. *Exibit spiritus ejus, & revertetur corpus in terram suam.* Emphatice dicit suam.

Optime etiam hac de re philosophati sunt sapientiores Ethnici: sic enim Euripides, cujus singulos versus singula testimonia putat Cicero lib. XVI. *Epist. Famil.* ep. VIII. ex persona Thesei in *Supplicibus*:

Jam sinite terræ mortuos gremio tegi:
Res unde quæque sumserat primordium,
Eo recipitur: spiritus cœlo redit,
Corpusque terræ: jure nec enim mancupi:
Sed brevis ad ævi tempus utendum datur:
Mox terra repetit ipsa, quod nutriverat.

Inde Cicero ex Euripidis *Hypsipyle*:

Reddenda terra terræ.

Similiter Lucretius de terra omnia suo sinu gremioque receptante, *lib.* V.
Omniparens eadem rerum est commune sepulchrum.
Vetus etiam & dignus suo autore versiculus est:

Cum fex, cum limus, cum res vilissima simus,
Unde superbimus, ad terram terra redimus.

Ortus itaque nostri principium, vitæque finis, limus & cinis, perpetuum humilitatis, propriæ Christianorum virtutis, memoriale esse debet. Ex eo enim patescit vanitas, & inanitas nostra. Et quam nihil natura simus, apparet in ortu & interitu. Heraclitus Philosophus Ephesius σκοτεινὸς cognominatus, ob styli affectatam obscuritatem, omnia ex igne constare opinatus est, unde voluit idem, ut subito post mortem corpora humana combustioni darentur, ut ita ad suum redirent principium, referente Servio, vetusto & optimo Grammatico, *in lib.* XI. *Æneid.* Verum a Spiritu Dei rectius edocti, non de igne, sed de terra summum Opificem corpus nostrum formasse, ac proinde vel secundum ipsam illam regulam Heracliti, (si aliunde id non constaret) in terram reverti debere, ex qua sumptum est, norunt. Democritum in spem revivíscendi corpora adservanda docuisse, tradit Plinius, *lib.* VII. *cap.* LV. his verbis ipsum irridens: *Similis & de asservandis corporibus hominum & reviviscendis promissa a Democrito vanitas, qui non revixit ipse.* Hoc ipso facto tamen suo ostenderunt Gentiles, non plane obliteratum esse in se Immortalitatis, ad quam homo a Deo fuit conditus, sensum. Eleganter hac de re disserit Julius Cæsar Scaliger, ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτωρ καὶ ποιητῶν θεώτατος, *Poetices* libro III. cap. XX. Verba ejus hic merito legenda subjicio: *Sunt cognata nobis semina quædam immortalitatis: cujus adeo appetentes sumus, ut & sepulturæ prospiciamus: & nolimus cadaver nostrum male haberi.* Et post pauca: *Humanum vero ingenium, quod animæ nostræ vis est, quum se sciat immortale, optat illud quoque, ut corpus ipsum & comes & domicilium suum, quoad fieri possit, eadem felicitate perfruatur. Ædificat idcirco Pyramidas, eique ita condito imponit, ut si non universa temporum spatia æquare possit, aliqua tamen quam maxime longinqua superet.* Hæc ille.

Christiani defunctorum corpora honeste terra recondunt, partim ideo, ut docemur in Scholis Theologorum, quia fuerunt membra Christi, *Eph.* V. 30. templa & habitacula Spiritus S. 1. *Cor.* III. 16. & VI. 19. Salutaria item organa, per quæ piorum animæ bonum operatæ fuerunt in hac vita, 2. *Cor.* V. 10. Unde Origenes, quem ob laborum & studiorum tolerantiam *Adamantium* vocarunt prisca sæcula, libro VIII. *contra Celsum*, *Rationalem*, inquit, *animam honorare didicimus, & hujus organa sepulchro honorifice demandare.* Partim & præcipue in spem futuræ resurrectionis. Hinc Calvinus, *Comment. in Esaiam cap.* XIV. 18. *Projiciuntur*, inquit, *belluarum cadavera, quod ad putredinem nata sunt, nostra vero terra conduntur, ut illic deposita ultimum diem expectent, quo resurrectura sunt, ut cum anima beatam & immortalem vitam degant.* Et Andreas Rivetus, *in Gen. cap.* XXIII. *Exercit.* CIX. *Hic fuit semper laudabilis mos apud homines, qui sensum omnem humanitatis non exuerunt, ut humana cadavera amoverentur a conspectu vivorum, quod etiam pertinuit ad politiam & honestatem communem: id præterea ab iis, qui altius conscendebant, fuit consideratum, terræ esse mandanda corpora, quæ in terram erant redigenda, honorifice recondenda, quæ suo tempore ad vitam per resurrectionem erant revocanda.* B. Gerhardus *loco citato*, inter causas sepulturæ tertio loco ponit *Christi & Apostoli Pauli comparationem, qua* (verba ejus, quia id merentur, adscribam) *granis in terram projectis corpora pie defunctorum ad confirmandam resurrectionis spem conferunt, Job.* XII. 24. 1. *Cor.* XV. 37. & 38. *inde in lingua nostra vernacula cœmeteria pulcerrime vocantur* agri Dominici, *in quibus scil. corpora piorum velut quædam grana in spem futuræ messis seminantur.* Quod in agro quærit sepulturam Patriarcha (inquit Pelargus, *Comm. in Genes. ad cap.* XXIII.) meminerimus sepultorum corpora instar seminis esse, quæ suo tempore in auras lætius exurgant. Recte proinde Prudentius, poeta Christianissimus, spem resurrectionis causam esse, quare maxima cura sepulcris impendatur, tradit in *Hymno funebri*:

Quidnam sibi saxa cavata,
Quid pulchra volunt monumenta?
Res quod nisi creditur illis;
Non mortua, sed data somno.
Nam quod requiescere corpus.
Vacuum sine mente videmus:
Spatium breve restat, ut alti
Repetant collegia sensus, &c.

Nihil interim obesse existimandum est futuræ corporum Resurrectioni, neque quicquam inde mali homini accidere, aut boni adimi, quocunque modo corpus demortuum tractetur, quacunque ratione destruatur aut dissipetur. Sive projiciatur volucribus & canibus in prædam, sive bestiis in Circo, ut intra sua viscera recondant, sive in usum nocturnarum tædarum uratur, quomodo fævierunt barbari, & immanes Tyranni olim in Christianorum corpora, ut Martyrum & Persecutionum historias evolventi patebit. Nam, ut Tatianus, lib. *contra Gentes*, inquit: *Quamvis caro tota incendio absumatur, tamen materiam evaporatam mundus excipit, quanquam aut in fluviis, aut in mari contabescam, aut a feris dilanier, condor tamen in penu locupletis Domini.* Et in eandem sententiam

egregie & fiducia plenus jam ante laudatus Minutius Felix in *Octavio*; *Corpus omne*, inquit, *ſive areſcit in pulverem, ſive in humorem ſolvitur, vel in cinerem imprimitur, vel in nidorem tenuatur, ſubducitur bonis, ſed DEO Elementorum cuſtodia reſervatur*. Vide, ſi lubet, Auguſtinum *de Civit. Dei* lib. I. cap. XII. ſive, qui in eundem librum commentatus eſt, Caſp. Barthium *Adverſar. Commentar.* Libr. LX. cap. XII. Cæterum & aliæ ſepulturæ ſuppetunt fines & utilitates; Puta, ut corpus hominis, animalium nobiliſſimi, quoque *inter maxima rerum ſuarum nihil habet natura, quo magis glorietur*, (teſte Seneca lib. VI. *de Beneficiis* cap. XXII.) a viliſſimorum animantium laniatu immune præſtetur. Hancque humationis cauſam a corporis præcellentia deſumptam cæteris ſimpliciorem eſſe ſtatuit Hugo Grotius *loco* ſupra *allegato*; ſic enim inquit: *Simplicius eſt, cum homo cæteris animantibus præſtet, indignum viſum, ſi ejus corpore alia animantia paſcerentur; quare inventam ſepulturam, ut id, quantum poſſet, caveretur*. Huc reſpicit Cicero Chriſtianus, ſeu mavis, Lactantius lib. VI. *Inſtitut.* cap. XII. *Non patiemur figuram & figmentum Dei feris ac volucribus in prædam jacere, ſed reddamus id terræ, unde ortum eſt.* S. Ambroſius, Mediolanenſium Epiſcopus, quique ſolus hoc nomine dignus cenſebatur, judicio Theodoſii, libro *de Tobia*, ſub initium: *Nihil hoc officio præſtantius ei conferre, qui jam tibi non poteſt reddere: vindicare a volatilibus, vindicare a beſtiis conſortem naturæ.* Et ſi vel maxime hæ abeſſent injuriæ, diffluere tamen, proteri, ac omnibus conſpicua exponi humana membra, alienum videtur a naturæ noſtræ dignitate. Unde *θέαμα τῷ ἡλίῳ οὐδαμῶ φίλον ἀποκρύπτον ἀνθρωπίνῳ θεσμῷ, ſpectaculum Soli nullo modo gratum, humana lege tegens & occultans*, vocat *Suidas in voce ἀκηδής*. *Hinc eſt*, inquit Grotius *loc. cit. quod officium ſepeliendi, non tam homini, id eſt, perſonæ, quam humanitati*, id eſt, *naturæ humanæ præſtari dicitur*.

Adinventus quoque videtur mos humana ſepeliendi corpora, ut amoveantur a viventium oculis cadavera, ne videant damna ſua, quæ mœſtitiam animis inferunt, ſed monumento condita clam & procul a conſpectu ſuorum tabeſcant. Huc referenda eſſe cenſeo verba Abrahami, quibus Sarah, uxore ſua, deliciis ſuis, defuncta, Filios Chet alloquitur *Gen.* XXIII. 4. *Datê mihi poſſeſſionem ſepulchri, ut ſepeliam mortuum meum* מלטני *a facie mea* LXX. θάψω τὸν νεκρόν μου, ἀπ᾽ ἐμοῦ, (non uxorem, ſed *mortuum ſuum* dicit) ut ſciamus, ad vitæ hujus tempus pertinere, uxorem eſſe, maritum, affinem, &c. poſt hujus vero ſeculi decurſum diſtinctos illos gradus conditionem ſexus & officia denique ceſſatura, *Matth.* XXII. 30. *Leniatur ita luctus eorum*, inquit Demoſthenes in *Orat. funebri, qui ſuis ſint orbati*. Unde quidam non tam defunctorum cauſa, (quippe quibus ſentientibus onus, non ſentientibus ſupervacaneum ſit) ſed vivorum gratia inventam eſſe ſepelitionem ſtatuunt. Et hoc eſt, quod dicit Auguſtinus, vir ſanctitate atque doctrina ad miraculum maximus, totiuſque Occidentis lumen clariſſimum, lib. I. *de Civ. Dei* cap. XII. & lib. de Cura pro mortuis cap. II. *Curationem funeris, conditionem ſepulturæ, pompas exequiarum, magis eſſe vivorum ſolatia, quam mortuorum ſubſidia*. Adde, per ſepulturam arceri horrorem, & fœtorem cadaverum, quem humanum corpus præ cæteris animalibus, poſt mortem exhalat teterrimum. Hinc Chytræus canit:

Corpus inane animæ tandem fœtore maligno
A ſe abigit cunctos.

Denique accedit hæc ex humatione utilitas, quod in alieno funere, velut in quodam ſpeculo conditionis & naturæ noſtræ admonemur, unde etiam tumuli defunctorum monimenta dicuntur: Et *Sepultura humanæ conditionis memoria*, Modeſtino in *l. quidam in ſuo ff. de Condition. & inſtit.* Quia memoriam non ſolum ſitorum illibi, ſed & noſtræ mortalitatis nobis ingerunt. Monent enim & illos fuiſſe & nos eſſe mortales.

CAP. II.

Sepulturam eſſe juris gentium, cujus etiam in bellis accurata ratio habita.

Corporum vita functorum ſepulturam, (quam *Humanitatem* Cicero *Orat. pro Quinctio*, *Humanitatem & Manſuetudinem*, Valerius *lib.* V. *cap.* I. *Miſericordiam & Religionem*, Quintilianus lib. XII. *Inſtit. Orat.* c. ult. *Miſericordiam & Humanitatem*, Seneca *de Benef.* lib. I. cap. XX. *Miſericordiam & Pietatem*, Ulpianus *l. At ſi quis. §. interdum, D. de fun. act. Clementiam*, Capitolinus in *M. Antonio Philoſopho*, *δίκην ſeu juſtitiam* Euripides, *τὸ γέρας θανόντων, honorem, præmium, quo muneramur mortuos*, Homerus, *Honorem ſupremitatis*, Marcellinus Ammianus *lib.* XXXI. *neceſſarium pietatis officium*, Ambroſius initio *Orat. in obitum Theodoſii*, *Ultimum & maximum pietatis Officium*, Lactantius lib. VI. *Inſt.* cap. XII. *Miſericordiam* denique ipſa Sancta pagina *Ruth.* I. 8. 2. *Sam.* II. 5. vocat) *juris gentium* eſſe, quod apud omnes gentes, vel certe pleraſque, hoc eſt, apud eas, quæ non ſunt efferis omnino & incultis moribus; ut apud barbaras etiam nationes quadamtenus obtineat, ut tradit Petrus Faber *Semeſtrium* lib. II. c. I. p. 7. ſi aliunde non conſtaret, Dionis Chryſoſtomi, auctoris graviſſimi autoritate moverer, ut exiſtimarem. Hic enim in *Oratione περὶ ἔθους* diſertis verbis humare mortuos ſive ἔθη, quæ τοῖς ἐγγράφοις ſeu ſcripto juri opponit, refert. Per ἔθη vero ſive conſuetudines jus gentium non ſcriptum intelligit. Romanus ſapiens (Seneca) *Humum porrigere cadaveri* inter *jura non ſcripta, ſed omnibus ſcriptis certiora* ponit, lib. II. *Controverſ.* Iſocrates ſummorum oratorum magiſter (elogio Ciceronis) in *Panathenaico*, de bello agens Thebanorum cum Argivis, Adraſtum Argivorum regem introducit aſſerentem; humare mortuos eſſe *morem antiquum & jus patrium, quo omnes homines intra ſe utantur, quodque non ab humano proditum ingenio, ſed a divina potentia imperatum videatur*. Jura enim, quo ſanctiora videbantur, hominibus bene moratis communia, ad Deos referebant autores, obſervante Grotio *de jure Belli & Pacis* lib. II. cap. XIX. n. I. Eo etiam ſenſu capiendus eſt Ariminius, vetus Poeta, quando inquit:

Humano generi poſuit natura creatrix
Hanc legem, ut tumuli membra ſepulta tegant.

Unde naturæ id jus appellant Philo & Joſephus. Hoc nomine ſe excuſavit Antigone, Oedipodis Thebanorum Regis filia, apud Creontem Regem, quod contra ipſius edictum Polynicis & Eteoclis cadavera ſepulturæ mandaſſet, dicens; *ſepelire mortuos eſſe de jure naturæ, & juri naturæ magis eſſe obediendum, quam Regi*, uti ex Statio refert Tiber. Decianus *tract. crimin.* lib. VI. c. XL. 5. n. Solent namque interdum ſibi naturæ nomine comprehendi mores communes naturali rationi con-

sentanei, teste Grotio *loco dicto*. Adeo favorabilem in jure esse sepulturam in terra, inquit Christoph. Besoldus, *Consider. Politica de vita & morte* lib. III. cap. I. ut si quis in testamento suo quem instituat sub ea conditione, *Si reliquias ejus abjiciat in mare*, ea non debeat impleri, *l. 27. ff. de condit. institut.* Sane humanitatis est, humare mortuos, hanc autem naturæ Lex imperat. Docet natura, homini ad communem matrem revertenti, non occludendum esse hujus sinum. *In hujusmodi officiis, quæ mortuis exhibentur, morem cujusque gentis esse servandum*, ait Augustinus *Tract.* CXX. *super caput* XX. *Johannis*, satis hoc ostendens, scil. *sepulturas esse a jure gentium*. Vide in hanc rem plura apud Petr. Fabr. *Semestr.* lib. III. cap. XIII. p. 174. seqq. Hominem ergo exuisse, naturæque humanæ dedecus fecisse jure merito dicuntur Scythæ, quorum alii, ut Massagetæ, Derbices, Essedones defunctorum corpora pecudum carnibus immixta manducarunt, alii ab arboribus suspenderunt. Persæ, quibus solemne fuit cadavera extra urbis mœnia elata in campo deponere, ut pabula dent feris & volucribus. Æthiopum nonnulli, Lotophagi & Ichthyophagi, qui mortuos in mare præcipites dederunt. Hyrcani, Bactrii, qui canibus domi ad hoc nutritis dilaniandos vita functos objecerunt. De quibus & aliis barbaris immanitatibus suo loco plenius audiemus. Barbaras hasce, plusquam Barbaras gentes ipsa animantia bruta humanitate (liceat ita loqui) superare videntur. Hinc Petrus Faber *Semestr.* loco allegato pag. 175. *Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur, homines denegabunt? Sicut* enim *nullum est* (verba sunt Hugonis Grotii in *notis ad loc.* paulo ante *citatum*) *in homine factum laudabile, cujus non vestigium in alio aliquo animantium genere Deus posuerit, ita & in hac re evenit*. De apibus mellis concreatricibus ita loquitur Mantuanus Homerus, libro IV. *Georg.*

—— tam corpora luce carentum
Exportant tectis & tristia funera ducunt.

Idem de solerti Formicarum genere narrant, hisque solis ex animantibus ratione carentibus tribuit Plinius, naturæ Bibliothecarius, *N. H.* lib. XI. cap. XXX. quando inquit: *Sepeliuntur inter se viventium solæ, præter hominem*. Plutarchus, disertissimus scriptor, in lib. cui frons est, *Utrum animalia plus rationis habeant, quam aquatilia*, testatur, referente Kirchmanno Appendice ad lib. *de Funer. Roman.* cap. I. p. 663. Formicas habere tres cavernulas, & in illarum una comitium celebrari; in alteram penum annuam recondi; tertiam vero esse mortuorum cœmeterium: εἰς δὲ τὴν τρίτην κοιλότητα ἀποτίθεσαι τοὺς θνήσκοντας. Vide P. Fabrum *loc. cit.* pag. 177. Confer Franzii *Histor. Animalium* parte V. cap. VIII. Taceo Grues, Elephantos, Delphinos, de quibus consulendi Ælianus lib. II. *de Animalibus* cap. I. & lib. XII. cap. VI. jamque dictus Franzius *Histor. Animal.* parte I. cap. IV. & Petrus Faber *Semestrium* loco alleg.

Cæterum humanitatem, quæ circa mortuorum sepulturas exhibetur, non pacis solum, sed belli etiam tempore & inter arma commendatam maxime atque cultam Veteribus narrant Historici. Unde jus sepeliendi trucidatorum in acie corpora κοινὸν ἐν τοῖς πολέμοις vocat Appianus, servarique inter hostes κἂν εἰς τὴν ἐσχάτην ἔχθραν προέλθωσιν, *etiamsi ad extrema odia processerint*, tradit Dio Chrysostomus *loco citato*. Apud antiquissimos (Barthius narrat lib. LIII. *Advers.* cap. VII.) sepulturæ honos non exiguus habebatur, adeo ut summæ contumeliæ loco ab infensissimis hostibus cadavera arcerentur sepultura, ut ex Homeri Heroum historia, Bello Polynicis & Eteoclis, Thebano aliisque historiis antiquissimis notum est. Et in Claudian. *de Bello Gild.* v. 39. inquit, *Veteres contra jura humanitatis rebantur, tumulum cæsis invidere*. *Ne hostis quidem*, ait lib. I. *Annalium* Tacitus, *sepulturam invidet*. Herculem illum monstrorum domitorem, cui vetustæ Paganorum historiæ magna omnia Virtutum exempla identidem tribuunt, permisisse primum cadavera hostium sepeliri, ex Æliano lib. XII. *Variar. Historiar.* cap. XXVII. probat Ludovicus Vives, Commentario ad Augustinum lib. I. *de Civit. Dei* cap. XII. Verum non hoc dicere Ælianum, affirmat *loco cit.* & lib. LX. *Adv.* cap. XII. Casp. Barthius, scilicet, non consuevisse bello cæsos humari ante Herculem, sed id velle, victoribus non fuisse curam hostium sepeliendorum ævo antiquiore. Solebant autem eos, qui in bello occubuerant vel ipsi victores suopte impendio, in quibus bonitatis & humanitatis plus erat, terræ tradere, vel suis sub pactis occisorum corpora dare, ne careant eorum, quæ mos imperat, honore ultimo, teste Philone *in Flaccum*. Hinc factis induciis per caduceatores sive legatos (qui, ut Petrus Faber *Semestrium* lib. II. cap. I. ex Dione probat, jure gentium sacrosancti, & inviolati etiam in hostibus sunt) ad sepulturam interfectorum λείψανα ab hostibus poscebantur, nec ab illis, certe nisi contra fas, corpora ad humationem petentibus denegabantur. Adeo ut ob negatam sepulturam bellum juste suscipi censuerint Veteres consensu magno, ut ait Grotius *loco* sæpius *cit.* num. V. Exempla si postulas, en Hannibal juratus licet Romano nomini hostis Caii Flaminii, item Tiberii Gracchi, Marcellique devictorum & obtruncatorum Romanorum ducum corpora ad funerandum quæsivisse dicitur a Livio, rei Romanæ facundissimo, & uberrimo scriptore, *Decad.* III. *lib.* II. Hinc Cicero lib. *de Senect.* inquit: *Marci Marcelli interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturæ carere passus est*. Commendatur etiam in Philippo Macedone circa exequias atque sepulturam hostilium cadaverum humanitas. Vide Petrum Fabrum, lib. III. *Semestr.* cap. XIII. p. 183. ubi idem inquit: *Philippi filium, Alexandrum patre dignum, vereque magnum, non nudo nomine Imperatorem; post superatum Darium sepultis cum cura militibus, quorum corpora invenerat; Persarum quoque nobilissimis eundem honorem habere jussisse, matrique Darii permisisse, quos vellet, patrio more sepeliret, a Q. Curtio lib.* III. *Histor. proditum recordor*. Medos ab Atheniensibus sepulturæ honore olim affectos, *quod cadaver hominis mandare humo, & occulere, tanquam in communis omnium matris sinum deponere, fas piumque prorsus esset*, ex Pausania refert Petrus Faber, *loco* sæpius *citato*, & plurima alia exempla recenset. Hi ipsi quoque Athenienses tam studiose suorum in prælio cæsorum sepulturam curabant, ut apud illos in duces, qui re alioqui præclare gesta, suorum tamen in acie peremtorum corpora non tumulassent, capite animadversum legamus. Exemplum cape ex ante dicto Valerio Maximo, *lib.* IX. *cap.* VIII. Hinc de Nicia Atheniensium duce fertur, quod omnem exercitum subsistere jusserit, ut duos tantum peremptos milites honore tumuli ac funeris afficeret, Plutarch. in *Vita ejus*. Cæteri enim Græci quam studiose in præliis cæsorum corpora sepeliverint, ex Historicis notum est. Romanos recuperata Urbe, quam Galli Senones, gens fortissima, occupaverant, Gallorum ossa legisse & in media urbe tumulasse simul (quem locum *Busta Gallica*

vulgus, & fama cognominavit) Romana prodit historia. Eandem humanitatem L. Cornelium Consulem Hannoni, Carthaginensium duci, præstitisse, autor est Valer. Maximus *lib.v.cap.1.* Pompejus cum vita Mithridatis etiam nomen hostile extinctum existimans, *nullas in defunctum frustra iras exercendas putavit. Itaque nihil ejus corpori insultans in patrio id sepulchro condi jussit*, teste Dione, libro XXXVII. *Histor. Rom.* Unde in laudem Romanorum scribit Suidas in *voce* ἀκηδής: *Romani non neglexerunt hostes suos, nec passi sunt ipsos insepultos & exequiarum honore fraudatos jacere.* Apud Hebræos vero lege cavebatur, ne hostem insepultum relinquerent, teste Rhodigino, *Lect. Antiq.* lib. XVII. cap. XIX. Septentrionales, nobisque viciniores populi prætereundi mihi minime sunt, quos ipsos etiam huic humanitati studuisse, ex Olao Wormio, Antiquitatum Danicarum egregio vindice didici. Hic enim in *Monumentis Danicis*, quæ studiosissime primus collegit, lib.1. cap. VI. in hunc modum scribit: *Si sors asperior ad hostes aut inimicos ipsos detrusisset, a quibus vita privati, tumulos apud ipsos obtinebant. Hostilem namque animum post mortem deposuisse, & hospitalem in cadaveribus tumulandis pietatem exercuisse, summæ semper fuit laudis.* Inter alia exemplum hujus rei petit ex Saxone, cui Grammatico ab eruditione recondita receptum est nomen, illustri & facundissimo, (quod ævo illo, quo vixit, vix sperasses, vixit autem circa annum Christianum 1200.) Danorum Historico, qui *Historiæ* suæ lib. III. introducit Collerum, hostem suum Horvendillum, quo cum in arenam descendere pugnamque inire animus erat, oratione sane eleganti alloquentem, quam subjicio: *Quoniam exitus in dubio manet, invicem humanitati deferendum est, nec adeo ingeniis indulgendum, ut extrema negligantur officia. Odium in animis est, adsit tamen pietas, quæ rigori demum opportuna succedat. Nam etsi mentium nos discrimina separant, naturæ tamen jura conciliant. Horum quippe consortio jungimur, quantuscunque animos livor dissociet. Hæc itaque pietatis nobis conditio sit, ut victum victor exsequiis prosequatur. His enim suprema humanitatis officia inesse constat, quæ nemo pius abhorruit. Utraque acies in munus, rigore deposito concorditer exequatur. Facesset post fatum livor, simultasque funere sopiatur. Absit nobis tantæ crudelitatis specimen, ut quanquam vivis odium intercesserit, alter alterius cineres persequamur. Gloriosum victori erit, si victi funus magnifice duxerit. Nam qui defuncto hosti justa persolverit, superstitis sibi favorem adsciscit, vivumque beneficiis vincit, quisquis exstincto studium humanitatis impendet.* In eandem sententiam Optatus Milevitanus contra Donatistas, Catholicorum corpora sepeliri vetantes, libr. VI. *contra Parmen.* loquitur, quæ verba adjiciam, sic caput hoc finiturus: *Ut terreatis vivos, male tractatis & mortuos, negantes funeribus locum. Si inter viventes fuerat certamen, odia vestra vel mors aliena compescat. Jam tacet, cum quo paulo ante litigabas, quid insultas funeri?* (quid surdam terram verberas? diceret Poeta) *quid impedis sepulturam? quid cum mortuis litigas? perdidisti malitiæ tuæ fructum.*

Cap. III.

Sepultura vel omni vel honesta qui prohibiti?

Quamvis jus Sepulturæ commune fuerit, neminique temere denegatum, aliquos tamen

A ad notum sceleris, & infamiam vel alia aliqua de causa aut prorsus omni, aut certe honorata Sepultura fuisse olim privatos accepimus. Apud Græcos non cremabantur αὐτόχειρες, (qui tunc mos erat) sed terra obruebantur in loco obscuro, & ignobili, sine ceremoniis. Ita enim divina Philosophiæ Syren, (Platonem cum Naudæo intelligo) sanxit lib. IX. *de Legibus*: *Ut qui sibi amicissimum, id est, seipsum vita privarit, non judicio civitatis, nec tristi, vel inevitabili fortunæ casu coactus, nec pudore aliquo extremo compulsus, sed ignavia & formidolosi animi imbecillitate, injuste sibi mortem consciverit; sepulturam habeat*
B *solitariam, ubi alius nemo condatur. Deinde ut in his locis condatur, quæ de duodecim regionis partibus, ultima, deserta, innominataque sint: sic obscurus, ut neque statua, nec inscripto nomine sepulchra notentur.* Unde & Aristoteles dignus Præceptore suo discipulus; *mulcta eum civitas*, inquit, *& ignominia afficit, qui se ipse exanimavit, ut qui civitatem injuria afficiat*, *Ethic. Nicom.* lib. V. c. 11. Ubi Andronicus Rhodius, exactus & diligens librorum Aristotelis & judex & repertor (judice Boethio in *procem.* lib. *de Interp.*) id exponens ait, *sepultura eorum corpora prohiberi.*

C Proditionis convictus & sacrilegus, sive ut cum jam dicto Platone loquar, Dialogo IX. *de Leg.* in princip. qui nefaria cupiditate & die tractus & nocte excitus, templa ut furetur, petit, ut insepulti projiciantur, communi lege sancitum esse apud Græcos, author est Diodorus Siculus lib. XVI. *Bibl.* cap. VI.

De lege Atheniensium in sacrilegos & proditores (qua in Attica terra sepeliri prohibebantur) fidem nobis facit Xenophon, lib. 1. Ἑλληνικῶν. Arcades etiam Aristocratem proditorem lapidibus obrutum extra fines suos ἄταφον abjecisse, tradit Pausanias in *Messenicis*.

D A Græcis transimus ad Romanos. Hi eos, qui *injussu Imperatoris ex statione & præsidio vitæ decessissent* juxta Pythagoram, qui, inquam, sibiipsis ferro aut laqueo mortem intulissent, primis illius Reipublicæ temporibus sepultura omnino prohibuerunt, vel ut a voluntaria morte absterrerentur alii, vel quod indignum rati, ut inveniantur manus, quæ sepeliant eum, quem occidere suæ. De suspendii sui ipsius reis fidem nobis facit Servius ad illud Virgilii lib. XII. *Æneid. Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta: Sane sciendum*
E *est*, inquit, *quod cautum fuerit in Pontificalibus libris*, (in quibus sacræ ceremoniæ continentur) *ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abjiceretur: unde bene ait*, informis lethi, *quasi mortis infamissimæ.* Tarquinius Priscus (ad quem hujus consuetudinis originem referunt, quanquam Servius Tarquinio Superbo adscribat) αὐτοφονευτὰς non solum insepultos abjici, sed *& corpora eorum crucibus, spectanda civibus, simul & feris volucribusque devoranda* affigi jussit, referente Plinio *Nat. Hist.* lib. XXXVI. cap. XV. Pœnam illorum, qui sibiipsis manus intulerunt fuse recenset Elbertus Leoninus in *processu Criminali ad tit. C. de bonis eorum, qui mortem sibi consciverunt* nu.
F 3. addens: *Ex quacunque causa quis se interfecerit, sive tædio vitæ, sive ex impatientia doloris, sive metu criminali, sive alia ratione, corpus in sterquilinio cum canibus communem sepulturam habet, Gl. in c. placuit 33. qu. 5. vel quod ex consuetudine magis usitatum, furca suspenditur, & bona confiscantur.* Mitigatam autem postea fuisse hanc pœnam, ait Kirchmann. in Appendice ad libros *de Funeribus Rom.* cap. IX. & restrictam ad eos, qui facinoris alicujus sibi conscii e medio

dio se sustulissent, puta, ut supplicium de se sumendum anteverterent. Illos vero, qui mortis accersitæ justam caussam habuissent, (cujus nomine censebatur *vitæ tædium*, *doloris impatientia*, *pudor æris alieni*, *luctus*, &c. Stoici *servitutis & morbi fugam*, imo & *spem gloriæ* pro justa caussa mortis voluntariæ admittebant, Grotius *de Jure Belli & Pacis* lib. II. cap. XIX. n. 5.) gloriose & honeste obiisse existimatos fuisse, atque sepulturæ honore affectos. Quomodo Cato Uticensis, vir sua tempestate maximus, cum Julii Cæsaris victoriam ferre non posset, vitæque ipsum tæderet, e vita se sponte eduxit. Eoque fine Demosthenes, princeps omnium Græciæ Oratorum, juxta Quintilianum, semper venenum secum habebat, teste Plutarcho in *ejus Vita*. Hinc Seneca *Epitom. Contr.* lib. VII. contr. IV. *Afferre sibi coactus est manus, assiduis malis. Summam infelicitatum suarum in hoc removit, quod existimabat licere misero mori.* Causam accelerandæ mortis exhibendam fuisse Senatui non obscure indicat Quintilianus, vetus Magister, *Declam.* IV. *Qui causas voluntariæ mortis in Senatu non reddiderit, insepultus abjiciatur.* Et apud Massilienses e vita aliquem semet extrahere potuisse, refert Valerius Maximus *lib.* II. *cap.* VI. si causam Senatui probasset. Hinc Petrus Heigius J. C. celeberrimus in *Quæstionibus Juris*, quæst. XXXVI. n. 5. *Causam* (mortis scil. voluntariæ) *prius Senatui Romano & Massiliensi approbare necesse erat; ut hac mora interjecta medicinam forte aliquam morbo mature afferendi occasio non deesset.*

Porro Romanis *vetus veterrimumque* (verbis utor Victoris in *Constantino*) *supplicium patibulorum*, & quod, si Livio Historiæ patri sua fides *lib.* I. statim sub primis Regibus usitatum. Imo quamdiu Ethnici fuere Imperatores, supplicium crucis a Romanis usurpatum est. Sustulit vero illud primus ex humanis, vel certe Romanis rebus Constantinus, teste jam dicto Sexto Aurelio Victore in eodem, & quidem sub imperii, vitæque extrema, unde & Sozomenus, *Ecclesiasticæ Historiæ* eruditus scriptor, sed Novatiana hæresi infectus, qui historiam suam a Constantino Magno, ubi finit Eusebii, orditur, inter omnes ejus leges, hanc postremam recenset, *lib.* I. *cap.* VIII. inquiens: *Denique Romanis prius usitatam crucis pœnam ex usu tribunalium & Judiciorum lege sustulit, nempe ob reverentiam crucis Dominicæ, ne ea pœnis damnatorum vilesceret.* Sustulit itaque e suppliciis Crucem Constantinus, atque efficaciter eam sustulit: ut Lipsius inquit, libro III. *de Cruce* capite XIV. nec postea reperies reductam. Hinc Augustinus, *Quæst. in Vet. Test. Antea homines crucifigebantur, quod postea edicto probibitum, manet.* Crucis loco deinde fuit furca, non vetus quidem illa, sed nova, quam & patibulum dicimus.

Cæterum ipsos *suspendiosos*, quos vocabant & *cruciarios*, id est, qui in patibulo suspensi & cruci affixi, legibus a sepultura arcebant. Et ne quis deponeret, miles & custodia a magistratu addebatur. Petronius in *Satyr. Miles cruces asservabat, ne quis corpora ad sepulturam detraberet;* unde πολυμαθέστατος Casaubonus *Exercit.* XVI. *ad Ann. Baronii* num. 90. *Qui ex legibus Romanorum crucifigebantur, in cruce relinquebantur, ut probat nobile apud Petronium exemplum & similia alia: nisi causa aliqua interveniret, propter quam deponeretur permissu Magistratus, qui ipsius jussu fuerat affixus.* Hæc ille. Hoc ergo affectos supplicio, quod crudelissimum, teterri-

A mumque vocat Cicero v. *in Verrem*, quodque JCTI nomine summi supplicii quandoque designant, teste Justo Lipsio *de Cruce* lib. II. cap. I. tabo diffluere, & a sole & pluvia corrumpi sinebant, ut idem ait Lipsius *loco cit.* cap. XV. quam corruptionem aut putrefactionem intellexit Theodorus Cyrenæus Philosophus. Cum enim ei Rex Lysimachus crucem minaretur: *Ista* inquit, *horribilia minitare purpuratis tuis*, Θεοδώρῳ οὐδὲν μέλει, πότερον ὑπὲρ ἢ ὑπὸ γῆς σήπεται. *Theodoro nihil interest, humine, an in sublimi putrescat*, ut est apud Ciceronem I. *Tuscul. Quæst.* Neque aliam sepulturam Seneca *Epitom. Controv.* lib. VIII. con-
B tr. IV. *Omnibus natura sepulturam dedit, naufragos idem fluctus, qui expulit, sepelit. Suffixorum corpora crucibus in sepulturam suam defluunt, eos, qui vivi uruntur, pœna funerat.*

Tria potissimum genera eorum, quibus ipsæ Leges sepulturam denegarunt, se reperire, ait Kirchmannus *loco cit.* cap. VII. Hostes patriæ, suspendiosos & αὐτόχειρας. Hostium patriæ nomine intelligit perduellionis & læsæ majestatis reos, pacis publicæ perturbatores, proscriptos, & quicquid est hujus farinæ, quorum pœnæ ad exemplum aliorum pertinebant. Hosque olim
C sepultura fuisse prohibitos aliquot exemplis probat.

Eadem ἀταφίας pœna manebat ipsos etiam Imperatores, si in tyrannos degenerassent, male de Republica meritos. Exemplo esse potest Vitellius Imp. quem post varia ludibria *tandem apud Gemonias* (scalas) *minutissimis ictibus excarnificatum atque confectum & inde unco tractum in Tiberim*, tradit Suetonius *cap.* XVII. Et Heliogabalus, qui in cloacam missus & in Tiberim præcipitatus est, testibus Sext. Aurelio Victore & Lampridio. *Quod odio communi omnium contigit*, inquit Lampridius, *siquidem nec sepulchra merean-*
D *tur, qui amorem Senatus, Populi ac militum non merentur.* Porro Imper. Vespasianus adhuc Prætor, pœnæ Conjuratorum Germaniæ addendum censuit, ut insepulti projicerentur, ut autor est Suetonius in *Vespasiano* cap. II. in fine.

Eadem severitate usi sunt Romani in Parricidas. Hinc Sigismundus Finckelthaus, JCtus celeberr. in *Conclus. Jurid. de jure Sepulturæ*, th. XIII. inquit: *Solon quidem olim nullam ob hoc crimen* (parricidii) *legem tulit, quia non speravit, quod tam impium & nefarium scelus in cor hominis cadere possit. Idem sensit & Romulus, qui illud impossibile judicavit. Alii legumlatores dubitarunt,*
E *quam pœnam invenirent, qua rabies hæc plus quam beluina expiaretur; eam vero tandem Romani, tanquam reliquis sapientiores, constituerunt, ut videlicet parricidæ omnium elementorum usura, quæ alias cuivis communia sunt, adeoque & ipsa sepultura eriperetur.* Hæc ille. Secundum Divi Hadriani constitutionem bestiis objiciebatur Parricida *l. pœna* 9. *D. ad l. Pompejam de Parricidis.*

De cœtero punitorum corpora petentibus ad sepulturam non difficulter concedebantur a Magistratibus præsertim æquioribus, sic enim Domitius Ulpianus, quem Modestinus nobilissimum &
F Jurisconsultorum coryphæum appellat, *l.* I. *ff.* de cadaveribus punitorum: *Corpora*, inquit, *eorum qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt, & id se observasse etiam D. Augustus lib.* X. *de vita sua scribit.* Et *l. ult.* ibidem Paulus: (JCtus autoritate quidem Ulpiano par, librorum vero multitudine superior, ut Val. Forsterus ait, *Hist. Jur. Civ.* libro II. capite LXXVIII.) *Corpora animadversorum quibuslibet petentibus ad sepulturam danda* esse scribit *lib.* II. *Cod.* Diocletianus & Maximianus Impp. Gaudentio in hæc

verba rescribunt : *Obnoxios criminum digno supplicio subjectos, sepulturæ tradi non vetamus*. Certe Cicero Verri probri loco objicit, quod *sepulturam punitorum denegare aut divendere fuerit solitus*. Concedebantur igitur facile puniti, nisi in gravioribus delictis, ubi opus erat exemplo, unde jam laudatus Ulpianus *loc. cit. nonnunquam*, inquit, *non permittitur, maxime majestatis causa damnatorum*, ut scil. eorum corpora sepeliantur.

Hinc etiamnum secundum communem consuetudinem Germaniæ sceleratorum cadavera, vel palis suffixa, vel rotis imposita, aut patibulo suspensa relinquuntur, ut horrendo hoc & deformi spectaculo alii metuere discant, & a talibus facinoribus deterreantur, & ita, unius facinorosi supplicio, multorum improbitas coerceatur. Imprimis aggressores publicarum viarum suspensi in patibulis relinquuntur, ut cæteris sint exemplo, juxta *l. Capitalium* 28. *§. Famosos* 15. ubi Callistratus dicit : *Famosos latrones in his locis, ubi grassati sunt, furca figendos quam pluribus placuit, ut & conspectu deterreantur alii ab iisdem facinoribus*.

Denique *Fulguritos*, sive qui fulmine icti, omni omnino sepultura caruisse apud Romanos, vult Adrianus Turnebus, *lib.* XVI. *cap.* XXII. ex lege Casca Numæ Pompilii, quam recitat Festus in voce *Occisum*. Sed legem Numæ non recte intellexisse Turnebum, humatosque fuisse κεραυνοπλῆγας, sine tamen ullis justis, & funerum solemnibus, & quidem eo ipso in loco ubi fulmine tacti, nisi forte in loco publico, vid. in templo, theatro, circo, &c. fulmine occupati fuissent, tum enim alio translatos fuisse, ostendit ante laudatus Kirchmann. *de Fun. Rom.* lib. I. cap. III. Confer Kornmannum *de Miraculis Mortuorum* par. VI. cap. XXXI.

Apud Ægyptios quoque servatum hunc morem, ut dentur ἑλώρια κυνέσσιν οἰωνοῖσί τε πᾶσι, *canibus laniena atque avibus cunctis* corpora suspensorum colligi haud obscure potest ex vaticinio Josephi *Gen.* XL. v. 19. *Rex suspendet te*, Pistorum magistrum alloquitur, *in ligno, & volucres comedent carnem tuam. Ex quibus colligimus*, inquit Riverus in *Comm. ad hunc loc. antiquum fuisse morem, & ex jure gentium derivatum, ut malefici pœnis capitalibus plecterentur, & cadavera supplicio affectorum exponerentur insepulta, avibus aut feris lanianda*. Apud eosdem, cadavera debitorum creditoribus in pignora dabantur, & ab illis insepulta detinebantur, donec hæredes æs alienum integre solverent, ut refert autor *de moribus Gentium*. Quod tanquam inhumanum, & crudelitati proximum vetant leges. Hinc Didacus Covarruvias, *Variarum Resolut.* Tom. II. fol. III. num. 10. Illud creberrimo omnium consensu expeditum est, non esse impediendam sepulturam, nec denegandam debitoris cadaveri, sive is pauper, sive dives sit. Conferatur Schneidevvin. lib. IV. *de Interdictis §. summæ autem divisio*, tit. 15.

Septentrionales populos, eandem ἀταφίας pœnam statuisse in Tyrannos, & horrendo quodam facinore notatos, clarum est ex Saxone Grammatico, qui lib IV. *Historiæ* suæ narrat; Fengonis Tyranni cadaver nec urna nec tumulo dignum judicasse Amletum, sed ut cineres in auras dispergerentur jussisse. Existimabant enim ejus cineres, qui patriam libertate nudaverit, a patria tegi non convenire.

Apud Hebræos sepultura prohibebantur αὐτόχειρες, quod Josephus (quem Græcum Livium appellat S. Hieronymus) nos docet, lib. III. *de Bello Judaico* cap. XXV. Quo referri possunt verba Egesippi lib. III. *de Excidio Hierosolymitano* cap. XVII. *Hæc non solum moribus hominum, sed etiam legibus interdicta accepimus. Namque alii insepultos projici jubent eos, qui se in ferrum dejecerunt. Dignum est enim, ut qui patris imperium non expectaverunt, priventur quasi quodam matris gremio, terræ sepulcro. Alii dextram manum abscindunt defunctis, ut separent a membris sui corporis, quod adversus corpus suum vesano militavit furore*. Hæc ille. Jacobus Pontanus *Progymn. Lat.* lib. IV. in annotat. progymn. LXIII. utrumque conjungit, inquiens : *Apud Hebræos qui semet interemissent, amputata dextra inhumati projiciebantur*. Confer Lilium Gregor. Gyraldum Ferrariens. *de vario sepeliendi ritu*, qui eadem verba Egesippi adducit. Tali modo animadvertebant in eos, qui spontanea morte se educebant e vita. Nec id mirum, cum in hos aliud supplicium constitui non possit, qui mortem pro supplicio non habent, ut ait Grotius *de Jure Belli & Pac.* cap. XIX. num. 5. *Nonnulli tamen*, inquit hoc ipso loco Grotius, *Hebræorum de lege se non interficiendi unam causam excipiunt, si quis videat, se deinceps victurum in probrum ipsius Dei. Et huc referunt*, ait paulo post, *Samsonis exemplum, qui in suo corpore veram religionem videbat esse derisui, & Saulis, qui gladio incubuit, ne a Dei suisque hostibus illuderetur*. Unde & Samsonem, giganteum illud robur Israelis, qui seipsum cum Philistæis, populo DEI inimicis, ruina domus oppresserat, sepultura honoratum legimus *Judic.* cap. XVI. 31. Et qui Saulem, Judæorum Regem dicam, an Tyrannum, ne vivus perveniret in manus hostium, in suum ipsius gladium irruentem 1. *Reg.* XXXI. 4. cum honore sepelierant, recte facti testimonium a Davide retulerunt, 2. *Reg.* II. 5. Absalomus optimi parentis pessima progenies, qui ex seipso, præter mentem quidem, justo tamen DEI judicio, longam literam, ut Plautus ait, fecerat, dum mortem ei machinabatur, cujus beneficio vitam erat adeptus, non dignabatur consueta sepultura, sed in vastam voraginem detrudebatur, lapidibus insuper cumulate exaggeratis, ut tam nefarium parricidii facinus memoria ac nomine loci notaretur, 2. *Reg.* XVIII. 17. Et ut quotquot illac transirent, haberent potius, quid execrarentur, quam cui quietem precarentur & pacem. Sicque locum habuit in Absalonis pœna Lex *Deut.* XXI. 18. quæ filium protervum & contumacem lapidibus obrui ab universo populo jubet, quod in *Traditionibus Hebraicis* & a Lyrano notatum est. *Manet ad hoc usque tempus cumulus ille lapidum, ut referunt*, inquit Gaspar Sanctius Jesuita *in h. l. qui Terræ Sanctæ nobis reliquerunt Topographiam : quem sic horrent propter impium & crudele facinus ipsi etiam Mahometani, qui terram illam incolunt, ut cum execratione eo lapides mittant, dicentes* : Maledictus sit parricida Absalon, & quicunque injuste parentes suos persequuntur, maledicti sunt in æternum. *In sepulchrum autem Absalomis conjecti sunt lapides, quia Deut.* XXI. *filius contumax jubetur a populo lapidari. Cum autem jam esset telo transfossus, obrutus est in fovea lapidibus, quos, si viveret, experiri debuit a populari manu. Ita putant Hebræi, ut in eorum Traditionibus refert Hieronymus*. Hæc Sanctius.

Cæterum apud Judæos ab antiquo quatuor fuerunt suppliciorum genera; (ipsi vocant ממותים *mortes*) *Lapidatio*, *Combustio*, sive *vivicomburium*, ut appellat Tertullianus, *Decollatio*, & *Strangulatio*, seu *suffocatio*, (quæ fiebat per sudarium, quod utrinque trahebatur, usque dum reus ani-

mum efflaret, teste Drusio *in Levit.* p. 311.) ut recensentur a Talmud & aliis Rabbinis. *Crucifixorum*, forte inquis, me omittere; sed habeto, Crucem non fuisse Judæorum supplicium ordinarium. Ita enim illorum Magistri apud Paulum Fagium *ad Deut.* XXI. 22. (ex ejus interpretatione) *Non fuit mos in Israel, ut clavi figerentur in pedibus, & manibus hominum lapidatorum ac suspensorum. Nam tradita sunt quatuor genera mortis judicibus; Lapidatio, Combustio, Occisio, Strangulatio. Occisio fit gladio, & est Lapidatio durior Combustione, & Combustio gravior Gladio, & Gladius durior Strangulatione. Non autem invenitur, quod homo clavis figi debeat ad crucem, sed suspendendus est blasphemus, & idololatra, juxta id, quod dicitur, quia maledictus Dei est suspensus.* Hæc illi. Idem contra conditorem *Annalium* Baronium, & Justum Lipsium late probat Casaubonus, *Exerc.* XVI. num. LXXVII. Suspensionem, quam Carolus Sigonius eodem errore cum crucifixione confundit, *de Republ. Hebræor.* lib. XI. cap. VIII. ad Lapidationem reducunt Talmudici. Suspensos vero de *infelici arbore*, (ut Livius, vel *stipite infami*, ut Seneca appellat) Lex divina Hebræis lata, ut omnis virtutis, ita & humanitatis magistra, eodem die a conspectu removeri, & humo mandari jubet, *Deut.* XXI. 22. & 23. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit* (sive juxta Hebraicam veritatem *pernoctabit*, LXX. οὐκ ἐπικοιμηθήσεται, *non indormiscet*) *cadaver ejus super ligno, sed sepeliendo sepelies eum in die ipsa.* Juxta quam legem Josue regem Hai, qui male acceperat Israelitas, & victoria insolentior factus fuerat, suspendi jussit *usque ad vesperam, & solis occasum*, cumque occideret sol, præcepit, ut deponerent eum, *Josue* VIII. 29. Et cap. X. 26. 27. Quinque reges Chananæorum e lignis suspensos ad vesperam ex lignis demitti jussit, ac projici in speluncam illam, ubi se prius absconderant. Hinc Josephus Historicus, *lib.* IV. *cap.* VII. *tantam Judæis*, ait, *esse curam sepulturæ, ut eos etiam, qui ad patibulum damnati sunt, ad solis occasum tollant, & humo mandent.* Quod si quæratur, cur suspensi cadaver non debuerit in ligno relinqui per noctem, sed eodem die artificiali ante solis occasum sepeliri, respondent Judæi, *quod ante sepulturam cadaveris anima ad quietem suam venire non possit, nec ab Angelis duci in thalamum Dei, sed interim vexari, & affligi a turmis dæmonum*: sed nugæ hæ sunt, & aniles fabulæ. Moses *loco alleg.* duas tradit rationes, 1. quia *maledictus est a Deo suspensus in ligno.* 2. *ne contaminetur terra.* Vide B. Gerh. *Comment. in h. l.* Christus humani generis sospitator, innoxius ille agnus, in crucem actus est more & supplicio Romano, sed & ante solis occasum a cruce depositus, & sepulturæ mandatus est, petente id Josepho ab Arimathæa, civitate Judææ, (quæ olim dicebatur Ramatha, eratque patria Samuelis, ut colligitur ex 1. *Reg.* cap. VII.) ut docet dilectus Jesu Discipulus in *Evangelio* suo cap. XIX. 38. Et quamvis postulatum Josephi Romanis legibus erat congruum, nihilominus tamen in potestate Judicis erat, censeretne corpora damnatorum in exemplum in furca relinquenda, an vero ad preces amicorum sepulturæ tradenda. Unde & ἐδωρήσατο dicitur *Marci* XV. 45. donavit & ex gratia concessit Pilatus corpus Jesu Josepho. Vide B. Gerhardi *Harmon. Evang. Histor. Passion. Christi* cap. XIX. Hinc ait Carolus Sigonius *de Republ. Hebræorum* lib. VI. cap. VIII. *Mos fuit, ut crucifixi cognatis ad sepulturam concederentur,*

A *quod & in Christo servatum est & in aliis, ut tradit Philo in Flaccum.*

Ἀταφίας exempla Judicio Dei constituta habemus in Sacris Literis; Domui Jeroboam Deus propter Idololatriam, sepulturam denegavit, 3. *Reg.* XIV. 11. *Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cœli, quia Dominus locutus est.* Jesabelem, uxorem Achabi, propter persecutiones, cædes & impietatem canibus dilaniandam objecit, 4. *Reg.* IX. 10. 35. 36. 37. Regem Jojakim ob scelestissima facinora, quibus se adstrinxerat, extra portas Hierusalem B projectum & putrefactum, sepultura asini sepultum iri prædixit *Jerem.* XXII. 19. his verbis: *Sepultura asini sepelietur, putrefactus & projectus extra portas Jerusalem*, id est, cadaver ejus insepultum abjicietur lacerandum a feris, & volucribus: sicut accidit asinis & equis. Chaldæus vertit; *sicut projiciunt cadaver asini, sic projicient cadaver ejus*, nempe insepultum relinquent sub dio, id quod ipsi evenisse testatur Josephus *lib.* X. Ἀρχαιολ. *cap.* VIII. De Rege Babylonio dicitur *Esaiæ* XIV. 11. *quod deducatur in sepulcrum fastus ejus, strepitus nabliorum ejus.* Hoc est, exponente C Dn. D. Samuele Glassio, *Philol. S.* lib. V. tract. I. cap. XII. *de Metamorph. a subjectis contin.* omni honore sepulturæ careat, justaque ipsa, quæ ei, ut potentissimo Regi, solvenda erant, velut sepulta jaceant, neque adhibeantur. Evenisse hoc ei ex *Dan.* V. colligi non obscure potest. Alias his similes comminationes Dei videbimus sequente capite.

Restat ut de Christianis dicamus. Hi autem, nisi qui rogo concremantur, aut in patibulis appenduntur, sepeliunt omnes; tametsi non omnes solemni ritu ac ceremonia. Canonistæ distinguunt inter sepulturam honestam seu Ecclesiasticam D & ignominiosam seu qualemcunque. Honestam appellant, cui adhibentur ceremoniæ ac ritus pro loci cujusque consuetudine solemnes. Ignominiosam vero, quæ fit extra locum consuetum, & ubi solemnitates ejusmodi omittuntur. Jus Canonicum (quod excoli cœpit Magistro Gratiano, Canonistarum parente, & progenitore, qui circa annum Christianum 1140. claruit) sepulturam Ecclesiasticam, sive quæ fit in loco consecrato, & adhibitis solemnibus, negat 1. Infidelibus *Paganis* sive Idololatris, & *Judæis* c. *Ecclesiam* & cap. seq. *de consecr.* distinct. 1. 2. *Hæreticis*, etiam post mortem damnatis, c. *sa*E*ne profertur* 24. q. 2. cap. *si quis episc. de hæret.* cle. 1. de sepul. pertinacibus puta hæreticis, hoc est, qui in fundamentalibus fidei articulis errant, atque errorem suum pertinaciter defendunt. 3. *Manifestis Usurariis*, qui scilic. ob hoc crimen jam a Judice per sententiam damnati, & in hoc peccato decedunt, cap. *quia in omnibus de usur.* cle. 1. & cap. *quamquam de usur.* in 6. 4. *Mortem sibi consciscentibus*, cap. *placuit* 23. quæst. 5. ubi tamen inter αὐτόχειρας distinctio adhibenda, de qua vide B. Gerhar. *Loco Theol.* VIII. *de Morte*, num. XXXVII. 5. *Excommunicatis*, c. *Sicut de hæret.* c. fi. *de sepult.* 6. *Blasphemis, impœnitentibus*, F c. *statuimus de maled.* 7. *Monachis proprietariis*, sive *proprium habentibus*, c. *super quodam, de statu monachor.* Vide Kornmannum *de Mirac. Mortuor.* part. VII. cap. LV. 8. *In torneamentis morientibus*, c. 1. *de torneament.* Id quod de illicitis torneamentorum generibus accipiendum, inquit Sigismund. Finckelth. disp. *de jure Sepult.* th. XIII. quæ non virtutis, sed lucri forte solius gratia instituuntur, & magis temeritatem, quam fortitudinem præ se ferunt. 9. *Non communi-*

cantibus ſemel in anno, nec confitentibus, c. *omnis utriuſque de pœn.* niſi ſigna contritionis oſtendant. 10. *Raptoribus*, qui pertinaciter, cum poſſint, in vita non ſatisfaciunt, & in morte non poſſunt. c. 11. *de rapt.* xi. *Quibus interdictus ingreſſus Eccleſiæ* c. xv. *cui de ſent. exc.* in vi. &c. Et in ſumma, *Sacris eſt canonibus inſtitutum*, inquit Innocentius, *ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis: & ut careant Eccleſiaſtica ſepultura, qui prius erant ab Eccleſiaſtica unitate præciſi, nec in articulo mortis Eccleſiæ reconciliati fuerint*, c. *ſacris de ſepult.* Confer Kormannum *de Miracul. Mortuorum* part. vii. cap. xi. Concilium Braccarenſe 1. de illis, qui ſibi ipſis manus inferunt, ita ſtatuit *Canone* xxxiv. *Item placuit, ut, qui ſibi ipſis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut ſuſpendium, aut quolibet modo violentiæ inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Pſalmis ad ſepulturam eorum cadavera deducantur.* Non ergo hos, alioſque notoriæ impietatis homines omnimoda humatione at funeratione arcebant, ſed honorificam illam funeris ad loca conſueta, cum campanarum pulſu, Pſalmodiarum concentu aliiſque uſitatis ceremoniis deductionem illis denegabant, quod adhuc hodie obtinet. Hinc Agenda Brunſvvicenſis: *Adulteri, ſcortatores, fures, uſurarii & ſimiles, qui ab omni uſu Sacramentorum abſtinuerunt, & ad paſtoris ſui vocem vitam in melius non commutarunt, & in flagitiis & ſceleribus ſuis mortui ac ſepulti ſepeliantur cum aliis Lutheranis in communi cœmeterio, ſed tamen ſine proceſſione, ſine cantu, aliiſque Lutheranis Ceremoniis.* Quod ſi de facto in cœmeterio Eccleſiaſtico ſepultus, qui ſepeliri prohibitus aut excommunicatus, effodi & ejici jubebatur olim, ſi oſſa diſcerni poterant, c. *jam citat. ſacris, de ſepult.* In cœmeteria honeſtis hominibus condita facinoroſorum corpora inferri nefas habitum fuiſſe, exemplo docet Baldericus, in *Chronico Cameracenſi* lib. iii. cap. xx. Beda, qui ex vitæ ſanctitate morumque gravitate venerabilis cognominatus eſt, lib. v. *Hiſtor.* cap. xv. de quodam Fabro in deſperatione mortuo refert, *quod Monachi eum in ultimis Monaſterii ſui, in quo obierat, locis humarint, nec Pſalmos pro eo cantare voluerint.* Pontificii *Infantes Chriſtianorum, qui* ἀβάπτιστοι ſive *ante ſuſceptum Baptiſmum* demortui ſunt, vel *extra cœmeterium* vel *in peculiari aliquo cœmeterii angulo*, abſque Chriſtianis ritibus & cantionibus ſepeliunt, eam ſcil. ob cauſam, quia illos *abſolute damnatos, atque in æternas tenebras detrudendos eſſe*, ſtatuunt, vide Bellarminum lib. vi. *de amiſſ. Grat. & ſtatu peccati* cap. 1. Lindanum lib. iv. *Panopl.* cap. xv. Maldonatum *in Matth. cap.* xxv. 23. Canum in *Relect. de Sacram.* part. ii. §. *afferent.* Azorium lib. ix. *moral.* cap. xxxiii. §. *tertio.* Sed cum conſtans ſit (*a*) Theologorum noſtrorum ſententia; *Infantes Chriſtianorum ob cauſam neceſſitatis divinitus immiſſæ, abſque parentum ſuorum incuria & negligentia, ſive in utero materno, ſive poſt egreſſum ex illo, ante & citra Baptiſmi perceptionem extinctos non damnari, ſed ex immenſa Dei gratia & miſericordia extraordinarie in illis operante ſui peccati remiſſionem adeptos ſalvari*, hinc illos conſueto ſepulturæ honore afficimus, juxta Conſtitut. Eccleſiaſtic. Auguſti Electoris in articulis generalibus cap. xv. pag. 335. ordinationem. Recte & pie Dn. D. Feurbornius Faſciculo ii. *Diſſertat. Theol.* diſput. vii. theſ. lxxxix. *Si Deus ex infinita ſua miſericordia & benignitate eorum animas e corporibus profectas ſtatim donat æterna beatitudine & decorat cœleſti gloria, (ut in Theoremate antegreſſo tertio probavi) cur nos ipſorum corpora afficiamus dedecore & labecula? 2. Iſti infantes ſunt Chriſtianorum ſemen & ſoboles. Cur non ergo eodem cum parentibus ſuis dormitorio gaudeant? 3. Quando infantes tales orbantur conſtituto cœmeterio, tum parentes, quibus illi cari fuerunt, conjiciuntur in majorem luctum, & ignominia ipſorum redundat in hos. Quod fieri non debebat. 4. Nulla urgente ratione nititur illa conſuetudo, qua tales infantes aut prorſus privantur communi Chriſtianorum cœmeterio, aut in aliquo ejus angulo humantur, ſiquidem hujuſce rei ratio eſſe nequit eorum damnatio. Non enim damnantur, ſed ſalvantur. Et certe ſi vel maxime damnentur, (ut tamen verum non eſt) quis inde recte concludat, eorum corpora non eſſe humanda in ipſo cœmeterio? Nonne proh dolor multi adulti Chriſtiani moriuntur* ἄπιστοι καὶ ἀμετανόητοι, *ipſorumque* ἀπιστία *ſæpe ex effectibus perſpicitur, nec tamen ipſorum, quando ex hac vita migrarunt, corpora vel conſueto privantur dormitorio, vel in aliquo ejus angulo reconduntur, niſi aperte fuerint facinoroſi.* Hæc ille. Confer B. Gerhard. in *Locis Theolog.* tract. *de Morte* §. 139. (*b*)

Cap. IV.

Sepulturæ carentia pro ignominia pœnaque gravi ſemper habita, & pro graviori exhumatio.

Quanquam Poetarum Principi, Maroni; *Facilis jactura ſepulchri*: Et, *Cœlo tegitur, qui non habet urnam*, juxta Lucan. *lib.* vii. *Nec damno nec pudore affici poſſunt mortui, cum nihil ſentiant*, ut monent Homerus, Æſchylus, Sophocles, Moſchio & alii, vide Stob. *tit.* cxxvi. & Soph. in *Ajace*: unde & Ziſca dux Huſſitarum naturæ debitum ſoluturus edixit, ut cutis ſibi poſt mortem detracta in tympani uſum concederet, Æn. Sylv. lib. iii. *Comment. de rebus geſtis Alphonſi Reg.* Neque ad ſalutem quicquam prodeſt, utrum ſepulti an inhumati mortui jaceant, nec aliquid nocet fidelibus, negata eorum corporibus ſepultura, Auguſtin lib. *de cura ſuſcipienda pro mortuis*. Cuſtodit enim Deus omnia oſſa piorum, *Pſalm.* xxxiv. 20. Tamen uti ſepultura honeſta inprimis, beneficii, præmii ac honoris, ita contra denegatio ejuſdem ignominiæ & pœnæ loco ſemper eſt habita. Eoſque miſeros judicarunt plerique & infelices, quorum cadavera inſepulta jacerent, quibuſque hic ſupremus humanæ conditionis honos deeſſet. Sane Ariſtoteles *Rhetor.* lib. 1. cap. v. Sepulturam inter honoris ſpecies refert, inquiens, μέρη δὲ τιμῆς τάφοι, εἰκόνες, &c. *partes vero honoris ſunt ſepulchra, ſtatuæ.* Sepulturæ vero carentia apud Virgilium *malum* appellatur lib. vi. *Æneid.*

Eripe me his, invicte, malis, & tu mihi terram
Injice.

Imper. Veſpaſianus Sepulturæ privationem in

(*a*) Theologos intellige ſchiſmate ac hæreſi ab Eccleſia catholica ſejunctos.

(*b*) Hæc hæreticorum ſententia, eorumque ratiunculæ ſatis ſuperque refelluntur prudentiſſima Auguſtini animadverſione, quæ libro 1. de peccat. merit. & remiſs. habetur: *Nulla ex arbitrio noſtro ſalus æterna præter baptiſmum Chriſti promittatur infantibus, quam non promittit ſcriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda.* Videantur ſcriptores catholici.

gravium pœnarum numerum retulisse videtur, dum in augmentum *pœnæ Conjuratorum addendum censuit; ut insepulti projicerentur*: ut supra ex Suetonio in *ejus Vita* cap. II. retulimus. Grave judicatum est, ait Olympiodorus in *Cat. Job.* cap. XV. animadversionis genus sepulturæ spoliari honore, & inhumatum jacere. In atrocitate pœnarum illud est, inquit Petrus Gregorius Tholosanus, *Syntag. Juris Universi* lib. XXXII. cap. XXIX. n. I. non sepeliri, sed vel avibus laniandos exponi, vel membra alicubi in terrorem malefactorum suspendi, quia non sepeliri pœna per se. Unde & Melchior Junius *Quæstion. Politicar.* quæst. CIX. *In jure præterea pœnæ gravissimæ loco habetur*, inquit, *non permitti, ut corpora sepeliantur*. Refert Barthius, autor antiquitatis optimus l. XXXV. *Advers.* cap. V. *Maximam pœnam fuisse mancipiorum, abjici insepulta. Pœna maxima*, inquit Drexelius in *Tobia* part. I. cap. IV. §. I. *privari sepultura, quod patibulatis fit & sua manu jugulatis*. Nec pœnæ saltem loco, sed etiam ignominiosum valde habebatur apud priscos Gentiles nudum jacere cadaver. Deprecatur hanc ignominiam Archytas Tarentinus Philosophus apud Horatium lib. I. *Carminum* oda XXVIII. ubi orat nautam, ne se naufragum insepultum jacere patiatur, sed aliquantulum arenæ corpori injiciat:

Quanquam festinas, inquit (*non est mora longa*) *licebit*
Injecto ter pulvere curras.

Respicit Venusinus Vates ad legem Atticam, quæ jubebat, *ut si quis in insepultum hominis cadaver incideret, saltem ei terram injiceret*, Ælian. libr. V. *Variar. Histor.* c. XIV. Sensus legis erat, ut si quis in cadaver aliquod inhumatum in via sibi fortuito, ut fit interdum, objectum, incideret, & totum terra obruere per temporis angustiam non posset, tantum plena manu ter jacta terra aliqualem saltem sepulturam faceret. Ulysses apud Euripidem in *Hecuba* mavult in vita re esse tenui, quam honorata carere sepultura. Barr. lib. II. *Advers.* cap. VII. Olympiadem, prodit historia, cum inaudisset, filium Alexandrum Magnum (area cui totus parvula mundus erat) diutius sepulturæ honoribus exutum jacere, graviter indoluisse; O Fili, tu quidem cœlum tibi vendicare satagebas; at nunc, quæ cæteris ex æquo communia omnibus censentur, ne iis quidem potiri potes, terra & conditorio. Ælian. *l.* XIII *c.* XXX. C. Rhodig. *lib.* XI. *cap.* LXXXI Eandem infelicitatem deplorat C. Vellejus Paterculus in Pompejo magno, Principe, ut ipsum vocat, Romani nominis, lib. II. *Histor.* cap. LIII. *Hic* (de jugulatione ejus loquitur) *post tres consulatus & totidem triumphos, domitumque terrarum orbem, sanctissimi ac præstantissimi viri, in id evecti, super quod ascendi non potest, duodesexagesimum annum agentis, pridie natalem ipsius, vitæ fuit exitus: in tantum in illo viro a se DISCORDANTE fortuna, ut cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam*. Hanc ignominiam ut a parente suo averteret Cimon, vincula subibat, quibus ille ligatus erat. Cimon, inquam, Atheniensis, cum pater ejus Miltiades litem æstimatam populo solvere non potuisset, ob eamque causam damnatus in vinculis publicis decessisset, nec per leges liceret funus efferre, nisi pensitata pecunia: & ille non esset solvendo, translatis in se vinculis, patrem ad sepulturam redemit. Hinc egregia illa laus Cimonis apud Valerium Maximum *l.* V. *c.* IV. *Nec te quidem Cimon silentio involvam, qui patri tuo sepulturam voluntariis vinculis emere non dubitasti*. Apud Judæos insepultum abjici aut relinqui pro summa habebatur ignominia & infelicitate. Est inter pœnas Jesabeli comminatas atrox: *Non erit, qui sepeliat eam*, IV. *Reg.* IX. 10. Apud *Ecclesiastem* cap. VI. 3. *& sepultura non est ei, dixi, melior est eo abortivus*: melior, id est, felicior. Non enim pars minima infelicitatis erat sepultura carere, ut annotat ad hunc loc. Drusius in *Præteritis* lib. X. *ad Apocal.* XI. 9. Notæ sunt graves illæ comminationes Dei apud Jeremiam: *Non colligentur & non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt*, *Jerem.* VIII. 2. & Ezechielem, *super faciem terræ cades, non colligeris, neque congregaberis; bestiis terræ & volatilibus cœli dedi te ad devorandum*, *Ezechiel.* XXIX. 5. Apud Jeremiam minatus est Deus Joacimo *sepulturam asini*, *Jerem.* XXII. 19. quod dignior esset consortio bestiarum, quam hominum, qui ab illis etiam post mortem humatione separantur. Hinc adagium, *Sepultura asini sepelietur*, Chaldæus, *Sicut projiciunt cadaver asini, sic projicient cadaver ejus*, hoc est, ἀκηδῶς sive sine sepultura relinquetur. Olympiodorus in supra dictum c. VI. *Ecclesiastæ*: *Doctor*, inquit, *qui bene docet, & male vivit, sepultura asini sepelietur*. Asini sepulturam Græci ἄταφον τάφον vocant. Juxta Ciceronem *Philip.* I. dicas insepultam sepulturam. Est autem Asini sepulchrum *sordidus aliquis & apertus locus, qui neque tegat cadaveris horribilem & obscœnam speciem, neque canes aut volucres a laceratione probibeat*, ut exponit Sanctius *in lib.* IV. *Reg. cap.* XXIV. n. 9. quod ipsum explicat etiam Jeremias *c.* XXXVI. 30. *Cadaver ejus projicietur ad æstum per diem & ad gelu per noctem. Maledictionis divinæ signum fuisse*, dicit Calvinus Comm. *in lib.* I. *Samuel c.* XXX. *corporum illam abjectionem, non vero semper regulam istam locum obtinere, nempe ut sepultura sit favoris Dei signum, contra vero insepultum jacere maledictionis testimonium. Id quod probat exemplo divitis epulonis, qui cum honore sepultus dicitur, & Lazari, de cujus sepultura nulla fit mentio, ut sine honore corpus ipsius abjectum videatur*. In quem sensum Augustinus lib. I. *de Civit. Dei* cap. XII. & lib. *de cura mort.* cap. II. *Præclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diviti turba famulorum, sed multo clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium exhibuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrabæ gremium sustulerunt*. Dicitur quidem *Psalm.* LXXIX. 2. *Posuerunt cadavera servorum tuorum escam volatilibus cœli, carnem sanctorum tuorum bestiis terræ*: & vers. 3. *effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam, & non erat, qui sepeliret*. Sed hæc magis ad exaggerandam crudelitatem istorum, qui ea fecerunt, quam ad eorum infelicitatem, qui ista perpessi sunt, dicuntur, ut observat B. Gerhardus *Loc. Theol.* VIII. *de Morte* n. 83. Hanc crudelitatem perpessa sunt antiquitus Martyrum & piorum Christi Confessorum corpora. Quod cum ægre ad nodum ferrent Christiani reliqui, Martyrum scilicet corpora feris avibusque exponi, etiam capitis periculo noctu solebant surripere, si quando minus accurate custodirentur. Vide Marcum Velserum *Commentario ad passionem S. Afræ & sociarum*. In quam sævitiam maxime invehitur Lactantius lib. V *Institut.* cap. XI. *In cineres furiunt*, inquit, *ne quis extet sepulturæ locus. Quasi vero id affectent, qui Deum confitentur, ut ad eorum sepulchra veniatur, ac non ut ipsi ad Deum perveniant. Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ insania est, lucem vivis, terram mortuis denegare?*

Cæterum uti in ignominiam & pœnam ſæpe ſepultura prohibebantur mortui: ita contra ſolebant interdum propter atrocia facinora vivi in terram defodi. Sic Core, Dathan & Abiram, qui maledica in Moſen ora aperuerant, vivi terræ rictu atque hiatu deglutiebantur, *Num.* XVI. 30. 33. *Deſcenderunt ipſi & quidquid ad eos pertinebat;* quæ verba omiſit Vulgatus Interpres *vivi Scheolah, operti humo*, id eſt, inquit Eſtius *in h. l. vivi in terram deſcenderunt, & terra operti ſunt quaſi vivi ſepulti*. Sed non tantum in ſepulchrum, ſed etiam in infernum deſcenderunt, utpote non temporalibus duntaxat, ſed etiam æternis affligendi pœnis.

Sic Virgines Veſtales, ſi eas temerari contigiſſet, hoc ſupplicio, tanquam αἰσχίστῳ & miſerabiliſſimo, fuiſſe mulctatas, literis proditum eſt. Nam in campo ſcelerato vivas apud Romanos ſepultas fuiſſe, legimus apud Plutarchum in *Numa Pomp.* Et ex *Conſtitut. Crim.* Caroli 131. eidem pœnæ ſubjiciendi ſunt infanticidæ. Exhumari vero, neſcio annon intolerabilius dedecus, quam inhumatum relinqui? *Pœna graviſſima*, inquit ſupra citatus Tholoſanus *Syntagm. Jur. Univerſ.* lib. XXXIII. cap. XXIII. n. 32. *habita ſacrilegii & proditionis in Attica, non ſepeliri ex lege apud Xenophontem lib.* I. Ἑλλην. *Cujus & meminit Æmilius Probus in Themiſtoclis Vita. Et pro pœna atrociori eruere ex ſepulchro oſſa.* Exhumationis exemplum habemus in Sacris, & quidem in *Hiſtoria Regum*, ubi Joſias, religioſiſſimus Deoque chariſſimus Rex, facinoroſorum ſacerdotum oſſa, ſepulchris refoſſa, flammis perdidit, 4. *Reg.* XXIII. 16. In hiſtoriis profanis de Sylla Dictatore dicitur, quod Caii Marii oſſa eruta in fluvium mergi juſſerit, moriens ſe cremari voluerit, veritus talionem, ne idem ludibrium ab hoſte cadaver ejus pateretur. Vide Plinium *Nat. Hiſt.* lib. VII. cap. LIV.

CAP. V.

Funeris elationem antecedentia exhibens.

ENarraturus, quæ domi Defunctorum corporibus adhiberi, & Funeris ἐκφορὰν ſeu *ductionem* antegredi conſueta priſcis ſæculis, non perſequar pluribus, quæ morientibus ſunt exhibita, quomodo videl. illos, qui jam in extrema vitæ tegula conſtituti, quorumque anima in ſummo quaſi ore verſari & ad exitum feſtinare videbatur, ſanguine proximi, & cæteri ſui, qui præſentes erant, amplecti & oſculari fuerint ſoliti, donec animam exhalarent, quemadmodum Jacobum Patriarcham in complexu & oſculis Joſephi, patriæ ſenectæ cultoris ad exemplum egregii, *Gen.* L. 1. & Auguſtum Cæſarem in oſculis Liviæ deceſſiſſe, apud Suetonium in *Vita ejus* legimus; (oſcula autem morientibus dare priſco more uſurpatum eſt, partim, quia, ut peregre abeuntes, ſic quoque ex hac vita emigrantes oſculo dimittendos eſſe cenſebant; partim quia exeuntem animam hoc modo excipere appoſito hiatu, & in ſe transferre ſe poſſe, ſtulta credebat Gentilitas. Vide Alexandrum ab Alexandro & Tiraquelli in eundem *annotat. Genial. Dier.* lib. III. cap. VII. itemque Kirchmann. *de F. R.* lib. I. cap. V.) Quomodo morientium digitis annulos detraxerint, unde Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* I. circa finem: *Gravatis ſomno*, inquit, *aut morientibus religione quadam annuli detrahuntur;* A aut (quæ Judæis erant peculiaria) eorum pollices eo artificio in volam depreſſerint, ut pugni rugæ cognomentum Dei שדי (quod *Omnipotentem* ſignificat) *Gen.* XVII. pulchre repræſentent, ut ex authore ritualis libri *Minhagim* cap. ult. refert Wilh. Schickardus in *Jure Regio Hebræorum* cap. VI. theor. XIX. & a morituris Legis volumen, ne immundæ rei præſentia idipſum pollueret, removerint, ut idem docet *loco citato*. Quomodo denique ægroto ultimum ſingultiente & animam exhalante adſtantes veſtes ſuas laceraverint, de quo ritu videatur Doctiſſimus Chriſtianorum Rabbi Buxtorfius, *Synag. Judaicæ* cap. XXXV. & Schic- B kardus *loco* jam *dicto*.

A Lotione autem, quæ jam vita functis adhiberi conſuevit, ordiar. Oculis enim demortui compreſſis, (quod officium præſtiterunt invicem cognati, vid. uxores maritis, mariti uxoribus, parentes liberis, & vice verſa liberi parentibus, amici amicis. De Lege Menia, ne filii parentum comprimerent oculos, vide Kornmannum *de Mirac. Mort.* part. VII. cap. IX. præſtitit vero id officii patri Jacobo filius Joſephus, *Gen.* XLVI. 4. ſocerisque ſuis Tobias junior, *Tob.* XIV. 14. item apud Homerum *Odyſſ.* XXIV. v. 293. marito Penelo- C pe, Τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων, *hic enim honos mortuorum*, additur ibidem) ore decenter compoſito, membriſque cæteris ad priſtinam & naturalem corporis formam reductis, lavari ſolebat corpus exanime, forte ut unctioni mox ſecuturæ aptius foret. Hic ritus priſcis Romanis, ut plerique alii, cum Græcis erat communis. Quod longa exemplorum ſerie probare ſupervacaneum eſſe puto, neque enim opus in re tam levi adeoque manifeſta multis verbis. Dardanis, quorum regio Macedoniæ erat contermina, maxime ſolemnis fuit hujuſmodi Lotio, quod Ælianus refert lib. IV. *Variæ Hiſtor.* cap. I. Ὅτι Δαρδανεῖς τοὺς ὑπὸ Ἰλλυριῶν ἀκούω τρὶς λούεσθαι D μόνον παρὰ πάντα τὸν ἑαυτῶν βίον, ἐξ ὠδίνων, καὶ γαμοῦντας, καὶ ἀποθανόντας. *Dardanenſes Illyricos ter tantum lavari audio per univerſam vitam, & poſt partum, & cum nuptias inirent, & poſt mortem.* R. Moſes Ben Maimon (qui a ſuis primis literarum notis רמבם *Rambam*, & ob inſignem eruditionem, qua polluit, נשר הגדול, *aquila magna*, vocatur, teſte Schickardo, quique vulgato hoc dicto a Judæis celebratur; A *Moſe* (Legiſlatore) uſque ad *Moſen* (Maimonidem) non fuit ſicut *Moſes*) prolixe ſatis & accurate deſcribit morem circa ſepulturam apud Judæos, volumine II. ſui Operis, cujus frons eſt Maimoni. In tractatu *de luctu* cap. IV, §. E 1. inter alia & lotionis meminit; accipe verborum ejus ſententiam: *Mos vel conſuetudo eſt in Iſrael circa mortuos, & eorum ſepulturam, ut, cum quis mortuus eſt, ejus oculos occludant, & ſi os ipſius fuerit apertum*, aut hians, *maxillas ejus ligent*, (aſtringebatur inferior maxilla, tenui faſcia ad verticem) *ne iterum aperiatur. Obturatur etiam locus, per quem excrementa ejiciuntur, ſed hoc poſtquam corpus fuerit LOTUM.* Idem teſtatur ante laudatus Joh. Buxtorfius *loc. all. Aqua calida*, inquit, *ſtudioſe abluitur mortuus, ut purus & mundus ſit, quum peccatorum ratio reddenda erit. Ovum* F *inſuper acceptum cum vino agitantes permiſcent, & capiti illius illinunt.* Liber *Minhagim* cap. ult. man iſt das *meth* (todte) *metaber* (ſaubernd) dieveil er ſoll *din* (rechenſchafft) geben vor dem *Bore* (Schöpffer) das er ſoll geſaubert ſeyn. Chriſti Salvatoris noſtri ſanctiſſimi & immaculati illius agni corpus poſt mortem non modo unctum, ſed & ablutum fuiſſe, ex antiquis docet Joh. Chryſoſtomus, totius Orbis terrarum Doctor, ut eſt apud Theodoretum, Græcorumque Patrum, quorum hodie exſtant lucubrationes, πολυγραφώτα-

ρος, *Homil.* LXXXIV. *in Joann. Mihi videtur nobilissimum fuisse Joseph, quod ex sepulchro constat, & Pilato erat notus, quare impetravit & sepelivit JESUM, non ut reum, sed magnifice, secundum Judæorum consuetudinem*, &c. *Cum autem tempore urgerentur, hora enim nona mortuus fuerat, & dum peteret eum a Pilato, & dum LAVARENT, jam vespera adventarat*. Idem ex recentioribus docet Alphonsus Salmeron, unus ex x. Jesuitis primis & Collocutor in Concilio Tridentino, Tom. x. ubi *de Sepultura Christi*. Epiphanius, qui hæreticis ab origine Ecclesiæ ad sua usque tempora recensendis incubuit, *Homilia de Sepultura Domini* Josephum ab Arimathæa ita affatur: *Anne aqua Dei illius corpus abluis, qui a peccatis abluit & expiavit, omnibusque puritatem tribuit?* Balduinum Hierosolymorum Regem ad Flandros suos ex Palæstina pretiosas, & mundas sordes ex abluto corpore mortui Christi existentes per Abbatem S. Bertini misisse, narrat Lorinus *in cap.* IX. *Actor.* v. 37. Cæterum feralem hanc lotionem in primitiva Ecclesia etiam fuisse usitatam, ex jam dictis *Apostolorum Actis* cap. IX. 37. liquet: *Factum est autem in diebus illis, ut infirmata* (Tabitha) *moreretur, quam cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo*. Dionysius Alexandrinus, S. Cypriani æqualis & Origenis discipulus, ceremonias in Christianorum Funeribus usitatas studiose recenset apud Eusebium lib. VII. *Histor. Eccl.* cap. XVII. *Sanctorum corpora manibus erectis supinisque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter accurate, & linteo funebri involvere non gravati sunt*. Hæc ille. Lorinus *in Actuum Apostolorum cap.* IX. v. 37. & Jacobus Gretserus *de Funere Christiano* lib. I. cap. I. morem hunc abluendi defunctorum corpora inter alia probant ex S. Gregorii *Dialogis*, sed *Dialogos* hosce supposititios esse, & S. Gregorii nomine indignos, prolixe probat Robertus Cocus, *Censur. Scriptorum Vet.* in Gregorio M. (*a*) Alexium Imp. ab omnibus fere ministris adeo desertum esse, Zonaras scribit, ut ferme nulli fuerint, qui cadaver ipsius postremis lavacris purgarint; ut referunt Centuriatores Magdeburgenses insignis Operis sui, & quale pristina ætas nunquam viderat, *Centur.* XI. *cap.* VI.

Ipsum autem hoc lotionis munus plerumque obibant mulieres; quæ peculiari nomine *Funeræ* dicebantur apud Romanos, unde versus Ennianus;

Tarquinii corpus bona fœmina lavit, & unxit.

Alludit eodem in Platonis *Phædone* Socrates cicutæ poculum hausturus: *Ac fortasse jam tempus est eundi in lavacrum. Nam mihi quidem consultius videtur, me prius lavari, quam bibam venenum: nec mulieribus negotium facessere, ut mortuum lavent*. Idem apud Christianos quoque obtinuit. Lotionem insequitur Unctio & Conditura, unguentorum usu invalescente, Romanis pariter & Græcis familiaris. *Postea unguenti voluptas a Romanis inter laudatissima atque etiam honestissima vitæ bona admissa est; honosque is & ad de-*

(*a*) Hos Dialogorum libros germanos Gregorii magni fœtus, probant ac evincunt, ut bene multos præteream, Monachi Benedictini operum SS. Pontificis editores, & Natalis Alexander in Hist. Eccl. seculi VI.

A *functos pertinere cœpit*, inquit Plinius *H. N.* lib. XII. cap. I. In eo vero hallucinari ibidem Naturæ Bibliothecarium ostendit Kirchmannus *de Fun. Rom.* lib. I cap. VII. quod a Persis primum ab Alexandro Magno devictis usum unguentorum ad Romanos Græcosque transiisset scribat, cum longe ante Darium devictum unguenta vel in ipsa funeratione a Romanis fuerunt usurpata, quod ex lib. XII. *Tab.* servilem uncturam prohibentibus colligi omnino potest. Alphonsus Salmeron Jesuita Tractatu XLIX. *de Sepultura Christi* p. 402. dicit *Romanos ejusmodi odoramentis, & aromatibus eos solos efferre consuevisse, quos in Deorum* B *numerum referre voluerint*. Quod mihi non fit verisimile. Athenæus Græcorum Varro aut Plinius (juxta Casaubonum Ep. ad Lector. super *animadvers. in Ath.*) autor est *lib.* XV. priscos Græcos adeo fuisse unguentorum studiosos, ut exploratum haberent, ecquod unguentum cuique membro humani corporis esset accommodatum. Qui Romæ odoribus, & unguentis mortuorum corpora obliniendi ministerio fungebantur, Pollinctores dicebantur, cur & unde, nec dum inter doctos convenit. Erant autem servi Libitinariorum, (a Libitina Dea, in cujus æde C asservabantur, quæ ad instructionem funebrium pomparum erant necessaria, sic dictorum) qui quicquid ad exsequiarum apparatum pertinebat, locare aut vendere, & operam suam illis, quorum erat funus mortui curare, elocare solebant. Vide Valerium Maximum *lib.* V. *cap.* II. Hinc Ulpianus Juris actor *l.* 5. *ff De inst. Action. Si Libitinarius, quos Græce νεκροθάπτας vocant, servum Pollinctorem habuerit, isque mortuum spoliaverit*, &c Hic ritus ungendi mortuos Ægyptiis fuit familiarissimus: *Ægyptiis mos est*, inquit Plinius *H. N.* lib. II. cap. XXXVII. *cadavera adservare medicata*, id est, uncta & condita aromati- D bus. Idem Tullius I. *Tuscul. Mortuos Ægyptii condiunt, & eos domi servant*. Etiam adhuc hodie ad nos ex Ægypto adferuntur corporum conditurae sive condita corpora, quæ in officinis *Mumiæ* appellantur. *Est enim Mumia in substantia humidus ille succus, & virtus hominis, Aloe, Myrrha, Pissasphalto uncti & illiti & interius expleti, imo etiam optimo croco, itemque nobilissimo & vero balsamo, sive ejus vice oleo de cedro peruncta, ita ut non solum peruncta ista caro & ossa sunt vera Mumia, ut vulgo creditum est, sed aromaticus ille balsamicus succus, sanguis & virtus simul vera Mumia sit, & vocetur, & est secun-* E *dum omnium medicorum consensum & sententiam Diacatholicon, ad multos & varios morbos*. Ita Joachim. Struppius in *Consensu Medicorum de vera Mumia*. Aromatibus condiverunt Medici Ægyptii, quos LXX. Senes ἐνταφιαστὰς aptissimo vocabulo vocant, demortuum Israelem jussu Josephi *Gen.* L. 2. 3. ipsumque Josephum magnum Ægypti Proregem, extrema *Genes.* Ben. Pererius ad prædictum *caput* num. 2. *Circa illud*, ait, *ut aromatibus condirent patrem, monendum est Lector, quomodo hic dicitur Jacob & Joseph fuisse aromatibus conditos, eo modo neminem legi in Scriptura V. Testamenti fidelium, & cultorum DEI* F *fuisse conditum ac sepultum, nec ante Jacob & Joseph, nec post eos usque ad Asa Regem Juda, quem traditur lib.* II. *Paralipp cap.* XVI. *post mortem positum esse super lectum suum plenum aromatibus & unguentis*, &c. Idem observat Lorinus *in Act. Apost.* cap. IX. 37. *De Josephi cadavere, mirum aliud referunt* (Rabbini) inquit Schickardus *de Jure Reg. Hebr.* cap. VI. *fuisse id fumo tostum, & in aquis Nili contra putredinem diutissime asservatum, donec universus populus ex Ægy-*

pto egressus id secum in terram Canaam asportarit. A
Vetustissimus Græcos inter Historicos, qui hodie extant, Herodotus, *historiæ parens*, (ut eum appellat Cicero I. *de Legib.*) qui ante natum Christum 420. annis claruit, eo videlicet tempore, quo Esdras & Nehemias Rempubl. Judaicam instaurarunt, modum condiendi Ægyptiacum accurate describit medio *libro* secundo, potissima hæc sunt: Apud Ægyptios homines certi sunt ad hoc ipsum constituti, qui illis, (qui optime & sumptuose condiri voluerunt ferro incurvo, per nares cerebrum educunt, ejusque locum medicamentis & odoribus explent: dehinc acutissimo lapide Æthiopico illa conscissa & alvum omnem extrahunt, quam post repurgationem iterum in sedes suas reponunt ac infarctis odoribus consuunt. Postea saliunt intro abditum septuaginta dies. His exactis cadaver abluunt, sindone totum involvunt gummi illinentes, & in ligneam hominis effigiem ad hoc factam includunt atque ita reponunt. Diodorus Siculus, qui inter Græcos nugari desiit, (teste Plinio in *præfat. H. N.*) lib. I. *Biblioth.* nu XCI in hunc modum Ægyptiorum conditura n describit: *Quamprimum ad secti cadaveris curationem convenere*, (Taricheutæ sive qui cadavera condiunt) *unus per hiatum manu ad præcordia immersa, quicquid intestinorum est præter cor & renes extrahit. Alius alvum cum visceribus singulis repurgatam, vino palm e, aromaticisque odoribus perluit. Lotum denique cadaver ad dies plures* XXX. *unguento primum cedrino, aliisque delibutum reddunt. Myrrha deinde ac cinnamomo aliisque non longiori tantum conservationi, sed etiam fragrantiæ aptis conditum propinquis reddunt.* De hodierno Ægyptiorum more, quomodo latus demortui aperiant, cor renesque extracta vino Phœnicio odorifero lavent, postea 30 amplius dies cedrino aliisque unguentis pretiosis ungant, &c. Vid. Joh. Boem. lib. I. *de Afric.* cap. V. & Furerus *Itin. Ter. S.* p. 25. item Schvveiger. *Itin. Ter S.* p. 274.

Morem hunc condiendi defunctorum corpora aromaticis unguentis, aut certe aliquid ejus Israelitæ secum ex Ægypto Palæstinæ intulisse videntur. Hinc Moses Maimonides, Doctor Hebræorum maximus, juxta Heinsium in *Aristarcho* p. 415. supra citatis verbis subjungit; *ex diversis aromatum speciebus ungitur.* Idem docet experientia, cujus testis Historia Sacra; sic enim de funere Regis Asæ dicitur 2. *Paralip.* XVI 14. quod posuerint eum super lectum suum plenum aromatibus & unguentis. Sic quoque Maria, quam Chrysostomus *μαθήτριαν* appellat, Salvatorem unxit ante passionem unguento pretiosissimo sive moris sive honoris ergo. Hinc Christus idoneam inde mortis & sepulturæ suæ prædicandæ occasionem arripiens, ait apud Triadem Evangelistarum, *Matth.* XXVI. 10 *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me.* v. 12. *Mittens enim hoc unguentum in corpus meum πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με, ad funerandum me fecit.* *Marc.* XIV. 8. *Quod habuit, ipsa fecit, antevertit unguento linere corpus meum εἰς τὸν ἐνταφιασμὸν, ad funerationem.* Et *Joh.* XII. 3. *cum Maria accepta libra unguenti nardi pretiosi unxit pedes Jesu:* & v. 7. *Sine eam*, dicit obmurmuranti Judæ, *εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου, in diem pollincturæ meæ servavit illud.* Est autem *ἐνταφιάζειν*, ad sepulturam parare, unde *ἐνταφιαστὴς, qui id agit*, (interprete Augustino lib. I. *Locutionum* Tom. III.) *quod exhibetur corporibus humandis vel condiendo, vel siccando, vel involvendo & alligando: in quo opere maxime Ægyptiorum cura excellit.* *ἐνταφιασμὸς* in *Lexico* veteri Græco-Latino exponitur *Pollinctura* seu *Funeratio*. Proprie tamen & vere (uti ex Budæo annotat Stephanus) *ἐνταφιασμὸς* dicitur, quum corpus mortuum τοῖς ἐνταφίοις, subaudi ὀθονίοις, hoc est, *linteis suis sepulcralibus* involutum, & obvinctum, sepulchro mox condendum præparatur. Etenim quoniam istud de more fiebat additis unguentis aromaticis, hinc *ἐνταφιασμὸς* etiam pro ipsa sumitur unctione seu pollinctura, ut annotat Fullerus *Miscell.* lib. VI. cap. XXVIII. Fuit ergo hæc unctio per anticipationem funebris, & sepulchralis ex ipsa Christi sententia. Eucherius Lugdunensis Episcopus *Homil. in versum 2. cap.* XXVI. *Matthæi* sic scribit: *Significatio est, non perditio,* B *in proximo passurus sum, ideoque mulier hoc unguentum mihi attulit ad sepeliendum. Mos enim antiquitus fuit, ut nobilium corpora sepelienda ungerentur & cum aromatibus sepelirentur.* Nobilium, inquit, corpora, neque enim ad quosvis pertinebat hic honor, non ad hominem conditionis humilis, quem Græci *κρασπεδίτην* vocant, quasi ultima loca semper occupantem. Exprimitur autem apud Marcum & Johannem unguentum nardinum, *quod magni tum fuisse pretii*, inquit ætatis suæ decus Casaubonus *Exercitat.* XIV. num. XIII. *quia illis temporibus unica fuit urbs Laodicea, quæ unguentum hujusmodi cum laude conficeret. Nec multo ante Galeni* C *tempora in aliis etiam urbibus cœpit fieri, quod commendaretur.* Nardum vero *πιστικὴν* appellatam censet Theophylactus, quasi *ἄδολον καὶ μετὰ πίστεως κατασκευασθεῖσαν*, *sinceram, incorruptam, fideliter præparatam.* Uncturam hanc feralem in ipsa Domini sepultura servatam esse, testis est Evangelista Theologus *cap.* XIX. 40. ubi Josepho de Arimathæa supervenisse narrat Nicodemum ferentem mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum: *Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverunt illud in linteis cum aromatibus.* D (unctum aromatibus) Et ne quis insitatum hoc fuisse crederet, addit, *καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν, sicut mos est Judæis sepelire.* Augustinus tract. 120 *in Joh.* inquit: *Non mihi videtur Evangelista frustra dicere voluisse, sicut mos est Judæis sepelire; ita quippe, nisi fallor, admonuit, in hujusmodi officiis, quæ mortuis exhibentur, morem cujusque gentis esse servandum.* Aromata autem, quæ ad uncturam fuere usurpata, revocat Evang. Johannes ad duas species, ad *myrrham* sc. & *aloen*, utpote sumptuosiores & in hac mixtura dominantes, ut observat B. Gerhardus *Harmon Evangel. Passion. Dom.* cap. X.X. p. 915 E *Lacrymæ myrrhæ & herba aloe, ut sunt amarissimi succi, ita vim habent resistendi vermibus & putredini*, inquit Chrysostomus. Alias enim species etiam adhiberi solitas fuisse docet Schindlerus in *Lex. Pantagl.* in voce חנט, ubi addit, *condivit aromatibus, myrrha, aloe, cedromelle, sale, cera, bitumine & resina corpora mortuorum, ut incorrupta maneant, & asserventur in loculis, nec fœteant: sicut Judæi & Ægyptii faciebant.* Quanquam vero morem admovendi aromata cadaveribus ab Ægyptiis Hebræi mutuati sint, ut ex *Gen.* L. c. non obscure intelligitur, modus tamen F ipse condiendi mortuos fuit diversus. Ægyptiorum enim conditura intrinsecus fiebat, exenterato ventre seu exemptis illis sordium, & humorum receptaculis & cerebro per nares extracto, ut supra docuit Herodotus. Atque hoc *ταριχεύειν* Græci dixerunt. Judæi vero extrinsecus corpori applicabant unguenta & aromata, dein fasciis involvebant, ut ex sequentibus patebit. Videatur ante laudatus Isaac. Casaubonus, *Exerc.* XVII. n. CXII. & B. Gerhardus, *Harmon. Evangel. Passion. Dom.* cap. citat.

Ungendi

Ungendi cadavera consuetudo postea a Judæis transiit ad Christianos, quod prisci Scriptores Ecclesiastici multis suorum scriptorum locis firmant. Aromata, thus, aliasque id genus Arabum merces Christianos funeribus suis adhibuisse, author est Tertullianus, Latinorum Patrum, quos habemus, antiquissimus, *Apolog.* cap. XLII. & *lib. de Resurr. Carnis*, ubi inquit: *Proinde enim & corpora medicata condimentis sepultura mausoleis* (sepulcra regum sic vocant) *& monumentis sequestrantur.* Unde & *lib. de Idololatria*, aromata *ad solatia sepulturæ usui esse* dicit. Tertullianum Afrum subsequatur Minutius Felix, Causidicus Romanus, Tertulliani æqualis, apud quem inter crimina Christianis objicitur: *Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis, reservatis unguenta Funeribus.* Latinos excipiat Clemens Alexandrinus, Græcus, *l.* II. *Pædagog.* cap. VIII. *Nimiæ unguentorum unctiones, justa quæ fiunt mortuis potius, quam familiarem vitæ consuetudinem redolent.* De funere Justiniani Imper. qui immensa veteris prudentiæ volumina coadunavit in uno, suo præfulgente nomine, ut ipse loquitur, sic canit Corippus *lib.* III.

Thura Sabæa cremant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris & odoro balsama succo,
Centum aliæ species, unguentaque mira feruntur,
Tempus in æternum sacrum servantia corpus.

Allusit eo Prudentius, qui *Amœnus* cognominatus est, quod omnium Christianorum Poetarum amœnitate & varietate Lyricorum Carminum longe sit princeps, (elogio C. Barthii *lib.* VI. *Adv.* cap. I.) *Hymno ad exequias Defunctorum* his versiculis:

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.

Nota finem unctionis feralis, videl. ut cadaver quam diutissime incorruptum & putredinis expers servaretur. Donatus *in* VI. *Æneid.* rationem hanc adsignat, ut celerius flammam conciperet, quæ causa non habet locum apud eos, qui corpora non cremabant. Ungi etiam solebat liquore nobili ac πολυτίμῳ cadaver & cum illo pretiosa quoque aromata cremari, in funere maxime nobilium, ad opprimendum molestum halitum, quem ex se caro exanimata reddit. Sed *Quæcunque* (verba sunt Lorini *in cap.* IX. *Actuum Apost.* v. 37.) *Gentiles impulerit (apud quos delubra teste Asconio in Divin. dicebantur, in quibus essent labra corporum abluendorum mortuorum) haud dubium, quin pii amorem erga defunctos, & Resurrectionis spem omni hoc adhibendo circa illos cultu declarare velint.*

Triplex ergo unctionis aut conditurae corporum causa datur, 1. *Physica*, ut putredo & fœtor a corpore diutius arceretur. 2. *Civilis*, quia hic honos inprimis honoratis viris exhibebatur. 3. *Mystica*, ut scil. esset testificatio Fidei de resurrectione corporum, & symbolum ἀφθαρσίας seu *incorruptibilitatis* futuræ. Ut autem finis iste, conservatio scilicet cadaverum a corruptione, obtineri possit, illa potissimum unguenta, aliaque plurima sunt adhibita, quæ vi hac præservatrice erant prædita. Myrrha inprimis & aloe corporibus condiendis adhibebantur, quod exsiccent, humiditates absumant, & amaritudine sua vermibus & putredini resistant, unde & inter munera a Magis Jesulo oblata, *Myrrheus pulvis sepulchrum prædocet*, ut loquitur jam laudatus divinus ille Pindarus, Prudentius, *Hymno de*

A *Epiphania.* Eam ob causam etiam in melle Babylonios cadavera sua condiisse credo, quod memoriæ prodit Herodot. *l.* I. Alexandrum Magnum quoque hoc modo conditum Historici tradunt, ut scilicet integer & incorruptus servari posset. Mellis enim natura talis est, ut putrescere corpora non sinat, teste Plinio *l.* XXII. cap. XXIV. quæ Medicis discutienda relinquo, ne ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα posuisse videar. Persæ cera mortuos oblinebant, quod præter Herodot. *l.* I. & Strabon. *l.* XV. Cic. I. *Tuscul.* affirmat: *Persæ*, inquit, *jam cera circumlitos condiunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora.* Idipsum Scythis quoque tribuit jam dictus Herodot.
B *l.* IV. Vide Magium in *Necrotaphologia.* Cornelius Nepos, aut verius Æmilius Probus de Agesilao ait; amicos Agesilaum vita defunctum, quo ex portu, qui Menelai vocatur, inter Cyrenas & Ægyptum, Spartam facilius perferre possent, cum mel non haberent, cera circumfudisse atque ita domum retulisse. Gypso Æthiopes induxisse suos mortuos jam arefactos, autor est sæpe citatus Herodot. *l.* III. Et hanc ob causam etiam, scil. ut cadaver diu incorruptum servaretur, quandoque corpora exenterabant, ut exemptis illis sordium & humorum receptaculis ab omni putredine remotiora & securiora evaderent,
C quod & hodie in Imperatorum, Regum ac Principum cadaveribus obtinet. Ubi observatu dignum, quod de Maximiliano I. Imper. Historici referunt, qui testamento cavit, ut corpus suum sine ulla exenteratione terræ mandarent, & loco aromatum, vivam calcem adhiberent, ut corpus putredine natum, ea quoque consumente materia citius in terram suam verteretur. Sed de unctura plus satis.

Dicendum nunc de vestibus sepulcralibus. Sep liendos integebant vestibus non Græci solum Lacedæmones & Athenienses, sed etiam Rom & quidem vestibus cujusvis statui convenientib De Græcis inquit primus apud illos eruditionis
D parens, Homerus *Iliad.* Σ. de Patrocli funere:

Εν λεχέεσι δὲ θέντες ἑαυτῷ λιτὶ κάλυψαν,
Ες πόδας ἐκ κεφαλῆς. καθύπερθε δὲ φαρεῖ λευκῷ.

In lectum autem imponentes linteo subtili texerunt,
Ad pedes a capite: desuper autem alba veste.

E Apud Lacedæmones vero honoratiores ἐν πορφύρᾳ, ἐν φοινικίδι, *in purpurea* sive *in punicea veste* elatos legimus apud Plutarch. Νομιμ. Λακων. Hinc Alexander Sardus *de moribus & ritibus Gentium lib.* I. c. XXV. *Lacedæmones*, inquit, *mortuos, qui fortiter aliquid fecissent in re militari, puniceo amictu tegunt, olivæ foliis circumpositis.* Magnam Italiæ partem defunctos toga involvisse, testis est Juvenalis, juxta J. C. Scaliger. *l.* VI. *Poetices* c. VI. Satyrorum facile princeps *sat.* III. Toga autem (cujus inventorem Græci Tebennum Arcadem prædicant, qui primus id genus vestis gesserit, & Italiæ intulerit, Turneb. *Adverf. l.* VII. c. XX.) communissima erat candi-
F da, in vulgo civium & funeribus tacitis. Ditiores vero & qui virtute sibi honorem quæsiverant, in pretiosa & honestissima veste efferebantur. Qui Magistratum publice gesserant, toga prætextata, censores purpurea, Triumphales auro intexta induebantur, ut docet Polybius, rebus gestis, non modo scriptis disertissimis clarissimus, *l.* VI. hinc Kornmann. *de Mirac. Mortuor.* part. VII. c. XXXI. inquit: *Apud Italos, more hodierno usitatum est, & olim fuit, cadavera defunctorum pretiosissimis vestibus induta & lectis splendide exornatis imposita palam publice effer-*

re, ita ut unusquisque defuncti faciem & ex vestibus & ornatu sexum noscere possit. De cætero coronare mortuos Græcis in usu fuit, unde Hercules apud Euripidem: *Quid hoc rei? video liberos meos ante domum coronatos capita, mortuorum ritu.* Corona virtute in vita parta mortuus etiam condecorabatur apud Romanos permissu Legis XII. *Tabul.* ut est apud Plinium *l.* XXI. cap. III. & Cicer. II. *de Legibus.* Ipsumque corpus defuncti lectusque, quo efferendus erat, suaveolentibus floribus & corollis herbisque odoratis aspergebatur. Venio ad Judæos, de quibus ita pergit supra allegatus Moses Ægyptius *Hal. Efel.* cap. VI. ex interpretatione Schickardi *de Jure Regio Hebræor.* cap. IV. *Abradunt pilos corporis, mox vestiunt involucris candido filo lineo consutis, neque pretiosis. Solent Sapientes adhibere sudarium, non plus denario constans, ne pudefaciant tenuiores, quibus est res angusta domi. Eadem de causa tegunt faciem defuncti, ne prostituantur pauperiores, quorum famelici vultus ob alimenti penuriam plerumque sunt deformiores.* Lex autem erat sumptuaria, qua modus est impositus impensis apud Judæos fieri solitis circa vestes, quibus mortuos involvebant, lexque hæc obstringebat omnes, etiamsi quis הנשיא esset: (*princeps & caput Synedrii,* ut interpretatur Casaubonus *Exerc.* XVI. num. CI. & Drusius *Præterit. l.* I. ad Matt. c. XXVI. 8.) hinc porro pergit Maimon. *Nefas est sepelire* (aliquem) *indumentis holosericis, vestibusve deauratis vel acu pictis, etiam Principem Israel,* (non puto Regem) *quoniam hoc arguit fastum animi, estque prodiga perditio & mos Ethnicus.* Sindone ergo involvebant mortuos suos Judæi, quæ sindones sepulchrales Rabbinis dicuntur המת תכריכי *involucra mortuorum,* a radice כרך *involvit, velavit,* fiebantque ordinarie ex lino subtiliore. In eam sententiam loquitur Buxtorfius *Synagogæ Judaicæ* cap. XXXV. *Albam deinde illi lineam tunicam induunt, & quidem vulgo eam, quam Expiationis die induere solitus erat, & ita in pheretrum recondunt. Antiquissimæ enim hoc apud ipsos est consuetudinis.* לקבור בבגרים לבנים *in vestimentis albis tumulo mortuos mandare. Pretiosis vero vestimentis aliis ne quidem principem in Israele sepelire licet.* Idem ex sepulturæ Dominicæ descriptione clarum est; in ea enim sindone munda Salvatorem involutum fuisse legimus, quam hodie Taurini in Pedemontio religiose servari, scribit Cornel. a Lapide ad cap. XIX. *Joh.* ad versic. 39. Hinc inquit Salmasius apud Th. Barthol. *de latere Christi aperto* pag. 377. seqq. parvo linteo involutum fuisse caput Salvatoris, toto interim corpore fasciis religato a pedibus usque ad fauces, instar infantis fasciis inclusi. Deinde sudario faciem obtegebant Judæi, ut colligitur ex *Johannis* XX. 7. Sudarium Christi Nicææ, Aquis in Germania, Trajecti & Vesontii, Cadonii, Lemovii in Lotharingia & Romæ in Vestalium aliquo Monasterio devote a plebe honoratur, ut docet *liber de spoliis, exuviis & reliquiis Sanctorum,* qui extat in *Lectionibus memorabilibus* Wolfii Cent. XVI. p. 233. Pedes autem & manus colligabant κειρίαις, *institis,* ut ex historia Lazari *Joh.* XI. 44. videre est, qui ut erat adhuc funereis & sepulcralibus fasciis obstrictus prodiit, ita enim Evangelista: *Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies ejus sudario erat ligata.* Cæterum *dicit eis Jesus: Solvite eum, & sinite abire.* Idem hoc innuit Prudentius in *Apotheosi:*

Solvite jam lætæ redolentia vincla sorores,
Solus odor sparsi spiramen aromatis efflat.

A Et ita in Christianorum monumentis Lazarum effigiatum videmus more infantium involutum. Et cum Johannes cap. XIX. 40. expresse dicat, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις, sive ut alii legunt, ἐν ὀθονίοις, *ligarunt illud* (Paraphrastes Syrus vertit *involverunt,* q. d. contraxerunt, sive in angustum collegerunt corporis mortui membra, vinciendo eadem multiplicibus linteorum sepulcralium voluminibus, atque hæc a Græcis κειρίαι proprie vocantur, fasciæ a Latinis, ut notat Nicol. Fullerus *loco* supra *citato* pag. m. 166.) *in linteis* sive *linteaminibus:* hinc apparet, etiam fascias sepulcrales seu institas adhibitas fuisse in funerando cor-
B pore Christi, neque enim vel linteis vel sudario corpus & caput Christi commode velari & obnubi potuissent, nisi vinculorum interventu. Quanquam Christianos solo linteamine obvolvisse suorum cadavera legimus, ut apud Eusebium *lib.* VII. cap. XVII. quo alludit jam dicti sanctissimi Poetæ *hymnus; Candore nitentia claro prætendere lintea mos est.* Et locupletissimus testis est Ecclesiæ Doctor, Hieronymus, de muliere septies percussa *ad Innocentium* scribens *epist.* XLIX. *Clerici, quibus id offi ii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt & fossam humum lapidibus construentes*
C *ex more tumulum parant.* (Ubi obiter nota, Clericorum antiquitus, cum Tyranni, sub signis merentes Principis hujus mundi, Christianam Ecclesiam persequerentur, hoc fuisse munus, ut Martyrum corpora mandari terræ curarent) Huncque morem linteo seu sindone cadavera obvolvendi hoc tempore Christianitatis pars major tenet, exceptis fortasse insignioribus personis & sacerdotibus, ut docet Lorinus in cap. IX. *Actorum* v. 37.

Plurima tamen in Veterum Scriptis occurrunt exempla, quæ probant, viventium more vestibus etiam fuisse indutos vita functos, suo statui con-
D sentaneis, ut quæ vitam ipsorum, eædem & sepulturam decorarent. Morem autem vestiendi mortuos prolixe admodum describit S. Gregorius Nyssenus, in *Vita B. Macrinæ* sororis suæ. Liber *de Vitis Pontificum,* qui Damaso Pontifici Romano vulgo tribuitur, qui vixit Anno Christi 367. cum tamen Anastasium Bibliothecarium autorem habeat, qui in medio sæculi noni demum floruit, refert, Eutychianum Papam constituisse, *Ut quicunque fidelium martyrem sepeliret, id sine Dalmatica aut Collobio purpurato nullatenus faceret.* Est autem Dalmatica, tunica sacerdotalis candida cum clavis & purpura, ut explicat Isido-
E rus *lib.* XIX. *Orig.* cap. XXII. Collobium vero vestem notat sine manicis & mutilatam. Secundum jus Canonicum Archiepiscopi & Prælati cum Pallio & habitu Ecclesiastico sepeliri debent, *C. adhæc, 2. extr. de auth. & usu pall.* In Synodo Antisiodorensi cap. XII. aliisque Gallicanis Conciliis, ut Arvernensi & Matisconensi, statutum quidem est, *Ne velo aut pallio Sacerdotis corpus, dum ad tumulum evehitur, obtegatur, quia sacro velamine usibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur.* At per velum & pallas non intelligunt Concilia quasvis vestes sacras & sacerdotales, sed
F pallam seu mappam sive tegumenta altaris, de quibus facile conceditur, inquit Suarez Tom. III. *in tertiam partem Disc.* LXXXI. *Sect.* VIII. non debere in hunc usum converti, ut in eis corpora defunctorum etiam sacerdotum obvolvantur. Diserte hoc exprimitur apud Gratianum, cap. *Nemo, de Consecrat.* Dist. I. ex Clemente Romano: *Nemo per ignorantiam Clericus mortuum credat obvolvendum, aut Diaconus scapulas operire velit palla, quæ fuit in altari, vel certe, quæ Diacono data est in mensam Domini.* Interdum & vestibus pretiosis,

quibus amicta erant defunctorum corpora, ceratum superinjiciebatur linteum vel pullum etiam pallium, ut exemplis docet jam dictus Jesuita Gretserus, *de funere Christiano lib.* I. cap. V. unde ante citatus Lorinus *loco dicto: Utrumque apud nonnullos Christianorum fuit in usu, simul cadaver veste induere, simul indutum linteo involvere.* Irrepebat autem in his emortualibus vestimentis luxus aliquis & ostentatio, in quem invehitur supra citatus Sanctus Ecclesiæ Antistes Hieronymus *de Vita S. Pauli* primi Eremitæ, ad calcem: *Cur & mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? Cur ambitio inter luctus lachrymasque non cessat? An cadavera divitum nisi in serico putrescere nequeunt.* Et S. Chrysostomus, Os illud aureum eloquentiæ, *Homil.* LXXXIV. *Tu cum audieris nudum Dominum resurrexisse, cessa, quæso, ab insana funeris impensa. Quid sibi hoc superfluum vult, & inutile dispendium, quod ipsis, qui faciunt, plurimum affert detrimenti, mortuis nullam utilitatem, vel damnum potius? Sumptuosa namque sepultura nonnunquam causa est, ut fures cadaver effodiant & nudum insepultum projiciant.* Et post pauca: *Quod ego, non ut sepulturam tollam, dico, absit, sed luxuriam & superfluam ambitionem.* Appositas etiam fuisse frondes virides sub capitibus defunctorum, docemur in Ritualibus Durandi. Sic enim ille *Rational. lib.* VII. cap. XXXV. *Hedera quoque vel laurus & hujusmodi, quæ semper servant virorem, in sarcophago corpori substernantur, ad significandum, quod qui moriuntur in Christo, vivere non desinunt: nam licet mundo moriantur secundum corpus, tamen secundum animam vivunt, & reviviscunt Deo.* Et in hoc infelices Ethnici allucinarunt, qui absque Resurrectionis cognitione ornabant corpora cupresso, quæ semel succisa non regerminat. Fuit quoque olim quorundam consuetudo, ut Eucharistiam mortuis ingererent & consepelirent, quam abrogavit Concilium Carthaginense III. *Can.* VI. *Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur; dictum est enim a Domino: Accipite & edite. Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere.* Aliquando denique mortuis cruces vel appensæ sunt, vel manibus insertæ. Exemplum cape ex Prato Sophronii. Tom. I. Oper. *de S. Cruce lib.* II. cap. XV. in fine. Et hoc factum est, ut testarentur beneficia in ligno Sanctæ Crucis accepta. In *Euchologio Græcorum*, ubi ritus sepeliendi traditur, legimus: *Cadaver in sepulchro ponitur. Sacerdos vero pala terram in formam crucis injicit in cadaver, dicens: Domini est terra & plenitudo ejus.*

Porro ablutum probe, unctum ac honeste vestitum, floribus coronatum demortui corpus (hoc enim est *συγκομίζειν νεκρὸν, componere mortuum ad sepulturam*, quæ vox *Actor.* VIII. 2. habetur, ubi de funerando Stephano agitur. Sic Cornel. a Lapide *συγκομίζειν corpus defuncti est illud abluere, componere, ungere, vestire, loculo imponere*, &c.) in ædium vestibulo ad ipsum limen collocabant Græci pariter ac Romani, ut aliis intuendum præsentaretur, & cerneretur mortuus, *ecqua ea vis illata*, ut indicat Julius Pollux *lib.* VIII. cap. I. Custodem quoque collocationi adponebant haut raro, ne injuria defuncto fieret ab inimico vel creditore. Collocabant autem defunctos vel humi, Artemid. *lib.* I. cap. *de Nativ.* Valer. Maxim. *lib.* I. cap. VIII. vel in alto lecto, Pers. *satyra* III. Servabant etiam, ut cadaver foras spectaret, & facie pedibusque esset in publicum versis, forsitan eo situ abitionem illam postremam significantes, ut inquit Joh. Rosinus, *Antiquit. Rom. l.* V. cap. XXXIX. Hinc Plinius: *Ritu Naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri.* Vide

A Kornmannum *de Miraculis Mortuor.* cap. LVIII. de exitu infantis in mundum & cadaveris e mundo. Ordinem hunc Lucianus nobis præit *de Luctu* scribens: *Μετὰ ταῦτα δὲ λούσαντες αὐτοὺς καὶ μύρῳ τῷ καλλίστῳ χρίσαντες τὸ σῶμα καὶ στεφανώσαντες τοῖς ὡραίοις ἄνθεσι προτίθενται. Deinde lotos eos unguentoque optimo delibutos & tempestivis floribus coronatos collocant.* Apponebant haud raro arma, libros, gemmas & alia, quæ vivos præcipue delectassent. Romæ Principum lectis assidebant a læva parte Patricii & Nobiles, vestibus atris amicti, a dextra Matronæ nobilissimæ, deposito omni ornatu & vestibus albis velatæ. Vide Chytræum *de Vita &* B *Morte* pag. 89. Cl. Dilherrum tom. I. *Disput. Philol.* pag. 449. inter cætera ex Platone refert, ad tertium usque diem collocatum h. m. corpus substitisse, ut interea de mortis certitudine evidenter constaret. Neque apud Christianos insuetatum fuit, ut hominum conspectui exponerentur mortui. Sic enim S. Lucas in *Actis* cap. IX. 37. mortuam Tabitham *ἐν ὑπερῴῳ, in cœnaculo*, positam fuisse scribit. Ad quem locum Aloysius Novarinus *sect.* IV. num. 1019. *Quæ vivens bonis operibus ad summa conscenderat, mortua in altiori domus parte collocatur: antiquitus sæpe in cœnaculo cadavera* C *exponebantur, ut alii notavere.* In eundem Lorinus: *Onuphrius Panvinius*, inquit, *de ritu sepeliendi* cap. III. *locum ubi cadavera exponerentur, universe infert ex præsenti historia fuisse cœnaculum, vel domus publicam partem. Solet tamen cadaver multis in provinciis ad januam domus, seu in vestibulo exponi*, &c. Et hæc expositio, inquit Gretserus *de Funere Christiano lib.* I. cap. VII. ad spectaculum fiebat, non modo ante ductum, sed & aliquando post ductum funus, nam *corpus B. Paulæ viduæ triduo post funus expositum mansit, donec subter Ecclesiam & juxta specum Domini conderetur*, ut scribit Hieronymus in *Epitaphio S.* D *Paulæ*. Accendebantur quoque ad corpora defunctorum, antequam ad sepulturam exportarentur, *faces, lampades, cerei.* Sic Constantini M. cadaver *in imperatoriis ædibus celso atque edito loco depositum, luminibusque circum funus aurea super candelabra accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebat*, ut refert Eusebius *l.* IV. *de Vita Constantini M.* cap. LXVI. Testatur etiam Corippus *l.* III. de cadavere Justiniani nondum elato, *ad illud aurea & argentea candelabra cereis longe lateque collucentibus conspicua fuisse apposita.* Lampas itidem ad corpus S. Ansberti collocata est, teste Surio Tom. I. E Psalmos insuper ad feretrum defuncti cantatos esse, docet Hieronymus de S. Paula, Augustin. *l.* IX. *Confession.* cap. XII. &c.

Sed ne quid ceremoniarum prætermittam. Conclamabant tandem per intervalla mortuos, qui in re præsenti erant apud Romanos, hoc est, mortui nomen claris vocibus ore plurium iterabant. Causam conclamationis suppeditat Plinius *l.* VII. c. LII. eamque præterea tradit Cornelius Celsus Præf. *l.* I. *de Re Medica: Quoniam*, inquit, *solet plerumque vitalis spiritus exclusus putari & homines fallere, ideoque simul conclamabatur, si forte reviviscerет.* Eadem causa erat, cur calida defuncti abluerentur. F Hinc Casp. Barthius *Adverf. lib.* XXXVII. cap. XVII. *Mos erat Antiquorum mortuos, quos comburerent, aqua calida abluere, ut si quis spiritus intus lateret, calore excitaretur.* Ne igitur semivivi pro mortuis sepulturæ traderentur, consuetudo ciendi clamorem introducta est a Romanis, eo scil. fine, ut vel exeuntem animam retardarent, vel in corpore adhuc delitescentem expergefacerent. Unde & conclamati dicebantur, in quibus nulla spes reviviscendi, quo pertinet illud Terentii, *Desine, jam conclamatum est.* Euse-

bius Προπαρασκευῆς XI. libro & Theodoretus ex Platonis X. *de Republica*, Eris Armenii proferunt exemplum, qui cum in prælio occubuisset, sublatis decimo die cadaveribus, cæteris quidem jam corruptis, integer repertus fuit, & domum delatus ut funeraretur, duodecimo ab obitu die pyræ impositus revixit. Tradit venerabilis Beda, *lib.* V. *Histor. Anglic.* cap. XV. Patremfamilias in regione Nordarimbrorum circiter annum Domini 683. infirmitate corporis tactum, ad extrema perductum, primo tempore noctis defunctum esse, sed diluculo reviviscentem ac repente residentem, omnes, qui corpori flentes adhæsissent, timore immenso perculsos in fugam convertisse. Plura recenset Kornmannus, *de Miraculis Mortuor.* part. II confer D. Calixtum *de Immortalitate animæ* cap. VIII. scil. manent interdum spiritus humanis corporibus inclusi, sed motus occulti sunt, devinctique sensus adeo, ut vivantne, an non, ejusmodi corpora, non facile intelligatur. Sed emansor sum, Conclamationis causam indicare volebam, in viam redeam & de signo funebri dicam oportet.

Apponebantur apud Romanos foribus indicia quædam, quibus funestam ibi esse domum cognosceretur, ne quis scilic. rem divinam forte facturus imprudens & nescius domum illam introiret, & velut attaminatus susceptа peragere non posset, ut docet Servius *in* III. *Æneid.* in id, *Atraque cupresso*. Indicis autem loco Picea & Cupressus in vestibulo seu super limen superum januæ ponebatur. De Picea audi Plinium *lib.* XVI. c. X. *Picea montes amat atque frigora: feralis arbor & funebri indicio ad fores posita ac rogis virens.* De cupresso eundem Plinium *lib.* XVI. c. XXXIII. *Diti sacra & ideo funebri signo ad domos posita.* Ast non solum quia Diti sacra, sed etiam quia succisa non regerminat, funestis ædibus apponebatur Cupressus. Hinc Festus ait: *Cupressus mortuorum domibus ponebatur ideo; quia hujus generis arbor excisa non renascitur: sicut ex mortuo jam nihil sperandum est, quam ob causam in tutela Ditis patris esse putatur.* Hæc ille. Divitum autem duntaxat non omnium ædibus funestis præponi solitam sacram hanc lachrymis & luctui arborem autoritate Lucani (elegantissimi ac doctissimi poetæ, elogio Turnebi *Adverf. lib.* XXI. c. XVIII. contra aliorum judicium) confirmamus:

Et non plebejos luctus testata cupressus.

Idque ob peregrinæ arboris raritatem. Refert Kirchmannus *lib.* I. *de Fun. Rom.* cap. XIV. in fine, Græcos ad fores privatarum ædium tantisper dum illæ funestæ essent, & dum πρόθεσις fieret ejus, qui obierat, vas magnum statuisse aqua lustrali plenum, qua sese quisque exiens aspergebat, qui exequias venerat. Solitos etiam fuisse capillos de ipsius defuncti capite sectos foribus appendere, quod utrumque probat ex Euripide.

Regredior ad Christianos, qui campana signum dare solebant, præsertim in Monasteriis, cum quis eorum de sæculo fuisset evocatus, vide Bedam *l.* IV. *Histor. Anglic.* cap. XXIII. Qui mos hodieque in Principum funeribus obtinet. Solet enim, cum quis exspiravit, signum campanis Ecclesiæ publicitus edi, alicubi quidem ante funeris deductionem, alibi dum funus ducitur, alibi utraque vice. In Synodo quidem Dordracena Anno MDLXXIV. habita cap. XLVII. decretum est: *Ex eadem causa* (scil. propter (*a*) superstitiones & precationes pro vita functis) *compulsationes campanarum tempore sepulturæ defunctorum omnino tolli debent.* Nos hunc morem pulsandi campanas in exequiis retinemus, non ut populus hoc audiens pro *defuncto oret, utque procul pellantur hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici*, sed ut vel indicetur funus, vel ut convocentur nolarum sonitu homines ad funus deducendum.

(*a*) Superstitiosas audacissime vocat precationes pro defunctis. Aerium, Arianæ sectæ hominem, qui damnabat orationes pro defunctis, tota retro antiquitas condemnavit. Vide Epiphan. Hær. LV.

Restat Funeris Indictio, quæ per præconem fiebat apud Romanos, qui ad funus deducendum populum solemni formula evocabat, quæ hæc erat, ut Scaliger observ. ex Terentii *Phormion.* Act. V. Scen. ult. & Varronis *lib.* IV. *de Ling. Lat.* OLLUS. QUIRIS. LETHO. DATUS. EST. L. TITIO. EXEQUIAS IRE. CUI. COMMODUM. EST. JAM. TEMPUS. EST. OLLUS. EX. ÆDIBUS. ECFERTUR. Hinc etiam *Indictiva* funera, autore Festo, dicebantur, vel etiam *Indicta* apud Suetonium in *Jul. Cæs.* cap. LXXXIV. quæ erant amplissima & præter alium sumptuosum apparatum quoque ludis celebrata, adhibitis etiam desultoribus. Eadem dicebantur *publica*, erantque primorum scilicet & ditiorum, quibus opponebantur funera *Tacita*, sive *simpludiaria*, & vulgaria & communia, videlicet plebejorum, quæ fiebant sine pompa, sine ludis, sine præcone & indictione, vide Senecam *lib.* I. *de Tranquillit.* cap. I. Ad Tacita funera revocantur *acerba*, hoc est, eorum, qui intra Tyrocinii diem & ante sumptam togam virilem moriebantur. Hi enim subtrahebantur potius, quam cum pompa sepeliebantur. In quam rem Corn. Tacitus (qui familiam ducit omnes inter historicos, qua prudentiam, qua sincerum mentis judicium, qua postremo ipsam dictionem, elogio Excellent. Dn. D. Conringii Præfat. in Tacitum *de moribus Germ.*) *lib.* XIII. *Annal.* de morte Britannici: *Festinationem exequiarum edicto Cæsar defendit, id a majoribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus aut pompa detinere.* Vide Kirchmannum *lib.* I. *de Fun. Rom.* cap IV. de his & aliis funerum distinctionibus. Cæterum apud Spartanos, ut Herodotus narrat *lib.* VI. & Alexander ab Alexandro refert *lib.* III. cap. VII. erat constitutum, ut rege defuncto, equites obitum regis enunciantes cursitent, fœminæque crinibus passis & libero conquestu, tinnitu ollas pulsent æneas, quibus nec nocte nec die quies. Tunc audito regis obitu in omnem formam luctus concedi permissum erat, &c.

CAP. VI.

De ipsa Νεκροφορίᾳ, *eamque comitantibus.*

Voce præconis invitati, jam ibimus exequias. Sed ne præpropere efferatur funus, videndum est. Nimia enim maturatio quandoque vivos pro mortuis sepelivit. Zeno Imper. in ordine LVI. sive acutiore morbo, sive ebrietate nimia exanimatus cum concidisset, Ariadnæ uxoris jussu in sepulcrum illatus est vivus, ut Historiæ tradunt. Idem Johanni Duns Scoto, qui ob ingenii acumen *subtilis Doctoris* titulum promeruit, Coloniæ Agrippinæ anno 1308. accidisse Jovius narrat in *Elogiis Doct. Vir.* Intervallum vero inter emortualem & elationis diem tam varium fuit, quam variæ ipsæ gentes, neque apud easdem plane idem. Si Servio fides *lib.* V. *Æneid.* ad verba, *Præterea si nona diem*, &c VII. dies a morte ad funeris exportationem intercedebant apud Romanos. Hinc Alexander ab Alexandro, Ju-

risperitus Neapolitanus, *Genialium dierum*, operis multijuga eruditione referti & promptuarii antiquitatis instructissimi, *l.* III. c. VII. ait: *Diebus septem servare solebant* (corpus defuncti) *ara constituta, ubi odores incenderent, quæ acerra dicta est. Græcis vero septemdecim diebus corpora, antequam cremarentur, totidemque noctibus servare mos erat.* (Hoc ultimum, scilicet de Græcis, desumpsit Alexander ex Homero, qui *l.* XXIV. *Odyss.* tradit Achillis mortui corpus 17. diebus & noctibus defletum & 18. die crematum) Et Polyd. *de ver. invent ione l.* VI. c. X. *Septem exactis diebus magna frequentia funus efferebatur, quasi post mortuum moritura, cujus extrema vox erat, Vale, mox te sequar.* Verum non per certi alicujus diei habitam rationem multis ostendi posset, si id hic ageretur. Publicis feriis mortuum sepelire non licuisse Romanis (puta ne sacra publica funestarentur religione privata) refert *de Re Rustica l.* II. Columella, qui inter omnes, qui extant, rei rusticæ scriptores solis instar eminet ac elucet, & Alexander Sardus *de Moribus & Ritibus Gentium l.* I. c. XXVII. Neque Judæis (sic enim post reditum a Captivitate Babylonica omnes Abrahamidæ vocati, de qua appellatione vide Casaubonum Exercit. I. *ad Apparat. Annal.* num. III.) licitum erat diebus festis mortuos sepelire, quia ex contactu mortui pollutio. Sed quoto post mortem die? Anton Margar. Judengl. p. 60. de cadavere jam egelido refert insutum illud linteis mox efferri ad cœmeterium, olla post elationem e domo terræ illisa, ad indicandum mœrori jam simul factum finem; infertur autem in cœmeterio cuidam ædiculæ, ubi cadaver mensæ impositum oblongæ, calida abluitur undique ac vino inungitur, atque sic linteis suis rursus vestitur, &c. Hinc denuo ad novam deportatur ædiculam, ubi mensæ imponitur lapideæ, recitatis precibus הרין צריק, atque sic demum his absolutis suo committitur sepulchro, agnatis proximis primam injicientibus terram, quos reliqui postmodum imitantur comites.

Cæterum Græciæ clarissima stella, Athenæ funera sua, præsertim acerba, ante solis ortum extulere, idque ex lege Solonis, qui unus fuit e septem Sapientibus & Legum Atticarum scriptor solus ex septem. Juxta Ciceronem II. *de Legib.* Demetrius Phalereus Athenarum per decennium præfectus, a quibus tot statuis fuit ornatus, *quot luces habet annus absolutus*, teste M. Varrone, cavit edicto, ut ante lucem efferantur corpora. Exempla qui desiderat, adeat Homerum, primum, juxta Plinium, doctrinarum & antiquitatis parentem, qui sæpe hunc ritum tangit. Apud Romanos tempus τ̃ ἐκφορᾶς nocturnum fuit, ævo antiquissimo, si Servio credimus *ad l.* XI. *Æneid.* id affirmanti, ubi educebatur cadaver ad faces & funalia, unde & funus dictum ipse autumat. De cujus tamen etymo Grammatici certant & adhuc sub judice lis est. Verum hic mos noctu efferendi funera præsertim in funeribus Indictivis postea exolevit, mansisse tamen videtur in Tacitis & vulgaribus, quod ex Festo Grammaticorum eruditissimo patet, qui *Vespillones* (bajulos, qui cadavera ad sepulturam exportant) inde dictos putat, *quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt.* Hebræis placuisse, ut interdiu sepelirentur defuncti, exempla ostendunt funerum singulorum, v. g. Saræ, Abrahami, Patriarcharumque reliquorum, item Regum aliorumque virorum & mulierum celebrium, unde Sopranes, *David. dig.* 2. fol. 487. *apud Judæos res mihi certa est, diurno tempore mortuos efferri consuevisse.* Apud Christianos etiam aliquando funera noctu duce- A bantur, præsertim persecutionis tempore, sic enim τ̃ ἀποστάτην Julianum lege vetuisse diurna funera, ostenditur ex C. Theodos. *tit. de sepult. violat.* Felisacus *l.* I. *Select.* c. XVI. scribit, *consentientem Græcorum Latinorumque esse ritum, non post vesperum, non intempesta nocte, sed mero die celebratas fidelium vita functorum exequias.* Christophorus Marcellus, Archiepiscopus Corcyrensis, *l.* I. *Sacr. Ceremoniarum* sect XV. c. II. de Exsequiis Romani Pontificis refert, Funus Papæ mortui in templum S. Petri delatum *nocte reponi in capella majori, & tandem noctu sepeliri.* Justo tempore. Nocturnum namque tempus noctis filio & tene- B brarum convenientissimum est. Nocte etiam portari Cardinalium cadavera ad Ecclesiam, dicit idem capite præcedente. Sed ad Romanos regredior, apud quos omnibus domi peractis tollebatur feretrum. Deferendi vero funus plerumque proximis hæredibus, virilis sexus dabatur munus. Hinc Lyricæ festivitatis antesignanus Romanorumque Pindarus Horatius *l.* II. *sat.* V.

——— ——— cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres.

C

Nonnumquam & servi libertate donati cadaver sui domini efferebant. Imperatorum, aliorumque de Republ. præclare meritorum, ut Coriolani, C. Julii Cæsaris, Augusti, feretra subibant interdum Magistratus, Senatores, Patricii. Dionysio *lib* VIII. Suetonio in *Vita Cæs.* Tacito *lib.* I *Annal.* testibus. Tenuiores cives, plebsque infima, vel etiam populo invisus quandoque a Vespis seu Vespillonibus & Sandapilariis exportabantur, quod cum ingenti dedecore Domitiano Imperat. alteri post Neronem Orbis monstro contigisse, te- D statur Eutropius *l.* VII. & Suetonius cap. XVII. Apud Spartanos *filii tecto capite in veste pulla parentes efferre consuevere*, ut refert Alexander ab Alexandro *lib.* III. *Dier. Genial.* cap. VII. Et Q. Metellum Macedonicum quatuor ejus filii rogo intulerunt, ut tradit Plinius *lib.* VII. cap. XLIV. in princ. Judæi mortuos suos etiam humeris portabant: *Regum funera* (inquit Schickardus *de Jure Regio Hebræor.* cap. VI. p. 160.) *fuerunt in humeris etiam longissimam sæpe viam exportata: qui honor ne malis quidem regibus, & odio habitis publice, fuit denegatus. Cujus humanitatis notabile specimen ediderunt Pharisæi post fata Jannai.* Elatum sic esse He- E rodem per ducenta stadia, itinere sesquitriduano, post pauca ex Josepho *de Bello l.* I. cap. ult. refert, inquiens *Herodem* גרולי ישראל *Magnates Israel ferebant suis humeris, tarde ac graviter incedentes, quod nulli alii Regum ita factum.* Hinc quoque βαστάζοντων mentio fit *Luc.* VII. 14. Cæterum Bajuli sandalia pedibus inducere vetabantur, docente *Maimonide* ob causam levissimam, quam idem tradit *Hal. Efel.* cap. IV. §. 2. *Efferunt defunctum humeris (nec vehunt lectica) usque ad sepulchretum, sed latores prohibentur calceati sandaliis, ne forte rumpatur corrigia cujusdam & illud processionem impediat.* (Quidam vertunt, *fiatque cunctabun-* F *dus*) More hoc humeris ferendi mortuos in prisca Ecclesia nihil fuit frequentius. Qui autem funera olim curabant & efferebant *κοπιῶντες*, hoc est, *laborantes*, nominantur in *Epist.* XII. *ad Antioch.* quæ sub S. Ignatii nomine circumfertur. Item Κοπιάται, & *Lecticarii*, de quibus Justinianus *Nov.* 43. & 59. Constantinus Magnus ὁ ἐν Χριστιανοῖς βασιλεῦσιν ἀπόστολος (primus enim Imperatorum Christo nomen dedit) in Ecclesia Constantinopo-

litana instituit 950. officinas (quarum numerum postea auxit Anastasius Imp.) immunes ab omni publico munere & vectigali, quæ suppeditarent *Lecticarios* seu *Decanos*, ut appellantur in *Novell.* seu *Copiatas*, qui gratuitam efferendis mortuis & sepeliendis præstarent operam. Ad quorum *Copiatarum* seu *Lecticariorum* formam Romæ, & ex hoc traduce alibi, institutæ sunt *Sodalitates Mortis*, quibus mortuis sepeliendis præcipua cura, referente Baronio, Tom. III. Anno CCCXXXVI. & Lorino, in cap. v. *Actuum Apostol.* Hanc enim sibi curam sumebat *Sodalitas mortis*, ut Eligiana in Belgio, ut nemo mortuus supremo funeris & sepulchri honore careret. Quanquam vero Lecticarii ad hoc constituti erant, ut defunctorum corpora efferrent, sæpe tamen honoratissimi quique, pietate & vitæ sanctimonia celebres, *sacerdotum propinquorumque manibus excepti perpetuis sedibus illati sunt*, ut loquitur Sidonius Apollinaris *l.* II. *epist.* VIII. Sic Romualdi Abbatis S. Emmeranni, qui Ratisbonæ mortuus est anno Domini 1007. feretro Henricus Germanorum Rex & postea Imperator proprium supposuit humerum, ut illud ad sepulturam deferret, uti ex Arnolfo Comite refert Baronius. S. Gregorius Nyssæ Episcopus, quem Græci honoris causa Patrem vocant, (teste B. Gerhardo in *præfat. ad Postill. Salom.* c. XI.) Macrinæ virginis, sororis suæ, feretrum ipse subiit. S. Paula *translata est Episcoporum manibus & cervicem feretro subjicientibus*, referente Hieronymo in *Epitaphio ejus*. S. Fulgentius etiam ad sepulturam deportatus est Sacerdotum manibus, ut scriptum legimus in *Vita ejus*, Tom. I. Surii. Erant autem plerumque quatuor tantum, qui feretrum ferebant, ut in funere Macrinæ videre est: *Ego*, inquit Gregorius Nyssenus, *feretrum subiens illum* (Araxium Episcopum) *advocavi, ut alteram partem sustineret, posteriores vero feretri partes alii duo de Clero insignes viri*. Interdum tamen vel ob gravitatem oneris, vel ob magnificentiam sex vel octo lecticarii adhibebantur, quod etiam hac nostra ætate fit. Porro feretrorum duo potissimum erant genera apud Romanos, Lectica & Sandapila. Lecticis seu Lectis nobiles ac fortunati, Sandapilis pauperiores & vilioris fortunæ homines efferebantur; iisque interdum apertis, si sua morte obierant vel facie erant non plane deformi, quam sæpe fucare solebant, non levi quadam vanitate, ut mortuæ interdum, quam viventes adparerent formosiores. Qui mos hodieque in Italia & Gallia obtinere dicitur.

Quando autem cadavera ruina ædium detrita vel alio casu mutila, propter deformitatem honeste oculis populi palam exponi non poterant vel plane vestibus involvebantur, tegebanturque. Vel larvæ quædam, quæ eorum faciem repræsentabant, ipsis imponebantur, & hæc dicebantur *Funera larvata*. Sic Plinius refert Scipionem Æmylianum obvoluto capite elatum, ne livor vel tumor in ore appareret. *Larvati Funeris* monumentum Romæ adhuc conspici, testatur Kornmannus *de Mir. Mortuor.* part. VII c. XXXI. Christianos etiam modo tecta, modo conspicua extulisse olim defunctorum corpora, ex Nysseno *Orat. in Placillam Imperatricem* & Gregorio Naz. *Oration. in Basilium* videtur colligi posse. מטה *Lecti* nomen occurrit in funere Abneri 2 *Samuel.* III. 31. quod nomen alias usurpari communiter solet de lecto, in quo dormituriens vel cibum etiam sumturus se reclinat, vide 2 *Reg.* IV. 10. *Gen.* XLVIII. 2. De Herodis sepeliendi lecto, inquit Josephus *l.* I. *de B. J.* in fine; *lectus quidem totus erat gemmis auroque distinctus, torus autem* (sive vestis stragula aut culcitra, qua lectus solet insterni) *purpura variatus*, &c. Ita Nazianz. in *Orat. de funere Basilii*, & Epiph. *l.* III. tom. I. *hæres.* LXXI. scribunt, mortuos *in lecticis vel lectulis ad locum sepulturæ manibus sanctorum exportatos*. Constantinopoli, quæ pons ac porta veluti utriusque Orbis, tria cæteris pretiosiora erant feretra, quorum usus in honoratiorum funeribus, *Studii* videlicet, *Stephani*, & *majoris Ecclesiæ*, quod erat auro intertextum, de quibus Justinianus *Novella* LIX. c. VI. Antiquitus milites, in prælio defuncti, clypeo, tanquam feretro, ad sepulturam efferebantur: juxta illud Mantuani de Pallante in pugna mortuo, *Æneid.* X.

Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Ad hunc antiquum sepeliendi morem allusit quondam mater quædam Lacæna, filium ad prælium profecturum clypeo obarmans, cum hoc dimetro, ut est apud Ausonium;

Cum hoc, inquit, *aut in hoc redi.*

Quasi diceret; Revertere quidem; sed vivus cum hoc, mortuus in hoc, neque vivus, neque mortuus sine hoc. Eundem morem S. Ambrosius *l. de Helia & jejunio* c. XIII. indicavit docens, quosdam intemperantes ganeones & helluones, ventris milites, non Martis, nec sanguine perfusos, sed vino madidos, e conviviis, tanquam e præliis, efferri, *scutis impositos ad sepulturam*. Tyrannis in Christianos sævientibus deferebantur Martyrum corpora ad sepeliendum clanculum, & ut plurimum supra vehicula, in ruralem usum, ut id Ethnicis celarent ministris. Unde in Libello sive Epistola Luciani Presbyteri *de inventione corporis Protomartyris Stephani*, (quam allegat Baronius Tom. I. *Annal.* ad ann. 34) leguntur hæc verba: *Ego Gamaliel compatiens Christi ministro, misi per noctem quantos poteram religiosos Christianos habitantes Hierusalem in medio Judæorum, & hortatus sum eos, & necessariam substantiam ministravi ac persuasi illis ire occulte, ut portarent corpus ejus meo in vehiculo, ad villam meam, & ibi feci illis planctum fieri diebus septuaginta, & posui eum in monumento novo in orientali theca*, &c. Appellabantur prædicta vehicula *Birota*, a duabus rotis, in *Actis S. Feliculæ* adjunctis, cum aliis *Actis SS. Nerei & Achillei* apud Surium Tom. III 12. Maii ibi: *Sanctus autem Nicodemus presbyter in spelunca degens, clam abstulit corpus ejus ex cloaca, in quam fuerat projectum, noctu in Biroto vehens illud ad casulam suam septimo milliario ab Urbe Roma, via Ardeatina, ibi eam sepelivit*, &c. Vide Johannem Baptistam Casalium *de Veteribus sacris Christianorum ritibus* c. LXVI.

Cæterum feretrum ipsum, quod S. Ambrosius *supremi funeris instrumentum* vocat in c. VII. *Lucæ*, pompa partim præcedebat, partim sequebatur. Præportabantur faces, candelæ & cerei funeribus frequentissime apud Gentiles, etiam illis, quæ interdiu ducebantur, quem morem a nocturna exportatione remansisse dubito nullus, nec dubitare sinit Servius *l.* VI. *Æneid. Per noctem autem urebantur. Unde permansit, ut mortuos faces antecedant.* Confer Tacitum *l.* III. *Annal.* Kornmannus *de Mirac. Mortuor.* parte VII. c. XLVII. inquit: *Ab antiquo more efferendi mortuos noctu, quem ex diurno nocturnum voluit esse Imp. Julianus in veter. C. Theodos. tit. 17. de sepulc. viol. l. 5. ratio ibi, in fin. ut dolor esse in funeribus, non pompa exequiarum nec*

ostentatio videatur, permansit postea consuetudo, ut in omnibus funeribus, etiam quæ interdiu ducebantur, faces, candelæ, funalia & cerei adhibeantur. In prisca etiam Ecclesia ad cereos ac luminaria elata funera discimus ex Nazianzeno *Orat. in Cæsarium fratrem*: (in cujus funere mater accensas faces gestavit) usurpat ibi Theologus vocem λαμπαδοφορίας, quæ licet pro *candida veste* possit intelligi, mavult tamen pro *cereorum & facium gestatione* accipere Billius in eand. Orat. *quod nobis priscum Ecclesiæ morem in honestandis cereorum ac lucernarum gestatione funeribus repræsentet*. In funere S. Paulæ *Pontifices* quidam *lampades cereosque præferebant*, ut refert Hieronymus in *Epitaphio ejus*. His junge Gregorium Nyssenum de funere S. Macrinæ, Chrysostomum *Homil.* IV. *ad Hebræos*, ubi & finem hujus funalium moris tradit: scil. *lampades in exequiis Christianorum ideo accendi & funeri præportari, ut significent defunctos deduci tanquam athletas quosdam, qui devicto sæculo ad supremum illum* βραβευτὴν *ac designatorem pergant, coronas ac præmia accepturi strenue pugnatarum pugnarum*. Vel ut *anteactam vitam demonstrent tum & fragilitatem humanæ vitæ*. Hinc Baronius Tom. I. c. CXIX. *Accensis cereis, cantu prosequi pompam funeris apud Christianos antiquo usu receptum esse, multis habetur testatum exemplis*.

Porro apud Romanos plures instrati lecti in pompa funeris ante ibant persæpe, sicut de Sylla, cui sex millia, & Marcello, cui sexcentos lectos prælatos legimus. In exequiis Imperatorum, Principum ac Nobilium præferebantur insignia honorum, quos gessissent in vita, sed inversa, ut fasces, secures, arma, vexilla, atque urbium dona, spolia hostium, simulacra gentium urbiumque subactarum, expressæque cera majorum imagines longo ordine. Exempla pete ex Alexandro ab Alexandro *loco citato*, & Kirchman. *de Fun. R. l.* II. c. VII. De imaginibus vero præcipuo nobilitatis Romanæ insigni in funeribus ductis lege Polybium *l.* VI. *Historiarum*. Refert Andreas Tiraquellus, Tom. I. Operum c. XX. *de Nobilitatis prærogativis & privilegiis* num. 150. *in Galliis observari, ut in funeribus Regum & liberorum regiorum præferantur non quidem majorum, sed ipsorum imagines ad vivum repræsentatæ*.

Quid Christiani veteres? Crucem, notam Christo militantium, ac gloriæ trophæum præferebant in funere. Gestabant etiam quandoque in manibus palmas. Sic S. Petrum Episc. Alexand. & Martyr. sepelierunt, *victrices palmas manibus tenentes*. Antelatæ crucis meminit Gregorius Turonensis, *lib. de Vitis Patrum* in *Lupicino Recluso* c. XIV.

Sed de personis dicam oportet, quæ funebrem præcesserunt lectum, ubi primo se offerunt *Siticines*, sic dicti, quod apud *Sitos*, hoc est, sepulchro conditos (vel potius condendos) canerent, ut annotavit A. Gellius *Noctium Atticarum* eruditissimus ac purissimus scriptor *l.* XX. c. *Cum cantu enim mortuos ad sepulturam prosequi oportere, plurimarum gentium vel regionum instituta sanxerunt*. Ut est apud Macrobium *l.* II. *Som. Scipion.* c. III. Adhibebantur & *Præficæ*. Hæ assa voce, illi (Siticines) instrumentis canebant, puta tubis, tibiisque, quarum frequens fuit in Græcorum Romanorumque funeribus usus, quod late probat Kirchmannus *loco alleg.* c. IV. & V. Certe Homerus *Iliad.* ω. refert, cum cadaver Hectoris in urbem allatum ac lectis pensilibus impositum esset, adfuisse ἀοιδοὺς θρήνων ἐξάρχους, *cantores luctus principes*. Cæterum tibias ad puerorum puellarumque aut minoris ætatis funera restringere, videntur præter Servium *in* V. *Æneid.* Lactantius Placidius *in l.* VI. *Statii*, *Jubet*, inquit, *religio, ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur*. Et Statius ipse *lib.* VI. *Thebaidos*.

Tibia, cui teneros suetum deducere manes.

His ex recentioribus subscribunt Cornelius a Lapide *ad Matth.* c. IX. & J. Drusius *Præteritorum l.* I. in loc. præd. Subjicit hic causam; *Nam*, inquit, *instrumentum est tibia, exilis & angustæ vocis*. Verum id non placet Kirchmanno, *dicto* c. V. ubi asserit; Tubas quidem funeribus duntaxat indictivis adhibitas fuisse; Tibias vero funeribus quibuscunque, puta puerorum, senum, divitum, pauperculorum, plebejorum, nobilium. Cujus *sententiæ nostræ*, addit, *fundus est, quod næniæ ad tibiam canebantur: communes autem omnibus funeribus næniæ*. Sic quoque Hier. Magius *Miscell. l.* I. c. XIII. tibicines quibuscunque funeribus adhibitos olim fuisse censet promiscue, idque aliquot probat autoribus. Sed sufficiat nobis probasse Tibias, Tubasque adfuisse exequiis.

Sed an in Hebræorum quoque funeribus monumentarii ceraulæ? audiamus Wilh. Schickardum *de Jure Regio Hebræorum* c. VI. theor. XIX. *An etiam Siticines adhibuerint veteres Hebræi, equidem ignoro, inquisivi curiose, sed nondum reperi ullum ejus vestigium, nisi forte* המקוננות *lamentatrices fœminæ, Jerem.* IX. 17. *huc referri debeant, quæ anus pretio conductæ, ululatu suo lugentibus lacrymas eliciebant, ut apud Romanos præficæ*. Hujusmodi lamentatricum non solum, sed & lamentatorum marium meminit Maimon. *H. Esel.* c. XII. initio: *Quia planctus vergit in honorem defuncti, ideo tenentur hæredes* (mortui) *mercedem dare planctoribus & planctricibus, ut hoc officium præstent: nisi moribundus ipse testamento vetuerit*. Pergit Schickardus; *At hoc voce præstabant, non organis, quid ergo sibi vult ille tumultus Auletarum in Evangelica Historia Matth.* IX. 23. *apud filiolam primatis exanimem? videntur hoc a gentibus, quarum sub potestate fuerant, didicisse. Romani enim tubicines & tibicines adhibebant*, &c. Et post pauca: *Inde igitur a victore populo ad Judæos, ut alia multa, emanasse credibile est*. Hæc ille. Bartholom. Meierus *Philolog. S.* parte I. cap. VI. ex consuetudine Græcorum hoc ipsum Judæos hausisse affirmat. Quicquid sit, a Gentilibus postea Judæi in funerum curatione Tibicines mutuati sunt. Hinc ipsum Thalmud, (quod jus Civile Judæorum vocat Johann. Drusius *Præterit.* part. II. ad Matth. cap. IX. 27.) *Tibiæ adhibentur ad exhilarandum sponsum ac sponsam*, (in nuptiis) *aut ad plangendum mortuum.* (in funeribus) Et Buxtorfius in *Lexico. Talmud.* de חליל tibia longiore annotat ejus usum tam in gaudio fuisse, quam in luctu. Certe Evangelista *Matth.* IX. 23. αὐλητῶν diserte meminit, qui deducendo funeri præsto erant, quique rauco suo strepitu tum turbam conciebant, tum pompam præeundo cohonestabant, tum spectatores pompæ advocabant. Sequuntur Planctrices sive Præficæ, quarum paulo ante facta mentio, quæ sic dicebantur, juxta Varronem & Festum, quod planctui præficerentur, dabant enim cæteris modum plangendi suisque falsis lacrymis sciebant aliorum ciere veras. Mulierculæ erant, quæ mercede adductæ ad *tibias ferales* lamentabile & inconditum carmen femineo ululatu miris gesticulationibus iterabant, & laudes ac facta defuncti non sine miseratione recensebant, pectus insuper tundentes, capillos vellentes, &c. non itaque *tibias in funere tractabant ipsæ, sed ea-*

rum modulis intercinebant, ut observat Reinesius *l.* 1. *Var. Lect.* capp. XX. & XXI. Unde Lucilius, qui primus Latinorum Satyram scribere aggressus est, *sat.* XXII.

— mercede quæ
Conductæ flent alieno in funere præficæ,
Multo & capillos scindunt & clamant magis.

Imperatorum quidam, ut est apud Vopiscum, jussit Præficas a suo funere omnino arceri: *Nam si probus* (inquit) *fui, & de Republica bene meritus, cuncti lacrymis decorabunt funus meum; sin vero improbus, & tyrannus, etiam conductitiis lacrymis haud dignus ero.* Salmuthus *ad Pancir. Tom.* 1. *Memor.* p. 340. scribit, eas conductas esse ad decantandas mortui laudes ante domum, itemque ad planctum fictasque lacrymas, quibus peculiare fuit carmen commune omnibus funeribus, quod privatim facerent, mutatis nominibus defunctorum atque familiarium. Θρηνωδῶν γυναικῶν usus erat non tantum apud Romanos, sed & apud Græcos, quod Plato indicat in *Minoe*, & ex Æsopo *Apologo* in πλησίῳ aliisque manifestum. Plorabant ergo hæ conductitiæ mulieres & lamentabantur in alieno & ad se nihil pertinente funere nummorum gratia, unde & *fictarum lachrymarum simulatrices* eas vocat Varro *l.* VI. *Ling. Latin.* Carmen autem ab aliis cantari solitum peculiari nomine *Nænia* dicebatur, videatur Scaliger *Poetices l.* 1. cap. 1. Latini veteres *Lessum* appellarunt. Judæos quoque olim in funeribus adhibuisse lamentatores & lamentatrices mulieres ex *Jerem.* IX. & Maimonide *loco alleg.* colligi potest: illorum planctus non mero absolvebatur clamore aut ejulatu, sed præcipue cantionibus ac epicediis, in honorem defunctorum, lugentiumque solamen institutis; hæ vero etiam solerter instructæ erant ad plangendi hunc actum, & hujusmodi cantum; qui alias nugæ dicebatur. Ita namque Scaliger *in Varronem: Nugæ erant proprie, quæ canebantur in mortuorum laudem.* B. Chemnitius *Harm. Evang.* CLXVII. f. 1278. per ὄχλον θορυβούμενον *Matth.* IX. 23. intelligit præficas, alii non præficas, sed cognatos, familiares vicinos & reliquam turbam oppidanam, quod malo. Cum nuspiam in *Sacris* verbum θορυβεῖν de tali, qualis præficarum est, luctu usurpetur, & potius de vehementiore multitudinis discursitantis & commurmurantis strepitu, vide *Actor.* XVII. 5. *Nahum.* II. 23. *Jud.* III. 26. unde & Beza exponit *strepentem & ad funeris pompam concurrentem.*

Justinianus Imp. muliebrem lessum in funere in cantum convertit, & præficarum loco Psaltrias substituit, quæ feretrum præcedebant psallentes, ut est in *Novell.* LIX. Hinc Præficarum loco Psaltriæ erant apud Christianos. Hi enim hymnorum & psalmorum cantu perducebant ad dormitoria sua defunctorum corpora. Cæsarius frater S. Gregorii Nazianzeni *cum multiplici hymnorum cantu deducitur, celebrique pompa ad Martyrum sedes effertur*, &c. *Psalmorum cantu luctum consopiente.* Hieronymus de Funere Paulæ viduæ ait: *Psalmorum linguis diversis examina concrepabant.* Item: *Hebræo, Græco, Latino, Syroque sermoni Psalmi in ordine personabant:* & supra citatis verbis subjungit, *alios* Episcoporum *choros psallentium duxisse.* Erant ergo psallentes in choros & certos ordines distincti, quibus sui erant duces. *Triplicis canentium ordinis* meminit Nyssenus in funere Macrinæ sororis: *Psallentium turmarum* Gregorius

A Turonensis *loco supra citato.* Hieronymus de funere Fabiolæ inquit: *Sonabant Psalmi & aurata tecta Templorum, reboans in sublimi quatiebat Alleluja. Hic juvenum chorus, ille senum; qui carmine laudes fœmineas & facta ferant.* Confer Chrysostomum *Homil.* IV. *in Epist. ad Hebræos*, Sulpitium Severum in *Vita S. Martini*, Dionysius (quisquis ille, etsi non Areopagita, cujus mentio in *Actis* XVII. 34. scriptor tamen antiquus, eruditus & elegans judicio Dn. D. Calixti *Concordiæ Evang. lib.* VII. c. 1. in fine) cap. VII. *de Ecclesiastica Hierarchia.* Psalmi autem decantabantur, tum ante funeris elationem, ut supra vidimus, tum in ipsa B elatione & sepultura, imo etiam post sepulturam, tota sæpe hebdomade novis semper subvenientibus & funus psalmodia sua cohonestantibus. Docet id Hieronymus de funere Paulæ Romanæ: *Psalmi in ordine personabant, non solum triduo, donec subter Ecclesiam & juxta specum Domini conderetur; sed per omnem hebdomadam cunctis, qui venerant, suum funus, & proprias credentibus lacrymas.* Et ne ulli funeri psalmodia deesset, destinavit ad hoc officium Asceteria, certumque Ascetriarum sive sanctimonialium numerum Justinianus Imper. in *Constitutionibus*, quas *Novellas* vocant, quod Codice recentiores, *Novell.* LIX. jam citata. C Prohibuerat in Africa Rex Gensericus, ne mortuos suos cum psalmorum cantu efferrent Christiani, de quo conqueritur Victor Uticensis, malorum, quæ Augustini ætate passa est Africana Ecclesia in Persecutione Vandalica, narrator, *l.* 1. *de Persecut.* jam dicta: *Quis sustineat atque possit sine lacrymis recordari, dum præciperet nostrorum corpora defunctorum sine solemnitate hymnorum cum silentio ad sepulcrum perduci?* Causam, cur hymni in funeribus decantarentur, reddit S. Chrysostomus *Homil.* IV. *in Epist. ad Hebræos*; *Dic mihi, quid sibi volunt istæ lampades tam splendidæ? Nonne sicut* D *Athletas mortuos comitamur? Quid etiam hymni? Nonne ut Deum glorificemus, eique gratias agamus, quod jam coronavit discedentem, quod a laboribus liberavit, quod a timore liberatum apud se habet.*

Romani, ut ad eos redeam, ne quid deesset ineptiarum, adhibebant in illustrium & fortunatorum virorum funeribus præter alias pompas etiam ludios & histriones, qui lectulum præcedebant & sicinnem saltationem saltabant. Dionysius Halicarn. *l.* VII. Nonnunquam aderant scurræ & mimi, qui personas fingerent, ac dicta gestusque vivi imitarentur, Suetonius in *Vespasiano* c. XIX. Insuper Orcini Liberti (id est, qui testamento E manumissi & libertate donati) feralem lectum sui domini præcedebant pileati, aut alba lana capitibus velatis, ut observat Alexander ab Alexandro ille Polyhistor, *Genial. dierum lib.* III. cap. VII. Funus ipsum prosequebatur proximiorum, affinium & amicorum turba, & *Filii quidem velatis, Filiæ vero nudis capitibus passisque crinibus*, teste Plutarcho in Ῥωμαϊκοῖς *probl.* XIV. Sæpe aderat Senatus universus, Magistratus, equitum turmæ atque adeo tota civitas, si quando Regum aut Imperatorum, aliorumque, qui de Republica optime fuissent meriti, funus efferrent. Funeris enim hæc lex erat, inquit Alexander ab Alexandro *loco cit.* F *ut præcedente pompa funebri, vivi sequantur, tanquam haud multo post morituri.* Tholosanus *Syntagm. Juris Univers. lib.* II. cap. XIV. numer. 15. feralem processum hunc in modum describit: *Adest*, inquit, *& pompa & exequiarum major solemnitas in sepeliendis viris de Republ. bene meritis, ut in Lucilio Longo funus factum apud Cornelium Tacitum lib.* IV. *Augusto Octaviano apud Dionem Cassium lib.* XLVIII. *Histor. Rom. præcedebant sacerdo-*

cerdotum collegia, *Appian. in Syllæ funere*, *& præferebantur omnia mortui ornamenta majorumque imagines. Procedebat funus more prisco, sequebantur homines, quasi post ipsum defunctum morituri, subsequuturique a quibus dicebatur* Vale, nos te sequemur. *Inde & dictæ exsequiæ, apud Donatum legitur in illud Terentianum*; funus interim procedit, nos sequimur. Hæc in rem præsentem volui producere, licet plusculа. Filesacus lib. I. *Select.* cap. XVI. p. 288. monet, ordinem, dispositionemque funeris palam mostrare, cum defuncti corpus prælatum cognati, affines ac amici prosequuntur, necessarios nostros solum *præmitti, non amitti*.

Athenis lege sanctum erat, ne quis in alienum funus accederet. De quo Cicero lib. II. *de LL.* circa finem: *Sublata etiam erat celebritas virorum & mulierum, quo lamentatio minueretur. Habet enim luctum concursus hominum: quocirca Pittacus omnino accedere quenquam vetat in funus aliorum.* Cognati ergo & amici ibi potissimum conspiciebantur. Defunctorum corpora cum honore & multitudine comitantium delatos fuisse ad sepulcrum apud Judæos docet sæpe citatus Maimonides *H. Esel.* cap. IV. inquiens: *Et qui funus comitantur, dicunt solenniter*, VADE IN PACE. Et in fine cap. XII. *Quisquis effertur in lecto, multi juxta illum cohonestant sua præsentia: qui vero non effertur in lecto, apud eum comparent nulli*. Ibidem etiam disquirit, uter sexus debeat præcedere: *Est locus*, ait, *ubi mulieres solent præcedere feretrum, ibi præcedant sane; quia illæ mortem introduxerunt in mundum: est alius, ubi sequi solent, ibi sequantur, ob honorem filiarum Israel, & ne quis forte masculus illarum aspectu incendatur*, ut explicat *Talm. Jerosol.* Seq. cap. XIII. *In qualibet serie non pauciores decem personis incedunto.* Funus comitari solenne fuisse Judæis, exemplis docet S. Pagina: *Omnes servi Pharaonis, seniores familiæ ejus & seniores terræ Ægypti* deduxerunt ex Ægypto in Cananæam exanime corpus Israel, *Gen.* L. 7. Abneri militiæ ducis feretrum sequebatur Rex & Propheta David cum ministris suis, 2. *Sam.* III. 23. *Matth.* IX. 23. in Jairi Archisynagogi ædibus *ὄχλον* videmus *θορυβούμενον*, haud dubie funeris comitandi ergo jam præsentem. Et turbam multam civitatis Naim Filii Viduæ exequias ivisse legimus apud *Lucam* cap. VII. 12. Christiani etiam frequentissimi sæpe ad exequias sanctitate inprimis & dignitate excellentium hominum confluebant: vide Gregorium Nazianzenum *Orat. in laudem Basilii*, Gregorium Nyssenum *Orat. in S. Meletium Episcop. Antioch.* Sulpitium Sev. in *Vita S. Martini* epist. III. Hieronymum in *Vita S. Paulæ & Fabiolæ*. Eusebius lib. IV. *de Vita Constantini*, exequias pientissimi Imperatoris sic describit: *Cadaver in capsulam collocatum & purpurato operculo obtectum Constantinopolin deportatum & in Basilica sub altissimis gradibus depositum est, luminibus super candelabris aureis circumcirca accensis, inde deductum in aliud Templum, ubi conditum est, turba frequens omnis generis secuta est.* Aliquando a funerum deductione virgines novasque nuptas arcuerunt S. Patres. Sic enim *χρυσοῤῥήμων* Χρυσόςομος lib. III. *περὶ τῆς ἱεροσύνης*: *Jam & virgini oportet funebres pompas & publica pervigilia interdicta esse.* Et Synesius Episcopus Ptolemaidis *epistola* III. *Οὐ γὰρ, οἶμαι, νομίζεται νυμφοδότρίαις βαδίζειν ἐπ' ἐκφοράν. Non enim, opinor, moris est, ut nova nupta ad funus conveniat.* Aliquando, inquam, non enim semper virgines a deducendi funeribus exclusæ fuerunt. Nam in funere jam laudati Chrysostomi *magnam*

fuisse virginum multitudinem, testatur Palladius, in *Dialog.* de funere. Chrysost. *Virginum chori fletu abstinentis præ pudore* in funere S. Martini meminit Sulpitius *epist.* III. In funere S. Paulæ *nullam virginum cubiculorum secreta texisse* ait Hieronymus in *Epitaphio Paulæ*. *Omnem in exequias sexum convenisse & ætatem*, dicit Corippus *lib.* III. de funere Justiniani. Fuisse autem confluentem ad funus deducendum populum in ordinem & certa agmina dispositum, docet Nyssenus in *Vita S. Macrinæ*. Vide & Jacobum Gretserum lib. I. *de Sacris processionibus* cap. XIII. ubi exempla funebrium processionum recenset. Nec illud prætereundum esse monet idem lib. II. *de Funer. Christian.* cap. III. equos interdum saccis seu operimentis lugubribus amictos in pompa funebri ductos esse, ut & hodie fit in Imperatorum, Regum, Principum ac Nobilium funeribus. Testatur id S. Chrysost. *Homil.* III. *ad populum Antiochenum: Divite aliquo mortuo non servos solos, & ancillas, sed & equos necessarii saccis amicientes & agasonibus tradentes, ad sepulchrum ire jubent.* Funus exsequentes, præsertim qui proximiori sanguinis nexu cohærebant, defuncto *lachrymis indulgebant* maxime. *Pascunt* enim *frequenter lacrymæ & mentem allevant fletus, refrigerant pectus & mœstum consolantur. Est quoque piis affectibus quædam flendi voluptas & plerumque graves lacrymas evaporat dolor*, inquit Ambrosius de obitu Valentini. Ipse Salvator ad monumentum Lazari flevit, aliisque lacrymantibus se conjunxit, *Joh.* XI. 35. ex quo Judæi colligunt ejus amorem erga defunctum. Et Josephus Patriarcha non aqua calida, ut Achilles Patroclum suum ab Hectore interfectum (Homerus *Iliad.* σ.) sed lacrymis ignitæ charitatis & humanitatis corpus paternum lavat, *Gen.* L. I. Rex David feretrum Abneri a Joab fraudulenter interfecti plorans sequebatur, 2. *Samuel.* III. 31. 32. Sororem in sororis funere sanguineas lacrymas fudisse refert Delrius *Polemica* II. Alexander Macedo illacrymavit funeri conjugis Darii, Curtio teste, *lib* IV. post med. In funere Macrinæ sororis Nysseni, *Virorum & mulierum multitudo Psalmorum decantatione fletibus interrumpebat.* Maimonides ait cap. XII. *Esel.* §. I. *Quicunque segnis est ad plangendum consanguineum, dignus est, qui sepeliatur vivus: & quisquis lacrymas profundit super consanguineo, merces ejus ob idipsum asservatur penes Sanctum Benedictum.* Lacrymis planctus ejulatusque immiscebantur & lessu, id est, voce sonore ejulante omnia implebantur. Cicero legem XII. Tab. *de lessu funeris non habendo* exponit lib. II. *de Legibus*, de lugubri ejulatione. Plato ait, lib. XII. *de Leg. fieri mortuum, jubere aut vetare absurdum est, plangere vero & voces ac lamenta extra ædes mittere vetandum.* Etiam Rex David in funere Abneri *extollebat vocem suam ac flebat super sepulcrum Abner*, 2. *Samuel.* III. 32. Quandoque ob doloris impatientiam *dirumpebantur vestes*, laceris partibus aliquandiu relictis in terram pendulis, ut hac ratione etiam aliis constaret de interno dolentis animi affectu. Hinc Drusius ad loca *Num.* c. LVIII. ait, *scindebant etiam vestes in luctu aut dolore privato, & omnino ceremonia erat vetus, qua prisci illi homines cor suum dolore lacerari testificabantur. Hunc ritum omnibus fere priscis populis communem fuisse constat ex Homero, Virgilio & Herodoto.* Copiosius id ostendunt Kirchmannus *de F. R.* lib. II. cap. XVII. P. Faber *Semestr.* lib. II. cap. X. Serarius *Comm. ad Esth.* fol. 330. Sopranes in *Davide* digr. III. fol. 540. Sic vestimenta sua scindebat Jobus annuncia-

ta filiorum morte, *Jobi* I. 20. David ob mortem Saulis, chariſſimique Jonathanis, 2. *Sam.* I. II. itemque ducis Abneri *cap.* III. 31. filiorumque regiorum, *cap.* XIII. 31. Experiebantur autem violentam illam ſciſſionem modo pallium, ſive veſtis exterior, modo tunica, ſive veſtis interior, modo utraque, vide Dn. L. Geier, tractatu *de Luctu Hebr.* cap. XXII. §. II. ſeqq. Maimonides cap. VIII. *Efel.* §. I. inquit: *Lugens tenetur ſcindere ob mortuum ſuum, cum dictum ſit* (*Levit.* X. 6.) *& veſtimenta veſtra ne diſſuatis, ne moriamini*, &c.

Porro Romanæ mulieres ſolvere crines in funere ſolebant, (quo pertinet illud Ovidii lib. II. *Faſtor.* de Lucretia; *Paſſis ſedet illa capillis, ut ſolet ad nati mater itura rogum*) imo vero etiam viri, ſi qui comam alerent, vide Kirchmannum *de Funer. Rom.* lib. II. cap. XII. Alexander ab Alexandro *loco citato* inquit: *Apud Græcos convenit, in luctu viros comas alere, barbaramque capillumque ſubmittere, mulieres vero tonſis crinibus eſſe.* Germani quoque veteres (teſte Tacito *de moribus eorum*) lugebant barba & capillo promiſſis. Ita hodierni etiam Judæi cognatorum lugentes mortem intra 30. dies neque lavantur, neque tondentur, teſte Schindlero in *Lexico* v. פרע & Buxtorf. *Syn. Jud.* cap. XXXV. Nec ſolum circum colla fluitare atque errare ſinebant capillitium, verum etiam immitibus manibus lacerare atque evellere ſolebant. Sic ob mortem matris *prima manu flavos Lavinia crines & roſeas laniata genas* conſpicitur apud Virgilium lib. XII. *Æneid.* Materque Darii audita Alexandri morte, abſciſſa veſte, qua induta erat, lugubrem ſumpſit, *laceratiſque crinibus*, humi corpus abjecit, vide Curtium *lib.* X. Sic & Eſra ruptis veſtibus evellit etiam capillos capitis & barbæ, *Eſræ* IX. 6. Cinere quoque crines conſpergebant & terræ pulvere ſordidabant. Sic Priamus pulvere aſperſus Hectoris filii mortem luget, *Iliad.* ω. Hinc Virgil. lib. X. *Æneid.*

Canitiem multo deformat pulvere.

Idem alibi:

Intonſus multo deturpat cinere crines.

Sic in *Sacris* conſpicimus Joſuam veſtimentis ob cladem laceratis ſuper faciem procidentem atque una cum ſenioribus populi cinerem capiti inferentem, *Joſ* VII. 6. conf. I. *Sam.* IV. 12.

Quandoque etiam in acerbo funeris luctu crines ſibi ipſis amputabant, & crinibus tonſis defunctos lugebant. De tonſione ſeu raſura virorum lugubri videndus Kirchm. lib. II. *de F. R.* cap. XIV. ubi eam a pleriſque gentibus uſurpatam eſſe ait, & exemplis probat, confer Alex. ab Alex. lib. III. *Gen. Dier.* cap. VII. Imo Perſæ non ſibi ſolum ipſis, conjugibus & liberis in luctu tondebant comas, ſed etiam jumenta atque equos ſimili modo deturpabant, uti conſtat ex Curtio *lib.* X. Herodoto *lib.* X. Briſſonio lib. II. *de Regno Perſarum* pag. 257. [illegible]archus in *Vita Alexandri M.* tradit, eum *in luctu H[illegible]phaſtionis equos muloſque totondiſſe.* De[illegible]ctos vero crines cum flebili vociferatione vel ca[illegible]veri imponebant, vel rogo inſpergebant Græci [illegible] Romani, in quam rem latiſſime iterum [illegible] Kirchmannus lib. II. *de F. R.* cap. XV. Alexand. ab Alexand *loco alleg.* Alexan[illegible]ardum *de ritibus & moribus Gentium* lib. I [illegible] XVI. Sed num & Hebræi in luctu tonſi? [illegible]o. Producimus hic primo loco Jobum, [illegible]imum Dei ſervum, qui poſt dolores, an[illegible]ique maximas *ſurgit* tandem, *lacerat veſtes*

A *& tondet caput ſuum, cap.* I. 20. vel ſecundum Coccejum, & *vellit capillum capitis ſui. Jerem.* XVI. 6. minatur Deus, quod *neque ob magnatum, neque tenuium mortem* יקרח *decalvabit ſe quiſquam*: uſitatum ergo alias hoc fuit in populo DEI inter funera: confer *cap.* XLI. 5. *Eſa.* XXII. 12. *Ezech.* VII. 18. *Mich.* I. 16. Memorat enim Hieronymus *ad Jer.* de Judæis ſui temporis: *Mos hic fuit apud Veteres, & in quibuſdam permanet Judæorum uſque hodie, ut in luctibus incidant lacertos, & calvitium faciant.* Obſervat etiam Paulus Fagius *ad Deuter.* XIV. I. calvitium fuiſſe factum vel reſecando capillos, vel manu extrahendo, vel veneno cor- B radendo.

Nec hic ſubſiſtit ab immodico mœrore imperata deformatio. Incidendæ etiam inſuper erant genæ, dilacerandæ mammæ & membra cætera, vultuſque ipſe cruentandus, ut ſanguine plorarent. Refert Roſinus, lib. V. *Antiq.* cap. XXXIX. in funeribus Gentilium receptum fuiſſe, ut niſi captivorum aut gladiatorum eſſet copia, lugentes ipſi ſuum laniatis genis effunderent cruorem, quo ſic demum ſatisfieret Inferis ſanguinis conſpectu. Quod tamen lege XII. *Tabul.* fuit interdictum, quæ hæc habebat; *mulieres genas non radunto.* Meminit Petronius Arbiter, in *Satyr.* matronæ C Epheſinæ, cujus *facies unguibus ſecta*, item Quintilianus *declam.* X. mulieris, quæ filium lugens ſanguinantes ad judices porrigit lacertos, quæ ſciſſo laniatoque vultu, quæ lividis uberibus, &c. Theodoretus *in Lev.* qu. XXVIII. de Græcis inquit: *Conſueverant Græci radere barbam* (modo ergo tondebant, ut hic ex Theodoreto, modo producebant barbam & capillos, ut ſupra ex Alexandro ab Alex. audivimus) *cum aliquem lugerent & genas incidere in honorem defunctorum; nec non aliquas corporis partes acu perforabant & nigro veſtiebantur in reverentiam Dæmonum.* De Scythis re- D fert Herodotus *lib.* IV. quod in regum funere *aurem* (vel ut Henr. Stephanus in marg. ponit, *auris partem*) *decidant, crinem circumtondeant, brachia circumcidant, frontem naſumque confaucient, ſiniſtram manum ſagittis trajiciant.* Sic de Tartaris Circaſſis ſcribit Adamus Olearius, in *Itin. Perſ.* fol. 523. illos in luctu dilaniare frontem, pectora & brachia, ut large defluat ſanguis. Cæterum non ſolum Græcis, Romanis, Ægyptiis, Aſſyriis, Carthaginenſibus, Scythis, &c. uſitatum, ut in mortuorum honorem & in mœroris argumentum carnem ſuam vel cultellis inciderent vel unguibus lacerarent, vide Alexand. ab Alexand. E *loco citato* ſed etiam Judæis. Nihil enim tam proclive eſt, quam ut alii ad aliorum mores ac conſuetudinem ſe conformantes, ultro citroque ſua inter ſe communicent vitia. *Jerem.* XVI. 6. dicitur: *Morientur magni & parvi, nec plangent eos, neque* יתגודד *ſe incidet quis.* גדד eſt *turmatim convenit, depopulatus eſt*, & in hithpael התגודד *ſeipſum incidit*, irruptionem quaſi crebram & violentam fecit in ſeipſum, ſive unguibus, ſive cultellis, inſtrumentiſque aliis. Unde colligimus, morem hunc incidendi alias in gente Judaica fuiſſe receptum & pervulgatum. Sed ſevere eum interdixit DEUS *Lev.* XIX. 28. ושרט (a שרט, quod Schindlerus ex- F ponit incidere ad ſanguinem uſque, lacerare, ſcalpello aperire, ſacrificare, *inciſionem vero ob animam*, (id eſt, propter mortuum) *non ponetis in carne veſtra, neque figuras aliquas aut ſtigmata facietis vobis*, ait Dominus *Lev.* XXI. 5. *Sacerdotes in funeribus propinquorum ſuorum in carne ſua non incident inciſionem*, *Deuter.* XIV. I. *Non incidetis vos, nec ponetis calvitium inter oculos veſtros ſuper mortuum.* Ad quæ verba annotat B. Lutherus in *Comm. h. l.* Tom.

III. Jenenſ. Latin. fol. 114. *Inciſio hic intelligitur non illa impreſſio ſtigmatum, de qua infra dicet, ſed ritus quidam funebris, quo forte Ægyptii & aliæ gentes faciem ſecuerunt & prociderunt, dum ſupercilia deraſerunt in ſignum triſtitiæ*, &c. Sed quanquam *inciſio carnis* (verba ſunt B. Chemnitii *Examin. Concil. Trident.* in Hiſtoria Purgatorii cap. II.) *& evulſio capillorum in luctu mortuorum expreſſo prohibita erant, Levit.* XIX. *Deuteron.* XIV. *Ex converſatione tamen inter Gentes Iſraelitis etiam Prophetarum tempore illa uſurpari cœpta fuiſse ex Jeremiæ cap.* XVI. *non obſcure colligitur.* Adeoque cum tandem adeo invaluiſſet præpoſtera hæc lugendi ratio, ut inſtar diluvii totam operuiſſet regionem ſanctam ejuſque incolas, legiſque velut vires obtinuiſſet, inde tandem factum eſt, ut Prophetæ illinc crebras petierint loquendi formulas, adhibitis non raro etiam imperativis, ob rem ſcil. infallibiliter eventuram, uſque adeo, ut niſi quis inſtituta Dei immotæ meminerit firmitatis, exiſtimare poſſit, Prophetarum iſtis locutionibus poſterioribus, priora quodammodo fuiſſe abrogata, ut bene obſervat Dn. L. Geier tractat. *de Hebræor. Luctu* cap. VII. §. 9. Scribit Hieronymus *ad cap.* XVI. *Jerem.* inciſionem hujuſmodi luctuoſam ſuo etiamnum ſeculo inter Judæos viguiſſe. Maimonides ait cap. XII. *Avoda Sara* §. 12. *Lanians ſe laniatu uno ob mortuum, vapulat.* (juxta *Levit.* XVI. 28.) *Par ratio Sacerdotis atque Iſraelitæ alterius. Si laniarit ſe laniatu uno ob mortuos quinque vel laniatibus quinque ob mortuum unum, vapulat quinquies. Et quidem tum demum, ſi unaquaque vice fuerit præmonitus.*

Taceo hic manuum ſupra caput elevationem, retractionem, comploſionem, pectoris & femorum percuſſionem in luctu Gentilium & Judæorum frequentiſſimam. Lugentes enim, præſertim mulieres præ impatientia modo manus extendebant & elevabant, modo retrahebant, modo complodebant, modo pectora pugnis percutiebant. Atque hujus στερνοτυπίας principes erant Præficæ apud Romanos. Hæ enim cæteris modum plangendi præibant, ut ſupra dixi. Vide Dn. L. Gierum *loco* ſæpe *citato* capp. XIV. & XVII. Kirchmann. *de Funer. Rom.* lib. II. cap XI. Ravanellum Tom. II. *Bibl.* tit. *Pectus*, n. IV. item *percutere*, num. I. Denique & ornamentum omnem ponere Exequiatores, more tam in Græcia, quam Romæ uſitato, lugubriaque vel mortualia induere ſolebant. Hinc Livius, Hiſtoriæ pater, *lib.* XXXIV. *Quid aliud in luctu, quam purpuram atque aurum deponunt, quid cum eluxerunt, ſumunt.* Et Seneca *Conſolat. ad Helviam* cap. XVI. *Noſtis quaſdam, quæ amiſſis filiis, impoſita lugubria nunquam exuerunt.* Itemque Servius XI. *Æneid. Lugentium mos eſt, prioris habitus immutatio.* Sed ut a capite ordiar, privabant lugentes caput priore ſuo ornatu, & vel lugubri peplo aut tegmine involvebant, luctus, mœroriſque cauſa, vel nudum relinquebant, idque ſic nudatum vel tondebant, vel cineribus inſpergebant, uti ſupra dictum. Romanorum filii velatis, filiæ vero apertis capitibus, paſſoque crine in funus prodibant, teſte Plutarcho, in *Quæſt. Rom.* probl. XIV. Darium, mortuam uxorem lugentem *diu capite obvelato fleviſſe*, ſcribit Curtius *lib.* IV. Sed & ſponſæ Gentilium flammeo tegebant luteo caput, genaſque, cum ad maritum ducebantur, unde *Nuptiarum* hodieque manet nomen. *Nubere* enim apud Priſcos idem eſt, quod *operire, tegere.* Hinc & *Nubes* dictas Varro aſſerit, quod cœlum tegant. Vide Hotomannum *de veteribus Nupt. ritib.* cap. XV. Reperimus etiam apud Hebræos tectum in luctu vultum. Sic David, 2. *Samuel.* XIX. 5. *filium lugens Abſolomum, operuit caput ſuum*, & ſuum illud funebre lamentum iterabat, *Abſalom fili mi.* Addit R. David Kimchi; *quia ſic moris erat lugentium, operire ſemetipſum. Ezechiel.* XXIV. 16. ſeqq. interdicitur Prophetæ viduo ritus lugentium his verbis, *non planges, nec flebis, —— mortuorum luctum non facies, corona tua circumligata ſit tibi.* Coronam hanc de tæniis, vittiſque tenuibus, quæ tempora ligabant, in modum coronæ capillos cingentes, cum ſine pileis incederent Hebræi, intelligit Sopranes in *Davide* Digr. I. fol. 361. ſeq. quam ipſam porro coronam in luctu exiſtimat depoſitam, ita ut vel coma tonderetur, vel pulvere aſperſa libere flueret. Hieronymus vero per coronam ipſam comam intelligit, hunc locum ita exponens; *habebis comam, quæ tondetur in luctu.* Et ſtatim: *Nos autem juxta Septuaginta, coronam capillorum intelligamus cæſariem.* Additur porro apud Ezechielem; *neque obveles barbam;* שפם *eſt totum labrium*, inquit Mercerus *ad Pagn. Lex.* id eſt, *quidquid infra naſum continetur etiam cum mento*, &c. Totum itaque barbæ ſpatium in luctu fuit opertum, quod etiam Flacius obſervat in *Clave*, voce *Panis*: *In funebri*, ait, *luctu os tegebant panno lineo, & caput involvebant, præſertim in publicum prodeuntes.* Maimonid. cap. V. *Efel.* §. 19. inquit. *Unde eſt, quod lugenti probibita capitis nudatio? nimirum, quia Ezechieli dictum; non operias barbam. Prorſus itaque lugentes reliqui tenebantur operire caput. Et quidem ſudarium ſeu linteum illud, quo operibant caput ſuum, operiebat etiam ex parte labium lugentis, juxta quod dicitur, barbam operies, ubi* Ουκελος *declarat: ſicut lugens ſe operit.* Etiam apud nos in quibuſdam urbibus, non ſolum fæminæ linteis candidis, ſed & viri nigris pellucidiſque faciem velati tegminibus honoratiorum funera comitantur, ut cuique notum. Jam ad reliqui corporis lugubria tegumenta progredior. Erant ea plerumque coloris nigri, qui color luctui & triſtitiæ ſemper habitus fuit convenientiſſimus. *Pullus veſtium color ſive olim, ſive hoc tempore fere funeribus dedicatus*, inquit Bonfrerius *Comm. in Deuter.* cap. XXI. v. 12. *Magna ex parte lugentium & aliorum, qui funus ſequebantur, veſtitus pullus, id eſt, niger erat*, inquit Tiraquellus in Alexand. ab Alexand. *loco* ſæpius *adducto* pag. 307. *Pulla veſte amicti erant* in fuere Auguſti Tiberius & Druſus, teſte Dione *lib.* LV. *Atrata plebs* in exequiis Germanici, Tacit. lib. III. *Ann.* Nec viri ſolum, ſed & fæminæ pullatæ, & atratæ (Græci vocant μελανοφοροῦντας) priſcis temporibus veniebant exequias. Sic enim Dionyſius Halicarnaſſeus, Hiſtoricus bonus, Rhetor ac Criticus nobilis, quo curatius tempora nemo obſervavit (judice Scaligero in *Animadverſionibus Euſebianis*) Operis ſui, quod ipſe ἀρχαιολογίαν Ρωμαϊκὴν appellat, *lib.* VIII. *Romanorum matronæ, ut mos eſt, illis in luctu domeſtico & neceſſariorum funeribus, depoſito auro & purpura, cæteroque ornatu atratæ ipſum per annum integrum luxerunt.* Quæ vero deinceps veſtes in luctu erant, iiſdem funus prodierant. Poſtea & color albus ſignum luctus eſſe cœpit Romæ, allatis aliis ex peregrinis regionibus coloribus; unde Herodianus literis conſignavit, fæminas Romanas in exequiis Imperatoriis veſtibus candidis fuiſſe uſas, Juſtus Lipſius ad lib. II. *Annal.* Taciti tradit, quod fæminæ Romanæ florente priſca Republ. uſque fuerint in luctu *nigris* veſtibus, *albis* vero, ſub Imperatoribus Republ. extincta, in adoleſcentum funeribus cæruleam veſtem frequentes induiſſe Romanos ex Catone docent Cœlius Rhodiginus *Lect. Antiq.* lib. XVII. c. XXI. & Alexand. ab Alex. *Genial. Dier.* lib. III. cap. VII.

Græciæ mulieres in luctu nigro amiculo contectas fuisse, clare proponit Artemidorus *lib.* III. *cap.* III. quanquam Alexand. ab Alex. *loco* jam *alleg.* *apud Græcos fœminas, virosque in candida veste cum coronis amplissimi viri exequias prosequi*, asserat. Refert idem eodem loco, Syracusanis etiam fuisse in more, ut candido amictu velati & fronde coronati efferent mortuos; Argivos quoque in luctu albas vestes aqua ablutas induisse & in candido amictu funus comitatos esse. Album colorem etiam hoc tempore apud Chinenses in luctu funebri adhiberi, ait Bonfrerius, *Com. in locum cit.* Diodorus Siculus de Carthaginensibus refert, eos insigni affectos clade civium præstantissimorum in luctus publici signum solitos fuisse, muros civitatis nigro circumdare panno. Sic & hodie, ad majoris luctus demonstrationem, Imperatoris, Regum, Electorum, aliorumque Principum mortuorum palatia, vel certe præcipua eorum loca, vestiuntur panno coloris atri, more vetustissimo, & alias quoque apud Gentes usitato. Judæos mutasse vestes in funeribus suorum assumptis eis, quæ luctui funebri convenirent, ex *Ezech.* XXVI. 16. colligi potest: *Vestimenta sua varia abjicient, & induentur stupore*, id est, inquit Menochius *Com. in h. l. vestem suam acu pictam deponent, & induentur veste lugubri, qualem assumunt, qui præ dolore quodam modo stupent.* Sane David se dicit incedere קודר *pullatum*, quasi qui lugeret matrem, *Ps.* XXXV. 14 ubi Ebræam vocem *Kadar* non nisi tenebricosum obscurumque designare posse colorem, exemplis probat Dn. L. Geier *loc.* sæpius *alleg.* cap. XXII. § 5. p. 401. Vide Lorinum *ad Psalm.* XXXIV. (XXXV.) 14. Mart. de Roa part. II. *Singul.* l. II. cap. II pag. 152. seqq. Menochium lib. VIII. *Reip. Hebr.* cap. VI. quæst. V. qui omnes in colore nigro lugentibus Hebræis usitato consentiunt. Bonfrerius vero Jesuita *loco alleg.* dubitat, an certus ei rei color fuerit dedicatus, cum nec Scriptura nec Josephus uspiam id indicet, quin potius, solis vestium sordibus, vel sordidato duntaxat habitu luxisse Judæos in funeribus autumat. Buxtorfius *Synagog.* cap. XXXV. pag. 433. inquit, Judæi moderni *pullis vestibus in luctu non utuntur, sed vestes illas, quibus obitus tempore quis indutus fuit, nec ullas alias, toto luctus tempore, per integrum scil. annum gestare tenetur.* Mutabant & Christiani olim in luctu ac funere vestes. Tertulliani discipulus, sed magistro ipso major, Cyprianus, in *Sermone de mortalitate* meminit atri seu lugubris vestitus, quem in funere cognatorum superstites induebant. *Mortuo Chlodoberto Chilperici Regis filio, viri lugentes, mulieresque lugubribus vestimentis indutæ, ut solet in conjugum exequiis fieri, in hoc funus processerunt*, ait Turonensis lib. V. *Histor. Franc.* cap. XXXIV.

Redeo ad victorem Orbis populum. Ductabatur Romæ pompa funeris, si paullo illustrior, meritisque in Rempub. insignis fuisset defunctus, primum in forum ad Rostra, ibique locabatur. Adeiat mox, si per ætatem licebat, filius, vel sanguine junctorum unus, aut in defectu eorum, alius vir doctissimus, qui defuncti præconia oratorie persequebatur. Tiberius, ut Suetonius fidem facit, novem annos natus erat, quum pro Rostris defunctum patrem laudaret. Primus autem Valerius Poplicola Brutum mortuum funebri oratione laudasse fertur pro Rostris, anno primo post Reges exactos. Vide Plutarchum in *Poplicola*, Rosinum *Antiq. Roman.* lib. V. cap XXXIX. & inprimis Dionysium Halicarnasseum *lib.* V. de origine hujus ritus erudite disserentem. Dubitat vero ibi eruditissimus Scriptor, *Utrum Valerius primus hunc morem apud Romanos instituerit, an institutum a regibus secutus fuerit?* Hæsitat quoque Liv. *lib.* II. extiteritne apud Romanos earum orationum inventor: *Quod tamen hoc sit Romanorum vetus inventum*, addit Dionysius, *in funere illustrium virorum, virtutes eorum laudari, neque a Græcis primum institutum fuerit, ex communis historiæ scriptis didici.* Idem *eodem loco* testatur, sero Athenienses has laudationes funebres, quas ἐπιταφίους λόγους vocant, cæteris funeris ritibus addidisse. Anaximenes tamen orator hujus instituti autorem fuisse Solonem literis prodidit, teste Petro Fabro *Semestrium* lib. III. cap. XVIII. pag. 176. Adeo autem illam Poplicolæ, defuncti collegæ laudationem atque commendationem placuisse populo Romano, refert jam dictus Petrus Faber, ut ab eo tempore consuetudine receptum fuerit, ut præclarorum virorum mors funebri oratione decoraretur. Habebatur quidem is honos primum solis viris, translatus vero deinde etiam est ad fæminas. Sic Julia Augusta *laudata est pro Rostris a C. Cæsare pronepote, qui mox rerum potitus est*, ut refert Tacitus init. lib. V. *Annal.* Caligula suam aviam *defunctam etiam prætextatus pro Rostris laudavit*, teste Suetonio cap. X. *Fuitque in usu apud Ægyptios*, (verba adnumero Alexand. ab Alex. *loco all.*) *Rege defuncto antequam justa dentur, per Sacerdotem, qui proximam tenebat dignitatem, omnem vitæ seriem, & ipsius dicta factaque, & an fuerit fortissime præliatus, an vero segnis ac deses, ex alto suggestu in maximo omnium conventu perlegi & recenseri: & si vitia prævalebant, honore funeris privari, atque insepultum cadaver abjici. Si vero virtutes præcellerent, omni honore cumulari, unguentis deliniri & laudibus celebrari.* Idem, paulo aliter tamen ex Steph. Pasquierio refert Limnæus *de Jure Public. Imp. Rom.* Tom. I. lib. II. cap. XII. num. 7. Ita enim ille: *Apud Ægyptios olim Regis demortui corpus omnium exponebatur adspectui, ea cuique data licentia, denati in laudem, quæ ab ipso laudabiliter gesta, juxtaque in vituperium contraria, exponere. Quod si vituperantium voces & numerus major deprehendebatur, ea in contingentia, sepultura denegabatur corporis. Hoc reges omnium timebant maxime, tum propter ignominiam, tum quod communi errore sibi persuasum haberent, animas hominum vagas usque persistere, donec consuetis ceremoniis sepulturæ traderetur corpus, proindeque ne perpetuæ huic pœnæ subjicerentur, omnem movebant lapidem, ut recte agendo, nullius in se concitarent odium.*

Judæi, ubi ad sepulchretum pervenerunt, propter sepulchrum feretrum humi deponunt, sepulchrum circumeunt, & longam admodum precem recitant hodie, quam צדיק הדין *justificationem judicii* vocant, vide Buxtorfium *Synagog. Judaicæ* cap. XXXV. Schickardum *de Jure Regio Hebr.* cap. VI. Sunt qui existimant, in verbis Prophetæ *Esaiæ* LVII. 1. *Justus perit, & non est qui recogitet*, &c. describi concionem funebrem, quam Esaias Regi Ezechiæ pie defuncto habuerit. Christianos defunctorum gratia Orationes instituisse, ex antiquorum Patrum scriptis notum est, in quibus complures tales inveniuntur. Dionysius, qui Areopagitæ titulum præfert, describens ritus Christianorum sui temporis circa mortuos pap. VII. *Ecclesiasticæ Hierarchiæ* pag. 218. Edit. Paris. An. 1562. defunctum ante humationem ad Pontificem in loco sepulturæ consistentem deferri, inquit, qui εὐχαριστήριον εὐχὴν, *precem complectentem gratiarum actionem* super eum peragit, (quem ritum etiam tangunt Gregorius Nyssenus in funere Macrinæ Virginis, S. Augustinus lib. IX. *Confess.* de funere matris suæ Monicæ) *finita prece osculo salutat præsul defunctum, quod & reliqui, qui præ-*

ſentes ſunt faciunt; (quod ipſum tamen ſeculo ſeptimo improbavit Concilium Antiſiodor. *can.* XII. *non licet mortuis nec Euchariſtiam nec oſculum tradi*, &c.) *deinde oleum ipſi infundit*; (quæ alibi non fuiſſe uſitata obſervat B. Chemnitius *Exam. Concil. Trident.* parte III. cap. v. in Hiſtoria Purgatorii) *prodit poſtea præcipuus ex miniſtris, qui dimiſſis Catechumenis, Sanctoſque jam mortuos concelebrat, & pari laudatione modo vita functum proſequitur, hortaturque omnes, ut ſibi ipſis identidem poſtulent beatum in Chriſto exceſſum*. Habemus hic ſpeciem Orationum ac laudationum funebrium. Confer Socratem lib. v. *Hiſtor.* cap. IX. ubi Gregorius in funere Meletii Antiocheni orationes funebres, quæ in ſcriptis Patrum extant, habitas eſſe ipſo die ſepulturæ, & ad ipſum ſepulturæ locum, nemo affirmaverit. Sufficit nobis hoc concionum funebrium inſtitutum fuiſſe S. Patribus admodum uſitatum.

CAP. VII.

De ipſa Funeratione.

Romani finita oratione & commendatione defuncti, per forum extra urbem, ſi comburendus erat mortuus, (hoc enim cuique liberum erat, teſte Roſino *Antiquit. Roman.* lib. v. cap. XXXIX.) funus recta deportabant in locum cremationi deſtinatum, qui modo conjunctus erat cum ſepulcro, modo ab eo ſeparatus. Deportatum una cum ferali lectulo Rogo vel Pyræ lignis, lege XII. *Tabular.* non dolatis extructæ & cupreſſis aliquando, gravem uſtrinæ fœtorem jucunditate odoris comprimentibus, devinctæ imponebant, oculis iterum patefactis: *Morientibus enim oculos operire, rurſuſque in rogo patefacere, Quiritium magno ritu ſacrum eſt*, inquit Plinius *N. H.* lib. XI. cap. XXXVII. Ipſi mortuo ſanguine proximi (quorum vicem ſubibant in funere Imperatorum Conſules & Magiſtratus) facie averſa pyræ facem accenſam inferebant. Rogo jam incenſo (in Imperatorum ac illuſtrium virorum funeribus) militum turba plebſque cætera ſiniſtro gyro ter circumcurſitabat & Præficæ, hoc eſt, planctuum principis, fletibus reſpondebat. Ritum hunc tangunt Homerus & Virgilius, ille Græcorum, hic Latinorum poetarum pater ac princeps. Ille *Iliad.* Ψ.

Οἱ δὲ τρὶς περὶ νεκρὸν ἐύτριχας ἤλασαν ἵππυς
Μυρόμενοι.

Hic lib. XI. *Æneid.* in funere cæſorum Trojanorum, imprimis Pallantis:

Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, ter mœſtum funeris ignem
Luſtravere in equis, ululatuſque ore dedere.

Talis decurſio funebris, Græcis περίδρομή, facta eſt in funere Auguſti; Dio *lib.* LVI. Syllæ, Appian. lib. I. *Bell. civilium*, Pertinacis, Xiphilin. in *Severo*, & ipſius Severi, teſte eodem *ibidem*. Cæterum & Græcos cadavera rogo impoſita combuſſiſſe notum eſt. In populo vero Hebræo morem illum Gentilium comburendi cadavera uſitatum fuiſſe, non legimus. Neque enim is igni, ſed terræ, omnium matri, committebat mortuos ſuos. Hinc Calvinus *Com. in* I. *Sam. cap.* XXXI. 12. *Inuſitatum erat*, inquit, *apud Judæos igne cremare corpora: quandoquidem Patres ſepultos fuiſſe & humatos non crematis corporibus, ſcimus. Imo ignominioſum fuit, quod Joſias oſſa hominum ſepultorum*

A *in altari Bethel cremavit*, 2. *Reg.* XXII. In contrarium nonnulli afferunt, I. exempla v. g. *Saulis & filiorum ejus*, quorum cadavera ex muro Bethſan ſublata combuſſerunt Jabeſitæ, auferentes poſtmodum oſſa & cineres, eademque ſepelientes, I. *Sam.* XXXI. 12. 13. Jorami, 2. *Chron.* XXI. 19. [illegible]*tuus eſt infirmatus malis, & non fecerunt ipſi populus ejus combuſtionem, ſecundum combuſtionem patrum ipſius*. Aſæ Regis cap. XVI. 14. *Poſuerunt eum in lectica, quam repleverant aromatibus & ſpeciebus*, hoc eſt, aromaticis ſpeciebus, *operi pigmentario confectis, & combuſſerunt ei* (*propter eum*, Munſterus, *buſtum ei fecerunt*, Tigurini) *combuſtione* B *magna valde*. Idemque Sedechiæ, *Jeremiæ* XXXIV. 5. *In pace morieris, & ſecundum combuſtiones patrum tuorum, regum priorum, qui fuerunt ante te, ſic comburent tibi*. 2. dictum *Amos*. VI. 10. *Et tollet eum* (domi mortuum) *patruus ejus & cremabit eum* (vel juxta alios, *& avunculus ejus*) *ad educendum oſſa de domo.* Unde Abulenſis I. *Reg.* XXXI. quæſt. 18. contendit, carnes principum virorum (de vulgaribus enim cadaveribus aliam fuiſſe rationem conceditur) comburi ſolitas, ne putreſcerent, & gravem ex ſe fœtorem emitterent, oſſa vero, quæ a tabe & vermibus libera ſunt, mandari ſepulturæ. Vel eatenus combuſtionem in funere C regio receptam cenſet, ut ſolummodo amburerentur, ut ita diutius odorem conceptum cadavera ſuffitibus afflata retinerent. Verum exemplum Saulis, quo maxime nititur Abulenſis, rem non conficit. Eſt enim in Saulis ἀκεφάλῳ cadavere, filiorumque ejus corporibus peculiaris ratio, ex qua nullo modo conjectare licet, ſolemne fuiſſe apud Judæos, comburi Regum carnes & oſſa ſepeliri. Male habita illorum cadavera a Philiſtæis fuerant, itaque incolæ Jabes Gilead nocte quadam excurrunt, Philiſtæis ea eripiunt, & ne denuo novam illis inferrent ignominiam eademque effoſſa male D tractarent, flammis abſumſere. Caſp. Sanctius *Comm. in h. l.* aliam affert rationem: *Cum aliquot dies*, inquit, *ut neceſſarium videtur, ex hiſtoria, cadavera illa pependiſſent in muro, aſpirabant jam gravem aliquem & intolerabilem halitum, quem nec ipſi, qui ex muro ſuſtulerant, ferre poſſent, neque alii ad carnes illas regii cadaveris fœtentes & putridas exequiales honores obire ſuſtinerent. Quare commodum viſum eſt imo & neceſſarium, nudare carnibus oſſa, quibus in patria Regio more parentarent, & carnes incendio conſumere, ne quid ſecum tetrum & fœtidum adducerent, quod Regi futurum eſſet ignominiæ*. Hæc ille. Alias denique Adm. Rever. E Dn. Lic. Geier *de Hebræor. Luctu* cap. VI. §. 4. hujus facinoris profert cauſas; poſtquam enim eam, quam nos primo loco diximus, attuliſſet, inquit, *vel ſaltem Jabeſitæ peculiare quid, gentibuſque alii conforme exequiarum genus elegerunt circa primum hunc regem, qualem antehac neminem Iſraelis populus habuerat, cujus proinde tumulandi rationem genuinam videntur conjicere adhuc non ſatis potuiſſe; accedit, quod alias iidem hi Jabeſitæ non parum a reliquis ſe alienos præbuerint Iſraelitis, adeo, ut cum urbes univerſæ atque ſingulæ ad expugnandos Benjaminitas convenerint, hi tamen cives ſoli ſe ſub*F *duxerint*, *Judic.* XXI. 8. *ut hac ratione non exiguam ſingularitatis aut cum Gentiliſmo colluſionis ſuſpicionem de ſe præbuerint. Quid itaque mirum, ſi cum primo hoc Iſraelis rege inuſitatum quoque, aut vicinis forte gentibus receptum ſepulturæ genus introducendum ſunt arbitrati*. Quod concernit exempla Jorami, Aſæ & Sedechiæ, non dicitur in fonte, *combuſſerunt* אותו *ipſum*, (ſicut I. *Sam.* XXXI. 12. de cadaveribus Saulis, filiorumque ejus dicitur, combuſſerunt אתם *illa*) ſed לו *ei*, quod idem eſt, ac *combuſſerunt in honorem ejus*, vel *propter* aut *ſu-*

per eum. Non itaque ipſum corpus Aſæ Regis, ſed aromata ſuper eum combuſta ſunt. *Neminemo Interpretum*, ait Schickardus *de jure Regio Hebræor.* cap. VI. *opinantur. corpus* (Aſæ) *cremaſſe*; (Hebræos) *at ego lectum cum aromatibus tantum deflagraſſe ſtatuo, quia eodem V. ipſum* cadaver diſerte humatum eſſe dicitur. Hinc Eſtius *in h. l. combuſſerunt*, ſcil. *odoramenta, ſuper eum*. Et Tirinus: *Et combuſſerunt ſuper eum*, Hebraice, *ei combuſſerunt*, ſupple, inquit, *aromata, quæ ſupra & juxta cadaver continuo exurebantur. Unde patet, non tam ipſum cadaver apud Judæos, quam juxta cadaver aromata comburi conſueviſſe, ut multis exemplis docet Gaſpar Sanctius & alii*. Sic quoque promittit Sedechiæ Dominus: *Secundum combuſtiones patrum tuorum, regum priorum, ſic comburent tibi*, id eſt, ſic adolebunt in exequiis tuis aromata & facient uſtiones odorum captivi Judæi in honorem tuum, teque tanquam regem ſuum juſtis funebribus proſequentur. Qui honor denegatur Joram 2 *Chron.* XXI. 9. Intactis ergo corporibus hæc aromatum uſtulatio peracta fuit apud Judæos, adeoque magna diverſitas eſt inter Hebræa & Romana buſta. Hebræi thura cremabant & ſuſſimenta alia, ipſaque ſupellectilia tantum & quidem in ſolius magnatis, puta Regis & Rectoris Synedrii, funere, ut poſtea audiemus, Romani vero ipſa corpora comburebant. Apud Amoſum vocem ומסרפו, quæ nuſpiam alias in S. Codice occurrit, quamque aliqui reddunt, *aut crematur ejus*, R. Nathan exponit per אחי אמו *fratrem matris ejus*. Quod & Schindlero placuit in *Lexico*. Et licet מסרף idem ſit, quod משרף *comburens*, ob cognationem, alternationemque illarum literarum, nec tamen inde ſequetur Romana cadaverum crematio. Nam מסרפו idem eſt ac משרףלו *cremans illi*, vel in honorem ejus pro more adolens thymiamata inter ſepeliendum aut efferendum, ne peſtilenti odore inceſtarentur, ut loquitur Coccejus, præſentes. Vide Dn. L. Geier *loco alleg.*

Regredior ad morem comburendi Gentilium. Galli etiam & Romani comburebant defunctorum corpora, ut de illis Cæſar, de his Cornel. Tacitus teſtatur; ſed Chriſtianiſmo invaleſcente mos iſte penitus eſt ſublatus & pœnæ loco habitus. Hinc Pererius *in cap.* L. *Gen.* num. 4. *Apud Chriſtianos ejuſmodi mortis genus probroſæ & infamis pœnæ loco, nefandæ libidinis & obfirmatæ hæreſeos reis infligitur*. Obſervat etiam P. Martyr *ad* 1. *Sam.* XXXI. 13. *eam comburendi rationem a Chriſtianis nunquam receptam eſſe*. Porro antiquiſſimis temporibus varia pecudum & animalium genera, defuncto in vita chariſſima ad rogum mactata, ignibus injiciebantur apud Gentiles. Quod nec Homero incognitum, & Plinius Epiſtolarum ſcriptor teſtatur *lib.* IV. *epiſt.* 11. *Habebat puer* (Reguli filium intelligit) *manulos multos & vinctos & ſolutos, habebat canes majores, minoreſque: habebat luſcinias, pſittacos, merulas; omnes Regulos circa rogum trucidavit*. Aliquando & vivi homines, puta captivi vel ſervi in ſocietatem illuſtris cadaveris immolati & concremati leguntur, de quo ritu Tertullianus lib. *de Spectaculis* cap. de munere: *Nam olim quoniam animas defunctorum humano ſanguine propitiari* (nota cauſam crudelitatis) *creditum erat captivos vel malo ingenio ſervos mercati in exſequiis immolabant*. Gallis quoque ſolenne erat in ignem inferre, quæ vivo cordi fuiſſe putabant, animalia, ſervos, clientes, teſte Cæſare lib. VI *Belli Gall.* De antiquis Germanis inquit Tacitus, libro *de moribus Germ. Funerum nulla ambitio, id ſolum obſervatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur, ſtruem rogi nec veſtibus, nec odoribus cumulant, ſua cuique arma,*

A *quorundam igni & equus adjicitur*, equus non vivus, ſed ante jam mactatus, teſte Cæſare *loco jam cit.* Vide Cluverii *Germ. Antiq.* lib. I. cap. LIII. p. 333. ſeq. Arma autem una cremabantur, utpote pretioſiſſima atque chariſſima Martiæ genti bona, per quæ claritatem adepti erant. *Deſcriptio regni Africani Guineæ*, quæ primum a Batavis edita, refert; regni ejus incolas alterum credentes mundum maximam ſupellectilis partem defunctis adſignare, ut quocunque venirent, haberent, quod ad uſus quotidianos neceſſarium eſſet. Singulos item nobiles, qui in aula Regi miniſtrarunt, ei defuncto mancipium

B aliquod largiri, cujus miniſterio in altero mundo utatur, alii alios, uxores etiam & filios in ſervitium ei mancipare ſimulque ſepelire. Vide *den* VI. *Theil der Orientaliſchen Indien* capp. XLIII. & XLIV. pag. 107. 108. 109. *Thauri, gens Scythica, cum regibus extinctis gratiſſimos eorum amicos una ſepeliunt*, inquit Kornmannus *de Mirac. Mortuor.* part. VIII. cap. IV. idem ait cap. VII. *Scythæ pop. ut Plutarchus refert, cum mortuis regibus pincernas, cocos & pellices ſepeliunt. Credo ne quid neceſſarii officii poſt obitum eis deſit*. Quidam etiam ſpontaneo vivicomburio præ

C nimio amore erga defunctum vitam finire non recuſabant. De Indicis mulieribus præter alios authores id affirmat Cicero V. *Tuſcul. Mulieres vero in India, cum eſt cujuſque earum vir mortuus, in certamen judiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit. Plures enim ſingulis ſolent eſſe nuptæ, quæ eſt victrix, ea læta proſequentibus ſuis una cum viro in rogum imponitur: illa victa mœſta diſcedit*. Eundem morem Thracibus quoque adſignat Pomponius Mela, ſcriptor principibus Latinorum accenſendus (juxta Barthium *Adv.* lib. XV. cap. VI.) lib. II. *de Situ Orbis* cap. II. *Nec fœminis quidem ſegnis eſt animus ſuper mor-*

D *tuorum virorum corpora interfici, ſimulque ſepeliri votum eximium habent: & quia plures ſingulis nuptæ ſunt, cujus id ſit decus apud judicaturos magno conamine affectant*. Dicit hic Mela, *ſuper mortuorum virorum corpora interfici, non ſegnem fuiſſe fœminis animum*, quod explicans Solinus *cap.* XVI. inquit, *Fœminas inſilire defunctorum conjugum rogos*. Sed integra ipſius adſcribam verba: *Uxorum*, inquit, *ſe numero viri jactant, & honoris loco ducunt multiplex conjugium. Quæ fœminæ tenaces ſunt pudicitiæ defunctorum inſiliunt conjugum rogos, & quod maximum inſigne ducunt caſtitatis, præcipites in flammas eunt.*

E De quibuſdam etiam fœminis Romanis idem teſtatur Romanus Sapiens lib. II. *declam.* II. *Quædam ſe maritorum rogis ardentibus miſcuerunt*. Sed addam cætera.

Apud Romanos, Græcoſque qui funus ſequuti, & imprimis quibus maxime in amoribus fuerat mortuus, veſtimenta ſua detracta, nonnulli arma, enſes, baltheos, mulieres, armillas, zonas vittaſque & cætera hujuſmodi, in rogum conjiciebant, quæ peculiari nomine Δῶρα *Munera*, dicebantur, vide Suetonium in *Cæſare* cap. XXCIII. confer & Alexandr. ab Alex. *Gen. Dier.* lib. III. cap. VII. Kirchman. *de F. R.* lib. III.

F cap. V. Item thura & unguenta, odoreſque omnium generum, quos lancibus interdum ferebant, igni injiciebant. Hinc Sixtinus Amama, in *Antibarb. Bibl.* lib. IV. pag. 738. *Apud Romanos*, inquit, *in ambitioſis funeribus & exequiis, quæ μετὰ πολλῆς φαντασίας peragebantur*, una cum ipſis cadaveribus magna aromatum vis flammis abſumpta fuit, ſicuti in funere Neronis. Qui in funere quoque ſuæ Poppeæ plus cinnamomi & caſiæ combuſſiſſe dicitur, quam univerſa Arabia

uno anno ferret, Plin. XII. XVIII. Nec absimilis Israelitarum mos, qui super lectis defunctorum Regum aromata adolebant, ut ex Sacrosancta Vetusti Fœderis *Historia* locis supra allegatis constat. Exemplum quoqque hujusmodi sepulturæ refert Josephus *Antiq.* XVII. X. & *de Bello Jud.* I. ultimo, ubi de funere Herodis, *hoc sequebantur* D. *ministri aromata ferentes*. Et plenius Josippus de eodem: *Quinquaginta ministri ad latus feretri gestabant totidem aurea thuribula, lignum odoriferum ustulantes maxima copia & myrrham purissimam continue in lectum injicientes*. Comburebant etiam super Reges & Synedrii Rectores supellectilia & utensilia eorum, *non ulli parcebatur sindoni*, (verba sunt Schickardi *de Jure Regio Hebræorum* cap. VI. theor. XIX. p. 164.) *non pretiosis peristromatibus, non aulæis, non cervicalibus; ipsæ sellæ regales, &c. cremabantur; solum sceptrum & corona non conflagrabantur, sed recondebantur una cum cadavere, prout supra in Herodis funeratione memoravimus*. Sic quoque Maimonides ultimo totius tituli *Efel* (cap. XIV. §. 26.) paragrapho: *Si rex aut princeps moritur, comburendus est ejus lectus, omnisque supellex, qua ministratum fuit ipsi*. Idem in tractatu *Melachim* cap. II. §. I. *Non utuntur ulla supellectile regali, sed cum ille moritur, comburunt universam coram ipso*. Cum privato vero defuncto supellectilem, qua in ægritudine usus fuerat vivus, sepelire Judæos Schickardus docet *loco alleg.* verbis præcedentibus. Verum hujus consuetudinis in *Historia* V. & N. T. nulla extant vestigia, sequiori ergo ævo eam obtinuisse hinc manifestum est. Refert insuper Casaubonus *Exer.* XVI. num. XCVII. ex jam dicto Mose Maimonide, *una cum supplicio affectis ipsa supplicii instrumenta apud Judæos fuisse sepulta, veluti lignum, super quo fuit aliquis suspensus, cum ipso suspendioso, lapis cum lapidato, gladius cum occiso, sudarium, sive mantile, cum strangulato*. Sic quoque cum Martyribus Christianis defossa nonnunquam una fuerunt supplicii instrumenta. Sic repertum corpus S. Clementis, Episcopi Romani, una cum ancora, qua illi ad collum alligata, demersus fuit in mare, videatur Baronius Tom. II. *Annal.* an. 103. ejusque Epitomator, Spondanus ad eundem annum num. II. Refert etiam S. Ambrosius *exhortatione ad Virgines* in princ. Tom. V. sumpsisse eum a sepulcro S. Agricolæ crucem & clavos, quibus fuit ille cruci affixus. Quin imo etiam plurimi Martyrum jusserunt sepelienda sua corpora una cum instrumentis martyrii; sic Sabinus, Episcopus Spoletinus & Martyr, jussit sepeliri una cum saxo, quo erat demergendus in flumen, ut testatur Surius Tom. II. *die* 13. *Martii*. Nec non S. Babylas, Episcopus Antiochenus, cum vinculis & catenis, in quibus post fidei confessionem vitam mortalem deseruit, sepeliri voluit, referente Henrico Spondano *ad An. Ch.* 253. num. XX. confer Joh. Baptistam Casalium *de veter. S. Christian. ritibus* c. LXVI. p. 267.

Denique Romani, ut & Græci, ustulato, quantum satis erat, corpore rogum & reliquias vino respergentes, puto, ut flammas prunamque favillis sopitam exstinguerent, ossa legebant amici & propinqui. Quod munus *Ossilegium* dicitur. Vide, si lubet, Tibullum, *lib.* III. *eleg.* II. elegantissime omnes Ossilegii ceremonias describentem. Sed ut commodius legi possent ossa, lapideæ arcæ inditum fuisse cadaver, refert Schedius *de Diis Germ.* pag. 453. Collecta ossa & cineres vino, lacte, odoribus, imo etiam lacrymis perspersa & irrigata & linteo ventilata vasculis pro cujusque facultate pretiosis includebant, (quæ Græcis ὀστοθῆκαι vel ὀστοδοχεῖα, Latinis vero *Urna*, item *Ossuaria* & *Cineraria* dicebantur) & monumento inferebant. Qui vero non comburendus erat defunctus, statim in arcam vel loculum, ad hoc ipsum paratum, locabatur, una cum omni isto ornatu sepulcrali, quo erat per forum domo exportatus, conjectis in monumentum, ut ante in rogum, vestibus & aliis ornamentis. Situs vero & status mortuorum in sepulchris diversimode fuit observatus. Ægyptii ponebant defunctos suos stantes in pedes, ut canit Solinus:

> —— *Ægyptia tellus*
> *Claudit odorato post funus stantia saxo*
> *Corpora*.

Phryges non defodiunt mortuos sacerdotes, sed supra lapides X. cubitorum erectos eos statuunt, inquit Kornmannus *de Miracul. Mort.* part. VIII. cap. IV. Phœnices sepeliebant *supinos*, ast convertebant ad Occasum, (tanquam anima ac corpore occiduos) Athenienses versus Orientem, Nasamones, Africæ populi, majorem partem non tantum *sedentes* expirare, sed etiam hoc situ humari volebant. Hinc Lacon quidam, cum homines defunctos in sellis sedentes videret: *Absit*, inquit, *ut hic sedeam, unde seniori surgere fas non est*. Vide Brusionium lib. IV. cap. X. *de morte*. *Hodieque subinde* (inquit Drexelius Consider. I. *de æternit.*) *Reges & Cæsares in subterraneis mausoleis componuntur* sedentes *taciturna & lugubri majestate*. *Corpus Caroli M. aromatizatum est*, inquit Monachus Engolismensis in *Vita Caroli M. & in sede aurea* sedens *positum est, in curvatura sepulcri, ense aureo accinctum, Evangelium aureum tenens in manibus, & genibus reclinatis, humeris in cathedra & capite honeste erecto, ligato aurea catena ad diadema. Et in diademate lignum sanctæ crucis positum est*, &c. Christiani solent sepelire 1. *supinos*, quia mors nostra proprie non est mors, sed brevis quidam somnus. 2. *vultu ad cœlum conversos*, quia solo in cœlo spes nostra fundata est. 3. *versus Orientem*, argumento sperandæ & exoptandæ resurrectionis, vide Casal. *de vet. Christian. ritibus* cap. LXVI. fol. 266. Innocent. Cybum *de sepulcro*, Dialogo II. & Kornmannum *de Mirac. Mortuor.* part. VII. cap. XVIII.

Tandem, feralibus officiis, justisque persolutis apud Romanos, qui funus prosequuti fuerant, aqua ter lustrati, (quod & Græcis usiatum fuisse testatur Suidas in *verbo* καταλύειν) *Vale & Sale*, aut ipsum etiam *Vale* ter repetitum, composito inclamabant, terramque levem ei precati domuitionem parabant, pronunciato a Præfica verbo novissimo ILICET. De Hebræis audi Maimonidem cap. IV. *Efel.* §. 4. *Fodiunt*, inquit, *in pulvere speluncas, faciuntque foveam in latere ejusdem speluncæ, in qua sepeliunt mortuum*, posita ejusdem facie sursum versus, *rejectaque super ipsum rursus terra ac lapidibus. Sepeliunt vero mortuum in arca lignea & comitantes ipsum dicunt*; Vade in pace. Refert etiam *Anton. Margar.* Judengl. p. 60 quod *absolutis illis* (quæ cap. VI. retulimus) *committatur mortuus sepulchro suo, agnatis proximis primam injicientibus terram, quos reliqui postmodum imitentur comites. De ultimo* Vale *mirari quis posset*, inquit Dn. L. Geier *loco alleg.* cap. VI. §. 19. in fine, *cur dicant*, לך בשלום *cum improbetur a Talmudicis in fine Cod. Berachoth, eo quod ita David dixerit Absolomo 2. Samuel.* XV. 9. *qui tamen suspensus fuit; quare malunt potius* לשלום לך abi ad pacem, *ceu Mosi dixit Jethro Exod.* IV. 18. vide sis Buxtorf. *Instit. Epist.* ad epist. 2. p. 9.

Cap. VIII.

De loco sepulturæ.

Et nunc jacet ille noster tumulo suo compositus, nos vero antequam a funeratione domum eamus, circumspiciemus paululum, quo loco consistamus. Extra urbem juxta vias pleraque Græcia sepeliebat mortuos suos. Athenienses de Solonis instituto nullum in urbe sunt sepulchrum passi, inquit Melchior Junius *Quæstion. Polit.* quæstione cx. *Lege Solonis prohibitum erat, ne intra urbem sepelirentur*, scribit Cicero II. *de LL.* Hinc Marco Marcello quamvis illustri viro a Magio Chilone interfecto locum sepulturæ ut darent intra urbem Servius Sulpitius, qui Achajæ & reliquis regionibus cum imperio præerat, ab Atheniensibus impetrare non potuit, ut ipse scribit in *epistol. ad Cicer.* lib. IV. Epist. Famil. XII. quod religione se impediri dicerent: neque antea cuiquam id concessissent. Et ne de Corintho dubites altero Græciæ oculo, testis est Pausanias *lib.* II. *Accedentibus*, inquit, *ad eam occurrere in via tumulos, cum alios, tum prope ipsam portam Diogenis Synopensis, quem Canem Græci appellarunt.* Apud Sicyonios etiam vetus lex humari quenquam intra suos muros vetabat, ut autor est Plutarchus in *Vita Arati* in fine. Idem obtinuisse apud Smyrnæos Cicero *pro Flacco* & Syracusanos v. *Tuscul.* non obscure tradit. Scribit Dares Phrygius, libro *de excidio Trojæ*, Priamum Hectorem filium suum ab Achille occisum, more suorum ante portas sepeliisse & ludos funebres fecisse. Plato, θεῖος Philosophus, lib. XII. *de Legibus*, non modo in agris jubet fieri sepulcra, sed agros steriles, nullique alii futuros usui destinat funeribus: ut quæ sine detrimento vivorum recipit mortuos, ea potissimum terra complectatur: quæ autem terra fruges ferre, & ut mater cibos suppeditare possit, eam vetat mortuorum corporibus occupari.

Quidam tamen Græcorum etiam intra urbem humabant, quo Spartanorum exemplo manifestum est. Horum enim Legislator Lycurgus mortuos in ipsis urbibus & prope deorum ædes voluit sepeliri, ut Laconica juventus assuesceret non metuere aut horrere mortem. Ante Lycurgi quidem Leges apud Lacedæmonios religionis pollutionisque causa intra urbem cadavera non fuerunt sepulta. Utramque leges apud Plutarchum in *Lycurgo* & *Laconicis*. Polybius lib VIII. *Histor.* qui nunc in Excerptis legitur, refert, Tarentinos, cum oraculo didicissent, beatiores sese fore, si cum pluribus habitarent, intra urbem mortuos suos recondere cœpisse. Imo Græcos antiquissimos casco illo ævo in ipsis Deorum templis sanisque vita functos humasse, multis ostendit Arnobius lib. VI. *adversus Gentes*: *Quid?* inquit, *quod multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis & sublimibus elata fastigiis auctorum conscriptione hui comprobatur, contegere cineres atque ossa, & functorum esse corporum sepulturas.* Sæpe in ipso foro aut medio urbis sepulcri monumento donabant, si cui honorem habitum irent. Sic Cœpio Catonis frater in foro Aeni, quæ Thraciæ urbs est, funeratus est, ut sæpe laudatus Plutarchus in *Catone Uticensi* scriptum reliquit. Plura exempla vide apud Kirchmannum *de Fun. Rom.* lib. II. cap. XXVI. Fallitur ergo & fallit alios Alphonsus Tostatus, Abulensis in Hispania Episcopus, qui vastos *in Scripturas Commentarios* conscripsit, explanans verba *Gen.* cap. L. 13. *sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ab Ephron Hethæo*, quando ait, *significate dici speluncam illam emptam in jus sepulchri, fuisse in agro & extra civitatem, quia nunquam fuit mos sepeliri corpora mortuorum intra civitates, nisi apud Christianos, qui intra civitatem & prope templa habent loca in usum sepeliendi mortuos sacrata, quæ appellant cœmeteria.* Refutat eum Bened. Pererius *Comm. ad eundem Gen. locum*, Disp. IV. *illud non recte*, inquiens, *a Tostato, quod putat ante Christianos nullo tempore nullaque in gente morem fuisse sepeliendi mortuos intra civitates vivorumque domicilia.*

Apud Romanos rerum dominos primitus intra urbem humo fuisse coopertos, qui naturæ concessissent, Servius vult, celeberrimus ille Virgilii Interpres, ad verba libri XI *Æneidos*:

Innumeras struxere pyras & corpora partim
Multa virum terræ infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt.

Sic annotans: *Urbique remittunt*: *Deest unicuique*, inquit, *& meminit antiquæ consuetudinis. Nam ante etiam homines in civitate sepeliebantur; quod postea Duillio Cos. Senatus prohibuit & sanxit, ne quis in Urbe sepeliretur: unde Imperatores & virgines Vestæ, quia legibus non tenerentur, in civitate habent sepulchra.* Hæc Servius. Accedit autoritas Prudentii, dulcissimi Poetæ, lib. I. *contra Symmachum*:

Et tot templa Deum Romæ, quot in urbe sepulcra
Heroum numerare licet, quos fabula manes
Nobilitat, noster populus veneratus adorat.

Et quidem in suis quemque ædibus suorum composuisse exuvias, exindeque Lares, quos domesticos vocant deos, colere cœpisse Romanos, plurimi tradunt. Ita enim Isidorus lib. XV. *Originum* cap. II. *Prius in domo sua quisque sepeliebatur.* Et jam ante laudatus Servius, domesticos intra parietes terræ mandatos fuisse mortuos, unde Larium & Penatium religio extiterit, autor est in lib. V. *Æneid.* ad verba, *Præterea si nona diem.* Et rursus in eum locum *lib.* VI. ejusdem Operis, *Ædibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro*, inquit, *Ut supra diximus, omnes homines in suis domibus sepeliebantur, unde ortum est, ut Lares colerentur in domibus, unde etiam umbras Larvas vocamus.* Hinc Alexander ab Alexandro, lib. VI. *Genial. Dierum* cap. XIV. ita inquit: *Sed quum a prima origine intra suas quisque ædes defossa cadavera haberent*, (de priscis Romanis loquitur) *unde Lares in singulis ædibus colendi religio pervasit*, &c. quod ipsum & *lib.* III. *cap.* II. docet: adde Joan Meursium, prænobilem Græcæ literaturæ mystam, *Exercit. Crit.* lib. III cap. XX. ubi in hunc modum loquitur: *Sepulcra Romanos, sed & Græcos juxta vias in finibus agrorum habuisse satis constat omnibus. Primitus tamen in ædibus ea constituebant.* Verum hæc non placent Kirchmanno, qui omnium in hoc argumento conatus superavit. Apud Latinos fortean id obtinuisse concedit lib. II. *de Funer. Rom.* cap. XX. non vero in ipsa Orbis regina ac domina, Roma, cum Romæ sub ipsius urbis incunabulis multo ante latas a Decemviris leges more quodam receptum fuerit, ut extra urbem sepelirentur vita functi, probat idipsum exemplo Numæ secundi & Servii Tullii sexti Romanorum Regis. Et quod P. Valerio Publicolæ & A. Posthumio Tuberti virtutis causa sepulchrum in Urbe a Senatu concessum sit, teste Cicerone II. *de Leg. Quale autem*, inquit, *honoris argumentum & virtutis fuisset præmium, si promiscue omnibus*

bus in Urbe sepeliri licuisset. Videatur ipse *loco citato* & *cap.* XXVI. ejusdem *libri*, ubi objectioni occurrit. Quod vero Servius *ad lib.* XI. *Æneid.* verbis supra adductis asserit, postea Duillio Consule Senatum prohibuisse & legasse, ne quis in Urbe sepeliretur, id non Duillio Cos. primum, qui una cum L. Papyrio Crasso consulatum obtinuit, ut Livius, Historiæ Romanæ princeps, testatur *lib.* VIII. *Decad.* I. eo loci ubi Ausonium bellum describit; (circa annum Urbis CCCCXC.) sed multo ante factum est. A Decemviris enim (ad quos a Consulibus, quemadmodum ante a Regibus ad Consules, translatum Rom. Imperium, quanquam & illi iterum abdicati sint, & Tribuni Plebis & Consules in eorum locum rursus successerint, vide Val. Forsterum *Hist. Jur. Civil. Rom.* lib. I. cap. XXIII. num. 8.) cautum fuit lege XII. *Tabularum*, *ne quis in Urbe sepeliretur, neve ureretur*, teste Cicerone II. *de Leg.* Leges vero XII. *Tabularum*, corpus omnis Romani Juris, docente jam dicto Valent. Forstero *loco allegato* n. I. anno post Romam conditam trecentesimo juxta A. Gellium *l.* XX. *c.* I. vel ut alii scribunt CCCII. compositæ sunt ac scriptæ.

Ipsi Imperatores postea leges dederunt de non sepeliendis intra Urbis pomœria mortuis. D. Adrianus Rescripto mulctam aureorum quadraginta fisco inferendam decrevit tam in eos, qui quempiam intra mœnia humassent, quam in ipsos Magistratus, qui id passi essent, locumque publicari & corpus exhumari transferrique jussit, *Digestorum* lib. XLII. tit. XII. *de sepulchro violato* §. 5. *Divus Adrianus*. Intra urbes sepeliri mortuos vetuisse Antoninum Pium, refert Jul. Capitolinus in *Vita ejus*.

Quæ autem ratio, cur cadavera in urbibus sepeliri non permitterent? Accipe causam ex Justinianeo *Codice*, *titulo de Relig. & sumpt. fun. l. Mortuorum*: *Ne sanctum municipiorum jus pollueretur*, vel *ne funestarentur sacra civitatis*, ut inquit Julius Paulus, *Sententiarum* lib. I. sub *titulo de Sepulchris & lugendis*. Tum etiam ne cœlum illud urbanum, unde proxime spiritus duceretur, putrescentium corporum nidore corruptum pestem importaret. Satis ei rei probandæ est Isidorus lib. XIV. *Orig.* cap. XI. *Prius autem quisque in domo sua sepeliebatur, postea vetitum est legibus, ne fœtore ipso corpora viventium contacta inficerentur*. Tholosanus in *Syntagm. Juris Universi* lib. XXXIII. cap. XXIII. n. 8. prohibitæ domesticæ sepulturæ hanc etiam reddit rationem, *ne licentia illa sepeliendi familiares daret delinquendi & occisos occultandi occasionem*. Combustionem vero in Urbe fieri prohibebant propter flammæ periculum, teste Cicerone lib. II. *de LL.* Intra ambitum ergo murorum cujuslibet defuncti corpus humari Leges vetabant, quas tamen postea abrogavit Leo Imper. & cujusvis arbitrio permisit, sive extra muros, sive intra civitatem sepelire mortuum vellet, ut ex ejus *Novella* LIII. notum est.

Extra Urbem vero loca destinata sepulchris erant duplicia, privata & publica. Privata erant, quæ quisque in suo horto ac agro sepulturæ assignarat. Qui fundum viæ publicæ proximum habebant, in ea potissimum parte sepulcra condebant, quæ viam spectabat, sive ut iter facientibus innotescerent, sive ut *prætereuntes admonerent mortui & se fuisse & illos esse mortales*, notante Varrone, diligentissimo antiquitatis investigatore, lib. V. *de Lingua Latina*. Pie in rem præsentem Chrysostomus *Serm. de Fide & Lege*: *Omnis*, inquit, *civitas, omne castellum, ante ingressum habet sepulcra, ante portas, ante agros sunt sepulcra, ut contendens intrare civitatem, quæ imperat & flores divitiis & potentatu aliisque dignitatibus, priusquam videt, quod secum concipit, videat primum, quod fit*. Hinc solemnes formulæ, quibus viatores vel hospites in Epitaphiis solent compellari. SISTE VIATOR. VIATOR ADSTA. ASPICE VIATOR. & similes. Extruebantur ergo ejusmodi monumenta & sepulcra secundum vias militares & λεωφόρυς seu publicas & quidem celebriores, ut *Appiam*, *Aureliam*, *Flaminiam*, *Latinam*, &c. Juxta *Viam Appiam*, quam Statius *reginam longarum viarum* appellat, sepultum esse quinto ab Urbe lapide Pomponium Atticum, refert Cornel. Nepos in *Vita ejus*, Marcum Tullium sexto, teste Georgio Fabricio Chemnicensi (viro excellenti ingenio & judicii rectissimi Barthio *Advers.* lib. XLIV. cap. XXVI.) tractatu *de Roma* cap. XX. Desiderius Lignamineus Patavinus anno M. D. XLIV. in Insula Zacyntho Ciceronis sepulchrum inventum esse asserit. Rem ipsam narrat Franciscus Fabricius in *Historia Ciceronis*, sub finem anni ejus ultimi, sed ipse huic rei fidem non adhibet. Est & Ennii, summi Epici poetæ, juxta Ciceronem *de Opt. Orat.* cap. I. in *Via Appia* sepulchrum, teste Ovidio: & Severi Imper. (qui primus & solus Africa oriundus ad Imperii Rom. fastigium pervenit, teste Æl. Spartiano in *Antonino Geta*) Gallieni Imp. (qui a Claudio in cælestium est numerum relatus, vix exequiis dignus, judicio aliorum) tradente Sext. Aurelio. Juxta *Aureliam* reconditus est Galba Imp. (alieno imperio felicior, quam suo, ut scribit Tacitus I. *Histor.*) docente Suetonio in *Vita*. In *Via Latina* Domitianus, (sceleratorum Imperatorum ultima linea, qui ex intolerabili & impudenti arrogantia *Dominus & Deus noster* audire voluit) autore eodem in *Vita ejus*. In *Via Ostiensi* Divus Paulus, vas electionis ac Gentium Doctor, teste Prudentio. Monumentum Petri & Pauli in Via Ostiensi suo tempore extitisse, dicit Tertullianus in *Apolog.* & Eusebius ex Cajo quodam scriptore Ecclesiastico confirmat. In *Via Lavicana* Didius Julianus Imp. Juris peritissimus, *eruditione melior, quam animo*, sepultus est, ut in *ejus Vita* scribit Ælius Spartianus. *Via Nomentana*, ad secund. lapidem visitur Bacchi templum, sphærica forma cum columnis geminatis in gyrumque ita dispositis, ut templi testudinem sustineant, ubi vermiculato opere varia ornamenta cernuntur. Ibique porphyreticum sepulcrum, vitibus ac uvis insculptis exornatum, quod vulgus *Bacchi sepulchrum* appellat. Ita Henric. Kornmannus *de Miraculis Mortuor.* parte IV. cap. CXV. *Via Attellana*, (narrat Leander Albertus, Bononiensis, in *Descriptione Italiæ*, & quidem regionis ejus V. nempe Campaniæ pag. 268.) *quæ Romam euntes in Appiam ducebat, utrinque tota propemodum habet sepulcra vetera, majori ex parte integra, quæ cellulæ non inelegantes videntur & inhabitari commode possent, si ligneæ adderentur fores. Singula in latera pedes continent octonos omnia ferme: sunt tamen aliqua pedum quinum, aliaque minoris quoquoversum latitudinis. Constante latere cocto exacta mensura conformato, & parietes haud externe solum elegantissime structi cum coronis, verum etiam intus toti nobilissimis coloribus & auro depicti, coronis item affabre deornati sunt. Intratur ostiolo modico, quod viam spectat, cui ex adversum ipso in pariete quædam ædicula est, media muri crassitudine excavata, fenestræ instar, altitudine plerumq; duorum pedum, tota coronis elaborata, superne vel in angulum acutum vel in fornicem desinens. Ad latus utrinque minoris sunt specie pyramidum, ordine tanquam huma-*

næ manus digiti paulatim deficientes. In illa majore patrumfamilias cum cineribus urna collocabatur, in cæteris matrumfamilias & liberorum, pro suo cujusque gradu. Hæc Italus ille scriptor, & oculatus arbiter, quæ pluscula posui, quia rei huic illustrandæ faciunt. Plura petes ex jam ante laudati Georgii Fabricii Chemnicensis *Roma* cap. xx. & Kirchmanno *de Funer. Rom.* lib. II. cap. XXII. Propertius tamen, poeta jucundissimus, maluit in sylvis sepeliri, quam in agris juxta vias, sic enim *l.* III. voti sui summam complexus est;

Di faciant, meane terra locet ossa frequenti,
Qua facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamentur amantum,
Me tegat arbore ea devia terra coma.
Aut humet ignotæ cumulus vallatus arenæ,
Non juvat in me dia nomen habere via.

Publica vero loca, alia inopum destinata erant funeribus, ubi & servi & cætera vilia capita sepeliebantur, dicebanturque *Puticuli* a puteis fossis, vel quod corpora ibi putrescerent, nomen trahentes. Erat talis locus non procul ab Urbe domina, extra portam Esquilinam, ut autor est Varro, vir ætate sua doctissimus, lib. IV. *de Lingua Latina*: dicebanturque peculiari nomine *Sestertium*. Alia loca publica erant, in quibus eorum locabantur monumenta, qui præclare de Republica meriti. Viris enim celebribus publice locum sepulchro adsignabant interdum Romani, tanquam singulare virtutis præmium, idque potissimum in *Campo Martio*, loco illustri, *ubi solos reges sepelire mos erat*, juxta Appianum lib. I. Εμφυλ. de Sylla ibi sepulto. Hinc Tholosanus, Jc. celebris, inquit in *Syntagm. Juris universi* lib. XXXIII. cap. XXIII. *In Campo Martio tantum reges humari primum consuetum, tradit Appianus lib. I. de bello Civil. & Herodianus in* IV. *ubi de sepultura Severi agit*, &c. Cæterum in montibus etiam vel ad montes habuerunt sepulcra. Sic enim Isidorus *lib.* XV. *cap.* XII. *Potentes aut sub montibus aut in montibus sepeliebantur*. Asserit & Georgius Gualterius in *Tabulis Siciliæ: Monumenta ad montes vetusta passim per Siciliam reperiri, inprimis Pantalicæ in ditione Cæs. Cajetani, ubi præruptis hinc inde collibus ab imo ad eorum fastigia usque ea excisa. Quæ cum innumera sint, qua sublimioris, qua abjectioris sortis mortalium conditoria fuisse autumat*. Illustris locus & clarum vestigium hujus moris est apud Ambrosium Leonem in *Descriptione Nolæ Urb. Italiæ* lib. III. cap. II. ubi refert: *Ætatem quæ secuta est illam priscam* (qua extra urbem secundum celebres vias sepulchra extruebant Romani) *in excavatis in monte verrucave aliqua magnis concameratisque cuniculis, quæ aliquanto tractu semota sint ab urbe, excavasse sepulchra singulis defunctis, quæ sicuti capsæ longa serie & sibi hærentes ordinatæ, tum in dextro tum in lævo cuniculi latere, soloque calle, qui in medio est cuniculo relictus, discriminante structa spectentur. Atque ita in visceribus montium & terræ factam esse veluti* civitatem mortuorum, *ubi tanquam per vicinias, ita per cuniculos iretur. Neapoli* (addit) *atque Syracusis ejusmodi mortuorum civitates excavatas etiam nunc est cernere, quanquam neque tempestate nostra, neque longis anteactis temporibus quisquam in eis conditus sit*. Hæc ille.

Ex hactenus dictis constat extra urbem sua sepulchra & loculos habuisse Romanos, in quibus cineres suorum conderent, idque jussu Legum. Ubi tamen prætereundum silentio non est, etiam

A post latas XII. *Tabulas* quosdam in ipsa Urbe fuisse sepultos, quos legibus solutos virtutis causa id consecutos fuisse Cicero existimat, II. *de Legib. Quid? qui post* XII. *in Urbe sepulti sunt clari viri? M. Credo, Tite fuisse, aut eos quibus hoc ante legem virtutis causa tributum est, ut Publicolæ, ut Tuberto, quod eorum posteri tenuerunt: aut eos, si qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis causa soluti legibus consecuti sunt*. Hinc Alexander ab Alexandro lib. III. *Genial. Dier.* cap. II. *Cineres tamen ejus*, inquit, *qui triumphasset, aut Imperatoris, qui hostes bello domuisset, vel armis rempubl. auxisset, in urbem ferre licebat, quibus hoc*
B *honoris causa, ut in foro conderentur, tributum est*. Idem repetit *lib.* VI. *cap.* XIV. Solum tamen omnium Imperatorum Trajanum intra Urbem in foro sepultum esse, tradit Eutropius *lib.* VIII. Adde autem Vestales in urbe habuisse sepulchra, quia legibus non tenerentur, ut tradit Servius *ad lib.* XI. *Æneid.* in loco antea cit. Ægyptii medicata & condita suorum cadavera vel in propriis sepulchris, vel quibus ea desunt, domi servabant ad firmiorem parietem arca corporis erecta, ut scribit Diodorus Siculus lib. II. *Bibl. Histor.* cap. V. De Septentrionalibus populis refert Christianus Cilicius *belli Dithmarsici* lib. I. *Erant eorum sepulturæ*
C *in silvis & agris tumulosque aggestis lapidibus vestientes muniebant, quod genus complures passim adhuc visuntur, qui gigantum strata vocantur*. De sepulchris juxta publicas & regias vias testem produco Johann. Adolphum Cypræum *Annalium Eccles. Slesvic.* lib. I. cap. II. *Dani cum pyramides ac obeliscos exstruere non potuerint*, (propter defectum artificum) *olim in memoriam Regum ac Heroum suorum ex terra coacervata, ingentes moles montium instar eminentes statuisse, credibile omnino & probabile est*. Atque illis adeo in locis plurimum, quo sæpe homines commearent, aut iter
D haberent, ut in viis publicis, quo posteritati memoriam clarissimorum virorum consecrarent, & quodammodo immortalitati mandarent. Apud Judæos extra civitatem in locis a viventium habitaculis separatis mortuorum cadavera fuisse condita, tum ob nitorem & sanitatem, tum ne contaminarentur, notum esse debet ex Historia Sacra. In regione Gergesenorum occurrebant Servatori duo dæmoniaci e monumentis prodeuntes, in quibus domicilium habebant, sævi valde, adeo ut nequiret quisquam præterire per viam illam, *Matth.* VIII. 28. Annotat *ad hunc locum* Menochius: *Judæi*, inquit, *non in urbibus, sed in agris extra ur-*
E *bes sepulchra constituebant, cubiculis similia, quæ plures homines possent capere*. Hospites & peregrini peculiarem ad sepulturam nanciscebantur agrum, *Matth.* XXVII. 7. Filius Viduæ Naimitanæ efferebatur porta Urbis Nain, numeroso populo funus comitante, *Luc.* VII. 12. Lazari sepulchrum fuit extra Bethaniam, *Joh.* XI. Josephus Arimathæus monumentum sibi extra muros Jerusalem in horto excidi curaverat, nec primus nec solus ἐν τῇ πέτρᾳ, *in petra*, (erat enim solum circa Jerusalem ad sexagesimum usque lapidem, ὑπόπετρον, *petrosum, saxosum*, hoc est, subtus lapidosum, ut appellatur a Strabone) *Matth.* XXVII.
F 60. *Marc.* XV. 46. *Luc.* XXIII. 53. *Joh.* XIX. 41. Sunt qui existimant vallem Cedron, quæ a posterioribus Judæis vallis Josaphat cœpit appellari, commune totius Civitatis Hierosolymitanæ, cui contigua, quamque totam ab Oriente cingebat, cœmeterium fuisse, ubi vulgus & ignobiles omnes sepulti fuerint. Hinc Cornelius a Lapide *Comm. in Jerem. cap.* XIX. 6. inquit: *Commune Judæorum sepulcrum erat in valle Cedron, in ea parte, quæ Gebenna seu Topheth appellatur, ut patet ex*

4. *Reg.* XXIII. 6. *Indeque hæc vallis dicta est Cadaverum, Cineris, Calvaria & regio mortis*, vide *Jerem.* XXXI. 40. Ibique nunc Turcas sepeliri, refert Adrichomius in *Descriptione Jerusalem* num. 204. Sepulchretum, inquit Drusius *Præteritor.* l. 1. ad cap. Matth. XXVII. 7. Ebraice dicitur *domus sepulchrorum*. Is assignabatur cuique urbi, & quidem situm erat extra terminum ejus. Non enim sepeliebant mortuos suos in termino urbium suarum. Ex libro *præceptorum*, 206. 3. Monumenta igitur Judæorum extra urbem. In agris quandoque, sæpe etiam in montibus vel collibus. Patriarcharum principes, Abraham, Isaac ac Jacob, in spelunca agri sepultos esse, in *Genesi* legimus. Ægyptii Servatoris Josephi λείψανα in parte agri Sichemitici composita narrantur in libro *Jesu Nave* XXIV. 32. Josue dux Hebræorum & Eleazer summus sacerdos filius Aaron in monte Ephraim sunt reconditi, ut dicitur *ibidem*. Et 2. *Regum* XXIII. 16. *Reversus Josias vidit sepulchra, quæ erant in monte.*

Reponebantur defunctorum corpora in speluncis excisis, conditis singulis in separatis foraminibus, quorum octo, vel, ut alii, tredecim cavari solebant, ut essent totidem corporum conditoria. Quale monumentum Josephus inciderat in petra seu in spelunca petræ. Locus vero ubi sanctissimum Domini corpus positum est, unum erat ex illis octo vel tredecim foraminibus, quæ diximus cavari solita in quovis monumento, docente magno Casaubono, quem vide *Exercit.* XVI. num. XCVIII. XCIX CXXII. Non desunt interim exempla in *Veteris instrumenti Scriptura* eorum, qui intra urbem sunt tumulati. Ramatha urbs sita in monte Sophim, natale solum, domicilium pariter ac sepulchrum præbuit Samueli, 1. *Sam.* 1. & XXV. ossaque ejus possedit, donec ab Arcadio Imperatore in Thraciam transferrentur. Sic enim 1. *Sam.* XXV. 1. dicitur *& sepelierunt eum, in domo sua, Rama*. Sic & Manasse in horto domui regiæ contiguo sepultus est, 2. *Reg.* XXI. 18. David vatum regumque sacrorum maximus in arce Sion, quam ipse de suo nomine civitatem David appellavit, sepultus est, 1. *Reg.* II. 10. cujus monumentum adhuc post Christi resurrectionem ostensum fuit, *Actor.* II. 29. Hoc sepulchrum (Davidis) ab Hircano thesauris spoliatum ingentibus, Adriani Imperatoris tempore demum collapsum est, inter cujus rudera Hieronymus Oratorium aliquando delegit suum, Vide *epist.* hujus XVII. *ad Marcellam*, & Baron. Tom. 1. an. 34. n. 245. 249. Et quamvis indicare videtur Hieronymus Davidicum Mausoleum, ad quod se precari solitum scribit *loco* jam *dicto*, extra urbem fuisse, fortasse, quia post tot vastationes & reædificationes extra urbem relictum est, ut inquit Lorinus *Comm. in Acta Apostol. cap.* II. 27. Erant autem in extremitate montis Sion seu prope mœnia sepulchra Regum in horto regalis palatii, cujus mentio fit 1. *Reg.* XXV. 4. & 2. *Paralip* XXVI. 23. ubi Rex Ozias dicitur sepultus in agro regalium sepulchrorum, non in ipsis regiis sepulchris, eo quod esset leprosus, ne scilicet contactu suo alia cadavera contaminaret. Sic quoque legimus de rege Joram 2. *Paralip* XXI. 20. *Sepelierunt eum in civitate David, verumtamen non in sepulchro regum.* Et de Joas lib. 2. *Paralipom.* cap XXIV. 25. Eadem habentur verba de Achaz, cap. XXIII. 27. *Sepelierunt eum in civitate Jerusalem: neque enim receperunt eum in sepulcro Regum Israel.* Hinc Benjamin Tudelensis in libro *Itinerum* suorum, interprete Bened. Aria Montano, inquit: *Sunt in Sion monte Davidicæ familiæ sepulchra, & Regum eorum, qui post David surrexerunt, sed locus ipse ignotus vulgo est.*

Venio ad Christianos. Hi communem human-

A dis defunctorum corporibus destinatum locum, ut a nomine ordiar, appellabant κοιμητήριον a κοιμάω, cœmeterium, *nimirum voce fidei ac pietatis plena, resurrectionis videl. spem testificante, declaranteque Dei omnipotentiam, qui tanta facilitate possit mortuos ad vitam revocare, quanta potest quilibet nostrum excitare dormientem*, ut ait Pererius *in cap.* L. *Gen.* v. 13. unde & veteribus Hebræis sepulchreta non בית מתים *domus mortuorum*, sed בית חיים *domus vivorum*, fiducia resurrectionis vocantur, teste Schickardo *de Jure Hebr.* cap. VI. pag. 169. *Veteribus Hebreis* בית חיים *domus viventium, cœmeterium nominatur*, inquit D. Chytræus Lib. B *de vita & morte* pag. 101. *quod pii illic cubantes DEO vivant, & certo revicturi sint*, Θεῷ γὰρ ζῶσι πάντες οἱ κατὰ Θεὸν ζήσαντες, κἂν ἐνθένδε ἀπαλλαγῶσι, *Deo enim vivunt omnes, qui secundum Deum vixerunt, etiamsi ex hac vita discesserint.* Cœmeterio autem a dormitione nomen obvenit, quasi dicas *dormitorium*, quod corpora fidelium ibi requiescant, in sepulchris tanquam in lectulis atque cubilibus suis, *non mortua, sed data somno.* Mors Christianorum dormitio est, somnus est ac quies, de qua excitationem sperant & expectant in lætissima illa resurrectionis die. Deo enim non magis difficile est mortuum, quam cuivis dormientem, C excitare. *Puella non mortua est, sed dormit, Matth.* IX. 24 *Lazarus amicus noster κεκοίμηται, dormit*, inquit Christus ὁ Σωτὴρ, *Joh.* XI. 11. Et postea, ut explicet, dicit manifeste, Λάζαρος ἀπέθανε, *mortuus est*. Et Stephanus princeps martyr *obdormivit*, *Actor.* VII. 60 confer *Dan.* XII. 2. 1. *Thess.* IV. 13. In *Vet. T.* frequentius reperitur hic loquendi modus, usitatus de mortuis in Domino, (*Et dormivit cum patribus suis*) præsertim in Libris *Regum* & *Paralipom.* Profanis etiam scriptoribus mors perpetuus somnus & ferreus dicitur, sicut apud Homerum *Iliade* XI. vers. 241.

D

Ὣς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν, κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.
Statim ut cecidit, dormivit ferreum somnum.

Eodem pertinet illud Catullianum *ad Lesbiam:*

Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Non prætereunda hoc loco est absurditas & in Græca literatura imperitia illius, de quo Poetæ duri duriter cecinerunt;

Durus Durandus jacet hoc sub marmore duro,
E *An sit salvandus ego nescio, nec ego curo.*

Is enim l. 1. *Ration. divin. officiorum* c. V. num. 4. Cœmeterium dictum putat a *cimen*, quod est dulce, & *sterion*, quod est statio, propterea quod ibi defunctorum ossa dulciter quiescunt. Vel quia ibi sunt cimices, id est, vermes ultra modum fœtentes. Satis ridicule istud quidem. Cœmeteria alias dicuntur etiam πολυάνδρεια a multitudine sitorum, item sepulchreta vel conditoria a Petronio, vel etiam conditiva, requietoria, quietoria aliis. Germani pulcherrimo nomine appellant *Gottes-Acker*, in quo Deus suam habet sementem ac segetem, quam F in consummatione sæculi & illustri adventu suo tanquam messi jam maturam demetet & in cœleste horreum invehet, zizaniis in ignem missis inextinguibilem. Erant autem primitus cœmeteria specus subterraneæ extra urbem, Romæ præsertim Audiamus S. Hieronym. hæc ipsa cœmeteria sæpius obeuntem, sic enim de seipso scribit *in c.* XL. *Ezech. Dum essem Romæ puer, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis & propositi, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum*

profunda defossa ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum; & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud Propheticum compleatur: Descendant in infernum viventes: & raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putet: rursumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur:

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Paria leges apud Prudentium de Cœmeterio Cyriacæ in agro Verano. Morem hunc antiquorum Christianorum condendi cadavera piorum in lateribus tumbarum, cryptarumque arenariarum, ut vocabant, fornices sustinentibus, originem habuisse a Servatoris Mundi τοῦ θεανθρώπου sepulchro existimat Cardinalis Baronius *ad Annum* XXXIV.n. 134. Sed communem morem sepeliendi Judæorum, quem & in Christi corpore servatum apparet, nihil ejusmodi habuisse, quod cum sepulchris in lateribus cryptarum comparari possit, ostendit Casaubonus *Exercit.* XVI. num. XCIX Moris enim Judaici fuit, ut tota familia in una spelunca sepeliretur, repositis singulis corporibus in separatis foraminibus ad id excavatis. Cryptæ vero jam dictæ Christianorum ex utraque parte ingredientium per parietes habebant corpora sepultorum, ut modo Hieronymus testis ocularis referebat. Cæterum cœmeteria ista non tantum conditoria mortuis, sed & latebras & perfugia vivis grassante persecutione præbebant. Clare hoc indicat Chrysostomus *Homil.* XL. *ad populum*, inquiens: *Hi quidem in monumentis & sepulchris, hi vero in desertis latitabant. Mulieres teneræ & delicatæ continua fame detinebantur. Itaque considera, si qua tunc pretiosi sumptus, si qua delitiarum erat delectatio. Subitne concupiscentia unquam mulierem in sepulcro latentem & expectantem ancillulam, ut veniat, prandium afferens, & ne forte deprehensa sit, trepidantem & in timore tanquam in fornace jacentem?* Idem docet jam citatus laboriosus *Annalium* pater Tom. II. Annal *ad Annum* CXXX. *Cœmeteriorum usus*, inquit, *non modo inserviebat humandis defunctorum corporibus, ex quo & nomen est inditum, sed & persecutionis tempore ad latebras Christianorum. Mirabile dictu! vidimus sæpiusque lustravimus Priscillæ cœmeterium, haud pridem inventum atque refossum via Salaria, tertio ab Urbe lapide; quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus, præ ejus amplitudine, multisque atque diversis ejusdem viis, quam subterraneam civitatem*, &c. In his cryptis a se effossis Christiani tempore persecutionis stationes synodosque habebant suas & sacramenta administrabant, quod multis docet Onuphrius proprio libello *de Cœmeteriis* c. XI. A tempore vero Constantini Magni, mutata Orbis Romani facie, Christiani, qui fugere & latere, omnesque malorum ideas perpeti hactenus fuerant coacti, eluctati decumanos tempestatum hinc inde ingruentium fluctus, & in libertatem vindicati, & templa sua passim intra urbes habere cœperunt, & spatia quædam juxta templa sepeliendis mortuis destinarunt, vel prisca illa Martyrum dormitoria Ecclesiis publicis ac sacellis decorarunt, aut etiam nova cœmeteria extra urbis portas, sed ita, ut non longe abessent, condiderunt, quibus adjunctum interdum templum, interdum nullum. Abunde, quæ ad *communem* sepulturæ *locum*, dixi. *Rarus* superest, quem pari cura adtexam.

Erat is in ipsis templis. Augustinus Hipponensis Præsul jam ante sua tempora sepeliendorum mortuorum in templis & prope Martyrum monumenta usum fuisse, docet Libro *de cura pro mortuis* c. IV. Quanquam non adeo frequenter primum ipsis templis & Basilicis inferebant suorum cineres atque ossa. Sed Personæ Sacerdotales & Reges Basilicarumque conditores tantum intra templorum parietes recipiebantur. Sic Ambrosius Mediolanensium Episcopus in Basilica a se erecta sibi sepulchrum elegit. Vide *Serm.* LXXVII. inter Ambrosianos. Constantinum Magnum Constantinopoli in vestibulo Templi Apostolorum sepultum, scribit Chrysostomus *Homil.* XXVI. *in Epist.* II. *ad Cor.* Honorius Imper. Romæ in Templo S. Petri humatus legitur, taceo alios. Alicubi ipsi quoque proceres & principes viri in capellis & in muro Ecclesiæ, non intra Ecclesiam humabantur, ut in multis Basilicis Hispaniæ observatum est, teste Garsia Laoisa, *Hispaniensium Conciliorum* editore in cap. XVIII. *Concil. Bracarensis* I. *Queruntur eruditi*, inquit Christophorus Brovverus Jesuita in *Vita S. Ludgeri* in fine lib. II. *Sacrosancta terrarum sola, quæ par sit nitere munditie & puritate, per vilium capitum funera, quæ se in adyta quoque templorum insinuant, quodammodo infuscari, & ex sacrariis fieri πολυάνδρια & busta mortuaria.* Cum autem mos hic inferendi templis cadavera adeo, vulgo etiam invaluisset, aliquoties legibus coercendus fuit. Sic enim Gratianus, Valentinianus & Theodosius Impp. in templo aliquem sepeliri vetuerunt lege, quæ extat in *lib.* I. *Codicis Justinianei, tit.* II. *De sacrosanctis Ecclesiis*: *Nemo Apostolorum vel Martyrum sedem humanis corporibus existimet esse concessam.* In primo Concilio *Bracarensi* c. XXXVI. sancitum est, *Ne corpora defunctorum intra Basilicas sanctorum tumulentur, sed fiant omnes sepulturæ extra civitatem*, vel etiam, *si necesse fit, deforis, circa murum Basilicæ*, ibid. cap. XVIII. Mandavit & Carolus M. lib. I. *Capitularium*, ut *nullus deinceps in Ecclesia mortuum sepeliat*. Conferantur Theodulphi Episcopi Aurelianensis *Epistola ad Fratres & Compresbyteros* suos, veterumque quorundam Conciliorum hac de re decreta, quæ legi possunt apud Gretserum lib. II. *de Fun. Christ.* cap. VIII. Haud tamen diu hoc unquam servatum est. Consulere Lector potest Onuphrium libello *de Ritu sepeliendi mortuos*, ubi texit Catalogum Imperatorum, Regum, Principum, Pontificum, Episcoporum, aliisque dignitatibus conspicuorum hominum, qui vel ad limina, vel in porticibus Ecclesiarum, vel in ipsis Ecclesiis humati sunt, & passim in vetustissimis templis literati id testantur lapides.

Obiter addo, Reges ac Principes plerosque in certis locis sua habere monumenta & sepulchra: Castellæ Veteris Reges Legione in Hispaniis: Galliæ Reges in Cœnobio Dionysiano: Angliæ, ad Londinum totius Angliæ epitomen, in Templo Westmonasteriensi, quod Henrici VII. sacrario maxime celebre est: Scotiæ, Bursiæ: Suecorum Reges Stokholmiæ: Danorum Barsholmiæ & Roeschildiæ: (Hæc inter alias, Christiani III. exuvias conservat. Situs ibi & Sueno Rex ejus nominis III. qui totam Angliam subegit) Poloniæ Reges Cracoviæ: Electores Saxoniæ Freibergæ: Palatini, Heidelbergæ: Brandenburgici, Coloniæ ad Suevvum: Duces Austriaci, Viennæ: Principes Wurtebergici, Tubingæ: Megapolitani, Suerini: Pomerani, Wolgasti: Holsati, Slesvici, &c. Vide Melchiorem Junium *Quæstion. Polit* CIX. *Locum sepulturæ Imperatoriæ certum destinatum non reperio*, scribit Lymnæus Tom I lib. II *de Jure Publico* cap. XII. in fine. Et res ipsa docet. Carolus

enim cognomento *Magnus*, ille qui Francorum Regum primus Cæſareum nomen indeptus eſt, & Otto III. (qui dictus eſt *Mirabilia mundi*) Aquiſgrani tumulati ſunt: Arnolphus Imp. Oetingæ: Conradus I. Fuldæ: Henricus Auceps, qui de Saxonum gente primus imperavit, Quedlenburgi, quæ mihi patria eſt: Henrici II. (qui Claudus, item Sanctus dictus eſt, & Bambergenſem inſtituit Epiſcopatum) Bambergæ: Lotharii II. vero Saxonis, in Monaſterio Ducatus Brunſvvicenſis, quod ab ipſo nomen habet, monumentum viſitur: Otto M. (qui Magdeburgenſem fundavit Epiſcopatum) Magdeburgi: Ludovicus Bavarus Imp. Monachi in Bavaria: Rupertus Imp. Heidelbergæ: Fridericus Auſtriacus, hoc nomine III. qui Auguſtum Cæſarem proxime attigit imperii diuturnitate, (regnavit enim per 53. annos, hinc Poeta; *Ante & poſt ipſum non extitit Induperator, Qui ſua tam longo tempore ſceptra tulit*) & alioqui habuit non pauca cum Auguſto communia, teſte Bucholcero, aliique Auguſti Auſtriaci Viennæ ſepulti ſunt. Spira Nemetum

Sex Cæſaribus tribuit commune ſepulchrum,
Francorum ſummi quos genuere Duces.

Praga totius Bojohemiæ compendium & urbium regina Caroli IV. Ferdinandi I. Maximiliani II. oſſa tegit & conſervat: alii alibi ſiti ſunt.

CAP. IX.

Sepulcri Etymon, Ὁμωνυμίαν, & Συνωνυμίαν exhibens.

LOcum ſepulturæ vidimus. Jam ipſa ſepulcra introſpiciemus. Dicitur autem ſepulcrum, (ut rem ab originatione vocis ordiar) amandatis ineptis quorundam deductionibus, a ſepultum τοῦ ſepelio, Iſidorus *Origin.* XV. cap. XI. quod eſt humo, humo conde, terræ committo, terra obruo aut tego. *Scripturæ* V. T. phraſi *ſepeliri* eſt *colligi, congregari, Num.* XX. 26. *Ezechiel.* XXIX. 5. &c. *ad patres ſuos, ad populum ſuum, ad ſepulcra ſua colligi*, paſſim. Ipſum vero verbum *ſepelio*, originis admodum obſcuræ eſt, fatente ipſo Chriſtiano Becmano in *Orig. L. L.* quem vide. Græcum nomen τάφος, quod habetur *Matth.* XXIII. 27. & 29. XXVII. 61. 64. & 66. XXVIII. 1. & *Rom.* III. 13. a verbo θάπτειν, *ſepelire, humare*, derivatum, proprie *ſepulchrum* ſignificat. Apud Hebræos v. בור & קבר *ſepulchrum* denotant. Quandoque etiam vox שאול pro ſepulcro in *Scriptura* uſurpatur. ut *Gen.* XL. 38. 1. *Reg.* II. 6. *Job.* XIV. 6. 13. cap. XVII. 23. *Pſalm.* XVI. 6. *Pſalm.* CXLI. 7. *Eſa.* XXXVIII. 18. *Ezech.* XXXI. 13. *Jon.* III. 7. Et oſtendit ἐτυμολογία vocis שאול, quod ſignificet in genere quoddam quaſi *petitorium* ſive *poſtulatorium*, quod tam de ſepulchro, quam inferno accipi poteſt. Derivatur enim a themate שאל, quod eſt *petere, poſtulare, rogare. Sepulchrum*, (inquit Buxtorfius in *Lexico*) *ſic a petendo & poſtulando dictum, quod ore hiante & dilatato* (*Eſa.* v. 14. *Hab.* II. 5.) *repleri expetat*, unde & *inſatiabile* dictum *Prov.* XXVII. 20. & XXX. 16. Quando autem dicimus, vocem Hebraicam שאול quandoque in *Scripturis* pro ſepulchro uſurpari, tum ſeparamus nos & a quibuſdam Pontificiis, itemque Calvinianis. Sunt enim apud Pontificios, qui negant vocem Hebræam *Scheol* unquam in *Scripturis* ſignificare *ſepulchrum*, ex quibus ſunt Andreas Crocquetius, Benedictinus, in *Catecheſibus* ſuis. Catecheſi 19. ubi ait: *Et ne vehementius ſibi placeant, ob ſuum illud Scheol, nunquam efficient, ut uno ſaltem Scripturæ loco prolato præclaram illam interpretationem ſepulchri confirment.* Martinus Delrio in *Adagialibus Sacr. V.T.* Tom. I. pag. 209. ſeqq. ubi per 86. dicta *Scripturæ* oſtendere conatur שאול in V. T. ſemper notare *inferni receptacula*, confer Lancellotum in *Hæretico*, quare & Cathol. quia & alios. His jungi poſſet Bellarminus, niſi unica vocula ſemetipſum ab illorum conſortio ſeparaſſet; dicit enim lib. IV. *de Chriſto* cap. X. art. 5. itemque *de Purgatorio* lib. II cap. X. ſect. IX. *vocem Scheol vel nunquam uſurpari pro ſepulchro.*

Sed illis opponimus 1 loca ſupra adducta. 2 Janſenium, *in cap.* XV. *Proverb.* v. 12. & 25. ſic ſcribentem: *Dictio Hebraica* (Scheol) *ſignificat proprie ſepulchrum:* eadem repetit *in cap.* XXX. 16. & rurſus *in Pſal.* VI. 5. & pluribus aliis locis aſſerit, quod ſumatur pro morte ſeu ſtatu mortuorum. Cardinalem Cajetanum, qui loc. *Num.* XVI. 30. non de inferno, ſed ſepulchro exponit, dicens, *hanc eſſe ſententiam illorum verborum; Deſcendunt in infernum vivi, id eſt, vivi ſepelientur.* (Eodem modo Hieronymus Oleaſter, Dominicanus: *Ecce*, inquit *Com. in h. l. res inſolita, quod ſcil. homo vivus ſepeliatur vel ingrediatur ſepulcrum.* Quanquam Epiphanius in *Ancorato*, Hieronymus in *Comment. Eph.* IV. Beda in *Com. Num.* XVI. rectius accipiant de inferno, *quia in flagrante crimine ſine ulla converſione ab ira divina ſubito abſorbentur*, ut inquit B. Gerhardus Loco *de Inferno* n. XXI.) Ferum & Pinedam ipſumque Thomam, quorum hic *Lect.* 2. *in Jobum*, ille *Comm. in Job.* XVII. cap. iſte *Sermon.* 52. locum *Job.* XVII. 13. non niſi de ſepulchro interpretantur, Genebrardum, qui locum *Job.* XIV. 13. Sanctium, qui locum *Eſa.* XXXVIII. 18. de ſepulchro accipiunt, &c. Calviniani vero, ut Hugo Sandfordus lib. II. *de deſcenſu Chriſti ad inferos* diſt. II. p. 14. ſeqq. & alii diſputant *per Scheol nihil aliud in Scripturis, quam ſepulchrum, & ex conſequente ſtatum mortuorum ſimpliciter & in genere notari*, ſcil. ut obtineant, per deſcenſum (*a*) Chriſti ad inferos in *Symbolo Apoſtolico* intelligendam eſſe ſepulturam, ſed oſtendit B. Gerhardus Loco *de Morte* §. 173. & Loco *de inferno* §. 4. *nomen* שאול quinque potiſſimum modis in *Scripturis* accipi. 1. pro *Inferno* ſeu τοῦ damnatorum, in quo ſcilicet damnati torquentur. 2. pro *doloribus inferni*, qui in hac vita hominem quandoque tangunt & angunt. 3. *pro extremo humilitatis gradu.* 4. pro *morte & tranſitu ex hac vita, ſive pro ſtatu & conditione mortuorum in genere*, & 5. pro *ſepulchro*. Haſque ſignificationes omnes & ſingulas exemplis e *Scriptura* petitis ibidem comprobat. Hebræo שאול reſpondet Græcum ᾅδης, quod LXX. Interpp. illud ſemper exprimunt, (ſi excipias loco 2. *Samuel.* XXII. 6. ubi vocem *Scheol* non verterunt ᾅδην, ſed θάνατον, id eſt, *mortem*, & *Ezech.* XXIII. 21. ubi non ᾅδην iterum, ſed βόθρον, id eſt, *foveam*, habent) & Latinum *infernus*, quo Vulgata Verſio utitur. Sicut igitur Hebræum *Scheol* quandoque pro ſepulchro uſurpatur, ita quoque Græcum ᾅδης & Latinum *infernus* apud Interpretes ſæpe pro ſepulchro ponuntur. Stapletonus in *Promptuar. Cathol. ſuper Evangel.* in feria S. Hebdom. 2. quadr. ſcribit: *Etſi vox Hebræa Scheol aliquando & perraro foſſam ſeu ſepulchrum ſignificet, tamen Græ-*

(*a*) Hac de re ſolide ac erudite diſſerit Lamindus Pritanius ſeu Ludovicus Muratorius contra Clericum ſub nomine Phereponi Libro III. de ingeniorum moderatione in Religionis negotio cap. IX. Legi poteſt Autor Hiſtoriæ Symbol. Apoſtolorum: pluresque alii catholici ſcriptores conſulendi ſunt.

ca vox LXX *Interpp. ᾅδης in illa significatione nunquam accipitur*. Scribit quoque Lorinus Tom. III. *Cum in Psalm.* CXIII. 25. *Licet pro sepulchro infernus quandoque accipiatur, at non ᾅδης*. Satis audacter, sed falsissime. Nam in omnibus illis locis, in quibus *Scheol* diximus notare sepulchrum, est apud LXX. Interpp. vox ᾅδης. Imo quandoque vox τάφος & ᾅδης inter se permutantur, vide *Tob.* III. 12. & VI. 16. Et Stephanus in *Lexico* ex vocis etymo ostendit ᾅδην in genere dici *quemlibet locum tenebricosum & invisibilem*, quod etiam ad sepulchrum applicari potest. Autor quoque *Lexici Græco-Latini*, quod est in Apparatu Regio, expresse habet pag. 7. ᾅδης, ου, ὁ, *Orcus, Tartarus, sepulchrum*.

Cæterum, ne æquivocationum, errorum parentum, tricis impediamur, notandum est, *Sepulcrum*, quod loquendo proprie, *locus est, in eum finem constructus, ut mortuum corpus humanum vel ossa ejus perpetuo contineat*, sæpe ad alia, figurata locutione transferri. Ad pessimam hominis naturam, peccato depravatam, accommodatur, *Psal.* V. 10. Rom. III. 13. *Sepulcrum apertum est guttur eorum*. Flacius: *Vocat omnes homines sepulcra aperta, quod sicut ex illorum putredine teter ac pestilens fœtor exhalat; ita & ex omnium hominum pessimo thesauro cordis, per guttur ac os eorum, non nisi pessimi sermones & consilia exeant*. Cornel. a Lapide *Comm. in Rom.* III. 13. inquit: *Quilibet homines peccato & concupiscentia corrupti, instar sepulcri patentis, spurca, tetra, fœtida, dolosa, maledicta exhalant, proloquuntur & eructant. Guttur eorum, quasi sepulchrum patens, fœditatem, putorem & abominationem lethalem mortui cordis, quasi cadaver[illegible] semper exhalat*. Erasmus, magnus ille superioris sæculi literarum vindex & restitutor, in *Milite* suo *Christiano* his verbis rem circumloquitur, quæ, quia id merentur, adscribam: *Audis quempiam sermones impios, tumidos, maledicos, impudicos, obscœnos proferentem, verbis rabiosis in proximum debacchantem, cave putes, isti homini vivam esse animam; jacet in sepulcro pectoris putre cadaver, unde ejusmodi fœtores exhalantur & proximum quemque inficiunt. Christus Pharisæos sepulcra dealbata vocat. Quid ita? Nempe, quia mortuam animam secum circumferebant. Et regius ille Propheta, sepulcrum, inquit, patens guttur eorum, linguis suis dolose agebant. Piorum corpora templa sunt Spiritus S. impiorum sepulcra cadaverum, ut potissimum in eos quadret illa Grammaticorum Etymologia, σῶμα quasi σῆμα sepulcrum, pectus, guttur & os, hiatus sepulcri*. Hæc ille tam eleganter, quam vere. Regium Psaltem imitatus *Hieremias* V. 16. *pharetras* Chaldæorum nominat *sepulchrum patens*. Sicut enim sepulcrum continet mortuos, eosque consumit & incinerat sine fine & numero; sic pharetra eorum continet mortem, id est, sagittas plurimas mortiferas, quæ pluribus mortem afferent. Ita Maldonatus, vel ut Menochius exponit: *Quasi sepulcrum patens; quasi dicat*, inquit, *quæ gens adeo perita est in jaciendis sagittis, ut quot habet tela in pharetra, tot homines se interfecturum, ita ut pharetra sepulchrum, sagittæ homines mortui esse videantur*. Vide adhuc quatuor alias hujus phaseos explanationes apud Corn. a Lapide *Comm. in h. l.* Salvator *Matthæi* XXIII. 27. Pharisæos, sanctimoniæ istos simulatores, qui foris nitebant, intus turpissimi, τάφους κεκονιαμένους, *sepulcra dealbata*, vocat, ut modo insinuabat laudatus Erasmus. Eustathius, celebris ille Homeri & valde disertus Interpres, τάφους quoque sæpius *funebres epulas* dicit, Homerus vero vel τάφους simpliciter, vel ἐπιδορπίους τάφους nominare solet, *Iliad.* ς'. & ψ. vid. Eustath. *Comm. ad ea loca*. Pro *ventre & visceribus* τοῦ τάφου vox usurpatur apud Val. Maximum, historicum rerum varietate nobilem, *lib.* IV. *cap.* VI. de Gentis Cariæ Regina Artemisia loquentem: *Quid enim aut eos colligas, aut de illo inclyto tumulo loquare, cum ipsa Mausolei vivum ac spirans sepulcrum fieri concupierit, eorum testimonio, quia eam extincti ossa potione aspersa bibisse tradunt*. Confer Gellium *lib.* X. *cap.* XVIII. Allusit huc Ovidius, Elegiacorum poeta princeps, lib. VI. *Metamorph.* fabula VII. de Tereo, qui Ityn filium inscius comederat:

Flet modo, seque vocat bustum miserabile nati.

De liberis Thyeste, quos ipse parens in cœnam ab Atreo propositos comederet, apud Ciceronem lib. I. *Tuscul. Quæst.* dicitur; *Natis sepulcrum ipse est parens*. Hinc & *vultures*, quibus mortuos suos projiciebant Iberi, Asiæ populi, ut suis sepelirent visceribus, τάφοι ἔμψυχοι dicti sunt. *Senem* etiam *decrepitum* ἔμψυχόν τινα τάφον, id est, *vivum quoddam sepulcrum*, dici invenio. *Crucem*, servile supplicium apud Romanos, notante Lipsio *de Cruce* lib. I. cap XII. sepulcrum vocat servus ille apud Plautum, in *Milite* Act. II. Scena IV.

Noli minitari: scio crucem futuram mihi sepulcrum:
Ibi mei majores sunt siti, pater, avus, proavus, abavus.

Sed & *Avari* sepulcra pauperum dicuntur, sic enim S. Ambrosius, citante Cornel. a Lapide *Com. in cap.* V. *Esaiæ* V. 14. *Avari, potentes & rapaces inhiant opibus pauperum sine fine & termino, eosque devorant, ac si essent infernus & pauperum sepulcra*. Pro ipsius *sepultis* sepulchrum sumitur *Esa.* XXXVIII. 18. *Non sepulcrum confitebitur tibi, neque mors laudabit te*, hoc est, sepulti & mortui. Vide Dn. D. Glassium *Philol. S.* lib. V. tract. I. cap. III. Pro *calamitatibus maximis & gravissimis periculis*, *Ps.* LXXXVI. 13. LXXXVIII. 4. &c. vide eundem *d. l.* cap. X. *Babylonica Judæorum captivitas* sepulcrum metaphorice vocatur *Ezechiel.* XXXVII. 12. 13. Captivitas enim habetur pro morte civili: *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris*, &c. quibus verbis Resurrectio mortuorum simul præfiguratur juxta Theodoretum *in h. l.* Rivetus *in Hoseæ cap* XIII. I. Tom. II. Oper. p. 779. inquit: *Præterea vita ærumnosa & tristis pro morte censetur; idcirco exules mortui dicuntur, & exilium sepulcri nomine notatur Ezech. cap.* XXXVII.

Ipsa vero sepulcra, corporis humani post mortem receptacula, non una expressit nominatione veneranda Antiquitas. Dicebantur generali nomine *Memoriæ* & *monumenta* Romanis, μνημεῖα & μνήματα Græcis, scil. ἀπὸ τοῦ μνᾶσθαι *a commemorando, reminiscendo*. *Quia* (ut loquitur Augustinus *de cura pro mortuis* cap. IV.) *eos, qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocant, & admonendo faciunt cogitari*. Cicero *Epistola ad Cæsar. Sed ego, quæ monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor, ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quam ad præsentis temporis gratiam*. Florentinus JCtus lib. VII. *Instit. Monumentum*, inquit, *generaliter res est memoriæ causa in posterum prodita, in qua si corpus vel reliquiæ inferantur, fiet sepulcrum*. Est ergo & dicitur monumentum a *moneo*, eo quod *moneat mentem* veluti. Avitæ enim virtutis posteros admonent monumenta, vel etiam propriæ mortalitatis. Varro lib. V. *de Lingua Latina*: *Monere*, inquit, *a memoria dictum, quod is, qui monet, proinde sit, ac memoria. Sic monumenta, quæ in sepulchris: & ideo secundum viam, quo prætereuntes admoneant, nomine mortuorum, & se fuisse, & illos esse mortales*.

Prisca loquendi formula est: *Posuit corpus ejus in memoriam, quam sibi suisque construxerat*. Ipsa quandoque *sepultura* pro sepulcro usurpatur, in Jure præsertim Canonico, c. *abolendæ*, XIII in verbis effodi sepultura. Et c. *aurum* LXX. *Caus.* XII. q. II. *In sepulturis Christianorum requies defunctorum est*. Quo sensu Servius Sulpitius vocem accipere videtur scribens ad Ciceronem lib. IV. *Epist. Famil.* XII. se ab Atheniensibus, M. Marcello *locum sepulturæ* ut darent, intra urbem, impetrare non potuisse. Appellatur etiam sepulcrum, *Conditivum*, a Seneca *epist.* LX. *Qui latitant & torpent, sic in domo sunt, tanquam in conditivo*. *Conditorium*, a Plinio *lib.* VII. *cap.* XVI. *Divini thesauri conditorium*, a Tertulliano *de resurrect. Carnis*, *Quietorium*, *Requietorium*, *defunctorum sacra quies*, ab aliis. In sepulcris enim velut lectulis & cubilibus suis requiescunt corpora a malis & laboribus, donec extrema die a Filio DEI, victore mortis & datore vitæ iterum suscitentur, quo sensu etiam sepulcrum *portus corporis* dicitur apud Ciceronem lib. I. *Tuscul. Quæst.* ubi ita e veteri poeta: *Neque sepulcrum, quo recipiat*, (forte *quo recipiatur* legendum) *habeat, portum corporis: Ubi, remissa humana vita, corpus requiescat a malis*. Dici etiam consuevit *tumulus*, quod coacervata ibi terra tumeat. Exaggerare enim terram solebant, & quo altius educebatur terra, eo honorificum magis. A tumore ergo illo terræ, Latinum nomen tumulis quæsitum. *Ossuarium*, quod ex veteri Inscriptione disco: JULIA. FUSCINA. OSSUARIUM. VIVA. SIBI. FECIT. *Locus*, Augustinus *de Civit. Dei* lib. I. cap. I. *Testantur id Martyrum loca & basilicæ Apostolorum*. τόπος αἰώνιος, *locus æternus*, Tob. III. 6. *Præcipe jam nunc me his angustiis excedere in locum æternum*, &c. Hæc verba non habentur quidem in Vulgata Versione nec in Lutheri Germanica, habentur tamen in textu Græco. Item *Cinerarium*, unde *Cinerarii* dicebantur olim, qui cineres & reliquias Martyrum venerabantur, apud Hieronymum in *Epistola* quadam *ad Riparium*. Traduxit huc Antiquitas etiam appellationem *Sarcophagi*, qua utitur in hac significatione Juvenalis *satyra* X. quia corpora defunctorum condita absumit sepulcrum, unde & inter res insaturabiles numerantur *Prov.* cap. XXX. 15. 16. Optime Plato tellurem omnem *mortis stomachum* appellavit, quia quos una mors devorat, tellus, stomachi in morem, conceptos, tumulatosque concoquit, & ut ita dicam, digerit, ut annotat *ad h. l.* Ferd. Quirinus de Salazar. *Orcivus thesaurus* pro sepulcro usurpatur in Epitaphio Nævii poetæ apud A. Gellium *lib.* I. *cap.* XXIV. *Stabula cadaverum* sepulcra dixit Tertullianus *de Resurrectione Carnis* cap. XXXVII. *Sedes* pro sepulcro habetur apud Virgilium VI. *Æneid.*

—— *quam sedibus ossa quierunt*.

Sic *Apostolorum sedes*, *l. penult. c. de sepulc. viol.* Et in antiqua Inscriptione: HANC. SEDEM. SIBI. VIVI. POSUERUNT. Item *Domus* pro eo sumitur. Nulla enim domus nostra, tam vere nostra est, atque sepulcrum. Jobus verissime *cap.* XXX. 23. *Quandoquidem novi, quod me ad mortem rediges, & domum condictam* (constitutam) *omni viventi*. Huc trahunt nonnulli illud Prophetæ *Esa.* cap. XIV. 18. *Cubaverunt gloriose quisque in domo sua*, hoc est, in sepulcro suo, ita Emanuel Sa, Menochius. Alias ita exponunt; gloriose sepulti sunt, non cum plebe, sed in domo, id est, in parentum & regum sepulchro. Tibullus *lib.* III. *eleg.* II.

Atque in marmorea ponere sicca domo.

Hinc *domus congregationis* vel *conventus*. Eo A enim tandem conveniunt mortales omnes, certo & constituto humanitatis & mortalitatis fœdere. *Domus æterna*, οἶκος αἰῶνος, *domus æternitatis*, *domus seculi*. Scribit Diodorus Siculus lib. I. *Bibl. Histor.* Ægyptios sepulcra ἀϊδίους οἴκους, *domus æternas*, illas vero, in quibus vivi degimus, domos, καταλύσεις, id est, *diversoria* sive *hospitia*, nuncupasse, puta, quod mora tam brevis sæpe sit in illis, quam in istis certa & æterna; putabant enim in sepulchris perpetuo commorandum functis. *Antiquitatum* Fabricii lib. II. epigr XXXVIII. *Hæc domus æterna est, hic sum situs, hic ero semper*. Κατάλυμα vero, pro quo & κατάλυσις dicitur, lo- B cus est in diversorio publico, in quo sarcinæ deponuntur. Chaldæos *domum dormitionis*, *domum sepulchri*, περιφραστικῶς sepulchrum dicere, annotat Johan. Drusius *in Jobum* commentans. Quidam etiam *domum luteam*, *Job.* IV. 19. pro tumulo accipiunt, *qui habitant domos luteas*, Paraphrastes Chaldæus vertit, *in sepulcro luti*, id est, luteo. Johannes de Pineda vero, item Estius, Eman. Sa, Menochius & Tirinus, *in h. l.* Rivetus etiam *in Hoseæ cap.* V. 12. per domum luteam ipsum corpus ex luto & limo formatum intelligunt, quod videtur inhabitare animus, ut ita habitatores C domorum lutearum, hominum periphrasis sit, quomodo ipse Paulus Apostolus corpus nostrum *terrestrem domum* 2. *Cor.* V. 1. & *Sapientia* IX. 15. *terrenam habitationem* vocare non dubitant. Porro sepulcrum afficitur nomine *tenebrarum*, cum alibi, tum *Ps.* LXXXVIII. 13. *Non cognoscentur* בחשך *in tenebris mirabilia tua*, & *Tobiæ* XIV. 10. ἤγαγεν αὐτὸν εἰς τὸ σκότος, & post aliquanto ϗ αὐτὸς κατέβη εἰς τὸ σκότος. Vide Drusium *in Jobi cap.* XVII. 13. & in *Annot. ad Coheleth. cap.* V. 4. Dicitur & בית חאך *domus tenebrarum*, in libro *selectarum gnomarum*, notante eodem. *Terram tenebrosam & opertam mortis caligine*, *Job.* X. 21. de sepulcri con- D ditione post Hebræos Lyra, & quidam recentiorum, ut Eman. Sa, Menochius, Tirinus. Rivetus *Comm. in Psalm.* XXIII. 4. p. 140. a Tom. II. Operum, interpretantur. Alii tamen hæc de statu damnatorum intelligunt, ut notant Pineda & Coccejus *h. l.* Regius Propheta *terram oblivionis* etiam vocat sepulchrum, *Psal.* LXXXVIII. 13. quoniam mortuorum memoria simul cum ipsis sæpe effertur, juxta illud *Psal.* XXXI. 13. *Oblivioni datus sum, sicut mortuus, a corde*; vel quod ibi omnium fit oblivio rerum. Item *silentium*, *locum silentii*, דומה, *quod illic sit silentium a celebrando DEO*, ut exponit Buxtorfius in *Lex. Hebr. & Chald.* Non E enim mortui publicam ad vivos orationem habent de Dei laudibus, Pineda *Comm. in Job.* Est autem hoc quoque defunctorum silentium quies quædam atque cessatio ab omni vitæ actione, cum silere is quoque dicatur, qui nihil agit, juxta illud *Exod.* XIV. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*. Loca habentur *Ps.* XCIV. 17. & CXV. 17. Hinc quoque Latini Poetæ *silentes* pro mortuis dixere. In locum hunc posteriorem ita Simeon de Muis: In silentium, *id est, sepulchrum, sic nominatum, quod ibi perpetuum sit silentium, & ut ait Kimchi, in sepulcro corpus sit instar lapidis muti. Hinc etiam Latini* silentes *pro mortuis dicunt. Ex Ezra ver-* F *tendum*, in excisionem, *id est*, locum excisionis, *eodem sensu*. Hæc ille. Martyris cujusdam sepulcrum in Ecclesia primitiva peculiariter dicebatur *Confessio* vel *Martyrium*. Hinc intelligimus, inquit Cornel. a Lapide *Comm. in cap.* XI. *Esaiæ* pag. 169 illud, quod toties in *Vitis Sanctorum* legimus: *Hic Sanctus sepultus est in Confessione S. Laurentii, S. Susannæ, S. Priscæ*, &c. Nam in *Confessione*, idem est, quod in crypta vel sepulchro. Unum adhuc adjiciam, sic caput hoc finiturus. Infantes

infra certum ætatis annum vita functos non cremabant Ethnici veteres, (unde *infantem minorem igne rogi*, dicit Juvenalis *sat.* xv.) sed sepeliebant. Sepulchra vero eorum peculiari nomine *Suggrundaria* appellabant. Testem hujus rei produco Fulgentium Placiadem: *Suggrundaria Antiqui dicebant, sepulcra infantum, qui nec dum* xl. *dies implessent, quæ nec Busta dici poterant, quia ossa, quæ comburerentur, non erant, nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumesceret.* Vide Caspar. Barthium *Adversar.* lib. xi. cap. xxi.

Cap. X.

De Sepulcrorum generibus, varia structura, ac ornamentis.

Sepulcra non unius generis fuisse, nec unicuique in quodlibet inferendi jus, jam porro dicam: Vel enim quis *sibi soli* vel *uxori* simul *suæ*, ut unita sepultura perpetuum sibi daret conjugem, vel *sibi familiæque suæ, ac posteris*, monumentum vivus exstruebat, heredum officia præsumens, aut exstrui in testamenti tabulis jubebat. Fuit autem id moris apud Romanos, ut cum heredes negligentius circa hanc rem versari viderent, plerumque dum viverent, sibi suisque sepulchra ipsi pararent. In Sacris de Asa 2. *Chron.* xvi. 14. legimus; *sepultum fuisse in sepulcris suis, quæ foderat sibi in Civitate Davidis*. Et de Sebna, *Es.* xxii. 16. quod in Jerusalem curasset sibi sepulchrum excidendum. Idem de Josepho Arimathæensi dicitur *Mat.* cap. xxvii. 60. Cæterum privorum, conjugumque sepulchra *Requietoria* dicta fuisse ex Inscriptione veteri probare vult Johann. Meursius *Exercit. Criticarum* part. ii lib. iii cap. xx. sed in generale nomen est, *singularia* forte vel *priva* rectius dicentur. Quæ vero omni familiæ posterisque fiebant, *Communia* appellabantur respectu familiæ, aut heredum & posterorum, qui inferendi jus habebant commune. Hinc Ausonius *Epitaph.* xxxvii.

Me sibi & uxori & gnatis, commune sepulchrum
Constituit, seras Carus ad exsequias.

Dicebantur hæc sepulchra etiam *Loci communes*. Cicero *Verr.* vi. *Dico nihil istum ejusmodi rerum in provincia reliquisse*, &c. *nihil in locis communibus, ne in fanis quidem*, &c. Confer *Prologum Casinæ* Plautinæ. Non interim ignoro, communia etiam vocari sepulcra in quibus promiscue multi ex plebe condebantur. Neque enim unicuique ex populo sepulcrum suum erat, ut ex supra dictis patet. Bene Adrianus Turnebus lib. v. *Advers.* cap. xvi. *Cum olim*, inquit, *qui locupletes erant, in suis fundis aliquid loci sepulturæ ponerent, & privata haberent ibi sepulcra sibi familiæque suæ, aut heredibus, plebs, quæ agris fundisque carebat, in loco aliquo communi sepulturæ destinato humabatur:* sepulchrumque commune *vocabatur, ubi sepeliebatur: Ex quo scripsit Horatius* lib. i. satyra viii.

Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum.

Sic Lucretius, terram mortuos omnes gremio suo receptantem, *commune sepulcrum* appellat, *lib.* v. Et Catullus *Trojam commune sepulcrum Europæ Asiæque*, id est, heroum belli Trojani tempore ex Europa & Asia occumbentium vocat. Ista vero communia quæ dixi sepulchra, alia *Familiaria* erant, alia *Hereditaria*. Illa dicebantur, *quæ quis sibi familiæque suæ constituerat*. Hæc autem, auctoribus Cajo & Ulpiano, erant, *quæ quis sibi heredibusque suis paraverat, vel jure hereditario acquisiverat*. Familiare sepulchrum ad Familiam, etiamsi in ea nullus heres esset, ac heredes etiam extraneos pertinebat, ex *leg.* 13. *C. de Religios.* Non vero ad affines aut cognatos, heredes non institutos. His enim nullum inferendi jus fuit, ex *leg.* 8. *C. de Religios. & sumpt. Fun.* Sed hæc sibi invicem contrariari videntur, igitur respondet Treutlerus *Cons.* lviii. num. 249. procedere, quando in ultima voluntate dispositum reperitur, aut in contractibus per instrumenti tenorem, vel per pacta majorum sic conventum sit, ut sepulcrum familiare sit toti familiæ commune in aliquo loco religioso: & tunc omnes habere jus sepeliendi, qui censentur de familia, nec per divisionem ad unum posse devenire. Secus autem esse, si sepulcrum sit destinatum ei soli, cui universitas bonorum loci obvenit, vel qui domicilium ibi habet cum jure Patronatus, tum enim id ad alios cognatos non pertinere ex *l.* 8.

In Hereditario vero, (quod & *Gentile*, aut *Gentilitium*, vel etiam *patrium*, *avitum* & *majorum monumentum* nuncupabatur) heredibus, & qui heredum loco erant, sepeliri licebat, etiam illis, quibus hereditas tanquam indignis ablata, ut docet Ulpianus *D. de Religios. & sumpt. funer.* lib. 33. Quamvis enim jus heredum & filiorum amiserint, sola tamen humanitatis ratione jus paterni sepulcri retinent, tum quod naturaliter jura sepulcrorum liberis quasi adhæreant, tum quod aliquando domini, vivo adhuc patre, habiti sint. Manet itaque, inquam, jus sepulcri etiam apud illos, qui ab hereditate exclusi, nisi testator specialiter odio commotus illis inferendi jus denegasset, ut idem docet Ulpianus *l.* 6. Solebant enim Veteres controversiarum, quæ inde oriri possent, tollendarum causa expresse & diserte cavere haut raro in Sepulcrorum cippis, de personis, quas vel inferri monumento suo, vel ab eo excludi volebant; unde hæ Inscriptionum formulæ in Romanorum monumentis:

SIBI. ET. CONJVGI. ET. LIBERIS. ET LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. EORVM. FECIT.

HOC. MONVMENTVM. HEREDES. NON. SEQVITVR. HOC. MONVMENTVM.

EXTERVM. HEREDEM. NON. SEQVITVR. &c.

Augustum Cæsarem Julias, filiam neptemque, probris contaminatas, suo inferri sepulcro vetuisse, Suetonius narrat in *Vita ejus* in fine. Cæterum in hæc familiaria, & hereditaria monumenta inferre mortuum, alteri licebat minime, libenter enim suorum tantummodo cineres admisceri sibi volebant. Solon, Atticorum Legislator, pœna coercuit illos, qui sepulcra delebant, aut in gentilitia alienum inferebant, quam legem inter cæteras ad Romanos transtulerunt Decemviri, ad id in Græciam a Romanis missi, Cicero ii. *de LL.* Et, quod omittendum non est, majorum suorum, charissimorumque monumentis condi, interque suos post fata cubare jucundissimum esse consuevit humanitati. Hinc Hector magnus Achillem rogavit, ut se exanimem parentibus redderet, patria sepultura afficiendum. Sed sacra potius videamus exempla: Jacob duodecim tribuum pater dormire cum patribus suis, condique in sepulcro majorum suorum volebat, *Genes.* xlvii. 30. quam ipsam voluntatem optimi parentis optimus filius Jo-

Joseph exequutus est, *Genesios* extremo v. 13. Quanquam altius conscendisse putandus sit sanctissimus Patriarcha: neque enim hujus desiderii causa fuit tam naturalis affectus, quam 1. terræ Canaan promissio 2. Ecclesiæ conjunctio. 3. Messiæ expectatio. 4. sperata cum Christo resuscitatio, docente B. avunculo meo Gerhardo *in h. l.* Hinc D. Calixtus *in eundem hunc locum: Naturæ alias consonum est desiderium, ut cupias, corpus tuum vita functum ossibus majorum, eorumque quos amaveris, conjungi. Hoc tamen non tam respexisse videtur*, (Jacob) *quam testatum ivisse fiduciam suam de adimplendis divinis promissionibus*. Senex ille Tobias filium monet sibi cognominem, ut matrem suam Annam eodem tumulo secum componat. Sic Johannis Chrysostomi mater ab ipso, ut sua cum mariti ossibus ossa jungeret, rogavit, *lib. 1. de Sacerdotio.* Et Monica S. Augustini mater, ut ad maritum suum sepeliretur, moriens rogasse fertur. Hinc S. Hieronymus: *Quos conjunxit unum conjugium, conjungat unicum sepulcrum, quia una caro sunt, & quos Deus conjunxit, homo non separet.* Moris hic recordor Veterum, cujus meminit doctissimus Meursius, *Exercit. Critic.* part. II. *lib.* II. cap. XV. & Kirchman. *lib.* III. *de Fun. Rom.* cap. XIV. quo conjuges, amici & amasii, qui fide & amore inter se mutuo insigni fuissent, uno eodemque componebantur tumulo. Judæis etiam hanc consuetudinem fuisse generalem, ut scil. uno conjuges sepulcro clauderentur, docet Abulensis II. *Reg.* XV. q. 14. & ex eo Lorinus in cap. V. *Actor.* v. 10. Et probant exempla; nam Abraham & Sara, *Genes.* XXV. 10. Isaac & Rebecca, *Genes.* XLIX. 31. Jacob & Lea, *ibid.* eodem tumulo clausi sunt. Hinc Sanctius in cap. II. *Act.* p. 79. *In sepulchra illa* (Hebræorum) *non unum tantum inferebatur cadaver, sed tota familia in illa jus habebat quasi hæreditarium, quare in sepulchro Abrahæ conditi sunt postea Isaac & Jacob, & sæpe posteri inclusi esse dicuntur in parentum monumentis. Et inde natus est dicendi modus; dormire cum patribus suis & apponi ad parentes suos*, &c. Hæc ille. Juxta Sanctorum quoque corpora sepeliri fidelibus semper optatissimum fuit. Sic & Propheta voluit juxta alium Prophetam sepeliri, 1. *Reg.* XIII. 31. S. Maximus *Serm.* LXXVII. *de SS. Oct. Advent. & Solut. Ideo namque*, inquit, *hoc a majoribus provisum est, ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat, dum illos Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat.*

Adtexam cætera de Sepulcrorum generibus. Erant enim præterea *publica monumenta* apud Romanos, in quibus ii locabantur, qui honoris ergo de publico sepeliebantur. Meursius *loco alleg. lib.* III. cap. XX. Erant & alia peregrinis vel in bello cæsis structa. Eaque πολυάνδρεια dicebantur, qualia Athenienses illis, qui in bello pro patria occubuissent, in Ceramico extra urbem publico sumptu constituebant, vide Meursium *l. c.* cap. XXXV. Kirchman. *de F. R. lib.* II. cap. XXV. Judæorum Pontifices XXX. argenteis, quibus proditor Judas inductus, operam suam improbam illis addixerat, emisse legimus, *Matth.* XXVII. 7. agrum figuli cujusdam *ad sepulturam peregrinorum*, id est, eorum, qui ex variis Orbis terrarum partibus annuatim ad solennia Hebræorum festa venirent, adoraturi Dominum, Hunnius *in h. l.* vel etiam, quorum alias complures essent Hierosolymis, quippe in Judææ metropoli & τῆ οἰκουμένης, id est, *Orbis habitabilis*, (ita credebant Veteres) umbilico, ibidemque decederent extra patriam. Peregrina alias sepulchra appellabantur, in quibus aut honoris aut amicitiæ

A aut necessitatis causa alii non ejusdem familiæ sepeliebantur, quorum respectu peregrina dicebantur. Sic Salvator noster in peregrino sepulcro est compositus, & Ennius in monumento Scipionum. Vide Marcum Zuerium Boxhornium, in *Quæstion. Romanis*, quæst. X.

Hactenus de sepulcris proprie dictis, restant monumenta, quæ memoriæ gratia alibi sepultis, aut religionis causa sepulturæ plane expertibus erigebantur, ut si *nudus in ignota jaceat Palinurus arena.* Græci Κενοτάφια appellant. Statius *inania busta & vacua sepulcra* vocat, *lib.* XII. *Thebaid. Inane sepulcrum* ejusmodi monumentum nuncupat Ovidius
B *lib.* VI. *Metamorph.* fabula de Progne. *Tumulum honorarium* Suetonius in *Claudio*, ab initio. Taleque Druso in æstivis castris mortuo & Romam e Germania devecto ibidemque in Martio Campo tumulato, ab Exercitu prope Rhenum esse excitatum, scribit. Budæus *in Pand. Quorum cadavera*, inquit, *haberi ad sepulcrum non poterant, ut qui peregre obiissent, aut naufragio periissent, iis Cenotaphium extruebatur, quod tantum valebat, quantum sepultura plena.* Dixi religionis causa talia extructa fuisse sepulturæ plane expertibus. Credebant enim Ethnici, defunctorum animas, si honore sepulcri
C carerent omni, Stygiam paludem tranare non posse. Hæcque superstitiosa opinio Cenotaphiorum usum adinvenisse videtur. Honorarium Scipionis Africani monumentum sub pinu ænea Romæ fuit, teste Georgio Fabricio, in tractatu *de Roma* cap. XX. *Sepulchrum Scipionis Africani*, inquit, *sub pinu ænea honorarium: nam Liternenses hospites de vero Scipionis tumulo se merito jactant. Dicitur autem in Vaticano pinus altissima ænea fuisse erecta, Carthaginem versus, de qua una adhuc nux aliquot pedum altitudine, ante Basilicam S. Petri cernitur, vetusti operis & inaurata.* Hæc ille. Athenis, in sacro Minervæ Campo, e Piræeo in Urbem ascenden-
D tibus juxta viam Euripidis in Macedonia tumulati, κενοτάφιον fuisse, autor mihi est Joh. Meursius, *Athenarum Atticarum lib.* I. cap. I. Moris etiam Pythagoricorum fuit, ut iis, qui a Philosophia sua defecissent, Cenotaphia tanquam mortuis extruerent, ut confirmant Origenes *lib.* I. *contra Celsum*, Clemens Alexandrin. *lib.* V. *Strom.* & Jamblichus in *Vita Pythag.* Inanis & honorarii tumuli γνώρισμα sive signum apud Athenienses fuit, Ἰκρίον, sive lignum surrectum, vide Marcellinum in *Vita Thucydidis.* Paulus Warnefridus Diaconus Aquilejensis, Carolo M. inprimis charus, (ita ut ejus opera diebus Dominicis & Festis ex Evangeliis & Epi-
E stolis lectiones, quæ hodieque usurpantur, adsignasse feratur) *lib.* V. *de Rebus gestis Longobardorum* scribit; Longobardos intra sepulcra, quæ ad amicorum suorum alibi tumulatorum memoriam refricandam extruxerant, perticam fixisse, inque ejus summitate ligneam columbam posuisse, quæ in illam cœli plagam versa, ad quam illorum dilectus occubuisset & quiesceret. Cenotaphia etiam Christianos in honorem Martyrum excitasse, colligi potest ex Prudentii *lib.* περὶ στεφάνων, taliaque in commemorationibus defunctorum erigi dicit Gretserus *de Fun. Christ. l.* III. cap. VI.

F Venio ad alteram capitis partem, structuram & ornamenta Sepulcrorum contemplaturus. Singularia autem vel Priva sepulcra nihil aliud fuere antiquissimis temporibus, quam scrobes in terra cavati, quibus infodiebantur potius, quam sepeliebantur cadavera, docente Kirchmanno *lib.* III. *cap.* XV. Talem scrobem coram sibi fieri imperavit Nero, cum mortem sibi instare videret, ut autor est Suetonius in *Vita ejus.* Communia vero, Familiaria puta & Hereditaria, monumenta, subterranea plerum-

que fuerunt ædificia, concamerata, pavimento strata, ac parietibus circumsepta, in quæ per gradus aliquot fuit descendendum. In parietibus per ambitum loculi fuere dispositi, in quibus urnæ locarentur. In his sepulchris habitabant pulverei ac cinerosi mortui, tanquam in domiciliis. Vide hæc plenius apud Marlianum *lib.* IV. *Topographiæ Urbis Romæ* cap. XIX. & Georgium Fabricium libello *de Roma* cap. XX. istorum sepulcrorum αὐτόπτας. Et ne admodum diversam fuisse putes Græcorum & Romanorum faciendorum loculorum & urnarum condendarum rationem, subjungit jam dictus Georgius Fabricius: *Testatur Ciriacus Anconitanus (cujus scriptas quasdam chartas evolvi) se Patris in Achaja ad ædem S. Andreæ (qui ibidem martyrio coronatus est) antrum subterraneum ex integro solidoque lapide vidisse, miro artificio fabricatum, in quod per gradus sedecim descensus fuerit, quodque ad tetragonos parietes habuerit loculos quatuordecim, in quibus singulis binæ aut ternæ urnæ funerales fuerint locatæ.* De Ægyptiorum Sepulcris ita Furerus, in *Itiner. Terræ S.* fol. 25. *Ad locum illum delati sumus, ubi sepulcra sunt, quæ tantum continent ambitu suo, quantum urbs Alexandria, quem locum ut & cadavera ipsa incolæ Mumias vocant. Sunt autem sepulcra singula lapidibus instructa instar putei cum foramine quadrato, profunditate hastæ longitudinem exæquante, in quæ non est difficilis descensus. In imo aliud foramen est minus, per quod difficulter transiri potest: ubi angusta est caverna cadaveribus plena, quæ tamen omnia eleganti ordine disposita sunt. Juxta hanc aliæ sunt continuæ, eadem forma, ita ut ab una ad alteram transiri possit tanquam in labyrintho quodam. Ipsa cadavera vetustissima erant, & sine aromatum copia, sive vetustate, nigra admodum, ex urbe Memphi huc delata.* Porro, in ipsis monumentis suis columnas & statuas erexerunt Romani, pariter ac Græci, quod notum omnino est ex Veterum historia. Domunculas etiam atque ædificia superponere sepulchris solenne fuisse Romanis, vetus Inscriptio docet:

M. AURELIUS. ROMANUS. ET. ANTISTIA. CHRESIME. UXOR. EJUS. FECERUNT. SIBI. LIBERTIS. SUIS. POSTERISQUE. EORUM. MONUMENTUM. CUM. ÆDIFICIO. SUPERIMPOSITO.

Neque infrequens cum in Urbe, tum in reliqua Italia, atque etiam in Græcia fuit, circumvallare veluti & munire defunctorum tumulos sepimentis, puta maceria, aut aliqua humili levique materia, quandoque silice vel saxis. Neronis monumentum lapide Thasio circumseptum fuisse Suetonius refert in *Nerone*. Vel denique ferro, ut de Augusti Mausoleo refert Strabo, *lib.* V. Γεωγ. Apud Danos nihil hoc ritu olim fuit frequentius, qui grandibus saxis vel quadrato vel rotundo ordine tumulos cingere & sepire solebant. Vide Olaum Wormium *Monumentorum Danic. lib.* II. de Monumentis Scaniæ. Ipsos autem tumulos in monticuli seu collis magnitudinem aggesta gleba & lapidibus extruebant. Vide eundem *lib.* I. cap. VI. Germani veteres operosa sepulcra ut ingrata defunctis aspernati sunt: itaque humili condebantur tumulo. Rei huic fidem facit Tacitus, libello *de Moribus Germanorum*: *Sepulcrum* (apud Germanos) *cespes erigit*, (cespes non unus, qui parum erigebat sepulcrum, sed complures, in unum tumulum adgesti, inquit Cluverius *Antiquæ Germ. lib.* I. cap. LIII) *monumentum arduum & operosum honorem ut gravem defunctis aspernantur.* Scotis sepulcra nobilium obeliscis decorare mos fuit, totidem affixis, quot ipsorum ductu hostium occidissent nobiles, ut notat Hector Boethius *de moribus Scotorum*, quos præmittit *Historiæ* suæ *Scoticæ* pag. 2. De Turcis scribit Busbequius *D. Legationis Turcicæ* epist. I. pag. m. 83. quod *soleant procul comportatis ingentibus saxis sepulcra suorum, alioqui inania, nulla injecta terra, tegere, ea quidem de causa, ut malo dæmone accusante & rationem vitæ a mortuo exigente, (nam ita credunt) defendente vero bono Genio, locus sit ubi mortuus sedere & se caussæ commodius dicendæ possit erigere. Idcirco vero gravis lapis injicitur, ut tutiora sint cadavera a canum, luporum, reliquarumque bestiarum injuriis.* In Africa extra Fessam, urbem totius Barbariæ nobilissimæ Africæ regionis principem, multos ubique non procul ab urbe campos reperias, qui in publicam defunctorum sepulturam a nobilibus quibusdam sunt relicti. Sepulchro fere oblongum atque figura triangulari saxum superimponunt. Si quando nobilis aut alicujus momenti civis moritur, huic saxum unum ad caput, unum item ad pedes ponunt, quibus epitaphium insculpi consuevit, una cum die & anno, quo ex hac vita migravit, ut refert Joh. Leo Africanus, in *Descriptione Africæ lib.* III. pag. m. 258.

Sed ad Romanos Græcosque regredior: illi variis rerum simulachris exornare monumenta assolebant antiquitus, quod ex plurimorum sepulchrorum ruderibus Romæ observavit sæpe laudatus Georgius Fabricius, in *Roma* pag. 202. 203. ad quem curiosum harum rerum indagatorem remitto. Diversis quoque emblematibus & signis, quibus defunctorum studia conditionesque plerumque denotarent, tumulos suos decorare consueverunt. In Archimedis Syracusani, unici (ut Livius ait) spectatoris cœli siderumque, sepulcro depictam sphæræ figuram & cylindri notavit M. Tullius, ut testatur ipse v. *Tuscul.* Ipsius vero Isocratis monumento pilam triginta cubitorum erectam fuisse, ac in illius fastigio Siren septem cubitorum, cantantis speciem præ se ferentem, ad eloquentiæ suavitatem significandam, Plutarchus in X. *Rhetoribus* & Philostratus in *Vita Isocr.* tradunt. Vide & Jacobum Pontanum *Progymn. lib.* IV. prog. LXV.

Apud Hebræos potentiorum sepulchra non erant in terra defossa, ut nostra ætate plurima, sed in spelunca ex lapide cavato. Probat id spelunca, quam ab Ephrone emit Abraham in sepulcri possessionem, *Gen.* XXIII. & sepulchrum Christi mundi Salvatoris, quod sibi Joseph ad Hebrææ gentis consuetudinem excavarat in saxo, ut sequente capite pluribus dicetur. Neque corpora humata erant plerumque aut inclusa thecis, sed in loculis ita exposita, ut videri tangique ab ingredientibus possent. Ex quo intelligimus, quomodo cadaver ejus, qui a latronibus est occisus, tangere potuerit ossa Elisæi Prophetæ, 2. *Reg.* XIII. 21. Christianorum sepulchra fossæ erant plerumque lapidibus stratæ. Confirmo id testimonio S. Hieronymi, qui in *Epistola* XLIX. Tomi I. *ad Innocentium* de muliere septies icta, scribit: *Clerici, quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt, & fossam humum lapidibus construentes, EX MORE tumulum parant. Sepulturæ mandantur Christianorum corpora*, inquit Gretserus *l.* II. *de Funer. Christ.* cap. IX. *& aliquando quidem terræ infodiuntur, terram autem optimum habemus operimentum*, inquit S. Chrysost. *Homil.* LXXXIV. *in Johann. & ipsi corporum naturæ decentius.* Aliquando quasi in conclavibus cameratis & fornicatis, quibus cœmeteria vel templa constant, deponuntur; pro varia regionum consuetudine, sunt & qui extra humum,

in sublimi, nempe in Ecclesiarum parietibus, sepulcra sibi erexerint. Sepulcris cruces fuisse impositas, non uno documento probat jam dictus Jacobus Gretserus Tom. I. *de S. Cruce lib.* I. cap. XV. Ipseque Kennethus, Scotorum Rex, *sepulcrum omne sacrum haberi, idque Crucis signo adornari* jussit, ut refert supra citatus Hector Boethius *l.* X. *Historiæ Scoticæ.* Martyrum vero reconditoriis altaria, in quibus sacris Mysteriis fruebantur, superædificare in more habebant Christiani veteres. Prudentius in *triumpho Hippolyti:*

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis
Propter ubi apposita est ara dicata DEO.
Illa sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui martyris apposita.
Servat ad æterni spem judicis ossa sepulchro,
Pascit item sanctis Tybricolas dapibus.

Vide Barthium *Adverss. lib.* XLIV. cap. II. His rursum Martyrum sepulcris & altaribus superædificabantur Templa, quæ dicebantur *Martyria.* Vide Cornel. a Lapide *Comm. in* XI. *cap. Esaiæ.*

Restat materiæ Monumentorum diversitas. Sepulcra enim alia erant *lapidea*, alia *testacea*, qualia Corinthiorum fuisse pleraque testatur Strabo *l.* VIII. alia *marmorea*, *ænea* alia. Tumulos Pontificum, Martini Quinti, in S. Johanne Laterano, & Sixti Quarti in S. Petro Vaticano, *æneos*, Piorum Secundi & Tertii, Hadriani Sexti *marmoreos* esse dicit Georgius Fabricius in *Roma* sua cap. XXI. Æthiopum quorundam fuisse *vitrea* monumenta, refert Herodot. *l.* III. cap. VI. his verbis: *Posteaquam mortuum sive Ægyptiorum sive aliorum more arefecerunt, totum gypso obducunt, picturaque exornantes repræsentant, quod fieri potest, effigiem ejus: deinde cippum ei cavum e vitro, quod apud illos multum est, & facile effoditur, circumdant: in cujus medio mortuus interlucet, ut ab hominibus conspici queat, nullum de se spargens odorem.* Alexander ab Alexandro *lib.* VI. *Genial. Dier.* cap. XIV. *Ægyptiis,* inquit, *tria fuere sepulchrorum genera: unum præcipuum & maximi sumptus, quod argenti talento taxabatur: medium minarum viginti: humile vero ex levi materia, minimæ impensæ. Clariora fuere Æthiopibus: nam ditiorum monumenta ex auro fiunt, tenuiorum ex argento, inopes autem conduntur fictilibus.* Hæc ille. Diversa reconditoria! Omnium tamen illorum, qui disparibus monumentis teguntur, parem in exitu sortem fuisse, ipsa impellente Philosophia, scribit Seneca:

Æquat omnes cinis. Impares nascimur, pares morimur.

Tandemque in uno similes cuncti videmur, quod omnes, excepto nullo, ad tumulum, sive lapideum, sive aureum, vadimus.

CAP. XI.

Sepulcra aliquot insignia repræsentans.

INtueri Monumenta, quæ Regum & magnorum hominum cineres ac ossa contegunt, magnum semper habitum est ad virtutem incitamen-

A tum. Chrysostomus *in Babylam Mart.* sive *contra Gentiles* inquit: *Post sermonis facultatem ipsa certe Sanctorum sepulcra proximum locum obtinent ad animos hominum in ipsos Sanctos intuentium, ad virtutum earundem æmulationem excitandos.* Ad illa itaque sæpius deducti Regales pueri, cum ut ad virtutum majorum æmulationem excitarentur, tum ut agnoscerent, Reges & Principes, æque ac alios, caduca vestitos toga, mortique tributarios esse. C. Julium Cæsarem cupide inspexisse sepulcrum Alexandri M. tradit Lucanus *lib.* X. Augustus Imperator Alexandriam ingressus, id quod primum in ea urbe conspicere optavit, Alexandri il- B lius Magni corpus fuit, idque adtrectatum floribus totum conspersit & coronæ prosequutus est honore, Dio *l.* II. B. Chemnitius *Exam. Trident.* de Reliq. Sanctor. part. IV. p. m. 669. Inspectionem hanc sepulcrorum *scholam* vocat *nostræ humilitatis* jam adductus S. Chrysostomus *de fide & lege: Ubique ante oculos nostræ humilitatis schola; & docemur, in quid desinamus tandem, docemur, qualia futura sint phantasmata.* Contemplaturi itaque Sepulchralium Pyramidum & Mausoleorum structuras, molesque, ante omnia Domini ac Servatoris nostri, qui salutis nostræ causa non nasci tan- C tum, sed & mori ac sepulchro includi voluit, monumentum (quod B. Athanasius sæculo suo Orbis oculus, *Orat. in S. Parasceven, immortalitatis receptaculum, resurrectionis officinam, & sepulchrorum dissolutionem* seu *destructionem,* Eusebius vero Cæsariensis, sæculi sui sine controversia vir eruditissimus, judice Casaubono, *lib.* III. *de Vita Constantini,* cap. XXIV. *Sanctissimum salutaris resurrectionis Christi locum,* & cap. XXV. *divinum immortalitatis monumentum,* Germani nostri *das heilige Grab* vocant) intuebimur. Fuit id non proprium, sed alienum, nempe Josephi, oriundi ab Arimathæa. Qui enim *in vita non habebat domicilium, ne-* D *que post mortem habet tumulum,* ut pie Theophylactus *in* XIX. *Johann.* Et *in alienum sepulchrum ponitur, quia pro aliorum salute moriebatur.* Novum tamen fuit, ἐν ᾧ ὐδέπω ὐδεὶς ἐτέθη, ut inquit dilectus Jesu Discipulus in suo *Evangelio* cap. cit. v. 41. ac in solida rupe excisum & excavatum in horto. Observant ex Thalmudicis & Rabbinicis scriptis Isaacus Casaubonus *Exercit.* XVI. n. XCVIII. & XCIX. B. Gerhardus, avunculus meus desideratissimus, in *Harmonia Evangelica Historiæ Passionis Christi* cap. XIX. & alii. Moris fuisse inter Judæos, ut pro condendis suorum exuviis in petris ac rupibus, quas magna copia regio circa Hierosolymam inprimis E offerebat, cavernam exciderent, quatuor cubitorum supra sex, id est, ut videtur Casaubono, longam sex, latam vero quatuor cubitos. In hujusmodi caverna (quam appellabant Hebræi קבר, id est, *sepulchrum*, ab usu & fine, ac מערה, *speluncam* sive *antrum*, a forma, unde & sanctum illud Domini monumentum apud Scriptores Ecclesiasticos sæpissime, præsertim Eusebium *l. cit.* & Sozom. *l.* II. *H. E.* ἄντρον, σπήλαιον, *antrum sacrum, spelunca sancta, salutare antrum,* &c. appellatur) *octo* (secundum alios *tredecim*) excavabant foramina, quæ conditoria erant pro singulis corpori- F bus reponendis. Neque enim singuli separatim a suis sepeliebantur, sed tota familia in spelunca una, conditis singulis corporibus in singulis foraminibus. Ut ex R. Samuele Ben Meier docet Casaubonus, & supra cap. IIX. ex eodem insinuatum est. Ante os speluncæ חצר, id est, *atrium*, erat, sive *area*, lapis etiam, quem גולל appellabant, advolvebatur foribus, an monumenti totius, an vero conditorii, in quo repositum erat aliquod corpus? Dubitare videtur Casaubonus, lapidemque,

cujus Evangelistæ meminerunt, non foribus horti, sed vel monumenti vel conditorii illius, in quo positum fuerat corpus Dominicum, advolutum fuisse asserit, *Exerc.* XVI. num. CXXII. D. Calixtus in *Concordia Evangel. lib.* VII. cap. I. non tam monumenti, quam conditorii foribus eundem fuisse advolutum existimat: *Et certe* (inquit) *lapidem, cujus meminit Historia Evangelica*, (*Matth.* XXVIII. 2 *Luc.* XXIV. 2.) *maxime verosimile est advolutum fuisse ori foraminis sive conditorii, in quo quiescebat corpus Domini. Parum intererat cætera omnia claudi, præsertim cum monumentum esset novum, in quo nondum quispiam positus fuerat.* Nec est, cur cum Maldonato *in Matth.* XXIIX. 3. duos, vel cum Barradio *Harm.* Tom. IV. *l.* VIII. capp. II. & III. tres lapides diversis vestibuli specus, conditorii ostiis occludendis fingamus, cum unius tantum, tum in *Historia Evangelica*, tum apud Patres fiat mentio. Tale ergo fuit monumentum Christi, in quod ingressus patebat, tanquam in cameram excavatam. *Marc.* XVI. 5. Mulieres ingressæ sunt in monumentum, ipsum autem conditorium, quod unum erat ex octo vel tredecim illis cavatis foraminibus, in quo repositum erat sanctissimum Christi corpus, tantum introspici poterat. Cæs. Baronius Tom II. *Annal. Eccles.* anno 34. n. 187. & Cornel. Jansenius *Comm. in Concord. Evangel.* existimant, speluncam fuisse duplicem peramplam, cujus pars anterior vestibulum, posterior seu interior autem pariete quasi interstincta specum sepulchralem demum exhibuerit, idque ex Cyrillo Hierosol. *Catech.* XIV. ostendere conatur Baronius. Scribit ibi Cyrillus, adhuc sua ætate sepulchra Judaica ante aditum ipsum habuisse σκέπην quandam ex eodem lapide, ac talem forsan non defuisse monumento Dominico, sed hoc non statim est vestibulum peramplo eidem saxo incisum; σκέπη enim & προσκέπασμα aut parvam quandam loricam notat circum monumentum, terram forte aliquot pedum eidem adjungentem, & a reliquo horti agro hominumque usu separantem, aut projectum seu protectum, prominentiam quandam Græcis γεῖσον dictam, qua magnarum ædium superliminaria ornari assolent ac muniri, ne stillicidia fores, & qui consistunt in iis, male habeant. Vide Casaubonum *d. Exercit.* num. 122. Distabat autem gloriosum τοῦ Σωτῆρος nostri sepulcrum a monte Calvariæ sive Crucis Dominicæ sede centum & octo pedum spatio, a monte autem Sion passibus mille, teste Adrichomio in *Descriptione Jerusalem* num. 239. Cæterum elevatum fuisse in aliquam altitudinem supra terram quietorium Christi, quidam suspicantur, verum id viris doctis & antiquitatum Judaicarum peritis non fit verosimile. Præsertim cum jam dictus Cyrillus Hierosolymit. in *Catech.* XIII. inter Christi ac Regum sepulchra hoc ponat discriminis, quod sepulchrum Domini non fuerit exaggeratum supra terram, ut solent esse Regum monumenta: ἆρα μετὰ τὰς τῶν βασιλέων ὑπερανέχει τῆς γῆς; hoc est, *num ut Regum sepulchra supereminet supra terram?* quæ interrogatio negationi æquipollet. Verius igitur esse existimat Casaubonus, rupem, in qua monumentum illud fuit excisum, aut nihil aut parum admodum supra soli superficiem eminuisse, cum & ab Eusebio semper ἄντρον vocetur, *lib.* III. *de Constantino Magno.* Beda, qui ob vitæ sanctimoniam morumq; gravitatem *Venerabilis* cognominatus est, & sub finem septimi & sub initium sequentis sæculi floruit, formam sepulchri Christi his verbis describit, in cap. XV. *Marci*, & l. *de locis sacris*: *De monumento*, inquit, *Domini ferunt, qui nostra ætate de Hierosolymis Britanniam venere, quod domus fuerit rotunda, de subjacente rupe excisa, tantæ altitudinis, ut intro consistens homo vix manu extensa culmen possit attingere. Quæ habet introitum ab Oriente, cui lapis ille magnus advolutus est. In cujus monumenti parte Aquilonari, sepulcrum ipsum, hoc est, Dominici corporis locus, de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium vero palmarum mensura cætero pavimento altius eminens. Qui videl. locus non desuper, sed a latere meridiano per totum patet, unde corpus inferebatur. Color autem ejusdem monumenti ac loculi, rubicundo & albo dicitur esse permixtus.* Verum ex hac descriptione veterem sepulchri Dominici formam nos posse discere nemo sibi persuadeat. Prima enim speluncæ illius forma ac facies plane est immutata, idque ante plurima retro sæcula, ut nec hodiernæ, nec proximorum sæculorum descriptiones veterem formam exhibere judicandæ sint. Scribit namque Eusebius, locum sepulchri aggesta terra aliisque rebus a Paganis fuisse obrutum, atque ita sepultum quasi sepulchrum esse Salvatoris, ne ulla extaret ejus memoria. Verba Eusebii *l.* III. *de Vita Const.* cap. XXIV. & seqq. hæc sunt: *Istud Servatoris sepulchrum impii quidem & scelerati homines ex hominum memoria delere cogitabant, & (quæ eorum inscitia fuit) censebant veritatem ad hunc modum se posse occultare. Itaque primum permultum capere laboris cœperunt, in terra aliunde & extrinsecus invehenda, qua locum universum obducerent, deinde cum molem terræ in immensam altitudinem erexissent, constravissentque lapidibus divinum sepulchrum, ingente aggere supra injecto obtegere. Post cum nihil jam illis ad opus explendum deesset, super illum terræ cumulum, nefandum revera & exsecrabile bustum animarum construere & recessum lascivæ Veneris dæmoni una ædificare, simulacrisque mortuis complere: tum detestabiles ibi victimas, super impuras aras & omni nequitiæ labe pollutas immolare.* Hieronymus etiam *ad Paulinum epist.* XIII. inquit: *Ab Adriani temporibus usque ad imperium Constantini per annos circiter* CLXXX. *in loco resurrectionis simulachrum Jovis, in crucis rupe statua ex marmore Veneris a gentibus posita colebatur.* Sed de Jovis Capitolini templo aliter statuunt Dio in *Vita Adriani*, Xiphilinus & alii. Illud scil. non eo loco, quo crucem passus est & sepultus Salvator noster, sed quo olim augustissimum illud Salomonis templum steterat, excitatum atque erectum ab Adriano esse. Sæculo itaque quarto demum, cum, mutata Orbis Romani facie, post graves & diuturnas persecutiones sub Constantino Magno respiraret rursum Ecclesia, Maximo illi Romanæ Urbis (ut est in antiquis Epigraphis) liberatori, quietis fundatori, & reip. instauratori in mentem venit, monumenti Dominici inquirendi ac ibidem templi excitandi, dum aliis passim in locis sacras excitasset ædes. Sic enim rursus Eusebius, qui ea & vixit & scripsit ætate, *loco* supra *citato*: *His rebus ad hunc modum constitutis, aliud quoddam opus maxime memorabile apud Palæstinorum gentem divinus iste Imperator efficere aggressus est. At quodnam quæso? Sanctissimum illum Salutaris Christi resurrectionis locum Hierosolymis existimavit ita a se illustrari debere, ut omnibus eximius & veneratione dignus videretur*, &c. Ruffinus, *l.* I. *capp.* VII. & VIII. nulla facta Constantini M. mentione Helenam matrem Constantini inventis in loco passionis tribus crucibus templum ibi regia ambitione mirificum extruxisse refert. Socrates etiam *l.* II. c. XIII. Helenæ tribuit monumenti inquisitionem pariter & inventionem, eamque ibi templum constituisse pronunciat. Sozomenus *l.* II. c. I. habet, cogitasse quidem primo Constantinum gratitudinis ergo exornare Hierosolymis Calvariæ locum templo, sed Helenam interea eo loci devenisse, & ægre quidem eruisse tandem, destructo Veneris fano se-

pulchrum cum crucibus ad latus loci confuse positis, & hinc augustam illam impositam ibi Basilicam esse. Ita se accepisse adjicit Adrichomius in *Descriptionem Jerusalem*, num. 242. refert, a S. Helena, Constantini Magni matre, (cujus multa & egregia erant per Romanum Imperium opera) hoc in loco conditam esse Basilicam, quæ reliquas totius Orbis amplitudine atque pulchritudine longe excelluerit: *Nam*, inquit, *auratis corusca laquearibus & aureis dives altaribus, marmoreis septuaginta tribus columnis fulcitur; & tam resurrectionis, quam crucifixionis locum sub uno eodemque tecto comprehendit: quod in sui medio rotundo patet foramine apertum, sub quo in inferiori Ecclesiæ parte Dominicum consistit sub dio sepulcrum: cui passionis Christi theatrum, mons Calvariæ, nunc viginti octo pedes altus, chori loco adhæret, qui octodecim gradibus, quorum singuli pedem & semissem in altitudine continet, sui accessum præbet*. Hæc ille. Sed magnificentissimum illud templum ad Christi sepulchrum a Calipha & Sultano Ægyptio (qui *Hacham* sive *Albacham* ab aliquibus nominatur) destructum est sub exordium sæculi XI. sive Anno Salutis nostræ 1010. vel 1012. Hodiernam sepulchri Domini formam Bernhardus Bredenbachius, Adrichomius, Brocardus, Wolffg. Munzer, qui circa ann. 1483. 1556. loca illa sancta adierunt, hoc modo describunt: *Nimirum in medio templi rotundi, sub apertura ampla ac dio petra est excisa quadrata*, XVI. *pedes longa*, IIX. *pedes lata, altaque totidem, marmore candido exterius obducta, interius strata*. Versus ortum est janua *non satis alta*. *Ingressis vestibulum apparet & paries medius speluncam bipartiens, in quo per humile ostiolum irrepere potius quam ingredi in partem petræ posticam licet, in qua ad dextram & latus septentrionale locus sepulti olim Domini seu caverna conspicitur, marmore grisei coloris intecta, trium altitudine palmorum, octo pedum longitudine, pendentibus e sublimi faculis perpetuo igne lucentibus. Intrare neminem facile, nisi ante* 9. *Zekinnos, seu Ducatos quos vocamus, solverit*. Simulacrum illius monumenti videre est Gœrlicii in Lusatia superiori, quod Patricius quidam illius urbis Georgius Emmericus superiori sæculo XV. ex Palæstina redux ad imaginem non veteris & verioris dormitorii sacri, sed recentioris formæ condidit. Vidimus mundi Creatoris exiguum, quo clausus fuit, vasculum, in quo mors ipsa emortua est, & vita finem nesciens, exorta.

Secedamus in sanctorum Regum aliorumque sepulcrorum secreta. Monumenti familiæ Davidicæ Regumque post David, quod maximus Regum ac divinæ homo sapientiæ Salomon regio opere & munificentia extruxit, ut tradit Josephus *lib.* VIII. *Antiq.* cap. ult. designatio prolixa habetur apud Pindam *l.* VIII. *de rebus Salomonis* c. III. p. 772. ex traditione Danielis Barbari, Patriarchæ Aquilejensis, qui cum Jerosolymis locum monumentorum regalium lustraverat, & descriptione Sebastiani Serlii *l.* III. *de Architectura*, cui ipsummet ædificii vestigium sua manu designatum Daniel Barbarus tradiderat. Verba ipsa lubet adscribere, cum raro in Studiosorum manus autor iste incidat: *Sub præcelso & marmoreo monte tres omnino cellæ excavatæ distinguuntur suis testudinibus, in eodem nativo saxo excisis. In primo ingressu, seu prima cella quatuor delubra, bina ex utraque parte, quasi quatuor reconditoria singula hominis capacia cernuntur. In medio, id est, in secunda cella, quæ amplissima est, sunt delubra octodecim ex alterutra parte novena: testudo vero, quæ maxima est, incumbit quatuor pilis, aut parastatis, aut columnis, ex ipso eodem nativo marmore formatis, & in maximæ longitudinis Basilicæ seriem recta dispositis, quas aliæ duæ minores præcedunt: in ultima vero cella, quæ magnitudine respondet primæ, duo item alia sunt reconditoria, e regione vero objicitur figura januæ, sed obstrusæ, qua forte aditus ulterior dabatur*. Hoc ipsum quod jam descripsit Serlius subterraneum ædificium, vestibulum tantum fuisse sepulcri Davidis & Salomonis, non ipsum sepulcrum, existimat Villalpandus *in Ezechielem* Tomo II. parte II. *lib.* V. distinct. 4. cap. LXI. atque per illam, quæ obstrusa dicitur porta, patuisse forte aditum ad Davidis sepulcrum interius. *Sed procul dubio*, inquit Johannes de Pineda, Hispalensis, *loco citato, cum Petrus Actor.* II. 29. *ait de Patriarcha David*: Quoniam defunctus est, & sepultus: & sepulchrum ejus apud nos est usque in hodiernum diem, *de monumento loquebatur, non quidem abdito & inviso, sed quod palam ab omnibus videri potuisset. Nisi forte dicas loquutum de illo, quod dicebat Josephus* (*lib.* XVI. *Antiquitatum* cap. XI.) *in aditu alterius interioris & reconditioris monumenti ab Herode, candido marmore & impendiis sumptuosissimis extructum, & sepulcrum Davidis dicebatur, ut quod esset alterius interioris & verioris sepulchri testis & index. Nam neque de illo subterraneo & penitius abstruso reconditorio Salomonis, sed alio externo & sublimi, intelligi posse videtur, quod Dio Cassius in Adriano scribit. Cum Judæorum cladem & quæ illam prænunciaverant prodigia commemorat*: Nam Salomonis (*inquit*) sepulchrum, quod illi in supremo cultu & reverentia habebant, sponte & nullo impellente discussum corruit. *Cum quo illud facit, quod Hieronymus ait, scribens* (*epist.* XVII.) *ad Marcellam*, se ad Davidis Mausoleum precari solitum. Hæc Pineda. Quæ Benjamin Tudelensis *Itiner.* pag. 45. & 46. edit. L'Emper. affert *de duobus viris ætate sua ostium speluncæ reperientibus, tandemque ad magnum quoddam palatium pervenientibus, columnis marmoreis inædificatum, argento auroque obductum, in cujus conspectu mensa erat, & sceptrum aureum, una cum aurea corona*, quod ipse ait fuisse *sepulchrum Davidis, ad cujus sinistram aliud Salomonis, similiterque omnium Regum e stirpe Judaica*, &c. Hæc fabulam spirant Judaicam. Inter Bethlehem & Hierosolymam conspicitur sepulchrum Rachelis, uxoris Jacobi Patriarchæ, de quo iterum ita differit in suo *Itinerario* Benjamin Tudel. ut Latine loqui eum fecit Arias Montanus: *Bethlehem Judæ, cui dimidii fere miliaris spatio Rachelis sepulchrum proximum est in bivio: estque tumulus constructus lapidibus duodecim, juxta numerum filiorum Jacob, supraque tumulum est testudo quatuor columnis innixa. Porro tumuli lapides Judæorum illuc prætereuntium nominibus multis & variis incisi sunt*. Genesios XXXV. 20. dicitur; *Erexitque Jacob titulum*, hoc est, ut explicat Brocardus Monachus, Terræ Sanctæ lustrator, part. I. c. VII. §. 56. pyramidem pulchram valde, in typum monumenti ipsius Rachelis, in cujus basi duodecim disposuit lapides grandes, juxta numerum filiorum ipsius Jacob. Enimvero adeo artificiosum ac grande fuisse opus, quod Jacob extruxit ipse, non facile crediderim. Neque enim exiguo illo tempore, quo ibi permansisse putatur, excelsum aliquod, aut valde politum extruere ædificium potuisse videtur; si vero illud posterioribus temporibus magnificum visum est, forte ab aliquo de Jacobi posteris idipsum instauratum & augustius extructum est. Ex recentissimis monumentum Rachelis ita describit Quaresmius *l.* VI. *Peregr.* I. cap. XI. quod sit *sepulcrum magnum capella inclusum. Et licet sacellum fuerit aliquando collapsum & demolitum, fuit continuo restauratum*,

&c. Uxoris Lothi, quæ non sine magno secreto anonyma in *Scripturis* reperitur, prodigiosum sepulchrum (liceat ita appellare στήλην ἁλὸς, ut vertunt LXX. id est, *statuam salis*, in quam versa est uxor Lothi, ob transgressum mandatum divinum *Gen.* XIX. 26. ut perpetuum *monumentum extaret incredulæ animæ*, ut loquitur Autor *Sap.* X. 7. esset que exemplum & condimentum, ut ajunt Veteres, unde salirentur alii & ad sapientiam veram proficerent, admonente ipso Servatore, ut memores simus uxoris Lothi, *Luc.* XVII. 32.) etiamnum extare perhibetur ab iis, qui in illis regionibus peregrinati sunt. Sic enim Adrichomius in *Theatro Terræ Sanctæ* in Tribu Judæ pag. 55. num. 230. *Statua salis, in quam uxor Lothi respiciens est conversa, incredibilis animæ stans memoria. Testatur Josephus se suo adhuc tempore statuam hanc vidisse, quin & hactenus manet, & extat, si Brocardo, (Itiner. VI.) si Breidenbachio, (ibid.) si Saligniaco, (Tom. IX. cap. VI.) oculatis testibus credendum est, qui positam dicunt inter Engaldi & mare mortuum.* Supra citatus Benjamin Tudelensis *loco alleg.* inquit: *A mari (Sidonitico) ad cumulum salis, in quem Lothi uxor conversa est, duæ leucæ sunt. Constat enim adhuc cumulus ille, qui a gregibus aliquando lambendo imminutus, denuo ad pristinam crescit molem.* Refert quoque Liranus, statuam hanc non minui, quantumcunque animalibus eam lambentibus. Sed *fabula videtur*, inquit Estius *in h. l.* Elegans hac de re exstat Epigramma Joh. Lauterbachii:

Quod spectat oculis viator, hoc est
Sepulcrum, nec habet suum cadaver;
Quod spectas oculis viator, hoc est
Cadaver, nec habet suum sepulcrum.
Sepulcrum tamen est, & est cadaver.
Qui [illegible] fi[illegible]ri, rogas; habeto:
Conjunx facta Lothi salis columna.

De Mosis, Prophetæ magni, Deique nuncii, ac Legislatoris illustrissimi, sepulchro, quod Deus ipse illi fecerat, nihil habeo, quod dicam, nulli enim humano oculo id unquam patuit, *Deuter.* XXXIV. 6. (Ex 2 *Macchabæor.* II. 5. nugantur aliqui, a Jeremia inventum esse ejus sepulchrum, idque confirmant autoritate Dorothei & Epiphanii, ait Pelargus *Comm. in Deuter.* c. ult. p. 460) Recte Joh. Marullus de sepultura Mosis a Deo populo Hebræo abscondita: *Mosi sepulchrum, inquit, ignoratur, sed vitæ illius integritas atque sanctitudo nullis unquam oculis obliterabitur: quisquis illi similis esse curaverit, profecto non quærat, quo loco sepultus jaceat, sed ubi in sempiternum vivat.* Ast quare Mosis sepulcrum ab omnium oculis remotum, cujus adhuc viventis omnium oculis patebat domicilium? Duplicem rationem reddit D. Augustinus *lib.* I. *de mirabilibus Scripturæ* c. XXXV. inquiens: *Duabus de causis, ut sapientes ajunt, mortis ejus & sepulchri nemo erat conscius: quatenus istam faciem, quæ consortio sermonis Domini rutilaverat, mortis mœrore repressam nullus videret; & ne sepulchrum ejus populus Israel, si cognovisset, ubi esset, adoraret: unde & virgam, in qua signa fecerat, ut plurimi putant, ne adoraretur, secum abstulerat, quoniam & serpentem, quem fecerat, filii Israel postmodum adorabant.* Lutherus etsi non improbat eorum opinionem, qui propter Judæos ignotum volunt sepulchrum, ne idolum facerent: addit tamen, *magnis significari, veniente luce Evangelii ministerium Legis sic tolli,*

A *ut Judæi neque invenire, neque reparare unquam possint.*

Monumentum, quod Simon Maccabæos parentibus ac fratribus vita functis sibique ipsis in patria sua urbe *Modin* extruxit, describitur 1 *Maccab.* c. XIII. 27. 28. *Et ædificavit Simon super sepulcrum patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito,* λίθῳ λευκῷ καὶ ἀναξεσμένῳ, Josephus, candido & polito marmore, ejus Interpres Gelenius, *retro & ante. Et statuit septem pyramidas, unam contra unam,* (id est, singulas singulis adversas, vel alteram e regione alterius) *patri & matri & quatuor fratribus. Et his circum-*
B *posuit columnas magnas: & super columnas arma, ad memoriam æternam: & juxta arma naves sculptas,* (cum regiæ Majestatis insignibus naves conjunxit, quæ humanæ vitæ fugacitatem portendebant) *quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare.* Hujus sepulcri pulcra apud jam dictum Josephum, historiæ scriptorem diligentissimum *l. lib.* III. *Antiq. Judaic.* cap. XI. descriptio est, ubi inter cætera ait, fuisse illud e *lapide albo & polito*, uti dictum, habuisse porticus circumcirca & στύλους μονολίθους, *columnas, quæ singulæ uno tantum lapide constarent.* Septem etiam pyramidas, *quæ*, inquit, *ad hoc usque tempus servantur*, appellat
C ibidem μνημεῖον μέγιστον θαυμαστόν τε ἰδεῖν, &c. Et multo post eum S. Hieronymus Libro *de Locis Hebraicis*: *Modin vicus juxta Diospolin, unde fuerunt Machabæi, quorum hodieque ibidem sepulcbra monstrantur.*

De Porsenæ Regis Hetruriæ, in urbe Clusio, monumento (in cujus basi quadrata Labyrinthus fuit inextricabilis) videatur Plinius *l.* XXXVI. c. XIII.

Augusti Cæsaris, principum omnium optimi, maximi, ac Patris patriæ ob clementiam dicti, Mausoleum, (sic enim ex admiratione monumenti Mausoli, quo de paulo post, sepulcra magnifico
D illustria impendio Romam appellare consueverunt) quod ipse vivus sibi sexto suo consulatu extruxerat, teste Suetonio in *Vita ejus*, αὐτόπτης Georgius Fabricius in libello *de Roma* cap. XX. his verbis describit: *In Mausoleo*, (Augusti Cæsaris) *quod exemplo Cariæ Regis extructum est, in valle Martia, inter viam Flaminiam & ripam Tiberis, post ædem S. Rochi, moles rotunda ex immensis aggeribus, marmore olim Lunensi incrustata, cum circumjectis silvis & amplis ambulationibus. Ad latera positi erant bini obelisci, quorum unus in via projectus fractusque jacet. Habuit plura ostia, & loculorum seriem intra aggerem, quorum adhuc ap-*
E *parent vestigia. Ante molem res gestæ Augusti, quod ipse testamento mandaverat, tabulis æneis incisæ erant. A tergo lucus fuit cum porticu. Interior murus reticulato opere variatus, & in media area Augusti tumulus ex niveo marmore ferreis cancellis inclusus: in cujus summo simulacrum ipsius æneum. Inter tumulum & murum interiorem consitæ populi. Ut autem Augusti sepulcrum in medio stetit, ita loculi cognatorum & amicorum, cum quibus communem esse illam sepulturam voluit, a lateribus in muro effossi erant.*

Hadriani Imper. monumentum, quod juxta Ti-
F berim sibi fieri curaverat, ad lapidis jactum a mœnibus absfuisse, tradit Procopius *de Bello Gothico*, hodie muris inclusum præsidium præbet Romano Pontifici, ac vulgo *Castellum S. Angeli* appellatur. *In mole ad Tiberim*, inquit sæpe laudatus Georgius Fabricius *loco cit. duos habuit ambitus* (sepulcrum Hadriani) *& duplicem columnarum ordinem. Primus ambitus quadratus ex solidis lapidibus fuit, interior moles oblonga & præalta ex Pario marmore. Ex hoc duplici ambitu arx nunc est extructa, quæ Castrum*

S. Angeli vocatur. Columnæ, quæ circumpositæ fuerunt ad S. Petri Basilicam ornandam, translatæ sunt, & earum loco ad arcis munitionem alius murus circumdatus.

Severi Imperatoris monumentum in hunc modum describit: *Supra Septizonium, inter Palatium & Cælium.* (sepulcrum Severi) *De septena columnarum serie, ex qua assurgebat, tres series adhuc reliquæ, una alteri superimposita. Integra series illa est, quæ Eurum spectat, in cujus prima secundaque parte supersunt columnæ octo, in tertia sex. Intra illas columnas moles ex quadratis lapidibus assurgit, quæ in altum, pyramidis aut obelisci more, magis magisque contrahitur atque acuitur. Opus sane mirum & magnificum.* Ita ipse. Plura alia Romæ magnifice extructa sepulcra ex Romanis adduci possent antiquitatibus, verum cum pleraque sint diruta ac temporis processu obsoleta reddita, (*senium enim etiam saxis*, ut cum Poeta loquar, *marmoribusque vel tandem venit*, & his quoque sua sunt funera) hæc e multis retulisse satis sit.

Mausoli terræ Cariæ Regis sepulcrum memoratissimum, dignatumque numerari inter septem omnium terrarum spectacula, sumptibus plusquam regalibus Halicarnassi extrui jussit Artemisia, ejus uxor, ultra affectionis humanæ fidem viri amans, ut loquitur Gellius *l.* X. cap. XVIII. Patere id ait Plinius *N.H. l* XXXVI. c. V. ab Austro & Septentrione sexagenos ternos pedes. Brevius a frontibus, toto circuitu pedes quadringentos undecim, attolli in altitudinem XXV. cubitis, cingi columnis XXXVI. Subjungit, Artemisiam Reginam, quæ conservandæ mariti memoriæ caussa id opus extrui jusserat, opere nondum absoluto obiisse; Sculptores tamen inde non recessisse nisi opere jam perfecto, id gloriæ ipsorum artisque perpetuum monumentum judicantes.

In Ægypto juxta Memphim Regiam quondam post Thebas urbem barbara Pyramidum erant miracula, Regum sepulcra. Est autem Pyramis, moles quadrata, quæ flam næ instar e lato ad sublimitatem acuminando gracilescit; a qua figura nomen traxisse judicat Georgius Fabricius *loco alleg.* Pyramidas hasce Ægyptiacas, (*quæ Romam translatæ, etiamnum intuentibus sunt stupori*, inquit Cornel. a Lapide *in* c. XXII. 19.) *Regum pecuniæ otiosam ac stultam ostentationem* vocat Plinius *l.* XXXVI. c. XII. Strabo *Geog. l.* XVII. βαρβαρικὴν ματαιοπονίαν, *barbaricum, inanem, vanumque laborem*. Refert Petr. Bertius, in *Descriptione Ægypti, in summa Pyramide planitiem esse capacem hominum* L. *in qua consistens peritissimus robustissimusque aliquis sagittarius, telum nunquam ita emittet, ut extra basin pyramidis cadat, ex quo*, inquit, *quanta hujus operis vastitas sit, cogitari potest.* Sed vesana dementia est, judice Plinio *lib. cit.* c. XIII. *quæsiisse gloriam impendio nulli profuturo.* Sepulcralium harum pyramidum, Regum Ægyptiorum portentosam magnificentiam describunt præter Plinium *loc. alleg.* Herodotus *l.* II. Strabo *l. dicto*, Diodor. Siculus *l.* II.

Idem hic, Græcorum historicorum celeberrimus, Siculus, (quem inter Græcos desiisse nugari, ait Plinius in præfat. *libb. de Histor. Natur.*) in *Bibliotheca* sua *historica*, quam vocat, seu Universali totius fere Orbis habitati historia *l.* I. capp. XLVII & XLVIII. & XLIX. editionis Laur. Rhodomanni, Osymanduæ Regis Ægyptiaci magnificentissimum sepulcrum prolixe admodum describit, illudque non modo sumptuum magnificentia, sed artificum etiam industria longe supergressum esse alia sepulcra ait.

De tribus vero Pyramidibus, sub quibus Helenæ, optimæ Adiabenorum Reginæ, ejusque filiorum, Regum Izatæ & Monobazi sepulcrum fuit, vide Josephum, disertissimum ac nobilem Judaicæ gentis Historicum, *Antiq. Iudaic. l.* XX c. II. Eas Hieronymus in *Epitaphio Paulæ Mausoleum Helenæ* appellat, tertioque stadio ab urbe Hierosolymitana dissitum erat, ut modo laudatus Josephus *l. c.* refert.

Muhammetis pseudoprophetæ (qui prodiit & sparso detestando dogmate adseclas colligere cœpit sæculo post Christum natum septimo, imperante Heraclio) sepulcrum neque cœlum, neque terram tangere a quibusdam perhibetur. Cadaver enim flagitiosi hujus Impostoris in arca ferrea conditum vi magnetis in aere pendere dicunt in Mecha Arabiæ urbe. Johannes Hugo a Linschoten, Batavus, qui terras illas adiit Anno CIƆ IƆ LXXXIII. *Itinerarii* sui c. IV. p. 8. *Mecca*, inquit, *oppidum, quod in Arabia situm, notum est ex cadavere Machometi, id ibi ferreæ cistæ inclusum, subductum a terra pendet, sub cœlo ex magnete fabrefacto, magnaque visitantium Turcarum & Maurorum religione celebratur:*

Et sic sublimi gravis hæret in aere massa,
Quam nullum vinclum fulcraque nulla tenent.

Verum Ludovicus Vartomannus, Bononiensis & Patricius Romanus, qui Anno recuperatæ gratiæ CIƆ IƆ III. & Johannes Wildius, Norimbergensis, qui hoc nostro sæculo profectiones ad hæc loca susceperunt, in *Hodœporicis* suis idipsum plane negant. Illius verba adscribam ex *l.* I. c. XI. *Itiner.* ut Latina ea fecit Archangelus Madrignanus: *Sed tempus jam appetit, ut eorum refellam opinionem, qui autumant, Mahumetis, viri impurissimi, arcam apud Mecham in aere absque adminiculo pensilem consistere. Ego longe aliter sentio, adfirmoque ea nec vera, neque verisimilia esse, utpote qui coram hæc perpendi, vidique locum, ubi humatus est Mahumetes in memorata urbe Medina Talnabi: moram enim inibi tridui fecimus, ut in horum omnium certissimam deveniremus notitiam.* Hieronymus Welsch. Ducis Wurtenbergensis Consiliarius, qui loca hæc adiit An. 1633. *Itinerarii* sui c. XXVIII. rem fere ita narrat, quem vide. Wildii verba legi possunt in *Itiner.* ejus c. XXV. Vacuum tamen & ementitum Meccæ haberi Mahumetis sepulcrum ex verbis Kornmanni *de Miraculis Mortuorum* parte IX. c. CXXI. colligere est, quæ subjicio: *Mahumetes*, inquit, *Turcicæ sectæ primarius, Medinæ Talnabi in Arabia Petrea sepultus est.* Cosmogr. *l.* V. cap. XLIV. *Et sunt eo frequentes peregrinationes. Dicitur & alias Mechæ* ψδθδοιον, *vacuum & ementitum sepulcrum habere, quod anno Christi* 1470. *fulmine tactum est, ad quod etiamnum hodie Hagsilar, & peregrinatores Turcici frequentes confluunt.* Michael Bapt. in *Chronicis Turcicis* p. B. 5. De Sinensium speciosis & magnificis mausoleis videantur Sinæ & Europæ admiranda ante paucos annos ab Anonymo edita p. 237. seqq.

CAP. XII.

De Sepulcrorum Religione.

QUanta religione erga defunctos suos eorumque tumulos seu conditoria gens quælibet per Orbem humanum ducta fuerit, quæ modo Diogeniana illa ac plus quam beluina opinione de

contemptu sepulturæ non effascinata fuit, Historiæ docent non tantum, sed & vasta LL. volumina. Tholosanus *l.* XXXIII. *Syntagm. Juris Universi*, cap. XXIII. num. 29. *Sepulcrorum*, inquit, *magna visa est antiquitus religio, ut de illis non minus, imo magis quam de habitatione, quamdiu vixerint, soliciti fuerint: & caverint, ne ullo modo polluerentur, etiam extraneorum sepultura, ut neque ex gente sua sceleftos paterentur sepulcris suis condi. Veluti Octavianus Cæsar non passus in suo Juliam, stupris diffamatam, poni, quamvis ei testamento legaverit.* Res hæc nota est ex Suetonio in *Vita Octavii Augusti* & Dione Cassio *l.* LVI. Besoldus *Consid. Polit. Vitæ & Mortis lib.* III. cap. I. p. 102. *In pari religione*, ait, *fuisse corporis sepulcrum & sepulcrum animæ corpus. Sanctitatem* sepulcris adsignat Cicero *lib.* IV. *de Republ.* apud Nonium & *Philip.* IX. *Sacra* vero vocat Catullus. *Sacratos morte lapides* Quintilianus *declam.* X. *Aggeres consecratos* Imp. Julianus *l. pergit audacia*. Proprie tamen *Religiosa* dicebantur Sepulcra, Sacra & Sancta secundum similitudinem. Verum, non totum solum vel fundus, in quo monumentum erat exstructum, religione tenebatur, sed portio tantum illa fundi, ubi corpus ossave hominis aut reliquiæ conditæ erant, & alias sepulcrum dicitur, vide Franzium *Digestorum lib.* XI. tit. VII. Hinc antiquitus quantum terræ spatium religioni cederet, designabant, monumentisque inscribebant. Loquuntur idipsum his notis signati lapides IN. FR. P. X. IN. AGR. P. XX. Hoc volunt: *In fronte pedes decem, in agrum pedes viginti patere.* Notanter dixi, *ubi corpus ossave hominis condita erant.* Nam antequam corpus, vel principale corporis membrum, caput, (cætera enim corporis membra secluso capite locum religiosum non faciebant, ubi est caput conditum, ibi est locus religiosus & non ubi sunt corporum membra, respondet Paulus in *l. cum in diversf.* 44. *D. religiof. & sumptibus fun.*) esset illarum, locus religiosus non censebatur, sed illatione, eaque legitima demum fiebat. Unde Cenotaphium, vacuum inquam Mausoleum, quod tantum memoriæ aut honoris causa erectum, proprie, ut tale est, locum religiosum non fuisse, vulgare est negotium. Illatio autem eo animo fieri debebat, ut corpus non ad tempus aliquod in locum quempiam deponeretur, sed ut ibidem sepulturæ causa perpetuo maneret. Temporalis enim sepultura non facit locum religiosum, juxta jam dictum Paulum JCtum, *l. Si quis enim eo animo*, 40. *D. de Religiosis & sumpt. fun.*

Violatæ Sepulcrorum religionis summum crimen strictumque habebatur: *Sepulcra violari, cineresque eorum dissipari, sceleratissimum omnium putabant*, inquit Turnebus *Adversf.l.* XIV. cap. XXI. *Lapidem de sepulcris movere, terram evertere & cespitem evellere, proximum sacrilegio majores nostri semper habuerunt*, ait Imperator Julianus *l. pergit audacia* 5. *de sep. viol.* Hinc, *Violatio sepulcrorum & sepultorum rerumque quæ horum sunt, ad crimen sacrilegii pertinere videtur*, inquit Tholosanus *loco* ante *citato* n. 1. *Læsæ religionis crimen sepulcri violati* est juxta Imp. Gordianum *l.* 1. *Cod. h. tit. Summæ immanitatis ac sceleris, quietem mortuis invidere, l. nemo* 3. *Cod. de Episcop. audient.* ubi hæc verborum fulmina: *Nullam accipiat vinculorum requiem, qui quiescere sepultos quadam sceleris immanitate non sinit.* Sacra enim defunctorum securitas & templum quietis esse debet sepultura, quam Veteres in votis habuerunt dedicando monumenta *Perpetuæ Securitati*. Quod etiam innuit Josias 2. *Reg.* XXIII. 18. *Dimittite eum quiescere, nemo commoveat ossa ejus.* Cassiodorus *l.* VI. *Var.* epist.

A IIX. sic scribit: *Defunctorum quin etiam sacram quietem æquabilia jura tuæ conscientiæ commiserunt: ne quis vestita marmoribus sepulcra nudaret: ne quis columnarum decorem irreligiosa temeritate præsumeret: ne quis cineres alienos, aut longinquitate temporis, aut voraci flamma consumptos, scelerata perscrutatione detegeret: ne corpus, quod semel reliquerat molestias mundanas, humanas iterum pateretur insidias. Nam etsi cadavera furta non sentiunt, ab omni tamen pietate alienus esse dignoscitur, qui aliquid mortuis abrogasse monstratur. Vide quæ tibi commissa sunt, castitas viventium, & securitas mortuorum.* Loco hoc Cassiodori adduB ctus, simul ad *violationis sepulcrorum modos* transeo.

Erant autem illi varii, inprimis religio sepulcri antiquitus violabatur *illegitima cadaveris illatione*, quando scil. qui jus inferendi non habebat, contra vel præter voluntatem domini mortuum inferebat. *Dolosa inhabitatione*, si quis in sepulcro dolo malo habitaverit, ædificiumque, aliudve, quam quod sepulcri causa factum sit, habuerit, *l.* 3. *D. de sepul. viol. Monumenti demolitione.* Si quis sine scientia domini abstulerit de sepulcro saxa, columnas, statuas, &c. *l.* 4. *Cod. de sepul. viol.* & *leg.* 11. *D. eodem. De sepulchris nihil est apud Solonem amplius*, C ait Cicero II. *de Leg. quam, ne quis ea deleat, neve alienum inferat: pœnaque est, si quis bustum, (nam id puto appellari τύμβον) aut monumentum, inquit, aut columnam violarit, dejecerit, fregerit.* Imo lapsa & corrupta monumenta reficere non licebat, nisi Pontificis permissu: & ea conditione, ne corpora tangerentur. Tantum abest, ut sepulcri conditionem deteriorem facere permitteretur, ut meliorem non liceret, ut ait Besoldus *loco alleg.* Violabatur etiam sepulcrorum religio *Illati cadaveris contrectatione*, ut modo celeberrimus quondam in Acad. Tubing. Antecessor insinuabat, item *Mutilatione, Spoliatione*. Etsi enim (verba sunt D jam laudati JCTI) thesaurus, aut pecunia in monumento inventa, religiosa non sit, nihilominus sepulcrum violatur, cujus lapis movetur, terra sollicitatur, cespes volvitur, pecuniæ sumendæ causa. *Ossium* denique *translatione illicita.* Dixi supra, corpus ad tempus loco alicui commendatum, locum istum non facere religiosum, illud ergo alio transferri licite poterat. Corpora vero perpetuæ sepulturæ tradita, hoc est, eo animo in loco quodam condita, ut ibi perpetuo manerent, non petita licentia a Principe vel a Pontifice, erui, alioque transportari sine sepulcri violatione non poterant. E Vide, præter innumeros alios, Tholosanum *Syntagm. Juris Universi l.* XXXIII. c. XXIII. num. 12. 13. Impetrata tamen a Magistratu venia, justaque causa interveniente, translatio institui poterat.

Sic quandoque corpora præstantium virorum in loco ignobiliori condita ad celebriora monumenta, vel ex peregrina terra, ubi fatis concesserant, ad avita patriaque sepulcra, magna pompa ac solemnitate solebant portari apud Gentiles. Exemplis idipsum probat B. Gerhardus, avunculus meus desideratissimus, Tom. VIII. *LL. Theol.* numer. 101. Antiquissime ἀνακομιδὴ fuit ossium Josephi, Æ-F gypti servatoris, ex Ægypto in Palæstinam a Mose facta *Exod.* XIII. 19. In Ecclesia primitiva Apostolicæ vicina nondum receptas fuisse translationes reliquiarum certum esse, inquit jam dictus B. Gerhardus *loco cit.* n. 120. Sub Constantino Magno autem transferri cœpisse Sanctorum λείψανα ex sepulcris obscurioribus ad monumenta celebriora. Idque Constantinum ex zelo pietatis non male fecisse, ait Chemnitius *Exam. Concilii Trid. de Reliq. Sanct.* parte IV. Scribit Hieronymus *contra Vigilan-*

gilantium : Constantinum sanctas reliquias Andreæ, (primogeniti Apostolorum) *Lucæ & Timothei transtulisse Constantinopolim*. Constantini factum magno studio imitati sunt & alii. Arcadium enim, narrat idem Hieronymus, ossa B. Samuelis post tam longum tempus de Judæa transtulisse in Thraciam. Ruffinus *lib.* II. *cap.* XXVIII. describit translationem reliquiarum Johannis Baptistæ, Novi Testamenti prodromi, ex Palæstina Alexandriam. Taceo innumera hujus generis exempla alia. Cæterum hæ *μεταθέσεις ὀςέων ἐκ τάφου εἰς τάφον* factæ postea sunt superstitionis seminaria, ut late demonstrat B. Chemnitius *loco all.* aliique nostri Theologi. Sed a linea evagor, redeundum est in viam.

Hactenus modos aliquot, (neque enim omnes recensere animus est) quibus sepulcri religio violari potuit, vidimus. Quæ vero pœna sepulcri violati reis irrogari solita fuerit, cognoscere cupidum Jurisconsulti plenius edocebunt. Unum saltem atque alterum adjicio, ne desiderio hujus rei flagrantem ægrum dimittam. Ex Rescripto D. Severi sepulcri violati pœna est capitalis in eo, qui manu armata cadavera spoliavit: in alio autem, qui sine armis id fecit, est pœna metalli, *l.* 3. *§. adversus* 7. *D. de sep. viol.* Paulus JCtus maximi nominis, *lege final.* seu II. *D. de sepul. violato: Rei sepulcrorum violatorum*, inquit, *si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint: humilioris quidem fortunæ summo supplicio adficiuntur, honestiores in insulam deportantur: aut alias relegantur: aut in metallum damnantur*. Julianus Imp. *l. pergit audacia* 5. *de sepul. viol. pœnam sacrilegii* statuit in eos, qui lapides sepulcrorum amovent, terram evertunt, cespites evellunt, qui ornamenta quædam e tricliniis vel porticibus eorundem auferunt. Ab Impp. Theodosio & Valent. *leg.* 7. *Cod. de repudiis*, crimen violati sepulcri inter causas relatum est, cur uxor a marito divortium facere posset, si nimirum *sepulcrorum dissolutorum* esse probaverit. Illud non prætereundum, Hostium sepulcra non fuisse religiosa apud Romanos, ideo violari sine piaculo poterant, lapidesque inde sublatos in quemlibet usum convertere, non erat vetitum, Paulus JCtus *l.* 4. *D. d.* I. Porro Græcos sepulcris suorum tribuisse aliquam religionem, ipsaque impune violari non potuisse, vel unicus locus Solonis ex Cicerone II. *de LL.* supra adductus idipsum demonstrat. Apud Judæos, quanquam inquinari pollulque censebantur, qui ad loculos defunctorum accederent, quippe quibus, ut mortui, sic & illorum reconditoria immunda erant, violare tamen ea, confringere, &c. nefas putabatur. Imo, *Nulla in summa* (verba sunt Tholosani *Syntagm. Juris Universi*, lib. XXXIII. cap. XXIII. n. 29.) *fuit Respublica bene instituta, quæ non improbaverit & aliqua pœna non castigaverit sepulcrorum violatores propter vitia, quæ animos ad scelus hoc committendum alliciunt, quia solent effodi, violari & inverti sepulcra ab impiis potissimum tres ob causas: velut in usus alios rudera & lapides transferantur; vel injuriæ causa: vel, quod vulgarius est, spoliandi mortuos*. A Christianis denique primitivæ Ecclesiæ loca, ubi defunctorum corpora ac præcipue sanctorum & beatorum Martyrum reliquiæ compositæ, religiosa sanctaque fuisse habita, probatione indiget nulla. Notumque est, religionem sepulcris tributam demum abiisse in aliquibus locis in superstitionem. Eo enim ventum est, ut ipsa sepulcra adorarentur a quibusdam, de qua superstitione conqueritur S. Augustinus *de Moribus Ecclesiæ Catholicæ* cap. XXXIV. *Nolite consectari turbas imperitorum, qui in ipsa vera religione superstitiosi sunt. Novi multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores*, &c. Imo ipsis cenotaphiis sanctorum hominum exhibuisse religionem Christianos veteres ex his versibus Prudentii lib. *περὶ ςεφάνων* colligere est:

Hoc colunt cives, velut ipsa membra
Cespes includat suus & paterno
Servet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.

CAP XIII.

Quod funerationem subsequi consueta explanat.

VIdimus hactenus exequiales apparatus, longumque funebrium ordinem pomparum, ipsum sepulturæ locum consideravimus, ac sepulcra ab omni parte inspeximus. Jam quid post sepulturam factum sit, restat delibemus. Neque enim defuncto sepulcro illato, a parentationibus cessatum est, sed *certi* quidam *dies* apud Græcos pariter & Romanos destinati erant, quibus *justa mortuis persolverentur*. (justa vocabant Latini suprema officia, quod juste fierent iis, qui de nobis bene merentes mortui fuerant) Publice quidem celebrabantur *Feralia*, Diis Manibus sacrata festa, a ferendis epulis, vel a feriendis pecudibus sic dicta, ut Festus *ἐτυμολογεῖ*. Solemnis & status harum publicarum feriarum mensis erat Februarius apud Romanos, Cic. II. *de LL.* dies ejusdem mensis nonusdecimus. Eodem tempore & Græcos in diversis urbibus mortuorum Manibus inferias dedisse, annotat Casaubonus lib. *Animadvers. in Athenæum* cap. XIX. Privatæ vero feriæ, quibus defunctis parentare consueverant, dicebantur *Novendiales* & *Denicales*. Nono post funerationem die parentalia & sacra funebria concludebantur. Denicalibus feriis familia funere polluta purgabatur certis quibusdam ceremoniis. Parentabatur autem Inferiis, Epulis & Ludis. *Inferiæ* erant sacrificia, quæ Manibus offerebantur. Nomen manavit, vel ab inferis, ut Servius, vel ab inferendo, quia scil. mortuorum sepulchris inferri solebant, ut Turnebus vult: *χοαὶ* a Græcis vocabantur a fundendo. Fundebant enim lac, mel, aquam, vinum, sanguinem, unguenta. Vide jam dictum Turnebum lib. IV. *Advers.* cap. XX. Constabant *parentalia hæc sacrificia liquoribus* præcipue ac *cæsis victimis:* victimis, inquam, non ex animantibus tantum, sed & humanis sæpe. Nam & hoc abominabili, sed spiritibus hominum osoribus grato, sacrificio defunctorum, inprimis illustrium Manibus parentare solebant Pagani, ut supra *cap.* VII. demonstravi. Inferias Manibus dedisse Romanos, testatur Virgilius non uno loco, Tacitus lib. III. *Annal.* de funere Germanici, Cicero *Orat. pro L. Flac.* alii. De Græcis refert id Theodoretus *De Curatione Græcarum affectionum* lib. VIII. qui est de Martyribus p. 541. edit. Colon. *Quod autem majores vestri*, inquit, *etiam libamina defunctis obtulerint, conscii & vos estis, qui nocte intempesta præter legum sanctiones, id nunc facere audetis. Sed enim Homerus quoque testatur. Is enim Ulyssem inducit Laertæ filium, Circe ita fieri præcipiente, egesta terra, in foveam libamina effudisse. . . . . Narrat præterea, quo pacto animarum turba concursu magno festinarit ad ea libamina præcipienda. Quid ego autem vobis nunc poetæ versus adduco? Aristocles enim Peripateticus Lyconem Pythagoricum testem citat, Aristotelem Nicomachi filium eo ritu mortuæ uxori rem divinam facere solitum, quo Athenienses Deæ Cereri faciebant*. Hæc Theologus vetustissimus.

Inferiarum apud Ethnicos appendix quasi & co-

rollarium erant *coronæ* ac *flores*, quibus tumulum spargebant. Romani liliis purpureisque rosis præprimis, sæpe & coronis laneis, vel infulis, quas tænias vocabant, (vide Virgilium libb. v. & vi. *Æneid.* Discorid. lib. iii. Ανθολ. Varronem lib. vi. *Ling. Lat.*) Græci amarantho ac apio potissimum (Philostrato in *Heroicis*) sepulcra conspergebant. Vide de his plura apud Kirchmannum *de F. R.* lib. iv. cap. iii. Morem hunc Gentilium floribus frondibusque ornandi monumenta, antiquiores Christianos non fuisse secutos, ex Minutio Felice in *Octavio* colligi haud obscure potest, ubi inter crimina Christianis objecta a Cæcilio refertur; *Coronas etiam sepulchris denegatis*, &c. confer Justinum Martyr. lib. ii. *Apolog.* Consuevisse tamen postea super tumbas mortuorum varios flores spargere, videre est ex S. Ambrosio *Oratione in obitum Valentiniani Imp. Non ego*, inquit, *floribus tumulum aspergam, sed spiritum ejus Christi odore perfundam. Spargant alii plenis lilia calathis, nobis lilium est Christus; hoc reliquias ejus sacrabo, hoc ejus gratiam commendabo.* Et ex S. Hieronymo *ad Pammachium; Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, purpureosque flores, & dolorem pectoris his officiis consolantur.* Succinit Prudentius, Christi Vates suavissimus, in Hymno Exeq.

Nos tecta fovebimus ossa,
Titulumque & frigida saxa
Violis & fronde frequenti
Liquido spargemus odore.

Non ergo tantum vagis floribus, sed & odoribus sepulcra aspergebant. Suspendebantur etiam in cippis sepulcrorum *lucernæ*. Masgabæ parentalia multis luminibus fuisse celebrata, docet Suetonius in *Vita Augusti*. Ex Ægypto Romam migrasse hunc ritum existimat Kirchmann. lib. iv. *de Fun. Rom.* cap iv. Ita enim Herodotus *lib.* ii. *Cui singulis diebus omnifarii odores inferuntur, noctibus perpetuo incensa lucerna adstat.* Apud Christianos adeo usitatum fuit ad defunctorum, inprimis autem Martyrum & Sanctorum, tumulos cereos & lampades accendere, ut calumniandi inde Orthodoxos ansam arripuerit Vigilantius. Nam apud Hieronymum hæ ejus criminationes exstant: *Prope ritum Gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesias, sole adhuc fulgente moles cereorum accendi. —— Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos: quos agnus, qui est in medio throni, cum omni fulgore majestatis illustrat.* Respondet Pater sanctissimus: sese non clara luce cereos accendere, sed nocte, ut ejus tenebras hoc solatio temperent & vigilent ad lumen; concedit interim, quasdam forte fæminas propter imperitiam & simplicitatem id facere. Confer Damascenum *Oratione de Fidelibus defunctis*, & Gregorium Turonensem lib. *de gloria Confessorum* cap. civ.

Porro, solemne fuit antiquis, Græcis & Romanis, *cœnas ferales* apparare, statis & anniversariis sæpe temporibus. Cum in honorem ac memoriam defuncti, tum ut per vini cibique lenimen ejus desiderium levaretur. Ex epulis hisce funeralibus quædam inferebantur monumentis, apud Paganos, DIS Manibus sacra. Gustare ea, piaculum erat. Putabat autem stulta Gentilitas, mortuorum animas, ab inferis reduces, iis vesci & delectari. Reprehendit hunc *Gentilium infidelitatis errorem*, ut ipse vocat, S. Augustinus *Sermone* xv. *de Sanctis: Miror, cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant.* Hanc præter *Dæmoniacam cœnam*, ut Tertullianus appellat, in *de Spectaculis*, suas habebant epulas, quas amici ac sanguine proximi ad Charitatum suarum busta inire solebant, *sibi potius, quam mortuis parentattes*, ut jam laudatus Doctor, quem Magistri titulo honorabat Cyprianus *de Testimonio animæ* cap. iv. loquitur. Et fortassis nostro seculo aliqua ab illis sive ineptiis, sive superstitionibus hæret macula. Et apud Romanos quidem, peractis ad sepulchrum justis, convivia interim domi fuisse apparata, ad quæ amici atque cognati convocabantur, ex historiis accepimus. Cœnæ vero hæ exequiales, quæ quidem privatim instituebantur, *Silicernia* audiebant; de cujus vocis etymo prolixe differentem vide Kirchman. *de Fun. Rom.* lib. iv. cap. iv. Hinc senes capulares, dicti *silicernii*, quasi pro quibus jamjam morituris cœna funeralis paranda esset, unde & paulo pressius sumit vocabulum silicernii Alexander ab Alexandro lib. iii. *Gen. Dier.* cap. vii. pro *cœna* vid. *ferali*, *quæ unis senibus, & his, qui multum ætate processissent, exhibita.* Varro, linguæ Romanæ peritissimus: *Funus executi, laute ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus, id est, convivium, in quo pransi discedentes dicimus aliis alii, Vale.* Interdum & publice defuncti heredes, ditiores puta & copiosiores, solebant populum Romanum convivio excipere, ut in funere Africani Q. Maximus, teste Cicerone *pro Muræna*. In funere Syllæ Faustus, teste Dione *lib.* xxxvii. In memoriam filiæ C. Julius Cæsar, teste Suetonio *cap.* xxvi. Solebat etiam cruda caro populo distribui, quæ *visceratio* dicebatur. Livius id docet non semel. Inprimis *libb.* xl. & xli. itemque Blondus lib. ii. *Rom. triumph.* narrat, Publii Licinii causa, visceratione data, gladiatores centum viginti pugnasse, ludos funebres per triduum factos, & post ludos demum epulum datum, quo cum toto foro strata triclinia essent, tempestatem cum multis procellis coortam coegisse, ut in foro tabernacula constituerent. Græci quoque sepulcrales epulas dabant, quas περίδειπνα appellabant & ἐπιτάφια δεῖπνα, Homerus vel τάφος simpliciter vel ἐπιδόρπιος τάφος nominat, *Iliad.* φ'. & ψ'. ut *cap.* ix. diximus. Ast partim ante tumulationem & quidem prope monumentum, partim domi post sepulturam talia agitabant convivia. Confirmat idipsum jam dictus Homerus *Iliad.* ω. & Lucianus in fine lib. *de Luctu. Triduo post* (verba sunt Alexandri Sardi Ferrariensis *de Moribus & Ritibus Gentium* lib. i. cap. xxvi.) *Græci ipsi apparant cœnam necessariis, qui coronati lugentes adhortantur, ut cibum capiant, quod cunctanter ipsi quidem faciunt, ne post charissimorum mortem vitam exoptare videantur, quare & sæpius cibum recusat Achilles apud Homerum interfecto Patroclo.* Alexander ab Alexandro *Genial. Dier.* lib. iii. cap. vii. *Athenis*, inquit, *per funeri præfectos epulum apud defuncti maxime necessarium dari consuevit.* De Argivis vero ait: *Argivorum institutum fuit, ut defuncti affines statim ab excessu Apollini sacrificent & trigesimo post die Mercurio, Apollinisque sacerdoti hordeum dent, ignemque extinguant, & rursus accendant, carnesque victimarum percoquant, quibus postea vescuntur.* Scythas etiam post funus amicos excipientes epulum præbuisse cadaver comitantibus, idem *ibidem* refert. P. Bertius commemorat, permultos in Livonia (remotiora ab orbe culto loca occupantes) Gentilium ritu vivere, mortuum aliquem terræ mandaturos genialiter circa corpus epulari, defunctumque invitare ad bibendum, postea monumento mortui cibum, potum ac num-

mulos aliquot securimque imponere, his verbis additis: *Abi in alium orbem Teutonibus imperaturus, uti tibi tuisque in hoc orbe imperarunt.* Funeralia hujusmodi convivia apud Judæos quoque usitata fuisse, colligi potest ex 2. *Sam.* III. 35. ubi *ad Davidem*, Abnero solenniter modo composito, *venit populus universus ut comederet panem cum Davide.* Ad quem locum annotat Sanctius Jesuita num. 38. *Deinde colligo*, inquit, *in parentali alicujus honore publicum populis exhiberi convivium, quod usque adeo solenne fuit Hebræis, ut Josepho teste, qui id sæpe in sua Gente viderat, id omittere probro fuerit, & impium haberetur.* Sic autem Josephus lib. II. *de Bello* cap. I. ubi sic de Archelao: Diebus septem in lugendo patre consumptis, epulisque feralibus prolixe populo exhibitis, (hic autem mos apud Judæos cibandi tantam multitudinem, necessario multos ad inopiam redegit; nam qui eum neglexerat, impius æstimabatur) candida veste indutus procedit ad templum. Sed diversa plane est ratio convivii feralis Davidici; ibi enim lugentem cibare voluit Davidem populus, Archelaus vero ipsummet populum post funebrem Herodis pompam, convivio excepit, more Romanorum, apud quos quandoque publice defuncti heredes, ditiores scil. populo exhibere solebant ferales epulas, ut supra vidimus, quæ consuetudo tunc in populo Judaico quoque increbuerat. Insinuat & Baruch Propheta *cap.* VI. 31. *Rugiebant* (sacrificuli) *in conspectu deorum suorum, sicut quidam ἐν περιδείπνῳ νεκροῦ, in epulo ferali.* *Tobiæ* IV. 18. præcipit Tobias Senior filio suo, ἔκχεον τοὺς ἄρτους σου, *effunde panes tuos*, ἐπὶ τὸν τάφον τῶν δικαίων, *super sepulturam justorum*, hoc est, in honorem justi defuncti & jam funerati pauperes ciba. *Jerem.* XVI. 5. interdicit Deus Prophetæ; *Ne ingrediaris domum epuli feralis*, (in Hebræo enim est מרזח, quæ vox significat *convivium funebre*, in exequiis mortuorum ad consolandum propinquos mortui parari solitum, notante Corn. a Lapide *ad h. l.*) *nec abeas ad plangendum, neque condoleas eis.* Vers. 7. *Et non frangent eis panem* (puta feralem) *super luctum, ad consolandum eos super mortuo, nec bibendum iis præbebunt calicem consolationum super patre suo & matre.* Vers. 8. *Et domum convivii* (funeralis) *non ingrediaris, ut sedeas cum iis ad comedendum & bibendum.* Ad quæ verba Hieronymus in *Commentariis*: *Lugentibus cibos ferunt, conviviaque præparant, quæ Græci περίδειπνα vocant, & a nostris vulgo appellantur parentalia, eo quod parentibus justa celebrentur.* Innuit hic venerandus Ecclesiæ Doctor alium Judæorum ritum, lugentes videl. apud eos non comedisse proprium panem. Tradunt enim Hebræorum Magistri moris Judaici fuisse, ut propinquis demortui ac tumulati hominis convivium appararent vicini & amici, mittentes eis edulia, cum quod ipsis non vacaret a luctu epulas parare, tum ut hac ratione mœrentes ad vescendum & ad deponendum luctum invitarent. Prima saltem die lugenti interdictum est comedere de suo, *teneturque insidere lecto inverso, diebus autem luctus subsequis permissum ipsi, edere de suo & insidere mattæ*, seu storeæ, *aut pavimento*, &c. inquit Maimonides *H. Efel.* sub finem cap. IV. Buxtorfius *Synag. Judaic.* cap XXXV. *Prima*, inquit, *vespera, qui luget, cibo suo non vescitur, sed amici accedunt, cibum suum secum afferentes. Ova illi edenda præcipue mittuntur consolationis ergo*, &c. Similem morem Ambrosius Leo III. *de Nola urbe Italiæ* cap. II. Nolanis tribuit, quem tradit his verbis: *Postquam a funere æditimisque dimissi sunt filii affinesque defuncti, domum se conferunt, sola amicorum turba comitante, ubi offendunt mensas oppipare paratas. Vicini enim amicique ac affines varias optimasque dapes eo præmiserant. Discumbitur a cunctis, fiunt colloquia nihil ad defunctum attinentia, sed ea, quæ tristes animos mitigent ac levent.*

Transeo ad Christianos. Mos enim iste Gentilium deferendi ad sepulcra defunctorum dapes, etiam in Ecclesiam inter Gentes collectam irrepsit, & cum illo perniciosa tumulentiæ pestis. Eo namque intemperantiæ demum ventum est, ut plerique ad sepulcra luxuriose epularentur, seque ipsos vino quasi sepelirent. Ut S. Augustinus conqueritur lib. *de moribus Ecclesiæ Catholicæ* cap. XXXIV. *Novi*, inquit, *multos esse sepulcrorum & picturarum adoratores. Novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant; & epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, & voracitates ebrietatesque suas deputent religioni.* Confer eundem sanctissimum Hipponensem Antistitem *epist.* LXIV. *ad Aurelium*, & lib. XX. *contra Faustum*, quibus in locis vehementissime in hunc morem vel potius morum labem invehitur, cum in Africa contagio ista præcipue invaluisset. Nec tacuit Gaudentius, Episcopus Brixiensis, *Sermone* IV. *Gulæ suæ causa primum cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipsi comederent: post hoc etiam sacrificia ausi sunt eis sacrilega celebrare. Quamvis, nec ipsi mortuis sui minus sacrificent parentalia, dum super sepulchrorum mensas tremulis ebrietate manibus vina fundentes, spiritum balbutiunt.* Vide & S. Ambrosium Mediolanensem Præsulem lib. II. *de Helia & jejunio.* Funebria autem hujusmodi convivia præberi consueverant vel in ædibus privatis, vel etiam publice in ipsis Ecclesiis & cœmeteriis ad charorum tumulos. Quin & anniversarias Martyrum festivitates conviviis celebrabant partim domi, intra privatos parietes, partim quoque in ipsis Martyrum Basilicis. Vide Theodoretum lib. VIII. *ad Græcos* sub finem, S. Gregorium *Epist.* lib. IX. epist. LXXI. ad Mellitum Abbatem, Chrysostomum *Homil. in S. Julianum.* Postea, cum desiderarent maxime S. Ecclesiæ Dd. ab Ethnicorum stultitia & superstitione Christianos longius recedere, annisu & studio eorum, quorum intererat, consuetudo ista epulandi, sive in Dominicis, sive in cœmeteriis, sive quomodocunque ad defunctorum sepulcra, tandem penitus sublata & ex Ecclesia explosa est, ita ut posteris temporibus usus ejus nullus fuerit. Cautum etiam est in Conciliis, ne ulli in Ecclesiis accubitus & convivia instituerentur. In Synodo Laodicena, *canone* XXVIII. *Non oportet in Basilicis seu Ecclesiis agapen* (sic enim dicebantur hæc & similia convivia & maxime quæ in pauperum subsidium apparabantur. Ipseque Judas in *Epistola* sua v. 12. agapæ vocem pro prandio vel cœna usurpat) *facere, neque in domo DEI manducare, vel accubitus sternere.* Similia statuit Concil. Carthaginense III. *can.* L. & *Canon* Trullanus LXXIV. *Alicubi hoc ita reformatum est*, (verba sunt B. Chemnitii *Exam. Concil. Trident. de Purgatorio*) *ut in memoriam defunctorum, amici cibos & alia donaria in usum pauperum & Clericorum conferrent, sicut colligitur ex Origine lib.* III. *in Job, & qui conferebant, vocabantur* Sportulantes. *Cyprianus l.* I. *epistol.* IX. *Postea tales Sportularum collationes fieri cœperunt, quando celebrabatur Eucharistia, vocabantur Oblationes.* Loco viscerationis Gentilibus usitatæ Christiani stipe seu eleemosyna post curatum funus pauperes donabant. Morem hunc in Occidentalibus Ecclesiis viguisse, refert Hieronymus *ad Pammachium.* De Orientalibus idipsum affirmat Chrysostomus *Hom.* XXXII. *in Matth.* Defunctorum etiam ad altare Domini in tremendis mysteriis commemoratio & commendatio institui

cœpit, ut ex Origene, Cypriano, Chrysostomo, Augustino, aliisque constat. Sed hujus rei in S. Canonica *Scriptura* utriusque Fœderis nec vola est, nec vestigium, hoc est, *nulla litera, nulla syllaba, nulla dictio, nulla oratio exstat, continens vel doctrinam, vel mandatum, vel promissionem, vel exemplum de oratione pro mortuis*, (*a*) ut loquitur B. Chemnitius *loco alleg.* Erant ergo Oblationes & Orationes pro defunctis *incertæ traditionis consuetudo*, quam post Apostolorum tempora humana illa erga mortuos affectio sensim cœpit in Ecclesiam invehere, & tandem superstitiosa observatio roborare. Quod non diffitetur Tertullianus, quando Oblationes pro defunctis *non ex Scriptura, sed ex consuetudine fluxisse*, (*b*) dicit in *De corona militis*. Et Epiphanius itemque Augustinus, referente Chemnitio *loco cit.* dicunt, consuetudinem orandi pro defunctis (*c*) *non esse præceptum Patris, hoc est, Dei, sed institutum matris, hoc est, Ecclesiæ, & traditionem Patrum*. Commemorationi autem recens mortuorum alii destinabant tertium, nonum, & quadragesimum diem ab obitu, alii tertium & trigesimum, alii diem septimum & quadragesimum, ac denique anno vertente eorum memoriam celebrabant. Vide de his curiose tractantem Gretserum *de Fun. Christ.* lib. III. cap. I.

Revertor ad Gentiles, & primo Romanos, qui Funeribus etiam Gladiatores adhibebant. Ipsiusque muneris gladiatorii causa fuit & origo funus. Sic enim Tertullian. *de Spectaculis* cap. de munere: *Olim, quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos vel malo ingenio servos mercati, in exequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverant, armis, quibus tunc & qualiter poterant, eruditos, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant. Hæc muneris origo.* Et cum eo J. Lipsius *Saturnalium Sermonum* l. I. cap. VIII. *Origo gladiatorum a re funebri.* Et postea, *Causa tamen & origo funus.* Servius l. X. *Æneid. Moris erat*, inquit, *in sepulchris virorum fortium captivos necari: quod posteaquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui a busti cineribus Bustuarii dicti.* Ipsi gladiatores morti sese ob lucrum prostituentes dominis se venundabant, unde *homines ad gladium comparare* dicebantur, qui tales emebant. Lactantius *l.* VI. *c.* XII. *Unde bestias emis, hinc captivos redime; unde feras pascis, hinc pauperes ale; unde homines ad gladium comparas, hinc innocentes mortuos sepeli.* Munus autem gladiatorium primum Romæ datum est in foro Boario Ap. Claudio & M. Fulvio Coss. anno ab V. Cond. CCCCXC. a M. & D. Junio Brutis in defuncti patris memoriam, teste Valerio Maximo *l.* II. *c.* IV. Anno Urbis DLXXX. paria gladiatorum bustuariorum triginta septem dedisse T. Flaminium in funere patris, idque ante cætera insigne fuisse munus, refert Livius *l.* XLI. His ludis gladiatoriis (ita enim vocabant cruentos illos congressus. Quo de Lactantius *l.* VI. *c.* XX. *Adeo longe ab hominibus secessit humanitas, ut, cum animas hominum inficiant*, LUDERE *se opinentur*) matronis interesse non erat licitum. *Eos quidem ludos*, inquit Alexander ab Alex. *l.* III. *c.* VII. *apparatu magnifico continuis* IX. *diebus, in bisque gladiatorum paria, qui venalem sanguinem babebant, Romani exbibuere: ad quos intromitti matronas nefas habitum. Idque adeo usu & moribus interdictum fuit, ut P. Sempronius uxori, quod ludis funebribus interfuisset, repudium dederit.* Primis quidem temporibus in Imperatorum & Primorum duntaxat funeribus præberi solebant gladiatorum spectacula. Hæcque per triduum aut quatriduum durabant, ut ex Livii *libb.* XXIII. XXXI. XXXIX. aliisque constat, (ut ita falli videatur Alexander ab Alexandro, qui novem continuos dies ludos ejusmodi exhibitos fuisse modo dicebat) sequenti vero ævo etiam a privatis hominibus dari cœperunt gladiatores, quod Lipsii potius verbis docebo; sic enim ille *loco* supra *allegato*: *Hæc certamina primo in honorem Imperatorum procerumque. Sed paulatim, ut solet, res increbuit; & a tenui canali in mare quoddam (fas sic loqui) excrevit editionum. Dare enim cœperunt vulgo etiam privati & plerisque ea cura in testamentis. Cavebant, inquam, post mortem suam tot & tot paria sibi edi. Imo vulgo*, addit, *eo mos invaluit, ut ditiori aliquo mortuo populus munus efflagitaret, velut debitum & ex præscripto legis.* Nec viris hic honor habebatur solum, sed & feminis. Pergat Lipsius: *Nec vero in virorum saltem funeribus stetit hic mos: transiit etiam ad fæminarum. Dux & auctor rei stirps illa Veneris Cæsar Julius: qui munus populo epulumque in filiæ memoriam pronunciavit, quod ante eum nemo*, ait Suetonius c. XXVI. *& confirmat Dio*: ἐπὶ τῇ θυγατρὶ καὶ θηρίων σφαγὰς καὶ ἀνδρῶν ὁπλομαχίας ἐποίησεν, hoc est, filiæ suæ & ferarum cædes & virorum pugnas exhibuit. *Nec dubitate, quin Divi exemplum cupide imitatus sit vulgus.* Hæc ita Lipsius, a quo plura ad hanc rem petes, si operæ tibi est. Scævola *D. De Annuis leg. l.* 20. §. 3. *Lucius Titius testamento patriæ suæ civitatis Sebastenorum centum legavit, uti alternis annis ex usuris ejusdem certamina sub nomine ipsius celebrarentur.* Et Modestinus *in l.* 16. *D. de usu & usufruct. Legatum civitati relictum est, ut ex reditibus quotannis in ea civitate memoriæ conservandæ defuncti gratia spectaculum celebretur.* Sustulit Munus Gladiatorium in funeribus dari consuetum Constantinus Imper. *Cruenta*, inquit, *spectacula in otio civili & domestica quiete non placent; quapropter omnino gladiatores esse probibemus. Lib.* XI. *Cod. tit.* XLIII. *De gladiatoribus penitus tollendis.*

Instituerunt & Græci certamina gymnica & ludos in illustrium ac magnorum virorum funeribus, ut Cicero annotat II. *de Leg.* & ex Homero & Luciano notum est. Hinc Alexander ab Alex. *Genial. Dier.* l. III. c. VII. Græcis gymnica certamina & equestria in defuncti memoriam populo dari, servatum est: nonnunquam navium cursus, & naumachiam. *Divitum sepulturæ apud Thraces sunt hujusmodi*: inquit Herodotus *l.* IV. *Prolato triduum cadavere, mactatisque omnifariis hostiis, convivantur. Illudque defletum prius, deinde combustum sepeliunt, aut aliter humo contegunt, aggestoque desuper tumulo cum alia omnis generis certamina proponunt, tum præcipue certa cum ratione monomachiam.*

Sed relictis hisce barbaris spectaculis, de Epitaphiis, quibus sepulcra exornare consuevit prisca gens mortalium, tempus me monet ut agam. *Mo-*

(*a*) Scilicet sacros Machabæorum Libros rejicit hæreticus auctor.

(*b*) Eo loco validissime pugnat Tertullianus pro Traditione Patrum. Vide Pamelium in Notis.

(*c*) Epiphanii textus adversatur heterodoxo dogmati. In hær. 75. num. 8. *Necessario facere illud Ecclesiam dico, quæ traditum sibi ritum illum* (De orationibus pro defunctis agit) *a majoribus acceperit. Potest vero quisquam maternam sanctionem, aut legem Patris evertere? Quemadmodum a Salomone scriptum est: Audi fili sermones Patris tui, & ne repellas leges Matris tuæ. A quibus Patrem, hoc est, Unigenitum Deum cum Spiritu sancto declarat, partim scripto, partim sine scripto docuisse.* Hæc nempe fides est hæreticorum, cum Patres sibi faventes induunt.

numenta ut plurimum, inquit Stephanus Joh. Stephanius in *Notis ad Saxonem Gram.* p. 2. *operosis titulis & splendidis inscriptionibus insignita erant, quæ rerum a majoribus præclare gestarum laudes amplissimas complectebantur. Hinc tituli vox usurpata est non domo pro nuda ἐπιγραφῇ, verum etiam pro laude, existimatione, encomio, elogio, gloria, celebritate, illustri fama, & quicquid nomen alicujus æternitati consecraret.* Hæc ille. Inscriptiones & tituli hi monumentorum maxime frequentes erant apud Romanos, adeo, ut & servorum viliumque capitum tumulos quandoque titulis insignirent, quod literati testantur lapides. Ponebantur hæ ἐπιγραφαὶ sive Epitaphia in prima & obvia tumuli parte, hoc est, in fronte. Unde Virgilius in *Culice:*

His tumulus super inseritur, tum fronte locatur
Eulogium.

Concipiebantur interdum prosa, haud raro ligata oratione. Erantque solemnia inscriptionum verba: DIS. MAN. SACR. itemque iis res præclare gestæ, laudes, familia, ætas, vitæ conditio, dies obitus continebantur, nonnunquam patria, fortunæ, opera, &c. Cujusmodi illud regis Poetarum Epitaphium est, cujus ipsemet autor perhibetur:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini pascua, rura, duces.

Interdum causa, genusque mortis: cape exemplum. Romæ in Xenodoch. S. hoc exstat Epitaph.

Hospes disce novum mortis genus, improba felis,
Dum teneo, digitum mordet, & intereo.

Elogia in fronte plerumque, honores & res gestas, quibus præclarum sibi nomen pepererant vivi, tumulis inscribi suevisse, docet Cicero II. *de Finibus: Ante molem res gestæ Augusti, quod ipse testamento mandaverat, tabulis æneis incisæ erant,* inquit Georgius Fabricius in delineatione Mausolei Augusti Cæs. cap. XX. *Romæ* suæ. Plutarchus in *Sylla: Monumentum Syllæ in Campo Martio est: Inscriptionem ab ipso ferunt conceptam & relictam, cujus hoc caput est; se neque ab ullo amicorum beneficiis, neque ab ullo inimico maleficiis superatum fuisse.* Eleganter in rem præsentem Pineda *in Jobi cap.* III. 15. nu. 5. *Jubebant*, inquit, *defunctorum Epitaphia consistere paulisper viatores, audire salutaria monita, in memoriam revocare vitam & res gestas hominis defuncti, & denique de se simile quippiam cogitare; nam quanquam non omnium monumentorum eædem inscriptiones essent, sed illa omnibus communis semper fuisse videtur*, MIHI HERI, TIBI HODIE. *Eccles.* XXXVIII. 23. In hanc sententiam extat Epitaphium Neapoli ad S. Laur.

Hospes quid sim, vides, quid fuerim, nosti, futurus ipse quid sis, cogita.

Ejusmodi etiam fuit Epigramma, quod M. Pacuvius, Tragœdiarum scriptor, vivus sibiipsi conscripsit, & sepulchro suo incidendum reliquit:

Adolescens, tametsi properas, hoc te saxum rogat,
Ut se aspicias: deinde, quod scriptum est, legas.
Hic sunt Poetæ Marci Paccuvii sita
Ossa, boc volebam, nescius ne esses. Vale.

Item illud:

Fui, ut es, Eris ut sum, Fui, non sum, Estis, non eritis, Nemo immortalis.

Item:

Hoc satis in tumulo fragilem te noveris esse,
Mors certa est, tempus perbreve, vita nihil.

Vide Aul. Gellium *Noct. Att.* lib. I. cap. XXIV. Justus Lipsius, quem Literarum seculi nostri lumen Scaliger appellat, Senecam Belgicum Pareus, Trismegistum, Doctorumque Solem Raphelengius, Senatus eruditorum principem Dousa, Scientiarum Patrem Baudius, &c. e sepulchro cum vivis ita loquitur:

TUMULUS.

Quis hic sepultus, quæris? ipse edisseram:
Nuper locutus & stilo & lingua fui,
Nunc alteri licebit. Ego sum
LIPSIUS.
Cui literæ dant nomen & tuus favor.
Sed nomen, ipse abivi, abibit hoc quoque,
Et nil hic Orbis, quod perennet, possidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,
Et scenæ imago, &, verbo ut absolvam,
NIHIL.
Extremum hoc te alloquor,
Æternum ut gaudeam, tu apprecare.

Unum omnes docti indoctique, opulenti ac pauperes habent Epitaphium, quod illis Moses scripsit, ET MORTVVS EST, *Gen.* V. *Bene vixisse, pulcherrimum omnium Epitaphium est.* Magna interim & singularis gratia est Epigrammatum eorum, quæ Veteres maximam partem veræ pietatis ignari, ex ipsis animi sui penetralibus eliquata, quisque charissimorum pignorum conditoriis inscripsit, nec sine gemitu & interdum vel lacrymis ea legere possumus, adeo intimos sensus recordatione communis fragilitatis percellunt, ut inquit Barthius lib. V. *Advers.* c. XIII. Sed nolo hic ejusmodi Cipporum titulis chartam complere, ne & lectori tædium, mihi autem laborem haud necessarium pariam.

Apud Græcos etiam Epitaphiorum usum fuisse, supervacaneum puto, ut probem; parcius tamen iis usi sunt Lacedæmonii. *Epitaphium carmen*, (inquit Ludov. Cœl. Rhodiginus *Lection. Antiq.* lib. XVII.) *quo exprimeretur nomen, indere haut fuit fas*, (apud Spartanos) *ni vir is in bello esset strenue perfunctus. Idque ex Lycurgi instituto.*

Danorum etiam antiquiores, non tantum tumulos suorum lapidibus literatis seu Epitaphiis exornasse, sed etiam victoriarum & rerum præclare gestarum trophæa & arcus quasi triumphales, patriis, hoc est, Ruinicis literis insignitos, ad posteros transisse, refert Olaus Wormius *de Mon. Danic.* lib. I. capp. XIII. & XIV.

Exuviis etiam hostium, armisque non Romani solum, sed & Gothi sepulcra sua ornabant, vide Plac. Luctatium *ad lib.* XII. *Thebaid. Statii*, & jam dictum Olaum Wormium, *Monum. Danic.* lib. I. cap. VI.

Apponi etiam solebant ad monumenta Heroum militaria signa, tanquam laudis & virtutis trophæa, inquit Polydor. *de rerum inventione* lib. VI. cap. X. Innuit hunc ritum etiam Seneca lib. IV. *Controvers.* IV. *Bellum cum esset in civitate, vir fortis, in acie amissis armis, de sepulcro viri fortis arma sustulit. Fortiter pugnavit & reposuit, præmio accepto accusatur sepulcri violati.*

Redeo ad Epitaphia, quæ non admodum curare Judæos, dicit Schickardus *de Jure Regio Hebræorum* cap. VI. *Ita neque curant* (inquit) *an vel qualia ipsis Epitaphia erigamus. Laudo Maimonidem, qui censet, famam recte factorum, quæ in viva posteritatis memoria perennat, esse splendidissimum Mausoleum, quovis marmore durabilius, quavis statua pulchrius.* Subjicit verba Maimonidis, & post ea ait: *Nudæ tamen inscriptiones nominum & annorum non improbantur, quia historias & Chronologiam juvant*; additque hujus rei exemplum aliquod femineum. Clausula harum inscriptionum plerumque erat: *Sit anima ejus in Paradiso: Anima ejus collecta sit in horto voluptatis, Amen, Amen, Amen, Selah.* Item: *Sit anima ejus colligata in fasciculo viventium; vel Tu titulus es sepulcri Eliæ filii Salomonis, qui discessit in paradisum Eden, prima die mensis N. Anno N.* Vide jam dictum Schickardum, David. Chytræum

de Morte & Vita æterna pag. 106. B. Gerhardum Loc. VIII. *de Morte* §. 84.

Sepulcris inſcriptiones addere uſitatiſſimum quoque fuit apud Chriſtianos. Loquuntur id templa & cœmeteria paſſim Epitaphiorum pleniſſima. Prudentius in *paſſione Hippolyti Epiſcopi & Martyris*:

Innumeros cineres Sanctorum Romula in Urbe
Vidimus, &c.
Inciſos tumulis titulos, & ſingula quævis
Nomina difficile eſt, ut replicare queam.
Plurima literulis ſignata ſepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut Epigramma aliquod.

Epigraphas cum antiquas tum recentiores qui legere cupit, conſulat *Epitaphia* Georgii Fabricii, *Monumentorum Italiæ* libr. IV. a Laurentio Schrodero divulgatos, *Delicias Itinerum* Nathanis Chytræi, *Inſcriptiones marmorum totius Europæ* Petri Appiani, Cyriaci Anconitani, Martini Smetii, &c.

Unicum nunc id reſtare videtur, ut de luctus tempore diſpiciamus. *Eſt de mortuis eis, qui diliguntur, triſtitia quodammodo naturalis*, inquit Auguſtinus *Serm.* XXII. Hinc Spartanus quidam mortuum deflens filium, increpanti reſpondit; *Quid facerem? Non enim ego, ſed natura mea mihi luctum excuſſit.* M. Antonius Pius, cum Marcus Philoſophus mortuum educatorem ſuum fleret, revocareturque ab aulicis miniſtris ab oſtentatione pietatis, dixiſſe ſcribitur; *Permitte illi, ut homo ſit, neque enim Philoſophia vel imperium tollit affectus.* Hinc quoque lugere mortuos, magiſtra natura, conſuetudo tenet omnium Gentium, præter neſcio quas, quæ puerperia lugent, natoſque deflent, ac funera contra velut ſacra lætæ feſto cantu luſuque celebrant. Unde Ludovicus Corteſius, JCtus Patavinus, ut refert Bernandinus Scardeonius *de claris Juriſconſ. Patav.* lib. I. claſs. 8. moriens, contra communem mortalium morem ex teſtamento interdixit ſuis propinquis lacrumas & ſolitas funerum lamentationes, Ennii ſummi vatis exemplo, & quæcunque lugubria ſolent ad mœſtitiam parari, abeſſe prorſus voluit. Contra vero pro his acciri juſſit muſicos, cantores & citharœdos & tibicines omnis generis, qui vario concentu, una cum Clero funerum pompam partim præirent, partim ſequerentur, &c. vide Kornmannum *de Miraculis Mortuorum* par. VIII. cap. III. Hujus teſtamenti meminit Paulus de Caſtro JC. idque tanquam hominis non ſanæ mentis in dubium vocat, in *l. quidam in ſuo D. de condit. inſtit.* Apud Iſraelis poſteros luctum pene *pro parte ſacri cultus* haberi, annotat Schickardus, Vir Orientalium LL. peritiſſimus, in ſuo *Miſchpat hamm.* pag. 170. & ex Moſis Maimonidis *Jad chaſaka* multis probat Dn. L. Mart. Geier tractat. *de Hebræor. Luctu* cap. I.

Quanto vero tempore lugendi ſint defuncti, diverſa fuere non tantum apud diverſas gentes, ſed apud eaſdem quoque diverſis temporibus inſtituta & conſuetudines. *De tempore luctus*, inquit Jacobus Gretſerus lib. I. *de Fun. Chr.* cap. ult. *nihil aliud habeo dicere; quam fuiſſe incertum tam Ethnicis, quam Judæis & Chriſtianis.* Apud Romanos lugendi tempus pro conditione, ætate & cognatione hominum, a Numa Pompilio conſtitutum eſt. Puerum trimo minorem indefletum voluit, majores natu tot menſibus lugendos ſtatuit, quot quiſque annos vixiſſet, neque tamen ultra menſes decem. *Longiſſimum* enim *luctus tempus decem menſibus terminavit. Quod ſpatium a morte viri viduis quoque abſtinendi præfinitum eſt, a ſecundis nuptiis*, ut refert Plutarchus in *Vita ejus*. Gratianus vero, Valentinianus, & Theodoſius Impp. duos adhuc menſes adjecerunt, integrum annum lugendo marito præſcribentes, *leg.* 2. *Cod. de ſecundis nuptiis*, ita quidem, ut ante exactum tempus luctus nubere nemini poſſent, niſi id peculiariter a Magiſtratu impetraſſent. Ab his Romanorum legibus recedit Jus Canonicum, dans viduæ poteſtatem etiam intra annum luctus nubendi, *c. Ephemium* 2.q.3. Sed hanc juris Canonici diſpoſitionem approbare non poſſumus, inquit B. Gerhardus Tom. VII. *LL.* §. 199. *cum repugnet honeſtati publicæ & introducat ſanguinis confuſionem & prolis incertitudinem, quin & maleficii ſuſpicionem confirmet.* Vid. *Conſtit. Electoral. Saxonicæ*, & confer. Dn. D. Bened. Carpzovii lib. II. *Juriſpr. Eccleſ.* tit. 9. diſt. 159. Mulieribus ergo certum luctus tempus definitum eſt, quo lugerent, idque annum, non viris. Sic enim expreſſe *lex* 9. *ff. de his, qui not. infam. Uxores viri lugere non compelluntur.* Seneca *epiſt.* LXIII. *Annum feminis ad lugendum conſtituere majores, non ut tamdiu lugerent, ſed ne diutius: viris nullum legitimum tempus eſt, quia nullum honeſtum.* Utut autem vidui jure divino & civili certum lugendi tempus non habeant præſcriptum, honeſtatis tamen vitandique ſcandali ergo tenentur apud nos de jure Saxonico ad integrum ſemeſtre a novo matrimonio abſtinere, vide Dominum Carpzovium *l. c.* diſt. 160. & Beat. Gerhardum *loco allegato* §. 200. Nec parentibus, liberis utriuſque ſexus, cæteriſque agnatis & cognatis, Leges Civiles certum lugendi tempus præſcribunt, ſed ſecundum pietatis rationem & animi ſui patientiam, prout quiſque voluerit, lugendos relinquunt, *l. ff. parentes* 13. *de his, qui not. infam.* Si Nicephoro Calliſto lib. XVIII. *Hiſt* cap XXX. credimus, in Chubda civitate, quæ vicina eſt civitati Tangaſt in finibus Indiæ, præfectum mortuum, lege ita jubente conjuges ejus perpetuo lugent, neque unquam a ſepulcro diſcedunt, pulla veſte indutæ, & capite novacula raſo.

De Græcis nihil habeo, quod dicam, niſi quod Solon Athenienſibus flebiles lamentationes & cætera dolorem teſtantia, velut inania & nihil vitæ proficientia ſuſtulerit, & Lycurgus Spartanorum Legislator Lacedæmoniis 11. dierum ſpatio luctum terminaverit, teſte Plutarcho.

De antiquis Germaniæ populis refert Tacitus, libello *de Moribus Germ. Lamenta & lacrymas cito, dolorem & triſtitiam tarde ponunt. Feminis lugere honeſtum eſt, viris meminiſſe.* Non luxiſſe mortuos Germanos noſtros, cæteroſque Celtas, præter Tacitum teſtatur quoque Plutarchus in *Conſolatione ad Apollonium* his verbis: *Ex ipſis vero barbaris, ſi qui luctum exercent, non animoſiſſimi Germani, non Galli, aut ſi qui alii generoſo pleni ſunt ſpiritu, id faciunt, ſed Ægyptii, Syri, aliique horum ſimiles.* In V. Teſtamento uniforme luctus tempus non reperitur.

Ægyptii mortem Jacob Patriarchæ luxerunt ſeptuaginta dies, *Geneſ.* L. 3. niſi forte XL. dies ἐνταφιασμοῦ connumerantur XXX. diebus fletus, ut junctim conſtituant LXX. ut obſervant Eſtius, Menochius, Calixtus *ad hunc loc.* Pererius in *Comment. Dicitur*, inquit, *Flevitque eum Ægyptus ſeptuaginta dies. Non eſt intelligendum, Ægyptios per ſeptuaginta dies continenter lacrymas fudiſſe, nam ne ipſe quidem Heraclitus etiamſi totus lacrymis exſtillaſſet, tamdiu lugendo eſſe potuiſſet. Vocabulo igitur luctus ſignificatur totum id, quod circa funus exhiberi ſolet, nempe cum homines habitu & perſona cultuque funebri amicti prodeunt, quod hodieque apud Chriſtianos ſolemne eſt.* Eadem adfert Rivetus *Exercitat.* CLXXXVII. *in Gen. in h l. Fletum*, inquit, *intelligere*

debemus de luctu ceremoniali, id est, quod totidem diebus signa quædam luctus pro suo more exhibuerunt, quomodo apud nos atrati incedunt & pullati, qui mortuos lugent.

Aaroni & Moysi Viro Dei solemnem luctum exhibitum a Filiis Israel per integrum mensem sive xxx. dies *Num.* xx. 30 & extremo *Deut.* v. 8. legimus. Pium Principem ac Patrem Patriæ, Regem Josiam omnes ordines luxerunt, Jeremias maxime, omnesque cantores atque cantatrices lamentationes ac lessos, quos Jeremias ediderat, per complures annos lamentabili voce & cantu lugubri recitarunt, 2. *Paral.* xxxv. 24. 25. Judam quoque Machabæum per multos dies luxisse populum Israel, docet 1. lib. *Machab.* cap. ix. 20. Legitimum vero luctus tempus apud Judæos xxx. diebus fuisse circumscriptum, ex Josepho docet S. Ambrosius initio *Orationis de obitu Theodosii*, de luctus defunctorum tempore agens: *Utraque observatio*, ait, *habet autoritatem, qua necessarium pietatis impletur officium: luctus quidem legitimum & idoneum fuisse tempus* xxx. *dierum apud Judæos, ex Mosaicis legibus Josephus* (l. iv. Αρχαιολογίας cap. viii.) *tradit. Non prius licebat cubile attingere, quam abrasa fuisset, lugubremque habitum induisset atque propinquos & amicos eluxisset. Cum autem triginta dies in hoc luctu perfecisset, (sufficiebant enim bene institutis triginta dies illi ad lacrymas & luctus charissimorum) tunc poterat ad nuptias & matrimonium se conferre.* Consentit Moses Maimonides *H. Efel.* cap. vi. §. 1. ubi inquit: *Ex sententia scribarum lugens totos triginta dies quibusdam indulget lugentium ritibus. Unde vero sapientes confirmant dies* xxx. *videl. quia dictum est, (Deuter.* xxi. 13.) *& flebit patrem suum matremque suam mense integro, cunctis itaque* xxx. *diebus mœrore afficitur lugens.* Sed & alibi ejusmodi luctum in funeribus fere septem tantummodo dierum fuisse apud Judæos, legimus. Certe *Ecclesiasticus* c. xxii. 13. ad septenarium duntaxat luctum super mortuo restringit inquiens; πένθος νεκρῦ ἑπτὰ ἡμέραι, *Luctus mortui septem dies*, vel defunctus septem dies est lamentabilis. Hinc Joh. Steph. Menochius *Rep. Ebr.* l. viii. c. v. quæst. 10. *Hic videtur communis fuisse exequiarum modus, ut scil. unam hebdomadam non excederent, sed per tot dies justa funebria celebrarentur, quot solebant dare lætitiæ nuptiali, ut patet ex Gen.* xxix. 27. *& Tob.* xi. 21. confer Jansenium *in h. l.* Bonartius hoc Syracidæ conciliaturus cum altero c. xxxviii. 17. amare fer luctum illius uno die, ait *Comm.* fol. 317. *olim luctum vehementem adhibitum fuisse in funeribus amicorum, uno vel duobus diebus, prout conditio & dignitas illorum postulabat, moderatiorem* v. *& cum interpolatione diebus septem, nisi forte essent viri illustres beneque de republ. meriti, quorum planctui dies triginta impendebantur. Quod si essent mariti, uxores, parentes,* &c. *forte spatium annuum concedebatur.* Casparus Sanctius *in c.* xi. *l.* ii. *Regum* ad vers. 27. *Transacto autem luctu*, &c. annotat: *Planctus autem ille, ut opinor, septemdialis fuit; nam licet in aliquos principes productus fuerit ad spatium temporis longius planctus ille, ut in funere Aaron, cui impensi fuerunt dies triginta, Num.* xx. 30. *& totidem Mosi, Deut.* xxxiv. *aliis quasi legitimus planctus septem dierum fuit. Sic Jacobum septem diebus honorario planctu prosecuti sunt Ægyptii in terra Canaan, licet in Ægypto in ejus parentalibus dies multo plures consumpti sint. Et hunc septemdialem luctum esse legitimum, docet illud Eccles.* xxii. 13. *Luctus mortui septem dies*, &c. *Gen.* L. 10. quoque dicitur; *Et fecit patri suo luctum septem dierum.* Ad quæ verba Augustinus in *Quæstionibus super Gen. Nescio*, inquit, *utrum inveniatur alicui Sanctorum in Scripturis celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinos novendial appellant. Unde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi, si qui Christianorum istum in mortuis suis numerum servant, qui magis est in Gentilium consuetudine. Septimus vero dies autoritatem in Scripturis habet. Unde alio loco (Eccles.* xxii. 13.) *scriptum est*, Luctus mortui septem dierum, fatui autem omnes dies vitæ ejus. *Septenarius autem numerus propter Sabbati Sacramentum præcipue quietis indicium est, unde merito mortuis tanquam requiescentibus exhibetur*, Hæc ille. De nobili illa gentis suæ servatrice, *Judith* c. xvi. 29. dicitur; *luxit illam omnis populus septem diebus.* Brevior ergo luctus fuit, vel longior pro dignitate mortui. Docet id iterum Maimonides *H. Efel.* c. xiii. in medio, verbis, ut Latina ea habentur apud Schickardum *de Jure Regio Hebr.* c. vi. *Non deflent mortuum ultra triduum* (lacrymantes) *nec lugent, ultra septiduum*, (in terra discalceati sedentes) *intellige hoc de vulgo. Nam sapientiæ studiosos plangunt pro modulo eruditionis illorum. Non tamen quempiam deflent ultra mensem, nec lugent ultra annum. Ecce enim nunquam habuimus majorem Mose nostro Præceptore, & de illo scribitur (Deut.* ult. 8.) *triginta diebus finitum esse fletum, sic nec ullum habuimus doctiorem R. Jehuda Sancto*, (qui a morum honestate sic denominatus, collegit librum *Mischnajot*, Imperatori Antonino familiariter notus, e familia Hillelis & ipsius Davidis, itaque Christi cognatus, juxta carnem) *& tamen non ultra* xii. *menses continuarunt luctum.* Parentes tamen mortuos liberi lugent per annum, ut etiam Bonartius observat *loco all.* confer Buxtorfium *Synag. Judaic.* c. xxxv. Servos vero non plangunt, nec parvulos seu minorennes, teste sæpius citato Maimonide *H. Efel.* c. ii. ante finem.

Dolor moderatus & externa hujus luctus signa non improbantur apud Christianos. Tametsi argumenta multa tam ex Scriptura, quam ex ratione & exemplis adversus luctum pro mortuis adferri possint & soleant, nulla tamen sunt, quæ absolute concludant contra omnem luctum & planctum, sed tantum adversus immoderatum, ex impatientia vel diffidentia orientem. Quo referendum illud Apostoli 1. *Thess.* iv. 13. *De dormientibus non contristemini sicut alii, qui spem non habent.* Ubi non absolute luctum prohibet S. Paulus, sed comparate ad eos, qui spe beatæ vitæ & resurrectionis erant destituti. Hinc etiam Christiani Doctores veteres morem lugendi defunctos non reprehenderunt, ubi modum non excessit. Quod si vero fines decentiæ transcenderet planctus & luctus, aut aliquid affectati, ut fit interdum, resiperet, (quem S. Chrysostomus *Homil.* LXI. *in Joh.* circa fin. *muliebrem morbum* vocat) non defuerunt hortatores, qui lugentes intra cancellos rationis revocarent. Proinde recte invehitur jam dictus Chrysostomus in Christianos sui seculi, qui cruentarant brachia, sciderant capillos, laniarant genas, nigrisque se obvelarant vestibus, *Homil.* LXI. *in cap.* ii. *Johan. Non*, inquit, *lugere, sed ἀμέτρως, sine debita moderatione lugere, veto. Non sum immanis atque crudelis, video naturam dolere & quotidianam requirere consuetudinem: non licet nullo affectu moveri, quod & Christus ostendit, lachrymatus super Lazarum: ejus exemplum sequere; lacrymare, sed leniter, & prudenter, & cum Dei timore.* Idem inquit *Homil.* iii. *in Epistol. ad Philipp. Defleamus* (mortuos) *sed non præter decorum*, Cyrillus *in Johan.* l. vii. c. xx. ait: *Erudiit nos Dominus* (scil. ad sepulchrum Lazari, amici sui, flens, *Joh.* xi. 34.) *suis lacrymis, quonam modo charos nostros vita functos moderatis & lege rationis temperatis lacrymis flere de-*

beamus. Nam ex toto, nec compati, nec mœrere, ferinum est & durum, horum vero exuberantia, muliebre. Tu vero cur impatienter feras subductum, inquit alicubi Cyprianus, *quem credis reversurum. Profectio est, quam putas mortem. Ignoscimus matris lacrymis, sed modum quærimus in dolore*, ait Hieronymus *epist.* XXV. *ad Paulam* super obitu Blæsillæ. *Permittantur pia corda charorum, de suorum mortibus contristari, dolore sanabili & consolabiles lacrymas fundant*, dicit S. Augustinus *Sermon.* XXIV. *de Verbis Apostoli. Non culpamus affectum, nisi cum excedit modum*, inquit Bernhardus *Sermon.* XXVI. *in Cantica. Grandis enim in suos pietas, impietas in Deum est*, ait modo citatus Hieronymus *loco alleg. Formidandum enim omnino*, inquit Cyrillus *dicto loco, ne divinam contra nos iram provocemus nimio luctu, adeo obnixe reluctantes, quod ipse, qui vitæ & mortis habet imperium, constituit faciendum*. De tempore vero luctus, quid antiqui Christiani senserint, ex libro VIII. *Constitut. Apostolic.* (quas non ideo adducimus, quod censeamus esse Apostolicæ originis, vel autoritatis, sed quia non plane omnis expertes sunt antiquitatis) cap. XLVIII. quodammodo colligi potest, confer Lorinum *ad cap.* IX. *Actor.* v. 2. Tholosanum *Syntagm. Juris Univ.* l. II. c. IV. Fuisse apud Christianos in usu, ut mortuos per septem dies deplorarent, docet Magister Historiæ Scholasticæ, P. Comestor. Accedit huic mori mysterium, quod tangit Ambrosius *Orat. de Fide Resurrect. Nunc die septimo ad sepulchrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est*.

De *consecratione* autem & θεοποιΐᾳ Gentilium, quomodo nempe fatua Gentilitas nonnullos vita functos, post delatum sepulturæ honorem, modo citius, modo tardius, certis quibusdam ritibus & ceremoniis in deos retulerit, (quam rem pulcherrima narratione exponit in *Vita Antonini* Herodianus) vide differentem Kirchmannum *lib.* IV. *capp.* XIII. & XIV. Redolet istam Ethnicorum ἀποθέωσιν superstitiosa Papalis Canonizatio, (*a*) qua Pontifex Rom. per suam, quam sibi sumit, omnipotentiam, sanctos esse jubet & in certum Divorum ordinem adscribit post fata, bene de se meritos, de cætero sæpe pessimos. Vide Henricum Kornmannum *de Miraculis Mortuorum* parte VIII. cap. XX. Narrat Guliel. Camdenus, Strabo ille Britannicus, in *Britannia* sua pag. 131. Henricum VII. Regem Angliæ sanctas Henrici VI. Regis virtutes tantopere admiratum fuisse, ut cum Julio II. Pontifice Romano egerit de illo inter Divos referendo: *Sed* (addit) *quo minus hoc fieret, in causa erat Pontificis avaritia, qui pro Regis Apotheosi nimis magnam pecuniæ vim exegit, ut videretur non Principis sanctitati, sed auro honores illos delaturus*.

CAP. XIV.

De excessu circa sepulturam, cum ratione sumptuum, tum ratione subjecti speliendi.

Excessus circa funerationem positus imprimis fuit antiquitus in inutili sumptuum profusione. Jure merito culpandi hic sunt Tybricolæ, quos modum excessisse in impendendis in res funereas atque adeo perituras sumptibus, ex præcedentibus oppido conjicias. Vidimus enim quanto studio præparata apud eos functorum corpora, vermibus esca futura, quanta pompa educta, quam splendidis vestibus, pretiosisque rebus aliis funerata, quantis impensis sepulcra condita, epulæ, ludi instituti ac munera data. Et quanquam de sumptibus funerum caverunt Leges XII. *Tabular. Sumptum minuito; tria, si voles, reicinia* (vestimenti genus erat) *& vincula purpuræ & decem tibicines adhibeto; hoc plus ne facito*. Ac alibi: *Neve aurum* (mortuo) *addito*, &c. (Fragmenta legum harum Xviralium recenset Cicero in fine libri II. *de LL.* ubi inter cætera ita loquitur: *Nostræ quidem legis Interpretes, quo capite jubentur sumptus & luctum removere a deorum manium jure, hoc intelligunt inprimis sepulchrorum magnificentiam esse minuendam.*) Non tantum vim suam Leges XII. *Tabul.* obtinuerunt, sed ad immensos sumptus progressa ista res est, Sylla legem promulgavit, qua funebres impensæ ambitiosæ exequiæ atque ad rogum munera, nec non conviviorum impendia præscripto fine taxabantur; sed legem hanc suam in Metellæ conjugis funere transgressus ipse, profusione maxima exequias dedit. Alexand. ab Alexandro lib. VI. *Genial. Dier.* cap. XIV. Athenienses, quos ad summam superstitionem anxios fuisse in rebus funereis alibi dixi, postquam sumptuosa funera ac ampla nimis sepulcra facere cœperunt, Solonis lege prohibiti sunt, ne sepulcrum facerent operosius, quam quod decem homines efficerent triduo. Neque id opere tectorio exornari, nec Hermas, quos vocant, licebat imponi, ut refert Cicero lib. II. *de Legibus*, ex Demetrio Phalereo, *Posteaquam*, inquit, *ut scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera & lamentabilia cœpissent, Solonis lege sublata sunt. Quam legem iisdem prope verbis nostri Xviri in undecimam tabulam conjecerunt. Nam de tribus reiciniis & pleraque alia Solonis sunt*: subjicitque legem jam dictam Solonis, qua amplitudo ac magnificentia ædificandorum sepulcrorum Athenis inhibita fuit. Et post aliqua inquit: *Sed ait rursus idem Demetrius, increbuisse eam funerum sepulcrorumque magnificentiam, quæ nunc fere Romæ est. Quam consuetudinem lege minuit ipse*. Lycurgum itidem, omnem circa mortuos & sepulcra superstitionem sustulisse tradit Plutarchus in *Lycurgo* & *Lacon*. Ulysses maxime sibi curæ esse, ut splendido opere defunctus sepeliatur, quippe quod ad memoriam extendendam maxime faciat, proclamat apud Euripidem *Hecuba*. Ita quidem fatuus ille, ut malit in vita re esse tenui, quam honorata sepultura carere. Barthius lib. LIII. *Advers.* cap. VIII. Hephæstionis funus Babylone ab Alexandro celebratum, quæ toto sunt terrarum Orbe unquam edita, facile excessit magnificentia & sumptu, quando ad duodecim talentorum millia traduntur effusa, quo nomine in proverbii faciem trahi scienter potest, L. Cœlius Rhodigin. *Lect. Antiq.* lib. XVII. cap. XIX. Ægyptios de structura domorum minus fuisse solicitos, in adornandis autem sepulcris eximie nihil studii fecisse reliquum, refert Diodorus Siculus *lib.* I. *cap.* LI. Inprimis mirifica & portentosa magnificentia extructa fuerunt apud illos priscorum Regum sepulcra, ut apud eundem *lib. dicti capp.* XLVIII. & XLIX. legere est, ubi prolixe describit monumentum Regis Osymanduæ, quod non modo sumptuum magnificentia, sed & artificum industria, cætera antecelluisse dicit: *Rarum & memorabile est* (inquit Corn. a Lapide *Comm. in Jer. cap.* XXII. 19.) *quod scribit Plinius lib.* XXXVI. *cap.* XII. *justo judicio Dei factum esse, ut ignoretur, quinam fuerint Pyramidum Ægyptiarum autores, eo quod ipsi in insanis bis-*

ce

(*a*) Canonizationem nostram non convenire cum Gentilium Apotheosi, nec ab illa originem ducere, evincunt nostrates catholici scriptores. Mirum est, in luce meridiana cæcutire velle heterodoxos. Vide Prosperum de Lambertinis S. R. E. Card. Bononiensem Archiepiscopum Tomo I. de servorum Dei Beatificat. &c. Libro I. cap. I.

ce fabricis (quæ Romam translatæ, etiamnum intuentibus sunt stupori) Regum opes exhauserint, & nominis æternitatem apud posteros quæsierint. Erat & alia vanitatis & superstitionis species, ut hoc obiter addam, apud Ægyptios veteres, si non omnes, saltem aliquos. Hi enim corpora medicata, id est, aromatis condita & exsiccata, nec cremabant, nec sepeliebant, sed domi in conclavibus & lectulis asservabant, mensisque itidem adhibebant tanquam convivas. Vide Cicer. I. *Tusc.* Pompon. Melam *de Situ Orbis l.* I. cap. IX. Lucian. in *De Luctu.* Unde Silius Italicus *lib.* XII.

—— Ægyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, & a mensis exanguem haud separat umbram.

Retinuerunt hanc inveteratæ consuetudinis vanitatem Christiani nonnulli in Ægypto ex Paganismo conversi aliquandiu, quam acriter reprehendit Antonius Eremita, ut in *ipsius Vita*, quæ sub Athanasii nomine circumfertur, habetur: *Mos etenim Ægyptiis est, nobilium & præcipue beatorum Martyrum corpora linteamine quidem obvolvere, & studium funeri solitum non negare; terra vero non abscondere, sed super lectulos domi posita reservare. Hunc honorem quiescentibus reddi, inveteratæ consuetudinis vanitas tradidit. De hoc Antonius sæpe & Episcopos deprecatus est, ut populos Ecclesiastica consuetudine corrigerent, & laicos, viros ac mulieres rigidius ipse convenit, dicens: Nec licitum hoc esse, nec DEO placitum, quippe cum Patriarcharum & Prophetarum sepulcra, quæ ad nos usque perdurant, hæc facta convincerent.* Eandem fuisse ipsius Athanasii mentem, testatur Damascenus *Orat.* I. *de Imaginibus*: *Scimus B. Athanasium Sanctorum reliquias non in urnis collocandas, sed humi condendas esse eo consilio censuisse, ut absurdum Ægyptiorum morem abrogaret, qui mortuos suos non sub terram condebant, sed in lectulis & scimpodiis collocabant.* Notandum hoc contra Pontificiorum (*a*) superstitionem, qui honeste sepulta corpora effodiunt, ut membra & partes defunctorum, omnium oculis subjiciant, & superstitiose adorari curent. Qua de re Erasmus in *Peregrinatione*, sic Menedemum loquentem introducit: *Dictu mirum, quantum ossium illinc prolatum sit*, (loquebatur de sacrario Cantuariensi) *calvaria, menta, dentes, manus, digiti, integra brachia, quibus omnibus adoratis fiximus oscula, nec erat futurus finis, nisi qui tum mihi comes erat peregrinationis parum commodus, interpellasset ostentandi studium.* Sed ut ad impensas funereas revertar; in sumptibus parentalibus faciendis, non videri cessisse ulli genti Danos, inquit Olaus Wormius *Monumentorum Danicorum l.* I. cap. VI. Hoc ut probet inter alia adducit exempli loco ex Saxone Grammatico Haraldum Gormonis filium, qui universum regni exercitum, boumque numerum ingentem inusitatæ magnitudinis, saxo in Jutico littore reperto applicuit, quo matris tumulum insigniret. Gallorum etiam funera *pro cultu fuere magnifica & sumptuosa*, attestante Cæsare *Comment.* VI. *de Bello Gall.* item Appiano in *Hispan.* de Viriathi ducis ipsorum funere loquens: Οὐρίαθον μὲν λαμπρότατα κοσμήσαντες
A ἐπὶ ὑψηλοτάτης πυρᾶς ἔκαιον: id est, *Viriathi corpus magnificentissime exornatum in altissimo rogo cremarunt.* De Judæis scribit Hieronymus & post eum Nicolaus de Lyra, moris fuisse apud eos, sepeliri sumptuose, præsertim nobiles. Cardinalis Baronius ad ann. Christi XXXIV. num. XCI. & Pineda *in Jobi* cap. III. v. 15. num. 4. referunt: Tantum olim excrevisse apud Hebræos hanc funerum impensam, ut interdum ejus magnitudine deterriti cognati & propinqui, relicto cadavere se aliquandiu subducerent. Moderata autem hæc fuisse a Gamaliele seniore, filio Simeonis, nepote Hillelis, ad cujus pedes S. Paulus Apostolus Jerosolymis in Judaismo enu-
B tritus creditur, atque statutum, ut non nisi lineis velis cadavera obvolverentur, cujusvis essent conditionis aut ordinis. Ex *Zem. Dav.* fol. 36. b. citat Schikardus *de Jure Regio* cap. VI. verba, quæ ut toga donata adscribam: *Rabban Gemaliel senex præceperat ante obitum, ut se vilissima veste linea sepelirent. Nam prius consueverant mortuos in holosericis offerre, ut sepultura consanguineis gravior fuerit (minusque tolerabilis) ipsa morte, sicut est in Talm.* cap. II. *Mass Schabb.* Sed de lege Judæorum, qua luxus vestium sepulcralium prohibebatur, egi supra cap. V. ubi de vestitu.

C Augebat maxime sumptus auri pecuniæque ac aliarum pretiosarum rerum in sepulcra illatio, pluribus populis familiaris admodum. Non repetam ea, quæ cap. VII. dixi de munerum in rogum conjectione apud Gentiles. Cum auro & argento, inquit Kornmannus *de Mirac. Mortuor.* part. X. cap. XIX. morem sepeliendi olim apud Romanos usitatum fuisse, apparet ex Ulpiani responso, qui tamen hisce verbis prohibetur in *l. & si quis ff. non oportet. de relig. & sumpt. fun.* Non oportet ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud hujusmodi, quod homines simpliciores faciunt. Refert Besoldus, *Consider. Polit. de Vita & Morte* cap III. ex Arngrim.
D Jona *de Islandia lib.* II. ad fin. In Islandia quondam, indignum præclaro parente habitum fuisse filium, qui in armis minus posset: utque posteri cum majorum rerum gestarum gloria magis contenderent, vetuisse, bona parentum armis quæsita ad filios devolvi hereditario jure; quin ea potius cum defunctis dominis inhumanda censuisse; ut sunt aurum, argentum, gladii, clypei, equi, &c. Occasionem investigandi hujusmodi thesaurum sepulchris inclusi solitum Dario dedit inscriptio monumenti Nitocris (vel ut Plutarchus vult, Semiramidis) reginæ Babylonis. Hæc enim cum sepulchrum sibi exstruxisset admirandi sumptus supra portas urbis, inscri-
E bi jussit hæc verba; *Quicunque Rex pecuniis indiget, aperto monumento, quod voluerit, accipiat.* Quas literas cum legisset Darius, frustra opinatus est, thesaurum ibi reconditum esse, sepulcris lapide revoluto, non quidem pecunias, sed literas alias vidit ita dicentes: *Nisi pecuniis esses inexplebilis & turpis lucri cupidus, defunctorum sepulcra non aperuisses.* His lectis ab ulteriore investigatione & infestatione cessavit, vide Herodot *l.* I. Salomon Rex ditissimus, ut est apud Josephum *l.* VII. *Antiq.* cap. ult. præter solemnia illa in Regum funeribus, ingentem pecuniæ vim patrio intulit sepulcro: de qua post multos
F annos Hircanus Pontifex, cum ab Antiocho Rege, cognomine Pio, Demetrii filio, urbs Hierosolyma oppugnaretur, tria talentorum millia extraxit, eorumque partem Antiocho, ut obsidionem solveret, numeravit, seque ac urbem oppugnationis periculo exemit. Unde Egesippus *lib.* I. *de excid. Urbis Hierosolym.* cap. I. *Repulit Hircanus auro, quem ferro nequibat, referatoque, ut Josephus autor est, Davidis sepulcro, tria millia auri talenta eruit.* Refert Josephus *loco cit.* Herodem Regem postea ad exemplum Hircani alia cella aperta, magnam inde auri

(*a*) Prudens est Michaelis Lequieni animadversio in illum Damasceni locum, cujus non alia mens est, nisi quod pro locorum, temporum, & personarum discrimine, alia, & alia fuerit Ecclesiæ disciplina, atq; semoto idololatriæ scandalo sacrarum imaginum & reliquiarum venerationem rite Ecclesia probaverit. De honore, qui Sanctorum corporibus debetur, agunt latissime Scriptores Catholici.

summam sustulisse. Vide & eundem *lib.* XVI. cap. XI. de Herode, ubi tamen paulo a seipso diversus est. Hic autem mos defodiendi pretiosa cum cadaveribus, irrationabilis visus est Hebræis Doctoribus; *Præcipiunt* (inquit Schickardus *loco* sæpius *alleg.* p. 163.) *sapientes* (Hebræi) *cavere, ne quid facile una defodiatur, quod aut pretiosum sit, aut honestius utiliusque possit egenis erogari:* subjicit verba Magistri Hebræorum Maimonidis ex *H. Efel.* cap. XIV. quæ Latina facta adscribam, quantum ad nostrum institutum: *Docendi tamen sunt homines ne sint dissipatores, vel assuescant intempestivis perditionibus. Præstat enim ea dare pauperibus, quam sic inutiliter vermibus objicere.* Irrepere etiam in Ecclesiam Christianam quandoque cœpit luxus & ostentatio circa sepulturam. Quam rem vehementer detestati sunt sancti Patres. Hieronymus in fine libri *de Vita Pauli Eremitæ: Cur & mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? Cur ambitio inter luctus lacrymasque non cessat? An cadavera divitum, nisi in serico, putrescere nequeunt?* S. Chrysost. *Homil.* LXXXIV. *Tu cum audieris nudum Dominum resurrexisse, cessa, quæso, ab insana funeris impensa. Quid sibi hoc superfluum vult & inutile dispendium, quod ipsis, qui faciunt, plurimum affert detrimenti, mortuis nullam utilitatem, vel damnum potius. Sumptuosa namque sepultura, interdum causa est, ut fures cadaver effodiant & nudum & insepultum projiciant.* Et post pauca: *Quod ego non ut sepulturam tollam, dico, absit, sed luxuriam & superfluam ambitionem.* Idem *ibidem* dicit: *Dominum non addidisse, (Matth.* XXV.*) mortuus fui & sepelistis me, quia sponte sua homines non solum hanc eleemosynam facere solent, sed etiam nimium in ea facienda excedere.* Huc pertinet illud Ambrosii: *Quid proficit sepulchrorum superbia: damna sunt potius viventium, quam subsidia mortuorum.* Illudque Drexelii Jesuitæ in *Tobia* part. I. cap. IV. §. I. *Sæpe funeris sumptuosa nimium pompa est, ipsis mortuis induimus superbiam. Ah quid ista manes juvant! Verbo veteri non raro dixeris; Honorantur, ubi non sunt, & ubi sunt, cruciantur.* Quidam Christianorum non pretiosis tantum vestibus defunctorum involvebant corpora, sed & alias res sumptuosas, aurum etiam & argentum sepulcris inferebant, quæ illecebræ & irritamenta erant furibus, violandi effringendique mortuorum monumenta. Vide Gretserum *lib.* I. *de Funere Christian.* cap. VI. Pinedam *loco* supra *all.* *Ædificia tegunt cineres,* inquit Cassiod. *lib.* IV. *Var.* ep. XXXIV. *columnæ vel marmora ornent sepulcra, talenta non teneant, qui vivendi commercia reliquerunt. — Imo culpæ genus est, inutiliter abditis relinquere mortuorum, unde se vita viventium sustentare potest.* Hactenus de prima capitis parte, succedit altera, quæ est de Excessu circa sepulturam, ratione subjecti sepeliendi.

Quidam enim Gentilium non contenti magnos impendisse sumptus funerandis humanis corporibus vita functis, ipsa quoque animalia bruta hoc *honore supremitatis*, ut vocat Ammianus Marcellinus, affecerunt. Sic equis & canibus suis honorificam Reges & Impp. nonnulli sepulturam præstiterunt. *Cui non compertum*, inquit Kornmannus *de Mirac. Mortuor.* part. VII. cap. XIV. *quanta pompa* Cimon Atheniensis *sepelierit in proprio sepulcro vicino equos suos, quibus cum trina vice in ludis Olympicis victor evaserat.* Magnus ille Alexander exquisitissimas famoso equo suo Bucephalo duxit exequias, urbe insuper ejus nomine in rei memoriam dicata ad flumen Idaspen, ubi mortuus conciderat, ut plurimi tradunt Scriptores. Equos suos sibi inprimis charos sepulcro honorarunt Augustus Cæsar, Antoninus Verus, Nero, Caligula, Adrianus, Commodus Verus, Adriani Imp. adoptivus filius, ut refert Kornmannus *loco* jam *citato.* Adrianus insuper Boristhenis equi tumulum epitaphio ornavit, quod ipsum cum notis vide apud Barthium *l.* XXIII. *Adversf.* cap. VIII. Agrigentini equis suis in certamine probatis non negarunt sepulturam. Imo complurium equorum tumulos in Agrigentina regione pyramidas habuisse, testatur Plinius *lib.* VIII. *H. N.* cap. XXII. *Miltiades tres equas Olympia victrices* (quæ ad Olympiam, quinquennalibus ludis illustrem urbem, curuli certamine victoriam erant adeptæ) *tumulo in Ceramico* (Athenis) *composuit. Euagoras Lacon itidem Olympionicas equas magnifice sepelivit*, ut narrat Ælianus *lib.* XII. *de Animalibus* cap. XL. Canes etiam sepulturæ honore affecit Adrianus Imper. affirmante id Ælio Spartiano in *Adriano.* Quanto impenso columnarum de porphyrite tumulavit Polliacus dilectissimum suum canem, ornando eum bellissimo epitaphio, inquit Kornmannus *loco alleg.* Romæ in hortis Cardinalis Urbini epitaphium canis tale legitur:

Quod potui, posui tibi fida catella sepulchrum,
Digna magis cœli munere, quam tumuli.

Ibidem corvum aliquando, (qui omnes senatores & patricios nominatim appellare fuit solitus) prælatis coronis ac præcedente tibicine duorum Æthiopum humeris elatum esse, refert Plinius *lib.* X. cap. XLIII. Ægypti Regem nomine Marrhem cornici ita edoctæ, ut hinc inde sub alis literas portaret, præpete volatu, sepulcrum exstruxisse, asserit Ælianus *lib.* VI. *Animal.* cap. VII. Lacydem Philosophum Peripateticum, anserem ita ipsi adhærentem, ut nec domi, nec foris ab eo discederet, post mortem non minus ambitiose, quam aut filium aut fratrem, sepulturæ honore affecisse, autor est idem Ælianus *lib.* VII. *Animal.* cap. XLI. Narrat Diodorus, referente Kornmanno *loco cit.* de quodam, qui in sola sepultura diversorum animalium aliquot vicibus impenderit centum talenta. Persæ & Parthi consueto more sepeliverunt suos equos, Molossi suos canes, teste Rhodigino in *Antiq. Lect. lib.* LVIII. cap. XIII. Statius *l.* II. *Sylvar.* in *Epicedio Pileti:*

—— gemit inter bella peremptum
Parthus equum, fidosque canes flevere Molossi:
Et volucres habuere rogos, corvusque Maronis.

Ægyptii boves, feles, canes, ursos, lupos, ichneumones, accipitres & quas ibides vocant, aliaque animalia, quæ non viva tantum, sed & demortua venerabantur. Sic enim de illis Herodot. *lib.* II. *Quibuscunque in domibus felis oppetit mortem, earum domorum habitatores cuncti sola supercilia eradunt: totum autem corpus & caput, in quorum domibus moritur canis. Efferuntur autem feles mortuæ ad sacra tecta, ubi salitæ sepeliuntur in urbe Bubasti. Canes fœminas in sua quisque urbe tumulant, sacratis in loculis. Eodem modo, quo canes fœminæ, ichneutæ sepeliuntur. Nam mygalas*, id est, mures araneos, *& accipitres in urbem Butum asportant; ursos autem, qui sacri sunt, & lupos non multo vulpibus grandiores, eo loci sepeliunt, ubi jacentes inveniunt.*

CAP. XV.

De neglectu sepulturæ, abolendique cadavera varia ratione apud Gentes.

QUanquam maxima Gentium pars in alia omnia discors, in hoc conveniebat, huma-

norum post fata corporum curam exacte gerendam esse, non defuerunt tamen, qui spernerent penitus. Plurimi Veterum sapientiæ consultorum, inprimis Stoicorum rigida & ab humanitate remota secta, sepulturam corporum, ejusque curam fecerunt minimi, parum omnino interesse rati, an corpus periturum supra terram, an infra contabesceret, ignis, aer, fluctus an mare illud consumeret. Obvia sunt eorum scita. Quibusdam illud semper in ore,

Libera fortunæ mors est, capit omnia tellus,
Quæ genuit, cœlo tegitur, qui non habet urnam.

Sentienti, dicebat alter, *onus est terra, non sentienti supervacaneum.* Mecænas, cætera effæminatus, hoc unum mascule dixisse fertur;

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.

Diogenes ille Cynicus, quomodo se sepeliri vellet, interrogatus, jussit cadaver ejici inhumatum in apricos campos; Tum amici; volucribusne & feris? Minime vero, inquit, sed bacillum prope me, quo illas abigam, ponite. Rursum illi; Qui poteris? non enim senties; Quid igitur, inquit, mihi ferarum laniatus oberit, nihil sentienti? Ferarum ventre an terra condar, quid refert? *Apophthegm.* Erasmi *lib.* III. confer Ælianum *Variæ Histor. l.* VII. c. XIV. Diogenem Laert. in *Vita ejus.* Demonactem amici rogabant, quomodo vellet sepeliri: *Ne quid*, inquit, *ista res nos habeat sollicitos; fœtor me sepeliet*, & dicentibus, indignum facinus, si talis viri corpus laceraretur a canibus; *Quid*, inquit, *incommodi, sim & mortuus alicui sim sui?* Erasmus *l.* VIII. *Apoph.* Solon unus ex septem Græciæ Sapientibus & Atticarum legum scriptor, solus ex septem in Cypro diem suum obiit, ossa vero transferri Salaminem, (unde oriundus erat Sapiens) ac in cinerem redacta spargi illic voluit, Meursius in *Solone.* Theodorus Cyrenæus, Philosophus non ignobilis, Lysimacho Regi, crucem minanti, istis quæso, inquit, ista horribilia minitare, purpuratis tuis, Theodori quidem nihil interest, humine, an in sublimi putrescat, Tullius in extrema prima *Tusculana.* Seneca, Romanus sapiens, *epistola* XCII. pag. 768. *Nemo liber est*, inquit, *qui corpori servit, cujus morosum imperium delicatumque est. Ab hoc modo æquo animo exit, modo magno prosilit, nec quis deinde reliquiis ejus futurus sit exitus, quærit. Sed ut ex barba capillos detonsos negligimus, ita ille divinus animus egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an feræ distrahant, an terra contegat, non magis ad se judicat pertinere, quam secundas ad editum infantem. Utrum projectum aves differant, ac consumatur* canibus data præda marinis, *quid ad illum? qui tunc quoque, cum inter homines est, nullas minas timet, ullas ne timebit post mortem? Neminem*, inquit porro, *de supremo officio rogo. Nulli reliquias meas commendo, ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Quem sævitia projecerit, dies condet.* Græcus Scriptor apud Stobæum *Serm.* XXXVIII. *Si non tegaris terra & insepultus sis, quæ hæc molestia? aut quid refert, igne comburi, aut a cane devorari, aut supra terram existentem a corvis, seu defossum a vermibus?*

Nonnullæ etiam Gentes eo processerunt immanitatis, humanitatis, quam naturæ lex imperat, oblitæ in tantum, ut mortuorum corpora in cibum converterent & epulis immista, intra viscera sua recluderent, honestum esse arbitratæ, suis in proprio ventre conditorium struere. Unde Petronius Arbiter in *Satyr. Apud quasdam gentes scimus adhuc legem servari, ut a propinquis suis consumantur defuncti, adeo quidem ut objurgentur ægri frequenter, quod carnem faciant pejorem.* Ex Britannicis populis Iberni, efferati homines, parentum defunctorum corpora frustillatim dissecta vorarunt, pietatis esse rati si egressi ex viventium illorum visceribus, ingressum in sua vicissim non denegarent functis. Strabo *l.* IV. Massagetæ, Derbices, Essedones (Scytharum hi populi sunt) mortuorum corpora cæteris mixta carnibus comedentes pulchrum sibi illud & jucundum ducebant epulum. De illis Strab. *lib.* XI. *Mortis genus optimum censent, si senio confecti cum carnibus ovillis in frusta concidantur, unaque devorentur: qui e morbo decedunt, eos abjiciunt, tanquam impios & dignos, qui a feris vorentur.* Idem de Derbicibus: *Qui* LXX *annum excesserunt, eos jugulant, carnes genere proximi absumunt: vetulas strangulant, inde sepeliunt, qui intra* LXX. *annum moritur, non editur, sed humatur.* Eadem habet Ælianus *l.* IV. *Var. Hist.* cap. I. ubi vitiose legitur βερβίκκαι pro Δερβίκκαι. De utrisque vide Hieronym. *Epist. contra Jovinian. l.* II. de Massagetis vero Herodotum *lib.* I. in fine. Senio autem confectos parentes, imbellem turbam, mactare, & carnibus ipsorum vesci solebant, tum ut a se potius, quam a vermibus absumeretur. De Essedonibus ita Pomponius Mela *de Situ Orbis l.* II. c. I. *Essedones funera parentum læti & victimis ac festo coitu familiarium celebrant. Corpora ipsa, quod dictu audituque fœdum est, laniata & cæsis pecorum visceribus immista epulando consumunt. Capita ubi fabre expolivere, auro cincta pro poculis gerunt. Hæc sunt apud eos ipsos pietatis ultima officia.* Silius Italicus *lib.* XIII.

At Celtæ vacui capitis circumdare gaudet
Ossa (nefas) auro, & mensis ea pocula servant.

Hinc Æneas Sylvius, alias Pius II. P. R. in *descriptione Asiæ* cap. XIII. *Essedones*, inquit, *ossa capitum suorum parentum, auro cincta, in poculorum tradere ministerium, asserunt.* De Essedonibus idem, quod jam ex Pomponio Mela adduximus, tradit Herodot. *l.* IV. nisi quod defunctorum capitibus inauratis pro sigillis eos uti dicat. De Padeis gente Indica refert idem Herodot. *lib.* III. illos in more habuisse positum, ut quoties aliquis civium ægrotarit, illum sui maxime familiares interemerint, quod dicant, illum morbo tabescentem carnes ipsis corrupturum. Et licet ille neget se ægrotare, nihilominus isti non ignoscentes, necant eum epulanturque. Hodie adhuc in India Occidentali populi nonnulli efferati ipsi devorant suos mortuos, quos tamen plerumque trucidant, ne morte expirent naturali, minusque delicatas superstitibus epulas præbeant, referente Wendelino *Politic. l.* II. cap. XXI. p. 265. Fuerunt, qui avium canumque laniatibus mallent corpora exponere, quam humo tegere. Persæ veteres, nobilissima natio, quanquam fato defunctos cera circumlitos, ut maxime diuturni essent, domi condebant, ut refert Alexander ab Alexandro *Gen. Dier. l.* III. cap. II. Aliquibus tamen ex eadem gente solemne fuit, canibus, feris & volucribus dilaniandos objicere mortuos, ut scribit Procopius *lib.* I. *de Bello Persico.* Agathias *lib.* II. *Histor.* Solemne iis fuisse ait, corpora extra urbis mœnia

elata in campo deponere, ut pabula dent carnivoris alitibus. Execrabilia autem ea censere, quæ devoratorem aliquem non primo quoque tempore invenirent, eaque demum lugeri a cognatis solita tanquam solo barathro digna, & malis Dæmonibus mancipata. Verum hoc, quod de Persis referunt Procopius & Agathias, postremis temporibus apud illos in usu fuisse observat Kirchmannus in *Appendice ad Lib. de Funeribus Rom.* cap. II. Antiquissimos autem Persas mortuos suos humasse: nisi quod Magi in Persia illos feris prius laniandos objecerint, ut tradit Cicero I. *Tuscul. Magorum mos erat non humare corpora, nisi a feris essent ante laniata.* De Parthis, procul a nostro Orbe sitis, scribit Justinus *lib.* XLI. *Sepultura vulgo aut avium aut canum laniatus est; nuda demum ossa terra obruunt.* Hircanis, quorum horrida & inculta vita fuit, canes ad hoc officium nutriti, pro sepulcro fuere, qui sepulcrales hinc dicti. Ita enim sub finem I. *Tusculanarum* Tullius: *In Hircania plebs publicos alit canes; optimates, domesticos. Nobile autem genus canum illud scimus esse, sed pro sua quisque facultate parat, a quibus lanietur: eamque optimam illi censent esse sepulturam.* Idem de Bactriis refert Strabo *lib.* XI. De Caspiis vero *lib.* eodem: *Caspii*, inquit, *eos, qui septuaginta, amplius, annos vixerunt, fame enectos in solitudinem ejiciunt: eminusque spectantes, si a feretro detrahi eos ab avibus videant, prædicant beatos; sin a feris aut canibus, non item; infelices si omnino non detrahantur.* Unde Alexander Sardus *de Moribus & Ritibus Gent. lib.* I. cap. XXIII. pag. 69. *Caspii collocant in solitudine septuagenarios, felicesque credunt, qui vivi devorantur.* Iberi, quod Silius Italicus docet *lib.* II. *Punicor.* vulturibus mortuos exposuerunt. Hinc Diogenem dixisse ferunt, si canes cadaver suum lacerarent, Hircanam sepulturam fore; si vultures, Iberam, teste Stobæo, *Sermon.* CXXII. Chii combustis cadaveribus & ossibus collectis in mortuario ea contundunt; deinde navigio imponentes, in altum navigant, atque per cribrum ad ventorum flatus dispergunt, donec omnino dissipentur & aboleantur, ait Kornmannus *de Mirac. Mortuor.* part. VIII. cap. IV. Quosdam Æthiopum, qui *ἰχθυοφάγοι* dicuntur, ante demortuos in paludes (nonnulli Meroitarum in flumen Nilum) projecisse piscibus escam futuros, autor est Sextus Philosophus *lib.* III. Alii ex eadem gente circumfuso vitro intra penetralia domi servabant: *Æthiopes exanima corpora vel in flumen dejiciunt, vel vitro operta, ita ut integra spectentur, & posteris spectaculo sint, asservant*, ait Alexand. ab Alexandro *Gen. Dier. lib.* III. cap. II. Lothophagos ex ultima dicunt barbarie suos in mare defunctos abjicere, inquit Kornmannus *de Miracul. Mortuorum* part. VII. cap. I. Hyperborei, qui in extimo Orbis tractu, in littore Septentrionalis Oceani, ultra Aquilonem (unde & nomen eis a Græcis quæsitum) fuerunt, si fuisse credimus, vitæ saturi semetipsos ex quadam abrupta rupe in mare dedere præcipites, voluntario interitu obeundi tarditatem castigantes, si Plinio fides, id affirmanti *lib.* IV. cap. XII. Troglodytas quosdam ferunt adducti in collem defuncti colla laqueis ex paliuro contextis cruribus alligare, saxisque non sine risu petere ac obruere, quousque corporis faciem occultent: imposito dehinc capreæ cornu omnino hilares discedere. Videantur Strabo *lib.* XVI. & Photius in *Bibliotheca*: *Colchi mortuos suos in pellibus sepeliunt & insutos ex arboribus suspendunt*, ut tradit Ælianus *lib.* IV. *Var. Histor.* cap. I. Tibareni præcipitant senes, vel ut ait Hieronymus, suspendunt in patibulo. Sogdiani interficiunt parentes, more ab Alexandro sublato, interficiunt & Triballi, fustibus Sardi, tanquam eos, qui otiose degant, inquit Alexander Sardus *de Moribus & Ritibus Gent. lib.* I. cap. XXIII. pag. 69.

De Principum funeribus & sepulturis apud Septentrionales populos, refert Olaus Magnus Archiepiscopus Upsaliensis *lib.* XVI. *Histor.* cap. XXXVII. *Morem Antiquorum fuisse, cadavera Principum in frondosis arboribus, præsertim quercinis, tanquam sacris locis, numinibus consecratis, suspendere.* Verum hanc Olai Magni narrationem in dubium vocat Olaus Wormius *Mon. Dan. lib.* I. cap. VI. in fine. Incolæ regionis האילם, quam *Zeilan* vulgo vocant, notante Aria Montano & l'Empereur in *Notis ad Itiner.* Benj. Tud. p. 214. qui ut in eodem traditur *Itinerario* pag. 107. mortuos suos non sepeliunt, sed variis aromatibus condiunt, ac in scamnis secundum distinctas familias sepositos sindonibus obtegunt, ut exsiccata carne & ossibus, hominibus vivis similes videantur, adeo ut hic illorum singuli suos parentes, totamque familiam multis retro annis dignoscant. Simile quid de Ægyptiis refert Diod. Siculus *lib.* I. cap. VIII. Cremare exsangues reliquias, antiquissimum institutum Græcorum fuit & Troicis temporibus apud illos usitatissimum. Mos ille etiam ad Romanos pervenit, unde Tacitus *lib.* XVI. *Annal.* de Poppæa; *Corpus non igne abolitum, ut Romanus mos.* Sixtinus Amama in *Antibarbaro Biblico lib.* IV. p. 736. *ad Jerem.* cap. XXXIV. 5. inquit: *Apud Romanos & Græcos frequentata fuit cadaverum crematio. Consuetudinem illam istos ab his, hos ab Hercule accepisse vetus in Homerum Scholiastes ad Iliados α. prodidit.* Simul tamen in usu fuit Humatio apud Græcos pariter & Romanos, ut I. *capite* probatum dedi. Hinc Kirchmannus inquit *lib.* I. *de Fun. Rom.* cap. I. *Ex dictis igitur liquet & Combustionis & Humationis morem apud Græcos obtinuisse, nec introducto uno exolevisse alterum, sed remansisse utrumque, aliis hunc, aliis istum usurpantibus, pro cujusque arbitrio, opinor, & voluntate.* Romanos autem ad exemplum Græcorum & humasse & combussisse mortuos, sequenti docet capite. Universis etiam Celtis per Illyricum, Germaniam, Gallias, Hispaniam, Britannicasque insulas communis fuit hæc Νεκροκαυστία, ut docet Philipp. Cluverius *German. Antiq. lib.* I. cap. LIII. Orientales vero populi non comburebant cadavera. Non Hebræi, ut supra cap. VII. ostendi. Non Persæ; hi enim ignem DEUM esse opinabantur, atque ideo cadaver hominis DEO consumendum objicere nefas putabant. Non Ægyptii; his namque persuasum erat, ignem esse animatam beluam, arreptaque quævis devorare atque consumere, ubi vero expleta & saturata sit, simul cum ipsa re devorata emori. Utrumque refert Herodot. *lib.* III. p. m. 226. Cæterum postquam Christiana religio per Orbem obtinuit, ritus ille Gentilis cremandi mortuos est sublatus. Diserte etiam scribit Macrobius, qui sub Theodosio juniore vixit, morem illum suo tempore plane exolevisse, *lib.* VII. *Saturnal.* cap. VII. Antoninum Cæsarem plane sustulisse humanorum corporum combustionem, dicit Christ. Besoldus *Consider. Politic. Vitæ & Mortis* cap. I. Hieron. Magius in *Æm. Prob. Annot. in Alcibiadem.* Verum id neque fictum, neque scriptum, neque pictum usquam se meminisse legere, dicit Kirchmannus *lib.* I. cap. II. Illud extra dubium est, invalescente Christianismo Νεκροκαυστίαν exolevisse. *Nuspiam cremandorum cadaverum in Jure nostro mentio fit*, inquit Finckelthaus Disp. *de Jure Sepult.* thes. XXVII. *siquidem Ulpiani & aliorum J.C. ejus ætatis sæculo jam usus urendi corpora desiit, & præsertim Justiniani & Compilatorum Juris, qui*

jam receperant fidem Catholicam. Et Græci quoque barbari & crudelis istius moris tandem pertæsi, sepulturam præmaluere. Vide Meursium in tractatu *de Funere*. Sed varia apud diversas gentes abolendi corpora defunctorum servata discrimina, cultissime paucis inclusit versibus Silius Italicus *lib.* XIII. *Punicor.* quos potius apud ipsum lege, si vacas. Confer & de his plura cognoscere cupiens Alexandrum ab Alexandro *lib.* III. *Gen. Dier.* c. II. Kirchmannum in *Append. ad lib. de F. R.* c. II. Kornmannum *de Miraculis Mortuorum* parte VIII. capp. III. IV. seqq.

CAP. XVI.

Quinam in funeribus moderationem adhibuerint?

MEdium tenuere, qui certa quadam ratione esse curam sepulturæ habendam, honesteque, sine luxu tamen & superstitione, recondenda defunctorum corpora statuerunt. Inter Gentiles, veteres Germaniæ, communis patriæ, populi, ut animositate cæteris nationibus superiores, ita in moderatione circa funera nulli fuere secundi. Sic enim Tacitus, explicatis universis & singulis morum Germanorum partibus, tandem concludit: *Funerum nulla ambitio, id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur, struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant. Sua cuique arma, quorundam ignis & equus adjicitur: Sepulcrum cespes erigit. Monumentorum arduum & operosum honorem, ut gravem defunctis, aspernantur*. Priorum verborum hæc est sententia, ut mentem Historici explanat Phil. Cluverius *Germ. Antiquit. l.* I. c. LIII. seu ultimo: Omnium pariter mortuorum apud Germanos corpora fuisse cremata, sed sine ambitione ac pompa, vulgaribus lignis, clarorum tantum virorum corpora certis combusta lignis, id est, quæsitis atque delectis. Germanorum in funeribus modestiam Indi quoque observarunt. Selinus de iis c. LV. *Nullus funerum apparatus*. Et Strabo *lib.* quinto decimo, λιταὶ δὲ ϗ αἱ ταφαί, ϗ μικρὰ χώματα, *in tumulis & sepulturis præparci sunt, in cultu corporis contra nimis*. Cyrus Rex, qui Persis Imperium constituit, lautum ac sumptuosum funus, monumentumque conspicuum contempsit, humari tamen & sepeliri voluit, apud sapientissimum Xenophontem *lib.* III. *Cyropæd.* quando ita ad suos: *Mei pueri, cum decessero, nolite neque in auro, neque in argento, neque in alio aliquo lapide collocare corpus meum, sed illud terræ reddite quamprimum*. Atque hoc nomine præcipue laudatur Saladinus, magnus ille Orientis Monarcha, qui noluit opulentiam suam ostentare vermibus, sed morti vicinus, condito testamento, omnem funeris pompam abdicavit, jussitque tantum in lancea præferri lineæ interulæ lacerum fragmentum, (juxta alios, atri coloris obsoletam tunicam) præcinente quodam ad populum hujus sententiæ epiphonema:

Floruit in toto qui Rex Oriente superbus,
Hunc nisi panniculum, possidet ecce nihil.

Vel ut alii referunt:

Vixi divitiis, regno, tumidusque trophæis:
Sed pannum heu! nigrum, nil nisi morte tuli

Maximilianus I. Imperator Austriacus triennio ante mortem capulum funebrem e querno ligno, arcæ viatoriæ inclusum, circumferri secum jussit: cavitque testamento, ut exanime corpus suum, rudi linteo involutum sine ulla exenteratione, illi

A imponeretur, naribus, ore, auribusque viva calce, (en! aromata, quibus condiri voluit) oppletis. Germana simplicitas: Neque enim in aream descendit mortuus, ubi festivitates & choreas ducet, sed ubi a vermibus devorabitur. Quæ item insania, miseriam humanam, cujus per mortem nostrorum admonemur, pomposis vestibus velle obtegere, luctumque convertere in luxum? Sic namque ducenda sunt funera, ut dolor esse funeribus, non pompa exequiarum, nec ostentatio videatur. Euripides mihi in mente, in *Polydor. Mentes hominum insaniunt, cum sumptus inutiles pro mortuis expendunt*. Menander in *Perinthia*:
B *Nunquam æmulatus sum cadaver sumptuosum. Nam spatii non amplius occupat, quam valde pauper*. Scite Plinius in *Epistolis* contra nimiam sepulcralium monumentorum curam: *Impensa monumentorum supervacanea est, memoria nostra durabit, si vitam meriti fuerimus*. Superfluos honores ipse rejicit Horatius *l.* II. *Carm.* ode ult. in suo futuro funere:

Absint inani funere næniæ,
Luctusque turpes & querimoniæ,
Compesce clamorem, ac sepulcri
C *Mitte supervacuos honores.*

Divinus Plato magnis impendiis sepulcra fieri in Republ. sua non concedit, cujus sententiam ita retulit in extremo II. *de Legib.* Cicero: *Extrui vetat sepulcrum altius, quam quod quinque homines quinque diebus absolverint, nec e lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui, incisam quatuor heroicis versibus, quos longos appellat Ennius*. Apud Judæos quoque prohibitam fuisse sumptuositatem, præsertim circa indumenta sepulcralia, supra cap. V. ex Maimonide audivimus. Detestabantur Christiani Doctores veteres
D barbaricum atque adeo Cynicum illum abjiciendi cadavera humana morem, suosque edocebant, honeste esse recondenda fidelium defunctorum corpora. *Justum est, par est*, inquit Cyrillus *l.* X. *contr. Julian. omnes eo reponi, unde corpus hoc animi pondus hominis architectus desumpserat: Defunctorum interim reliquias viderit quispiam apud nos non nudas & negligenter in terram projectas, sed bene compositas. Occultatæ namque sunt quodammodo in sinu matris in profundis terræ* Præclare Augustinus *lib* I. *de Civ. DEI*, cap. XIII. *Non sunt contemnenda & abjicienda corpora defunctorum maxime justorum atque fidelium, quibus tanquam organis*
E *& vasis ad omnia bona opera Sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid hujusmodi tanto charius posteris, quanto erga parentes major affectus; nullo modo ipsa spernanda sunt corpora, quæ utique multo familiarius atque conjunctius, quam quælibet indumenta gestamus*. Ambros. Tom. IV. Oper. discipuli sui dicta confirmans: *Nam si viventes nudos*, ait, *lex operire præcipit; quanto magis debemus operire defunctorum corpora? Si viantes ad longiora deducere solemus, quanto magis in illam æternam domum profectos, unde jam non revertentur*. Moderatos etiam sum-
F ptus in rebus funereis pro ratione status, conditionis, regionis, facultatum, ac temporum admittebant. Sic enim jam dictus S. Ambrosius *lib.* I. *de Abraham*, cap. IX. super illud *Genes.* XXIII. Surrexit Abraham de officio funeris, *Docemur*, inquit, *ut non diutius inhæreamus mortuis*; sed quantum satis est, *officii deferamus*. Et S. Chrysostomus *Homil.* LXXXIV. postquam valde reprehendisset illos, qui mortuos pretiosis involvunt vestibus, atque ita sepeliunt, tandem concludit: *Non tamen sepulturam probibeo; sed modus servetur, ut tega-*

tur corpus, non nudum mandetur terræ. In luxum vero immoderatum & ſuperfluos ſumptus, qui vel in corporibus vita functorum ſplendide ornandis vel in exequiis ambitioſe apparandis a quibuſdam adhibebantur, acriter invehebantur, ut ex locis c. XIV. adductis, aliiſque manifeſtum eſt.

AUCTARIUM.

Ritus funebres in noſtris Eccleſiis uſitati, ex D. Dav. Chytræi libello *de Morte & Vita æterna* p. 106. ſeqq.

CONvocatis nolarum ſonitu funera comitaturis, corpora defunctorum impoſita feretro, quod pullo velamine vel ſerico tectum eſt, præeuntibus ac pia carmina de morte & beneficiis Filii Dei præcinentibus Scholaſticis, (alicubi & crucifixi imago nigra pompæ præfertur) & ſequentibus funus cognatis & contribulibus, aliiſque amicis & concivibus in cœmeterium vel templum, in quo doctrinam Evangelii de Chriſto, victore mortis & datore vitæ æternæ, vivi audiverunt, deducuntur. Ac in aditu templi & cœmeterii eleemoſynas pro pauperibus ſinguli funus comitantes in pelvim offerunt. Interea corpus defuncti, ſandapilæ incluſum, inter cantiones & preces mandatur terræ. Alicubi impoſita feretro ſandapila in medio templo aut choro in conſpectu populi relinquitur, & poſt finem concionis primum humatur. Sed in hac urbe (Roſtochii) interea dum funus terra obruitur, & Reſponſoria funebria canuntur, fœminæ etiam ex intervallo viros ſequuntur: quibus congregatis, ſacerdos, cum id ab amicis defuncti petitur, concionem funebrem de morte & conſolationibus, morti opponendis, pronunciat, & defuncti pietatem ac virtutem celebrat. Poſtea recitatis precibus & rurſus decantato carmine pio, quo ſinguli omnibus momentis mortem imminentem expectare, & ſe ad illam vera pœnitentia & fide ac vitæ emendatione præparare jubentur, ſinguli domum revertuntur.

De Ruſſorum Ritibus circa Funera ad Davidem Chytræum perſcripta. Vide *Deſcriptionem Orbis terræ* Michaelis Neandri.

JAm de ſepultura mortuorum quædam annotabimus. Homines rebus humanis exemtos in menſam nudos deponunt, & calidis undis per integram horam abluunt, idque tantum faciunt noctu. Sordibus ita abſterſis in ſella mediæ domus conſtituunt eoſdem, propterea nimirum, ut Patremfamilias etiam mortuum venerentur & metuant, quotquot iſta degunt in habitatione. Vidi ſemel atque iterum, ſed obſtupui, ſteteruntque comæ & vox faucibus hæſit. Funus tandem tertio die effertur, procedunt in ordine Scholaſtici, hi lamentabile carmen ingeminant, cujus ſenſus eſt: Aſpicite, o cives, hoc cadaver & vobis cavete: nam nos omnes ſic ibîmus, ibitis, ibunt. Sandapilarios tres inſequuntur Flamines, medius thuribulo circumcirca fumat. Exiſtimant enim hunc odorem malis geniis ita contrarium eſſe, ut perinde eum fugiant, ac ſanctæ Crucis ſignum. Cum jam ventum eſt ad ſepulturæ locum, Orciniana iſta ſponda deponitur. Fœminæ vero, quæ ut flerent oculos erudiere ſuos, magna cum lamentatione ad urnam feralem, quæ hic aperitur, accurrunt, & cadaveri oſcula figunt ita interrogantes: Cur noſtro abiiſti e conſpectu, o chariſſime? num quid cibi & potus inopia te occidit? Num quid conjugii infelicis capiſtro caput ſubtrahere voluiſti? Fatere nobis, quæ res te movere potuit, ut non tantum ſuaviſſimam thalami conſortem & liberos dulciſſimos tuos desereres, ſed etiam deliciis pulcerrimis hujus mundi, tuis præterea fortunis & familiaribus omnibus abrenunciares. Sed hic verum eſt illud: Surdo narratur fabula. Accedens igitur Sacrificus, plorantes fœminas arcet a feretro, Deoque manium imperat, ut ne ulla re mortuum impediat hominem, ſed libere eum abire permittat ad locum iſtum beatarum mentium, ad quem majores ipſius jam olim præceſſerint, utque expetitus tam longum, nec ſatis tutum, iter conficere poſſit. Quicquid in omni vita pretioſa ſupellectilis habuit, illud in feralem urnam inferunt, jamque antea domi ſuæ recentibus ocreis & veſte nova abeuntem herum induerunt: mortuo etiam cervical ſubſternunt ſicca terra refertum. Cum jam ferale murmur Flamines abſolverunt, defuncti conjunx iterum accurrens cum ejulatu & clamore maritum ad vitam revocat. Hujus gemitum ipſi Sacrifici cum cantoribus excipiunt, & ſeſquihoram vociferando perdunt. Adfertur deinde argentea crux, eam capulo ſuperimponunt, & demortuum monent, ut ne ſuam patriam in conſuetudine cœleſtium animorum obliviſcatur, ſed pro ea apud cœlites aſſidue deprecetur. Rogant etiam, ut ante omnes D. Nicolaum ſibi conciliet, hunc namque DEUM eſſe tutelarem omnium Ruſſorum. Tandem cadaver in foſſam demittitur: Flamen vero ſicci pulveris tantum urnæ ſuperinjicit, quantum manu tenere poteſt. Cæteri deinde mortuum ſepeliunt. Atque ita piacularia ſacra ſuum ſortiuntur finem.

Eodem die cœnam ſatis opipare & apparate inſtruunt, ad hanc Chriſtiani (ita mendicos appellant) vocantur, ut nimirum tanquam ocioſi pro mortuo Deos inclament. Flamines item & omnes conſanguinitate propinquos invitant. Cumque & mihi hunc haberent honorem, lubenter Ecaſtor eos adii, ea potiſſimum de cauſa, ut mores eorum rectius contemplari & obſervare poſſem.

Hoſpites oſculo blandiſſime excipiunt, & quemque, ut dignior eſt, ad menſam collocant. Sed hic tibi illud ad mentem revoces velim: Ruſſos omnes S. Nicolaum tanquam Deum adorare, ejuſque imaginem in domibus omnium videri. Accumbentibus convivis ardentem ſtatim adferunt candelam, eamque Nicolao conſecrant, deprecantes ſedulo pro ſalute & beatitudine amici demortui. Poſtea in ſcutella argentea triticum cum ſuperinfuſo melicrato apponunt. Singuli ligulam ſumentes, manibus defuncti rerum abundantiam & nepotibus ſupellectilem copioſam uno optant ore. Mox calix vino aduſto plenus obambulat, & hunc liquorem non aliter potant, quam vaccæ algentes undas, ut in proverbio dicitur. Neque tamen hoc ipſorum factum certa ratione caret: vix enim illos ob ciborum cruditatem vivere poſſe arbitror, ſi tam forti potu ſtomachi frigiditatem non propulſarent. Ferculis demum appoſitis, ſenior inter Flamines iterum inter pinguia thura adolet, & Lemures ejicit foras, poſtea ſcripto crucis ſigno cibo benedicit. Peregrinis hominibus elephantem honoris gratia præbibunt, illoſque, ſi alicujus ſunt dignationis & præeminentiæ, muneribus afficiunt liberaliter. Dumque omnes pro ſalute ſui Regis, pro beatitudine amici demortui, pro felicitate adfinium & cognatorum plenis cantharis bibunt; fit fere, ut vix duo vel tres iſtis ab exequiis ſobrii domum diſcedant. Eleemoſynas illi, qui lautioris fortunæ ſunt, die Veneris diſtribuunt. Sed exiguam tantum gregarii panis particulam.

Conradus Lagus Dantzinger, qui Legatus ad Russos fuit missus, retulit, teste Wolfio *Memorab.* centuria XVI. Anno 1580. pag. 936.

E*Piscopos Russiæ ex singulari privilegio Papæ Epistolam hanc unicuique, sed pecuniis illam redimenti communicare solere, quam deinde velut commeatum quendam in sepulchrum mortuo apponunt, ut si quando defunctus ante portas cœlorum veniat, Petrus eo commeatu viso sine mora illum intromittat. Forma Epistolæ talis est*: Makaria Dei gratia Archiepiscopus Kiosæ & Halitz & in tota Russia Domino & amico nostro S. Petro, Dei omnipotentis portitori, &c. Nos significamus & mandamus tibi, ut postquam hoc vel illo tempore decessit Princeps vel N. N. minister Dei, tu in hoc ipso momento visis his literis, abjecta omni cunctatione, nulla facta mora, recta in regnum Dei ipsum intromittas; nam nos eum ab omnibus suis peccatis absolvimus, & propterea ei hoc nostrum Christianum testimonium absolutionis plenæ & remissionis exactæ concessimus, ut ea exequi scires, &c. Confer Olearium in *Descript. Moscov. & Pers. Itiner. l.* III. cap. XXXI.

De Religione & Sacrificiis veterum Borussorum Epistola *Johan. Meleteti ad Georgium Sabinum.*

IN funeribus hic servatur ritus a rusticanis. Defunctorum cadavera vestibus & calceis induuntur, & erecta locantur super sellam, cui assidentes illorum propinqui, perpotant ac helluantur; epota cerevisia, fit lamentatio funebris, quæ in lingua Ruthenica sic sonat: *Halele lele, y proez tus mene umarl? yza tymie mielszto yestu albo proez ty umarl? Halele lele, yza tyniemie Krassye mlodzite y proez ty umarl?* Id est, Heu, heu mihi! quare mortuus es? Num tibi deerat esca aut potus? quare ergo mortuus es? Heu heu mihi! Annon habuisti formosam conjugem? quare E. mortuus es? &c. Hoc modo lamentantes enumerant ordine omnia externa illius bona, cujus mortem deplorant: nempe liberos, oves, boves, equos, anseres, gallinas, &c. Ad quæ singula respondentes occinunt hanc næniam; *Cur E. mortuus es, qui hæc habebas?*

Post lamentationem dantur cadaveri munuscula, nempe mulieri fila cum acu, viro linteolum, idque ejus collo implicatur. Cum ad sepulturam effertur cadaver, plerique in equis funus prosequuntur, & currum obequitant, quo cadaver vehitur: eductisque gladiis verberant auras, vociferantes: *Gey geythe begaythe begaythe beckelle*, id est, Aufugite vos Dæmones in infernum. Qui funus mortuo faciunt, nummos projiciunt in sepulcrum, tanquam viatico mortuum prosequentes. Collocant quoque panem & lagenam cerevisiæ plenam ad caput cadaveris in sepulchrum illati, ne anima vel sitiat vel esuriat. Uxor mane & vesperi, oriente & occidente sole, super extincti conjugis sepulchrum sedens vel jacens lamentatur diebus triginta. Cognati vero ineunt convivia tertio die, sexto, nono & quadragesimo a funere. Ad quæ convivia animam defuncti invitant, precantes ante januam. In his conviviis, quibus mortuo parentant, tacite assident mensæ tanquam muti, nec utuntur cultris. Ad mensam vero ministrant duæ mulieres, quæ hospitibus cibum apponunt, nullo etiam cultello utentes. Singuli de unoquoque ferculo aliquid sub mensam jaciunt, quo animam pasci credunt eisque potum infundunt. Si quid forte de mensa deciderit in terram, id non tollunt,

A sed desertis (ut ipsi loquuntur) animabus relinquunt manducandum, quæ nullos habent vel cognatos vel amicos viventes, a quibus excipiantur convivio. Peracto prandio Sacrificulus surgit de mensa, ac scopis domum purgat, animasque mortuorum cum pulvere ejicit, tanquam pulices, atque his precatur verbis, ut e domo recedant, *JElii pilii dussicæ, nuvven, nuvven:* hoc est, Edistis ac bibistis, animæ dilectæ, ite foras, ite foras. Post hæc incipiunt convivæ inter se colloqui & certare poculis. Mulieres viris præbibunt, & viri vicissim mulieribus, seque mutuo osculantur.

B De hac oblatione ciborum super tumulos defunctorum meminit etiam Augustinus sermone XV. *de Sanctis*, cujus verba hæc sunt: *Miror, cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increvit, ut super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ requirant cibos. Epulas enim & refectiones caro tantum requirit, spiritus autem & animæ iis non indigent. Parare aliquis suis charis dicit, quod ipse devorat, quod præstat ventri, imputat pietati*, &c. Hactenus Augustinus.

C *Ritus circa funera Servianorum ex Busbequii* Epistola *prima* Legationis Turcicæ *pag.* 34. *Edit. Lugd.* 1633.

TRansgressi fluvium ab incolis Moravam dictum, devertimus in pagum Servianorum Jagodnam: ubi ejus gentis ritus funebres vidimus multum a nostris abhorrentes. Erat cadaver in templo positum detecta facie: juxta erant apposita edulia, panis & caro, & vini cantharus: adstabant conjux & filia melioribus ornata vestibus, filiæ galerus erat ex plumis pavonis. Supremum
D munus, quo maritum jam conclamatum uxor donavit, pileolum fuit purpureum, cujusmodi virgines nobiles illic gestare solent. Inde lessum audivimus & næniam lamentabilesque voces, quibus mortuum percunctabantur; Quid de eo tantum meruissent, quæ res, quod obsequium, quod solatium ei defuisset? cur se solas & miseras relinqueret? & hujus generis alia. Sacerdotes funeri præerant religionis Græcæ. Erant in cœmeterio erectæ in palos (aut longurios) pleræque cervorum, & hinnulorum, & similium ferarum de ligno dedolatæ effigies: cumque causam quæreremus, ajebant, maritos vel patres eo monumento voluisse
E testari conjugum aut filiarum in obeundis domesticis officiis celeritatem & diligentiam: erant item ad plura sepulchra appensæ comæ, quas mulieres aut puellæ in funere necessariorum luctus indicium posuerant.

Privatos magnatesque sepeliendi mos apud Turcas ex Commentario Rer. Turcicarum *Joh. Baptistæ Montalbani Bonon. p.*49.

F FIliorum, nisi ob proprias virtutes, nulla habetur ratio; nemo tam conspicuum fortitus est patrem, quin statim, ni sapiat, vilissimus evadat; & contra. Unde majorum funera posteri haut ambitiose curant; sine facibus, sine alio apparatu efferunt: amici & propinqui, si in urbe, pedites, si extra urbem, equis insidentes, humandum comitantur. Plebs humilis, Hebræorum in morem, sepelitur, lapide ad caput & ad pedes erecto, masculi per lapidem capiti appositum dignoscuntur, quod in eo capitis integumentum insculptum;

fœminis nullum discrimen. Splendida nobilioribus eriguntur sepulchra, aliquibusque contra injuriam temporum superinjicitur fornix, velut sacellum, columnis innixa; & ad pedes ac caput sepulchri candelabra, lampadesque ardentes. Imperatorum filii juxta S. Sophiæ templum profano coltui vindicatum sepeliuntur: tam naturali, quam violenta morte defuncti. Et Imperatorum in templis a se extructis, eorumque ad sepulchra, faces aut lampades super gemmata candelabra perpetuo fere ardent. Lugubris, nisi ob Imperatoris mortem, habitus nullus. Dum enim funeris pompa ducitur, capitis involucrum pulla ex transverso tænia circumdant; quam eo sepulto confestim detrahunt. Mulieres viduæ nullo item habitu discernuntur.

De Turcis refert quoque Georgieviz *de moribus Turc*. p. 36. Ubi quis moritur de Musulmannis masculus, masculi funus curant; si fæmina, fæminæ. Abluunt cadaver, ac linteis nitidissimis induunt; postea efferunt extra urbem in locum aliquem, nefas enim est, in templis sepelire. Præcedunt ceroferarii cum candelis monachi eorum, subsequuntur sacerdotes cantillantes interim, donec ad sepulturæ locum perveniant, &c.

De more funerandi in Civitate Sachion Orientali ex Paulo Veneto libr. I. capit. XLV. *refert Kornmannus* de Miracul. Mort. *part.* VIII. capit. V.

INcolæ hujus urbis in parentatione his utuntur ceremoniis. Curant proximi quique, ut corpora exanimata comburantur, in hunc modum. Primo interrogant Astrologos, quando mortuus in ignem sit conjiciendus, dum illi quærunt, quo mense, die & hora is, qui in fata concessit, sit natus: constellationeque perspecta, indicant diem, quando sit comburendus. Alii vero mortuum corpus aliquot diebus reservant, aliquando septem diebus, quandoque per mensem, non tanquam per sex menses, domi capsam illi parantes, & tali ingenio lateri compaginantes, ut nullus fœtor ex ea exhalare possit, corpus etiam ipsum aromatibus condiunt, & capsam pulcre depictam panno pretioso operiunt, & singulis diebus cadaver domi tenetur, hora prandii mensa juxta capsam præparatur, vino & cibo per integræ horæ spatium desuper positis, putantes defuncti animam de appositis manducare. Et quando defuncti corpus est efferendum, Astrologi consuluntur, qua ex porta id sit faciendum. Nam si porta aliqua, dum construeretur, caruit bonis fatis, illam indicant fugiendam atque incongruam, per quam mortuorum cadavera efferantur, indicantque aliam, quæ huic rei accommoda sit, aut novam jubent in pariete fieri aperturam. Dum vero funus per civitatem portatur, lignea tuguria in via construuntur, atque sericis & aureis pannis cooperiuntur, & cum defuncti cadaver ante ea portatur, effundunt in terram vina & delicata cibaria, putantes defunctum in alia vita his recreari rebus. Antecedunt etiam funus ipsum varia instrumenta Musices, in quorum concentu maxima est jucunditas, & cum ad locum combustionis ventum fuit, scribunt & pingunt super chartas imagines virorum & mulierum, itemque multorum denariorum, quæ omnia simul cum cadavere comburuntur: Ajunt enim defunctum illum tot servos, & ancillas, animalia & denarios, in altera vita habiturum, quot cum eo imagines fuerint combustæ, victurusque sit perpetuo in divitiis illis & honore. Hanc superstitionem servat fere ubique cæcitas Paganorum, in partibus Orientis, cum cadavera defunctorum comburunt. M. Paulus Venet. *l.* I. cap. XLV. *de civitate Sachion & combustione mortuorum*.

De Tartarorum more Kornmannus ibid. cap. VI. *ex eodem Paulo Veneto lib.* V. cap. LVIII.

SI Tartari alicujus moriatur filius, qui nondum duxit uxorem, & item ulterius moriatur filia innupta, conveniunt utriusque defuncti parentes, & inter defunctos connubium faciunt, conscriptisque contractus illius literis, juvenem & puellam in charta pingunt, & hac cum pecunia contributa atque utensilibus & supellectili Vulcano devovent, credentes, defunctos in alia vita matrimonialiter conjunctos. Faciunt etiam pro hac re solemnes nuptias, & de præparatis cibis non nihil hinc & illinc diffundunt, ut sponsus & sponsa quoque vescatur. Quo facto parentes & consanguinei defunctorum talium putant, se affinitatis vinculo conjunctos, ac si nuptiæ illæ, sponsis adhuc viventibus, fuissent celebratæ.

CHRISTO JESU,
Qui nostra sepulcra contactu sanctissimæ suæ Carnis sanctificavit,
GLORIA SIT ET HONOR IN SÆCULA.

FINIS.

HOMERI NEPENTHES, SEU DE ABOLENDO LUCTU *LIBER*,


IN QUINQUE DIVISUS PARTES, QUARUM

I. Parasceuastica de Frugalitate.
II. Historica de Medicamentis.
III. Allegorica de Consolatione.
IV. Anagogica de Virtute.
V. Symplerotica de Avocamentis.

OPUS DOCTRINA ET ERUDITIONE REFERTUM, IN QUO ET NONNULLA UTRIUSQUE LINGUÆ SCRIPTORUM LOCA ILLUSTRANTUR, EMACULANTUR.

AUCTORE PETRO LA SEINE.

AMICOS MEOS
ORNATISSIMOS, ET LECTORES,
SALVERE JUBEO.



On possum vobis non aperire consilium meum, qui fiat, ut tantopere ab hujus operis editione abstineam, & privata commendatione (si quæ pietati laus tribuitur) paucorumque hominum theatro contentus, omnem famæ ambitionem pusillanimi quadam modestia deposuerim: qui nuper, vel gloriolæ cupidus, vel ostentator ingenii, plerasque Italicas in nugas publicam lucem mittere audebam, & non nihil etiam typis excudere maturaverim. Etenim, ut cum amicis amice agam, nullisque verborum offuciis, id quiquid est dicam ingenue. Genius (ut hinc exordiar) mihi semper ad bonas literas. Sed, quæ fuit parentis sancta & lactea quædam simplicitas, bonis trador, haud doctissimis viris erudiendus. Cumque ferulæ manum subduxi, nulla Rhetorica declamatio, non Poetarum numeros tracto, nec ad dialecticum acumen intendo. Rapior populari receptoque more ad Jus Civile; grassatur in incultissima arte ingenium: inde trudor in forum, ut incomptior, cætera omittens, lutulentiorque efficerer. At sero tandem, quæ furca natura expellebatur, rediit, sumoque aliquid mei juris, & dum succisivo labore, vernaculos ludos, & Pelasgæ linguæ rudimenta balbutio, tyronem, ætate non exercitio profectum, in conopeum suum cœpit me Minerva recipere. Addidere animo igniculos repetiti in hac Civitate felicissimis auspiciis nobilium doctissimorumque virorum cœtus, quos Academias vocant. Uno enim præcipuo administro Joanne Baptista Manso Villæ Marchione mira dexteritate ingenii viro, & elegantissimis literis exculto, adeo ς λολογία hujusmodi congressibus nobilitata, ut in Joannis Joviani Pontani tempora incidisse dicerem, & quodam quasi postliminio reversos beatissima illa literarum numina Sannazarios, Altilios, Carbones, & ab Alexandro. Cœpi etenim admirari haud publici consuetique saporis doctrinam, statisque diebus consessus repetere, & ne nihil viderer agere, doliolum meum hinc inde privatim commovere. Sed inde mihi omne adjumentum, cum me in vestrum obsequium favens ipsa & propitia Pallas addixit. Sane ingratus essem, si quæ debeo μακαρίτῃ illi viro Modestino Stelliolæ hic reticerem, cujus colloquia non ad μαθήματα solum, sed ad omnem ingenii cultum affulsere. Invidit hoc mihi fatum, ut magis tecum necessitudine devincirer, Magne vir & admirabilis Nicolae Antoni Stelliola, ætatisque nostræ Pythagoras, quem ne dum vultu & prisca quadam bonitate refers, sed encyclia illa pædia, qua a principibus viris & doctis omnibus prædicaris, mirum in modum effingis. Dici haud potest quantum mihi luminis, & librorum copiam ex Joannis Baptistæ Longi comitate adsciverim, nec enim in Astrologia, in qua ad miraculum excellit, sed in omni scientiarum genere versatur, cujus admiratione olim doctissimum Joannem Pinedam exclamasse ajunt: Non est liber, qui manus suas effu-

gerit. Nec malis avibus te in meam adjunxi amicitiam, Franciſce Nola; nam præter jucundam, quæ inter nos conſuetudinem intercedit, & ſermones ſatis crebros, vel de Ptolemæo, quem unice in Aſtrologicis ſequeris, vel de Galeno, quem in re medica anxie exoſcularis, nonnullos mihi profeſſionis tuæ homines conciliaſti, ut Jo. Baptiſtam Maſullum, cum Andrea Sgambato ſodali ſuo, Thomam Fovinum, Donatum, Antonium Stellam, & Dominicum Antonium de Alexio, quos omnes propter literas haud vulgares, eorumque monumenta ingeniorum amare & colere debeo. At quis non ſentiat ſe ad liberales artes inflammari, qui inclyti, & eruditiſſimi viri Bartholomæi Caraccioli (ἔμψυχον illam βιβλιοθήκην Antonium e Theatinis gentilem ſuum, ob venerationem prætereo) ſolitudinem, ut ſic dicam, comitetur, audiatque pro patriis rebus Horatium Feltrium facundiſſime declamitantem, & de politicis ſcriptoribus Alexandrum Palmerium diſſerentem. Aut qui hujus Regni antiquitates a Franciſco Antonio Purpura, Marco Antonio de Cavaleriis, Joanne Baptiſta la Bella, & Bartholomæo Chioccarello exquirat. Nec prætermittam magnum mihi calcar adhibuiſſe Franciſcum Scrivam, & magis etiam in dies admovere Felicem Milenſium. Hic in univerſa Germania, Polonia, & Dalmatia ſui Ordinis jam Viſitator generalis: modo Cæſaris Ferdinandi II. a conſiliis, & meliori fortuna digniſſimus, quotidie ſtilum acuit, & digna cedro meditatur & parat. Ille ſimiliter honoribus in ſua Dominicana familia clarus, duplici pro graviſſimis negotiis ad Catholicam Majeſtatem legatione clariſſimus, plura pro ſua humanitate ſcitu digna & recondita indicavit, Græcaſque Homeri Rhapſodias, ſub Antonio Arcudio quondam Soleti Archipresbytero, privatim apud nos profitente, audire & conferre non eſt dedignatus. Quo ſtudio, jam tunc temporis Poetarum maximo addictus, factum eſt, ut nunc aliquid in eum elucubrari ſim auſus: & has lucubrationes, quales quales, circumducto libello, opto vos inter domeſticos parietes inſpicere & judicare. Scio enim, ut qui ſero & ſalutatim (ut dixi) has litteras attigi, plurimum mihi deeſſe ſolidæ eruditionis, & inculpatæ Latinitatis, ut Tranſalpinis auribus placere poſſim. Detritis quippe lacernis, nec mundis, nec oloſericis in forum templaque prodire, cuicumque vitio dabitur, cum tamen liceat ſine ſordium labe eas inter notos & conjunctos induere. Confido igitur me non in caſſum bonos & benevolos exoraſſe. Deus vos ſoſpitet & diu ſervet incolumes. Salvete vos etiam amatiſſima lumina, & literarum columina, Fabi Columna, Mari Schipane, Helia Palagane, Conſtantine Sophia, & quotquot mecum humanitatem amatis, excolitis, valete. Neapoli XI. Kal. Decembr. MDCXXI.

DE HOMERI NEPENTHE

PARS I. PARASCEVASTICA, QUÆ EST DE FRUGALITATE.



HOmerus poetarum & sapientum eximius multa, eaque præclara, de Menelao narrat, *Odyss.* δ. verum illud præter cætera haud prætereundum, cum magnum hunc populorum pastorem, nato sibi filio Μεγαπένθης nomen prodit imposuisse. Quod si ex Eustathio, eruditissimo Homeri Interprete, *ibid.* libet indagare, non aliter id actum deprehendemus; nisi quia ei natus esset, quo tempore propter Helenæ pulcherrimæ uxoris raptum tota Græcia oppleta mœrore lugeret. Visum proinde fuit non aliud proli huic indere nomen: quemadmodum in sacris Libris, *Genes.* cap. XXXV. Benoni, filium doloris, natum puerum, sed ad matris interitum, vocandum existimabat Racheles. Magnum enim luctum, si vox Græca Latine reddatur, magnamque tristitiam significabit. Quod nescio quo fato, propter obitum Virginiæ sororis carissimæ mihi contigisse experior, cum altera non minus Helena, quam Racheles, pulchra videlicet, atque (quod sæpius desiderandum) castissima fœmina, non minorem suo funere amaritudinem mihi, fratrique alteri viro cæterisque consanguineis incussit. At si verum est, quod inquit Synesius *epistola* I. παῖδας ἐγὼ λόγους ἐγεννησάμην, *liberos ego libros genui*, hoc est, fœtum, sobolemque hominum esse ingeniorum monumenta: edidi similiter hoc mœroris tempore partum hujusce commentarii, & velut alter Luciani Juppiter *Deor. dial.* IV. juxta antiquiores fabulas, capite Minervam parturii; sed ictu duræ bipennis, id est, tam gravi & tam inopinato casu perculsus: idque opus perfeci, ut illud quod *citato loco* Synesius addit mellitissimus scriptor, bona cum venia de hoc uno usurpem libello, ἀπὸ τῆς σεμνοτάτης φιλοσοφίας καὶ τῆς συνναοῦ ταύτῃ ποιητικῆς. Id est, *ex venerabili philosophia, & ex poetica, quæ in eodem templo cum ipsa colitur.* Quandoquidem Philosophorum γνώμαις Poetarum addidi inventa; & ut omnia cum jam dictis convenirent, materia sese obtulit scribendi, nomenque scriptioni contigit, quod cum Menelai Megapenthe consonum est. Περὶ Νηπένθους ergo sermonem instituo, & ab Homero non discedendo, a quo sum præfatus, de natura & viribus Νηπένθους pharmaci dissero, quod in quarto *Odysseas* describit. Cujus carmina, ita vario explicandi genere, novisque sensibus illustrantur, ut opus in plures partes utiliter simul & perjucunde excrescat: quarum hæc prima, quæ ad παρασκευὴν, & totius operis fundamentum, ex Italico Petrarchæ *Rhythm.* par. I. senul. XLV. imo ut rectius dicam, ex Hetrusco Pindaro, quo duce primum me in hanc viam dedi, initium sumet. Ne autem hic ejus vernaculum inferatur, causa est, quod elegantissime simul & ad vivum Jacobus Perontius noster (cujus eruditissima Opera fortasse lucem aspicient) in Latinam linguam expresserit. Quod præstat magis afferre.

Prima genis requiem dent munera, neu tere fletu
Amplius immeritos, dulcis amice, sinus.
Parcius & domino posthac te crede, suorum
Qui tegit heu subita tempora canitie,
Altera iter læva claudant de parte ministris,
Inde aditus olim qui reperere suos.
Teque vel Augustus videat, vel Janus eundem,
Nam longæ penitus meta reposta viæ.
Acres herbai fervant quos tertia succos
Dulcescent, ubi mox venerit inde salus.
Me qua sede solet condi semel hausta voluptas,
Hac Stygii impavidum conde; nisi alta peto.

Hoc carmen, cum tribus in locis referat se ad res aliunde petendas, non descriptas, nec quovis modo a Petrarcha in suo tetradecastico designatas, obscuritatis vitio laborare, nulli dubium est. Itaque sit ipsum, vel alicujus epistolæ pars, vel appendix & additamentum nonnullis rebus ab auctore, ut est Interpretum communis opinio, dono datis. Quod genus carminum ἀποστολικὸν Græci vocabant: nimirum ut Proclus habet in *Chrest.* apud Phot quod διαπεμπόμενοι πρός τινας ἐποίουν, *dum quid mitteretur ad aliquem fiebat:* absque tamen earum rerum notitia, longe quis ab operis sensu cogitur aberrare: quis facile sciet, nisi divinus sit, vel ariolus, quid sit illud quod ad malam sufulciendam commendat? item illud aliud, quo iter a sinistris reprimendum? & tertium quod reliquum est ad herbæ succi haustum subserviens? profecto Oedipum requirunt; & sensus sola lectione expiscari, nisi per conjecturam, eamque satis incertam, haud potest. An quis, nisi alterius facti adminiculo, aut aliquo præmonstratore divinasset, tria illa incognita, ad pulvinar, librum breviarium, & scyphum sive cantharum esse referenda? nam tria hæc dona misisse autumant Interpretes, Gesualdus, & A. Vellutellus in *Commentar. ad hunc locum.* Quorum auctorum licentia, & incogitantia a me, vel nolente, risum excutiunt: etenim nisi quis plumbeus, vel lignum sit, haud ferat hominem afferentem, Poetam sanctæ & Romanæ Ecclesiæ Cardinali, vel Episcopo, carmen hoc scripsisse: eidemque de Psalterio, & sacris precationibus remedium proposuisse; & non potius proprium opus misisse *de Remediis utriusque fortunæ*, aut Senecæ libros, vel Platonis *Dialogos*, de quo auctore apud Diogenem Laert. in *Platone:*

Καὶ πῶς, εἰ μὴ Φοῖβος ἀν' Ἑλλάδα φῦσε Πλάτωνα,
Ψυχὰς ἀνθρώπων γράμμασιν ἠκέσατο.
Καὶ γὰρ ὁ τοῦ δὲ γεγὼς, Ἀσκληπιὸς ἐστὶν ἰητὴρ
Σώματος, ὡς ψυχῆς ἀθανάτοιο Πλάτων.

Quod ita ex Josepho Scaligero *epigr. opuscul.* interpretatur:

N Plato de Phœbo Græcis foret editus, ecquis,
Qui morbos animis arte levaret, erat?
Nam veluti morbos satus hoc Æsculapius omnes
Corporeos animæ sic levat ipse Plato.

Res certe indecora, & fustuario digna: viro Principi & Ecclesiastico, sacrarum paginarum recitationes, quas absque piaculo prætermittere non licet, ad malarum passionum medelam, misso ad eum Psalterio, pharmacum commendasse. *Maledictum enim incipit esse*, inquit Seneca *de Benef.* lib. I. *non munus, in quo vitium accipientis agnoscitur.*

Sed quidquid sit de his muneribus; nam nimis longum foret pensiculatius examinare: aliud nunc non inquiram. Haud tamen prætereundum hujusmodi dona antiquissimorum inventum: & Scythas ad Darium Persarum regem misisse, eorumque exemplo isthæc Petrarchæ fortasse excogitata. Operæpretium igitur historiam ex Herodoto in *Melpom.* paucis recensere: quæ demum in tractationis argumentum evadet, nec prægustasse diligentem curiosumque Lectorem pœnitebit, siquidem, nisi me fallit opinio, nova expositione inclarescet. Darius igitur cum Scythis bellum moveret, & in eorum regione trajecto Istro, eos undique fugientes & pugnam detrectantes insequeretur: tandem amplius insectandi pertæsus, Indathyrso Regi misso equite mandat denunciari a fuga desisteret, vel ei præberet pugnam, si se idoneum recognosceret; sin minus cum eo, tamquam hero suo, munera offerens terram & aquam, (mos est enim Persarum Regem cum muneribus adire) in colloquium veniret. Quo nuncio, velut audito nomine servitutis, indignatus Scytha, singillatim ad omnia responsum dedit. Quod vero ad munera spectat, pro terra & aqua, quam petierat Darius, dixit missurum, quæ decerent ad eum venire dona: & pro eo quod se herum asseruerat, jussit flere. Cæterum Scythæ ubi animadverterunt Persas tumultuantes; quod diutius in Scythia illi commorarentur, & commorantes ad omnium necessariarum rerum inopiam redigerentur, faciundum ita sibi putarunt, ut pecoribus suis una cum pastoribus relictis, in alium ipsi abscederent locum. Perse illuc se conferentes, excipiebant pecora, quo facto, cum sæpius id tentarent, ad ultimum Darius inopia rerum laboravit. Id Reges Scytharum intelligentes mittunt ad eum Caduceatorem, *δῶρα Δαρείῳ φέροντα, ὄρνιθά τε, καὶ μῦν, καὶ βάτραχον, καὶ οἰστοὺς πέντε*: hoc est, *cum muneribus, ave, mure, rana, & quinque sagittis.* Persæ eum, qui munera ferebat, percontabantur quid illa significarent; iste negare sibi aliud esse mandatum, nisi ut cum illa tradidisset, celerrime rediret; jubere tamen ipsos Persas, si solertes forent, interpretari quid sibi dona vellent? Hoc cum audissent Persæ consultabant. Et Darii quidem sententia erat, Scythas se ipsos ei donare, & terram, atque aquam. Qui enim impense cupiunt, suis votis undecumque blandiuntur, & quidvis in omen optati eventus trahunt: *ὃ γὰρ βούλεται, τοῦθ' ἕκαστος καὶ οἴεται*: *quod quisque vult, hoc etiam putat*, inquit S. Isidorus Pelus. *epist.* CXLVI nec in mentem veniebat *δῶρα* hostium *ἄδωρα*, ut dici solet, Sophocles in *Ajace Flagell.* Et istud hac ratione conjectabat; quod Mus quidem in terra gignatur, & eodem quo homines fructu victitet, Rana autem in aquis nascatur, Avis vero equo sit assimilis: at sagittis dandis, quod se ipsos tradere viderentur. Sed Gobrias hæc dicere dona conjectabat: *O Persæ, nisi effecti ut Aves subvoletis in cœlum, aut effecti ut Mures subeatis terram, aut effecti ut Ranæ insiliatis in paludes, non remeabitis unde venistis, his sagittis confecti.* Et Persæ quidem illa munera sic interpretabantur, inquit Herodotus.

Sed antequam aliud aggrediar, non reticebo Athenæum, *Deipnos.* lib. VIII. & summum Theologum Clementem Alexandrinum, *Stromat.* lib. V. aliter hanc proferre historiam. Hic muneribus velut auctarium quoddam aratrum adjungit: & auctam interpretationem, non ipsi Dario tribuit, sed Orontopago ejus exercitus Tribuno. Insuper Idanturam pro Indathyrso, nisi mendum irrepsit in codices, & pro Gobria Xiphodrem ponit. Ille Murem prætermittit, & unam pro sagittarum quinione conscripsit: additque non dissimile de magnis piscibus & recentibus ficis donum; quod Patroclus ad Antigonum misit, ut eo velut muta quadam legatione, *ἢ θαλαττοκρατεῖν, ἢ τῶν σύκων τρώγειν* ediceret, *aut maris imperio potiri, aut in deliciis ficulneum fieri.* Hujus generis Galeacii Sforzæ vulpes cavea inclusa, & Bartholomæi Coleonis Tinnunculus loro, & argenteis tintinnaculis, accipitrum more compeditus: quibus donis se invicem, ut refert Jovius in *Elog. Barth. Col.* velut per officium perstrinxere. At nos ad Scythica munera redeuntes, eorum sensum nec Gobriam, nec minus multo Darium tetigisse dicimus. Siquidem certum est, ut ex supra relatis colligitur, Scythas non ad gratiam cum Dario ineundam dona misisse, sed ad minas objiciendas: quapropter falso, vel ex hoc sibi ipsi adblandiebatur Darius: & si ad exercitus domuitionis, ut ita dicam, difficultatem respexisset, utique pro Mure & Rana, aliqua alia & propriora symbola misisset. Haud est enim Murium subire terram, sed scrobiculis latibulum quærere: Ranæ in ripis degunt, & in limo palustri saltitare & coaxare tantummodo valent. Aliter ergo existimandum: sed antequam id quod sentio exlicem, sciendum est Herodotum summo artificio, ut nobis ad veram intelligentiam capessendam iter pararet, non statim explicavisse dona ab Indathyrso ac Dario missa, quam duo necessaria animadversione interjecisset. Unum est, Persas rerum omnium inopia laborasse, & Scythas animos ad stratagemata intendisse: nam relictis pecoribus & pastoribus seorsum recedendo, Persas præda adlectos, inutili cunctatione in maximam vivendi necessitudinem deduxere: quam cum non prius comperissent, munera jam a Darii legatione meditata, ejusque Caduceatori pollicita, mittere distulerunt. Ex quibus potest liquido conjectari quæ fuerit donatoris mens. Nam meo judicio id voluit significare: Persas insidiis, fame, & siti, hoc est, omnium rerum penuria ab ipsis peti: quæ si ad eos conflictandos non satis essent, aperto Marte, & sagittarum copia eos confecissent: nam pro ave stratagemata significari suadet ratio, vel quia in his ingenio opus est, & ingenii avis symbolum est, vel quia aucupiis illaqueantur, & ex insidiis astuque in caveam alliciuntur. Nisi quis malit fugam interpretari, propter alitum pernicitatem, quod & supradictis congruit, mihique arridet: cum olim Scythæ, *οὐχ ἧττον φεύγοντες*, ut inquit Plato in *Lachete*, *ἢ διώκοντες μάχεσθαι*, *non minus fugiendo, quam insequendo pugnare soliti.* Murem famem denotare, rationi accedit auctoritas. Patet ex Josepho Scaligero, diligentissimo antiquitatis investigatore, & omnis selectæ eruditionis magistro, *de Emend. temporum* lib. II. & in *Annot. in Manilium.* Is in libro *de Emendatione temporum*, loquens de Chaldaica dodecaeteride, post verba Censorini, *de Die Nat.* cap. XVIII. quibus demonstratur Genethliacos propriam habuiss-

ſe ex annis vertentibus duodecim, cui anno Chaldaico nomen, non ad Solis Lunæque curſus, ſed ad obſervationes alias accommodatum: quod in eo dicant tempeſtates, frugumque proventus, ac ſterilitates, item morbos ſalubritateſque circumire: *Hanc dodecaeterida*, inquit, *etiamnum retinent Chaldæi, Perſæ, Sinæ, Indi, Chataii, Turcæ, Syri, Arabes, Tatari, ſive Tartari. Putant re vera ſterilitates, morbos, proventus ea redire, ut ſcripſit Cenſorinus, ideo ſingulos annos dodecaeteridis animalium nominibus appellant; quæ affectum ejus anni indicent, puta annum fertilitatis Leporem, annum bellicorum tumultuum Equum, annum felicis agricolationis Taurum, annum famis Murem*. Hactenus Scaliger, qui etiam hujus periodi diagrammata ſex linguis ſubjicit, ſed nobis ſufficiat hæc ſolummodo excerpſiſſe. Quibus ſane probatur Murem famis ſymbolum, vel apud barbariſſimas gentes receptum, Orus in *Hierogl.* & cum Ægyptiorum notis conſentire videtur: qui per Murem τὸ ἀφανισμὸν, hoc eſt, *ſubverſionem ac interitum* ſignificant, ἐπειδὴ μάντα ἐσθίων μιαίνει, καὶ ἀχρηςοῖ. *Nam ab Muribus*, inquit Arnobius lib. I. *adverſ. Gent. genus omne occiditur atque arroditur frugum*: de qua re Ariſtoteles agens *Hiſt. Anim* lib. VI. cap. ult. tam inaudito modo eos aliquando oriri teſtatur, ut nullam frumentationem relinquant; itaque nonnulli mediocres Agricolæ cum pridie metendum ſtatuerint, poſtridie mane cum meſſoribus accedentes ad ſegetem, abſumptam invenerint totam.

Hoc damnum cum in Gallia, & proprie in Heduenſi præfectura contigiſſet, (ut jucundam hiſtoriolam de Bartholomæo Caſſaneo Juriſconſulto non omittam, quam ſummus Hiſtoricus Jacobus Auguſtus Thuanus memoriæ prodidit lib. I. *Hiſt.*) & nullum præſentius remedium inveniretur: Epiſcopus Mures diris devovit, & ternis præconiis forenſibus in jus vocat; ut res ad ſententiam deveniret, dato eis advocato, fuit is Caſſaneus *Conſ.* I. in favorem Murium judicium converſum fuit. Et ſane Veteribus hujuſmodi judicia, quæ fortaſſe nec legitima dici debent, nec ullatenus ſuſcipienda, exerceri non improbatum: cum in Prytaneo, ut teſtatur Pauſanias in *Atticis*, τῷ σιδήρῳ, ne dum his beſtiolis, καὶ πᾶσιν ὁμοίως τοῖς ἀψύχοις δικάζουσι, *de ferro, aliiſque inanimis judicium fiat*. Vide Plutarch. in *Timol.*

Sed nunc de Ranis pauca: & harum naturam ſitim exprimere, puto adeo omnibus conſentaneum viſum iri, ut ſupervacaneum judicent in hac re probanda argumenta congerere. Nam quis eſt, qui ignoret animulculum hoc amphibium, quod in terra & in aquis degat, licet proliferum, laticis tamen gutta aliquando viviſcens, aquis perpetuo delectari, quibus ſolummodo nutriatur? recte apud Athenæum *Deipnoſ.* lib. V. legitur:

Οἱ πίνουσιν μόνον βατράχων τρόπον οὐδὲν ἔδοντες.

Qui bibunt ſolum ranarum modo nihil comedentes.

Unde locus proverbio, *Ranæ aquam infundere*, id eſt, bibulo potum, vel alicui rem maxime gratam & neceſſariam præbere: & ſimiliter, *Ranis vinum infundere*. Quod adagium novo ſenſu ditamus, non ſolum ad abſtemios & invinios (ut Veteres loquebantur) deflectendo; ſed ut parem cum alio retineat uſum: *ſiticuloſis* οἰνοχοεῖν, etiam ad vinum invitare exponimus. Itaque & Mure & Rana velut periphraſi quadam abſolutus explicatur nutricationis defectus. Quapropter meo conſilio, non alio modo accipiendum eſt, quod de Abderitis Thraciæ populis legitur apud Auctores: quod ſcilicet cum a Muribus & Ranis vexarentur, coacti ſint natale ſolum vertere, hoc eſt, quod ex ſumma caritate & victus penuria patriam deſeruerint, ut in uberiori agro & fœcundiori vitam agerent. Infra tamen ex his quæ dicturus ſum, hoc longe melius dignoſcetur.

Nunc ad Scythica munera redeundum: & hanc meam opinionem, quam de jam dictis expoſui, aliquo auctoris teſtimonio confirmabo: nam quod ad ſagittas attinet, non indiget explicatione, niſi forte Cteſiæ locum in *Perſicis* indicare hic videatur opportunum: qui Darium & Scytharum Regem ſibi mutuo arcus miſiſſe narrat, & credo, ut ea ratione alter alterum provocarent, & invicem extrema comminarentur: quod etiam vir doctiſſimus Carol. Paſcal. *de Legat.* cap. LXII. affirmavit. At vero opinionem meam probat irrefragabili auctoritate Plutarchus: cujus dictum cum in hoc ſcriptore offendiſſem, mirum eſt, dicam libere, quantum mihi ipſi ſuffenus de meo judicio plauſi. Teſtem namque veritatis producit alium Scytharum Regem, cui Ateas nomen, ſive, ut quædam habent exemplaria, Anteas. Hujus dictum memorabile in ſuis *Apophthegmatibus* recenſens, hæc ſcribit: Ἀτέας ἔγραφε πρὸς τὸν Φίλιππον. σὺ μὲν ἄρχεις Μακεδόνων ἀνθρώπων μεμαθηκότων πολεμεῖν· ἐγὼ δὲ Σκυθῶν οἳ καὶ λιμῷ καὶ δίψῃ μάχεσθαι δύνανται. Id eſt, *Ateas ad Philippum hæc ſcripſit. Tu quidem viris Macedonibus qui bella gerere didicerunt imperas; ego vero Scythis qui fame & ſiti pugnare poſſunt*. Et ita tutius vertitur, quam ut paſſim legitur, *cum fame & ſiti*: omnino autem Xylandri poſtrema verſio rejicienda, quæ *adverſus famem ſitimque* habet: nam ὀργανικῶς ſunt exponenda illa verba, ut minime talis ſenſus eliciatur: Scytham inediæ atque ſitis pati poſſe incommoda: quod de Hiſpano milite effertur: quamvis toti huic genti jam olim id proprium, ut ex Philarcho tradit Athenæus *Deipnoſ.* lib. II. ὑδροποτεῖν, καί τοι πλουσιωτάτους ἀνθρώπων ὄντας, καὶ μονοσιτεῖν τε αὐτοὺς ἀεὶ διὰ μικρολογίαν, ἐσθῆτας δὲ φορεῖν πολυτελεστάτας. Id eſt, *Hiberos quamvis hominum ditiſſimos aquam bibere, & ſemel in die cibum capere ob parſimoniam, indui tamen ſumptuoſiſſimis veſtibus*.

Falluntur autem in his verbis Dalechampius in Ath. *Verſione*, & Eraſmus in *Adag. Hiberæ næniæ*, qui μονοσιτεῖν, pro μονοφαγεῖν acceperunt, & *ſolos cibum capere* ſunt interpretati: quod nec ad verbi ſignificationem, nec ad Hiſpanos: licet nunc Italico penu, mutatis moribus, haud μονοσιτεῖν, ſed δὶς, καὶ τρὶς per diem σιτεῖσθαι, & prandiis cœniſque aditialibus opipara commiſcere jentacula didicerunt. At vero ſuam gentem in hoc extollebat acutiſſimus inter Scythas, nempe quod ipſa quamvis belli gerendi peritia rudis, quoſcumque tamen arte militari ſcientiſſimos, qui inſtructo exercitu ad eam contenderent: armis quibuſdam, quæ ſolum poterat noveratque tractare; hoc eſt, famem & ſitim inferendo; & ut ſuis propriiſque ſymbolis dicam, Murem & Ranam ad illos mittendo debellare potens erat: ut inde exprobraret Philippo, tantum ſe valere in ſua regione cum ſuo imperio milite & rerum omnium rude, quantum non ipſe Macedo cum ſuis delectis phalangibus. Teſtis Lyſimachus ille, (Horat. *ode* XXIV. *lib.* III.) qui apud Getas Scythicam gentem, contra Dromichetem ipſarum Regem profectus, eadem neceſſitudine adactus, ſe ipſum cum exercitu captivum tradidit, & frigidam cum hauſiſſet; (ut id etiam cum Plutarcho addam *de ſan. tuenda*) ὦ θεοὶ, inqui, ὡς βραχείας ἡδονῆς ἕνεκα μεγάλην εὐδαιμονίαν ἀπεβαλόμην. *Dii boni, quam ob brevem voluptatem ſummam amiſi felicitatem!*

Sed cui fortasse hæc supra captum barbaræ nationis, nec tantum his Regibus tribuendum: ut sentire de se tam altum, tam acute, eleganter, atque symbolice sese exprimere valuisse credat: is velim cum Clemente Alexandrino lib. v. *Strom.* aliud hujus Ateæ (ita etiam scriptum) admiretur epistolium, quod ex Aristocriti libris contra Heracleodorum refert, & sic habet: *Rex Scytarum Ateas populo Byzantino. Nolite afferre detrimentum meis vectigalibus, ne mei equi aquam vestram bibant.* Et symbolice, addit Stromateus: bellum, quod eis erat illaturus, significavit Barbarus. Nulla igitur ratione ambigendum ad Murem Ranamque Indathyrsi alterius Regis verba pertinere: & nostram explicationem tam ad illius munuscula, quam ad hujus epistolam proprie & unice spectare, ut jam demonstratum.

Quantum vero fuga, fames, sitis, sagittæ, Scytharum rebus contulerint, non est præsentis disceptationis examinare. Contenti igitur hæc Petrarchæ Herodotoque appinxisse, ad alia properabimus. Nam his expositis, ὡς ἐν προθεωρίας μέρει, ad Homeri Poemation, quod Βατραχομυομαχίαν inscripsit, hoc est, *de Ranarum & Murium pugna*, adque propositam frugalitatis materiam descendemus. Hinc quidem novam, concinnam, miramque expositionem eliciemus: quam invidere φιλομάθῳ Lectori haud debeo. Sed prius eum rogatum volo, ne putet quia ludicrum Poema examinandum suscipimus, ad tenuia viliaque descendere; nam Leonem pro Mure, & Dianam pro Rana inversis vulgi dicteriis ostendam: hoc est, in jocoso Poemate, haud oscitantem, & ut ait Latinus quidam Scholiastes, minime dormientem, Philosophorum sapientiam demonstrabo: cum verum sit quod Eunapius in *Proœm. ad Soph. Vitas*, & ante eum Xenophon in *Sympos.* dixerat: τὸ παιγνιον τ ἀρετῆς ἄξιον λόγυ, hoc est, *virtutem etiam, quæ in ludicris apparet, memoratu dignam esse*. Ut autem id ordinate agam, præmonere amplius oportet, Homerum *Batrachomyomachiam* hanc, (nec enim ejus esse in dubium revoco, licet doctis Viris adhuc incertum, & Tigreti cuidam Cari in quodam perantiquo codice anonymo ascribatur; vid. Joh Nugnetius in *Not. ad Phryn.* in voce βίλον) item *Cercopas*, & *Epicichlidas*, & alia omnia, quæcunque juvenilia ludicraque fecit, in gratiam juventutis condidisse, & filiorum heri cujusdam Glauci hospitis sui, quos erudiendos formandosque susceperat; ut auctores sunt Herodotus in *Vita Homeri*, Suidas in verbo *Homerus*, & Aristobulus in *præfat. ad Glaucom*. Ex quo colligi datur, si quæ in ea lateat e Philosophis petita admonitio, quod talis sit, qualis adolescentulorum vitæ congrueret magis & utilis esset. Proinde minime probare possum, quod voluit Philippus ille, cujus Scholia ad hoc Poema leguntur: nempe eo consilio Homerum hoc Opus scripsisse, ut adolescentibus odium turbarum & seditionum insereret. Quod quidem nec rebus in *Batrachomyomachia* expositis consentire posse videtur: nec multo minus his convenit, ob quos fuit ab Homero composita. Siquidem ejus est in civitate, aliove conventu, turbas seditionemque excitare, qui propter ambitionem, metum, contumeliam, excellentiam, πλεονεξίαν, aliasque causas, quas Aristoteles *de Republ.* lib. v docet, exagitatus, consilio, manu, vel lingua, & factione sit potens. Hoc autem valere non est puerorum munus: nec illius ætatis imbecillitas & inexperientia sustinet. Tale igitur περὶ τ πολιτείας docere, *nec nostrum decebat*: ut cum Persio *sat.* IV. dicam, *barbatum magistrum*,

> —— *nec Chii juvenculi*
> *Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox*
> *Ante pilos venerat.*

Ut igitur non est puerilis ætatis τὸ στασιάζειν, sic de seditione avertenda præcepta capere ἐχὶ κατὰ λόγον τ ποδὸς *haudquaquam ad pedis rationem*, ut loquitur Lucianus: proinde Homerus, qui nullum prætermisit utile documentum, hoc in magna *Iliade* sibi reservavit demonstrandum sub persona Thersitæ. Θερσίτης enim, inquit Maximus Tyrius, *Serm.* XVI. εἰκὼν ἀκολάσυ δήμυ, hoc est, *populi effrenis imago*. Imo totum *Iliadis* Poema, ad hanc seditionem accusandam spectare, Aristides Orator dicebat *Orat. de concord. civ. Asiat.* Quantum vero ad Βατραχομυομαχίαν pertinet, alia procul dubio est Homeri intentio. Voluit enim maximus temperantiæ & frugalitatis præceptor, ut vel hac ratione Lacedæmoniorum Poeta vocandus, ut Cleomenes apud Plut. in *Lacon.* juventutem ad puram & moderatam educationem, hoc est, ad victus potusque continentiam, informare. Quod primas γαστρὸς μὲν πρώτιστα, inquit Pythagoras in *Aur. Car.* in optima educatione sibi partes vendicat, & oblivisci haud poterat, qui eam tanti fecit: ut etiam Heroibus ad frugalitatis exemplum, καὶ ἰσχύος ἕνεκεν, *& roboris caussa*, ut Dion *Orat.* II. *de Regno* observat, assa tantummodo boum tergora apposuerit; nec ipsa ad esuriginem provocandam curata, sed ad sedandam famem nullo cultu nulloque apparatu exhibita. Quamobrem & a Platone *de Justo* summopere commendatur. Vide Suid. in *Homer.* An hoc juvenibus sit curandum? Xenophon docet suavissimus & prudentissimus scriptor, qui in sua *Cyri Pædia* lib. I. hoc ἀρετῆς ταμιεῖον, & fundamentum, ut lib. I. *de dictis Socratis* vocat, totius bonæ institutionis proponit: Διδάσκυσι δὲ, inquit, καὶ ἐγκρατεῖς εἶναι γαστρὸς, καὶ ποτῦ, μέγα δὲ καὶ εἰς τῦτο συμβάλλεται, ὅτι ὁρῶσι, καὶ τὺς πρεσβυτέρυς ὐ πρόσθεν ἀπιόντας γαστρὸς ἕνεκα, πρὶν ἂν ἀφῶσιν οἱ ἄρχοντες· καὶ ὅτι ὐ παρὰ τῇ διδασκάλῳ, ὅταν οἱ ἄρχοντες σημήνωσι· φέρονται καὶ οἴκοθεν σῖτον μὲν ἄρτον, ὄψον δὲ κάρδαμον. πιεῖν δὲ, ἤν τις διψῇ, κώθωνα ὡς ἀπὸ τῦ ποταμῦ ἀρύσασθαι. Hoc est, ut vertit Leunclavius, *Docent eos & ventris ac potus abstinentiam, nec parum ad hoc adfert adjumenti, tum quod seniores quoque non prius ventris caussa discedere vident, quam suis a præsidibus dimittantur; tum etiam quod apud matrem pueri non pascuntur, sed apud magistrum, postquam id præsides eis significant. Adferunt autem domo panem quidem ad cibum, nasturtium vero ad obsonium*; (Vim enim vigoremque animi suscitat: & in socordem & ignavum ἔσθιε κάρδαμον, *ede nasturtium*, proverbio usurparunt Veteres) *item ampullam, ut si quis sitiat e præterfluente hauriat*. Aliis in locis, hanc summam fuisse Persarum exercitationem demonstrat Xenophon *loco cit.* tum præcipue cum narrat, turpe duci apud Persas expuere palam, & emungi, ac excernendi lotii ergo secedentem aliquo conspici: quæ propria & vera sunt intemperantiæ signa, inquit Clemens Alexandrinus *Ped.* lib. II. cap. II. quæque etiam ut caverent, idem adjuvabat obsonium. Nasturtium enim ea omnia cohibere, duobus in locis, in verb. κάρδαμα, & σραγγεμῶ, a Suida est annotatum, & proinde non est tacendum, ad hoc etiam deflecti posse laudatum proverbium, ut in homines hujusmodi intemperantia deformes elegantissime usurpemus.

Hanc sobrietatis virtutem ab omnibus sæculis quicumque sanæ mentis fuere homines, exercitatione sunt assecuti: nec defuere qui eloquentia & doctrina spectabiles, ejus laudes & beneficia scriptis commendarint. Inter præsentis sæculi auctores unus omnibus excellit Leonard. Lessius, eo Opusculo, quod, adjecto Ludovici Cornari (sive Aloysii Cornelii, ut Muretus vocat, *de Vita sobria*) libello, *Hygiasticon* inscripsit: quorum dicta nec meis augere confido: nec hujusmodi omnis mihi necessitas est adjuncta. Vide Muretum *in Senecæ epist.* LVIII. Id tantum nunc oneris habeo, quomodo sese explicavit Homerus, & non sine ipsius temperantiæ laudibus, breviter edocere. Ut autem hoc facile intelligas, pro Mure edacitatem, & pro Rana bibacitatem, hoc est, in victu potuque vitia, meo periculo interpretare. Ingluviem siquidem & ὀψοφαγίαν per Murem significari, non est a rebus, quas supra docuimus, alienum; cum sane probatum fuerit non alia de causa famem notare, quia animal edax sit: & similiter Ranam sitim exprimere, quia bibula sit; unde ad bibacitatem deflecti & rationi sit consentaneum. Ita autem esse, vel locus hic demonstrabit, in quo gulosi characterem describit, & affectata curiositate struices quamplurimas patinarias enarrat: Πῶς δ' (inquit Psicharpax Mus Physignatum Ranam alloquens, in Hom. *Batrachom.*) φίλον ποιῇ με τὸν εἰς φύσιν οὐδὲν ὅμοιον;

Σοὶ μὲν γὰρ βίος ἐστὶν ἐν ὕδασιν. αὐτὰρ ἔμοι γε
Ὅσσα παρ' ἀνθρώποις τρώγειν ἔθος· οὐδ' ἐμὲ λήθει
Ἄρτος τρισκοπάνιστος ἀπ' εὐκύκλου κανέοιο,
Οὐδὲ πλακοῦς τανύπεπλος ἔχων πολὺ σησαμίδα,
Οὐ τόμος ἐκ πτέρνης, οὐχ ἥπατα λευκοχίτωνα,
Οὐδὲ τυρὸς νεόπηκτος ἀπὸ γλυκεροῖο γάλακτος,
Οὐ χρηστὸν μελίτωμα, τὸ καὶ μάκαρες ποθέουσιν,
Οὐδ' ὅσα πρὸς θοίνην μερόπων τεύχουσιν μάγειροι
Κοσμοῦντες χύτρας ἀρτύμασι παντοδαποῖσιν.

Quorum sententia ex Simonis Lemnii versione hæc est:

Qui tibi me socium junges non æqua petentem?
Dissimilem natura facit: tibi vita sub undis:
At mihi consuetum dulcem conquirere victum,
Et quascumque licet rapias mortalibus escas
Convehere. At panis Cereris ter fruge subactus,
Ter quoque pistus aqua non me latet, inque canistris
Lecta Ceres esca non me fugit ulla rotundis,
Nec sisamida ferens crebram prælata placenta,
Nec liquidæ pernæ pinguentia frusta, nec albis
Cum tunicis jecora: aut nuper dulcedine lactis
Caseus expressus nivei, aut melitomata grata,
Melleque confectas escas quascumque deorum
Exoptant turbæ, nec quis convivia mensis
Lauta coqui ornantes ollas, atque ignis ahena
Deliciis variis humentia fercula ponunt.

Nonne diceres alterum Peniculum in scenam prodire, strenuum abliguritorem, & heluonem ter maximum? eique bene convenire, quod a Physignato respondetur *ibid.*

Ξεῖνε λίαν αὐχεῖς ἐπὶ γαστέρι.
O hospes valde gloriaris ob ventrem.

Parasitos, & hujusmodi gulones alienis mensis inhiantes, *Muscas* Veteres vocarunt: & *Mures* itidem, vel ex his Homericis verbis dici possent, ac etiam vulgata parœmia, *Mures ad caseum*. Diogenes istud innuit in *Diog. Vita*, cum subrepentibus ad ejus mensam muribus: ἰδοὺ, inquit, καὶ Διογένης παρασίτους τρέφει, *ecce & Diogenes parasitos nutrit.* Utrisque enim assimilis est natura & nominis originatio: si Isidori verba hoc valent, *Orig.* lib. XII. cap. VIII. *Musca ex Græco venit, sicut & Mus.* Quibus etiam Porcum, ad triadem malorum completissimam, adjungimus: nam qui eduliorum est appetens, maxillisque indulgens, is re vera Mus, Musca, appellandus, & amica luto sus: nec immerito, Socr. apud Xenoph. lib. I. *Memorab.* Et si Grammaticorum loculos excutimus: ὁ σῦς non aliunde, quam ἀπὸ τοῦ ὗος, ex quo fonte ὁ μῦς, καὶ μυῖα derivata vocabula, in hoc certe plures consentiunt: ex ὕρακος *soricem*, vel, ut ex veteri dicam Glossario, *suricem* deductum. Latini enim in dictionibus, quæ apud Græcos dasea notantur, cum eas in suum idioma transferrent, s aspirationis loco ponebant, ut ὕες *sues*, ὁλκὸς *sulcus*, ἕρπω *serpo*. ὕραξ vero apud Ætolos *suem* significat, M. Vict. *de Orthogr.* lib. I. Et quod non caret admiratione, Nicandrus eximius Poeta & Medicus, loquens de Aconito in *Alexipharm.* illud a quibusdam μυοκτόνον vocatum inquit: & addit,

—— ἢ γὰρ ἀνιγρὸς
Παμπήγην ὕρακας λιχμήρεας ἠρήμωσεν.

hoc est, ut quod

Gustantes soleat prope fontes perdere mures

Ὕρακας δὲ νῦν τοὺς μύας ἐκάλεσε, verba sunt eruditissimi Interpretis Διότι προσεοίκασι χοίροις τῷ ῥάμφει. Porcorum autem nomine Nicandrus Mures vocavit, propter similitudinem, quæ est inter eos. Hinc clarius Martialis locus elucescit *lib.* XI. *epigr.* XIX.

Fines Mus populatur, & colono
Tanquam sus Calydonius timetur.

Tanta enim concordia naturæ consentiunt, ut quod Magi tradunt: si quis Muris jecur in ficu porco vorandum dederit, nullo edito grunnitu ultro deinceps adsfectetur quoquo ierit: & Patavii factum, nonnullorum juvenum astu, meminit Pierius Valerianus *Hierogl.* lib. XIII. non sine totius viciniæ querelis, ut ipse inquit, quæ sibi porcos incertis auctoribus abduci lamentabatur: nec aliorsum, quam ad hanc ὁμοφυΐαν respicere, quod a Muhameticis fabulatur: cum ex suillo stercore nato in arca Mure, tabulasque arrodente periculum immineret, ex leonis fronte felem ad illius internecionem procreatam oblaterant.

Vide igitur Lector, quam apposite Homerus, harum bestiolarum symbolis, vitium objurgarit perniciosissimum. Ad quod etiam pertinent aliæ sui Poematis partes. Bellum enim, quod invicem movent, turbas significat, quas hominum corporibus cient. Qua de causa Diogenes apud Antonium Monachum *Serm.* LXXXVII. dicebat: Τῶν οἰκιῶν, ἔνθα πλείστη τροφὴ πολλοὺς μῦς εἶναι, καὶ γαλᾶς, καὶ σώματα δὲ τὰ πολλὴν τροφὴν δεχόμενα, καὶ νόσους ἰσὰς ἐφέλκεσθαι. *Quibus in ædibus magna esset ciborum copia, ibi multos Mures, & Feles esse solere dicebat: ac ea corpora, quæ multum cibi caperent, multos morbos contrahere solere.* Ex victu namque hominibus quam plurima obveniunt detrimenta, quoniam, ut inquit Solon apud Plutarchum in *Sympos.* non solum vivendi, sed etiam moriendi materia est alimentum: & Deos non alia de causa immortales canit Homer. *Iliad.* ε. quia,

Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσι, οὐ πίνουσι αἴθοπα οἶνον.
Nam nec edunt panem, nec Bacchi munera potant.

Omnes igitur comitantes corporibus morbi, malæque habitudines a cibi potusque intemperantia, usuque exlegi: ut si perniciem ex humoris exuberantia, quam ὕδρωψιν Medici vocant, in hac Ranarum pugna requiras, mirum in modum in Psicharpace his verbis expressam invenies:

Ὑψώσας

Ὑψώσας ὠχρὸν δέμας ὕδατι λευκῷ.
Elevans pallidum corpus aqua alba.

Juxta illud Persii *sat.* III.

Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur.

Sed propius ad rem Horatius *Carm.* lib. II. ode II.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi caussa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

Nec scrupulum injicere debet, si Homerus epitheton, quod ventri Persius, & corpori tribuit Horatius, aquæ dederit: nam eadem dixit figura, qua apud eundem Horatium *Carm.* lib. I. ode III. *Pallida* dicitur *mors*, cum ex humore & intercuti aqua pallidum albumque reddatur corpus.

Nec aliena videtur ab argumento consideratio: quod hi hostes, data quadam opera, in tam gravi & militari conflictu per ventrem & medium hepar transfodiuntur: & quod Homerus ait in *Batrach.*

Πρῶτος δ' Ὑψιβόας Λειχήνορα οὔτασε δουρὶ
Ἑσταότ' ἐν προμάχοις κατὰ γαστέρα εἰς μέσον ἧπαρ.
Primus autem Hypsiboas Lichenorem vulneravit lancea
Stantem inter propugnatores per ventrem & medium epar.

Haud enim frustra & temere id a Poeta factum, quod Dion Chrysostomus *Orat. de Homero* in Antinoi & Pandari nece notavit, addiditque: Καὶ γὰρ εἰ καὶ τύχῃ τινὶ συμβαίνει τὰ τοιαῦτα, ὅμως ἐπὶ πολλῶν ἔστιν εἰπεῖν. ὅτι τοῦτον μὲν τὸν ἄνθρωπον, διὰ τῆς γαστρὸς δεῖ πληγέντα ἀποθανεῖν, τοῦτον δὲ διὰ τῶν αἰδοίων, τοῦτον δὲ διὰ τοῦ σώματος. *Nam & si fortuna quadam hujusmodi accidere soleant, tamen circa multos dicere licet: quod hunc quidem per ventrem percussum mori oportuerit, illum vero per pudenda, alium per os.* Nec omisit Heraclides Pont. in *Allegor. Homer.* inquiens, Homerum agere, ut legislatores, qui illam præcipue partem mutilant, quæ scelus commisit. Et hæc consideratio alia ratione nos juvat; obscurissimum enim Plauti locum ita elucidat, ut mirum videatur non id hactenus, quod sciam, ad ejus explicationem observatum. Lepidissimus Plauti jocus est in *Bacchidibus*, actu IV. scena VI.

Si tibi machæra est, nobis veruina est domi,
Qua quidem te faciam, si tu me irritaveris,
Confossiorem soricina nænia.

Ad soricinam hanc næniam explicandam, multa Donatus apud Terentium in *Eunucho*, Turnebus *Adversus* lib. XXIV. cap. XI. Lambinus *ad hunc locum*, & ingens illud doctrinæ miraculum Josephus Scaliger *in Festum Pomp.* postremo nullo cum compendio prolixus Franciscus quidam de Cordova, *Didas.* cap. XL. Sed meo judicio nugæ næniæque sunt meræ: nam nulli dubium esse debet, Plautum ad Homeri hoc Poemation respexisse. Nihil novum in comœdia palliata, nec ipsi auctori: qui eodem dramate, & scena statim sequente, *Iliadem* totam in jocum vertit:

Atridæ duo fratres cluent fecisse facinus maximum.
Cum Priami patriam Pergamum.

Et quæ deinceps.

Talis igitur per aliam μετωνυμίας speciem erit sensus, *Confossiorem te faciam soricina nænia*, loquitur Chrysalus servus Cleomacho militi, & id ait, non minus te totum confodiam, quam ranæ soricesque tui similes, (proprium latens & festivum convicium) in nænia, hoc est, jocoso & puerili Homeri poemate, transfiguntur. In quo, ut denuo rem nostram agamus, quod facit ut Juppiter Palladem alloquatur, nunquid Muribus esset auxiliatura: id eo proposito facit, ut exprimeret quantum γαστριμαργία, hoc est, in alimentis intemperantia & insania, animæ vim hebetaret ad sapientiam. Palladem enim τῆς φρονήσεως ἔφορον οὖσαν, ut ait Sophoclis Scholiastes in *Ajace*, hæc allocutam fuisse inquit Homerus in *Batrach.*

Ὦ πάτερ οὐ ἄν πώποτ' ἐγὼ μυσὶ τειρομένοισιν
Ἐλθοίμην ἐπαρωγὸς, &c.
O pater non certe unquam ego muribus cum vexarentur
Venirem auxiliatrix.

Odio ranas muresque Minervam prosequi, illud est, quod dicitur: *Sapientia in sicco residet, non in paludibus & lacunis:* γαστέρα μισήσει θεὸς, καὶ βρώματα γαστρὸς, id est, *ventrem odit Deus*, (Palladas apud Homerum *lib.* I. *cap.* LXXIX. Deus namque est animus, inquit Cato *Dist.* lib. I.) *& epulas ventris.* Etenim pinguis aqualiculus haud gignit sensum tenuem. Sed ut ex Heraclito Musonius dicebat, apud Stobæum *Serm.* αὐγὴ ξηρὴ, ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη, *luce sicca, anima sapientissima optimaque.*

Quod aliter non minus eleganter, quam ad rem nostram apposite, ab ipsa antiquitate demonstratum: & par est ad hujusce virtutis documentum, cognitione percipere: *Cicadas scilicet, haud cochleas, amare Apollinem*, Thucyd. *Histor.* lib. I. illas ex auro efformatas, antiquissimi Atheniensium capillis implicitas gestabant; velut ei numini sacras, cui sapientiam & divinationem tribuere. Gaudent cochleæ humectatione, roscidoque humore provocantur & ad eum exeunt: tarditate motus, oculorum orbitate, insigne produnt inertiæ & fatuitatis exemplum. Cicadæ ex adverso calore gestiunt, excitatque eas sol ardens, & in eo canunt. Fuisse olim hæc animalcula fabulatur Plato in *Phædro*, (at fabella Platonis est) musicos homines, qui cantu adeo allicerentur, ut præ modulatione cibum potumque negligerent: eoque demum macilentiæ redactos, ut in cicadas abierint, quas solum ex iis, quæ vivunt, & sine ore esse dicuntur, & sine foramine ad excrementa. Tales esse debere docet Porphyrius *Abst.* lib. IV. cap. IV. qui Deo conjungi, & divinitate, qua datur in hac mortalium vita, enutriri volunt. Et ut Epicteti verbis apud Strob. *Serm.* concludam, ex quo hæc hausimus, καὶ θεωρίζειν, καὶ ᾄδειν τὰ τῆς δικαιοσύνης λόγια, *& divinare, & justitiæ oracula canere.* Quod verissime in Apostolicis viris, primitivæ Ecclesiæ θεραπευταῖς, sub hac comparatione Philo Judæus extollit lib. *de Vita cont.* & ad eorum laudem, nostrique seculi confusionem, & Græce, & Latine præstat audire: Ἐγκράτειαν δὲ ὥσπερ τινα θεμέλιον προκαταβαλόμενοι τῇ ψυχῇ τὰς ἄλλας ἐποικοδομοῦσιν ἀρετάς. σιτίον δὲ ἢ ποτὸν οὐδεὶς ἂν αὐτῶν προσενέγκαιτο πρὸ ἡλίου δύσεως, ἐπειδὰν τὸ μὲν φιλοσοφεῖν ἄξιον φωτὸς κρίνουσιν εἶναι, σκότους δὲ τὰς σωματικὰς ἀνάγκας. ὅθεν τῷ μὲν ἡμέρας τὸ δὲ βραχύ τι μέρος τῆς νυκτὸς ἔνειμαν. ἔνιοι δὲ καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν ὑπομιμνήσκονται τροφῆς, οἷς πλείων ὁ πόθος ἐπιστήμης ἐνίδρυται. τίνες δὲ οὕτως ἀνευφραίνονται καὶ τρυφῶσιν ὑπὸ σοφίας ἑστιώμενοι πλουσίως, καὶ ἀφθόνως τὰ δόγματα χορηγούσης ὡς καὶ πρὸς διπλασίονα χρόνον ἀντέχειν, καὶ μόλις δὲ ἐξ ἡμερῶν ἀπογεύεσθαι τροφῆς ἀναγκαίας, ἐθισθέντες, ὥσπερ φασὶ τὸ τῶν τεττίγων γένος ἀέρι τρέφεσθαι τῆς ᾠδῆς ὥς γε οἶμαι τὴν ἔνδειαν ἐξευμαριζούσης. *Temperantiæ*, inquit, *tamquam fundamento in anima jacto virtutes cæteras superstruunt: nec cibum nec potum quisquam sumit ante solis occasum, quod sapientiæ studium luci convenire judicent, tenebris vero curam corporis: ideo totos dies alteri, alteri vero exiguam noctis partem tribuunt: nonnulli ex his vix tertio quoque die*

A *famem sentiunt attenti magis ad disciplinarum scientiam: nec desunt qui prælaute accepti epulo sapientiæ copiose præbentis sua placita, perdurant duplum ejus temporis, & vix sexto die degustant cibum ne[illegible], [illegible] cicadæ rore vivere, canticis opinor solantes inediam.* Ex quibus omnibus non parum lucis accipiunt hæc quæ de cicada ex monumentis Ægyptiis Orus effatur in *Hieroglyph.* Ἄνθρωπον δὲ μυστικὸν, καὶ τελεστὴν βουλόμενοι σημῆναι, τέττιγα ζωγραφοῦσιν: *rebus sacris ceremoniisque addictum hominem significantes, cicadam pingunt.* Et quod non minus scitu dignum, pene in cognitionem ducimur alterius Homeri Poematis, quod
B Κέρκωπας inscriptum, jam supra memoravimus. Etenim inter cicadarum genera unum est, quod *Cercopa* vocant, inquit Ælianus *Histor Anim.* lib. x. cap. XLIV. Quod si de his cecinisse Homerum concedatur, in quo argumento symbolice versatum, facile erit unicuique ex prædictis existimare.

Addit deinceps Homerus *ibid.* enumerans damna, quæ a Muribus Palladi obvenerunt:

—— ἐπεὶ κακὰ πολλά μ' ἔοργαν,
Στέμματα βλάπτοντες, καὶ λύχνους εἵνεκ' ἐλαίου.
Πέπλον μου κατέτρωξαν, ὃν ἐξύφηνα καμοῦσα,

Quoniam mala mihi multa fecerunt,
Coronas destruentes, & lucernas causa olei,
Peplum meum corroserunt, quod texui elaborando.

C De coronis lucernisque adjecit, ut id obiter & in transcursu dicam. Nam Veteres utrasque diis appendebant: sed lucernas cultu peculiari Palladi dicatas, Pausanias in *Atticis*. Arnobius *advers. Gent.* lib. IV. *eam luminis ministram, & lucernarum modulatricem* vocat, ex eo quod apud Homerum præluxisse aureum lychnum Ulyssi, filioque Telemacho, narratur. Quod ne dum Gentibus
D exprobrandum duxit Clemens Alexandrinus in *Protrept.* & ab eo desumens Arnobius; sed & ipsimet Poetarum nationi objicit Aristides *Orat. in Serap.* Ægyptii similiter lucernarum veneratione Palladem coluere; quam celebritatem Græci λυχνοκαΐαν, id est, *lucernarum gestationem*, vocabant; non in Sai modo, sed per universam Ægyptum solemnem, ut Herodotus in *Euterpe* & Themistius *Orat.* III. ajunt. Sed quid hic lychnus, ut occultiora sectemur, nisi mens ipsa; lumen, quo totus homo illustratur, quod clarissimum est, & ex sacris symbolis accipit auctoritatem? Pru-
E dentes enim sunt virgines, quæ lumen & oleum secum tulerunt, Clemens Alexandr. *Stromat* lib. v. Quid autem est quod mentem obtenebret, ingeniumque obruat, quam ventris, repletio gulæque luxuria? Nec caret expositione: si ad hunc sensum coronam revocabis. *Proverbiorum* enim libro cap. IV. sanctissimum inest documentum: *Acquire sapientiam, & intellectum tibi compara, ne obliviscaris, ut capiti tuo coronam det gratiarum.* Et si lubet de peplo insuper aliquid addere. Ποικίλον, id est, *varium*, ipsum describit Homerus *Iliad.* ε.

F Ὅν ῥ' αὐτὴ ποιήσατο, καὶ κάμε χερσίν.
Quod ipsa fecerat, elaborarat manibus.

Cujus varietatem, inquit Eustathius *ibid.* τὸ πολυειδὲς prudentiæ ostendit: & quod ipsa sibi peplum fecerit, ipsam prudentiam sibi sufficere; hoc est, ut ipse ait, ἀπροσδεῆ, καὶ αὐτάρκη εἶναι τὴν φρόνησιν: omnia propter cibum, ne dum per ingluviem, interturbata sapientiæ munia.

Sed hæc leviter tetigisse sufficiat, non enim librum scribimus commentarium, ut minutatim singulas hujus Poematis partes percurrere opus sit. Satis ex his nostra inclaruit sententia: & ansa ministratur, cui quod amplius dici posset investigare libebit: & ne solum ad materiæ pompam, ut inquit Plinius, respexisse videremur, corpus temperantia curandum docuimus. Quod Operis fidem intuetur, & in præparatu Nepenthus nostri utilis, imo necessaria parænesis, cum omnium virtutum & disciplinarum sit fundamentum, & ea omnia removeat, quæ usum mentis impediunt, vel difficilem, inamœnum, laboriosumque reddunt, & simul ea suppeditet adminicula, quibus functiones animi reddantur illustres, faciles, & delectabiles. Quæ idcirco etiam nos docere oportebat: nam ex his, quæ infra erunt dicenda, Nepenthes Chironium esse medicamentum, id est, Chironis Centauri præceptis & disciplina comparari, evidens fiet, qui frugalitatem potissimum curabat. Eos enim, quos formandos susceperat, inquit Statius meus in *Achil.* lib. v.

Nonnullos ex more cibos habuisse, nec almis
Uberibus satiasse famem, sed spissa leonum
Viscera, semianimesque lupæ traxisse medullas.

Ut crudo hoc vitæ morumque rudimento ad columen masculæ virtutis evaderent: sed de Chirone passim alibi. Nunc autem cum isthæc παρασκευὴ ad Ægyptium Nepenthes, & hanc ipsam ab Ægipti Regum disciplina manare, quando id ita sit, haud alienum erit breviter admonere: at quis ambiget luxum iis & deliciarum studium detestatum? Mensæ siquidem ipsorum nihil præter vitulum & anserem inferri solitum. Neochabis ac Bocchoris Reges tamquam e præscripto Medici, atque adeo ex lege & consuetudine vitæ non regiæ, sed privatæ, rationem instituisse dicuntur. Vide C. Rhod. *Lect. Antiq.* lib. IX. cap. XIII. Columnam Thebis in templo positam perhibetur, in qua diræ imprecationes in Meinin Regem inscriptæ: qui primus Ægyptios, auctore Plutarcho *de Iside & Osiride*, τοῦ ἀπλοῦ, καὶ [illegible], καὶ λιτοῦ [illegible] διαίτης, *a tenui & opum pecuniæque non indigente victus ratione deduxisset.* Illud certe memorabile est, quod in condiendis nobilium funeribus observatur. Nam apud Deum se a peccatis excusantes, in cibum & potum culpam rejiciunt: orationem autem, qua id exprimitur, habes apud Porphyrium *de Abst.* lib. IV. quæ Græce, ut Euphantus ex propria locutione est interpretatus, hæc est: Ὦ δέσποτα Ἥλιε, καὶ θεοὶ πάντες, οἱ τὴν ζωὴν τοῖς ἀνθρώποις δόντες, προσδέξασθέ με, καὶ παράδοτε τοῖς ἀιδίοις θεοῖς σύνοικον. ἐγὼ γὰρ τοὺς θεοὺς, οὓς οἱ γονεῖς μοι παρέδειξαν, εὐσεβῶν διετέλουν, ὅσον χρόνον ἐν τῷ ἐκείνων αἰῶνι τὸν βίον εἶχον. τούς τε τὸ σῶμά μου γεννήσαντας, ἐτίμων ἀεί. τῶν τε ἄλλων ἀνθρώπων οὔτε ἀπέκτεινα. οὔτε παρακαταθήκην ἀπεστέρησα, οὔτε ἄλλο οὐδὲν ἀνήκεστον διεπραξάμην. εἰ δέ τι ἄρα κατὰ τὸν ἐμαυτοῦ βίον ἥμαρτον, ἢ φαγὼν, ἢ πιὼν ὧν μὴ θεμιτὸν ἦν, οὐ δι' ἐμαυτὸν ἥμαρτον, ἀλλὰ διὰ ταῦτα. Hoc est, *Sol omnibus imperans, vosque reliquæ potentiæ, quæ vitam hominibus largimini, accipite me, atque sempiternis Diis contubernalem offerte. Ego enim Deos a genitoribus mihi demonstratos, quandiu in hoc sæculo vixi religiose perseverando colui. Parentes, qui meum corpus genuerunt, semper honoravi. Reliquorum hominum occidi neminem. Depositum cuiquam neque defraudavi, neque aliud atrox facinus commisi Si vero dum vivebam, aliquid de iis, quorum fas non est, bibendo aut comedendo a me gestum fuerit, non per me peccavi, sed per illa:* (indicans ventrem in arca quadam repositum) quæ his dictis in flumen dejiciunt, & reliquum corpus ut purum medicamine condiunt.

Sacerdotes vero, ut idem Porphyrius *ibid.* testatur, cum & omnibus sint exemplo, *ἤσκουν δὲ δίψαν, καὶ πεῖναν, καὶ ὀλιγοσιτίαν παρὰ πάντα τὸν βίον, in siti, fame, & tenui victu per totam exercentur vitam.* Nec pisces probant in alimentum, abstinentque ab aqua Nili fluminis; ut quæ pota pinguedinem faceret. Nolunt enim, inquit Plutarchus *de Iside & Osiride*, animis gravia & obesa circundata esse corpora, ne divina pars a mortali prematur atque affligatur. Itaque rem totam ut summatim complectamur; quidquid hactenus diximus, Petronianis his carminibus in *Satyr.* mirum in eo stercore fœditatis, tam purum putumque aurum colligi, & uno hoc absolvitur documento:

Artis severæ si quis amat effectus,
Mentemque magnis applicat, prius more
Frugalitatis lege palleat exacta.

An non severæ artis summum specimen, non lugere, nec tristari in conjunctissimorum obitu? quod Operis nostri & ex Homeri doctrina scopus est: frugalitate ergo ante omnia pallescere, aut pollere (utraque lectio in Petronio) adhortatio valde necessaria, non solum prisco more, id est, veterum Poetarum, ut pereruditus Scholiastes habet, sed ipsius Homeri, qui præambulo *Batrachomyomachias*, & *Cercoparum*, ad reliqua poemata iter paravit, nec alia promulside gustus rerum magnarum excitatur, & quod ait Seneca *epist.* XVII. *Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura:* rationem addit Justinus lib. XX. *Histor.* genitrix enim virtutum est frugalitas. Nunc, si libet ad Petrarcham, a quo longe digressi sumus, & ad sonuli difficultatem, ut finis huic tractationi imponatur, nostra tandem redeat oratio. Haud igitur probandum, aliquid relinquere in poemate indictum, aliunde quod supplere opus sit, & ad leviorem culpam, posse hoc vitari contendo; si ad instar epigrammatum sumptione & titulo explicetur; cum lemma, vel titulus, aliqua sit Operis pars. Quo remedio usus est idem Petrarcha *Carm.* lib. I. in eo tetradecastico: in quo, ut observavit Ludovicus Castelvetrius in *Petrarcham*, *Tuberorum munus* inscripsit, præcavens; ne ejusdem criminis eum insimularet primi ternionis endecasyllabum:

Onde tal frutto, o simile si tolga.


Proinde non parum de Correctoribus sum admiratus, qui lemma illud in libris impressis non collocarint: ratio autem quare in epigrammatibus recipiatur? Haud ea est, quam sibi Martialis confinxit *epig.* II. *lib.* XIV.

Lemmata si quæris cur sint adscripta, docebo:
Ut si malueris, lemmata sola legas.

Sed & illa, vel certe notatu digna, & nescio si omnibus animadversa, quæ ex nominis etymo colligitur: nam *ἐπίγραμμα* Latine *inscriptionem* dixeris. Refert enim se *πρὸς τὸ ἐπιγεγραμμένον*: id autem, ad quod inscribuntur, cum jam epigrammata in libris reponantur, nullatenus repugnat, quod hypothesi præmonstretur. Hoc remedium in suo, de quo agimus, tetradecastico Petrarcham adhibuisse arbitror, omnino ei pernecessarium: & magis ac magis, quam illo Columniensi amatori, ad profligandum, quod ajunt, amoris pestem, (vid. Lælius de Læliis *in lib. de Amicitia* F. Petrarchæ) vel ut rectius scriptor ille, quem refert Alexander Tassonus in *Annotat. ad Petrarcham*, existimabat, Stephano seniori, ad temperandum luctum in obitu filiorum, haud erant auctoris de Pæoniæ artis subsidiis præscriptæ sententiæ: quibus inter cætera mandat, ut herbæ cujusdam succum hauriat. At quid hoc herbarum? silent Petrarchæi. Quod investigare; ad diligentiam nostram pertinere reputavimus, atque subtiliter & enucleate describere, ut ex Homero sequentibus libris *σὺν Θεῷ* curabitur.

DE HOMERI NEPENTHE

PARS II. HISTORICA, QUÆ ET DE *MEDICAMENTIS*.



NOn defuere unquam præclara ingenia, quæ ab ipsa antiquitate Homero, ut scientiarum omnium parenti, impense operam dederunt: unus tamen omnibus dignitate & studiorum laude antecellit Ptolemæus Ægypti Rex cognomento Philadelphus. Hic adeo Poetam hunc est admiratus, ac solemniter sectatus, ut non solum ejus acerrimus propugnator, sed & doctissimus commentator evaserit. Zoilum enim illum *Ὁμηρομάστιγα*, quod Homeri se castigatorem profiteri foret ausus, delusum prius aliquandiu, extremo tandem supplicio cruciatum necasse: ac præter alia volumina *τὰ Ζητήματα Ὁμηρικά*, id est, *Quæstiones de locis quibusdam in Poesi Homerica*, composuisse traditum est, in *Proœm. Græcæ Grammaticæ*, editæ Lipsiæ Anno MDLII. Quarum in numero & hanc illustrem *περὶ νηπένθους* controversiam admisisse procul dubio existimandum foret. Cum Nepenthes hoc Ægyptium fuerit pharmacum, & donum ex ejusdem Regni Regibus, vi sua suisque circunstantiis admirandum. Materia proinde tanto scriptore dignissima, *& argutia* (ut loquitur Apulejus *Met.* lib. I.) *Nilotici calami* explicanda. Nec deest conjecturæ sufficiens auctoritas; si iste ille sit Ptolemæus, quem Didymus in *Scholiis ad lib.* IV. *Odyss.* Homeri locum citat. Hos libros, si ævi longinqua vetustas non invidisset, plerisque Veterum, & nobis amplius, de ea re disserendi e medio sublata esset occasio. Nunc alter Philadelphus (absit verbo jactantia) non ingenio,

non ingenti bibliotheca, quibus omnibus sum A destitutus; sed ob sororiam pietatem, (ea enim de caussa Philadelphi hoc inditum cognomentum) ipsam pertractare coactus, quamvis ἰσοπτολεμαικὰ docere nullatenus confido: subtiliter tamen pro meo captu de iis dicam: quæ nisi admiratione prosequi, commendatione tamen digna videantur. Sed ne diutius præfationibus immoremur, a scripto Homeri loco, quo totam hanc de Nepenthe historiam, singulasque ejus proprietates complectitur, ad rem ipsam aggrediar: inquit Homerus *Odyss. δ.*

B

Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον,
Νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.
Ὅς τὸ καταβρόξειεν ἐπὴν κρητῆρι μιγείη,
Οὐκ ἂν ἐφημέριός γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν,
Οὐδ' εἴ οἱ κατατεθναίη, μήτηρ τε, πατήρ τε,
Οὐδ' εἴ οἱ προπάροιθεν ἀδελφεὸν, ἢ φίλον υἱὸν
Χαλκῷ δηϊόῳεν ὁ δ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῷτο.
Τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα
Ἐσθλά, τά οἱ Πολύδαμνα πόρεν Θῶνος παράκοιτις
Αἰγυπτίη, τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Quæ carmina elegantissime Gulielmus Budæus in C suis *Annotationibus in Pandectas, ad l. qui venenum, ff. de verb. signific.* ita vertit:

Hic Helenæ subiit vino miscere venenum
Solvere quod luctus, iras sopire minaces,
Quod memori fertur residens abstergere sensus
Sortitis acerbæ animo, atque oblivia ferre malorum,
Qui semel id patera mistum nepenthes Jaccho
Hauserit, hinc lachrymam, non si suavissima proles,
Si germanus ei charus, materve, paterve.
Oppetat ante oculos, ferro confossus atroci.
Tyndaris hæc habuit summo Jove nata venena, D
Quæ Polydamna dedit conjux Ægyptia Thonis
Commoda consulte medica composta sub arte,
Ipsa etenim Pharia soleri tellure venena
Noxia multa legit, mixtimque salubria multa.

Quæ autem dissertationis est methodus, pauca aliqua de nomine præmonere necessum habeo: & primum quid Nepenthes significet, & num substantivum, an epitheton sit? Quantum ad significationem attinet, dicitur ἀπὸ τῶ νη, particula privativa, & πένθος, quæ ut ab initio monuimus *luctum tristitiamque* significat: Eust. in *Comment. ad Odyss. δ.* & non solum τὸ ἐστερημένον πένθυς, *quod luctu* E *caret*, ἀλλὰ καὶ στερίσκον, hoc est, ut cum Plinio *lib.* XXV. *cap.* II. dicam, *oblivionem tristitiæ, veniamque afferens*: per translationem vero clarum, serenum, lætumque significabit. Siquidem ita apud epigrammatarium exponitur Νηπενθέα Ἀπόλλωνα, quod *Anthol.* lib. I. cap. XXXVI. legitur.

Reliqua difficultas major. Nam plerique volunt, ut adjective sumatur; hoc est, φάρμακον νηπενθὲς, medicamentum, quod lætificum vel exhilarans Medici dicunt: quemadmodum & alia huic eidem pharmaco adjecta vocabula, ἄχολον, *iram depellens*, ἐπίληθον, *oblivionem inducens*. Cui opinioni non inficias imus; sed in substantivum etiam F solvi posse contendimus. Nam cum plura pharmaca, cum simplicia, tum mixta ab effectibus nomina sortiuntur, quid vetat apud Homerum φάρμακον νηπενθὲς, *medicamentum* quod est *Nepenthes* exponere? Sic consulto a doctissimo Budæo, ut propinquiora adducam, in sua versione factum est; qui cum illud Homeri transferret, ὃς τὸ καταβρόξειεν ἐπὴν κρητῆρι μιγείη, quod ita ad verbum diceretur, *qui illud medicamen deglutierit, postquam crateri fuerit immixtum*: τὸ nepenthes de suo adjiciens, sic habet: *Qui semel id patera mixtum nepenthes Jaccho hauserit*. Ecquonam quæso alio nomine poterat tale medicamen insigniri; si hoc non barbare, non ineleganter omnis vis integraque ejus virtus exprimitur? qua ratione & nos huic opellæ titulum adoptavimus.

Sed hactenus de nomine: nunc rem ipsam agamus. Et primum omnium in disceptationem adducimus; utrum in hac parte, & in his verbis Homericis, aliquid fuerit hoc pharmacum? Facit dubitationi locum Oribasii lib. V. *Collect.* cap. VII. imo Rufi antiquissimi Medici, in hac re sententia, qui nihil aliud Nepenthes est arbitratus, quam ipsum vinum: & nisi me fallit Interpres, hæc sunt Oribasii verba: *Quippe cum vinum sit mœroris medicamentum, atque Helena quidem mihi videtur hoc crateri infudisse, ut mœrorem sedaret.*

Si igitur solummodo vinum Helena miscuit, nullo medicamine temperatum, jam verba Homeri eam recipiant, opus est interpretationem: ut illud εἰς οἶνον βάλε φάρμακον νηπενθὲς, a Poeta sit dictum, tantum ut exprimeret: Helenam dedisse merum bibere non imbecillum, & (quod ajunt) ὀλιγόφορον, sed potens, fragrans, generosum, & amara curarum eluere non efficax modo, ut inquit Horatius *Carm.* lib. IV. ode XII. sed efficacissimum.

Ad quem Horatii locum Lambinus, quasi hujus Oribasii verbis astipulatus, hæc addit: *Hanc laudem omnibus propemodum vinis tribuunt Poetæ: itaque vinum* λαθικηδέα, id est, *oblivionem mœroris afferens*, & παυσίλυπον, id est, *molestiis modum & finem imponens*, & νηπενθὲς, id est, *luctum adimens*, seu *luctu liberans*, & κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων, (sunt enim verba Homeri de quibus disceptamus) id est, *malorum omnium oblivionem inducens, appellant Græci*.

Et sane constat apud Poetam, non temetum, sed Ægyptiacum quidpiam his epithetis decorari. Quod etiam, ut in hanc causam trahas, nec obstaculum videatur, Helenam ab Ægyptiis hujusmodi disciplinam edoctam: ex Athenæo *Deipnos.* lib. I. intelliges Hellanicum scribere, in Plinthine oppido Ægypti, primum inventam fuisse vitem; qua de causa Dion Academicus φιλοίνυς, καὶ φιλοπότας, hoc est, *vini, & bibendi avidos, & amicos*, Ægyptios fuisse inquit; ac quoniam ob egestatem vino multis carendum esset, excogitatum apud illos inopiæ solatium, ut vinum ex hordeo confectum biberent: cujus potu adeo lætati sunt, ut canerent, saltarent, & quæ solent ebrii facerent omnia. Et addit ad maximum vinolentiæ argumentum, morem esse apud ipsos, imo velut lege quadam receptum, brassicas coctas, tamquam ἀμέθυσον, & contra ebrietatem remedium ante omnes alios cibos comedere.

Itaque, ut summatim rem expediam, videtur ad diluendos mœrores Telemacho & Pisistrato, quos convivio exceperat Menelaus, Ægyptiorum more Helenam propinasse: & hospites ipsos Αἰγυπτιάζειν (ad hunc enim morem transfert Dalechampius in *Notis ad Athen.*) effecisse; quod nos Itali, cum largius meraciusque poculis indulgemus, Teutonico ritu miscere dicimus.

Sed an hæc sufficiant funditus convellere opinionem, jam omnium calculo receptissimam, Homerum scilicet aliquid aliud præter vinum indicasse, validissimum contra luctum medicamentum, quod ex Ægyptiaco agro productum, & a Medicis illius regionis observatum, Polydamna Thonis Thebarum Regis uxor, Helenæ, uti magnum repostum & regale præbuit donum? Haud equidem ita credo: nec aliter sentiendum, cum val-

de indecora & Homero pugnantia ista contineat assertio: nam præterquam quod fœminas vel Principes minime deceat ἡ φιλοινία, (Alex. Aphr. lib II. *Probl.*) non est hujusmodi vini in ea regione proventus, cum frigidum & prorsus Biblinon gignatur, nec ideo Biblinum dixi quod Guilandino in *Papyro* membr. II. assentiens βίβλιον οἶνον Ægyptium putem: sed quia cum omnibus sit infirmius, maxime ita appellari conveniat, J. Scaliger in *Anim.* Rursus & ex Homericis verbis vino pharmacum injectum aperte liquet.

Unde mirum videri possit, quomodo ex eo depromens Rufus, non id animadverterit; sed fortasse annotabat quod ejus decurtator Oribasius neglexit exprimere, ideo Nepenthes non alibi quam in vino dilutum; quia vinum itidem mœroris esset medicamentum, & hilaritatis, ut loquitur Varro, dulce seminarium. Qua ratione, & νηπενθὲς, καὶ κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων, per translationem & similitudinem dici potuisset: imo Galenus lib. I. *Quod animi mor. seq.* &c quamvis Oenopiæ radicem Nepenthes assereret, addit tamen, nihil ea hoc loco opus esse, cum vinum ea quotidie facere videamus.

Sed his minime Lambinum excusatum velim. Nam ita a Poetis appellatum inquiens, in hujus Homeri carminis intelligentia deceptum, procul dubio judicandum, nec verbum Αἰγυπτιάζειν οἰνοφλυγίαν exprimit, ut Dalechampio placuisse videtur, cum omnes Græci Interpretes ad κακουργίαν, & ad Ægyptiorum vafritiem deflectant: vide Eustath. *in Dion. Aphr.* Aristoph. Schol. *in Neph.*

Re vera autem habuisse Ægyptios hujusmodi medicamenta, Diodorus Siculus lib. I. *Biblioth.* quem & S. Justinus Martyr citat in *cobor. ad Græcos*, abunde testatur his verbis: Τὸ γὰρ νηπενθὲς φάρμακον, ὃ λαβεῖν φησὶν ὁ ποιητὴς τὴν Ἑλένην ἐκ τῶν Αἰγυπτίων Θηβῶν παρὰ τῆς Πολυδάμνας τῆς Θῶνος γυναικὸς ἀκριβῶς ἐξητακὼς φαίνεται. ἔτι γὰρ, καὶ νῦν τὰς ἐν ταύτῃ γυναῖκας χρῆσθαι τῇ προειρημένῃ δυνάμει λέγουσι. καὶ παρὰ μόναις ταῖς διοπολίτισιν ἐκ παλαιῶν χρόνων ὀργῆς καὶ λύπης φάρμακον εὑρεῖσθαι φασί. Quod ex Poggii versione: *Nam potionem ad abolendum luctum, quam Poeta Helenam habuisse scribit, in Thebis Ægyptiis a Polydamna Thonis uxore factam constat: ubi nunc quoque mulieres hoc medicamine utuntur. Apud solos vero Heliopolitas*, (eædem enim Heliopolis & Thebæ sunt) *priscis etiam temporibus inventum fuisse tradunt, & iræ & doloris medicamentum.*

Verum tamen quidnam fuerit hoc Nepenthes, plane non tradit Diodorus, neque forsan ei compertum. Nos, quod nostri est operis, id investigemus: cum sane constet pharmacum fuisse, & τῶν φαρμάκων plura esse genera. Et ut comperi possit quale hoc Homericum fuerit, primum per aliqua recurrendum, eaque examinanda, quibus Homeri verba, vel ratio, aut scriptorum auctoritas consentire videntur. Deinde paulatim ad certiorem Nepenthus indaginem, velut manu ducti feliciter descendemus.

Sed quidem supervacaneum hoc fore existimabit aliquis, contentus, cum Cælio Rhodigino, viro docto, & multæ variæque lectionis auctore *lib.* XIX. *cap.* III. hoc medicamentum in tertio Eustathii divisionis membro reponere: qui τῶν φαρμάκων alia ἐπίπαστα dixit *in* IV. *Iliad.* quæ levandis doloribus vulneribusque sanandis imponuntur; alia χριστὰ, quibus tela imbuuntur; reliqua πιστὰ, quæ ex Æschylo ποτὰ, vel πότιμα, Latine *potabilia* diceres. Cujus judicio nec nos adversamur: sed rem propius attingere volentes, huic tam generali cognitioni acquiescere non est animus.

Cumque hæc φαρμακοποσία ex simplici, item

A ex composito medicamento constare potuerit, merito dubitare possumus, quodnam istorum fuerit? & quidem in uno solo simplicique pharmaco tantam efficaciam, quantam ei tribuit Homerus, non facile debemus agnoscere: sed potius affirmare, collatis aliorum viribus, ut Deorum manus, quod dicebant Veteres, hoc est, validissimum & præsentaneum fuerit medicamentum. Siquidem ad tristitiæ levamen, cum necessum sit calidis cor fovere remediis, & ad iram sedandam sanguinis succensionem frigidis consopire: non unum nec simplex esse posse, quod ad utrumque curandum vires possideat. Idque Philostrati antiqui scriptoris con-

B firmat auctoritas, qui in *Sophistarum Vitis epist. ad Anton.* ad hunc *Odysseæ* locum respiciens, inquit: Τὸ δὲ φρόντισμα τοῦτο ἄειρε ὑπάτων, καὶ τὰ ἄχθη σοὶ κουφιεῖ τῆς γνώμης, ὥσπερ ὁ κρατὴρ τῆς Ἑλένης τοῖς Αἰγυπτίοις φαρμάκοις: *Ut ista lucubratio gravissimos animi labores, velut Helenæ crater medicamentis Ægyptiis, tibi quandoque levaret.* Nam πληθυντικῶς loquendo, videtur annuere in hac Helenes patera, plura Ægyptia fuisse venena.

Verum enim vero rem exactius rimando, hæc ab Homeri mente, verbisque diffidentia judicabimus. Quandoquidem si ex pluribus confectum fuis-

C set Nepenthes, Poeta noster, cujus hæc præcipua virtus, cum evidentia, & rerum quadam *hypotyposi* suas explere narrationes, imo potius sub legentium oculos subjicere, omnia procul dubio temperaturæ accidentia explicasset, ut in Nestoris poculo fecisse animadvertimus, *Iliad.* λ.

Ἐν τῷ σφι κύκησε γυνὴ εἰκυῖα θεῇσιν
Οἴνῳ Πραμνείῳ, ἐπὶ δ' αἴγειον κνῆ τυρὸν
Κνήστι χαλκείῃ, ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνε.

In hoc ipsis potionem confecit mulier similis deabus
Ex vino Pramnio, & super vinum caprinum rasit
D *caseum*
Cultro æreo, ad hæc vero farinas albas inspersit.

Et in Ulyssis historia *Odyss.* κ. hæc eadem a Circe potionibus admixta, repetere non indignatur, quæ & si potius ad cibum, quam ad medicinam spectant, nec nostrum Nepenthes extra mensam ab Helena propinatur: ut nihil minus, si quid in eo varium, multiplexque singulatim prodere debuisset. Et quamvis pharmacum asseramus, crescit conjecturæ argumentum: cum profecto constet naturæ magis consona simplicia esse remedia, & antiquis temporibus propriora. Postea enim,

E declamat Plin. *lib.* XIV. *cap.* I. fraudes hominum, & ingeniorum capturæ officinas invenere istas, & in medicinæ usu exoleverunt, quæ tum parata atque pertinentia erant: cum vera remedia pauperrimus quisque cœnet, & ex horto petantur.

Nec credendum Poetam nostrum, qui coacervatione saporum variisque condimentis minime epulas instruit, ut Plato dial. III. *de Rep.* advertit, & non abs re supra observavimus, mixturis & inquinamentis hujusmodi voluisse facere medi-

F cinam: ex uno incontinentiæ fonte utraque derivata pernicies, *cum multos morbos multa fercula fecerunt: & necessum est*, ut inquit Seneca *epistol.* XCV. *tanto operosiora esse munimenta, quanto valentiora sunt quibus petimur.*

Nec me movet diversa συμπτώματα, haud simplicem remediorum temperationem optare. Nam hac de causa facile in eam prolaberer sententiam, ut illud ἄχολον in Homeri carmine, ex quo isthæc orta dubitatio, non ἀόργητον, quod Eustathio & omnibus passim probatur, exponerem; sed, vel ut Langius apud Justinum Philosophum in *cobort. ad Græcos*, est interpretatus, *nihil de bili*

atra habens. Itaque remedium Nepenthes dicimus, cujus sorbitione luctus, melancholia, & omnium malorum memoria, aboletur: vel quod minimum vim vocis pervertit, pro *ἄχολον*, *quod non nauseosum, nec fastidium movet*. Nam χολὼ, ex qua *ἄχολος* fit, *nauseæ indignationisque* interpretationem recipere, Lexicographi annotarunt.

Et quidem Helenam consentaneum est judicare, (non ut Medici faciunt, qui *πικρὰν χολὼ χλύζουσι φαρμάκῳ πικρῷ*, *amaro amaram pharmaco bilem eluunt*) ingratam potionem, & a convivio, in quo omnia ad gustum comparantur, alienam hospitibus propinasse: quod par est hac vocis notatione ab Homero significatum, sed de hac re nonnullibi opportunius.

Ad Philostratum quod attinet: sua licentia id dixisse, & ab Homero, hoc est, a proprio Historiæ auctore, longe aberrasse contendimus. Nam quamvis Helena plura pharmaca, vel ad plura utilia, a Polydamna acceperit, haud tamen hæc omnia vino diluisse probari potest. Sed forsan usurpata aliquando dicendi abusione, numerum numero commutavit; aut ad aliud aliquid respexit, quod in ultima parte, & prope hujus Operis finem indicabitur.

Nunc igitur coagmentatione rejecta, uniforme quid, juxta Poetæ verba, & simplex pharmacum fuisse Nepenthes, quod alterum erat propositæ divisionis caput, firmum remanere consequens est. Sed in tanta rerum medicarum copia atque diversitate (intra enim octingenta simpliciorum numerum finitum, si Narniensi Gal. Mart. *de promis. Doct.* cap. III. credimus, quem multo majorem nunc temporis recensendum) quid certi statuere possumus? Ultra tamen pergere non diffidimus: & primum cum Apulejo in *Apol.* affirmamus: *Ut etiam vir egregie doctus, & Veterum æmulator meminerat, Homerum Poetam multiscium, vel potius cunctarum rerum adprime peritum, vim omnem medicaminum, non mari, sed terræ scripsisse*. Et quamvis marina curatione usos Ægyptios constat, cum Euripidem, una cum Platone in Ægyptum profectum, juxta Diogenem Laert. *lib.* III. *de Platone*: Καὶ αὐτόθι [illegible] πρὸς τ̃ ἱερέων ἀπολυθῆναι τῇ διὰ θαλάττης θεραπείᾳ, ὅθεν καὶ εἰπεῖν.

Θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά.

Atque ibi morbo comprehensum, a sacerdotibus Thalassica medela fuisse ablutum, qua ex re postea dixerit;

Mare universa proluit hominum mala.

Nihilominus de hoc Ægyptio pharmaco expresse testatur Homerus *Odiss.* δ. φέρει ζείδωρος ἄρουρα, *quod producit fertilis terra*. Itaque minime liceat suspicari illud, quod alteram Helenam, Cleopatram inquam, & Ægypti Reginarum novissimam, ut ait Plinius *lib* IX. *cap.* XXXV. effecisse narratur: nimirum pretiosissimam margaritam, singulare & unicum naturæ opus, ad cænam diluisse. Suaderique videbatur, cum hanc gemmam (si ita appellandam) cordis tremori, ac debilitati, cardiacæ affectioni, timori, & passioni cuique melancholicæ miro quodammodo conferre a Medicis sit comprobatum: vid. Joh. Baptist. Silvar. *de Margar. Non enim*, subdit Apulejus *ibid. marino aliquo* (in mari, unde & nomen, margaritas nasci, res est nota) *& pisculento medicavit, nec Protheus faciem, nec Ulysses scrobem, nec Æolus folles, nec Helena crateram, nec Circe poculum, nec Venus cingulum*. Cum ergo hujusmodi pharmacum fuerit, ut terræ sit adscribendum: aut ad plantas, aut ad lapillos, ex eodem Apulejo pertinere dicendum erit: receptissimæ ex lapidibus medicinæ, nec novum, aut absurdum vino commixtos ægrescentibus dari, ut de Saphiro, Hæmatide, aliisque Dioscorides observavit. Et quamvis Unio ab hac consideratione rejectus, non proinde lapideum quid Nepenthes fuisse prorsus negatum; cum nec gemmis, nec lapillis, eum contineri satis constitisse Sabinus J. C. ait, *l. & si non sunt, ff. de aur. & arg. leg.*

Agnoscimus sane ex Antiquorum scriptis, nonnullas laudari in gemmis qualitates, quæ cum Ægyptio Nepenthe conferri possunt. Invenitur, inquit Dioscorides *lib* V. *cap.* X. ad Memphim in Ægypto Memphites lapis, calculorum magnitudine, pinguis, colore vario, qui in potu sumptus, apathiam, quibus aliquod membrum secandum, aut urendum sit, gignit, & sine periculo omnem ejus sensum extinguit. Isid. *Orig.* lib. XVI. cap. IV. Diosc. *lib.* V. Ex Nilo Ægypti flumine lapis producitur Galactides, quem & Letheum nominant; quia præcedentia mala ducit in oblivionem, & vino mulsoque liquatur Cardanus ait, quod per somnum monitum Smaragdum, quem collo appensum ferebat, dentibus strictum, dolorem somnem & mœrorem animi subito & totum levare. Topazion nonne iram sedare & tristitiam, sunt qui asserant? ut Marbod. *cap.* XLIII. plura ex Orpheo, Dioscoride, Plinio, Marbodeo aliisque scriptoribus adduci queunt: sed cum omnis nostra disputatio intra Homeri semitas progrediatur, jam non amplius in hac investigatione immorandum, (Isid. *Orig.* lib. XVI. cap. VI.) cum lapillos, gemmas, & gummi, unde gemmæ denominationem sortitæ, a suo pharmaco satis evidenter Homerus explodat. Et ex eo ita esse convincitur, quod illud *φέρειν ζείδωρον ἄρουραν* asserat. Quamvis enim hic dicendi modus frequens sit apud Poetam, nihilominus, si hoc in loco vim ejus libet examinare, facile comprehendemus *ἄρουραν*, non *τὴν γῆν* simpliciter, sed cultam & ad sationem idoneam, & proprie arvum, *παρὰ τὸ ἀρῦν*, ἢ *παρὰ τὸ ἀροτρεύεσθαι*, significare: vox autem *ζείδωρος*, sive *ἀπὸ τῆς ζειᾶς*, ut Plinius *lib.* XVI. *cap.* VIII. sive *ἀπὸ τοῦ ζῆν*, ut Eustathius voluit, vel aliter, ut Joanni placuit Grammatico, derivetur: vide C. Rhod. lib. XV. cap. XVIII. *Lect. Antiq* hoc certe denotat quod Hebræis תבל *Thebel*, & in Hetruscorum disciplina, *vola* dicebatur. Nos vernacule exprimimus *il campo productor delle vittuaglie*.

Itaque necessario fatendum est, Homerum *Odyss.* lib. X. pro pharmaco plantarum aliquam hic intelligere, quemadmodum de moly herba, quam Mercurius ad Circen se conferenti dedit, verba faciens, similiter inquit:

Ὣς ἄρα φωνήσας πόρε φάρμακον Ἀργειφόντης
Ἐκ γαίης ἐρύσας. καί μοι φύσιν αὐτοῦ ἔδειξεν,
Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος.

Quæ ita eleganter sunt reddita:

Sic Deus effatus, caeso cui nomen ab Argo
De terra evulsum mihi dat medicamen, & addit
Naturam, radix nigra erat, flos lacteus illi.

Ergo & Nepenthes herbam fuisse pro comperto habebimus: quod etiam Theophrastus, utramque tangens historiam, his verbis confirmat *Hist. Plant.* lib. IX. cap. XV. Φαρμακώδεις δὲ δοκοῦσιν εἶναι τό ποι μάλιστα μὲν ἔξω τῆς Ἑλλάδος, οἱ περὶ Τυῤῥηνίαν καὶ τὴν Λατίνην, ἐν ᾗ καὶ τὴν Κίρκην εἶναι λέγουσι, καὶ ἔτι μᾶλλον ὡς Ὅμηρος φησὶ περὶ Αἴγυπτον. ἐκεῖθεν γὰρ τὴν Ἑλένην λαβεῖν·

Ἐσθλὰ τά οἱ Πολύδαμνα πόρε Θῶνος παράκοιτις
Αἰγυπτίη, τόθι πλεῖστα φύει ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Ἐν οἷς δὲ, καὶ τὸ νηπενθὲς ἐκεῖνό φησιν εἶναι καὶ ἄχολον. ὥστε λήθην ποιεῖν, καὶ ἀπάθειαν τ̃ κακῶν, hoc est, ut Theodorus vertit: *Tractus medicamentorum fertiles potissimum tradunt extra Græciam, Etruriam, & Latinum agrum, quem Circen habuisse affirmant,*

atque etiam magis Ægyptum auctore Homero. Hinc enim Helenam inde accepisse inquit;

Prospera quæ quondam Thonis dulcissima conjux
Ægypti Polydamna dedit, quæ plurima gignit
Noxia terra ferax, & multa probata venena.

Inter quæ vel illud medicamen luctus & mœroris esse autumant, omnium ita ut malorum oblivionem atque indolentiam facere possit.

Sed clarius ex eodem Theophrasto Plin. *lib.* XXV. *cap.* II. *Homerus*, inquit, *primus doctrinarum & antiquitatis parens, multus alias in admiratione Circes, gloriam herbarum Ægypto tribuit, tum etiam cum rigaretur Ægyptus illa, non autem esset postea fluminis limo invecta: herbas certe Ægyptias a Regis uxore traditas suæ Helenæ plurimas narrat, ac nobile illud Nepenthes oblivionem tristitiæ veniamque afferens.* Hactenus Plinius.

Sed frequens hæc & molesta Ægyptiarum herbarum mentio cogit me digressiuncula, & quidem non insuavi, quærere laxamentum. Nam quamvis feracissima plantarum fuerit Ægyptus, & vere ut Theocritus ait *Idyl.* XVII. ἀλλ' οὔτις τόσα φύει ὅσα χθαμαλὸς Αἴγυπτος, *nulla tamen terra tam multa gignit quam humilis Ægyptus*; & pleræque apud Botanistas eo cognomine insigniantur, ut inde ortas esse demonstrent: aliquando tamen tralatitia significatione, & huic satis diversa observamus adjectum, ut in Clematide, de qua Demetrius Phalereus, *de Elocut.* Χρήσονταί τε τῆ τοιαύταις εἰκασίαις, ὡς Αἰγύπτια κληματὶς· μακρὸν καὶ μέλανα, id est, *Utuntur etiam talibus imaginibus, ut Ægyptia clematis; de longo & nigro homine.* Hoc scommate notatus fuit Zenon Cytieus, ut in *ejus Vita lib.* VIII. Laertius scribit, cum gracili fuisset corpore, statu procero, & atra cute.

Itaque colligi datur, non alia ratione Clematidem in hoc dicterio Ægyptiam dictam, nisi ut fuscum atrumque colorem exprimeret, qualis, ut cum Manilio dicam *Astronom.* lib. IV. Ægyptiorum infuscat corpora, ac proinde Αἰγυπτιάζειν, pro adurere, καὶ μελαίνεσθαι sit factum, quemadmodum in hoc carmine.

Χροὸν δὲ τὴν σὴν ἥλιος λαμπῶν φλογὶ Αἰγυπτιάσει.
Tuum colorem Phœbus ardens igneis flammis aduret.

Petronius Arbiter apud Terentianum, *de Metris*, elegantissima periphrasi,

Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci,

Ægyptiacum tibicinem descripsit. Hinc etiam Dodonæi, apud Herodotum in *Euterpe*, Ægyptiam fœminam denotantes, μέλαιναν πελειάδα, *nigram columbam*, dixere: & viduam apud ipsos in hieroglyphicis significare Orus admonuit.

Hanc igitur vocis μεταφορὰν minime vidit Petrus Victorius in *Commentariis ad Demetrium*, & Erasmus in *Chil.* qui hoc dictum inter adagia transtulit. Nam ad gentilem solummodo, propriamque vocis notationem, & ad Plinii historiam respicientes, non animo adverterunt clematidem πρὸς τὸ μακρὸν, & Ægyptiam πρὸς τὸ μέλανα esse referendam: nam gracilis tantum, & longurio, ut ita dicam, clematis, solum vocaretur, cum omnes, non Ægyptiæ solum, sed cujuscumque regionis, hujusmodi sint clematides. Hos homines *junceos*, cum Terentio in *Eunucho*, Latine diceres: nos vulgo *Paleas longas* appellamus.

Aristophanes autem in *Vespis*, ducta a serpentibus similitudine, Cleonymum quendam θηρίον vocat, itidem quia μακρὸς erat, καὶ ἄρρυθμος, ut doctissimus ejus Scholiastes notavit, ad quod Vespasianus Imperator, apud Tranquil. in *ejus Vita*, torsit Homeri carmen,

Μακρὰ βιβὰς, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.
Et longum incedens, quassans ingentem hastam.

Fuit etiam Poeta Samyrion, (Girald. *de Poet. Hist.* dialog. VII.) qui cum macilentus ac tenui corpore esset, ea causa a Strattide Comico cannabus vocabatur, ut Pollux scribit: est enim cannabus lignum gracile, circum quod, dum fiunt imagines, cera primum adhibetur, & ab eo exiles homines & macilenti κάνναβοι a Græcis vocabantur.

Sed recipio me in gradu, & ad ea quæ dicebamus redeundo; cum jam probatum sit Nepenthes herbam fuisse, reliquum est videre, quomodo vino injectam; nam quænam fuerit postremo examinabitur. Et triplici modo a medicamentariis potuisset id fieri, vel integram herbam immittendo, vel pulverem, vel succum ipsius. Et primo Helenam herbam ipsam crateri inseruisse, Veterum opinione fulcitur, ut ex Plutarcho in *Sympos.* lib. I. cap. I. licet perspicere, inquit enim: Οἱ μὲν οὖν τὰ βούγλωσσα καταμιγνύντες εἰς τὸν οἶνον, καὶ τοῖς ἀποβρέγμασι τῆς περιστερεῶνος καὶ ἀδιάντου τὰ ἐδάφη ῥαίνοντες, ὡς τούτων τινὰ τοῖς ἑστιωμένοις εὐθυμίαν καὶ φιλοφροσύνην ἐνδιδόντων, ἀπομιμούμενοι τὴν Ὁμηρικὴν Ἑλένην ὑποφαρμάττουσαν τὸν ἄκρατον. *Nonnulli quidem buglossam vino admiscent, aut solum rigant verbenarum adiantorumque diluto, quod hæc conviviis bilaritatem aliquam & comitatem parare opinantur, imitantes Homericam Helenam quæ vino medicamentum injecerit.* Si enim ad Helenæ exemplum in Veteres faciebant, profecto existimabant & herbam Helenam adhibuisse: nam ita buglossæ usus, quemadmodum & pimpinellæ, ad animi lætitiam & jucunditatem probatur.

Sed hoc ex eodem Plutarcho, ne dum ex Homero, refellitur, ille alteram subjiciens Nepenthus interpretationem, de qua nos alibi, hic non injectionem tantum, sed commixtionem & confusionem alicujus rei cum vino aperte memorans, ut sorbitione in stomachum immitteretur. Potius itaque pulverem inspersisse, rationi videretur consentaneum. Nam si Nepenthes Helenam habuisse a muliere Ægyptia, ex Homericis verbis necessario fatendum: cum magnum temporis spatium intercesserit ab ipsius in Ægyptum peregrinatione, ad usque Menelai in Græciam reditum, & Telemachi Pisistratique adventum; nam ὀγδοάτῳ ἔτει *octavum* scilicet *post annum* rediisse ab Homero *Odyss.* lib. IV. & Strabone *Georg.* lib. I. convincitur. Siccum jam & arefactum medicamentum, quomodo, ut vim suam magis communicaret, aptius immitti potuisset, quam in pulvisculum, & in diapasmatum speciem redactum? eo magis quod doctorum virorum observatione compertum habemus, (vid. Had. Jun. c. *de med.*) Veteres diapasmatum aspergines potui ad luxum & fragrantiam adhibuisse. Itaque quod effertur vinum unguentis condire solitos, si ad tempus, quo in amphoris reponebatur, respicias, conditura, de qua Dioscorides *lib.* v. & alii, curatum existimo: si autem in compotatione ipsa factum, ut fieri Turnebus *Adverf.* lib. II. cap. XXIX. observavit, unguinis materia, ut unguentum exoticum redoleret: hoc est, ut uno verbo dicam, diapasmate; non liquidis pinguibusque re vera odoribus medicatum.

Sed nec hujusmodi mihi probatur sententia, cum minime credendum sit Nepenthes hoc illud esse, quod Thebis a Polydamna acceperat, & licet Homerus *Odyss.* δ. dicat:

Τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα
Ἐσθλὰ, τά οἱ Πολύδαμνα πόρεν.

Talia Jovis filia habebat pharmaca,
Quæ illi Polydamna præbuit;

haud alio modo intelligendum est, quam juxta Athenæi explicationem *Deipnos.* lib. IV. Ἡ δ' Ἑλένη, inquit Athenæus, *Διὸς ἔσα θυγάτηρ ϗ παρὰ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ σοφῶν μεμαθηκυῖα πολλὰς λόγους, ἐς τὸν οἶνον ἐμβάλλει πάνακες τῷ ὄντι φάρμακον. Helena vero Jovis gnata oratione commercioque sapientum Ægyptiorum multum edocta, panaces re vera pharmacum injicit vino.*

Igitur privato studio, Helenam in imaginariis, vel pensilibus hortis, ad delectationem coluisse dicendum est: & proinde ad rem præsentaneam, non ut inspersile quoddam adhibuisse *πάλωνε*, ut in Nestoris poculo, vel alio quopiam vocabulo proprius significasset Homerus *Iliad.* λ. sed succum vino permiscuisse. Quod nobis superest affirmare, & affirmare Poetam contendimus. Inquit enim post locum a nobis supra laudatum:

> Αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' ἐνέηκε κέλευσέ τε οἰνοχοῆσαι.
> *Cæterum postquam sane infudit jussit vinum propinari.*

Ita enim verti debet. Nam verbum *ἐνίημι*, ex quo illud *ἐνέηκε*, quo itidem in Circes potione utitur, propria significatione apud pharmacopœos *infundere* valet.

Adde dubitatiunculam, & ex illius resolutione id evidentius apparebit. Supra dixerat Homerus *Odyss.* κ. *εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον.* Liquet etenim ex his verbis, primo vinum effusum, deinde pharmaco medicatum; at contrarium subdit, carmine jam a nobis citato, in quo habes primo medicamen injectum, deinde vinum propinatum. Quæ responsio? facilis. Nam dicimus: Helenam haud in minutis calicibus potionem procurasse, sed in majori lagena & congiario commixtionem hanc perfecisse; qua perfecta, ex eo jussit *οἰνοχοεῖν*, id est, vini liquorem in poculis effundere. Quibus sane Nepenthes arguitur cum vino concorporatum, & liquidi cum liquido perfecta commixtio: cui subobscure, eleganter tamen, Plinius *lib.* XXV. *cap.* II. annuit: *Cum nobile illud Nepenthes*, inquit, *ab Helena cunctis mortalibus propinandum.* Remanet ergo jam satis sufficienter probatum succum Helenam effudisse, (succi nomine quod decoctum Medici vocant non excludo) ut merito a Petrarcha nostro *Rhythm.* p. I. sonul. XLIV. sit dictum, quod & illustrare erat intentio:

E col terzo bevete un succo d' erba.

Ultima occurrit disputatio, & quæ plantarum hoc Nepenthes proponit: & num prata nobis hoc germen herbescant, vel desit naturæ invidia, aut deos effossores cum moly exposcat. Ardua sane quæstio, in qua & Veteres hæsitarunt: & præter eorum opiniones recenseri vix quidquam potest. Sed, ut moras præfationum recidamus, sciendum est plerosque Veterum, buglossum Nepenthes existimasse, ut supra ex Plutarchi loco *Sympos.* lib. I. cap. I. testatum fecimus. Dejecta siquidem in vinum buglossi folia, voluptates animi & lætitiam augere Dioscorides *lib.* IV. *cap.* CXXIII. & Paulus Ægineta *lib.* VI. *cap.* de bugl. scripserunt. Neque ultra hunc usum buglosso, aliud multi faciendum ab antiquis scriptoribus tribui, recte notat Marcellus Virgilius *in Diosc. lib.* IV. *cap.* CXXIII. cujus causa, & euphrosynon, cognata fere Nepenthus voce, ut Plinius memorat *lib.* XXV. *cap.* VIII. nominatum.

Accedit Galeni auctoritas, cui astipulatus Cælius Rhodiginus totam hanc sententiam firmat *lib.* XIX. *cap.* III. his verbis: *Porro sunt ex diligentioribus, qui rimati exactius, cujusnam modi foret pharmacum id, ex quibusque concinnaretur, suspicati sunt esse buglossum, propterea quod de ea sic prodiderit Galenus*, ϗ τοῖς οἴνοις ἐμβαλλόμενον εὐφροσύνης αἴτιον γένεται, id est, *vino injecta hilaritatem inducit. Scribunt Medicorum scientissimi eventus mirabilis eam censeri, ratione quod sanguis inde clarior fiat, expurgatiorque, porro & cor confoveatur, a quo mox & hepar: id autem sic affectum laudabilem sanguinem producere unde cooriatur lætitia.* Hactenus Cælius. At nos qui leviculam buglossi *εὐφροσύνην* pluries, & præsertim in hac animi consternatione, experti sumus, simplicitati ducimus, ut & alii arbitrantur, (Jo. Baptista Persona *Noct. solit.* colloq. XIII.) hanc singularem, maximarumque virium herbam, Ægyptiæ Principis hospitale munusculum, ad tam vulgare olus, tardis tenuibusque facultatibus præditam, accommodare.

Cæterum, haud liquet ex Plutarcho buglossum Veteres Nepenthes Homericum reputasse, sed tantummodo exemplo Helenes illud vino injecisse: ad quem usum, non liquor, ut diximus de Nepenthe, sed folia, præsertim vero flosculorum caliculi adhibentur, & proinde nescio quid sibi velit Aloysius Anquillara, nostri sæculi auctor non aspernendus, qui & medicinam professus, ad hoc Homeri pharmacon respiciens *de Sampl.* cap. *de Enopia*, buglossi radicem oggamiat.

Sed age, an meliora alii dixerint? & sane ita videtur. Sunt enim qui Helenium, id esse affirment: quorum judicio, vel ipsius herbæ nomen argumentum facit, J. Gorræus *de Fin. Med.* lib. XIII. Natam quippe in Cranae, quæ una est Sporadum insula, Helena postmodo ab illa vocata, & ex ipsius fœminæ lacrymis, a Poetis effertur, Strabo *libris* IX. & X. Hanc Romani, inquit Dioscorides, enulam campanam dixere; agro nimirum Nolano celebrem, ut Ambrosius Leo in *Nol. Histor.* notavit. Nectarion itidem dictam, ipse Dioscorides affirmat *lib.* V. *cap.* XL. unde vinum nectarite confectum. De quo idem his verbis, *ὁ δὲ νεκταρίτης σκευάζεται ἐκ τῦ ἑλενίυ, conficitur & nectarite dictum vinum ex Helenio herba*, & deinceps, *quam alii Nectarion appellant.* Credo hanc ei nomenclaturam fecisse, haud divinitatem in adimendis curis, atque hominum molestiis, ut inepte Jo. Baptista Persona in libro *Noctium solitariarum* coll. XV. scribit: sed succi dulcedinem, quod Plinius de Helenio fatetur *lib.* XXI. *cap.* XXI. Integrum vero Plinii locum subjiciamus, qui in hac re probanda judicatur eximius, inquit enim: *Helenium ab Helenæ lacrymis*, (hæc verior lectio) *ut diximus, natum, favere creditur formæ, cutem mulierum in facie reliquoque corpore nutrire incorruptam. Præterea putant usu ejus quandam gratiam eis veneremque conciliari: attribuunt hilaritatis effectum eidem potæ in vino, eumque quem habuerint Nepenthes illud prædicatum ab Homero, quod tristitia omnis aboleatur. Est autem succi perdulcis.* Sed ut optime observat auctor, qui emblemata in Dioscoridem *lib.* I. *cap.* XXVII. scripsit, Plinius hoc loco haud voluit idem Helenium & Nepenthes esse, ea tantum virtute & facultate assimilat. Cæterum distinctas diversasque plantas fuisse demonstrat. Accedit, quod neque Poetarum figmentis recipit fidem, cum non lacrymis ortum, sed ab Ægypto Homerus facit advectum.

Sunt propterea ad hoc forsan intuentes, qui verum Nepenthes, non hoc Helenium, sed illud Crateuæ quod Ægyption Dioscorides nominat, & Enopiam Galenus, si A. Anquillaræ cap. *de Enop.* credimus: constat sane Galenum in eo libro, quo animi mores sequi corporis temperamentum scribit *cap.* III. Enopiæ radicem Ægyptiæ hospitæ pharmacum reputasse. Idem vero

ro ac Helenium istud fuisse, ex quo de uno Helenio mentionem faciat, & quæ de Enopia affirmat, cum Crateuæ Helenio consentiant, voluit Anquillara *lib. suar. Opin.* cap. *de Enop.* hisque opinantibus meo judicio Æliani favet historia *in de Hist. Anim. lib.* IX. cap. XXI. quæ cum maxime ad hanc Partem conducat, eam cum Eustathio referre haud gravabor.

Thonis Ægyptiorum Rex Helenam Jovis filiam custodiendam cum accepisset, Menelao per superiora Africæ circa Ægyptum & Æthiopiam oberrante, inque ejus amorem incidisset, & vim illi inferre conaretur, famam esse illam uxori Thonidis Polydamnæ rem omnem aperuisse. Polydamna vero, & metuens ne propter formam sibi aliquando præferretur Helena, & simul miserata in Pharum eam exposuisse, & donavisse herbam serpentibus illic abundantibus adversariam: cujus sensus quam primum perceptus est a serpentibus, illi passim in terram se abdiderunt. Sed operæ pretium est reliquum ipsius Æliani verbis concludere: *Τὴν δὲ ταυτὴν*, ait, *καταφυτεῦσαι, καὶ χρόνῳ ἀναθῆλαι καὶ ἀφιέναι σπέρμα ἐχθρὸν ὄφεσι. καὶ μὲν τοι καὶ ἐν τῇ Φάρῳ θηρίον ποῖόν δε γενέσθαι, κληθῆναι δὲ τὴν πόαν ἑλένιον λέγουσιν, οἱ ταῦτα εἰδέναι δεινοί*, & ut Gillius & Gesnerus interpretantur: *Helena vero herbam plantavit, quæ cum comprehendisset suo tempore semen serpentibus inimicum protulit: & Helenium, ut harum rerum periti asserunt, appellata est, & in Pharo pervenit.* Locus hic mendosissimus. Vidit Interpres, putavitque pro *θηρίον*, *φυτὸν* reponendum: & hanc lectionem interturbatis verbis in sua versione retinuit: ego *θηρίον* repono, sed ex *ποῖόν δε* levi mutatione *οὐδὲν* facimus: locusque suæ lectioni procul dubio restituitur. Itaque hæc sit versio: *Ipsa*, Helena, *herbam plantavit, quæ suo tempore vegeta, semen serpentibus protulit inimicum: itaque in Pharo serpentem nullum gigni: vocari autem hanc herbam Helenium, harum rerum periti asserunt.* Et hanc meam conjecturam vel ipse Ælianus in principio capitis abunde confirmat: *Φάρος*, inquiens, *ἡ νῆσος πάλαι, λέγουσι δὲ Αἰγύπτιοι οἷα μέλλω λέγειν, πεπλήρωται ὄφεων πολλῶν τε καὶ διαφόρων.* Latine autem: *Pharus insula olim (ajunt autem Ægyptii quæ & ego dicturus sum) multis diversisque serpentibus plena erat.* Helenæ igitur, Heleniique beneficio insulam a tam malis incolis liberatam, illis verbis dictam voluit Ælianus; cum modum, quo id evenerit, hoc capite narrare ex Ægyptiorum memoriis proposuisset.

Sed nihil letificum, ut ad nos redeamus, & ad Nepenthes simile, nec Crateuas, nec Ælianus, quem modo recensuimus, huic Helenio tribuunt; præterquam quod serpentes arcere, & *θηριοδήκτοις βοηθεῖν*, *contra venatorum morsus remedium esse.*

Itaque haud parum errasse in *Noctibus solitariis d. Coll.* XIII. ejus libri auctorem dicendum est; qui, cum Ægyptium Crateuæ Helenium Nepenthes fuisse intrepide assereret, minime has, quæ soli tribui possunt qualitates, examinat, sed distincta quædam Plinii loca in unum confundens, calorem, dulcedinem, & vires omnes Dioscoridis Helenii, quod jam constanter negaverat, in argumentum Nepenthus trahit. Quod quidem nec cum isto, nec cum Ægyptio convenit, nisi quis amet dicere, nullum esse pestilentius virus, & venenum animo atrocius, quam tristitiam & mœrorem.

Sed nunc naturæ fines transilimus: quod non est propositum in hac Parte, licet magnopere allubescat digressio. Nam Poetæ haud sese intra hos limites distringunt, ut fideli rerum naturalium historia detineantur, sed ut quid majus doceant, ampliandi, augendi, transferendi, distorquendi, largam ad eorum libitum retinent facultatem: ut re vera potuerit Homerus ad hoc Helenium respicere, quamvis Medicorum & Philosophorum observatione, eandem vim, virtutemque parem, quam de eo prædicat, possidere non dignoscatur. Et pro hac re firmanda, haud omittenda Apuleii sententia *de Plant.* qui *Chironium panaces*, sive *Centaurion*, ait vocari *Helenium*: de quo panace, non est veneno præsentius antidotum; si Nicandro antiquo Poetæ & Medico fidem non denegamus, quem & merito subjicimus, inquit enim in *Theriacis*:

> *Πρώτην μὲν Χείρωνος ἐπαλθέα ῥίζαν ἑλέσθαι*
> *Κενταύρου Κρονίδαο φερώνυμον, ἥν ποτε Χείρων*
> *Πηλίῳ ἐν νιφόεντι κιχὼν ἐφράσσατο δειρῇ,*
> *Τῆς μὲν ἀμαρακόεσσα χυτὴ περιδέδρομε χαίτη,*
> *Ἄνθεα δὲ χρύσεια φαείνεται, ἡδ' ὑπὲρ αἴης*
> *Ῥίζα, καὶ οὐ βυθόωσα πελεθρόνιον νάπος ἴσχει.*
> *Ἥν οὖ καὶ αὐαλέην ὅτε δ' ἔγχλοον ὅλμῳ ἀράξας*
> *Φυρσάμενος κοτύλην πιέειν μενοεικέος οἴνης*
> *Παντὶ γὰρ ἄρκιος ἐστί.*

Quæ in Latinum carmen ita sunt reddita:

> *Ergo salutarem primum tibi convenit herbam*
> *Vellere, idem cum Centauro cognomen habentem,*
> *Quam gelido Chiron in Peli vertice quondam*
> *Prendit: amaracino folio similis coma surgit,*
> *Aureus est flori cultus, non altaque radix,*
> *Vult silvestre solum, quo plurima nascitur herba.*
> *Hanc tu vel viridem, vel siccam contere, deinde*
> *Nobilis hemina permisce atque accipe vini,*
> *Cuilibet hæc homini mensura sat esse videtur.*

At quamvis decipi potuerit hoc dicto Apulejus, cum omnes herbarii de Helenio, & de Panace, tanquam de diversis plantarum speciebus fuerint locuti, nihilominus, cum nec ipse Dioscorides *lib.* III. cap. LII. quiverit, nisi Nicandri supra citatum locum *ἄμετρον*, & ad verbum infarcire, Apulejanam conjecturam non aspernabimur: cui, quatenus ad Homerum & nostram hanc disquisitionem pertinet, magnopere Athenæum vulgata receptaque lectione favere intelligimus, *Deipnos. lib.* IV. Siquidem, ut supra ad alium finem laudavimus, ita habet, *εἰς τὸν οἶνον ἐμβάλλει πάνακες τῷ ὄντι φάρμακον*, hoc est, ut recte Dalechampius vertit, imo potius paraphrasi illustravit, *Panaces efficax re vera mæroris auxilium injicit vino.* Dicta autem est hæc herba *πάνακες*, id est, *tota bona*, & *salubris*: inde nomen sortita, quod magnorum virium sit in propulsandis morbis. Chironium autem a Chirone cognomentum accepit, propterea quod hic Centaurus Saturni & Philyræ filius eam in Pelio monte invenerit. Fuit porro Chiron insignis suo tempore Medicus, & Æsculapio medendi artem, Herculi vero astrorum scientiam, ostendit: de quo infra amplius erit sermo. Nunc ad alia progrediamur.

Sed illud interea haud prætereundum, quod in Macrobio *lib.* VII. *Saturn.* cap. X. aliquantulum nos moratur. Et quidem animadversione est dignum, an sint qui arbitrati nostrum pharmacum ex India advectum? *cum non herba fuit, non ex India succus*, de ea verba faciens, ita scribat. Verum enim vero, ea de causa, hoc a Macrobio dictum puto, quod cum omnia admiranda & supra fidem in his regionibus oriri persuasum habeant homines, ut nullibi gentium eam inveniri assereret, & ipsam in India etiam gigni pernegat.

Sed curiosulus alioquin investigator, ne

quid videretur prætermiſſum, harum regionum hiſtorias perluſtravi: nec occidentalis, quam vocant *Negletta*, in qua reperiri, & eam offendiſſe læti aliquando judicabamus. Contigit enim principium Operis videre, quod *rerum medicarum novæ Hiſpaniæ* inſcribitur, & Cælii Mecænatis illuſtriſſimæ Lynceorum Academiæ Principis liberalitate & induſtria Romæ typis evulgatur, quo loco auctor N. Antonius Recchus *lib.* I. cap. v. de Peruanorum ſimplicium etymo & nominum ratione diſſerit: *qualancapatli* vocem & herbæ nomen exponens, hæc habet, *irati hominis medicina dicta, quia hilaritatem inducit, & iram mulcet.* Curavimus ſedulo, quidquid reliquum eſſet impreſſi Operis videre, & cum amici opera id datum eſſet: Theſaurum carbones, ut dici ſolet; quandoquidem herbam deſcribat frigidæ & humidæ qualitatis, ſaporis & odoris prope nullius: cujus folia tunſa, atque reſoluta ex aqua, homini, qui ob iram acceptamve injuriam male habet, facere medicinam, unde & nomen. Liquet porro Indicum hoc pharmacum, minimum cum Nepenthe convenire, & ad hilaritatis effectum, lubricitate quadam dicendi, cauſa dante, forſan hac Homeri, repetitaque per varios auctores, narratione, certe haud ſatis penſiculate deflexum.

Eſt vero apud Sinas, Jappones, & eis finitimas gentes, frutex quidam, cujus foliis celebris potio, quam *Ciam* vocant, perficitur. Ejus uſus apud Sinas omnino eſſe non poteſt antiquiſſimus, inquit Trigauſius *lib.* I. cap. III. nam in vetuſtis eorum voluminibus nullus ad eam ſignificandam Hieroglyphicus character (quales ſunt omnes Sinarum litteræ) reperitur. Unde fortaſſe noſtros etiam hac fronde ſaltus minime carere licet ſuſpicari, cujus ſuſpicioni & alteram, neſcio an æque plauſibilem, addere amicus quidam non verebatur: cum ex Cia Ægei maris inſula, quæ *Zia* nunc vulgo dicitur, ducto ab hujus ſcriptoris verbis & nominis ſimilitudine argumento, eo importatam affirmaret: de qua re fides ſit apud ipſum.

Obſervat autem Trigauſius hujus frondes ab his gentibus verno cælo legi, eaſque in umbra exſiccari, & ad quotidianam decoctionem aſſervari, & in conviviis, & quoties ædes hoſpes amicum viſurus ingreditur, (hoſpitibus enim & in convivio Helena ſuum poculum miſcet) ſalubriter hilariterque hac potione invitari.

Nec prætereundum in hac narratione folium, quod & Indum cognomen habet, Græcis μαλόβαϑροι, quando id ita ſit, de qua re merito dubitatur, vide Jul. C. Scalig. *Exercit. in Card.* CXLVI. Ejus enim hæc vis eſt, ut mirum in modum hominem exhilaret, & fere ut alterum Nepenthes a Cardano extollitur *de Subtil. lib.* VIII. Similiter ad ejus vires accedit, quod Paulus Jovius de Selimo Imperatore agens, ſcribit in *Turch. Hiſtor.* illum ſcilicet veſci ſemine quodam ſolitum, quod rerum ſeriarum ac moleſtarum memoriam hominibus adimit, eoſque liberos ac jucundos per aliquot horas facit. Et additum ad libri oram, *forſan Nepenthes fuit.* Quale autem id ſemen, videtur Jovius ignoraſſe, cum ſolum referat, quæ a Gritti Venetiarum Duce acceperat. At Petrus Belo, qui Jovii locum memorat, ſuique muneris & facultatis erat, quidquid in his regionibus admirabile oriretur, diligenter inveſtigare, nec illud quivit, ſaltem per nomen, exprimere, in ſuis *Obſervat. lib.* III. cap. XV.

Minime igitur tanti faciendum puto, quod de Horatio quodam Patinio refert Joan. Baptiſta Perſona *d. Coll.* XIII. ut in omnibus ei fides ſit adhibenda. Cum enim μελαγχολικῶς degeret, amici cujuſdam hortatu pauxillum pulveris ex radicula quadam ait vino ebibiſſe, eoque poto adeo lætum in viam erupiſſe, ut vel ebrius fuerit reputatus. Nam amici illius teſtimonium, quod his verbis expreſſit, *dicebatque Helenii genus quoddam eſſe quod ex Ægypto delatum fuerat*, ex confiсto additum procul dubio judicandum, & cuilibet colloquium attente perlegenti, & ex his quæ ſupra diximus innoteſcet.

Sed quid diutius in his immoramur? quin imo Fabii Columnæ viri undequaque doctiſſimi in hac re judicium non interponimus: qui, ut interroganti mihi obſequeretur, ex tempore, ut eſt herbarum columen & omnis Naturæ hiſtoriæ peritiſſimus, ſe inter narcotica pharmaca hoc Nepenthes reponendum exiſtimare reſpondit: quod nec Euſtathius ſcriptor ſane eruditiſſimus ignoravit *in* IV. *Odyſſ.* cum κατ᾽ ἱςορίαν ἐκθετέον hiſtorice juxta hanc partem, quam agimus, putet exponendum: Ὡς καὶ τοιέτων ὄντων παρ Αἰγυπτίοις ναρκοτικῶν τίνων ἢ ϑελκτηρίων φαρμάκων. *Quod hujuſmodi fuerint apud Ægyptios ſtupefacientia vel demulcentia medicamenta.*

Verum, cum a nobis ſint explicata, quæ delinire & animos exhilarare creduntur, nunc de his, quæ ex ſtupore & oblivione vim ſuam patefaciunt. Quemadmodum de opio, hoc eſt, de papaveris ſucco, aſſeritur. Calefacere enim pectus contra Clinicorum vulgus doctiores obſervant, & ex fumis, qui inde in caput evehuntur, cerebrum temulentia quadam perturbari. Illius eſu Turcæ animoſiores fiunt, minimeque belli periculum expaveſcunt. Vocant autem hujuſmodi medicamentum *Maslac*, ut ſcribit Quercetanus *Pharm.* cap. XXIV. & ut legitur apud Anquillaram *Mazluc.* Nec apud eos tantum in uſu, ut Petrus Belo refert *Obſerv. lib.* III. cap. XV. ſed apud Perſas, Indos, aliaſque quamplurimas nationes, inter quas Ægyptiorum gentem notat Proſper Alpinus, inſignis inter Medicos ſcriptor, qui diu in Ægypto verſatus, peculiari obſervatione cognovit *de med. Ægypt. l.* IV. cap. II. eos pharmaca quædam animi gratia frequentare, quæ hilaritatem, deinde ſtuporem advocant, & viſiones concitant admodum jucundas, ipſiſque optatas. Præter enim cannabi folium, quod per excellentiam *aſſis*, id eſt, herbam, vocant, & alia quædam, cum in ipſa regione provenientia, tum aliunde importata, meconium, noſtrumve opium ipſis præcipue in uſu, quod *Affion* dicunt: additque illud, quo omnes utuntur, ex locis Sajeth, ubi olim Thebarum urbs erat præclariſſima, deferri; ibi etenim nigra papavera copioſiſſime proveniunt, cæteriſque omnibus facultate præſtant, ex quorum capitibus ſuccum exprimunt, quem ſole ſiccant, atque ad uſum ſervant.

Nuper inter rerum monſtra, Neapoli ſub Oſſunio Prorege hujus regionis purpuratum viſimus; (heu quanto cum detrimento & gravi Sipontinæ urbis fato, quæ & hujus interventu, ut nobis indicatum, capta direptaque a Thracibus) huic Barbaro frequenti in uſu opium, & patrium ſolummodo probatum, ut Marius Schipanus, vir ne dum Medicorum, ſed omnium conſenſu, doctrina & eruditione præcellens, mihi affirmavit, qui proinde facile aſſentitur, herbam Polydamnæ, & Thebarum opium idem fuiſſe. Quæ quidem περὶ Nεπενθες opinio mirum in modum Poetæ congruit: haud enim de eo narrat, quod cor lætificet & animi hilaritudinem inducat, ut qui ad bugloſſum reſpexere, aut ad Theophraſti œnotheram *lib.* IX. cap. XXI. (nec deſunt, qui hanc herbam illud eſſe affirment, & brevitati conſulens omitto expendere) vel ex hoc a vero aberraſſe demonſtrari poſſet, ſed tantummodo luctus, iræ, & malorum omnium oblivionem inferre, ut recte Lucianus *Dialogo de*

Salt. λησιδανὸν φάρμακον absolute dixerit, id est, *oblivionem pariens inducensque medicamentum.* Plena enim oblivionis papavera sunt: unde Servius ad illud Maronis carmen IV. *Georg.*

Urunt lethæo perfusa papavera somno,

eruditissime annotat: Cererem ab Jove commonefactam, papavere (*Cereale* apud eundem Virgilium I. *Georg.* vocatur) orbitatis oblitam, cum jam Proserpinam raptam a Plutone ex inferno recipere non potuisset. Qua de re, nonnulla in *Virgutis* nostris, virg. XV. Et hoc modo dubitationi occurritur, ne temere a receptis excidamus, quæ ἄχολον illud Nepenthus epitheton, ut aliter interpretaremur, allexit. Haud enim dissidet iram & mœrorem delere, cum per soporiferam vim id contingere affirmemus.

Soporiferum autem Nepenthes fuisse, & Poeta etiam indicat, cum paulo post ipsius haustum facit Telemachum dicentem, *Odyss.* δ.

Ἀλλ' ἄγετ' εἰς εὐνὴν τρέπεθ' ἡμέας, ὄφρα κεν ἤδη
Ὕπνῳ ὑπὸ γλυκερῷ ταρπώμεθα κοιμηθέντες.

Sed agite ad cubile ducite nos, ut jam
Somno a dulci delectemur dormientes.

In cujus rei testimonium unum Quercetanum sufficere visum est *Phar.* cap. XXIV. & *de prisc. Philosoph. Med. Mat.* nam Theodorum Zuiglium, qui primus anodyna opiata hujusmodi medicamenta Nepenthus nomine insignivit, haud mihi fas nominatim proferre: hic quidem, & hanc nomenclaturam sequitur, suaque auctoritate commendat. Sed quoniam Plutarchus in *Probl. convivalibus lib.* I. quæst. V. τῶν ὑπνοτικῶν φαρμάκων duas species recenset: *μηκώνιον*, id est, *opium*, καὶ μανδραγόραν, & *mandragoram*: cumque ea, quæ jam dudum de papavere relata sunt, ab Homeri narratione non aliena judicavimus, fortasse etiam ad eum mandragora pertinebit. Visum est ergo aliqua de ea dicere, non ut bonus Luciani Scholiastes, qui in *Timone* Adagiorum scriptorem in proverbio *mandragoram bibere* verbatim compilare, suppresso auctore nomine, haud erubescit, quem in minutioribus citare solet. Sed non sum ego μορύχῳ, ut dici solet, μωρότερος, qui hæc curo.

Redeo ad mandragoram. Genus enim plantæ est soporiferum, sed a Veteribus superstitione veneratum, a Magis religione observatum, & in amoris philtron a Circe, unde Circæam dictam, ut Dioscorides inquit *lib.* IV. cap. LXXIV. curatum. Cujus effodiendi ritus sane haud prætermittendus, quem Theophrastus & Plinius referre operæ pretium judicarunt. Theophrastus *Plantarum Hist. l.* VI. c. II. Περιγράφειν δὲ καὶ τὸν μανδραγόραν εἰς τρεῖς ξίφει, τέμνειν δὲ πρὸς ἑσπέραν βλέποντα· τὸν δὲ ἕτερον κύκλῳ περιορχεῖσθαι, καὶ λέγειν ὡς πλεῖστα περὶ ἀφροδισίων. Quorum sensus. *Circumscribunt & mandragoram gladio ter, secantque ad occasum spectantes: jubent & alium saltantem tripudio circumagi, multaque de Veneris usu & re dicere.* Plinius insuper *lib.* XXV. cap. XI. addit, *cavent fossuri contrarium ventum*, &c. Quibus cæremoniis nobilitata mandragora, velut insigne quoddam miraculum, facile meruerat Helenes fieri donum, & ab eadem propter narcoticam facultatem mœstis hospitibus vino misceri: celebre siquidem cum vino ejus est temperamentum; unde μανδραγορίτην οἶνον, cujus duplicem modum, id est coctura, & secus, Dioscorides, proponit, *lib.* IV. cap. LXXIV.

Tertium est omnium delicatissimum, quod ex Plutarcho colligitur, inquit enim *de audiendis Poetis:* Ὥσπερ γὰρ ὁ μανδραγόρας ταῖς ἀμπέλοις παραφυόμενος, καὶ μεταδοὺς τὴν δύναμιν εἰς τὸν οἶνον, μαλακωτέραν ποιεῖ τὴν καταφορὰν τοῖς πίνουσιν. *Ut enim mandragora prope vites nascens, virtutemque ministrans vino, leniorem efficit illius in potatores vim soporandi.* Veteres enim, quibus mandragoræ in cibo potuque maximus usus, eam prope vites plantabant, ut inde, contracta in vinum virtute, lenius soporarentur. Sic etiam brassicis, ut exilius vinum haberent, idem factitasse retulit Athenæus *lib.* I. *Deipnos.* quod eo libentius dixi, ut Antiquorum industria diligentiaque in ea curanda patesceret. Cui addendum, quod Pythagoras ἀνθρωπόμορφον vocarit, ex semi hominis forma: de qua Columella *lib.* X. *de Re Rustica:* & verum esse, sunt qui mordicus sustinent. Alii in pomis hanc generis diversitatem fieri agnoscunt. Nos ideo sic dictam putamus, quia formam homini restituit; stigmata enim citra exulcerationem delent, quod Dioscorides fatetur *lib.* XXIV. cap. LXXIV.

Sed abstrusiorem ex mysteriis & religione, cujus ubique magnus ille auctor erat, causam id nomen habuisse, recte forsan opinatur Marcellus Virgilius *ad Dioscor. l.* IV. cap. LXXIV. quamvis contra eum satis inconsulte genuinum stringat Pierius Valerianus *Hierogl. l.* LVIII. cum experientia compertum sit, bifidam ejus radicem in viri fœminæque sexum artificiose ab impostoribus conformari.

Sed Pierii alteram oscitantiam silentio occulere haud possum: ponit enim mandragoram lætitiæ hieroglyphicum, & Xenophontis testimonio in *Sympos.* eam pro lætitiæ argumento citari confirmat. Quod quantum a vero sit alienum, Xenophontis locus indicabit, quem subjiciemus. Inquit hic lepidissimus & suavissimus scriptor, (sic de eo loquitur Athenæus, hunc eundem locum describens) imo potius hæc Socratem loquentem inducit: Ἀλλὰ πίνειν μὲν, ὦ ἄνδρες, καὶ ἐμοὶ πάνυ δοκεῖ, τῷ γὰρ ὄντι ὁ οἶνος ἄρδων τὰς ψυχὰς, τὰς μὲν λύπας ὥσπερ ὁ μανδραγόρας ἀνθρώπους κοιμίζει· τὰς δὲ φιλοφροσύνας ὥσπερ ἔλαιον φλόγα ἐγείρει. *Bibendum sane, o præclari viri, admodum censeo, quandoquidem re vera nostros animos vinum rigans curas & molestias sopit, ut homines mandragora; hilaritatem vero excitat, ut oleum flammam.* Lætitiam quippe & hilaritudinem ex vino oriri, haud ex mandragora, hoc loco Xenophon ait: illudque sedare curas affirmans, pari modo ac mandragoram sensus hominum corripere: & sic τὴν ἀναισθησίαν illius exemplo, & non jucunditatem exprimit, ut Pierius voluit.

Sensu autem privare mandragoram, ex Dioscoride *ibid.* habes. Nam ejus radicis decoctum contra vigilias datur, & his, quos sine doloris sensu secare aut urere voluerint. Sed nunquid Deo illo, quo vates incalescunt, percitus, fatidice Homericum hoc mysterium divinavit; & sicut per metalepsin ex uno significatu, alius colligitur, & gradatim itur ad id quod ostenditur; sic ex mandragora Helenæ poculum, & ex hoc lætitiam, ad quam denotandam proverbio effertur, ut infra dicemus, subobscure indicavit. Quemadmodum a Petro Ronsardo *lib.* I. *Amor.* Poetarum ab omnibus sæculis secundum Maronem (teste Scevola Sammarthano in *Elog. Clar. Vir.*) facile principi, similiter factum animadvertimus, ait enim in suis *Amoribus*, quos Gallice, ut cætera sua Poemata, scripsit:

O de Nepenthe & de liesse pleine
Chambrette heureuse.

Quibus verbis ædem compellat Nepenthis & lætitiæ plenam, eamque beatam significat, & ad lætitiæ synonymon Nepenthus deflexit vocabulum. Ad quam significationem aliter, quam per gradum Helenæ potionis, ejusque subintellecta cognitione, non pervenitur. Quod quidem judicio meo, si fas est in medium afferre, dictum contenderem periculosa quadam audacia: ea certe haud raro peccat summus hic auctor; licet nonnulla ejus auctoritate libenter sint concedenda.

De Pierio aliter sentimus, cum proprius clariusque Nepenthes quam mandragora ad Helenæ poculum significandum accedit; cætera curiosus Lector apud Medicos & Botanistas inquirat: & si φιλολογίαν amet, plura, vel ad usque fastidium, in libris *Antiquitatum Convivalium*, in unum congesta ab ejus auctore reperiet.

Est & alia somniferi species, cujus fortasse habenda ratio: nec omnes huic considerationi subjiciuntur. Hanc *Solanum*, Græci στρύχνον μανικὸν vocant: in quo describendo, delineando, & Dioscoridis textum restituendo, egregiam, ut in omnibus, sibi laudem meruit Fabius Columna Lynceus in *Phiob.* vel Clusii doctissimi hominis testimonio in *Schol. ad Christ. a Costa*, cap. LIII. eandemque esse ait, quam Christophorus a Costa *daturam* appellat, Medicique legitimam nucem *Methel* Arabum esse censent. Vim habet pota in vino radix drachmæ unius pondere, inquit Dioscorid. *l.* IV. cap. LXXII. φαντασίας ἀποτελεῖν οὐκ ἀηδεῖς, *imaginationes efficiendi non injucundas.* Sumi autem a Turcis, & esse apud eos frequenti in usu, ex Belonis *Observationibus l.* III. cap. L. sive mavis Petri Gillii, cui Opus vendicatur, & ex Clusii ad eum *Notis* colligitur.

Venit ergo in mentem, ad hoc illam Aloysii Anquillaræ referre opinionem: cum Nepenthes, aut Enopiam esse, quam eandem cum Helenio facit, addubitat, aut quandam aliam Italiæ notam, quam consulto ait tacere, causatus Christianam Religionem, cum inde multa mala confici possint. Sic Plinius, ne omnia de Solano diceret, causas prætexuit, *minime*, inquiens, *diligenter demonstranda remedia, non venena tractanti.* Liquet sane ad furta, ad res Venereas, & ad insaniam inferendam abuti: vid. Garf. ab hort. aro. *lib.* II. cap XXIV. Christ. a Costa cap. *de datura*.

Sed nuper cum de hac re Echimum quendam ex Aphricana gente captivum, & Ossanensium Ducis triremibus mancipatum, consuluissem; is me docuit *Mazluc* etiam apud Arabes herbam esse inter frumenta nascentem, hoc est, *lolium* significare: ac rerum medicarum commentariolo, quod secum sua lingua exaratum circumferebat, conatus est comprobare. Et porro haud a veritate alienum videtur, cum lolium tenebricosas vertigines, & mentis aberrationem, atque temulentiam efficiat; imo αἶραν a Græcis volunt plerique, παρὰ τὸ αἱρεῖσθαι dictum. Rapitur quippe in cerebrum lolii vapida & nocua aura. Qua etiam ratione in soporiferis medicamentis, ejus farina immiscetur: quod Mathias Lobel peritissimus & diligentissimus Botanicus in stirpium *Observationibus* cap. *de Lolio*, & in *Adversariis* notat. Relatu sane dignum est, quod illustris vir ex loliacei panis comestione sibi contigisse commemorat. Dum enim in fratris castello degeret, die quodam Dominico ex sacris, quibus interfuerat, post longiusculam ambulationem domum reversus, panem cujusdam ex municipibus lolio haud expurgatum, (oritur enim abunde in illis agris, simulque cum tritico molitur, & sic panem conficiunt vulgo) quem forte cum offendisset, velut famelicus ... Post paululum somno correptus, in lectum se recepit. Deinde expergefactus, ita mente ...tur, ut constantissime crederet longam dormisse noctem, & advocatis servis cœpit eos objurgare, quod vespere fenestras in salutis suæ damnum minime obserassent, nec dormiturientem dominum vestibus exuissent. Et quamvis ii, & domestici omnes, rem ut esset ei demonstrare contenderent, nunquam id percipere potuit, sed magis ac magis ea imaginatione deceptus, in jurgiis perseverabat: & vix nunc mentis desipuisse existimat. Quid si ex loliacea farina tantum fuisset panis? formant ex ea Ægyptii, adjecto cannabi seminibus, medicamentum, quod *Bosa* eorum lingua nuncupatur: idque ea omnia præstat, & valentius, ut scribit Alpinus *lib.* IV. *de Medic. Ægypt.* cap. II. quæ meconio superius ascripta sunt. Vino autem farinas immiscere, non est a moribus Veterum alienum; cum ex Homero in Nestoris & Circes poculo albam farinam inspersam, imo & caprinum caseum adrasum, supra jam sit probatum.

Sed his, licet plene videatur exhausta materies, cum fere omnes de hac re sententiæ in medium productæ, insuper aliquid addere excogitavimus, quod & propositum attingit finem: & scire haud modicum delectabit, siquidem an medicamentum Nepenthes ex chemia officina conflatum sit, superest considerare? Et sane, ex Marco Tullio *lib.* III. *de Natura Deorum* sciri potest, Vulcanum, quem Ægyptii *Opam* nuncupant, in Nilo natum, & Nili filium, nec custodem tantum esse Ægypti, quæ & ab eo Ἡφαιστία dicta, Eustath. *in Diog. Aphr.* sed, ut Diogenes Laertius narrat in *Proœm.* ἐν ἄρξαι φιλοσοφίας, *qui primum Ægyptiis philosophiæ aperuit principia.* Invenit autem Vulcanus, inquit Tzetzes in *Chiliad.*

Πῦρ, καὶ τέχνας δὲ ἐκ πυρὸς ὁπόσας.

Ignem, & artes ex igne quot sunt.

Ejus ergo Philosophia in ignis invento habuisse originem consonum est: & ab eo chemiam artem repertam, eique nomen, si articulum demas, Ægyptium. Siquidem Ægyptum, quæ vel maxime nigram habet terram, ὥσπερ τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ, Chemiam vocari scribit Plutarchus, *de Iside & Osiride.*

Chemmi octavus Ægypti Rex, ut Diodorus habet *de Antiquit. Gest. l.* II. & Chemmi oppidum grande esse Thebaicæ provinciæ, refert Herodotus in *Euterpe.* Floruisse tamen apud eos, & ex hoc Opa, opes quam maximas, Suidas expresse testatur in *Dioclet.* cum narrat, Diocletianum Imperatorem, ne Ægyptii ex chemia arte divitias compararent, atque opum abundantia freti, arma movere Romanis auderent in posterum, libros omnes de chemia ab antiquis Ægyptiis conscriptos, diligenter conquisitos, igne absumpsisse. Vide Joan. Lang. *epist.* LIII. Vetustissimi autem Græcorum Ægyptios secuti, hujusmodi doctrinam literis commendarunt: idque manifeste convincit, quod de aureo vellere Orpheus & Apollonius in *Argon.* cecinere. Quamobrem liber fuisse dicitur ex membranis, sive arietis pellis, in qua contineretur, ut scribit Suidas in verbo δέρος, auri faciendi ratio. Et ab Apollon. Schol. *l.* II. *in Apoll.* μέθοδος χρυσοπράξιος, ἢ χρυσοχεάφης aureum vellus exponitur, vide Guiland. in *Papy.* memb. VI. Imo ipse idem Orpheus *Argon.* videtur id apertissime demonstrasse: auream ovem, pendentem inter varia plantarum genera, describens:

Ἐν δὲ πόοι ῥίζῃσι κατηφερέες χθαμαλῇσιν,
Ἀσφόδελος, κλύμενός τε, καὶ εὐειδὴς ἀδίαντος,
Καὶ θρύον, ἠδὲ κύπειρον, ἀγχιστρέων τ', ἀμενηνά

Ορμιόν τε, καὶ εἰρύσιμον, κύκλαμίς τε θεηδής.
Στοιχὰς, παιονίη τε, κατερνές τε πολύκνημον
Μανδραγόρας, πόλιόν τ', ἐπὶ δ' χαφαρὸν δίκταμον.
Εὔοδμός τε κρόκος, ἰδὲ κάρδαμον, ἐν δ' ἀρακῆμος,
Σμίλαξ, ἢ δ' χαμαίμηλον μήκων τε μέλαινα
Αλκυα, καὶ πάνακες, καὶ καπασὸν, ἢ δ' ἀκόνιτον.

Id est:

Hic etiam parvis tectæ radicibus herbæ,
Asphodelus, Clymenusque, & pulchrior his Adiantus,
Et Thryon imbellis, Aristereonque, Cypironque,
Hormion, irysimon, devotaque Cyclamis aris,
Stœchas, Pæoniaque, & ramo divite crescens
Mandragora, & Polion, subtilisque Dictamus una.
Hic & odora Crocus, hic Cardamon, hic quoque Cemus,
Cumque Chamæmelo Smilax, Mecon quoque nigra,
Alcyaque, & Panaces, & Capason, atque Aconitum.

Quæ ad fixationem, quod ajunt, Mercurii, & reliqua hujus opificis pertinere Jacobus Massonus notavit *l.* III. c. XLI. in Danthem: respuisse autem de chemia Homerum dicere, haud fortasse negabit: cui Helenam ex ovo nasci, aliquid chemicum subolebit. *Non enim* (scribit Michael Meierus *de volucr. arbor.* c. IV.) *in homines, ut pulli naturaliter, per artificium generantur: quamvis Helena, illa mulierum formosissima, belli Trojani, hoc est, opificii chemici causa, una cum Polluce ex uno ovo prodiisse fingatur*. Qui etiam Græcos, ex Ægyptiorum doctrina, non aliud adumbrasse contendit in Herculis laboribus, Ulyssis erroribus, Jasonis periculis, Thesei facinoribus, & aliis plerisque eorum fabulis.

Itaque modesta satis, atque admodum simul amplectenda, nostra hæc apparebit conclusio: Poetam videlicet pro Ægyptiaco Helenæ pharmaco ex chemia arte quæsitum medicamentum aliquod indicare: ut factum sit, quod plerique Medicorum filii, qui eam profiteri merito gloriantur, nonnulla hujus generis, & tanquam in hanc sententiam euntes, sub Nepenthus nomine tradere conati sunt: inter ipsa autem medicamenta, & quæ ex dictarum aliarumque plantarum substantiis erui possunt, nihil auro præstare existimo. Contusum enim & in foliis redactum ad vires cordis reparandas vulgatum remedium. Quod autem optimum, si absolute potabile, Chemicorum industria efficiatur, ut experientia viris doctissimis observatum. Hoc etiam ab Regibus parari, ministrari, ob suumque pretium regale effici donum, & omnia cum Homericis verbis congruere, facile concedendum. Nec opus, exhilarandi aureæ potionis eximiam facultatem in dubium revocare, atque ad horum omnium singularem probationem descendere.

Itaque pauculis, ad proverbium, quod ajunt, Helenæ crateris adjectis verbis, finem huic Parti, ne modum excedat, imponamus. Haud enim frugi existimo tempus terere, ut investigemus forte an hæc Helenæ potio *μαγικῶς* hujusmodi curationis efficaciam retinuerit? Scio etenim ὅτι ἀρχαία ἦν, ἡ δι ἐπαοιδῆς ἰατρικὴ, ut Pindari inquit Scholiastes, & Pindarus ipse, in *Pyth.* ode III. ac etiam Homerus, quem idem citat Scholiographus, probant: nimirum incantationibus medicinam facere rem esse antiquissimam. Porphyr. *de Vita Pyth.* & ibi Conradus Rittershuf. Plinius *l.* XXX. c. L. tantum operis ex magia in Ulyssis erroribus scribit, ut totum opus non aliunde constet. Siquidem, ut ipse addit, *Protea & Sirenum cantus apud eum non aliter intelligi volunt: Circe utique & inferorum evocatione hoc solum agi*. Sed quod sane in admira- [A] tionem rapit, & ipsa Homeri carmina, sub hoc curationis genere usurpata. Quandoquidem ad quartanæ mox grassaturæ remedium, apud Q. Serenum Sammonicum *de Med.* c. L. præcipitur:

Mæoniæ Iliados quartum suppone timenti.

Socrates apud Platonem in *Charmid.* τὴν ἐπῳδὴν in castris a Thrace quodam didicisse memorat, quam idem a Zamolxide didicerat: & cum nobis alibi deserviet, hoc impulsu sub calamum veniet. Est enim hæc Thracica incantatio: Ωσπερ ὀφθαλμὸς ἄνευ κεφαλῆς, οὐ δεῖ ἐπιχειρεῖν ἰᾶσθαι, οὐδὲ κεφαλὴν ἄνευ σώματος, οὕτως οὐδὲ σῶμα ἄνευ ψυχῆς.

Oculum sine toto capite,
[B] *Caput sine toto corpore,*
Corpus sine anima sanari non posse.

Magicis autem artibus operatos Ægyptios, constat ex sacra *Scriptura*, & in illis σεμνύνεσθαι Origenes docuit *l.* I. *contra Celsum*, unde ansa pessimæ blasphemiæ adversus Christum, quod Ægyptiorum ex adytis, ut inquit Arnobius *l.* I. *advers. Gent.* angelorum potentium nomina, & remotas furatus sit disciplinas. Has Αἰγυπτίαν σοφίαν, hoc est, *Ægyptiæ sapientiæ* nomine designavit Heliodorus *Æthiop. lib.* II. & apud ejusdem notæ scriptorem cum apicula manum Clionis pupugisset, puella Leucippe statim dolorem excantavit: additque [C] doctrinæ rationem Tarius *l.* II. quod ab Ægyptia muliere didicerat, & suboluisse quid magicum de hac nostra curatione, jam Plutarchi locus admonuit, quo ad Helenes imitationem factum apud Veteres indicavit; pavimenta, ut hilaritas excitaretur, verbenacarum diluto irrorasse. Siquidem ad Magos referendum: qui ajunt, ut Plinius *lib.* XXV. c. IX. testatur: *Si aqua spargatur triclinium qua maduerit, lætiores convictus fieri*: quod Plutarchus dicebat. Itaque si in hoc genere studium Helenæ, profecto non caruit Ægyptiorum superstitione, ἐν ταύταις ταῖς ἐπῳδαῖς. Verum cum hæc me- [D] dicamenta, deliramenta potius sint existimanda, ad nullam curationem utilia, quod non semel ab eodem Plinio *l.* XXVI. cap. IV. aliisque auctoribus comprobatum, (Franc. Vall. *de sacra Philosoph.* c. II.) nec hujusmodi imitationem cum Helenæ pharmaco asserimus, quandoquidem nec in buglosso eam subesse sit demonstratum: rursumque ab his vanitatibus Nepenthes distare, ipsius descriptione sit clarum, ut merito eas prætermittere judicemus.

Quanquam id non omittendum, quod doctrinæ conclusionem respicit. Quid enim magis in hac parte arrideat, verisimile est a me Lectorem meum exquirere, in cujus gratiam id enuncio: me scili- [E] cet nihil certi definire; sed si μυθολογίαν considero, cujus maxima in poematibus habenda ratio, placet, quod de Chironio panace, sive de Helenio dictum est, ut quarta & ultima Parte evidentius apparebit. Ad φυσιολογίαν vero Poetam examinare, quod de Nepenthe narrat, etiam citra hyperbolen, (nam ὑπερβολικῶς dictum Eustathius voluit) nisi narcotico pharmaco, posse sustineri non video. Quale autem horum fuerit, vel aliud determinare, cujusvis erit facultas & judicium. Sufficiat nobis ad perfectam tractationem, vel in hac Parte curiosis ingeniis non defuisse. Quantum [F] ad adagionem spectat sic de eo Cælius Rhod. *Lect. Antiq. l.* XIX. cap. III. *Craterem Helenæ apud Philostratum proverbii forma enuntiatum animadvertimus, de iis, quæ nobis æstuationem mentis leniunt, solicitudinem sedant molliuntque, & dissere nato animo, ac fronte erugata exporrectaque curarum oblivionem inducunt*. Hactenus Cælius, & ab eo desumentes Erasmus & Junius *Cent.* VI. *Adag.* XXV. eadem verborum formula proponunt, in qua re (modeste dico) consideratiores expetiissem. Haud enim unus est crater, qui propter Helenam

a Veteribus celebratur: pluraque vascula apud scriptores insignia ad Helenam referuntur, inter quæ illud satis decantatum τρίπους, a tribus quibus fulciebatur pedibus nominatum, Coi & Mileti illustrissimarum civitatum certamen, Thaletis sapientiæ præmium, Delphici Apollinis insigne donarium.

Hunc tripodem, inquit Diogenes *l.* I. in *Thalete*, a Vulcano fabrefactum, ac pro munere Pelopi a Deo datum, cum ille uxorem duceret, demum ad Menelaum pervenisse: raptumque cum Helena ab Alexandro, & Trojam navigantibus fertur eam jussu Oraculi, ut Plutarchus in *Solone* memorat, in Coo mari ad rixarum causam deposuisse. At tripodem crateram fuisse, & ad vini usum, (ne quid lecythum cum strophio) Athenæus *Deipnos.* *l.* II. docet: nam, etsi plura tripodum genera apud Priscos, unum tamen poculum fuit, de quo Homerus *Iliad.* IX.

> Ἑπτ' ἀπύρους τρίποδας.

Ἐν τούτοις δὲ (inquit Athenæus *Deipnos. lib.* III.) τὸν *οἶνον ἐκίρνων, in his tripodibus vinum miscebatur*. Ex hoc enim crateris orta denominatio, quod nec ipse omisit. Utrumque vero ἀναθηματικὸν, hoc est, ad ædium templorumque ornatum solitum consecrari, ut hoc Helenæ vas: quod Thales Didymæo devovit Apollini. Constat sane ex Diogene in *Thalete*, qui varias de tripode Veterum opiniones recenset, non aliter ab illis reputatum, cum vel phialam, vel poculum nominet.

Huc etiam pertinet Crater ille Temesius, quem Menelaus per regionem Japygiorum veniens, Palladi Scyletriæ, cum ejus clypeo, ac pulchris Helenæ uxoris calceis, dona appendit: de qua re tenebricosus vates Lycophron in *Cassand.* cecinit:

> Ἥξει δ' ἀλήτης εἰς Ἰαπύγων στρατόν,
> Καὶ δῶρ' ἀνάψει παρθένῳ Σκυλητρίᾳ
> Ταμάσιον κρατῆρα, καὶ βοάγριον,
> Καὶ τὰς δάμαρτος ἀσκέρας εὐμαρίδας.

Et ex Josepho Scaligero, ad pristinæ antiquitatis dialectum:

> *Japygumque adibit erro exercitum,*
> *Ponetque donum virgini Feretriæ*
> *Ancile scutum, & hirneam Temesiam,*
> *Sponsæ nocentis, cernuosque mulleos.*

Hunc κρατῆρα ad tripodem Thaletis refert Joan. Meursius in *Comm. in Cassand.* & illum Vulcani Pelopi uxorem ducenti donatum affirmat, de quo jam diximus: at de eo, & isto Temesio Apulejum, & Philostratum intelligere locis, quos ad aliud respicientes, in hac Parte laudavimus: cum hic suam

A lucubrationem, haud aliter, quam Helenæ poculum Ægyptiis pharmacis imbutum, levare dolorem posse, Antonio scribit, ille marino aliquo & pisculento non Helenam suam crateram medicasse asseverans. Et mea sententia allucinatur eruditissimus alioqui scriptor adeo, ut pudeat nunc illius errorem detegere. Nam quid commune potest habere aureus Vulcani tripos (ex auro enim fuisse orta de eo contentio suadet, & Oraculi ad Coos responsum:

> Πρὶν τρίποδα χρύσειον ὃν Ἥφαιστος βάλε πόντῳ.

B Et reliqua, quæ in Diogene *ibid.* habes) cum Temesio isto vasculo? quod æreum dicimus, quia Temesium. Temesis namque Calabriæ civitas ἀριστόχαλκος, ut inquit Tzetzes in *Comm. in Cassand.* in qua optimum æs conflabatur, & in eam Pallas, apud Homerum in Mentis Anchiali filii formam sese versam, ferrum splendidum ducere, ut inde æs asportaret, Telemacho commentum narrabat.

Rursum si ante Trojanum bellum tripos mari demersus, non nisi Thaletis tempore fuerat a piscatoribus Coi repertus, quem ortum primo anno

C tricesimæ quintæ Olympiadis, ex Apollodoro in *Chronicis* Laertius refert in *Thalete*, & sic annis fere quingentis quadraginta quinque post Trojam captam; qua igitur ratione, iterum in Menelai manus poterat pervenire haud video. Sed age pervenerit: quis quæso fatebitur de tripode, vel Temesiano cratere, Philostratum & Apulejum intelligere? cum (mitto rationem historiæ) quam evidenter Homerum respiciant, & notissima hypallage, non aurum, non electrum, non opus, non formam crateris admirantes τὸ ποτὸν, & Ægyptium medicamentum in proverbium traxere: evi-

D tata nihilominus locutionis amphibologia, ut mox dicam. Sed prius aliud etiam indicabo celebrari Helenæ vasculum, quod ad suæ mamillæ mensuram, ex electro confectum, apud Lindum insulam Rhodiorum in Minervæ templo consecravit: quod Beroaldus *ad Apulejum l.* X. observavit: Raderus ad illud Martialis carmen de Phiala Ruffi, *Epigram. l.* VIII.

> *Vera minus flavo radiant electra metallo,*

haud omisit, nos ad nostrum *Syntagma de mamillis* rejicimus.

E Ex his sane argui potest, haud illa dicendi formula parœmiam enunciandam fuisse, quod etiam Philostratus confirmat. Nam Helenæ crater cum dixisset, necessariam fecit additionem, τῶν Αἰγυπτίων φαρμάκων. Consulto etiam Apulejus, ne in hunc lapidem transversum daret, verbo *medicavit*, omnem abstulit dubitationis scrupulum. Sed in hac Parte hic finis esto.

DE HOMERI
NEPENTHE
PARS III. ALLEGORICA,
QUÆ ET DE
CONSOLATIONE.



Exegi superiori Disceptatione, quæ ad Nepenthus historiam pertinere videbantur. Reliquum est ut hanc Partem allegoria compleat. Materia æque nobilis ac jucunda, certe ad Homeri propositam intelligentiam pernecessaria. Quidquid enim in eo maximum & admiratione dignum. Id non in verborum cortice & narrationum figmentis, (quibus tamen sua laus) sed in sententiarum recessu fabularumque allusionibus latere a Veteribus compertum est. Metrodorus Lampsacenus, de quo Diogenes in *Anaxagora*, & Tatianus in *Orat. contra Græcos*, meminere, totum Homeri Poema ad allegorias traxit: idemque Heraclides Ponticus, Proclus, & Eustathius, aliique quamplurimi sunt imitati. Strabo copiosus & elegans auctor de Homeri fabulis adversus Eratosthenem id convincit *l. Geogr.* & prudentissimus scriptor Plutarchus de *aud. Poet.* Παρὰ δ' Ὁμήρῳ, inquit, *σιωπώμενόν ἐστι τὸ τοιοῦτον γένος τῆς διδασκαλίας· ἔχει δ' ἀναθεώρησιν ὠφέλιμον ἐπὶ τῶν διαβεβλημένων μάλιστα μύθων· οὓς τῆς πάλαι μὲν ὑπονοίαις, ἀλληγορίαις δὲ νῦν λεγομέναις.* *Apud Homerum id mutum doctrinæ genus extat, considerationem habens utilem iis in fabulis etiam quæ maxime vituperantur, quas nunc allegorias, antiqui hyponœas nominabant.*

Quovis igitur istorum nomine dicas; sive *allusionem* Latino vocabulo, ut Jul. Scaliger opinatur *Poet. l.* III. c. LXXXIV. vel *alieniloquium*, ut Isidorus *Orig. lib.* I. appelles; si quid fructus in hujus Poeseos hortis colligere est in animo, summo studio summoque ingenio investigabimus. Et in proposita de Nepenthe disceptatione eo magis consequi niti debemus, quod quæ a nobis jam supra sunt exposita, quamvis luculenter pro viribus absolverimus, minime rem totam exhauriunt, neque sedulæ perscrutantium curiositati satis undique facere possunt: quippe qui, (mitto opinionum varietatem & abditam seclusamque medicamentorum cognitionem) si diligenter volumus, quos Homerus huic pharmaco tribuat, effectus perpendere, cogimur procul dubio affirmare nulla medicamina, sive simplicia, sive composita, vel etiam θεῶν χεῖρας illas a Veteribus decantatas, tantam vim tantamque efficaciam retinere, ut tam grande miraculum in natura produci possit. Nam qua ratione id confici potuisset, nisi, ut ex Eustath. *in* IV *Odyss.* jam supra monuimus, vel oblectando & exhilarationem inducendo, vel per stuporem sensuumque privationem? Sed ex nullius quantumvis in suo genere efficacissimi præsentissimiq; remedii usu accidere potest, ut quæ ab Homero narrantur eveniant. Esto enim, si placet, Nepenthes lætificum quid potentissimum & admirandum: quo pacto parentes, qui filium A trucidari videant, a lacrymis & commiseratione cohibeat? si Euryali mater apud Virgilium *Æneid. l.* IX. non oculis nati internecionem conspectans, sed fama, quæ in malis nonnunquam veridica, auribus perculsa, illico in lacrymas effunditur:

—— at subitus miseræ calor ossa reliquit:
Excussi manibus radii revolutaque pensa.
Evolat infelix, & fœmineo ululatu
Scissa comam, &c.

En porrige lugenti huic fœminæ buglossum, propina nectarite, medica quibusvis herbulis generosa Falerna, non cessabit misera pectus plangere, capillos scindere, & oculos ad usque calamitatem B difflere. Quid igitur hæ φαρμακοποσίαι? nisi Medicorum ineptiæ, & ut Comicus Aristoph. in *Ranis* inquit,

Ἐπιφυλλίδες ταῦτ' ἐστὶ, καὶ στωμύλματα.
Epiphyllides hæ sunt, & argutæ nugæ.

Nam re vera sicut amor, qui eos, quos concupimus, desiderium est possidendi, ita & luctus ægritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo, *nullis*, ut cum Ovidio dicam, *est medicabilis herbis*.

Nec rectius de narcotico pharmaco inventum, quandoquidem disertis verbis canat Homerus, ὃς τὸ καταβρόξειεν, &c. *qui illud deglutierit*, si post-C modum ei mater paterve mortui fuerint, vel fratrem aut filium necari conspexerit, lacrymas non profundere. Sed si vis est opii atque μανδραγορίνου οἴνου sensu privare, profecto nec funus senserit; nec oculis potis erit comprehendere, ut Poetæ verba se habent. Utrumque igitur affirmare ἀπροσδιόνυσον & absurdissimum: imo re exactius pensiculata, Goropii eruditissimi hominis verba, quæ de *Moly* protulit, usurpare in hac quæstione fas erit: *Vereor*, inquit hic auctor *Hermat. l.* IX. *ne tota hæc Medicorum disputatio ad lanam caprinam referenda sit, eo quod Nepenthes in Homeri & Antiquorum potius fabulis, quam in ullis montibus na-*D *tum sit*. Quid ergo rejiciamus Homerum, καὶ ἀποσκορακίζομεν? non: siquidem, τῶν τοῦ λόγου, ait Eustathius *in* I. *Iliad.* αὐτονομοῦσα ἀτοπίαν ἀλληγορία ἐθεράπευσεν, ἢ ἀναγογικὴ, ἢ ἱστορικὴ, id est, *licentiosa sermonis absurditas ab allegoria remedium capit, vel anagogica, vel historica*, καὶ συμβολικώτερον ἐκληπτέον idem auctor *in* IV *Odyss.* Nepenthus hoc pharmacum speciatim ad hunc locum asseruit. Quam explicandi rationem cum quis recte noverit, tunc profecto intelliget Homeri figmenta non inaniter, neque ad risum aut delectationem tantum efferendum esse conficta, sed rerum cognitione di-E gnissimarum umbras atque integumenta quædam esse; quæ si quis recte explicuerit, quanta sit in eis quamque recondita scientia perspiciet: nec aliud in his tenebris lumen, vel tutius Ariadnæ filum in his difficultatum labyrinthis. Nam quid semota hac exponendi ratione Homerum diceres? nisi ut Heraclides Ponticus in *Homer. Alleg.* acute admonet Salmoneum Tantalumque alterum ἀκόλαστον

γλῶσσαν ἔχοντα αἰσχίστην νόσον, *habentem linguam intemperantem, & morbum pessimum*. Quam recte licet aliquantulum subobscure ad Poetam nostrum, & ad hanc opposita solvendi necessitatem respiciens Aristoteles in *Poetice*; *τὸ ἀδύνατον πρὸς τὴν ποίησιν*, id est, *quod fieri nequit, ad ipsam poesim esse referendum* docuit. Quoniam, ut Tzetzes apud Hesiodum docet, *ὁ ἀλληγορικὸς μῦθος τὸ κυριώτατόν ἐστιν τῆς ποιήσεως χαρακτήρισμα*, *proprium est poetices character allegoria*.

Rem igitur, quod bene vertat, exordiendo, cum Veteres in hoc Homeri pharmaco *τοῦτο τὸ ἀδύνατον* comperissent, statim aliqua alia Poetam docere voluisse, & sub putaminum scabritie ruditateque nucleum doctrinæ abditum suavissimum existimarunt. nec certe eos fefellit opinio. Latere enim in hac scrobe thesaurum, & claudere hanc concham margaritam verissimum est. Quod autem perscrutati nobisque proponere conati sunt, illud est quod Plutarchus scribit: nimirum suavem Helenes eloquentiam, & pulchram pulcherrimæ fœminæ orationem efficacissimum verumque Nepenthes fuisse: *ἡ γὰρ Ἑλένη* (addit loco *Symp. l.* I. jam in superiori Parte a nobis laudato) *πίνουσιν αὐτοῖς διηγεῖται περὶ τοῦ Ὀδυσσέως*·

Ἀλλ' οἷον ἔρεξε, καὶ ἔτλη καρτερὸς ἀνήρ,
Αὐτόν μιν πληγῇσιν ἀεικελίῃσι δαμάσσας.

Τοῦτο γὰρ ἦν (*ὡς ἔοικε*) *τὸ Νηπενθὲς φάρμακον καὶ ἀνώδυνον, λόγος ἔχων καιρὸν ἁρμόζοντα τοῖς ὑποκειμένοις πάθεσι καὶ πράγμασιν*. Id est,

Bibentibus enim narrat Helena de Ulysse;
Infracta quantum tolerarit mente laborem.
Cum se verberibus fœde multasset acerbis.

Hoc enim fuit (opinor) illud mœrorem abolens Nepenthes medicamentum, omnemque amoliens dolorem, oratio præsenti rei & affectibus accommodata. Hanc Plutarchi sententiam repetit firmatque Macrobius Aurelius, cujus hæc sunt verba *Saturn. lib.* VII. *Nam si Homeri latentem prudentiam inscruteris altius, delinimentum illud quod Helena vino miscuit,*

Νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν τ' ἐπίληθες ἁπάντων,

non herba fuit, non ex India succus; sed narrandi opportunitas, quæ hospitem mœroris oblitum flexit ad gaudium. Ulyssis enim præclara facinora filio præsente narrabat:

Πάντα μὲν οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω
Ὅσσοι Ὀδυσσῆος ταλασίφρονός εἰσιν ἄεθλοι,
Ἀλλ' οἷον τόδ' ἔρεξε, καὶ ἔτλη καρτερὸς ἀνὴρ
Δήμῳ ἔνι Τρώων, ὅθι πάσχετε πήματ' Ἀχαιοί.

Ergo paternam gloriam, & singula ejus fortia facta dicendo, animum filii fecit alacriorem, & ita credita est contra mœrorem vino remedium miscuisse. Quandoquidem summa in levandis doloribus sermoni tribuatur facultas: unde apud Græcos *παραμυθεῖσθαι, καὶ παρηγορεῖν*, quod apud nos sonat *alloqui*, absolute pro *delinire & solatium afferre* usurpatur: idem *παραμυθία καὶ παραμύθιον*, id est, *allocutio & alloquium*, exprimunt, ut doctis & eleganter docuit Muretus *lib.* II. *Var. Lect.* cap. IV.

Probat hanc etiam opinionem, decus illud Christianæ pietatis, & Demosthenicæ facundiæ, S. Gregorius Nazianz. ita *Orat. ad Nicobulum* scribens, ut in Hervagiana habetur editione, nec enim possumus Græce, cum & Morellius has Orationes haud impresserit: *Quin illud quoque perspectum habeo nihil aliud quam disertam quandam & elegantem orationem fuisse medicamentum illud, quod Mercurius Ulyssi ad Circen se conferenti porrexit, tum ut sociis suis in porcos mutatis opem ferret, tum ne ipse quoque in porcum mutaretur. Nam quid aliud fuisse dicam Nepenthes illud malorum omnium oblivionem inducens, quod Polydamna Ægyptia Thonis uxor temperavit, Helenæ vero hospitalis cujusdam muneris loco dedit, quam facundam orationem egregieque perpolitam?*

Non abs re paulo altius exorsi sumus hunc locum. Cupio Lector jam olfacere incipias hujus opinionis dubietatem: vides enim apud hosce auctores Nepenthes eloquentiam, & Moly similiter eloquentiam significare: quasi Homerus nil nobis aliud obtrusisset in suis carminibus, quam eloquentiam: & unus fuerit e Sophistarum numero mystes, qui oratoriam olerum hieroglyphicis instituerit. Nec desunt qui herbam aliam, *Lirion* videlicet, apud Homerum dicant eloquentiæ symbolum, cum fingat Trojanorum Concionatores cicadarum instar locutos, liliaceam vocem emittentium: & observatio haud vulgaris est hominis, sed Luciani in *Herc. Gall.* cujus verba, cum summam prodant cujusdam scriptoris inscitiam, libet hoc in loco congerere. Inquit enim: Οὕτω γέ τοι, καὶ τοῦ Νέστορος ὑμῖν ἀπορρεῖ ἐκ τῆς γλώττης τὸ μέλι, καὶ οἱ ἀγορηταὶ τῶν Τρώων τὴν ὄπα τὴν λειριόεσσαν ἀφιᾶσιν, ἄνθη τινά. λείρια γὰρ καλεῖται, εἴ γε μέμνημαι, τὰ ἄνθη. Erasmus vertit: *Hinc videlicet apud vos, & Nestoris lingua melle profluit, & Trojanorum concionatores lirioessam edunt, videlicet floridam quandam vocem: nam liria, si satis commemini, flores appellantur.* Hanc versionem Lucianeam ad usque fere dimidium illius opusculi exscripsit Cælius Augustinus Curio in *Hieroglyph. l.* ult. auctor, qui duobus libris Pierii Valeriani *Hieroglyphica* auxit, imo potius oneravit, ut Herculem eloquentiam in sacris notis denotasse demonstraret: rursusque ad posterioris libri calcem, hæc de Iride ex eodem Luciano recitat: *Iridem herbam eloquentiæ symbolum, cum Homerus fingat Trojanorum oratores, ut qui disertissimi essent, lirioessam*, id est, *Iridem herbam floridam comedisse, quod eloquentiæ præcepta illos hausisse significat*. Pauca sunt verba, sed copiosa errorum seges: inscitia enim Græcæ linguæ Luciani Interpretis decipitur verbis; & quod ille dixerat, *Trojanorum concionatores lirioessam edunt*, hic *Trojanorum Oratores*, nec proprie Oratores, cum hac notione legati potius designentur, & non consultores, & in concione differentes, ut ii erant. *Lirioessam* exscribit Curio, id est, *Iridem herbam*. Lirioessa enim adjectivum est nomen, vocique injunctum, & haud iridem herbam, sed ex lirio dissimili plantæ florisque genere derivatum quidpiam exprimit. Tandem pro *edunt*, quod est *ἀφιᾶσιν* Luciani, & *ἱεῖσι* Homeri *Iliad.* III. *comedisse* bellus hic auctor expressit, totoque cœlo ab ipso Poeta dissentit: ut ex hoc ejus loco ad majorem lucem erit conspicere:

Εἵατο δημογέροντες ἐπὶ Σκαιῇσι πύλῃσι
Γήραϊ δὴ πολέμοιο πεπαυμένοι, ἀλλ' ἀγορηταὶ
Ἐσθλοί, τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵ τε καθ' ὕλην
Δενδρέῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.
Sedebant populi seniores in Scæis portis
Ob senectutem, jam ab bello cessantes, sed concionatores
Boni cicadis similes, quæ in sylva
Arbori insidentes vocem liliaceam emittunt.

Sed qua ratione Iris apud Cælium Curionem eloquentiæ symbolum? pudet ejusdem dicta referre: propterea quod vires possideat eloquentiæ similes, ut nimirum pravum halitum corrigat, gratumque & suavem spiritum reddat, & venena repellat. Nam & iis de caussis aptius sexcentas alias liceret efferre, ego quando id ita esset, aliunde deducerem. *Floret enim iris diversi coloris specie sicut arcus cælestis, unde & nomen*, Plinius ait *l.* XXI. c. VII. Nomen autem arcui communi Grammaticorum suffragio, imo & Philosophorum principis (Platonis in *Cratylo*) calculo, ἀπὸ τοῦ εἴρω· εἴρειν autem *dicere & nunciare* significat. Sic apud Homerum *Odyss. lib.* XVIII. quidam Ithacæ mendicus *Irus* vocatur:

Οὕνεκ' ἀπαγγέλλεσκε κίων ὅτε πῦ τις ἀνώγει.

Quoniam nuncia deferebat profectus quando aliquis jubebat.

Nullum igitur absurdum, ut & planta cognominis ad dicendi symbolum proponatur. Ab eodem etymo lirion derivare fortasse plausibiliter, ut ἀπὸ τοῦ λείου, non ad Iridem, sed ad τὴν Ηραν, id est, *Junonem*, referens, nam & suo lacte prognatum, eoque ἥδεσθαι τὴν Ηραν φασί, *delectari Junonem scribunt*. Clem. Alex. lib. II. *Pædag.* cap. VIII. Carol. Pasc. *Coron.* lib. III. cap. VIII. Dioscor. *lib.* III. *cap.* VIII. Sed non liquet pronuncio.

Elegantior inde tamen Comici Aristoph. in *Pluto* jocus, quo Penia Jovem perstringit, λήροις ἀναδῶν τὰς νικῶντας, τὸν πλοῦτον ἐᾷ παρ' ἑαυτῷ: videlicet λειρίοις *liliis*, & quod fere idem, λήροις, *nugis victores ornans, servat sibi divitias*. Negari utique non potest, in divinis Libris symbolum hoc retineri: legimus enim labia Sponsi *Cant.* VII. κρίνα (κρίνον autem & λείριον idem esse docuit Athenæus l. V. *Deipnos.* & Diosc. *ibid.*) στάζοντα σμύρναν πλήρη, *lilia stillantia myrrham*, & pro his ipsos quos dicimus prædicatores Christi sanctus Gregorius intelligit lib. XXIV. *Mor.* cap. X. Itaque etsi luce clarius mihi constet, λείρια τὰ ἄνθη, id est, *flores*, & λειριόεσσαν ἀνθηράν, id est, *floridam*, significare: cujus rei plura testimonia habes apud doctissimum Carolum Pascalium, quæ & huc transferre supervacuum est: haud tamen in hoc Homeri carmine λειριόεσσαν pro florida & suavi accipiendam contendo, sed pro acri potius & acuta, ut apud Oppianum lib. III. *Halieut.*

Ὀδμὴ δ' αἶψα θάλασσαν ἐπέδραμε λειριόεσσα.

Odor vero statim mare incurrit ut lilii.

Et fortasse etiam apud Hesiodum in *Theog.* ibi θεᾶν ὀπὶ λειριοέσσῃ σκιδναμένῃ, qua vegetam & sonoram Musarum vocem extollit. Cum certum sit ipsius cicadæ stridentem molestumque auribus esse cantum, quod dici non potest: quantum ad mei genium accommodate, & ad Homeri imitationem expressit Ariostus in *Orland.* can. VIII.

Sol la cigala col noioso metro
Fra i densi rami del fronzuto stelo
Le valli e i monti assorda e il mare el cielo.

Ut quamvis isthæc comparatio ad eloquentiæ laudem multum momenti non habeat, haud tamen ad loquacitatem traducenda: quæ vitium est in dicendo, ut Jo. Spondano *in* III. *Iliad.* placuit; sed ad argutam, facundam, minimeque intermissam dicendi venam: quam *Iliad.* III. in Ulysse commendans νιφάδεσσιν χειμερίῃσιν, *nivibus hibernis*, æquiparat. Oratio videlicet, non hyeme frigidior, sed, ut ait Seneca *epist.* XL. concitata, & sine intermissione, in morem nivis superveniens.

Sed ne longius evehamur contra hanc Nepenthus allusionem, audiamus eundem, cujus modo commeminimus, Joannem Spondanum in *Comm. ad* IV. *Odyss.* differentem. Putat iste auctor non bene Poetæ convenire, & tres videtur adducere rationes. Prima est, quod expresse Homerus narrationem Helenæ ab hoc pharmaco distinguat. Secunda, quod si Homerus ad tempestivam narrationem annuisset, non hoc Helenæ pharmacum a Polydamna Thonis uxore datum observasset, neque eo nomine Ægyptum pharmaca omnigena ferentem laudasset. Sed levia sunt hæc, & ipso scriptore indigna. Nam quod dicitur de sermonis opportunitate, plane allegoricum est, & aliud ipsam literam docere, vel cæco quidem, ne dum hic scriptoribus, perquam notissimum. Viderunt enim Poetam re vera de herba loqui, & herba Ægyptia, sed plantam tanta divinitate (ut sic dicam) præditam ἀδυνάτων existimantes, ad hoc genus defensionis velut ad sacram quandam anchoram confugerunt.

Sed ultimam Spondani rationem attendamus, quæ certe magni ponderis est, & prorsus horum scriptorum opinionem evertit: *An*, inquit, *illa de Ulysse narratio adeo potens & efficax erit, ut lacrymas sistendi vires possideat, e pectore mœrorem eliminet, & omnem malorum nebulam discutiens, udam serenamque animo tranquillitatem inducat?* Et secus esse, breviter rem ipsam examinando demonstrabitur.

Consolationum officia ad quinque principalia capita reducuntur, quæ a Romano Philosopho & Oratore M. Tullio in *Tusculanis Quæstionibus* lib. III. numerantur. Nos pro re præsenti, juxta propositam pharmacων divisionem, in duas species distinguimus. Una est, quæ sententiis exemplisque ad firmandum animum utitur, ad idque aperte & ex proposito contendit, vel malum illud omnino non esse demonstrando, ut Cleanthi placuit, vel non magnum malum, ut Peripateticis, vel abducendo a malis ad bona, ut Epicuro, vel ostendendo nihil novi & inopinati accidisse, ut Cyrenaicis, aut tandem, ex Chrysippi sententia, detrahendo illam opinionem mœrenti. Altera species est, quæ lepore & suavitate narrationis, minimeque a philosophia petitis argumentis, sed ad diversa jucundaque deflectens, mentem leviter seducendo, mœroris aberrationem producit. Græci proprie τέρψιν dixere, quasi τρέψιν deductionem animæ a re tristi ad bonam, hanc tempestivam, alteram admonitoriam dicimus: (vid. Jul. Cæs. Scal. *Exerc. in Card.* CCXCIX.) quæ si ita mihi concedantur, reliquum est videre cujusmodi Helenes oratio fuerit, & ad quod caput hujus divisionis sit referenda. In quo Plutarchi aliorumque scriptorum allusio sustineri possit. Verum enim vero cum ex Homero conspicuum sit, Helenæ fuisse mentem, corda mœstissimorum hospitum demulcere, inquit enim, Telemachum & Pisistratum alloquens, IV. *Odyss.*

Καὶ μύθοις τέρπεσθε, εἰκότα γὰρ καταλέξω.

Et sermonibus delectamini, decentia enim ordine dicam.

Videtur sine dubio ex his verbis, eo dicendi genere usum fuisse, quod nos *tempestivum* appellavimus: cui & scriptores supra laudati consentiunt.

Sed, ut nihil omittatur, duo etiam supersunt consideranda, quibus hic sermo connecti potest. Scurrilitas videlicet, & dicteriorum festivitas: ita enim Jambe (ex ea Jambicum carmen, & Ἰαμβίζειν) Thressa quædam mulier, ut auctores sunt Proclus in *Chrestom.* Hesychius in *Jambe*, & Apollodorus lib. I. *Biblioth.* Cererem deam vel ad risum concitavit, cum ob raptam filiam tristitia affecta Eleusinem venisset. Item compotatio, hoc est, ἡ ἐν συμποσίοις φιλικὴ ὁμιλία, nec aliter Eustathius Nepenthes interpretatur *Comm. ad* IV. *Odyss.* Ἡς, enim, inquit, ἀνακιρναμένης τῷ φιλοτησίῳ κρατῆρι, καὶ εἴτε σπουδαῖα, εἴτε καὶ ἄλλως ἡδέα, καὶ ἀστεῖα ζητήματα ὑποκινούσης. οὐκ ἔστι τὸν συμποσιάζοντα μνησθῆναί τινος τῶν ἔμπροσθεν κακῶν, οἷα χανδὸν ἐμπιπλάμενον οὐχ οὕτω τοῦ πεπλησοβοῦντος κρατῆρος, ὅσον τοῦ τῆς ὁμιλίας γλεύκους. *Propinato*, videlicet, *amicitiæ poculo, & insimul seriis, suavibus, & urbanis quæstionibus permistis: nequit convivator aliquem præsentium malorum recordari, velut affatim non tantum circumducti calicis, quam dulci confabulationis latice repletus.* Et Cælius Rhodiginus in hac etiam permansit sententia lib. XXVI. cap. XXV. *Antiq. Lect.* *Quod si jucunda*, ait, *confabulatio, quam epicyclicon recte dixeris, veluti poculis coaptatam, & (ut Macrobii verbum repetam) appetibilis adhibeatur venustas, fiet illud Homericum Nepenthes, quod is intelligi voluit pharmacum ἀνώδυνον, quia mœstitiam exigeret, & euthymiam pararet, ac*

tranquillitatem. Sed an re vera ita sit, videamus. Etenim, ne in aliquam harum opinionum partem eamus, plura nos retinent: hic tria tantummodo indicabimus, applicationem scilicet, efficaciam, & firmitatem. Singula ut commodius expendemus. Et primo minus efficax esse remedium opportunæ narrationis ad luctum sedandum, quam Homericum Nepenthes, ex eo docemur, quia hoc statim & incontinenti, illud sensim & temporis intervallo medicinam facit. Haud enim qui filium viderit corporatum, ut veteri dicam verbo, lacrymas potuerit effundere, at Helena non verbo, sed narratione hospites oblectabat. Itaque secius exhilarasse Plutarchus etiam cogitur affirmare in *Symp.* l. I. quæst. I. Οὐ συνορῶσιν, inquit, ὅτι κἀκεῖνος ὁ μῦθος [illegible] Αἰγύπτου μακρὰν ὁδὸν εἰς λόγους ἐπιεικεῖς, καὶ πρέποντας ἐτελεύτησεν. Hoc est, [illegible] *illam fabulam longo itinere ex Ægypto usque circumvagantem in sermones evasisse urbanos & congruos*. Longum iter temporis spatium arguit. Et Eustathius de sua epicyclica oratione, τὴν ἀκμὴν τῆς λύπης ἐκκρουσαμένη ἀπήμβλυνε, *mœroris aciem pertundens hebetavit*. Non igitur potentissimum ut Nepenthes medicamentum? & licet ex jocis, dicteriis, mimicaque scurrilitate, repentina & violenta nonnunquam exhauriatur hilaritas: qua de causa summis principibus in publica commoda occupatissimis, ut facile a seriis ad jucunda animos revocent, hujusmodi relaxamenta, nonnullis approbantibus, indulgentur: haud tamen fieri posse judico, ut in gravissimis afflictionibus, ita lenis ingenii vir comperiatur, qui scurrarum mimis arrideat. Et quamvis contingeret, illud certe negari non potest, & illico ad pristinas passiones relabi, ut curationis habilitas, quæ secundo nobis proponitur consideranda, nec inefficacia solum contrarium prorsus evincat. Animus quippe æger suavi & tempestiva eloquentia detentus, veluti sequestro quodam deponit ægritudinem suam, statim integram, vel leviter imminutam recuperaturus: ut desultorius ex alio in aliud resiliens, mœroribus se denuo & lacrymis transversum tradat. Quod vere extulit Boethius l. II. *de Consol. Phil. Speciosa quidem ista sunt inquam oblitaque rhetoricæ ac musicæ melle dulcedinis: tunc tantum cum audiuntur oblectant. Sed miseris malorum altior sensus est: itaque cum hæc auribus insonare desierint, insitus animum mœror prægravat*. At Nepenthes κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων, *malorum omnium oblivionem inducit*: & *ab eo*, inquit Plinius *lib.* XXI. *cap.* XXI. *tristitia omnis aboletur*.

Sed hic aliquantisper hærendum, ut Eustathii verba perpendamus, quæ toti huic lucubrationi facessunt negotium. Oritur enim difficultas ex Homeri verbo ἐφημέριος. Ut rem probe intelligas, operæ pretium est Eustathii locum perspicere. Inquit enim hic Græcorum eruditissimus in *Comm. ad* IV. *Odyss.* Σημειωτέον δὲ ὅτι διὰ μὲν τῆς τῆς Ἑλένης τούτου κρατῆρος οὐκ ἂν ἐφημέριος (carmen est Homeri) τὶς [illegible] ὕστερον ῥήτορες τῇ [illegible] παραμυθητικῶν μεθόδων εὑρέσει παντελῶς ἐξαιροῦνται τὸ πάθος, [illegible] μὴ δακρύειν [illegible] τῶν παραμυθητικῶν δεόντως ἐπιόντα. Quæ ita vertimus: *Nota autem quod per hanc Helenæ potionem non utique eo die perfundat quis lacrymas a palpebris. Posterioris autem seculi Rhetores adinventis consolandi methodis radicitus passionem evellunt: itaque per totam vitam plorare nequeat, auribus, ut par est, eorum exhortationes admittens*.

Nimium sibi arrogasse Sophistas, qui ad miserias exstirpandas perpetuum medicamentum suis ascripsere orationibus, cum levidense admodum sit, & exiguum: jam id fere est quod tetigimus. Sed quod voluit unius diecuIæ remedium Nepenthes esse, quamvis hoc etiam Didymus *in* IV. *Odyss.* affirmet, & sciam omnes hactenus indubitanter esse secutos, haud facile mihi probatur. Negari utique non potest ab Homero, quod sæpius jam dixi, hoc pharmacum ἐπίληθον dictum; licet in aliquo codice ἐπίληπτον mendose irrepserit: quæ vox, sive neutrum sit nomen, & antepenacutum, ut Aristarchus voluit, sive participium, ut Ascalonites contendebat ex Eustath. *Comment.* hoc certe significat, *obliviosum*, & *oblivia gignens*, sicut & Lucianus asseruit ληθεδανὸν φάρμακον vocans, *Dialogo de Saltat.*

Sed quænam dolorum oblivio hæc est, si pauculis transactis horis pertinacius eorum memoria recrudescit? inepte Plinius *abolendi* verbo est usus, si rediviva rursus & subitaria emergit afflictio. Fuit igitur ut cogitarem aliter apud Homerum ἐφημέριον exponendum. Siquidem Plutarchus in *Themist.* ut Lexicographi advertunt, ἐφήμερον φάρμακον dixit, id est, *ephemeron venenum*, quod statim celeriterque, ne die quidem interjecta, occideret, qua etiam ratione cicutam ephemeron de mortis præceleri ratione itidem dictam, ex Veteribus C. Rhodiginus annotavit *Antiq. Lect.* l. XXVIII. c. XXXI. quemadmodum apud Latinos præsentaneum venenum, & præsentaneum remedium, quod confestim illud offenderet, hoc opem ferret, expositum. Quæ si ad Homeri intelligentiam trahamus, erit Poetæ sensus: *Quicunque illud deglutierit statim, vel in ipsa die lacrymas non potuerit e palpebris effundere*: τῶ μὲν θανόντος, statuebat Simonides apud Stobæum *Serm.* CCLXXVIII. οὐκ ἂν ἐνθυμοίμεθα,

Εἴ τι φρονοῖμεν, πλεῖον ἡμέρας μιᾶς.
De homine defuncto non cogitabimus,
Si quid sapiamus, amplius uno die.

Idem jus flendi Homerus dederat in *Iliade* XIX.

Ἀλλὰ χρὴ τὸν μὲν καταθάπτειν ὅς κε θάνῃσι
Νηλέα θυμὸν ἔχοντας ἐπ' ἤματι δακρύσαντας.
Sed sepelire decet defunctum pectore forti
Constantes, unamque diem fletui indulgentes.

Sed bruta animalia, inquit Aug. Niphus noster *de misericord.* cap. ult. haud pluribus uno die tristantur ob filiorum mortem: itaque ut quid proprius virum deceret, sapientem ostenderet in *Odyssea*, cujus id principale propositum, ut inferius paulo dicemus, neque hoc die, neque in posterum suo pharmaco lugendum esse, Homerus voluit. Quam exponendi rationem Isaacius Tzetzes in *Chil.* VI. num. LXX. confirmat, cujus verba, qualiacumque sint, apponemus:

Ὅμηρος τὴν Πολύδαμναν φησὶ τὴν Αἰγυπτίαν
[illegible] Θῶνος μὲν Αἰγύπτου βασιλέως,
Οἵτινες ὑπεδέξαντο Μενέλαον Ἑλένην
Ἀνέμοις πρὸς τὴν Αἴγυπτον βιαίως ἐκπεσόντας,
Καὶ δωρεαῖς ἠμείψατο τούτους ἀξιοχρέοις.
Θῶν μὲν τὸν Μενέλαον, Πολύδαμνα δ' Ἑλένην
Καὶ φάρμακον ληθεδανὸν τῶν ὀδυνῶν δωρεῖται,
Ὡς βεβληκυῖα πρὸς οἶνον μὲν, ἄν τις ἐκ τούτου πίνοι
Ἔμπει τοῦτον θλίψεων αὐθημερὸν μακρόθεν,
Ὡς μὴ δακρύσαι μηδαμῶς, κἂν φίλον παῖδα
[illegible] οἶνον λόγους πρὶν Ἑλένος θελκτηρίους
[illegible] φάρμακον ληθεδανὸν εἰρηκει, &c.

ait enim injectum in vino Polydamnæ pharmacum, quod in *Odyssea* sermones Helenæ illecebrosos interpretatus erat, eodem die, quo quis bibisset, longe ærumnas & angustias abegisse.

Huic expositioni alteram adjungebat Elias Palaganus, vir artis medicinæ consultissimus, & cui me plurimum debere profiteor. Is cum dubitationi meæ annuisset, ut est Græce apprime peritus: ex quo ἐφήμερος absolute *mortalem*, & *hominem* denotat, quod scilicet in diem sit, & de crastino quid certi statuere nequeat; hoc modo, hacque notione a Poeta vo-

luit usurpatum. Itaque hujus loci hæc sit ad verbum Latina metaphrasis: *Quod si quis mortalium in potu* (mirum cur *in cibo* dicat Volaterranus in Hom. vers.) *sumpserit, nunquam lacrymas fuderit a palpebris*. Et ne ad incitas videamur redacti, illud insuper addi potest, ut si ἐφημέριος antecedenti orationis particulæ subservire dicamus, amphibolia ad syntaxin juxta Aristotelicam solvendi rationem in *Poet.* referatur, eliciaturque sensus, *qui semel*, ita Budæus, *vel per diem sumpserit haud deinde*, &c. Verum enim vero, neque ex his Didymi & Eustathii sententiam, qua ἐφημέριος, id est, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐν ᾗ ἔπιεν interpretatur, explodendam contendo. Quandoquidem ea sit receptissima vocis in hac materia significatio, ut ex Theognide *Sent.*

Συν σοι Κύρνε παθόντι κακῶς ἀνιόμεθα πάντες·
Ἀλλά τοι ἀλλότριον κῆδος ἐφημέριον.

Tecum Cyrne affecto male, mœremus omnes:
Sed sane alienus dolor diem unum durat tantum.

Constat etiam ex Apollonio Rhodio in eo medicamine, quod Medeam Jasoni dedisse commemorat, (imitatur enim Horum) aitque *Argon.* lib. III.

Ἠοῖ δὲ μυδήνας τόδε φάρμακον, ἠΰτ' ἀλοιφῇ
Γυμνωθεὶς φαίδρυνε τεὸν δέμας· ἐν δέ οἱ ἀλκὴ
Ἔσσεται ἀπειρέσιη, μέγα τε σθένος· οὐδέ κε φαίης
Ἀνδράσιν ἀλλὰ θεοῖσιν ἰσάζεμεν ἀθανάτοισιν.
Πρὸς δὲ καὶ αὐτῷ δουρὶ σάκος πεπαλαγμένον ἔστω,
Καὶ ξίφος, ἔνθ' οὐκ ἄν σε διατμήξειαν ἀκωκαὶ
Γηγενέων ἀνδρῶν, οὐδ' ἄσχετος ἀΐσσουσα
Φλὸξ ὀλοῶν ταύρων. τοῖός γε μὲν οὐκ ἐπὶ δηρὸν
Ἔσσεαι, ἀλλ' αὐτῆμαρ.

Mane vero ubi destillaveris pharmacum tanquam adipe
Nudatus unge tuum corpus; robur autem inerit immensum,
Validaque vis; neque dici poteris
Viris sed diis similis esse immortalibus.
Ad ipsam vero etiam hastam scutum oblitum sit,
Ensisque, tunc non te vulneraverint cuspides
Terrigenarum, neque sæva irruens
Flamma terribilium taurorum; talis quidem non diu
Eris, sed uno die.

Aliter enim ad suum opus, & quod sibi commodius transtulit Ariostus: apud quem Isabella Rhodomonti Sarsiæ Regi inquit in *Orland.* cant. XXIX.

Io dico se tre volte se n'immolla
Un mese invulnerabile si trova.
Oprar conviensi ogni mese l'ampolla,
Che sua virtu piu termine non giova.

Indubitatum autem est apud Apollonium Medeæ pharmacum præter diem unum vires non habuisse, quod Apollodorus etiam notat *Biblioth.* lib. I. Οὕτω τῷ φαρμάκῳ χρισθέντα, ἔφη πρὸς μίαν ἡμέραν μήτ' αὖ ὑπὸ πυρὸς ἀδικηθήσεσθαι, μήτε ὑπὸ σιδήρου. Videlicet: *Hoc enim delibutum unum dumtaxat inquit illa diem, nulla neque ignis, neque ferri violentia læsum iri asserebat*. Dion Chrysostomus *Orat.* XVI. allegorice hoc pharmacum, velut alterum Nepenthes, contra mœrorem luctumque remedium interpretatur: itaque hic ejus verba referre maximum operæ pretium fuerit: Ἂν δὲ ἐκεῖνο ἐνθυμηθῇς ὅτι μηδείς ἐστιν ὅλως τοῦ βίου χρόνος, ἀλλὰ πάντες οἱ μακάριοι, καὶ λίαν εὐδαίμονες δόξαντες εἶναι τεθνήκασι. καί σοι πάρεστιν ἤδη τοῦτο τὸ πέρας, κἂν ἐπὶ πλεῖστον ἔλθῃς τοῦ βίου, πολὺν λῆρον ἡγήσῃ καὶ μεγάλην εὐήθειαν, τὸ νομίζειν ὅλως τι δεινὸν εἶναι τῶν γιγνομένων, ἢ μέγα, ἢ θαυμαστὸν, δίχα γε ἑνὸς, τοῦ χωρὶς λύπης, καὶ φόβου, καὶ τῶν τοιούτων παθῶν. μίαν γοῦν ἡμέραν διαγαγεῖν τὸν Ἰάσονα φασὶ, δυνάμει τινὶ χρησάμενον λαβόντα παρὰ τῆς Μηδείας. ἔπειτα οἶμαι, μήτε παρὰ τοῦ δράκοντος, μηδὲν παθεῖν, μήτε ὑπὸ τῶν ταύρων τῶν τὸ πῦρ ἀναπνεόντων. Hunc locum Isaacus Casaubonus vir citra omnem controversiam eruditissimus, *Diatriba in Dionem* percurrens, Naogeorgii versionem haud probat, existimatque fraudi ei fuisse vitiosam istorum sub finem interpunctionem: proinde desinere periodum, non in παθῶν, sed ei appingit sequentia verba, μίαν γοῦν ἡμέραν διαγαγεῖν: deinde ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς sequi: non τὸν Ἰάσονα, verum addita particula comparationis, quam omnino putat necessariam, καθάπερ τὸν Ἰάσονα, &c. Sed minime mihi probatur, & ad interpunctionem quod attinet, μίαν γοῦν ἡμέραν, ex his quæ diximus, evidenter apparet ad Jasonis τὴν δύναμιν pertinere, & propterea male antecedentibus, ferrumine istorum verborum, *non dico ætatem longam, sed vel*, &c. agglutinari, quod vel ipse Casaubonus demonstrat, qui eadem verba repetere, & de suo adjicere necessarium reputavit. Rectius actum cum Dione credo, si transpositis verbis hoc modo lectio discriminetur, τῶν τοιούτων παθῶν διαγαγεῖν: deinde nulla adjecta particula, μίαν γοῦν ἡμέραν τὸν Ἰάσονα, &c. itaque hic totius loci sit sensus: *Si vero illud consideraveris, quod nullum sit omnino* (expungo illud *certum*, quod Naogeorgius addit, cum nec in Dione, nec ad ejus mentem) *vitæ tempus, sed omnes beati, quique nimis felices sunt habiti, defuncti sint, & tibi jam adsit ille vitæ terminus, etiamsi diutissime vivas, magnas putabis esse nugas, magnamque stoliditatem existimare quidquam ex universis quæ fiunt grave esse, aut magnum, aut admirabile, præter unum quod est sine mœstitia, & timore, & similibus perturbationibus vitam transegisse. Unum duntaxat diem Jasonem ajunt virtute quadam usum accepta a Medea; deinde, opinor, neque a dracone, neque a tauris ignem efflantibus, quidquam passus est.*

Demus igitur cum Chrysostomo, easdem vires tam Helenæ potionem, quam Medeæ unctionem habuisse: illud etiam asserere consequens erit, quod sicut eo unguine delibutus Jason, ignis atque ferri pericula evasit, ita hausto Nepenthe, quo die conjunctorum funera conspici oporteret, evitatæ, tunc temporis ob eam causam lacrymæ non amplius ex nostris oculis erupturæ. Quamvis in alia, si quæ postea acciderit orbitas, denuo medicamine opus sit. Utcumque tamen res se habeat, non potest ex hoc capite Nepenthes ad tempestivam orationem congruere, cum hæc, ut ex Boethio lib. II. *de Consol. Phil.* firmavimus, vix cum exaudiatur oblectat, & dolor, vel voluptatibus delusus, vel occupationibus abductus, ipsa quiete, ut ait Seneca in *Consol. ad Hel.* cap. XVI. impetum ad sæviendum colligit: itaque tantum abest ut ἐφημέριον φάρμακον sit, ut nec ὡραῖον, imo non magis remedium, quam impedimentum esse dicendum erit. Et fortasse in eandem Chrysostomi sententiam circa hoc pharmacum eundum sit, quam de illo Medeæ post verba quæ modo attulimus profert *Orat. cit.* Ταύτην οὖν δεῖ κτήσασθαι τὴν δύναμιν παρὰ τῆς Μηδείας, τουτέστι τῆς φρονήσεως, λαβόντα, καὶ τὸ λοιπὸν ἁπάντων καταφρονεῖν. *Hæc igitur virtus acquirenda est a Medea, hoc est, a prudentia, ut in posterum omnia contemnantur*. Verum ultimam, præcipuamque harum quas proposuimus, differentiam ne obliviscamur, & in applicatione consistit. Homero enim licet mœstis hospitibus medicatum vinum ab Helena propinetur, ejus tamen legitima & vera sorbitio malorum eventum præcedit: *qui illud deglutierit, inlacrymabilis fiet, quamvis charorum virorum funera conspiciet*: at delinimentum orationis ante infelicitatis casum nequit adhiberi: vulnera unguentis egent, nec qui caret ulceribus emplastrum quærit, cum sanis corporibus frustra Medicus advocetur.

Ψυχῆς νοσούσης (ita enim vulgo circumfertur, apud Æschyl. in *Prom. Vinct.* licet ὀργῆς etiam legatur) εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.

Animæ ægrotantis Medicus est oratio.

Quod carmen idem eruditissimus scriptor Casaubonus, ut verbum ἀλεξίλογα apud Athenæum *l.* I. *cap.* XXVI. in versibus Critiæ interpretaretur, magis ut aliquid diceret, quam quod boni aliquid, in medium protulit. Est Critiæ carmen,

Φοίνικες δ' εὗρον γράμματα ἀλεξίλογα,
Phœnices invenere literas alexilogos.

At quis est qui non videat quantum indecore, ne dicam in[illegible], [illegible] hoc [illegible]geretur epitheton, si re vera literas ἀλεξιλόγους diceres propter vim orationis in sanandis animi perturbationibus, vel quia per literas absentiæ malis medeatur? An si Deo placet hæ Phœnicum literæ velut illæ Ephesiorum notulæ, (Suidas in *Ephes.*) certam promittentes felicitatem, ut qui eas secum habuisset, ut Græci nugantur, quidquid optaret suo arbitrio assecutus fuisset? An characteres erant quos malachim cœlo descriptos nugivenduli geomantes efficaciores, quam physicarum commixtionum proprietates oblaterant? vel ad illud Athenodori revocabimus, qui missionem consecutus ab Augusto, ut aliquod Philosopho dignum monumentum relinqueret, ne quid iratus monuit faceret priusquam nomina literarum recensuisset? Et quoniam huc usque sermonem produximus, illud etiam addi potest, fuisse in ea superstitione nonnullos Veterum, ut septem Græcorum vocales literas putarent ad stomachi remedium prodesse, ut Ammianus *lib.* XXIX. ait, eas enim variatis sedibus in laminis collocabant, cujus thema ex Elia Vineto Stephan. Claverius *ad Claudianum* cap. XIX. repræsentat, & Joannes Kirchmannus aliter rem interpretatus in suo *de Funeribus Romanorum* lib. cap. XXIII. Verum enim vero in hujus vocis explicatione, nec Eustathius a Casaubono relatus mihi probari potest. Inquit enim in *Commentariis in Odysseam* XIV. quemadmodum ἀλεξάνεμος χιτὼν ab Homero *ibid.* & νειὸς ἀλεξικάκη, ab Hesiodo in *Erg.* sic ἀλεξίλογα a Critia dictum, & proinde γράμματα ἀλεξίλογα exponit [illegible] εἰς λόγον, hoc est, ut Isaacus vertit, *quibus utimur in sermone*, vel δι' ὧν ἀποσοβεῖται τὸ πλεῖον λέγειν, *quarum ope longiorum sermonum fit compendium*. Utrumque enim respuo, nam nemo characteres loquitur, & analphabeti adhuc verba distinguunt. Imo si ad scripturam referantur, etiam dubium facit illud τὸ πλεῖν λέγειν, quasi non elementa, sed notas & abbreviationes Phœnices invenissent. Nonne rectius doctissimus vir Constantinus Jophia, quem honoris & observantiæ causa nomino, γράμματα, inquit, ἀλεξίλογα, quæ remedium efficacissimum sermoni afferunt? Quando quidem verba, quæ ab ore emissa irremeabiliter fugiunt, literis velut retinaculis quibusdam continentur, & longum conservantur in ævum. Quod & Lucano *Pharis.* lib. III videtur placuisse, quamvis non nemo de Hieroglyphicis notis inscite meo judicio intelligat: (Ulyss. Aldrovand. *Ornith.* lib. I. de Aquila in Hierog. Joan Bellon. *de Nymph. antro*)

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi,
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Quæ forsan Eustathii fuit mens; ne nimis audacule eruditissimum Grammaticum obdormisse dicamus. Sed si ita est, male Isaacus illud βοηθοῦντα εἰς λόγον, *quibus utimur in sermone* expressit. Sed an licet mihi symbolum dare? certe hæc est calami auctoritas, dicam quod sentio, aliter retenta vero hac lectione (H. Junius λεξίλογα legit) venit in mentem exponere. Dixit enim Critias γράμματα ἀλεξίλογα, quia literis sermo evitatur, hoc est, quibus potest quis eum non morari; nam ut cum Nyssæ dicam Antistite lib. *de Hom. opific.* cap VIII. valent homines per literas loqui, ac prope modo quodam manibus inter se disserere, literarum notis voces ipsas comprehendentibus; quod familiare est admodum, & apud Chinenses in usu; cum una in urbe & in vicinia existentes literis epistolisque negotia expediunt, complentque officia. Vide Trigauf. *de Christ. exped. apud Sinas*. Sed ut exemplo aliquo expositionem, & cum Eustathio ipso confirmem, ἀλεξιάρη dicitur γῆ, id est, *frugifer & copiosus ager*, nam qui eum colit agricola, non cogitur ad iram & deprecationem prorumpere; sic qui literas norunt, non necesse habent essari. Nihil ergo ad Critiam propositum carmen, sed ad rem nostram satis. Nam ut Medicus ante morbum non adsciscitur, sic oratio jam ægrotanti animo medicinam facit: cui dicto & aliqua alia postremo adjiciemus.

Nunc locus est videre an aliud orationis genus in hac Helenæ narratione Homerus expresserit, & videtur sustinendum. Nam cum Telemachus de morte patris sui angeretur, Ulyssem enim obiisse extimescebat, igitur ejus præclara facinora & gloriam, quam ex gestis sibi compararat, filio ipso narrando, quid quæso aliud, & Chrysippea quadam methodo concludere videbatur evidentius, quam eum satis superque vixisse; ut inde tacite innueret, si re vera fatis concessisset, non esse lugendum: nec ita sese oportere facere recte Telemachum judicare? prudenti sane consilio, ut cum de obitus certitudine non constaret, ambiguum & subobscurum consolationis argumentum proponeretur. Hujus autem nostræ vitæ exitus, quamquam immaturus, gloria nominis, laudisque celebritate pensatur, & quod mors eripit, fama ipsa restituit. Sapientissime noster Ennius, quem citat Marcus Tullius *Tusc.* lib. I. admonebat,

Nemo me lacrumeis decoret, neque funera fletom
Farsit (ita enim Jos Scaliger emendat *de vers. a Gaza versis*) *quon volito vivo per ora virom.*

Hinc etiam illud scurrilis Poetæ Mart. serium carmen, *lib.* X. *epigr.* LI.

Dum numerat palmas, credidit esse senem.

Et Ovidius *ad Liviam* de Drusa scribens recte habet:

Quid numeras annos? vixi maturior annis,
Acta senem faciunt: hæc numeranda tibi.

Ita obiisse Alexandrum ajunt, qui cum ad XXXIII. annos ætatem produxerit, multitudine tamen ac magnitudine rerum gestarum inclaruit.

Si igitur vim facit hæc conjectura, alterius cessant opinionis difficultates: nam si aliquo aut syllogismo, aut enthymemate bonus orator non esse lugendum extorserit, opus est credere, ut qui hujusmodi oratione fuerit persuasus, efficaci & firma conclusione a lacrymis temperandum animo suo proponat, nec horum sermonum usus præsumptionem recusat, imo hæc illi congruentior applicatio, quod Plutarchus Xenophontis exemplo elegantissime testatur lib. *de Tranquill. Animi*. Quemadmodum ait, in felicitate positi deorum præcipue memores esse debemus, eosque venerari, ut cum in necessitate fuerimus, confidenter invocemus jam benevolos, & amicos: Οὕτω καὶ τῶν λόγων ὅσοι πρὸς τὰ πάθη βοηθοῦσι δεῖ πρὸ τῶν παθῶν ἐπιμελεῖσθαι τοὺς νοῦν ἔχοντας, ἵν' ἐκ πολλοῦ παρεσκευασμένοι μᾶλλον ὠφελῶσιν. *Ita & cordatis viris eorum sermonum cura est habenda, quibus in afflictione juvantur, & priusquam ipsa obveniat,*

ut jam diu meditati magis proficiant. Sic etiam velut fatuos aurea Prusiensis auctoris (Dion. Chrysol. *Orat.* XXXII.) lingua eos esse ait, qui post domesticorum funus, *ἀξιῦσι ἀφικνεῖσθαι τ̃ φιλόσοφον ϛ παρηγορεῖν*, *rogant ut veniat Philosophus, & hortetur cum alio quidem tempore nulli illis curæ sit*. Recte igitur apud Euripidem sibi Theseus consulebat; (vid. Galen. *de Decret.* lib. IV. cap. VII.)

Ἐγὼ δὲ παρὰ σοφῦ τινὸς μαθὼν,
Εἰς φροντίδας νῦν συμφοράς τ' ἐβαλλόμην,
Φυγάς δ' ἐμαυτὸν προστιθεὶς πάτρης ἐμῆς
Θανάτυς τ' ἀώρυς, καὶ κακὰς ἄλλας ὁδὺς,
Ὡς εἴτι πάσχοιμι, ὧν ἐδόξαζον ποτὲ,
Νή μοι νεορπαῖς προσπεσὸν ψυχὴν δάκοι.

Quæ carmina ita in Latinum convertit Cicero lib. III. *Tusc. Quæst.*

Nam qui hæc audita a docto meminissem viro,
Futuras mecum commentabar miserias,
Aut mortem acerbam, aut exilii mœstam fugam,
Aut semper aliquam molem meditabar mali,
Ut si qua invecta diritas casu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens.

At neque hanc exponendi rationem probare possum, & facile nisi me animi fallit, quispiam id ita esse mecum existimabit, si libuerit rem ipsam introspicere. Nam, ut cætera omittam, verissima sunt verba Plinii in *Epist. ut crudam vulnus medentium manus reformidat; sic recens animi dolor consolationes rejicit ac refugit*. Proinde recte vetarit Chrysippus teste Cicerone *Tusc* lib. III. ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere: & ut supra docuimus vana esse ad solatium matris in recenti orbitate filii medicata venena, sic hujusmodi consolationes nihil prodesse, & prorsus inanes Ovidius demonstravit;

Quis matrem nisi mentis inops in funere nati
Flere vetat? non hoc illa monenda loco est.

Et cum tempus aliquid de doloris intensione remiserit, deferbueritque vehemens illa animi agitatio, ut maturitatem quandam ægritudo videatur habere: tunc ex Medicorum præcepto *τὰ πέπονα φαρμακεύειν*, Hippocr. *Aphr.* XXII. *lib.* I. atque hujusmodi consolationis officium ab viro amico & eloquenti præstari oportere fatentur omnes, (Seneca *de cons. ad Helv.* cap. I.) & idem Plutarchus *ad Apollonium* testatur.

Cumque ita sit, machinas, ut dici solet, post bellum afferre videtur hoc adjumentum, ficulneum sane, si cum Nepenthe diligentius conferatur: quando, & post infelices casus quidquid opis præstare festinatum consilium potest, serum admodum sit. Hostem enim qui semel admisit mœnibus, etiam cum excluserit nocens est. Nec illa prodest anticipatio, quam cum Plutarcho docuimus, cum non ad sermonem & ad oratoris prudentiam, sed ad præcepta & meditationem philosophiæ pertineat.

Itaque potius hinc colligi datur Nepenthes nostrum a philosophiæ documentis pendere, quam a Suadæ linguæ consolantis & opportune disserentis elegantia: *ὐκ ἐπαύει γὰρ ὁ νῦς*, inquit Plato in *Axiocho*, sive quis alius sit auctor, *ἀποπλανώμενος εἰς εὐεπείας λόγων, ὐδὲ ἅπτεται ταῦτα τ̃ ὁμοχροίας· ἀλλ' εἰς τ̃ πομπὴν, καὶ ῥημάτων ἀγλαισμὸν ἀνύττει. τ̃ δὲ ἀληθείας ἀποδεῖ, τὰ δὲ παθήματα σοφισμάτων ὐκ ἀνέχεται· μόνοις δὲ ἀρκεῖται τοῖς δυναμένοις καθικέσθαι τ̃ ψυχῆς*. *Animus enim cum ad elegantias verborum traducitur, non acquiescit, neque hæc vel extremam cutem attingunt; ad pompam quidem & splendorem verborum faciunt sane aliquid, sed remota sunt a veritate: nec affectiones animorum ferunt argutias; sed ea sola quæ ad mentem penetrare queant admittunt*. At quamvis omni dicendi arte Philosophorum sententiæ ornari possunt, & præcipue quæ ad sublevandos mœrentium animos adjuvant, ut Antiphontem fecisse legimus, qui *ἀλυπίας*, hoc est, *indolentiæ*, artem est professus, habuitque in clarissimis urbibus, ut Philostratus in *Antiph.* nominat, *νηπενθεῖς ἀκροάσεις*, disputationes, veluti quædam amuleta luctus, quibus homines mœrore afflictos oratione solabatur: id quoniam incredibili suavitate efficiebat, Nestor est appellatus. Idem Cicero omni Nestore suavior egit in consolatione ad se ipsum, quam summo studio & lucubratione explicasse in *Tuscul. Quæst.* l. IV. & lib. II. *Divin.* meminit: non est proinde quod invicem distingui haud debeant & diversimode judicari. Proprie igitur hæc anticipatio non ad oratoriam, (nulla enim est in felicitate consolatio) sed ad philosophiam spectat, ex cujus præceptis omnia ad animorum salutem comparantur.

Sed cum duplex sit orationis genus *ἔμμετρον καὶ ἄμετρον*, *musicum & pedestre*; cum quid unum ad luctum exigendum vim habeat sufficienter sit disputatum, jucunda sane erit accessio, si quid alterum possit breviter disquiramus: ad Nepenthes namque haustum pertinere, meritoque cum eloquentia consociati summus auctor Boethus lib. I. *de Consol. Phil.* indicavit. *Sed tempus est*, inquiens, *haurire te aliquid ac degustare molle atque jucundum, quod ad interiora transmissum validioribus haustibus viam fecerit. Adsit igitur Rhetoricæ suadela dulcedinis, quæ tunc tantum recto calle procedit cum nostra instituta non deserit: cumque hac Musica laris nostri vernula, nunc leviores, nunc graviores modos succinat*. Sed quid indicasse Boethum ajo? si id longe clarius apud Valerium Flaccum, & antiquissimus & doctissimus Theologus Clemens Alexandrinus aliud hoc pharmacum non fuisse expresse videtur sentire. Est Valerii Poetæ locus *Argon.* lib. IV.

Thracius at summa socios e puppe Sacerdos
Fata deum, & miseræ solans incommoda vitæ,
Securum Minyis agit, & medicabile carmen,
Quo simul assumpta pulsus fide luctus & iræ
Et labor & dulces cedunt e pectore nati.

Ad quem locum Joh. Baptista Pius Bononiensis, *Tale fuit Nepenthes Helenæ*. Sed & Clementem audiamus: inquit enim in *Protrept.* *Ἄδει δέ γε ὁ Εὔνομος ὁ ἐμὸς ὐ τ̃ Τερπάνδρυ νόμον, ὐδὲ τ̃ Καπίτωνος, ὐδὲ μὴν Φρύγιον, ἢ Λύδιον, ἢ Δώριον, ἀλλὰ τ̃ καινῆς ἁρμονίας τ̃ ἀΐδιον νόμον τ̃ φερώνυμον τῦ Θεῦ τὸ ᾆσμα τὸ καινὸν τὸ λευιτικόν·*

Νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθες ἁπάντων.

γλυκύ τι καὶ ἀληθινὸν φάρμακον πειθῦς ἐγκέκραται τῷ ᾄσματι. *Canit autem meus quidem certe Eunomus non Terpandri modum, neq; modum Capitonis, sed neque Phrygium, vel Lydium, vel Dorium, sed novæ harmoniæ æternum modum, quia a Deo accipit denominationem canticum novum leviticum;*

Luctu itaque carens, graviumque oblivia ducens
Cunctorum.

Jucundum quoddam & verum persuasionis medicamentum est cantico temperatum. In his Theologi verbis offert sese obiter considerandum quod de Capitone legitur. Lectio enim mihi suspectissima semper visa. Quod etiam Gentiano Herveto suboluisse cognovi, cum ad hunc locum ita scribat: *Terpandrum Lesbium constat fuisse suavissimum Musicum. Capitonem autem ne relatum quidem fuisse in Musicorum numerum usquam legi*. Puto tamen ex Plutarcho, *de Musica*, emendandum, & pro *Capitone Cepionem* reponendum. Cepio enim insignis Musicus, & Terpandri discipulus: quo auctore nomos sive modus *κηπίων* denominatus. Nec de alio Clementem intellexisse Plutarchus manifeste convincit.

Quod autem ad Musicam & Nepenthes pertinet

in harum artium collatione præpotentem ipſam Muſicam non dubitandum. *Quid enim illa præſtantius*, non ineleganter magnus inquit Caſſiodorus *Var.* lib. XI. *quæ cæli machinam ſonora dulcedine modulatur, & naturæ convenientiam ubique diſperſam virtutis ſuæ gratia comprehendit?* Et ne omnia exſcribam, pauca hic ſubnectam, quæ idem Auctor *ibid.* ad vim Muſices explicandam addit; *Hæc cum de ſecreto naturæ, tanquam ſenſuum Regina, tropis ſuis ornata proceſſerit, reliquæ cogitationes exiliunt: omniaque facit eici, ut ipſam ſolummodo delectet audiri: triſtitiam noxiam jucundat: tumidos furores attenuat: cruentam ſævitiam efficit blandam: excitat ignaviam, ſoporantemque languorem: vigilantibus reddit ſaluberrimam quietem: vitiatam turpi amore ad honeſtum ſtudium revocat caſtitatem: ſanat mentis tædium, bonis cogitationibus ſemper adverſum: pernicioſa odia convertit ad auxiliatricem gratiam: & quod beatum genus curationis eſt, per dulciſſimas voluptates expellit animi paſſiones. Incorpoream animam corporaliter mulcet, & ſolo auditu ad quod vult deducit: quam tenere non prævalet verbo, tacito manibus clamat, ſine ore loquitur, & per inſenſibilium obſequium prævalet ſenſuum exercere dominatum.* Hæc ex Caſſiodoro, plura alia atque ſimilia ex Athenæo, Plutarcho, Boetho, Martiano Capella, aliiſque vetuſtis auctoribus huc transferri poſſent: ſed nobis ea ſeligenda tantum quæ propius rem noſtram reſpiciunt. Tale eſt Heſiodi antiquiſſimi Poetæ carmen in *Theog.*

— ὅδ' ὄλβιος ὅντινα Μοῦσαι
Φιλεῦνται. γλυκερή οἱ ἀπὸ στόματος ῥέει αὐδή.
Εἰ γάρ τις πένθος ἔχων νεοκηδέϊ θυμῷ
Αζηται, κραδίην ἀκαχήμενος, αὐτὰρ ἀοιδὸς
Μουσάων θεράπων κλεῖα προτέρων ἀνθρώπων
Υμνήσῃ, μάκαράς τε θεοὺς, οἳ Ολυμπον ἔχουσιν,
Αἶψ' ὅγε δυσφροσυνέων ἐπιλήθεται, οὐδέ τι κηδέων
Μέμνηται. ταχέως δὲ παρέτραπε δῶρα θεάων.

Latine autem, & ad verbum:

— *beatus quemcumque Muſæ*
Amant: ſuavis ei ab ore fluit vox.
Quod ſi enim quis luctum habens recenti dolore ſaucio animo
Triſtetur, animo dolens, cæterum Poeta
Muſarum famulus res claras priſcorum hominum
Laudibus celebraverit, beatoſque deos, qui Olympum incolunt;
Statim hic ſollicitudinum obliviſcitur, nec quidquam dolorum
Meminit: cito enim deflexerunt eum alio dona dearum.

Heſiodi ſententiam paucis venuſte tamen expreſſit Horatius *Carm.* lib. I. ode XXVI.

Muſis amicus triſtitiam & metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis.

Pindarus jactanter, ſed eleganter de ſuis hymnis, *Nem.* ode VIII.

— ἐπαοι-
δαῖς δ' ἀνὴρ νώδυνον καί τις κάματον
Θῆκεν.
Per carmina autem laborem efficit aliquis eſſe expertem doloris.

Hoc eſt, ut Scholiaſtes *ibid.* exponit, hymno tamquam per incantationem levabo moleſtiam laborantium: & velut ab experimento teſtatur Marinus in *Vita Procli*, cum de Proclo inquit eum in graviſſimis cruciatibus omnem remiſſionem atque ſedationem doloris λεγομένων τῶν ὕμνων fuiſſe conſecutum. Vis enim carminis, inquit Gorgias, *Or. in Helen.* cum animi opinione conjuncta faſcino eum demulcet, quoque vult transfert. Sed majora apud Maximum Tyrium de Muſica leguntur *Diſſ.* XXI. & ad rem noſtram appoſite magis: Δεινὴ μὲν γὰρ ἐπελαφρῦναι οἶκτον, δεινὴ δὲ ἀμβλῦναι ὀργὴν, δεινὴ δὲ ἐπισχεῖν θυμὸν, ἀγαθῶν ἐπιθυμίαν σωφρονίσαι, καὶ λύπην ἰάσασθαι, καὶ ἔρωτα παραμυθήσασθαι, καὶ συμφορὰν κουφίσαι. *Hæc eſt quæ facillime luctum levat, facillime iram cobibet, optime cupiditates temperat, dolores mitigat, amores ſolatur, adverſam fortunam ſublevat.* Cenſorinus *de Die nat.* de novenario loquens Muſis ait attributum, quia morbos animi, *quos appellant pathe, Muſica lenire ac ſanare conſueverit.* Hujus autem minime expertem fuiſſe Helenam, ut non alio quam hujuſmodi pharmaco medicinam feciſſe conſonum videatur, Theocritus Bucolicorum Poetarum princeps celebri firmat encomio *Idyll.* XVIII.

Οὐ μὰν οὐ κιθάραν τις ἐπίσταται ὧδε κροτῆσαι,
Αρτεμιν ἀείδοισα, καὶ εὐρύστερνον Αθάναν,
Ως Ελένα.
Nulla etiam novit citharam ſic pulſare,
Dianam cantu celebrans, & amplo pectore Minervam,
Sicut Helena.

Nec diſſentire ipſe videtur Homerus, cum ἄχλον φάρμακον Nepenthes dicat. Muſicam autem iram delinire, καὶ τοὺς θυμοειδεῖς καταπραΰνειν Athenæus docet, & idem Poeta demonſtravit cum Achillem fingat, ut Plutarchi utar verbis *de Muſica*, τὴν ὀργὴν πέπτοντα τὴν πρὸς τὸν Αγαμέμνονα, διὰ μουσικῆς, ἧς ἔμαθε παρὰ τοῦ σοφωτάτου Χείρωνος: *iram, quam adverſus Agamemnonem conceperat, Muſica, quam ex ſapientiſſimo Chirone hauſerat, concoquere:*

Τὸν δ' εὗρον (inquit Homerus *Iliad.* IX.) φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ,
Καλῇ, δαιδαλέῃ· περὶ δ' ἀργύρεος ζυγὸς ἦεν,
Τὴν ἄρετ' ἐξ ἐνάρων πόλιν Ηετίωνος ὀλέσσας.
Τῇ ὅγε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.
Illum pulſantem citharam invenere ſonoram,
Quæ formoſa fuit multum fabricata per aurum,
Quam tulit ex ſpoliis capta Eetionis ab urbe.
Hac animum oblectans heroum facta canebat
Fortia, &c.

Ad hunc Homeri locum multa cum Plutarcho Dion Chryſoſtomus *Orat.* II. *de Regno*, Ælianus *Var. Hiſt.* Sextus Empiricus *Adverſ. Math.* c. XXII. Valerius Maximus *lib.* VIII. *cap.* VIII. aliique Veterum. Nos ſolum Athenæi verba penſiculabimus, & quia magis ad rem, eiſque interpretandis doctiſſimus alioquin & diligentiſſimus Interpres fœdiſſime labitur. Eſt Athenæi locus *Deipnoſ.* lib. XIV. Καὶ ὁ Ομηρικὸς δὲ Αχιλλεὺς τῇ κιθάρᾳ κατεπραΰνετο, ἣν αὐτῷ ἐκ τῶν Ηετίωνος λαφύρων μόνην Ομηρος χαρίζεται, καταστέλλειν τὸ πυρῶδες αὐτοῦ δυναμένην, μόνος γοῦν ἐν Ιλιάδι ταύτῃ χρῆται τῇ μουσικῇ. Dalecha. vertit: *Homericus Achilles mulcebatur cithara, illam ex Eetionis ſpoliis Homerus ſolam tribuit, quæ igneam ejus vehementiam cobiberet. Solus igitur apud Homerum in Iliade Achilles Muſica illa utitur.* In hac verſione aliqua demit, nonnulla additque Interpres: in utriſque vitium. Et ut alterum omittam, quid magis præter rationem, quam annotare quod Achilles in *Iliade* ſolum utatur Muſica, ſi de Achille velut ſtrenuo ad Trojam bellatore, & cum ipſo urbis excidio interempto, haud aliqua apud Homerum, præterquam in eo Poemate fiat mentio? pauca enim illa verba, quæ ad Ulyſſem apud Cimmerios, cum de Neoptolemo filio ſciſcitaretur, habuit, & quæ cum Agamemnonis defuncti umbra de ipſius funere loquitur, *mortualia ſunt gloſſaria*, ut illud Catonis uſurpem, & ad Achillem tamquam ad mortuum pertinere. Aliter igitur Athenæi mens, aliter etiam verbum. Quorum ſenſus, μόνως γοῦν ἐν Ιλιάδι ταύτῃ χρῆται, hoc eſt, *ſolum in Iliade eam uſurpat* Homerus, videlicet quod in *Odyſſea* nihil Muſicum Heroi attribuit, quem ornandum in eo opere ſuſcepit: imo nec geſtum dictumve aliquod, quod ſummopere & ex propoſito ad Mu-

ſices commendationem reſpiciat, niſi amet quis ſub hac conſideratione extollere, quod Alcinoo Demodicum a cantus celebritate laudavit *Odyſſ.* lib. I. quem etiam oblatis e menſa munuſculis honoravit; vel quod in Procorum occiſione ferus immitiſque cum verſaretur, Phemio Cantori vitam condonavit, *Odyſſ.* lib. XXII. Sed utrumque aliis diverſiſque rationibus actum. Cum enim apud Phæaces eſſet, audiviſſetque ex Alcinoo, *Odyſſ.* lib. VIII.

Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη, κίθαρίς τε, χοροί τε,

tempori inſervire opus ſuum exiſtimabat; quemadmodum Megaclides ait, quem laudat Athenæus *Deipnoſ.* lib. XII. ὑπὲρ τοῦ δοκεῖν ὁμοηθὴς τοῖς Φαίαξιν εἶναι, *ut videretur eiſdem eſſe moribus ac Phæacas*. Pepercit vero Phemio, non quia canendi artem, velut rem præclariſſimam, ſciret; nec quia in conviviis Procorum canendo, eorum petulantiam & inſolentiam, (qua ratione inquit Athenæus *lib.* XIV. velut lege quadam Muſica in compotationibus adhibetur) & tanquam alter Clytæmneſtræ Agamemnonis uxoris ἀοιδός, ne quid parum honeſtum in Penelopem auderent cantus concinnitate & modulatione cohiberet: (vide Homer. *Odyſſ.* III. Strab. lib. I. *Geograph.*) ſed quia Telemachus dilectus filius pro eo intercederet, & quæ potior, quod ἀνάγκῃ, id eſt, vi & neceſſitate, coactum ſe inter Procorum turbam detentum deprecaretur, quod ab ipſo Poematis *Odyſſ.* I. initio Homerus ex induſtria præmonuerat. Cum vero Ulyſſis imperio nuptiale & ſaltatorium canit, ne quid forinſecus de Procorum nece innoteſceret, ex confiſto præcepiſſe idem Poeta *Odyſſ.* XXVI. demonſtrat. Verum enim vero quodnam arcanum repoſitumque myſterium, in *Iliade* ſolum Muſicam recipere, ſecus autem in *Odyſſea*? magnum profecto, & Homero, hoc eſt, omnium Poetarum Philoſophorumque principe, dignum. Nimirum ut Politianus *Præf. in Hom.* ſeu Plutarchus *de Aud. Poet.* advertit; quia in *Iliade* virtutem corporis, in *Odyſſea* fortitudinem nobis animi repræſentat: vel ut dicas rectius, quia in *Iliade* iram canit pernicioſam, hoc eſt, de iis, quæ in ea animæ parte inſidunt, quæ ratione vacat, & cum proxime ad ſenſum accedat, modulamine cantionum demulceri, vel temperari, ac etiam impelli queunt. Et hic præſtat Poſſidonii vetuſtiſſimi Philoſophi, quæ apud Galenum extant *de Decr.* lib. V. cap. V. verba ſubnectere, quo loci de Damonis tibicinis muſica agens, qui cum Phrygium modum mutaſſet in Dorium temulentis juvenibus furoris impetum coercuit: hunc in modum cauſam reddens in Chryſippeos invehitur: Οὐ γὰρ δήπου τὰς δόξας τοῦ λογιστικοῦ μεταδιδάσκονται πρὸς τῶν αὐλημάτων, ἀλλὰ τὸ παθητικὸν τῆς ψυχῆς ἄλογον ὑπάρχον ἐπεγείρονταί τε καὶ πραΰνονται διὰ κινήσεων ἀλόγων. ἥτε ὠφέλεια καὶ ἡ βλάβη τῷ λογικῷ δι' ἐπιστήμης τε καὶ ἀμαθίας. *Non enim rationalis facultatis opiniones dedocere ac mutare cantilenis valemus, ſed affectibus obnoxia animæ pars cum ſit irrationalis, ipſa ſane motibus quibuſdam irrationalibus & excitari & ſedari poteſt: ita enim natura comparatum eſt, ut irrationale ab irrationalibus, rationale a ſcientia, & inſcitia, & utilitatem, & detrimentum adipiſcatur.* *Odyſſeæ* vero Poema haud otioſorum hominum vitam, ut inquit Athenæus *Deipnoſ.* lib. I. ſed ea continet, quæ rationem reſpiciunt, *quid virtus, quid ſapientia poſſit*, ut Horat. *epiſt.* 12. *lib.* I. Ratio enim, ut Plato docet, cum ſcientia, tum potiſſimum prudentia perficiatur, ſcientia per doctrinam philoſophiæ, prudentia doctrina ſimul & longo uſu rerum adveniat, hinc *Odyſſ.* initio habetur, quod πολύτροπος Ulyſſes

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Multorum hominum vidit urbes, & mentem novit.

Non hoc autem Muſicæ datum, ut ſapientia prudentiaque animum ornet, ut non immerito ab Homero ad aliud Poema rejiciatur. Ex his ni fallor lucem aliquam accipiunt, quæ de Epico cyclo Proclus apud Phot. in *Chreſtomathia* edocuit, cum terminari inquiat μέχρι τῆς εἰς Ἰθάκην ἀποβάσεως Ὀδυσσέως, *ad reditum uſque Ulyſſis in Ithaca*. Et jam quod attinet ad Homeri Poemata & ad virtutem, ex his meis lucubrationibus habes, in *Batrachomyomachia* pueros educatione juvari, *Ilias* corripit juventutis affectus, & in *Odyſſea* ipſa hominis ratio perficitur: quæ ideo dicta volui, ut acutiora ingenia in hac re excitarem, cum ſummæ utilitatis eſſet hoc Epicum cyclum exactius comprehendere. Vide Joſeph. Scal. *in Catull.* Sed ne alio referamus orationem: quod de Muſica diximus, ab aurea illa Dionis Chryſoſt. lingua edoceri oportet, *Orat.* I. *de Regno*, ut propoſita magis aſſequamur. Timotheus ergo tibicen alter, Alexandro regi cum primum artis ſuæ ſpecimen exhiberet, & ex cantu Muſices, atque modulatione tibiæ adeo ejus animum incitaſſe fertur, ut confeſtim exiluerit ad arma. Hic ergo Timotheus, addit Chryſoſtomus, ſi quemadmodum bellicum noverat nomum percurrere quendam, ſic etiam noviſſet juſtam cantionem animum prudentem atque temperatum humanumque reddere valentem, neque ſolum ad arma ruentem, ſed etiam ad pacem atque concordiam, deorumque honores, ac hominum curas: omnino dignus erat qui verſatus eſſet apud Alexandrum, eique occinuiſſet, non ſolum ſacrificanti, ſed etiam alias quando ſe luctibus præter dignitatem ac decorum mancipaſſet, aut puniviſſet acerbius quam leges aut æquitas ferret, aut ſuis indignatus eſſet amicis atque ſodalibus, aut mortales veroſque parentes deſpexiſſet. Ἀλλὰ γὰρ οὐ πᾶσαν, inquit, ἴασιν, οὐδὲ ὠφέλειαν ὁλόκληρον ἠθῶν, ἱκανὴ παρασχεῖν, ἡ μουσικῆς ἐπιστήμη τε καὶ ἕξις, οὐ γὰρ οὖν ὥς φησιν ὁ ποιητής.

Οὐδ' Ἀσκληπιάδαις τοῦτό γε ἔδωκε θεός.

At enim non omnem medelam, neque ſolidam moribus utilitatem adferre poteſt Muſices ſcientia atque habitus;

Haud Medicis nomen munera tanta dedit.

Ut ait Poeta Theognis in *Sent.* Luctui vero malum, quod altius animum penetrat, quia nimirum ex non recta opinione depravataque ratione vires aſſumit: Muſica ipſa prorſus intempeſtiva, quod ajunt, narratio, & pharmacum proinde minime opportunum. Nec apud Veteres unquam repertus eſt, qui hac arte inſtructus hujuſmodi medicinam facere ſit aſſecutus: teſtis Euripides in *Med.* apud quem Medeæ nutrix:

Στυγίους δὲ βροτῶν οὐδεὶς λύπας
Εὕρετο μούσῃ καὶ πολυχόρδοις
Ὠδαῖς παύειν, ἐξ ὧν θάνατοι
Δειναί τε τύχαι σφάλλουσι δόμους.
Καίτοι τάδε μὲν κέρδος ἀκεῖσθαι
Μολπαῖσι βροτούς.
Sed nemo hominum horribiles mœrores
Invenit quomodo Muſica & vario nervorum
Cantu ſedare poſſimus, ex quibus cædes
Et graves caſus evertunt domos,
Atque his maxima utilitas eſſet mederi
Hominibus cantu.

Plutarchus notans hunc locum in *Præcep. Conjug.* recte Euripidem ait damnare quod Muſica inter pocula adhibeatur, cum ſane oporteret ἐπὶ τὰς ὀργὰς καὶ τὰ πένθη μᾶλλον τὴν μουσικὴν παρακαλεῖν, *iris & luctibus potius leniendis Muſicam advocare*. Sed non eo vires ſuas extendit, ut ἀπενθὲς καὶ ἄχολον dicatur medicamentum. Conſtat namque ex Ho-

mero *Odyss.* I. nec Ulyssem, nec Penelopen, aliquam ex ea consolationem hausisse. Cum enim Phemius reditum Achivorum ex Troja canere esset exorsus, exaudivissetque eum Penelope, confestim aversata cantione gravi luctu corripitur. Ulysses vero *Odyss.* III. in Alcinoi convivio cum præclara ejus facinora Demodocus ad lyram memoraret, obtecto capite in lacrymas erumpit: & cum rursus eundem Musicum rogasset, ut de Durateo equo accineret, cujus causa & carnibus ex mensa donaverat, quod supra omisimus adducere, iterum, vel ut ansam præberet de seipso sciscitandi, vel qua alia ratione, ad lacrymas convertitur. Hom. *ibid.*

Ὡς γυνὴ κλαίῃσι φίλον πόσιν.

Ut fœmina flet dilectum virum plorans & ingemiscens.

Nullo igitur pacto Nepenthes nostrum ad Musicam pertinebit: cum nec ex Ægyptiorum more commendabilis, quandoquidem τὴν μουσικὴν νομίζουσιν οὐ μόνον ἄχρηστον ὑπάρχειν, ἀλλὰ καὶ βλαβεράν, *Musicam non solum inutilem, sed nocuam ducant Ægyptii*, ut Diodorus *lib.* II. scriptum reliquit. At Nepenthes omnem laudem secum ab Ægypto advexit: itaque nec in ea parte, quæ ad iram sedandam attinet, aliquid commune retinebit. Quoniam, ut ex eodem Homero edocemur, subita Achillis ira non quid leve est, ut faciliter ei obsisti possit: animus enim prius occupatur ab iracundia, quam ratio sese componere possit ad resistendum: itaque ut eam Poeta cohiberet, ad divinam virgulam coactus confugere, e cœlo Minervam advocavit: inquit enim in *Iliade* ά.

Ἦλθον ἐγὼ παύσουσα τεὸν μένος, αἴκε πίθηαι.

Veni ego sedatura tuam iram, nec id assequi confisa, *si modo persuadearis*, addit: vide Heracl. Pont. in *Alleg.* & cum ad Palladem, hoc est, ad ipsam sapientiam, hoc rejecerit Homerus, merito ad hanc æquanimitatem hominibus inducendam, nec Musicam, nec minus multo Eloquentiam valere dicendum est. Itaque rursus cum Dione *Orat. de Regno*, verbis immediate post ea, quæ supra adducta sunt, affirmabimus: Μόνος δὲ ὁ τῶν φρονίμων τε καὶ σοφῶν λόγος, οἷοι γεγόνασιν οἱ πολλοὶ τῶν προγόνων, αὐτάρκης καὶ τέλειος ἡγεμὼν, καὶ βοηθὸς εὐπειθοῦς καὶ ἀγαθῆς φύσεως, πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν παραμυθούμενός τε καὶ ἄγων ἐπιμελῶς. *Sola autem prudentium sapientiumque oratio, quales multæ habitæ sunt a majoribus, sufficiens atque perfecta dux est, adjutrixque tractabilis* (haud enim simpliciter pharmacum) *& bonæ naturæ, ad omnem dans consilia virtutem ducensque diligenter.* Ex quibus verbis non solum ad Nepenthes definiendum, ut suo loco tentabimus, nobis semita aperitur, sed Hesiodi aliorumque de Musica opinionem ad nobilem verumque sensum reducemus.

Itaque ex Plutarcho *de Musica* duplicem Musicam observandum, θεατρικὴν, καὶ παιδευτικήν. Sero apud Græcos theatricam Musicam receptam, totam autem canendi scientiam olim Veteres ad deorum cultum, & juvenum institutionem promovisse: nec aliter probandus usus: Εἰ οὖν τις (inquit Plutarc. *ibid.*) βούλεται μουσικῇ καλῶς καὶ κεκριμένως χρῆσθαι, τὸν ἀρχαῖον ἀπομιμείσθω τρόπον, ἀλλὰ μὴν καὶ τοῖς ἄλλοις αὐτὴν μαθήμασιν ἀναπληρούτω, καὶ φιλοσοφίαν ἐπιστησάτω παιδαγωγόν· αὕτη γὰρ ἱκανὴ κρῖναι τὸ μουσικῇ πρέπον μέτρον καὶ τὸ χρήσιμον. *Si quis autem recte & prudenter Musica uti voluerit, meminerit antiquum modum, & quidem aliis eruditionibus perficiat, & philosophiam ei statuat magistram: ipsa enim sufficiens Musicæ decus modum & utilitatem impertire.* Non immerito apud Boethum *de Cons. Phil.* lib. I. Musicam laris sui vernulam Philosophia commendat, theatricam & profanam avertit: *Quis*, inquit, *has scenicas meretriculas ad hunc ægrum permisit accedere, quæ dolores ejus non modo nullis foverent remediis, verum dulcibus insuper alerent venenis. Hæ sunt quæ infructuosis affectuum spinis uberem fructibus rationis segetem necant, hominumque mentes assuefaciunt morbo, non liberant.* Et paulo post: *Sed abite potius Sirenes usque in exitium dulces, meisque eum Musis curandum sanandumque relinquite.*

Huc spectat quod in Veterum fabulis effertur, Musas in certamen cantus a Sirenibus provocatas: quibus victis Musæ alas, quas prius habebant, avulserunt: hanc enim Musices differentiam explicat, ad quam & Homerus *Odyss.* XII. & Apollonius Rhod. *Argon.* annuere; hic cum Sirenum cantus periculum subiisse canat Argonautas & Orpheum pulsando citharam, ne exaudirentur impedivisse; ille cum prudentissimum Ulyssem fingat navis malo constrictis nexibus illigatum, perniciem dulcisonæ vocis evasisse. Ut recte & hanc sententiam Pythagoram admonuisse appareat, ὡς χρὴ τῶν Σειρήνων προτιθέναι τὰς Μούσας, ut apud Clementem & Theodoritum habetur lib. VIII. *de cur. Græc. aff. quod Musas Sirenibus anteferre oporteat.*

Hinc Craton apud Lucianum *Dial. de Saltat.* saltationes & cantilenas, quæ in theatris aures oculosque spectantium detinebant, his Sirenibus, atque Lotophagorum cibo æquiparat; & quamvis ex utrisque apud Homerum *Iliad.* oblivio inducatur, nihil tamen cum nostro pharmaco. Etenim τοῖς μὲν τοῦ λωτοῦ γευσαμένοις, καὶ τῶν Σειρήνων ἀκούσασιν, ὄλεθρος ἦν τῆς ἐδωδῆς καὶ τῆς ἀκροάσεως τἀπιτίμιον, *iis qui lotum degustaverant, ac Sirenas cantillantes audierant, exitio fuit manducationis & auditionis prolubium.* Oblivionem siquidem rerum domesticarum, & negotiorum præsentium ignitionem inducebant; sicut in *Iliade*, sub Latonæ fabula aliam nocuæ oblivionis speciem, ut auctor est Heraclides Pont. in *Alleg. Hom.* indicaverat. At Nepenthes malis atque doloribus oblivium facit, ut tantum hoc commendatione dignum, quantum ea vituperationi obnoxia: nec ex his minus verum esse apparet, quod supra cum Athenæo annotavimus, Musicam in *Odyssea* minime receptam, nec approbatam. Sed his Sirenis atque hujusmodi modulationibus consulto prætermissis, quænam hæc Musica παιδευτικὴ nobis considerandum. Et quidem non ea est, dicam cum Maximo Tyrio *dissert.* XXI. quæ tibiis, aut cantiunculis, aut pedum motibus, aut sola vocis inflexione, sine verbis animum penetrat: hæc enim modulatio, ut idem *dissert.* XXII. inquit, voluptatem quidem aliquam ab ipsa arte mutuatur, quia tamen sine significatione ulla, sine verbis est & vocibus, nihil dignum animæ delectatione adfert. Si quis enim, pulchra comparatione addit, eam quæ ex sola modulatione constat voluptatem, cum altera illa, quæ ex oratione verbisque hauritur, velit conferre, hanc cibo, illam odori similem videbit: quorum illi quidem validissime nutriunt: odor vero, qua odor est, res est vilissima, & ad nutriendum nihil confert, aut parum. Ciborum autem genera duo sunt, alia quidem ad gustum tantum comparantur, alia ad salubritatem apponuntur: Ἐγὼ δὲ, inquit Tyrius Maximus, ποθῶ πρὸς τὴν εὐωχίαν, τροφὴν λόγων ὑγιεινῶν, καὶ ἀνόσου τοιούτου δέομαι σιτίου, ἀφ' οὗ καὶ Σωκράτης ὑγίανε, καὶ Πλάτων, καὶ Ξενοφῶν, καὶ Αἰσχίνης. *Ego ut plenam voluptatem consequar, sanis pasci volo sermonibus, sanum requiro cibum, qualis Socrates, aut Plato, aut Xenophon, aut Æschines in curanda valetudine usi sunt.* Et deinde *Dissertationem* concludit: *Mihi vero vel Homerus, vel Hesiodus, aut si quis alius*

Poeta

Poeta divinus est, Deum canat, qui mederi possit morbis animi. Hancque veram legitimamque esse Musices rationem, & *Dissert.* XXI. docuit: cujus verba nec audire pigebit: Καὶ εἰδώλῳ τινὶ μουσικῆς ξυνόντες λανθάνομεν, οἰόμενοι αὐτὴν ἐκείνην τὴν ἀληθῆ καὶ ἐκ τῆς Ἑλικῶνος Μοῦσαν ἔχειν, τὴν Ὁμήρου φίλην, καὶ Ἡσιόδου διδάσκαλον, τὴν Ὀρφέως μητέρα. *Nescimus enim solam Musicæ umbram esse quam retinuimus, veramque illam Heliconiam Musam habere falso nos arbitramur, quæ amica Homeri, magistra Hesiodi, Orphei mater fuit.*

Ex quibus eam Musicam laudari celebrarique facile constat, quæ idem cum Poetica, Terentio in *Prol. Heaut.* & *Hecyræ*, dici potest. Nec ignotum Musicum studium, & artem Musicam appellari: atque ad duo hæc pariter intendat, τὴν μελοποιΐαν καὶ τὴν παιδείαν, hoc est, *ad rhythmum & doctrinam* respiciat, ista ad vitæ institutionem; numeri vero cantionum καὶ τὰ ἐν ᾠδαῖς ἐμφερόμενα διηγήματα (ut cum sancto Justino Mart. *quæst.* CVII. dicam) ἁρμοδίως * ἐγίνοντο ἄγοντες τὰς ψυχὰς εἰς τὴν περίπτωσιν τοῖς ᾀδομένοις αἱρέσιν. *Concinne juxta rerum in carmen relatarum commemorationem sunt facti, animos prout convenit ad ea quæ canuntur complectenda inducentes.* Hujusmodi autem Poetarum διδασκαλίας hoc principale propositum, *vivere*, & *scire*; hoc est, ut doctissimus Daniel Heinsius ex Veteribus observavit *in Hesiod.* cap. VI. ὠφελεῖν πρὸς τὸν βίον, καὶ εἰπεῖν πρὸς ζωὴν χρήσιμα, *ad vitam, vitæque institutum utilia & conducibilia dicere*: quæ pars diutius Poetarum fuit, adeoque ut Philosophorum sententiæ, in quibus de moribus, de Deo, de virtute egerunt, quæ ad hanc doctrinam spectabant, ᾄσματα, καὶ ᾀδόμενα dictæ fuerint; unde Thaletis ᾄσματα, Chilonis, & aliorum, hæc *carmina* a veteribus Latinis dicta, Heinsius *ibid.* scribit. Hinc apud Dionysium Catonem,

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,

Carmina, id est, dicta Philosophorum exponit: & causam esse, quia dicta illa brevia, quibus sententias suas de Deo deque reliquis includebant, ᾀδόμενα dicebant. Quod licet eruditissime atque elegantissime dictum, non undique tamen mihi satisfacit. Omnino autem eam rejicio intelligentiam quam illustris Joseph. Scalig. in *Græc. Opusc.* ei attribuit, qui Græce Catonem exprimens, *ut carmina dicunt*, ὡς θέσφατα φησὶ παλαιῶν, *ut oracula pandunt & vaticinia Antiquorum* transfert. Siquidem illud pro comperto habeo, quod doctissimis viris haud fortasse in mentem venit, eo versu Menandri locum in *Adelphis*, quem Justinus Martyr *de Mon. Dei* servat, Catonem respexisse. Solitus enim hic Poeta sententias ad omnia utiles Poematibus immiscere, ἅτε φιλοσοφίας, ut Dion notat Chrysostomus *Orat.* XVIII. οὐκ ἄπειρος, *ut qui philosophiæ non fuerit inexpertus*: cujus hæc sunt verba:

Θεός ἐστι τοῖς χρηστοῖς ἀεὶ
Ὁ νοῦς γὰρ, ὡς ἔοικεν, οἱ σοφώτατοι.
Deus est bonis semper
Animus, nimirum ut videtur sapientissimis.

Vox autem σοφὸς Poetis convenire, vel est clara; (Strabo *l.* I. *Geogr.*) imo tamquam propria eis attributa, idem Heinsius *ibid.* docuit. Hanc igitur de Deo sententiam, cur potius in Philosophorum ᾄσμασι, quam in Poetarum ὑποθήκαις repertam dicendum sit, non video? re vera si tale fuit harum artium discrimen, quale Tyrius *Dissert.* XXIX. narrat: Καὶ γὰρ ποιητικὴ τί ἄλλο ἢ φιλοσοφία, τῷ μὲν χρόνῳ παλαιά, τῇ δὲ ἁρμονίᾳ ἔμμετρος, τῇ δὲ γνώμῃ μυθολογική; *Quid enim aliud poetice est, quam philosophia, tempore vetustior, harmonia metrica, sententia fabulis involuta?* Vid. Strab. adversus Eratosth. *l.* I. *Geogr.* profecto magis Poetarum monita, cum ex his, tum propria vocis notione, Dionysium intellexisse dicendum erit. Fuit enim his Poematibus abunde Veteribus consultum, cum omnium, qui antiquissimi Poetæ ὑποθῆκαι, ut inquit Isocrates in *Euagora*, ὡς χρὴ ζῆν καταλελοίπασι: tale vetustissimum illud Chironis Poema, (haud enim malis avibus sæpius in hunc Chironem incidimus) in quo Achillem puerum instruebat: ob vetustatem Hesiodo, ut Pindari inquit Scholiast. *in Pyth. ode* VI. attributum, in quibus hypothesis, primum omnium præceptorum a cultu Deorum incipiebat, ut Pindar. in *Pyth.* canit, ejusque principium, licet sententia diminutum, servat Scholiastes: supplet vero, atque hunc in modum concipit illustris Jos. Scalig. *in Disticha Catonis*:

Εὖ νῦν τοι τάδ' ἕκαστα μετάλλα Πηλέος υἱὲ,
Εὔχου μὲν πρώτιστα θεοῖς αἰειγενέτῃσι.
Recte hæc singula scrutare Pelei fili,
Supplica primum quidem Diis immortalibus.

Et ab hoc præcepto omnis parænetica poesis incipit, ut Pythagorea, Phocylidis, & horum exemplo hæc Catonis, hisque omnibus non inferior quam Græce Muretus, & altera, quam Vidus Faber *Tetrastichis* Gallice edidit, floride satis ac nitide a Florente Christiano Græcis & Latinis versibus expressam, ac etiam heroicis ab Augustino Prevotio redditam: & nos Italicam facere aliquando ausi fumus. Itaque ne alio deflectamur, illud necessario ex discussis oriri videtur: quod sicut, cum de eloquentiæ viribus disserebamus, Nepenthes ex Philosophiæ præceptis oriri arguebatur: ita in hac Disceptatione ultro sese offert concludendum; eatenus Musicam atque Poeticam ad Nepenthes pertinere, quatenus Musica πεπαιδευτική, καὶ ἡ ποίησις φιλοσοφοῦσα, ut Themistius loquitur, & non alia potissimum ratione, nisi ut ad παιδείαν se habet, circa animum nostrum utiliter atque efficaciter versari, nec aliter Musis amicus, & Poetarum auditor tristitiam ablegabit: quod Horatius & Hesiodus dicebant. Nec quia Antiquorum cantiones laudes Heroum Deorumque continerent, unde pietas, fortitudo & bonorum, ut inquit Sextus Empiricus cap. XXII, æmulatio: divinitus hanc Nepenthus vim recepisse credendum est, ut cum Homer. *Odyss.* I. dicamus:

—— οὔ νύ τ' ἀοιδοὶ
Αἴτιοι, ἀλλά ποθι Ζεὺς αἴτιος.
—— *non sane cantores*
In causa sunt: sed interdum Juppiter in causa est.

Quemadmodum de sacris hymnis vero & omnipotenti Deo dicatis verissime asserimus, sicut *de illo lapso e cœlo psalterio* dicimus, *quod vir*, inquit Cassiodor. *l.* I. *toto orbe cantabilis ita modulatum pro animæ sospitate composuit, ut his hymnis mentis vulnera sanentur, & divinitatis singularis gratia conquiratur*: Ῥῆμα γάρ ἐστι Θεοῦ, καὶ ἐνθυμούμενον, καὶ ᾀδόμενον, καὶ ἀνακρουόμενον. *Verbum namque Dei est quod animi cogitatione, quod carminis præludio, quod carmine ipso celebratur*: ut inquit Just. Mart. *Qu.* CVII. Ut non immerito omnium rerum, quæ in hac vita tristes & luctuosæ accidunt, piis afferat medicinam: itaque si boni illi Petrarchei ad amoris remedium, Ecclesiasticum Breviarium dono missum autumantes, ad hoc respexere, non omnino mehercle aberrarunt. Nam si Theocrito teste *Idyll.* XI. Gentilium Musis hoc datum,

Οὐδὲν ποττὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο,
Νικία, οὔτ' ἔγχριστον (ἐμοὶ δοκεῖ) οὐδ' ἐπίπαστον
Ἢ ταὶ Πιερίδες.
Nullum contra amorem est remedium aliud,
O Nicia, quod aut inungi (meo quidem judicio) aut aspergi possit,
Quam Pierides.

sine ullo prorsus dubio, Davidicam lyram, & Dei Divorumque laudes continentia carmina, passionis hujus nequitiam retundere & repellere possunt. Recte proinde sibi consuluit summus

ille Italicorum leporum artifex, Bapt. Guarinus, & non minus amice, quam venuste amatori, & Poetæ alteri, J. B. Marino Poetarum omnium hac ætate principi, extulit, in *Sonulo* ad eundem:

Hor per altro Helicona, onde al ciel vassi,
Mi detta i carmi il gran Cantor Hebreo.

Quamvis igitur nec Musicam nec Eloquentiam Nepenthes asseramus, verum a Pædia & Philosophia pendere, non ita tamen ab eo illas artes sejungimus, ut in totum explodamus: de qua re nonnulla posterius dicemus.

Nunc cum nostrum hoc pharmacum vino ab Helena misceatur, συμβολικῶς hoc vinum, quo dulcius atque suavius orationem, vel musico, vel pedestri numero, concinnam denotabit. Quodcumque enim ad vitam pertineat documentum, ex Sapientum dictis haurire necessum est: at vinum magnus Poetarum equus, ut Niceratus in *Epigr. lib.* I. cap. LIX. dicebat, hoc suo calore ac vi spirituum peculiare sibi vendicat, ut loquentiam bibentibus faciat:

Fœcundi calices quem non fecere disertum?

Propert. *l.* II. Et cum mollis quidam, suavis, & in venas permeans sit liquor, factum est, ut hac etiam similitudine ad καλλιέπειαν, & ut Nonius ait, ad sensilocum illecebrum derivetur: nonne de vino canit Horat. *lib.* I. *epist.* XV.

Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
In venas animumq; meum, quod verba ministret.

Sed quomodo vinum in animum manare possit, quod in Poeta dubitationem facit, satis accommodate Ficinus *lib. de triplici vita* edocuit: quatuor inquiens esse elementa, quibus spiritus alatur, vino, ejus odore, & cantu similiter, atque lumine: *vinum enim est pro terra*, inquit nobilissimus hic Philosophus, *odor ipse vini vicem gerit aquæ, cantus rursum & sonus agit aerem, lumen autem præfert igneum elementum.* Hinc igitur apud Plautum in *Asinar.* blanda & flexanimis meretricularum oratio, ducto a vino ὑποκοριστικῶς vocabulo, *vinula* appellatur:

Bene salutando consuescunt, compellando blanditer,
Osculando, oratione vinula, venustula.

A Et quandoquidem Martinalia instant, tertio Idus Novembris contingit hæc scribere, libet altero Plauti loco Partem hanc claudere. Is est in *Pœnulo*, ubi adolescens amator Adelphasii, quam deperibat, verba admiratur, & ad Milphionem servum conversus, eloquitur:

Obsecro hercle ut mulsa loquitur!

Mulsum enim ex vino confici, addito melle, satis est notum. Respondet servus:

—— nil nisi laterculos,
Sesamum, papaveremq; triticum, & frictas nuces.

In his verbis explicandis, quam se deridendum tradit Lambinus in *Comm. ad Plaut.* cum contraria loqui Milphionem affirmat, quam Adelphasium B herus dicebat, nempe dura & injucunda. *Laterculi* apud eum sunt lateres lapidei, & non mustacea: quæ nunc etiam ad laterum formam conficiuntur. *Sesamum, papaveremque triticum*, quod stomachum lædat, & formicis videatur objiciendum; & non quæ maxime ad gustum appetebantur. Unde apud Petronium Arbit. in *Sat.* in hac etiam comparatione veniunt: *Mellitos verborum globulos, & omnia dicta factaque quasi papavere & sesamo sparsa.* Nos vulgo, pristinæ Græcitatis vestigium, inter dulciarios panes σησαμέλι aliquos appellamus. Sesamum vero in placentis adhibitum laudatumque, & Homerus in *Batrach.* testatur, Athenæus in Itrio & Sesamide demonstravit *lib.* XIV. C nec Marcellus Virgilius eruditissimus auctor *de Sesam.* in Dioscoridem omisit. *Frictas nuces* ad palatum injucundas putat Lambinus; at non ego, qui ex Athenæo *ibid.* didici, *coptam* placentæ genus, quod frictis avellanis nucibus, cum papaveris semine, item sesamo, melle, aliisque nonnullis componebatur: quæ ex Chrysippo Pemmatum scriptore enarrat: nos *copetas* vernacule, *epsilon* una tantum littera inter duas illas consonantes interjecta, adhuc retinemus: qua voce libum illud exprimimus, quod a cæna Dionysiacis his festis solemni ritu apponi solet. Sed satis pro tempore, & ad Plautini loci explicationem, & multo magis ad hanc Partem, quam a viribus eloquentiæ exorsi, per suavitatem Musices eductam, his tragematum deliciis merito terminavimus.

DE HOMERI NEPENTHE

PARS IV. ANAGOGICA, QUÆ ET DE VIRTUTE.



Nagogicam hanc Partem inscripsimus: & quidem, si nominis reddenda ratio, quod consentaneum visum iri nonnullis credo: quæ ex Eustathio in proximæ superioris Partis vestibulo indicavimus, paulo nunc uberius repetenda. Cum enim id edoceremus, quod allegoria, ἡ δὲ ἱστορικῶν, ut ipse inquit Eustathius *in princ. Iliad.* θεραπεία τῶν μύθων εἶναι δοκεῖ τοῖς παλαιοῖς, hoc est, *Veteres, velut medelam ad fabularum historicas allegorias* reputasse: duas ipsa- D rum species memoravimus, unam *Historicam*, alteram *Anagogicam*. Interpretatio etenim fabularum, quæ narrationis seriem intra ipsius figmenti terminos sequitur, καθ' ἱστορίαν dicitur: ut si Chironem, de quo inferius agenda mentio, Centaurum fuisse dicamus, id est, media parte & sublimi hominem, media & inferiori equum. Atque in hoc genere tota nostra consummatur tractatio: quam hac de causa *Historicam* nominavimus. Cum vero, demptis fabellarum involucris, ejusdem facti, quod narratur, veritas explicatur, allegoria est historica, quam πραγματικὴν Tzetzes apud Hesiodum vocavit; velut circa rem ipsam, factum, atque negotium se versantem, ut si Centaurum haud monstrum affir-

memus, equina humanaque mixtura deformem, sed unum ex illa Thessaliæ gente, quæ prima equos, ut dorso ferrent, edomuit, & equi sessor pugnare cœpit. Hanc in suo libro, quem Palæphat. περὶ ἀπίστων inscripsit, ab ipsis Centauris initium sumens, καὶ ἱστορίας, ut ipse ait, prosequitur. Nos simpliciter *Allegoricam* nuncupavimus, & tertiæ Parti nomen fecit.

Alia interpretationis species dicta est *Anagogica*, quod ad altiora ingenium subvehat, & ab his remota exquirat: idque duplici via, vel στοιχειακῶς, ut loquitur Tzetzes, videlicet elementa & naturas rerum universi considerans: ac si pro Centauro conjunctionem illam intelligas, omni admiratione prosequendam, qua divinæ auræ particula humanis adjungitur corporibus. Intellectus enim nunquam trahetur ad corpus, a quo longissime distat; corpus autem ad motum per se inefficax; verum, si interponatur anima, ἣ μέσον τί ἐστι, *quæ media quædam natura est*, ut inquit Porphyrius, inter substantiam dividuam & individuam, & ex se mobilis, his conciliatur extremis. Quod antiquis Mythologis puto in mentem venisse, cum illud in fabula, sicut in Palæphato *de Fab.* legimus, adderetur: ὡς ἐκ τῆς Νεφέλης ἵππος τε καὶ ἀνὴρ ἐγεννήθη, *quod ex Nephele equus & vir congeniti essent.* νεφέλη *nubes* interpretatur. Nubes autem est, quæ media inter ætherea & terrena obvolitat. Si hoc solum ageremus, pluribus hæc ἱππόνοια comprobari posset. Nunc de altera Anagogica, tamquam alio properantes, tractandum: & ea est, quæ ψυχικῶς, inquit Tzetzes, hoc est, ad animum & mores spectat. Cujus ratione Centaurus ipse commode etiam in hac specie nobis potest esse exemplo: munia scilicet rationis sensuumque gnaviter & expedite obire significabit. Ad quod de amore loquens gravis & eruditus auctor Speron Speronus *Dialog.* I. deflexit: quo in genere Pars ista versabitur. Itaque ad sublimiora & utiliora pariter invitatus, libens mecum progredere, amice Lector. Et primum ex eo carmine sumamus exordium, quod ex Æschyli Tragœdia *Prometh.* supra retulimus,

Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.

Præstat enim illud recte intelligere, cum non parum nobis afferat adjumenti. Itaque præmonendum est, tria ad ægrotantium sanitatem necessaria, juxta Hippocr. in *Epid.* Naturam primo, & pro natura facultatem intelligimus, & interiorem quandam vim, quæ etsi morbo dejecta, potens tamen est ope auxilioque remediorum convalescere, ac contra omnem malorum impetum dimicare. Secundo peritissimum Medicum requirimus, id est, virum arte & experimentis insignem, qui curationi ex proposito & diligenter invigilet. Ultimo validissima addo medicamenta. Frustra enim, quæ sanitatem conciliant, a Medicis edoceremur, nisi eis obtemperando, cum spe bona & patientia, quæ salubria præscribuntur, experiremur. Et quia corporis & animi valetudines id habent commune, quod sanitas in utroque uno modo attingitur. Virtus, quæ animi ὑγεία, καὶ κάλλος, καὶ εὐεξία, ut inquit Plato dial. IV. *de Rep.* & sanitas corporis, in quadam temperie; hæc humorum & partium sita est; illa in passionum & facultatum congruentia & æquabilitate, ab eodem divino Philosopho in *Sophist.* collocatur. Itaque & in hac animorum curatione, his, quæ diximus, tria aliqua respondere, ac singulatim congruere consonum est. Et primum, quæ natura, vel naturalis vis est in corporibus, aptitudo quædam est animæ rationalis ad bonum, εὐφυΐαν Græci dicunt. Cicero *Tusc. lib.* IV. *facilitatem* appellat, ut in malis *proclivitatem*: quam etiam συμμετρίαν, καὶ εὐκινησίαν εἰς ἀρετῆς κόσμον. Maximus Tyrius

A *Differt.* XVII. descripsit, hoc est, *animæ congruentiam habilitatemque ut virtutem admittat*: & breviter in eadem *Dissertatione*, φύσιν χρηστὴν, simpliciter *naturam bonam* dixit. Non quod naturalis sit hominibus virtus; cum nec natura, nec forte nobis obveniat, alioquin nulla esset laude digna: sed quia ex impulsione quadam fervida, generosa nascitur, ac stabili, quæ haud omnibus eadem natura contingit. Miratur quippe apud Euripidem Hecuba, non idem evenire in hominum moribus, quod in proventu segetum, & agros animatos nostros animos vocari notum est, Clem. Alex. in *Pædag.* Aliquando enim ex terra non bona fruges haud malæ proveniunt, si imbres serenitatesque accidant opportunæ: quibus e contrario destitutus bonus ager infelices producit, Eurip. in *Hecuba*:

B

—— ἀνθρώποις δ' ἀεὶ (inquiens)
Ὁ μὲν πονηρὸς, οὐδὲν ἄλλο, πλὴν κακός.
Ὁ δ' ἐσθλὸς, ἐσθλὸς· οὐδὲ συμφορᾶς ὕπο
Φύσιν διέφθειρ', ἀλλὰ χρηστός ἐστ' ἀεί.

At mortalibus quisquis malus,
Nil potest aliud esse, quam semper malus.
Frugi usque frugi; sors nec ingenium viri
Adversa vitiat, sed probus semper manet.

C Itaque tantum τῇ φύσει tribuere videtur, ut parum proficere educationem & institutionem velit. Quod an recte, vel secus, dictum, non est hic locus disserendi: id tantum ex Philosophorum placitis ajo, & ad rem præsentem attinet: haud omnes ut ad scientiam, ita nec ad virtutem idoneos, non nemo, juxta illud Hesiodi, ἀχρήϊος ἀνὴρ, & *terræ inutile pondus*. Igitur, ut ad viriditatem & surculorum incrementum radix, & in excitando pariete fundamentum, sic se ad virtutem habet insita hæc, de qua loquimur, ad bonum propensio. Et sub proposita

D ista medendi consideratione eleganter ad eam Boethus Severinus *de Consol. lib.* I. respexit, dum attollenti sese ad consolationem, *Recte*, inquit Philosophia, *percurris, idque, ut Medici sperare solent, indicium est erectæ resistentisque naturæ.*

Sed quænam ars medendi? ecquis animis medicinam facere potest? Recte Chrysippus apud Galenum in *lib. de Perturbat.* Οὕτω γὰρ περί τι νοσοῦν σῶμα ἐστι τις τέχνη, ἣν προσαγορεύομεν ἰατρικὴν, οὐχὶ δὲ καὶ περὶ τὴν νοσοῦσαν ψυχὴν ἐστι τις τέχνη. *Sicut enim ad ægrum corpus est quædam ars, quam medicinam nuncupamus, eodem pacto quoque ad ægrum animum ars quædam esse debet.* Vid. Gal. *de H. & P.*

E *dogm. lib.* V. Cic. *lib.* III. *Tuscul.* Hanc si libet investigare, ex Platone & Aristotele annotabimus: ὀρθὴν παιδείαν, id est, *rectam disciplinam*, ad virtutem comparandam maximum esse momentum: imo nec aliter ad ejus fastigium tuto perveniri, nisi priusquam male, vel prosequendi, vel fugiendi proclivitas in habitum inolescat: ab ipsa ineunte ætate pueris, velut auriga, imponatur.

Hæc recta autem institutio est, ita per alienam rationem dirigi, ut voluptas & amor, dolorque & odium recte in animos influant, & quibus rebus oportet, iis rebus lætemur & doleamus, & quæ odisse oportet, oderimus, & amemus quæ amanda

F sunt. Ex hac enim disciplina oritur nobis prudentia, καὶ ὀρθὸς λόγος, id est, *& recta ratio*: quæ cum nobis expergefacta, & per superiorem morum consuetudinem confirmata fuerit: tunc propriæ rationi consentiendo, αὕτη ἡ ξυμφωνία ξύμπασα μὲν ἀρετὴ, *hæc ipsa consensio*, ut inquit Plato *ibid. universa quidem virtus est.*

Probi igitur viri & recte admonentis auscultatio magnum vitæ moralis fundamentum. Quod Hesiodus *Ergων a.* celebratissimis illis versibus docuit:

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει,
Φρασσάμενος τά κ' ἔπειτα καὶ εἰς τέλος ᾖσιν ἀμείνω.
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ille quidem optimus est, qui sibi ipsi per omnia sapit,
Cogitans quæcumque dein postremo sint meliora.
Rursus & ille bonus est, qui bene monenti paruerit.

Ad quem locum Proclus, Zenonem Stoicum refert, hujusmodi carmina immutasse: ita, ut primum faceret ab Hesiodo laudatum, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται, *qui bene monenti paruerit:* deinde secundo loco, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει, *qui se novit cuncta magistro.* Quod si ad examen ingeniorum, profecto absque judicio, & longe verius Epicurus, & cum eo est Seneca *epist.* LII. & ipsa ratio: *Quosdam ait Epicurus ad veritatem sine ullius adjutorio contendere, ex iis se fecisse sibi ipsi viam: hos maxime laudat, quibus ex se impetus fuit, qui se ipsos protulerunt: quosdam indigere ope aliena, non ituros si nemo præcesserit, sed bene secuturos: ex his Metrodorum ait esse. Egregium hoc quoque, sed secundæ sortis ingenium.* Nec ratio hos versus immutandi, quæ apud Diogenem in *Zenone* legitur, satis proba: τῷ μὲν γὰρ εἶναι μόνον τὸ συνιέναι, τῷ δὲ εὖ πειθομένῳ προσεῖναι καὶ τὴν πρᾶξιν, *huic scilicet solum adesse intelligentiam; qui vero obtemperet insuper esse & effectum.* Quandoquidem Hesiodus haud nudam extollat intelligentiam. Si quid autem in eo mutandum, potius id foret, ut ordo, quo ab recta disciplina ad rectam rationem pervenitur, distincte clariusque exprimeretur. Cum primum quis alterius ratione ad bonum conformatur, deinde ex se ipso omnia sapit. Quod vix per longam ætatem & assiduum perfectionis studium homines adipiscuntur. Φρόνησιν δὲ καὶ ἀληθεῖς δόξας βεβαίους εὐτυχὲς ὅτῳ καὶ πρὸς τὸ γῆρας παρεγένετο. τέλεος δ' οὖν ἔστιν ἄνθρωπος, ταῦτα, καὶ τὰ ἐν τούτοις πάντα κεκτημένος ἀγαθά. *Beatus est*, ait Plato *de Just. cui in senectute contigerit, ut sapientiam verasque opiniones assequi possit. Perfectus porro vir est, qui hæc, & quæ in his sunt omnia possidet bona.* Vid. & Cicer. *de Fin.* Qui procul dubio, & Hesiodi, & Aristippi Socratici, & omnium judicio, πανάριστος cunctisque hominibus anteferendus, ut aliter affirmasse Zenonem prorsus incredibile videatur.

Ad quem autem isthæc spectet admonitio? ut altera particula non omittatur; Plato virtutes, minime doceri posse, in *Menone* statuit. De iis autem intelligendum, inquit Alcinous apud Isocr. *Orat. contra Sophist.* quæ in parte animi affectibus obnoxia sunt: quæ nec artes, nec scientiæ, sed, vel facultates, vel potentiæ appellantur. Licet Euripidi in *Supplic.* καὶ ἀνδρία διδακτός, *& fortitudo ex iis quæ docentur.* Gal. *lib.* V. cap. V. *de Dogmat.* quæ tantum in rationali parte consistunt: cujus, vel unam, ut Aristo Chius apud Plut. *de Vit. Moral.* quam & sanitatem vocabat, sive plures virtutes facias, recte doceri queunt, & Plutarchus peculiari opusculo *virtutem doceri posse*, demonstravit. Eos autem, qui doceant, Aristophanes voluit in διδασκάλους καὶ ποιητὰς distingui, ab alteris pueros, ab alteris provectiores doceri. Aristoph. in *Ranis*:

—— τοῖς μὲν γὰρ, inquit, παιδαρίοισιν
Ἐστὶν διδάσκαλος, ὅστις φράζει, τοῖς δ' ἡβῶσι ποιηταί.
—— *nam pueris solet æqua*
Dictare magister, adultis instillant præcepta Poetæ.

Utrumque tamen confunditur.

Illud porro haud ambigendum Poetas, & præsentia sua, & postea scriptis, temperantiæ & justitiæ magistros publicos fuisse: quibus ἐπ' ἀρετῇ maximi quique nobilissimique committebantur. Sed jam supra, & in proxime antecedenti Parte probavimus Philosophiam in eodem templo cum Poetica venerari, & nihil aliud esse, quam Poeticam tempore recentiorem, harmonia expeditiorem, argumento apertiorem. Itaque cum Cicer. *lib.* I. *Tuscul.* dicimus, *quod omnium artium, quæ ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio, & disciplina studio sapientiæ, quæ Philosophia dicitur, continetur.*

Ad virtutem igitur norma Philosophia, & mores instituere ad Philosophum, & Poetam, & quoscumque qui Philosophiam profitentur, pertinere. *Animi autem*, eodem Cic. *lib.* III. *Tuscul.* attestante, *qui sanari voluerint, præceptisque sapientium paruerint, sine ulla dubitatione sanentur; est profecto animi medicina Philosophia*, &c. Si ergo laborantis animi sermones, Medicos esse fatemur; non omnes, sed qui de moribus sunt, eos esse necessario concludendum.

Cumque hoc ita sit, reliquum est medicinæ usus accedat. Omnis autem doctrina, ad rectam animorum institutionem pertinens, οὐ θεωρίας ἕνεκα, *haud speculationis causa*, ut inquit Aristot. *l.* II. *Mor.* c. II. suscipienda. Vid. Plutarch. *de Audit.* Themist. *Orat.* II. Non enim quid sit virtus quærimus, ut cognoscamus; sed, ut per ejus adeptionem boni & beatitudinis participes efficiamur. Adipiscimur autem actionibus & exercitiis, quibus iteratis, ac identidem repetitis, habitus conformatur, Themist. *Orat.* II. *Recte igitur dicitur*, ut rem omnem Aristoteleis verbis concludam, *justis ac temperatis actionibus justos ac temperantes effici, his autem neglectis, neminem unquam virum futurum. Sed plerique omnes, cum hæc agere non curent, ad verba confugientes, philosophari se arbitrantur. Itaque sperant futurum, ut boni sint, non multum ab ægris differentes, qui Medicos studiose illi quidem ac diligenter audiunt; sed nihil eorum, quæ ab illis præcipiuntur, facere volunt. Quemadmodum igitur illis nunquam corpus erit bene constitutum, dum ita curatur, sic nec his animus, dum hoc modo philosophatur.*

Ex his sane liquet, quibus animæ sanitas constet. Constat enim virtute, ut diximus; quæ ex bona natura, per præcepta Philosophiæ, & longa exercitatione nobis instillatur. Quod egregie etiam Galenus docuit, proprio libello *de cogn. scendis curandisque animi morbis.* Cumque prudentum orationem Medico comparari, adhibito carmine, proposuerimus: de qua oratione, & quomodo sit intelligendum, itidem clarum. Absque enim illo virtutis principio, & absque repetitis actionibus, quamvis ab optimo viro profectus sermo, nihil ad animorum curationem. Non est ergo oratio, vel etiamsi in hoc sensu accipias, Homericum nostrum Nepenthes, cum sub eo perfecta salus concipiatur; nec tale aliquid, quod ad Medicum solum referatur. Sed quamvis magna sit languentibus Medici adventus consolatio, cujus præsentia, veluti spe quadam salutis, subquiescere ægritudinis molestia & moderari videtur: & plerisque fides, quam Medico habuerunt, in certam salutis causam adscribatur, ut aliquando concedamus sermonem animi angoribus medicinam fecisse. Quod alio versiculo docemur, cui auctor Menander in *Fragm.*

Λόγος γὰρ ἐστὶ λύπης φάρμακον μόνος.
Mœroris unica medicina oratio.

Cum sola propriaque orationis vis nulli melius assimiletur, quam Medico: cujus tantum officium, salubria persuadere, & ab noxiis rebus dehortari, juxta aliud Menandri:

Λύπην γὰρ εὐνῆς οἶδεν ἰᾶσθαι λόγος.

Quo sensu (nisi λόγος haud *sermo*, sed *ratio* sit) & paulo ante laudatum rectius exponemus, ut

pharmacum concedamus, quatenus οἶδεν ſermo ἰᾶσθαι, vel θεραπεύειν τ̃ λύπίω, id eſt, *ſcit curare*, & *docet pharmacis triſtitiæ mederi*. Itaque, ut ſupra jam probatum eſt, ſi duo diſſocientur, ἡ χρηςὴ φύσις, ϗ τὸ ἐθίζεσθαι, nulla eſt περὶ τ̃ λόγȣ conſideratio.

Igitur ſi quid mancum & imperfectum non eſt Nepenthes, aut his omnibus complectitur; cum ſecus non concedatur perfectio, aut his omnibus contradicit. Cumque orationi par eſſe nonnullis videbatur, quomodo poterit repugnare virtuti? quæ, ſi animum noſtrum reſpiciamus, proprium & neceſſarium decus, ſi Homeri poeſim, tota hujus viret præceptis, & *Odyſſeam*, Ethicam, Scriptor Heraclid. Ponticus in *Alleg. Hom.* appellavit, quod Poeta ibi Ulyſſem, ut idem ait, πάσης ἀρετῆς καθάπερ ὄργανον, velut organum quoddam omnium virtutum ſibi proponens, philoſophatus ſit. Haud diſſimile atque diverſum erit de *moly* pharmaco judicium: neque hoc ipſi fingimus, ſed Maximum *Diſſert.* XVI. ſequimur: Αὐτόν γε μlὼ τ̃ Οδυσσέα, inquit, ȣ̓χ ὁρᾷς, ὡς παντοίαις συμφοραῖς ἀντιτεχνώμενος ἀρετῇ σώζει, ϗ τὸ δι' ἐκείνlω θάρσος; τȣ̃το αὐτῷ τὸ ἐκ Κίρκης μῶλυ. *Ipſum vero Ulyſſem nonne vides, quo pacto dum omnibus virtutem moleſtiis opponit, etiam animum ab ea ſumat & fiduciam? Hoc eſt illud Circes moly*. Idem diſerte habet Themiſtius *Orat.* XIX. & pluribus auctoritatibus & rationibus comprobari poſſet. Sed ſufficiat ex his, velut plauſibiliorem magis redditam noſtram, de compari pharmaco, opinionem: quam ut etiam magis ac magis confirmemus, ad propriora quædam, & quæ rem ipſam articulatim demonſtrent, Muſis faventibus progrediemur.

Et primum, quid ſibi velit Horatius *epiſt.* II. *l.* I. expendamus, cum de Homero loquens, eum & Chryſippo & Crantori philoſophis anteponat. Prælucet namque ad iter, quo tendimus, & ductu horum philoſophorum, ne ob antiquitatis tenebras & difficultatis impedimentum a recta ſemita aberremus, efficiet: inquit enim:

Trojani belli ſcriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneſte relegi.
Qui, quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicit.

Quæ autem ut intelligamus, Interpretum vices ſubeundæ, nec facile aliorum dictis adhærebimus; ſiquidem & in ipſo, quod ajunt, limine Lambinus impegit: dum in *Comment.* ait: *Trojani belli ſcriptorem*, &c. *Iliadem Homeri relegi*. Ne dum enim *Iliad.* ſed ipſam *Odyſſeam* Præneſte relegebat Horatius, quod etiam illis verbis voluit dictum: nam cum Lollio περὶ τ̃ ἀναγνώσεως rationem explicaret, fructum ex *Odyſſea* perceptum commemorat:

Rurſus quid virtus, quid ſapientia poſſit:
Utile propoſuit nobis exemplar Ulyſſem,
Qui domitor Trojæ (pertinet enim ad rem Trojanam) *multorum providus urbes,*
Et mores hominum inſpexit, &c.

Quid pulchrum? ut apud Græcos καλὸν, *honeſtum*, interpretabitur. Itaque innuit Horatius: planius ab Homero doceri, quod honeſtum, & quod ei contrarium: itemque quod utile, & quod non; quam Chryſippus & Crantor Philoſophi faciant: & hos duos nominat, ex eo quod alter Stoicus, alter Academicus eſſet: & συνεκδοχικῶς voluit aſſerere, principes ſectas, Poetæ Philoſophorum omnium principi ſubmittere faſces, & primas concedere. Sed rectius duos proponit Philoſophos; cum duo capita protuliſſet, ad Philoſophiam pertinentia, *honeſtum* & *utile*. Etenim contrariorum cum eadem ſit doctrina. & huic quod non utile, alteri quod turpe eſt opponitur. Horum igitur Chryſippum & Crantorem auctores faciens, neceſſe erit unum uni tribuere, & reliquo reliquum. Et ſi Poetæ verba attente inſpiciamus, quod honeſtum Chryſippo, & quod utile Crantori pertinebit: nec immerito: nam, ut prius de Chryſippo dicam, hic Philoſophus, quem ſolum ſapere dictum eſt, & fulcire porticum Stoicorum, quinque & ſeptingentos fere libros de rebus philoſophicis ſcripſit: & quamvis eos ſingulatim Diogenes in *ejus Vita* enumeret, plurimos in eo deeſſe, ex Sambuco obſervat Geſnerus. Plutarchus tamen *de Stoic. rep.* placuiſſe, inquit, Chryſippo tria eſſe genera θεωρημάτων, ut primum Logica, deinde Ethica, tertio Phyſica ſint edocenda, ϗ τ̃ῶ φυσικῶν, noviſſimus ſermo ſit de Diis. Itaque & in libris propriis, licet quam multi fuerint de rebus ad Dialecticam ſpectantibus, hunc tamen ordinem ſervaſſe credendum eſt: inter autem ἠθικὰ, præcipuum locum obtinuere libri decem quos περὶ τ̃ καλȣ̃ ϗ ἡδονῆς, *de honeſto & voluptate*, ad Ariſtocreontem ſcripſit: quos & graviſſimi plerique auctores citant. Et tamen in hac ſua doctrina ab Homero ſuperari, ait Horatius. Sed hæc ſatis ad Chryſippum.

Nunc de Crantore, & quid cum Homero intercedat videamus. Pro qua re, ſimiliter ad Diogenem in *Crant.* recurrendum, ut, in quo excelluerit hic Philoſophus, cognoſcamus. Recenſentur autem hujus auctoris Commentaria, ad triginta verſuum millia; ſed quædam ex eis Arceſilao tribuuntur. Poemata quoque ſcripſiſſe dicitur, ſed nec de eis aliquid certum: hoc unum tantum pro indubitato conſtat, librum *de Luctu* edidiſſe: de quo Diogenes ait: θαυμάζεται ᾗ αὐτȣ̃ μάλιςα βιβλίον τὸ περὶ πένθȣς, *laudatur ejus maxime liber de luctu.*

Nec deſunt, qui pro hoc nobis fidem interponunt ſuam: inter quos Cicero *Acad. Quæſt. lib.* IV. *Legimus*, inquit, *omnes Crantoris veteris Academici de luctu. Eſt enim non magnus, verum aureolus, &, ut Panætius Tuberoni præcipit, ad verbum ediſcendus libellus*. Idem *Tuſc.* III. hujus libri locum proferens, qui Græce apud Plutarchum legitur, de eo dicere non veretur: *Nec abſurde Crantor ille, qui in noſtra Academia vel inprimis fuit nobilis*. Hunc etiam præcipuum imitatum fuiſſe in *Conſolatione ad ſe ipſum*, ut in libris *de Republica* Platonem, in *de Officiis* Panætium, Plinius in *Præfat. Hiſtor. Nat.* memorat. Divus item Hieronymus, in *Epitaph. Nepotian.* id confirmat, & ex aliorum numero Crantorem ſeligens, ait: *Legimus Crantorem, cujus volumen ad confovendum dolorem ſuum ſecutus eſt Cicero; Platonis, Diogenis, Clitomachi, Carneadis, Poſſidonii ad ſedandos luctus opuſcula percurrimus: qui in diverſis ætatibus, diverſorum luctum, vel libris, vel epiſtolis minuere ſunt conati, ut etiamſi noſtrum areret ingenium, de illorum poſſit fontibus irrigari.*

Scripſit autem Crantor, ut ex Plutarcho in *Conſol. ad Apoll.* colligitur, ad Hippoclem: conſolans eum in morte filiorum. Et nulli dubium, quidquid artis & diſciplinæ poſſidebat, in hoc opus contuliſſe. Haud tamen, ut Medicorum filius, aliqua concinnavit, indixitque catapotia, non ad delinimenta ſermonis, ut argutulus Sophiſta ſuam conſolationem deflexit; ſed Philoſophum, præceptis ex Philoſophia petitis, ſuam abſolviſſe tractationem dicendum eſt, ut ex his, quæ ſuperſunt, clariſſime apparet. Verum tamen plenius ac melius hoc idem Homerum dicere, Horatius aſſerit: itaque illud neceſſario emergit in admiranda Homeri poeſi utiliſſimum hoc documentum, & ex ipſo Philoſophiæ myrothecio deptomptum, contineri.

Quod si ita est, jam locum offendimus, jam in manibus habemus: cum in eo, velut peculiari episodio, & sumpta ultro occasione, de remedio adversus luctum Poeta loquitur; eoque non solum in obitu filiorum, sed vel etiam in eorum internecione, ante parentum oculos, ad sedandum mœrorem sistendasque lacrymas efficacissimo.

Sed cum de Crantore apud Diog. in *ejus Vita* legatur, (ἐθαύμαζε δὲ ὁ Κράντωρ πάντων δὴ μᾶλλον Ὅμηρον, *admirabatur Crantor præ cæteris Homerum*, licet profecto conjectari, intimam ejus medullam pergustasse, recondita perscrutatum esse, symbolorumque angustiam uberiori discursu in suum opus produxisse, ut ea ratione tantopere fuerit admiratus. Quod si temporis injuria nobis non ademisset, facilior aditus ad Homeri mentem penetrandam concederetur, vel potius jam patefactam admiraremur.

Verum enim vero, antequam ad ulteriora progrediamur, quædam removenda difficultas. Et si Philosophi sustinuisse partes Homerum dicimus, cur non hoc Nepenthes a Philosophis, a Poetis, ut ex his quæ docuimus videretur dicendum, vel ab Ægyptiorum Sacerdotibus, quam potius a Medicis illius regionis prodiisse dixerit? Et quidem illud in promptu occurrit, quod cum Poeta sub pharmaci allegoria virtutem hanc indicet, τὴν μεταφορὰν producendo, ejus auctores, quales quales ii sint, medendi arte præditos describit. Sed altius, ex Maximo Tyrio, imo ex ipsa antiquitate, (Orpheus in *Argon.*) duas has artes corpus animamque curandi haud sejunctas invicem reputabimus, cum olim vetustissimi Poetarum uni soli utramque attribuerint. Vixisse enim in Pelio monte ferunt (Heraclid. in *Alleg. Homer.*) hominem, cui Chiron nomen: de quo variis in locis opportune egimus. Hic Chiron, cum optimus Medicus, itidemque justissimus esset, artem quæ utrumque ageret possidendo, quoscumque in disciplinam suam receperat, (Æsculapium, Herculem, Achillem, & Jasonem recepisse ajunt) omni laborum genere, venationibus, montanis itineribus, cursibus, humi decumbendo, cibis ferinis, fluviali potu, ad summam perducebat sanitatem. Rursus hoc agebat, ne anima ulla in parte corpori cederet, nec minus celeriter mentis aciem intenderet, minus fortiter affectibus resisteret. Maxim. Tyr. *Dissert.* XVIII. εἰ δὲ ἐν τῷ παρόντι διέστηκέ γε πρὸς ἑαυτὴν ἡ τέχνη, μήπω σοι τοῦτο θαυμαστὸν φανῇ, *quod si hoc tempore distingui ars cœperit, quid mirandum?* cum & ipsa medicinæ ars jam per partes corporis dividatur: hæc enim oculos curat, illa tergum, & alia aliud. Lapis est Stabiæ, & a Capacio nostro in *Histor. Neap. l.* II. refertur:

CN. HELVIVS CN. L. IOLLA
MEDICVS OCVLARIVS.

Herodotus in Ægypto hanc etiam artis distributionem confirmat in *Euterpe*: Ἡ δὲ ἰητρικὴ κατὰ τάδε σφι δέδασται. μιῆς νούσου ἕκαστος ἰητρός ἐστι, καὶ οὐ πλεόνων. πάντα δ' ἰητρῶν ἐστι πλέα. οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν ἰητροὶ κατεστέασι, οἱ δὲ κεφαλῆς, οἱ δὲ ὀδόντων, οἱ δὲ τῶν κατὰ νηδύν, οἱ δὲ τῶν ἀφανέων νούσων. Hoc est, *Medicina apud eos hunc in modum est distributa, ut singulorum morborum sint Medici, non plurium: itaque omnia referta sunt Medicis: alii enim sunt oculorum, alii capitis, alii dentium, alii alvi partium, alii morborum occultorum.* Quod præsentiens Homerus, ne distracta hæc per partes ab Ægyptiis medicina fictionis suæ ὑπόνοιαν dissiparet, consulto licet, ut ait Eustathius *ad* IV. *Odyss.* τὸ παράδοξον, post carmina de Nepenthe, quæ in secunda Parte laudavimus, statim subdit *Odyss.* IV.

Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων
Ἀνθρώπων. ἦ γὰρ Παιήονός εἰσι γενέθλης.
Medicus vero unusquisque peritus super omnes
Homines. Sane enim Pæonis sunt ex generatione.

Itaque nec ex Homeri verbis aliqua insurgit dubitatio, quin imo ad Medicum quo sensu hujusmodi medicamentum pertineat, jam manifestum apparet. Quod scilicet non nisi Chironis arte consequatur, & ut per salutem animæ, corpori etiam cum adhibeatur, secundum Thracicam illam excantationem, quam Socrates apud Platon. in *Charm.* εἰρωνικῶς ad Zamolxidem referens, Charmidi dicebat, & supra adduximus. Qua ratione in παρασκευῇ hujus tractationis hoc unum tandem statuimus, corpus frugalitate & temperantia decorandum; temperatis enim humoribus, nunquam ad aliquod violentum animi affectiones prorumpent.

Pertinere autem Nepenthes ad Chironem, imo, ut Medicinæ artis, ita & hujus pharmaci auctorem fuisse, non solum ex Maximo Tyrio didicimus, sed luculento testimonio confirmavit Horatius *Epod.* ode XIII. cum ad amicos scribens, eos diris sollicitudinibus levare pectora suadet:

Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno.

Quem locum, non est Interpretum, quos viderim, qui recte exponat: cum ex Pindaro, quem in hac ode Horatius imitatur, ipsa petenda sit expositio, & ex his quæ supra ex Pindari Scholiaste *Pyth.* ode VI. docuimus. Siquidem, cum circumferrentur antiquitus Χείρωνος ὑποθῆκαι, hoc est, carmina quædam celeberrima, in quibus Chiron Achillam de omnibus, quæ ad recte vivendi institutionem pertinent, instruebat, volens Pindarus *ibid.* Thrasybulum, Xenocratis filium, ad cultum deorum & parentum venerationem excitare, sumpsit ex hoc Poemate argumentum, & Chironis exemplo, ad Thrasybulum conversus canit.

Σύ τοι σχεθών νιν ἐπιδέξια χειρὸς, ὀρθὰν
Ἄγεις ἐφημοσύναν, τάν ποτ' ἐν ὄρεσι
Φαντὶ μεγαλοσθενεῖ Φιλύ-
ρας υἱὸν ὀρφανιζομένῳ Πηλεΐδᾳ πα-
ραινεῖν· μάλιστα μὲν Κρονίδαν,
Βαρυόπαν, στεροπᾶν κεραυνῶν τε πρύτανιν
Θεῶν σέβεσθαι.
Ταύτας δὲ μή ποτε τιμᾶς
Ἀμείρειν γονέων βίον πεπρωμένον.
Tu utique tenens eum (patrem) *dextera manu,*
Rectam refers admonitionem, quam olim in montibus
Ajunt Philyræ
Filium robustissimo Pelidæ orbato parentibus
Consuluisse; videlicet potissimum quidem Saturnium,
Gravisonum, fulgurum fulminumque dominum,
Inter deos venerari:
Hoc vero nunquam honore
Privare parentum vitam fatis datam.

Ex eodem Chironis Poemate, Horatius noster seligens, quod ad tristitiæ levamen Chiron alumno cecinit, id est, in his hypothecis suis docuit carminibus, captansque ex illius persona dictis suis auctoritatem, illum per prosopopœjam, ad Pindari imitationem, hæc dicentem inducit *ibid.*

Invicte mortalis dea nate puer Thetide,
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, lubricus & Simois:
Unde tibi reditum certo sub tegmine Parcæ
Rupere: nec mater domum cærula te revehet.
Illic omne malum vino cantuque levato
Deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis.

Quod autem pro vino & musica intelligendum, quamvis Horatius *lib.* I. *ode* VI. more lyricorum, *Nos convivia, nos prælia virginum, cantamus vacui*, jucunde eleganterque ad solatium ex con-

victu & musica detorserit: haud tamen digna Chironis severitate interpretatio, neque Achillis educationi conformis indulgentia: cum huic uni major, quam cæteris Heroibus adhibita a Chirone disciplina, ut qui in eo virtute & viribus decorando μᾶλλον (ut Theon Sophista *in Achill. Encomium & Chironis Prosop.* ait) ἐφιλοτιμήθη, *magis fuerit ambitiosus*: & summa ipsius indignatio, quidquid ille vel leviter in hac institutione deliquerit. Sed in hac re explicanda commodiorem locum expectamus.

Nunc, cum jam sufficienter sit demonstratum, Nepenthes philosophicum esse remedium, & ab iis prodiisse, quorum munus ad virtutem instituere, in virtute quadam consistere dicendum est: quod Petrarcha noster indicabat *Rhythm.* p. I. sonulo XLV.

E col terzo bevete un succo d'herba,
Che purghi ogni pensier, che'l cor affligge.
Dolce a la fine, & al principio acerba.

Nam hæc peculiaris & genuina virtutis nota, fructus habere dulces, radicem vero insuavem. Vide Hesiodi *Oper. l.* I. Virgil. *de Litt. Pyth.* Quænam igitur virtutis species sit, modo inquirendum.

Et primum, quod notissimum est in Philosophia morum, imo ex Homeri sapientia deductum, (vid Heraclid. in *Alleg. Homer.* Plutarch. *de Virt. Mor.*) ita se habere animi constitutionem dicimus, ut una sit ejus pars ratio, altera rationis expers, qua iracundia continetur & cupiditas. Cumque diversa harum partium sit natura, necesse est diversam esse perfectionem. Virtutum ergo quædam in parte rationali, quædam in rationis experte collocantur: illas principes cum τῆς ἡγεμονικῆς occupent locum; has comites ajunt. Siquidem a superiori perficiuntur, nec aliquid honestum faciunt, secundum rationem, quæ in eis est: ab altera enim mutuantur: a qua, velut jugales, ab auriga dirigantur moderenturque.

Hujus prærogativæ esse Helenæ pharmacum, constat evidentissime: cum pari modo ab eo modus & regula reliquis partibus præscribatur. Quod Homerus expressit, νηπενθὲς καὶ ἄχολον vocans. Nam ecquis est, qui non videat ἄχολον ad irascibilem pertinere, sicut νηπενθὲς concupiscibilem respicit? luctus enim in hac animi parte insidet, cum ex Cicerone IV. *Tuscul.* non aliud sit, quam ægritudo ex personæ, quam concupimus, interitu. Horatius manifeste *desiderium* vocavit, *l.* I. *ode* XXIV. mortem Quintilii Vari flens:

Quis desiderio sit pudor, aut modus
Tam cari capitis?

Et licet Aristoteles *l.* III. *Mor.* cap. XIII. neget eos, qui amicorum obitu majorem dolorem capiunt, intemperantes dici, quæ intemperantia in hac animi parte collocatur, non est proinde, ut huic affectioni alia designari possit sedes. Et hinc rectius omnis diluitur dubitatio, quæ de vocis ἄχολον interpretatione in secunda Parte nos morabatur.

Si igitur, per hoc medicamentum, habitum rationis Homerus intelligit, age, videamus quisnam sit? & nulli dubium est, ut Theages inquit Pythagoreus in *l. de Virt.* rationalem hominis partem cognitione perfici. Cognitio aut scientia est, ut geometria & dialectica: aut ars, velut navigandi, ferendi: aut prudentia, qua quis cuncta tuetur agenda, ac disponit: aut sapientia, qua Deum agnoscit, religionem colit. Aristoteles etiam τὸν νοῦν, id est, *mentem*, sive *intelligentiam*, considerat: quæ est principiorum, ut *totum sua parte majus*. Et aliquem istorum esse, necessario fatendum est. Sed in arte quadam consistere, suadetur ex Antiphon-

A tis auctoritate, qui, ut inquit Plutarchus in *Rhet. Vit.* & nos supra docuimus, librum scripsit περὶ τῆς ἀλυπίας τέχνης: nec scientiam simpliciter esse repugnat, si Tacitum III. *Annal.* attendamus, de Agrippina loquens, *illic paucos dies componendo animo insumpsit, violenta luctu, & nescia tolerandi.*

Nos breviter habitum prudentiæ statuimus, neque exinde artem, vel scientiam esse rejicitur, cum utrumque nomen virtuti conveniat, ut Maximus Tyrius elegantissime docuit *Dissert.* XVII. & eo magis prudentiæ, quæ ex Platonicorum doctrina, (Alcinous *de Doct. Plat.* cap. XXIX.) *scientia* describitur *bonorum malorumque, & quæ media*
B *inter utrumque sunt animæ affectionibus, quæ cuique sunt propria perscribens.* Et dici haud potest quam recte Homero aptetur IV. *Odyss.*

Τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα,
Talia Jovis filia habebat pharmaca,

μητιόεντα, siquidem hæc vox ἀπὸ τοῦ μήτιος derivatur: μῆτις autem *consilium*, & ut ait Chrysippus apud Galenum *de Dogm. l.* III. c. VIII. ὡσανεί τις φρόνησις, καὶ περὶ τῶν κατὰ τὸν βίον τέχνη, &c. *quasi quædam prudentia, & rerum, quæ in vitæ actionem*
C *veniunt, ars.*

Est igitur Homeri sensus, non, ut ex Plutarcho refert Budæus, κατὰ τὴν θεωρητικὴν τέχνην ἐσπουδασμένα, vel, ut ait Eustathius, βουλῆς δεόμενα εἰς ἀποφυγήν, sed quemadmodum Volaterranus in *Hom. Vers.* exponit, qui etsi in Græcis vertendis, F. Floridi Sabini censura in *Apologia*, pueriliter persæpe labitur, hunc tamen locum meo judicio ita vertit, ut quam rectissime explicasse appareat, ut ait: *Tale igitur pharmacum Helena Jovis filia bonum admodum, & ad mentem consiliumve faciens habebat.* Et Jovis filiam hoc in loco Helenam appellari non est abs re, & ex Athenæi verbis colligitur, quæ
D supra retulimus: qui quidem & unam & alteram conditionem notat: primo Helenam Jovis extitisse gnatam. Quod allegorice, & ad rem nostram si intelligas, quid aliud est Helena, quam διάνοια, hoc est, ut ita hic mihi dicere concedatur, Διὸς νοῦς, velut ex Jove orta sapientia? Altera conditio ab Ægyptiorum Sapientibus edocta, inquit Athenæus; quatenus a pædia & longa exercitatione prudentia nobis acquiratur. Dependet autem a varia institutione: ut diversimode institutus, juxta varios hominum mores, & Philosophorum sectas, diversimode quis prudenter agere judicetur. Sed de pædia, quæ specialiter ad hanc prudentiam, de qua
E loquimur, pertineat, mox aliquid dicemus: nunc rem ipsam suoque peculiari nomine definiamus.

Proficiscitur (inquit Alcinous *de Doct. Platon.* c. XXVIII.) a prudentia recta ratio, & a recta ratione rectus animorum status constituitur. Siquidem virtus (exemplo utar Maximi Tyrii *Diss.* XVII.) ut Lacedæmoniorum Respublica se habet, in qua populus sub tali imperio vivit, ut minor pars, eaque optima, imperet, altera obediat. Indiget autem altera pars altera; tam quæ imperat, ea quæ paret, quam quæ paret conservationi ejus, & tutela quæ imperat. Et ita in animis nostris, qui con-
F servantur, & præsidio & moderatione egent, sunt affectus. Ratio est quæ conservat, tuetur & moderatur. Ut autem ad imperantis normam tota componitur civitas, pari modo ab ipsa ratione hic vel ille status inducitur. Siquidem a prava imperandi dispositione turbæ, seditiones, servitutes & affectuum tyrannides oriuntur: rectam autem rationem pax, tranquillitas, felicitas & ipsamet beatitudo consequitur. Quem animi statum uno verbo μετριοπάθειαν Græci dicunt, & mediocritatem quandam, & temperationem affectuum explicat, quam

probarunt Platonici, & eos secuti Peripatetici. Stoici vero exorsi ab eadem prudentia, in hac re concludunt: *Qui prudens est, & temperans est: qui temperans est, & constans: qui constans est, & imperturbatus est: qui imperturbatus est, sine tristitia est*, Seneca *epist.* LXXXV. Rejiciunt hi enim affectus omnes, & cupiditate, lætitia, & metu, ægritudine, & dolore, velut malis seditiosisque incolis expulsis: receptisque pro aliquibus eorum voluntate, gaudio, cautione, non modo quietam, sed omnino imperturbabilem politiam constituunt: & hanc animi firmitatem & constantiam ἀπάθειαν dixere, Latine *impatientiam*. Sed ambigue, inquit Seneca *epist.* IX. poterit contrarium ejus, quod significare volumus, intelligi clarius imperturbatio. Siquidem Cicero, ut notat D. Augustinus, *de Civit. Dei l.* IX. c. IV. quos Græci πάθη, *perturbationes* fere semper appellat: quarum vacuitatem, sive carentiam, *imperturbationem*, sive mavis *imperturbabilitatem*, utcumque appellabimus. Ad hujus ἀπαθείας instar, constitutionem animi, baud ad omnes, sed tantummodo ad hanc specialem turbationem, quæ luctus dicitur, inconcussa stabilitate resistentis, ἀπένθειαν nominamus. Nec vocem ipsi cudimus, sed a doctissimo Budæo *in l. qui venenum, ff. de verb. sign.* habemus: qui apud Theophrastum, loco quem in secunda Parte adduximus, in illis verbis λήθην ποιεῖν καὶ ἀπάθειαν τῶν κακῶν: ex quo Plinius *l.* XXV. c. II. ea exprimens, *oblivionem tristitiæ veniamque afferens habet. Fortasse autem Plinius* (inquit Budæus) *non ἀπάθειαν, quasi indolentiam, & impatibilitatem malorum, sed ἀπένθειαν legit, quasi luctus veniam, quod verbum alludit ad νηπενθής, ut suspicari subeat Plinium scripsisse oblivionem tristitiæ, veniamque luctus afferre*. Quæ conjectura, alia certe ratione nos juvat: nam hac voce mirum in modum constantia adversus luctum exprimitur, quæ *illuctuositas* novo vocabulo Latine diceretur. Et ita definiri potest tenor animi ad eam firmitatem & duritiam producti, ut nullam ex obitu vel internecione quorumcumque charissimorum capitum solicitudinem & tristitiam contrahat. *Et hæc est sola illa Helena*, (ait literarum columen Lipsius *de Const. l.* I. c. VI.) *quæ verum illud legitimumque Nepenthes propinet, in quo oblivio curarum & dolorum*.

Sed quid paradoxon hoc Stoicorum inventum: quod vix in Scholis, ut ait Tullius, Stoici probant, & oppugnatam, exagitatam, atque adeo derisam horum hominum sententiam, rursus excitare & probare audebimus? an non, cum isthac apathia, quam ratio atque religio abstulit, & stolones hujusmodi ἀπενθείας similiter excidendi, cum eadem ab istis, quam ab illa nascantur absurda, & mala proveniant? Siquidem probatum est, humanam naturam negare alicujus animum immunem esse tristitia: sapientem non vinci mœrore, cæterum tangi: & affectus omnes naturales esse, non voluntarios, omnium viventium ratio demonstravit.

Fructus autem, si qui ex hac arbore, stupor, & inhumanitas. Nam & misericordiam (inquit Augustinus *l.* IX. c. V. *de Civit. Dei*) Stoicorum est solere culpare; & in homine præclarum & excellens bonum est misericordia. Addit Lactantius *lib.* VI. utrumque rectissime a Plutarcho in *Consol. ad Apoll.* inculcatum, cujus verba præstat audire: Τὸ μὲν ἂν ἀλγεῖν καὶ δάκνεσθαι τελευτήσαντος υἱοῦ, φυσικὴν ἔχει τὴν ἀρχὴν τῆς λύπης, καὶ οὐκ ἐφ' ἡμῖν· οὐ γὰρ ἔγωγε συμφέρομαι τοῖς τὴν ἄγριον ὑμνοῦσι καὶ σκληρὰν ἀπάθειαν, ἔξω καὶ τοῦ δυνατοῦ συμφέροντος οὖσαν. ἀφαιρήσεται γὰρ ἡμῶν αὕτη τὴν ἐκ τοῦ φιλεῖσθαι καὶ φιλεῖν εὔνοιαν, ἣν παντὸς μᾶλλον διασώζειν ἀναγκαῖον. Et ut Xylander vertit: *Jam ex morte filii dolorem ægritudinemque animi concipere res est talis, quæ a naturali profecta principio non sit in nostræ voluntatis sita libertate. Non enim eos probo, qui feram quandam laudibus ferunt duramque indolentiam, quæ neque contingere nobis potest, neque ut posse fingas commodatura nobis esset; ablitura enim erat, quam conservari maxime oportet, quæ ex amore ultro citroque existit, benevolentiam*.

Itaque ex his (si recte colligo) duo objiciuntur: ἀπένθειαν οὐκ ἐφ' ἡμῖν, hoc est, ex iis esse, quæ non sunt in nostra potestate. Alterum mutuam inter homines benevolentiam labefactare. Utrisque occurrendum, & longe aliud esse facili negotio demonstrabitur. Et primum nullum ex apenthia oriri malum, quandoquidem & amor inter homines conservatur, foveturque misericordia. Nec idem udicium arbores omnes Thracica quadam agriculatione indiscriminatim præcidere, & rubos evellere, stolonesque in pomis aut in oleis proceros amputare, hoc est, passiones & adfectus omnes ab animis nostris auferre, & luctum eradicare. Vide *Comparat. Herodis Attici* apud Agel. *l.* XIX. c. XIII. Hunc velut inutilem damnosumque rejicimus, reliquos affectus, nec extirpandos cum Stoicis, nec compescendos cum Peripateticis existimamus. Quamobrem sacra doctrina nos doceat, his etiam laxari fræna debere, si unde fuerint, & cujus causa probaverimus: *Nec in nostra disciplina* (inquit S. Augustinus *l.* IX. *de Civit. Dei* c. V.) *quæritur utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur; nec, utrum sit tristis, sed unde sit tristis; nec utrum timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti ut corrigatur, contristari cum afflicto ut liberetur, timeri periclitanti ne pereat, nescio utrum quisquam sana consideratione reprehendat*.

Luctus vero nec lugenti, nec ei qui decessit, nec erga Deum, nec erga homines aliquid boni & utilitatis in se habet: an ergo eo carere juste quis imputabit? Si lugentem consideras, magna quidem amentia est, pœnas a se infelicitatis exigere, mala sua augere, & se mortuo quem deplorat adjicere. Quod si jucundam præreptam nobis, ob necessariorum funus, consuetudinem dolemus, nec alia causa est, qua eos desiderare contingat; si tanti jucunditatem facimus, cur eam, si aliunde liceat, non potius aliquo modo nobis comparare, quam voluntario mœrore affligi volumus? qui si torquet, non adjuvat, primo quoque tempore deponendus est, & ab inanibus solatiis, atque amara quadam libidine dolendi animus recipiendus. Si ad eos qui obierunt respexeris,

Id cinerem, aut manes credis curare sepultos?

Nullis planctibus defuncta revocantur, sors immota & in æternum fixa nulla miseria mutatur, & mors tenet quidquid abstulit, desinat ergo dolor qui perit: & ab Homero *Iliad.* XXIV. animum sume, & ab his, quibus Priamum Achilles alloquitur, utramque hanc causam complexus:

> Ἄνσχεο, μηδ' ἀλίαστον ὀδύρεο σὸν κατὰ θυμόν.
> Οὐ γάρ τι πρήξεις ἀκαχήμενος υἷος ἑῆος,
> Οὐδέ μιν ἀνστήσεις, πρὶν καὶ κακὸν ἄλλο πάθησθα.
> *Æquo animo tolera, assiduo nec te ipse dolore*
> *Confice: perficies etenim nihil inde, nec ipsum*
> *Sic poteris nati lacrymando excire cadaver,*
> *Sed graviora tibi potius tormenta parabis.*

Et cum animos nostros æternum vivere indubitanter credamus, eos mortali corpore exutos, aut cœlum conscendere, aut in inferna demergi: nec cum Seneca dicimus, *illa, quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse*. Itaque post hujus vitæ usuram, quicumque istorum contigerit locus, jam non amplius lugendum. Vide Platonem in *Men.* Nam aut beatus, & divorum consortio potitur, aut damnatus est. Beatum fere invidia

dia est, monet Seneca, cum tantum nolis illi esse beneficii; sed ob exiguum tui commodum, jam ultra in hujus vitæ miseriis optares damnatum dementia: indignus quippe is omni affectu est, qui Deo invisus, capitali scelere reus, perpetuis cruciatibus destinatus occubuit. Si autem media loca petierit, ut tandiu ibi divertat, donec omni labe expurgatur, cœlestem, unde demissus est, subeat patriam: jam remediis, non luctu, indigebit, cum amare & bene velle ei qui mortuus est, non in hoc positum sit, ut tibi ipsi dolorem inferas, sed ut dilecto aliqua commodes ratione: quod omni animi tranquillitate, sacris operati, ex religionis instituto præstabimus. Nec alia in his casibus erga Deum pietas, quam in ipsa æquanimitate, patientia, & gratiarum actione. Siquidem libet cum Horatio *Carm.* lib. I. ode XXIV. dicere:

Tu frustra prius, heu non ita creditum
Poscis Quintilium deos.

Et cum mors præcipuum Dei donum, & semper ex ejus dependeat providentia, qui eam damnat, tacite de divino judicio conqueritur: ut & illi prætera, qui acerbitate funerum tacti, detestabili impietate palam superis irascuntur & maledicunt. O quam recte, & ad exemplum, Massilienses hujusmodi usurpant disciplinam! ut apud eos sine lamentatione, sine planctu, luctus funeris die, domestico sacrificio, adjectoque necessariorum convivio finiatur. Etenim subdit Valerius Maximus *lib.* II. *cap.* IV. *Quid attinet, aut humano dolori indulgeri, aut divino numini invidiam fieri, quod immortalitatem suam nobiscum partiri noluerit?* An non & ipsi Romani luctum diis invisum testati sunt, & religionis cæremoniis adversari, cum eum in voti solutione, in ædis dedicatione deponerent: & *Feriarum die*, ut inquit Petronius in *Satyr. etiam lugentes ridebant?* Sed de hac re, ne sim prolixior, vide Joannem Kirchmannum *de Fun. Rom.* cap. XII. scriptorem hujus materiæ luculentissimum. Nec sunt cujuscumque generis homines, quibus hic luctus probari debeat: nam si

Αφρονες ἄνθρωποι, καὶ νήπιοι οἵ τε θανόντας κλαίουσι.

ut ait Theognis in *Sent.*

Dementes homines, & stulti qui mortuos lugent.

nonne dementiores, stolidioresque qui hoc ab aliis exigant?

Celebratissimus Plato *de Leg.* lib. XII. in sua Republica, nihil in hac re a legumlatoribus lege statuendum judicavit, quippe, ut arbitror, lacrymas in funeribus prohibere, ἄμορφον, inquit, tanquam ad aliquorum hominum imbecillitatem, quod fateor, nimis severum: ad eas autem adigere itidem absurdum, cum ex recta institutione non sit. Si enim sapientibus non vulgo leges conderentur, utique omnem prohibere oportuisse, ut Soloni placuisset, Cic. lib. III. *Tusc.* quamvis & ei immodicus pro filio luctus objiciatur. Sed cum popularis stultitiæ aliqua sit habenda ratio, si quid lessus permittatur, Lycurgus intra dies undecim coercuit, ipse Plato intra domesticos parietes sepeliendum statuit: cum inde scilicet nullum ad suos cives honestatis atque virtutis exemplar: & vere, ut inquit Homerus *Iliad.* lib. XXIV.

Οὐ γάρ τις πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο.

Nulla est utilitas frigidi luctus.

Nec profusum insanumque lugendi morem in Patrocli funere probasse Poetam dicendum est, siquidem id eo artificio canit, ut manifestum faciat, contrarium commendasse, & ita affectibus indulgere Achillem permittat, ut eorum moderationem correctionemque solummodo extollat. Et huc spectant Thetidis admonitiones, Ulyssis consilia, & ipsius Patrocli verba in somnis ad Achill. Hom. *Iliad.* Ψ.

Θάπτε με ὅττι τάχιστα. πύλας ἀΐδαο περήσω,
Τῆλέ με εἴργουσι ψυχαὶ, εἴδωλα καμόντων.

Sepeli me quam citissime, portas Plutonis ut intrem,
Longe me abigunt animæ, umbræ defunctorum.

Quod Tertullianus lib. *de Anima* cap. LVI. vidit, & acutissime his verbis admonuit: *Novimus autem præter Poetica jura, pietatis quoque Homericæ industriam. Tanto magis enim curam sepulturæ collocavit, quanto etiam moram ejus injuriosam animabus incusavit, simul & ne quis defunctum domi detinens ipse amplius cum illo maceretur enormitate solatii dolore nutriti. Ita querelas animæ insepultæ ad utrumque confinxit, ut instantia funeris & honor corporum servetur, & mœror adfectuum temperetur.* Vid. Homer. *Iliad.* XVI. Plat. lib. III. *de Rep.* Et Jovis lacrymas ob Sarpedonis mortem, aliud annuere, quam ad luctus commendationem pertineat, vetus scriptor Heraclides in *All. Hom.* indicavit.

Non est igitur in hac lugendi consuetudine bonum, nec quidpiam in ejus abrogatione, quod minime decens videatur, & merito cum Germanico, velut lege statuendum: NON DECET DEFUNCTUM IGNAVO QUESTU PROSEQUI, Tacit. lib. IV. *Ann.* Quod vero ait Plutarchus, auferri τὴν ἐκ τοῦ φιλεῖσθαι, καὶ φιλεῖν εὔνοιαν, quasi eos, quos post mortem lugendos negamus, viventes, nobisque conjunctos amare prohibeamus, cum sine dolore amittatur quicquid sine amore possidetur, constantissime negamus. Ament sese invicem mutuaque concertent affectione parentes, filii, fratres, consanguinei, affines, concives, & ipsi amici, qui & nomine dilectionem profitentur: hoc unum tantum indicimus, ut salutariter ament. Neque hic Epicureos infector, Laert. in *Vit. Epicur.* Plutarc. in lib. *de Amor.* qui amicitias proprio commodo atque voluptate metiebantur, sed cum Epicteti cautione in *Encb.* cap. VIII. ἐφ' ἑκάστου τῶν ψυχαγωγούντων, ἢ χρείαν παρεχόντων, ἢ στεργομένων, μέμνησο ἐπιλέγειν ὁποῖόν ἐστιν, ἀπὸ τῶν σμικροτάτων ἀρχόμενος. ἂν χύτραν στέργῃς, ὅτι χύτραν στέργεις. κατεαγείσης γὰρ αὐτῆς οὐ ταραχθήσῃ. ἂν παιδίον σαυτοῦ καταφιλῇς, ἢ γυναῖκα, ὅτι ἄνθρωπον καταφιλεῖς. ἀποθανόντος γὰρ αὐτοῦ οὐ ταραχθήσῃ. *Singulis in rebus, quæ vel delectant, vel usui serviunt, vel diliguntur, memento considerare cujusmodi sint, exorsus a minutissimis. Si ollam diligis, te ollam diligere: nam ea confracta non perturbaberis.* Id ipsum præcipit Seneca *Cons. ad Polyb.* cap. XXX. *In procinctu semper stet animus, id est, quod necesse est, nunquam timeat, & quod incertum est semper exspectet.* Hoc etiam a Philosophia sumptum, Terentius in *Phor.* Act. II. Sc. I. ita commode expressit:

Quamobrem omnes, cum secundæ res sunt maxime, tum maxime
Meditari secum oportet, quo pacto adversam ærumnam ferat,
Pericla, damna, exilia. Peregre rediens semper cogitet
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ:
Communia esse hæc, fieri posse, ut ne quid animo sit novum,
Quicquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.

Socrates tali exercitatione sapientissimus, vel cum semetipsum efferret, & jam haustu unico a morte abesset, mira animi tranquillitate, jocis cantilenisque delectabatur. Semper quidem mori didicerat, dum viveret, & cum mori juberetur, semper se victurum putabat. Quid enim magnum aut insolens est, si quod mortale est emeritur? Nec aliter quam diutina hujusmodi contemplatione profecerat Anaxagoras: qui nunciata filii morte, sciebam jam illum genuisse mortalem, respondit; nullisque datis

tristitiæ ac fracti animi indiciis, disputationem, quam forte inter familiares de natura rerum habebat, ad finem usque constantissime produxit. Vid. Plutarch. in *Consol. ad Apoll.* Cic. lib. III. *Tuscul.* Hieron. in *Epit. Nep.* Merito igitur hæc laudatissima carmina & ipse Cicero laudibus celebrat lib. III. *Tuscul.*

Ego cum genui tunc morituros scivi, & ei rei sustuli.
Præterea ad Trojam cum misi ad defendendam Græciam,
Sciebam me in mortiferum bellum non in epulas mittere.

Ad alteram ex Plutarcho difficultatem, dolorem scilicet ob necessariorum interitum, *φυσικὴν ἔχειν τὴν ἀρχήν*, *naturale habere principium*, ultro id a nobis asseritur, sed tamen *ἐφ' ἡμῖν*, in nostra esse potestate, secus ac ille dicebat, contendimus. Neque hoc portentum Stoicorum, nam ita esse, vel ipsa tandem fatebitur Academia. Nam cum luctus animi quædam affectio, si de affectibus cum Stoicis sentiendum, nulla nos urgeret difficultas. Siquidem, aut cum Chrysippo, in I. *de affect.* apud Gal. *de Decr. Hippoc. & Plat.* l. IV. c. VIII. cujus opinio magis apud Stoicos obtinuit, diceremus, affectus omnes *κρίσεις τινὰς εἶναι*, *judicia quædam esse*; aut Zenonis apud Gal *ibid.* amplecteremur sententiam: qui, ut ait Galenus, non judicia effectus esse censebat, *ἀλλὰ τὰς ἐπιγινομένας αὐταῖς συστολὰς, καὶ λύσεις, ἐπάρσεις τε, καὶ τὰς πτώσεις τῆς ψυχῆς*. *Sed judiciis supervenientes contractiones, & solutiones, elationes item, & dejectiones animæ.* Et ita semper concluderemus, *perturbationes*, ut Ciceronis verba *Acad.* I. usurpem, *voluntarias esse* * *opinionisque judicio suscipi, & omnium perturbationum* * *esse matrem immoderatam quandam intemperantiam.*

Sed patiar in contrariam sententiam duci: cujus ratio, vel omnium maximum Stoicorum Possidonium apud Gal. *ibid.* movit, ut ab utrisque his opinionibus alienus, neque judicia, neque judiciis succedentia esse affectus putaret, sed oriri eos ex irascibili & concupiscibili facultate. Quod communiter inter Philosophos receptum est. Inter eorum tamen exortum & progressum distinguendum cum sapientissimo Epicteto. Quam distinctionem profert Agellius *Noct. Att.* l. XIX. c. I. & ex Agellio S. Augustinus l. X. *de Civ. Dei* c. IV. in re præsenti notatu atque relatu satis dignam: *Visiones animi*, inquit Epictetus, *quas φαντασίας* Philosophi appellant, *quibus mens hominis, prima statim specie accidentis ad animum rei pellitur, non voluntatis sunt, neque arbitrii, sed vi quadam sua inferunt sese hominibus noscitandæ: probationes autem, quas συγκαταθέσεις vocant, quibus eadem visa noscuntur ac dijudicantur, voluntariæ sunt, fiuntque hominum arbitratu.* Exemplo, si lubet, hæc doctrina illustrari potest. Siquidem in amore tria observantur conspicue. Primum enim, animi motus, cum pulchrum objicitur: fertur namque ad ipsum naturali propensione animus: & amorem dici, & non esse in nostra potestate constat. Cum vero facta sit consequendi spes, emergit consensu & deliberatione appetitus. Deinde ad speciem visam exardescens, & vehementiori impetu ad fructum properans, fit stabilis & voluntaria libido, quam magis proprie amorem nuncupamus, nec est Philosophorum, qui illum haud esse in nostra potestate autument, cum desiderium definiant pulchritudinis. Vid. Arist. in *Rh. c. prop.* Nam quod a natura est, illico in ipso ortu occideret: nisi consensu, approbatione, voluptate, vel in monstrum adolesceret. Idem in genere de affectibus, Seneca l. II. *de Ira*, c. IV. *Est primus motus non voluntarius, quasi præparatio affectus, & quædam comminatio. Alter cum voluntate non contumaci. Tertius motus est jam impotens, qui rationem evicit.* Sed de his aliqua alia apud clarissimum Stoicæ doctrinæ adsertorem Lipsium, quem utiliter in hac re consuluimus. Cumque ita se habeat: *Aut nihil*, inquit S. Augustinus l. IX. c. IV. *de Civit. Dei*, *aut pene nihil distat inter Stoicorum aliorumque Philosophorum opinionem de passionibus & perturbationibus animorum.* Quod ante eum Cicero dixerat: & idem notat, cum *Stoicos verbis magis, quam rebus adversus Platonicos, seu Peripateticos, certare convincit.*

Ut amor ergo naturale habet principium, & est in nostra potestate, ita & natura insitum in funeribus conjunctorum obtristari. Lugere autem, nedum *παρὰ τὸ μέτρον παρεκφέρεσθαι, καὶ συναύξειν τὰ πένθη*, *supra modum differri, luctumque adaugere*, quod etiam dicebat Plutarchus in *Cons. ad Apoll.* haud hominibus naturale, sed ex falsa quadam opinione est: itaque & voluntarium, *καὶ ἐφ' ἡμῖν*. Quamobrem non inconcinne hac super re, hujusmodi ab Æsopo in *Fab.* narratur Apologus: quod scilicet, cum genitis a se Diis honores & munia singulis ascriberet Juppiter, accessissetque ad eum cum aliis etiam luctus, sibique hujusmodi quidpiam expostulasset, Jovem dixisse, hoc se illi concedere munus, ut solis scilicet iis, qui voluissent & illum elegissent, semper adesset. Ad eos igitur ingruit, qui eum colunt: & si ab initio repuleris, neque animum permittas sauciari, quam longe semper a te aberit. Sed homines cum naturali ægritudini suapte natura modicæ & exili præter fas decensque opinionum fomenta falsarum subministrent, illique vano quodam erroris consensu agrestes, etiam sæpius, & immanes misceant affectiones, ad immodicos postea luctus, turpesque interdum, & fœmineos ejulatus, & inexplebilia lacrymarum studia, non immerito devolvuntur. Cic. lib. III. *Tuscul.* Ex quibus etiam clare perspici potest, immodicas istas animorum ægritudines ex corruptis pervertisque opinionum fallaciis, & non ex rerum natura temere esse susceptas. Itaque satis apposite, apud Philemonem Comicum in *Fragm.* servus quidam dicebat:

Μείζω τὰ κακὰ ποιοῦσι πολλοί, δέσποτα,
Αὐτοὶ δι' αὑτοὺς ἢ πέφυκε τῇ φύσει.
Οἷον τέθνηκεν υἱὸς ἢ μήτηρ τινί,
Ἢ νὴ Δί' ἄλλων τῶν ἀναγκαίων γέ τις.
Εἰ μὲν λάβῃ τοῦτ', Ἀπέθανεν, ἄνθρωπος γὰρ ἦν,
Τοσοῦτον γέγονε τὸ κακὸν ἡλίκον περ ἦν·
Ἐὰν δ' Ἀβίωτος ὁ βίος, οὐκέτ' ὄψομαι,
Ἀπόλωλεν, ἐν γ' αὐτῷ τοῦτ' ἐὰν σκοπῇ,
Πρὸς τοῖς κακοῖς οὗτος ἕτερα συλλέγει κακά.
Ὁ δὲ τῷ λογισμῷ πάντα παρ' ἑαυτῷ σκοπῶν,
Τὸ κακὸν ἀφαιρεῖται, ἀγαθὸν δὲ λαμβάνει.

Id est,

Graviora quam suapte natura forent.
O here, sibimet plurimi reddunt mala.
Si namque mortuus sit alicui filius,
Materve sit prærepta morte cuipiam,
Aut aliquis ejus ex propinquorum grege,
Et cogitet ita, Mortem obiit, homo quippe erat:
Tantum est malum quantum quod ante jam fuit.
At vero, Acerba vita dehinc futura mihi est,
Non hunc videbo postmodum, periit enim:
Hæc cogitare si quis intra se velit,
Adjungit ille nova prioribus mala;
Sin cuncta cum ratione quis perpenderit,
Malum quod inerat detrahens, bonum capit.

Homerus etiam, qua ejus est in obumbrandis rebus divinitas, idem, latiusque sub Ates fabula, meo judicio designavit *Iliad.* XIX. Nam,

A — *τῆς μὲν*, ait, *θ' ἁπαλοὶ πόδες, ἐ γὰρ ἐπ' ἔδει Πίλναται, ἀλλ' ἄρα ἥγε κατ' ἀνδρῶν κράατα βαίνει, Βλάπτεσ' ἀνθρώπες.*

— *hujus quidem molles pedes, non enim ad terram*
Appropinquat, sed hæc per virorum capita incedit,
Lædens homines, &c.

ἄτη, doctis viris *noxa* interpretatur: *ἀβυλία*, & *φρενοβλάβεια*, & *luctus* etiam exponitur. Omne enim detrimentum est, quod homines offendit: per eorum capita mollibus incedens pedibus: quod, quid aliud denotat, quam ex opinionibus, quæ sensim in hominum mentes illabuntur, id fieri? Quamobrem, si recte intelligatur, verissimum
B atque omnium assensu celebrandum optimi & moderatissimi senis Epist. in *Enchirid.* acroama: *Ταράσσει τὲς ἀνθρώπως, ἐ τὰ πράγματα, ἀλλὰ τὰ περὶ τῶν πραγμάτων δόγματα:* cui concinunt verba Stoici Cordubensis Senec. *epistol.* XLII. *Quæ cum lacrymis amittimus, scies non damnum in his molestum esse, sed opinionem damni.* Et hac turbatione is solum immunis, qui Homeri pharmacum ad mentem animi consiliumve proficiens ebibat: & eam assequatur prudentiam, quam hujus æquanimitatis causam esse probavimus.

Sed ut ad hanc prudentiam tandem referamus orationem, dependere eam *ἀπὸ τῆς παιδίας* monui-
C mus, quod etiam Epictetus noster *ibid.* edocuit; cum post verba paulo ante adducta, & in eodem capite, differentias *ἀπαιδεύτε, κὰ ἠργμένε παιδεύεσθαι, κὰ πεπαιδευμένε* exponit: & solius eruditi esse sine peccato, & sine querela, ob rationis perfectionem, ut Simplicius notat, & brutæ partis cum ea consensionem & obedientiam. Nam ea proprie est eruditio, cum puer qui in nobis a Pædagogo, qui & ipse in nobis est, castigatur: &, ut dicebamus, cum Achilles a Chirone instruitur, & pars illa, quæ rationis expers est, a recta ratione moderatur, dirigiturque secundum Homeri
D doctrinam, hoc illud est, quod ipse inquit: Nepenthes Ægyptium esse pharmacum, & ab Regibus illius regionis curatum. Nec enim absque allegoria prætereundum, cum sane indecens videretur, ei genti remedium adversus luctum tribuere, quæ omnium in hac re indulgentissima judicatur; *φιλόθρηνοι* siquidem Ægyptii dicti, & *φιλοπένθεις*, id est, *ejulatores, ac lugendi amantes*. Licet temere a magno Scaligero *in Man. Sphær.* pro *φιλόθρηνοι*, apud Ptolemæum *Quadr.* lib. II. cap. III. *φιλόθρησκοι* reponatur. Vide Plut. in *Cons. ad Apoll.* Constat etiam & lugendi aliis fuisse exemplo: nam hæc Servius *ad lib.* XI. *Æneid.* scribit: *Morem*
E *lugendi quidam dicunt Ægyptios invenisse: eos enim primos Liberum, quem Osirim appellant, a fratre Typhone per insidias interemptum, atra veste luxisse, inde ceteris gentibus traditum, ut post interitum proximorum suorum, veste mutata lugerent.*

Est igitur Ægyptium hoc pharmacum, quia secundum Ægyptiorum pædiam concinnatum: quod in duplicem sensum, apposite ad hanc partem, capi potest: videlicet, propter doctrinam Medicinæ, & propter Philosophiam: sorores quippe has artes vocat Tertull. lib. *de Anima* cap. II. & eandem patriam sibi vendicare par est. Sed pro Me-
F dicina haud vulgarem illam intelligimus, cujus & ex Ægypto origo, & hominum corpora curat; vel distributim per eorum partes, ut supra indicavimus: vel quomodocumque id fit. Nec enim ambigitur Medicinam hujusmodi primum Ægyptios ostendisse: ut luculenter Hieronymus Mercurialis *Var. Lect.* probavit. Verum cum nobilissimum sit Homeri medicamentum, & quid majus quod solum Medicorum filii noverint, non ad homines, sed ad Deos referendum: ita ut apenthias beneficium divina curatione obtineamus: qualis Serapidis est medicina, ad quam annuisse Homerum cum ex Ægypto prodiisse narrat; si conjecturas nostras libuerit perpendere, facile quis judicabit. Præstat igitur aliquanto copiosius explicare. Fuit autem Serapis, ut ait S. August. lib. XVIII. *de Civit. Dei*, cap. V. omnium maximus Ægyptiorum Deus, non solum per totam Ægyptum, sed ut erat gentium stultitia, in Græcia, & Romæ summa veneratione cultus. *Et Deum hunc*, inquit Tacitus *Histor.* lib. IV. *multi Æsculapium, quod medeatur ægris corporibus, quidam Osirim antiquissimum illius gentis numen, plerique Jovem, ut rerum omnium potentem, plurimi Ditem patrem, insignibus, quæ in ipso, manifeste, aut per ambages conjectant.* Cujus tam variæ nomenclaturæ rationes nullibi melius quam apud Aristidem *Or. in Serap.* indicantur: cum hujus nominis opera commemorat, cujus locum non possum quin huc adscribam. Haud tamen Græce ignoscant *φιλέλλωες*, sed ut Latinitate donatum ab Gulielmo Cantero: *Tria*, inquit, *in quovis homine considerentur, quæ vitam ejus continent, animus, corpus, & quæ de exteris ad usum pertinent: his omnibus Deus hic præest, qui & initio nos in lucem atque imperium suum perducit, & jam natis necessaria procurat omnia, animum quidem nostrum sapientia exornans, quæ sola deorum cum hominibus cognationem demonstrat, quaque aliis, tum hominibus, tum animalibus præstamus, & quæ deorum naturam sacra mysteria, & opificiorum genera omnia docuit, & constituit, veri & falsi discrimen eruit, vitam denique totam informavit; animum ergo sapientia purgans, corpus vero sanitatis beneficio, sine quo nec animi dotibus, nec alia commoditate ulla frui liceat, conservans.* Et paulo post: *Tanta est ejus erga nos per omnem vitam benignitas, cum nullus ab eo locus intactus sit relictus, quin omnia quæcumque ad hominem requiruntur investigaret, & per eam beneficentiam suam diffunderet, ab animo exorsus, & in externis commoditatibus desinens. Itaque pro harmonia vitam nostram habet, quam donis suis conglutinet sapientiæ quidem amorem, per sanitatem adferendo, sanitatem vero opum additamento condiendo, extrema denique medio, tanquam clavo animi bona videlicet ac divitiarum fructum sanitate connectendo, & confirmando.* Hactenus Orator, & hanc admirabilem medicinam, animo atque oratione, ut notat Petrus Victorius *Var. Lect.* lib. XXV. cap XI. Serapim fecisse, hi Varronis ex *Eumenidibus* versus explicare videntur:

Hospes, quid miras animo curare Serapim?
Quid, quasi non curet tantidem Aristoteles?
Aut ambos mira, aut noli mirare de eodem.

Quamvis sciam aliud Turnebo placuisse, *numo* pro animo substituenti *Advers.* lib. IV. cap. XI. & hanc lectionem Gaspard Hosfmannus doctissimus auctor probaverit, *Var. Lect.* lib. IV. cap. XLII. Hujus etiam numinis auspicio, Vespasianus Romanus Imperator Alexandriæ dum esset, duos ex ea gente, quorum alter tabe oculorum, alter manu æger, vel debili crure, ut ait Tranquillus in *Vespas.* pristinæ sanitati restituit; hunc juxta Serapidis monitum vestigio calcans, cæcum oris excremento respergens, ut Tacitus lib. IV. *Hist.* & Suetonius memoriæ prodiderunt. Idem elegantissimus auctor humanitatis Varro apud Nonium, in voce *præcantor*, ex magni Scaligeri emendatione, usum se hac medicina, & quænam fuerit indicat: *Ego medicina*, inquit, *Serapi utor. Quotidie præcantor: intelligo recte scriptum esse Delphis, Theon era.* Ex istis enim Varronis verbis, infert idem Hosfmannus *ibid.* indubitate colligitur in Serapis parietibus præceptum illud scriptum fuisse, *quotidie præcantor*: ea erat medicina Serapis, quæ homines cultui deorum & pietati assuescere instituebat.

A Vide Lector, quam recte hæc cum Chironis medicina conveniant, cujus ὑποθήκας si ad Homeri pharmacum pertinere mecum probasti, & hujuscemodi Serapidis præcepta ab eo haud aliena esse nunc necessario existimabis. Verum enim vero cum quæ amplius in his parietibus legerentur, non est qui memoriæ prodiderit, illud non omittendum, quod Suidas retulit: hoc est, dum Theodosii principatu templa Gentilium everterentur, in Serapidis fano hieroglyphicas litteras inventas fuisse, in quibus Crucis figura cerneretur, quam Hieroglyphicorum periti dicerent, futuræ vitæ habere notationem. Vide Socrat. lib. IX. *Hist. Tri-* B *part.* Quid est Crucis signum, nisi ὑγείας character, salutis & sospitatis signaculum? Neque mirum eam in Serapidis templo inventam; si dictu majora, & quamplurima digna admiratione, ex ejus oraculo prodiisse idem meminerit. Nam consulenti cuidam Ægypti Regi, quisnam se esset beatior? ita respondisse fertur apud Suidam in *Thulis*:

Πρῶτα θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
Σύμφυτα δὴ τρία πάντα, καὶ εἰς ἓν ἰόντα.

Pincipio Deus est, tum Verbum, bis Spiritus una est.
Congenita hæc tria sunt cuncta, hæc tendentia in unum.

C Et, si licet Ægyptiorum spoliis locupletari, quid admirandum magis, quam sanctissimum Trinitatis mysterium, hujus dæmonis responso Gentilium auribus inlatum? Nec in alia veram felicitatem & beatitudinem esse, supra omnium regum fortunas, quam in hac augustissima Triade indicatum? Cui igitur magis, quam huic numini exhilarans conveniet Homeri pharmacum? Quod si ab medicina Ægyptiorum manavit, ex nulla alia, quam ab hac Serapidis, fluxisse dicendum erit. Et ut libentius affirmes, sciendum est multum in hujus Serapidis vocis etymo, sive Sarapidis, ita enim scribi- D tur, a Veteribus insudatum. Philarchus apud Plutarchum *de Iside & Osiride*, παρὰ τὸ σαίρειν, quod est *comere & ornare*. Aliqui *Sarapis* interpretantur, velut *Sorosapis*, vel *Sorapis*, id est, Απιδος σορὸν, *Apis*, vel *Bovis*, ut ajunt, vel *Regis arcam*, & *sepulcralem cistam*. Vid. Clem. Alexand. *Adh. ad Gent.* Cujus opinionis Varro, ut refert S. Augustinus de *Civit. Dei*, lib. XVIII. cap. V. Alii παρὰ τὸ σεύεσθαι, ἢ τὸ σοῦσθαι τὸ πᾶν τὸ πάντες ἅμα κινοῦσιν, *quod Deus ipse sit universi motus auctor*. Quas opiniones damnat Plutarchus *ibid.* velut maximum absurdum, Ægyptiorum nomen Græce interpretari. Nam hac ratione, si Deo placet, ad vocem E illam æque proximius referri posset, qua Alcæus Pittacum Philosophum notabat, eum σαράποδα, ut ait Laertius in *Pittaco*, καὶ σάραπον vocans, διὰ τὸ πλατύπουν εἶναι, καὶ ἐπισύρειν τὼ πόδε, *quod latos, ipsosque traheret pedes*. Et consentiret cum Ægyptiorum fabulis, quas de Jove celebrant: cum, ut ex Eudoxo *ibidem* refert Plutarchus, ineptum ad ambulationem perhibent, ὡς τῶν σκελῶν συμπεφυκότων αὐτῷ, *velut connatis inter se pedibus*: τὸ σαράποδα exprimit vox *sarapolla*, qua vulgus Neapolitanum, pristinæ Græcitatis vestigium, adhuc utitur, cum τοῖς μοναχοῖς aliquando F pueriliter jocatur. Credo eodem sensu, quo Massensem gentem pipulo differt: nisi ex reliquo cæpis convicio utrumque fortasse ad Ægyptios sit referendum: qui Dictyn Isidis alumnum cæpe captantem, in aquam, & propterea in mortem, incidisse commemorant; cum id ipsum sit, quod blaterat.

Sed hic jocis relictis, quid de Sarapide scribat Plutarchus *ibid.* audiamus: Ἐγὼ δὲ, inquit, εἰ μὲν Αἰγύπτιόν ἐστι τοὔνομα τοῦ Σαράπιδος, εὐφροσύνην αὐτὸ δηλοῦν οἴομαι, καὶ χαρμοσύνην, τεκμαιρόμενος ὅτι τὴν ἑορτὴν Αἰγύπτιοι τὰ χαρμόσυνα σαίρει καλοῦσιν. *Ac ego, cum Sarapidis Ægyptium sit nomen, lætitiam, & hilaritatem significare autumo, inde conjecturam ducens, quod τὰ χαρμόσυνα*, id est, *hilaria festa, Ægyptii appellant σαίρει*, &c. Hoc etiam etymon, in sua, quam tanti venditat, Cimmeria lingua Goropius *Hierogl.* lib. XVI. amplectitur, & ex iis particulis hoc nomen componit, ex quibus sensus; ut *Serapis* sit, *qui dolores*, ut ipse ait, *nostros, & scabiem abstergit*, & alia hujusmodi quæ apud ipsum erit videre. Et si ita est, quid quæso dici aut cogitari potest accommodatius ad rem nostram? Nam si hic Deus lætitia & hilaritas interpretatur, Homeri Nepenthes re vera ex Serapidis erit medicina, cum lætificum & exhilarans sit medicamentum, eo magis cum a Thone Rege prodierit, quem ex Strabone *Geograph.* lib. X. habes prope urbem dominatum, cui Canobus navis Menelai gubernator nomen reliquit, ubi Serapidis templum religiose cultum, in quo, inquit auctor gravissimus, συγγράφειν δέ τινες καὶ τὰς θεραπείας, ἄλλοι δὲ ἀρετὰς τῶν ἐνταῦθα λογίων, *sunt qui curationes conscribant, quidam virtutes ibi editorum oraculorum*. Ægyptium ergo Nepenthes, quia Serapidis curatione assequitur, & ex his quæ diximus, consistere eam in sapientia animi, cultu deorum, & spe futuræ beatitudinis, est manifestum.

Sed cum nihil aliud de hujusmodi medicina ad rem nostram suppetat, transeo ad Philosophiam: quam sibi vindicare Ægyptum, & inde in varias gentes, & ipsam Græciam translatam libri omnes fatentur. Et licet Ægyptiis antiquiores Magos, & ipsos sapientiæ antistites Aristoteles dicat lib. *de Philosoph.* apud Diogenem Laertium in *Proœm.* negari tamen non potest, aliunde quam a Memphiticis Sacerdotibus Philosophiam ad Græcos homines haud derivasse. Siquidem Thales ipse, qui Ionicam inchoavit, a qua omnes aliæ Philosophorum sectæ in Græcia manarunt, nullo præceptore usus est, Diogen. in *Thalete*, sed, ut ait Clem Alexand. *Strom.* lib. I. solum cum Prophetis Ægyptiorum congressum habuit. Pythagoras alter Philosophiæ auctor, quam Italicam dixere, in Ægypto ad eam sibi comparandam peregrinatus est, ubi Oenyphim Heliopolitam audivit, vel, ut ait Plutarchus *de Iside & Osiride*, Sonchedum archiprofectam. Sed ut cæteros omittam, quos si enumerarem, prolixior essem: Plato ille magnus, pie sancteque sapiens, nonne Sechnuphidis Heliopolitani discipulus fuit? ipse certe suis scriptis sapientissimum quendam totius Ægypti Regem memorat, quem Trismegistum fuisse Hermetem, & ab eo plurima hausisse, cum Clemente Alexandrino *Strom.* lib. I. Tertullianus consentit lib. *de Anima*. Homerum vero, doctrina hujus gentis imbutum, superfluum est affirmare, cum non desint, qui in Ægypto ortum esse contendant. Ejus igitur pharmacum Nepenthes, si Ægyptiorum Regum industria concinnatur, jam plane liquere existimo, studio Philosophiæ comparari, idque Poetam docere voluisse, ad eam gentem referens, unde bonæ artes in Græciam provenere, nec aliena iis regibus attribuit: in cujus fidem Amasis apud Stob. *Serm.* CCLXXVIII. qui universam Ægyptum dominatus est; cum epistolam scriberet ad quendam, qui filium amiserat: Εἰ ὅτε μηδέπω ἦν, dixit, οὐκ ἐλύπει, μηδὲ νῦν λυπηθῇς, ὅτε οὐκ ἔτι ἐστιν. *Si non tristatus es cum nondum esset, nec nunc quidem dolere debes, cum non amplius sit.* Quod si hujusmodi conjectura arrideat, cum jam in varias partes divulsa Philosophia, pluresque Philosophorum sectæ, cujus studio ad ἀπάθειαν, & hunc tranquillitatis statum, perveniemus?

Si Pythagoreorum dogmata considero, eorum *ἀθανασία, καὶ μετεμψύχωσις*: quæ & ab ipsis Ægyptiis, teste Suida in verbo *ἱερατικὴ*, hujus Philosophiæ primis auctoribus derivatur, aliquod nostræ opinionis fulcrum, Herodotus in *Euterpe*. Non utique lugeretur mortuus, qui vivere, vel etiam mutato corpore, crederetur. Plutarchus de iis, illud præceptum extollit in *Consol. ad Apoll.*

Ὅσα δὲ δαιμονίῃσι τύχαις βροτοὶ ἄλγε' ἔχουσιν,
Ὧν ἂν μοῖραν ἔχοις, ταύτην ἔχε, μηδ' ἀγανάκτει.
Injunget divina tibi quos fata dolores,
Hos, ut eveniant, animo fer leniter æquo.

Plura equidem habent ad moderandos affectus utiliter excogitata: quorum frequenti meditatione atque observantia non solum ad optimum rationis statum pervenies, sed summam felicitatem adeptus, tandem, ut eorum Dux Pythag. in *aureis* pollicetur *Carminibus*,

Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.
Eris immortalis Deus incorruptibilis, nec amplius mortalis.

Plato quoque, & ab eo Academici dicti ducunt nos levi gressu ad eam prudentiam, quam ad arcendum luctum necessariam demonstravimus. Sed his aliisque omnibus Stoicorum Philosophia antecedit; utpote quæ severe magis, robuste, viriliterque nos exerceat, & valentior sit: ac alter Alcides, (Alcidi enim Stoicorum sapientem recte comparant) hæc sive opinionum, sive naturalium passionum monstra conterere, eaque firmitate ac constantia animum munit, & in illa virtutis arce reponit, ut tutum securumque super omnes humanæ vitæ tempestates reddat. Id eo consilio affirmare audeo, quod sciam magis ad Homeri mentem, qui licet omnium doctrinarum fons, & cujusvis sectæ Philosophorum pater, in *Odyssea* tamen magis Stoicorum sapientiam repræsentat, quod duo Leidensis Scholæ numina Lipsius in *Manual.* lib. I. dissert. XVII. & Heinsius *Orat.* IX. *de Stoic. Philosoph.* optimis argumentis demonstrarunt: utrisque Ulysses Stoici sapientis exemplar; vel cum nudus in littore, sine amicis, sine opibus, sine externo ullo apparatu introducitur, vel cum ad uxorem perventus, ab annis viginti non visam, & semper suspiratam, nullis tangitur affectibus, Homer. *Odyss.* XVIII.

Ὀφθαλμοὶ δ' ὡσεὶ κέρα ἕστασαν, ἠὲ σίδηρος.
Atque oculi stabant, ut cornu, vel quasi ferrum.

Nunquam eum versum legi, inquit Lipsius, *quin Stoici illius veri, immoti, & ἀπαθοῦς, imago mihi subveniret.* Et addit: *Jam reliqua Ulysseis tota, quid nisi virtutis, constantiæ, fidei schola est?* &c. Nec repugnat, quod dicebamus, Crantorem veteris Academiæ Philosophum (quintus enim a Platone docuit) & summum Homeri Poeseos admiratorem, conditam in hoc pharmaco Philosophiam, ad Poetæ mentem & animorum profectum in medium protulisse, quem sane constat, ex quibusdam, quæ apud Ciceronem *Tusc. Quæst.* lib. III. & Plutarchum in *Cons. ad Apoll.* supersunt, verbis, in contrariam ivisse sententiam: *Minime*, inquit, *assentior his, qui istam nescio quam indolentiam magnopere laudant, quæ nec potest ulla esse, nec debet. Ne ægrotus sim*, inquit, *sed si fuerim, sensus adsit, sive secetur quid, sive avellatur a corpore. Nam isthuc nihil dolere, non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore.*

Sed in his dictis alia subest consideratio, & re vera, ut monet Cicero, assentatur nostræ imbecillitati, & indulget mollitudini. Siquidem prudentissimus Philosophus, cum Hippoclem consolaretur, & hominem minime sapientem (haud enim consolatione eget) noluit illam, quam Cleanthi idem tribuit Cicero IV. *Tuscul.* intempestivitatis vituperationem subire, ut pro detrahendo luctu stultitiam objiceret; cum alienum valde tempus docendi id sit. Quod etiam Plutarchum voluisse intelliges in *Consol. ad Apoll.* qui indulgens Apollonio, lugendi necessitatem humanitati tribuit, ut non odioso orationis occursu de abolendo luctu sententiam magis ex animo susciperet. Sed pondus doctrinæ, ut superius est explicatum, a severitate Stoica haud abhorret, nec aliud Crantori visum, & in eo *περὶ πένθους* libro, ingressum Zenonis porticum, atque ad ejus castra pertransisse & credo, & assevero. Quandoquidem summopere placuisse Panætio, Cicero affirmet IV. *Acad.* & tamen *Panætius ipse*, ut idem ait, *Princeps meo quidem judicio prope Stoicorum.* Sic Teles Philosophus, quamvis inter Pythagoricos, librum *περὶ ἀπαθείας* scripsit, cujus mentio apud Stobæum, & hoc, quod tantummodo Stoicorum dogma est, probare videtur, & minus esset in Crantore admirandum, cum ex Socratis disciplina Stoicorum sententiæ manarint.

Quemadmodum ergo ii, qui *τὰ διεστραμμένα τῶν ξύλων*, (ut eam usurpem similitudinem, qua Aristoteles cupiditates moderare nos docet) hoc est, *ligna incurva*, conantur recta efficere, in contrariam partem deflectunt, ut tandem in medio, unde figuræ æquabilitas est, cum id ab extremis non extumescit, consistatur: sic pronitatem affectuum optima ratione profligabimus, si vel *ἀπαθεῖς* fieri summa animi contentione enitamur; ut acerbitate præceptionis augeatur in præcavendo industria.

Igitur, ut firmetur animus in virtute adversus luctum, adhibendi sunt illi nervi, quos nullus delicatior cibus homini subministrat, sed illæ leonum medullæ, quibus Achilles altus a Chirone dicitur, & hac rigidiori disciplina Laconica occallescere opus est; non quod in omnibus Zenonem resipere sit laudi dandum, ut supra tetigimus. Sed in hac re aliud etiam superest dicendum, quod cum justi sit operis, in sequentem & postremam Partem rejiciemus.

DE HOMERI NEPENTHE

PARS V. SYMPLEROTICA, QUÆ ET DE *AVOCAMENTIS.*

IAm Operi coronidem adjiciemus. Ne quid enim desit ad complementum, hujusmodi Partis accessione librum producere visum est. Quod, & Homerus exposcit, & ad perfectam Nepenthus tractationem perquam necessarium. Ut tamen ἐπίσαγμα, quod ajunt, & oneris adsertura, major thylaco non videatur, breviter rem ipsam pertractabimus, & qua alia ratione, Ægyptium dici hoc Homeri pharmacum possit, apposite ad præsentem disceptationem ex Philone Hebræo *de congr. quær. erud. grat.* exponemus. Interpretatur sapientissimus scriptor historiam de Abrahamo, qui Saræ uxoris beneplacito cum Agare Ægyptia, prolis suscipiendæ causa, congreditur, & hujusmodi connubium ad congressum quærendæ eruditionis gratiâ trahit: eique Abrahamus intellectus est, Sara virtus, Ægyptia ancilla liberales artes. Et de hac ultima comparatione duo subdit argumenta: quorum alterum, genus Ægyptium. Quid autem Ægyptus significet, suo more, id est, sublime & elegantissime explicat, his verbis: Ἀνάγκη γὰρ τὸν ἐγχορεύοντα ταῖς ἐγκυκλίοις θεωρίαις, καὶ πολυμαθίαις ἑταῖρον ὄντα τῷ γεώδει καὶ Αἰγύπτῳ προσκεκληρῶσθαι σώματι, χρῄζοντα καὶ ὀφθαλμῶν, ὡς ἰδεῖν, καὶ ἀναγνῶναι καὶ ὤτων, ὡς προσέχειν τε καὶ ἀκοῦσαι, καὶ τῶν ἄλλων αἰσθήσεων, ὡς ἕκαστον τῶν παθητῶν ἀναπτύξαι. δίχα γὰρ τοῦ κρίνοντος, τὸ κρινόμενον οὐ πέφυκε καταλαμβάνεσθαι. κρίνει δὲ τὸ αἰσθητὸν αἴσθησις. ὡς ἀκριβωθῆναί τι τῶν κατὰ τὸν αἰσθητὸν κόσμον, ἐν οἷς ἡ πλείων μοῖρα τοῦ φιλοσοφεῖν οὐκ ἐνῆν ἄνευ αἰσθήσεως. αἴσθησις δὲ τὸ σῶμα τὸ εἰδίστερον τῆς ψυχῆς μέρος τῷ τῆς ὅλης ψυχῆς ἀγγείῳ προσερρίζωται. τὸ δὲ τῆς ψυχῆς ἀγγεῖον, Αἴγυπτος διὰ συμβόλου προσονομάζεται. Et ex Gelenii interpretatione hæc sunt, *Necesse est enim ut qui choreas encyclicarum contemplationum frequentat, & multiplicem eruditionem sectatur, terreno Ægyptioque sit adscriptus corpori, cum & oculis ad lectiones opus habeat, & auribus ad auscultandum, & reliquis sensibus ad tractanda sensibilia singula: nam sine judicativo judicari aliquid natura non patitur. Judicatur autem per sensum sensibile, itaque sine sensu non potest quicquam percipi in hoc mundo sensibili, quæ magna ex parte est philosophandi materia. Sensus porro est animæ pars magis corporea, radicata in totius animæ conceptaculo, quod vas Ægyptus figurate nominatur.* Hactenus Philo. Et in hunc sensum fortasse illud cecinit Petrarcha noster *Rhythm.* par. I. son. CIX.

I' da man manca, e tenne il camin dritto
I' tratto a forza, & e' d' Amore scorto,
Egli in Gierusalemme, & io in Egitto.

Sinistrorsum, videlicet se per tramites sensuum oberrare coactum, istud certe, si Homero applicabimus, Nepenthes Ægyptium hac ratione dictum

A conjiciemus, quia nimirum haud rationalem tantummodo animæ partem respiciat, sed ut sensus omnes similiter tangat, & ad hujusmodi animę vasculum pertineat. Quod mirum, quam recte ad Homeri mentem, imo id expresse indicasse, pluribus ex locis infra apparebit, quibus simul tota hujus medicamenti perfectio absolvetur. Nam quamvis firma hæc nobis adhærescat opinio: minime lugendos mortuos, remque vanam & futilem esse macerari tristitia, ubi naturæ lege & numinis providentia præire alicui nostrorum contingat, quo & universa caro incedit: fieri tamen haud potest, ut si filium quis viderit morientem (cum sensibus involvatur animus) vel erga mortuum sese oculis, vel con-

B templatione vertat, quin desiderio tactus, mœroris nubilo serenitatem mentis offuscet.

Quæ ut clarius constent, sciendum est affectus omnes in tres classes distribui posse, & quamvis multiplex eorum apud Philosophos distributio, ita tamen ad rem nostram secernere consonum erit. Alios magis quodammodo corpori, alios plus animo, reliquos utrisque tribuimus. Attinet ad sensus dolor & voluptas: haud enim nituntur opinionibus, ut spes & metus, qui tantummodo animi sunt, cum sola mali opinio metum vel boni spem afferat. Cruciatus autem nuda cogitatio minime dolorem accersit, nec deponenda cruciatus opinione, cruciatum ipsum sustuleris. Tertii generis affe-

C ctus, tam ad sensum, quam ad animum respiciunt, ut luctus & amor. Siquidem amor procursus animi est ad rem amatam. Concupiscit autem complexus, deosculationes, & ipsorum corporum conglutinationes: desideratur vero in luctu demortui hominis persona, utpote unius præsentia, consuetudine, usuque jucundissime vitam agere contingebat.

Harum affectionum, quæ propius ad mentis naturam accedunt, aptiores sunt, ut rationis imperio corrigantur; ex eo quod una cum opinione atque cogitatione mentis sumi & deponi possunt; crassiores vero rationis subducuntur imperio. Dedit enim nobis natura animos, usque adeo corpo-

D ribus congruentes, ut in potestate nostra non sit, fodicante cruciatu, vel titillante voluptate, dissimulatio vel oblivio. Reliquæ difficiliter moderantur, cum in eis tam sensus, quam animus pares sibi partes vendicent.

Et ut exemplis rem omnem aperiam, huc traham Chrysippi quandam comparationem, sed ex doctrina Galeni, & in meliorem sensum. Itaque ea ratione spes metusque deponi potest, qua quis per acclivem locum concitans gradum, cum nihil corporis mole ad motus velocitatem juvetur, in promptu valet subsistere. Corpori vero, qua gravitas est, & in ejus præcipitatione nulla ratio-

E ne occurritur, & ita irrationalem sensuum molem indicat: at qui per declivia currunt, stare confestim non possunt, quod propterea evenire constat, inquit Galenus *de Hipp. & Platon. Dogm.* lib. IV. Συμβαίνει γὰρ αὐτοῖς ἔξεστιν ἡ τῆς φορᾶς

αἰτία· ἡ μὲν τις ὡς ζώων ὑφ᾽ ὁρμῆς κινουμένων, ἡδ᾽ ὡς ἀψύχων σωμάτων τῷ βάρει ῥεπόντων. *Quia impetus ipsorum, & motus causa composita est: altera animalium, quæ ex appetitione moventur, altera inanimatarum rerum, quæ pondere inclinantur & gravant.*

Et cum luctus hujuscemodi sint affectiones, quæ ab duplici velut fonte scaturiunt, haud unicum simplexque remedium ad eas extirpandas opus est. Quapropter, ut verum, efficax, & panchreston, ut ait Cicero *Philipp.* I. reddatur Homeri pharmacum, jam dictis aliud sibi poscit adjumentum, cujus ope integre sanitas serenitasque comparetur. Quod indicasse superius visi sumus, cum Chironis beneficio, hoc est, Chironis victu, cum de Frugalitate, Chironio panace in Medicamentis, Chironis Hypothecis in Consolatione, & Chironis disciplina in proxime superiori Parte ἀπένθειαν adipisci docuimus. Siquidem Chiron διφυὴς animal humana equinaque forma componitur, & sensitivam partem, mentemque hominis symbolice depingit, ut nos supra tetigimus. Quod ex Homero est, qui equorum lacrymis & collocutione ipsum idem inumbravit, & contineri non possum, quin his doctissimi & politissimi J. C. Jacobi Gutherii verbis in *Choartio* confirmem: *Sapienter*, inquit, *Homerus cum Achillem fingit luctu perditum jactantius Patrocli casum deflere, inter equos tandem collocutum collacrymantes. Equi certe illi partem hominis inferiorem designant a ratione sejunctam, ex qua dolor oritur & voluptas. Animo enim immortali aliam animi speciem mortalem inesse sapientes tradunt, quæ variis affectibus ducatur.* Huc usque Gutherius. Et in istam intemperanter Achillem sese conversum, cum his figmentis Poeta designet, rursus id comprobatur, quod de ejus mente in Patrocli funere, supra cum gravissimo Tertulliano lib. *de Anima* cap. LVI. concludebamus.

Sed ad Chironis medicinam referre hoc pharmacum, nollem ea notione accipi, qua passim apud Medicos (Paul. Ægin. *Med.* lib. IV.) Χειρώνιον ἕλκος *insanabile vulnus* exponitur. Unde & Virgilius in *Append.* sive is sit auctor, sive Euphorbius, vel, ut nonnullis placet, Cælius Firmianus *Epigrammate ad Invidiam*:

Vivit pectore sub dolente vulnus,
Quod Chironia nec manus levarit,
Nec Phœbus, sobolesve clara Phœbi.

Etenim si luctus & mœroris affectio, de qua nobis est sermo, non nisi Chironia arte curari potest, videtur proinde ut Telephia, quod ajunt, plaga, & insanabilis æstimetur, & ita cum iis transversum daremus, qui omnino necessariam in obitu charissimorum tristitiam voluerunt.

Sed ne hujusmodi velut præjudicio quodam nos morentur, qua ratione interpretari debeant, ex Maximo Tyrio exponemus. Sed prius illud fortasse non omittendum, (quandoquidem sermo incidit de Chironis arte) eam satis diverse aliquando accipi. Isidorus Hispalensis *Orig.* lib. III. veterinariam, id est, jumentorum medicinam facit, & in hunc sensum ejus picturam & vocis etymon trahit, sed hic fortasse, ut sæpe alias, nugatur. Nec mihi arridet, quod Thrax ille Claudius Verderius in *Censura*, &c. κτηνιάτρους Chironis Centauri sectatores dicat. Sed de hoc auctore quid sentiam opportuniorem hac, quæ levissima est, dicendi occasionem optarem. Sidonius Apollinaris Chironis artem alio transtulit, cum in *lib.* II. *epist.* XI. *ad Agricolam* scripsit: *Sane contubernio nostro Justus adhibebitur, quem, si jocari licet in tristibus, facile convincerem Chironica magis institutum arte, quam Machaonica.* Cujus loci explicationem Nic.

A Rigaltius *in Onosandrum* non minus scite quam vere ad illud Diogenis revocavit, qui duos Centauros pessime pictos cum vidisset, Πότερος τούτων, inquit, Χείρων ἐστι; *Uter istorum est Chiron?*

Itaque Sidonius, ut Rigaltio & Joan. Savaroni, in eruditissimis *Comment. in Sidonium*, placet, inscitiam Medici ridens, ait: non Machaonem esse, aut Medicum, nec etiam Chironem, sed χείρονα, *peiorem* scilicet, & deteriore arte institutum, & quod in laudem dicebat Aristænetus *epist.* XIII. παιδάκιον τὸ ὄντως ἐπώνυμον ἰατρόν, *Medicum vere dignum suo nomine*: idem locus apud Aristidem, in quo legitur ex Canteri versione: *Nec enim ad* B *Chironem itare oportebat eos qui domi præceptorem haberent, quo Chiron etiam secundum nomen multo erat inferior.*

Sed redeundum ad Maximum Tyrium *Dissert.* XVIII. & his quæ de affectibus dicta sunt, hujus auctoris considerationem adjiciamus. Tantam enim animi & corporis ait esse connexionem & congruentiam, ut nullus animi, qui non ad membrum aliquod pertineat, motus sit, nec sensus fieri in corpore, qui ipsius animæ non sit. Itaque malorum omnium, qui nos sauciant, duplex genus. Alterum ab animo incipit, & desinit in corpus. C Alterum cum superiori directe pugnat, exoritur in corpore dolor ex vulneribus, convulsionibus, exustione, & similibus. Sed hic dolor, non corporis sensus est, sed ipsius animæ, & contra illum nulla excogitari potest Stoicorum ἀναλγησία, & indolentia, ut re vera insensibilis efficiatur, & ad eum expellendum, a corpore incipienda curatio. Quoties vero tristatur anima, afficitur pariter cum ea corpus & tabescit, hoc est, quod pallere solet, quod attenuari, ut in iis fieri videmus, quos amor excruciat, quos paupertas conficit, quos mœror squallore inficit. Hæc mala haud ex se insanabilia sunt, sed tantum eo, quod non adsit, qui nos D pharmaca ad id valentia condoceat, eaque applicet opportune, ut & Χειρώνιον τραῦμα, quod dixerunt Veteres, vulnus scilicet haud absolute immedicabile, sed quod ob sui malignitatem, medicam vix recipiat curam, & Chironem aliquem respectare videatur. Poetice ergo Virgilius invidiæ vulnus extulit, ut neque Chironi medicabile diceret, *Epig. ad Invid.* Qua de re Tyrius Maximus *ibid.* inquit: Ἐγὼ μὲν γὰρ ἀπορῶ εἴ τινα ἐξευρήσω δεινὸν τὴν τέχνην, καὶ τὸν Χείρωνα ἐκεῖνον, ἵνα μοι διπλᾶ τὰ ἀγαθὰ ἔλθῃ. *Ego quidem vehementer dubito an similem alibi Chironi invenire possim, cujus arte utrumque simul bonum consequar*, hanc animæ sci- E licet corporisque salutem. Et Pindarus nec immerito optat Chironem reviviscere, *Pyth.* ode III.

Ἤθελον Χείρωνά κε Φιλλυρίδαν
Εἰ χρεὼν τοῦθ᾽ ἁμετέρας ἀπὸ γλώσ-
    σας κοινὸν εὔξασθαι ἔπος,
Ζώειν τὸν ἀποιχόμενον,
Οὐρανίδα γόνον εὐ-
    ρυμέδοντα Κρόνου,
Βάσσαισί τ᾽ ἄρχειν Παλίου,
Φῆρ᾽ ἀγρότερον,
Νόον ἔχοντ᾽ ἀνδρῶν φίλον· οἷ-
    ος ἐὼν ἔθρεψέ ποτε
F Τέκτονα νωδυνίας
Ἅμερον γυιαρκέος Ἀσκλαπιὸν
Ἥρωα, παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νούσων.
Velim Chironem Philyriden
Si fas hoc e nostra lingua
Commune optare verbum,
Reviviscere mortuum,
Prolem late potentem
Uranide Saturni,
Vallibusque imperari Pelii,

Feram agrestem,
Mentem habentem hominum amicam:
Qualis existens nutriit olim
Filium Incolumitatis
Membris vegetæ suavem Æsculapium,
Heroem omnigenorum propulsatorem morborum.

Sed quid Chironem requirimus, si alterum habemus Æsculapium? & is est Homerus, qui utramque medicinam in sua admirabili poesi exactissime demonstravit, &, ut est omnis Philosophiæ auctor, lenitatem Epicurei Stoicorum miscuit severitati, & suo remedio velut Epicurostoico quodam temperamento, ut ita mihi fas sit nominare, mentem instruit, & sensus ad voluptates convertit. Quibus autem animum communire opus sit, jam satis supra indicatum: reliqua breviter adjiciemus. Et primum illud non ambigendum, sola sorbitione haud absolvi Homeri pharmacum, cum ipsius pharmacoposias nullum Poeta recenseat effectum. Sed statim ad Helenes narrationem descendat, & hanc Ægyptiam temperaturam

Ενθ' αὖτ' ἄλλ' ἐνόησ' Ελένη, Διὸς ἐκγεγαυῖα,

inter alia excogitasse Helenam, expresse inquit *Odyss.* IV. ut plura superesse adversus luctum præsidia, & suo carmine recensita hujusmodi documenta commonefaceret, ea autem ut uno verbo explicem, evocatio est. Nam cum omnis nostra, tum sensio, tum cogitatio fiat per rerum species, a rebus ad sensus & mentem derivatas, & ea omnia consulto tentanda sint, quæ nec minimum nos ad tristitiam convertant, evocandus est ad ea objecta animus, e quibus jucunditatem haurire & lætitiam possit.

Inter autem evocamenta, tria præcipue commemorat, cibos, Helenam & somnum; quibus ea complector omnia, quæ in Historia & Allegoria superius nobis sunt explicata. Nam etsi morbos non revellunt ab animis, cui recta tantum ratione occurrendum, sanant tamen commotiunculas illas primas, quibus adolescunt affectus. Et cum inde maximum proventum, haud duxit Homerus silentio prætereunda. Percurram autem singula, interque illud potissimum me in admirationem rapit. Quid est quod faciat ad Telemachi, Pisistratique oblectamentum jam undique Ulyssis memoria, & inculpati Antilochi excitatis lacrymis, denuo Regem Menelaum instruere mensas, ac reiterare convivium? Hom. *ibid.*

Ημεῖς δὲ κλαυθμὸν μὲν ἐάσομεν, ὃς πρὶν ἐτύχθη,
Δόρπου δ' ἐξαύτις μνησώμεθα, &c.
Nos vero fletum relinquamus, qui prius incidit,
Cœnæ rursus memores simus, &c.

Nec a primis epulis, longiuscula temporis intercapedo, & famem sitimque, ciborum potusque copia profligatam docet frequentato carmine:

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.

Quod Virgiliano isthoc *Æneid.* VIII. exprimitur:

Postquam exempta fames, & amor compressus edendi.

Quis hoc obiter factum dicet, & non potius summo judicio, & doctrinam haud despicabilem continere? an, si superis placet, is erit crapularum & ingluviei magister, qui temperantiæ & frugalitatis præcepta frequentissimaque exempla præstitit? nec sibi dissimilis in hoc Menelai convivio, ut notatum reliquit Suidas in *Homer. Nam Menelaus Hermiones nuptias celebrans*, ait, *& filii, & filiæ, & cum Telemachus ad eum venisset, assum bovis tergum sustulit, quod ei ipsi appositum erat.*

Vidit has repetitas epulas Athenæus, & singulariter esse, sed non potuit Poetæ mentem isthac speculatione attingere. Primum scilicet symposium, hospitalitatis & grati animi commune indicium. Alterum tantummodo ad luctus abverruncationis documentum. Sed audiamus Athenæi verba *Deipnos.* l. I. Διάζων δὲ τὸ παρὰ Μενελάῳ εἰσάγει συμπόσιον. δειπνήσαντας γὰρ ποιεῖ ὁμιλοῦντας, εἶτ' ἀπονιψαμένους ποιεῖ πάλιν δειπνοῦντας, καὶ δόρπου ἐξαῦτις μεμνημένους, μετὰ τὸν κλαυθμόν. Vertit Interpres, sed non absque lapsu, eoque gravissimo, *In Menelai convivio peculiare, id est, quod pransi confabulantur, deinde lotis pedibus rursum prandium instaurant, & de cœna postea cum gemitu atque lamentis sermonem habent.* Quandoquidem apud Homerum, denuo instauratum convivium, omnem ab oculis hospitum absterset lacrymam, eoque peracto non ploratus, non gemitus, sed confestim post Helenæ sermocinationem abducuntur in lectum, liquet istud ex primoribus Homeri versibus, quos modo adduximus, cujus verba suis verbis Athenæus infersit. Itaque aliter & si libet hunc in modum verti potest: *Peculiare autem*, Homerus, *apud Menelaum inducit convivium. Pransos siquidem facit confabulari, & lotos jam rursum post lacrymas convivari, & cœnæ memores fingit.* Idem Homerus haud indigna quæ ad hunc locum assuamus in *Iliad* XIX. Palladas in *Florileg*, lib. I. cap. LXIII cecinit:

Γαστέρι δ' οὔπως ἔστι νέκυν πενθῆσαι Αχαιούς.
Non licet inani deflere mortuum ventre.

Sed μεμνῆσθαι πόσιος καὶ ἐδητύος.

Meminisse potus & cibi.

Et *Iliad.* XXIV. adjecto exemplo, quod etiam Seneca *epistola* LXIII. advertit:

Καὶ γάρ τ' ἠΰκομος Νιόβη ἐμνήσατο σίτου,
Τῇ περ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροισιν ὄλοντο.
Nam & Niobe pulchricoma memor cibi fuit,
Cui duodecim liberi in ædibus obierunt.

Plinius addit rationem *lib.* XXII. *cap.* XXIV. & tamquam ad Homeri Scholium: *Nullius non ira luctusque tristitia, & omnis animi impetus cibo mollitur:* Quamobrem nec exquisita edulia, & quæ ipsius Helenes cibi vocabantur, (Ephippus enim apud Athenæum, suaves cibos τῆς Ελένης βρώματα dictos indicat, Erasm. in *Adag. Jovis cerebrum*) & ipsæ Apicianæ artes malæ, si tantum ad hoc remedium: nec immerito apud Locros, quibus lessu mortuos prosequi interdictum, defunctum, ἐπειδὰν ἐκκομίσωσιν, εὐωχοῦνται, *postquam elatum funus est, convivia agitant*, Heraclid. *de Polit.* Qua prudenti disciplina magnus vir & orator Pollio Asinius edoctus, ne dum intra quartum diem, quo Aterium filium amiserat, vehementius quam unquam declamavit; sed eodem, quo extulerat, cœnavit: quod & D. Augusto respondisse refert Seneca l. IV. *Declam.* in *Prœm.* cum mortuo in Lycia Cæsare per codicillos questus esset, quod in magno & recenti luctu suo, homo charissimus pleno convivio cœnasset.

Itaque indignam boni Philosophi, illam Hieronymi Cardani sententiam *de Subt.* l. XII. judicabis, quæ auxilia adversus luctum pericula tria statuit, lacrymas, suspiria, & inediam, ut ita lugere adversus luctum sit adjumento, ut contra ægritudinem ægrescere, & adversus lethargiam indormire: quod nemo sanæ mentis ita esse existimabit. Nec culpet quispiam minus apte ad has epulas referri exhilarantia medicamenta: idque si ex usitata medendi ratione arguatur, profecto bene: cum potiones frequententur scrupulatim confectæ, mille rebus mixtis coinquinatæ, quas nec olfacere tuto & absque stomacho valemus.

Sed nos juxta Homeri mentem, ex doctrina Ægyptiorum loquimur. Hi autem ἰατρικὴν ἐξεῦρον, ut clare inquit Isocrates in *Busir. laudat.* ἐπικουρίαν οὐ διακεκινδυνευμένοις φαρμάκοις χρωμένην, ἀλλὰ

ἀλλὰ τοιούτοις, ἃ τὴν μὲν ἀσφάλειαν ἔχει ὁμοίαν τῇ τροφῇ τῇ καθ' ἡμέραν, τὰς δὲ ὠφελείας τηλικαύτας, ὥστ' ἐκείνους ὁμολογουμένως ὑγιεινοτάτους, καὶ μακροβιωτάτους εἶναι. *Ægyptii medicinam invenerunt, non eam quæ periculosis medicamentis utitur, sed ejusmodi, quæ cum æque tuto sumi possint, ut cibi quotidiani, tantas utilitates habent, ut nemo neget, eos saluberrimis esse corporibus, & diutissime vivere*. Adhibent tamen, ut superius diximus, Medicorum sapientissimi sub Nepenthus epigraphe, etiam Ægyptiorum, id est, spagyrica, ut ajunt, arte nonnulla medicamina, quæ haud in rem præsentem sperno, sed non mei juris est ea vel recensere, vel approbare. Præstat tamen eorum obtemperari consiliis. Subsequitur ab Helena solatium, tum forma, tum interventu, & allocutione. Et primum ut hinc exordiar, tam illustris fœminæ, in ipso tristitiarum puncto articuloque adventus & præsentia, dilui luctum dulcedine societatis demonstrat. Nam cum misero instrumentum mortis sit solitudo, hic magnopere eam cavendam esse Poeta docuit, itemque VI. *Iliad.* de Bellerophonte verba faciens, his verbis:

Ἤτοι ὁ καππεδίον τὸ Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο
Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

Et ut Cicero lib. III. *Tuscul.* vertit,

Qui miser in campis mœrens errabat Aleis
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans,
&c.

Notavit istud idem Rutilius Claudius, cujus versus *Itin.* lib. I.

Sic nimiæ bilis morbum assignavit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus:
Nam juveni offenso sævi post tela doloris,
Dicitur humanum displicuisse genus.

Et quamvis, χρυσοῦν ἐστὶ πρᾶγμα ἐρημία, *aureas res solitudo*, est qui cum Antiphide asserat, & prudentes sapientesque viri confirment; nam hoc ex Philosophia lucrum, juxta illud Antisthenis, τὸ δύνασθαι ἑαυτῷ ὁμιλεῖν, *posse cum semetipso versari*. Re vera tamen in ipsa solitudine, aut Deus, aut Bellua, ut dici solet, cum hujusmodi quidpiam sit, ut bonos secum vivere doceat, malis improba omnia persuadeat, & hinc vitiis obbrutescant suis. In luctus vero ægritudine, cum in tumore sit animus, haud tutum vitam degere solitariam: hinc illud Senecæ est *epistola* X. *Lugentem timentemque custodire solemus, ne solitudine male utatur*. Haud igitur occurrit hospitibus Helena, neque in primis interfuit epulis, sed post excitata Ulyssis commemoratione lacrymas, in eorum conspectum venit: siquidem ut Philemon Comicus in *Fragm.* dicebat,

—— ἐπάν τις τυγχάνῃ λυπούμενος
Ἧττον ὀδυνᾶται, φίλον ἐὰν παρόντ' ἴδῃ.
—— *quando mœror quempiam occupaverit,*
Adesse amicum si videt, mœret minus.

Nam dulce afflicto est εἰς ὄμματ' εὔνου φωτὸς ἐμβλέπειν, *in oculos amici luminis inspicere*, ut inquit Euripides. Nec cum adesset Helena, silentium continet, sed loquitur, & alloquitur.

Hinc narratio illa quam tantopere in delinimentum mœroris Macrobius & Plutarchus sunt admirati, ut eam solam, aliudque nihil, Nepenthes esse contenderint. Et quidem præter hoc, quod superius minime verum esse probavimus, magnam vim atque efficaciam volens libensque impertior. Illud insuper addo: hujusmodi narrationem, non solum ὅπως ἀναγκαῖον τῷ ποιητῇ ἐνταῦθα τὸ τῆς Ἑλένης ἐπεισόδιον, ut inquit Eustathius, velut necessarium episodium, ad quarundam rerum de Ulysse cognitionem, quæ aliunde sciri non possent: sed principaliter & ex proposito ab Homero confictam in lugentium hospitum delectionem, & veri Nepenthus complementum. Quod ipsius Helenæ verba perquam manifeste aperiunt, Homer. IV. *Odyss.*

Ἤτοι νῦν δαίνυσθε καθήμενοι ἐν μεγάροισι,
Καὶ μύθοις τέρπεσθε· ἐοικότα γὰρ καταλέξω.
Quare nunc convivamini sedentes in domibus,
Et sermonibus delectamini; decentia enim ordine dicam.

Rursum, & in hac causa, illud minime prætereundum, quod hujus Helenæ orationis efficaciam summopere exauget, ut desperandum sit unquam ægrescenti alicui id contingere posse solatium, cujus ad exemplar, utque Poetam decet admirabile, hoc tale ab Homero proponitur, & illud est, ut jam monuimus, Helenæ pulchritudo & ornatus. De qua formositate si aliqua exordiri vellem, rem profecto supervacaneam agere, cum satis Græcorum Historiis, Asiæ, atque Europæ contentione sit clara: & passim Poetarum occurrant testimonia, nec desint optimi Oratores, qui peculiari sermone ejus laudes celebraverint: ut Gorgias *Orat. de Helena*, Isocrates, *Hel. laud.* eumque æmulatus Lucianus, sive quisquis ille fuerit, qui *Charidemum*, vel *De pulcritudine Dialogum*, scripserit: ad hanc respexit Homerus *ibid.* Helenæ speciem Deæ simillimam faciens, cum ait;

Ἐκ δ' Ἑλένη θαλάμοιο θυώδεος ὑψορόφοιο
Ἤλυθεν, Ἀρτέμιδι χρυσηλακάτῳ εἰκυῖα.
Helena vero ex thalamo odorifero excelso
Egressa est, Dianæ aureum arcum tenenti similis.

Et Athenæus *Deipn.* lib. V. notat, Telemachum Pisistratumque adeo Helenes pulchritudine captos, ut prope eam taciti sederent, πρὸς τὸ περιβόητον ἐκκεκωφωμένοι κάλλος, velut celeberrima illius forma exsurdati & attoniti.

Pulchritudo vero eloquentiæ conjuncta, quantas ad alliciendos animos vires habeat, Phavorinus apud Stobæum *Serm.* CLIX. non indigno, quod huc transferatur, elogio demonstravit: Ἱκανὸν μὲν οὖν ἴσως, καὶ τὸ τῆς ὄψεως, μεῖζον ἂν δὲ ὁ καλὸς, καὶ αἱμύλος ᾖ, καὶ λεκτικὸς, λέγε, ὦ νεανίσκε, λέγε, Ἀντίλοχε, γλυκερώτερον Νέστορος ἐρεῖς· λέγε Τηλέμαχε, σφοδρότερον Ὀδυσσέως ἐρεῖς. λέγε Ἀλκιβιάδη, κἂν μεθύῃς, ἀκουσόμεθα τοῦ μεθύοντος ἡδέως· τοιοῦτόν ἐστι τὸ καλὸν εἶναι· εὐφραίνει μὲν βλεπόμενος, εὐφραίνει δὲ ἀκουόμενος· εἰ δὲ τῷ κατὰ Πλάτωνα, τὸ θάῤῥος ἦν· εἶπον ἂν ὅτι καὶ πάσας τὰς αἰσθήσεις ὁ καλὸς εὐφραίνει, καὶ οὐκ ἀνέδεισα τὴν εὐωχίαν τὴν τῶν καλῶν. *Satis forsan fuerit, vel sola facies, magis si simul formosus sit, facetus & affabilis. Dic igitur adolescens, dic Antiloche, Suavius Nestore loqueris: dic, o Telemache, Vehementius Ulysse dices: dic Alcibiades, Etsi inebriatus sis, libenter ebrio tibi auscultabimus. Hujusmodi res est formosum esse, jucunda visu, delectabilis auditu; & ut cum Platone dicam, sensus omnes formosus delectat, quare pulchritudinis epulo frui non dubito.*

Itaque ad extulendum luctum, animique iram & furorem eliminandum, in speciosissimis formis oblectationem aucupari, cum intuitione, tum alloquio, ac mutua consuetudine par est: & quidquid inde voluptatis haurire, quod minime honestis moribus & Christianæ religioni officiat.

Quaproter (dicam cum pervetusto Poeta Cn. Mat. apud Agell. *lib.* XV. *cap.* XXV. illudque libenter in his casibus suadebo.)

—— *edulcare convenit vitam,*
Curasque acerbas sensibus gubernare.

Sed sponte haud subjiciam:

Sinuque amicam recipere frigidam caldo
Columbatamque labra conserens labris.

Quamvis hoc voluptatis genere ad allevandum curas, ait Cardanus *de Subt.* lib. XII. nihil sit melius.

Haud certe illud præteriit Epicurus, qui cum levationem ægritudinis potissimum in revocatione ad contemplandas voluptates posuisset, inter eas *Saporem* numerat, inquit Cicero lib. III. *Tuscul.* *corporum complexum, & ludos atque cantus & formas eas, quibus oculi jucunde moveantur.* Plutarchus, *quod non possit suaviter vivere*, puellarum nomina recenset, Leontium, Boidium, Hedicia, Nicedium circa hortum Epicuri frequentantia scorta.

Nec ad sedandam iram imbecillis ipsa Helenes elegantia. Siquidem Chrysippus apud Galenum *de Dogm. Hipp. & Plat.* lib. IV. cap. XII. & Clemens Alexandrinus *Strom.* lib II. notant ex Euripide in *Troad.* Menelaum, post Trojam captam, cum impetu ferretur ad occidendam Helenam, ut quæ tot fuisset causa malorum, stupore adeo ob pulchritudinem correptum, ut id non potuerit efficere, unde illa exclamatio:

Ergo hebetantur enses pulchritudine.

Detinetur quippe tali objecto animus, & ita ejus rapitur admiratione, ut ad hoc unum propriæ naturæ lenocinio intentus, cæteras omnes nedum molestas ac tristificas posthabeat curas, sed & eas quæ ad corporis subsidium & ad vitæ institutum sunt necessariæ.

Quamobrem Dion Chrysostomus, Homericæ doctrinæ studiosissimus, ac eloquentia præcellens, *Orat.* XII. Nepenthus vires expresse transtulit ad pulchritudinem; & quod mirandum, non ad humanam, corporis scilicet animæque gratificantis ei decus, formam, membrorum vita, colorum lumine, oculorum irradiatione, motusque concinnitate præstantem; sed ad immobilem, mutam, demortuamque, ut ita dicam, Phidiæ Sculptoris statuam. Aitque: (nec enim a propriis verbis tam aurei scriptoris temperandum) Ἀνθρώπων δὲ ὃς ἂν ᾖ παντελῶς ἐπίπονος τὴν ψυχὴν, πολλὰς ἀπαντλήσας συμφορὰς, καὶ λύπας ἐν τῷ βίῳ, μηδὲ ὕπνον ἡδὺν ἐπιβαλλόμενος, καὶ ὃς δοκεῖ μοι κατεναντίον στὰς τῆς εἰκόνος ἐκλαθέσθαι πάντων, ὅσα ἀνθρωπίνῳ βίῳ δεινὰ καὶ χαλεπὰ οἴεται παθεῖν· οὕτω σύ γε ἀνεῦρες καὶ ἐμηχανήσω θέαμα ἀτεχνῶς.

Νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθες ἁπάντων.
Τοσοῦτο φῶς, καὶ τοσαύτη χάρις ἔπεστιν ἀπὸ τῆς τέχνης.

Id est, *Ex hominibus vere etiam si quis fuerit omnino afflictus, animi multas exantlans calamitates, ægritudinesque in vita, neque somnum admittens dulcem, is mihi videtur e regione stans hujus imaginis oblivisci omnium posse, quæ humanæ vitæ atrocia & difficilia accidere solent: tale tu quidem reperisti & machinatus es spectaculum vere;*

Luctum adimens bilemque malique oblivia præbens.
Tanta lux, tantaque illi gratia ex arte addita est.

Et Damocharis Grammaticus non veritus est concinnitatem cujusdam lavacri, itidem expressa ad hunc Homeri locum illatione, laudibus celebrare, & ejus carmina habes in *Florilegio*, lib. IV. cap. XIX.

Ad hujusmodi etiam avocamenta trahas oportet, quæ de splendida Menelai æde, & instructissima, sumptuosissimaque ejus supellectile Homerus narrat *Odyss.* IV. nec quidquam, me judice, congruentius, magisque ad rem, cum eorum pulchritudinem affectate describat, & Ulyssis filium ita admiratum eam dicat, ut ad Pisistratum in hunc modum sit allocutus:

Φράζεο Νεστορίδη τῷ μῷ κεχαρισμένε θυμῷ
Ψαλκοῦ τε στεροπὴν, καὶ δώματα ἠχήεντα.
Χρυσοῦ τ', ἠλέκτρου τε, καὶ ἀργύρου, ἠδ' ἐλέφαντος
Ζηνός που τοιήδε γ' Ὀλυμπίου ἔνδοθεν αὐλή.
Ὅσσα τάδ' ἄσπετα πολλὰ, σέβας μ' ἔχει εἰσορόωντα.

A —— *animo gratissime nostro*
Aspice Nestoride, Pyliorum gloria celsa,
Aeris fulgorem, & resonantia tecta corusco
Auro atque electro nitido, sectoque elephanto
Argentoque simul, talis Jovis ardua sedes,
Aulaque cœlicolum stellans splendescit Olympo.
Hæc immensa adeo mirandaque tecta videntes
Detinuere, stuporque insignis fixit in arte.

Neque ista Telemachi admiratio, statim in primo ædium occursu, velut rerum novitate capti, visisque attoniti, quod naturaliter accidere solet: sed postquam visendi observandique jam satias cœpisset fieri. Dixerat quippe paulo ante Homerus
B *ibid.*

Αὐτοὺς δ' εἰσῆγον θεῖον δόμον· οἱ δὲ ἰδόντες
Θαύμαζον κατὰ δῶμα Διοτρεφέος βασιλῆος.
Ὥστε γὰρ ἠελίου, αἴγλη πέλεν ἠὲ σελήνης
Δῶμα καθ' ὑψερεφὲς Μενελάου κυδαλίμοιο
Αὐτὰρ ἐπεὶ τάρπησαν ὁρώμενοι ὀφθαλμοῖσιν.

Id est,

Ut regis pariter domus est intrata Laconis,
Regali luxu mirantur regia tecta
Oebalii Atridæ juvenes heroibus orti.
Qualis Phœbeus splendor, Phœbesque micantis
C *Excelsa regis sic lustrant singula tectis:*
Miratur, facilesque oculos fert omnia circum
Læsus, uterque suos, Ithacoque & Nestore natus:
Hospitio capitur que domo: ut jam singula visu
Percurrere satis velut oblectamina sedis.

Et hujusmodi iterationem non ταυτολογίᾳ & Poetæ vitio dabimus: cujus si ingenium prope divinum, si ætatem quam vixerit, si vatum antiquissimorum mores consideres, & ejus sapientiæ celebratissima encomia, nihil unquam cecinisse mecum fateberis, quod non prudenter excogitatum, ex industria dispositum, & in alicujus rei utile di-
D xeris documentum.

Itaque, ut in repetitis epulis recte admonebamus, non abs re domus elegantia, auri, argenti, electri eborisque elaborata artificia bis contemplantur extolluntur que: sed ut intelligas isthic Homerum naturam rerum secutum esse, ut doceret simpliciter quid in nova objecta, eaque delectabilia, perspicientibus accidere soleat, quod regiam magnificentiam, & nuptiarum apparatum, que tunc temporis apud Menelaum celebrabantur, conveniret. Rursus ceu inter alia excogitata ponderantur, quæ Helenæ pharmacum consequuntur. Quod si hoc modo non res se haberet,
E haud Crantore plenius & melius adversus luctum Poetam nostrum concinnasse remedia dicendum foret. Sed modo in hac re plerique hominum perperam faciunt, cum tetris vestibus atratisque aulæis sese ac totam domum enigrantes, amotis pictorum tabulis ac cæteris ornamentis, unice student, ut mœrores & luctus sibi comparent & asciscant. Cum prorsus in contraria studia incumbendum esset: *quodque nunc facimus*, ut verbis Ciceronis dicam, *quum laxati curis sumus, ut spectare aliquid velimus, & visere*: id multo tunc faciendum accuratius, & signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari, & quodcumque vel ab arte, vel a na-
F tura commendatur, inspicere & contemplari debemus. Id etiam docuit Homerus *Iliad.* XIX. Themist. *Orat.* III. nam clypeum miro artificio ab Vulcano fabrefactum, quem universum cœlum continere fingit, solemque ac lunam, & e regione solis, mare, atque terram, arantesque insuper, & uxores ducentes, litigantes, ac bellum inter se gerentes, cum Thetis ad Achillem Patrocli necem lugentem attulisset, continuo eo spectaculo captus diluto mœrore inquit Poeta:

Τέρπετο δ' ἐν χείρεσσιν ἔχων θεῦ ἀγλαὰ δῶρα.
Oblectabatur, in manibus tenens Dei ſplendida dona.

Ecquis niſi plane *μισόκαλος* his non capitur oblectationibus, quibus detineri bonos, prudentes & ſtudioſos viros video? Jo. Baptiſta Melior, jam inter cauſarum Patronos eloquentiſſimus, nunc magni nominis Conſiliarius, quandiu non laborioſiſſimæ dignitati, non familiæ, ſed ſibi vivere, quod per pauxillum licet, nihil dulcius habet, quam ſelectiſſima Pictorum artificio delineamenta perſpicere, ac Veterum numiſmata, & quidquid ab arte & vetuſtate laudem meretur, expendere. Matthæo Hieronymo Maſſæ non tam prodeſt ad ſedandas curas *πανσιλυπε* luctus, quam multiplex marmorum, nummorum, gemmarumque admiranda congeries. Franciſcus Antonius Purpura JC. & hiſtoriarum peritiſſimus, ceu alter Jovius, illuſtrium virorum, præcipue Regni Neapolitani, æreas imagines ut ſtudioſe perquirit, ita in maximum ducit cogitationum levamentum. Laudo etiam ac cum jucundiſſimis hiſce occupationibus floſculorum contemplationem annumero, ſi ii quidem non ad hortorum pompam, quod ætate noſtra communis Magnatum faſtus, ſed tantum animorum cauſa Lipſiano ſtudio colantur, ut ipſe *de Conſ.* lib. II. cap. II. & non immerito inter eos ſeſe oblectat Jo. Andreas Fannettaſius, ut flos eſt ipſe ingeniorum, & literarum, virtutum odore præſtantiſſimus.

Sed poſtquam odoris mentio, nec unguentorum modeſtas delicias reſpuo, vel ipſius Poetæ admonitu, qui Helenam ante Telemachi Piſiſtratique conſpectum *ἐκ θαλάμοιο θυώδεος*, *ex thalamo odorifero*, prodiiſſe fingit, ut nullus ſit ſenſus, cui ad tollendum luctum non aliqua paranda delectatio. Vide Levinum Lemnium *de Nat. Mirac.* lib. I. cap. XVI. Et ex Ægyptiorum moribus eſt, quibus odores in pretio habiti, & mixtura quædam ſedecim rerum in unum compoſitarum, quam *κῦφι* vocant, ut Mercur *Var. Lect.* lib. II. cap. XIX. Hæc, teſte Plutarcho *de Iſide & Oſiride*, ſuavem emittit utilemque exhalationem, qua aer mutatus ſpiritu ſuo etiam corpus afficit, temperiemque blandam adipiſcitur, & moleſtiam ac vehementiam diurnarum curarum, quaſi vincula quædam animi, citra ebrietatem relaxat, facultatemque animi imaginatricem & ſomniorum capacem lævigat, inſtar ſpeculi, purioremque reddit; non minus id quidem efficaciter, quam lyræ ſtrepitus, quibus ante ſomnum Pythagorei utebantur.

Sed ſupereſt ut de hoc etiam aliquid dicamus, quod inter luctus avocamenta ſupra commemoravimus. De eo autem primum, quid dicat Homerus notandum eſt, deinde quid ex Homeri loco Athenæus. Inquit autem Poeta *Odyſſ.* δ.

Ἀλλ' ἄγετ', εἰς εὐνὴν τρέπεθ' ἡμέας, ὄφρα κεν ἤδη
Ὕπνῳ ὑπὸ γλυκερῷ ταρπώμεθα κοιμηθέντες.
Agite, dum in lectum nos abducite, ſomno
Ut blando jam dormientes recreemur.

Ex hoc loco colligit Athenæus, doceri nos ab Homero, eos, qui ad convivium accerſuntur, oportere convivatorem admonere, & rogare ſibi ut exſurgere & abire liceat: cujus verba *lib.* V. *Διδάσκει δ' ἡμᾶς Ὅμηρος, ὅτι δεῖ καὶ τοὺς κεκλημένους ἐφ' ἑστίασιν παρακαλεῖν ἀπανίστασθαι τοὺς κεκληκότας:* additque ad id confirmandum alterum Homeri locum, quod Pallas, quæ ſe Mentorem eſſe aſſimulabat, Neſtorem compellat his verbis *Odyſſ.* III.

Ἀλλ' ἄγε, τάμνετε μὲν γλώσσας, κεράασθε δὲ οἶνον,
Ὄφρα Ποσειδάωνι καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν
Σπείσαντες, κοίτοιο μεδώμεθα, τοῖο γὰρ ὥρη.

A *Agite dum, ſcindite linguas, vinum miſcete,*
Ut Neptuno & alii Diis immortalibus
Cum libaverimus, de cubili nos curemus, id enim tempeſtivum eſt.

Ego quidem multum vetuſtiſſimo ſcriptori defero, ſed in hac re aliter ſentio, neque id placuiſſe Homero, imo potius in via morum quam maxime peccare illos exiſtimo, qui ad cœnam & hoſpitium recepti, fidei, benevolentiæ, atque invitantis moderationi non ſe totos committunt. Nam quid iſthæc compellatio? niſi diſcubitus, ut æquo longiores culpare, hoſpitem ut improvidum arguere, eique imponere modum? Quod ſi ſemper indecens,
B eo magis, cum quis inferior, ut Telemachus, apud Principem, ut Menelaum, diverſatur; quamvis non me fugiat liberum, ſed ſapiens, Omuli ad Antoninum Pium reſponſum apud Jul. Capitol. *Cum in domum alienam veneris, & mutus, & ſurdus eſto.* Si ad finem noſtra non properaret oratio, pluribus id convincerem: nunc tantum cum Poeta res erit. Qui ſi ita convenire judicaſſet, nulli magis quam Ulyſſi, qui prudentiæ & ſapientiæ exemplar eſt, in hujuſmodi documine proſpectum foret: at ipſe in Alcinoi convivio a Rege cum aliis cubitum ablegatur, nec vadit, priuſquam a ſervo
C ſit advocatus, Homerus *Odyſſ.* lib. VII.

Ὄρσο κέων ὦ ξεῖνε, πεποίηται δέ τοι εὐνή.
Surge dormiture hoſpes, paratus eſt tibi lectus.

Sed qua ratione, dices, aliter in locis ab Athenæo propoſitis obſervatum? tangam prætereunte manu. Apud Neſtorem perſonata deitas Mentorem fingit, ſed re vera Palladem agit, nec ſui muneris obliviſcitur, ſumitque a divinitate fiduciam. Proinde monet de ſacrificio, de libatione, de tempeſtivitate dormiendi, cæteraque quibus paulatim ſe Deam indicans, Neſtorem in obſequium Telema-
D chi ſua auctoritate conciliat. Apud Menelaum vero, ut rem noſtram agamus, abſurdiuſcule factum, ſed procul dubio Nepenthus cauſa, ut inde intelligeres, curandum iis eſſe de ſomno, quorum animos mœror invaſit, ut in Priamo luctuoſiſſimo ſene Homerus *Iliad.* lib. XXIV. evidentius demonſtravit. Quamobrem & ſoporifera tentanda. Cardanus ait ſe Solano uſum. Opium ex his, quæ diximus, maxime excellit. Nolo tamen Turcarum mores ob neceſſitatem repetendi hic exornare. Opportunius rigari vino, ſed Laconice, & nonnunquam, ut ait Seneca *de Tranq. Animi*, uſque ad ebrietatem, cum inde ſopor & lætitia. Nam recte
E Critias hujuſmodi potationem inquit,

Πρὸς θ' ὕπνον ἤρμοσα τῶν καμάτων λιμένα.
Ad ſomnum conferre, qui laborum portus eſt.

Et Homerus noſter:

Οἶνόν τοι Μενέλαε θεοὶ ποίησαν ἄριστον,
Θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἀποσκεδάσαι μελεδῶνας.
O Menale Dii vinum fecere beati,
Ut curas animi pellat mortalibus acres.

Et Horat. lib. I. *Carm.* ode VI.

—— ſic tu ſapiens finire memento
Triſtitiam vitæque labores
Molli Plance mero.

F Et urgente triſtitia, vinum leniter mandragoræ aliove pharmaco medicabimus: ut cum ceſſatione ſenſuum, quæ ſomnus eſt, reliqua luctus adminicula diluantur. Hinc Chironia illa admonitio, triſtem ægrimoniam vino cantuque allevare, ut dignum ſapientiſſimi prudentiſſimique auctoris conſilium reputetur, eo ſenſu concipienda eſt, ut muſica, vel intimam animorum compoſitionem deſignet, de qua nos egimus, vel ea, atque vino extima corporis, & principis pharmaci appendicula refectio comprehendatur, non ad

ſolam voluntatem, ſed ſobriter ad virtutem & hanc jucunditatem comparandam, quibus integrum Nepenthes ex Homeri doctrina perficitur. Sed quia flores, odores, cibi, potuſque, & quæ alia ſenſuum ſunt illecebra permittitur, hanc Homeri doctrinam eodem naſo ſuſpendet aliquis, quo Cicero Epicurum irridet *Tuſc.* lib. III. *Ad hanccine igitur vitam*, inquit, *Telamonem illum revocabis, ut leves ægritudinem? & ſi quem tuorum afflictum mœrore videris, huic accipenſerem potius quam aliquem Socraticum libellum dabis? αὐλῶν* (vel ὑδραύλεως, ita etiam legitur apud Athenæum *lib.* X.) *hortabere ut audiat voces potius, quam Platonis? expones quæ ſpectet florida & varia, faſciculum ad nares admovebis, incendes odores, & ſertis redimiri jubebis & roſa?* Nec multo poſt: *Eripiamus huic ægritudinem. Quomodo? Collocemus in culcitra plumea, pſaltriam adducamus, hedychrum incendamus, demus ſcutellam dulciculæ potionis, aliquid videamus & cibi.* Sed quanto hic in errore verſaretur, vel ipſe Tullius edoceret: nam eatenus culpat Epicurum, quatenus pro Socratico libello accipenſerem det, & hortetur potius ad hydraulicam ſymphoniam, quam ad Platonis dogmata. Qui autem Socratico plenus grege, divinæ Philoſophiæ puriſſimos latices hauſerit, huic & conquiſitiſſimi cibi, atque omnis hujuſmodi voluptatis contemplatio ad abſtergendum luctum potiſſima & neceſſaria medicamenta: nec fruſtra iſtud Homeri pharmacum Epicuroſtoica temperatura concinnari diximus; nam nec ἀπάθειαν & ſtuporem animi cum Stoicis abſolute præcipit, nec enervari voluptatibus, ac molli inertia diffundi permittit. Et hac ratione devitatis alterutræ ſectæ vitiis, ſuper omne ſapientiæ culmen eminentiſſimus Poeta veram in his morbis humanæque vitæ convenientiſſimam medicinam adinvenit. Et quemadmodum Plato lib. II. *de Legib.* compotationes & choreas Liberi Patris ſub moderatione legis coercuit: ut, habita ratione temperantiæ, eas non modo commendabiles, ſed utiles & neceſſarias fecerit; ita ſi non effuſe & temerarie, ſed ex hujus pharmaci præſcripto ſenſuum voluptatibus quis utatur, longe abeſt ut inſanientis Epicuri ſapientiæ inſimuletur, cum omnia ad virtutem & rectam rationem dirigantur, neque in alia re majora & ſolidiora ejus adminicula, ut plane jam ſuperius demonſtratum.

Hoc igitur medicamen, quotus quiſque ſibi ſapit, repoſitum in mentis myrothecio, ſummo ſtudio colere & conſervare debet, ut quandocunque opus, eſt ſane perfrequenter, ex ejus copi pectore promptet, atque præſentiſſimo ſubſidio ingruenti occurrat infelicitati, ut magis eluſiſſe videatur fortunæ ictum, quam vulneri medicinam feciſſe. Eſt equidem ita natura comparatum, ut hominibus nec perpetuæ adſint felicitates, nec perennent infortunia. Lacrymas conſolatione exſiccari, extremaque gaudia luctibus dilui, cum Jupiter, ut eſt apud Homerum *Iliad.* XXIV. binis doliis, quæ promptim ad manus habet, bona malaque diſtribuat.

Sed quid inter ſapientes & cæteros homines conſtaret, ſi præter hanc univerſæ naturæ temperiem, ſuis conſiliis ſubducere ſeſe malis aliquo modo non valerent? Sub Jove pluvio, vel frigido, eos imber frigusque tangit, qui nec focum, quo quo caleſcant, nec operimentum, quo muniantur, habent. At prudens & catus vir hæc omnia antevertit. Denaſcuntur igitur, qui nobis peroptare & jucunditer nati ſunt, ſi ſapiens fuero, illico exverras non ædibus, ſed animo faciam, & ab hujuſmodi angoribus, hauſto Helenæ poculo ad mentem conſiliumve faciente, purgatum defæcatumque reddam, & ſenſus ad diverſa, eaque delectabilia, deflectens, mihi ipſi ſuppetias feram: ſtultus vero & infrugifer homo ſibi præſto eſſe nequit, & benignitatem naturæ opperitur, quæ dupliciter his malis mederi ſolet. Uno modo, propter majoris boni ſupervenientiam, quod Pindarus, more ſuo, nobiliſſime expreſſit *Olymp.* ode II.

—— πένθος
Δὲ πιτνεῖ βαρὺ
Κρεσσόνων πρὸς ἀγαθῶν.
Sed luctus opprimitur gravis a potioribus bonis

Quamobrem apud Romanos indicebatur privato luctui finis. Feſtus in verbo *minuitur*: *Cum liberi naſcerentur, cum honos in familia veniret, cum pater, aut liberi, aut vir, aut frater ab hoſte captus domum rediret, cum puella deſponſaretur, cum propiore quis cognatione, quam is qui lugetur, natus eſſet.* Alterum naturæ ſubſidium ab diuturnitate temporis eſt, cujus vicibus extenuatur mœror, atteriturque, ac tandem penitus aboletur. *Finem enim dolendi, qui conſilio non fecerit, tempore invenit*, inquit Seneca *epiſtola* LXIII. Qui alibi hoc ipſo naturali remedio maximas ærumnas componi ſcribit: vulgatum carmen:

Χρόνος δ' ἀναιρεῖ πάντα, καὶ λήθῃ ἄγει.

Sed haud vulgo cognita ratio, quæ & Galenum *de Plat. Dogm.* adverſus Chryſippum exercuit. Nos conſulto omittimus, illud denuo inculcantes, haud recte ſapientis eſſe, quæ alii aliunde conſequuntur, non extemplo ſibi propria virtute & eruditione parare. An non ſæpe ſæpius contingere viſum eſt, pleroſque ægrotos, Medicorum auxiliis deſtitutos, ſine ullo pharmaco, ſed naturæ indulgentia priſtinam recepiſſe ſanitatem? non eſt proinde, ut ſi quis ſe haud recte valentem agnoſcat, dilabique in aliquot morbos, ut hac ſpe ſalutis deſinat conſulere Medicorum optimos, & ſalubria admovere, eaque omnia acquirere medicamenta, quibus citius ſecuriuſque eam adipiſcatur. Quandoquidem aliter facere fatuorum eſſet, & non ſani conſilii hominis. Itaque in afflictione animorum, quacumque de cauſa, ne dum ob chariſſimorum obitum, ab nos ingruat, ſumma ſolertia enitendum eſt eam evomere atque funditus exſtirpare, nec cum veſanis ingeniis temporis & fortunæ beneficia expectare.

Recurrendum igitur ad Homerum, ex quo, me prævio ac monitore, hoc utillimum & admirabile NEPENTHES haurito. Sed prius & ſemper ad D. O. M. qui verus Νηπενθὲς Ἀπόλλων, corporis animæque incolumitatis auctor,

Ζεὺ, πάντων αὐτὸς φάρμακα μοῦνος ἔχει.
Pharmaca cunctorum Juppiter unus habet.

Quod idem noſter dixit Homerus.

F I N I S.

